MAXIMA
BIBLIOTHECA
VETERVM PATRVM,
ET ANTIQVORVM SCRIPTORVM
ECCLESIASTICORVM.

PRIMO' QVIDEM A' MARGARINO DE LA BIGNE,
in Academiâ Parisiensi Doctore Sorbonico, in lucem edita.

DEINDE CELEBERRIMORVM IN VNIVERSITATE COLONIENSI Doctorum studio, plurimis Authoribus, & Opusculis aucta, ac historicâ methodo per singula sæcula quibus Scriptores quique vixerunt, disposita.

HAC TANDEM EDITIONE LVGDVNENSI,
ad eandem Coloniensem exacta, novis supra centum Authoribus, & Opusculis hactenus desideratis, locupletata,

ET IN TOMOS XXVII. DISTRIBVTA.

Huic etiam Editioni accesserunt INDICES QVATVOR *præclari, in hac tàm multiplicium Scriptorum vastissimâ collectione verè faces, & ut quis ad ipsorum lectionem introducatur, utilissimi, imò omninò necessarij.*

I. AVTHORVM ALPHABETICVS, ipsorum ætates, & scripta indicans.
II. CLASSICVS, Authores per materias de quibus egerunt, exactè distribuens.
III. SYNOPSIS appellatus, operum omnium Authorum analysim continens, & argumenta exhibens.
IV. GENERALIS materiarum amplissimus.

Consule quæ de his indicibus in ipsorum frontispicio, circa eorum utilitatem, & usum prænotata sunt.

TOMVS DECIMVSOCTAVVS,
Continens Scriptores ab ann. Christi 1000. ad ann. 1100.



LVGDVNI,
Apud ANISSONIOS.
M. DC. LXXVII.
CVM APPROBATIONIBVS, ET SVPERIORVM PERMISSV.







SERIES AVTHORVM, ET OPVSCVLORVM, QVÆ HOC SÆCVLO VNDECIMO seu TOMO XVIII. BIBLIOTHECÆ MAXIMÆ VETERVM PATRVM comprehenduntur.



VLBERTVS *Carnotensis Episcopus* ab anno circiter 1007, usque ad annum 1028 quo obiit, scripsit Epistolas multas, Sermones etiam ad Populum & hymnos aliquot. Extant hæc omnia ex M. S. Cod. Bibliothecæ Collegij Regiæ Navarræ, ac Petri Petavij, & Nicolai Fabrj, Studio Caroli de Villiers Doctoris Theologi edita & notis illustrata fol. 1.

BERNO *Abbas Augiæ divitis prope Constantiam ad Rhenum*, vixit usque ad annum 1047, cum nobile illud monasterium annis 39 administrasset, alius omnino à Bernone primo Cluniacensi Abbate, scripsit librum de Officio Missæ, sive de quibusdam rebus ad Missam spectantibus, qui extat fol. 56. Vita S. Udalrici Augustani Episcopi ab eodem scripta habetur apud Surium in mense Julio. Falsi sunt autem qui librum Micrologum, qui inferius extat hoc eodem tom. fo. 469 Bernuni Augiensi tribuerunt, qua de re vide quæ ibidem prænotantur ex P. Theophilo Raynaudo S. I.

BRVNO, *Herbipolensis Episcopus, Patruelis Conradi II. Imperatoris*, scripsit Commentaria in Psalterium & Cantica tam novi quam Veteris Testamenti. Item in orationem Dominicam & Symbolum Apostolorum & Athanasij. Extant fol. 65, omnia ex Ioannis Cochlæi recognitione.

HERMANNVS ab infantia omnibus membris contractus *Monachus Cœnoby Augiensis*, scripsit Chronicon, quod ex editione Henrici Canisij extat fol. 348. vide de aliis ejus scriptis quæ ante Chronicon ejus prænotata sunt ab eodem Canisio.

HVMBERTVS, ex *Tullensi Cœnobio S. Mansueti* propter scientiam litterarum traductus, & à S. Leone nono Papâ Romam evocatus, *Episcopus Sylva Candida*, & S.R.E. *Cardinalis*. Missus est Constantinopolim ab eodem Papa anno 1051 ubi sæpè disputavit. Scripsit autem adversus calumnias Michaëlis Patriarchæ Constantinopolitani & Leonis Archiepiscopi Bulgariæ (quorum hîc habetur Epistola) librum unum extat fol. 389. Adversus Nicætam Pectoratum (cujus quoque hic extat libellus) librum unum fol. 405. Commemorationem item eorum quem quæ contra Michaëlem Patriarcham gesserunt Apostolicæ Sedis Apocrisarij, fol. 415. Omnia ex recognitione Henrici Canisij, ex Serenissimi Maximiliani Bavariæ Ducis Bibliotheca.

HVGO *Clerico Carnotensi & alumno Cluniacensi, ad Lingonensem Episcopatum* anno 1031 assumptus, scripsit Tractatum de Corpore & Sanguine Christi contra Berengarium, qui extat fol. 417. Vide plura de eo in Gallia Christiana tom. 2 in Episcopis Lingonensibus.

DVRANDVS *Troannensis Abbas*, ab infantia *Monachus*, Religione & Sapientia præcipuus, post multos in Dei cultu labores, in lectulum decubuit, & tertio idus Februarij de sæculo migravit, inquit de eo Ordericus Vitalis. Scripsit librum de Corpore & Sanguine Christi contra Berengarium & ejus sectatores. Extat fol. 419.

ADELMANNVS *Brixiensis in Italia Episcopus, discipulus S. Fulberti*, scripsit de veritate Corporis Christi in Eucharistia Epistolam ad Berengarium quæ extat fol. 438.

GVITMVNDVS, ex *Monacho Ordinis S. Benedicti in Cœnobio crucis S. Leufredi Diœcesis Ebroicensis in Normannia, Episcopus Aversanus in Italia*, obiit circa annum 1080. Scripsit de veritate Corporis Domini in Eucharistia libros tres. Extant fol. 440. Confessionem de Trinitate, Christi humanitate, Corporis ac Sanguinis Domini veritate ibid. fol. 465. Orationem ad Guillelmum primum Anglorum Regem, fol. 468. vide de eo Italiam sacram tom. 1. in Episcopis Aversanis, ubi multa de ejus Cardinalatu mentio.

MICROLOGVS de Ecclesiasticis observationibus, scriptus videtur hoc sæculo; vixit enim author illius, temporibus Gregorij VII Papæ, ut patet ex cap. 14 & 17 sui libri. Extat fol. 469.

vide

vide quæ initio hujus operis prænotata funt ex Bellarmino, ex Magiſtro ſacri Palatij & aliis.

OLYMPIODORVS *Monachus Græcus*, quem Cardinalem Bellarminum ſecuti libro de ſcript. Eccleſiaſticis poſuimus hoc ſæculo, quamvis ut ipſe ait, incertum ſit quo tempore vixerit, ſcripſit Commentarium in Eccleſiaſten, qui extat fol.490. Ejuſdem vel alterius Olympiodori edita eſt Cathena in Iob à P. Commitolu S. I. quæ & poſtea ex aliis M. S. prodiit ſub nomine Nicetæ Heracleenſis Metropolitæ. Vide quæ de hoc opere initio Commentarij obſervantur ibid. fol.491

RABBI SAMVEL, natione *Afer*, ab vrbe natali *Marrochitanus*, dici ſolitus, ex Iudæo factus Chriſtianus, vixit anno Chriſti 1070. Scripſit Epiſtolam ſive librum de Adventu Meſſiæ quem Iudæi temerè expectant. Extat fol.519.

DEODVINVS *Leodienſis Epiſcopus*, qvi male hactenus Durandus nominatus eſt, vixit juxta Coccium hoc ſæculo. Scripſit de Corpore & ſanguine, Domini Epiſtolam contra Brunonem Andegavenſem Epiſcopum & Berengarium Turonenſem. Extat fol.531.

THEOPHILACTVS *Acridæ in Bulgaria Archiepiſcopus*, vixit circa annum 1071 tempore Summi Pontificis Alexandri ſecundi, plura ſcripſit in ſacros Libros Commentaria, quæ paſſim reperiuntur. Hic tantum habes ejus Epiſtolas num.85. interprete Vincentio Marinerio fol.532, & Inſtitutionem Regiam, Interprete P. Petro Poſſino S. I. ibid. fol.563, ex Bibliotheca Medicæa. Vide autem Cautionem quam adhibuit Poſſevinus in apparatu ſacro circa hunc authorem, qui in errore fuit Græcorum de Proceſſione Spiritus ſancti à ſolo Patre.

IOANNES CALECAS *Patriarcha Conſtantinopolitanus*, qui videtur vixiſſe hoc ſæculo, ſcripſit Sermonem in Dominica ante Exaltationem ſanctæ Crucis, qui ex Iacobo Gretſero S. I. extat fol.570

IOANNES XIPHILINVS *Patriarcha Conſtantinopolitanus*, vixit temporibus Imperatoris Conſtantini XII Ducæ, & anno 1078 obiit. Scripſit in tertiam jejuniorum hebdomadam, vel in Crucis adorationem Sermonem unum, qui ex eodem P. Gretſero extat fol.572. vide quæ de eo initio annotantur ex Glyca.

BEATVS SAMONA *Archiepiſcopus Gazæ*, qui, ut vult Coccius, vixit hoc ſæculo. ſcripſit diſceptationem cum Achmed Saraceno ſuper veritate Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia. Extat fol.577.

MICHAEL PSELLVS, qui, ut vult Andreas Schottus S.I. vixit hoc ſæculo, ſcripſit plurima, quæ partim latent adhuc in Bibliothecis, partim excuſa ſunt; nos omiſſis Philoſophicis & Medecinalibus, ſolummodo poſuimus Paraphraſim ipſius in Cantica, quæ ex recognitione ejuſdem P. Schotti extat fol.580. ubi & vide quæ de hoc eodem Pſello prænotata habentur. Item fol.589. libellum ipſius de operationibus Dæmonum, ex editione Petri Morelli & Franciſci Fevardentij; quem Poſſevinus putat eſſe Michaëlis Epheſij. Vide eundem in apparatu ſacro, & Miræum in auctuario ſuæ Bibliothecæ Eccleſiaſticæ capite 303.

SANCTVS ANSELMVS *Epiſcopus Lucenſis*, qui floruit hoc ſæculo, ſcripſit contra Guibertum Antipapam pro defenſione Gregorij VII legitimi Pontifici Romani libros duos, qui extant ex editione Henrici Caniſij fol.602. ubi & vide quæ de illo prænotata ſunt ab eodem. Alia ejuſdem Anſelmi Opuſcula in appendice ſeu tom.27. hujus Bibliothecæ habentur fol.456. ex editione Lucæ Vvadingi O. M.

B. LANFRANCVS natione *Italus*, patriâ *Papienſis*, *ex Abbate S. Stephani Cadomenſis*, *Archiepiſcopus Cantuarienſis & Angliæ Primas* ab anno 1070 uſque ad annum 1089, acerrimus Berengarij impugnator, multa ſcripſit quæ hîc extant ex recognitione Domni Lucæ Dachery O. B. nempe Commentarij in omnes S. Pauli Epiſtolas fol.621. Liber de Corpore & Sanguine Domini fol.763. decreta pro Ordine ſancti Benedicti fol.778. Epiſtolarum liber & libellus de celanda confeſſione, fol.807. & alia quædam breviora opuſcula.

ANONYMVS quidam librum ſcripſit circa annum 1088. de Berengarij damnatione multiplici. Extat fol.835 ex editione P. Franciſci Chifletij S. I.

VICTOR *Papa tertius*, in Monachatu, DESIDERIVS vocatus, per annos 29 *Abbas Caſſinenſis*, demum invitus, mortuo Gregorio ſeptimo, *ad Summum Pontificatum* anno 1086 *evectus eſt*. Multa, dum vixit, inquit Poſſevinus, ſcripſiſſe fertur, ex quibus tantummodo hîc extant libri quatuor, ſeu potius tres, nam quartus in manuſcripto deſideratur, de miraculis à S. Benedicto & aliis Monachis in Caſſinenſi Monaſterio, & alibi factis fol.837. hos primus edidit ex Vaticana Bibliotheca & notis illuſtravit Ioannes Baptiſta Marus Romanus, S. Angeli in foro piſcium Canonicus.

A



E

BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM, ET SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM SÆCVLVM VNDECIMVM.

B F

S. FVLBERTI CARNOTENSIS EPISCOPI ANTIQVISSIMI, OPERA QVÆ REPERIRI POTVERVNT OMNIA:

EX MS. COD. BIBLIOTH. REG. COLLEG. Navarræ, & Clarissimorum Virorum D. Petavij Senat. Reg. & N. Fabri: Studio & industria Caroli de Villiers Doctor. Theolog. Parisiensis, edita.

C G

R.R. IN CHRISTO PATRI D.
D. PHILIPPO HVRAVLT
Episcopo Carnotensi, Carolus de Villiers Doct. Theolog. Parisiensis
S. P. D.



N Fulbertus noster (Reverend. Præsul) tandem è tumulo excitatus in solem prodit, quem nec Bruma iners, nec vetustas rerum edax, absumere potuit. Non secùs ergo ut Plinius C. Ælium Tuberonem functum præfectura, à rogo relatum domi fuisse narrat, sic è pulvere & situ extractum, quicquid de eo auctore non exstabat, ad prælum revocatur. Nacti siquidem manuscriptum ex Bibliotheca Collegij Regalis Navarræ, in quo multa vetustate exesa ferme videbantur, hæc describenda curavimus, nostróque labore assecuti sumus, ut tam præclarum virtutis lumen sub modio non delitescat. Hoc unum tamen silentio non involuam, me à doctissimo Petavio Senatore Regio æquissimo, & Nicolao Fabro viro Clarissimo (quem totius antiquitatis promumcondum verè dixerim) quædam ex ipsorum Bibliothecis desumpta huic auctori inseruisse, quæ in nostro M. S. non exstabant. Hæc duobus viris præclarissimis tribuenda laus est, qui ut Fulbertus in lucem prodeat effecerunt. Nec verear ad illorum maiorem commendationem hoc addere, quòd de Phidiâ summo sculptore refertur. Hic ubi Pisanum simulachrum fabricasset ex ebore, oleum effundi iussit circa pedes, coram ipsâ statuâ, ut illam immortalem redderet. Sic Deum Optimum Maximum, credo oleo gratiæ suæ duos illos Clarissimos viros inungi voluisse, ut ipsum Episcopum immortalitate donarent. Quòd si me ad hanc societatem gloriæ admittere velis, Reverend. Præsul, nullum præmium sufficio, vel in bonis numero, quod ad as exeat majus. Et sanè tanti facio Antiquitatis patres, ut nihil ex iis deperire velim. Vndè quicquid ex antiquo illo Patre reperi, in unum congessi. Hunc igitur Reverend. Præsul, non quam eleganter quæso, sed quam piè loquatur cogita. Etenim si illum semel audieris tandiu latuisse dolebis. Legisti credo quod cum Pio II. Summo Pontifici nuntiatum fuisset, Tarvisinum summum Præsulem agere animam, & jam inclusam præcordiis mortem tenere, exclamasse: Moritur ergo Præsul perfectus, cui reliquos similes esse oportebat. Sic cum tandiu Fulbertum latuisse audies, exclamabis, & tantâ temporum serie illius membranam obrutam fuisse ægrè feres. Quis enim eo vel morum probitate clarior? Quis in Religione Catholica propaganda

Plin. l. 7. nat. Hist. cap. 51. D

Epiphan. lib. 2. c. 6. con. hær. cap. 64.

H

Anth. Piccolo. in hist.

A *Senec. de beata vita.*

ardentior? Ita ut cultum pietatis cum lacte nutricis exsuxisse videatur. Verùm ſcio magno impendio temporum, magna alienarum aurium moleſtiâ laudationem hanc conſtare. O hominem litteratum: ſed noſter Fulbertus hoc titulo ruſticiore contentus erit, ſi ô virum bonum dixeris. Effectum eſt modo ut diligentius ſciant loqui homines, quam vivere. At tempore Fulberti vis ſcire quid liberalia ſtudia conferebant? ad externa nihil, ad virtutem multum. Hujus igitur ſcripta licet in multis obſcura videantur, tamen neſcio quid in his latentis pietatis deprehendere licebit. Et ſi cum Yvone Carnotenſi hunc authorem compares, ſcio cui palmam prætuleris. In illo ſiquidem eloquentia, in iſto ſola pietas viget. Ad extremum duos illos Epiſcopos, dicam audacter, duas illas Aquilas, ἀεροπόρους verè eſſe ab Iove immiſſas (ut fabulantur Poetæ) in hanc urbem Carnotenſem tanquam in umbilicum Galliæ. Nam in medio Galliæ auctore Cæſare ſita eſt, ut veritatem, quæ in medio conſiſtit, veræque Religionis cultum indicarent. Gaudeat nunc & exultet Carnotenſis civitas tantis Præſulibus illuſtrata, tot doctoribus aucta & exculta, obmuteſcat illa garrula meretrix quæ virus hæreſeos tam latè iaculatur. Iam enim exſurgit Fulbertus & ſub tuo nomine apparet, Reverend. Præſul, ut maledicorum ora obſtruat. Hunc ergo gratiorem tibi fore iudico, quod Epiſcop. Carnotenſis tibi eodem baculo paſtorali donato, & Cancellarius quondam Roberti Regis Galliæ, tibi è nobiliſſimis maioribus & Cancellariorum dignitate inſignitis oriundo, dicatur. Hoc munere fruere, Reverend. Præſul, æqui bonique conſule, ſic enim me tibi obſequentiſſimum, ſi placuerit, devincies. Vale.

B *Claud. præf. ad Paneg. de Cõ. Manlij. C. mm. Cæſ. lib. 7. de bell. Gal.*

C

TESTIMONIA ex probatiſſimis Auctoribus excerpta, quibus probatur quis fuerit Fulb. Epiſcop.

Ex Henrico Gandauenſi in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum.

D

FVLBERTVS Carnotenſis Epiſcopus, liberalium artium ſuo tempore peritiſſimus, vir Religioſus & erga beatam Virginem devotiſſimus, ſcripſit ſermonem ad nativitatem beatæ Virginis pertinentem, limato dictamine, qui ſic incipit: *Approbatæ conſuetudinis.* Reſpondit etiam cavillationibus Iudæorum dicentium hanc Prophetiam; *Non auferetur ſceptrum de Iuda*, &c. in Chriſto non fuiſſe impletam, diligenter ſcripturarum authoritatibus, & rationibus confutans Iudæorum pervicaciam.

Ex Ioanne Tritemio.

FVlbertus Epiſcopus Carnotenſis in ſcripturis divinis eruditiſſimus, & in ſæcularium litterarum diſciplinis omnium ſuo tempore doctorum doctiſſimus, Poeta clarus, & Dialecticus ſubtiliſſimus, multis annis ſcholæ publicæ præſidens, plurimos doctiſſimos auditores erudivit, vita quoque ſanctiſſimus, multis legitur miraculis coruſcaſſe, qui inter cætera ſcripſiſſe dicitur.

E

Epiſtol. ad diverſos lib. 1.
In laudes ſanctæ Mariæ lib. 1.
Hymnos & Orationes varias, & quædam devota.
Claruit temporibus Henrici Regis primi anno 1000.

Ex veteri Annali Bibliotheca Regalis Collegij Navarræ, in vita Rob. Regis.

Fulbertus primo fuit Cancellarius Regis Francorum Roberti, & ex Cancellario factus Epiſcopus Carnotenſis, vitâ honeſtiſſimus & in ſcientia clariſſimus. Fundamenta ſanctæ Eccleſiæ Dei Genitricis Carnotenſis iecit, & eandem perfecit miro lapideo tabulatu.

& paulò poſt.

F

Circa annum milleſimum trigeſimum nonum obiit Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis, qui fecit legendam de Nativitate Beatæ Mariæ & hiſtoriam, eique ſucceſſit Theodoricus.

Ex Biblioth. Sixti Senenſis.

Vmbertus ſeu Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus ſcripſit in illud Geneſeos 49. Non auferetur ſceptrum de Iuda, anno Domini 1000.

Ex Vuillel. Malmesb. lib. 3. de geſtis Anglorum.

Berengarius planè quamvis ipſe ſententiam correxerit, omnes quos ex totis terris depravaverat, convertere nequivit. Adeò peſſimum eſt alios exemplo vel verbo à bono infirmare, quia fortaſſis peccatum te gravabit alienum, cum deletum fuerit tuum. Quòd Epiſcop. Carnotenſem Fulbertum (quem Domini Mater olim ægrotum lacte mamillarum ſuarum viſa fuit ſanare) prædixiſſe aiunt. Nam cum in extremis poſitum multi viſitarent, & ædium capacitas vix confluentibus ſufficeret, ille inter oppoſitas catervas oculo rimatus Berengarium, niſi quo valuit expellendum cenſuit, proteſtatus immanem draconem propè eum conſiſtere, multóſque ad eum ſequendum blandiente manu & illice anhelitu corrumpere.

G

Ex veteri Annali Abbatiæ ſancti Petri, quæ ſita eſt in Valle Carnotenſi.

Fulbertus Doctor Sacræ Theologiæ egregius hic fuit tempore Roberti Regis filij Hugonis Capet, qui regnare cœpit anno 987. Hic Doctor & Epiſcopus glorioſus, ſpeculum Eccleſiæ & fidei Chriſtianæ, multa ſcripta fecit ad laudem Virginis glorioſæ, & inter cætera illam legendam quæ legitur in nativitate eiuſdem quæ incipit. *Approbatæ conſuetudinis.* Hujus tempore anno milleſimo & vigeſimo in nocte Nativitatis Beatæ Mariæ, Epiſcopatûs ſui anno quarto, fuit civitas Carnotenſis, & tota Eccleſia Beatæ Mariæ combuſta. Quam idem Epiſcopus glorioſus ſuâ induſtriâ, labore & ſumptu à fundamento reædificavit, ut in legenda ſancti Anniani habetur, &c. Iacet in Eccleſia ſancti Petri in valle Carnotenſi.

H

Ex Vuillelmo Malmesber. lib. 2. cap. 11. anno ab incarnat. 1032.

Eiuſdem Archipræſulis Ethelnothi tempore Rex Cnuto ad tranſmarinas Eccleſias pecunias mittens, maximè Carnotum ditavit, ubi tunc florebat Fulbert. Epiſc. in ſanctitate & Philoſophiâ nominatiſſimus. Qui inter cætera induſtriæ ſuæ documenta, Eccleſiæ

A Dominæ nostræ sanctæ Mariæ, cuius fundamenta iecerat, summam manum mirifico effectu imposuit, quam etiam pro posse honorificare studens, musicis modulationibus crebro extulit. Quantu enim amore in honorem virginis anhelaverit, poterit conjicere qui audierit cantus cœlestia vota sonantes. Exstat inter cætera Opuscula eius Epistolarum volumen, in quarum una gratias agit Canutoni Magnificentissimo Regi, quòd largitatis suæ viscera in expensas Ecclesiæ Carn. effuderit.

Vide & Baronium Tomo X I. Annalium anno 1028.

EPITAPHIVM FVLBERTI EX M. S. C.

B ANno ab incarnatione Dom. mill. xxviij. iij. Id. April. obiit dilectus Deo & hominibus Pater noster venerandæ memoriæ Fulbertus, suæ tempestatis Pontificum decus, lux præclara mundo à deo data, pauperum sustentator, desolatorum consolator, prædonum & latronum refrænator, vir eloquentissimus, & sapientissimus, tam in divinis quam in liberalium artium libris. Qui ad restaurationem sancti Templi suæ Diœcesis, quòd ipse post incendium à fundamento reædificare cœperat, bonam partem auri sui & argenti reliquit, & disciplinæ ac sapientiæ radiis illum ocum illuminavit, & Clericis suis multa bona fecit.

Incipit Epitaphium.

Quem tibi Carnotis concessit fons bonitatis,
Doctrinæ fluvium duplicis egregium.
Pontificum sidus, Fulbertus fulgidus actu
Vestis pauperibus, victus & assiduus.
Inclausus tacet hic, factus de pulvere pulvis,
Et præstolatur surgere cum reliquis.
C *Virtutum cultor, vitiorum mortificator*
Auxiliante Deo, præstitit à puero.
Bis denos annos, atque unum dimidiúmque,
Virgo Maria tuæ præfuit Ecclesiæ.
Ingressurus erat Phœbus post limina septem,
Taurum, cum mœstum deserit populum.

S. FVLBERTI EPISCOPI Carnotensis ad Adeodatum, de tribus quæ sunt necessaria ad profectum Christianæ Religionis.

EPISTOLA I.

Venerabili Patri & Domino sibi semper amando Adeodato Fulbertus exiguus.

D INter besterna & secreta colloquia, pro ædificandis fratribus adhuc infirmis, atque novitiis, me ad scribendum tua imperiosa coarctaverat authoritas. Ecce habes pauperis quidem ingenij opusculum, sed non ignobile fidei monumentum. In quo quæso non eloquentiæ ornatum, sed obedientiæ perpendas vota, nec eruditis auribus æstimes fatua verba revelanda, ne pro rustico stilo sacra vilescat materia; alioquin de talibus præstat siluisse, quam aliquid inconditum edidisse. Incomprehensibilem enim divini consilij altitudinem, sapientia humana puro cognitionis intuitu comprehendere non potest; quia dum mens nostra, ultra se præcipitanter erigere usque ad inaccessibilem secretorum Dei visionem appetit, infirmitatis suæ obstaculo reverberata, & intra ignorantiæ suæ angustias coarctata, nec quod ultra se est valet comprehendere, nec quod intra se est æstimare: unde scriptum est, *Altiora te ne quæsieris, & profunda consiliorum eius ne investigaveris. Posuit* (inquit Propheta) *tenebras latibulum suum*: has tenebras multi perscrutari incipientes, & alia ex aliis asserentes, in crassas & palpabiles errorum tenebras devoluti sunt. Porrò mundi sapientia exterius eloquentiâ nitens, intus vacua à virtutis sapientiâ manet, semper enim quærit, & nunquam invenit: quia profunda mysteriorum Dei non humanæ disputationi, sed fidei oculis revelantur, sicut Dominus in Evangelio ait, *Pater gratias tibi ago, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Ergo mens humana cum divinæ dispositionis causas argumentis per se discutere non valet, ad hoc quod comprehendere non valet, reverenter erroneæ disputationis oculos claudat, nec invisibilia ex visibilibus, nec incorruptibilia ex corruptibilibus metiri præsumat, ne dum cæca disputatione clausa pulsat, & operta non videt, propriis definitionibus captivata; & cæcum sensum sequens, in erroris præcipitium cadat. Tria siquidem nobis sunt ad profectum Christianæ Religionis proposita, sed ad consummatam iustitiam perinde necessaria, ut in his tota humanæ salutis summa consistat: sine his iustitia nomen habet virtutis, præmium non habet virtutis. Horum primum est intelligere, & firmiter tenere mysterium Trinitatis, & unius veritatem Deitatis. Secundum salutaris Baptismi rationem nosse vel causam. Tertium in quo duo vitæ Sacramenta, id est, Dominici corporis & sanguinis continentur. In his tribus multi nimis carnaliter intuentes, dum plus carnalem sensum, quam fidei arcana mysteria contemplantur, in abruptum perniciosi erroris præcipitium devoluti, nec rerum veritatem, nec Sacramentorum virtutem percipiunt: & ideò ab unitate Ecclesiæ divisi, dum fieri nolunt discipuli veritatis, magistri fiunt erroris. Prætermissa itaque luce veritatis, tenebrosas proponunt calumnias, & sacras scripturas verbis sacrilegis nituntur adulterare, aut furtivis erasionibus recidere, sicut hoc quod Dominus ait: *Ego & Pater unum sumus*, Arius dictum de unitate substantiæ intelligere noluit. Sabellius ad personarum proprietatem (*sumus*) non retulit; & in hoc quod ait, *Pater maior me est*, Arius non humanitati, sed divinitati adscripsit, & ideò indignam vitam dignâ morte finivit. Cuius auditores quoniam Spiritum sanctum Deum esse negabant, de Evangelio eraserunt illud quod Salvator ait. *Spiritus est Deus*, & de Epistolâ Ioannis eraserunt. *Et omnis Spiritus qui solvit Iesum, ex Deo non est.* Sicut Nestorius qui dicebat Beatam Virginem non Dei sed hominis tantum genitricem, ut aliam personam hominis aliam faceret deitatis, neque unum Christum in Verbo Dei & carne & animâ credens, sed separatim alterum Filium Dei, alterum filium hominis prædicans, & illum Apostoli locum ubi dicit. *Quod apparuit in carne vivificatum est in spiritu.* Quem locum Macedonius per immutationem scripturæ Apostolicum dictum sic voluit definire, id est, ut esset Deus apparuit in carne: & in eo quod ait, idem Apostolus. *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Marcion fantasiam corporis & non corpus confessus est, in Christo fuisse. Sed Dominus noster Iesus Christus in unitate unius eiusdémque personæ ex duabus, & in duabus substantiis, divinâ scilicet & humanâ subsistens, & mira protulit ut Deus, & infirma sustinuit ut homo: ut cum verum Deum sublimia opera loquerentur, verum hominem flebilia demonstrarent. *Deus* (inquit Apostolus) *erat in Christo, mundum reconcilians sibi*, Deus in Christo, Filius Dei in filio hominis, divinitas operabatur in homine; Demus verba hominis; *Pater maior me est.* Demus Verba Dei; *Ego & Pater unum sumus.* Loquatur in Christo nostra infirmitas & conditio. *Filius*, inquit, *hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Intonet vox divina: *Omnia quæ habet Pater mea sunt.* Quasi homo esurit, quasi Deus quinque hominum millia pascit; quasi homo dicit, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, quasi Deus confidenter ait, *Nemo tollet à me*

A *animam meam*, quasi homo in cruce pendet, quasi dominator latronem alloquitur, *Hodie mecum eris in Paradiso.* Si quis ergo mente captus vnius Christum & Deum dicit esse substantiæ, compugnantibus inter se rebus, aut solum hominem cœlo lapsum, aut solum Deum dicet Crucifixum. Sed non est ita. Nam neque solus Deus mortem sentire, neque solus homo mortem superare potuisset, quam evidentissimâ ratione, substantiarum distinctione, homo suscepit, & Deus vicit. Sed Ariani vtramque formam distinguere nescientes, quæ erant hominis, ad Deum impiè retulerunt. Nullam itaque tenentes inter cælestia & terrestria rationem, dum dare proprietates suas partibus nesciunt, quantum in ipsis est Dei substantiam diviserunt, & dum ad sola hominis verba respiciunt, Deum sine intellectûs lumine perdiderunt, & cæcum sensum in præcipitia ducem sequentes, maluerunt dicere minorem Deum, quam hominem & Deum. Nobis vero hanc substantiarum diversitatem ex hoc perpendere promptum est, quod alia est illa nativitas, vel natura, in qua iuxta Apostolum, *Factus est ex muliere, factus sub* B *lege*: alia quâ erat in principio apud Deum, alia quâ creatus ex Virgine Mariâ, humiliatus in terra, alia quâ sine initio manens creavit Cœlum & terram; alia quâ dicitur in mœrore doluisse, in lassitudine dormisse, inedia esurisse, flevisse, alia quâ dicitur paralyticos curasse, per quam nesciens gressum iubetur incedere, solutus in muliere sanguis venarum sistitur, cæcus à nativitate illuminatur, imperio tumentes fluctus solidantur, mortui suscitantur. Quæ cum ita sint, Christum in duabus substantiis consistentem unum eundémque Deum verum, eundémque hominem verum esse fateatur necesse est, quisquis Religionis Christianæ non vult inaniter, imò damnabiliter portare vocabulum. Ita utriusque naturæ veritate servatâ, verum Christum in virtutibus, & passionibus nec confundat fides vera nec dividat, quia personalis vnitas, in eo divisionem non recipit, & utriusque naturæ veritas inconfusa persistit. Non enim alter Deus, alter homo, sed unus idémque C Christus, Deus homo. Profectò idem Deus Christus est, qui mortem suâ divinitate destruxit. Idem quippe Dei filius, qui divinitate mori non potuit, carne mortuus est, quam mortalem Deus immortalis accepit; & idem Christus Dei filius carne mortuus resurrexit, quia immortalitatem suæ divinitatis carne mortuus non amisit. Sed de hoc dictum satis pro modulo nostro æstimamus, non quibuslibet, sed quibus in scripturis versatur studiosa devotio. Nobis planè ea singularis instat intentio, ut, quoniam comperimus aliquos nimis carnaliter intuentes quædam horum in quibus nostræ salutis mysterium constat, tanquam inania aut otiosa deputare: hos à tam perniciosæ opinionis vanitate revocatos permoneremus, in rebus Sacramentariis, non tantùm quæ videntur spectare, quantùm invisibilem mysteriorum potentiam fideliter æstimare. Quid enim ad fidem venientes proficere arbitramur, si nihil ultra quam quod visibilibus motibus agitur, regenerantis D gratiæ præstet effectus? Scimus & verè scimus, nos primâ nativitate pollutos, secundâ nativitate mundatos; primâ nativitate captivos, secundâ nativitate liberos; primâ nativitate terrenos, secundâ nativitate cœlestes; primæ nativitatis vitio carnales, secundæ nativitatis beneficio spirituales; per illam filios iræ, per istam filios gratiæ. Proinde quicquid pravum, quisque concipit adversus sacri Baptismi reverentiam, sciat refundi in Dei iniuriam, qui ait, *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu non potest introire in regnum Dei.* Salutaris igitur disciplinæ gratia est, baptismi rationem nosse vel causam, sicut Apostolus ait. *Si enim mortui sumus cum Christo, credimus quia simul vivemus cum Christo.* Commori enim cum Christo, & sepeliri ad hoc tendit, ut cum illo resurgere possimus, & cum illo vivere. Sed dicis mihi, Quomodo hoc quod ad defunctos pertinet, in viventibus possit impleri? Dominus noster Iesus Christus beneficia nobis sua pro nostra salute commendans, & sollicitè sensibus nostris, memoriam suæ mortis & sepulturæ, atque etiam resurrectionis insculpens, ineffabilia contulit Baptismi munera, per quæ superveniente primæ originis fine, et commortui & intra sacrum gurgitem consepulti, demersi resurgeremus, vitâ emergente criminibus. E Vide quid agit artifex misericordiæ. Tale tibi invenit tumuli genus, quo sciret peccata sepelire, & peccatorem nesciret obruere, ut descendente homine in fontem, tanquam in sepulchrum delictorum, reus exiret ad portum, & sola paterentur delicta naufragium. Proinde aqua & Spiritus sanctus sociantur causis, sed beneficiis separantur. Requiritur sanè in baptismatis sacramentis aqua propter sepulturam, Spiritus sanctus propter vitam æternam. Remove creatoris nomen, & non habet creatura quod præstet. Hæc similitudinem mortis imitatur, ille veritatem salutis operatur. Sed fortasse ad credendum propositis mens titubat, nisi testimoniorum sequatur auctoritas. Audi igitur Apostolum ad Romanos. *An ignoratis quia quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus?* Consepulti enim sumus F cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, & cum dixisset, *consepulti*, magnificè adiecit. *Si*, inquit, *complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Sicut ergo Dominus noster Iesus Christus tribus diebus, & tribus noctibus corporaliter sub terræ sepulchro conditus fuisse describitur, & homo ita sub cognato terræ elemento trinâ vice demersus operitur, ac sic vitalis imitatione mysterij dum demergitur sepelitur, dum educitur suscitatur. Inter hæc quid ad hæc aqua, & quid Spiritus S. operetur adverte. Aqua velut morientem deducit in tumulum, Spiritus S. velut resurgentem perducit ad cœlum. Vtrum vero homo baptizet, an Deus; ratio ipsa declarat: Nam cum peccatore baptizante peccata donentur, dum nonnunquam criminoso, baptismi mysterium celebrante, crimina remittuntur, G hic homo qui videtur conferre quod non habet, vtique tanti muneris non author, sed minister intelligitur, vnde etiã Baptista ipse sãctissimus ait. *Qui me misit baptizare ipse mihi dixit super quem videris Spiritum S. descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Quod nimirum ipsa baptizantis verba ministri patenter insinuant, cum baptismi sacra munera non à se arroganter dari, sed ab ipso Deo authore profitetur, sub verbis huiusmodi, *Deus qui te regeneravit ex aqua & Spiritu, ipse te liniat Chrismate salutis.* Non igitur audiendi sunt, qui dicunt ad fidem nostram venientes, specialiter ab homine baptizari, vel Christianos primùm aut Cathecumenos baptizatos: quod quidem hæretici de Baptista Ioanne intelligi volunt. Sed quis eum Cathecumenum dicere audeat? qui adhuc in vtero matris, Spiritu sancto est repletus, qui gratiam ante vitam, benedictionem meruit haurire H antequam lucem? qui ad baptismum præelectos à Domino, ipso baptismi officio est sanctificatus: quod quidem baptismum sub Trinitatis Sacramento factum legitur. Dicente enim Domino, *Hic est filius meus dilectus*, Pater in voce, Spiritus sanctus in specie columbæ, Filius adfuisse probatur in corpore. Postremo de Cathecumeno Baptistâ, non nos, sed ipsum baptismatis calumniantur authorem. Nostrum vero baptismum conditor ac redemptor instituit dicens. *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* In quo sane mysterio, Spiritus sanctus Patri & Filio inseparabili societate cõnectitur, & propterea in Christo renati meritò eum vitæ authorem credunt, sine quo omnino celebrari vitæ sacramenta non possunt. Ipse enim cœlestium Charismatum author, ipse spiritualium munerum dispensator, ipse criminum absolutor, & peccatorum remissor. Quem enim vides naturæ debita laxare, authorem cognosce naturæ. Sic enim Spiritus S. ita vnius est cum Patre potentiæ, ut in eius comparatione, nihil amplius paternæ possit adscribi gloriæ

A

vel naturæ. Iam nunc ad illud Dominici corporis & sanguinis transeamus venerabile Sacramentum, quod quidem tantum formidabile est ad loquendum, quantùm non terrenum, sed cœleste est mysterium, non humanæ æstimationi comparabile, sed admirabile, non disputandum, sed metuendum. De quo silere potius æstimaveram, quàm temerariâ disputatione indignè aliquid definire; quia cœlestis altitudo mysterij planè non valet officio linguæ corruptibilis exponi. Est enim mysterium fide non specie æstimandum, non visu corporeo, sed spiritu intuendum. Cui quidem ad usum profuit, non superstitiosa mortalium cultura, sed cœlestis disciplinæ magistra authoritas, non doctrina humana, sed institutio divina. Cujus potentis mysterij secretum (quandoquidem ratio rerum mole victa comprehendere non valet) hoc tantum fides teneat, quia quicquid inter homines Deus egit aut pertulit, causa servandi humani generis vel reparandi gratiâ fuit: in quo beneficia sua quæ ab initio dederat, sic semper dilexit, ut nostris malis licet offensus, pronior semper ad

B

indulgentiam foret, quam ad vindictam. Inde est quod damnationis nostræ proscriptionem, quam primi parentis transgressio miserabiliter in posteros transfuderat, evacuare disponens, carnis nostræ morticinium suscepit, per quam immortalis moriendo captivitatis nostræ causam solvisset. Inde est quod reparatam humanæ originis dignitatem sciens semper diabolum invidere, & nequitiæ suæ arte quærere, qualiter hominem à sui voluntate conditoris averteret, & antiquæ perditioni, si fas esset, obnoxium redderet: defectum nostræ fragilitatis miseratus, adversus quotidianas nostræ prolapsionis offensas, sacrificij placabilis nobis providit expiamenta, ut quia corpus suum, quod semel pro nobis offerebat in pretium, paulò post à nostris visibus sublaturus fuerat in cœlum, ne sublati corporis fraudaremur præsenti munimine, corporis nihilominus & sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit, non inanis mysterij symbolum, sed compaginante Spiritu S. corpus Christi verum, quod quotidianâ veneratione, sub visibili creaturæ formâ invisibiliter virtus secreta in

C

sacris solemnibus operatur. De quo sub hora passionis suæ ipse familiaribus suis ait. *Hoc est corpus meum*, & paulò post, *Hic est sanguis meus, novi Testamenti, qui pro vobis fundetur*, & alibi. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.* Quâ veri magistri authoritate animati, dum corpori & sanguini ejus communicamus, audenter fatemur, nos in corpus illius transfundi, & ipsum in nobis manere. In nobis ipsum manere dico, non solum per concordiam voluntatis, sed etiam per naturæ unitæ veritatem. Si enim Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter Christus in nobis manere existimandus est? qui & naturam carnis nostræ jam inseparabilem, sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ, ad naturam æternitatis sub Sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita ergo in Deo sumus: quia & in Christo

D

Pater est, & Christus in nobis est. Cùm verò in te omni sint erga nos inæstimabiles divitiæ Dei, adeò ut majestate absconditâ corruptibile pro nobis corpus induerit, contumeliis & passionibus subdiderit, quo opem ferret assumpto homini; quid indignum Deo indicari potest, qui uterum Virginis subiit, si virginibus creatis infunditur? quæ licet simplicis naturæ paulò ante præferant imaginem, postmodum cœlestis, ubi sanctificatione inspiratâ majestas vera diffunditur, & quæ substantia panis & vini apparebat exteriùs, iam corpus Christi & sanguis fit interiùs. Gusta igitur & vide quàm suavis cibus, & pergusta quid sapit. Sapit ni fallor cibum illum angelicum habentem intra se mystici saporis delectamentum, non quod ore discernas, sed quod affectu interiori degustes. Erige palatum fidei, dilata fauces spei, viscera charitatis extende, & sume panem vitæ interioris hominis alimentum, non arte pistoriâ fermentatum, sed incarnatæ deitatis vitale pulmentum.

E

Sume nihilominus vinum non sordido cultore calcatum, sed de torculari crucis expressum. Gusta inquam cælestis pabuli suavitatem, sed ne nauseet terreni germinis saporem. De fide etenim interioris hominis procedit divini gustus saporis, dum certè per salutaris Eucharistiæ infusionem influit Christus in viscera animæ sumentis, quem diva mens castis penetralibus in ea videlicet formâ suscipit, quâ sub ipsa recordatione mysterij Spiritu revelante sibi præsentem intuetur, infantem, aut arâ crucis immolatum, aut sepulchro quiescentem, aut certè calcatâ morte resurgentem, sive supra cœlos evectum in gloria Patris sublimem. Iuxta quas species Christus gratum communicantis intrans habitaculum, tot ut ita dicam suavitatis odoribus mentem reficit, quot formis intimæ revelationis oculus meditantis eum meruerit intueri. Nec vanum tibi videatur, quòd iuxta animæ desiderantis intuitum dicimus Christum formari intra præcordia communicantis, cum non nescias patres nostros veteris eremi solitudinem peragrantes pastibus refectos, quibus imber fœcundus ci-

F

bum unicolorem, sed diversi saporis intulit, & iuxta singulorum appetitum infundebat saporis varij oblectamentum; ut quicquid aviditas concupisceret, occulta largitoris dispensatio subministraret; quibus præbebat gustus, quod ignorabat aspectus, quia aliud erat quod videbatur, & aliud sumebatur. Desiste igitur mirari, quòd legis manna sub umbra signabat, hoc Dominici corporis pandit veritas patefacta, in quo Deifica majestas miserante nostræ infirmitati condescendit, ut quo alimenti genere corpora aluntur humana, idem in corpore sensualiter sapiat, sed Deus in pectore perficiat, sicut ipse ait. *Qui manducat me, ipse vivet propter me. Hic est panis qui de cælo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna in deserto & mortui sunt. Qui manducat hunc panem vivet in æternum: Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ.* Iam iam procul removendus est totius lubricæ scrupulus dubietatis: cum is qui est author muneris, testis est veritatis. Dubitari etenim nefas est, ad cujus nutum cuncta subito ex nihilo substiterunt, si pari potentiâ in spiritualibus Sacramentis, terrena materies, naturæ & generis sui meritum

G

transcendens in Christi substantiam commutetur, cum ipse dicat. *Hoc est corpus meum*, & paulò post, *Hic est sanguis meus.* Sed hanc Dei possibilitatem æstimatio humana non capit, nisi te ipsum, quicunque es, discutias, qualiter de massa perditionis factus es in populum acquisitionis, & de vase iræ prodisti vas misericordiæ: ut qui paulò ante fueras alienus à vita, peregrinus à venia, subito initiatus Christi legibus, & salutaribus mysteriis innovatus, in corpus Ecclesiæ, non naturæ privilegio, sed fidei pretio transisti, nullo molis corporeæ additamento, te ipso maior factus es: invisibilis quantitatis augmento, in exterioribus idem es, in interioribus longè alter es: Sicque de servo filius effectus, præteritâ vilitate depositâ, novam subito induisti dignitatem, ut non solum hæres, sed corpus Christi factus, Deum in corpore tuo portares. Quæ res tantæ novita-

H

tis, tantæ dignitatis, tam subitæ mutationis pretium? Vide in omnibus misericordiæ cœlestis artificium, vide regenerantis gratiæ mirabile Sacramentum, & adverte in istis imperiosum Verbi operantis opificium, cujus nutu rerum elementa, de nihilo in hanc mundi formam mutabili ordine compaginata inexplicabilem ejus potentiam, ipsa suæ pulchritudinis specie testantur. Si ergo Deum omnia posse credis, & hoc consequitur, ut credas; nec humanis disputationibus discernere curiosus insistes, si creaturas quas de nihilo potuit creare, has ipsas multo magis valeat in excellentioris naturæ dignitatem convertere, & in sui corporis substantiam transfundere: Multo magis dico, non quod infirmioris potentiæ, in rebus creandis, quam immutandis fuisset. Sed humanæ opinioni usuale, non divinæ rationi comparabile. Ideò fides præ omnibus bonis summũ meritum est, hæc te inducat ad credendam, te consecrantis potentia roboret ad sumendum Promittit dignè

A sumentibus beatæ spem immortalitatis; iudicium minatur indignis, ut est illud Apostoli, *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Quo multi scelerum suorum conscientiam perhorrentes attentiùs, se longè faciunt à Sacramento vitæ, non attendentes, quam terribiliter Dominus comminatur dicens, *Nisi manducaveritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod alternantium causarum iudicium intuentibus, summa vigilantia est adhibenda ut emendatis actibus nec indignè sumant, nec perniciosè refugiant.

Epist. II.

Domino suo Finardo sibi semper venerando Fulbertus exiguus.

B NOvit, & verè novit serenitatis vestræ prudentia, quod in Ecclesiasticis officiis plura sunt, in quibus Orientales Ecclesiæ & nostræ communi observatione sibi respondent. Sunt vero alia in quibus alias ab aliis cultu dispari, & variâ observatione audivimus dissonare. Sed nec pauca aut rara sunt, quæ ab aliis necessario servanda, ab aliis non adeo curanda æstimantur. Nec tamen nos offendit observantiæ diversitas, vbi fidei non scinditur vnitas. Porro in multis Græcia ab Hispania, ab illis Romana & Gallicana discrepat Ecclesia. Sed neque in hoc scandalizamur, si audimus diversam observationem, sed non diversam fidem in Christi semper Ecclesiis extitisse. Stet enim regina Ecclesia à dextris regis sui in vestitu deaurato circumdata varietate. Nos vero tritâ & pervulgatâ patrum via incedentes, patrum memoriam in rationali pectoris nostri, id est præcedentium patrum exempla præ oculis habeamus, & quæ rationabiliter eos egisse cognovimus, teneamus: ea vero quæ spirituali consilio ab his ordinata sunt etiamsi in-
C firmitatis nostræ ignorantiâ ad plenum videre non possimus, temerariæ cavillationis dente non rodamus, dum tamen à fide hæc nequaquam exorbitare sentimus. Dicit scriptura, *Audi fili mi disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Ante hos paucos dies ut meminisse licet, mihi vespertinis horis supervenisti, & repentinâ inquisitione me permovisti, de Hostiâ quam paulò ante promotus ad sacerdotium de manu Episcopi suscepisti: quæ ratio sit, videlicet usque ad quadragesimam diem usu quotidiano consumere, vel quos huius rei authores haberemus. Cui quidem nisi sacerdotalem in vobis reverentiam, & in omni genere doctrinæ probatam sapientiam offendere metuissem, respondissem verecundè quidem, non temerariè, humiliter, non procaciter; respondissem inquam, quod infelix capella quondam respondit ovi * lanicinium quærenti; vel certè videri mihi poteram à planis arvis ligna in silvam vel aquas in mare comportare, aut
D Minervam ut aiunt velle docere, si huic homini facerem verba, in quo totius doctrinæ thesaurum reconditum profiteor. Sed, esto, res aliis usitata, illis familiarem consuetudinem, istis parit admirationem. Putabam & hoc certè omnibus Ecclesiis eatenus assuetum fore, ut nulli novum esse videretur aut vanum: hæsitare diutius cœpi, an mihi adhuc codicem illum unum haberem quem à natali patria inter cæteros devexeram, in quo eiusmodi exemplaria continebantur: Quem diu quæsitum, quoniam aut alicui præstitum, aut per tot locorum mutationem casu amissum non invenio, repetita memoriâ quæ de illo recolo pauca vobis intimare non gravabor, præmonstratâ occasione, qua quondam observantiæ huius causas & ego quoque requisieram. Nostri enim Episcopi provinciales in huiusmodi ritum omnes consentiunt. Porro nostro tempore quidam inter cæteros ad sacerdotalem gradum admissus, hostiam quoque sicut & alij de manu Episcopi suscepit, quam in pergameno, in hos usus parato involutam quotidianâ celebratione solve-
E bat, & portiunculam parvam, iuxta instantium dierum numerum computatam sumebat. Accidit vero ut quadam die expletis mysteriis dum vestimenta cum syndone altaris incautius colligeret, immemor Hostiæ sacræ diligentiam nequaquam adhibens thesaurum cœlestem infelix amitteret. Veniens ad diversorium, quæque necessaria curat, transigitur dies in crastinum, repetitâ celebratione frater ille instante horâ communicandi Hostiam Sanctam non inveniens, turbatus nimium & consternatus, sursum deorsum cursitans, nec etiam signum aliquod invenire potuit. Audiens Episcopus ex negligentia fratris ortum periculum, omnibus in commune fratribus unius reatum pœnitendum instituit. Ipsum verò fratrem arctioris pœnitentiæ disciplinâ corrigendum proposuit. Hac ergo occasione acceptâ quærendum ab Episcopo æstimavi, si videretur sibi salvâ ordinis religione sanctificatum panem primo aut secundo sanctificationis die posse
F totum simul percipere, quem videbat non sine periculo posse tanto tractu temporis minutatim sumere: præsertim cum ipse nosset rarissimos huius ordinis viros esse, qui in hac re pervigilem curam adhiberent. Hic ille increpitans tardioris sensûs mei hebetudinem, respondit quidem ita esse quod quærebam, si discipulis quos ad prædicationis officium Dominus missurus in mundum fuerat, si illis inquiens, adhuc tardis & dubitantibus potuisset sufficere resuscitati corporis speciem semel vidisse, quam semel visam noluit ab eis repentè subtrahere, sed per quadragenos dies complacitis horis glorificati corporis revelatâ specie eos tanquam panis cœlestis suavitate refecit. Nam & Episcopus qui vices Christi tenet, sacerdotales viros in plebem subiectam missurus, sacri corporis Eucharistiam per quadragenos dies sumendam distribuit, ut dum, Verbi gratiâ, quotidie cœlestis panis alimoniâ reficiuntur, tempus illud in mentem habeant, quo per quadraginta dies Dominus discipulis
G apparens, & convescens desideratæ visionis satietate refecit. Ad hoc Episcopi responsum, cum ego familiaritatis ausu studiosius perquirerem, num idem mysterium supplere potuisset panis à Presbytero quotidianâ celebratione sacratus, uti in eo passionis Dominicæ & resuscitati corporis & manifestati discipulis species, satis fuisset nobis. Perpende, ait, sicut fili mi, multæ Ecclesiæ sunt per universum orbem terrarum, propter diversa loca, & tamen una sancta est Catholica Ecclesia, propter unam fidem: sic & multæ oblatæ propter vota offerentium, unus panis est propter unitatem corporis Christi. Nam panis ab Episcopo consecratus, & panis à Presbytero sanctificatus in unum & idem corpus Christi transfunditur, propter secretam unius operantis potentiæ virtutem. Sed quodammodo aliud esse dicitur, quod Virginali utero sumptâ carne crucis iniuriam sustinuit, de sepulchro resurgens discipulis apparuit, cuius memoriam in pane Presbyteris collato Episcopus agere videtur: aliud quid per
H mysterium agitur, dum Episcopi & omnes sacerdotes in mensa altaris, sub Sacramento communicatæ carnis panem sanctum secretâ oratione quotidie consecrare videntur, quod ad illud respicit, quod consecrantes nuper ordinati Presbyteri cum Pontificali oblatione percipiunt. Nam illud Dominicum corpus ex mortuis suscitatum, & in cœlis locatum, iam non moritur, istud Sacramentorum, quotidie nobis moritur, quotidie nobis resurgit, apparet & comeditur. Sed nec in hoc mens fidelium scandalum dubietatis debet incurrere, quod Christum semel gustatâ morte iam non ultra moriturum audit, cum carnem assumpti hominis in paterna gloria sedentem, & hic sanctificatum panem verum Christi corpus audit nominari, dum & illud de Virgine assumptum, & istud de materiali & virginali creaturâ consecratum, unus idémque artifex Spiritus invisibili operatione in substantiam veræ carnis transfundit: Carnis videlicet non cuiuslibet, sed verè Christi de qua ipse ait, *Nisi manducaveritis carnem*

meam,

* Melius laneciā.

A *meam, non habebitis vitam in vobis.* Quod utique exponi alio tempore indiget, & fidel oculis intueri. Hoc tantum quod ad præsens negotium spectat solvamus, quod quidem nec subitis nec novis adinventionibus constat expositum. Nosti populo Hebræorum sub Moyse & manna de cœlo per annos quadraginta subministratum: qui Moses dus populi secundis adiutoribus, septuaginta viris videlicet de eodem populo sustentabatur, per quos forma Presbyterorum exprimitur, qui nunc in Ecclesia novitia, Pontificale onus in se suscipientes regendis populis invigilant. Porrò sumens de spiritu Moysi, illis septuaginta senioribus dedit, per quos populum sibi commissum per quadraginta annos indicavit, quia dus noster Dominus Iesus Christus discipulis quos ad prædicationis officium missurus fuerat in mundum, Spiritualium dona Charismatum infudit. Illi post immolationem Agni Pas- B chalis manna cœlitus misso per quadraginta annos sustentati sunt. Quem cibum cœlestem, quam suavitatem angelicam non per typicas aut umbratiles figuras, sed indubitatam unionis veritatem repræsentat ille Dominicus cibus, quem per quadraginta dies sumendum tanquam salutis viaticum, Pontifex novis Ecclesiæ cultoribus distribuit, quos suæ Pastoralis curæ vicarios, adiutores ad erudiendam plebem sibi commissam constituit, ut dum istum præ oculis habentes degustant, illum mente pertractent, qui de cruce morte triumphatâ ad Patrem ascendit, dúmque à semel ipsis consecratum corpus percipiunt, illum fidei gustu experiantur, per quem quotidie Christus nobis moritur & resurgit, per quem usque ad consummationem seculi manere se nobiscum pollicetur. Hæc pauca de multis, quæ repetita memoriâ, & multo ex tempore diffuta licet recitasse, ad præsens sufficiant, dum ego Codicem de eiusmodi exemplaribus à Romano Scri- C nio prolatum perlegam. Vobis facilè est de paucis multa cogitare, aut certè quod irrationabiliter factum videtur, sanioris consilij ratione colligere.

Epist. III.

Domino suo Regi Serenissimo Roberto Fulbertus Humilis Carnot. Episcop. in gratiâ Regis regum semper manere.

GRatias referimus benignitati vestræ, quod nuper misistis Legatum vestrum ad nos, qui & vestram nobis sospitatem nuntians nos lætificaret, & fortunæ nostræ modum sciscitatus à nobis, vestræ majestati renuntiaret. Ac tunc quidem scripsimus vobis de malis quæ irrogat Ecclesiæ nostræ Gaufridus Vicecomes, qui nec Dominum, nec excellentiam vestram se revereri satis supérque indicat, cum & Castellum de Galardone à vobis olim dirutum restituit, D de quo dicere possumus, *Ecce ab oriente panditur malum*, Ecclesiæ nostræ. Et rursus alterum ædificare præsumpsit apud Illeras intra villas sanctæ Mariæ, de quo & revera dici potest, *En ab occidente malum.* Nunc quoque de iisdem malis necessario scribentes conquerimur apud misericordiam vestram, consilium & auxilium petentes ab ea, quoniam à filio vestro H. super Hæc mala nihil opis vel consolationis accepimus. Pro quibus tacti dolore cordis intrinsecùs, iam in tantum mœrorem nostrum prodidimus, ut signa nostra iucunditatem & lætitiam significare solita, ab intonando desinere, & tristitiam nostram attestari quodammodo iusserimus, officiúmque divinum hactenus in Ecclesia nostra per Dei gratiam, cum magnâ cordis & oris iubilatione celebrari solitum, depressis modo miserabiliter vocibus & penè silentio proximis fieri. Vnde pietatem vestram cum fletu cordis & mentis genua flexi, precamur. succurrite sanctæ Dei genitricis Ecclesiæ, cui nos fideles vestros quantum possumus, licet indignos, præesse voluistis, quorum à vobis solummodo post Dominum, in his quæ ingeruntur molestiis, consolatio & respiratio funditus pendet. E Cogitate ergo qualiter ab his liberemur, & ut mœrorem nostrum convertatis in gaudium, obsecrando Comitem Odonem, & ei vestra regali auctoritate vivaciter imperando, ut prædictas diabolici instinctûs machinas, vero animo destrui iubeat, vel ipse destruat, propter Dominum, & fidelitatem vestram, & sanctæ Mariæ honorem, & nostri adhuc sui fidelis amorem. Quod si nec per vos, nec per illum irrita fuerit, hæc quasi perpetua nostri loci confusio, quid restat aliud, nisi ut penitus interdicatis agi divinum officium in toto Episcopatu nostro? ipsi inde, heu inviti, & maximâ necessitate coacti, aliquo exulantes, nec oculis nostris videre diutius sanctæ Dei Ecclesiæ conculcationem ferentes Quod ne facere cogamur, vestram misericordiam iterum iterúmque flebiliter oramus, ne & illud quod absit, apud ex- F traneum Regem, vel imperatorem fateri compellamur; à vobis exules, noluisse vos vel non valuisse, sponsam Christi sanctam Ecclesiam vobis regere commissam, intueri.

Epist. IV.

Domino suo Rob. Regi benignissimo Fulbertus Dei & sui Gratiâ Carnotensis Episcop. statum plenæ fœlicitatis.

POstquam transmisimus vobis litteras per R. Gaufridum Clericum, querimoniæ nostræ, de oppressione quam Ecclesia nostra patitur, locuti sumus cum domino Rege H. filio vestro sciscitantes ab eo, cur nobis in tanta necessitate non succurrerit. Qui se contra nos humiliter purgans respondit, quia procul à nobis erat, ideò facultatem sibi veniendi in auxi- G lium nostrum non fuisse, imò copiam virorum, qui se comitarentur non habuisse Cuius nos purgationis causam minimè discredentes, pro illo vestram clementiam oramus, ne fiat aliena vestro genito paternitatis vestræ gratia, si sanctæ Ecclesiæ non præstitit opem, quæ impossibilis erat ei præstari. Ad vos tandem dilectissime domine, nostri adjutorij summa redit, cujus gratuitâ bonitate Præsulis bonore fungimur, & tutelâ cuius posse eripi à malorum iniuriis omnino confidimus. Sed ab iis quæ modo nobis incumbunt, sine multo labore vestro speramus erui, dummodo prece & obsecratione, cum Odone Comite obnisè agatis, quatenus idem nos ab illis expediat. Cæterùm serenissimam pietatem vestram appellamus pro eodem Rege filio vestro, qui satis supérque desolatus incedit. Neque enim in domo vestra cum securitate vel charitate licet ei manere, neque foris est ei unde vivat, cum bonore Regi competente. Vnde vos oportet aliquid boni consilij reperire, & illi impendere ne dum ille quasi peregrinus & profugus agit, pa- H ternis animi fama vobis depereat.

Epist. V.

Sancto ac venerabili Arch. suo Bonsberto Fulbertus fidelitatis obsequium & summi pastoris benedictionem.

PRimum quidem benedicimus Dominum, Patrem ingenitum, Filiúmque suum unigenitum Iesum-Christum Dominum nostrum, & Spiritum Sanctum Paraclytum unum verum Dominum, qui cuncta creavit, qui te quoque dilectissime Pater, multâ sapientiâ illustravit, ad docendum populum suum, & decore sanctitatis ad præbendum bonæ vitæ exemplum decenter ornavit. Deinde magnas tibi referimus grates, quod nos licet immeritos, atque ignotos, salutationis tuæ paritérque munere gratiæ dignatus es prævenire. Vndè profectò nos in amorem tuum sic animasti,

A ut perennem tui memoriam in intimo cordis nostri vigere velimus, ut saltem per crebra orationum suffragia, si aliter facultas non suppetierit, tuæ benignitati vicem rependere satagemus. Significavit autem nobis filius noster tuúsque fidelis Hildumus tuæ charitatis erga nos insignia, fideliter asserens unum de nostris Priscianis te velle, quem & per eundem libenter mittimus, quidquid etiam de nostro petieris hilarissimè tibi si possibile fuerit transmissuri, ipsam quoque præsentiam nostram, si tibi opus esset, ac voluntas, nobisque potestas, obsequentissime præstaturi. Ad ultimum salvere te semper optamus, precantes ut illam novam ac gloriosam adoptionis prolem summi regis, Regem videlicet Stephanũ intimans excellentiæ * suæ ex nostra parte salutes, & universarum congregationum quæ sunt in Episcopatu nostro, Canonicorum scilicet & Monachorum orationum fidelia. Vale.

* Alias vestra.

Epist. VI.

Noto Notus R. Fulbertus.

B HOc à vobis exigo securitatem de mea vita, & membris, & terra quam habes, vel per vestrum consilium acquiram. De auxilio vestro contra omnes homines salvâ fidelitate Roberti, de receptu Vindonici castri ad meum usum & meorum fidelium, qui vobis assecurabunt illud. Commendationem vestrorum militum, qui de nostro casamento beneficium tenent, salvâ fidelitate vestrâ. Iniustitiam de querimonia Sanctionis & Huberti & de querimoniis Canonicorum Ecclesiæ nostræ, & de legibus atriorum nostrorum. Si hæc facere vultis, paratus sum conventionem quam vobiscum inij observare: si non vultis, nolite me itinere fatigare. Vale.

Epist. VII.

Gloria & Honore digno Patri & Archiepisc. suo Leutherico Fulbertus humilis Episcopus cum venerabili Cenomanensium Episc. Auisgando salutem.

C SCientes vos habere zelum divinæ legis, nec minus opitulari velle quam debere fratribus vestris, sed & plurimùm posse fiducialiter à vobis auxilium petimus in necessitatibus nostris, in præcursorem Antichristi Hebertum Comitem Cenom. qui sedem Episcopalem ejusdem civitatis evertere nititur. Episcopum enim prædictum videlicet Auisgandum in ea cum pace manere non sinit: domos eius & terras & fruges & omnia victualia insuper & præbendas canonicas Ecclesiæ pervasit. Hæc itaque vos ad vivum sentire volumus, vosque indissimulato propellere: & ne facilem modum habeat petitio nostra, precamur vos illi commonitorium scribere, ut iam dicto Episcopo sua reddat, & eum in pace vivere sinat. Alioquin pro certo noverit se à vobis & suffraganeis vestris excommunicatum iri, ex illo die quo eum excommunicaverit Auisgandus Episcopus.

D Commonitorium autem quod illi sacrilego vestra dignatio mittet, nobis transcribi volumus, & mitti. Vale in infinitum, Angelus magni consilij te, consule Christo, servet.

Epist. VIII.

Venerabili Fratri & Coepisc. Fulbertus F. salutem.

SVperfluum duxi longam fabulam nostri senis transcribere, & mittere tibi, cum totam rationem eius, si qua est, ex mea brevi responsione facilè percipere possis, fuitque huiusmodi. Fratri in domino & consacerdoti suo Auisgando F. Absit frater, ut credatur verum esse quod scripsisti meum Archipræsulem, & me

E tuam confessionem publicasse, non est enim verum. Túmque dum alia scribis, benemeritis de te ingratus es, & iniustè contumeliam facis. Si qua enim honesta tua novimus, aut speravimus, fideliter ea publicavimus, ad testimonium tuæ probitatis, contra illos maxime qui discessionem quam ab Episcopatu avaritiæ, vel ignaviæ, vel turpitudini ascribere nitebantur. Si quæ verò occulta, quæ pœnitenda forent nostræ fidei credidisti, cautè celata sunt. At si talia confessus es, quæ prius & postmodum ore volgi ventilata sunt, ea nos occultare nequimus. Comperi autem ex litteris tuis tibi molestum esse, quod te Monasticæ vitæ diximus amatorem, quod quia nocere non intelligo, molestum esse demiror. Amor námque religionis Episcopali gradu quem reperis, dignum te potius, quam indignum efficeret, si nihil aliud impediret. Verum autem sit, vel quid sit quod impediat, sagacitatem tuam non arbitror ignorare. Si quædam gravis causa quam dissimulas non obstaret, ea est huiusmodi. Si de repetendo Episcopio querimoniam incipere velis, non satis apparet, cui eam iure intendere possis.

F Nullus enim te expulit, nullus cathedram tuam te renitente pervasit, sed tutemet ultro causa ægritudinis ut aiebas, curam Episcopalem simul & cathedram reliquisti ut perhibent. Et sive Franconem tunc Decanum Parisiensis Ecclesiæ, sive quemlibet alium subrogari tibi verbis, & scriptis à rege petisti. Quòd si ita est, & sic tibi consequenter substitutus est Franco, eligente clero, suffragante populo, dono regis, approbatione Roman. Pontific. per manum Metropolitan. Senonensis, fulcitur utique substitutio & consecratio eius favore & auctoritate Beati Gregor. Papæ, qui scriptis suis, sicut nulli Pontificum non petenti, pro qualibet ægritudine succedendum fore docuit, ita voluntarie renuntianti sedi suæ successorem nullomodo denegavit. Sed quid aliud est quare te Episcopatu carere oporteat, tu te noveris. Sin autem hoc tanti nobis esse videtur, ni te facere valeat, recuperationis exortem. Quapropter desine curiosos instigatores audire, desine Reges & Præsules inefficacis querimoniæ tædiosis scriptationibus fatigare, & Ecclesiæ Parisiensi

G te importunè obtrudere velle. Quæ ut fatetur, nec patronum te habuisse gavisa est, nec doluit amisisse. Quippe cum neque ex præsentia tua doctrinæ profectum, neque ex absentia, senserit detrimentum. Vale memor nostri.

Epist. IX.

Fulb. Dei gratiâ Carnot. Episc. Domino H. Turonensium Subdecano sibi dilectissimo gratiam & benedictionem Dei.

CVm vestram Charitatem noverim plurimis in obsequiis libenter mihi paruisse, adhuc etiam parere cupientem, vix satietatem cedere, mando vobis obnixè precans ut accingamini ad causam quam expono. Apud vos morabatur olim quidam bonorum

H extortor, legum contortor Girardus nomine, qui susceptum unum caballum à famulo nostro Deodato debuit comparare triginta duobus solidis, pro arrabone datis duodecim nummis, cúmque reliquos speraret Deodatus ad præfixum terminum se recepturum, fefellit eum ille subdolus, à nobis Turonem profugiens, nec equum postea, nec pretium remittens, quamvis eum Deodatus sæpè utrumlibet agere per legatos postulaverit. Hac de causa mitto ad vos unum ex nostris hominibus, qui ipsum G. notum vobis faciat, in audientiáque vestra vice Deodati hanc ipsi querelam intendat, qualibet lege censueritis revincturus eum, si fortè ut est impurus dissimulaverit, se rem istam scire, aut si ita est, etiam negaverit. Deinceps talem in eum qualem ius poscit, date quæso sententiam, ut vel Deodatus rem suam legaliter solvat, vel debitas pœnas luat. Vigeat semper alacritas vestra.

EPIST. X.

Patri & Consacerdoti suo Fulb.

CRede Pater nullam me compositionem unguenti laborasse, postquam ad ordinem Episcopalem accessi, quod tamen pauxillum ex dono cuiusdam medici superer at, mihi fraudans tibi largior, rogato sospitatis authore Christo, ut tibi illud faciat salutare. Vale.

EPIST. XI.

Venerando Parisiorum Antistiti Fulbert. F. Dei gratiâ Carnotensis Episc. totius prosperitatis munus.

LAndunensem illam Sacrilegam, res Ecclesiæ vestræ diripientem propter has causas excommunicare distulimus. Primò, quia defuit qui ipsi ferre auderet nostram excommunicationem, deinde quia parum vobis aut nihil fortassis prodesset, si illa nesciens excommunicaretur in Ecclesia nostra. Tertiò, quia expectavimus ut in conventu nostrorum Comprovincialium Episcoporum utiliùs hoc fieret. Quòd etiam adhuc expectandum vobis videtur, si animi vestri serenitas acquiescat. De Lisiardo autem Arch. vestro, quem scripsistis in vos superbum ac rebellem esse, non opus est nos consulere, cum optimè noverit prudentia vestra quid de huiusmodi lex divina sentiat, neque nos oporteat quemquam absentem & causa indiscussa iudicare. Volumus autem vos scire, quòd Adeoldus noster de Nouingento, cui anathematis sententiam intentatis, propter querelam quam habent contra eum Monachi sancti Dionysij, dicit se paratum esse ad iustificandum in audientia vestra, atque nostra, proinde si litem hanc cito iustòque fine determinare vultis, constituite diem, quo vobis & Monachis sancti Dionysij apud sanctum Arnulphum occurrere valeamus, qui locus vobis ad conveniendum oportunus esse videtur. Valete.

EPIST. XII.

Domino Seruus, Magno Præsuli Fulbert. H. suorum minimus quod potis erit strenuum fidelitatis obsequium.

EX hoc Domine mi reverendissime, quod te propter mores tuos maturâ sanctitate suavissimè redolentes, erga tibi subditos eo animo esse intelligo, ut bonos sinceri amoris gratiâ complectaris, malis pij cordis miserationem impendas, nullum vero odisse velut nocentissimam pestem horreas, magnæ relevationis solatium mihi comparatur, valde metuenti, eo quod nimis sum ad irascendum pronus, gratiâ tuâ & si non funditus aliquatenus tamen caruisse, cui enim etiam gravioribus delictis obnoxio, apud tam bonæ moralitatis virum desperanda sit venia, considerato quod delinquenti potius compateris quam odis, compatientem vero ad ignoscendum minimè esse difficilem, ipsum quidem, dummodo correctionem exhibeat, maioris abs te usumfructum dilectionis habiturum. Tantâ itaque vi bonitatis animatus supplico, ut cum mihi pro meis offensis misereseas, tum etiam eis renuntiatum ire eunanti, veniámque postulanti parcens, amoris sinum ampliùs relaxes. Vnde absit ut te remoretur illa cogitatio, me scilicet iræ vitio perennem fecisse deditionem, quandoquidem multis astantibus, necnon etiam in præsentia tui, cui plus omnibus cultum reverentiæ debeo, aliquoties irasci non omittam. Certè quanto crebriùs huiusmodi vitium manifestatur, & maiore hominum frequentiâ redarguitur, tanto celeriùs hinc evasurum qui verè captivus eius effici voluerit, autore Abbatis Serapionis collatione crediderim. Quare cum alios mihi succensere cupiam, te, potissimum ut id sedulò agas oro. Te enim super cunctos mortales, quod simplicitas adulationis ignara fatetur, animæ meæ visceribus diligendum mandavi. Sum námque divinâ procurante gratiâ disciplinæ tuæ vernaculus a puero, nec ulli umquam tanta meæ conscientiæ secreta, nam alius quædam, tibi omnia detexi. Quæso ergo te profusus lachrimis faciem mentis, ne mei curâ posthabitâ necessariam castigationis vel admonitionis eleemosynam mihi subtrahas. Nam si hoc, avertat autem divina pietas, egeris, nunquam tantâ mole frangar incommodi, quam cum me videam sic à te neglectum iri. Rogatus opusculum meum corrigere. Vale summa spes consilij mei, post Dominum. Amen.

EPIST. XIII.

Domino suo R. Regi Benignissimo Fulb. Humilis Sacerdos in perpetuum vigere.

SAcram majestatis vestræ nuperrimè suscepi monentem me VI. Kal. August. vestro & Henrici interesse colloquio, non solum vestri obsequij, sed & nostræ commoditatis causa, unde suppliciter vobis pro tanta erga me pietatis affectione gratulans rescribo, me iamdiu infirmatum, ægritudinem hoc tempore maximè revereri, longum iter aggredi non audere, successu vero temporis oportunioris, annuente Deo, libenter vos eò, sive alias comitaturum esse, quamquam præsens si valetudo non obsisteret, longè tamen ante præmoneri me, tanti itineris oporteret. Valete fœliciter.

EPIST. XIV.

Venerando Normanorum Principi Richardo Fulbertus Dei gratiâ Carnotens. Episc. salutem & orationum suffragia.

MVlta bona fecistis Ecclesiæ sanctæ Mariæ Dominæ nostræ. Retribuat vobis DEVS per intercessionem ipsius. Nos quoque pro illis animæ vestræ corporique vestro & fideles sumus & semper esse valeamus. Sed nuper ad nos insperata venit legatio, quod ipsam terram quam nobis dedistis, Baldricus Minister revocaverit nostro Ministro quem ibi præfecimus, aliquid disponendi potestatem interdixerit, suas etiam res invaserit, nostris hominibus novam angariam induxerit, banniendo scilicet ut irent ad Molendinum sancti Audoeni, quinque leu eis ut fertur ab eorum hospitiis remotum. Si hæc optime Princeps, vestro iussu, quod minimè credimus, facta sunt, plurimum vestri causa dolemus, & ut corrigantur suppliciter postulamus. Quinetiam iubeat prudentia vestra ministris vestris, ne ulteriùs inquietent nostros homines, & deinceps terram prædictam ita nos possidere sinant, ut eam à benignissima vestra manu suscepimus. Vigeat diutissimè incolumitas & potentia vestra.

EPIST. XV.

Domino suo Regi Fulbert. Andegavorum Comes salutem & fidele servitium.

GVillelmus Pictavorum Comes herus meus loquutus est mihi nuper dicens, quod postquam Itali discesserunt à vobis dissisi, quod vos Regem habere petierit filium suum ad Regem, quibus ille invitus coactúsque respondit, tandem acquiescere voluntati eorum, si consentirent illis cuncti Marchiones Italiæ & Episcopi, ac cæteri meliores.

Illi promiserunt, quod rectâ fide facerent illos consentire, si possent. Nunc ergo mandat vobis, postulans suppliciter gratiam vestram, ut detineatis homines de Lotharingia, & Fredericum ducem atque alios quos poteritis ne concordent cum Rege Cono. Inflectendo eos quantum quiveritis ad auxilium eius, dabit vobis pro hoc negotio mille libras Den. & C. pallia. Et Dominæ Reginæ Constantiæ quingentas libras nummorum. Orat vos ut ipsi eam salutetis, & filium vestrum Regem ex parte sua, & ego precor significari mihi litteris, aut nuntiis quid animi vobis sit, super hoc, quod ipse vos rogat ut renuntiem illi.

Epist. XVI.

Piissimo Duci Aquitanorum Guillelmo Fulbert. humilis Episc.

NOn est mirum, serenissime Princeps, si quid moveris animo contra me, de hoc quod sapientissimo ac sanctissimo Patri nostro Hilario tibique debita servitia non rependo. Magnam enim honorificentiam exhibuisti, largósque dedisti munificentiæ fructus, pro quibus nihil præsentis emolumenti recepisse videris. Sed est quod te reconfortare plurimum potest, hoc videlicet quod tuas gazas in Ecclesiæ beatæ Mariæ restaurationem expensas, non solum integras, verumetiam multiplicatas ab ipsa recipies. Ex parte vero mea, quamvis perexilis portio mercedis æstimari possit, tamen quidquid sum & possum tuum est. Si autem de malitia sæculi ortæ difficultates meum iter impediunt, ut frequentare non possim, & dilationes meas expectare tædet, fac benignissime atque dilectissime Princeps, de illa dignitate quam mihi commiseras, quidquid animæ tuæ beneplacitum fuerit, certo sciens quod ea causa benevolentiam meam erga te nunquam senties imminutam. Cætera quædam quæ scribere nolui, Legato vestro, Domino videlicet Raimone referente cognosces. Vale.

Epist. XVII.

Fulbertus Dei Gratiâ Carnotensis Episcopus Comiti Gaberano & Comiti Gualterio cæterisque filiis fidelibúsque suis, salutem & benedictionem.

SCiatis fratres quia Rex R. benefacit cum Christianos adjuvat & Hæreticos damnat, ad hoc debent eum confortare & adjuvare mecum omnes sui fideles, quia hoc ministerium eius est, per quod salvus esse debet. Sciatis iterum quod Arch. Cenom. requisivit à me consilium, quid deberet facere de Raginardo Hæretico, qui persequebatur Ecclesiam Dei. Et ego ei dedi tale consilium, quale ad suum ordinem pertinebat, & ecce mitto vobis utrumque scriptum, & complanctum suum & consilium meum quod dedi ei secundum ordinem suum. Si quis autem falsarius dicat quod ego alterum ei consilium deinceps vel scripserim vel dixerim, vel mandaverim, rogo ut me sicut Patrem vestrum spiritualem defendatis, quia fiducialiter hoc facere poteritis. Vale.

Epist. XVIII.

Caro suo Heb. Fulb. Humilis Episc.

SCio te fili, meum desiderare adventum, sed retardant templi restauratio, mandata Regis, prædonum instantia Messiuæ feriæ, Lemonicensis Episcopi causæ pacandæ difficultas, via scrupulosa. Ægrè fero moras meas, satiúsque mihi fuisset, rem S. Patris Hilarij non suscepisse curandam, quam tali modo tractare. Sed hac consolatione respiro, quia quod potes, vice meâ facis. Precor ergo ut propositum urgeas strenuè tam in spiritualibus, quam in singularibus agens. Si Ro. præpositum indiligenter vilicari nosti, fer causam ad notitiam Ducis nostri, ut eius arbitratu vel corrigatur vel mutetur. Saluta caros nostros R. Hu. Dui. & alios tam clericos quam laicos. Frater Thedoldus obiit, frater Ebrardus Monachus evasit scolarum ferulam, & Cancellarij tabulas tibi servo, bona parans, meliora devovens, tu quoque pro nobis ora feliciter. Vale.

Epist. XIX.

Fulbertus Dei Gratiâ Episcop. Guntarto Huberto Vicecom. Rogerio, Bucardo, Hug. filio Hugonis, Otredo, Hamelino Hugoni filio Herbrandi, & Vxori Gusmandi & omnibus illis qui tenent Casamentum San. Ma. Car. ec. per donum Reginaldi Episcopi.

VOco vos & admoneo, ex parte Dei & sanctæ Mariæ & nostrâ, ut infra proximum Pascha veniatis ad nos, aut nostrum servitium facere, aut de vestris Casamentis legitimam rationem reddere. Quod si non feceritis excommunicabo vos, propter contumeliam vestram, & interdicam ut non audiatis divinum officium. Nec vivi recipiatis communionem, neque mortui sepulturam. Quinetiam Castellum Vindocinium & territorium eius anathematizabo, ut in eis divinum officium non celebretur, neque mortuus sepeliatur: postea verò ipsa Casamenta quæ tenetis aut uni aut pluribus dabo, ultra etiam vobiscum de illis non concordabo. Deus vos convertat filij mei.

Epist. XX.

Venerabili viro & consacerdoti suo Fulbertus F. ea quæ sunt vera pacis.

TV frater dilectissime ex abundantia charitatis honore me nimio ac sapientiæ laude dignaris. Ego vero meam personam humilem virtutísque inopem, sicut & video & agnosco. Verùm utcumque se habeat pusillitas mea, hoc tamen nefas inhumanitatis admittere nec velle, nec posse me fateor, ut de ærumnis te sanctæ Ecclesiæ sine compassione zelóque iustitiæ audiam querelantem, at quia compassio ubi corde concepta est, mox consolationem edere gliscit, & plagam ultionis infligere zelus, nósque tamen ad primum quam ad secundum proniores esse oportet, ego quoque priusquam zelum in tuos hostes exerceam, consolatoriâ te ratione convenio. Rogo itaque frater, ne vi molestiarum impulsus indiscretiùs irascaris. Ne fortè ad impatientiam inde ad arma prorumpas, & cum gladium alienum usurpaveris, tuum facias non timeri. Rogo iterum ne fias ob multam iniuriam tristis, turbulentus & anxius, sed delectare semper in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Vsumfructum verò altarium quem tui antecessores Laicis tradiderunt, te alendis debilibus publicâ voce destinare suadéo. Tum ne quis illis inde fraudet aliquid interminari, & si qui in hanc fraudem irruperint, sicut fures sacrorum, & occisores pauperum anathemate condemnari. Ne verearis quæso homines innocentes offendere propter Dominum ut sis eo dignus. Si Deus pro te quis contra te? est enim pro te semper in sua causa Deus, est etiam tecum ut ait, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* Quid ergo times defendere Dei causam, cum ipse tecum sit ad cooperandum pro te, sit ad tutandum? Confortare itaque frater in Domino, & in potentia virtutis eius: confortare inquam, confide & gaude, exulta, & tripodia, & alacri animo ad certamen eius prolude, cum Propheta dicendo, *Congratulamini populi*

A *& vincimini, accingimini vos, inite consilium & dissipabitur: loquimini verbum & non fiet, quia vobiscum Dominus.* Et quia certò scio communem Dominum tibi in sua causa esse patrocinaturum, me quoque servulum eius non defuturum polliceor, sive ad coërcendum manus persequentium, sive ad ora contradicentium obstruenda. Ad summam autem securum te requiescere iubeo inter medios cleros, quandiu te audiero persecutoribus Ecclesiæ non cedentem Galleranum verò ut petisti conveniam, & causa discussa quid inde sentiam, vel quid te facere oporteat, aut verbis aut litteris innotescam.

EPIST. XXI.

Pleno virtutis & gratiâ circumfuso, charissimo patri Abboni Fulbertus suus.

B QVanam te resalutatione digner, O sacer Abba, & O magne philosophe? quid rependam muneris sanctæ amicitiæ quam promiserunt signa gemmatæ facundiæ, vix æstimare sufficio. Nam cum illa quæ dicuntur esse, victor animo teneas, cum illa quæ non esse forsitan vilipendas, quid ego conferre possim, quod tu aut non habeas, aut non habere contemnas? Sed quoniam philosophicis essentiis magnum quiddam superest, atque ex his quæ non esse dicuntur quædam perpetua fiunt, ideóque sapientibus aliquando grata sunt, recipe quæso quod ab utroque tibi lectum offero. Denique ut participando super essentiam deitatis dominus fias, sic te resalutaro, ad perennem fidelitatis habitum amicitiæ tuæ rependo, hac scilicet differentiâ tuam benevolentiam meámque distinguens, ut illa pro maiestate personæ gratia vocetur ut domini, ista fidelitas ut alumni. Præceptis itaque tuis modestissimè deservire cupiens, Mediolano discipulo quod precatus es facio, quæque tibi scribenda petisti, en omnia ferè iuxta fideio exarata C transmutto. Abbate sancti Petri graviter ægrotante, sed adhuc mentis & sermonis compote, Megenardus monachus ante mihi non mediocriter charus, noctu sese de claustro surripuit, & ad Theobaldum Comitem qui Blesis tunc morabatur, Abbatiæ petendæ gratiâ properavit, Comes illum postridie remisit ad nos cum legatis, qui denuntiarent recipiendum magnificè sicut Abbatem monachis & canonicis. At verò nobis ferè omnibus ea res æquè nova & horribilis fuit. Respondimus itaque longè nobis aliter videri. Nec enim legitimè fieri Abbatem, nec debere recipi qui abbatiam alterius, ipso vivente per ambitionem quærit, qui à fratribus non eligitur, & super illos nititur dominari. Postremo qui noster neque monachus sit, neque clericus, & plures habeat testes curialiter agitandi quam monasticè vivendi. Hæc ille non gratanter accipiens ad Comitem redequitat, irámque iuvenis adversum nos vehementer inflammat. Sed die quinto postquam suum ambitum D publicavit, prædictus Abbas ægritudinem suam morte finivit. Conveniunt ad Capitulum monachi nostri, & quidam Canonici, quos ratio postulabat admitti. Interrogamus an aliqui fratrum incœpto Megenardi faveant? Negant singuli, negant omnes. Decrevimus ergo quosdam eorum esse mittendos ad Comitem, nobis videlicet designatum Episcopum, ut Patris obitum nuntiarent, & alterius eligendi regularem precarentur licentiam. Quibus missis ecce alij duo, Vivianus scilicet & Durandus, alter illiteratus, alter litterarum malesanus interpres, ambo Præpositi, simulantes causa communis commodi ad obedientias suas se velle exire, ac ne aliorsum pergerent sibi interdicente Decano monasterij Megenardum tamen secuti sunt, eius cœptam præsumptionem occultè persuaserant, & Blesis in præsentia Domini Theobaldi ipsum Megenardum à fratribus peti ac eligi perfidè mentiti sunt. Horum suffragio lætus Comes statim

E cum baculo pastorali publice donat. Quo audito fratres qui in claustro remanserant, contra hanc fraudulentiam zelo divinæ legis accincti libellum reprobationis fecerunt; atque subscripserunt huiusmodi. Sciat omnis Ecclesia, quia Megenardum Monachum nostrum, Abbatem fieri non eligimus, non laudamus, non volumus, non consentimus, sed reprobamus, refutamus, & omnino contradicimus. Nos verò de cœnobio sancti Petri quorum nomina scripta sunt, Durandus decanus, Gaudricus, Genesius, Robertus, Isembertus, Marcuinus, Alueus, Guarnerus, Richerus, Vuarinus, Herbertus, Euraedus, Benedictus, Galterus, Beringerus, Herbertus, Bernardus. Illi itaque omnes sua nomina aut subscripserunt, aut subscribi fecerunt me vidente. Die proximâ Comes Theobaldus redit, se in Monasterium recipi cum processione præmandat. Monachi respondent se libenter hoc agere, si præsumptorem illum non adduxerit F secum. Ille denuo iratus, ipso die tamen sustinuit, sed insequenti cum strepitu communantium in sancti Petri Monasterium suum Megenardum obtrusit. Ad cujus violentum ingressum sancti fratres contaminari ipsius communicatione timentes, sanctuario Domini salutato cum lachrymis exierunt; atque refugium aliud nescientes, ad limina principalis Ecclesiæ confugerunt. Ibi quoque non invento pastore utrinque desertæ oves mœstis sese vocibus consolantur. Sed recipit sancta Mater Domini solita pietate, recipit Rodulphus tuus dulci benignitate. Inde transierunt ad cœnobium sancti Patris Herberti, cujus dives charitas de paupere censu quæque potest illis necessaria subministrat. Cæterùm ille cujus fratres importunitate depulsi sunt, ab Heruiso quodam, ut adducunt, Britanniciæ regionis Episcopo, IV. Non. Februar. Abbas simulatus est in suburbio Carnotensi absente Clero, indignante populo, legato Archipræsulis palam contradicente ne id fieret, reclamantibus etiam quibusdam Monachis, qui in loco re- G manserant vero vultu, viva voce atque regulari auctoritate. Sed quid inter furentes ratio? Sed & nunc ille primas in Abbatiæ suggestu, sæculari potentiâ fretus, de peracta victoria gloriosus, factores eius Abbates, Episcopos atque ipsum Papam ambiendo, ne quid gravius statuatur in illum modis omnibus elaborat. Iacet interim victa, confusáque fratrum expulsorum humilitas, nec est Præsul in Galliis cuius viscera tangat affectio pietatis, aut zelus sacræ legis inflammet, ut consurgat ad frangendos impetus eorum ad relevandas spes dolore tabescentium. Defuncta etenim est Dionysij fortitudo, non comparet pietas Martini. Tu quoque dereliquisti nos sancte Pater Hilari, qui olim unitatem Ecclesiæ Spiritûs sancti gladio turbaris. O derelicta, O mœsta, O desolata Galliarum Ecclesia! quæ iam erit spes salutis ulterior? Vbi amplius afflicta Christiani anima respirabit? Hoc nempè solum vel maximè nos confortare H videbatur: quòd si contingeret ruinas mœnium nostrorum resarcire non posse, liceret saltem ad firmum adhuc Capitolium Monasticæ vitæ confugere. Quòd etiam si furibus irrepere aut impunè quibuslibet ambitiosis invadere licet, proh dolor! funditùs cecidisti? Vndè iam ad te revertens venerande Pater, quem ego credo & video adiutorem à Domino nobis esse provisum cum Domino meo, tuóque fideli Rodulpho deprecor & obtestor per ea quæ tibi data sunt sapientiæ sanctæ charismata, per dulcedinem fraternæ charitatis, si quid potes impugna hostes Domini, fratres allisos refove, nec perire sinas inopiâ solatij tui, pro quibus credis esse fusum sanguinem Christi. Vale.

***

A

Epist. XXII.

Domino Sancto & universali, Papæ Ioanni, Fulbertus Carnotensium humilis Episcopus orationum fidelia.

GRatias omnipotenti DEO, qui more benignitatis suæ tuam Pater, humilitatem respexit, & sommo ut decebat dignitatis apice soblimavit. Proinde totus mundus ad te convertit oculos, téque omnes beatissimum prædicant, contemplantur altitudinem tuam sancti viri, & gaudent quod eis similitudine omnium virtutum alludis. Respiciunt persecutores Ecclesiæ districtionis tuæ baculum formidantes. Suspiciunt ij qui flagellantur ab impiis, & respirant sperantes adhoc restare sibi consolationis remedium. De quorum nomero sum ego magnæ & præclaræ Ecclesiæ pusillos Episcopus, qui tibi Pater, de angustiis meis querimoniam scribens auxilium tuæ pietatis imploro. Est enim quidam Comes malefactor nomine Rodulphus, nimium vicinus nobis, qui res Ecclesiæ nostræ per iniostam occasionem invasit, unum de clericis nostris suis manibus interfecit, duos alios captos sacramentis illigavit. Et de his omnibus appellatus in curia Regis, & coram plena Ecclesia sæpè vocatus, non propter hominem nec propter Deum ad iustitiam venire dignatus, à nobis tandem excommunicatus est. Nunc verò ad limina sancti Petri contendit, tanquam ibi possit accipere de peccatis absolutionem, unde venire non vult ad emendationem. Vnde rogamus te dilectissime Pater, cui totius Ecclesiæ cura commissa est, ut eum de sanguine atque iniuriâ filiorum tuorum ita arguere & castigare memineris, sicut meritum esse tua providentia novit. Nec tua sanctitas iniustè in communionem recipiat, quem divina auctoritas sicut Ethnicum alienat. Vnde bone pastor, evigila super nos, ne per iocuriam tuam grex domini detrimentum sustineat.

Epist. XXIII.

Dilectissimo Patri & Archiepiscopo suo Leutherico, Fulbert. Dei gratiâ Carnot. Episcopus orationis suffragium.

MVltum amoris atque fidelitatis tibi Pater me debere censeo, per cuios manum à Deo benedictionem & sacram unctionem accepi. Vnde animus meus ita pendet ex tuo, ut quicquid te iostâ ratione aut contristat, aut hilarat, idem me si rescisçam simili modo afficiat. Congratulor itaque tibi super inventis sacris; & Deo, qui ea tempore tuo revelare maluit, pronus gratias ago. Deiode verò quòd Arnulphom Casatum Ecclesiæ nostræ tibi tuisque scripsisti iniurium, ægrè contra illum & accepi & fero. Vnde mox ad villam Alogiaio. obi tunc esse dicebatur, misi legatum meum, sed in alias partes abierat. Vxor tamen eius mihi remandavit, quòd ubi redierit statim ad me veniet. Quòd si veniens tibi satisfacere voluerit, per meas litteras scies. Alioqiu ultra terminum qui à te prafixus est, in nostra communione non erit. Simoniacum verò Presbyterum de quo mihi mandasti, in diœcesim Ordinatoris sui repelli suadeo; aut si in tuâ manserit, ab officio suspendi: ne Ecclesiæ tuæ candor immundæ hæresis contagione sordescat. Vale Pater optime, filij tui memor.

***

E

Epist. XXIV.

Dilectissimo Patri & Archiepiscopo suo Leutherico, Fulbertus Dei gratiâ Carnotensium Episcopus suffragium orationis & obsequium fidelitatis.

ARnulphum fidelem meum arguendo conveni de his iniuriis unde mihi querimoniam scripsistis. Sed ille respondit se non diffugere iodicium; sponte venire ad placitum. Vnde per consilium & suasum eius totam hanc causam in vestram dispositionem mittimus, ut constituatis diem quo vos & nos, & alij quorum interest convenire possimus, iuxta castellum Ebre, videlicet soper ipsam terram sancti Benedicti, de qua contentio est. Arnulphus enim in expeditionem cum Odone Comite proficisci constituit. Vnde vos talem diem præscribere oportet, ut & ille de expeditione possit esse reversus, & ego meis negotiis exoccupatus possim vobis occurrere. Vale.

Epist. XXV.

Sancto & vener. suo Leutherico, Fulbertus Episcoporum humillimus, fidelitatis affectum & obsequium.

DE Presbytero vestro ab alio Episcopo per pecuniam ordinato, ex auctoritate sanctorum Canonum tale vobis consilium dono. Primum degradetur. Deiode ab Ecclesia separatus, duobus annis severâ pœnitentiâ mulctetur, ut honoris gradus quos pretio taxaverat, lachrymis conquirere & reparare contendat. Postea si dignè pœnituerit, restauretur. Hæc verò quæ diximus, cum in aliis locis, tum satis expressè iovenietis io Canone Toletano 11. cap. 9. Cæterùm rebaptizationes & reordinationes fieri, Canones vetant. Propterea depositum non reordinabitis, sed reddetis ei suos gradus per instrumenta & per vestimenta quæ ad ipsos gradus pertinent, ita dicendo: Reddo tibi gradom Ostiarij, & cætera. In nomine Patris, & filij & Spiritus sancti. Novissimè autem benedictione lætificabitis eum sic concludendo: Benedictio Dei Patris & Filij & Spiritûs sancti soper te descendat, ut sis confirmatus in ordine sacerdotali, & offeras placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Epist. XXVI.

Plurimâ scientiâ & sanctitate pollenti Patri & Archiepiscopo Leutherico, utinam Dei parvulus orationis suffragium.

QVod adversatium nostrum Gozonem excommunicastis, à Domino mercedem, & à nobis fideles gratias habeatis. Hoc enim faciendo, & Domino præbuistis obsequiom, & vestro discipulo dilectionis indicium. Quapropter si me vestra dignatio de hac, ac de alia causa rogaverit, benignam se vobis & obsequentem nostra humilitas exhibebit. Valete.

Epist. XXVII.

Clarissimo Patri & Archiepiscopo suo Leutherico, Fulbertus Episcopus.

PRoreta navis Regiæ cautus & circumspectus esto. Terreni Spiritus insolenter assibilant. Fluctus hujos sæculi intumescunt. Promontoria mundanæ potestatis pericula minantur, & more piratarum insidiantur

tur hypocritæ. Inter hæc omnia tendendum ad portum cælestis patriæ. Noli ergo tute ipse tibi bitalassum dubietatis ac duplicitatis in corde tuo miscere. Simplex est enim via Domini, & qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Si de via legis divinæ qualibet occasione seductus aberraveris, in tartaream Caribdim naufragus demergeris. Regat te manus valida omnipotentis Domini. Vale.

Epist. XXVIII.

Senonensium Præsuli Leutherico Fulbertus Carnotus sacerdos.

Quod me Pater, amicum appellas, gratanter admitterem si te quoque exhiberes amicum. Sed cum sine meo consilio Episcopos ordinando dignitatem suam Ecclesiæ Carnotensi derogas, cumque in eodem negotio legem canonicam multimode solvis, non solum me lædis, sed omnes pariter qui justitiam colunt, & ego quidem mecum adhuc multa patior. Sed lex ipsa divina suam injuriam bene ex parte vindicat, quæ dum à te resolvitur, tua opera cassat. Hoc pridem in T. factum, in G. nuper iterasti, qui sic à te pastor est institutus, ut nec gregem sibi commissum noverit, nec grex ipsum recipere velit: Reprobatus itaque & à finibus Episcopatûs extorris cum palam intrare per ostium non potest, ut legitimus pastor, nec aliunde furtivus ascendere, per violentiam Regis irrumpere nititur ut tyrannus. Nec miror adeo si juvenis ille tali potuit ambitione tentari, cui vel ætas illa, vel quæ ejus ætatis pedisequa solet esse locum forsitan obtineat excusandi. Sed tu Pater non solum mirandus, sed insuper exhorrendus quem nec imprudentia fallit, nec casus turbat, nec urget ulla necessitas: sed scienter & quasi cum deliberatione quadam ultro te atque alios perdas. Nec illud sane tibi tacere debeo, quod ad tuas ordinationes Dominum F. Trecassensem Episcopum periculosè tibi socium addis, quem certam ob causam esse non dubitas imparatum. In qua re dupliciter te delinquere constat, cum eum ad tantam præsumptionem animando, de pœnitentiâ prioris culpæ facis esse securum. De his ergo & hujusmodi te resipiscere jam, & pœnitere oportet, si cum Apostolo horrendum credis incidere in manus Domini viventis. Sed ego fortassis aspere loqui videar, apud te tamen ut credo non male mereri, si sis de quo dicitur: *Argue sapientem, & diliget te.* Cæterum in fine hujus schedulæ exoratum te volo, ne amodo (sicut soles) scripta mea publicando mihi inimicos acquiras. Unde si morem tuum immutare nolis, ego tamen idcirco vera vel dicere vel scribere non desistam. Vale.

Epist. XXIX.

Venerando Senonensium Præsuli Leutherico Fulbertus Carnotensis humilis sacerdos.

Literas ex parte vestra suscepimus, suadentes recipere, quod homicidæ Silvanectenses offerunt, ut mereantur absolvi. Nos autem in quibus oportet vobis semper obedire, parati sumus: sed in hoc ad præsens ideo non oportet, quia neque justum, neque commodum est. Et justum non esse leges scriptæ demonstrant. Commodum vero non est, ut mors sanctorum, quæ in conspectu Domini pretiosa est, apud homines vili pretio constet. Quod si quis instituerit, omnium sanctorum qui eadem causa perituri sunt, reus sanguinis erit.

Sanctitas vestra valeat
semper &
vigeat.

⁂

Epist. XXX.

Sacro Senonensium Archipræsuli Leutherico Fulbertus Dei gratiâ Carnotensium Episcopus virtutem sua dignitatu excellentia competentem.

Aurelianensem ego quidem ad Episcopatum non elegi, sicut vobis dictum est, sed à clero & populo suæ civitatis electum sacravi Presbyterum. Quod cum Romam ire velle audistis, & ibi creari Episcopum, dissuasi vestri honoris gratiâ. Sed & ipse gratanter dissuadenti paruit, suggerentibus fidelibus suis Rodulpho scilicet & Herfrido. Multis occupatus pauca rescribere cogor. Saluto vos quantum possum in Domino, paternitati vestræ devotus suffraganeus.

Epist. XXXI.

Patri ac Primati suo Leutherico, Fulb. Episcopus.

Gratias ago vigilantiæ tuæ, quæ meæ simplicitati præmonitorium facit. Verè enim indigeo præmoneri de multis propter meæ indiscretionis, seu negligentiæ morbum. Verum in hac causa qua de nunc agis, id est, ne quibuslibet Episcopandis citò manus imponam, opus non esse arbitror monitore. Nam & si tu in isto negotio, consilio meo, ut decuerat, hactenus uti voluisses, & ordo noster & tua res aliter processisset. Sed omitto præterita: de futuris plurimum bonæ spei capio ex eo quod nunc cum sanctis viris ac sapientibus agis, Patrem nostrum Odilonem loquor & asseclas ejus. Consilio enim illorum spero te non solum animæ periculum evadere, sed etiam hujus vitæ gloriam & honorem posse recuperare. Vale memor mei tibi in omnibus bonis obedire & opitulari parati.

Epist. XXXII.

Venerabili Senonensium Archiepiscopo Leutherico Fulb. Dei gratiâ Carnotensium humilis Episcopus orationis suffragium.

Vides Pater & audis quanta bellorum incendia nostris in partibus exardescunt. Unde periculosum esse timeo, nos ad metas destinatæ Synodi convenire. Quid autem super hoc tuæ providentiæ videatur, cito mihi remanda.

Epist. XXXIII.

Venerabili Senonensium Archiepiscopo Leutherico, Fulbertus Carnotensium humilis Episcop. à summo Domino, Euge bone serve.

Placuit excellentiæ vestræ sciscitari à nobis quid agendum sit de quodam viro, qui filium suum tenendo ad confirmationem factus est de patre patrinus, videlicet utrum ab uxore sua matre ejusdem pueri sit separandus, an non. Nos vero quod sancti patres de tali causa statuerunt, id censemus esse tenendum. Invenitur ergo statutum in Concilio Leptinensi, *cap.* 7. sub Zacharia Papa sub principe Carolo magno hoc modo: Si quis filiastrum aut filiastram suam ante Episcopum ad confirmationem tenuerit separetur ab uxore, & alteram non accipiat. Simili modo & mulier alterum non accipiat. Item in eodem: Nullus proprium filium, vel filiam de fonte baptismatis suscipiat, nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem, nec illam cujus filium, vel filiam ad confirmationem tenuerit. Ubi autem factum fuerit, separentur. Credo ista tibi sufficere, pauca sapienti. Vale.

Epist. XXXIV.

Luthericus Senonensium Archiepiscopus & Fulbertus Carnotensium Episcopus Clero sanctæ Parisiensis Ecclesiæ temperantiam in prosperis, fortitudinem in adversis, charitatem ubique.

AVdivimus charissimi, famam injuriarum, quas patitur Episcopus vester, & corde compatimur: vos quoque illas ita sentire credimus, sicut fideles filius, & bono capiti bene cohærentis membra. Sed miramur quare in tanto mœrore constituti, nec ad nos petendæ consolationis causa venistis, nec saltem literas direxistis. Nam neque plaga vestra tanta est, ut invenire nequeat consulationis remedium, neque verus medicus ille dereliquit Ecclesiam, qui se nobis omnibus diebus usque ad consummationem sæculi promisit adfuturum. Miramur iterum cur impios homines qui divinis sanctionibus adversantur, & in vestrũ pastorem contumaces existunt in communionem recipitis contra canonicam regulam, quam vobis ignorare nefas est, & periculosum solvere. Quod si putatis eos tandiu vobis in communione habendus, quousque ab Episcopo vestro palam excommunicentur, corrigit hanc æstimationem Petrus Apostolus in sermone habito ad Romanos de ordinatione Clementis his verbis: Quædam, inquit, fratres ex vobis ipsis intelligere debetis, si qui sunt quæ vester Episcopus propter insidias malorum hominum non posset evidentius & manifestius proloqui? verbi gratia, si inimicus est alicui pro actibus suis, vos nolite expectare, ut ipse vobis dicat, sed prudenter observare debetis, & voluntati eius absque commonitione obsecundare, & avertere vus ab eo cui ipsum sentitis adversum. Hæc & plura hujusmodi beatus Petrus in prædicto sermone. Nos autem fratres dum talia vobis proponimus, nolite æstimare, absit enim ut sinistrum aliquid de vobis suspicemur, sed officium nostrum facimus cum aut vos aut alios fratres nostros ad cautelæ vigilantiam excitamus. Non enim sine causa scriptum est Propheticum illud de pennatis animalibus, quæ se invicem alarum commotione contingunt. Vnde nos quoque invicem nobis rependi postulantes, agili pennâ exhortationis vos ad hoc excitare cupimus, ut sitis in lege Domini studiosi ad obedientiam & suffragium vestri pastoris pro amore devoti; ad resistendum verò adversariis eius sagaciter instructi, fideliter animati. Inter quos videlicet adversarios unus est nomine Lisiardus olim quidem Archidiaconus: qui cum esse deberet oculus Episcopi sui, dispensator pauperum, catechizator insipientium, apostatavit ab omnibus his, & factus est Episcopo suo quasi clavus in oculum, prædo pauperibus, dux erroris insipientibus: quia superba & contumeliosa maledicta in Episcopum suum iaculans, serenitatem speculationis eius turbat, decimas & oblationes altarium, stipem videlicet pauperum, suo Episcopo inconsulto sæculari militiæ tradit. Et cum talia facit, dat insipientibus erroris & perditionis exemplum, quibus impendere debuerat veræ scientiæ catechismum. Quid dicemus de iuramento fidelitatis, quod ita contaminat, ut Episcopo suo non corde, nec verbo, nec opere fidelis existat? Non autem de corde temere ipsius iudicamus, cum veraciter in sacro poemate dictum est, *Ex operum specie clarescunt intima cordis*, is itaque pro contumacia sua, qua pœna dignus sit, si ruina angeli non sufficit ad exemplum, contumacis Chore manifestat interitus. Pro perfidia vero sua & contumeliosa maledictione, quid meruerit, suspendium Iudæ, & sororis Aaron lepra testatur. O hominem infelicem nimium, cui tam horrenda tempestas divinæ ultionis incumbit. Condemnat illum testamentum vetus his verbis: *Qui maledixerit Patri, morte moriatur*. Condemnat illum lex Christianorum iudicum hac sententia: Si quis Episcopo aliquam injuriam, aut injustam dehonorationem fecerit, de vita componat, & omnis quæ habere visus fuerit, Ecclesiæ cui præeste dignoscitur, integerrimè socientur. Excommunicat illum Gangrense Concilium c. 7. & 8. degradat illum Cartaginense Concilium cap. 57. sed & alia plura. Quaproter & nos à sanctorum patrum sententia discrepare nolentes, consequenter illum à communione separamus, quantum nostræ potestati conceditur, donec resipiscat, & Episcopo suo dignè humiliatus satisfaciat: & nisi cito resipiscens ad satisfactionem venerit, in plenaria Synodo perpetuo anathemate feriatur. Mandamus autem vobis, ut ipsi Lisirdo has literas ostendatis, ut tam horrenda pericula, vel graviter admonitus exire meminerit. Patet enim adhuc evadendi locus, dicente Domino per Ezechielem: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit universa præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita vivet, & non morietur*. Et per Ioannem: *Filioli hæc scribo vobis, ut non peccetis. & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum iustum, ipse est exoratio pro peccatis nostris*. Et ipse Dominus ait: *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis, qui non indigent pœnitentia*. Certum enim habet Catholica fides, ut verbis beati Fulgentij utar: quia quocumque tempore homo egerit pœnitentiam, quamlibet annosus, si toto corde renuntiaverit peccatis præteritis, & pro eis in conspectu Dei non solum corporis, sed etiam cordis lachrimas fuderit, & malorum operum maculas bonis operibus diluere curaverit, omnium peccatorum indulgentiam mox habebit. Verum, ut ait Pater Augustinus, qui veniam pœnitenti promisit, dissimulanti diem crastinum non spopondit. Rogamus etiam fratres, ut dominum F. venerabilem Episcopum vice nostra salutare & confortare meminetitis; certo scientes sua tristis nostra esse, nostra prospera sua. Valete cum ipso.

Epist. XXXV.

Dilecto Patri & Coepiscopo suo, G. Fulbertus vivere, & valere.

VEster clericus propinquus noster F. ad nos veniens eo se gratiosiorem exhibuit, quo de vobis bene per omnia nuntiavit. Vnde nunc illum salutationis gerulum facientes, & claritati vestræ comparati munosculis exorare volumus, si non est importunum, ut eam gratiam sibi sentiat prodesse, quam apud vos iamdudum nos credimus habuisse. Vale.

Epist. XXXVI.

Charo Patri & Coepiscopo suo Guidoni Fulbertus.

SI diaconu qui se presbyterum simulavit, missamque celebrare præsumpsit, modum pœnitentiæ in divinis legibus proprie statutum non invenimus, per ratiocinationem similium sic æstimare possumus. Chore, Dathan & Abiron judicio Dei condemnati, & horribili morte mulctati sunt, eo quod Aaron sacerdoti se comparare, ejusque officium usurpare præsumpserunt. Hic autem Levita more illorum illicitè sibi sacerdotium usurpavit. Quis ergo in isto dubitet esse mortale commissum, qui in illis Deo judice videt morte punitum? At quia jam Salvator noster, qui venit salvare quod perierat, non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat; clementer agitur ut degradentur hujusmodi, & inter laicus pœnitentiam agant. Sed ne nimis austeritatem veteris legis hæc ratiocinatio sapere videatur, proponamus & nova. Legitur in quodam capitulo: Statutum sæpissime & inhibitum est, ut missarum celebrationes in locis incongruentibus omnino non fiant. Et quibusdam interpositis sequitur: Quia sicut non est concessum, ut alij missam cantent

&

A & sacrificia consecrent, quam illi qui ad hoc ab Episcopis sunt consecrati: ita non est licitum vt in aliis domibus, vel altaribus, aut locis missas celebrare præsumant, quam ab Episcopis consecratis, &c. In fine capituli: Si quis ergo post tot prohibitiones hæc decreta apostolica, & synodali auctoritate renovata temerare præsumpserit, gradus sui periculo subjacebit. Videmus ergo capitulum novæ legis, vetustæ congruere, nec opus est amplius quid de illo diacono faciendum sit dubitare. Est enim procul dubio extra chorum deponendus, pœnitentiâ plectendus. Quod si de longitudine pœnitentiæ quæstio fiat, meminisse debemus illius sententiæ, quæ ad hanc quæstionem respondet hoc modo: Mensuram temporis in agenda pœnitentia idcirco non satis attentè præfigunt canones pro vnoquoque crimine, sed magis in arbitrio Antistitis statuendum relinquunt: quia apud Dominum non tantum valet mensura temporis, quam doloris: nec abstinentia tantum ciborum, sed mortificatio potius vitiorum. B In vestra ergo manu situm est, pœnitentiam eius vel breviare, vel protelare, iuxta quod eum in pœnitendo diligentem, seu negligentem videritis. Valeat sanctitas vestra.

Epist. XXXVII.

Dilectissimo Patri & Coepiscopo suo Guidoni Fulb. orationis suffragium.

Rogamus charitatem vestram pro his servis Ecclesiæ nostræ, qui sub vestra potestate degunt: vt eis patrocinari dignemini, & vt nobis constituatis terminum post octavas beati Martini, quando, & vbi nostri legati possint occurrere vobis, ad definiendam causam eorum quæ propter obitum antecessoris vestri indefinita remansit. Rogamus etiam ne nobis scripto significare gravemini, cur Sylvanectis non fuerit sacratio vestra. Vale.

C

Epist. XXXVIII.

Egregiè dilecto Coepiscopo suo Guidoni, Fulb.

Amor iustitiæ, qui tuam Pater animam imbuit ab nativitate, fecit eam inoffensam, & ab excessibus captam: cuius rei fidem cum ex aliorum dictis, tum ex literis tuis evidenter accepi: sed ab ordinatione Ebali Remensis Archiep. non valde tibi metuendum puto esse, si est, vt dicitur, à Christianis ab infantiâ Christianus, sano sensu sacris literis eruditus, sobrius, castus, amator pacis, & dilectionis, nullo crimine, nullâ infamiæ notâ turbatus, tandémque à Clero & populo suæ civitatis electus. Magni etenim viri vt optimè nosti, Ambros. Mediolanens. & German. Antissiod. aliique nonnulli, quia tales in laïco habitu extiterunt, subito nobis sancti Præsules exierunt. D Dominus verò Papa, cuius animadversionem te revereri significasti, non est quod tibi meritò debeat succensere, si te graviter collapsæ sanctæ Remensi Ecclesiæ aliquam spem resurrectionis audierit providisse. Vale in perpetuum memor mei vere fidelis tui: illi quoque valeant, qui tuam memoriam mihi commendaverunt.

Epist. XXXIX.

Venerabili Bituricensium Præsuli G. Fulb. Carnotensium humilis Episcopus incrementa virtutum.

Legatum vestrum diu detinui, quia Salomon Abbas cum quibusdam Monachis aberat, sine quorum consultu vobis responderi non oportebat. Quos ubi redierunt, commonui ut sese ad audientiam præsentarent contra dominum Tedfridum, ipsi vero responderũt se messivo tempore occupatos, lites ad præsens agitare non posse: sed idib. Octobris in Aurelianensi concilio E quod futurum esse destinavimus, constituent vobis proximum audientiæ & diem & locum: tantummodo fratrem suum Dodonem, qui est apud vos reddatis eis iuxta prædictum terminum. Interea oblatæ sunt nobis quædam litteræ sub vestro nomine conscriptæ ad domnum Arnulphum Abbatem sancti Petri, significantes vos excommunicasse Monachos nostros. Sed auctoritatem qua vobis id liceat, me non memini vidisse. At si apud vos habetur, nobis eam debetis ostendere: ne fortè si non ostendatur, aut temerè aut minimè excommunicati esse dicantur. In litteris etiam quas mihi nuperrimè direxistis, confictam inveni reprehensionem meam de ordinatione Salomonis Abbatis hoc modo. Miramur quâ auctoritate fieri potuit, ut sine audientia subditus prælato præpositus sit. Quod ut puto mirari non debetis, quia non est: sed illud potius attendere, quod est. Non enim hoc sine audientia factum est. F Neque subditis Salomon Tedfrido adhuc prælato præpositus est. Dominus namque Tedfridus à suis Monachis criminatus, ut scitis, apud me de infamia sua querimoniam fecit, eorúmque maliciam se ferre non posse dicens, sub audientia mea & eorum qui mecum erant prælationi suæ perpetualiter renuntiavit, asserens Abbatem Monachorum Bonæ vallis ulterius se non esse futurum. Sicque petitâ a nobis migrandi licentiâ transivit ad vos. Monachi vero qui in Bona valle remanserant, hoc scientes alium quendam ex fratribus suis electum, eo quod irreprehensibilis esse videbatur, obtulerunt Odoni Comiti Abbatiâ illâ donandum, ut mos erat, mihique deinde consecrandum. Is interim locum pastoris tenet. Si quis ergo est qui me super hoc facto præsumptionis arguat, noverit me respondere paratum & hoc tam ratione quam auctoritate approbaturum. Quòd si quis Abbatum vel animi vel corporis ægritudine molestatus, prælationem suam in perpetuum renuntiando deserat, Episcopus ipsius diœcesis in loco eius alterum debeat ordinare. G Valete.

Epist. XL.

Vita pariter & doctrina meritis venerando Abbati, & Archiepiscopo G. Fulbertus humilis Episcopus vtriusque officij præmia gloriosa.

Si de mea dilectione confidis Pater, sicut litteræ tuæ significant, securus esto, quia rem tenes, non te fallit opinio. Proinde quicquid à me competenter exposcis, facilè impetras, & nunc quidem specialiter de audientia domni T. venerabilis sacerdotis, ne queratur diutius defraudari oportunitate iudicij. Quod ego sibi hactenus, Deum testor, non insidiando distuli, sed providendo dissuasi, sciens quia causa eius infimæ turpitudinis est, & sentinæ modo, quo amplius agitatur, eo dirius fœtet. Nec verò turpis tantum, sed H & periculosa est, adeò, ut si venerit ad iudicium aut ipse aut accusator eius, cum magna sit contumelia degradandus. Hoc itaque providens, & illud evangelicum mente revolvens, Nolite iudicare, nolite condemnare & cætera, hærebam timoratè suspensus & expectans, ut Dominus tantum dedecus Ecclesiæ suæ publicâ discussione, vel insultatione piaret. Nunc autem impatientia domni T. non permittit hoc fieri, sed pertinaciter instat, ac piè dissimulantes ad iudicium vehementius urget, Tantum ergo quamvis invictus & coactus cedo, diémque & locum ut rogasti constituo, iam non audens relinquere indiscussum, quod Deum puto nolle præterire inultum. In perpetuum Vale.

Epist. XLI.

Fratri & Coepiscopo suo, F. Fulbertus.

Quod ad præsens vestrum placitum non adeò de malitia huius temporis ortæ difficultates obsistunt, vobis exponendæ per otium: sed quod præsens

dicerem, per hos apices significare curavi. Defensores legum paucos, impognatores vero plures esse videtis. Quinetiam Dominus noster Rex, cui summum iustitiæ caput iocumbit, perfidià malorum sic circumventus est, ut ad præsens neque se vindicare, neque nos ut oportet adjuvare prævaleat. Non hæc ideirco dixerim, ut fortitudinem animi vestri frangere velim, sed ut sanà discretione causam vestram tractare memineritis. Igitur si Abbas sancti Benedicti de vestro contemptu culpam suam recognoverit, & illam deinceps subiectionem promiserit, quæ vobis Canonice debetur, hortor & suadeo ut recipiatis: Sacramenta verò, & cætera quæ ad mundanam legem pertinent, propter amorem regis Domini missa faciatis: ut religionem magis quam sæcularem ambitionem vos sectari cognoscat. At si Abbas in tantam superbiam intomuerit, ut ipsam quoque subiectionem Canonicam vobis derogare contendat, superbiæ, cui non parcit Deus, Dei servus quomodo parcat, nescio. Valete.

Epist. XLII.

Patri & Coepiscopo Franco Fulbertus Episcopus.

Gauleranno misi litteras huiusmodi, *Fulbertus Episcopus Gaul. plus honoris quam sit meritus. Rogo frater & moneo, ut emendes culpas quas habes contra Dominum & me & Parisiorum Episcopum qui complanctum facit de te. Quod si non feceris ante mediam quadragesimam, abinde faciemus de te sicut de homine qui graviter peccat, & non vult emendari.* Si ergo G. se non iustificaverit vobis ante terminum præscriptum, tunc facite de illo ministerium vestrum. Valete quam plurimum.

Epist. XLIII.

Fulbertus Dei gratiâ Carnot. Episc.

Venerabilem Patrem & Coëpiscopum suum F. cum venerit Dominus invenerit vigilantem. Commonitus à legato vestro à vobis de iustitia prosequenda in diem & locum destinatum à vobis respondit se esse præmonitum ab Odone Comite sub nomine Sacramenti de facienda expeditione contra Fulconem circa eundem diem. Verùm infra octo dies ex quo illa expeditio vel facta erit vel omissa, venturum se esse ad iustitiam pollicetur. Sed quando ille promissionis suæ adimplendæ terminum fixum non statuit, & multæ causæ protelationis incidere possunt, vel certè quæ nobis conveniendi adimant facultatem, suademus si honestè fieri possit, per vestros necessarios rem accelerare, & vestrum vobis Casatum firmiter alligare. Nescitis enim quid fortuna parturiat. Valete.

Epist. XLIV.

Sancto & sapienti viro G. Abbati & Archiepiscopo F. humilis Episcopus veræ dilectionis affectum.

Noverit prudentia vestra, sancte Pater, quod dominus T. Abbas discedens tristitiam nobis reliquit & lachrymas: non quod innocentiam eius si esset, nequiremus facere tutam: sed quia culpam nec purgare nec tegere poteramus. Vnde si vestro ducatu quasi ad examinationem venire affectat cum periculo sui gradùs, & communi dedecore sacerdotum, conatus eius inefficaces sagaci ratione compescere vos oportet, servantes illud Apostolicum:
Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, &c. Vale.

***

Epist. XLV.

Domino Patri & Coepiscopo suo A. Fulbertus omnium expetendorum summa.

Gaudeo signis officij vestri curam habere monentibus, quod me alloqui vultis, quod querimoniæ nostræ finem facere, quod incesta connubia castigare. Sunt enim hæc studiosi, iusti atque casti animi indicia. Et quia me his gerendis diem, locúmque statuere voluistis, sit dies in X. Kalend. Martij, locus Masiugiaci. Quòd si occurritis Haimonem adducere mementote: alioquin resignate mihi tempestivè, ne frustra viam tanti laboris ingrediar. Valete.

Epist. XLVI.

Adaro Laudunensium Præsuli Fulbertus Carnotensium sacerdos.

De grandi iniuria nobis facta conquerimur apud te, magne Pater, quem ex debito charitatis & officij talia curare oportet. Causa vero huiusmodi est. Quodam Ecclesiæ nostræ subdecano defuncto, petiit à nobis R. Silvanectensis Episcopus dari sibi, aut fratri suo ministerium eius. Nos autem respondimus non convenire sibi, eo quod Episcopus esset, neque fratri ætate adhuc & moribus immaturo. Tunc elegimus de numero sacerdotum nostrorum ad illud officium faciendum, quendam scientem ac religiosum virum. Quod factum prædictus R. matérque, fratri ipsius adeò inviderunt, ut sancto viro coram pluribus qui testes inde sunt, terribilia minarentur: Et dictum facto non caruit. Venerunt enim de civitate Silvanectis ad nostram quidam ex domesticis eorum sic necessarij, ut absentia illorum nec per unum diem ignorari potuerit, qui interdiu quidem latuerunt, sed profundà nocte egressi, sanctum illum Presbyterum more solito venientem ad Ecclesiam, quasi lupum rapidum lanceis falcatis, & gladiis in ipso atrio principalis Ecclesiæ trucidaverunt. Clerici autem eius qui expeditum Dominum tarde secuti sunt, invenerunt eum adhuc extrema verba protomartyris Stephani replicantem. Porrò carnifices præsidio noctis incogniti iam diffugerant, & cui crimen hoc intenderetur, erat incertum, cum quidam propter minas præteritas domum R. quæ erat apud nos suspectam habentes, repererunt in ea vernaculum quendam vestes suas & calciamenta tota siccantem. Ex quo signo conjectura est incœpta, cum ad causam huius lavacri dicendam homo acrius urgeretur, se facto de quo agebatur affuisse confessus est, sociósque prodidit, & ordinem rei gestæ exposuit. Nos denique totum hoc altius perscrutantes, pro certo ita esse comperimus. Comperimus inquam invidiæ livorem, fraudem malitiæ, sacrilegij nefas crudele, cruentum, & singulare facinus in occisione sanctissimi sacerdotis. Nunc ergo tanta causa quæ iudicio eius obscura non est, solam ut vides ultionem expostulat: Sed cum iuris sit ad utilitatem Reipublicæ cunctos punire maleficos, illos tamen vehementius exturbare necesse est, qui in Deum & sanctos eius tam impiè, tamque crudeliter audent. Quid enim mali ulteriùs, vel certè æque magnū excogitari queat? Multò nimirum sæviùs illi complices Chore peccasse videntur, quos tamen iudicio Dei terra vivos absorbuit. Nam si illi sanctos Dei contempserant, non utique trucidarant. Quòd si tales socordia, vel iniquitas iudicum reliquerit impunitos, cum hoc facere conspirare sit in contumeliam Dei, & exponere servos eius ad cædem, quid restat nisi ut ipsius summi iudicis ira desæviens & hos & illos inauditâ mortis atrocitate disperdat? Proinde nos quibus idem Dominus Ecclesiæ suæ Tribunalia commisit, apprime oscitantes sumus: Quòd ego te facere deprecor, magne Pater, cui Deus benè suadendi copiam incomparabilem

dedit,

A dedit simúlque ut ipse mecum prædictos maleficos citra legitimam satisfactionem excommunices, quos tamen usque in finem à communione privandos esse non nescis. Vale.

EPIST. XLVII.

Virtute magis prædito quam prædicato Præsuli A. Fulbertus.

VEstræ sospitati amicè gratulantes, valetudini quoque vestri fidelis & amici vestri Ebali, si divina benignitas allubescat, quanta novimus ope subvenire paravimus, mittendo Galleni potiones III.& totidem theriacæ diatessaron, quæ quid valeãt,& modus acceptionis vel servationis earum, in vestris antidotariis facilè reperitur, Volgaginem etiam petitam vobis mittimus, quamvis ætatem vestram tali tam vomitu fatigari non suademus, sed eo potius si opus sit allevari, qui frequenter & sine periculo fieri possit oximelle & raphanis valerianæ, quod seniori magis B conducibile est morantem alvum laxativis pillulis incitari. De quibus ultro vobis ferè nonaginta ublatis, cætera bona nostra vestra putate. Vale.

EPIST. XLVIII.

Venerabili Turonensium Archipræsuli A. F. humilis Episcopus semper agere prudenter ac simpliciter.

ET nunc quidem gratiâ Dei sic agitis, cum licet non inconsultu fratrum tamen consilia captatis. Respondemus itaque vobis,quia si pallium requisistis a Romano Pontifice, & ipse vobis illud sine causa legitima denegavit, propter hoc non est opus dimittere ministerium vestrum, ut si vestra tarditate nondum est requisitum, cautela est expectare donec requiratur, ne vos ex improvisò præsumptione arguere possit. Continentur enim quædam reverenda nobis in privilegii: Romanæ Ecclesiæ, quæ propter neglegenC tiam nostram non facilè inveniuntur in armariis nostris.Valete.

EPIST. XLIX.

Venerabili Silnanectensium Episcopo R.F.Dei gratiâ Carnotensium sacerdos.

QVia iudicio contendere magis quam veniam postulare statuistis, restat vobis convenire indices, qui præfixis loco & tempore nos in alterutrum legali ratione iustificent. Non enim usurpamus officium iudicis in isto negotio, sicut vos velle dicitis, cum nullus esse possit suæ causæ, & assertor & index. Verum enimvero satis admirari nequimus, quidnam mali est quod tam audacter ad iudicium properatis, nisi forte, quod abhorrere humanum est, publicè damnari eligitis quam secretà satisfactione purgari. Quid enim aliud in iudicio mereatur manifestæ culpæ odiosa deD fensio: Et vestra quidem culpa sic manifesta est,ut nullo excusationis genere valeat obumbrari. Vox enim sanguinis fratris vestri & sacerdotis Eurardi, postquam ad aures supremi iudicis ascendit, per totam Galliam vehementer infremuit. Qui ut certo scimus non est occisus ob aliam causam,quam ob vestræ cupiditatis iniustam calumniam. Viderint iudices utrum effectus referatur ad causam. Vale.

EPIST. L.

Venerabili Silnanectensium Episcopo R.Fulbertus Dei gratiâ Carnotensium sacerdos.

NOn oportet nostri ordinis viros in superfluis scriptitationibus occupari, multa enim & magna E negotia nobis expedienda,si non dissimulamus incumbunt. Sufficiant nobis super his unde agimus, litteræ nuper à nobis missæ, quarum erat extremitas. *Viderint iudices utrum effectus referatur ad causam.* Quæ enim ibi scripta sunt, aut ea legitima assertione confirmabimus, aut vos infirmare & pernegare patiemur, si data fuerit consilij iudiciique occasio: sin autem contenti erimus ea præmonuisse, quæ vos credimus emendare debuisse. Vale.

EPIST. LI.

Fulbertus Episcopus, Venerabili consacerdoti suo R. boni propositi finem optimum.

MVlier illa de cuius causa nostram humilitatem consulere voluistis, impedita est vinculo iuramenti, nec potest inire connubium sine crimine periurij, nisi per consensum, aut post obitum illius, cui se tali iuramento conditionaliter obligavit. Vale.

F

EPIST. LII.

Venerabili Rothomagensium Archipræsuli R. Fulbertus humilis Episcopus, si quod valet orationis suffragium.

PRocacitas G. cuius mihi mentionem fecistis, satis supérque fatigavit me de novis connubiis expetendis: sed ego semper obstiti, dicens non licere ei sua uxore vivente alteram usurpare. Nunc ergo tandem rogavit me seu callidè, sive simpliciter, ut sibi aut uxorem suam fugitivam redderem. aut eam si renuteretur excommunicarem. Alioquin diceret quod ego & illa faceremus eum mœchari. Conventa igitur de hac causa mulier, respondit mihi nunquam se redituram ad illum: & quia certo noverat mores suos cum moribus G. convenire non posse, velle se potius renuntiare sæculo & Monacham devenire, tantum Galerenus sibi vel centum libras nummorum Carnotensium ferendas ad Monasterium daret. Ego autem inter hæc G Monacham illam nec fieri prohibeo, nec compello,sed nec ut ad virum odientem peritura redeat, coarctare præsumo. G.autem sæpè mittit ad me licentiam ineundi connubij novi petens, illam se gurpisse, suámque pecuniam recepisse, licet verè protestans. Ego vero interdico ei licentiam istam, donec uxor eius aut Monachs facta sit, aut defuncta. Quorum utrum prius futurum sit, nescio. Si ergo de hac causa meum consilium vultis, quod ego facio, idem suos facere suadeo hoc adjiciens, ut si causam hanc acri censurà pertractare velitis, ex mea parte non contradictionem sed suffragium vos habere sciatis. Capitula canonum ad hanc causam pertinentia nobis subscribere non vacavit ad præsens, hostium persecutione turbatis. Scribemus autem & hæc, & alia libenter in obsequium vestrum,si Deus concesserit nobis salutem & pacem. Va-H lete.

EPIST. LIII.

Charo suo R. Fulb. Episcopus.

OCcupatus erga plurima paucis tibi sic respondere compellor. Ecclesiæ nomen extra quam veri sacrificij non est locus, interpretatione sua pluralitatem innuit. Sacerdotalis quoque salutatio qua Dominus vobiscum dicitur,non est unum solum,sed ad plures dirigitur. Sed & ille versiculus de quo mihi quæstionem fecisti planè sibi circumstantes requirit. Pro his ergo atque aliis hujusmodi non ex auctoritate quidem canonum quos mihi modo retractare non licuit, sed meo interim arbitratu tutius esse suadeo,te à missarum celebratione suspendere, quam eas sine duarũ saltem aut triũ fidelium attestatione celebrare. Scrupulus

A autem ille de offerentibus ita solvi potest, quod dum sacrificamus illi pro quibus agitur, per manus nostras offertur Deo sacrificium laudis. Hæc ad præsens me respondisse contentus aveto. Quòd si nova legendo vel retractando verum de his quippiam magis ratum invenero, tibi charitativè rescribam. At si, tu re prior aliquid tale repereris, eandem nobis exhibe charitatem. Vale.

Epist. LIV.

Venerando Remorum Archipræsuli Ebalo Fulbertus Carnotensium humilis Episcopus.

ANgustiæ tuæ compatiens Odonem Comitem arguendo conveni: respondit tandem quod in te deliquerat emendare se velle, & ad tollendam animi tui ægritudinem adjuvare: quòd maximè desideras, ut Remensis Ecclesia respiret ad pristinam dignitatem. Si hæc tibi facere voluerit, recipere suadeo, ut quam primum expeditus redeas ad officium tuum. B Deinde suggero, etsi non indiges, ut ad pacem pauperum componendam tota mente satagas, quos sui Reges, & Principes vehementer affligunt. Præterea Beroldo Episcopo referente, audivi sic te mœrore afflictum, ut curam gregis Domini relinquere velis. Quòd ego acriter & amicè redarguo, testans te si hoc egeris, non fuisse pastorem. Vale memor mei peccatoris in orationibus tuis.

Epist. LV.

Diligendo semper atque Venerando Remorum Archiepiscopo E. Fulbertus Carnotens. humilis Episcopus, communicare fontem intimæ charitatis.

DE vestra bonitate, non de nostro merito confidentes, deprecâmur optime Pater, ut notum C habere dignemini, hunc carum nostrum nomine Hubertum qui de patria sua causa discendæ honestatis egressus, & apud nos aliquamdiu demoratus, talem se nobis exhibuit, ut non minus quam frater uterinus amari, & honorari meruerit. Nunc verò eâdem causa permotus, Monasterium beati Remigij, quod vestrum est visitare disposuit: ubi si in aliquo fuerit indigus vestræ opis, sentiat quæsumus viscera pietatis. Vale.

Epist. LVI.

Venerabili Archiepiscopo Rothomagensium Rob. Fulbertus humilis Episc. fideles orationes.

COmpatior tibi sancte Pater insuper adversis quæ indignè passus es, præsertim ab eo qui & se, & sua tuæ fidelitati debuerat. Super illo quoque doleo D vehementer fratre & Coëpiscopo nostro dum staret, in tanta nunc flagitiorum, atque facinorum præcipitia lapso. Sed tibi Pater hæc vel magna consolatio est, quia si abstulit interiora non potuit. Habes enim ex Dei gratia charitatem qua ipsum errantem revoces; frenum Canonicæ districtionis, quo detrectantem coerceas; virgam, quâ ferias: his utere competenter, donec absolutionem promeritus dicere tibi gaudeat, *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Vale.

Epist. LVII.

Venerabili Leodicensium Episc. R. Fulbert. Carnot. omnia charitatis obsequia.

CVm dispersas oves sollicitè ac longi itineris labore quæritis, læti perpendimus, Pater, quod pastoris nomen negligentiâ non cassatis: de illa tamen E ove quæ in nostris pascuis observatur, fratrem A. subdiaconum loquor, securus esto, quia Dei gratiâ benè ruminat, & luporum insidias sagaciter cavet. Nec appelletis eum ultra militem fugitivum, quoniam accuratè se præparat ad debellanda coram Deo, & nobis agmina vitiorum. Veniet autem ad vos quantocius poterit, sed si nostra humilitas invenire queat gratiam in oculis vestris, simpliciter exoramus ut nobis eum remittere, ac vestris litteris commendare digguemini, ut præsentia eius sit pignus vestræ charitatis erga nos, ac nostræ fidelitatis erga vos in perpetuum. Valete.

Epist. LVIII.

Venerando Lexoviensium Pontifici R. Fulbert. Carn. Episc. salutem & fideles orationes.

PResbyteri Canonicorum nostrorum ex Ecclesiis quas habent in Episcopatu vestro venerunt ad F nos, dicentes, quod vos interdixistis eis ministerium suum, ideò quod de ipsis Ecclesiis non ferunt vobis Synodum, & nos quidem eam vobis iure solvendam esse non ignoramus: sed Tedoldus præpositus noster, ac vester servus, non benè rem intellexit hactenus, eo deceptus, quod nulla Ecclesiarum quas nostri Canonici possident in Episcopatu nostro obligata est hujusmodi debito, remittente videlicet antecessorum meorum pissimâ liberalitate. Sed ea quantalibet charitate fulta, quantalibet laude digna, vestro tamen iuri minimè præjudicat. Nunc itaque serenitati vestræ supplicamus, ut concedatis eis officium suum agendi licentiam, paratis amodo aut vestram synodum vobis reddere, aut in usus fratrum nostrorum necessarios retinere, si charitati vestræ placuerit, sanctorum Patrum meorum supra memoratum remissionis exemplum observare, si non merui, ut causa mei aliquid faciatis, G restat spem aliquando meritum iri opitulante gratiâ Christi. Valete charissime Pater, & mementote mei in orationibus vestris.

Epist. LIX.

Venerabili Parisiorum Episcopo F. Fulbertus humilis sacerdos.

DOleo super te charissime, cum te à pristina virtute apostatare video. Olim apud me conquerebaris de tuo antecessore, qui sacrilegâ temeritate, altaria laicis in beneficium dederat: nunc mihi suades vt ego similiter faciam. O cœlum! O terra, quid clamem, aut quid tuis meritis digno modo te obiurgare possim? sed compesco nunc ferventes animi mei fluctus, donec te præsentialiter exquisitis increpationum tormentis excruciem. Vale interim. H

Epist. LX.

Venerabili Patri & Coëpiscopo suo G. Fulbertus.

AD benedictionem Henrici Regiæ prolis voto quidem rapior, sed adversa me corporis valetudo retardat. Tentarem tamen vtcunque moderatis equitationibus eo pervenire, si non absterreret sævitia matris eius, cui satis creditur cum mala promittit, fidem facientibus gestis eius. Qua difficultate prohibitus, rogo vestram charitatem dilectissime, vt vice meâ suadeatis domno Archiepiscopo Remensi cæterisque primoribus, ne qua occasione differant benedictionem iuvenis supradicti. Spero enim illum Deo, & bonis hominibus placiturum. Vale.

A
Epist. LXI.

Sancto & Venerab. Archiepiscopo Leutherico Fulbertus Episcopus de virtute in virtutem progredi.

DE Guidone excommunicato nostro nos appellas
Reverende Pater, dicens quod Episcopali se ve-
lit examinari iudicio, & Ecclesiastica satisfactione
purgari. At nos precem tuam, seu verba minimè par-
vipendentes tibi respondemus nos eius libenter mise-
reri velle, sed examinationem eius vltra non curare.
Apud nos enim iam de ipso sicut de manifesto reo
optime factum est Episcopale, hoc est canonicum ac
decretale iudicium, dum illum secundum auctoritatem
canonum, ac decreta sanctorum patrum excommuni-
cavimus. Dicimus autem illum manifestè reum pro-
pter rationes subscriptas. Primóque quia causa cupi-
B ditatis eius fratris, ac matris quoque ipsius, occisus est
immerito noster Subdecanus. Deinde quia scivit in-
sidias illi prætendendas, nec mihi patefecit. Tertiò
quod insidiatores eius quos disturbare potuit, non di-
sturbavit, sed & præsentiâ suâ domum ex qua sanctæ
Ecclesiæ nostræ servire debuerat, eis receptandis do-
losè vacuam fecit. Quartò quod malo eius consensit.
His itaque modis nobis apertè reus comprobatur: un-
de vocatus & per sex menses expectatus dum confes-
sionis ac pœnitentiæ remedia à nobis quærere distu-
lit, iure meritam excommunicationis sententiam per-
tulit. Cùm ergo contradictis irrefagabilibus scilicet
causis, plures enim earum vere testes existunt parati
quemlibet resistentem convincere: cum ille inquam
propter has causas indubitabili crimine teneatur ob-
noxius, quis curet examinationem eius? an quia
manifesta culpa examinari egeat, an forte crederetur
examinatus si culpam se non habere peierando, cul-
pam accumularet, sed vt scientes aliquem peierare si-
C nant, ab animo sacerdotum religio prohibet. Iam
vero tam evidens peccatum, quæ purgatio maneat,
nisi confessio & pœnitentia? Hanc si expeteret, au-
diens extra civitatem sibi infestam me esse, propter
amorem Dei, cuius misericordiæ me commonefecisti,
adhoc apud me locum ejus reperiret, atque hæc ei
forsitan aliquando absolutionem pareret. Quòd si hoc
noluerit, quando tu consilium statueris de maioribus,
& melioribus tractaturus cum illis & hæc recensurus,
adero tecum si mandaveris. Et si quid in illum actum
est, benè stat, astipulatione tuâ nitatur, sin minus cor-
rigatur. Vale.

Epist. LXII.

Fratri Theoderico, Fulbert. sacerdos.

QVod te pridem ordinare noluimus, mirantur te-
cum, vt aiunt, amici tui, insuper & Dominus
D noster Rex, & cur omissum sit, causam ignorantes
omnes fere id iniustè, ac contumeliosè factum cla-
mant. Nos vero qui non iniustè, nec contumeliosè
factum esse scimus, non vnum tantum, sed plures ve-
ras & autenticas inde reddimus rationes, quæ tibi, &
illis finem recti persuadeant, ac à prava suspicione
removeant. Vna igitur causarum hæc fuit, quia die
illo quo sacrandus esse videbaris, comprovincialium
Episcoporum qui aberant, nec litteras, nec legatos
habuimus. Quod solum tantum valet, vt si nullo am-
plius adminiculo indigeres, tamen sine isto regulari-
ter ordinari non posses. Talem enim ordinationem ir-
ritam esse testantur Niceni Concilij capitulum quar-
tum, & Antiocheni nonum decimum. Hæc tamen
causa datis induciis corrigi potuisset. Altera fuit, quod
sub ipso deliberatæ ordinationis articulo propter cri-
men homicidij, quod audierat, missum à domino Pa-
pa vidimus interdictum. Quod si ille non mitteret,
E esset tamen observanda sententia Apostoli dicentis,
oportere non solum Episcopum, sed Presbyterum quo-
que, & Diaconum sine crimine esse. Nec spernendum
illud quod apertissime scriptum est in Rhegiensi con-
cilio his verbis: *Qui deinceps non provehantur ad sa-
cerdotium ex regulis canonum, necessario credimus inse-
rendum, id est qui in aliquo crimine detecti sunt*, & cæ-
tera, vsque *subiacebit*. At si quis obiiciat aliquem ex
Patribus post peractam pœnitentiam, & longam ana-
chohoresim propter religionem suam raptum fuisse ad
Episcopatum: respondetur quod legi communi & vni-
versali singulares personæ vel causæ non præiudicant.
Deinde certè quod nihil esset exemplorum inductio,
vbi neque personarum neque negotiorum similitudo
consequitur. Nunc cætera videamus. Tertiam nobis
causam tua confessio dedit, quæ nos maximè à tua
ordinatione deterruit: Nam pro captu nostræ simpli-
citatis cæteras quidem graves, sed tertiam hanc
F magis periculosam esse rati sumus. Proprium capitu-
lum huius causæ noluimus ascribere, sed commune
hoc est Concilij Niceni capitulum nonum: *Si qui
sine examinatione promoti Presbyteri sunt, & postea
examinati confessi sunt peccata sua, & cum confessi non
fuissent, contra regulam venientes homines manus eis te-
merè imposuerunt, hos Ecclesiasticus ordo non recipit.*
In omnibus enim quod irreprehensibile est defendit
Ecclesia. Quartum verò promovit proscriptio refra-
gantium clericorum & extorta timore electio, verum
non electio. Nam cum sit electio unius de pluribus
maximè complaciti secundum liberam arbitrij volun-
tatem acceptio. Quomodo electio rectè dici possit,
ubi sic à Principe unus obtruditur, ut nec clero, nec
populo nec ipsis summis Sacerdotibus ad alium defle-
ctere concedatur. De violentia huiusmodi Constan-
tinus Augustus talem contra se, & contra alios Prin
cipes sententiam dedit. *Quæcunque*, inquit, *contra le-
ges fuerint à Principibus obtenta, non valeant.* Et
G Rhegiense concilium. *Sed nec ille*, inquit, *deinceps
Episcopus erit, quem nec clerus nec populus propria ci-
vitatis elegerit.* Ecce tibi promissas rationes exsolvi-
mus. Quæ si iustæ sunt, displicere non debent. Ad-
iecimus etiam pauca propter brevitatem capitula di-
vinæ legis. Quam primo quidem condere magni
consilij, postes violare summæ irreverentiæ, servare
hactenus gloriæ tantæ fuit, ut quisquis secundum il-
lam vixerit, proculdubio inter beatos computatus
sit. Propter has itaque rationes non audentes tibi
manus imponere nepote deinceps ordinandi potentia
carituri, prævaricatores legis esse noluimus. O sacri-
legam impietatem! in ipso sinu sanctæ Matris Eccle-
siæ à fautoribus tuis penè perempti sumus: & quidem
ita carum fuit evasisse vivos, ut subsecutæ prędæ le-
vis esse iactura videatur: sed quia hæc scandala prop-
ter te nobis fiunt, iam ut desistant te apud eos obti-
nere oportet, apud quos hanc persequendi sacerdotes
H gratiam invenisti. Nosti enim quid portendatur ho-
mini per quem scandalum venit. De cætero autem,
frater est quod te celare non debemus, vidêris enim
nobis vehementer errare, qui sine respectu Dei præ-
sulatum violentus invadis. Nam si sola damnatur am-
bitio, quid de violentia importunitate censebitur?
Verùm non solum hoc, sed in ipsa violata nec postea
reconciliata Ecclesia, missarum solemnia celebrare
præsumis: utrum tamen imprudenter, ac consulto fa-
cias hæc, habemus incertum. Sed si imprudenter,
instruenda simplicitas: si verò consulto, præsumptio
est punienda. Nam si te canones scire constat, & ta-
men imprudenter obsordescere & contraïre conten-
dis, non modo præsulatum fugientem non assequêris,
sed nec quod apprehendisse debueras, Presbyterium
tenuisti. Vale

Nota. *Numerum epistolæ sequentis eundem esse cum
præcedenti, tam in exemplari Coloniensi quàm Parisiensi*

A

Epist. LXII.

Venerabili Aurelianorum Episcopo T. Fulbert. Carnotens. sacerdos obsequium dilectionis sine fuco dissimulationis.

GRatulor diligentiæ tuæ, licet inter multa adversantia sua strenuè capessenti, me quoque de negotiis ad me pertinentibus amicè commonenti. At ego commonitionem tuam benignè suscipiu; in cæteris quidem quæ mihi scripsisti libenter tibi prout decuerit & tempus erit, obtemperaturus. De processione vero Ecclesiæ nostræ ad vestram fieri solita, Clericos nostros conveniens audivi ab eis quod optimè noveram, & te ipsum æquo animo concredere volo: videlicet quod damnatis incendiu, & ad Ecclesiæ B restaurationem inhiantibus, aliisque plurimis miseriis validâ necessitate occupatis, processio non fit ad præsens facilis, successu vero prosperæ facultatis cum magno gaudio ac debita devotione se illam facturos. Vale cum beatissimo Clero tuo, & grege tibi commisso, cohortans eos orare Deum, ut liberet nos ab adversis nostris.

Epist. LXIII.

Dilectissimo Fratri & Coepiscopo suo T. Fulbertus.

ILlatam vobis iniuriam verè meam facio, compassionis affectu, in eis qui sacro ordini fecere contumeliam zelo fervens: sed nec vobis utile esse video, nec mihi tutum ut zelus noster ad vindictam excommunicationis erumpat. Expectandum, & commonitoriis C utendum esse reor, donec illos aut pœnitentia corrigat, aut summi iudicis sententia mulctet. Vale.

Epist. LXIV.

Venerabili Coepiscopo suo O. Fulbertus.

DE causa unde simplicitatem nostram consulere voluistis, in sexto libro capitulorum nonagesimo primo ita scriptum invenimus. Si vir & mulier coniunxerint se in matrimonio, & postea dixerit mulier de viro non posse nubere cum eo, si poterit probare quod verum sit accipiat alium, eo quod iuxta Apostolum non potuit illi reddere vir suus debitum. De profectione autem nostra ad sanctum Hilarium, præfixum adhuc terminum non habemus. Vivite feliciter in Christo Iesu Domino nostro. Vale.

Epist. LXV.

Dilectissimo Coëpiscopo suo O. Fulbertus, ex D *animo quicquid verum amicus.*

PRimum gratias ago charissime, quod nobis ad concilium & comitatum & obsequium pollicemini. Quod dum facitis, ingenità benignitate vestrà multum nos hilaratis: & nobis quidem desiderium esset memorato concilio interesse, sicut etiam venerabili Archiepiscopo nostro Leutherico in audientia vestra nos dixisse meminimus, sed difficultates ex malitia huius temporis obortæ non sinunt. Quod etiam vos illi notum facere precamur ne sit nostrà expectatione suspensus. Cæterùm exoptabilis colloquij vestri opportunitatem in præsens non habemus, nisi fortè vobis Novigentum placuerit propinquare Vale.

⁂

E

Epist. LXVI.

Dilecto suo O. Fulbertus.

QVod vobis olim charissimè per veredarium vestrum litteras non remisi, id causæ fuit quia vos quam primum visere destinabam, idque etsi diu distuli, desiderare non destiti. Sed interim vos scire volo quod utique velle scio: me scilicet ad præsens Dei gratiâ bene valere vestris obsequiis spiritualiter iostaotem corporaliter apparatum, sicut nemo fideliùs excepto illo sancto Monachorum Archangelo Odilone, cui me in nullo comparare præsumo. Cujus etiam charitas si qualiter afficiat animam tuam aggrediar dicere, deficit ne rem inenarrabilem videar velle narrare. Plura me scribere prohibuit tam multiplex F negotiorum occupatio, quam etiam legatus morarum impatiens. Sed hoc unum tandem apud vestram benignitatem deprecor, ut cum nostrum Archangelum vice nostrâ salutaveritis, cum simplicitate Monastica hilaritatem Angelicam quæ vobis præsto est induatis. Valete prosperè in virtute Dei.

Epist. LXVII.

Venerabili Patri suo Odiloni Fulbertus Sacerdos non meriti confidentiâ, sed pietatis affectu præsumptum orationis suffragium.

MAgnum mihi desiderium fuit, & adhuc quidem est ad vos veniendi, sed obortæ nuper in nostro Episcopatu dissensionum causæ, propositum iter omittere coegerunt. Quòd vobis quam primum his pauculis apicibus significare curavi, ne sublimitas vestra sit ad præsens de meæ pusillitatis expectatione G suspensa. Veniam autem aliquando si licuerit ad vos, quos verè inhabitat Spiritus Sanctus, consilium divini oraculi petiturus. Valete in Domino semper, iterum dico valete.

Epist. LXVIII.

Prudenter & præclarè Magnifico Patri O. Fulbertus suus.

VT ab alio liberaliter acceptus, sic nunc quas opere nequeo, affectu saltem gratias recompenso. Tali enim apparatu in Epistola tua dignatus sum, quali non festivior expectetur in ferculo Salomonis inter organa vatum, & ardentes cincendelas virginum. Angelicum mihi manna posuisti non sine mystica dape columbarum ac turturum. Propinabas interea charitatis nectar. Quo inhiantet hausto & ad cordis interiora transmisso, si non Prophetice ut David ver- H bum bonum, Panegyricè tamen ut fit, & imprecatoriè sicut filio refocillatus Israël tibi Patri filius eructare gaudebam. Paterna deinde cura significasti te meæ valetudinis habitum sagaciter explorasse, atque ubi vitalis calor aliquod in me dabat sospitatis indicium gratulari, dolere morbi signum & formidare periculum. Nec verò tandem benignitas tua plagam meam relinquere passa est suæ curationis exortem, quin arte divina mirabiliter usus liquorem quendam instar vini Samij prius infudisti, qui indigestum humorem excoqueret, dehinc alterum olivo persimilem, quo totus omnino tumor atque dolor mitigatus abscederet. Nunc ergo tuâ curatus industriâ, tuis epulis recreatus, dignum duco ut omnes meæ vires tuæ voluntatis semper adminiculentur effectui. Nec aliquatenus à tua sententia discrepaturum ire statuo: quæ te cum Domino quantum homini datur, idem velle atque nolle confido. Decet itaque Pater, ut tu quoque vicissim me tuum servulum de te pendentem, téque non sine magna fiducia respectantem, sacris intercessionibus

adjuves.

A adjuves. Sum enim valde miserabilis homo, qui cum
ad propriam non sufficerem, ad publicam curam
nescio qua seu ratione, seu temeritate perductus
sum, idque certè est neque dissimules, quod te spe-
cialiter mihi facis consilij atque auxilij debitorem
qui te suasore non desero hunc laborem. Vale.

Epist. LXIX.

Sanctissimo atque dilectissimo Patri O. Fulbertus humilis sacerdos orationis suffragium.

VOlebam vobis occurrere Pater, vt mandavi per
R. Diaconem meum: sed domestici mei novo
quodam rumore permoti, nec me iter ad præsens age-
re,nec su itineris mei fore comites adquiescunt,donec
tutiùs id fieri posse perpendant.

B

Epist. LXX.

Fulbertus indignus Episcopus ineffabiliter charo Patri, & Domino suo O. cum Cherubin & Seraphin odas loqui.

QVantas animo concipere possum tibi gratias ha-
beo sancte Pater, qui meo arbitratu tædiosam &
vix tolerabilem importunitatem meam quasi pro deli-
tiis habes: servóque & sua tibi debenti omnia versa
vice Dominus paras obsequia. Verè vivit hic, & ful-
gurat illa fortis & speciosa charitas, quæ secundum
Apostulum patiens est, benigna est, & cuius vigor
nunquam excidit: hac denique præsentialiter fruendi
desiderio maceror, sed gravi ad præsens difficultate
detineor. Malefactor enim ille Gaufridus, quem pro
multis facinoribus excommunicaveram,incertò vtrum
desperatus, an versus in amentiam, collectâ multitu-
dine militum quo ducendi essent ignorantium, villas
nostras improviso incendio concremavit, nobisque
quantas potest machinatur insidias. Super his itaque
C ne tantæ causæ indiscussæ, vel inultæ remaneant, ne-
cessariò mihi conveniendus est prorsus Odo Comes.
Quòd si dissimulaverit, restabit, Regis & Richardi
rogare patrocinia. Quod si isti quoque opitulari ne-
glexerint, quid melius mihi restet non video, quam
hæc missa facere, & Christo secretiùs deservire. Va-
lete.

Epist. LXXI.

Quem iugiter in sinu memoria fovet Domino Abbati G. Fulbertus Carnotensium sacerdos abundantiam charitatis.

PEregrinus quidam frater nomine Hermengand
nos consolationem petiturus adiit, vultu, sermo-
ne, & habitu pœnitentis. Sentus enim & squali-
D dus, pallentique macie deformatus, suâ culpâ de ve-
stri cœnobij paradiso se conquerebatur expulsum: in
corpore fesso morientem animam circumferre. Quòd
verbum interitûs admittentes compassione carere,
vósque pro illo non rogare nequimus. Precamur ita-
que si vis, si fas est, in nomine eius Domini qui iux-
ta est his qui tribulato sunt corde, ut paternâ pieta-
te recipiatis hunc filium iam tandem sero postliminio
revertentem: quo de converso peccatore non tantum
Angeli Dei, verum etiam ipsi fratres, quorum
propiùs interest, gratulentur. Valete
memores vestri, nostri
non imme-
mores.

E

Epist. LXXII.

Fulbertus Dei Gratiâ Carnotensium Episcopus, Richardo Abbati,& omnibus sancti Medardi Monachis orationis suffragium.

QVaudin de vobis quæ de bonis & sapientibus vi-
ris audinimus, gaudentes Domino gratias age-
bamus. At nunc sinistro rumore * læti vestrum peri- * Locus obscurus.
culum formidamus. Dicuntur enim vestri domestici
atrium & Ecclesiam beati Medardi cruentâ cæde vio-
lasse. Dicitur de vobis quod in eadem violata Eccle-
sia sine Episcopali reconciliatione Deo sacrificare
præsumitis. Quod si verum est, profectò præsumptio
ista & nova est, & nimia, & bonis omnibus inse-
ctanda. Quid enim mali est quod in sancta Ecclesia
machinari incipitis? Vultis dare partes laicorum
Presbyteris, Presbyterorum laicis? Vbi vobis conce-
F ditur Ecclesiam aut novam dedicare, aut profanatam
reconciliare? Sed nec oratorij quidem domum vobis
ædificare, nisi per Episcopum licet. Positi namque
estis omnino sub potestate ipsius, qui, vt ait Hiero-
nymus, potestatem habet peccantem monachum tra-
dere Sathanæ in interitum carnis. Sed ne parvâ au-
ctoritate fretus hæc dicere videar, testem mihi allego
magnam Synodum Calcedonensem duodetriginta Epi-
scoporum sub Papa Leone sub Martiano principe
celebratam, in qua Euthices Abbas Constantinopo-
litanus condemnatus est. In qua etiam de supradictis
causis sancitum est: Placuit neminem aut ædificare,
aut constituere monasterij domum sine conscientia
ipsius civitatis Episcopi. Eos vero qui per singulas
civitates seu possessiones in monasteriis sunt, subje-
ctos esse debere Episcopo, & quieti operam dare, at-
que observare ieiunia & orationes in locis in quibus
semel Deo se devoverunt permanentes: & neque
G communicare,Ecclesiasticas sæculares aliquas attrecta-
re actiones, relinquentes propria monasteria, nisi
fortè iubeantur propter urgentes necessitates ab ip-
sius civitatis Episcopo. Item in eadem: Iubemus mo-
nasteriis aut martyriis constitutis, ut in potestate sint
eius, qui in ea est civitate Episcopus secundum tradi-
tionem sanctorum patrum: ne per præsumptionem re-
cedant à suo Episcopo. Eos vero qui ausi fuerint
rescindere huiusmodi institutionem, quocunque mo-
do, vel si noluerint subjacere proprio Episcopo: si
quidem fuerint clerici personarum ordinatione subja-
ceant condemnationibus canonum: si vero laici vel
monachi fuerint, communione priventur. Poteram
alia multa de legibus divinis huic rationi firmamenta
subnectere, sed brevem me scribere memini. Et, ut
ait Isidorus, sicut militi illa arma sufficiunt, quæ fer-
re ad tempus cōngruenter potest: sic nobis de multis
H sententiis paucæ, prout tempus exegerit. Nunc vo-
bis charitativè volo suadere, ut sano consilio præ-
beatis assensum: ad subjectionem Episcopi vestri sim-
pliciter redeatis. De præterita culpa requiratis ve-
niam: de futura assumatis cautelam; ut & vobis fiat
quies de obèdientia, & nobis de vestra quiete lætitia.
Alioquin pro certo sciatis, quia si (quod absit) in
contumacia contra illum manseritis, in proximo con-
ventu Episcoporum grave dispendium incurretis. Va-
lete.

Epist. LXXIII.

Fulbertus Dei gratiâ Carnotensium Episcopus Gauslino Abbati regulariter agere.

PRæsul Aurelianorum, qui vos excommunicavit,
Coëpiscopos suos idem facere poscit. At ego
correctionis vestræ non expers III. Kalend. Octob.
ei respectum dedi. Vnde nunc frater commoneo, ut

gradus

A gradus humilitatis interim vel usque ad tertium relegens Episcopo vestro subjiciamini, sicut decet. Aut si vobis non ita faciendum esse videtur, cur fieri non debeat rationem nobis intimare non pigeat. Ego enim neque legem neque modum ratiocinationis invenire possum, qui vos ab jugo subjectionis huius absolvat. At si quis alius præter vos invenisse fateatur, novum illum Rhetorem de cœlo magis cecidisse, quam descendisse crediderim. Vivite. Nequis vos seducat inanibus verbis. Valete.

Epist. LXXIV.

Fulbertus Dei gratiâ Carnotensis Episcopus G. suo Clerico.

Quicquid boni de te sperare præsumpseram, totum verè in contrarium cedit, non solùm enim nullum ex te consilium vel auxilium capio, verum insuper odium pro dilectione reddis, & iniuriis me afficis immerentem. De quibus iam apud te per verba, B legati bis querimoniam feci per scripta mea, nunc tertio queror. Doleo námque quod temetipsum Ecclesiæ nostræ Ministerio fraudas, profanæ vitæ & armatæ militiæ mancipatum; quod decimas & oblationes nostras ausu sacrilego detines, quod Monachorum nostrorum Ecclesias invasisti, quod tui domestici Canonicorum villas, prædâ & incendio vastant, hæc denique omnia (ut dictum est) indignè mihi abs te fieri queror, cui nihil unquam incommodi vel operâ meâ, vel instinctu memini contigisse. Quòd si quid esset unde me suspectum haberes, pro incerta causa certas offensiones non oporteret inferre. At si quid in te manifestè peccassem, & tu scripturarum consiliis adquiescere velles, tuum tamen Præsulem cum patientia sustineres. Sed dum discretionis oculum ita turbat, cupiditas cæcat, nec causam satis diligenter attendis, nec opem consilij salutaris admittis. Vndè iam tibi satis expectato prænuntio, quod si ante natale domini resipiscens ad correctionem non veneris, senties me divinas leges acriter insequen- C tem, quem modo negligis suaviter admonentem. Vale interim.

Epist. LXXV.

Charo suo D. Fulbertus sacerdos.

Ne turberis fili mi, nec decidat cor tuum ab amore & fiducia nostri. Non enim dereliquit te anima mea: sed quia minus credere sibi & obediens esse videbaris, paululum dissimulato vultu ad exemplum domini ire se longius finxit. At nunc ad hospitalitatem amici pectoris dulciter revocata, & oblato pane divinarum scripturarum oblectata, in ipsius panis fractione omnem vultus ambiguitatem deponit, & antiqua specie tibi renitens hilarescit. Precor itaque si copia vehiculorum suppetit, ut nos corporaliter vi- D sites: si non, à nobis tibi mitti iure debitam mandes. Vale.

Epist. LXXVI.

Fulbertus Dei gratiâ Carnotensium Episcopus charo suo Her.

Auctor signatæ schedulæ, quam mihi mittere voluisti, seu fideliter sive impurè id agas, consulit tamen iusta, leniterque blanditur. Iustum est enim Ecclesiam te in qua sis ordinatus, quoad in ea tuto degere possis, non deserere, ovésque tibi commissas studiosè curare. Blandum etiam est appellari filium, desiderium significare vivendi, corollarium gratiæ polliceri. Vndè si hæc fideliter oblata probaveris, fideliter autem dien sine circumventione animæ tuæ,

E per noxia iuramenta non suaden refutare. Nam quod in ordinatione ipsius erratum est, neque tu corrigere potes, nec amodo sic tua refert, ut ob aliorum culpam tuum debeas officium devitare. Tamen quicquid hujus egeris cum Rogerio Episcopo tu ante pertractare moneo, & cum domno Rudolpho cui tecum una causa est, & par pœna exilij. Vale non dubius amicitiæ meæ.

Epist. LXXVII.

Fulbertus Dei gratiâ siquidem fidelibus, adhuc ut aiunt R. G. A.

Nec porta iustitiæ nec ianua misericordiæ vobis clausa est apud nos. Neque vero de Brictio Episcopo fecimus ostiariû, qui, vos ut significatis, à nostris penetralibus arceret, sed utrumque aditum servandum rationi commisimus. Si vultis intrare per portam iustitiæ, defendite culpam. Si per ianuam misericordiæ, agite pœnitentiam, aliter enim vos ratio F non admittet. Hæc breviter rescribentes, vobiscum sentire putamus, dum terminos sanctorum Patrum nec ipsi transgredimur, nec vobis transgredi suademus. Valete.

Epist. LXXVIII.

Fulbertus Dei gratiâ Carnotens. Episcopus D. Episcop. designato quicquid sibi.

Sic estis per Dei gratiam in arbitrij vestri libertate positi, & finitimorum Episcoporum copia fulti, ut in manus Episcopi Silvanectensis incidere nulla vos necessitudo compellat. Sed ne civitati vel Ecclesiæ Catalannorum suum derogetis honorem, meminisse vos decet, quod in antiqua descriptione Provinciæ Belgicæ secundæ ipsa civitas à Remensi tertium locum habeat. Sapienti pauca. Valete intrando per ostium in ovile ovium.

G

Epist. LXXIX.

Fulbertus Episcoporum humillimus H. suo salutem.

Absentia tua sæpè commemorat quam necessarius eras præsens. Sed hoc me consolor, quod obsequia tibi delegaverim qui sis dignus recipere, & utrumque remunera reparatus. Spero enim ut mihi quoque de tuis benemeritis, si qua Deo dante fuerint, aliqua tecum mercedis portiuncula cedat. Opitulabor itaque ad benè promerendum ex animo. Sed veniendi ad vos diem statuere dubito quia & ibi victualia mihi puto deesse, & in mea diœcesi multis occupor. Fac tu interim quod te facere opto, & credo, lectioni, orationi, & eruditioni fratrum operam tuam cum alacritate divide, animæ simul & corporis curam H gerens; non propter sæculi lassitudinem, & præmij vigor evanescat. De re sancti Patris Hilarij, & nostra fideliter disponenda, scio te non indigere monitis, dummodo fures caveas. Vestes & cætera ornamenta Ecclesiæ, quæ lavari volunt, procura ut festa Paschalia suo candore venustent. Lazarus noster & totum pomarium gaudeant suo cultu. Vinitorem quoque & agricolam te esse memineris. De vario numero Psalmorum, qui adjiciuntur à quibusdam in tempore ieiunij, per singulas horas canonicas in fine post orationem dominicam & capitula quæ sequuntur, regulam non invenio. Psalmi quidem meo arbitratu superflui essent, nisi eos tutaret Psalmistarum devotio. Finitis autem capitulis post orationem dominicam, ubi dicitur, *Domine exaudi orationem meam*, statim esset subdenda oratio, quæ ex libro Sacramentario recitatur. Patere tamen Ecclesiam retinere suum usum

A ad præsens. De significatione Clericalis ornatus, Amalaricus sic breviter : Desideramus recapitulare omnem armatum Clericorum. Caput Clerici in soperiore parte discoopertum. Mens est, ubi est Dei imago. In inferiore parte circundatum capillis, quasi aliquibus de præsenti necessitate. Amictus est castigatio vocis. Alba cæterorum inferiorum sensuum Præsidente Magistrà ratione, & interius per disciplinam continentiæ constringente, quasi quodam cingulo voloptatem carnis. Calciamenta, prohibitio pedum ad malum festinare. Sandalia ornatus ad iter Prædicatoris, qui cœlestia non debet abscondere neque terrenis inhiare. Secunda tunica, opera mentis sunt. Casula, opera corporis pia. Stola iugum Christi, quòd est Evangelium. Dalmatica diaconi, id est ministri, cura proximorum est. Sudarium piæ & mundæ cogitationes, quibus detergimus molestias
B animi ex infirmitate corporis. Pallium Archiepiscop. torques devotissimæ prædicationis, & in veteri testamento & in novo. Hactenus Amalarius. Mitto tibi Cyprianum, Porphyrium, & vitas Patrum cum psalterio, ut petisti. Moneo etiam ut cum Donatum construxeris, nihil mandes ineptæ levitatis, ut sit causa ioci, sed omnia seria. Spectaculum enim factus es: cave. Vide etiam ne tuæ assetulæ inedialis nuditate laborent : Salutamus fratres nostros in Domino, & tute vale. Presbytero benedicendi os non alligabis, nisi ex præcepto Episc. sui. Quòd oblitus fueram, prohibetur tamen Agathensi Canone.

Epist. LXXX.

Fulbertus humilis Episcop. Fratri H.

C DIc charissimo nobis Principi G. perpetuam fœlicitatem cum orationibus, ex parte nostra, & totius Cleri, ac populi nostri, propter eleemosynam quam misit ad restaorationem Ecclesiæ nostræ. Deinde verò nos prædicasse publicè, sicut ipse mandavit virtutem Dei per meritum sancti Ioannis ostensum in districtione Gausberti cum exultatione & gaudio omnium qui audierunt. Monuisse quoque Bituricensem Archiepiscopum per quendam Monachum suum, ut sese pacare non negligat cum ipso Domino Guilielmo & Episcopis eius, priusquam sibi exinde scandalum oriatur. Tibi etiam misisse sibi exponendas sententias Baccharij, Bedæ & Rabani, de fine Salomonis unde fecerat quæstionem. Sed & de præbenda quæ vacat, sicut & de omni bono voluntati eius me præbere consensum. Præterea scias me propter te magistro S. venium indulsisse. Cæterùm Triginus summonebat, ut mitterem vobis aliquem procuratorem ad colligendas fruges : sed ego totum hoc curæ tuæ committo, te exercitans, illum probans. Adiutorem scholarum nolo tibi mittere, qui nondum assecutus sit maturitatem ætatis, & gravitatem morum.
D Vtere interim clientelæ tuæ qualicumque subsidio, donec causam communi consilio pertractemus. Vale.

Epist. LXXXI.

CVm audio te facere quod debes, lætor quamvis trepidem de futuris. Vnde summam bonitatem deprecans, ut te dignetur regere, te quoque moneo ut habenis præceptorum eius obtemperare memineris. Iterum dico vale. Baccharij insertam invenies sententiam, Bedæ & Rabani, quorum tamen trium sententias hic quoque subnotare non piguit. Baccharius ait : Salomon ille mirabilis, qui meruit astrui Domino, sapientiæ copulari, in alienigenarum mulierum incurrit amplexus, & in vinculo libidinis laqueatus, etiam sacrilegij errore se polluit, quando simulachrum Camos Moabitarum idoli fabricavit. Sed quia per Prophetam culpam erroris agnovit, nunquid misericordiæ cœlestis est extorris ? Ac forsitan dicas, Nusquam eum in canone lego pœnituisse, neque misericordiam consecutum. Non ambigo frater de pœnitentiâ eius, quæ non inscribitur publicis legibus: B
Et fortasse ideò acceptabilior indicatur, qua non ad faciem populi, sed in secreto conscientiæ Domino teste pœnituit. Veniam autem ex hoc consecutum esse agnoscimus, quia cum solutus fuisset à corpore, sepultum illum inter regum Israelitarum corpora, scriptura commemorat. Quòd tamen alibi peccatoribus Regibus abnegatum esse cognoscimus, qui usque in finem vitæ suæ in propositi perversitate manserunt, & ideò quia inter Reges iustos meruit sepeliri, non fuit alienus à venia. Veniam autem ipsam sine pœnitentia non potuit promereri. Beda in opusculo super lib. Regum capitulo 39. præmissis paucis ait. Vbi hoc quoque ni fallor palam ostenditur, quod utinam non ostenderetur : quia videlicet Salomon de commisso idolatriæ scelere nunquam perfectè pœnituit. F
Nam si fructus pœnitentiæ dignos faceret, satageret ante omnia ut idola quæ ædificaverat, de civitate sancta tollerentur : & non in scandalum stultorum, quæ ipse cum fuisset sapiens, erroneè fecerat quasi sapienter ac rectè facta relinqueret. Rabanus sic sub persona Isidori in expositione eiusdem libri. Iam porrò de aliis operibus Salomonis quid dicam, quem vehementer arguit sancta scriptura & damnat, nihilque de pœnitentia eius vel in eum indulgentiæ Domini omnino commemorat. Nec prorsus occurrit, quod saltem in allegoria bene significet, hæc est flenda submersio.

Epist. LXXXII.

Fulbertus humilis Episcop. H. suo salutem.

DIu sustinui sperans te esse venturum, ut dixeras. G
Vndè iam nimia dilatione commotus arguo apud te solum. Cur enim te mendacem mihi & ingratum exhibuisti cum tibi dulce esse debuisset paratos si qui forent de venatione tua cibos te patri inferre, ut aliquam benedictionem mereretis accipere. Noli iam morari diutius, si gaudere vis de humili gratia nostra. Vale & veni, aut rescribe mihi quid pro certo sperare debeam de te.

Epist. LXXXIII.

Fulbertus Carnotens. humilis Episcop. R. Sanctæ Ecclesiæ Aurelianensis œconomo.

QVod me scribere mones utilia clerico, quódque de scientia magni pendis facis amicè, facis ut Christianæ philosophiæ cultor, invidiæ purus. Ego vero etsi ignarus mei moduli, non præsumo grandia, tamen memor in quo parere possum, exhortationi sanctæ deesse non volo. Scripsi itaque sicut monuisti, H
quid mihi videatur agendum de Presbytero illo qui missas celebrare, & non communicasse compertus est, in hunc modum. Videtur namque diligenter inquirenda esse causa, qua sacrosanctam communionem subterfugerit : videlicet utrum hæretica infidelitas sit, an timor ex conscientia planè mortalis criminis, an timor ex conscientia ebriositatis, aut libidinis. Quæ quidem miseri sacerdotes mortalia peccata esse aut nesciunt, aut scire dissimulant, remordente tamen conscientiâ malâ : an sit tædium ex multa celebratione missarum, an timor indiscretus quo pusillanimes afficiuntur interdum pro levibus culpis, an morbus reumatizantis & nauseantis stomachi, an passio cerebri mentem lædens. Si ergo infidelitas in causa inventa fuerit, aut aliud planè mortale crimen, deponendus est auctoritate Canonicâ usque ad legitimam satisfactionem. Si autem appetitus ebriositatis aut libidinis, quando quidem & ipsæ mortiferæ sunt, ab officio removendus est : & tandiu abstinentiâ casti-

gandus

A gandus est, quousque relicto vitio & per Dei gratiam superato, revocari videatur idoneus. At si ex frequenti missarum celebratione tædium, ita corripiendos, & per annum integrum à communione pellendus, sicut scriptum est in 13. Concilio Toletano capitulo 5. Si verò indiscretus timor de levi culpa, castigandus esse videtur cum pietate, sicut legitur in capitulario lib. 1. capitulo 6. At si prænotata passio stomachi, vel celebri fuerit in causa, quiescere debet à Ministerio, donec recuperet sospitatem. Si autem præter supradicta aliud aliquid in causa inventum fuerit, ex ipsorum comparatione per ratiocinationem facilè tractabitur. His breviter assignatis saluto in Domino Iesu Christo vir optime, qui me multósque alios ingitet & interrogas, & dum prudenter interrogas, bene doces. Vale.

B

Epist. LXXXIV.

Benignissimo atque dilectissimo Domino suo Roberto Fulbertus Dei gratiâ Carnotensium sacerdos.

COgnitâ benignâ voluntate vestra consilióque prudentiæ vestræ comperto, quia sanum est, ut solet, voluntati assequor, consilio adquiesco, & iter institutum ad præsens omittens, in tempus à nobis constitutum differo peragendum, si annuerit dominus. Si ergo de iustitia, de pace, de statu regni, de honore Ecclesiæ vultis agere, ecce habetis me parvum satellitem pro viribus opitulari paratum. Vale.

Epist. LXXXV.

In perpetuum diligendo Domino suo Regique R. Fulbertus sacerdos.

C QVæso domine mi, ne indignanter accipias quod tibi proximâ Dominicâ Parisiis non occurri. Scias enim pro certo quod nuntij fefellerunt me, dicentes te illuc ipso die non affore: sed propter ordinationem cuiusdam Episcopi me vocari, quem omnino non noveram, nec sacratam tuam nec epistolam Archipræsolis mei de ordinatione ipsius acceperam. Vndè si quid delicti penes me est, seductum aliena fallacia, facilis tamen debet esse remissio apud Regiam pietatem, cum etiam apud forenses iudices status sit huiusmodi venialis In toto corde meo diligo te, ne repellas me à mandatis tuis. Vale.

Epist. LXXXVI.

Regi R. sacerdos Fulbertus Fidelis, & pronus.

D ACceptâ legatione vestrâ per R. sanctæ crucis œconomum destinatum, peregrinationem iterum intermisi. Nunc quid me velit serenitas tua colloqoio magis, si fieri possit, quam legatis aut litteris cupiam edoceri. Venirem autem ipse protinus ad vos huius rei gratiâ, si commodè possem: sed venire in armis sacrum tempus abnuit ac religio nostri ordinis. Venire inermes, longa via interminatur, ac malitia sæcularis. Est enim mihi O. coluber in via, R. cerastes in semita. Cæterùm ex arbitrio vestro pendeat, amodo quo pacto voluntatem vestram mihi placeat indicare, quoniam apud me definitum, voluntati vestræ, quæ vobis non noceat, convenire. Valete regaliter.

***

Epist. LXXXVII. E

Dilectissimo Domino suo Regi Francorum R. Fulbertus humilis Episcopus sanctæ crucis augmentum.

SI nobis omnes pervagandæ facultates simul cum voluntate suppeterent, interesset vestræ pietatis levitatem nostram arguere, & ad nostræ Ecclesiæ quæ destructa est, restaurationem assiduam revocare. Nunc verò cum omnes eiusmodi facultates desint, & nos ad assiduitatem necessitudo magna coërceat, quomodo sapientiæ vestræ dignum videri possit, ut vel nos vel clerum nostrum de qualibet longa processione commoneatur, sustinete potius, Sancte Pater, sustinere imbecillitatem nostram, supplete indigentiam nostram: ut Deus omni bono resocillet charam animam vestram. Valete regaliter. F

Epist. LXXXVIII.

Benignissimo Domino suo Regique R. Fulbertus humilis sacerdos si qua potest orationis suffragia.

EX parte celsitudinis vestræ dictum est nobis, quod domnum Franconem Parisiensi Ecclesiæ dare vultis Episcopum, & ad hoc peragendum nostræ humilitatis habere favorem. Nobis autem videtur, quia si Episcopus de quo agitur, aptus est Clericus, est optimè litteratus, & ad sermonem faciendum agilis: in qua re omnes Episcopos decet esse, non minus quam in operatione potentes atque disertos. Vndè si hoc fieri posse Canonici Domini Archiepiscopi Senonensis & Coëpiscoporum nostrorum probavit sagacitas, nostrum etiam qui de hac discussione appellati non fuimus, habetis assensum. In nullo enim G
quod bonom sit, coram Domino vestræ voluntati nitimur contraïre. Vigeat excellentia vestra.

Epist. LXXXIX.

Dilectissimo Domino Regique R. Fulbertus humilis Episcopus humilitatem in prosperis, fiduciam in adversis.

DE Lisiardo Clerico, qui Meldensis Episcopij res odiosa importunitate pervasit, tale consilium damus. Præcipite Archiepiscopo Senonensi, ut vel Episcopium ipse visitet, vestræque & suæ ditioni revocet, ut dignum est: vel si id facere prohibeatur, mandet prædicto L. per Literas ex sua & nostra, suorum videlicet suffraganeorum parte conscriptas, ut cedat loco & rebus stultè pervasis, & de præsumptione sua nobis satisfacere studeat ante proximam festivitatem sanctæ Petri Apostolorum Principis. Quod si H
facere neglexerit, ex tunc in antea à nobis omnibus excommunicatus sit. Valete.

Epist. XC.

Dilectissimo Domino suo R. Fulbertus Episcoporum humillimus consilium & fortitudinem à Domino.

CVm præsentiâ meâ nequeo, saltem litteris te reviso domine, sciscitans de fortunis tuis, & exponens aliqua eorum quæ gerantur in partibus nostris. Carnotenses adhuc plerósque detineo, ne in tuum nocumentum erumpant. Sed Hereb. & Gaufr. nullo interdicto refrenare potui. Faciunt tibi mala quæ possunt, minantur quæ non possunt. Virtus Altissimi conterat & disperdat superbiam illorum. Quidam autem vernaculi tui, qui ab eisdem malefacto-

bus

bus iniuriam passi sunt, M. scilicet de Villeri monte & filij eius iram suam retorquent in terram sanctæ sanctarum dominæ nostræ, diripientes fruges & cætera bona nostra, quæ in vicinia sua sunt. Nos insulta verò hæc patimur propter te, expectantes & deprecantes iustitiam tuam. Sunt hæc & alia multa tui domine, quæ me nimis angustiant, satis enim oneri esse videbatur adversa corporis valetudo: sed tamen illud ægrius tolerabam, quod res Ecclesiæ in superfluorum domesticorum victualia sic expendere compellebar ex prava consuetudine prædecessorum meorum: ut officium hospitalitatis & eleemosynæ, sicut mea interest, administrare non possem. Nunc autem res ipsas quantulæ erant, passim inimici diripiunt, additur his malis incendium Ecclesiæ nostræ. Quoniam cum unde restaurem, sicut decet, non habeo, mihi quoque necessarios sumptus indulgeri detrecto. His itaque & pluribus aliis difficultatibus circumventus, quas vel pudoris lex vel brevitatis enumerare vetat, multa mecum agito, non ut ærumnas in hac vita evadere coner, quod est impossibile, sed ut aliquo labore quamvis arduo valeam restaurare, Ecclesiæ opem ferre. Hujus vero consultationis meæ finem tibi Domino meo revelatum ire disposui, cum Deus dederit tui oportunitatem alloquij. Valete perenniter.

Epist. XCI.

Serenissimo Regi Francorum R. Fulbert. humilis Carnotens. Episcopus, quod decet & prodest.

GRatulor tibi Domine mi, quod fonte bonitatis ut semper irrigans negotium Dei, mandasti mihi tractare, ut expedit. Talia denique te regem præcipere decus est, subditósque tibi capessere tutum. Sed illud miror, quod Odonem Comitem in mea deliberatione vel posuisse vel positurum esse dixisti, quid facere debeat de receptione Meldensis Episcopi, cum abhinc anno ferè dimidio nec ipsum viderim, nec de tali negotio legationem eius acceperim. Attamen si aspirante Deo ad nos venire & consiliis meis adquiescere voluerit, desinet proculdubio rem Ecclesiasticam usurpare, divinam ultionem in se provocare, tuisque sacris ordinationibus contraire. Vale.

Epist. XCII.

Regi sacerdos, Domino fidelis Fulbert.

VT vobis proximo Sabbato Turonis occurrerem, quia serò commonitorium accepi, non parui. Si quæ aliæ causæ sunt tacentur ad præsens, quia minus vos tacitæ quam expositæ lædunt. Vale nunc & semper.

Epist. XCIII.

Excellentissimo & charo Domino suo R. Fulbertus Carnotensium Episcopus cursum honesti continuum ad beatitudinis finem.

INter multas sollicitudines meas cura tui Domine, me non mediocriter afficit. Cùm enim te prudenter agere accipio, lætor: sin autem, tristor & timeo. Audito igitur inter alia quod proximâ solemnitate Natalis Domini consilium habiturus sis cum Principibus regni de pace componenda, gaudeo. Sed audito quod Aureliana civitas videlicet incendio vastata, sacrilegiis profanata, & insuper excommunicatione damnata, nec post reconciliata, miror, & paveo. Quanto enim dolore putas afficiendos esse sacerdotes fideles tuos, qui ad honorificentiam Dei & tuam ipso die congregandi sunt, si in eo loco fuerint ubi nec ipsis sacrificare liceat, nec tibi sacrosanctam Eucharistiam absolutè percipere? Absit hoc à te charissime domine, ut tu in tanta solemnitate aut divinis officiis careas, aut illicitè vel indignè te sciente usurpari permittas! Quòd ideò te præmonere curavi, ut vel illum locum facias reconciliari, aut ubi melius sit solemnitatem celebrare memineris. Velim autem suadere tibi, si possitis, ne dimittas propter iram quæ Dei iustitiam non operatur, quin Episcopo tuo treugam des, pollicéare iustitiam, insuper & conductum præbeas, si velis, ad reconciliandas Ecclesias suas. Quòd si detrectaverit, ipse in periculo, tu navigabis in portu. Cæterùm quia tuis obsequiis me tunc affuturum esse mandasti, apud sanctum Maximinum hospitari postulo, quod nec monachis quidem ipsius loci fore ingratum puto: ut ibi natalitia nocte celebratis vigiliis, sequenti manè in tuum servitium possim esse paratus. Vale semper & prospere in Domino.

Epist. XCIV.

Dilectissimo Domino suo Regi R. Fulbertus humilis Episcopus, omnia decentia Regem.

DIgnum est scire te negotia regni tui. Noverit ergo prudentia tua quod Guillielmus de Bellissimo ultus perfidiam filij tui, coniecit eum in carcerem, unde non egredietur, ut ait, sine consilio nostro. Mandat autem se esse paratum ad facienda quæ mandasti per H. monachum. Cæterùm ut à tuæ sanctitatis præsentiâ me redisse cognovit, Comes Odo, qui tunc Turonis agebat mandavit, ut post duos dies Blesis sibi occurrerem ad audiendum quid dicerent legati Romanorum. Sed quoniam id mea parum intererat, valetudine quoque prohibente, non parui, mandat autem & anniaè precatur majestatem tuam ipse Comes, ne te properanter ingeras in suum nocumentum, sed mittas ad eum M. de Caprosis, qui tibi referat verba Romanorum, & G Ducis Aquitanorum, & sua. Vale.

Epist. XCV.

Robertus nutu Dei Francorum Rex Guarlino Præsuli Bituriensium salutem.

VOlo vos scire animi mei motum qualiter se habet, ut fortè accidere solet, cum meus humana movetus, si quid mirabile præter solitum insperatè auditur. Dum ergo die Sabbati iam exacto sederem ad cœnam, allata fuit mihi quædam Epist. à Guillielmo Comite missa de quodam portento mirabili audita, scilicet tribus diebus ante solemnitatem Ioannis Baptistæ in quibusdam partibus regni mei, videlicet in partibus Aquitaniæ iuxta plagam maritimam pluisse de cœlo talis naturæ sanguinem, ut cum fortuitu cadebat super carnem hominis, aut super vestimentum, aut super petram non posset auferri lavando. Si verò cadebat super lignum, tum bene lavabatur. Si quidem per eandem Epistolam petiit ab me idem Guillielmus Comes ut ego requirerem à mei regni sapientibus quid hoc portentum significaret. Ego vero volo & precor ut perquiratis in quibusdam historiis, si nunquam accidisset huius simile, & quod factum sequeretur huius rei portentum, mihique hoc eodem legato rescribite quomodo acciderit, & in qua historia inveniri possit. Attamen deprecor ne differatis ad rescribendum mihi, quia tandiu legatum huius portenti tenebo, donec mihi respondeatis. Valete.

***

A

Epist. XCVI.

Domino Regi Francorum excellentissimo Roberto humilis Guarlinus æterni Regis consortium.

QVod placuit vobis interrogare de prodigio quod cecidit, hoc nobis ex historiis aperte patet. Quod sanguis super gladium, aut civile bellum aut gentem super gentem exurgere portendit. Valerius Rufus in libro memorabilium, capitulo quarto de prodigiis refert, Caio Volumnio, Servilio Sulpicio consulibus in urbe Roma initium motúsque bellorum civilium hoc prodigium portendere, carnis in modum nimbi dissipatæ partes ceciderunt. Quarum maiorem numerum præpetes diripuerunt aves, reliquum humi
B per aliquot dies neque odore certo, neque deformi aspectu mutatum iacuit. In Sicilia scuta duo sanguinem sudasse, etiam metentibus cruentas spicas in corbem cecidisse, per oppida cerneres aquas sanguine mixtas fluxisse. Chronica Eusebij de prodigiis hoc refert, Valeriano Imperante post Solis occasum ab Aquilone cœlum quasi ignis aut sanguis effectum est, Gentis Hunnorum parte receptâ, recuperatio in Gallos sequuta est. Item anno Leonis Imperatoris septimo medio Tolosæ civitatis sanguis erupit de terra, & totâ die fluxit, significans dominationem Gothorum sublatam: item Historia Longobardorum libro quarto, capitulo sexto. Tempore Theodeberti Regis Francorum signum sanguineum in cœlo apparuit, & quasi hastæ sanguineæ. Eo tempore ipse Theodebertus cum Lottario avunculo suo bellum gerens eius exercitum vehementer afflixit. Item in eadem historia temporibus Iustiniani in provincia præcipuè Liguriæ maxi-
C ma pestilentia exorta est. Subito enim apparebant quædam signacula per domos, ostia, vasa, vel vestimenta. Quæ si quis voluisset abluere magis magisque apparebant: post annum verò expletum cœperunt nasci in inguinibus hominum vel in aliis debilitatioribus locis glandulæ in modum nucis seu dactyli quas mox sequebatur febrium intolerabilis æstus, ita ut in triduo homo extingueretur, sin vero aliquis triduum transegisset habebat spem vivendi: erat autem ubique pavor, ubique luctus, ubique lachrimæ. Nam ut vulgi rumor habebat fugientes cladem vitæ, relinquebantur domus desertæ habitatoribus solis catulis domus servantibus. Pecudia sola remanebant in pascuis nullo astante pastore, cerneres pridem villas seu castra repleta agminibus hominum, postera die universis fugientibus cuncta esse in summo silentio. Fugiebant filij cadavera insepulta parentum relinquentes. Parentes obliti pietatis in viscera natos relinquebant æstuantes. Si quem fortè antiqua pietas perstringebat ut vellet sepelire proximum, restabat
D ipse insepultus. Et dum obsequebatur perimebatur; dum funeri obsequium præbebat ipsius funus sine obsequio manebat. Videres sæculum in antiquum redactum silentium, nulla vox in rure, nullus sibilos, nullæ insidiæ bestiarum in pecudibus, nulla damna in domesticis volucribus. Sata transgressa metendi tempus intacta expectabant Messorem. Vinea amissis foliis radiantibus uvis illæsa manebat hyeme propinquante Nocturnis seu diurnis horis personabat tuba bellantium, audiebatur à pluribus quasi murmur exercitus. Nulla erant vestigia commeantium, nullus cernebatur percussor, & tamen visum oculorum superabant cadavera mortuorum. Pastoralia loca versa fuerant in sepulturam hominum, & habitacula humana facta fuerant confugia bestiarum. Hæc de historiis pauca prænotavimus. Quòd vero cecidit super petram & ablui non poterat, videtur significare Ecclesiam sanctam quæ super petram, id est Christum, fundata tribulationem passura sit: quòd vero super carnem hominis, & vestimentum eius cecidit, ablui poterat.
E Non incongruè accipitur per carnem populus, per vestimentum substantia, quæ ad adjutorium hujus vitæ conceditur. Ligno etiam datur intelligi vitale lignum sanctæ crucis, & baptismum quo sumus regenerati ad vitam. Lignum ad humorem aquæ virescit. Et quando Iudaicus populus in eremo sitivit, & præ amaritudine aquas bibere non potuit: iubente Domino misit Moses lignum in aquam, & conversa est amaritudo in dulcedinem, & refocillatus est populus. Arca enim Noë de lignis fabricata quid significet non ignoratis. In quibus omnibus per lignum non nisi misericordiam suam Dominus operatus est. Quia igitur de ligno sanguis lavabatur, creditur quod per pœnitentiam & eleemosynam & cæteros fructus misericordiæ, qui inter sinum Matris Ecclesiæ exercentur, severitas & indignatio iusti iudicis Dei quæ merito peccatoribus debetur, & ad misericordiam possit reflecti: misericors est enim Dominus adeò sicut Psalmista loqui-
F tur, *Vt non solum homines sed etiam iumenta salvet.* Omnipotens Deus dilatet imperium vestrum, & dextrâ vos semper protegat ad pacem sanctæ Ecclesiæ, vitam vobis longævam tribuat, & sua vos benedictione in omnibus exornet.

Epist. XCVII.

Pio Regi R. Fulbertus humilis Episcopus omnia fidelia.

SAcrâ vestrâ monitus sum inquirere festinanter, & scribere vobis, si qua historia sanguinem pluisse referat, & si factum fuit, quid futurum portenderit. Livium, Valerium, Orosium, & plures alios huius rei relatores inveni, de quibus ad præsens solum Gregorium Turonensem Episcopum testem esse productum sufficiat propter autoritatem religionis suæ. Ait ergo
G Gregorius idem in sexto lib. historiarum cap. xiv. Anno sexto regni Childeberti Regis, qui erat Chilperici & Guntrani xxi. mense Ianuario, pluviæ, coruscationes, atque tonitrua gravia fuerunt: flores in arboribus ostensi sunt: stella quam cometem superius nominavi, apparuit, ut in circuitu eius magna nigredo esset, & illa tanquam si intra foramen aliquod posita, ita inter tenebras relucebat scintillans, spargensque comas: prodibat autem ex ea radius miræ magnitudinis, qui tanquam fumus magnus incendij apparebat à longè. Visa est ad partem occidentis in hora noctis prima. In die autem sancto Paschæ apud Suessionis Civitatem cœlum ardere visum est, ita ut duo apparerent incendia & unum erat maius, aliud vero minus. Post duarum vero horarum spatium coniuncta sunt simul, factáque in farum magnum evanuerunt. In Parisino vero termino verus sanguis ex nube defluxit, & super vestimenta multorum hominum cecidit, & ita tabe maculavit, ut ipsi propria indumenta horrentes abnuerent. Tribus enim locis in
H termino civitatis illius hoc prodigium apparuit. In Silvanectensi vero territorio hominis cuiusdam domus cum ille manè surgeret, sanguine respersa abintus apparuit. Magna autem eo anno lues in populo fuit. Valetudines vero variæ, melinæ, cum pustulis & vesicis, multum populum affecerunt morte. Multi tamen adhibentes studium evaserunt. Audivimus autem eo anno in Narbonensem urbem inguinarium morbum graviter desævisse, ita ut nullum esset spatium vitæ, cum homo correptus fuisset ab eo. Hactenus Gregorius Turonensis. Liquet igitur ex hac & ex supra historiis memoratis, quod pluvia sanguinis publicam stragem futuram esse portendat. Quòd autem nuper huiusmodi cruorem in quadam parte regni vestri pluisse audistis, & quod ille cruor ubi supra petram, vel super carnem hominis ceciderat, ablui non poterat: ubi autem super lignum ceciderat, facilè abluebatur: per hoc tria hominum genera significata esse videntur, per lapidem impij, per carnem fornicarij,

A per lignum vero quod neque durum est, ut lapis, neque molle, ut caro, illi qui neque impij sunt neque fornicarij. Cum ergo venerit super illam gentem, cui portenditur, gladius sive pestilentia designata per sanguinem, si antea duri, aut molles fuerint mutati in melius, non morientur perpetualiter in sanguine suo. Medij verò per angustiam mortis, vel aliter poterunt liberari pro arbitrio secretissimi atque præstantissimi Iudicis. Vale piissime Rex.

Nota. *Numerum duarum Epistolarum sequentium eundem esse cum præcedentibus tam in exemplari Coloniensi quam Parisiensi.*

Epist. XCVI.

Domino suo Regi R. Comes Odo.

PAuca tibi Domine dicere volo, si audire digneris. Comes RICHARDVS tuus fidelis monuit
B me venire ad iustitiam, aut ad concordiam de querelis quas habebat contra me. Ego vero misi causam hanc totam in manu ipsius. Tum ille ex consensu tuo constituit mihi placitum, quando, & ubi hoc perfici posset. Sed instante termino cum ad hoc peragendum paratus essem, mandavit mihi ne me fatigarem ad condictum placitum veniendo: quia non erat tibi cordi, aliam iustificationem sive concordiam recipere, nisi hoc tantum, ut faceres mihi defendere, quod non essem dignus ullum beneficium tenere de te. Nec sibi competere dicebat, ut me ad tale iudicium exhiberet sine conventu PARIVM suorum Hæc causa est cur tibi ad placitum non occurrit, sed de te, Domine mi, valde miror, qui me tam præproperè causa indiscussa tuo beneficio indicabas indignum. Nam si respiciatur ad conditionem generis, claret Dei gratia, quod hæreditabilis sim. Si ad qualitatem beneficij, quod mihi dedisti, constat quia non est de tuo
C fisco, sed de his quæ mihi per tuam gratiam ex majoribus meis hæreditario iure contingunt. Si ad servitij meritum, ipse profectò nosti, donec tuam gratiam habui, quomodo tibi servierim domi, & militiæ, & peregrè. At postquam tuam gratiam avertisti à me, & honorem quem dederas mihi tollere nisus es, si me & honorem meum defendendo aliqua tibi ingrata commisi, feci hoc lacessitus iniuriis, & necessitate coactus. Quomodo enim dimittere possum & non defendam honorem meum? Deum & animam meam testor, quòd magis eligerem honoratus mori, quam dishonoratus vivere. At si me dishonorare velle desistas, nihil in mundo est, quod magis quam gratiam tuam vel habere vel promereri desiderem. Discordia enim tua mihi quidem molestissima est. Sed & tibi mi domine, tollit officij tui radicem, & fructum, iustitiam loquor & pacem. Vnde suppliciter exoro clementiam illam quæ tibi naturaliter adest, si maligno consilio non tollatur, ut iam tandem à
D persecutione mea desistas, méque tibi sive per domesticos tuos, seu per manus principum reconciliari permittas. Vale.

Epist. XCVII.

Nobilissimo Regi Danemarchiæ Cnuto, Fulbertus Dei gratiâ Carnotensium Episcopus cum suis Clericis & Monachis orationis suffragium.

QVando munus tuum nobis oblatum vidimus, sagacitatem tuam & religionem pariter admirati sumus. Sagacitatem quidem, quod homo nostræ linguæ ignarus longóque à nobis terræ marisque intervallo divisus, non solum ea quæ circa te sunt strenuè capessas, sed etiam ea quæ circa nos diligenter inquiras. Religionem verò, cum te, quem paganorum
E principem audieramus, non modo Christianum, verum etiam erga Ecclesias atque Dei servos benignissimum largitorem agnoscimus. Vndè gratias agentes Regi regum, ex cuius dispositione talia descendunt, rogamus, ut ipse regnum tuum in vobis prosperari faciat, & animam tuam à peccatis absolvat per æternum & consubstantialem sibi unigenitum Christum Dominum nostrum in unitate Spiritus sancti. Amen. Vale memor nostri non immemor tui.

Epist. XCVIII.

Nobili Comiti S. Fulbert. Dei gratiâ Carnotens. Episcopus, fideles orationes.

SI in eligendo vestræ charitatis Episcopo regulariter ageretis, suffragium nostræ humilitatis non deforet iuxta modum rationis. Nunc autem Palati-
F nus aut publicus rumor est, quòd ille Clericus quem eligere vultis, favorem nostrum sit aucupatus promissionum sibilis & pecuniæ visco. Dicunt etiam, quod sine iussu Regis & consensu Episcoporum comprovincialium, ædes & rem Episcopalem invaserit. Quæ si sint vera, non sunt regularia. Nec me vel vobis vel aliis contra ius & fas opitulari oportet. Valete.

Epist. XCIX.

Fulbertus Carnot. humilis Episcopus Fulc. Comiti salutem.

DOleo super te nobilis homo, cum te audio errare & periclitari. Errare dico, quod cum debeas Deum timere, sanctos honorare, Ecclesiam defendere, contemnis Deum, sanctos inhonoras, res Ecclesiæ invadis & aufers. Periclitari: quoniam qui talia
G agunt, non habent partem in regno Dei. Propter hæc peccata monuit Archiepiscopus Turonensis omnes Episcopos nostros, & inter alios me pusillum, ut te excommunicaremus. Sed ego censui pium esse, ut te prius monerem, & deprecor, ut habeas misericordiam de anima tua, placans Deum. Iam enim propè est tuus finis. Festina igitur quæso, reconciliari Christo salvatori nostro: quia non est salus homini nisi per ipsum. Tene in memoria verbum hoc: Qui confitendo & pœnitendo finem facit peccatis suis, antequam moriatur, finem habebit, in altero sæcula pœna ipsius; & qui peccatis mortalibus pœnitendo non facit finem, pœna ipsius erit sine fine. Evigila igitur propter temetipsum, sicut homo in proximo moriturus: & reconciliare Christo, ne moriaris Apostolicâ auctoritate damnatus. Vale & remanda mihi velociter atque veraciter voluntatem tuam.

Epist. C. H

Fulbertus Dei gratiâ Carnotens. Episcopus Comiti Fulconi commonitorium salutis.

TAm horrendo facinore præsentiam domini Regis tui dedecoravêre satellites, ut mundani iudices asserant capitale, te quoque reum maiestatis, qui eis postea patrocinium tuum & receptacula præbuisti. Proinde rogabatur à multis, ut die sacro Pentecostes, & te & illos excommunicaremus. Sed nos tuæ providentes saluti, trium hebdomadarum ab ipso die petivimus inducias, ut literis te convenire possemus. Talem etiam à Rege conditionem impetravimus, si veneris in iudicium, ut non super vitas, aut super membra, sed super facultates ultio reflectatur. Vndè te commonemus, ut ante præscriptum terminum auctores tanti sceleris aut in iudicium adducas, aut propter honorem Regis repudies. Temetipsum deinde sicut per Abbatem sancti Albini promisisti,

A expurges, & humili satisfactione regis animum places. Quòd si reos ipsos nec ad iustitiam ducere, nec propter leniorem tuum repudiare volueris, Christianam communionem nobiscum ulterius non habebis. Vigila ergo sicut pro temetipso, & quid habeas animi citò mihi remanda. Optimam partem consilij det tibi Deus eligere.

Epist. CI.

Glorioso Duci Aquitanorum Guillielmo Fulbertus Episcopus orationis suffragium.

DE forma fidelitatis aliquid scribere monitus, hæc vobis quæ sequuntur breviter ex librorum auctoritate notavi. Qui domino suo fidelitatem iurat, ista 6. in memoria semper habere debet. Incolume, B tutum, honestum, utile, facile, possibile. Incolume, videlicet, ne sit domino in damnum de corpore suo. Tutum, ne sit ei in damnum de secreto suo vel de munitionibus per quas tutus esse potest. Honestum, ne sit ei in damnum de sua iustitia, vel de aliis causis quæ ad honestatem eius pertinere videntur. Vtile, ne sit ei in damnum de suis possessionibus. Facilè vel possibile, ne id bonum, quod dominus suus leviter facere poterat, faciat ei difficile: neve id, quod possibile erat, reddat ei impossibile. Vt autem fidelis hæc nocumenta caveat, iustum est, sed non ideò Sacramentum meretur, non enim sufficit abstinere à malo, nisi fiat quod bonum est.

Restat ergo, ut in eisdem 6. supradictis consilium & auxilium domino suo fideliter præstet, si beneficio dignus videri vult, & saluus esse de fidelitate quam iuravit. Dominus quoque fideli suo in his omnibus vicem reddere debet. Quòd si non fecerit, meritò C censebitur malefidus: sicut ille, si in eorum prævaricatione vel faciendo vel consentiendo deprehensus fuerit, perfidus, & periurus. Scripsissem vobis latiùs, si occupatus non essem cum aliis multis, tum etiam restauratione civitatis & Ecclesiæ nostræ quæ tota nuper horrendo incendio conflagravit. Quo damno etsi aliquantisper non moveri non possumus, spe tamen divini atque vestri solatij respiramus.

Epist. CII.

Clarissimo Duci Aquitanorum G. Fulbertus Episcopus, utile & honestum.

GAuderem dilectissime Princeps, ad dedicationem vestram devotus occurrere, nisi me Ecclesiæ nostræ nullo modo negligenda necessitas detineret. Gratiâ nàmque Dei cum adjutorio vestro cryptas nostras pervolvimus, eásque priusquam hyemalis inclementia lædat, cooperire satagimus. Volo au- D tem vos scire, quod literæ quas priores Episcopo Azelino misistis, Regi relatæ sunt: qui etiam valdè contristatus est de sua vilitate, quam ibi scriptam invenit. Fecissetque Bituricensis Episcopus iuxta consilium nostrum, ut ait de Lemovicensi Episcopo, nisi eum regulariter ire formido detineret. Sed quia Rex proximo rugitu, ut dicitur, venire habet in sylvam legium, quæ vicina est (ut scitis) monasterio Sancti Benedicti, ego quoque Deo favente illuc ire disposui, sciturus quales inveniam erga vos & regem & Archiepiscopum, vel quales reddere possim. Et quod interim effecero, aut ipse vobis referam, aut literis innotescam. Vale fœliciter.

⁂

E

Epist. CIII.

Dilecto semperque diligendo Domino & Duci Aquitanorum G. Fulbertus Carnotensium humilis Episcopus. In hac vita se & sua omnia, in altera gaudia sempiterna.

DOleo vir optime, quod nuper in conventu regis atque nostro loquendi tecum oportunitatem non habui, non de sæculari negotio, sed de loco sancti patris Hilarij, cuius rectores nos esse bonitas tua voluit. Sed huius temporis malitia non permittit. Mando itaque tibi, & precor absens id, quod tunc præsens intimare volebam videlicet, ut secundum beneplacitum cordis tui constituas tibi alium thesaurarium & capitiarium de bonis clericis qui sunt in tua F vicinia, quos via longa & periculosa non disturbet ab officio, sicut me & meos hactenus disturbavit. Nec me putes obsecro ita pravum, ut propter hoc tibi videar minus esse fidelis. Agnosco enim me perpetuum debitorem esse fidelitatis animæ tuæ & corporis, propter benignitatem quam mihi immerito exhibuisti. Vndè certo scies quia si tibi aut populo tuo mei ministerij necessitas immineret, & hoc mihi mandare dignum duceres, subvenirem tibi Deo duce, si non possem aliter vel in habitu pauperis peregrini. Precor autem bonitatem tuam, ut Raimoni relevare digneris damnum, quod pertulit in servitio nostro. Vale nunc & semper piissime atque benignissime: ego vero nunquam obliviscar te.

G

Epist. CIV.

Nobilissimo ac piissimo Duci Aquitanorum G. Fulb. Dei gratiá Carnotens. Episcopus, salutem & orationum fidelia.

VEstram optime Princeps, erga me benevolentiam expertus sum cunctis amicorum meorum benevolentiis affectu mihi dulciorem, effectu quoque utiliorem. Nam alij quidem amici mei vix parem aliquando meritis meis vicem rependunt. Vobis autem me licet immerentem gratuitis beneficiis accumulare mirâ charitatis abundantiâ placet. Iam ferè tertio anno prætetito, quòd sic agitis, erubescerem munera vestra gratis suscepisse. Incertus essem dum Iesum Christum & sanctam Mariam genitricem eius, in cuius officio expensa sunt, mercedem vobis reddituros. Præterea non defuit mihi animus vos adeundi, & in vestra regione vobis obsequendi. Sed multæ causæ difficultatis obstiterunt. H Ob quod gerendum pro certo noveritis cuncta me difficilia postpositurum, si quomodo fuerit possibile, hæc dicens revelare cupio mirabilem affectus vestri erga me dulcedinem, in cuius litteris nuper legi quod gauderetis me superstitem esse in regionibus nostris, quasi sperantes unquam in vestris me videre. Vndè auctori totius boni supplico, ut & vos in hac vita longum tempus superesse faciat, & me vobiscum superstitem adhuc beato Hilario vobisque deservire concedat. Fratrem Hildegarium vestrum & nostrum fidelem rogatis nos vobis remittere, sed deplorat quasi iam diu nostri pectoris mamillas non suxerit. Quibus aliquandiu refici serenitatem vestram humiliter postulat, ut aspiratione dulcior vobis ac vestris postmodum complaceat. Valeatis fœliciter cum omnibus vestris.

⁂

A

Epist. CV.

Dilectissimo Domino suo Roberto regi ac reginæ Constantiæ verum in Domino constantissimè Fulbertus humilis Carnotens. Episcopus fidelitatis obsequium, & orat. suffragia, quantum scit ac potest.

COgnitâ per nuntium vestrum alacritate vestrâ, gaudio magno repleti sumus, Deo gratias agentes: vobis enim incolumibus, nos bene valituros per Dei gratiam & vestram speramus. Quoniam autem placuit bonitati vestræ consulere nos super babitu nostro, scribimus vobis multis nos ad præsens incommodis urgeri, quæ nobis infert Gaufridus Vicecomes B de Castro Donensi. Refecit enim ante natale Domini Castellum de Galardone, quod olim destruxistis, & ecce tertiâ die post Epiphaniam Domini cepit facere alterum castellum apud Isteras intra villas S. Mariæ. Vnde legatos nostros misimus ad filium vestrum Regem Henricum, & Odonem Comitem, incerti utrum illorum assensu tanta mala præsumpserit, aliter enim hæc illum aggredi vix opinabile est. Sed si illi nos in tantis adversitatibus non adjoverint, ad vos post Dominum respicimus, ut per vos ab huiusmodi oppressione liberemur. Dolemus autem vos ita nunc in aliis partibus occupatos, ut vestro soccurso de præsenti respirare nequeamus. Quòd si citò nobis à filio vestro subventum non fuerit, communi nostrorum consilio, divinum officium desiturum in toto EPISCOPATV nostro noveritis. Si Comes Odo apud vos est, monete illum ut sobveniat nobis propter Dominum, & fidelitatem vestram.

C

Epist. CVI.

Dilectissimo Domino suo Fulbertus Episcopus O. cui optat iuxta Domini praeceptum serpentinam prudentiam columbinâ simplicitate præditam.

QVod tuo beatissime Pater, aliorúmque multorum relatu perceperam, id ipsum nuper domino Berardo Suessionis Episcopo referente cognovi. Scilicet incurrisse te gravissimum Reginæ odium faventem potius merito suo, de constituendo Rege maiore filio, quem dicunt simulatorem esse, segnem, mollem, in negligendo iure patris futurum, fratri suo minori attribuentes his contraria. Te quamplurimi Episcoporum rodent clanculum. Vndè quantum ex verbis supradicti Præsidis adverti, cen tuom coëpiscoporum morum Francigenarum super hoc agendum negotium, intimare tibi non me piguit: ut si fortè D sanior est, ei ne refrageris, & à periculo tibi caveas. Est autem hæc eorum ad componendam utrinque litem sententia, patre vivente nullum Regem sibi creari. Quòd si acrius institerit in vita patris hoc fieri, quem meliorem senserit, ad Regem debere sublimari. Videris pater Prudentissime, ne sis plus æquo iustus, nec à sanctis consacerdotibus tuis perperam diffideas.

Mendosa & obscura epistola.

Epist. CVII.

CErtum est omnibus qui fundamenta Catholicæ puritatis noverunt, totius Ecclesiæ soliditatem in pace consistere, & signum Christi discipulatùs in dilectione. Nam sicut in Evangelio Dominum dixisse legimus, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, & iterum, *in hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem*, liquet ergo neminem fore Christi discipulum, nisi E signo dilectionis ac pacis fuerit insignitus. Hoc verò signaculum non adipiscitur, nisi ab iis in quibus fuerit unitas voluntatum. Vnitas autem voluntatum inveniri non potest, nisi in his qui suum velle & nulle in unius propositi iudicio constituunt. Vnde & autor pacis nullum ordinem in Ecclesia sine Prælati regimine relinquens, pro certo insinuat, nullâ aliâ ratione fragilitatem humanæ labilitatis ad unitatem Spiritus posse redigi, sive in pace conservari. Quare nos pauci fratres in Cœnobio cui Cella Bononi nomen, Deo pro posse famulantes, quia vinculum pacis & signaculum Christianæ disciplinæ dilectionem per unitatem cordis, vel animæ possidere cupimus, post obitum Domni Garini Abbatis viri religiosi elegimus fratrem quemdam morum probitate ornatum Benardum, quem nobis vice Patris præesse volumus. Et in definitione eius, sententiarum nostrarum uniri diversitatem, ne diversa sentientes, à Christi doctri-F na inveniamur extranei. Facta est autem electio ista consilio, atque authoritate domni Abbatis majoris Monasterij post excessum gloriosi Principis Odonis, à quo hujus rei curam susceperat. Qui hoc in conventu Monachorum ritu celebri peracto, obtulit etiam fratrem prædictum nobilissimæ H. Comitissæ, sub cuius ditione locus ipse consistit, & Stephano Comiti eius filio, à quibus donum rerum temporalium, ad idem pertinentium Cœnobium suscepit. Dehinc verò statuit eum venerabili Manardo, Trecasinorum Præsuli, cuius Ecclesiasticâ auctoritate electionem huiusmodi corrobari oportuit, atque ab ipso animarum curam suscipi, necnon Abbatis benedictionem secundum institutionem Patrum celebrari. Quòd ipse benignissimè annuit, & omnia prout mos expostulat Ecclesiasticus, utpote vir prudentissimus atque eruditione clarus complevit.

G

Epist. CVIII.

Domino & venerabili sanctoque carissimo fratri & compresbytero Fulb. frater Odilo salutem in Domino.

O Illustrissime vir, quid sibi vult quæstio prolata nobis à quodam vestro fideli Clerico, placuit ut ipse fatetur paternitati vestræ, me licet indignum iudicem fieri vitæ vestræ, mandando mihi ut litteratim describerem vobis quid mihi videtur de vestra quantum dici fas est irreprehensibili conversatione. Sed oculi caligine cæcitatis obtecti, non valent perspicuè intueri splendorem firmamenti, & globos stellarum cœli. Splendorem firmamenti voco & stellam, stellam etiam matutinam te vocabo, Danielis Prophetæ usus testimonio, *qui docti fuerint*, inquit, *fulgebunt sicut splendor firmamenti. Et qui ad iustitiam erudiunt multos, sicut stellæ in perpetuas æternitates.* Vos enim H qui talis ac tantus estis, quem nec quidem dignè cogitare valeo, nostro debetis æstimari iudicio? Nos enim qui ignorantiæ tenebris pressi, nosmetipsos non possumus dignoscere, iustorum vitam nostro arbitrio nullomodo debemus æstimare. Vos omnis homo adeò laude dignum meritò indicat, ut plus de vobis mirari libeat, quam aliquid dicere liceat. Obruetur intellectus nostræ parvitatis, pondere vestræ quæstionis: nisi esset in prompto recordatio divini sermonis. Vt enim daret exemplum fidelibus auctor vitæ & salutis, ut ipse melius scitis, utpotè vir per omnia Evangelicus veniens in partes Cæsareæ Philippi, interrogabat discipulos suos, *quem dicunt homines esse filium hominis?* & post pauca, *vos autem quem me esse dicitis?* Non idcirco interrogat, quem nemo novit, & quem nihil latet, veluti qui nesciat, sed ut Prælatis Ecclesiæ exemplum de se interrogandi præbeat. Et ideò unusquisque præpositus Ecclesiæ à subditis debet exquirere cuius famæ cujusve sit opinionis, & si aliquid de se audierit, Deo à quo si quid boni est habeat gratias & referat, ut de

virtutibus in virtutem ipso annuente foelici cursu perveniat, usquequo Dominum Deorum in Sion videre queat. Si verò sinistrum aliquid de se audierit, poeniteat, & de cætero sollicitè emendare satagat: sed & si vos movet exemplo doctorum de vobis interrogandi auctoritas, prædicanda à nobis est vestræ sapientiæ claritas, vestræ fidei puritas, vestræque industriæ probitas, quippe quia caret omnino silentio veritas, sed ab homine idiota & sine litteris non potest prædicari Deo amabilis & in mundo odibilis. Hæc de vobis nunc & alias, & in communi locutione, non aliqua fraude adulationis deceptus, non alicuius muneris, laudis vel pecuniæ cupidus retuli, sed quod veraciter credo & quod ut fiat quam maximè opto, dicere etiam non recuso, nec recusabo. Si autem me adulatorem indicaveritis, audite scripturam, *fili mi si te lactaverint peccatores ne acquiescas illis.* Non est tamen culpabile si illos laudamus quos dignos laude credimus, dicente scripturâ, *laudet te os alienum & non os tuum.* Si autem aliquis velit opponere quod scriptura dicit, ne laudes hominem in vita sua, & ego assentio, quia mortali vita vos mortuos existimo. Qui ab Apostolo audistis, *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Et cum ipso, & verbis & operibus dicitis. Si enim vivimus, Domino vivimus, si vero morimur, Domino morimur. Sive enim vivimus sive morimur, Domini sumus. De cætero chariss. ut quidam sapiens ait, *Omnia fugere poteris homo præter cor suum.* Non enim potest à se quisquam recedere. Vbicunque enim abierit, conscientia sua illum non derelinquit, & Apostolus Paulus, *Nemo scit quæ sunt hominis nisi Spiritus hominis qui in ipso est.* Dicerem tamen aliquid exhortandi gratiâ, sed quomodo debet docere indoctus, quem unctio Spiritualis docet de omnibus? Sed illud recitem Evangelicum, adhuc unum tibi deest, quid illud sit quam optimè nosti. Vale, &c.

ALIÆ EPISTOLÆ Canonicorum Carnotens. & Guill. & aliorum plurimorum Hildeg.

EPIST. CIX.

Clarissimo Turonensium Archiepiscop. H. A. Decanus & tota Congregatio Canonic. Sanctæ Mariæ Carnotensium prona atque devota fidelitatis obsequium & orationis suffragium.

NVper antequam Romanum iter agere cœpisset beatissimus Pater noster Fulbertus Episcopus vestro, ut scitis, dulci usus est colloquio. Vndè reversus dum quadam die in Conventu nostro resideret, de ipso itinere nobiscum agens, conquerentibus nobis post abscessum eius multa nos à pluribus adversa passuros, & nominatim à Fulcherio eiúsque nepotulo, suorum quoque manipulis furum, ille constanter & confortatoriè, ut solet in talibus respondit. Malorum iniurias boni æquanimiter ferre debent. Vt enim ipsi legitis in quadam homilia beati Papæ Gregorij, *bonus non fuit quisquis malos non toleravit.*

Adiecit prætereà se vobis inde fuisse loquutum, vos etiam illi & nobis prodesse, de ipsis malefactoribus adjutorium promisisse. Quòd si necessitas urgeret, præcepit statim vestræ paternitatis solatium nos adire. Quod nunc facimus potent. Pater, variis pulsi tribulationibus. Nam ut alias omittamus, illi anathematizati, quorum supra meminimus, postquam dilectissimus Pater noster viam suam tenuit, terras nostras quæ sunt in ministerio, Herveii & Teroldi, quasi lupi caulas ovium irrumpentes nobis immerentibus prædati sunt. Neque etiam tabidis eorum morsibus ovium damna suffecerunt: Immo vero ad devastandam quandam pastoris ipsius potestatem quæ dicitur Ermenulphi villa, se converterunt. Proinde rogamus vos iustissime Pater, ut propter amorem sanctæ sanctarum Dominæ nostræ, cui servimus licet indigni, ipsius quoque dilectissimi vestri qui in vobis plurimum confidit, & nos abiens vestro patrocinio commisit, prædam suam & nostram reddere faciatis, cum nepote vestro Gaufrido magnopere satagendo, quatenus ipsi lupi, res Domini præsulis, & nostras deinceps non diripiant, vel donec annuente Deo ipse redeat. Valete & vos supplices vestros, quidquid de iis egeritis, mandando rescire dignamini.

EPIST. CX.

Venerabili Lex. Pont. Herb. Congreg. Canon. sanctæ Mariæ Carnot. plurimum salvere & orationum suffragia.

IVbes inclite Præsul, nos date tibi circadas de Ecclesiis nostris quæ sunt in Episcopio tuo. At nos serenitati tuæ verum quiddam intimare volumus, scilicet quod Episcopi Beatæ MARIÆ, in quorum Diœcesi possidemus Ecclesias, hunc semper amoris & reverentiæ cultum exhibuerunt sanctæ sanctarum Dominæ nostræ, ut à nobis eius licet indignis famulis nequaquam exigerent id obsequij, quod requiris. Vide quæso ne importuni vocemur, dum rogamus te benigne Pater, ut honesta sanctorum Patrum sequens vestigia, nos huius pensionis angaria nullatenus obliges, ne in hac parte nobis officiendi primus author ipse notèris. Optamus enim potius non parvo tuæ ipsius utilitatis amore ducti, in albo fœlicis ordinis benefactorum nostrorum te recenseri, ut cum pro illis, tum etiam pro te iuge Domino sacrificium offerentes, ac humanitatis tuæ beneficia coram illa recitantes, dignum te libro quoque vitæ cœlestis inseri prædicemos. Præterea non arbitramur notitiæ tuæ amplitudinem præterisse Dominum nostrum Fulbertum Episcopum cui te valde charum esse scimus, Romam pergere. Quòd ideò memoramus, ut si liberalitati tuæ placuerit nostræ petitioni favere, nos id illi cum redierit innotescamus, tibi quidem pro hoc bene ac sapienter facto nimium gratulaturo. Quòd si non oramus saltem nos expecta supplices tuos: illum reversum super hoc consultum ire debentes, à cuius nutu pendent nostra consilia, neque interim ullum interdictum facias Ecclesiis nostris. Benè agendo valeas, de sacrario tui pectoris, quid oraculi super hæc egrediatur, nobis rescribere ne graveris, iterum iterúmque ac semper valeas.

EPIST. CXI.

Amicus amico Hildeg. Sigifrido totius boni sufficientiam precatur.

DVm apud nos morareris, inter primos amicorum meorum habitus quid mihi tuis obsequiis plerúmque dedito pollicitus sis, memorem te esse puto. Ipse tamen ejus rei te commonefaciens, rogo ut secundum promissionem tuam mittas equum Ambulatorium, qualem te dare nos quoque recipere deceat, cum illis equidem sentio, qui amicitiam non propter se tantum, sed & propter utilitatem censent esse expetendam. Diu vivens, & benè agens præmio æterno potiaris.

⁂

Epist. CXII.

Hildegarus Domini Fulberti discipulus Sigefrido Ric. com. Capell. adhuc salutem.

VErbis tuis fidem minime servans diu me fefellisti Vnde cum me deceptum esse doleam. tum pro mendacio tuo pudor mihi maximus ingeritur. Non enim deceret tantam personam probrosum falsitatis nomen subire. Horrendom etiam esset in sacrilegij crimen incidere, quia sicut legitur, *verba sacerdotis aut vera aut sacrilega.* Obsecro itaque per sanctam amicitiam quæ inter nos esse debet, ut honestæ veritatis famæ te reconcilies, mittendo mihi ad præsens per Gauterium Monachum olim meum, merito mihi promissum abs te Caballom. Quod ni feceris, noveris te funditus ab amore nostro decidisse, teste conscienciâ meâ, dixerim, in hoc quod ego te rogo, non magis utilitatem meam quam tuam, & simul bonorem exopto.

Epist. CXIII.

Quem pura dilectionis affectu colit seniorem suum E. H. plurimum salutis.

POtionem Iera quam Dominus Præsul tibi mittit sumes, cum aqua calida ante crepusculum diei, noctè qua debes eam accipere non cœnabis. Et ipsa nocte positam potionem in quo distemperanda est, asperges salis gemma, vel si hæc non adest delicato sale ad pensum unius scirpuli. Acceptâ potione sedeas ante focum, absque ullo tumultu, cavens tibi pœnitus à frigore, & si paulum cubueris non nocebit, nolo tamen, ut dormias, cum primum senties moveri tibi ventrem, deambula pedetentim, & sic ad secessum vade, si propter solutionem tandem cœperit te sitis, nequaquam bibes, nisi paululum aceti cum aqua calida mixti, proter stomachum diluendum seu relevandum. Quod etiam non urgente siti facere poteris solutione propemodum vacante, prandere differes, quousque senties catarticum nihil amplius operari velle. Cum sederis ad mensam vide ne quid nimis. Neque manduces aliquid stipticum vel plus æquo salsum. Plura de observationis modo notarem, nisi pauca sufficerent sapienti. Hoc tamen scribere me jubet nescia simulare charitas, ut talem potionis hujus sentias effectum, quatenus semper incolumis perseveres. Vale.

Epist. CXIV.

Hildegarus G. verba transformare in act.

TVæ, mi Domine, charitativæ promissionis nuntium hactenus sustinens laboravi nimium Sollicitus námque quid tuæ celsitudini meæ parvitati placuisset designare, percunctabar unde sese reciperent viatores quosque pendens, ab urbis vallo huc respiciente. Nemine vero dante responsum tui de parte, mœstus redibam domum jam facta nocte. Sed quia in humanis perfectum nil exstat ex toto, humano parcimus ingenio. Peto tamen ne promas in verba talis excusationis, quin quod pollicitus es adimplere studeas, sine fuco dilationis, igitur ut certiorem reddas, mando & deprecor quatenus innuere digneris, qoid me agere jubeas. Nolo, mi Domine hæsites in calamo, bonum opus habens in animo, quoniam in perfectione erit ex Dei auxilio. Vale.

Epist. CXV.

Hildegarus G. bene optata consequi.

TAntam apud me tua prudens simplicitas invenit gratiam, ut quod à me petisti non magis ipse fieri, quam ego velim. Sed quoniam in præsentiarum facultas non suppetit, , animus meus, verens me tibi suspectum esse, quasi verba dare molientem. Quod non esse meum credas per fidem quæ inter nos est, obsecro, rogans te modicum tempus adbuc sustinere, donec gravissimis quibus impedior officiis expeditus, operam tibi dare queam. Quod si forte morarum impatiens mox ad me adveneris, si votis tuis minus respondero, nequaquam id mihi causam perdoctus iure succensebis. Vale nunc & semper. R. Turonensis.

Epist. CXVI.

Hand. Præsul H. Turonensis Archiepiscop. salutem.

QVamvis tua nuper ad me directa epistola sibi condigna mereatur rescripta, satius tamen existimavi responsis interim suæ contumaciæ debitis supersedere, quam tuæ saluti quantum ad nos non consulere, & inter consulendum quibusdam Epistolæ locis discretè & humiliter non respondere. Medicorum enim est melancholicis sive maniacis, seu qualibet alia valetudine laborantibus, licet ingratis & conviciis artificem lacessentibus, nihilominus tamen suæ artis experimenta impendere, & ut curentur attentius insistere. Vnde & me nec professum quidem medicum quippe imperitissimum, si tamen ad hoc jure prælationis utcunque provectum, qui te si exorbites debeam corrigere, oportétque ex coëmptis sanctorum Patrum medelis tibi, licet ingrato medicari, & cœteris, velis nolis insistere. Sed priusquam ad hoc veniam, libet, ut dixi quibusdam tuæ Epistolæ locis obviare. Nam cætera quæ plurimam partem illius occupant prætereunda censeo.

Quod ergo me inconsultæ conceptionis fuisse, & temere ac sine culpa te non vocatum à divino officio separasse criminaris, certâ & inexpugnabili contradictione destruo. Inconsulta namque conceptio non fuit quæ tibi conditionem quid potius velles eligendum proposuit. Quod si bene advertisses, inconsultum non dixisses. Inconsoltus igitur fecisti, qui te ut post clarius liquebit, in pejorem partem flexisti. Non temere vero ac non sine culpa te & tuos fuisse interdictos, testantur reliquiæ vinearum in quibus vestra fixisti castra. Quod in exemplum datum cæteris quibus acerrimè culparis fidem facit. Te quoque vocatum esse, qui tibi missas à me sciat literas, qui vel insanus non asserat? Te igitur frater rationabiliter pro tua culpa & Canonicè vocatum & à divino officio separatum recognoscendo plange, & plangendo ad satisfactionem revertere Quod si quadragenatio vocationis spatio lege Canonum te defendere niteris, scio quia singulares causæ vel personæ non præjodicant legi. Nam te in furorem versum, & ex Præsule ducem tot armatorum factum, totam nostram patriam creduliter vastare cernens, ferrum, ignes, diversásque nobis mortes minatum, imminentique plagæ quadragenariæ vocationis spatium, ut desisteret nihil videns prodesse, venabulum mox tibi excommunicationis opposui, ut eo saltem viso territus, te & tuos vel ad momentum refrænares, & Præsulem quem amiseras recognosceres. Sed tu maluisti illo excommunicationis venabulo configi, quam à cœpta tyrannide vel ad punctum refrænari. Nam quod dicis te Regis hoc iussu fecisse, nec nego nec affirmo, nec quid hoc levet intelligo. Cujuscúmque enim hoc iussu feceris, eadem culpa ac si nullus iusserit urgeris.

A Nam ad exaggerationem tuæ culpæ, ista satis transgressio sufficit, quod præter mea tui Archiepiscopi consulta, contra Canonicam auctoritatem tale aliquid incipere præsumpsisti. Quodque etiam me jubente non debuisses facere, hoc te ipso consultore fecisti. Quod autem, ais, te in malum Odonis agere impulsum, nec etiam ei palmitem destruxisti, sed vineas Canonicorum sancti MAVRITII præter cætera quæ in tuam matrem Ecclesiam jussu tui D. FVLCONIS intulisti opprobria, radice tenus comminuisti. His de causis excommunicatorias tibi literas, quas contra jus & fas audaciæ notas dicis, misi. Nec te oportuit tuum Magistrum & Dominum tam temerè reprehendere, ut à tuo incœpto resipisceres, transmisi, non ut te vellem flecti in eam partem qua corruisti. Quod discretè an indiscretè fecerim, tua juridicialis libra penset, qui consultorem quærere mones. At si indiscretè ac sine causa temerariam in te, quod absit, excommunicationem intorsissem, sustinere tamen judicium tui pastoris, & à sacra celebratione cessare debuisti. B Quod quia non fecisti, & consultrice superbiâ tui Magistri interdicta parui pendisti, prudens in voraginem te excommunicationis præcipitasti. Accipe super hoc quid Beatus Gregorius dicat. *Verum*, inquit, *justè an injustè obliget Pastor, Pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is qui subjectus est, & cum injustè forsitan ligatur, ipsam obligationis sua sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem qui sub manu Pastoris est ligari metuat vel injustè, nec Pastoris sui judicium temerè reprehendat, ne etsi injustè ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia culpa quæ non erat fiat.* Hactenus beatus Gregorius. Hac igitur frater argumentatione convictus cum sis, excommunicatum te recognoscendo iterum plange, & plangendo ad satisfactionem revertere.

Atque his tuæ Epistolæ locis tantum nos respondisse sufficiat, cæteris aliquis otiosus respondeat. Nam ego illa quæ magis sunt necessaria & pollicitus sum H. fratri prosequar. C Contemplor ex motibus tui corporis diversa genera passionum tuam germinare animam: quibus si aliquo medicamine priusquam in vires prodeant, non occurritur, mirabilem tuæ animæ generabunt mortem. Sed congrua cuique passioni ignorabitur medicina, nisi origines, & ut ita dicam radices earum, intentissimâ discretione fuerint exploratæ. Omnium itaque passionum animæ, unus fons atque principium est. Secundum qualitatem vero partis quæ in anima vitiata fuerit, unaquæque passio vocabulum sortitur. Quod & corporalium morborum docetur exemplo. Si enim vis noxij humoris obsederit caput, Cephalargica passio nuncupatur, si pedes Podagrica, si manus Chyragrica nominatur. Totque vocabula unius humoris sortitur incommoditas, quot membrorum obsederit portiones. De visibilibus ergo ad invisibilia transeuntes, uniuscujusque animæ partibus unumquodque vitium inesse credimus. D Quam sapientissimi quique tripartitæ definierunt esse virtutis. Nam & rationabilis est, & irascibilis, & concupiscibilis. Secundum ergo qualitatem vitiatæ partis, infectio cuiusque pestis nominatur, nam si rationabilem partem infecerit: Cenodoxiæ, elationis, invidiæ, superbiæ, præsumptionis, hæreseos vitia procreabit. Si irascibilem vulneraverit, furorem, impatientiam, tristitiam, accediam, pusillanimitatem, crudelitatemque parturiet. Si concupiscibilem infecerit portionem, Gastrimargiam, fornicationem, Philargiriam, & desideria noxia terrenaque generabit. Animadverto igitur frater, ex motibus tui, ut dixi, corporis, tuam animam suam generare mortem. Nam cum tu tantam in me tuum præsertim Magistrum, superbiam, contemptionem, & præsumptionem demonstrares, apparet rationabilis tuæ animæ partem, miserabiliter esse corruptam. Certis enim indiciis hæc tria in te notantur. Superbia, videlicet, quod tam superbè Archiepiscopo respondes. E Contemptio quod sua interdicta parvipendis, quæ licet injusta, quod absit, essent, tamen sicut superius probavi, timenda tibi esse debuissent. Præsumptio quoque, quod justè an injustè interdictus ad sacram celebrationem accedis. Quorum trium judicia rationabilem, ut dixi, animæ tuæ partem prædicant esse vitiatam. Reliqua autem si qua in te germinant tute ipse videris. Nam huic ego parti quam tam horribiliter corruptam cerno, quiddam ex sanctorum Patrum coemptis, sicut pollicitus sum medelis quo revoceris ad salutem procurabo. Sed hæc procuratio nil tibi proderit, si prius vulneri quo ad mortem infixus es, satisfactionis medela non subvenerit. Quo, ut dico, per satisfactionem sanato, tumores illico superbiæ, contemptionis & præsumptionis quos in tuam animam induxisse suspicor, falce discretionis amputabis.

Deinde amputationis illius vulnera recentia, ne aliquam aliam passionem generent, pœnalis cauterio timoris ustulabis, quam usturam ne frigus impietatis F tangat, charitatis ardore & oleo fovebis misericordiæ. Quod si ita feceris, & superbia illa, quâ instigante responsa in me tam tortua jaculatus es, & contemptio, quâ meum interdictum parvipendis, & præsumptio, quâ excommunicatus ad sacram celebrationem accedis, peribunt. Et rationalis pars tuæ animæ magna ex parte ad incorruptionem revertetur. Post hæc autem has virtutis species, humilitatem, patientiam, & obedientiam in unum melle divinorum eloquiorum conficies, & in buxula tuæ mentis hoc antidotum diligenter recondes, unde quotidianam tua anima diætam sumens, non solum has pestes in perpetuum non germinabit, sed etiam à cæteris omnibus incorrupta fulgebit. His te frater monens, non fastu doctoris efficior, sed officium meæ prælationis trepidus exequor, quibus si annueris, tuæ ut arbitror saluti providebis. Si autem, quod absit, aliter pariter neglexeris, quod meis repugnent factis, ab hoc te errore dominicâ voce reprimo, quâ ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: quæcunque ergo dixerint vobis servate & facite, secundum vero opera illorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt.* G Scribis enim & Pharisæis, ut tu ipse melius nosti, commissa erat doctrina legis, ut eam exponerent auditoribus suis. Ideò Dominus dixit: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi*, id est, super doctrinam legis, quorum dictis posthabitis factis, auditores obtemperare jussit, cum ait: *Quæcunque ergo dixerint vobis servate & facite, secundum vero opera illorum nolite facere.* Pharisæi enim, quod docebant malis operibus destruebant, quòd Dominus subsequenter adiunxit, *Dicunt enim & non faciunt.* Tales sunt modo in Ecclesia Episcopi, Presbyteri & Abbates, qui benè docent & malè vivunt, de quorum numero & me esse confiteor. Sed tamen quia super cathedram doctrinæ & prælationis, licet indignus & imperitus, nec dicta factis compensans, sedeo, si quid boni à me in illa cathedra sedente præceptum tibi fuerit, dominicâ ut audis, admonitione observare debebis. H Quòd si neglexeris, dominicis præceptis apertissimè contraibis Vale.

EPIST. CXVIII.

Domino Arch. Sancto & venerabili Abbati G. Dei gratiâ Dux Aquitaniæ prospera cuncta.

CHaritatem vestram iam secundò interpellavi, ut mitteretis ad Carrufiense Monasterium quosdam ex Monachis vestris, qui essent ferventes in observanda regula sancti Benedicti, quorum sancta conversatio fratribus ipsius loci bonum præberet exemplum, & eorum Abbatem fasce regiminis levaret. Quoniam verò petitioni meæ nondum acquievistis, nunc quo-

que

A que tertiò ad ostium vestræ charitatis pulso, instar illius Evangelici petitoris amicum obnixe rogantis, ut si non propter amicitiam, saltem propter improbitatem meam accomodetis mihi quotquot habeo necessarios. Obsecro igitur vos in nomine sanctæ Trinitatis, quæ Deus unus est, ut decem fratres ex Collegio vestri angelici Ordinis mihi transmittatis, memores tandem illius Apostolici dicti, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Valete, cum omnibus vestris.

Epist. CXVIII.

Sancto & venerabili Andegavensium Episcopo H. humilis Pictavorum sacerdos suffragium orationis & fidelitatis obsequium.

CVm mihi constans dilectionis vestræ sit habitus, eo magis gauderem, Præsul optime, quo vobis sæpius placitura facerem. Noverit ergo serenitas vestra, quod libentissimè venirem ad pretiosissimam B dedicationis templi vestri solemnitatem, nisi detineret me causa hujusmodi. Dominus noster Guillelmus Comes habito consilio cum Italis præcepit mihi, & Dominis meis Isloni atque Rohoos coëpiscopis sua quædam seria procurare, quæ nullatenus sunt nobis postponenda. Hac de causa quia charitatem vestram invitatus adire nequeo, non parum animum meum occupavit ægritudinis affectus, sed hoc consolor, quia spero me per Dei gratiam alias officiis vestris alacriter affuturum. Valete.

Epist. CXIX.

G. Dei gratiâ Dux Aquitaniæ Domino Leoni Vercellensium Episcop. salutem.

ITali suaserunt mihi & filio meo intromittere de regno Italiæ, facientes nobis Sacramentum & ipsius regni & Romani Imperij acquirendi, per rectam fi- C dem, quantum potuerunt. Vnde mando vobis & precor vestram gratiam, ut adjuvetis nos de hac causa sicut melius scitis & potestis. Modo appareat si verum est, quod semper mihi dixistis, vos amicum meum esse, & rerum mearum curam habiturum, si opus esset. Hoc scitote, quia si nostris partibus faveritis nunquam vidistis tam bonos dies, quam illos, quibus nos in illum honorem mittetis, nam omnia nostra procul dubio vestra erunt. Remandate mihi quam bene possum confidere in amore vestro, & adjutorio. Valete.

Epist. CXX.

Domino suo chariss. Fulbertus Præsuli H. omnium expetendorum summam optat.

QVod ante vindemias non revisi vos, Pater dile- D ctiss. fratris B. morbus me detinet, cum opportunum fuerit, annuente Deo, libentissimè id acturum. Scripto vestro interim quæso mihi innotescere, quomodo vos agatis, & qualiter condiscipuli mei se gerant in scholis, & an melius solito celebrent Canonicas horas. Mitto vobis unum ex duobus libellis, quos amicus noster Comes G. rogavit transcribi. Immissum cuidam hunc librum in arca mea celabat oblivio, putante me illum vobis esse delatum. Si vos vel vestros in quærendo laborare feci, mea culpa. Salutate precor vice mea Dominum meum Sigonem & Hiduinum, Priorem animum meum, & alterum animæ meæ dimidium. Cæteri vestri omnes salvi sunt in Cristo, summâ omnium salute vos protegente. Amen.

***

Epist. CXXI.

Fratri E. H. omne bonum optat.

E VOlo scribas mihi charissime, quam bene tibi procedat scolasticum officium a Domino meo Præsule, rogatu meo nuper tibi commissum, quantum ejus gratiam inieris, qui te demulceant, qui mordeant, quam incolumis tute consistis. Prosperitas tua salus mihi est, adversitas ægritudo. Valeas semper in Christo.

Epist. CXXII.

Arch. I. humilis episc æternam salutem.

MAgnas gratias referimus vestræ charitati, petitionem nostram explere sub rationabili conditione promittenti. Cui conditioni velle nos alacriter deservire, sed minimè posse magnitudini vestræ no- F tum facimus. Doctores enim itineris ipsi multis occupati mittere vobis non possumus. Nec ab ipso Comite Vu. quærere valemus, quoniam abest in expeditionem profectus, ut ajunt, non rediturus usque ad decimum septimum Calendas Novemb. cum sequenti die simus dedicaturi Ecclesiam nostram. Nolumus ergo excellentiam vestram fatigatum iri, ne forte cum volumus præsentiâ vestrâ gaudere, aliquo vestri incommodo, obiter vobis illato turbemur, quod si accideret, lætitia vestræ solemnitatis in maximum verteretur mœrorem. Valete fœliciter.

Epist. CXXIII.

Quem jugiter in præcordiis anima sua fovet D. & Patri suo F. Het. perpetuo vigere.

G DVx noster G. vobis amicissimus profecturus est in Italiam die Iovis proximè venturo sciscitari de causa filij sui, si cum honore & incolumitate sua fieri queat, Itali enim elegerunt eum sibi ad Regem, facientes ei Sacramentum, & Italiæ regnum concedendi, & Romanum Imperium acquirendi, per rectam fidem quantum possunt. Hac de causa præcessurus est prudens Pater filium, quem supra dixi, cum ipsis deliberaturus. Nunc ergo prudentiæ vestræ est decernere, utrum ad nos illo absente veniatis juxta condictum. Si veneritis, victualia vobis Deo largiente non deerunt. Vnde quodlibet vobis placuerit literis mihi rogo significari. Interea & semper cum omnibus vestris benevaleatis, sanctiss. Pater vitæ nobis dulcedo pariter & gloria. Si transieritis Bituricas cum Odone de dolis amicè loquimini. Inveni illum in Romano H itinere prudentem virum, & spero vobis obsequentissimum fore, si quid obsequij vultis ab eo, est etiam Comiti nostro G. satelles fidelissimus & familiarissimus. Fulco Comes appellatus à Comite Guilne vobis inter vias technam molitur, respondit in verâ fide, sicut vobis visum est nullam se moliturum, velle etiam sibi præmandari vestrum adventum, ut conducat vos per sua. Prosperum iter faciat vobis Deus salutarium nostrorum.

Epist. CXXIV.

Marchioni clariss. & uxori suæ B. prudentissimæ G. Dei gratia Dux aquitaniæ in perpetuum vigere.

QVod cœptum est de filio meo, non videtur mihi ratum fore, nec utile, nec honestum. Gens enim vestra infida est, insidiæ graves contra nos oriuntur: si eas vel cavere vel superare non possumus, regnum

nobis minimè proderit, fama nostra periclitabitur. In nostris etiam partibus diversi diversa jam cœptant, novis rebus animati, quibus nos ad præsens intentos vident, & in futuro arctiùs occupari putant, quæ nec posse reprimi vobis alias intentis, vos ipsi etiam turpe & inutile decernitis. Quo circa per fidem & amicitiam quæ inter nos est obsecramus, vos operam dare qualiter absque nostro & vestro dedecore, ab incœpto desistatur, caventes ne filius meus vel quilibet aliur hoc tesciscat, donec invicem secreto loquamur. Quod si Deo disponente non dimittitur quin fiat, curate vt consensu Archiepisc. p. Mediolanens. & Episcop. Verselensis & aliorum quorum interest effectum obtineat. Vale.

Epist. CXXV.

Domino G. Duci frater Leo servitium.

NE tristeris, amice carissime, si Longobardi te deceperunt, ego certe optimum tibi dabo consilium, si mihi credere volueris. Esto vir fortis, & de præteritis ne cures, & de futuris caveas. Per tuum fidelissimum hominem mihi manda, quid velis facere, & ego optimum tibi dabo consilium, mitte mihi Mulam mirabilem & frænum pretiosum & tapetum mirabile, pro quo te rogavi ante sex annos, amen dico tibi non perdes mercedem tuam, & quidquid volueris dabo tibi. Vale.

Epist. CXXVI.

Domino Leoni Verselensium Episcopo Guillelmus Pictavensis amicus eius carissimum salutem & servitium.

MInimè tristor, carissimè, super Longobardorum deceptione, non enim deceperunt me, qui nequaquam habuissem fidem promissis eorum, de præteritis eorum fallaciis ego non curo, de futuris per Dei gratiam mihi cavebo. Non parum autem miror de te qui & multam præteritorum habes memoriam, & non minus futurorum jactaris habere providentiam, quod illius C. partibus consensisti, qui nec in sua terra aliquid tibi vnquam donavit, neque posse donare fertur, nec aliquid auferre in regno Italiæ. Sed quamvis in hac causa non bene tibimet consuluisse videaris, & mihi amicos meos probanti suffragium nullum præbueris, expectabo tamen illud optimum consilium, quod mihi te daturum promittis, si tibi credere voluero. Manda mihi per litteras, quomodo vis ut tibi credam, & quæ beneficia mihi provenient per tuum consilium, ex dono illius C. si regnum Italiæ quod mihi promittitur, & quod adipisci possem, Deo volente, si multum curarem quærere desiero. Mulam quam rogasti non possum ad præsens tibi mittere, quia non habeo talem qualem ad opus tuum vellem, nec reperitur in nostris partibus mula cornota, vel quæ tres caudas habeat vel quinque pedes, vel alia huiusmodi, vt congruè possis dicere eam mirabilem mittam vero tibi quam citius potero, vnam optimam ex melioribus quas reperire possim in nostra patria, cum fræno pretioso. Cæterum tapetum tibi possem mittere nisi fuissem oblitus quantæ longitudinis & latitudinis iam dudum requisisti. Rememora ergo precor quam longum & latum esse velis, & mittetur tibi, si invenire potuero. Sin autem jubeo tibi fieri quale volueris, si consuetudo fuerit illud texi apud nostrates. Nec pro his quæro mercedem illam quam polliceris, ut dones mihi quæcunque voluero, quod fieri non potest. Peto autem ut etiam si nihil tibi dedero, memor sis mei in orationibus tuis, & ores pro me ut *inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluntatem Domini & protegar à templo sancto eius.* Et illud optimum consilium quod mihi spondes ne differas. Promissiones tuæ excitant me habere in te multam fiduciam, quia meum est amico credere, & de promissis ejus non diffidere. Et tuum est aut nonquam promittere aut promissa adimplere. Superius Sermone nostro lusimus tecum, Domine Leo frater charissime, nunc seria verba dicemus. Longobardos non arguo deceptionis, quam in me exercere vellent. Quantum enim in ipsis fuit paratum erat mihi regnum Italiæ, si unum facere voluissem quod nefas judicavi, scilicet ut ex volontate eorum Episc. qui essent Italiæ deponerem, & alios rursum illorum arbitrio elevarem. Sed absit à me rem hujusmodi facere, ut Pastores Ecclesiæ quibus mei Patres semper honorem exhibuerunt, quos ipse quantum valui semper exaltavi sine crimine inhonorem. Sub hac conditione vellent quidam primorum Italiæ me seu filium meum Regem facere. Non laudavit mihi hanc vituperabilem conditionem prudens Marchio Magnifridus, nec frater ejus Alricus bonus Episcopus, quorum me sanissimo plerúmqoe uti consilio nunquam * pœnituit, quos sapientia omnes Italos præstantioris ingenij, fidei & bonitatis esse censeo. Si quid rerum mearum tibi pro certò placuerit, quod mittere possim aut debeam, non te frustrabitur spes tua. Æquam mihi quæso repende vicem, ut & ipse votis meis imparem te non efficias. In proxima ventura festivitate sanctæ Dei Genitricis Mariæ litteras tuas opto videre, quibus animi tui secreta animo meo fidissimè pandantur. In Christo vivas & valeas.

* Locus obscurus.

Epist. CXXVII.

Domino suo F. H. fidelis ejus ad votum omnia bene contingere.

PRiorem tuæ pœnitentiæ causam, super Honore Beati Hilarij suscepto, justam esse novi Pater. Obsequens igitur mandatis tuis cum sim tuorum minimus, vixque necessarij nomine dignus, illud competenter dixerim quod tui præsentiâ carere multum mihi sit incommodum, utpote rudi quotidie tuis eruditionibus egenti, necnon ab obsequio Almæ Dei Parentis jam diu vacanti: ferre tamen hoc, & tuas licet graves ad nos veniendi protelationes, quia sic jubes utcumque satagerem, dum certus essem Ecclesiam sancti Hil. à te in proximo frequentandam aliquatenus exaltari. Tanti mihi aliquatenus proventura, coram Deo & hominibus gratia, cujus spe vehementer captus mirum in modum tamen à Clientela tua tandiu abesse & à supradictæ Dominæ servitio quasi emancipari antea pertulerim. Cum ergo te plus biennio detinuerit hæc sollicitudo Pastoralis, hinc Principum discordia, nec scio quando nisi illis abeuntibus componenda, ortaris forsitan aliis pluribus causis, te itidem remoraturis, vix ausim sperare, te vel semel Pictavorum fines revisere, & prout te geris animo illi egregio confessori Christi deservire. Sperabo tamen etiam adhuc sicut promittis, vice tuâ quod potero serviens, interim lætum rei exitum mihi tibique annuere, Dominum assiduis vocibus & anhelis precibus orans. Dic quæso Pater quis unquam tyro sine duce militavit? quis alto mari sine remige credere se voluit? G. Comes amicus tuus & Canonici nostri te resalutant, adhuc fideliter. Iordanus etiam Lemovicensis Episc. cui olim suffragium præstitisti, apud Archiepiscopum Bituricensem, plurima te salute impertiens rogat suppliciter, ut mittas ei vitam sancti Leonardi, in Episcopatu suo quiescentis, ut ajunt, sicubi reperire poteris, pulchre dicas hoc fœneratum esse. Ex mea quoque parte non vos pœniteat, te dico Dominum meum, charissimum tuum quoque Sigonem, probis moribus & artibus magnum, centenas millenas excipere salutes, ne te quæso scripti mei tædeat & Ineptiarum. Quædam legatis dicere iussi quæ audire poteris cum volueris. Vale charissime Pater.

A

Epist. CXXVIII.

Domino Fulb. venerabili Carnot. Episc. Guillelmus Dei gratiâ Dux Aquitaniæ salutem & caras amicitias.

CVm primum ad nos Pictavum, Præsul optime, venire dignatus es, & nostræ petitioni ut curam loci sancti Hilarij gereres acquiescere, gaudium magnum fuit nobis. Sed huic gaudio intercedit ægritudo, quod ad nos redire dissimulas. Vnde tuam precamur gratiam, noli dimittere quin venias, si fieri potest in Octavis Pentecostes. Sin autem vel octo diebus ante nativitatem sancti Ioannis Baptistæ tutum iter nancisceris, & apud nos satis militum habebis: sin manseris nobiscum plus quatriduo, in ipsius temporis articulo plurimum nos recreabis. O si venisses proximis præteritis Rogationibus, quantam nobis & Episcopis nostris lætitiam fecisses, tempestivè si velles Car-
B notum ad diem festum reversurus Pentecostem, vel si te subducere velles, ne ires ad Curiam Domini Regis, satis honestam causam habiturus! Quem in præsenti adire dimitto, minores inimicitias me suscepturum putans, ob meam absentiam, quam si essem cum Domino Rege vel Reginâ, non consensurus in ordinando Rege absque meo fratre Odone Comite. Quem enim ipse Regem fieri voluerit, ipsum & me velle pro certo noveritis. De ejus cum Domino Rege concordia quidquid audieris & ubi sit, si nosti peto rescribere, an novi Regis erit sacratio, aut non, aut cujos. Vale.

Epist. CXXIX.

Domino suo F. Episc. H. Servulus ejus gaudium perpetuæ salutis.

IN literis amici tui G. Comitis, multam deprehendere potes erga te benignitatem, familiaritatem,
C amicitiam, sustinentiam, quæ non opus est mihi exponere, tibi optimè scienti. Vita tuâ ac illius comite, non amittes susceptum honorem si tenere volueris. Suadeo ergo ne facias vel scribas ei repudium, si intelligis fore tibi utile, & Ecclesiæ tuæ restaurationi, & si est tibi animus, & facultas ad ipsum veniendi ut rogat, & mihi Vicarium subrogandi vel socium addendi. Nullatenus enim ferre possum nisi jussione tuâ coactus, vel absentari penitus me', vel abesse diutius obsequiis Almæ Dei Genitricis & tuis, desiderans ut cervus ad fontes aquarum tuis plenius instrui documentis, omni auro & argento, ipsa etiam vita mihi carioribus. Volo interim mandes mihi bone Pater, quid mercedis erit labori meo, tantulo scilicet, utrum jubeas ad præsens non obturari os bovis triturantis. An velut Isaac Iacob filium suum benedicens, caligantibus oculis Prophetans, in præsentique filium non vi-
D dens, multa mihi bona in posterum provideas. Feria secundâ post Octavas Pentecostes proficiscar ad te, si potero, rescituros utrum venias ad Comitem in Natali sancti Ioannis. Vale.

Epist. CXXX.

Domino R. venerando atque amabili decano sancti Hilarij H. æternam salutem.

MVltæ vobis gratiæ referantur, ex parte Dei & Domini mei Episcopi, & meâ quod sicut dicitis [illegible] sancti Hilarij bene custodistis. Hinc profecto vos ejus fidelem esse amicum & nostrum, quorum vicem exequi studueritis, certissime probatis. Quia vero nobis in præsenti vos audire non licet, de quibus nos interrogastis, significare curavimus, ut triginta quinque libras, & alias quas vobis dimisi, in opus sancti
E Hilarij per consilium boni ducis G. expendatis, nullam mihi partem reservantes. Non enim possum me intromittere amplius de officio sancti Hilarij, cum etiam via sit mihi & domino meo Episcopo difficilis propter sæculi malitiam quam nostis, & ita sanctæ Mariæ servitio tenear astrictus, ut ab hoc sine damno vel culpa dimoveri nequeam. Sed & ipsius Dei Genitricis eminentiam apud sanctum Hilarium si qua ex me est, hujus rei deprecari posse reor offensam, nec enim illum honorem cuilibet inferiorum postposuerim, sed clientelæ Matris Domini, quæ etiam Archangelorum omnium dignitati prælata est jure ut puta ejus alumnus quantuluscumque me reddiderim. Dicetis ergo illi prudentissimo Duci ex parte Domini mei Episcopi, ut tali rectori committat locum sancti Hilarij, quem nec difficultas itineris, nec imperitia Ecclesiastici Ordinis ab ejus obsequio detineat. Et hæ sunt rationes de quibus Reginaldus Vice-Dominus ad seniorem meum Episcopum loquutus est, & unde talem vobis finem mandamus. Nunc vestram charita-
F tem, quæ semper mihi fuit præstantissima, rogo dilectissime, ut omnes Clericos Domini nostri dulcissimi ac Beatissimi Patris Hilarij à parvo usque ad majorem, ea meo nomine salutetis, & omnibus orationum fidelia dicatis. Ipsi etiam Comiti centenas millenas salutes ex mea parte conferatis, quem præ omnibus Laicis diligo, memoriam ejus in orationibus meis ad Dominum faciens, qualescunque ei pro amore, & beneficiis, quæ mihi exhibuit indesinenter gratias agens. Similiter autem Dominum meum Isambertum Episcop. salutate obsecro, cujus in me benignitatis, ac hilaritatis, quanta fuerit gratia nullatenus dicere, nec quanta ejus probitatis sit magnitudo. Sed & filium Comitis & Dominam Comitissam, necnon & alias, quorum benevolentiâ etsi immeritus gauderem, eodem salutis munere cunctos impertiri ne pigeat. Ad summam vos ipsum bene valere optans finem orationis facio.

Epist. CXXXI.

Sacro Cen. Archip. L. Canonici sanctæ Mariæ
G *Carnotensis in Christo salutem & adhuc fidelitatis obsequium.*

MVltum miramur venerande Pater, quod bonis initiis, tam malos exitus habuisti, videlicet quod nobis Pastore carentibus, in altero substituendo primum bene favisti, & postremo sententiam tuam depravasti, alium quem nos elegeramus ordinando. Ne autem dicas ignorasse te electioné nostram, mandavimus tibi per Diaconos nostros, Odelerium & Fortimundum, elegisse nos A. Decanum cum litteris nostris, idipsum continentibus, qui talis nobis videbatur, qualem Episcopum ordinari debere dicit Consilium Carthaginense quartum. Quod si posthæc alium tibi obtulerunt vel Rex vel aliqui ex nostris minus sapientibus, oportuisse te causam diligenter attendere, & in-
H ter nos ipsos diiudicare, quorum sanior habetur electio, sicut in decretis Leonis Papæ significari optimè nosti his verbis. *Ille omnibus præponatur quem cleri plebisque consensus concorditer postularint, ita ut si in aliam forte personam partium se vota diviserint, Metropolitani judicio is saltem alteri præponatur qui majoribus & studiis juvatur, & meritis.* Volumus autem scire te quod ipsam electionem nostram mandavimus Domino Regi per suos Monachos Hernaldum Priorem & Restaldum præpositum sancti Dionisij, quibus obiicientibus nobis de Theodorico ordinando, regiam voluntatem injunximus, ut dicerent Reginam id temerè fieri jubere. Vocaret autem nos antea si sibi placeret, ad curiam suam, vel suæ voluntati consensuros, vel cur dissentiremus ostensuros. His vero dictis nostris ipse Dominus Rex contemptis, qualem sibi libuit personam absque nostra petitione ordinari violenter voluit. Immemor fortasse illius dicti Constan-

tini Christ. Imperatoris. De violentiâ Principum concontra se & contra alios pricipes ita se habentis. *Quæcunque inquit contra leges fuerint à principibus obtenta non valeant.* Sed ut ad præsens de ipso taceamus, qui sane viderit utrum omnia rectè agat, ne post factum pœniteat. Ad te Pater querimoniæ nostræ flectimus articulum, quem Ecclesiæ nostræ curam neglexisse, imò authoritati tuæ detogare vehementer dolemus, posthabito supradicto Leonis Papæ decreto. Quod si observasses rationabiliter utique egisses, & bene nobis, ut filiis Pater consuluisses. At ipso violato quam multa alia sanctorum Patrum violaveris tu te considera. Nos tamen pauca tibi de multis scribimus. Legitur in decretis Celestini Papæ. *Nullus invitis detur Episcopus, Cleri, plebis & ordinis consensus & desiderium requiratur*, & post pauca, *sit facultas Clericis renitendi, si se viderint prægravari, & quos sibi ingeri ex transverso noverint, non timeant refutare: quod si non debitum primum est, vel liberum de eo, qui eos recturus est, debent habere judicium.* Item ex Concilio Carthaginensi tertio: *Et illud est statuendum, ut quando ad eligendum Episcopum convenerimus, si qua contradictio fuerit oborta, quia talia facta sunt apud nos, non præsumant ad purgandum eum qui ordinandus est. Sed postulentur ad numerum supradictorum duo vel tres, & in eadem plebe qui ordinandus est, discutiantur primo persona contradicentium. Postremo illa etiam quæ obiiciuntur pertractentur, & cum purgatus fuerit, sub conspectu publico ita demum ordinetur.* Ecce quomodo Patrum sententiæ violentur. Nobis enim invitis obtrudere vultis Episcopum, nec conceditur liberum de eo nobis, qui nos recturus sit habere judicium, & quum huic qui ordinandus erat contradiceretur, minimè purgata sunt, quæ obiiciebantur, nec personæ vel rationes contradicentium discussæ. Quæ cum ita sint, cumque legem Canonicam in hoc negotio multis modis solveris, monemus te non increpando, neque diiudicando, sed effectu filiorum obsecrando, ipsi legi quam offenderis reconciliatum iri, pœnitendo, aut culpam confitendo. Nec pudeat te, dicere necessariis tuis secreto Dominum timentibus, & in lege ipsius bene eruditis, jam tandem te animadvertisse ea quæ fiunt contra statuta Canonum, non debere stare, sed & facientes pœnitere oportere. Quod si forte Rex autoritate tuâ deinceps corroborari voluerit, quod sine solutione Canonum stare non possit, videris Pater, ne adiicias peccatum super peccatum, sed aut quantum poteris id corroborare dissimula, aut manifeste salvâ legum autoritate, id te exequi non valere proclama. Postremo suppliciter oramus, hæc scripta nostra minimè publicari, quæ apud tui cari pectoris secretum promere audemus. Rescribe vero nobis si quid tibi videtur contra hæc rationabiliter opponendum. Augeat tibi Deus Spiritum consilij & fortitudinis, sapientiæ & intellectûs.

Epist. CXXXII.

Canonici Carnot. sanctis Præsulibus G. Belvacensi O. Aurelianensi A. Turonensi, famuli eorum fratres in Domino salutem.

CONquerimur apud vos Patres de Archiepiscopo nostro, & Rege qui nobis invitis Episcopum donare volunt quendam idiotam, ut scitis, & ejusmodi officio indignum & ignarum, precantes auxilium vestrum, ut vigiletis sicut boni Ecclesiæ pastores, ad portas ejus, ne introëat in illam ille talis, qui non quæsiverit *intrare per ostium, sed aliunde ascendere, sicut fur & latro.* Vobis tribus portas custodientibus sciatis, pro certo quartum custodem addi, Odonem Comitem, & nunquam recepturum illum in civitatem suam, nisi prius vestro judicio examinatum, utrum recipi debeat an non. Vigilate igitur attentiùs & diligenter inquirite causam cum vestris sapientibus clericis, & nobis famulis vestris, si dignemini, nec propter Regis reverentiam hoc agere pigritemini, quasi hoc pertineat ad fidelitatem ejus. Vere etenim illi fideliores eritis, si quæ sunt corrigenda in regno ejus correxeritis, & animum ejus ad eamdem correctionem compuleritis Volumus autem scire vos Decanum quem elegeramus factum esse Monachum, nihilominus tamen nos eum optare nobis fieri Episcopum: cum reprobatus fuerit ille lupus, quem probare potestis indignum. Quod vos invicem cautè & diligenter & secretè deliberare petimus, utrum fieri possit an non, & nobis servis vestris, ac fratribus deliberationis vestræ finem innotescere, sive literis, sive legato fideli, hæc autem verba nostra videte interim ne publicentur. Valete.

Epist. CXXXIII.

Quem super omnes Abbates diligunt sanctissimo Patri O. Canonici sanctæ Mariæ omnium virtutum gratiâ præfulgere.

OBsecramus vos in nomine sanctæ Trinitatis, ne faveatis, contra jus & fas Theodorico simulato Episcopo, neque suadeatis Odoni Comiti facere cum eo concordiam, contra sanctorum Canonum auctoritatem. Clarissimum speculum posuit vos Deus in mundo, videte ne qualibet nigredine obscuremini, quâ offuscantur alij, sed semper vero lumine resplendeatis, quo & alij possint illustrari. Valete beatissime Pater & rescribite nobis, quid melius, de hac causa vobis videtur.

Epist. CXXXIV.

In Christo sibi dilecto semperque diligendo Domino R. H. servus ejus fidelis, quæ retro sunt oblivisci, & jugiter in anteriora tendere.

CAusa Charitatis pollicitus sum conversari me cum HARERSRTO nepote tuo, usquequo fruges novæ colligantur, amicè illum habiturus, interim quasi præsentiæ tuæ Vicarium. Scripta quæ tibi mitti poscis partim mittimus, partim minimè, quia non sunt missu facilia: quæ vero mittuntur, & difficilia sunt cognitu, & pernecessaria, de Sacramento videlicet corporis & sanguinis Domini, quæ si non dignè ac fideliter percipimus, vivere non habemus. De cogitationibus autem, quæ se nolentibus nobis ingerunt, ita sentiebat charissimus pater noster Fulbertus, nil eas nocere si tandem menti, minimè placuerint. Signo crucis abigendas esse ab animo, velut muscas ab oculis importunas, rationem ponendam esse mentis custodem, rerum utilium receptricem, quibus dum occupata fuerit, ab inutilibus impeti vel penetrari non possit, cui sententiæ multas alias in vitis Patrum consentientes reperire potes, quæ tuum animum optimè relevabunt, opitulante Christi gratiâ, sine qua nihil valemus, vel sumus. Cætera vero quæ ad præsens non mittuntur, quia nec adeo scriptu facilia, nec satis idoneum gerulum habere modo videntur, Deo volente, spero me tibi missurum vel delaturum, cum oportunum tempus & latorem invenerim. Valeas animo meo charissime, mortuus huic mundo Christum tibi vivere noris, virtuti vivas, sit tibi mors vitiorum, ora pro me famulo tuo Pater.

***

SERMO

SERMONES FULBERTI Episcopi Carnotensis ad populum.

FRATRES venerabiles, chari fratres filij DEI, aliquid vobis volumus memorare de iis, quæ nunquam vos oblivisci oportet, videlicet quomodo credere debeatis, & vivere, & si quis peccaverit quomodo possit recuperare. Tria sunt hæc: fides Catholica hæc est, ut unum Dominum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremus. Multi sunt autem qui non possunt hoc intelligere, nisi per quasdam quasi similitudines inducantur. Quapropter dicamus & nos aliquid tale. In sole sunt tres naturaliter, sphæra, claritas, calor. Sphera solis naturaliter est splendens & calens. Summus Pater naturaliter est sapiens, & amans, sphera solis, & splendor, & calor, non sunt tres soles, sed unus sol, summus Pater & sapientia eius, & Amor eius non sunt tres Dij, sed unus est Deus, sapientia Filius Dei est, Spiritus Sanctus amor est, Pater itaque & Filius, & Spiritus Sanctus unus Deus est, hic Deus ante sæcula & nunc, & semper fecit omnia visibilia & invisibilia.

Quæritur autem cur Deus Pater filium suum, id est sapientiam hominem fieri voluit? Respondeamus quam brevissimè possumus, propter hominem utique redimendum, qui culpâ sua perierat, & per se non poterat reparari. Nam antequam peccaret homo, erat prudens & immortalis, & arbitrio liber, fuit tamen tanta calliditas diaboli, ut seduceret eum & redderet insipientem, mortalem & fragilem: quomodo ergo posset stultus, & fragilis, & mortalis effectus, diabolum revincere & recuperare per se, quod perdiderat, quæque sibi adhuc validus non defendit, nullo modo erat tamen impossibile non impleri quod volebat Omnipotens.

Sermo Fulberti Episcopi ad populum.

FRatres, credo quod omnes, qui præsenti Basilicâ continemur, per fidem Christiani sumus. Reddamus ergo in primis Deo gratias, qui nos ad fidem suam vocare dignatus est, & per Baptismi gratiam à peccato mundare, & à diabolo liberare. Dicite Deo gratias fratres, si permansissemus in illa munditia quæ nobis per Baptismum data est, verè fœlices essemus Sed non permansimus, cecidimus enim per nostram culpam, non solum in peccata, sed etiam in crimina, propter quæ peccatores ab Ecclesia separantur, qualia sunt homicidia, adulteria, fornicationes, sacrilegia, rapinæ, furta, falsa testimonia, superbia, invidia, avaritia, diurna iracundia, ebrietas assidua. Sicut ergo Deo gratias egimus pro bonitate sua, sic nos culpabiles confiteamur pro malitia nostra, & dicamus singuli, peccatores sumus. Fratres verè tales sumus coram Deo, & Sanctis eius, sed misericordia eius magna est, qui nobis adhuc donat locum sive tempus emendationis.

Emendemus ergo in melius iuxta Scripturam quæ ignorando peccavimus, quod si nescitis qualiter emendare debeatis, dicendum est vobis. In primis peccare desistite, quandiu enim quis Dominum offendere non cessat, nec eius pœnitentia fructuosa est, & qui in hac vita criminali peccato finem non imposuerit, veniam in altera non habebit. Quapropter, ut dixi necessarium est in primis crimini finem dare, deinde vero commissa delere, per pœnitentiam, per eleemosynam, per orationem. Modum pœnitentiæ vobis constituent sacerdotes. Modus eleemosynæ est, secundum facultatem & bonam voluntatem vestram. Modum Orationis constituit nobis Christus div[illegible]a sub conditione, quam nostis, videlicet ut dimittat sicut & nos, &c. Hortamur itaque fratres ut crimina fugiatis, iniunctam vobis pœnitentiam alacriter suscipiatis, strennè peragatis. Non sunt enim condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ revelatur in nobis, Eleemosynam quoque pro posse faciatis, quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Oremus tam pro invicem quam pro nobis, dicente Apostolo, *confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini.* Novimus autem per pœnitentiam multos evasisse periculum mortis, alios per orationem. Enitamur etiam fratres inter tales inveniri, *quia regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Præstet vires imbecillitati nostræ ille qui dixit, *confidite, ego vici mundum*, Dominus noster Iesus Christus qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Sermo Fulberti Episc. ad populum, de Purificatione Beatæ Mariæ.

VOlumus vobis breviter exponere fratres, unde cœpit solemnitas Purificationis, quam hodie celebratis, & quid Cerei significent quos offertis. Solemnitas ergo ista processit ex lege. Præcepit enim Deus in lege ut mulier quæ de viri sui conceptu primogenitum pareret, quadragesimo die nativitatis præsentaret eum Domino in templo, cum hostiis: & hic dies Purificationis vocatur, quod præceptum Purificationis & oblationis impleverunt aliæ matres ex necessitate, quia pollutæ & peccatrices erant. Quando vero Christus natus est de beatissima Virgine Maria, ipsa non indigebat legali purificatione, quia munda erat & sancta. Humilitatis tamen & obedientiæ causa legi se subdens, obedire legi quamvis non indigeret, obtulit in templo Dei, filium suum cum hostiis quadragesimo die nativitatis, sicut est hodie. Sed præsentatio illa insignis & gloriosa fuit: movente enim Spiritu sancto, occurrerunt ei sanctus Propheta Simeon & Anna sancta vidua & Prophetissa, laudantes & benedicentes Dominum, de adventu Christi, sicut legitur in Evangelio miracula præbentes. Christus namque in carne veniens, fratres, ostendebat pariter & humilitatis exemplum, & divinæ pietatis indicia. Sicut in nativitate sua, cum iaceret humiliter in præsepio, nova stellâ, & laudibus angelicis celebrabatur in cælo: sic & modo cum parvulus infantulus præsentaretur in templo, ad declarandam divinitatem suam in carne latitantem, corda Prophetarum illuminabat Spiritu sancto. Nos ergo qui illum verum Dominum & hominem adoramus, in memoriam Præsentationis eius in templo, celebramus hanc diem cum oblatione Cereorum. Per lumen cerei, divinitatem, per ceram significantes carnem ipsius virginalem. Apis enim & mellis, & ceræ opifex sine coitu maris, & fœminæ procreatur. Patet ergo quia Præsentatio Christi in templo processit ex obedientia legis, & nostra significativa oblatio est, ex dulci & venerabili memoriâ suæ præsentationis. Nunc ergo scientes, quam ex bonis principiis solemnitas ista prodiit, & quam piam sanctámque significationem nostra oblatio gerit, solemnitatem divinis laudibus & operibus exornemus, & oblationem pio celebremus affectu. Rogantes piissimam Dei matrem ut ipsa nos, & munera nostra, filio suo gratificare dignetur, & ad similitudinem oblationis nostræ, quæ munda, clara & fervida esse videtur, deposcat nobis ab ipso munditiam cordis & corporis, lumen scientiæ, fervorem fidei & caritatis, quatenus suæ gratiæ dono accensi, per Spiritum Sanctum illuminati, purificatis mentibus in templo sancto gloriæ suæ valeamus apparere, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum

A *Sermo Domini Fulberti Carnot. Episc. de nativitate Beatissimæ Mariæ Virginis.*

APprobatæ consuetudinis est apud Christianos Sanctorum patrum dies natalitios observare diligenter, & præcipuè virtutes eorum assignatas litteris in Ecclesia recitare ad laudem Dei, ex cujus munere sunt, & ad instrumenta minorum. Inter omnes sanctos, memoria beatissimæ Virginis eo frequentiùs agitur atque festiviùs, quo maiorem gratiam apud Dominum creditur invenisse. Vndè post alia quædam ipsius antiquiora solemnia, non fuit contenta devotio fidelium, quin nativitatis sol mne superadderet hodiernum. Hac itaque die peculiariter in Ecclesia recitandus esse videtur ille liber, qui de ortu eius, & vita scriptus inveniebatur, si non indicassent eum Patres inter Apocrypha numerandum. At quoniam
B magnis ac sapientibus viris ita visum est, nos alia quædam, sed non aliena legentes, Ecclesiasticum morem debitis officiis exequamur. Beata ergo Domini mater & perpetua virgo Maria, priusquam nasceretur oraculis enunciata est, & designata miraculis, nata vero progenie divinitus ordinata, privilegio virtutum insignis enituit, Salvatorem edidit à quo glorificata in cœlo, nunquam terrigenis patrocinari desistit. Propositionem sequatur ordine sua narratio. Iamque referamus unum de prætaxatis oraculis, ac deinde paucis expediamus. Dixit æternus ad veterem, Deus ad serpentem, *inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius.* Quid est fratres in hoc loco serpentis caput conterere, nisi principalem diaboli suggestionem, id est concupiscentiam resistendo superare? Si ergo quæratur, quænam mulier huiusmodi victoriam operata sit? Profecto non reperitur in
C linea generationis humanæ, donec perveniatur ad illam de qua agimus sanctarum sanctam. At si interrogetur, in quo serpentis caput vel ipsa contriverit? nimirum in eo quod virginitatem simul & humilitatem Deo sacrificavit. Virginitate namque servatâ probatur extinxisse concupiscentiam carnis: humilitate, quæ facit pauperem spiritu, concupiscentiam mentis. Sicque principali suggestione diaboli victâ, vitiosum caput virtutis pede contrivit. Non tamen hoc solo, sed eo quam maximè triumphavit, quod de sua mundissima carne, corporata sapientia, dicit usquequaque malitiam, attingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter. Hæc est ergo mulier ad quam divinum illud intendebat oraculum, hanc quandoque nascituram innuebat, hanc singulariter intimabat. Expedito quam paucis oraculo, unumquodque de miraculis absolvatur. Acceptæ sunt à sancto Moyse, singulæ virgæ de singulis tribubus Israel, nominibus earum inscriptæ, iubente Domino, & positæ in tabernaculo eius: inter quas una
D quæ fuerat Aaroni inventa est sequenti die germinasse, floruisse, frondruisse, & peperisse amygdala. Sciens ergo Dominus hoc opus suum magni esse mysterij, iussit servari Virgam ad monimentum. Monebantur enim filij Israel præsentiâ virgæ, quærere sollicitè, quid significaret tam mirabile factum, quod longo post aperiens divinus Esaïas: *Egredietur*, inquit, *virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* Ad hæc verba tanquam auditores eius dicerent, ô Pater Esaïa obscurè loqueris, dic nobis quæso ipsam rem manifestè, adiecit claritatem & ait, *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emānuel* Filium quoque virginis, id est Emmanuelem præclarè describens, *puer* (inquit) *natus est nobis, filius datus est nobis & vocabitur nomen eius admirabilis consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, multiplicabitur eius imperium & regni eius non erit finis.* Quòd ergo Deus designavit miraculo, hoc à secreto Esaïas, prodidit vaticinio, Et quod vates cecinit, consequenter rei exitus approbavit. Nam sicut illa virga sine radice, sine quolibet naturæ vel artis adminiculo fructificavit, ita virgo Maria sine conjugali opere filium procreavit, filium sanè E
flore designatum & fructu, flore propter speciem, fructu, propter utilitatem. *Est enim speciosus forma præ filiis hominum*, & vitalis refectio non solum hominum, sed etiam Angelorum. Hinc breviter allectâ propositionis particulâ primâ, quod sequitur attingamus. Nata est igitur beatissima virgo sicut legimus, patre Nazareno, matre Bethleemita quas urbes Christi nativitati vel conversationi destinatas esse Prophetæ non tacuerant. Descendit autem ab radice illius fide præclari Abrahæ, cui supernè promissa fuerat benedictio omnium gentium in semine suo, & ab stirpe David, quem Deus propter notam sibi probitatem egregiâ laude sublimavit, dicens, *Inveni virum secundum cor meum.* De regali nempe Tribu simul & Sacerdotali duxit originem, quæ summum regem atque Pontificem erat paritura. F
Non tamen hæc idcirco dixerimus, quod Dominus qui peccatores vocare venit dedignatus sit, matrem suam peccatores habere cognatos, inter quos speciosa velut inter spinas lilium appareret. Hæc itaque electa & insignis inter filias, non fortuitu quidem, aut solo placito parentum ut plerique, sed divinâ dispensatione nomen accepit, ita ut ipsa quoque vocabuli sui figura magnum quiddam innueret, interpretatur enim maris stella. Quid ergo mysticum hæc interpretatio gerat, per similitudinem ostendamus. Nautis quippe mare transeuntibus, notare opus est stellam hanc, longè à summo cœli cardine coruscantem, & ex respectu illius æstimare atque dirigere cursum suum, ut portum destinatum apprehendere possint. Simili modo fratres oportet universos Christicolas, inter fluctus hujus sæculi remigantes attendere maris stellam hanc, id est Mariam quæ supremo rerum cardini Deo proxima est, & respectu exempli eius cursum G
vitæ dirigere. Quòd qui fecerit, non jactabitur vanæ gloriæ vento, nec frangetur scopulis adversorum, nec absorbebitur Scyllea voragine voluptatum, sed prosperè veniet ad portum quietis æternæ. Hic si quis interroget dicens, quid ergo putas qualis olim in anima fuerit, vel nunc sit, hæc persona, quæ sic omnibus sanctis spectanda atque imitanda proponitur? Veraciter respondemus, quia longè perfectior quam nostra oratione demonstrari possit. Tamen ne ibi nihil dicere arguamur, ubi maior affluit copia dicendorum, reservantes multa atque magna facundis, saltem pauca dicamus super hoc, & quæ facilè probentur audita. Hoc igitur in primis astruere fas est, quod anima ipsius & caro quam elegit, habitaculum sibi fecit sapientia Dei Patris ab omni malitia & immunditia purissima fuerunt affirmante scriptura, *quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Item è contra confidenter asserimus, quia nullo virtutum genere vacabat, cui plenitudinem gratiæ Dei nuntius asserebat H
inesse. Quòd attestante Archangelo, quamvis nemo sana mente discredat, tamen si quis adhuc pio desiderio quærat argumenta virtutum ex verbis & factis eius quæ scriptura commemorat, tanto sibi faciliùs occurrent, quanto ipse in quærendo fidelior erit. Sunt autem ex eis quædam omni ferè Christiano perspicua. Quis enim est qui cum iocunda admiratione non speculetur ipsius maturæ adolescentis fortitudinem, & prudentiam, & fidem in colloquio Angelico, ubi tam constanter eloquitur, tam prudenter interrogat, tam facilè credit? Quis enim non videat ac videndo miretur iustitiam eius, quâ sic universa præcepta divinæ legis satagebat implere, ut nec ad se pertinentia inexpleta relinqueret? Verbi gratiâ, post partum enim purificatione legali quam agebat, non egebat, quia virum in concipiendo non noverat. De temperantia quoque ipsius superius dictum est, quæ Deo Virginitatis Lilium in humilitatis valle produxit. Cùm ergo virtutibus supradictis facta eius plena sunt,

atque

A atque dicta, manifestum est non solum attestatione angelicâ, sed etiam rerum argumento nullum virtutis Beatissimæ Virgini defuisse. Depromebant itaque virtutes in cogitatione & affecto cordis eius ineffabilem harmoniam, quam ipsa creatrix & inhabitatrix eius Dei sapientia delectabatur audire, coruscabant foris in superficie sermonis & actus, unde merito possent homines glorificare Deum, & exempla salutis accipere. Tali ergo tantæque personæ, quid tandem ad honoris cumulum potuit accedere majos, eo quod Dei filium Virgo concepit, Virgo mater edidit, hac nempe dignitate venerabilis facta est ipsis quoque sanctorum Ordinibus Angelorum. Quòd opere manifesto declaravit ille magnus atque fortis Archangelus Gabriël, qui eam antequam Dei mater fieret, quia futuram noverat, tantâ veneratione salutando prævenit, hac eadem dignitate facta est etiam imperiosa, secundum caritatem erga superos, ac super inferos per discretionem. Vndè plurima scripta sunt exemplorum B argumenta, de quibus ad præsens quædam sufficiat memorare. Illa igitur olim in auxilium magni patris Basilij misit sanctum Angelum, & mortuum suscitavit, qui malè viventem pessumdedit persecutorem eius Iulianum Apostatam, & hæc historia notissima est. Illa etiam te, ô peccator quondam Theophile pœnitentem & suppliciter invocantem ab ipsis diaboli faucibus potenter eripuit. Sed quid graveriut huius lapsi reparationem paucis effari, cum audire sit operæ pretium? Is ergo Theophilus incedens olim in patria cuiusdam Episcopi Ciliciorum ut scriptura quædam testatur, propter infortunia sua in tristitiam cecidit, unde contulit sese ad quendam Iudæum maleficum eius consilium & auxilium petens, hoc mediatore locutus cum diabolo Christianitatem abnegavit, diabolum adoravit, eique de sua mancipatione chyrographum tradidit annulo suo signatum. Postea vero facti pœnitens, multúmque se animo angens quid faceret, quo se verteret, tandem collectis fidei & C spei viribus, confugit ad Ecclesiam quandam beatæ Mariæ matris Domini memoriæ dedicatam, ubi quadraginta dierum afflictione mactatus animo contrito nomen eius invocabat iugiter, ac patrocinium implorabat, quid multa? Respexit hunc propitia misericordiæ mater, & per visionem illi apparens de impietate coarguit ad Christi confessionem excitans. Consolata est dolentem pollicendo veniam, & ne dubitaret de promissu supradictum Chyrographum diabolo potenter ereptum, captivo reddidit in pignus libertatis. Quòd cum evigilans supra pectus suum positum inveniret, quam lætus extiterit, quam pio affectu voces exultationis & confessionis ediderit, non est facilè dictu. Noctem vero illam consecuta est Dominica dies, qua Theophilus, quasi cum Domino à mortuis resurgens Episcopo se coram populo præsentavit, & rem sicut erat exposuit. Videres populum modo ex auditu tam horrendi sceleris expavere, D modo considerata macie vultúque pœnitentis collachrimari. Sed audito quantam & quam celerem misericordiam fuerat consecutus, omnes qui malâ conscientiâ territi pene defecerant, ad spem veniæ cum gaudio respirabant. Iam verò ut rem brevi fine concludamus, Episcopo iubente malè cautum Chyrographum Theophilus igne cremavit. Deinde suffragante Clero & populos doctus ad altare, cum sacrosanctam communionem de manu Episcopi ore susciperet, facies refulsit ut sol. Peractóque deinceps triduo, cum laudibus in Ecclesia piæ matris Domini, per quam reconciliatus fuerat, à laboribus suis beato fine quievit. Talibus ergo factis approbatur, quia Domini Mater ubique imperiosa est, ubique magnifica, certè cui pronum est sanctos Angelos in ministerium mittere, & ad beneplacitum suum inferorum pacta cassare; his quoque & aliis infinitis numeri beneficiis quæ vel scripta sunt, vel passim iugi sentiuntur effectu, quod & iustis & peccatoribus fideliter in- E vocantibus se præsto est, & nunquam eis opitulari desistit. Veniant igitur ad eam iusti cum Basilio laudantes ac benedicentes, effectúmque celerem suis sanctis desideriis postulantes sine dubio percepturi. Veniant peccatores cum Theophilo tundentes rea pectora cum interno fletu, ipsi quoque si vere pœniteant desideratam veniam adepturi, de quorum numero tibi assistentibus nobis ut subvenire iam & auxiliari digneris imploramus. O præelecta! ô sancta! ô venerabilis & imperiosa! ô clemens & propitia Domina nostra quo possimus recuperare & habere perpetuam gratiam filij tui Iesu Christi Domini nostri, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit, & regnat unus Deus in æternum. Amen.

Sermo de eiusdem Nativitate Mariæ Virginis.

F FRatres carissimi, in hac die celebramus natale gloriosæ Dominæ nostræ Mariæ videlicet Redemptoris nostri Matris. Volumus vobis aliquid referre breviter de natalibus eius, & vita & fine, & adjutoriis quæ ipsa Christianis & iustis & peccatoribus impendere solet. Hæc itaque nata est de stirpe Abrahæ atque David Regis, quibus à Deo promissio facta est, quod in semine ipsorum, id est in Christo benedicendæ forent omnes tribus terræ. Nata est autem iuxta relationem & scripturas sanctorum Patrum, in civitate Nazareth, Patre nomine Ioachim ex eadem urbe oriundo, matre vero Annâ nomine oriundâ ex civitate Bethleem. Vita quorum simplex & recta ante Dominum, apud homines irreprehensibilis & pia erat. Nam omnem substantiam suam trifarie dividebant, unam partem templo, & templi servitoribus impendebant, aliam peregrinis & pauperibus erogabant, Tertiam sibi & suæ familiolæ usibus reservabant. Ita iusti Deo, & hominibus pauperes, annos circiter viginti, castum Domini conjugium, sine liberorum procreatione exercebant. G Voverunt tamen si fortè Deus donaret eis sobolem, eam se Domini servitio mancipaturos. Evolutis ergo tot annorum curriculis missus est Angelus Domini prius ad Ioachim, demum ad Annam, nuntians eis nascituram filiam nomine Mariam, cui simili sanctitate, nec antea nata fuerit nec postea nasceretur. Factum est itaque iuxta verbum angeli, nata est in civitate Nazareth sanctissima virgo Maria, & mansit ibi tribus annis in paterna domo, postea vero sicut parentes illam Deo voverant, ducta Hierosolymis in templo Domini conservata est usque ad quartum decimum annum, ieiuniis & orationibus serviens die ac nocte, & virginitatem suam vovens, quod ante virgo ulla non fecerat, Angelicis colloquiis frequenter utens: deinde cum esset reversa ad domum parentum suorum in civitatem Nazareth, missus est ad eam Angelus Gabriel à Deo nuntians ei Conceptionem filij Dei: fuit ergo conceptus H Dei filius in Nazareth, natus in Bethleem. Post nativitatem vero Christi mansit cum filio usque ad Passionem crucis, ubi Christus virginem Matrem virgini discipulo Ioanni Apostolo commendavit. Hic ministravit ei post Passionem & Resurrectionem & Ascensionem Domini in finem. Fuit autem sepulta sanctissima in valle Iosaphat, ubi est ædificata Ecclesia in honorem eius, & sanctus Ioannes sepultus est Epheso. Post vero cum religiosi Christiani, reliquias matris eius videlicet, Domini respicere vellent, sepulchrum vacuum invenerunt: sed & in sepulchro Beati Ioannis respicientes, non invenerunt nisi manna. Credit itaque Christiana pietas quia Christus Deus Dei filius matrem suam gloriose ressuscitaverit & exaltaverit super cœlos & quod Beatus Ioannes Virgo & Evangelista, qui ei ministravit in terra, gloriam eius participare meruatur in cœlo. Est autem ineffabile quam gratiam & gloriam dederit Dominus Matri suæ, hoc tamen certo scimus quia iusti quidquid ab eo postulant, per intercessionem matris celeriùs impetrant, peccatores quoque

A sæpius misericordiam sunt consecuti: habemus plura exempla de utrisque, sed ad præsens hæc sufficiant.

Sermo Domini Fulberti Carnot. Episcop. in ortu almæ Virginis Mariæ inviolatæ, ex M.S. Bibl. Sancti Victoris Paris.

MVtuæ dilectionis amore & sedulæ adhortationis nutu à quibusdam DEO sacratissimis & dilectis cogimur de sanctissima, & ultra quam dici possit dilecta virgine, sponsa scilicet & matre Domini MARIA aliquam allocutionem facere, de ortu videlicet ejus, non historialiter texere, sed mysticis exornare laudibus, & beneficiis congratulari, ad cujus tanti mysterij materiam, nec omnis potest sufficere mundus, si in unum etiam coeat ordinem. Erit autem eis inceptum, & executio meritum, quo- B rum obtentu pervenerit ad portum sine naufragio remigium. Igitur nimis amabilem, ac salutiferam omnibus sæculis, & terricolis veri æternique Regis ac Domini nostri nativitatem cernuâ humilitate recensentes, & annuâ orbitâ recolentes solemnia, primo ratum duximus, utrorumque sexuum collegia, etiam ad divinam & gloriosam festivitatem quibusdam adhortationibus invitare. Vt dum utrarúmque partium devotio his sacris festis nefas duxerit non interesse, una omnium vota capaciùs ejusdem sacræ Virginis circa se, persentiant adesse invamina.

Est enim ista suscepta festivitas, non modicis nec paucis præfulgens mysteriis, aut reliquorum Sanctorum festivitatibus coæquanda, sed tantum est excellentior, quantum constat eam omnibus hominibus præferendam, cujus hodie prælucida recitantur nativitatis initia. Ad cujus ergo magnificentiam collaudandam, & gloriam perferendam, tanta valeant exuberare præconia, quantum illi congruit, C quæ cunctas superexcellit in præeminendo creaturas, & Angelicam dignitatem. Et ubi usquam inveniri poterat locus, qui infra se concluderet majestatem coæqualem Patri, auctorem omnium rerum, nisi uterus Mariæ ante sæcula præscitus? in hunc siquidem tota divinitas cum humanitate versata est. Et qui in coæqualitate cuncta disponebat cœlestia, & terrestria, in virginea perangusta septa venturam & promissam præparabat carnis suæ redemptionem.

Felix talis parens & ortus, de cujus substantia assumpta est talis virgo, quæ tolleret veternas parentum offensas, & relevaret concussum orbem qui sub sævo duri erat hostis dominio. Cujus itaque partus, ut censemus ad nihil extitit, nisi ut fieret ejus sancta pudicitia domus & susceptio filij Altissimi. Ad quid enim aliud? ergóne hujus castitas aut ante partum, vel post dignum pignus genitum, fœdata est aliquo D contagio? Hanc enim nulla gravitas aut effæta successio filiorum fregit, ut solet eis contingere quæ humanam sobolem maternis egerunt visceribus. Felix enim culpa, sed sancta Conjugalis societas, quæ tale ac tantum specialéque vel singulare decus profudit in Orbe, de concesso nuptiali contubernio.

Denique in hujus conceptione necessaria haud dubium est quin utrumque parentem vivificus & ardens Spiritus singulari munere repleverit, quódque ab eis sanctorum Angelorum custodia seu visitatio nunquam ab fuerit. Merito si quidem hujus Sanctæ Virginis, multum adeò laudandi sunt & extollendi sanctissimi procreatores, qui in cunctis institutionibus tantos ac tales se præstiterunt, ut non immerito de eorum stirpe prodiret talis successio, quæ fieret & priscis ætatibus & subsequentibus exemplum totius bonitatis. Felix, & præ cæteris patribus felicior, qui tantæ prolis meruit vocitari parator. Felix etiam qui non plures, sed unam promeruit suscipere natam, quæ unicum conciperet & proferret Dei filium. E Nec enim decebat ut hujus singularis virginis sanctissimi progenitores fœdarentur plurimorum propagatione filiorum, qui erant futuri unicæ Matris Domini provisores & educatores egregij. Verè beata & omni veneratione habenda, & quodam privilegio sacro prædicanda, mater hujus sanctæ, quæ omnium antecessit matres in concipiendo & generando eam, quæ suum & omnium generaret Creatorem. Gaude & lætare, ô felix pro tali filia, quoniam tali dote donata es, qua nulla ante te vel postea meruit antecelli. Quanta putamus provisio fuerit Sanctorum Angelorum, circa tam Deo gratissimos parentes, ab initio suæ procreationis, & excubatio super tam ingentem sobolem? Nunquid abfuisse credendus est Spiritus Sanctus, ab ista eximia puella, quam sua obumbrare disponebat virtute? Nulli enim fidelium dubium est, quòd circa eam omnis frequentia cœlestium agminum invigilabat. Vtpotè quam supra se exaltandam minimè ambigebant. F O nimis supérque Beata Virgo, quæ nulli comparanda est merito, nec coæquanda castitatis titulo? Verè etenim beata illa sæcula, quæ ex sacrato utero te meruerint excipere suo in tempore. Sanè si qui sollicitâ mente & studiosa investigatione perquirant, cur sanctorum præcedentium memoriæ hujus præfatæ Virginis temporanea initia suis fidelibus sequacibus enucleatim non exornaverunt, ut ad omnium notitiam vulgarent; noverint non ignaros eos extitisse hæreseos, quæ pro insigni & admirando hujus sacræ puellæ præconio exorta erat, & ob id si quid ex ejus ortu protulerunt, sagaci industria cælandum æmulis & infidelibus decreverunt, ne inveniret circa garrulitas perfidorum unde maternum sinum Ecclesiæ verberaret suâ multiplici fallaciâ. Nam & hoc quod levi & subtili relatione, aut forsitan conscriptione de Matris Domini Nativitate & G infantia ejusdem Domini perceperunt, ita versutâ & argumentosa fallaciâ deturparunt, ut nec vera deinceps à quibusdam Ecclesiasticis doctoribus recitentur, quamvis minimè repudiantur. Exstat vero quædam non usitata relatio, quæ clarissimi interpretis Hieronymi prænotatur nomine, referens Beatum Matthæum post editum Evangelium ortum præfatæ Virginis atque initiamenta puerilia Iesu Christi, ita obscuris manu propriâ obsignasse literis Hebraicis, ut nullis infidelium illud vellet patere superfluis & mordacibus tactibus, quæ tunc à prælibato interprete feruntur transportata quibusdam ubnixè petentibus ad Latinæ linguæ notitiam. Et quia hæc relatio inter sacræ scripturæ Canones non habetur inserta, ideò unanimis Ecclesiæ conventus in recitando apertè nec omnino eligit, nec in non recipiendo rejicit: cum nonnulla reperiantur dicta vel facta, quæ in H præfata serie impossibilia videantur, quæ tamen volentibus & amantibus legere, non denegat fidelium industria. Nobis autem & omnibus Ecclesiæ filiis, satis supérque sit fides & devota credulitas, qua verè eam confitemur Virginem, & in ortu & in omni sua operatione. Hujus namque pater & mater carnales fuisse feruntur, Ioachim & Anna, quæ benè sibi de nominis interpretatione competunt, Ioachim quippe præparatio Domini dicitur, Anna vero gratia Dei interpretatur. In horum duorum nominum interpretatione quid innuitur, nisi gratia quam simul adepti sunt? ubi namque poterit esse gratia nisi ubi famulatur præparatio conscientiæ? & ubi locum habebit præparatio operationis, nisi ubi ante præcesserit Dei largita gratia? Sic ergo in unum duæ compactæ gratiæ disponente Dei nutu proferunt ex se gratiam non parvam, profuturam valdè cunctis hominibus: Hæc paucis dicta de sanctorum parentum digna commemoratione satis sint. Nunc ad evolvẽda ea quæ Christus dederit veniamus. Propterea honorificentissimè summi authoris & creatoris genitricem cum mentis jubilatione recipientes, omni conatu elaborate, ut tanta hodierni diei jocunditas, dum mundanis excolitur

&

A & honoratur obsequiis, hanc interior & pura conscientia iustis & consequentibus prosequatur servitiis. Namque qui piorum venerantur sacra merita, quique omnimodis interesse peroptant supernorum agminum festis, sic in præsentibus exerceantur Sanctorum natalitiis, ut non contingat illic eis abesse deinceps, de quorum hic congratulantur triomphis. Quapropter præsenti celebratione, omnium prudentium Virginum Reginam sedulis exposcite precibus, quæ principatum obtinet inter choros sanctarum Virginum, suo interventu efficiat possibile quo sanctæ Ecclesiæ concentus, cum eam humili qua valet operatione, percolit in terris, demum in lætitia perenni, de eius utraque congaudeat, sublimatione & gloria. Ista est enim præcipua festivitas, in qua omnis Angelorum militia exultat, in qua Prophetarum panduntur vaticinia, in qua etiam gentilium B referantur prænuntia scripta, in qua oritur sponsa sine exemplo, Deo coniuncta, de cuius casta corporis materia, oritur lumen in tenebris, ad exturbandas veterum piaculorum nebulas. Hæc est inquam dies, in qua prælucida stella, imò lumen inseparabile maris, hoc est huius mundi, velut Eous cum decóris amœnitate, ea mortali genitura cunctis qui salvandi sunt illuxit. Hæc est honoranda dies lætitiæ, in qua iuxta mundi qualitates, præparatur vas virgineum, divinis carismatibus ut margaritis ineffabiliter ornatum, in quo qualitas Dei mixta homini compaginaretur corporaliter, non secundum propagationem, sed secundum Spiritûs sancti operationem. Quis quæso unquam aut ante hanc Virginem, aut post hanc, in omni terrarum spatio audire valuit, ut factor omnium rerum, possessor cœli & terræ, Rex Regum & Dominus Dominorum, sol iustitiæ, lumen insuperabile, intra virginis se arcta concinde- C ret septa. O magna & admirabilis ipsius Dei distributio, imò miseratio! ut enim Protoplastum parentem & successionem filiorum eius innovaret, quem constat ob hoc editum, ut superbientium Angelorum suppleret numerum & ordinem, non indignè pertulit, intra virginis alvum cœlitus se corporari, ut consocialem formam non secundum divinæ substantiæ quantitatem vel qualitatem, sed inata corporeum incrementum absque macula peccati sibi compactum eo erigeret unde & suasor, & ille succubuit, perfidâ fraudatione præcepti uterque ejectus est. Ecce itaque cuncti qui ad sacram convenitis virginis nativitatem, omnes corporeos vobiscum affertis sensus, fortassis & iam non desunt vobis interiores cordis intellectus. Haud dubium enim, cum dispertitor suarum virtutum unumquemque vestrum suo donaverit dono, qui scit in singulis ita dispertire sua dona & munera prout quisque laborat, ut efficiatur eius habitaculum. Operatur autem hoc, ut ait Apostolus, unus D atque idem Spiritus, qui in cunctis secundum gratiarum rationem spargitur, & in singulis uniċè invenitur. Erigite ergo mentes vestras, ad præsentis matris festivitatem, ut nullum mentis vel corporis domicilium seu iubilatio inveniatur, quæ non tota concrepet in tam præclara procreatione. Congaudeat in hac celebritate uterque sexus & conditio dominorum seu subjectorum, quia per hanc virginem utrorumque venit redemptio, scilicet immaculatus Dominus carnaliter prodiens de illius utero. Gaudeant senes Deo placentes, quoniam ab aula cœli descendit ille in eius puellæ viscera, qui novit non modo animas tantum, verumetiam corpora, ad meliorem iuventutem referre à veteri ruina, iuxta sententiam Davidicam, *renovabitur ut aquila iuventus tua.* Imitentur etiam fidem Antiquorum Patrum, ex qua constat illos placuisse Deo, nec à memoria illorum refugiat, quoniam per hujus Virginis partum etiam in extrema eorum sorte, conceditur illis repetitio veræ salutis. Lætentur iuvenes fortes in hac die, quoniam hodie prodiit in hanc lucem Virgo, ex cujus secretis natus est iuvenis, speciosus præ natis hominum, de cujus labiis diffusa est omnis gratia perlata per quadripartita mundi climata. E Virtutem quoque corporis in animi vigorem transmutent, & per hujus sacræ Virginis obtentum suam Christo commendent iuventutem. Congratulentur etiam pueri & infantes in hujus maximè puellæ initio, sua Christo & Mariæ dicantes crescentia membra, quoniam habent puerum castitatis, & puritatis ministrum, & Mariam singularis pudicitiæ, ex cujus utero sancto Christi infantia est suscepta. Psallant spirituali lætitia in hac die, & illi qui fortè exercuerunt dominatum super sæculi negotia, quoniam per Virginem venit Dominus omnium Potestatum & Virtutum & Dominationum. Gaudeant subditi, & si quos premit alienum jugum, quoniam quandóque exsolvet filius Virginis, imò Dei, si ei placuerint, iniqua juga à cervicibus illorum depellere, ac superiores efficiet eos Dominis suis & per suæ matris suf- F fragium. Cùm ergo ad omnium utrorum ætates nostra collocutio atque exhortatio pervenerit, rectum videtur ut ad illum sexum nostra denuo dirigatur oratio, ex quo scimus Dominum carnalia initia sumpsisse. Ille enim maledictionis notam primæ Virginis, in benedictionem secundæ transmutavit Virginis, qui ante rerum formam præsciverat ex eodem sexu suum in fine temporum procreandum fore filium, qui universis omne afferret gaudium. Verè beata collaudanda Dei beneficia, quæ per illum sexum decreverunt provenire nostra in tempora, à quo primo terrigenæ propinatum est iniquæ suasionis medicamentum. O Eva tunc infelix! non solum pro inobedientiæ piaculo, verumetiam pro maledictionis titulo, nunc vero felix pro immutationis largifluo dono. Lætare tu mater omnium, non solùm quia evasisti proscriptionis excidium, sed etiam quia de tua consimili G prole profudisti eum in sæculum, qui te tuámque progeniem mortis de compede misericorditer eruit. Insultas denique ei modò qui te dudum suo venefico suasu infecerat, quia habes tuum plastem sive parentem propitium, qui suo triumpho nobili, procacem exturbavit tui hostis dominatum. Exi nunc, ô fallax & inventor antiqui criminis, à secundo novo sexu, quia ipse qui sine carnali onere, ab eodem pullulavit ordine, suam hodie genitricem, istam fecit prodire in lucem. Terreat te procul secundæ Virginis de cœlo collapsa benedictio, qui lætatus es in primæ virginis opprobrio. Namque qui gaudebas in articulo conditionis humanæ, primos à suo felici incolatu exturbasse colonos, nunc à secundo homine filio Virginis æterna exultatione nexus es. Quocirca habentes ob oculos sacratissimæ Virginis sanctissimam diei venerationem, non in mundanis lætitiis exercete corda vestra, sed totum mentis ingenium figite in præclaræ Virginis superna illa festa, in quibus diutinâ laude ab Angelis festivis honoratur H servitiis. Procurate Principem vestram festivis ut valetis laudibus, & benignis operibus prosequi, ut possitis cum ea absque coruscantium defectione lampadarum, *Agnum sequi quocunque ierit.* Hodie primiceria & ductrix Virginum à sanctis Prophetis vaticinata oritur, congratulentur ei cunctæ virgines, quia nascitur pudica puella, quæ amatorem peperit integræ castitatis. Felices illæ, quæ sine cognitionis ludibrio, tam mirificam Dei Genitricem quantum in ipsis est, prosecutæ fuerint puritatis commercio. Ergo quia gaudenter suscipitis eius ortum, ad cujus vos non hæsitatis pertinere colloquium, satagite vos ita exercere in cœlestibus negotiis, ut post exuperatos caducæ pestis labores, dum ventum fuerit ad præoptatum divinæ portæ spectaculum, pulsantes non repudiemini, seu de ineptis virginibus dicitur, quæ à sponso reprobatæ sunt propter suam inertiam, dum in vasis suis habere oleum, hoc est bona opera neglexere: sed potius cum ipso ad cœlestia palatia simul, & cum

A beata genitrice eius progredi valeatis. Cùm igitur ista solemnitas omnibus fidelibus congrua ab omnimn conventiculis Catholicorum debito honore prosequatur, præcipuè tunc à sacris virginibus valde prosequenda est, & percolenda, quia hodie decus prudentum virginum, flos campi, idem sanctæ Ecclesiæ, quæ pretiosissimis impletur margaritis, ex lilio convallium, idem humilium hominum processit ad ortum. Gaudete per omnem modum omnes virgines, quæ vos tam sancto & prælucido dono Dei ditatas fore cognoscitis, sperate in ea, quæ huius doni compos effecta est, & ante partum & post parturitionem. Magnificate eam indefessa morum exhibitione, quoniam pro perseverantia virginis, cum tympanis exultationis & lætitiæ, coram præsentia matris Domini, quia in sidereis cubilibus habebitis cum ea gratulari, si cœptam animi corporisque integritatem sincerà probitate servaveritis. Hilares estote & vos puellæ ævo teneræ, quia habetis & vos puellam Angelo- B rum Dominam quasi primis auspiciis nunc pubescentem. Advocate Angelos ad custodiam puritatis vestræ, quia ipsa in tenera forte mundialiter posita, cum regina ipsorum etiam futura secum eorum suffragia, sedula oratione contrahebat. Lætamini etiam vos iam maturæ virgines, & quæ forte iam ad aniles metas pervenistis, quia pro longæva perseverantia vestra, non solum pollicita præmia, verum laudem egregiam cum præsenti captabitis apud cœlestem auctorem. Ne subtrahatis vos à præfatæ matris iubilatione conjugatæ, & conjugali jugo subnexæ, quoniam qui suæ matri, & omnibus piis virginibus contribuit integritatis palmam, ipse vos naturali fœdere mutuà copulatione iunxit, quo decentem & genuinum servantes modum castitatis filios procreetis. Nec enim multum, longe à castitatis munere aberitis, si filios non pro appetitione libidinis, sed pro amore successionis educatis. Ne desperetis, ô viri vel fœminæ, quocumque modo carnaliter corrupti, C quoniam illa cœlestis mansio, non de virgineo tantum ordine, sed & de quibusdam non solum iustis, sed & publicanis, & ante peccatoribus impletur. Quantoque vos conspicitis apud maiestatem Domini noxios existere, eo amplius respirate ad genitricem Domini plenam misericordiæ, habetis apud Patrem advocatum ipsum filium virginis, & ipse propitiabitur peccatis vestris tantum, ut veniam de ipso ac matre eius speretis, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

In natale suo nobis pia mater adesto,
Virtutes augens, culparum pondera delens.

Fulberti Episcopi Carnotensis Sermo contra Iudaeos.

D Filij Iudæorum dicunt, non est mirum si modo captivi sumus, si Hierusalem non tenentes regem proprium non habemus: fuimus enim similiter pro peccatis nostris in Babylone captivi, regem proprium non habentes, & postea reversi in patriam habuimus reges, & principes. Hæc est ergo spes nostra, ut adhuc nobis similiter eveniat cum placuerit Deo. Alij dicunt, forsitan in aliqua parte mundi nobis incognita potest esse congregata multitudo Iudæorum, quæ habeat proprium regem, ideóque non ablatum adhuc est sceptrum de Iuda. Alij dicunt esse in regionibus Iudæos prudentes atque potentes, qui virga directionis optime gubernant domos & familias suas, ideóque non esse ablatum sceptrum de Iuda. Quibus nos primo respondemus, quoniam si ita accipienda est prophetia illa, sicut illi dicunt, neque venit Messias neque venturus est, donec omnes Iudæi patres familias vel mortui sint, vel ita impotentes, ut nullus eorum sit in mundo, qui sciat vel possit regere domum suam, quod quia futurum non est, usque ad E illum diem qui est finis omnium mortalium, nec Messias ante veniet: quòd si ita est, ad quid petimus Messias ultimo die ut veniat, quam ut eos omnes sepeliat mortuos, quos sanaturus sperabatur infirmos? Heccine erat expectatio gentium! quod non debent sceptrum Iuda, tam commune facere, nec tot reges quot patresfamilias in sua gente numerare, nusquam ante factum, neque Patriarcham suum, ita delirum fingere, ut grandævus senex mox moriturus magnas nugas cum magno conatu prolaturus diceret. Congregamini filij, & cætera. Item si Prophetia illa sic intelligenda est, quid prophetavit ille Patriarcha suis Hebræis, quòd prophetare non posse quilibet Gentilis cæteris Paganis? neque enim defuturi erant eis patresfamilias usque ad finem. Item qui sic exponit, regni maiestatem minuit, Prophetiæ derogat, certum de adventu Christi signum non dat, nisi bonorum omnium interitum. Aliter nos primo respondemus, quia malè interpretantur Prophetiam hanc, F singulariter enim anuntiatum sceptrum regni, pluraliter exponendo, in baculos privatorum dissipant. Sicque adultera sceptra sanctum & plenum Deo Prophetam, ut fatuum & delirum senem reputari compellunt. Quid enim Israel prophetasse videretur suis Hebræis, quod prophetare non posset quilibet Græcus, Latinus, aut Barbarus Genti suæ? Sequens profecto sicut primus planè satagit, ut salutem perpetualiter adventus Christi effugere possit. Si sciret uspiam esse regem ex Iudæis, negabit venisse Christum quia non putabit ablatum esse sceptrum de Iuda, si nescierit tantumdem valebit, quia licet nesciat, ubi tamen credet esse alicubi, ideò Christum non venisse credet. Nos verò ita respondere volumus ut demonstremus quod ei nil prosit, ad negandum adventum Christi, sive unum regem, sive plures ostendat de genere Iudæorum qui non sunt reges Iuda. Quòd cum demonstratum fuerit, de his qui alicubi sunt si forte monstrentur, supervacaneum videbitur agere. Tria G ergo sunt, sine quibus regnum esse non potest, terra videlicet, in qua regnum sit: populus, qui terram ipsam inhabitet: & persona regis electi, qui terram vindicet, & populum regat. Terra autem regni de quo agimus est provincia Hierosolymitana, quæ dicitur terra Iuda. Populus huius terræ fuit tribus Iuda. Reges eius usque ad Christum omnes de tribu Iuda. Sicut ergo domus constat partibus suis, *.... id est terra Iuda, & rege de tribu Iuda, & sicut non est domus si desit fundamentum, aut parietes, aut tectum, ita non est regnum si desit terra, aut populus, aut Rex. Vbi enim pars deest, totum esse non potest. Et ubi totum est, partes quoque omnes esse necesse est. Si ergo perdita una parte, totum non est, quanto magis omnibus perditis, quod ad nihilum redactum est. Regnum autem Iuda terra sua caruit, ex quo ipsa terra in manus alienigenarum venit. Populo caruit, postquam tribus Iuda in omnes nationes dispersa est. Rege vero diu ante caruerat. Sic regnum Iu- H da omnibus partibus suis dimissis regnum esse desiit. Est igitur ex tunc ablatum planè sceptrum de Iuda, & declaratum quia Christus venit. Si ergo constituas, vel mendosè fingas, unum Iudæum, verbi gratia Mardochæum in Babylonia regem vel certè in Samaria, ubi decem tribus Iudæorum habitabant, habentes proprium regem, qui dicebatur rex Israel, non erit tamen rex Iuda, sed rex Israël, vel Babyloniæ, ad quos nullum respectum habet Prophetia, quæ dicit, *non auferetur sceptrum de Iuda.* Rursus regum Ioda causa effectiva, erant sacerdotes qui ungebant eos in reges. Populus autem Iudæorum sacerdotes cum loco sacrificandi perdidit: regnum igitur ac sceptrum indubitanter amisit. Vbi enim effectiva causa non est, effectus qui ex ea nascatur, esse nullatenus potest.

* Locus mutilus.

Idem sermo contra Iudæos.

CОntra errores infidelium aliqua necessaria dicere volentes, nos à Iudæis incipimus. Ipsi ergo nobis Catholicis in eo se consentire dicunt, quod unum Dominum colimus omnium Creatorem. Dissentiunt autem in his, quod Trinitatem personarum in unitate Deitatis non agnoscunt, & quod Christum negant Deum esse, & quod eum nondum venisse dicunt. Nos autem ab hac ultima parte contradicere inchoantes gradatim veniamus ad summam. Christum venisse probant innumerabilia. De quibus unum est vaticinium Patriarchæ Iacob & legislatoris Moysi, qui certum signum adventus ostenderunt in sceptro regni Iuda, dicentes. *Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Hanc autem Prophetiam idcirco duobus viris simul ascribimus, quia unus illorum protulit, eam alter retulit, ac scribendo corroboravit. At ille qui protulit eam, id est, sanctus Patriarcha Iacob, erat tunc advena & peregrinus in Ægypto, cum filiis suis, nihilque regia dignitas pertinere videbatur ad eos, nisi promissio tantum perficienda posteris ipsorum ad nos. Prævidebat tamen ille vir spiritualis, tale quoddam regnum esse futurum de genere suo, quale in Exodo legimus dicente Domino ad filios ipsius. *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea est enim omnis terra, & vos mihi eritis in regnum Sacerdotale.* Sacerdotale igitur regnum prævidebat, in quo solo sacrificaretur Deo, & tale quod sine sacerdotio subsistere non posset. Cujus regni locum commendat Moses in Deuteronomio dicens, *cave ne offeras hostiam tuam in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum,* & de jam facta electione tribus & loci, canit Rex Dei Psaltes dicens. *Repulit tabernaculum Ioseph & tribum Efraim non elegit, sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit.* De hoc itaque vaticinans Patriarcha, & pro fine ejus adventum Messiæ significans, breviter loquebatur dicens. *Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium,* sed sensus istius Prophetiæ sic accipiendus est, ac si paulo pluribus verbis explicaretur hoc modo Domus Iuda quæ nunc modica est & peregrina, crescet olim in populum magnum, & habebit in terra promissionis Dominicæ Patriam suam & reges sive duces ex genere suo. Nec tolletur postea regimen sive ducamen ipsius populi, de manu sui generis. Itaut transmutetur in manum alieni Rectoris donec veniat Christus. Cum ergo videritis, ô Iudæi, sceptrum Iuda in manu Regis alienigenæ transmutatum, hoc certo signo Christum venisse cognoscite. Nec expectetis ulteriùs temporale regnum quod transiit, sed gaudete perpetualiter conregnare Christo qui venit. Hujus itaque Prophetiæ veritatem effectus rerum evidenter est consecutus. Postquam enim Deus in terra promissionis, elegit sibi locum regni sacerdotalis, sicut præscripserat Moyses, & sic David postea factum esse cecinit, non fuit in sorte tribus Iuda rector, nisi de genere legitimo usque ad tempus Herodis alienigenæ, qui post Hircanum regnavit Hierosolymis sub Cæsare Augusto. Quo tempore natus est Dominus Iesus in Bethleem Iudæ. Sed ex illo tempore ablatum est sceptrum de Iuda temporale, & dux de femore ejus. Ex tunc igitur Prophetica veritate constat, venisse Christum qui regnaturus erat in æternum. Christum etiam demonstrat venisse cessatio veteris sacrificij facta in adventu ejus, sicut Prophetaverat Malachias his verbis. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris, quia ab Oriente sole, usque ad Occidentem, nomen meum clarum factum est in gentibus, in omni loco offertur nomini meo sacrificium mundum, quoniam magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus Omnipotens.* Huic Prophetiæ aliorum abunde præsagia consonabant. Sed cum Iudæi nullatenus eis adquiescere vellent, sed semper inhiarent jugulare victimas, & comedere carnes, compescuit Dominus superstitionem ipsorum magnâ vi, extrudens eos de loco regni, in quo solo, & nunquam alibi sacrificare concesserat eis lex. Sicque tandem persenserunt inviti, verum esse præsagium defuncti sacerdotij sui cum neque extra haberent sacrificandi licentiam, nec intra sua quondam mœnia facultatem. Transacto itaque veteri sacerdotio, quod ad tempus fuerat institutum, successit novum atque sempiternum Christi sacerdotium, de quo Psalmista prædixerat. *Iuravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec.* Mutatio quoque legis Christum venisse demonstrat, quæ facta est ipso veniente, sicut supra dixerat divinus Esaias his verbis. *Erit in novissimis diebus manifestus mons Domini præparatus in cacumine montium, & exaltabitur super colles: & venient ad eum universæ gentes & dicent, venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob, & annuntiabit vobis viam salutis, & ingrediemur in ea. Ex Sion enim prodiet lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Quis autem adeo rudis, ut non intelligat in his verbis montem elevatum super montes, Christum esse regem super Principes? In hujus ergo regis adventu videbat Propheta legem exituram esse, non de monte Sina, ad erudiendam unam gentem sicut prius, sed de monte Sion ad docendas gentes sicut nunc factum esse videmus. Vetus autem lex quinquagesimo die post immolationem Paschalis Agni data est Moysi, nova lex quinquagesimo die post occisionem & resurrectionem veri Agni, sanctis Apostolis inspirata est, de qua lege dicit etiam sanctus Hieremias. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Iacob Testamentum novum, non secundum Testamentum quod constitui patribus, in die qua apprehendi manum eorum ut educerem eos de terra Ægypti, & cætera.* Quoniam igitur in adventum Christi novam legem ab ipso ferendam esse Prophetæ prædixerant, & ipsa jamdudum prolata est, legislatorem quoque Christum prius venisse manifestum est. Sanctissimus quoque Daniel non solum venisse Christum, verum etiam tempus unctionis & passionis ejus, & finem sacerdotij perpetuamque desolationem Iudæorum computando, demonstrat in persona Gabrielis Archangeli, ad se loquentis his verbis, *Septuaginta Hebdomadæ abbreviatæ sunt super populum meum & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur sanctus sanctorum.* Et paulo post, *occidetur*, inquit, *Christus, & non erit ejus populus qui eum negaturus est*, item paulo post, *& in dimidio Hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & in templo erit abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Hujus ergo Prophetiæ compendium est, quantum ad præsentem rationem pertinet, quod in Hebdomada septuagesima ungendus & occidendus esset Christus, & vetus sacerdotium defecturum. Hæc autem Hebdomada evolvebatur, perpetuáque desolatio secutura erat, Imperante Tiberio successore Aug. quando baptizatus & fuerit crucifixus Iesus Dominus. Ex tunc igitur Propheticâ veritate non solum venisse Christum, sed etiam unctum esse constat, & passum, vetúsque sacrificium defecisse desolatione secuta. Item Christum venisse, & quis esset Christus indicavit olim forma humilitatis ejus ac passionis à multis vatibus particulatim descripta, & in solo Iesu Domino nostro tota simul inventa. Nos autem verbi gratiâ partem descriptionis illius subjicimus, sicut est quod in Bethleem nasci dignatus est, juxta Prophetiam Michææ. Quod super asinam sedens venit Hierosolymam, & in tem-

A pore passionis veste rubea indutus est. *Et sicut ovis, ad occisionem ductus est, & cum iniquis reputatus est*, sicut deplotaverat Isaias. *Quod triginta argenteis venundatus est ac spinis coronatus & lapide occlusus est*, ut lamentatus fuerat Ieremias, *quod transfixis palmis ac pedibus, felle & aceto potatus est, & divisa sunt vestimenta ejus, & super tunicam ejus missa est sors, & ipse collocatus in obscuris, sicut mortui seculi*, deflente David, *quod casus est & consputatus, & lancea vulneratus*, dolente Iob. Talis itáque descriptio Prophetarum de humilitate & Passione Christi, quoniam in solo Iesu Christo Domino nostro tota inventa est, non solum venisse Christum, sed ipsum solum verè esse Christum ostendit. Item Christum venisse, & quis esset Christus olim præsens indicatio contemporalium sibi vatum ostendit, velut Zachariæ & Elisabeth, Simeonis & Annæ, quorum gesta seu vaticinia nota sunt, & Ioannis Baptistæ dicentis, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Quando enim isti Dominum Iesum personaliter indicarunt, non mo- B do venisse Christum, sed quis esset Christus, sine dubio ostenderunt. Item signa vel miracula, quæ in nativitate & Baptismo & Passione Domini nostri Iesu quasi extrinsecus, sed tamen divinitus facta sunt, non modo venisse Christum, sed ipsum verè esse declaraverunt, sicut visiones Angelorum lætantium in nativitate ejus, sicut stella nova rutilans, ad indicium ejus, sicut Magi cum muneribus venientes ad cunabula ejus, quæ miracula sic turbaverunt Regem abusivum, ut in æmulationem Christi nati coævorum ejus infantium crudelissimam stragem ederet. Præterea sicut tonitruum paternæ vocis, & Spiritùs sancti columbina species in Baptismo ejus, & sicut quando sol obscuratus est, & terra tremuit, & velum templi scissum est in occisione ejus. Super hæc omnia Christum venisse demonstrant opera & sermones ejus, de quibus ipse confutabat olim incredulitatem Iudæorũ dicens. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Et de quibus corroborabat inter alios fidem discipulorum Ioannis Babptistæ dicens. C *Hæc dicite Ioanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me*. Hæc enim & alia multa facturum esse Christum Prophetæ prædixerant. Quæ omnia quoniam à Domino nostro Iesu Christo fieri videbantur, ipsum verè Christum esse probabant. Cætera vero Christi adventus argumenta sicut est, *quod in omnem terram exivit sonus Apostolorum, & quod in ipso benedici videntur omnes tribus terræ*, & alia innumerabilia sponte præterimus, quia satis copiose quod propositum fuerat demonstravimus, id est, Christum tempore suo venisse. Nec habet Iudæus quid hiscere contra. Nam si dixerit sceptrum de Iuda non esse ablatum, perspicuè falsus est, quia circiter annos mille dispersa est tribus Iuda in omnes ventos, & locum regni Sacerdotalis alieni possident. D Quod si dixerit sacerdotium ejus non esse defunctum, mentitur planè, quia nec extra Hierusalem habet sacrificandi licentiam, nec intra facultatem. At si dixerit testamentum non esse finitum, & hoc præcipuè falsum est, quia sine sanguine sacrificij non stat ius veteris testamenti. Si dixerit numerum sancti Danielis, in tempore supradicto non fuisse completum, hoc quoque falsum esse rationes Chronicarum facilè probant. Si dixerit illum non esse Christum, cui superius relata descriptio convenit, cum testimonio Prophetarum, tum etiam eo falsus esse probatur, quod nullus est alius cui convenire possit. Si novis & judicibus Prophetis obgannire tentaverit, refellunt eum veteres & circumfulgentia signorum miracula. Si autem miracula Nativitatis, & cætera facta fuisse non credit, arguit eum innocentium cædes, & historiæ multæ. Magnifica vero Christi opera obumbrare non valet, quia literarum, ædificiorum & aliis signis sic impressa, vel expressa sunt ut sine ruina mundi disparere non possint. E Tanta igitur ratione convictus, tantisque sanctorum testimoniis confutatus Iudæus, si legali & Propheticæ autoritati non acquiescit, extra synagogam ejiciendus est. Hactenus expedito, quia venit Christus & quando & quis sit, ab hinc quia verus Deus est ingrediamur ostendere. Hoc ergo primum ponimus, Christum super omnes homines alios excellere, sua quædam gloriosa propria manifestant, à Prophetis exposita, velut hoc quia est homo de virgine natus Esaiâ teste, *Et Christus est homo sine adjutorio inter mortuos liber*, teste David. Nec enim alium hominem Virgo mater peperit, nec alius virtute sua liber a mortuis resurrexit. Deinde vero sunt alia Christi propria, quibus omnem supereminet creaturam, sicut illud ab Esaia cum admiratione prolatum. *Domine quis credidit auditui nostro & brachium Domini cui revelatum est?* & illud Davidicum, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Neque enim Angelus, neque alia creatura Dei brachium est, aut F in æterno die naturalis Dei filius est. De qua filiatione vel generatione divina satis extat copiosa Theologorum authoritas, unde Rex mire sapiens subtilissimam quæstionem proponebat dicens, *quis ascendit in cælum atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligavit aquas quasi in vestimento? quis suscitavit omnes terminos terræ? quod nomen filij eius si nosti?* Ex his ergo propriis supradictis quæ Christum à creatura separant, fit pro ratione demonstratio divinitatis ejus hoc modo. Quidquid est aut creator, aut creatura: proinde quod est, si creatura non est, creator est. Cum ergo Christus sit Dei brachium, quod creatura non est, sine dubio creator est. Item filius naturalis, etsi numero differt à patre suo quoniam alter est, naturali tamen definitione patri suo unum idemque est At Christus Dei filius naturalis est, Christus igitur idem quod Pater, id est Deus est. Liquet igitur Christum quia Dei brachium est Dominum esse, & quia Dei filius est esse Deum. Præter hæc denique sunt vaticinia quædam de Christi divinitate sic aperta, ut in eorum tractatu non sit opus uti ratioci- G natione. Quoniam evidenter illum ipso nomine Dominum clamant cum laudibus Deo dignis, quamvis non sine commemoratione humanitatis ejus, quâ fit ut Deus verus, & homo simul esse credatur. De quibus illud Davidicum. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi*, & cætera. Et illud Esaiæ, *parvulus natus est nobis, filius datus est nobis, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis, multiplicabitur eius imperium & pacis non erit finis*. Vbi in his verbis Esaiæ cavenda est falsa Iudæorum interpretatio, quâ vaticinium istud ad Esechiæ nomen inflectere laborant, quando cum Christianis simplicibus altercantur: falsa certè, quia non habetur scriptum in Hebraico, & vocabitur nomen ejus Esechias, quod interpretatur fortis Domini, sed H vocabitur nomen ejus Elgiber, quod interpretatur Deus fortis, quod nomen, id est, *El*, soli Deo convenit, & non Esechiæ, cui nec cætera quæ sequuntur convenire possunt Cæterum in vaticino David, simul cum divinitate Christi, diligenter attendenda est distinctio Patris, Filij & Spiritus sancti. Cum enim dicitur, *sedes tuâ Deus in sæculum sæculi, virga directionis virga regni tui, dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem*, ad filium Domini loquitur. Cum dicit *propterea unxit te Deus, Deus tuus*, de Deo Patre loquitur. Cum vero subjungit, *oleo lætitiæ*, Spiritum sanctum significat, nihilominus Deum ut loco suo demonstrabitur.

Sermo contra Iudæos.

MAgna dissensio est inter filios hominum cum de multis aliis, tum etiam de confessione fidei. Quod videns Apostolus dicebat, *nos prædicamus Chri-*

stum

A *ſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Non ſolum autem Gentiles & Iudæi, ſed & ipſi quidem qui ſe Chriſtianos appellari volunt, nimiam habent inter ſe differentiam. Cum alij eorum Catholici ſint, alij hæretici multis modis. Ego vero Fulbertus qui pono talia, licet peccator & indignus Epiſcopus, tamen quia vel fide Catholicum me eſſe deſidero, atque profiteor, gratiâ Dei volo, aliis quibus potero de mea fide & ſuo errore aliquam portiunculam reddere rationis ejus, quæ in me ſatis eſt & copioſe. Et primum quidem Iudæis. Hi ergo nobis conſentire dicunt, in hoc; unum Deum confitemur omnium creatorem. Diſſentiunt autem de multis, ſed periculoſiùs fere de his quod Trinitatem perſonarum in unitate divinitatis non agnoſcunt, & quod Chriſtum Deum eſſe negant, vel quod nondum veniſſe dicunt. Qui tamen de hoc ultimo ſive tertio, eos rationabiliter convinceret, puto quod non habeat poſtea multum laborare de cæteris. Probato enim quia venit Chriſtus, ipſe poterit deinceps
B intimare quærenti Iudæo, quid ſentire de cæteris vel quid facere debeat. Iam ergo incipiamus. Chriſtum veniſſe probat impleta Prophetia, quam ſcripſerat Moyſes in hæc verba. *Non auferetur ſceptrum de Iuda & dux de femore eius; donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Non eſt enim ablatum regimen tribûs Iuda de manu ſui generis, & tranſpoſitum in manus regum alienigenarum uſque ad adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem nos Catholici Chriſtiani ſuſcepimus, eſt autem ex tunc revera ablatum ſceptrum de Iuda, & tranſpoſitum in manus extraneas, ejuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ex tunc igitur authoritate Propheticâ patet, veniſſe illum qui mittendus erat, id eſt, Chriſtum. Ecce propoſitionem noſtram ſuccinctè concluſimus, nunc ad approbationem ipſius hiſtoriam veritatem breviter attingamus. Demonſtrantes quales Iudæorum populus de genere ſuo rectores habuerit, quan-
C do amiſerit, & quomodo ſibi ablatio regiminis & adventus Meſſiæ concurrerint in diebus Herodis. Igitur poſt Moyſem, qui Prophetiam hanc protulit & Ieſum ſucceſſorem ejus, Rectores habuit populus Iudaicus de genere ſuo, qui Iudices appellati ſunt, uſque ad tempus Samuelis Prophetæ. Deinde qui reges appellati ſunt, ſimiliter de genere ſuo, Saolem, David & plures alios uſque ad tranſmigrationẽ Babilonis. In ipſa quoque tranſmigratione non defuerunt illi de genere ſuo rectores & conſolatores Deo pleni, & ipſis regibus excellentiores, ſicut Ieremias & Daniel Prophetæ. Poſt reditum de Babilone fuerunt illi ſimiliter de genere ſuo bene diſciplinata regimina Pontificum uſque ad Ariſtobuli tempus, qui Pontifex Iudaici populi ſimiliter de genere ſuo, & rex ultimus fuit. Hunc autem Ariſtobulum expugnatâ Hieroſolimâ vinctum cum liberis Romam miſit Pompeius Romanorum Dux, Hircano fratri ejus Pontificatum relinquens. Omnem
D vero Iudæorum gentẽ ultimus Pontifex per legitimam ſucceſſionem generis fuit. Herodes primus ex alieno genere Rex Iudæorum factus eſt per Senatuſconſultum Imperante Auguſto. Quo tempore Chriſtus ſecundum Prophetiæ fidem in Bethleem natus eſt. Hactenus ergo, id eſt, uſque ad regnum Herodis & non poſtea rectores habuit legitimè populus Iudaïcus de genere ſuo: regno nàmque Iudæorum diſrupto atque mutato, Sacerdotium quoque diſruptum atque mutatum eſt. Herodes enim poſtquam regnum Iudæorum à Romanis accepit, antiquo iure, hoc eſt, per legitimam ſucceſſionem generis non conſtituebat Pontifices, ſed promiſcue quibuſque ignobilibus ſacerdotia promittebat ad tempus. Sacra quoque veſte ſummi Pontificis ſub ſignaculo clauſa, nuſquam uſum eius Pontificibus permittebat. Hunc ergo perverſum morem tenuit poſt ipſum Archelaus ſucceſſor eius. Hunc deinceps tenuere Romani præ-

poſiti, donec tandem poſt Paſſionem CHRISTI deſtructâ Hieroſolymâ & diſperſa gente Iudæorum, ne-
E que civitas illis, neque Rex, neque Pontifex, neque populus fuit. Et iſta deſolatio iugis, facta eſt uſque in hodiernum diem. Si ergo hæc ita ſunt, imò quia ita ſunt, quòd ex Prophetiâ concluſeramus, per hiſtoriam conſequenter approbavimus, id eſt, ex tempore quo regimen de Iuda ablatum eſt, & princeps de femore eius, veniſſe Meſſiam. Nunc ſi habent Iudæi quid contra murmurent, audiatur. Hic ſolent autem trifariam verba dare, contra rationem iſtam, quidam ex eis Iudæi. Primum non credimus, inquiunt, veniſſe Chriſtum, quia virgam regiminis Iuda non putamus ablatam. Sunt enim in multis regionibus Iudæi locupletes & ingenioſi qui regant ſtrenuè familias ſuas, & quia tales rectores adhuc eſſe videmus, dicimus nondum eſſe ablatum ſceptrum de Iuda, neque veniſſe Chriſtum adhuc. Poteſt eos quivis iocoſa urbanitate deludere, ſimulque ratione confutare hoc modo. O Iudæi felices infortunio! ſi eſt verum quod dicitis, numqoid non ille vos copio-
F sè mireve beavit, qui vos perfundedit atque diſſipavit, ſi cum in patria unum regem amiſeritis, nunc in exilio tam multa regum millia vel inveniſtis, vel recuperaſtis? Sed nullus eorum chriſmate legali vel ſpirituali unctus eſt, nullum populus ſequitur, nec ipſe populo præeſt, quapropter nullus eorum neque Rex, neque Pontifex, Propheta, neque Dux tribus Iudæ vel eſt, vel certe appellari poteſt. Vndè enim cauſæ effectivæ deſiunt, ibi effectus illarum eſſe minimè poſſunt. O igitur dolor vel riſus, contra ſtultam atque infelicem ſortem partis Iudæorum, qui cum inſolenter & inconfeſſe regimen ſuum putant in turbam mittere, & applaudere ſibi de multitudine regum, nullum rectorem penitus comprobantur habere. Sufficere poſſit iſta ratio quam diximus, ad confutationem primæ partis. Sed quia bonæ cauſæ ſatis nobis rationes abundant, non pigeat illos iterato per impoſſibile oppugnare, hoc modo. Prophetia de qua
G nunc agimus, aut reſpicit ad tales reges, id eſt ruſticos, ſive privatos, aut minimè. At ſi reſpicit, & propter illorum præſentem exiſtentiam in hac vita, conſtat inter vos nondum veniſſe Chriſtum, propterea idem conſtabit nunquam eſſe venturum donec omnes ita deleti ſint, ut nullus eorum ſit in mundo qui regat familiam ſuam, hoc autem quando erit? niſi in conſummatione ſæculi, cum defunctis omnibus nullus erit iam neque pœnitentiæ neque veniæ locus: & quid putabimus, ut tunc veniat Meſſias niſi mortuos ſepelire? Hæccine ergo erit expectatio gentium? itane promiſſa prophetia redigetur ad nihilum? Abſit: impoſſibile eſt enim mentiri DEVM qui repromiſit certo termino ante finem ſæculi, CHRISTVM ſuum ad ſalvandum genus humanum mittere. Falſi ſunt igitur illi, qui dicunt prophetiam hanc ad finem talium rectorum reſpicere, quales certum eſt, uſque in
H finem ſæculi perdurare.

His ita refutatis, de hac objectione refutati Iudæi tranſeunt ad alteram, dicentes: Non credimus veniſſe Chriſtum, quia ſceptrum de Iuda non putamus ablatum. Qui ſcit enim utrum in aliqua parte mundi, ſit congregata multitudo Iudæorum, quæ regem unctum atque ſacratum habeat, ſuper ſe de genere ſuo? ad hoc reſpondemus, quod nullus utrinque noſtrum ſcit, nec audivit in diebus noſtris Iudæum regem in ulla regione mundi regnare, ſed tamen ſi aliquis Iudæus regnaret in Iudæa, nunc nihilominus ablatum eſſet ſceptrum de Iuda: Per ſe enim regnum Iuda diviſum eſt ab aliis regnis, conſtans propria regione, quæ dicitur terra Iuda, & Beniamin, proprio rege qui de tribu Iuda. Et ſicut domus quælibet propriis partibus conſtat, id eſt, fundamento, parietibus & tecto, quarum ſi una defuerit, domus eſſe non poſſit, ita regnum Iuda partibus ſupradictis. Nam ſive patria, ſive populus, ſive rex deſit, regnum eſ-

A

se non possit. Vbi enim pars deest totum esse non potest, & contra ubi totum est, partes quoque esse necesse est. Quod si una parte pereunte nomen totius perit, quanto magis cunctis pereuntibus totum non subsistit? Regnum autem Iuda terram suam perdidit, quando ipsa in manus extraneas venit, populo caruit, postquam in omnes nationes dispersus est populus. Rege vero legitimo longè ante caruerat, sicque regnum Iuda, omnibus partibus suis amissis, regnum esse desivit: manifestum est igitur, & ad extranea regna nihil pertinere sceptrum de Iuda, & de suo jure esse ablatum. Quod si quis stultus putet esse, vel dici regnum Iuda, ubicunque regnat Iudæus super Iudæus, refellitur & re & scripturâ. Nam cum regnarent duo reges super gentem Iudæorum, unus in Hierusalem super duas tribus, & alter in Samaria super decem tribus ille tantum vocabatur, & erat Rex Iuda qui regnabat in Hierusalem. Ille denique Rex Israel, qui regnabat in Samaria. Si ergo sceptrum Iuda non pertinet ad illum qui decem tribubus Iudæorum præest in Samaria, multo minus pertinebit ad il-

B

lum, qui menduse fingitur rex esse aliquot Ind. in India. Dicamus iterum. Rex Iuda est vir oriundus de tribu Iuda electus, & à legitimo sacerdote sacro Chrismate unctus ad regendum populum, qui habitat in terra Iuda. Omnis autem rex extraneus ab hac definitione alienus est. Nullus igitur ipsorum rex Iuda est. Non enim possunt habere communem essentiam quæ non habent communem definitionem. Porro conclusionem hanc altera consequitur, hoc modo. Nam si de tribu Iuda legitimè Rex esse non poterat, nisi quem sacerdos ipse quoque unctus atque sacratus, legitimâ unctione sacraret. Sacerdos autem in gente Iudæorum non fuit, postquam Chrisma perdiderunt, & exulaverunt de loco, in quo solo eis sacrificare licebat, postquam sacerdotes qui reges unxerunt non extiterunt, nec reges quidem existere potuerunt. Vbi enim causæ effectivæ desunt, effectus earum minimè esse possunt. Concluditur itaque non solum de Iuda sceptrum ablatum, sed ne regem quidem ibi postea fieri potuisse. Nunc veniamus ad tertium. Non est

C

nobis, inquiunt, tanti signi, quod exules sumus nunc & sine rege, id est, Principe, ut propterea credamus venisse Messiam. Fuimus enim similiter in Babylone, non tamen ullo modo venit Messias, sed postea reversi Hierusolymam habuimus regnum & sacerdotium: hæc est ergo spes nostra, ut similiter nobis restitutis, cum placuerit Deo rursus hæc adveniant. Respondemus, quod nunc exoles & sine principe vos esse dixistis & verum est, ibi enim collectus erat in unum populus Hierosolymis, id est, tribus Iuda & Beniamin, habens secum regem & sacerdotes, & Prophetas suos, & promissionem datam à Domino, quod post peractam pœnitentiam l x x. annorum redituri essent in terram suam quam nondum tradiderat Dominus alienigenis ad habitandum, sed sicut nunc deserta remanserat. Nunc vero non est vobis collectus populus, sicut tunc, neque rex, neque sacerdotes, neque Prophetæ, neque terra deserta vobis reservata, nec

D

promissio data à Domino, quod post l x x. annos illuc redeatis, sicut tunc, sed est potius sententia data à Domino, quod perpetua sit hæc desolatio vestra, quod in loco suo satis demonstratur, quæ vobis jam circiter annos mille persoluit, nil frandatura vos de cæteris, usque in finem

Deus unus est in Trinitate.

MOyses ait? *In principio fecit* DEUS *cœlum & terram.* Dixitque Deus *Spiritus Domini ferebatur super aquas* David inquit. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Isaias ait: *Ego primus & ego novissimus. Manus quoque mea fundavit terram, & dextera mea mensa est cælos.* Et paulo post *Et nunc* DOMINUS DEUS *misit me, &*

E

Spiritus eius. Aggæus. *Spiritus meus erit in medio vestri:* Postea. *Ecce ego commovebo cœlum & terram, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Isidorus. Christus ex Patre ita emicuit, velut splendor à lumine. Velut verbum ab ore, velut sapientia ex corde.

Quod Christus à Deo sit genitus David inquit. *Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te.* Salomon in Proverbiis. *Quis ascendit in cœlum, atque descendit? Quis continuit spiritum in manibus suis? Quis colligavit aquas quasi vestimento? Quis suscitavit omnes terminos terræ? Quod nomen est ei, & quod nomen filij eius si nosti?* Esaias. *Nunquid qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Et qui generationem aliis tribuo, sterilis era, ait Dominus?* Quod ante sæcula genitus est ineffabiliter. Micheas ait. *Egressus eius à principio à diebus æternitatis.* David. *Ante solem permanet nomen eius.* Salomon in Proverbiis cap. 22 *Nondum erant abyssi, & ego concepta eram. Nec dum fontes aquarum eruperant, & ego parturiebar, quando præparabat cœlos aderam, cum eo componens omnia.* Isaias. *In humilitate judicium eius ablatum est. Generationem eius quis enarrabit?* Iob *Sapientia Dei patris unde venit? Latet enim ab oculis homi-*

F

num, & à volucribus cœli abscondita est.

Quod cum Patre & Dominus est. David inquit. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi: Virga directionis virga regni tui.* Moyses. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum.* Zacharias. *Post gloriam misit me ad gentes* & cæt. Item *Lauda & lætare Sion quia ecce venio, & habitabo in medio tui, & scies quia Dominus exercituum misit me.*

Quod in humilitate venturus esset. Isaias dixit. *Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinum.* Ieremias. *Tibi peccavimus expectatio Israel, salvator eius. Quare sicut colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum. Quare futurus es quasi vir vagus, & qui non potest salvari.*

Quod occidendus esset. Isaias inquit. *Sicut ovis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.* Daniel. *Vir Gabriel. Post hebdomadas septuaginta occidetur Chri-*

G

stus.

Quod resurrecturus esset. David ait. *Caro mea requiescet in spe* & cæt. Item *Resurrexi & adhuc sum tecum.* Oseas. *Vivificabit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu eius.*

De termino adventus ejus Moyses vel Israël. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Daniël. *Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel. quem videram in visione à principio, cite volans tetigit me, in tempore sacrificij vespertini, & docuit me, & locutus est mihi. Dixitque. Daniël, nunc egressus sum ut docerem te & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo, ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu ergo animadverte sermonem & intellige visionem. Septuaginta hebdomadæ abbreviata sunt super populum tuum, & super urbem*

H

sanctam, ut consumatur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur sanctus sanctorum. Scito ergo & animadverte, ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Ierusalem: Vsque ad Christum ducem hebdomadæ, & septem hebdomadæ sexaginta duæ erunt. Et rursum. *Ædificabitur platea & muri in angustia temporum. Et post hebdomadas septuaginta duas, occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas. Et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una. Et in dimidio hebdomadæ deficiet hostia & sacrificium, & in templo erit abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

A *Domine quis credidit auditui nostro? & brachium domini cui revelatum est? Et, ascendit sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Et, non est species ei neque decor. Et, vidimus eum, & non erat aspectus. Et, desideravimus eum despectum & novissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem. Et, quasi absconditus vultus eius & despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & livore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus. Vnusquisque in viam suam declinavit, & Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ductus est, quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia & de Iudicio sublatus est. Generationem eius quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium. Propter* B *scelus populi mei percussi eum, & dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore eius. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.* Et *ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus oravit, ut non perirent, dicit Dominus omnipotens.*

Christus ait. *Gaudium est Angelis super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis, qui non indigent pœnitentiâ.* Ioan. Apost. sic ait, inter cætera ad jam baptizatos. *Filioli hæc scribo vobis ut non peccetis.* Et, *si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem Iesum iustum: ipse est exoratio pro peccatis nostris.* Iacobus ait. *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini.* Fulgenti. Quocumque tempore homo egerit pœnitentiam quamlibet annosus, si toto corde renuntiaverit peccatis præteritis, & pro eis in conspectu Domini C non solum corporis, sed etiam cordis lachrimas fuderit, & malorum operum maculas bonis operibus diluere curaverit, omnium peccatorum indulgentiam habebit. Ezechiel. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit præcepta mea universa, & fecerit iustitiam, vita vivet & non morietur: omnium iniquitatum eius quas operatus est non recordabor. In iustitia sua quam operatus est vivet. Nunquid voluntatis meæ est mors impij? dicit Dominus Deus. Et non ut convertatur à viis suis & vivat? Si autem averterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius, nunquid vivet? Omnes iustitiæ eius quas fecerit non recordabuntur: in prævaricatione qua prævaricatus est, & in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur.*

D *Vnumquemque iuxta vias suas iudicabo domus Israel, ait Dominus. Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas: proiicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum. Et, quare moriemini domus Israel? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini & vivite.*

Pœnit. Laicorum secundum Fulb. Episc.

SI quis hominem occiderit sponte, vij. annis pœniteat. Si immeritum x. ann. pœniteat. Si Diaconum xiv. ann. pœnit. Si Presbyterum xx. & uno anno pœnit. si quis hominem non sponte occiderit iij. ann. pœnit. si publico bello i. anno pœnit. si quis hominem debilitaverit iij. quadrag. pœnit, si quis membrum principale alicui tulerit iij. ann. & dimidio pœn. si quis Sodomiticus vel cum pecude semel vij. annis pœnit. si consueverit xiv. ann. pœnit. si quis fornicatur inter famota semel iv. quadragenis pœnit. si E consueverit iij. annis, si parvulos oppressus hoc patitur una quadrag. pœnit. si per se ipsum ij. quadrag. pœniteat. si consueverit uno anno pœnit. si quis adulterat simpliciter v. annis pœnit. si dupliciter x. annis pœnit. si quis raptum fecerit iij. ann. uno de his foris Ecclesia pœniteat, si quis Nonnam cornam corruperit vij ann pœnit. si quis consanguineam v. annis pœnit. si quis divinos consulit, iij. ann. pœnit. si quis sacrilegus vel perjurus extiterit vij ann. pœnit. si quis jurat contra pacem i. anno pœnit. cum eleemosynis & redeat, si quis pertinaciter odit, excommunicetur.

Mulierum pœnitentia per Fulbertum Episcopum.

SI qua mulier ij. fratribus nupserit v. ann. pœnit. si qua partum necat, aut excitat sponte si jam vivit xij. ann. si non vivit adhuc vj. annis post pœn. & semper sexta feria jejunet. Si mater dormiens filium vel filiam oppresserit iij. annis pœnit. si infans alicubi ceciderit & obierit, parens i. ann. pœnit. si infans mortuus F fuerit per negligentiam sine baptismo iij. annis pœnit. i. ex his foris & semper sexta feria jejunet. Fidelis bene vivens securus hinc exit. Baptizatus ad horam Agens pœnitentiam dum sanus est & reconciliatus, & postea bene vivit securus. Qui posita in ultima necessitate pœnitentiam accipit & exit. Fateor non illi negamus quod petit, sed non præsumo dicere quia bene exit. Do ergo consilium; dimitte incertum, & tene certum, ut dum sanus es agas pœnitentiam, ut mortuus habeas securitatem.

Hoc vero tempore postea quam resurrectio Domini nostri Iesu Christi, manifestissimum judicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum signorum quæ jam intelligimus, operatione gravi onerati sumus, sed quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, & observatione castissima, ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina. Sicuti & Baptismi Sacramentum & celebratio corporis & sanguinis Domini, quæ unusquisque cum percipit quo referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali servitute, sed spirituali potius G libertate veneremur.

Nisi manducaveritis, inquit, *carnem filij hominis & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis.* Facinus vel flagitium videtur jubere. Figura ergo est, † dicet hæreticus, præcipiens Passioni Domini esse communicandum tantum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit.

† Interpretatio est mystica, & non hæc duo verba *dicet hæreticus*, non habent in m.s. D. Petavii.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam. Hic quandoque per cibum & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta Eccl. in prædestinatis & vocatis & justific. & glorific. sanctis & fidelibus ejus. Quorum primum jam factum est, id est, prædestinatio, secundum & tertium factum est, & fit & H fiet, id est vocatio, & justificatio. Quartum vero nunc in spe, in re autem futurum est, id est, glorificatio. Huius rei sacramentum, id est, unitatis corporis & sanguinis Christi, alicubi quotidie alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur: quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res vero ipsa cujus sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium quicumque ejus particeps fuerit. Ipse Dominus paulo post exponit quid sit manducare corpus ejus & sanguinem bibere. *Qui manducat carnem meam & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo.* Hoc est ergo manducare illam escam, & illum potum bibere, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio non manducat ejus carnem, nec bibit ejus sanguinem, etiam si tantæ rei

sacramentum ad judicium sibi manducet & bibat. Item paulo post Augustin 26. tract. Signum quia manducavit & bibit, hoc est si manet & manetur, si habitat ac inhabitatur, si hæret, & non deseratur.

Haymo super Epist. ad Corinth.

Caro quam Verbum Dei Patris assompsit in utero Virginali in unitate suæ personæ, & panis qui consecratur in Ecclesia, onum corpus Christi, ita iste panis transit in corpus Christi, nec sont duo corpora, sed unum corpus. Divinitatis enim plenitudo quæ fuit in illo replet illum panem, & ipsa divinitas Verbi, quæ implet cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, ipsa replet corpus Christi, quod à multis sacerdotibus per universum orbem sanctificatur, & facit unum corpos Christi esse. Et sicut ille panis & sanguis in corpos Christi transeunt, ita omnis qui in Ecclesia digne comedit illud, unum corpus Christi est, sicut ipse dixit. *Qui manducat carnem meam & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Tamen illa caro qoam assumpsit, & iste panis, omnísque Ecclesia, non faciunt tria corpora Christi, sed unum corpus. Et sicut qui corpori & sanguini Christi communicant, unum corpus cum eo efficiuntur, sic & qui communicant scienter de idolothitis, unum cum diabolo corpus existunt.,

In Symbolo Ephesini Concily.

Necessario & hoc addiscimus: annuntiantes enim secundum carnem mortem unigeniti filij Dei, id est Iesu Christi, & resurrectionem ejus, & in cœlis Ascensionem, pariter confitentes, incruentam celebramus in Ecclesiis sacrificij servitutem. Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis & pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrûm redemptoris effecti. Non ut communoem carnem percipientes, quod absit, nec ut viri sanctificati & Verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, aut sic divinam possidentes habitationem sed verè vivificatricem & ipsim Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus existens, quia propriæ carni unitus est, vivificatricem eam esse professus est. Et ideo quamvis dicat ad nos, *Amen Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c.* non tamen eam ut hominis unius ex nobis æstimare debemus quomodo enim juxta naturam suam vivificatrix esse caro hominis poterit? sed ut verè propriam ejus factam, qui propter nos filius hominis & factus est & vocatus. Sylvester Papa. Primus Adam suasu serpentis mortem incurrit, & ejectus de Paradiso deliciarum Dei, in labore & sudore edit panem. Terra autem de qua factus est, virgo erat. Oportuit ergo secundom Adam de virgine nasci, qui serpentem tentantem se vinceret, & hominem de captivitate ejus, qui primum vicerat liberaret. Quoniam qui Adæ victor in Paradiso extiterat, ipse tentator Domini factus est in deserto, ut qui vicerat manducantem, vinceretur à jejunante. Et sicut mortem non inveniunt nisi qui nati sunt ex carne Adæ, ita vitam non inveniunt nisi qui renati fuerunt ex aqua & Spiritu sancto, & carnem Christi & sanguinem suæ carni & sanguini sociaverunt, qui vicit diabolum, Paradisum reddidit, & vitæ æternæ januam patefecit.

.

ALIA QVÆ SEQVVNTVR, Domini Fulberti Prosæ & Versus ex manuscripto petuntur.

Hymnus seu Prosa de sancto Pantaleone.

QVANTAS cædes Christiani gregis inhorruerit, sub Maximiani quondam impia tyrannide, revolutæ, manifestant scripturarum paginæ.

Tunc Eustorchius senator quidam Nicomediæ habitabat, quidam & natus nomine Pantaleon, & decore corporali clarus & ingenio.

Vnde pater, more patrum, lætus ac sollicitus, fecit eum liberales artes apprehendere, ut non esset speciosa lampas sine lumine.

Tum discendæ salutaris disciplinæ gratia, medico Maximiani tradidit Eosrosino, quo doctore cœpit esse frequens in Palatio.

Imperator autem ejus honestate cognita, asserit ac consequenter attestantur alij, digna quod persona talis sit astare Cæsari.

Inter hæc, quidam sacerdos in eodem Oppido nuncupatus Hermolaus, metu sævi principis, latebrâ se recondebat obsoletæ tegetis.

Qua Pantaleonem sæpè transeuntem conspicans, vas electionis esse comperit per Spiritum, & modestè provocavit intus ad colloquiom.

Quætit ergo nomen, genus, studiumque pueri, quærit sectam, ille notans quæsitorum ordinem, diligenter contrapensat responsorum seriem.

Solvit primum ac secundum, tunc exponens cætera, secutor, inquit, documenta Hypocratis medici, atque magni præcessoris ejus Esculapij.

Hos putamus esse deos, qui vivaci numine, quæ desetipta reliquerunt, prosequentes approbant, dum langore fatigatis, sanitatem reparant.

Ad hæc senex Hermolaus, os maturum reserans. non contendo replicare, omnia quæ peotulit, sed quæ breviter dixisse non absurde potuit.

Chare fili, verba mea vigilanter accipe, fortiterque cerebrosa retine memoria: nam magistros credo tuos non docere talia.

Duas esse medicinas Christiani novimus, unam quidem de terrenis de supernis alteram, quarum ut diversos ortus, sic & efficaciam.

Medici terreni longam per experientiam, surculorum didicerunt vires, & similium quæ permutant qualitates humanorum corporum.

Nullus tamen in hac arte, sic probatus exstitit, cui non essent ad curandum aliæ difficiles, aliæque passionum prorsus incurabiles.

. Hoc testatur ille vir Hypocras, qui fuit hoc de cœlo sublimatus vit Esculapius, quibus nemo ventilatur major esse medicus.

At supernæ medicinæ Christus author emicat, qui curare solâ potest jussione morbidos, & ad vitam de sepulchro revocare mortuos.

Quí dederat cæco nato, post creata lumina, ac de tumba jam fœtente suscitatus Lazarus, cæteráque mira gesta, quorum non est numerus.

Sed de Christo quid dicatur, cum nos ejus servuli mira quæque faciamus, in ipsius nomine, tibi quoque non negando fore sane crederetur.

Tu te ergo, chare fili, sapienter collige, argumenta manifestis sumens ab operibus, quis eorum sit habendus Deus atque Dominus.

Cœpit autem ratione tali puer allici, postquam singulis diebus sacerdotem visere, ac de Christo sciscitari multa, plura dicere.

Quadam

A Quadam ergo die solus à magistro rediens, dum de via declinaret, interemptum puerum, atque iuxta vidit eius peremptorem colubrum.

Quo spectaculo parumper tremefactus abstitit, sed quam primum resipiscens vivide referbuit, sicque precem Deo vero primitivam obtulit.

O Iesu, quem posse cuncta Christiani perhibent, si collegio tuorum me dignaris iungere, præsta quæso, quod fidenter iam præsumo poscere.

Precor ergo per virtutem tui magni nominis, ut revivat iste puer, crepet iste coluber, quod proberis esse vitæ atque mortis arbiter.

Ad hanc vocem, ô fides, ô mira Dei bonitas! mortuus resurgit infans, & Chelydrus finditur, laus præclara de gentili ore Deo funditur.

Te nunc, inquit, benedico Iesu potentissime, non te semel benedicam Deus atque Domine, tu sis omni B benedictus sæculorum tempore.

Currit ergo lætabundus, tiro Christi nobilis, & ad pedes Hermolai procedit Presbyteri, instans sibi non tardari, sacri fontem lavacri.

De Sancto Piato Hymnus.

IN tellure Beneventi claris ortus patribus, insignis mundo Piatus sacris fultus moribus.

Mox puer Christum sequendo admirandis nisibus insignis, post adultus vilipendit vanam mundi gloriam, de suis nihil reservans, præter vestem simplicem.

Sed quæcumque possidebat dans fomentis pauperum, nesciens Romam pergit, iam vir extans, illic & coniungitur Dionysio, suisque sanctis consodalibus.

Sic in cœtum tantorum virorum lumen viget additus Dionysio, his perfectis prædicare Christum genti Gallicæ.

C Tornacum versus Piatus se direxit inclytus, cum Parisios iret beatus Dionysius.

Tornaco ergo diffundendo latè sancti verbi semina, Christo convertit virorum ter dena millia.

Præter parvos, & secundi sexus turbam maximam Christicolum, genuinis inter hæc coruscans virtutum miraculis.

Edomabat parcitate duras vires corporis, ut frangendo roboratus, hosti non succumberet, & illum fortiter debellaret.

At Cæsar Maximianus, ut Piati hausit famam virulentis auribus, comprehendi iussit eum, ad necandum protinus.

Vtque fama est, ille militare promptus, atque vinci nescius, nexus vicit, flagra vicit & omnes impetus.

Decollatur namque tandem læto cætu martyrum, palmam gessit Laureatus ad cœli palatium.

Dúmque glebâ conderetur gloriosi corpus martyris, fusus odor est superni circum circa nectaris.

D Ne quid mundos hæsitaret de salute Spiritûs, cuius caro tunc probabat hunc regnare cœlitus.

Prosa de Nativitate Domini.

SOnent regi nato nova Cantica, cujus Pater fecit omnia, mater est virgo sacratissima.

Generans nescit hic fœminam, illa est sine viro gravida.

Verbum corde Patris genitum ante sæcula.

Alvo matris prodit corporatum post tempora.

O mira genitura! ô stupenda nativitas! O proles gloriosa!

Humanata divinitas, sic te nasciturum filium Dei, vates tuo docti Spiritu prædixerant.

Sic te oriente ex virgine sacra, pacem terris Angeli nuntiant.

Elementa vultus exhilarant, omnes sancti clamantes iubilant.

Salve clamando, nósque salva Deitas, in personis trina simplex exousia

Hymnus de Trinitate.

E VErbum Dei Spiritúmque legifer in Genesi, rex David secundo Psalmo post tricenum cecinit, sic uterque Trinitatem unitatis prodidit.

Sapiens cum genitore sancto suo, Salomon, planè verbo declaravit, esse Deo filium, Verbum scilicet æternum corde eius genitum.

Moysi & Esaiæ testis est Psalmographus, quia filius cum Patre Deus est & Dominus, nil enim Patre Deo gignitur nisi Deus.

Deum hominem futurum esse sicut extitit, post Psalmistam Esaias liquido perdocuit, dispensatio salutem illa nobis edidit.

Quódque Deus nasciturus esset matre Virgine, idem ante Gabrielem missus est prædicere, talis porro decet ortus authorem munditiæ.

F Legislator Danielque notaverunt terminum, quando Rex venturus esset expectatus gentium: Is neglectus perdidit malè populum Iudaicum.

Summum regem affuturum pauperem & humilem, ostendit Propheta quasi iam visibilem, corruit superbus hostis ante cujus faciem.

In festo Sancti Ægidij Abbatis ad matutinum Invitatorium.

ADoramus regem totius bonitatis auctorem, qui Sanctum Ægidium exornat & gratiæ donis, & iustitiæ præmiis.

In matutinis Laudibus responsoria.

DOminum semper & ubique regnantem, in sancto suo Ægidio mirificum prædicemus. Iubilemus Deo gratulantibus animis, qui patronum nostrum G Ægidium decoravit gratiâ sanctitatis. Deus ut tandem nos vigilantes inveniat, chari tui Ægidij nobis merita suffragentur. Benedictus sit universalis Dominus, quem beatus nobiscum benedicit Ægidius. Laus iucunda resonet Deo vivo & vero in sancti sui Ægidij miraculis gloriosi. Sancte confessor & patrone noster Ægidi, per cujus merita Dominum glorificamus, apud illum pro nobis te intercedere sentiamus. Benedicimus te clementissime Deus, qui diem festum Beati Ægidij, in laudem tuam nobis expendere tribuisti, téque suppliciter exoramus, ut sanctis tuis quibus honorificentiam exhibemus, virtute ac præmiis sociari mereamur.

Prosa & alia responsoria.

SAnctus Ægidius natione Græcus præclaris parentibus originem duxit, corpore valens & acer ingeH nio. Fœliciter adultus est ac liberaliter eruditus. In rerum quoque possessione non tenuis, sed ingentem copiam provida largitas erogavit. Hinc inter prospera voluptate non est resolutus, nec inter aspera à diabolo est superatus. Inediam, sitim, algores, & vigilias, pro Christi amore delicias computabat. Affectus iniuriis, & graviter sauciatus affligentibus se deprecabatur veniam. Credebat quod didicerat à vero magistro, in patientia tandem animas possideri. Virtute itaque vectus ad sublimia, sacerdotali meruit infulâ decorari. Obtinuit enim illud sapientis, quod in tempore iræ factus est reconciliatio.

Fidelis Christi confessor Ægidius, genere clarus, sed scientiâ, virtute & opere longè clarior extitit. Legitur quidem regiâ stirpe fuisse progenitus. Sed hic ævo tener, ad liberalia rudimenta dispositus, doctores summos brevi æquiparavit. Dum potentis ingenij motum, nec levitas præcipitem ageret, nec desidia tardum. Docto docili quoque puero gratia Dei non defuit, vitam eius omni morum honestate commendans.

A Iam iamque foris scintillabat indiciis, succensa velut lampas charitatis. Vestem ægro cuidam mendicanti, quâ non superfluâ egebatur, quamvis adhuc pædagogi sententiam sibi æstimaret formidabilem, dedit. Prodiit ex templo quoddam memorabile signum, quo Deum Ægidio cooperari compertum est. Nam, ut æger attigit oblatam sibi vestem, simul recepit pristinam sanitatem. Parentibus autem in pace defunctis, patrimonij sui Christum fecit hæredem. Mirabili modo pauperando ditescens, dum temporalium impendiis æterna lucratur. At ubi sancti viri virtus, præ magnitudine sua latere non potuit, confluebant plurimi, corporis animæque beneficia postulantes. Nec verò ubi dator hilaris & quod daretur abundè non aderat, suo munere frustrabantur. Cúmque mira gesta laudum præconia sequerentur, mari transito natalem Græciam suâ præsentia viduavit, incautum esse iudicans levis famæ pretio, thesaurum bonæ conscientiæ venditare, in natali permanens. Mirabile quidem est, quanto in B eo succreverit parcimoniæ virtus, cum multo tempore ab ipsius quoque panis abstineret edulio. Vndè facilè patet eum nec pulmentaria, nec quælibet gulæ irritamenta quærentem, ad superna evolasse regna.

Prosa de divo Martino.

INter Patres Monachalis vel Clericalis ordinis, virtutis excellentiâ MARTINVS notabilis. Non quilibet de pluribus, sed ille solitarius. Primò deinde Turonicæ præsul patérque patriæ. Diserta quem prudentia fortisque temperantia, quin universa sanctitas, ornavit, hoc est, charitas. Is pauperi quam dividit se veste Christus induit, dans signa tantæ gratiæ needum renato cernere. Mox fonte cœli roscido sancto repletus Spiritu, divóque fretus numine, & ut potens Apostolus, confutat ortas hæreses, iussu repellit dæmones, medetur lepræ osculo, & mortuis precario. Quid igne rapto cœlitus, cremasse fana fundi- C tus, gravésque moles per fidem, hunc transtulisse prædicem? Dedisse cæcis sydera, surdis organa, mutisque præcinentibus, aptasse claudos saltibus. Quot gesserit huiusmodi miraculorum millia, fugit ligari calculo, velut saburra pontica.

De Sancto Lamberto.

MAgna vox laude sonora te decet per omnia, quo poli chorea ancta tali compare, terra plaudit & exultat digna tanto Præsule O Sacer *Lamberte* martyr, vota nostra suscipe.

Pro Rege.

REgum princeps atque virtus, cuius nutu mundi cælum gyrat, terra perstat. Disponuntur sæcula D Regi Roberto nato stirpe nobilissimâ, sic domare des superbos, & subiectis parcere, ut hic regnans gloriosus quondam vivat in æthere.

VERSICVLI DOMINI Fulberti de Beata Virgine.

SOLEM iustitiæ regem paritura supremum,
Stella Maria maris hodie processit ad ortum,
Cernere divinum lumen gaudete fideles.

RESP.

Stirps Iesse virgam produxit, virgáque florem,
Et super hunc florem requiescit Spiritus almus,
Virgo Dei genitrix virga est, flos filius eius

RESP.

Ad nutum Domini nostrum ditantis honorem,
E Sicut spina rosam genuit Iudæa Mariam,
Vt vitium virtus operiret, gratia culpam.

De Sancta Cruce.

VExillum regis venerabile, cuncta regentis,
O crux sancta micans super omnia sydera cœli,
Mortifero lapsis gustu, quæ sola reportas
Antidotum vitæ, fructum suspensa perennem,
Te colo, te fateor venerans, te pronus adoro.
Christus, principium, finis, surrectio, vita,
Merces, lux, requies, sanctorum doxa, corona,
Pro servis Dominus redimendis hostia factus,
In te suspendens per lignum toxica ligni
Purgavit, clausæ reserando limina vitæ.
Tantæ pars ego sum libertatis bone Pastor,
Sed mala semper agens, nunquam tibi digna rependi, F
Heu mihi iam bibulæ numerum transcendit arenæ
Sarcina multorum mihi quæ crevere malorum,
Sed quia peccantis potius bona quam mala quæris,
Plusque tibi peccat spem qui peccando relinquit,
Ad te confugio. tibi supplico confiteórque,
Parce precor, miserere mei, miserere meorum,
Defuncti qui sunt, & in hac qui luce parentum,
Qui bona fecerunt, his per te centupla redde,
Qui mala convertens peccamina, cuncta remittis
Omnes hoc signo qui te venerantur & orant
Dirige, sustenta, custodi, protege, salva,
Da procul à nobis, elatio sistat ut omnis,
Quo tibi submissi placeamus pectore puro.
Protege nos iugiter, ventosæ laudis ab aura,
Et nobis dignas, confer tibi solvere grates,
Invidiæ maculam de mentibus ablue nostris,
Infundens nobis ignem cœlestis amoris,
Iræ compescens stimulos, fac nos patientes,
Tristitiámque fugans, in damnis spem retinentes, G
Crimen avaritiæ nobis dona fugiamus,
Vt pietatis opus placitæ tibi ferre queamus,
Ingluviem ventris nos vincere sobrietate
Luxuriæque luem, casto concede pudore,
Vt per te mundi, per te quoque viribus aucti,
Constanter vitam studeamus adire supernam.

De timore, spe & amore.

PRimus ab illicitis hominum se continet ordo,
Aut pœnæ metuens, aut providus emolumenti,
Aut benè complacitæ captus virtutis amore,
Qui spectare licet finem videntur ad unum,
Vt vitium vitent, velut exitiale venenum,
In paritate tamen meriti, discretius absunt,
Vnde nec unitæ veniunt ad præmia palmæ,
Primus enim coleret genium si posset inultè, H
Sed vehementer ait, Zelantis abhorreo vultum
Iudicis, & diræ flammis ardere gehennæ.
Anne secundus idem faciat, si præmia desint,
Sed vigili ratione sagax, dum gaudia pensat
Vera, voluptatem cautè postponit inertem,
Tertius ingenuè bonus egregiéque decorus
Te contemplatur, te diligit, aurea virtus:
Mallet nempè mori, quam vivens te viduari:
Sunt igitur species ex affectu venientes
De quibus effugiant, ut ab ordine discrepet ordo,
Nam quis sollicito dubitet præferre timori
Securam spei requiem? sed ipse decenter
Vt præcellenti venerans assurgit amori.
Interea pater optimus hæc, speculatus ab alto
Cujus iudicij nihil est quod fallat acumen,
Ille inquit, meus est, vernaculus iste satelles.
Hæc mea conformis, mea dilectissima proles.
Tunc variis meritis distantia præmia librans,
Magna quidem primo tribuit, maiora secundo,
In solo totum confert probitatis amico.

A

De eadem re brevius.

TRes causæ faciunt homines peccata cavere,
Horror supplicij, spes mercis, amor probitatis:
Quæ quamvis finem videantur tendere ad unum,
Scilicet, ut vitio careant, distant tamen hoc, quod
Servulus & miles seu regis filius, atqui
Principium timidus, cupidus habet incrementum,
Virtutis totam summam sincerus amator.
At si proficiat timor in spem, spes in amorem,
De servo miles venit & de milite proles
Probra cavet, vel flagra pavens, vel præmia captans,
Vel virtutis amans, distant, ut calo, satelles,
Rex, duo proficiunt, status est tibi, tertie, summus.

Fulbertus de seipso.

B

MI factor mea vita, salus, fiducia sola
Da mihi consilium & votum virésque sequendi,
Ambiguus quid agam, quo tandem fine quiescam:
Nam vereor temere suscepto Pontificatu
Servandis ovibus mage quam prodesse nocere,
Atque ideò puto cedendum melioribus esse,
Sed recolens quod non opibus, neque sanguine fretus,
Conscendi cathedram, pauper de sorde levatus,
Arbitror hoc à te factum sicut tuus est mos,
Nec mutare locum nisi significaveris ausim,
Quamvis illæsæ moneat mens conscia vitæ,
Tu scis sancte Pater, quid sit tibi gratius horum,
Vtilius que, mihi precor inde tuam pietatem,
Vt mihi digneris hoc inspirare labenti,
Consilium, præsénsque juves ad perficiendum.

Idem de seipso.

C

TE de pauperibus natum suscepit alendum
Christus, & immeritum sic enutrivit & auxit,
Vt collata tibi miretur munera mundus,
Nam puero faciles providit adesse magistros,
Et juvenem perduxit ad hoc, ut Episcopus esses,
Reges, Pontifices, populi, te magnificabant,
Servum censentes prudentem satque fidelem
Esse pij Domini, sed proh pudor! ipse nefande
Prudens nec fidus furtas, ut res manifestat,
Nam contra memorare pudet quam nequiter ipsum
Læseris, & sanctos eius tua prava tuentes,
Quæ vix ulla satis possunt tormenta piare,
Præstolatur adhuc Dominus tamen ille benignus
Et te vivere perpetitur, si fortè resciscens,
Segnitiem zelo perimas, meritóque reatum.
Virtus est Domino parendi firma voluntas,
Virtus est medium retinendi accepta voluntas.

D

De signis, & mensibus, & diebus, & horis compendium computi.

ANnum sol duodena means per signa rotundat,
Cunctáque ter denis percurrit signa diebus,
Atque decem horis, & dimidium faciuntque
Partes hæ duodenario si multiplicentur,
Tercentum sexagenos, & quinque dies, &
Sex horas, quas quadrantem liquet esse diei,
Hoc igitur numero proprium sol perficit annum.
Sed quia planius est toto quam parte diei,
Annum metiri voluit chorus Astrologorum,
Tercentum sexagenis & quinque diebus:
Claudi tres annos, quarto superaddier unum,
Qui de quatuor annorum quadrantibus exit.
Hunc bissextilem dixerunt propter hoc annum,
His quando sexto Martis notat ante Kalendas
Annos præteritos supplens rediméñsque futuros,
Per menses anni soles ita distribuerunt:
Ianus & Augustus iaculóque December acutus,
Fert quarto nonas, uono decimóque Kalendas:

E

Post Idus soles triginta scilicet unum,
Mars, Majus, Iulius, libripens, October & equus &
Sexto nonas septeno decimóque Kalendas:
Post Idus soles triginta, rursus & unum,
Iunius, Aprilem, post Septembremque November,
Quarto nonas octavo decimóque Kalendas,
Post Idus soles triginta, Februus autem,
Fert quarto nonas, sexto decimóque Kalendas,
Post Idus soles viginti pauper & octo,
Sed per bissextum gaudet sibi crescere nonum.
Annumerat proprias mensis sibi quisque Kalendas,
Nullus & octavo Mensis non computet Idus.
Mensis habet numerum normalem quisque notatum.
Annus habet concurrentes qui convenientes
Donant scire dies, qui menses ritè Kalendant,
Hi sunt normales numeri qui mensibus hærent.
Quinque placent Marti, nec displicet unus Aprili,
Maius habet ternos, duplicat sibi Iunius ipsos,
Vnus item Iulio, tibi sunt Auguste quaterni
September VII. binis October agit rem,
Quinq; Novẽber abhinc, repetens septémq; Decẽber,
Nec cupiunt Iano tres nec sex tollere Febro.
Huic alter numerus concurrit ad inveniendum,
Qua sibi quisque die mensis velit esse Kalendas
Septem lineolis ipsum tibi cerne notatum,
Harum septem lineolarum quælibet una,
Spectatur numeri summas gestare quaternas,
Et sic viginti summæ numerantur & octo
Divisæ totidem certa ratione per annos,
Hæ quoque summæ solares vocitantur epactæ;
Hi concurrentes numeri versantur in annis
Vnus bissexto, duo non, neque III. neque quadri,
Sex sunt bissexto, non vos VII. unæ gemelli
Quadri ad bissextum, quini sex VII. aliorsum,
Seni ad bissextum, tres quadri, quinque seorsum,
Septem bissextant IV. duo trésque recusant
Quini bissextant, sex septem unúsque reiectant,
Tres bissexte quadris quinis nec iungito senis.

F
Mar. v.
Apr. I.
Mai. III.
Iun. VI.
Iul. I.
Aug. IV.
Sept. VII.
Oct. II.
Nov. V.
Dec. VII.
Ian. III.
Feb. VI.
B. I. II.
III. IV.
B. VI. VII.
I. II.
B. IV. V.
VI. VII.
B. II. III.
III. V.
B. VII. I.
II. III.
B. V. VI.
VII. I.
B. III.
IV. V. VI.
G

De Philomela.

AVrea personet lyra clara modulamina;
Simplex chorda sit extensa voce quindenaria,
Primum sonum nunc reddat lege Hippodorica,
Phylomelæ demus laudes in voce organica,
Dulce melos decantantes sicut docet musica,
Sine cuius arte vera nulla valent cantica,
Cum telluris verè novo producuntur germina;
Nemorosa circum circa frondescunt & brachia,
Flagrat odor quam suavis florida per gramina
Hilarescit Philomela dulcis sonûs conscia,
Et extendens modulando gutturis spiramina,
Reddit veris & æstivi temporis præconia:
Instat nocti & diei voce sub dulcisona,
Soporatis dans quietem cantus per discrimina;
Necnon pulchra viatori laboris solatia,
Vocis eius pulchritudo clarior quam cythara,
Vincitur omnis cantitando volucrum catervula,
Implet silvas atque cuncta modulis arbustula,
Gloriosa valdè facta veris pro lætitia,
Volitando scandit alta arborum cacumina,
Ac festiva satis gliscit sibilare carmina.
Cedit anceps ad frondosa resonans umbracula,
Cedit olor, & suavis ipsius melodia
Cedit tibi timpanistra & sonora tibia:
Quamvis enim videaris corpore permodica,
Tamen cuncti capiuntur tua melodia,
Nemo dedit voci tuæ hæc dulcia carmina,
Nisi solus Rex cœlestis qui gubernat omnia.

H

De sancto Caranno.

CArus abunde Caraune nites,
Idque vocamine significas,
Lyricos ideò tibi versiculos canimus hilares,

A Et amore pio tu pie martyr
Posce nobis veniam,
Roma superba suis titulis hunc genitoribus
Eximium tulit ingenij validi puerum,
Animo facilem, specie nitidum,
Tu quoque Martyr posce nobis veniam.

Prandia lauta modum turbant plerumque dietæ,
Indulges stomacho, mentem malè crapula vexat:
Si pareas epulis, sequitur detractio vel laus,
Vt medium teneas labor est, & valdè cavendum,
Ne tibi tristitiam pariat, sicut suus est mos.
Si possis igitur, prorsus hæc prandia vita,
At si non liceat, hilaris cautúsque recumbe,
Et liba cuncta parum, tua, quæ tibi regula dictat
Nec summam nimiam, conjectant multa minuta.

Hymnus.

B SAnctum simpliciter patrem cole pauperum caterva,
Quantúmque nosti laudibus honora,
Ad normam redigit qui subdita secla pravitati,
Potens novandi, sicut & creandi,
Et gratiæ damnati, longi tibi subvenit laboris,
Opem ferendo pacis & quietis,
Iam proceres legum rationibus ante desueti
Quæ rectè discunt strenuè capessunt,
Prædo manum cohibet, furcæ memor & latrone coram,
Inermis altè præcinit viator,
Dente saturnali restringitur evagata vitis,
Cultúque tellus senta mansuescit.
Gaudet lancea falx, gaudet spata devenire vomer,
Pax ditat imos, pauperat superbos,
Salve summe pater, fer & omnibus integram salutem,
Quicumque pacis diligunt quietem,
C Et qui bella volunt, hos contere dextra potenti,
Trudens gehennæ filios maligni.

Castitatis gradus.

SEx gradibus consummatur perfectio casta,
Primum dum vigilas suaum nescire petulcum,
Quem sequitur, lasciva diu non volvere corde,
Tum ne vel leviter speciem cernendo cupiscas,
Quartus erit nec simpliciter genitale moveri,
Quintus ob auditum veneris nil mente vagari,
Vltimus in somnis, nullo phantasmate ludi,
Hoc sibi nemo rapit, sed Christi gratia præstat,
Est servanda tamen diuturna medela dietæ,
Libra cibi solidi, simplex emina falerni
Præterea labor, excubiæ, rogatio crebra
Ne catu languentem necet incrassata pudorem,
Castus agit, quem nulla libido movet vigilantem,
Nec violare potest sopitum illusio fœda.

D *Precatio ad Deum.*

TV qui de nihilo mundum finxisse probaris,
Nam tibi materies nulla coæva fuit.
Et nutu facili, noto tibi tempore solves
Tam diuturnè dehinc, quam prius exstiteras.
Quantulus hic noster modus est, quo sæcula volvi
Cum vitiisque iubes, strenua bella geri.
Regem militibus propriis, te semper adesse,
Ad benè certandum, nos vegetando proba.

Preces aliæ.

KYrie Rex genitor ingenite vera essentia eleison.
Kyrie luminis fons & rerum conditor eleison.
Kyrie qui nos tuæ imaginis signasti specie eleison.
Kyrie qui perfecta es sapientia eleison.
Kyrie lux oriens per quem sunt omnia eleison.
Kyrie Dei forma humanæ particeps eleison.
E Kyrie Spiritus vivificæ vitæ vis eleison.
Kyrie utriusque vita, in quo cuncta sunt eleison.
Kyrie expurgatur scelerum, largitor gratiæ, propter nostras offensas noli nos relinquere, ô consolator dolentis animæ eleison.

HYMNVS.

NVntium vobis fero de supernis,
Natus est Christus, dominator orbis,
In Bethleem Iudæ, sic enim Propheta
Dixerat ante.
Hunc canit lætus chorus Angelorum,
Stella declarat, veniunt Eoi
Principes, dignum celebrare cultum,
Mystica dona.
Thus Deo, myrrham tribuunt sepulchro,
F *Auream regi speciem decenti,*
Dum colunt unum, meminere trino
Tres dare terna.
Gloriam trinæ monadi canamus,
Cum Deo diva genitore proli,
Flamini nec non ab utroque fuso
Corde fideli.

In vitis patrum veterum quiddam legi iucundum,
Exemplo tamen habile, quod vobis dico rithmice
Ioannes Abbas parvulus statura non virtutibus,
Ita maiori socio qui cum erat in heremo,
Volo dicebat vivere securè sicut angelus,
Nec vestu nec cibo frui, qui laboretur manibus,
Respondit frater, moneo, ne sis incœpti properus,
Quod tibi postmodum sit non cepisse satius
At ille qui non dimicat, non cadit neque superat,
Et nudus heremum interiorem penetrat.
Septem dies gramineo vix ibi durat pabulo,
G Octava fames imperat, ut ad sodalem redeat,
Qui sero clausa ianuâ, tutus sedet in cellulâ,
Cum minor voce debili, appellat frater aperi,
Ioannes opis indigus, notis assistit foribus:
Ne spernat tua pietas, quem redigit necessitas,
Respondet ille deintus, Ioannes factus est Angelus,
Miratur cœli cardines, ultra non curat homines,
Foris Ioannes excubat, malámque noctem tolerat,
Et præter voluntariam hanc agit pœnitentiam,
Facto manè recipitur, satísque verbis uritur,
Sic intentus ad crustula fert patienter omnia.
Refocillatus Domino grates agit ac socio,
De hinc castellum brachiis tentat movere languidis,
Castigatus angustiâ de levitate nimia,
Cum Angelus non potuit vir bonus esse didicit.

HYMNVS.

H *ORganum mentis tibi quæso nostræ,*
Temperans plectro moderare linguæ,
Cuius ad laudem, cupide movemur,
Spiritus alme.
Tu Dei Patris genitique pura
Caritas, qua se pariter benignè
Consovent, & qua bona audit auctor,
Esse creata.
Tu fidem spiras, sacra iura dictas,
Gratia largus, veniâ repertâ,
Victor errorum, probe veritatis
Testificator.
Cum venis culpam lachryma sequaces,
Diluunt vita, recalescit ignis,
Atque compuncti, cremat ara cordis
Thus pietatis
Gloriam trinæ monadi canamus,
Cum deo diva genitore proli
Flamini, nec non ab utroque fuso,
Corde fideli.

A

RESP.

Chorus nova Hierusalem,
Novam meli dulcedinem,
Promat colens cum sobriis,
Paschale festum gaudiis.
Quo Christus invictus leo,
Dracone surgens obruto,
Dum vivâ voce personat,
A morte functos excitat.
Quam devorarat improbus
Prædam refudit tartarus,
Captivitate libera
Iesum sequuntur agmina.
Triumphat ille splendidè,
Et dignus amplitudine,
Soli polique patriam
Vnam facit rempublicam.
B *Ipsum canendo supplices,*
Regem precemur milites,
Vt in suo clarissimo,
Nos ordinet Palatio:
Per secla meta nescia,
Patri supremo gloria,
Honorque sit cum Filio,
Et Spiritu paraclito. Amen.

NOTÆ SEV CONIECTVRÆ in D. Fulberti Epist.

IN EPISTOLAM I.

C FOLIO 3. f. Adverte Lector, hæc verba, *duo vita sacramenta, id est, Dominici corporis & sanguinis continentur.*] Ne putes reverâ duo esse Sacramenta corpus & sanguis Christi Domini. D. Thom. si quidem p. 3. art. 2. q. 73. quærens utrum sacramentum Eucharistiæ sit unum vel plura. Resp. quod materialiter sunt plura signa, sed formaliter, & perfectivè unum sacramentum in quantum ex eis perficitur una refectio.

Folio 3. f. *Furtivis crasionibus recidere.*] Sic solent hæretici. D. Hil. ad Const. Aug. sic ait. *At nunc qui Arianâ & pestiferâ contagione inquinati sunt, non cessans ore impio, & sacrilego animo Evangeliorum sinceritatem corrumpere.* Et Synesius Epist. 5. appellat hæreticos, κακοτέχνως κόπτοντας τὸ νόμισμα, δηλαδὴ τὸ θεῖον, κακοὺς χρυσοχόους, id est, trapezitas malos, qui velut monetam, ita divinum dogma pervertunt, & adulterant. Quam rectius, tuba illa Romani sermonis, Latinæque eloquentiæ Rhodanus, hoc est Hilarius ad Const. Aug. *Catholicus sum, inquit nolo esse hæreticus, Christianus sum non Arianus. Et mihi melius est, in hoc* D *sæculo mori, quam alicuius privati potentiâ dominante, castam veritatis dignitatem corrumpere.*

Folio 4. a. ubi habetur. *Alia qua creatus ex Virgine Maria.*] Hic verbum *creatus* sumitur impropriè, id est formatus, aut natus. Rectè siquidem Beda Ven. lib. 4. in Lucam. Christus, inquit, conceptus ex utero virginali carnem non de nihilo, non aliunde, sed maternâ traxit ex carne.

Folio 4. g. *Cathecumenos baptizatos.*] Annotavi hic nonnulla deesse, & revera sensus non cohæret. Habetur in eadem *nostrum baptisma* sic patres olim in neutro usurpabant, sic sæpius in Constitutionibus Caroli magni reperitur.

IN EPIST. II. FVLB.

FOlio 6. fit mentio de hostia quæ reservabatur, & iis qui ad sacerdotium promovebantur dabatur de manu Episcopi, ut usque ad quadragesimam, diem. uso quotidiano consumerent: hæc consuetudo obsolevit, tamen hoc fidem nostram confirmat contra E Neotericorum falsam opinionem, qui hostiam sacram reservari non debere, clamitant.

IN EPIST. III.

IN hac Epistola fit mentio Gaofridi Comitis & Odonis. De quodam Gaofrido duce habetur mentio in veteri manuscripto Bibliothec. Reg. Navarræ Collegij hoc modo. [Hoc tempore, nimirum Regis Rob. Gaudefridus Dux Comitatum Montensem depopulatus est.] Puto quantum coniecturâ possum assequi, debere legi, *Carnotensem.* Ibidem Odonis etiam Comitis fit mentio. Hoc tempore Odo filius Odonis Campaniæ Comes Blesensis, & Carnotensis, duxit Mathildem filiam Richardi primi ducis Normaniæ.

IN EPIST. V.

F HIc fit mentio Hilduini. Habetur in veteri Chronico tempore Rob. Regis. Circa hoc temp. millesimo nono fundatum est Cœnobium Bettense ab Hildoino de proprio suo. Hic autem Hilduinus nuper ex grandævo milite in clerum promotus fuerat. Dictique Cœnobij tunc pauperis fuit primus Abbas. Quis autem fuerit, *Stephanus Rex*, vix colligi potest ea historia.

IN EPIST. VI.

VBi legitur, *Militum qui de nostro Casamento beneficium tenent.* Casamentum, oritur à nomine casa, unde casates, servi & domestici, casamentum, domus Rustica, Gal. [*ferme*] in Const Caroli magni G hæc verba reperiuntur.

IN EPIST. VII.

FVlbertus scribit ad Leuth. Arch. Seno. & ponitur in tabulis Democharis 62. obiit anno 1031. qui sedem suscepit anno 1000. de ipso sic legitur in veteri manuscrip. Chronic. Anno millesimo decimo quarto Rex Rob. misit exercitum suum cum Leutherico Archiep. Senonensi & Raynaldo Episcop. Parisiens. ad obsidendam urbem Senonensem & capiendum non Bernardum tyrannum, sed Regnoldum Filium From. comitis. Et tandem capta est consilio Raynal. Episc. Paris. Fit autem mentio Anisgaudi Episcop Cenomanensis qui in tabulis Democh. vocatur Auisgandus & est 28.

IN EPIST. XIII.

HAbet vetus manuscrip hæc verba, [Henricus & Rob. reges ad Charum flovium colloquuntur, anno 1023. & Gaguinus in vita Rob. sic habet.] H Henricus Imperator & Rob. Rex Franc. super Charum fluvium apud Enosiom convenerunt de statu Ecclesiæ Imperij & regni amicabiliter tractaturi anno 1023.

IN EPIST. XIV.

HAbetur in manoscrip. nostro Chronic. [Anno millesimo tertio decimo obiit Richardus Dux Normanoræ pius, tertius Norman. Dux, Monachorum auctor, provisor clericorum, & personarum Ecclesiasticarum suffragator, orphanorum tutor, & viduarum defensor, in multis bellis victor extitit. Nota interim verbum, *banniendo*,] id est obligando. In Const. Car. mag. [ut nullus ad placitum banniatur, id est ad iurisdictiones, vel iudicia, vel conventus (sic enim placita sonant) obligetur. Videtur autem deductum à nostro, [*ban*, Galli & *arriere-ban.*]

A

In Epist. XV.

HIc fit mentio, *Regis Cono.*) habetur in nostro veteri Chronic. Cono Dux valde potens ad imperium aspirans instinctu Albini Arch. Moguntini repudiatus est.

In Epist. XXI.

DE Abbone habetur mentio in nostro Chron. anno mill. 12. (florebant in scientia literarum in Lotharingia Lerigens Abbas Lobiens. Adebold. Episc. Vultraiect. in Francia Fulbert. Carnot. & Abbo sancti Benedicti Abbas supra Ligerim.

In Epist. XXXI.

B DE Odilone fit in pluribus locis mentio. In nostro vet. Chronic. ann. mill. 20. florebat religio per famosos Abbates sanctitate præstantes, in Burgundia per Odilonem Cluniacensem pietate insignem, & Guill. Diuionensem. De eo sic Petrus Damianus in eius vita. Hic sanctus Arverniæ ex equestri genere oriundus, dum adhuc infans esset, tanto repentè omnium membrorum torpore laborabat, ut vix incederet, ad ianuam Basilicæ Dei genitricis solus relictus, pedibus vix repens, cornua altaris manibus apprehendens, divinæ virtutis auxilium sensit, & omni languore sanatus Monachus factus post Maiolum Abbas creatus est.

In Epist. XXXVIII.

IN tabulis Democh *Ebalus*) Arch. Remens. annumer. 40.

C

In Epist. XLVI.

IN tabulis Democh. hic Episc. non *Adarus*, sed Aderbero vocatur, est 16. Episc. Laud. in duobus M.sc. inscribitur hæc Epist. *Adaro Laud. Episc. non praclaro,*) ut habent excusæ à D.Mass.

In Epist. XLVIII.

QVis sit iste *Arch. Tur.* & quo nomine sit insignitus vix colligi potest ex tabulis Democh. requisiverat Pallium Archipræs. à summo Pontifice, & ei denegatum fuerat. Describitur autem Pallium à Lothario Card. qui postea fuit Innoc. III. in lib de officio Missæ, hoc modo, Pallium istud quo majores Episcopi utuntur, est de candida lana contextum, desuper habens circulum humeros constringentem, & duas lineas ab utraque parte pendentes, quatuor cruces purpureas, ante retro, à dextris à sinistris, sed à D sinistris duplex est, & simplex à dextris. Tres etiam acus aureæ insignunt pallio, ante pectus, super humerum & post tergum, super dextrum humerum non infigitur, hæc quælibet acus pretiosum continet lapidem. Quid autem hæc significent idem Loth. sic interpretatur. (Pallium istud significat disciplinam, qua seipsos & subditos regere debent, per hanc acquiritur torques aurea, quam legitimè certantes accipiunt, de qua Salomon in Proverb. *Audi fili mi disciplinam Patris tui, & legem matris tuæ, & addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.*) Pallium de lana contextum, habens circulum, &c. [Hæc omnia moralibus sunt imbuta mysteriis, & dictis gravida sacramentis. In lana quippe notatur asperitas, in candore benignitas designatur. Nam Ecclesiastica disciplina, contra rebelles obstinatos, severitatem exercet, sed erga pœnitentes & humiles exhibet pietatem. Propterea de lana non cuiuslibet animalis, sed ovis tantum efficitur. Circulus Pallij per quem humeri con- E stringuntur, est timor Domini, per quem opera coërcentur, ne vel ad illicita defluant, vel ad superflua relaxentur. Quatuor cruces sunt virtutes Card iustitia, fortitudo, prudentia, temperantia, quæ nisi crucis Christi sanguine purpurentur, falsum sibi virtutis nomen usurpant. Pallium duplex in sinistra, sed simplex in dextra, qui vita præsens quæ per sinistram significatur multis est subiecta molestiis, sed vita futura quæ per dextram significatur, in una semper collocata est quiete. Tres acus, quæ Pallio insiguntur ante pectus, super humerum sinistrum, post tergum, designant compassionem officij, districtionem iudicij, quarum prima pungit animum, secunda per laborem, tertia per terrorem. Super dextrum humerum non infigitur acus, quoniam in æterna quiete, nullus est afflictionis aculeus. Acus est aurea, sed inferius acuta, & superius rotunda, lapidem continens pretiosum, quia nimirum bonus Pastor, propter curam animi, in F terris affligitur, sed in cœlis æternaliter coronabitur, ubi pretiosam illam margaritam habebit. Cum Pallio isto confertur Pontificalis officij plenitudo Nam antequam Metropolitanus Pallio decoretur, non debet Clericos ordinare, Pontifices consecrare, vel Ecclesias dedicare. Huc usque Loth. Card.

In Epist. XLIX.

HIc Episc. Sylvaneсt. vocatur Rolandus à Demochare, & annumeratur 39.

In Epist. LI.

ARchipræsul ille Rothomag. à Demochare vocatur Robertus Richardi Norman. Ducis primi filius.

G

In Epist. LVII.

DEmochares istum Episcopum appellat Rogerium, & ponitur in suis tabulis 6.

In Epist. LX.

SVccessit Roberto Regi Henricus filius, quem ille moriens hæredem nuncuparat, ut nonnulli scribunt, minorem filium. Hunc consilio Constantia Regina obstabat & Robertum alterum filium regem salutabat. Odóque Campaniæ & Balduinus Flandriæ Comites, ac non pauci præterea non contemnendâ nobilitate in armis aderant, cæteri minore invidiâ. Tandem Robertus iure Regis cedere coactus, Ducatu Burgundiæ nobilissimo ac opulentissimo contentus. Paul.Æmil. in vita Henrici.

H

In Epist. LXII.

HIc Episc. appellatur Theodoricus à Democh. & annumeratur 49.

In Epist. LXVIII.

HAbetur hic textus, *Inter organa vatum, & ardentes cincēdelas virginum.*] Sic habetur in nostro M. S. & in M. S. D. Patavij viri Cons. & doctissimi, in Catholico Ianuensi sic interpretatur. Cincendela, à candeo candes, dicitur, insula, genus scrabronum quod volans candeat, cicendulum, ponitur pro candela, nam dicitur à candeo.

In Epist. XC.

VBi habetur, *Incendium Ecclesiæ nostræ.*] Ex veteri Annali Abbat. S. Petri in valle Carnot. id est in legenda sancti Aniani. [Anno millesimo vigesimo, in nocte nativitatis Episc. Fulb. anno 4. fuit

A civitas Carnotens. & tota Ecclesia Beatæ Mariæ combusta, quam idem Episcopus gloriosus suâ industriâ & labore & sumptu a fundamento reædificavit.

In Epist XCV.

HIc vocatur à Demochare Ganglino.

In Epist. XCV.

VBi habetur hic textus. *Valetudines variæ Melinæ*,] sic habetur in M. S. sed apud Greg. Turonensem habetur, *morbive*.

In Epist. XCVI.

HAbetur in nostro veteri Chron. in vita Robert. Quod Mathildis soror ducis Richardi, & uxor Odonis Comitis Carnot. obiit, absque liberis. Post cujus obitum dictus Odo terram quam ei Richardus
B dederat in matrimonium contractu, scilicet mediam partem Castri Drocossoni, noluit Odo Duci Richardo reddere, unde bellum exarsit inter eos Postea Rex Robertus convocans eos, pace peractâ, amicos reddidit apud Coloeas. Fit autem mentio *Parium Franciæ.*] Horum Origo. *In Feudorum Longobard. traditione scilicet.*] Fuit enim in primario quoque Feudo, stabilitus certus Vassallorum numerus, qui Pares aut liberi Feudales dicebantur, curiam Domini sui colentes, *& de Feudalibus causis judicantes, quibus hoc nomine ingentis prærogativæ cum nobilitate attribuebantur. Hi Vassalli judicantes dicebantur Pares, quia Pari inter se jurisdictione, auctoritate, dignitate, privilegioque erant ac munere. Omnes Carolo magno Regi & imperatori institutionem duodecim Parium Galliæ acceptam ferunt, quia fabulis veteribus Gallicè conscriptis sic fuit traditum Veruntamen res non ita se habet, cum eo tempore feudi non fuerint patrimoniales aut hæreditarij. Creati enim sunt cum jam Ducum aut Comitum dignitatem obtinerent
C neque est credibile hos ante fuisse Pares, quam Duces essent aut Comites. Itaque postquam Remenses Arch. & Laonenses & Lingonenses Episcopi Duces sunt facti (qui Comitatus fuerant ante) tunc Pares creati sunt. Regnante autem Roberto Rege, anno 1015. Eudus Campaniæ Comes, Ogerio fratri Episcopo & Bellovacensi Ecclesiæ dedit Bellovacorum Comitatum, circumscriptum suis finibus. Quo tempore certum est creatos fuisse Pares. Vide Comment. Ioan. Tillij de rebus Gal. lib. 2. de Paribus Galliæ.

In Epist. XCVII.

HÆc Epistola inscribitur in excussis Regi Danomarch. *Chucto*, sed melius *Cnuto* sic enim testatur Guiller. Malmesb. de gestis Augl. lib. 2. cap. 2. an. ab Incar. 1032. ejusdem inquit Archipræs. & Helnothi hortatu, Cnuto Rex ad transmarinas Ecclesias mi-
D sit pecunias, maxime Carnotum, ubi tunc florebat Fulb. Episcop. in sanctitate & Philosophia nominatissimus.

In Epist. CVIII.

HIc *Archangelus Monachorum Odilo.*] Sic enim appellat Fulbertus, testimonium de sanctitate & morum probitate Fulbert. refert amplissimum. Multum est laudari à laudato viro.

In Epist. CIX.

FVlbertum Romam cum Roberto Rege petiisse, peregrinationis causa suspicor. Rex etenim Robertus inquit Paulus Æmil. in illius vita, cum Romæ es-
E set ad Divi Apostoli aram scriptum obtulit pridie festivitatis Apostoli in quo Antiphona, *Cornelius Centurio*, continebatur, in veteri Manuscript. Chron. [Anno millesi. 26. Rob. Rex Francorum piissimus Romam causa devotionis, & peregrinationis proficiscens pridie vigiliæ Ap. Pauli obtulit Antiph. *Cornel. Centurio.* Hic enim erat numinis reverentissimus, liberalibus studiis, sacrisque disciplinis deditus, priscæ sanctitatis æmulus. Antiphonas, sacráque responsa quædam edidit judicio Ecclesiæ universæ probata, receptaque, ejusmodi sunt Sancti Spiritus. O Constantia Martyrum. Quod responsorium composuisse ferunt, cum Constantia illius uxor Robertum Maritum rogasset ut in illius gratiam aliquod carmen conderet. Cum Avallonem obsideret, nullo oppugnante quassanteve, sed eo in tabernaculo hymnos concinnante, suâ sponte magnam murorum partem corruisse ferunt, velut divinitus ac superis veneratori suo gratiam præsentem referentibus. Paul. Æmil. in ejus vita.

In Epist. CX. F

CAnonicos Carnotenses aliquando Episcop. Lexoviensi de Ecclesiis suis visitationis jus persoluisse apparet, *Nomen autem Circada*, oritur à circumeo, utitur eo verbo sæpius Hincmarus Archiepiscop. Rem. Epist. 5. ad Lud. Balb. Imp. quem hortatur cap. 8. ut Ecclesi. in isto regno per occasionabiles circadas, & per indebitas consuetudinarias exactiones, ante viginti annos impositas non affligantur.

In Epist. CXIII.

POtionem jera vocat, sacram medecinam. Quid sit autem potio jera sciunt medici, multiplex est genus. Nomen autem scirpuli interpretatur ipse Fulb. sic, de uncia & partibus.

Vncia viginti scirpulos & quatuor ambit.
Dimidium stater, ac semiuncia dicitur eius,
Terna dua secla pars est eademque ducta, G
Quarta siclus vel sicilicus vel denique sicel.
Sextula sexta modo solet & modo secla vocari,
Octavam appellant dragmam.
Et de scirpulo & partibus eius:
Vnus item scirpus calcis componitur octo,
Dimidium scirpuli est obol. pars quarta ceratus,
Hinc sextam fingi placuit siliquamque vocari.
Vltimus est calcus, ciceris duo granula pensans.

Finis.

Ex Bellarmin. de Script. Ecclesiast.

H BErno Abbas Augiensis vixit initio sæculi undecimi. Ipse enim in libro de reb. ad Missæ officium pertinentibus cap. 2. testatur, se interfuisse coronationi Henrici primi Imp. quæ facta est à Benedicto Papa VIII. anno 1014. Fuit vir doctus, & scripsit *vitam sancti Vdalrici Episcopi Augustani*, quæ extat apud Surium die 4. Iulij. Scripsit etiam *de officio Missæ*, sive *de rebus ad Missam pertinentibus*: qui liber extat cum cæteris ejusdem argumenti impressus Coloniæ, & Romæ: ex quo etiam libro cap. 2. discimus, hoc primum tempore cæpisse in Romana Ecclesia cani ad Missam Symbolum fidei. Scripsit *multas epistolas*, & *alia opera*, quæ utrum extent, ignoro.

A



BERNONIS AVGIENSIS ABBATIS,

DE QVIBVSDAM rebus ad Missæ Officium pertinentibus libellus, cuius hæc sunt capita.

C

Qualiter priscis Apostolorum temporibus Missarum celebritas ageretur.

Cap. 1.



GITVR in exordio nascentis Ecclesiæ non est, quo nunc modo vel ordine sacra celebrabantur Missarum solemnia, teste etiam beatissimo Gregorio Papâ, qui inter multa quæ constituit utilia, cum in celebratione Missarum, tum etiam in vario Ecclesiasticarum rerum usu, ad conficiendum corpus & sanguinem Christi, orationem Dominicam fecit decantari, sicut de eo scriptum est: Orationem Dominicam mox post Canonem super hostiam censuit recitari. De hoc & de aliis cum quosdam murmurare

D

sentiret, piissimus Pater inter alia non dedignatus est hujusmodi rationem reddere, dicens: Orationem Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem, oblationis hostiam consecrarent. Et valde mihi inconveniens visum est, ut precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuit, super ejus corpus & sanguinem non diceremus. Sed crescente statu religionis, simul accrevit decus Ecclesiastici honoris. Attamen ipsum canonem non unus solus totum composuit, sed per tempora aliud alius interposuit vel adjecit, sicut de hoc sanctissimo Papa legimus: In Canone apposuit, *Diésque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari.* De Alexandro quoque Papa, qui à B. Petro septimus erat in ordine, ita legimus: Hic passionem Domini miscuit in precatione sacerdotum, quando Missæ celebrantur.

E

Leo Papa constituit, ut intra actionem sacrificij diceretur, *Sanctum sacrificium*, & cætera. Deinde Gregorius tertius ejusdem nominis Papa, faciens oratorium in basilica sancti Petri Apostoli in honorem omnium Sanctorum, quotidiana Missarum solemnia ibidem celebrare constituit, paritérque in Canone à Sacerdote dicendum ordinavit: *Quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ majestatis celebratur, Domine Deus noster, toto in orbe terrarum.* Quod quia specialiter ad illam pertinet celebritatem, non est canoni, qui generaliter dicitur, adnotatum. Hæc de canone, qui & actio dicitur, dicta sunt: nunc de cæteris quæ Dominus dederit, videamus. Cælestinus Papa constituit, ut Psalmi David centum quinquaginta ante sacrificium psallerentur in ordine Antiphonarum ex omnibus, quod antea non fiebat, nisi tantum epistola B. Pauli recitabatur, & sanctum Evangelium. Litaniæ, id est, *Kyrie eleison, Christe eleison*, quæ sequuntur, à Græcorum usu sumptæ creduntur. Orationes autem, quas Collectas dicimus, à diversis auctoribus

F

compositæ creduntur, à Gelasio præsule Romano, & beato Gregorio Papa. Vnde & in vita ipsius legimus: Sed & Gelasianum codicem de Missarum solemnis, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla superadjiciens, in unius, libelli volumine coarctavit. Quod volumen librum Sacramentorum prætitulavit. Et fortasse primis temporibus solius Pauli Epistolæ legebantur, postmodum intermixtæ aliæ lectiones sunt, non tantum de novo verum etiam de veteri, prout solemnitatum ordo poscebat, testamento. Vbi notandum, ut sicut sanctum Gregorium, quicunque has vel has cantilenas composuisset libri Sacramentorum & Antiphonarum, ita & beatum Hieronymum credimus ordinatorem lectionarij, ut ipsius testatur prologus appositus in capite ejusdem Comitis: (sic eum appellavit.) Postea cum Gradualia & *Alleluia* inter Apostolicam & Evangelicam lectionem cœperunt frequentari, Hispani quasi novitate rei perculsi, multum restiterunt, dicentes: In quibusdam Hispaniarum Ecclesiis laudes post Apostolum decantantur, priúsquam Evangelium prædicetur, dum Canones

G

præcipiant, post Apostolum non laudes, sed Evangelium annuntiare. Præsumptio enim est, ut anteponant ea, quæ sequi debent. Nam laudes ideo Evangelium sequuntur, propter gloriam Christi, quæ per idem Evangelium prædicatur. Verumtamen ex auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, postea est constitutum, ut responsoria & *Alleluia* canantur ante sanctum Evangelium. Iidem etiam in Toletano statuerunt Concilio, ut hymnus trium puerorum omni Dominico die, & in solemnitatibus martyrum in pulpito decantetur: quod tamen Romani minime faciunt, nisi quater in anno, his sabbatorum diebus, qui prætitulantur, in duodecim lectionibus. Symbolum quoque fidei catholicæ post Evangelium recitatur, ut per sanctum Evangelium corde credatur ad justitiam, per Symbolum autem ore confessio fiat in salutem. Quod tamen non secundum Nicænum concilium, sed secundum Constantinopolitanum canimus translatum. Concilio quoque Toletano statutum est, id omni die Dominico secundum morem Orientalium Ecclesiarum decantari.

Con. Tole. 4. c. 12.

Rom. 10.

H

Cōc. Tole. 4. c. 12.

Agnus Dei, in confractione corporis Domini, à clero & à populo Sergius Papa diei constituit. Offertorium, quod inter offerendum cantatur, quamvis à prioris populi consuetudine in usum Christianorum venisse dicatur, tamen quid specialiter addiderit, aperte non legimus, quemadmodum de illo Angelico hymno, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, vel de illa antiphona, quæ post communionem dicitur, fateri possumus, cum veraciter credi possit, priores Sanctos silentio obtulisse vel communicasse, quod etiam hactenus in sabbato S. Paschæ solemus observare. Quanquam non desint, qui affirment * Xistum Papam, supradictum hymnum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ad Missam

addidisse.

A addidisse. Verum in his omnibus est attendendum, quia sicut sapientissimus Papa Gregorius librum Sacramentorum diligentissime ad veritatis lineam contexit, ita musicæ quoque modulationis harmoniam satis utiliter composuit ac ordinavit.

De Gloria in excelsis. Cap. 5.

NVnc stylus ad movendam quæstionem sese vertat, ad quam totus hactenus sermo habitus intendebat, videlicet, cur non liceat omni die Dominico vel natalitiis Sanctorum, presbyteros illum hymnum canere, quem nato in carne Domino Angeli cecinere, dicentes: *Gloria in excelsis Deo, &c.* Quod si concessum est illum cantare in Pascha secundum prætitulationem Missalis, non multo minus licitum puto in nativitate Domini, quando primum cœpit audiri ab hominibus in terris, qualiter ab Angelis canebatur in cœlis. Proferant contradictores in medium, ubinam sit à sanctis Patribus, vel ab ipso sanctissimo Papa Gregorio interdictum, & si ad hæc respondere

B non valemus, merito manus damus. Quisquis enim vult ex sacræ scripturæ auctoritate aliquid confirmare, debet ex prophetarum oraculis Apostolorum dictis, antiquorum Patrum conciliis, necnon & eorum scriptis vel gestis, & quod omnibus his majus est, ex sancti Evangelij veritate locum ostendere, unde velit sententiam suam corroborare, Vnde solemus dicere, Scriptum est in illo, & in illo loco: & legimus in decretis Pontificum, vel in tali Concilio, in illo capitulo: Sed cum sanctum Gregorium nusquam legamus ipsum hymnum interdixisse, liceat nostros quoque testes idoneos introducere, quo eorum testimonio possit probari, utrumnam jure debeat decantari. Nam cum scriptum sit, In ore duorum aut

Matth. 5. trium testium stat omne verbum, prius proferam duos, deinde multos. Denique Telesphorus Papa à beato Petro octavus, constituit, ut ante sacrificium hymnus diceretur Angelicus, hoc est, *Gloria in excelsis Deo.*

C Qualiter ejus debeat credi testimonio, testatur martyrium quod sustinuit pro Domino. De Symmacho quoque Papa ita legimus. Hic constituit, ut omni die Dominica vel natalitiis martyrum, *Gloria in excelsis*, hymnus diceretur. Cujus sanctitatis vis iste fuerit, de bonis ejus operibus, quæ fecit, ex libro Dialogorum legere volentibus, satis liquebit: Vbi beatus Papa Gregorius narrat, quod quidam Paschasius sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus, cum tanti meriti apud Deum esset, ut quidam dæmoniacus tacta ejus post mortem Dalmatica, à dæmone sit liberatus: tamen quia tanti Pontificis ordinationi restitit, cuidam religioso viro in purgatoriis pœnis constitutus, non per somnium, sed visibiliter apparuit, ac pro qua culpa hæc pateretur, innotuit. Ecce de hoc hymno Angelico duo testes inventi sunt idonei, qui à nemine, ut puto, possunt refelli. Quod si adhuc tertius quæritur, non jam unus, sed sexaginta Episcoporum

D in medium profero testimonium, qui in quarto Toletano Concilio, in nomine Domini congregati, tam

Tolet. 2. pag. 750. super hoc, quam super aliis hujusmodi hymnis promulgaverunt decretum cap. 12. De hymnis, loquunt, etiam canendis & salvatoris & Apostolorum habemus exemplum. Nam & ipse Dominus hymnum di-

Matth. 15. Ephes. 5. xisse perhibetur, Matthæo Evangelista testante: *Et hymno dicto, exierunt in montem oliveti.* Et Paulus Apostolus ad Ephesios subscripsit, dicens: *Implemini spiritu sancto, loquentes vobis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus.* Et quia cernebant nonnullos in Ecclesia eos hymnos spernere, qui humano ingenio videbantur in laudem Apostolorum & martyrum triumphos compositi esse, vehementer arguebant eos hujusmodi verbis, dicentes: Respuant & illum ergo ab hominibus compositum, quem quotidie publico privatoque officio in fine omnium psalmorum dicimus. *Gloria, honor patri & filio & spiritui sancto in sæcula sæculorum. Amen.* Pro quo nos canimus,

E *Gloria patri & filio & spiritui sancto usque in finem.* Et post hæc inferunt. Nam & ille hymnus quem nato in carne Christo angeli cecinerunt, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, angelicus est: Reliqua quæ ibi sequuntur Ecclesiastici doctores composuerunt. Ergo nec ipsi in Ecclesiis canendi sunt, quia in sanctarum scripturarum locis non inveniuntur. Componuntur Missæ sive preces, vel orationes sive commendationes, seu manus impositiones, ex quibus si nulla decantantur in Ecclesia, vacant officia omnia Ecclesiastica. Et paulo post Sicut igitur orationes, ita & hymnos in laudem Dei compositos, nullus nostrorum ulterius improbet, sed pari modo * Gallia Hispaniaque celebrent, sintque excommunicatione plectendi, qui hymnos rejicere fuerint ausi. Vnde sanctus Pater Benedictus jubet nos monachos ad omnes regulares cursus celebrare hymnos, quos ille vocat Ambrosianos. Ad hæc potest aliquis dicere, tunc temporis Gallos & Hispanos in Missarum suarum celebritate nondum habuisse usum

F sanctæ Rom. Ecclesiæ. Quod & nos non negamus. Testatur hoc Abbas Hilduvinus, vir in divina lege apprimè eruditus, in ea epistola quam ad * Ludovicum Imperatorem direxit pro passione sanctorum martyrum Dionysij & sociorum ejus, ubi inter alia, quæ suæ narrationi videbantur congrua hæc adjecit: Cui adstipulari videntur antiquissimi & nimia vetustate pene consumpti Missales libri, continentes Missæ ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei usus in hac Occidentali plaga est habitus, usquequo tenorem, quo nunc utitur, Romanum suscepit. In nostri quoque monasterij archivo habetur Missalis longe aliter ordinatus, quam Romanæ Ecclesiæ se habeat usus. Et quod iis omnibus majus est, cum una sit fides, cur super Missarum celebratione, Galliarum Ecclesiæ à Romana discordent Augustino requirenti, Gregorius respondit: Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam.

G Sed mihi placet, ut sive in Romana, sive in qualibet ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas, & Anglorum Ecclesiæ, quæ adhuc nova est, ad fidem institutione præcipuâ, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa quæ recta sunt, eligas, & hæc quasi vasculo collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem vertas. His satis instruimur exemplis, nil nos delinquere, si ea, quæ ex auctoritate Pontificum, qui illum sanctum virum tempore præcesserunt, instituta suscepimus, & vel ex Gallicanarum Ecclesiarum, aut Hispanicarum usu mutuavimus, fideli devotione servamus, imitantes ipsius beatissimi Papæ prædicandam humilitatem. Qui cum reprehenderetur à quibusdam, quod aliarum ecclesiarum morem sequeretur, inter alia fatetur, dicens. Si

H quid boni vel ipsa videlicet Constantinopolitana, vel altera Ecclesia habet, ego & minores meos, quos ab illicitis prohibebo, in bono imitari paratus sum. Stulta est enim, qui in eo se primum existimat, ut bona, quæ viderit, discere contemnat. Nam si ideo, ut sæpe dictum, illum Angelicum hymnum prohibemur in festivis diebus canere, eo quod Romanorum presbyteri non solent eum canere, possumus simili modo post Evangelium Symbolum reticere, quod Romani usque ad hæc tempora divæ memoriæ Henrici Imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati, cur ita agerent, me coram assistente, audivi eos hujusmodi responsum reddere, videlicet, quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fæce infecta, sed secundum sancti Petri doctrinam, in soliditate Catholicæ fidei permaneret inconcussa: & ideo magis his necessarium esse illud Symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerunt maculari.

* In Gallicia.

* Extat hæc epistola.

A culari. Ac dominus Imperator non antea desiit, quam omnium consensu id domino Benedicto Apostolico persuasit, ut ad publicam Missam illud decantarent. Sed utrum hanc consuetudinem servent adhuc, affirmare non possimus, quia certum non tenemus. Eo etiam modo possunt ‹abjici› multa, quæ post Sancti Gregorij tempora causa decoris videntur * adducta, cum è contrario psalmista dicat: Adiiciam super omnem laudem tuam. Et mirum valde videtur, cum certa sit ratione discretum, quid soli liceat Episcopo, non autem presbytero: videlicet, ut ad Episcopum pertineant ordinationes clericorum, dedicationes Ecclesiarum, sacri Chrismatis confectio, ad dandum spiritum paraclytum sacra impositio manuum, quid aliud esse possit in sacramentis divinis, quod non sit presbyteris commune cum Episcopis, præcipue cum id quod quod excellentissimum est in omnibus sacramentis, sanctum videlicet corpus & sanguinem Christi, quotidie sicut Episcopi, ita & consecrent presbyteri, nec sanctius sit illorum, quam istorum. Vnde sanctus Hieronymus dicit de iisdem presbyteris: Hi namque in bene-

al. adjecta.

B dictione cum Episcopis consortes sunt mysteriorum, ac nulla in conficiendo corpore Christi ac sanguine inter vos & Episcopos credenda distantia est, quia & Eucharistiam pridem presbyteros benedictam, si necessitas exegerit, accipere debent. Et post pauca: nam si quis ad injuriam revocat, ut putet non debere se accipere Eucharistiam, quam presbyter benedicit, is profectò perversus est, credens Deum duo corpora habuisse, unum majus, aliud minus: quod Episcopus conficit majus, quod presbyteri minus: qui Christum ita dividit, Deo injuriam facit. Super hæc omnia cum in capite libri Missalis, quando presbyteri Romani *Gloria in excelsis Deo*, canere & non canere soleant, legimus solummodo prætitulatum: nusquam autem vel à beato Papa Gregorio, vel aliquo sanctorum patrum nobis interdictum puto, quin omni die Dominica vel in sanctorum natalitiis liceat nobis sæpè dictum hymnum canere ad augmentum laudis divinæ.

C

De octava Pentecostes. Cap. 3.

His ita utcumque digestis, non absimile videtur, si quid de octavis Pentecostes loquamur. Nam dum adhuc apud Gallos essem constitutus, non modicam super hac re quæstionem cognovi exortam in illis regionibus, aliis adfirmantibus, quod sicut Dominicæ Nativitatis ac Resurrectionis, ita oporteret celebrare & octavas Pentecostes, præcipue cum sæpius in nostris officialibus libris scriptum legamus, post octavam Pentecostes: Aliis è regione contendentibus, in hac solemnitate, quia spiritus sanctus super Apostolos in linguis igneis apparuit, non plus quam septem dies debere expendi, juxta dona ejusdem spiritu sancti. Sed ad hanc litem inter utrasque partes dirimendam, ipso sancto Spiritu adjuvante, ostendamus cui parti meritò favere debeamus. Nam cum S. D Augustinus doctor egregius de sermone Domini in monte habito disputaret, & singulas beatitudines septem donis Spiritus sancti compararet: nam prima

Matth. 5 beatitudo incepit, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, cum ad octavam pervenirer, ita intulit: Octava tanquam ad caput redit, quia consummatum perfectumque ostendit & probat. Itáque in prima & octava nominatum est regnum cœlorum. Cum dicitur autem, Quis nos separabit

Rom. 8. à charitate? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Septem sunt ergo quæ perficiunt: nam octava clarificat, & quod perfectum est demonstrat, ut per hos gradus perficiamur & cæteri, tanquam à capite rursum exordiens: Videtur ergo mihi etiam septiformis ope-

Esai. 11. ratio Spiritûs sancti, de qua Esaias loquitur, his gradibus sententiisque congruere. Et post aliquanta:

E Hæc octava sententia, quæ ad caput redit, perfectumque hominem declarat, significat fortasse & circumcisionem octava die in veteri testamento, & Domini resurrectionem post Sabbatum, qui est utique octavus dies, idémque primus dies, & celebrationem octavarum feriarum quas in regeneratione novi hominis celebramus & numero ipso Pentecostes. Nam septenario numero septies multiplicato, quo fiunt 49. quasi octavus additur, ut 50. compleantur, & tanquam redeatur ad caput, quo die missus est Spiritus Sanctus, quo in regnum cœlorum inducimur, & hæreditatem accipimus & consolamur, & pascimur, & misericordiam consequimur, & mundamur, & pacificamur. atque ita perfecti omnes extrinsecùs illatas molestias pro veritate & iustitia sustinemus. Ex his S. Augustini verbis liquido potest intelligi, quid de octavis Pentecostes possit sentiri. Sed interim vel breviter de Sacramento nostri baptismatis aliquid loquamur, quod in similitudinem mor-

Rom. 6. tis, sepulturæ, resurrectionis Christi regitur, Apostolo teste qui ait: *Quicunque baptizati sumus in Christo*

F *Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus*, & cætera. Vndè & beatus Papa Leo: In baptismatis, inquit, regula & mors intervenit interfectione peccati: sepulturam triduanam imitatur dimersio, & ab aquis elevatio, resurgentis instar est de sepulcro. Vndè rectissimè sancti patres duo tantum legitima tempora ad baptizandum, si nulla necessitas intervenit, constituerunt, sabbatum videlicet Paschæ, & sabbatum Pentecostes. Quæ utraque per octo dies celebrantur. Merito consepeliuntur CHRISTO baptizati in sabbato, ut cum ipso valeant resurgere die Dominico. Sicut enim sabbatum requiem animarum, sic Dominicus dies, qui est primus & octavus, significat resurrectionem corporum. Si enim certi gratiâ mysterij per octo dies noster baptismus colitur, ita ut octavâ die vestimenta mutentur baptizatorum, cur non magis celebratur per octo

G dies baptismus Apostolorum? Quòd enim Apostoli per adventum Spiritûs Sancti, qui in igne apparuit,

Matth. 3. baptizati sunt in die sancto Pentecostes, testatur in Evangelio Ioannes Baptista, qui confluentibus ad se turbis, ait: *Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam. Qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare. Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne.* Et ipse Do-

Act. 1. minus ad Apostolos ait: *Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.* De qua quidem octavæ Pentecostes solemnitate dicit quidam doctor egregiè: Octavus dies est, qui & primus, secundum formam octo beati-

Matth. 5. tudinum. Prima beatitudo dicit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: Octava ita, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Ad re-

H generatos pertinent hæ sententiæ, ut qui pauperes sunt, in hac vita propter regnum cœlorum usque ad finem vitæ perseverantes sint, ut accipiant regnum, pro quo hic laboraverunt. Baptismus vero Neophytorum, quamvis in sabbato agatur, ad illum baptismum pertinet, quem Apostoli acceperunt in die sancto Pentecostes, cuius octava est dies Dominica sequens, quam solemus appellare octavas Pentecostes. Et iterum post aliqua: Celebratur per septem dies opus septiformis spiritus, & octava die consummatio & declaratio & glorificatio eiusdem operis. Quòd si ita est, merito eandem glorificationem in nostris officiis recolit octava dies, quæ redit ad caput, quæ & prima dies. Itaque sicut celebravimus majestatem Spiritûs sancti in Pentecoste, celebremus & in octavis eiusdem festivitatis, quatenus sæpissimè recolen-

do

A do eius dona, dignetur charitas eius se profusiùs infundere cordibus nostris. Ex his omnibus manifesta ratio patet, quòd hi qui octavam Penteeostes celebrant, rectius agunt, quam qui hoc agere nolunt. Igitur iustissimè & rectissimè, a sancta matre Catholica Ecclesia toto orbe terrarum diffusa, octavæ Pentecostes solemnitas celebratur, veneratur, & colitur. Si quis verò huic sanæ diffinitioni contradicit, eiusdem matris Ecclesiæ unitatem scindit. Finito tandem eo, quo hactenus utebamur, sermone, libet aliam rationem inchoare.

De Adventu Domini. Cap. 4.

Dominica prima de adventu Domini, Dominica secunda, Dominica tertia, Dominica quarta, quæ proxima est ante Nativitatem Domini. Aliter vero in Lectionario, quem librum comitis appellavit, sic: Dominica quinta ante Nativitatem Domini, quam Amalarius præparationem Dominici adventus
B nominavit. Deinde Dominica quarta ante Nativitatem Domini, Dominica 3. ante Nativitatem Domini, Dominica secunda ante Nativitatem Domini, Dominica prima ante Nativitatem Domini, ut converso modo quæ apud Hieronymum dicitur prima vel proxima ante Nativitatem Domini, apud Gregorium dicatur Dominica quarta de Adventu Domini, non inconvenienter, ut reor, propter quinque hujus sæculi ætates, in quibus hominum genus sub jugo diaboli captivum tenebatur, quousque ex intactæ virginis utero nascendo in carne appareret, qui carnis peccata per sui corporis hostiam aboleret, & initium sextæ sequentis ætatis sanctificaret: vel quia interior noster homo per quinque sensus corporis corrumpitur, ita ut in nobis mors operetur, sicut propheta dicit: *Introivit mors per fenestras vestras*, (Ierem. 9.) quatenus in his quinque hebdomadibus hospitium mentis illi regi nostro præparetur, quem prophetica lectio in ipsa hebdomada quinta his verbis pronuntiat venturum: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet*
C *judicium & justitiam in terra.* Quaternarium vero numerum, quem ut supra notavit sanctus Gregorius, in quatuor Dominicis de Adventu Domini diebus posuit, tali celebrant sacramento, ut homo qui quatuor consistit elementis, per quatuor hebdomadas ejus expectet adventum, quem per tres ordines librorum, legis scilicet, prophetarum, psalmorum, olim promissum, & per quartum, id est, principium Evangelij Angelo sanctæ Mariæ semper virgini conceptum, ac nativitatis ejus ordinem narrante, ad salutem humani generis certissimè sciunt huic mundo præsentatum. Et ne tantilla parvitatis meæ attestatio, quam ex aliorum magis, quam ex propria protuli sententia, videatur parùm pendenda, Majorum dicta ponantur in medio, ut vel ex his liquido comprobetur, quorum usus
D rectior habeatur. Ait nempe Amalarius divinorum officiorum scrutator non contemnendus: In antiquis libris Missalium & lectionariorum reperitur scriptum, hebdomada quinta ante Nativitatem Domini. Totidem enim lectiones habemus in lectionario, & totidem Evangelia à tempore memorato per dies Dominicos usque ad Nativitatem Domini. Antiphonarius habet tria officia diurna, & quartum in die Dominico, qui vacat post lectiones duodecim: Nocturna vero quatuor, ut superius dixi, per dies Dominicos. Auctor lectionarij excitat fidem nostram ad recolendum Domini nostri Iesu Christi venturi in mundum præconium per quinque ætates mundi. Auctor Missalis, qui nominatur Gregorialis, & Antiphonarij nos tangit, ut recolamus Nativitatem Domini celebratam per tres ordines librorum, scilicet legis, prophetarum, & psalmorum, necnon & per quartum, id est, principium Evangelij, in quo narratur Gabriel Archangelus missus ad Zachariam, videlicet nuntius præcursoris Nativitatis Domini, verumetiam & prophetæ Zachariæ de adventu Domini, & Gabriel missus ad Mariam Virginem, narrans ei conceptionem Salvatoris
E (Luc. 1.) nostri, & cætera talia usque ad ipsam Nativitatem. Nempe & ipsa quarta hebdomada, hoc est, quæ proxima est ante Nativitatem Domini, sive in qua celebratur, singularis est: Habet in matutinali officio per unamquamque feriam antiphonas proprias in psalmis. Et alio modo auctor lectionarij docet nos, quam fortis sit Dominus, qui venturus est ad nos, & intraturus domum nostram, ut in ea habitet, quam nos solemus sordidare quinque sensibus nostris: Illices formæ intrant per oculos: Suspicio mala de fratre per aures: odor libidinosus per nares: per os nos ingluvies polluit, per actum crudelitas. In sordibus non vult habitare rex venturus, nisi ita purgetur hospitium, ut nec saltem pulvis talium phantasmatum remaneat, non dignabitur hospes venturus intrare in illud. Ideo scribit auctor lectionarij quinque lectiones quinque hebdomadarum, ut nos hortetur circumcidere quinque sensus nostros ab omni vitio, & parare mansionem dignam regi & Domino atque vero prophetæ. De ipso rege dicit prima lectio: (Ierem. 31.) *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit.* At vero de Domino, *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Et
F (Ioan. 6.) iterum in Evangelio de propheta: *Quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum.* Auctor Missalis sive Antiphonarij, eandem præparationem hortatur nos facere per quatuor hebdomadas. Sicut enim homo internus quinque sensibus ad animam bene aut male operatur, ita per quatuor elementa aut ruit ad mala opera, aut surgit ad bona. Quapropter, ut dixi, hortatur nos auctor memoratus, ut si usque modo torpuimus negligentia, dehinc surgamus ad mundandam domum nostram, ut qui non excitatus est in quinta hebdomada, saltem in quarta surgat. Ipsum enim sonat lectio, quæ legitur in quarta hebdomada. *Scimus quia hora est iam nos de somno surgere*, & reliqua. (Rom. 13.) Non dubito propterea cantorem in memorata hebdomada cum tuba sua exaltare vocem, *Ad te levavi animam meam*, (Psal. 24.) ut excitet eos qui in quinta hebdomada sopore negligentiæ oppressi sunt. Quomodo nostram domum præparare debeamus, in sequentibus memorata lectio monstrat: *Non in comessationibus & ebrie-*
G *tatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum.* Eandem præparationem inculcat in * aras cordis nostri sacramentarium: (For * aures.) *Suscipiamus*, inquiens (Psal. 47.) *Domine misericordiam tuam in medio templi tui, ut reparationis nostræ ventura solemnia congruis honoribus præcedamus.* Hæc autem causa est, qua patrum sententia fulcitur, * Omnis enim omnipotentis verbi humanitati dispensatio, sanctæ Trinitatis individua est operatio. (Forte deest hic, * quia tria in antiphonario ordinaria diurna officia, aut aliquid simile.) Et quamquam ad solum filium respiciat humanitatis assumptio, tamen ad totam Trinitatem pertinet effectiva nostræ redemptionis consummatio. Quapropter æquum per omnia fore & conducibile censetur, quatenus tres tantum hebdomadæ observentur in adventu Domini. Quod si aliquid supercreverit, synecdochicos accipitur, ne tanti mysterij ordo & regula præsumptuose (quod absit) annulletur. Est (Luc. 19.) (Psal. 12.)
H autem & alia ejusdem negotij ratio haudquaquam vilipendenda, quâ gloriosus Ecclesiæ auctor & doctor eximios Hilarius in libro officiorum utitur: Sicut, inquiens, pater ille familias in Evangelio trino adventu infructuosam ficulneam visitavit, sic sancta mater Ecclesia Salvatoris annuo recursu per trium septimanarum secretum spatium sibi incitavit. Venit enim filius hominis quærere, & salvũ facere quod perierat. Venit ante legem, quia per naturalem intellectum, quid unicuique sequendum, quidve agendum sit innotuit: Venit sub lege, quia patriarcharum exemplis & prophetarum præconiis, semini Abrahæ legalia confirmavit decreta. Venit tertio post legem per

gratiam

A gratiam, ad vocationem gentium, à solis ortu usque ad occasum laudare discerent pueri nomen Domini, quos usque ad finem mundi ad suæ majestatis culmen exhortari non desinit.

De Missa, Deprecationem nostram, & *concordia officiorum Dominicalium.* *Cap. 5.*

DE Missa, *Deprecationem nostram, quæsumus* DOMINE, *benignus exaudi*, quæ in quibusdam sacramentorum libris bis solet poni, primo videlicet peractâ Pentecostes hebdomadâ, post officia jejunij mensis quarti, quæ prætitulatur in Missali, Dominica vacat. Item secundo, post duas Dominicas, tertiâ incipiente. Vbi quærendum reor, quo loco rectius dicatur: nam per singula quatuor tempora peracto jejunio, sequens Dominica vacat ab officio, quamvis Missæ non desint inde compositæ. Et quia officia jejunij primi mensis, in prima quadragesimæ hebdomada,
B & jejunij quarti mensis in hebdomada Pentecostes inveniuntur conscripta, licet semper eodem perveniant ordine, tamen sicut peractâ primâ, quadragesimæ hebdomadâ ea Dominica quæ ibi posita est, dicitur, & lectiones Apostoli & sancti Evangelij leguntur, ita & hic agendum esset, rectè & præcipue cum eadem Missa, lectio Apocalypsis Ioannis & Evangelium, quæ eodem die leguntur, miro inter se concordant modo. Nam sacerdos & suâ & Ecclesiæ voce deprecatur sibi præstari supplicandi affectum, & defensionis auxilium: & in lectione scriptum est, *Et procederunt vigintiquatuor seniores ante sedentem in*
Apoc. 4. *throno, & adorabant viventem in secula seculorum, Amen.* Et in Evangelio princeps Iudæorum Nico-
Ioan. 3. demus venit ad Iesum nocte, rogans, & interrogans de animæ suæ salute. Et deinceps finitâ hac eadem hebdomadâ usque ad adventum Domini, par nomentos invenitur tam officiorum, quam & Missarum. Nam
C vigintitres hebdomadæ computantur ita concordes, ut aliquando omnis cantus videlicet antiphonarum, quæ dicuntur Introitûs, gradualium, offertoriorum, communionum, cum lectionibus Apostolicis & Evangelicis ita conveniant, ut velut quoddam organum distantis inter se vocis concordem Symphoniam reddant. Vt enim exempli gratiâ pauca ex plurimis proferamus, primam Dominicam post octavam Pentecostes intendamus, ubi Introitus ita incipit: *Domine in*
Psal. 12. *tua misericordia speravi*, & responsorium: *Ego dixi Domine*, & vers. *Beatus qui intelligit super egenum.*
Psal. 41. Offerenda quoque, *Intende voci orationis meæ.* Non-
Psal. 5. ne suis vocibus videtur tibi, prophetam in voce pauperis Lazari vel in persona sanctæ Ecclesiæ, hoc quidem tempore pauperis & afflictæ, ad Deum proclamare, ut in hac convalle lachrymarum dignetur misereri
D membrorum suorum? Et quid ipso die lectio Ioannis, nisi tota charitatis melle redundat, dum dicit, *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo*
1 Ioan. 4. *manet, & Deus in eo?* Et paulo superius: *Deus dilexit nos, & nos debemus invicem diligere.* Quid autem
Ibid. sanctum Evangelium sonat, nisi ut ad misericordiæ opera nos provocet, quando pauperis Lazari patientiam in sinu Abrahæ remuneratam, & divitis superbi avaritiam ostendit damnatam? Pro hujusmodi re sacerdos illum deprecatur, qui est in se sperantium
Luc. 16. fortitudo, ut adsit invocationibus nostris propitius: & quia sine illo nihil potest nostra mortalis infirmitas, sicut nec Lazari sine ejus adjutorio potuit, præstet nobis auxilium gratiæ suæ, ut in exequendis mandatis ejus illum diligendo ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus viribus, & proximum nostrum sicut nosmetipsos, & voluntate illi & actione placeamus, ut quandoque post hujus vitæ terminum, in sinu Abrahæ recepti, unusquisque nostrum, læto cordis jubilo cantare possit cum Lazaro: *Narrabo omnia*

E *mirabilia tua, lætabor & exultabo in te, psallam nomini tuo*
Psal. 9. *altissime.* Et in hunc modum per viginti tres hebdomadas, si illa Missa superius dicta, tertio loco prætermittitur, aut omnia cum omnibus, aut aliqua cum aliquibus, maximè autem, si diligenter inspicitur, Missæ concordant cum Evangelicis lectionibus. Et ne multiplex sermo lectori fastidium gignat, prætermissis plurimis, pauca adhoc dicamus sub exemplis: Qualiter illa Evangelica lectio, qua Dominus Petro prædicit, *Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens:*
Luc. 5. *& ille subductis ad terram navibus, cum sociis suis secutus est illum*, congruat orationi Missæ, non est laboriosum investigare, quæ hujusmodi componitur prece. *DEVS qui diligentibus te bona invisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur.* Vt hæc omnia cum Apostolis mereamur consequi, hortatur nos Petrus in lectione, omnes unanimes in oratione existere. Iterum illi Evangelicæ lectioni, ubi Dominus
F quatuor millia hominum septem panibus & pisciculis paucis pavit, hæc Missa congruit: *Deus, cuius providentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, ut noxia cuncta submoveas, & omnia nobis profutura concedas.* Providit enim Deus, quid esurienti populo esset facturus. Meritò populi divinæ largitatis pabulo refecti, cum Daniële Propheta decantant læti. *Sicuti in holocausto arietum, rogantes, ut sic fiat sacrificium in conspectu Domini, ut placeat sibi.* Et quia hæc verba ad legalia pertinebant sacrificia, & ea nunc in mysterium corporis Christi & sanguinis sunt mutata testantur verba secreta, quæ ita incipiunt: *Deus qui legalium differentiam hostiarum unius sacrificij perfectione sanxisti*: Illi Evangelio, in quo Luc. 19.
Dominus super civitatem Hierusalem flevit: hæc oratio congruit: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo* Luc. 18.
maximè & miserando manifestas, multiplica super nos misericordiam tuam Illud Evangelium, *Duo homines:* & illa Apostolica lectio, quæ ea die legitur, benè concordant dum Apostolus dicit. *Ego sum minimus Apo-* G
stolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Et publicanus à longè 1. Cor. 15.
stans, nec oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Inter hos medius stans Sacerdos, orat & dicit: *Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantiâ pietatis tuæ & merita supplicum excedis & vota, effunde super nos misericordiam tuam, ut dimittas quæ conscientia metuit, & adiicias quod oratio non præsumit.* Nunc videamus de duodecimâ Dominica post octavas Pentecostes, quæ concordia in illo officio esse possit. Nam in Evangelio secundum Marcum eo die legimus, qua- Marc. 7.
liter *adducunt Domino surdum & mutum, & deprecabantur illum, ut imponat illi manus.* & post pauca: *Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.* Quod intuens propheta ex persona infirmantis Introitu deprecatur Deū, H
dicens: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina.* Congruit etiam titulus eius- Psal. 69.
dem psalmi, qui ita inscribitur: In finem David in rememorationem, eo quod salvum me fecit Dominus. Cernens sacerdos hanc sanitatum gratiam, non nisi ea divino munere evenire, orat ad Dominum hujusmodi prece: *Omnipotens & misericors Deus, de cuius munere venit, ut tibi à fidelibus tuis dignè & laudabiliter serviatur, tribue quæsumus nobis, ut ad promissiones tuas sine offensione curramus.* Vnde & in lectione Apostolus profitetur fiduciam se habere per Christum ad Deum. Et in responsorio jam quasi soluto linguæ vinculo propheta laudes se Deo promittit referre, dicendo: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. In Domino laudabitur* Psal. 33.
anima mea, In lectione introducitur nomen Moysis, & in Offerenda, *precatus est Moyses in conspectu Domini pro peccatis populi sui*, ut sicut in Evangelio cor-

pore

A Exo. 32. Exo. 33. Ps. 103. pore infirmum, ita hic sanet Dominus populum in anima languidum. Unde scriptum est: *Et placatus factus est Dominus de malignitate, quam dixit facere populo suo.* Et in versu, *Dixit Dominus ad Moysen. Invenisti gratiam in conspectu meo, & scio te præ omnibus.* Sic uterque populus novi ac veteris testamenti curatus, divina commemorat beneficia: ita canens cum propheta, *de fructu operum tuorum Domine satiabitur terra, ut educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis.* Terra quæ in primo homine maledicta, spinas & tribulos germinavit, nunc cœlesti imbre perfusa, ac bonorum operum fructu satiata, illum panem producit, qui de cœlo descendit, cujus gustu reficimur, & vini poculo in mysterio sanguinis Christi potamur, ut oleum divinæ misericordiæ faciem interioris hominis exhilaret, & panis ejusdem cor hominis confirmet. Illi Evangelio, ubi Dominum legisperitus de mandatis interrogat, & ille respondens, Mat. 22. dixit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, &* Luc. 10. *ex omni mente tua, & proximum tuum sicut te ipsum,* & Samaritanus curat illum vulneratum, & stabulario B dat, & promittit præmium, congruit hæc oratio ad Dominum: *Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum, & ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis.* Hæc & alia, quæ vel prætermissa, vel dicta sunt, vel quæ adhuc restant, si diligenti curâ observentur, concordi fine concluduntur, si tamen illud officium, Exultate Deo, nullo cantatur die Dominico. Nam cum ceteræ Dominicæ, quæ post jejunia vacant, lectiones & evangelia habeant constituta, & hæc Dominica, quæ hic vacat, ita non habeat, tunc illud officium prætermittitur, ut in ceteris concordia reservetur. Si quis vero objiciat, cur officium quartæ feriæ non hic similiter cantetur, sicut in Adventu Domini, & in Quadragesimâ, respondemus, quia cum quatuor hebdomadæ in Dominico Adventu ante natale Domini sint prænotatæ, & in quadragesimâ per singulos dies, singula sint officia constituta, ut in Ad- C ventu Domini, quarta, & in Quadragesimâ, secunda Dominica vacent, merito ab Ecclesiasticis viris est constitutum, qualiter illi duo dies supplerentur per officia quartarum feriarum: At vero finita Pentecostes hebdomadâ, & sequenti Dominicâ, quæ vacat, non iam officium quartæ feriæ repetitur, sed, spiritus Domini canitur; ita & finito septimi mensis jejunio, non repetendum puto quartæ feriæ officium, sed magis, si necesse fuerit aliquod officium observandum, & non occurrit aliqua festivitas sanctorum, rectius prioris hebdomadæ officium, sicut solet fieri in Galliarum Ecclesiis, repetitur, quam concordia Evangeliorum & officiorum dissipetur. Nec satis mirari queo, quid causæ obsistat, cur non liceat unum officium, si ita evenerit, cantari per duas, sicut & unam historiam cum suis responsoriis, vel per duas, vel per tres, vel per quatuor hebdomadas. Nam finitâ hebdomadâ quæ vacat, in Introitu Missæ Cantor pacem à Domino rogat, ut prophetæ ejus fideles inveniantur. Et respon- D Ps. 121. soria propheta David, *Lætatus sum* (inquit) *in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus:* & in versu, *Fiat pax in virtute tua.* In Evangelio facit Dominus mentionem prophetæ Moysis, dicens: Super Mat. 23. cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. Sequens offerenda ita incipit: *Sanctificavit Moyses altare Domino,* & primus versus: *Locutus est Dominus* Psal. 95. *ad Moysen:* Secundus versus, *Oravit Moyses Dominum.* Et in communione hortatur nos psalmista cum Moyse tollere hostias, & introire in atria Domini, adorare Dominum in aula sancta ejus. Et quia Deo nec in sacrificio, nec in oblatione hostiarum sine ejus adjutorio placere possumus, nec in atria ejus introire, nec in aula ejus adorare eum, merito sacerdos ex sua & nostra voce Deum deprecatur, dicens: *Dirigat corda nostra Domine quæsumus tuæ miserationis operatio, quia tibi sine placere non possumus.* In sequenti Dominicâ in Introi- E tu, consolatur nos ipse, dicens: *Salus populi ego sum,* & Mat. 9. cetera. Unde & in Evangelio non solum sanat paralyticum, quem ei offerebant, jacentem in lecto, verum etiam dimittit peccata, sicut eidem dicit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Unde & merito nos Dominum in oratione Missæ rogamus, ut omnipotens & misericors Deus universa nobis adversantia propitiatus excludat, ut sicut paralyticus ex miseratione Dei libero gressu incedebat, ita & nos mente & corpore expediti, quæ Dei sunt liberis mentibus exequamur. Et quia Apostolus quosdam de scribis sciebat intra se dixisse, Hic blasphemat: in epistola sua præmonebat, dicens: Propter quod loquimini veritatem unusquisque Ephes. 4 cum proximo suo, & nolite locum dare diabolo. Deinde occurrit illa Dominica, ubi illud Evangelium legitur, in quo quidam ad nuptias filii regis invitati, neglexerunt venire, sicut scriptum est: Et abierunt, alius in villam suam, alius ad negotiationem suam: Reliqui vero tenuerunt servos ejus, & contumeliâ affectos occiderunt. Quòd nos præcavere volens Apostolus, in epi- F stola sua admonet, dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu Sancto.* Ubi Mat. 22. etiam inter discumbentes rex videns hominem non vestitum veste nuptiali, jussit cum ligatis manibus & pedibus mittere in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Quòd intuens populus pœnitens, *super flumina,* inquit, *Babylonis sedimus & flevimus dum recordaremur tui Sion.* Et cantor volens justum judicem placare, & benevolum reddere, hujusmodi verbis confitendo incipit canere: *Omnia quæ fecisti nobis Domine, in vero judicio fecisti, quia peccavimus tibi,* & cetera. In responsorio iam adspirans ad convivium Dan. 3. Dei, ita canit: *Oculi omnium in te sperant Domine, &* Ps. 144. *tu das illis escam in tempore opportuno.* Propter hæc omnia rogat sacerdos pium judicem, ut fidelibus suis largiatur indulgentiam placatus & pacem, ut pariter G ab omnibus mundentur offensis, & secura sibi mente deserviant. Et in communione iam quadam spe ex divino munere Propheta animatus, ex persona fidelium canit lætus. *Memento verbi tui servo tuo Domine, in quo mihi spem dedisti hæc me consolata est in humilitate mea.* Concordia inter lectionem Evange- Ps. 118. licam & Apostolicam, offerendam & Missam in ea, quæ subsequitur hebdomada, in propatulo est. Nam in Evangelio Dominus infirmum Reguli filium sanat, & offerenda narrat de beato Iob qualiter Satan à Domino petiit, ut tentaret eum, & datâ ei potestate in fa- Ioan. 4. Iob. 1. cultates & in carnem ejus, perdidit omnem substantiam ipsius, & filios, carnem quoque ejus gravi ulcere vulneravit. Ad resistendum hujusmodi insidiis, hortatur nos Apostolus exemplo beati Iob, confortari in Domino, & in potentia virtutis ejus. *Induite vos* (inquit) *armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli,* & cetera, usque ad finem lectionis. Et Ephes. 6. Ioan. 4. in Evangelio legimus, *quia postquam cognovit Pater, quia illâ horâ sanatus est puer, in qua dixit ei Iesus, filius tuus vivit, credidit ipse & domus ejus tota.* Do- H mus ejus, intelligitur familia ejus. Pro qua familia, id est, Ecclesia de gentilitate collecta, rogat sacerdos his verbis: *Familiam tuam, quæsumus Domine, continua pie-* Psal. 89. *tate custodi, ut à cunctis adversitatibus te protegente sit libera, & in bonis actibus tuo nomini sit devota.* In responsorio Propheta beneficia justi judicis potestatemque commemorat, dicens: *Domine, refugium factus es nobis,* &c. usque ad finem subsequentis versus. Unde & cantor in Introitu confitetur, quod in voluntate Domini universa sint posita, & non sit qui possit resistere ejus voluntati. In communione quoque propheta ex persona beati Iob vel sanctæ Ecclesiæ, multimodis persecutionibus subditæ, orat ad Dominum, dicens: *In salutari tuo anima mea, & in verbo tuo* Ps. 118. *supersperavi, quando facies de persequentibus me judicium. Iniqui persecuti sunt me, adjuva me Domine Deus meus.* Nunc superest tantum, ut dicamus

A de Dominicâ vigesimâ secundâ post octavas Pentecostes, quam convenientiam illud officium totum cum Evangelio habeat: in quo introducitur persona regis, Matt.18. qui voluit rationem ponere cum servis suis. Cui cum oblatus esset debitor decem millium talentorum, nec haberet unde redderet, misertus eius, dimisit ei debitum. Sed quia ille noluit misereri conservi sui, iratus Dominus, debitum quod dimisit, repetit, tradiditque eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Quo hæc parabola tendat, Dominus manifestè denuntiat, dicens: *Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Ps.129. Quam sententiam propheta pertimescens, in Introitu clamat ad Dominum, dicens: *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* Et quoniam sciebat eum iustum iudicem esse, hac voce studebat eum benevolum reddere. *Quia*, inquit, *apud te propitiatio est Deus Israel.* Vnde sacerdos confidenter Dominum rogat, dicens: *Deus refugium nostrum* Psal.45 B *& virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus, auctor ipse pietatis, & præsta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.* Tunc enim fideliter petimus, si conservis nostris debita dimiserimus, ut & nos à nostris debitis per Dominum absolvi valeamus. Nam & Apostolica lectio de observanda fraternæ charitatis unitate satis nos admonet, dum Apostolus seipsum in exemplum ponens, inter cætera sic dicit: Phil.1.1. *Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus Iesu Christi. Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia & in omni sensu, ut probetis potiora, ut sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum in gloriam & laudem Dei.* Quam charitatem Psa.171 commendat responsorium, dicens: *Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in unum.* In offerenda, beata Hester Ecclesiæ typum gerens, Dominum rogat recordari sui, & ut det sermonem rectum in os eius. Si enim rectus sermo in ore nostro sonuerit, videlicet peccata nostra confitendo, pœnitendo, proximis nostris debita remittendo, statim in communione C illa ad nos divina dirigitur promissio: *Dico vobis, gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam* Matt.16. *agente.* De vicesimâ autem tertiâ Dominicâ, quoniam tractavi in quadam epistolâ, quam ad Aribonem Archiepiscopum de Adventu Domini composui, nunc aliquid dicere supersedeo.

Cap. 6.

INter hæc non otiosè quærendum puto, cur auctor officiorum tantummodò viginti tria inter octavas Pentecostes & Adventum Domini, Ordinator verò lectionarij vigintiquinque lectiones posuerit, exceptis his, quæ in octava Pentecostes & Dominica quinta ante Nativitatem Domini, & in sancta Trinitate legi solent. Quæ si vigintiquinque adduntur, XXVIII. D numerus adimpletur. Qui officia ordinavit, embolismales annos in decennovenali cyclo attendit, in quibus Pascha tardius solet occurrere, & breviora temporum spatia, inter octavas Pentecostes & Adventum Domini conficere: alter verò communes, in quibus eadem Paschalis festivitas maturius consuevit provenire. Dicamus sub exemplo, quando ultimus terminus Paschalis XIV. Kalendis Maij, & ipse Paschalis dies septimo Kalendas eiusdem mensis occurrit, qui diligenter computare voluerit, non plus quam viginti tres hebdomadas ab octava Pentecostes, usque ad Adventum Domini invenire poterit. Et ita accidit ut officium, *Domine in tua*, necessario debeat cantari in ipsa octavæ Pentecostes hebdomada. Quando verò terminus primi Paschæ duodecimo Kalendas Aprilis, ipsum vero sanctum Pascha statim in crastinum, hoc est, 11. Kalendas Aprilis evenit, tunc ab octava Pentecostes usque ad Adventum Domini, completur numerus viginti octo hebdomadarum, iuxta computa- E tionem lectionarij, dignus profectò numerus, qui inter has solemnitates Spiritus Sancti & Domini Adventus medius incedat, quia non solum iuxta hujus mundi sapientes, eo quod partibus suis consistat perfectus esse dignoscitur, verum etiam magis propter sacramentum septiformis gratiæ & evangelicæ doctrinæ. Nam septenario quater ducto, in hanc perfectionis summam excrescit, ut sicut senarius infra denarium, ita & iste infra centenarium numerum perfectus inveniatur. Quòd prudens calculator facilè intelligere quibit, si partium eius divisiones diligenter in unum colligit. Nulli vero dubium, quin septem ad Spiritum Sanctum, quatuor verò pertineant ad Evangelium, quia per septiformem gratiam Spiritus Sancti prædicatum Evangelium per quatuor plagas mundi. Si quis verò contentiosè conatus fuerit reprehendere, quod in prædictis officiis non æquè omnia omnibus ex toto conveniant, huiusmodi responsum à B. Augustino percipiat: Non sane omnia quæ gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt, sed propter illa quæ aliquid significant, F adduntur. Solo enim vomere terra proscinditur: sed ut hoc fieri possit etiam cætera aratri membra sunt necessaria. Et soli nervi in citharis atque huiusmodi vasis musicis aptantur ad cantum, sed ut aptari possint, insunt & cætera in compagibus organorum, quæ non percutiuntur à canentibus, sed ea quæ percussa resonant, his connectuntur: Ita in prophetica historia dicuntur etiam aliqua, quæ nihil significant, sed quibusdam adhæreant, quæ significant, & quodammodo religantur.

De Ieiunio Quatuor temporum. Cap.7.

TErminos rectæ fidei sanctæque doctrinæ posuerunt ab initio patres Catholici, quos omnino nefas est transgredi. Sed & multæ consuetudines Ecclesiasticæ inveniuntur à sanctis Patribus infra canonicæ regulæ terminos constitutæ, sicut sunt Adventus Domini, septuagesima, sexagesima, quinquagesima, quadragesima, Litania maior, dies rogationum ante Ascensionem Domini, vigiliæ quorundam Sanctorum, necnon & hæc ipsa quatuor temporum ieiunia, G quæ præ manibus habentur, aliáque perplura, quæ omnia iure perpetuo absque ulla transgressione nobis sunt observanda, ac pro lege tenenda, dicente Sancto Augustino ad Casulanum presbyterum de ieiunio sabbati: In his enim rebus, de quibus nihil certi statuit scriptura divina, mos populi Dei vel instituta Maiorum pro lege tenenda sunt. Accedit etiam hoc, quod nihil sine ratione in Ecclesiasticis consuetudinibus à sanctis patribus constitutum reperitur, si causa diligenter inquiritur. Vt ex veterum ac præcipuè Sancti Augustini sermonibus intelligi potest, necessarium est nostræ religioni, annuatim quatuor ieiunia celebrare. Nam quatuor temporibus volvitur annus: Vere, æstate, autumno, hyeme. Hæc quatuor tempora H solent nos per delectamenta sua revocare ab amore creatoris. Qua de re ieiunandum est in unoquoque tempore, ut castigentur nostra quatuor elementa, ne surripiantur à delectatione mundi. Ipsa quatuor elementa coniuncta sunt quatuor temporibus anni. Ver est humidum & calidum, & in eo facimus unum ieiunium, ut elementum humoris in nobis castigetur, ne consentiat falsæ pulchritudini veris. Ex humore enim & calore nascitur pulchritudo terræ. Æstas sicca est & calida, in qua alterum ieiunium facimus, ut castigetur elementum caloris in nobis, ne consentiat incendiu carnali. Tertium fit ieiunium in autumno, qui est frigidus & siccus, ne aliquo languore animi arescamus ac deficiamus, & inveniamur sine pinguedine olei in æterno tabernaculo: etenim illo tempore congregamus, quo fruamur in futuro. Quartum ieiunium fit in hyeme, quæ est frigida & humida, ne membra nostra fluxa atque laxa solvantur in comessationibus & potationibus, & per hoc negligatur

amor

A amor Dei. At quia quatuor tempora annorum nos impediunt * ad amorem Dei, quatuor ieiunia facimus, per singula quæque tempora suum ieiunium, unumquodque pro suo tempore. Simili modo diurna curricula quatuor nos impediunt ab amore scilicet cœlestium, Matutinum, meridianum, vespertinum, nocturnum. Per hæc etiam quotidie ab amore æternorum retrahimur. In unoquoque tres dies sunt. Quia unumquodque tempor tres menses habet, pro unoquoque mense singuli dies ieiunio consecrantur. At verò quia quotidiana peccata adgravant, non sufficit unum ieiunium per unumquodque tempus, ac per hoc quadragesimale tempus inducimus, quo quotidiana peccata affligantur. Eadem vero quatuor temporum ieiunia his diebus solent celebrari, scilicet quartâ feriâ, sextâ, & sabbato. Ideò quartâ, quia Iudæi in ea fecerunt consilium, ut occiderent Christum. Sextâ, quoniam occiderunt eum: sabbato, ex

* ab amore.

B auctoritate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, concluditur ieiunium, propter tristitiam Apostolorum, quam de morte nostri redemptoris habuerunt, sicut Innocentius Papa in suis Decretalibus narrat. Sabbato, inquit, ieiunandum esse ratio evidentissima demonstrat. Nam si diem Dominicum ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Iesu Christi non solum in Pascha celebràmus, verumetiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac si sextâ feriâ propter passionem Domini ieiunamus, sabbatum prætermittere non debemus, qui inter tristitiam atque lætitiam temporis illius videtur inclusus. In quo etiam sabbato consecratio ordinum Ecclesiasticorum celebratur, causam etiam eiusdem consecrationis, sancto Augustino dicente ad Ianuarium: Sabbatum, inquit, commendatum est priori populo in otio corporaliter celebrandum, ut figura esset sanctificationis in requie Spiritûs Sancti. Nusquam enim le-

C gimus in Genesi sanctificationem per omnes priores dies, sed de solo sabbato dictum est: *Sanctificavit Deus diem septimum.* Quia ergo charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, ideò sanctificatio in septimo die commemorata est, ubi requies commendatur. Nunc de lectionibus videamus. In quartâ feriâ duæ lectiones leguntur, ut hi qui in sabbatu sunt consecrandi, admoneantur, ut notitiam legis & prophetarum habeant, quæ maximè in quartâ ætate vigebant. Sextâ feriâ una tantum legitur, quia lex & prophetia in uno Evangelio recapitulantur, quod nunc in sextâ mundi ætate prædicatur ac legitur. De duodecim lectionibus, quæ prætitulantur in libro Sacramentorum, die sabbati, sic in litteris Patrum reperitur scriptum: Sex lectiones ab antiquis Romanis Græcè & Latinè legebantur. Qui mos apud Constantinopolim hodie quoque servatur propter duas causas: unam, quia aderant Græci, quibus incognita erat Latina lingua: ad-

D erántque Latini quibus incognita erat Græca: alteram quoque, propter unanimitatem utriusque populi. Duodecim lectiones dicuntur propter duodecim lectores, non propter duodecim sententiarum varietates. Sex lectiones sunt tantummodo in sententiis. Neque enim si dixerimus Amen, verum: propterea duas veritates intelligere debemus, sed unam. Sed de his hactenus nunc ad propositum redeamus. Quæstio tua, si ritè recordor, talis erat, ut scire optares, utrumnam statim in primo sabbato Martij sit ieiunandum, etiamsi idem mensis quintâ, sextâ, aut septimâ feriâ incipiat, an ad aliud sabbatum propter quartam feriam sit differendum. Ad quod tibi ex consuetudine sanctæ Ecclesiæ, quæ pro maxima auctoritate tenenda est, respondeo; quod absque ulla refragatione semper eiusdem mensis quartâ feriâ debeat exspectari, quoniam idem ieiunium, quod quartâ feriâ incipitur, sabbato finitur: nequaquam Februario, sed totum Martiu deputatur, ea videlicet ratione, ut in eo mense primum ieiunium nostrum Domino consecretur, in quo

E principium anni, ac ipsa creatio mundi cœpit. Vnde iste terminus firmiter est observandus, ut nec ante v. Nonas Martij, nec post vi. Idus eiusdem mensis aliquis statuat jejunandum, sed in his septem diebus ubicunque primum evenerit, ieiunare licitè valebit. Ex quo velut intellectuali quodam filo rectissimæ regulæ linea, per quatuordecim hebdomadas usque in secundum Iunij mensis sabbatum, itémque inde per alias quatuordecim, ad tertium Septembris sabbatum: item sive per tredecim, sive per quatuordecim, ad illud proximum ante Nativitatem Domini sabbatum, ut absque errore eorumdem sabbatorum termini possint inveniri. Ad hoc demonstrandum constituantur feriæ septem cum diebus totidem mensis Martij, id est, à quarta Nonarum usque in septimam Idus, per quos primi sabbati termini solent variari, & his inspectis res ipsa se nobis aperiat. Vt enim ab ultimo incipiamus, Martius aut quintâ feriâ incipit, & sabbatum in quo

F est ieiunandum, sexto Idus occurrit: aut mensis sextâ feriâ, sabbatum vero septimo Idus, aut ille feriâ septimâ, istud vero octavo Idus: aut mensis primâ, quæ est Dominica, & Sabbatum Nonis: aut si ille feriâ secundâ, istud postridie Nonarum: Si vero tertio, istud tertio Nonas, at si Martius, feriâ quartâ, sabbatum quarto Nonas. Si ex his singulis terminis adhibitâ computatione ad terminos Septembris per quatuordecim hebdomadas aciem rectè dirigis, liquido pervidebis, In quarto seu septimo mense quartas ferias iuxta sui quantitatem suis sabbatis minus deesse, excepto Septembri, quando ipse incipit feriâ quintâ, Iunius quartâ, Martius tertiâ. Qua ex re sic eveniat, prudenti calculatori ad indagandum nequaquam erit difficile. Ex his omnibus ratio manifesta docet, firmius ac stabilius esse argumentum, quod ex hebdomadarum numero collectum nunquam notat, quam quod ex feriarum consideratione compilatum aliquando vacillat. De

G mense vero decimo nihil aliud dicendum est, nisi ut proximum ante Nativitatem Domini semper observetur sabbatum, excepto quando vigilia evenerit in sextâ feriâ. Scio me pro certo ita dixisse, & quam verum sit etiam in hac re, de qua præsens tractatus habetur, qua potero brevitate ex dictis, maiorem curabo demonstrare. Igitur Amalarius divinorum officiorum indagator solertissimus, cuius dicta Catholicorum virorum sententiis fulgent munita, cum de iisdem disputaret ieiuniis, sic inter alia dicit: Primi Apostolici semper in Decembri mense, in quo Nativitas Domini nostri Iesu Christi celebratur, consecrationes ministrabant, usque ad Simplicium, qui fuit à beato Petro quadragesimus nonus. Ipse primus consecravit in Februario, ni fallor, nullam ob aliam causam, nisi intimando coniungendos propinquiùs Christi corpori, qui per sacrum mysterium provehuntur. Quòd nullo modo satius fieri potest, quam si per eos patriarchas, ex quibus Christus natus est, generentur. Quòd impossibile est secundum carnem, secundum spiritum dignum &

H habile, hoc est, ut per interpretationes nominum Patriarcharum nascantur mente, qui genealogiæ Christi videntur familiarius adsciscí. Et quia incongruum est, sicut unicuique generationi singularis hebdomada deputatur, ita per unamquamque hebdomadam consecrationem celebrari, causa congruenti per singula tempora, quæ convenire possunt virtutibus & interpretationibus Patriarcharum, qui in articulis genealogiæ positi sunt, consecratio celebratur spiritualis. Per tres tesseradecades annuales, fiunt hebdomadæ quadraginta duæ. Tot generationes secundum Matthæum Christi sunt cum ipso, tot enim hebdomadæ inveniunt, à primo sabbato primi mensis, usque ad quartum sabbatum decimi mensis. Consecratio prima celebratur primo sabbato primi mensis, quæ quasi in loco Abrahæ generat Christum. Abraham interpretatur pater multarum gentium, cui dictum est, in semine tuo benedicentur omnes gentes. Si quis consecratus stat in semine multorum convertentium per sua exempla

ad Deum est à primo Patriarcha Abraham genitus, est ipsum semen Christus, in quo semine promissum est Abrahæ benedici omnes gentes. Ipsa consecratio verno tempore celebratur, quod tempus habile est, procreationibus. Nam & Abraham tertiâ ætate fuit hujus mundi, quæ ætas comparatur adolescentiæ, quæ habilis est generationi filiorum. Secunda consecratio est in quarto mense, secundo sabbato, quod est initium secundi catalogi quatuordecim hebdomadarum. Hæc deputatur in loco filiorum David. David interpretatur manu fortis, ipse prostravit Goliath, id est, humilitas superbiam. Qui consecrantur, propterea consecrantur, ut fortes sint & per humilitatem devincant superbiam. Ipsa celebratur in Iunio mense, quando fervor magnus Solis est super terram. Omnibus notum est, David bellicosum fuisse. Tempus Iunij aptum est bellis. Tertia consecratio celebratur in Septembrio tertio sabbato, quod est initium tertij catalogi. Hæc deputatur generationi Iechoniæ. Iechonias interpretatur præparatio Domini. Nullique dubium, si omnes oportet præparari in Adventum Domini, quin potissimum eos, qui consecrantur. Neque hoc sine ratione est, si computetur catalogus novissimæ tessaradecadis, & semel computetur Iechonias, non amplius inveniuntur cum ipso Christo quam tredecim generationes, si ipse bis computetur, quatuordecim inveniuntur. Sanctus Augustinus causa mysterij perhibet factum esse, quod Iechonias, qui interpretatur præparatio Domini, bis numeratur, in fine prioris, & in capite sequentis catalogi, lapidem angularem, id est, Christum significans: in quo præparavit Deus pater duos populos quasi parietes in unam iungere domum. Quanquam beatus Hieronymus vitio scriptorum & longitudine temporum inter Græcos & Latinos confusum esse narret, & patrem qui in Hebræo Ioachim nominatus est, non in Chaldæam ductum, sed defunctum in terra sua, & filium Ioachim de captivitate redeuntem Salathiel genuisse affirmet. Igitur supradictus doctor voluit intelligi, ut tredecim & quatuordecim hebdomadæ præfigurarent in mysterio, quod Iechonias semel aut bis poneretur in catalogo. Enimverò omnibus annis tredecim inveniuntur, exceptis his, hoc est, quando Martius feria tertiâ, vel quartâ, Nativitas vero Domini nostri Iesu Christi Dominicâ aut secundâ feriâ acciderint. De hoc ieiunio, quod in ipsa solebant vigilia antiquiores celebrare, supra nominatus dicit Amalarius: Quæ consecratio habet finem in ipsa Nativitate Christi, sicut quorundam Italorum, nescio an omnium, adhuc mos est agere, ut ego ipse ibidem positus cognovi: sed usus in nostris excrevit Ecclesiis, ut in anteriori hebdomada anticiparetur, quia illa duo officia ieiunij & Natalis Domini non conveniunt simul celebrari. Nam & sicut præveniendo istud anticipamus, ita secundum sabbatum Iunij mensis cum vigilia Pentecostes si provenerit, prolongando in proximum differimus, licet nostri antecessores utrumque in ipsa vigilia sancta simul celebrarent, sicut prætitulatione librorum evidens habemus testimonium. Quid adeò opus est, nunc inquiri, quod tam longo tempore cœpit dedisci? attamen ne huiusmodi scientiâ fraudaris, talis inscriptio super hac re habetur in libris nostris: Si evenerint duodecim lectiones in sabbato sancto Pentecostes, tunc in quartâ feriâ cantetur & legatur Antiphona, *Exaudi Domine*: * Missa, *Preces nostras quæsumus Domine.* Require in primâ hebdomadâ Quadragesimæ. Lectio. *Dixit Salomon.* Item oratio, *Devotionem populi.* Lectio Esaiæ prophetæ, *Audi Iacob.* Alleluia. *Domine Deus salutis.* Evangel. secundum Lucam, *Accedentes discipuli* Offert. *Viri Galilæi*, Communio: *Pater, cum essem* Feriâ sextâ, Antiphonâ, *Exaudi Domine*: * Missa, *Esto Domine propitius.* Lectio, *Exultate filij Sion.* Alleluia, *Domine refugium factus es.* Evangelium secundum Lucam, *Venit ad Iesum vir nomine Iairus.* Offert. *Viri Galilæi.* Communio, *Pater, cum essem.* Sabbatum omnes parati primitus canttent Litaniam. Deinde *Kyrie eleison. Gloria in excelsis Deo.* Postea oratio, *Mentibus nostris.* Alia, *Illo nos igne.* Tertia, *Deus qui ad animarum.* Quarta, *Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut salutaribus ieiuniis.* Quinta, *Præsta quæsumus omnipotens Deus, sic nos.* Subsequuntur lectiones cum Gradualibus: *Propitius*, *Protector*, *Ad Dominum, Dirigatur*, & *Benedicite*, Ad Missam, *Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut claritatis.* Lectio, *Cum Apollo esset Corinthi.* Alleluia, *Confitemini.* Tractus *Laudate Dominum* Evangelium secundum Ioannem, *Si diligitis me.* Offert. *Emitte spiritum.* Comm. Vltimo Vtique secundum consuetudinem antiquam. Gradualia, sicut non solum in nostris libris habetur insertum, sed etiam, ut in quodam ordine secundum sancti Gelasij Papæ auctoritatem reperi prætitulatum. Qui mos usque hodie, ut compertum habemus, in sancta Romana servatur Ecclesia. Videtur quoque id huic narrationi assensum præbere, quod in authenticis antiphonariis duo tantum *Alleluia* inveniuntur descripta, hoc est, *Emittes Spiritum.* Et *Spiritus Domini*, cætera vero à modernis sunt composita. Quapropter intuendum est, quia si in monasteriis *Alleluia* cantus abundat, quid simplices villarum presbyteri agunt, qui vix duorum tantum notitiam habent? Vt omnium vulgari proverbio utar, Aut cantant quod sciunt, aut tacere compelluntur quod nesciunt. Non tamen hæc scribens, sanctissimorum auctoritatem sacerdotum præiudico, quos in sancto Spiritu congregatos, iamdudum audivi in Synodalibus suis decretis statuisse, ut magis debeant *Alleluia* decantari. Sed simpliciter quæ sentire potui, ad interrogata respondere curavi, consulere volens etiam, si possum, mei simillimis imperitiæ, qui tot *Alleluia* non norunt cantare. Sic in quodam libello de hoc ordine legi per singulas orationes, debemus mentis humilitatem per genuum flexionem ostendere, excepto, infra Pentecosten. In sola oratione de camino ignis, non flectimus genua, quando Nabuchodonosor compellebat populum adorare statuam quam fecerat: ut separata sit nostra oratio, quæ est ad unum Deum, ab errore gentium. Similem ob causam etiam in parasceve genua non flectimus pro perfidis Iudæis, qui illudendo genua flectebant coram Deo: ne videamur illos imitari, qui opus bonum studebant malè operari: quemadmodum tunc ab osculo abstinemus, propter Iudæ traditoris exemplum, qui per simulatæ pacis osculum, tradidit Dominum Iesum Christum. Si quis ieiunia quatuor temporum legitimo ordine celebrare desiderat, supra scriptum argumentum ex sententiis sanctorum patrum collectum, observare non negligat. Primum sabbatum Martij, cum præcedente eiusdem mensis quartâ feriâ, nota diligenter, & ab ipso quatuordecim hebdomadas usque in secundum Iunij mensis sabbatum computa, iterúmque alias quatuordecim hebdomadas abhinc usque in tertium Septembris sabbatum, quod nullo modo te fallit, connumera, indéque proximum sabbatum ante Nativitatem Domini, sive quatuordecim, sive tredecim fuerint, semper observa, & in his singulis quatuor sabbatorum diebus, absque ullo errore occurret tibi legitimè illud ieiunium, quod in sacramentorum libris prætitulatur cum duodecim lectionibus celebrandum. Quod si vigilia Natalis Domini in sabbato venerit, in hebdomada priori idem ieiunium debet anticipari.

Explicit Bernonis Augiensis Abbatis Libellus, De quibusdam rebus ad Missæ Officium pertinentibus.

[Margin notes: * Oratio. — * Oratio.]

A

BEATI BRVNONIS, HERBIPOLENSIS

Episcopi expositio in Psalterium totum à Ioanne Cochlæo restitutum & Hebraica veritate adauctum.

B

ACCEDVNT EIVSDEM S. BRVNONIS EPISCOPI

Commentarij in diversa Cantica sacra, & in Symbolum Sancti Athanasij, &c.

Præfatio Ioan. Cochlæi de Psalterio Beati Brunonis.

Abbas Spanhey. mon. Tritem.

IOANNES Tritemius in Catalogo virorum Ecclesiasticorum illustrium de hoc aotore sic habet. *Bruno Episcopus Herbipolensis, Conradi Imperatoris secundi patruelis, natione Teuthonicus, vir in divinis scripturis studiosus, vitâ & conversatione sanctissimus, Qui ob meritorum suorum excellentiam Catalogo sanctorum inscriptus, Franciæ Orientalis singularis patronus habetur: Comportavit ex antiquorum patrum scriptis pulchram expositionem in totum psalterium. Si aliud scripserit, nescio. Moritur sub Henrico Imperatore secundo. Anno Domini M. XLV. Indictione XIII. sexto Kalendas Iunij.* Hæc Tritemius.

C

Præclarus igitur Episcopus iste, non solum vigili cura pavit verbo Dei gregem sibi commissum, ac strenuè io omni virtutum exemplo ovibus snis præcedens iter salutis ostendit; verumeriam pretiosum istum pietatis thesaurum posteritati post se reliquit, & quidem insigni scripturâ sumptuosè descriptum. Quem sanè librum sancto Kiliano, Herbipolensis Ecclesiæ præcipuo patrono, hisce versiculis obtulit ac dedicavit:

Liber S. Kiliano dedicatus.

Sit collega tuæ fortis pater ô Kiliane,
Antistes, dono qui te veneratur in isto.

Cassiod. lib. 1. institut.

Extat adhuc hodie donum illud memorabile & conspicuum in locuplete antiquorum voluminum Bibliothecâ Ecclesiæ Herbipolensis. Quod sanè religiosa pietate, velut hæreditas quædam hujus sancti patris, custoditur. Fœlix profectò (ut ait Cassiodorus) Intentio, Laudanda seduliras scriptoris, manu hominibns prædicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitè dare, & contra diaboli surreptiones illicitas calamo atramentóque pugnare. Tot enim vulnera Satanas accipit, quot antiquarius domini verba describit.

D

Vellic. sanè hoc psalterium.

Quis igitur satis dignè laudet aut explicet hujus Autoris vigilantissimam curam & pietatem, eximiúmque & utile studium, quo tam multas & magnas utilitates nobis tam compendiosè in uno hoc brevi & parvo volumine exhibet? Quantum enim ad ipsum Psalterij textum attinet, protulit nobis emendatissimam psalmorum lectionem, ab Origene olim & S. Hieronymo, non solùm exactè recognitam, verumetiam Obelis & Asteriscis illustratam, de qua sanè D. Hieronymus in præfatione ad Paulam & Eustochium, commonet scriptorem, ut quæ ipse diligenter emendavit, ille cum curâ & diligentiâ transcribat, ac notet sibi unusquisque vel iacentem lineam vel radiantia signa, id est, vel obelos vel asteriscos. Et ubicunque viderit virgulam præcedentem, ab ea usque ad duo puncta quæ impressimus, sciat lxx. translatoribus plus haberi. Vbi autem stellæ similitudinem perspexerit, de Hebræis voluminibus noverit additum, æque usque ad duo puncta. Hæc S. Hieron. Nus pro duobus tria apposuimus puncta, quia duo solent assignari medio versuum. Addita sunt item locis suis singula Diapsalmata, Et ante singulos psalmorum Titulos posita sunt argumenta ico Elenchi, quibus brevissimè materia & intentio uniuscujusque psalmi proponitur, ut statim intelligat lector, quid eo in psalmo intendatur, & quâ de re agatur. Quantum verò ad expositionem textûs attinet, commodissimè profectò sub compendiosa brevitate apposuit pius pater iste glossas probatissimas antiquorum patrum, quas solerti iudicio sedulóque labore ex prolixis illorum commentariis velut apis argumentosa, selegit & excerpsit, mirabili nimirum diligentiâ & charitate, qua optimè consulit & lectori tum brevitatis compendio, tum expositionis claritate; & memoriæ metitisque antiquorum, dum eorum nomina Glossis quæque suis præmisit & apposuit, nihil sibi arrogans præter laborem, Quia non quæ sua sunt quærebat, sed quæ Iesu Christi & Ecclesiæ eius. Claret itaque miraculis usque in hodiernum diem. Deus enim circa tumulum eius multis præstat mortalibus beneficia salutis.

E

Psalterii emendatum.

F

Expositio compendiosa.

G

H

Quemadmodum vero Cassiodorus ex Augustino ita Bruno ex Cassiodoro potissimum sub brevitate optima quæque decerpsit, & in hoc planæ expositionis compendium summo animi candore comportavit.

Habet igitur psalterium hoc plæráque commoditates, quas vulgo neque in Bibliis neque in commentariis aut doctoribus reperimus, eásque omnes summa dexteritate in lucidum compendium, gratámque lectori brevitatem redactas, ac pulchrè signis quibusdam exiguis denotatas. Nam

Prærogativa hujus psalterij.

***

A

In textu hoc signum			
÷	Obelū dup.	In lxx. Interpretatione plus haberi quā in Hebraico.	
*	Asteriscum	Ex Hebræo additum esse quod lxx. non habent.	
:.	Clausulam	Eo usque vel plus vel minus haberi.	

In Glosa hæc litera	Denotat			
C		Cassiodor.	Vt inde intelligas.	Cuiusnam sit Doctoris expositio. Quod si duæ præponantur literæ (verbi gratia C H. aut C B.) duorum autorum eandem intelligas esse glossam.
H		Hieronym.		
A		Augustinū		
B		Bedam		
G		Gregorium		

Obelus. B

Est autem Obelus græcè, veru latinè, à cuius similitudine virgula seu linea quædam, inter duo puncta iacens, ÷ Obelus quoque seu veru dicitur, vel quia verui similis est, vel quia tanquam veru superflua iugulat & confodit. Inde obeliscus, quod magis voce quam re diminutivum est, quasi parvus Obelus, Cùm tamen sit ingens moles & maximus lapis, Infernè latus, supernè tendens in acumen. Quales in Ægypto permulti fuere, & Romæ adhuc hodie nonnulli cernuntur erecti. Sic & Asteriscus dicitur quasi parvus aster, id est, stella, * Hoc signo nitimur, quando indicamus, in translatione aliquid esse omissum, quod textui adjectum superaddit intelligentiæ lumen quoddam velut stella lucens. Vndè à Beato Hieronymo venustè dicitur signum radians.

Obeliscus.

Asteriscus.

Commoditas. C

Licet igitur per hæc signa breviter videre, per Obelos quidem, quid lxx. Interpretes textui superaddiderint Hebraico & originali: per Asteriscos vero, quid ademerint aut omiserint. Id quod alibi laboriosiùs & prolixiùs ostenditur in Psalterio illo Hieronymi, ubi è regione ponuntur diversi textus, Græcus, Hebraicus, & duo Latini.

Argumenta etiam in collectis repetuntur.

Ea quoque commoditas, quam Beatus Bruno huic superaddidit psalterio, lectori grata esse debet, quod argumentum seu materia de qua tractat unusquisque psalmus, non solum à fronte statim conspicitur, in argumento seu Themate summario & in titulo, verumetiam à calce, in oratione seu collecta, quæ post finem expositionis subjuncta, circa singulos psalmos, geminum affert fructum, Orationis scilicet utilitatem & repetitionem materiæ pertractatæ, dum repetitur in modum Epilogi psalmi summam, & Deum orando & laudando propitium reddit, ut ab eo optima quæque impetret.

D

Generalis ad lectorem admonitio Ioannis Cochlæi.

EN tibi, pie lector, Psalterium vetus, labore nostro instauratum ac locupletatum, quo cupimus pietati studióque tuo salubriter consultum. Quòd sanè futurum speramus, si legeris attentè, non solum discendi desiderio, verumetiam sollicitæ in Christum devotionis affectu. Ipse est enim præcipuus sacræ scripturæ scopus ac pretiosa margarita, maximè Psalmorum, Ipse est qui ait. *In capite libri scriptum est de me.* Item. *Scrutamini scripturas, quia vos in ipsis putatis vitam æternam habere.* Et rursus. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Ipse igitur præcipué in hoc Psalmorum libro intendi, quæri, suspirari, agnosci, laudari, coli, amari debet. Alia itaque intentione legendi sunt libri sacri, alia prophani. Hi sanè, vel ob animi temporalem oblectationem, vel ob rerum ac verborum notitiam comparandam: Illi verò longè altius evehunt & mentem & voluntatem. Mentem sanè, ad contemplationem cœlestium & æternorum, voluntatem præterea ad amorem pariter & reverentiam Dei & Christi filij eius, domini ac salvatoris nostri, ut serviamus ei in timore, & exultemus ei cum tremore (quanquam & quæ de prioribus dicta sunt in gloriam Dei referri debeant omnia.) Liber igitur iste hac præcipuè intentione legendus est, ut in eo devotè quæras & salubriter invenias Christum Dominum, & discas sibi eius bonitatem & misericordiam erga genus humanum agnoscere simul & laudare, eius beneficia recensere, eius vitam prædicare, passionem & mortem eius pro nobis susceptam summo gratitudinis affectu recolere, atque tot ante sæculis prædictam ac velut in tabula clarissimè depictam, cum admiratione venerari, eius gloriosos de morte & inferno triumphos cum iubilo cordis decantare, cœlorum aditus ab eo patefactos piâ gratulatione commemorare, eius dona quæ dedit hominibus desideranter commemorare, eius auxilium implorare, in eo unicè confidere, in eo solo gloriari. Quo fiet, ut Christi amore accensus, ac rerum cœlestium desiderio flagrans, gustatâ in hunc modum divinæ laudis & contemplationis dulcedine, dicturus sis cum ipso Psalmista: *Domine quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram:* Et contemptâ huius mundi honorúmque & rerum temporalium vanitate, incipias ex animo dicere, *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in domino spem meam.* Item, *quam dilecta tabernacula tua domine virtutum, Concupiscit & deficit anima mea in atria domini, &c.*

E

Psal. 39. Ioan. 5. Ibid. 17.

F

Psal. 2.

G

Psal. 72. Ibid. Psal. 83.

H

Quicquid autem boni ex hoc libro consequutus fueris, Optime lector, ipsi Deo acceptum referes, à quo est *omne datum optimum & omne donum perfectum.* Eum igitur laudabis in sanctis eius, quorum dicta, quæ recitat B. Bruno, ipsius dona sunt. Nam & ipsi testem dicturi sunt, *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Orabis nihilominus iuxta legem charitatis dominum pro salute

Iac. 1. Psal. 113.

corum,

[A] eorum, qui ad huius opuſculi evulgationem cooperati ſunt. Quòd certè fideli pietate fecerunt Duo Mœcenates & Patroni mei obſervandiſſimi, Illuſtriſſ. Princeps, & Orthodoxæ fidei conſtantiſſ. aſſertor Dominus [Dux Geor.] Georgius, Dux Saxoniæ, Lantgravius Turingiæ, Marchio Miſnæ, & Reverendiſſ. in Chriſto Pater & Dominus D. Ioannes à Schleynitz Epiſcopus Miſnenſis, qui veneranda authoritate ac ſalubri conſilio ſuo hanc promoverunt editionem, Quam & [Epiſcop. Miſnen.] Reverendus in Chriſto Pater, Magiſter Paulus Dulciarius, Decanus & canonicus Eccleſiæ [Decanus Budiſſ.] Budiſſenenſis quam efficaciſſimè adjuvit, Ipſe enim primus hanc procuravit, ipſe ſcriptum attulit exemplar ex Bibliotheca Saganenſi, ipſe neceſſarias ad hanc rem impenſas obtulit ultro, Senex pius ac [B] venerandus, qui laudem Dei & Eccleſiæ bonum præcipuè intendens, pauperculis & ſimplicioribus presbyteris & monachis (qui vel libros multos & magnos vel temporis longum ſpatium aut otium ad legendum non habent) hoc breve Pſalterium, velut legatum quoddam ex Teſtamento ſuo, poſt ſe in terris relinquere cupit. Ipſe igitur tam pia voluntate ſua permovit me, ad ſuſcipiendos labores iſtos, quos etiam ultro, ſola erga proximum charitate ductus, aſſumpſi & plures & majores quam ille petiit.

Generalis circa Hebraicam veritatem Inſtructio.

[C] HEbraicam veritatem adiecimus, candide lector, ſuccinctiùs, quanta potuimus brevitate, Quandoquidem & expoſitio pſalmorum ubique brevis eſt. Non igitur per ſingola verba Hebraicæ lectionis textum appoſuimus latinum, ſicut videmus factum in iis Pſalteriis, ubi ſinguli verſus ternis quaternis aut quinis recitantur tranſlationibus, ſed una B. Hieronymi tranſlatione contenti, eam breviſſimè indicavimus, nunc obelis & Aſteriſcis in textu, nunc annotatione marginali, Quam ſane ſtudio brevitatis adeo parcè adjecimus, ut interlinearis expoſitio videri queat: Niſi ubi ſententiæ diverſitas, aut lectionis varietas coëgit nos, totos aliquando verſus apponere. [D] Non ſumus tamen adeo vel temerarij vel iniqui, ut velimus per hanc Hebraicæ lectionis adjunctionem antiquam tranſlationem tot ſæculis ab Eccleſia Chriſti receptam & approbatam ſugillare aut redarguere, aut ſaltem ſuſpectam de veritate reddere. Abſit, ſed ideo adiecimus illam, ut lectionem tibi exhibeamus locupletiorem ſenſu, planiorem & faciliorem intellectu, ac certiorem cognitu, dum Hieronymi tranſlatio ex Hebræo aut alium ſenſum pium ſuperaddit, aut priorem ſenſum planiùs aut aptioribus verbis exprimit quam antiqua tranſlatio. Utraque [E] tamen bona, vera, & ſpiritu veritatis dictata rectè creditur. Non enim ideo dicitur Hebraica veritas, quaſi tranſlatio Græca aut latina ſit falſitas, ſed quod in lingua Hebraica prima ſit pſalmorum origo & veritas, quæ per tranſlationem ad alias linguas poſtea eſt derivata. Noli igitur eam contemnere aut ſuſpectam habere tranſlationem, quam recipit & approbat ſancta mater Eccleſia. Ipſa eſt enim civitas Dei vivi, ſponſa Ieſu Chriſti (qui via veritas & vita eſt) [Ioan. 14 & 16.] ſacrarium Spiritûs ſancti (qui docet eam in omnem veritatem) ipſa eſt columna & firmamentum veritatis, ut ait Apoſtolus, [1.Tim.3.] Ipſam audiri jubet Chriſtus. Noli ergo dicere, ut temere dicunt multi, inepta, reproba, apochrypha, falſa eſt antiqua tranſlatio, quia non concordat cum Hebraica veritate. Noli inquam ſic dicere Chriſtiane lector, [F] nam ſic dicunt perfidi Iudæi & Apoſtatæ Chriſtianorum impij Mamaluchi, Et circa Hebraicũ textum diverſiſſima eſt multorum tranſlatio, adeo ut inter centum tranſlatores non reperias tres qui per omnia concordent. Sed dic ſaniùs & veriùs cum B. Auguſtino. [Aug. in confeſſ. lib.12. cap.31.] Cum alius dixerit, hoc ſenſit quod ego, & alius, imò illud quod ego, Religioſiùs me arbitror dicere, Cur non utrumque potius, ſi utrumque verum eſt? Et ſi quid tertium, & ſi quid quartum, & ſi quid omnino aliud verum quiſpiam in his verbis videat. Cur non illa omnia vidiſſe credatur, per quem Deus unus ſacras literas vera & diverſa viſuris multorum ſenſibus temperavit? Sic dicito & ſentito, lector bone, & nemo te ec idemnabit. [Matth.7. Rom.14. 1.Cor.4.] Non eſt tuum aut meum judicare Eccleſiam, ſed eam audire *Nolite*, inquit Dominus) *judicare, & non judicabimini. Dominus eſt qui judicat.* [G]

Generalis Oratio ante pſalmos præmittenda.

BEnigne & miſericors Deus, qui revocas errantes, & ſaluas pœnitentes: qui medelam tribus ægrotantibus, & gloriæ coronam perſeverantibus: Exaudi nos miſeros & indignos famolos tuos, per hos Pſalmos clementiam tuam implorantes, ut & eorum ſenſum ſpiritalem nobis aperias, & quicquid [H] humiliter hic oramus, te largiente adipiſci mereamur, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, & cæt.

Finis Prologi.

Index in CL. Psalmos.

Ad Lectorem præfatiuncula Ioan. Cochlæi.

QVANQVAM commentarius iste in 150. Psalmos per sese brevis est (Pie lector) & compendiosus, non videtur tamen inutile, super addidisse Indicem pro iis qui vel occupatiores sunt quam ut omnia perlegere queant, vel Psalterij locos memoriter non tenent, Vt habeant juxta ordinem Alphabeticum brevissimum quoddam promptuarium insignuiorum & locorum & sententiarum, idque in multiplicem usum & fructum. Sive enim locus sit alibi lectus, citatus aut objectus, cujus germanam expositionem sensumque rectum & pium, ex sacris potius doctoribus addiscere, quam temere ex proprij ingenij confidentia conjectare velis, ad hunc recurre Indicem, qui brevissimè diriget te quo tendis. Sive inter orandum aut psallendum obscurior occurrat locus, cuius sanum intellectum esto cupere desideres, hic in promptu indicabitur tibi ubi requiras, Sive docendi aut scribendi muneri additus, argumentum, de quo tractas, extendere ac locupletare cupias, promus iste statim tibi multiplicem suggeret materiam, ex cuius requisitione & planius intellecturus sis & copiosius declaraturus argumenti tui propositum. Quod si mea simplicitatis consiliũ voluerint audire simplices & in scripturis non usquequaque exercitati, Indicem istum non solum lecturi sunt ut indicem, verumetiam perlecturi sunt velut compendiolum, à principio usque ad finem, eâ sane intentione, ut brevissimè ex eo addiscant, quomodo de rebus sacris piè & aptè loquendum atque scribendum sit. Multas enim sententias hic invenient, de quibus antea dubitabant forsitan aut nesciebant, quomodo vel aptè exprimi vel sanè intelligi deberent. Habes jam lector causas superadditi hujus laboris nostri, quo simplicioribus consultum volumus, Tu boni consule ac vale.

A

B

C

A

D

E

F

Finis

In

N

O

P

Q

R

S F

A *Vnica dicitur anima Christi vel Ecclesia, psalm. 34. ver. 20.*
Voluntas Dei bona nobis ut scutum est, psalmo 5. versu 15.
Voluntas labiorum Christi fraudata non fuit, psalm. 20. ver 2.
Voluntaria sacrificia quæ sunt, psal. 118. ver. 108
Volucres cœli dicuntur homines superbi, psalmo 8. versu 8.
Vsque ad cornu altaris, id est, usque ad communionem, psal. 117. ver. 26.
Vsura prohibita, psalm. 14. vers. 6. & psalm. 54. versu 11.
Vsura spiritualis in peccatoribus, psal. 71. ver. 14.
Vultus domini super malos. psal. 33. ver. 16.

XY

B *HÆ duæ literæ apud latinos nulla vocum initia præbent: nullum igitur in hoc indice locum habent. Christus itaque non ab x, sed à ch. incipitur, quod græcis χ est sub forma x. Vnde imperitis est erroris occasio, quod scribunt latine Xps, pro Christus, quia græce sic scribitur χς quæ literæ apud latinos sunt Christus.*

Z

ZElus duplex, bonus & malus. psal. 118. ver. 139.
Ziphæi designant peccatores in hoc mundo florentes, psal. 53. in tit.

PROPRIA QVÆDAM *hujus Psalterij circa textum.*

C
1. ✳ BELISCI ÷ qui designant plus haberi in Græco quam in Hæbraico.
2. Asterisci * qui designant plus haberi in Hæbraico quam in Græco.
3. Diapsalmata, quæ Hæbraice Sela dicuntur, circa quosdam versus apposita, quæ latine interpretantur semper.
4. Hæbraica veritas brevissimè ad textum adjecta ex S. Hieronymo per hæc signa †. ʃ.
5. Numerus versuum circa singulos Psalmos, ex ordine.
6. Initia nocturnorum & vesperarum per singulas ferias adnotata.

D
Circa Commentarium.

1. Argumenta singulorum Psalmorum, paucis verbis præmissa.
2. Nomina doctorum per literas A. B. C. G. H. (id est Augustini, Bedæ, Cassiodori, Gregorij, Hieronymi) designata.
3. Orationes ex singulis Psalmis, in quibus argumentum reperitur.
4. Annotationes Marginal. circa dicta insigniora.
5. Supra omnia vero breuis & plana expositio, eaque elegans & latina: ex gravissimis Patribus excerpta.

E
Iuxta hoc Distichon:
Lectio plana, brevis, rerum compendia præbens.
Vtilis est: locuples materie, arte, modo.
Permisimus præterea nonnihil inveterato usui propter seniores, qui hactenus legere consueti sunt (verbi gratia) Sion, Idithum, Nycticorax, Lamech (ut est litera Hæbraica) Quum linguarum peritis constet rectius legi, Zion, Iditum, Nicticorax, Lamed.

Psalmus Primus.

C. B. Iste Psalmus ideo titulum non habet: Quoniam Capiti domino nostro salvatori (de quo absolutè dicturus est) nihil præponi debuit, Sanctam enim ejus incarnationis vitam, impiorumque ultiones insinuat. Vnde & materia hujus Psalmi eadem est quæ & totius libri. s. Christus integer. Id est, Caput Redemptor noster cum membris, id est, omnibus justis & sanctis. F

1 BEatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit: *Die Dominica Nocturnos.*
Et in Cathedra ʃ pestilentiæ non sedit:
ʃ *Derisorum*

C. *Beatus vir*, dictus quasi bene aptus (qui est Christus) est, cui optata omnia vel desiderata succedunt, Virum egregiè subjunxit. Vir enim à viribus dictus est, qui nescit tolerando adversa, deficere, aut in prosperis aliquâ se elatione jactare. Tribus modis hic ostendit evenire humanos errores, cogitatione, facto & dicto. Cogitatione peccatrice abitur, facto malo statur longè à Deo; dicto vero malæ doctrinæ sive gloriationis sive peccati consuetudine, in cathedra inficientis pestilentiæ sedetur. A. Beatus igitur qui non abiit cogitatione à Deo, in regionem longinquam dissimilitudinis, id est, cogitatione non peccavit, quamvis esset positus in consilio impiorum, id est, quamvis impij hoc molirentur ut abiret, veluti Christus quamvis inter peccatores sis conversatus, in viam tamen eorum non abiit. Adam vero abiit, dum uxori à diabolo deceptæ consensit, impij vero hoc molientes sunt diaboli, scribæ & pharisæi, vel omnes mali. In quorum viam Christus sicut non abiit, ita in ea non stetit. Quoniam eum sæculi & peccatorum illecebra non tenuit, nec in cathedra pestilentiæ sedit, id est, pravâ consuetudine vel potius doctrinâ, quia salubrem doctrinam docuit, & exempla malæ doctrinæ Christus posteris non reliquit. C. Est enim cathedra doctorum, tribunal judicum, & regum solium propriè dicitur. H. Vnde sensus versiculi hujus est Beatus qui non cogitavit, non fecit, non docuit mala.

Beatus vir. *Tribus modis peccatur.* G *Cathedra.* H

2 Sed in lege domini voluntas ejus:
Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

C. Lex Dei, est in declinandis peccatis sancta præceptio, in qua voluntas illius fuit, qui peccata non fecit. A. C. Intende vero quod secundo dicit in lege, non sub lege, quia Christus in lege fuit qui peccata non habuit, cæteri mortales sub lege qui delictis onerantur. C. Lex dicitur eo quod animos nostros, liget, suisque teneat obnoxios constitutis. Meditari semper nullus valet legem domini nisi Christus, sed & ille qui membrum ejus est, meditabitur semper legem Dei, qui eam omni puritate inquantum poterit implebit. H. Sive enim manducat, sive bibit, sive dormit, in nomine domini omnia faciens, meditabitur legem Dei die ac nocte. C. Dies dicta est à paganorum diis. Nox eo quod noceat aspectibus, sive actionibus nostris, dicta est.

Lex. Meditari semper. *Dies. Nox.*

A

3 Et erit tanquam lignum † quod plantatum// est : secus decursus aquarum : † *Transplantatum juxta rivulos aquarum.*
Quod fructum suum dabit in tempore suo.

C. Bene ligno fructifero comparatus est Christus, propter crucem quam pro nobis instituit. Plantatum, id est, prædicatum, secus decursus aquarum, sicut terrestris enim aqua, vita est lignorum virentium, sic aqua baptismi salus est in crucifixum credentium. Fructum dabit, id est, Ecclesias constituet, Tempore suo, id est, quando beatæ incarnationis sacramenta suscepit. Fructus : à fruendo dicitur. H. Lignum (cui Christus comparatur secundum membra sua, id est, quosvis verè Christianos) sapientiam puto de qua & Salomon loquitur, lignum est vitæ his qui sequuntur eam, & Apostolus Christum ait Dei virtutem & Dei sapientiam. Erit itàque Christianus verus : tanquam lignum, hoc est Christo filio Dei conformis factus corpori gloriæ ejus, scilicet Christi.

Lignum vitæ sapientia. *Prov. 3. 1. Cor. 1.*

B

4 Et folium ejus non defluet :
Et ¶ omnia quæcunque faciet prosperabuntur : ¶ *Omne quod faciet prosperabitur.*

C. *Folium eius*, sermones ipsius promissionis intellige, qui nullo casu à veritate decidunt, sed omnia quæ agit in actu prosperitatis perficit, quæ omnia accipienda sunt fructus & folia, id est, facta & dicta.

5 Non sic impij :/ non sic :· sed tanquam pulvis :
Quem proiicit ventus :/ à facie terræ :

C. *Non sic impij*, vox est terrentis, sicut est invitantis, *beatus vir*, quoniam non erit sic impius ut superius dixit beatos esse. Pulvis est resolutio terræ, cui homo terrenus comparatur, cum inflatur vento superbiæ, & abiicitur suâ levitate à firmamento præceptorum Dei. Pulvis huc illucque dispergitur, sic & impius (qui semel Deum negaverit) quocunque eum aura diaboli traxerit, illuc errore perducitur.

Pulvis.

C

6 Ideo non resurgent impij in judicio:
Neque peccatores † in consilio justorum:
† *In congregatione.*

C. Impij sunt, qui sanctam trinitatem nullatenus confitentur : C. H. Resurgunt impij : sed non in judicio, quia jam judicati sunt. C. Iustus surgit ut judicet, peccator ut judicetur, impius ut sine judicio puniatur. Peccatores sunt Christiani, sed peccatis obnoxij, qui ideo non resurgunt in consilio justorum, id est, in judicio justorum, quia jam illis, scilicet justis per gratiam confessionis peccata dimissa sunt. In quo numero & sancti sunt, quia nullus nisi Deus sine peccato est. B. Super Iob, Hic ordines notantur quatuor de die judicij, id est sancti qui jam judicati sunt ad regnum, & cum Christo veniunt ad judicandum, & impij qui jam judicati sunt ad supplicium. Peccatoribus dicitur qui pœnitentiam egerunt : Venite benedicti, & qui non egerunt : Discedite à me. *In consilio.* A. Id est in æterno, bono, quod sequi consilium fuit sanctis. C. Vel, *in consilio*, id est, in judicio, ut cum eis judicent, Iudicium enim in consilio est : dum quasi ex consilio assessorum, diversa peccata diversis pœnis punientur.

Impij. *Ioan 3.* Peccatores. Quatuor ordines hominũ in judicio noviss.

D

7 Quoniam novit Dominus viam justorum:
Et iter impiorum peribit.

C. Bonorum viam, id est opera dicit nosse Deum, iter impiorum perire, quasi dominus utcunque nesciat. Et est sensus, hoc scit dominus quod in beatitudine permanebit : hoc nescit, quod peribit, id est, Diabolus cum sequacibus suis, qui est iter impiorum in pœna perpetua. A. peribit igitur : pro non novit dixit, sed & planius dicitur, quia hoc est nesciri quod perire, & sciri, manere & esse.

E

Oratio ex Psalmo I.

Effice nos Domine tanquam fructuosissimum lignum ante conspectum tuum, ut tuis imbribus irrigati, mereamur tibi suavium fructuum ubertate placere. Per Dominum nostrum, &c.

Argumentum Psalmi II.

C. Propheta de conventu infidelium contra Christum in passione loquitur. Et dominus Christus de omnipotenti regno & de inenarrabili generatione sua.

T T. // Psalmus David :·

C. Est iste psalmus habendus, primus in titulo, secundus in ordine, unde in actibus Apostolorum dicitur primus. H. Vel quia apud Hebræos, iste cum primo unus psalmus habentur sine titulo. Per titulum autem intelligitur uniuscujusque psalmi intellectus, quid est enim titulus nisi clavis, ut ita dixerim. In domum non ingreditur nisi per clavem ita & unius cujusque psalmi intellectus, per clavem hoc est, per titulum intelligitur, in cujus scilicet persona cantetur, aut in persona Christi, aut in persona Ecclesiæ, aut in persona prophetæ, & de qua re sit.

Actor. 13. Titulorũ utilitas.

F

1 Quare † fremuerunt gentes:
Et populi meditati sunt inania. † *Turbabuntur gentes : & tribus meditabuntur inania.*

C. Corripit hic propheta populos, non solum Iudeos, sed & gentiles, cur fremuissent contra Christum, quod propriè ferarum est, fremuerunt enim belluino furore, quia rectâ ratione carebant. Meditati sunt inania non intelligentes ejus adventum esse fructuosum omnibus credentibus.

2 ¶ Astiterunt reges terræ & principes convenerunt in unum : ¶ *Consurgent reges terræ, & principes tractabunt pariter.*
Adversus Dominum & adversus Christum ejus.

G

C. Reges autem terræ : Herodem dicit qui infantes occidit, alterumque Herodem nepotem ejus qui Pilato in nece Christi consensit. Principes pharisæos dicit: princeps dictus quasi prima capiens, Venerunt in unam voluntatem. non in unum conventum, adversus Dominum, id est, Patrem, & Christum ejus, id est, filium.

3 Dirumpamus vincula eorum.
Et proiiciamus à nobis † jugum ipsorum:
† *Laqueos eorum.*

C. Verba ista sunt dementium judæorum Putabant enim se vincula dirumpere, id est, Evangelica præcepta, si in auctorem legis & in Apostolos ejus malevolâ voluntate consurgerent & jugum ipsorum proiicerent, cũ jugum Domini sit suave & onus ejus leve. Vanaque voluntate decepti, putabant ejus dominationem gravissimam, quam à se abiicere festinabant, unde salvari poterant.

H

Matt. 11.

4 Qui habitat in cœlis irridebit // eos ∴
Et Dominus subsannabit eos.

C. Cœlos hic sanctos dicit, in quibus Christus habitat. Irridebit & subsannabit, ex humano more suscipiendâ sunt : cæterum, nec splene irridet ullum Deus, nec vultu subsannat, sed virtute sua spiritualiter peragit quæcunque disponit.

Cœli sancti sunt.

A

5 Tunc loquetur ad eos in ira sua :
Et in furore suo conturbabit eos.

C. *Tunc loquetur.* Illud tempus significat venturi judicij. Ira ergo Dei & furor : vocatur retributio peccatorum, nam illos motus divinitas non patitur, sed humanâ consuetudine hic loquitur. H. Non autem ait puniet, sed turbabit, ut absque pœnis qui turbatus est corrigatur, nam ira aliquando necessaria correptio est, ut patris in filium, medici in ægrotum.

6 Ego autem ❡ constitutus sum rex !! ab eo :· super Sion montem sanctum eius :
Prædicans præceptum eius.
❡ *Ordinavit regem meum super Sion montem sanctum meum : annuntiabo Dei præceptum.*

B — Sion Ecclesiam designat.

H. *Ego autem* (vox Christi) *constitutus sum rex* à Deo patre pro parte carnis. C. Sion hebraica lingua, latinè specula dicitur, & hic Ecclesiam significat, quam & montem appellat, propter altitudinem honoris & fidei firmitatem. *Prædicans præceptum.* H. C. Hoc est Evangelium.

7 Dominus dixit ad me filius meus es tu :
Ego hodie genuite.

Mat. 3. & 17. Esai. 37.

C. *Dominus*, significat patrem. *Filius meus es tu*, ut in Evangelio. *Hic est filius meus dilectus*, dicendo autem *hodie*, coæternitatem suæ majestatis ostendit. Genui te, illam nativitatem significat, de qua dicitur, generationem ejus quis enarrabit.

8 Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam :
Et possessionem tuam terminos terræ.

C — Gentes. Hæreditas.

C. *Postula à me*, id est obedi vt possis postulare, Postulare enim hic iubetur, vt petat secundum humanitatem, & accepta possideat. *Gentes* nationes significat. Gens enim à genere vocitatur. Cum dicit *hæreditatem tuam* naturam suæ deitatis ostendit. Hæreditas ab hero dicta est, id est, à Domino quod in ea potestate libera dominetur. Cum dicit *possessionem*, vniversas gentes credituras significat. *Terminos terræ*, substantiam in hoc omnium creaturarum vult intelligi.

9 † Reges eos in virga ferrea, † *Pasces.*
Et tanquam vas figuli confringes eos.

Regere. Virga ferreà.

C. *Reges eos*, id est, potestatem tyrannicam auferes ab eis. Illi enim reguntur qui salvantur. *Virga ferrea :* fortitudo est æquitatis. *Confringes*, id est, per conversionis studium conteres in eis terrenas cupiditates. Bene enim peccatores vasi luteo comparatur, ut confractio eius facilis & vita lutea monstretur : sed in melius reparatur, cum divina gratia in spiritualem hominem perducitur.

10 ❡ Et nunc reges intelligite : ❡ *Nunc ergo reges.*
Erudimini † qui iudicatis terram : † *Iudices terræ.*

D

C. *Nunc reges :* Reges Dominatores vitiorum dicit, qui hæc intelligere & implere Domino præstante valent. H. *Erudiri :* doceri est, ipsi enim bene iudicant terram, id est, Ecclesiam, qui bona quæ intelligunt alios docent. C. Terra autem dicta est à terendo.

11 Seruite Domino in timore :
Et exultate !! ei :· cum tremore.

A. *Servite Domino.* Et ne soperbiant, subdit, *in timore.* C. Sicut enim timor Dei delicta excludit, ita securitas culpas admittit, sed ne misera servitus propter timorem videatur : addit, *exultate*, sed ne iterum in temeritatem eatur, subdit, *cum tremore*, itaque ne exultatio faceret nos elatos, addit, *cum tremore*, vt reverenter Deo serviatur.

E

12 † Apprehendite disciplinam : † *Adorate pure nè fortè irascatur.*
Nequando irascatur !! Dominus :· & pereatis de via !! iusta :·

C. Ille apprehendit disciplinam qui se munit pœnitentiâ verâ contra noxia vitia. Nequando in longa Dei patientia pereat *de via iusta*, id est, de Christo, qui est vera via rectè ambulantium ad vitam, dux euntium, iter ad beatitudinem festinantium.

13 Cum exarserit ❡ in brevi ira ejus : ❡ *Post paululum.*
Beati omnes qui confidunt in eo.

C. *Cum exarserit in brevi ira eius*, id est, in illo judicio brevi, ubi non est singulorum discussio, sed simul omnia judicat judex. H. *Beati omnes*, qui non in homines neque in semetipsos, sed in Deum *confidunt.* Iste Psal. finit, unde superior incipit, id est, à beatitudine, & ideo apud Hebræos pro uno habentur.

F

Oratio ex Psalmo II.

DIrumpe Domine nostrorum vincula peccatorum, ut jugo tuæ servitutis innexi, valeamus tibi cum timore & reverentiâ famulari. Per dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psalmi III.

C. Christus ad patrem de persecutoribus suis loquitur, Instruitur fidelis populus ne mortem formidet, quia autor ejus resurgendo spem veræ resurrectionis exhibuit.

TT. Psalmi, Psalmus David cum fugeret à facie Absalon filij sui.

G

Mysterium tertij Psalmi.

C. Totus hic Psalmus ad personam Christi refertur: oportet autem eum tertium locum tenere, quia sanctæ trinitatis & triduanæ resurrectionis in se mysteria continet. Nam per liberationem David resurrectio Christi significatur.

1 DOmine, quid multiplicati sunt qui tribulant me :
Multi insurgunt adversum me.

C. Ista verba dicit propheta admirando, cur Iudæi Dominum tribulassent & gentes, à quo salvari debeant. Tam multi enim fuerunt surgentes contra Christum, ut de numero discipulorum Iudas illis fuerit unus aggregatus.

H

2 Multi dicunt animæ meæ :
Non est salus ❡ ipsi in Deo :· ejus ❡ *Huic.*
* Diapsalma.

C. Repetit, *multi dicunt*, ut ostendat densissimam stultissimamque impiorum vesaniam, ideo dicunt, non est illi salus, putabant enim non habere patrem dilectionem filij quem carnaliter permisit occidi.

3 Tu autem Domine † susceptor meus !! es :· : † *Clypeus circa me.*
Gloria mea & exaltans caput meum.

C. Hic, filius susceptorem patrem vocat secundum formam servi, nec non gloriam & exaltationem capitis sui : ut divina humanáque substantia, una esset sine aliqua confusione persona.

A

4 Voce mea ad Dominum clamavi :
Et exaudivit me de monte ſancto ſuo.
Diapſalma.

Ioan. 12. C. Cum dicit , *voce mea ad Dominum clamavi,:* hoc eſt , pater clarifica filium tuum , *Exaudivit me* , ut ibi , clarificavi & iterum clarificabo. *De monte* , id eſt, de divinitatis altiſſima ſummitate.

5 Ego dormivi & ſoporatus ſum & ❡ exurrexi: ❡ *Vigilavi.*
Quia Dominus † ſuſcepit me.† *Suſtentavit.*

C. *Ego dormivi* dixit , id eſt , poſt paſſionem in ſepulchro quievi , quia celeriter reſurrexit. *Soporatus ſum* , ſignat ſecuram dormitionem , Eſt enim ſopor (Sopor.) dulcis quies & ſomni ſuavitas , *Exurrexi* , cum alacritate , depoſitâ mortalitate. Suſcepit filium divina potentia , quia per ſe non potuit reſurgere humana natura.

B

6 Non timebo millia populi circumdantis me.
:: Ex :· ſurge Domine ſalvum me fac Deus meus.

C. Timere non potuit iniquum populum cui erat in ſua divinitate maximum præſidium , Non dicit filius excitando patrem , exurge Domine ſed tropologicè & figuraliter poſtulat in reſurrectione paternum (Tropus.) auxilium. Eſt enim tropus dictio , ab eo loco in quo propria eſt , tranſlata in eum locum in quo propria non eſt. Eſt itaque ſcripturis divinis mos iſte , ad exprimendam cauſam , per tropologiam ex noſtra conſuetudine aliqua de Deo dicere.

7 Quoniam :: tu :· percuſſiſti † omnes adverſantes mihi ſine cauſa :
Dentes peccatorum contriviſti.

C

† *Omnium inimicorum meorum maxillam: dentes impiorum confregiſti.*

C. Percuſſit Dominus pater adverſantes filio , id eſt, hæreticos , qui inſequuntur catholicas regulas ſine cauſa , id eſt , ſine ratione , Dentes contrivit , id eſt verba mordacia detrahentium divinis dogmatibus. Dens dictus à demendo eſt , quoniam omnia demunt dentes.

8 Domini eſt ſalus :
:: Et :· ſuper populum tuum benedictio tua ,
* Diapſalma :·

H. *Domini eſt ſalus* , id eſt , non ab homine , ſed à Deo patre : & ſuper populum Chriſtianum benedictio Domini deſcendit.

Oratio ex Pſalmo III.

D

Effunde Domine benedictionem tuam ſuper populum tuum , ut tua reſurrectione muniti : non timeamus ab adverſantium vitiorum millibus circumdari. Per Ieſum Chriſtum, &c.

Argumentum Pſalmi IV.

C. *Eccleſia orat ut eius audiatur oratio , increpant infideles quia vanitatem ſequantur , monétque generalitatem , ut ſacrificium iuſtitiæ Deo immolet, unde ingentia eius beneficia conſequatur.*

TT. ❡ In finem Pſalmus David canticum. (Finis Chriſtus eſt. Rom. 10. Pſalmus Canticũ.)
❡ *Victori in Canticis Pſalmus David.*

C. Pſalmorum finis non modo ſignificat alicuius rei conſumptionem , ſed perfectionem , & ideò hic ad Chriſtum eſt referendum : qui eſt finis legis. Pſalmus eſt muſicum organum capite ſonorum , vel potius eſt melodia quâ divina præconia canebantur. Canticum quod ſupernas laudes humanis vocibus perſonabat. E

1 ❡ CVm invocarem exaudivit me Deus iuſtitiæ meæ : ❡ *Invocantem me exaudiſti me.*
In tribulatione dilataſti mihi.

C. Vox Eccleſiæ ad Chriſtum , licet ſciat ſe eſſe auditam , tamen orare non ceſſat. Tribulatio eſt , quæ dilatat in martyrio ſanctam Dei Eccleſiam, quando eodem tempore confeſſores fiunt & martyres coronantur : totáque turba iuſtorum, contritionibus ſemper augetur.

2 Miſerere mei ; Et exaudi orationem meam. F

C. Miſerendum ſibi eſſe dicit pia mater : ſi eius oratio pro filiis audiretur , quoniam quicquid membris tribuitur , toti hoc corpori ſine dubitatione præſtatur.

3 ❡ Filij hominum uſque quo gravi corde:
Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium.
❡ *Filij viri uſque quo inclyti mei , ignominioſè diligitis vanitatem.* Diapſalma.

C. Graves corde : dicit filios , qui agnitâ veritate, hoc eſt Chriſto : adorare magis elegerunt idola vanitatis. Vanitas quidem nomen eſt generale vitiorum, ſed illud propriè vanum dicitur , quod à Deo probatur alienum. *Mendacium* , hoc eſt idolum , tale enim nomen merito ſuſceperunt idola , quia contra veritatem erecta ſunt. Diligere enim debemus proficua , non noxia. (Vanitas. Mendaciũ Idolũ dicitur.)

4 Et ſcitote quoniam mirificavit Dominus ſanctum ſuum : G
Dominus exaudiet :: me :· cum clamavero ad eum.

C. Hic indicat propheta arcanum ſanctæ incarnationis. *Sanctum* dicit , id eſt , filium. Meritò ſe exaudirum dicit , quoniam Chriſtum populis prædicavit, Clamat ad Chriſtum , qui illum bonis operibus ſupplicat.

5 Iraſcimini & nolite peccare :
† Quæ dicitis in cordibus veſtris & in cubilibus veſtris compungimini. † *Loquimini in cordibus veſtris ſuper cubilia veſtra & tacete.*
Diapſalma.

H

C. Iraſci debemus præteritis peccatis , ſcilicet pœnitendo , ut horreat nos , quod peccavimus. Cum dicit in cordibus & in cubilibus , oſtendit agnoſcere Deum cogitationes hominum. Cubile enim à cubando dicitur, quod eſt domicilium ferarum: & eſt ſenſus, deſerite pravas cogitationes , antequam ſcelera perpetretis, id eſt , antequam in opera malas cogitationes ducatis, dum adhuc in corde ſunt : extinguite. H. Vel nocte expiate per lachrymas , quod in die cogitando peccaſtis. (Iraſci peccatis. Cubile.)

6 Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ & ſperate in Domino :
Multi dicunt quis oſtendit nobis † bona.
† *bonum.*

C. Superius admonuit mater clementiſſima Eccleſia ab antiquis idolorum ſacrificiis & culturis receden-

A dum, nunc hortatur Christianos, semetipsos, non pecudes rectè vivendo Deo sacrificare. Sperareque docemur in Deo, quod salutaria eius promissa consequamur. *Quis ostendit nobis bona?* dicunt multi dubitando, quod nec pauci debuerunt, id est resurrectionem esse venturam & bonorum præmia. Cui interrogationi statim sancta mater respondet dicens. *Signatum, &c.*

7 † Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine: † *Leva super nos lucem.*
Dedisti lætitiam in corde meo.

Signaculum sanctæ crucis.

C. *Signatum est super nos lumen vultus tui*, quia sicut nummus imperatoris habet imaginem; ita fidelibus signa cœlestis regis imprimuntur in baptismo & aliis sacramentis, hoc est, signaculum sanctæ crucis, quo diabolus effugatur. Lumen est vultûs Dei, impressio crucis, quia eos illuminat semper qui se non polluunt ulla pravitate. Lætitiam dicit rectæ fidei, tunc enim lætamur veraciter, quando rectè credimus. H. Vel lumen illud gratia Dei est: infusa menti reparandæ, quâ ratio insignitur ut denarius regis imagine, & hoc lumen est totum & verum hominis bonum.

B *Lumen, gratia Dei est.*

8 ¶ A fructu frumenti vini :: & olei ∴ sui: Multiplicati sunt.
¶ *In tempore frumentum eorum & vinum eorum multiplicata sunt.*

C. Admonet eos, qui carnalibus rebus intenti esse probantur, multiplicati sunt enim pessimis actibus, id est mundanâ voluptate completi. Ideò addidit *sui*, quia peccatores istis utuntur terrenis fructibus non secundum præcepta Dei, sed secundum desideria sua. Vel *sui*, id est, Christi, panis cuius vivus est & vinum inebrians, & oleum caput, id est, mentem impinguans. Frumentum vero dictum est à frumine, id est, à summa parte gulæ: antiqui enim caput gulæ frumen vocabant.

G

9 In pace ¶ in idipsum: ¶ *Simul.*
Dormiam & requiescam.

C. Ne putares pacem istam temporalem significari, sed incommutabilem cœlestémque in corde permanentem, ideò dicit *in idipsum*, ut intelligas, nullâ varietate in seipsa veram pacem mutatam. *Dormiam* id est in ipsa pace vitam finiam. *Requiescam*: in futurâ beatitudine, quando iam requies dabitur sanctis & pausatio gloriosa.

10 Quoniam tu Domine:
† Singulariter in spe constituisti me.† *Specialiter securum habitare fecisti me.*

D *Singularis spes fidelis.*

C. Singularis spes est Ecclesiæ in membris suis: quia sola recipit regnum Dei, quod impij non possunt adipisci. Cum dicit, *constituisti me*, significat dignam deliberatámque sententiam, quam hic habemus in spe, ibi possidebimus in re.

Oratio ex Psalmo IV.

Exaudi nos Domine, in tribulationibus nostris miserere nobis, & qui solus magnificaris in populis, spiritalem lætitiam tribue, in spe munerum futurorum constitutis. Per Dominum nostrum, &c.

Argumentum Psalmi V.

G. Ecclesia suam poscens orationem audiri: prædicat hæreticos & schismaticos à Domini munere excludendos, fælicia insuper commemorans præmia beatorum. E

TT. † Psalmus David pro ea quæ hæreditatem consequitur. † *Victori pro hæreditatibus Psalmus David.*

C. *Pro ea quæ hæreditatem consequitur*, Ecclesiam significat, cuius persona in hoc Psalmo introducitur, quia resurgente Christo, ad eam spiritualia bona pervenerunt, id est, fides, spes, charitas.

1 Verba mea auribus percipe Domine: intellige ¶ clamorem meum. ¶ *Murmur.*

C. Psalmus iste ut superior ad Christi Ecclesiam pertinet. Dicendo autem verba mea, oris significat psalmodiam. *Intellige clamorem meum*, ut affectum cordis aperiret, petit. Trina ista repetitio unum significat, cum dicit percipe, intellige, intende, per figuram metabolem, quæ est unius rei sub varietate verborum iteratio, auris ab auditu dicitur. F

2 Intende voci ¶ orationis meæ: ¶ *Clamoris mei.*
Rex meus & Deus meus.

C. *Intende voci*, modo dicit, ut declaret orationem hanc esse perfectam quæ inflammat affectus mentis. *Rex meus & Deus meus & quoniam ad te orabo Domine*, ista sententia distinguitur in personis, unitas tamen credatur in natura, quamvis enim tres nominet, non tamen intendite, sed intende, tanquam ad unum dixit.

Trinitas personarum hic insinuatur.

3 Quoniam ad te orabo Domine:
Manè :: ex ∴ audies vocem meam.

C. *Ad te orabo*, id est, non ad alium, ut pagani & increduli, tunc se merito credit Ecclesia manè exaudiri, cum in lucem cœlestis conversationis erupit, & in exordio bonorum actuum veritatem cœperit mens illuminata cognoscere. Manè enim deprecatur, qui in lucida conversatione degere dignoscitur, manè enim dicimus, cum discussis tenebris, clari luminis adventus infulsit. G

Manè deprecari.

4 Mane † astabo tibi & videbo: † *Preparabor ad te.*
Quoniam non Deus volens iniquitatem tu :: es ∴.

H. Repetit *manè*, id est, incipiente luce virtutum in anima mea, quando non alij, sed tibi stare cœpero. Non sedere, non iacere, sed stare, & statueris supra petram pedes meos, tunc per istos gradus merebor te videre. Vel *astabo tibi* rectè vivendo, *& videbo*, subauditur te oculis cordis. C. Est ordo, tu es Deus, qui iniquitatem nolle cognosceris, quid enim aliud potest Deus velle, nisi quod ipse probator præcipere? sicut ait Esaias, ego Dominus qui loquor iustitiam & annuntio recta. H

Esai. 45.

5 Neque habitabit iuxta te malignus:
Neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.

C. Nequeunt habitare iuxta Christum in beato regno, qui gehennæ cruciatione damnandi sunt. H. Rectè illi coram ipso non permanere dicuntur qui ab eius regno privandi sunt. Si enim Deus ignis est, & ignis consumens, quicunque stipula est, quicunque lignum est, fugit ab igne ne consumatur. Si vero aurum, ignem non fugit quo purificatur.

Deus ignis est. Deut. 4.

A

6 Odiſti omnes qui operantur iniquitatem ? Perdes ! ! omnes :· qui loquuntur mendacium.

H. Non dixit, qui operati ſunt iniquitatem, ſed qui operantur iniquitatem. Nam habentur odio à Domino, qui perſeverant in peccatis vſque in finem vitæ, amantur qui quod operati ſunt male, emendant. Perdes eos, hæreticos ſignificat, qui tot homines cum mendacio occidunt, quot in hæreſim introducunt.

7 Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus:
Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ.

B

Hæretici viri ſanguinum ſunt doloſi.

C. Vir ſanguinum eſt, qui humano cruore polluitur, ille ſimiliter, qui decipit in gratia virum, vt hæretici. Doloſus eſt, qui ſciens malum, alienum operari nititur exitium, vt eum fraude decipiat. Et eſt dolus propriè in facto, fraus in verbo. Illi abominantur, qui Chriſti præmia conſequi non merentur. A. Solent enim abominari dici exhæredati. Qui autem conſequitur hæreditatem cœleſtem, exultat in ſpe, dicens: *Ego autem*, &c.

8 Introibo in domum tuam:
Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.

Templũ ſanctũ.

H. C. Introibunt iuſti in domum Chriſti, id eſt, ſanctam Eccleſiam, ſive cœleſtem Hieruſalem. C. Templum ſanctum, corpus eſt Domini, quod iure adorat Eccleſia in timore. Quia tunc fides firma eſt, quando amore caſto & timore, divinitas adoratur. A. Vel templum cœleſte: ad quod adoro, dum ei operibus bonis & orationibus appropinquo, non in eo verò, ſed propè & ad ipſum adoro, dum gloriam Dei non video.

C

9 Domine dedue me in iuſtitia tua propter † inimicos meos: † *Inſidiatores meos.*
Dirige ¶ in conſpectu tuo viam meam. ¶ *Dirige ante faciem meam viam tuam.*

C. Poſtulat à Domino deduci ad æterna gaudia mater Eccleſia, quæ hic fatigatur diverſis anguſtiis. Iuſtum eſt, vt in ſua iuſtitia velit Chriſtus ſuſcipere ſupplicantes, propter inimicos, hoc eſt, hæreticos & paganos. Vnus pravo dogmate maledicendo, alter non credendo, inimici dicti. H. Viam, ſcripturam ſanctam dicit, ne male intelligendo, in ea corruat. A. Vel viam qua itur ad te, præcepta accipe. Iſtam tuam viam dirige, id eſt, oſtende in conſpectu meo, vt præ oculis habeam præcepta, & per ea me regas. H. Dirige in conſpectu tuo viam meam, nec lxx. habent, nec Aquila, nec Simachus, nec Theodocion, ſed ſola communis editio, denique in Hebræo habetur, dirige in conſpectu meo viam tuam, ſicut in oratione enim dominica nomen Domini ſanctificari petitur, non quo nobis orantibus ſanctificetur, quod per ſe ſanctum eſt, ſed quo petamus, vt quod per naturam ſui ſanctum eſt, ſanctificetur in nobis. Ergo & nunc Propheta poſtulat, vt via Domini, quæ per ſe recta eſt, etiam ſibi recta fiat.

Inimici, hæretici ſunt & pagani.

D

10 Quoniam non eſt in ore eorum † veritas: Cor eorum vanum eſt. † *Rectum: Interiora eorum inſidia.*

H. C. Rectè enim dicitur, non eſſe in ore hæreticorum veritatem quæ Chriſtus eſt, quorum cor vanitas poſſidet, quia nec in corde eſt, & non ſolum veritas non eſt in ore eorum, verum etiam *ſepulchrum*, &c.

Non eſt in ore hæreticorũ veritas.

E

11 Sepulchrum patens ! ! eſt :· guttur eorum † linguis ſuis doloſè agebant: † *linguam ſuam leniſicant.*
Iudica illos Deus.

C. *Sepulchrum* mortui, eſt guttur mentientis, quia ſicut de ſepulchro fætor malus, ita de ore hæretici prava doctrina præfertur. *Patens*, ſi clauſum eſſet, minus fœteret: ſi tacuiſſet, minus nocuiſſet. Agebant doloſè linguis, quia malitiam non ſolum in lingua, ſed etiam in actu oſtendebant, non autem optavit Eccleſia voto maledictionis, ſed futura prædixit. H. *Iudica illos Deus*, vt ſentiant te iudicem, qui te patrem ſentire nolunt: qui iudicaturus es in fine, iudica etiam nunc, vt ſciant res humanas deſpicere.

F

12 Decidant à cogitationibus ſuis, ſecundum multitudinem impietatum eorum expelle eos:
Quoniam irritaverunt te ! ! Domine.

C. Decidere propriè dicitur, qui ſpei ſuæ amiſſione fraudatur, decidant igitur, inimici, ne impietates impietatibus augeant. H. Expelle eos, ab impietatibus ſuis, vel ab Eccleſia. C. Quia tantum peccator ab illa longius redditur, quantum numeroſo crimine dilatatur. Irritaverunt ægroti mali medicum bonum, id eſt Chriſtum, quia remedia ſuæ ſalutis reſpuerunt.

13 Et lætentur omnes qui ſperant in te:
In æternum † exultabunt & habitabis in eis. † *Laudabunt protege eos.*

C. Lætentur & exultabunt in æternum, ſperantes in Domino, quoniam videntur & impij in hoc ſæculo gaudere, ſoli autem iuſti in futuro ſæculo gaudebunt. H. Felices ſunt, qui merentur tabernacula eſſe Chriſti C. Lætentur igitur nunc, qui in iſto ſæculo ſperant in Domino, quoniam poſt mortem in æternum exultabunt.

G

14 Et † gloriabuntur in te ! ! omnes :· qui diligunt nomen tuum: † *Lætabuntur.*
Quoniam tu benedices iuſto.

C. *Gloriabuntur omnes*, ſignificat in illa patria eſſe felices, qui Domini viſione fruuntur. *Benedices iuſto*, ne quis putet promiſſa præmia gaudiorum, ſibi ſuis meritis eſſe attributa, ſed à benedictione Domini fieri accipienda. H. Gloriabuntur igitur tunc qui hic diligunt, quoniam ad fruendum habebunt, quod diligunt, quæ eſt hæreditas æterna, de qua Pſalmus intitulatur.

H

15 Domine:
Vt ¶ ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. ¶ *Scuto placabilitatis coronabis eum.*

C. Proteget nos Dominus ſcuto bonæ voluntatis, cum nos ditabit ineffabilibus muneribus, & ad regna perpetua coronandos perducet. A. Bona itaque Dei voluntas & miſericordia in præſenti nobis eſt, vt ſcutum protegens: in futuro, vt corona. C. Dicit vero bonæ non iuſtæ voluntatis, oſtendens ſolà Dei bonitate, non noſtrà iuſtitià, nos ſalvari.

Oratio ex Pſalm. V.

Pie Domine, qui attriti cordis gemitum, priuſquam proferatur intelligis: effice nos quæſumus templum paraclyti, vt mereamur ſcuto cœleſtis benevolentiæ coronari. Per Dominum noſtrum, &c.

A

Argumentum ex Psalm. V I.

B. Fideles orant, benevolum sibi iudicem fieri, ærumnas proprias quibus afflicti ingemiscunt narrantes, seque à peccatorum consortio segregantes, nullam cum ipsis habere cupiunt portionem.

TT. † In finem in hymnis pro octava Psalmus David. † *Victori in Canticis super octava Psalmus David.*

Hymnus. C. In finem iam notum est. Hymnus est laus diuinitatis, metri alicuius lege composita. Siquidem hymnus propriè canticum laudis est, non cuiuslibet, sed Dei: quorum quodlibet deest, non dicitur hymnus. Sive enim non canatur, sive canatur & non in laudem, sive etiam in laudem, sed non Dei canatur, hymnus dici non meretur. Pro octava vero significat adventum Domini, quando finita hebdomada sæculi ad indicandum venerit mundum, vnde & Psalmus iste cum tremore maximo fecit Initium, dicens: *Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tua corripias me.*

B Pro octava.

1 DOmine ne in furore tua arguas me: Neque in ira tua corripias me.

Septem Psalmi pœnitentiales. C. Iste Psalmus primus est Psalmorum pœnitentiæ. Sequitur. xxxj. xxxvij. l. cj. cxxix. cxlij. Ideò septem, quia vij. modis peccata dimittuntur, id est baptismo, martyrio, eleemosynis, remittendo fratri peccata, convertendo peccatorem, abundantiâ charitatis, pœnitentiâ purâ, addenda quoque est & communio corporis Christi. Inveniuntur verò diligenter inquirenti fortassè & alij remissionis modi: Psalmos verò pœnitentiales non credas incassum ad septenarium numerum à maioribus perductos. C. Non enim supplicat Dominum Propheta, vt non arguatur, cum legatur, quos amo, arguo: sed ne in severitate iudicij damnetur. Ira est longa indignatio: furor velox accensio mentis, sed irâ vehementior, quibus Dominus nunquam movetur, sed iustâ tranquillitate consistit etiam puniendo. Translativis igitur verbis hæc de Deo dicta sunt.

Apoc. 3. Ira. Furor.

C

2 Miserere mei Domine quoniam infirmus sum †: † *Sum ego.*
Sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea.

Ossa, mentis fortitudo. C. Infirmitatis confessio Dei misericordiam movet, à quo facilè impetrantur remedia, cum vulnera peccati manifestantur. Ossa hic fortitudinem mentis significant, quæ cum deficit vigor mentis omnis elabitur: sicut & ossibus corporis quassis omne corpus infirmatur.

3 Et anima mea turbata est valde:
Et tu Domine vsquequo.

D

H. Dixit animam suam turbatam esse, scilicet per pœnitentiam ad emendandum. C. *Valde*: ideò dixit, ne clemens Christus pateretur diutiùs tardare adjutorium. *Vsquequo*, subauditur differs misereri, qui vsque ad finem preces supplicum non soles oblivisci. H. Vel vsquequo animam meam vehementer conturbatam non eripis, non corrigis, non emendas.

4 † Convertere Domine, & eripe animam meam: † *Revertere.*
Salvum me fac propter misericordiam tuam.

C. Cum dicit, Convertere: vindictæ relaxatio postulatur, vt non exigat à nobis debitas vltiones. *Eripe*, ab imminenti supplicio. Salvum se petit fieri, non secundum sua merita, sed propter misericordiam divinam, in qua dum fixa spes ponitur, venia facilius impetratur.

E

5 Quoniam non est in morte † qui memor sit tui: † *Recordatio tui.*
In inferno :: autem :· quis confitebitur tibi?

C. Bene perfidos dicimus esse immemores Dei, qui nullam fiduciam confessionis habent. A. Est igitur mors, peccatum mortale: Infernus, cæcitas desperationis. C. Vel post mortem temporalem non est confessio ad veniam, quantominùs in inferno? ideo addidit. *Quis confitebitur tibi?* subauditur, ad veniam in inferno: vbi nulla remissio invenitur.

Mors. Infernus.

6 Laboravi in gemitu meo:
† Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. † *Natare faciam tota nocte lectum meum.*

F

Gemitus. C. Gemitus est enim dictus geminatus luctus, cum malorum nostrorum reminiscimur, & futuræ pœnæ timore terremur. *Lectum*, delectationem corporis dicit, quam potest homo lachrymis lavare: si eum contingat cœlesti inspiratione deflere. *Stratum*, significat cumulum peccatorum, quod ideo homo lachrymis rigat, vt eodem saluberrimo imbre peccata deleantur. Lectus autem ab electis ac mollibus herbis dictus est, supra quas antiquitus quiescentium corpora remittebantur in somnium. Rigare, vberius aliqoid significat quam lavare, qui quotidie lachrymis stratum rigat, non potest in cogitatione eius, libidinum pompa surrepere.

Lectus. Rigare.

7 † Turbatus est à furore oculus meus:
† *Caligavit præ amaritudine oculus meus.*
¶ Inveteravi inter omnes inimicos meos.
¶ *Consumptus sum ab universis hostibus meis.*

G

Oculus. C. *Oculus* dictus quasi ocyor lux, quod citò intenta respiciat, siue quod palpebris occulentibus probatur occulius. Vnde hic. Oculum cordis dicit turbatum, id est. H. totum principale cordis mei contremuit. Inveteravi, id est. C. in veteris hominis Adæ antiquitate permansi. *Inter inimicos*, id est, inter spiritus diabolicos, sive inter nostra peccata, quæ ideo inimica, quia nostras animas ad tartara deducunt, & ad hoc feraliter blandiuntur.

8 Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem:
Quoniam :: ex :· audivit Dominus vocem fletus mei.

H

C. Petit propheta à se recedere societatem malorum, vt securius possit suo Domino servire, vt quæ malorum collegio peccaverat, fugatis à se talibus, mandatis Domini devotissimus appareret. Eo quoque modo se probat ad plenam correctionem venisse, quia se voluit à malorum societate dividere: vnde sequitur. *Exaudivit Dominus.*

9 :: Ex :· audivit Dominus deprecationem meam:
Dominus orationem meam suscepit.

C. Deprecatio est, cum pietate frequens oratio, & deprecatio sola est, quæ nimia decet, & importuna conciliat. Nec vacat, quod in vna postulatione, ter Dominum dicit præstitisse quod petiit: scilicet vt monstraret sanctam Trinitatem affuisse suæ petitioni.

10 Erubescant

A 10 Erubeſcant & conturbentur * vehementer :· omnes inimici mei.

¶ Convertantur & erubeſcant valde velociter. ¶ *Revertantur & confundantur subitò.*

C. Cum dicit *erubeſcant* : vult peccatores tanta compunctione illuminari, ut pro his quæ priùs faciebant, erubeſcant & ſe emendent. *Conturbentur* ſcilicet timore futuri iudicij. Dum dicit, *mei* : relaxavit odium, cui multitudo erat donata culparum. *Avertantur*, id eſt, ut non permittantur ire quo tendunt, hoc eſt peccare. H. *Erubeſcant* : non leviter, ſed vehementer, non craſtino tempore, ſed citò. C. Et vide quod iſte pœnitens ſtatim exauditus & à peccatis liberatus, Evangelicæ regulæ obſecundans, pro inimicis ſuis, ut convertantur exorat : ut ſicut ipſe accepit veniam, ita carnales inimicos eius ad Domini gratiam redire contingat. B

Oratio ex Pſalmo VI.

EXauditor omnium Deus, exaudi noſtrorum fletuum ſupplicem vocem : & tribue infirmitatibus noſtris perpetuam ſoſpitatem, ut dum dignanter gemitum noſtri laboris ſuſpicis : tua nos ſemper miſericordia conſoleris. Per Dominum noſtrum, &c.

Argumentum Pſalmi VII.

C. Iſte Pſalmus ad Chriſti humanitatem pertinet, qui per id quod factus eſt humilis : ſecundum ſuam iuſtitiam veritatémque ſe expetit iudicari. C

TT. Pſalmus David quem cantavit Domino pro verbis Chuſi filij Iemini.

Chuſi. Iemini. H. Sciendum itaque Chuſi interpretari Æthiopem, & totum iſtum Pſalmum contra Saul eſſe conſcriptum: quem Æthiopem vocat, propter tetros eius mores. Iemini verò dicitur familia Benjamin : de qua Saul ortus eſt. C. Vel Chuſi, patre Auguſtino docente, interpretatur ſilentium, filij autem Iemini, filij dextræ interpretatur.

1 DOmine Deus meus in te ſperavi :
Salvum me fac ex omnibus perſequentibus me & libera me.

C. Poſtulat Propheta liberari de univerſis inimicis, maximè de ſpiritalibus nequitiis, quia carnales hoſtes corpus impetunt, ſpiritales vero animas necare contendunt. Salvum fac à peccato, libera à diabolo, ab ipſius enim poteſtate tollimur, quando miſericordia Domini à delictorum ſordibus expiamur. D

2 Ne quando rapiat, ut leo animam meam:
† Dum non eſt qui redimat neque qui ſalvum faciat. † *Laceret, & non ſit qui eruat.*

Leo & Chriſtus & diabolus dicitur. C. Leoni confertur diabolus, leoni comparatur & Chriſtus, Ille quod ad interitum rapit, Chriſtus quod eripit ad ſalutem. *Non eſt qui redemat*, id eſt, cum Chriſtus ſubvenire ceſſaverit, obſtantibus noſtris peccatis, illo tempore prævalet diabolus rapere.

3 Domine Deus meus ſi feci iſtud :
Si eſt iniquitas in manibus meis.

H. Iſte verſiculus & ſequens ad Chriſtum pertinet, qui nullam iniquitatem perpetravit, & ad David, qui Sauli bis in manu eius cadenti, nulla mala reddidit. E

4 Si reddidi retribuentibus mihi mala :
† Decidam merito ab inimicis meis inanis. † *Et dimiſi hoſtes meos vacuos.*

C. Nemo enim retribuit, niſi qui aliquid ante percepit. Sed iſte vir Deo plenus & patientiæ virtute firmiſſimus & benivolus petit, ut ſi malum pro malo reddiderit, decidat ab inimicis inanis, id eſt, vacuatus ſit fructu magnæ manſuetudinis. Et non ſolum hoc, verum etiam (quod gravius eſt) *Si reddidi, &c. perſequatur.*

5 Perſequatur inimicus animam meam & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam.
Et gloriam meam in pulverem † deducat. † *Collocet.* * Diapſalma :· F

C. Inimicum, diabolum dicit, qui animas quas comprehendit conterit, quia homines corpus ſolum perſequi poſſunt, ſed diabolus etiam animam, quod plus eſt. Ac ſi dixiſſet, ſi inimicis mala reddidi, quod tu prohibuiſti, deducat honorem ſuſcepti hominis (qui ad imaginem Dei conſtat factus) in illum pulverem, quem proiicit ventus à facie terræ, id eſt, quaſi in nihilum redigat.

6 :: Ex :· ſurge Domine in ira tua :
† Et exaltare in finibus inimicorum meorum. † *Elevare indignans ſuper hoſtes meos.*

C. Conſurgat Dominus in ira, qui non habet iram, id eſt, in vindictam. H. Verùm hæc vindicta quæ dicitur ira, in diabolum potius debet adverti, qui totiens punitur, quotiens ſibi peccator eripitur, ut ſic inimici illum ſentiant per vindictam, quem noluerunt per beneficia. C. Exaltatur Deus, quando converſis peccatoribus, confeſſio laudis offertur Chriſto, & hoc, *In finibus*, id eſt, poſſeſſione diaboli : in qua utique exaltatur Chriſtus, dum à converſis laudatur. G Exaltatur Deus cõfeſſione laudis.

7 Et exurge :: Domine Deus meus :· ¶ in præcepto quod mandaſti : ¶ *Ad me iudicio quod mandaſti.*
† Et ſynagoga populorum circumdabit te. † *Congregatio tribuum.*

C. Mandavit Dominus in præcepto, hoc eſt, in Evangelio diſcipulis, tertia die reſurgam, præcedam vos in Galilæam, dixit verò propter certitudinem prophetiæ præteritum pro futuro. *Synagoga*, hic collectionem ſignat reproborum, quæ Chriſtum circumdabat, non credendo, propter rebelles Iudæus qui Chriſtum perſequebantur. H. Vel Synagoga, populum fidelium ſignificat, qui credendo, Chriſtum poſt reſurrectionem circumdederunt. Synagoga.

8 Et † propter hanc in altum regredere. † *Pro hac.* H
Dominus iudicat populos.

C. *Propter hanc*, id eſt, ſynagogam, in qua habitare Chriſtus non potuit propter infidelitatem. Regredi enim eſt, unde veneris iteratâ viâ reverti. Cum dicit, iudicat populos, omnipotentis patris majeſtas oſtenditur.

9 Iudica me Domine ſecundum iuſtitiam meam :
Et ſecundum innocentiam meam † ſuper me. † *Quæ eſt in me.*

A C. Cum ponitur, ***indica me***, humilitas Christi humanitatis exprimitur, quæ de Mariæ utero assumpta est. Constat etiam eum peccatum nullatenus habuisse, qui peccatum non fecit, ideò innocentiam suam ostendit.

10 Consumetur nequitia peccatorum:
Et † diriges iustum scrutans corda & renes Deus. † *Confirmetur iustitia. Probator cordis & renum Deus iustus.*

C. Petit Propheta in persona Christi accelerare nequitiam peccatorum, id est, ut caro pro nobis citò crucifigeretur, ut citò suus ascensus clarificetur. Directus est iustus, quando resurrexit à mortuis, & ad cœlorum regna conscendit, Virtutis enim Dei est, & corda nostra discutere, & corporeas delectationes intelligere, hoc est, corda scrutari & renes.

B 11 Iustum † adiutorium meum à Domino:
† *Clypeus meus à Domino:*
Qui salvos facit rectos corde.

A. ***Iustum adiutorium***, quia iam iusto tribuitur, & est quasi medicina servans salutem. C. Dicit etiam humanitas, suum adiutorium à Deo patre, ut nobis spem in se credentibus suæ pietatis largietur, quod rectis corde, & veniam tribuit & salutem.

12 Deus iudex iustus † fortis // & patiens.
† *Et fortis comminans totâ die.*
Numquid irascetur per singulos dies.

Iustus iudex Deus. 2. Cor. 5.

C. ***Iustus index*** dicitur Deus, quia tribuit unicuique in fine quod gessit. ***Fortis***, quia nullus valet resistere voluntati eius. ***Et patiens***, quia quotidie expectat, ut convertat se peccans in pœnitentiam. Irasci enim iudicum more dicitur, cum illud in divinitate non invenitur. Per singulos dies, id est, cunctis momentis, quibus peccata committimus, nam ubi esset gloriosa pa- C tientia, si mox sequeretur sua vindicta culpam?

13 ¶ Nisi conversi fueritis gladium suum vibrabit: ¶ *Non convertentis gladium suum acuit.*
Arcum suum tetendit & paravit illum.

C. ***Gladium vibrabit*** (Terret Propheta contumaces Iudæos qui culturis idolorum serviebant) id est, unicum filium suum sub lucente claritate missurus est. Vibrare enim illud dicimus quod modo lumen, modo tremulas umbras ostendit, quod constat de Christi incarnatione provenisse, quando perfidis tenebras, fidelibus lumen suæ deitatis ostendit. ***Arcum*** scripturas novi & veteris testamenti accipimus, quibus contumaces terrentur. ***Tetendit*** dixit, ne eius patientia remissa putaretur. ***Et paravit illum***, hoc potest de Deo dici, ut mos ipse sagittantium plenè videatur expressus.

Vibrare.

Arcus utriusque Test. scriptura.

D 14 Et in eo paravit vasa mortis:
Sagittas suas † ardentibus effecit. † *Ad comburendum operatus est.*

C. Per arcum vetus ac novum testamentum significari diximus, unde effectus mortis venit malis, qui ex scripturis quandoque occasionem mortis capiunt, & sagittis ipsius vita præstatur. De isto arcu, egressæ sunt sagittæ, id sunt apostoli, qui desiderantissimis animis, hoc est ardentibus, præcepta salutaria uti sagittæ transmiserunt, quibus impij vulnerentur, & fideles curentur. ***Effecit***, id est, operatus est. Et quamvis hoc Deus fecit, tamen ecce, &c.

Sagittæ apostoli sunt.

15 Ecce parturit iniustitiam // & ⁚ concepit dolorem:
Et peperit † iniquitatem. † *Mendacium.* E

C. ***Parturivit iniustitiam***, plebs Iudæa, cum videret Dominum miracula facientem, & de eius morte tractavit. ***Concepit dolorem***, quando dominus eos increpavit diversis parabolis & à sua perversitate illos non convertit. ***Peperit iniquitatem***, quando dixit crucifige, crucifige, ordo præposterus est. Prius enim suggestione diaboli peccatum concipitur, deinde parturitur & paritur.

16 Lacum aperuit & effodit eum:
Et incidit in † foveam quam fecit. † *Interitum.*

Lacus.

C. ***Lacus*** dicitur, quia eius fundus latet, & pro fraude hic ponitur, quem Iudæ pravitas aperuit, quia primus nequiter contra Christum fraudem inchoavit. ***Effodit***, dum eum in sua damnatione perfecit. Incidit F in foveam, in mortis scilicet locum. A. prius enim fraudator læditur damno innocentiæ, quam alium lædat damno pecuniæ.

17 Convertetur dolor eius in caput eius:
Et in verticem ipsius iniquitas eius descendet.

Dolor. Vertex.

C. Dolor enim dictus quasi dorabilis horror, hic debemus caput pro anima accipere, huic subiecta sunt peccata obnoxia, quando refrenantur ne perpetrentur. Vertex enim dictus, quod dextra lævâque vertat capillos, signat rationem, quæ supereminet menti, hæc anima si peccatis facientibus inclinatur, necesse est, ut in verticem, id est, supra rationem ipsius, iniquitas descendat, nam cum supra impios peccata propria descendunt, suis sceleribus in pœnas debitas de- G stinantur.

18 Confitebor Domino secundum iustitiam eius:
Et † psallam nomini Domini altissimi. † *Cantabo.*

Duplex cõfessio. Iacob. 4.

C. Duobus modis confessio dicitur, cum peccata nostra satisfactione damnamus, aut dignas Deo laudes cum exultatione celebramus. ***Iustitiam***, quia superbis resistit, humilibus dat gratiam, quia superbos facit sua crimina sustinere, humiles vero dignatur absolvere. Psallere est mandata Domini peragere & hymnos, voce & intimo corde cantare.

Oratio ex Psalmo VII.

Scrutator cordium Deus, libera nos à persequentibus nos, & da nobis in tui expectatione iudicij, firmam custodiam mentis, ut non retribuamus inimicis mala pro malis, Per Dominum nostrum, &c. H

Argumentum Psalm. VIII.

C *Ecclesia laudes maiestatémque Domini Christi decantans, naturam eius humanam, ad magnarum rerum dicit crevisse fastigia.*

TT. † In finem pro torcularibus, Psalmus David. † *Victori, &c.*

Torcular Ecclesia dicitur.

C. ***In finem*** significare Dominum iam diximus ***Pro torcularibus***, Ecclesia declarata est, quæ primo ingressu laudem Domini læta decantat. A. Ecclesia autem eadem ratione torcular qua area dicitur. Multis enim variisque similitudinibus eadem res in scripturis sæpè insinuatur. In area quippe grana à paleis, in

A torculari vinum à vinaciis dividitur, ita in Ecclesia boni à malis non loco, sed affectu separantur.

1 DOmine † Dominus noster. † *Dominator noster.*
Quam ¶ admirabile est nomen tuum in universa terra. ¶ *Grande.*

Nomen Domini inenarrabile. C. Nomen Domini vocabulum inenarrabile sonat, unde cum dicit, *quam admirabile est:* non potest explicare, quod sentit. *Universa terra*, quia per totum mundum eius religio sancta dilatatur. H. Quod pro nobis homo factus es, quod mortuus, quod resurrexisti: in cunctis gentibus est vulgatum, sed & illud quod *elevata est*, &c.

2 † Quoniam elevata est magnificentia tua: Super cœlos.
† *Qui posuisti gloriam tuam super cælos.*

Psal. 56. B C. *Magnificentia* Dei est arcanum incarnationis Christi: quæ elevata est, quando Christus resurgens ascendit in cœlos: ut in alio Psalmo. *Exaltare dicitur super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua.*

3 Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos:
† Vt destruas inimicum & † *Vt quiescat inimicus & ultor.* ¶ vltorem. ¶ *Alias defensorem.*

Matt. 21. H. Hæc prophetia in Evangelio completa est, quando in templo pueri clamabant, *Osanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.* C. Vt sit sensus, non solum à perfectis & doctis es laudabilis, sed etiam ab insipientium & ore parvulorum mirabilis prædicaris, ut per infantes & lactentes, non pueros materiali lacte alendos, sed in fide parvulos qui rudimentis fidei imbuti, fortiorem cibum non recipiunt intelligamus. 1. Cor. 3. Hebr. 5. Inimicos, paganos & blasphemos designat: *Defensorem*, Iudæum perfidum. C. H. Vel hæreticum dicit, A. Vel diabolum suæ sectæ defensorem & peccati: dicant quoque hæretici fidem se defendere Christianam, C Iudæus, inimicus & ultor. & peccatores veritatem, dum peccata excusant. C. *Inimicum* vero *& defensorem*, vel *vltorem*: Iudæum perfidum specialiter dicit, qui dum patrem se putat defendere: filio existit inimicus, ita factum est, vt Dei quasi defensor, aptissimus Deo probaretur adversarius.

4 Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum:
Lunam & stellas quæ : *l* tu :· fundasti.

C. *Videbo cælos*, id est, libros Evangelicos. *Digitus Dei dicitur:* divinæ operationis effectus. *Lunam* Ecclesiam dicit, *stellas* iustos homines. *Fundasti*, ut intelligamus omnia in prædestinatione Dei fundata.

5 Quid est homo, quod memor es eius:
Aut filius hominis quoniam visitas eum?

D C. *Quid est homo*, cum despectione pronuntiandum est, id est, fragilis & caduci Adæ sequax, qui in veteri peccato sociâ pravitate permixtus est. Huius memor Dominus est, quando ei per suam misericordiam peccata dimittit. Filium hominis, Filium Virginis Mariæ dicit, A. C. quia visitavit nos, corpus humilitatis nostræ assumendo, & ita à peccato veteri liberando, visitavit Dei filius, hominum filium, quando Dei filius factus est hominis filius.

6 † Minuisti † *Minues.* eum paulo minus † ab Angelis, † *à Deo.* gloria & honore ¶ coronasti eum: ¶ *Coronabis eum, dabis ei potestatem super.* E
Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Minoratus Christus. C. Minoratus est enim, non necessitate, sed pietate & spontaneâ voluntate, formam servi accipiens: ex ea siquidem parte minor factus est Angelis, qua crucem pro omnium salute suscepit. Bene autem dixit paulominus, quia & si mortalem carnem accepit: tamen nulla peccata habuit. H. *Gloriâ*, cum in eius descensu inferi claruerunt, *honore*, cum vicit mortem, *coronatus*, circumdatus choro sanctorum rediit ex infernis. C. Dum dicit *opera manuum*, omnis illi creatura subjecta monstratur.

7 Omnia subjecisti sub pedibus eius:
Oves & boves universas, insuper & pecora campi.

F Oves, boves, pecora. C. Cum dicit *omnia*, ostendit & terrena & superiora ei esse subiecta. *Oves*, electum populum signat. *Boves*, prædicatores dicit. *Insuper*, id est, non solum sancti, sed etiam peccatores (quos *pecora* significant) ei subjecti sunt, qui bene sunt pecora, dum in mundi istius voluptate pascuntur. Oves sunt autem, cum intra Dei septa clauduntur.

8 Volucres cœli & pisces maris:
Qui perambulant semitas maris.

Volucres. Pisces. C. *Volucres cæli* à volatu crebro dictæ, superbi homines sunt, qui inflati vento iactantiæ quasi per inane aeris volitant, & humilia despiciunt. *Pisces* philosophos dicit, qui huius mundi naturam erratica curiositate pertractantes, sicut pisces in mari natant, qui per nimiam curiositatem non contemplantes cœlestia, inter huius sæculi fluctus, rerum fluentium occultas angustias scrutantes, putant esse vitam æternam. Et hi pedibus Christi subiecti sunt, dum convertuntur. Nam licet Christo omnia iure subiecta sint, illos tamen propriè dicimus esse subiectos, qui ad eius onus leve pervenire meruerunt. G

9 Domine Dominus noster:
Quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

C. Repetit sancta Ecclesia congrue siquidem versum de laude Domini quem in capite dixit, quia ipse dixit, ego sum *Alpha & Omega*, id est, initium & finis. Apoc. 1.

Oratio ex Psalmo VIII.

ADmirabile nomen tuum, omnipotens Domine supplices exoramus, ut qui omnem creaturam mundi, ad usus hominis subiecisti, nos ad tuæ servitutis efficium dignos digneris efficere. Per Dominum nostrum, &c. H

Argumentum Psalmi IX.

C. *Propheta lætum se dicit Domino psalliturum, quoniam confudit diabolum, pauperúmque sanguinem vindicat; & peccatores cum antichristo dicens perituros, iudicij tempus velociter advenire deprecatur, ne cuiuslibet iniquitas ultra prævaleat.*

TT. † In finem pro occultis filij. Psalmus David. † *Victori super morte filij Canticum David.*

A Finis mali Christus. Occulta filij.

C. *In finem, pro occultis filij David Psalmus.* Finis iste signat illum: non in quo deficitur, sed in quo crescitur, qui nobis initium est boni, finis est mali. *Pro occultis filij*: personam significat salvatoris, cuius mysteria & iudicia nobis sunt occulta. Totus hic Psalmus, in persona Ecclesiæ per Prophetam canitur:

1 † CONfitebor !! tibi :· Domine in toto corde meo: †*Cōfitebor Domine.*
Narrabo omnia mirabilia tua.

C. In toto corde confitetur Deum, qui nullis cogitationibus mundanis fluctuat, quod est perfectorum. *Narrabo*, &c. H. Ac si dixisset quantum me docuisti tantum narrabo. Qui narrat quantum intelligit: omnia mirabilia Dei narrat, quamvis in se plura sint.

2 Lætabor & exultabo in te:
Psallam nomini tuo altissime.

B Exultare. Lætari.

C. Plus est enim exultare quam lætari. Exultare est animi & corporis motu maiori iucundissimâ libertate gaudere; lætari vero, animo dilatari in gandiô, lætitia enim quasi latitia, id est, mentis latitudo, in gaudio dicitur. *Psallam*. H. Opere complebo. Nomen patris filius est. *Altissimus* ipse est Deus.

3 † In convertendo inimicum meum retrorsum:
Infirmabunt & peribunt à facie tua †*Cum ceciderint inimici mei retrorsum, & corruerint & perierint, &c.*

In micus diabolus. Matt.16.

H. *Inimicum*: dicit diabolum, cui Dominus dixit, *vade retro sathanas*, putant enim quidam, non Petro, sed diabolo. Petro suggerenti Dominum respondisse, *vade retro sathanas*, id est, adversarie seu inimice. *Infirmabuntur*. Hic pluraliter omnes satellites diaboli comprehendit, qui prius fortes erant propter peccata nostra, modo infirmi: nos autem in Deo fortes *Peribunt ante faciem tuam* C. Id est, ante faciem Christi.

C

4 Quoniam fecisti iudicium meum & causam meam:
Sedisti super thronum † qui iudicas iustitiam. †*Iudex iustitiæ.*

Thronus.

H *Fecisti iudicium meum*, vox Ecclesiæ. Ac si dicat: gentes elegisti, Iudæos reprobasti. *Causam meam*, id est, causasti pro me contra adversarios, & vindicasti me, & fecisti causam meam bonam. *Thronum* græcum est, latinè sedes, quia unusquisque sedes Dei est. H. Hic præsens tempus pro futuro dixit, *indicas*, quia indicaturus sit æquitatem

5 Increpasti gentes !! & :· periit impius:
Nomen eorum delesti in æternum, & in sæculum !! sæculi :·

D

H. *Increpasti gentes*, per apostolos, quia idola adorabant. *Et periit impius*, quia ab impio per prædicationem factus est pius. *Nomen eorum delesti*, id est, nomen impietatis. C. *In sæculum sæculi*, futurum regnum signat, quod nulla ætate nullo tempore finietur, est enim sæculum æternum post istud mutabile sæculum, quod est sæculum, id est, sequens æternitas istius sæculi, id est, isto finito aliud incipit.

In sæculum sæculi.

6 Inimici † defecerunt frameæ in finem:
†*Completæ sunt solitudines in finem.*
Et civitates !! eorum :· ¶ destruxisti.
¶ *Subvertisti.*

C. *Inimici* genitivus casus, id est, diaboli, cuius frameam defecisse testatur, quando virtus diaboli in fine omnipotentis iudicio destruetur. Framea Hebraïcus sermo, latinè gladius. *Civitates*, populos infideles, quorum pectora diabolus in hoc sæculo possidebat: in ultima Christi manifestatione dicit *convictos*.

E Framea. Civitates, populi infideles.

7 Periit memoria eorum cum † sonitu:
†*Ipsis.*
Et Dominus in æternum † permanet.
†*Sedebit.*

C. *Cum sonitu* dicit, id est, cum clamore maximo, quod fieri solet, quando res prosperæ gravissimo fine clauduntur. Vt nec potestas eorum videatur remanere, nec nomen. Ecce decora nimisque apta diversitas, quia prius dixit impios perire, nunc in æternum Dominum permanere dicit.

8 † Paravit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate.
†*Stabilivit ad iudicandum solium suum.*
Iudicabit populos in iustitia.

F

Sancti in æquitate peccantes in iustitia iudicantur. Matt.25.

C. *Paravit*, scilicet, Deus homo, ut qui hîc in humilitate iudicatus est, ibi in maiestate iudicaturus adveniat. Et ipse utique Dominus Christus iudicabit. *Orbem terræ* sanctos viros debemus accipere. Isti iudicandi sunt in æquitate qui audituri sunt: *Venite benedicti patris mei*, æquitas enim pro placiditate & leni iudicio poni solet. *Populos*, peccatores dicit: Isti cum iustitia iudicandi sunt, quibus dicetur: Ite in ignem æternum.

9 † Et factus est Dominus refugium pauperi:
Adiutor in oportunitatibus in tribulatione. †*Et erit Dominus elevatio oppresso: elevatio oportuna in angustia.*

Pauperes Dei.

C. Magna cogitatio gaudiorum ipsum habere refugium quem & iudicem. *Pauper Dei* est ille, qui terrena despiciens, cœlestia desiderat. Illud adiutorium dulcissimum est, quod in oportunitate, id est, necessitate præstatur. *In tribulatione* cum animus afflictorum ad compunctionem avidiùs incitatur.

G

10 Et sperent in te qui noverunt nomen tuum.
Quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.

C. *Sperent in te*, non in sæculi blandimenta respiciant, sed in tuam promissionem confidant, *qui noverunt nomen*, id est, qui maiestatem tuam sanctissimâ devotione venerantur. A. Nomen enim est Dei Dominus vel Est, quod novit, qui libenter ei servit qui verè est, ideò nemo speret in transitoriis, præter fuit & erit nihil habentibus. Nam quod in illis futurum est, cum venerit fit statim præteritum, expectatur cum cupiditate, amittitur cum dolore, non tenetur cum certitudine. C. Sequitur causa cur sperent in Deum, quia non patitur eos deserere quos videt ad se confugere.

Nomen Dei.

H

11 Psallite Dominu † qui habitat in Sion.
†*Habitatori Sion.*
Annuntiate inter gentes ¶ studia eius.
¶ *Cogitationes eius.*

H. *Psallite Domino*, id est, prædicate Dominum & opere implete, quod prædicatis. Sion speculatio dicitur, id est, Ecclesia in qua habitat Christus *Annuntiate*, Vox Prophetæ admonet prædicatores, prædicare *studia eius*, id est, mandata Christi.

Sion.

12 Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est:
Non est oblitus clamorem pauperum.

A C. Quia superius dixit, prædicate gentibus, ne quis putaret inultum esse sanguinem martyrum, dixit *requirens sanguinem*, ut vindicta terreret persecutores, & martyres promissio mulceret. *Non est oblitus* dicit, ne putent oblivisci Deum (propter longinquitatem futuri iudicij) retribuere bona pauperibus Christi.

13 Miserere mei Domine:
Vide † humilitatem meam de inimicis meis † *Afflictionem meam ex inimicis meis.*

C. Postulat sibi Propheta sic subveniri, ut videatur à rege Christo, quia eius conspectus auxilium est. Supplicat iterum intelligi à Domino suam humilitatem de superbia persecutorum, quia tantum videntur extolli persecutores, quantum humiliantur martyres.

B

14 Qui exaltas me de portis mortis:
Vt † annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. † *Narrem laudes tuas.*

Portæ mortis.

C. *Porta* verò *mortis* est diabolus, vel vitia illecebrosa, per quæ introitur ad æternam mortem. Exaltas me, id est, longè facis à talibus. Liberatus ex illis portis mortis, pollicetur se pronuntiaturum laudes Domini in portis Sion, id est, in toto orbe sanctæ Dei Ecclesiæ. A. Portæ enim Ecclesiæ sicut sunt apostoli, ita omnia optima studia, per quæ venitur ad visionem pacis in Ecclesia. H. Portæ etiam mortis hæretici, & omnis mala doctrina. Portæ Sion, id est, Ecclesiæ boni prædicatores & sancta doctrina.

Portæ Ecclesiæ.

15 Exultabo in salutari tuo:
† Infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt. † *Demersa.*

C. Merito ergo se dicit Propheta in ipso gaudere, id est, in Christo, ubi gaudij nullus est finis. Infixas enim gentes dicit, quæ timore Domini non tenentur, id est, quasi quibusdam clavis peccatorum ligatas, ut non valeant se excutere, quod non improbè ad Iudæus pertinere dicimus, ut ita sint malis suis affixi Iudæi perfidi: sicut in cruce clavis Dominum infigere decreverunt, pœna etiam cuique sua est iniquitas.

C Infixæ gentes.

16 In laqueo isto quem absconderunt:
Comprehensus est pes eorum.

C. Laqueum vero occultaverunt quantum potuerunt, & tamen Christum nil cœlare valuerunt. *Comprehensos* illos dicimus quos captio nodosa constringit, sic fuit *pes eorum*, id est, gressus animi, & desiderium pravum, quod eos ambulare fecit ad vitia. A Laqueus quippe occultus dolosa cogitatio, pes, animæ amor, qui si pravus est dicitur cupiditas, si rectus, charitas, cu movetur anima quasi ad locum quo tendit, id est, delectationem bonam vel malam.

Pes animæ amor.

D

17 ¶ Cognoscetur Dominus iudicia faciens: ¶ *Agnitus est.*
In operibus manuum suarum † comprehensus est peccator. † *Corruit.*
¶ * Canticum Diapsalmatis ∴ ¶ *Meditatione semper.*

C. *Cognoscetur Dominus*, quando humanum genus sive à sinistris seu à dexteris iudicio Dei erit segregatum. Comprehensus est peccator operibus suis, cum secundum qualitatem operis sui dignam recipit ultionem.

18 Convertantur peccatores in infernum:
Omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.

C. *Convertantur peccatores*, dicit, id est, ab huius mundi delectatione tollantur, ne diutius possint in sua voluptate gaudere. Infernus autem dictus est ab eo, quod illic animæ iugiter inferantur, ad quem sine dubio perventuri sunt, qui Domini præcepta contemnont. *Oblivisci Dominum* est involui erroribus superstitionum & cœno voluptatis, nam econtrario illius memores sunt qui talia non requirunt.

E Infernus.

19 Quoniam non ¶ in finem oblivio erit pauperis:
Patientia pauperum non peribit in finem. ¶ *In æternum oblivioni erit pauper: expectatio pauperum.*

C. *Non* enim *oblivio erit pauperis*, quando venerit Dominus in fine sæculi iudicare mundum dicit etiam *non perire patientiam* quæ fideles coronat. Nam si deest homini patientia, anima eius non est perfecta. *In finem.* H. Quia etsi differt auxilium à sanctis, tamen non auferet.

F

20 ¶ Exurge Domine non confortetur homo: ¶ *Surge.*
Iudicentur gentes in conspectu tuo.

C. Prospexit Propheta adventum antichristi & proclamavit. *Exurge Domine, non confortetur*, id est, non prævaleat *homo* pessimus, scilicet antichristus: cuius nequitiam non valet sustinere humana conditio. *Gentes* etiam petit iudicari celerrimo adventu, quæ cum ipso antichristo scelera magna facturæ sunt.

Antichristus.

21 † Constitue Domine legislatorem super eos.
Vt sciant gentes quoniam homines sunt. † *Pone Domine terrorem eis.* * Diapſ. ∴

C. *Legislatorem*, hic antichristum dicit, ut talis princeps detur peccatoribus, non qui eos regat, sed cum ipsis simul depereat. H. Sciant cum damnatæ fuerint *gentes*, &c. Quoniam spem suam in hominem posuerunt & non in Deum. C. Tamen legislator verissimus solus Deus: antichristus verò malè & falsè legislator erit.

G

Apud Hebræos. Psalmus X.

22 Vt quid Domine ¶ recessisti longè:
Despicis in oportunitatibus in tribulatione. ¶ *Stas à longè: despicis in temporibus angustiæ.*

C. Non cessit longè Christus, quia ubique totus est, sed quasi recessisse creditur cum subvenire tardaverit. Despici enim nos credimus si vel minimo tempore ab auxilio Dei differamur, hoc dixit propheta pro anxietate gementium. Sed ille tunc magis præstat, cum magnæ patientiæ nobis solatia ministrat.

23 † Dum superbit impius incenditur pauper: † *In superbia impij ardet pauper.* H
Comprehenduntur in ¶ consiliis quibus cogitant. ¶ *Sceleribus quæ cogitaverunt.*

C. *Superbit impius*, cum facta suæ malignæ voluntatis superbus expleverit, tunc magis incenditur pauper catholicus ad studium virtutis, quia dum viderit peccatorem nimis exaltatum, facilè novit casurum, sed isti impij *comprehenduntur* debitis pœnis puniendi. H. Vel in consiliis cogitationum malarum quibus cogitant comprehendere sanctos ad affligendum. Et cur superbiat impius subdit, *quoniam laudatur*, &c. Et hæc est magna ira Dei in impium, ut desit correctio & assit adulatio, adulantium enim linguæ alligant animas in peccatis.

A

24 † Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ :

Et iniquus benedicitur.

25 Exacerbabit dominum peccator : secundũ multitudinem iræ suæ non quæret.

† *Quia laudavit impius desiderium animæ suæ: Et avarus applaudens sibi blasphemavit Dominum. Impius secundum altitudinem furoris sui non requiret.*

C. Malus enim, dum ab alio peccatore laudatur, extollitur in desiderio laudis, nec de correctione cogitat, cui laudator blandiens invenitur. Sequitur argumentum eius iniquitatis, ut ille benedicatur qui malè potius agere cognoscitur, deceptus adulantium falsitate. C. *Exacerbabit Dominum peccator*, id est, ad iracundiam concitabit suâ indicibili superbiâ, quod propriè de antichristo datur intelligi, qui irritat verum Dominum, quando se sua fallacia non solum terrenum regem, sed etiam rerum omnium prædicabit Deum, sed hoc ei erit ad ruinam, ideò ut falsus Deus, flammis digois punietur. *Non requiret* Deum antichristus: ut sua peccata crudelia dimittantur, quia in conspectu suo non habet Deum, ideò subditur, *non est*, &c.

B

26 ❡ Non est Deus in conspectu eius :

Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.

❡ *Nec Deus in omnibus cogitationibus eius: Parturiunt viæ eius in omni tempore.*

C. O quam profunda cæcitas, Deum ante oculos non habere. De antichristo dicit, omnes semitas eius esse pollutas, id est, cogitationes & facta sordida; necesse enim est, ut sint contaminata quæ pestiferi ducatu diaboli sordidantur.

C

27 † Auferuntur iudicia tua à facie eius: Omnium inimicorum suorum dominabitur.

† *Longè sunt iudicia tua à facie eius, omnes inimicos suos despiciet.*

C. *Auferuntur iudicia* Dei à corde impij: quando videt tardiùs venire quod celeriter meruerit sustinere. Hoc illi quoque auget interitum: quod dicitur tenere principatum inimicorum suorum, quia gloriatione ad scelera pronior erit, cum nullum sibi obviam ire cognoverit.

28 Dixit enim in corde suo :

Non movebor à generatione in generationem ❡ sine malo. ❡ *Ero sine malo.*

D

C. Dicit antichristus, *non movebor*, id est, nullam gentem intactam relinquam, sed pergam de gente in gentem vindicandus. Actus vero suos ostendit uno verbo: quando se dicit *sine malo* nihil esse facturum.

29 Cuius maledictione os plenum est ❡ & amaritudine & dolo : ❡ *Et dolis & avaritia.*

Sub lingua eius † labor & dolor. † *Dolor & iniquitas.*

C. Nequitia eius duplici perversitate describitur. In ore quippe habebit blasphemam *maledictionem*, cum se filium Dei mentietur; *amaritudinem*, quando contradicentibus sibi pœnam mortis indicet & ad supplicia iubet pervenire. *Labor*, cum diversis cladibus affligit innoxios. *Dolor*, cum martyres facit. Hæc habet in ore quæ locutus est publicè, hæc vero habet sub lingua quæ cogitat. Cogitat vero laborem & dolorem, quia sine his consummari non potest corona martyrij.

E

30 Sedet ❡ in insidiis cum divitibus in occultis: ❡ *Insidians iuxta vestibula in absconditis.*

Vt interficiat innocentem.

C. Cum dicit, *sedet in insidiis*: actus antichristi comparat consuetudini latronum, qui se occultant ut interficiant innocentes. *Divites* hic in malu accipiuntur, sicut pauperes in bono. A. Divites enim sæculi dicit, quos ditabit ut eorum gloria alios decipiat. C. *Interficere innocentem*, est de religioso facere sacrilegum, eiúsque animam perpetuâ morte damnare.

31 Oculi eius † in pauperem respiciunt :

† *Robustos circumspiciunt.*

Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca /: sua :·.

F

C. Cum dicit, *oculos eius in pauperem*, scilicet spiritu, *respicere*, sciendum, quod non respicit ut proficiat illi pauperi, sed ideò intendit ut occidat. H. Leonem antichristum nominat, diabolus quoque & leo & draco dicitur. Leo, quando apertè persequitur, draco, quando occultè nocet. C. Quod ait, *ut leo*: ad vim pertinet, sed quod addit, *in cubili suo*, ad dolos pertinet suos, quibus laceraturus est Christianos. — Diabolus & Leo & Draco di[c]itur.

32 Insidiatur ut rapiat pauperem :

❡ Rapere pauperem dum attrahit eum.

❡ *Rapiet pauperem cum attraxerit eum ad rete suum.*

G

C. Iteratio insidiarum, nimiam calliditatem hostis ostendit. *Rapere pauperem* subitum periculum animæ significat. *Dum attrahit eum*, id est, dum illum molitur à veritate seducere, & ad venerationem sui nominis molitur adducere.

33 In laqueo suo ❡ humiliabit eum : ❡ *Et confractum subiiciet, & irruet viribus suis valenter.*

Inclinabit se & cadet cum dominatus fuerit pauperum.

C. Laqueus significat dolum, quo corda simplicium capiuntur. *Humiliabit* autem, quando de vera religione cadunt ex suasione diaboli, qui ad insanam doctrinam perducuntur. *Inclinabit* se tyrannus, cum animum suum remiserit in aliquod otium cessando à tanta persecutione, nimiâ acquisitione perditorum satiatus. Post pœnas afflictionésque iustorum *cadet* nequissimus cum suis sequacibus de sua præsumptione, quando illi supervenerit repentinus interitus, finem enim sæculi infœlix nescit, quoniam eum in sua potestate Dominus constituit. H. Ideò cum se sperabit adhuc longè victurum, repentinus ei superveniet interitus.

H

34 Dixit enim in corde suo oblitus est Deus :

† Avertit † *abscondit.* faciem suam ❡ ne videat in finem. ❡ *Non respiciet in perpetuum.*

C. Nimis stulta cogitatio, putans Dominum fideles suos nolle respicere, pro quibus passionem sustinuit, cum propter ipsum, doceantur omnia pœnalia & adversa sustinere.

35 /: Ex :· surge Domine Deus :

† Exaltetur manus tua ne obliviscaris pauperum. † *Leva manum tuam noli oblivisci pauperum.*

A C. *Exurge Deus*, hoc est, celeriter veni, *Exaltetur manus tua*, operationem iudicij significat. Illud enim propheta desiderabat venire, vnde antichristus posset occumbere. *Ne obliviscaris*, nunc rogat, ne secundum votum tyranni obliviscatur *pauperum* in finem sæculi, vbi retributio est futura meritorum.

36 ¶ Propter quid irritavit impius Deum: ¶ *Quare blasphemat.*
Dixit enim in corde suo non requiret.

Cur impius Deũ irritat. Iob. 21.

C. Interrogando dicendum est, *propter quid irritavit impius Deum?* Respondendum, ideo quippe, quoniam Deum impius putabat non posse sua facta requirere & pauperum iniurias, quasi circa cardines cœli Deus ambulans, nostra non consideraret: sed inveniet memorem in futuro, quem sperabat oblitum.

37 Vides quoniam tu laborem & † dolorem consideras: † *Furorem.*
¶ Vt tradas eos in manus tuas. ¶ *Vt detur in manu tua.*

B

C. Propheta loquitur ad Deum, *vides* quoniam tibi nullus illudat, *consideras* enim *laborem & dolorem*, quem ille perfidus sub lingua habuit, id est, in cogitatione sua revolvit. *Vt tradas eum*, id est, iudicio traditus non evadet; sed digna factis recipiet, cum æterna damnatione torquebitur.

38 † Tibi derelictus est pauper:
Orphano tu eris adiutor. † *Tibi relinquuntur fortes tui: Pupillo tu es factus adjutor.*

C. Cum dicit, *tibi drelictus est pauper*, ostendit quoniam qui Domino derelinquitur, nulla vtilitate fraudatur: hoc est enim pio principi dimitti, quod bonis omnibus tradi. Pauper enim dictus à paulo lare. *Pupillum* vero dicit non cujus genitor carnalis occubuit, sed cui pater sepultus est, id est mundus quem non amavit. *Tu eris adjutor* dicit, vt cum carnaliter affligi videas, eos non dubites esse liberandos.

C Adiutor. Pauper. Pupillus.

39 Contere brachium peccatoris & maligni:
¶ Quæretur peccatum illius & non invenietur. ¶ *Quares impietatem eius & non invenies.*

C. Redit nequitia antichristi ante oculos prophetæ & rogat, *contere brachium eius*, id est ad nihilum redige potentiam, qua malè utebantur peccatores, quia insigniter impia faciebant. *Malignus*, quia iniquus suasor erit, ut quos terrore non potest pervertere, saltem per noxia præmia conetur declinare. H. *Quæretur peccatum illius nec invenietur*, hoc est ad emendationem non est dignus venire, C. Addidit, *nec invenietur*, quia dubium non est perire scelestam potestatem, cuius auctor est damnandus. H. Vt sic inveniatur peccatum & peccator ad damnationem, quia non inveniuntur ad emendationem.

D

40 † Dominus regnabit in æternum & in sæculum sæculi ⁝
Peribitis gentes de terra illius. † *Dominus rex sæculi & æternitatis: perierunt gentes de terra illius.*

C. Interfecto antichristo, redit propheta ad ordinem futurarum rerum, ubi iam securitas sanctorum & regnum æternum Christo Deo est. *Gentes* peccatores & impios dicit, qui feraliter vivunt. *De terra illius*, regnum signat salvatoris, quo soli beati perfruuntur. E

41 Desiderium pauperum ¶ exaudivit dominus:
Præparationem cordis eorum audivit auris tua. ¶ *Audisti Domine: præparasti, ut cor eorum audiat auris tua.*

H. *Desiderium pauperum*, dicit voluntatem Ecclesiæ, ut ei tribueret regna cœlorum. C. Et *præparationem cordis*, id est, concupiscentiam, quæ ostendit virtutem animi ardore mentis. H. *Aurem Dei*, Clementiam divinam dicit.

42 † Iudicare pupillo & humili: † *Vt iudices pupillum & oppressum.*
† Vt non apponat ultra magnificare se homo super terram. † *Et nequaquam ultra superbiat homo de terra.* F

C. Ecce auctoritate prophetica admonemur, pupillum hominem Deo esse gratissimum. Cùm pupillus humilis dicitur: iustissimus apprubatur, *ut non apponat ultra*, hoc est. H. Vt non elevet antichristus se ultra super electos Dei, quia C. Tunc omnia mala finienda sunt: cum auctor mortis cum sua plebe damnabitur. Hæc sunt occulta filij, quæ psalmi huius titulus canit.

Oratio ex Psalm. IX.

Confessioni nostræ piam aurem Deus clemens aperi, qui sperantes in te nunquam consuevisti derelinquere, ut exaltati de portis mortis perpetuæ, possimus salvi tentatoris occultas insidias effugere. Per Dominum nostrum, &c.

G

Argumentum Psalm. X.

C. De hæreticis propheta dicit, qui nituntur catholicos in suam convertere pravitatem, dominus illis iudicium comminans, & quid in illa retributione debeant sustinere.

TT. ¶ In finem Psalmus David. ¶ *Victori David Psalmus.*

C. Sciendum est, hunc psalmum probatum esse ad hæreticos destruendos.

1 IN Domino ¶ confido: ¶ *Speravi.*
Quomodo dicitis animæ meæ, † transmigra in montem sicut passer.
† *Transvola in montem, ut avis.* H

H. *In domino confido.* Vox Ecclesiæ contra hæreticos. C. Ac si dixisset, dum ego sum in religionis fixo cacumine constitutus, quoniam suadetis me, transmigra in montem, id est, ad hæreticam pravitatem: mentientes esse Christum ibi, ubi veritas esse nulla probatur. *Mons* significat elevatam superbiam mentis, quâ solâ hæresis incurritur, dum hæretici humilibus consentire nolentes, super Ecclesiam se erigere conantur. Mons. *Passer* hæreticum signat, qui ad nequissimas prædicationes inconstantis animi levitate transfertur. Passer. Instabilis enim avis passer, & alij in foraminibus parietum, alij in roscidis vallibus, nonnulli in squalidis montibus habitant.

A

2 Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, ¶ paraverunt sagittas suas in pharetra: ¶ *Posuerunt sagittam suam super nervum.*
Vt sagittent in obscuro rectos corde.

H. *Quoniam ecce peccatores*, id est, hæretici, *intenderunt arcum*, id est, ora illorum contra Ecclesiam. *Intenderunt arcum*, id est, potentiam verbositatis suæ. C. *Paraverunt sagittas*. id est, verba venenosa. *In pharetra*, id est, in corde. H. *Vt sagittent*, &c. id est, cum viderint in Ecclesia obscuratos imperitiâ vel simplices, laqueis dolosis vel occultis illiciant. C. Recti corde sunt dicti, qui nulla iniqua persuasione decipi poterunt, vel *in obscuro*, id est obscuris & ambiguis sententiis eorum, vel cum persecutionibus tetris perturbatur Ecclesia. Quando timore periculi carnalis homines creduntur faciliùs immutari.

B

3 † Quoniam quæ perfecisti destruxerunt: † *Quia leges dissipata sunt.*
Iustus ⁒ autem ∵ quid ¶ fecit? ¶ *Operatus est.*

C. Dicit idem propheta destruxisse hæreticos legem Dei cum interpretationibus falsis, convertentes in necem quæ à domino prophetata sunt ad salutem. Subiungitur defensio domini Christi. *Iustus quid fecit.* H. Hoc est, Christus mundum redemit. C. Vel, si scripturas subvertere volunt, *quid fecit eis iustus*, quod etiam illum persequuntur?

C

4 Dominus in templo sancto suo:
Dominus in cœlo † sedes eius. † *Thronus.*

1. Cor. 3. H Templum enim Dei sanctum est: quod estis vos, ut sciat hæreticus se posse à Deo disperdi: à quo noscuntur corda rectè credentium possideri. Cœlum enim sanctos viros significat, quos divinitas insidere dignatur. Terrere igitur hæreticos à seductione bonorum per domini iudicium nititur propheta, ut si iustos seducere non timent: saltem eum qui in iustis est & habitat, timeant.

5 Oculi eius ⁒ in pauperem ∵ ¶ respiciunt: ¶ *Vident.*
Palpebræ eius † interrogant filios hominum. † *Probant.*

H. *Oculi Domini*, id est, aspectus & clementia divinitatis: *pauperem* populum Christianum respicit ad adiuvandum. C. *Palpebra* dictæ à palpitando: signant subtilitatem divini iudicij ac iudicia Dei occulta, in quibus nos *interrogat*, id est, cognoscit, quid habeat unusquisque.

D

6 Dominus ¶ interrogat iustum ¶ *Probat.* † & impium:
Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. † *Impium autem & diligentem iniquitatem odit anima eius.*

H. *Dominus interrogat*, id est, cognoscit & probat *iustum & impium* C. Hoc ideò dicitur: ut unusquisque circumspiciat conscientiam suam, de qua novit solùm Deum ferre iudicium. Non enim iustus est quem homines dicunt, sed quem Deus probat iustum. Quid est *diligere iniquitatem* nisi diabolum sequi? semetipsum persequitur qui diabolum sequitur, dum illas semitas vult ire, quæ ad loca pœnarum perducunt. (Diligere iniquitatem.)

7 ¶ Pluit super peccatores laqueos. ¶ *Pluet.*

E

Ignis * & ∵ sulphur * & ∵ spiritus † procellarum pars calicis eorum. † *Tempestatum.*

(Ignis. Sulphur. Spiritus procellarum.) C. *Pluit* scilicet verba prædicationis, quæ piis imbres sunt, perfidis autem laquei igniti. *Ignis* etiam est cum eos flammea cura consumit cupiditatis. H. *Sulphur*, putredo peccatorum C. *Spiritus procellarum*, dum se confundunt mente tumultuosâ, *pars calicis eorum*, id est, mensura quâ pollutis actibus ebriantur. H. Vel *ignis*, cupiditas, *sulphur*, peccatorum putredo, *spiritus procellarum*, pœna æterna: & quos ignis exurit, tempestas exanimat.

8 Quoniam iustus Dominus ⁒ & ∵ iustitias dilexit:
¶ Æquitatem vidit vultus eius. ¶ *Rectum videbunt facies eorum.*

C. Iustum dicit Dominum amare iustitiam, quia nescit alios respicere: nisi qui volunt custodire iustitiam *Æquitatem* illam scilicet quam ipse propitius concedit. *Vultus*, Dei propitiationem significat.

F

Oratio ex Psalm. X.

Dirige oculos pietatis tuæ super humilem paupertatis nostræ personam omnipotens Domine, & circumda nos fidei armis, ut ab iniquitatum sagittis eruti, valeamus æquitatem & iustitiam custodire. Per Dominum nostrum, &c.

Argumentum Psalmi XI.

C. *Salvum se propheta à mundi istius perversitate fieri petit, quoniam dolosi atque superbi, potentiam Dei sceleratis oblocutionibus abnegabant; promissionémque patris per filium dicens faciendam, eloquia Domini sub brevitate collaudat.*

G

† In finem pro octava, Psalmus David † *Victori.*

C. *In finem pro octava* die: ut in sexto psalmo iam dictum est, ad æternam pertinet requiem, petit itaque propheta iniquitatem mundi destrui: ut ad illam veritatem futuræ promissionis valeat pervenire.

1 † SAlvum ⁒ me ∵ fac Domine quoniam defecit sanctus: † *Salva Domine.*
Quoniam ¶ diminutæ sunt veritates à filiis hominum. ¶ *Imminuti sunt fideles.*

H

C. *Salvum me fac*, exclamat ad Dominum propheta, petit se salvum fieri ab illo, à quo veram medicinam noverat invenire, dicens *sanctum deesse*: aliter enim sanctus deficere non poterat nisi fuisset inter homines veritas imminuta. Verùm cum dicit *diminutas*, evidenter ostendit depravata Dei munera ex culpis hominum, & collata beneficia propriâ perversitate maculata. Dicit verò *veritates*, de veritatibus hominum loquens, una enim est Dei veritas, qua illustrantur animæ sanctæ.

2 † Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: † *Frustra loquuntur.*
¶ Labia dolosa in corde, & corde ¶ *Labium sub dolum* † locuti sunt. † *Loquentur.*

C. *Vana* falsa significat, quando contra Dominum testimonia falsa quærebant: tunc imminutæ sunt veri-

tates

A *tates. Proximos* dicit, non tam cognatione generis quam participatione sceleris sociatos. *In corde & corde :* quotiens volumus dolosos ostendere, duplicia eorum corda declaramus. Quando simplices, unum cor in eis esse testamur. *Locuti sunt*, ut subaudias mala.

Proximos, dolosi duplici corde.

3 Disperdat Dominus universa labia dolosa:
Linguam magniloquam.

C. *Disperdat* dicitur, judæos, ut passim pereant, qui se in una pravitate collegerant. *Lingua magniloqua* est quæ sibi aliquid magnæ potestatis assumit: & ne hic in bono linguam magniloquam accepisses, prædixit *labia dolosa*. Considera ergo pietatem dicentis, quod non hominibus (quia aliqui convertendi erant,) sed ipsis viris maledicit.

Lingua magniloqua.

B 4 Qui dixerunt linguam nostram † magnificabimus : † *Roboremus.*
Labia nostra ¶ à nobis sunt, quis noster Dominus? ¶ *Nobiscum sunt.*

C. Illos exponit, qui in prosperis rebus se jactantes gloriam suam exaltare præsumunt, & sibi ipsis deputant non à Deo accepisse. Istud *quis noster Dominus est* sacrilegorum verba sunt contradicentium vero Deo, & superborum. A. Hypocritarum & philosophorum, qui ingenio & studio scientias & eloquentiam acquisitas ex seipsis habere putant, contemnentes non habentes eas, ideo subdit.

5 Propter † miseriam † *Vastitatem.* inopum ¶ & gemitum pauperum: ¶ *à gemitu.*
Nunc exurgam dicit Dominus.

C C. *Exurgam*, dicit propheta in persona patris de filio: *exurgam*, id est, apparebo & manifestabor in filio. H. Ut eos qui in miseria sunt in mundo redimat.

6 Ponam in salutari:
† Fidocialiter :: agam :- in eo. † *Auxilium eorum.*

H. *Ponam in salutari* vox patris, id est, salutem & consolationem pauperum fore, gementium in filio: qui est lætitia contra gemitum. *Fiducialiter agam in eo.* C. Id est in filio, quia potestas patris, fiducia est filij, cujus voluntati nullus valet obviare, quia *eloquia, &c.*

7 Eloquia Domini eloquia ¶ casta, argentum igne examinatum: ¶ *Mundu.*
† Probatum terræ, purgatum septuplum: † *separatum à terra, colatum septuplum.*

D C. Hic eloquia Domini laudantur (quæ nullo mendacio, nullà adulterina falsitate fuscantur) cum dicit, *eloquia casta.* Superius vero sermo humanos arguitur, cum dicit, *vana locuti sunt.* Argentum terræ, igne examinatum solet esse purissimum, quando frequenti fuerit decoctione mundatum: sic eloquia Domini pura, pulchra & rata, *Purgatum* vel *examinatum*, contra illud ponitur: quod de peccatoribus ait, *labia dolosa in corde & corde*, &c. *Septuplum*, septiformem spiritum significat, id est, timorem Domini, pietatem, scientiam, fortitudinem, consilium, intelligentiam, sapientiam. A. Per quæ divinum eloquium splendet, dum verbi Dei prædicatores & secundum eloquia ejus viventes his charismatibus refulgent.

Argentũ igne examinatũ, purgatũ septuplũ. *Esaias* 11.

8 Tu Domine ¶ servabis nos: ¶ *custodies eos, servabis nos à gen.*
Et custodies nos à generatione hac in æternum. B

H. *Tu Domine servabis nos in æternum* (Ecclesia rogat,) id est in fide servabis. *Et custodies*: ab hæreticis vel judæis, sive à peccatoribus: sive à dialecticis & philosophis istius mundi in æternum. C. Hic conservat ne pereamus, ibi lætificat in æternum & coronat.

9 In circuitu impij ambulant:
† Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum: † *Cum exultati fuerint vilissimi filiorum hominum.*

C. *In circuitu impios ambulare*, est tortuosis moribus vivere, qui nunquam rectam viam ambulant, Christo derelicto, qui est vera via. *Secundum altitudinem tuam* Non secundum meritum hominis, sed secundum potentiam divinæ voluntatis, multiplicatur Ecclesia. Hoc est, de pietate & misericordia ejus percipiens in retributione Christi promissa. F

Oratio ex Psalm. XI.

Miserere fragilitatis nostra sanctissime pater, & concede nobis eloquia tua, pudico corde continere, ut possimus multiloquam dolositatem insanientium declinare. Per Dominum nostrum.

Argumentum Psalm. XII.

C. Respiciens Propheta mundum idololatria mancipatum: credulitatem suam adventu sancta incarnationis posse expleri, ut vel sic confusu gentilitas suum posset agnoscere creatorem.

TT. ¶ In finem Psalmus David: ¶ *Victori.* G

C. Totus hic psalmus de charitate loquitur Christi, plenus propheta domini charitate, confidenter dicit differri se diutiùs ab expectatione sua & adventu illius, quem licet firma fide crederet esse venturum, tamen de ejus tarditate conqueritur: cujus adhuc speratum adventum citius non merebatur cernere, quoniam omni desideranti, valde molesta dilatio est.

1 Usquequo Domine oblivisceris me † in finem: † *penitus.*
Usquequo ¶ advertis faciem tuam à me? ¶ *Abscondis.*

C. *Usquequo* cum dicit, apparitionem postulat Christi, quam in spiritu videbat, *usquequo*, id est, quousque quandiu non liberas? H. Potest vero cum propheta quilibet pœnitens sub peccatis gemens dicere, *usquequo*, &c. persequuntur enim dæmones & mali homines gravissimè, vere pœnitentes & Christi mandata servare cupientes. C *In finem*, id est, usque ad Christi adventum. H

2 † Quamdiu † *Usquequo.* ponam consilia in ¶ anima mea: ¶ *Animam meam.*
Dolorem in corde meo per diem:

C. Cum dicit *quamdiu*, exprimitur hic maximus ardor expectantis adventum Dei. H. Ac si dicat, patior istam angustiam quousque te videam, sicut promisisti venire. A. Dicit vero *consilia*, id est, cogitationes & tractatus, quomodo & quando à servitute peccati & diaboli liberari possit per adventum salvatoris, & quia spes salutis protrahitur, crescit desiderium in

A dolorem. C. *Per diem*, id est, per singulos dies ille amor tui adventûs, versus est in dolorem mentis, quod tardaveris.

3 Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me:
† Respice :: & :· exaudi me Domine Deus meus: † *Convertere.*

C. *Inimicum*, diabolum dicit, qui dicitur exaltatus ante advêtum Domini, cum gaudebat de humana captivitate. *Super me*, id est, super credulitatem meam. Exaudi me, non sibi tantum subvenire petit, sed universis fidelibus. *Respice*, ad illud referendum, *usquequo avertis faciem tuam à me. Exaudi* vero, ad illud quod dicit in capite psalmi: *usquequo oblivisceris me in finem.*

B 4 Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte.
Nequando dicat inimicus meus prævalui adversus eum.

Oculi cordis. C. Dum petit illuminari oculos, cordis oculos dicit, qui obdormiunt in morte, quando fidei lumine sepulto carnali delectatione clauduntur, ipse est enim somnus, de quo lætatur inimicus. *Inimicum*: diabolum dicit & angelos ejus, quorum consuetudo est: insultare dum capiunt, & gaudere dum deceptos à se cognovesunt possideri.

5 ¶ Qui tribulant me exultabunt si motus fuero: ¶ *Hostes mei.*
Ego autem in misericordia tua † speravi: † *Confido.*

C. *Exultabunt si motus fuero*, id est, si à te fuero divisus per incredulitatem vel peccatum, inimici efficiuntur læti *In tua misericordia* dicit, quia qui aliunde suam spem ponit nisi in Deum, sua fides vacua est. O Virtus fidei & firmitas magna credentis, in eam credere à quo pro certo scit se posse salvari?

C

6 Exultabit cor meum in salutari tuo.
Cantabo Domino ¶ qui :: bona :· tribuit mihi, !! & psallam nomini Domini altissimi :· ¶ *Qui reddidit mihi.*

C. Interior homo salutare Dei conspexerat, quod cernere cupiebat carnalibus oculis. *Cantabo*, scilicet corde, ubi nimiâ lætitiâ complebitur. *Psallam*, operibus bonis, quod maxime divinitas quærit.

Oratio ex Psalm. XII.

D *NE avertas faciem tuam à nobis omnipotens Deus, ne inimici nostri exaltentur adversus nos: sed ita cor nostrum salutaris tui exultatione perfunde, ut facias somnum secunda mortis evadere. Per Dominum nostrum.*

Argumentum Psalm. XIII.

C. *Ecclesia judæos increpans qui viso Domino minime crediderunt, inani eos trepidatione dicit confundi qui fructuosum timorem Domini cognoscere noluerunt, eorum in fine sæculi conversionem prædicens.*

TT. † In finem Psalmus David: *Victori.*

C. Finis Christum significat, ideo frequenter repetitur, ut semper ad omnipotentem audientis animus erigatur. C. Psalmus iste, judæorum vesaniam vehementi increpatione castigat, asper invectionibus, terribilis prophanis, amarus incredulis, ut hæc increpatio merito detur Ecclesiæ. E

1 DIxit ¶ insipiens in corde suo: ¶ *Stultus.*
Non est Deus.

C. Videns populus Judæorum Christum humiliter venisse *dixit*, *non est Deus*, nec intellexit ipsum esse qui à prophetis prædictus est. Et ideo insuper gravius est, quia dixerunt hoc non in labiis, sed *in corde*, ut malo voto peior incredulitas jungeretur. A. Vel *insipiens* etiam gentilis dicitur, Deum non esse putans, qui corruptus est mente, lignum sibi Deum faciens. Insipiens Iudæus. Insipiens Gētilis.

2 Corrupti sunt :: & :· abominabiles facti sunt † in studiis !! suis :· : † *Studiose.*
Non est qui faciat bonum !! non est usque ad unum :·. F

H. Si enim notitiam habuissent Dei, *corrupti* per infidelitatem *& abominabiles*, id est, odibiles non fuissent. *Non est usque ad unum.* C. Revera solus Christus est, sine quo aliquod bonum vel incipere vel implere nullus valet. Alia litera habet *corrupti sunt in voluntatibus suis.* Voluntas autem dicta est à volatu, quoniam animus quo vult nimiâ velocitate transfertur. *Corrupti* igitur *sunt* judæi, dum à scripturarum sanitate recedentes, in vitiosos sensus inciderunt, & ita nefandissimâ incredulitate maculati, in pœnam peccati etiam Deo *abominabiles facti sunt.* Volūtas.

3 Dominus de cælo prospexit super filios hominum:
Vt † videat † *Videret.* Si est intelligens :! aut :· ¶ requirens Deum: ¶ *Qui requirat.* G

C. *Prospexit Dominus* scilicet ut nobis mitteret unigenitum filium suum. *Super Filios*, id est, humanum genus. H. *Vt videre sanctos suos faciat*, per quos respicit, & in quibus habitat, *si sit sapiens.* C. Id est, qui mente intelligat Christum esse verum Deum & hominem, & requirat operatione Deum, sequendo mandata ejus, ut ab ejus voluntate non discrepet. Sed quid viderint sancti Dei, per quos Deus videre dicitur, subdit, *omnes declinaverunt*, &c.

4 Omnes † declinaverunt, simul inutiles facti sunt: † *Recesserunt, simul conglutinati sunt.*
Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

C. Hic dicit *omnes*, id est, totum, & significat partem. *Declinaverunt* scilicet à gratia Dei, *& facti sunt inutiles* sibi & aliis. Tanti enim & tot de judæis impij fuerunt, ut pœne omnes perfidi esse ac perisse putarentur. H. Similiter de gentibus, omnes igitur non intelligunt nec requirunt, sed declinaverunt tam judæi quam gentiles. H

5 :: Sepulchrum patens est guttur eorum :·, !! linguis suis dolose agebant :· : Isti octo versiculi in Hebraico non habētur, licet ab Apostolo citentur. Rom. 3. De quo re vide

C. Merito ergo sepulchrum dictum est guttur eorum: qui pestiferos sermones proferebant, sicut sepulchrum fetidos odores exhalat. *Linguis suis dolose agebant*, quibus mortifera verba loquebantur. Aspis immane genus est serpentium, quod naturali obstinatione verba incantantium perhibetur non admittere, nec à voto suo potest removeri, & quod non valet

A S. Hieron in Esaiam lib. 16. in præfatione Aspis. Venenū.

ullo carmine mitigari, sicut alia genera serpentina, quod significat surditatem mortiferam judæorum. *Venenum* dictum est quod per venas currat, sic & vota malignorum occulta cogitatione grassantur.

6 !! Quorum os maledictione & amaritudine plenum est :· :
!! Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem :.

C. *Quorum os*, id est, judæorum, *maledictione plenum est* quando pro bonis admonitionibus blasphemamabant Christum. *Amaritudine* : cum de nece ejus tractabant. *Pedes* consilij progressus appellat, quibus de incepto movemur ad exitus rerum. Cum dicit *veloces*, defuisse illis ostendit consilia moderationis. *Ad effundendum sanguinem*, id est, Domini salvatoris & suorum, ut scelestæ rei crescat immanitas actionis, dum in Dominum salvatorem manus noxias iniiciunt.

B 7 !! Contritio & infœlicitas in viis eorum :· !! & viam pacis non cognoverunt :· :
!! Non est timor Dei ante oculos eorum :· .

H. *Contritio*, scilicet, corporis judæorum, *infœlicitas* animæ, *in viis*, in operibus eorum. Cur? quia *viam pacis*, id est Christum, *non cognoverunt*, nec per fidem nec per opera. Quare? quia *non est timor Dei* in sensu eorum, non enim metuunt futurum judicium. C. Via impiorum contritio est, quia terit & teritur, infœlicitasque in ea est, quia nunquam per ipsam nisi ad infausta supplicia pervenitur.

8 Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem :
Qui devorant plebem meam sicut escam panis?

H. *Nonne cognoscent*, ac si dicat, si modo non cognoscunt venturam ultionem cognoscent in judicio,
C qui modo mala operantur. *Plebem meam devorant*, id est hæretici populum Christianum seducunt, vel mali occidunt bonos, vel idololatræ credentes. Sicut nullus esuriens sine pane bene potest saturari, sic hæretici nunquam satiantur iniquitatibus suis nisi persequantur Christianos. A. Vel satiantur persecutione Christianorum, sicut escâ panis satiatur esuriens.

9 Dominum non invocaverunt :
Illic trepidaverunt timore !! ubi non erat timor :. .

H. *Dominum non invocaverunt*, si enim invocassent, salui essent. *Illic trepidaverunt* & in idolis & rebus vanis simulachrorum, qui Deum timere debebant. C. Et quando dicebant de Christo. *Si dimittimus eum sic*, &c.

D 10 Quoniam Deus in generatione justa est, consilium † inopis confudistis : † *Pauperum.*
Quoniam Dominus spes ejus est.

H. *Quoniam Deus est in generatione justa*, id est, in populo Christiano. C. Christi *consilium confudistis*, id est, suscipere noluistis. H. Dicentis, pœnitentiam agite. Inops dicitur Christus, qui pro nobis pauper factus est. *Dominus spes eius* est. Pater utique filij, quia humanitas confortata est de divinitate. A. Vel quilibet, membrum Christi existens, quia Dominus spes ejus est : inde contemnitur magis, unde magis reverendus esset.

11 Quis dabit § ex § *De* Sion salutare Israël, cum † averterit Dominus captivitatem plebis suæ : † *Reduxerit :* E
Exultabit Iacob !! & :. lætabitur Israël.

C. Cum dicit *quis dabit*, vult intelligi Dominum patrem, qui Dominum Christum in Sion, id est, in Ierusalem mittere dignatus est. Ipse est æterna salus Israël, id est, credentium. *Dum averterit*, &c. id est, diabolum damnaverit, Qui Dei plebem persequi & captivare festinat. *Exultabit Iacob*, id est, judæorum & gentium populus collectus per gratiam Dei. *Lætabitur Israel*, hoc est universalis Ecclesia.

Oratio ex Psalm. XIII.

Dignare Domine de cælo sancto tuo respicere super filios hominum, & da nobis agnoscere viam pacis, ut adversa vitiorum captivitate, cælestis Ierusalem habitacule perfruamur. Per Dominum nostrum. F

Argumentum Psalm. XIV.

C. *Propheticæ interrogationi respondet Dominus, in decalogi exemplum decem virtutibus ad suæ beatitudinis atria perveniri.*

TT. Psalmus David.

C. Psalmus iste non profunditate velatus est, sed propheticæ interrogationi respondet Dominus, in decalogi exemplum : decem virtutibus ab beatitudinis suæ atria perveniri.

1 Domine quis § habitabit in tabernaculo tuo : § *Peregrinabitur in tentorio tuo: Et quis habitabit.*
Aut quis requiescet in monte sancto tuo. G

C. Tabernaculum dictum ex duobus nominibus, id est, à taberna (quæ est domus pauperum, quia non adhuc tegulis, sed tantum trabibus tegebatur) & cænaculo (quia ibi cænabant sicut antiquis mos erat semel in die cibum sumere) significat catholicam fidem in qua habitat sancta Dei Ecclesia. Mons signat futuram Ierusalem. H. Non autem quærit, quis in Ecclesia absolute habitet, in qua & boni & mali sunt, sed subaudiendum reliquit, *dignè*. Quis in ea scilicet digne habitet. Quod ex eo probatur quod subdit, *aut quis*, &c.

2 Qui ingreditur sine macula :
Et operatur justitiam.

C. Ingredi tabernaculum sine omni macula solius Domini fuit. Operabatur justitiam : cum ejecit de templo vendentes & ementes. H. Membrorum vero suorum est, sine maculà peccati mortalis incedere, & per baptismum sine omni maculà, ingredi, quia sine minimus esse non possumus. H

3 Qui loquitur veritatem in corde suo :
Qui non † egit dolum in lingua sua: † *Est facilis in lingua sua.*

H. Multi loquuntur veritatem labiis, sed non in corde, qui videntur vera dicere, sed cor cum labiis non consonat, quod Christus non fecit. Non egit dolum Christus, quia quæ locutus est ore, complevit opere. Iste dolosè agit, qui aliud agit & aliud dicit.

A

4 Nec fecit ¶ proximo suo malum : ¶ *Amico suo.*

Et opprobrium non † accepit adversus proximos suos : † *Sustinuit super vicino suo.*

Proximi nostri.

H. Proximi sunt nobis omnes homines, & nulli debemus malum facere. Ille *opprobrium*, id est, detractionem non *accipit de fratre*, qui prius non credit mala de illo antequam probat. Qui ista superius comprehensa complet, ille habitat in vita æterna.

B

5 † Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus : † *Despicitur in oculis ejus improbus.*

Timentes autem Dominum ¶ glorificat. ¶ *Glorificabit.*

H. *Ad nihilum deductus est malignus*, id est, diabolus, quia apud sanctos pro nihilo habetur. *Qui timent Dominum* timore sancto, *Dominus eos magnificat.* C. Vel ad nihilum deductus est, quando ei dixit, redi retro satanas, non tentabis Dominum Deum tuum.

6 † Qui jurat :: proximo suo :· & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram : † *Iurat, ut se affligat & non mutuat : pecuniam suam, &c.*

Et munera ¶ super innocentes non accepit : ¶ *Adversum.*

C

Iurare.

C. Iurare enim dictum est, quasi justè orare, hoc est juste loqui. A. *Non decipit* proximum : qui jurat dare & subvenire proximo & promissum reddit. H. Vel *non decipit* anima proximum, id est, corpus, si præcepta Dei observat quæ observare promittit. Sicut enim pecunia visibilis prohibetur ad usuram dari, ne is qui accipit magis spolietur quam juvetur : ita verbum Dei non solum divitibus qui pascunt, verumetiam pauperibus hominibus gratis debet insinuari. Non accipit munera super, id est, contra innocentes, qui judicium justum propter aliquod munus non subvertit.

Usura.

7 Qui facit hæc :
Non movebitur in æternum.

D

C. Non dixit qui cantat, sed quid facit hæc, ipse habitabit in tabernaculo Domini, & in regno sancto ejus requiescet : ut nos ad actualem virtutem interpositâ lege constringeret, ne secreta tanti mysterij, intenti solis cantibus, inaniter psalleremus.

Oratio ex Psalm. XIV.

CONcede nos piissime Deus sine maculâ ingredi Ecclesiam tuam, & averte nos à dolis proximi vel usuris, ut dum hæc secundum tuum observamus præceptum, non commoveamur ab æmulis supplicijs in æternum. Per Dominum nostrum, &c.

Argumentum Psalm. XV.

C. *Christus pro humanitate susceptâ à patre se conservari petit, eique gratias refert quod suâ potentiâ iniquitatem hujus sæculi superavit : & post resurrectionis gloriam in delectationibus dextra sua eum collocavit.*

E

† Tituli inscriptio ipsi David. † *Humilis & simplicis David.*

C. *Tituli inscriptio ipsi David*, verum hanc tituli inscriptionem non ad quamlibet aliam personam, sed ad Christum referri debuisse : adjectum est, *ipsi David*, quod ad Dominum salvatorem competenter referri valet. Deprecatur hic assumpta humanitatis natura, pro nostra protectione conservari se à judæis.

1 † CONserva me Domine quoniam speravi in te : † *Custodi me Deus.*

Dixi ¶ Domino Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non eges : † *Deo, Dominus meus es tu, Bene mihi non est sine te.*

F

C. Sperasse semper dicit in Domino. *Dixi Domino* : filius dicit, à forma servi ad patrem, qui in divinitate æqualis est patri. H. Non indiguit pater secundum suam majestatem incarnationis aut passionis vel resurrectionis, quæ ad filium pertinent secundum humanitatem, ut nos redimeret. Sed quibus illa prosint : addit *Sanctis*, &c. istis hæc sunt necessaria.

2 Sanctis qui in terra sunt † ejus :
Mirificavit * omnes :· voluntates meas in eis : † *Et magnificit : omnis voluntas mea in eis.*

C. *Sanctis qui sunt in terra* viventium, significat innocentes & justos. H. In Ecclesia, quæ terra dicitur ejus. C. Per quos miræ factæ sunt voluntates Dei salvatoris, quando illis obedientibus, & jussa Christi facientibus, reddidit eos de mortalibus æternos. A. Sive *mirificavit*, dum eos magnificavit miraculis, per quæ miracula ostensum est, quod prædicatio eorum & fides & opera fuerint voluntatis Dei.

G

3 ¶ Multiplicatæ sunt infirmitates eorum : ¶ *Multiplicabuntur idola eorum post tergum sequentium.*

Post ea acceleraverunt.

H. *Multiplicatæ sunt* gentibus *infirmitates*, id est, idola quæ (Domino veniente in carne) relinquentes celerrimè ad eum sunt reversi, habet enim hebraica veritas, *multiplicata sunt idola eorum.*

Infirmitates idola sunt.

4 † Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus :

Nec memor ero nominum eorum per labia mea : † *Non libabo libamina eorum de sanguine Neque assumam nomina eorum in labiis meis*

H

C. Quas gentes dicit non sanguine pecudum aut victimarum consuetudine congregandas, sed immolatione corporis & sanguinis Christi. Non fuit ergo *memor* Christus *nominum* illorum quibus prius nominabantur, dicti filij iræ, filij diaboli, sed novorum nominum memor est, quibus dicuntur nunc Christiani & filij Dei. Labia vero Christi duo testamenta significant, quando utrâque regnum Dei prædicant & in unius soni concordia sicut labia temperantur.

Labia Christi, duo testamenta.

5 Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei :

¶ Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi : ¶ *Tu possessor sortis meæ.*

C. *Pars hæreditatis & calicis* Dominus est. Dicit

filius

A filius ad patrem non deitate minor, sed humanitate subjectus: esse patrem partem hæreditatis suæ scilicet in fide gentium patri & filio credentium. C. Calix, voluntatem ac distributionem domini signat. *Restitues* autem dixit, quoniam faciente diabolo perierat genus humanum. H. Ipsa hæreditas restituta est quando electos suos ad immortalitatem attraxit. C. Dicta est autem hæreditas ab hero, id est, Domino. Calix.

6 † Funes ceciderunt mihi in præclaris: Etenim hæreditas mea præclara est mihi: † *Linea ceciderunt mihi in pulcherrimis: & hæreditas speciosissima mea est.*

Funes. C. *Funes.* Patriarchas & prophetas & Apostulos vel quoscunque advocaverit Christus, signat quos ille recipit, *in præclaris*, id est, in optimis. C. Hæreditas Christi est multitudo sanctorum, quæ *præclara* dicitur Christo, licet ab sæculi hominibus despiciatur, quia ab eo electa. *Cecidisse*, dixit, pro venisse. B

7 Benedicam Dominum qui tribuit mihi ¶ intellectum: ¶ *Consilium.*

In super & † usque ad noctem increpuerunt me renes mei: † *Noctibus erudierunt me renes mei.*

C. Benedicit filius patri, secundum humanitatem tribuenti sibi Intellectum, quo omnia vera sanctaque cernebat, ne sibi humana infirmitas aliquid sine gratiâ patris applicaret. H. *Nox* significat tempus passionis. C. *Renes* vero cognationem significant judæorum, de quâ Christus secundum carnem nascebatur, à quibus frequenter & usque in mortem increpatus est. H. Vel *renes*, id est, delectationes carnis tunc increpant quando stimulant ut peccetur. Et ita est vox ista non capitis, sed membrorum Christi, vel capitis pro membris. Renes. C

8 ¶ Providebam Dominum in conspectu meo semper: ¶ *Proposui.*

Quoniam à dextris est mihi ne commovear.

H. Nam qui Dominum semper intuetur oculis mentis, nullatenus ad delicta convertitur. Dicit autem causam cur non moveatur, quoniam à dextris est Dominus, siquidem à dextris Domino adjuvante sinistra non prævalet nocere, quod si Dominus dexteram partem non tenuerit, statim eam diabolus occupabit.

9 Propter † hoc lætatum est cur meum: † *Ea.* D

Et exultavit ¶ lingua mea ¶ *Gloria mea.*

11 insuper ∴ & caro mea † requiescet in spe: † *Habitabit confidenter.*

C. Propter hoc quod ille à dextris scilicet astitit: in corde suo jocunditatem & exultationem linguæ sibi esse testatur. H. *Caro* Ecclesiam significat, quæ requiescit ad tempus in spe futuræ resurrectionis. Ecclesia enim est caro Christi, ideo Christus loquitur, Ecclesia quæ est caro mea, modo requiescit in spe resurrectionis, ut ubi caput præcessit, & membra sequantur, *quoniam*, &c. C. Vel intelligitur de carne hominis Christi quam pro nostra salute suscepit, quæ in sepulchro quievit, in spe resurrectionis die tertiâ factæ. Caro Christi Ecclesia est.

10 Quoniam non derelinques animam meam in inferno:

Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. B

C. Ecce filius gratias agit patri, quia ejus anima non sit more communi in inferno derelicta, sed clarificata celeri resurrectione. Hic *corruptionem*, id est, putredinem justè negat fieri, quæ carnem consumit humanam. Caro enim Christi non potuit corrumpi in sepulchro.

11 ¶ Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: Delectationes in dextera tua ∴ usque ∴ in finem: ¶ *Ostendes mihi semitam vitæ, plenitudinem lætitiarum ante vultum tuum: decores in dextra tua æternos.* F

H. Vox justorum, *notas mihi fecisti*, id est, me cognoscere fecisti mandata Christi. Tunc erit plena lætitia cum adunatum fuerit corpus, id est Ecclesia in regno Dei, ubi speculatur vultus Dei. C. *In dextera tua* dicit, quoniam nullatenus à paterna contemplatione discessit. Finis significat perfectionem atque æternitatem, & *usque in finem*, id est, perfectè & æternaliter.

Oratio ex Psalm. XV.

Conserva Domine sperantes in te, & effice voluntatis tuas nobiscum: ut clarificati lætitia resurrectionis tuæ, mereamur à dextris tuis cum sanctis omnibus delectari. Per Dominum nostrum, &c. G

Argumentum Psalm. XVI.

C. *Trifaria oratio ab humanitate Christi in psalmo depromitur. Primò secundum justitiam suam petit debere restitui. Secundò ut à Iudæorum insidiis eius puritas liberetur. Tertiò resurrectionem velocissimam deprecatur, ne inimicis diutius liceat insultare.*

TT. Oratio David.

H. *Oratio David*, iste Psalmus cantatur contra Iudæos ex persona Christi, vel contra hæreticos ex persona Ecclesiæ.

1 † Exaudi Domine justitiam meam: Intende deprecationem meam: † *Audi Deus justum.* H

C. Vox Christi in passione & vox Ecclesiæ in tribulatione. Et Christus petit exaudiri justitiam suam, quia obediens fuit patri usque ad mortem. Inter deprecationem & orationem differentia est. Oratio simplicior est, quæ fit pro devotis, ut perseverent. Deprecatio vero pro suis peccatis vel alienis: vel aliquid fortius est deprecatio quam oratio. Differētia oratio & deprecatio.

2 Auribus percipe orationem meam.

¶ Non in labiis dolosis: ¶ *Absque labiis mendacii.*

H. Orat enim filius (ex infirmitate carnis, non ex diminutione deitatis) ut exaudiatur, quod rogat, Non in labiis dolosis, sicut est oratio eorum qui me iniquè damnant & meos, ut sunt Iudæi. C. A Iudæis enim manavit falsa sententia, apud quos innocens damnatus est, & latro cognoscitur absolutus. Oratio Christi.

A

3 De vultu tuo judicium meum prodeat:
Oculi tui videant æquitates.

C. *De vultu tuo prodeat iudicium.* Inusitata locutio est, quia de mente solet venire sententia non de vultu, sed hoc Christo convenienter aptatur, quia ille quod judicat videt, qui solus omnia secreta cognoscit. *Oculi mei videant aequitatem*, hic æquitatem, ipsam divinitatem significat, quam ipse filius semper videt, qui æqualis est patri. Sic alia litera habet. Nostra habet: *oculi tui* & tunc æquitas non divinitatem, sed merita Christi & Iudæorum significat.

4 Probasti cor meum !! & :· visitasti nocte:
† Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas:

5 Vt non loquatur os meum opera hominum:

B

Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. † *Conflasti me: & non meministi cogitationes meas transire os meum. In opere hominum propter verbum labiorum tuorum ego observavi vias latronis.*

C. *Probatio* hic significat passionem, quando inter pericula mortis optima documenta patientiæ ostendit, *visitatio* resurrectionem. Visitatus est nocte, quando anima ejus in inferno non est derelicta. Igne examinatus, id est, tribulatione passionis. Non est inventa iniquitas in illo, quam adustio ulla decoqueret.

C. Viæ duræ sunt, quas debent homines imitari, quibus iter vitiorum leve est. Nam cum peccata vitantur: homini viæ duræ sunt, quas vias immaculatus peccatis Christus ambulavit. A. Vel viæ duræ dicuntur opera hominum, quas scilicet merentur opera hominum. Opera enim mala sunt opera hominum, non Dei, illa autem merentur pœnam quam Christus sustinuit.

Viæ duræ.

C

6 ¶ Perfice gressus meos in semitis tuis:
Vt non moveantur vestigia mea: ¶ *Sustenta gressus meos.*

C. Petit ergo Christus gressus suos custodiri, id est, actus humanos fidelium suorum membrorum. *In semitis*, id est, in mandatis tuis. *Perfice*, id est, fac perseverare. Vestigia, sunt signa plantarum quæ significant Apostolos, pro quibus petit Christus, ut se imitantes non moveantur à patre. A. Vel vestigia sunt doctrina sua, ab eo relicta post ascensionem. Quam petit non moveri, quæ ita firmata est, ut etiam cœlum terraque transibunt, verba autem Christi non.

Vestigia.

Matt 24.

D

7 Ego † clamavi quoniam exaudisti me Deus: † *Invocavi te, quia exaudies.*
Inclina aurem tuam mihi !! & :· ¶ exaudi verba mea: ¶ *Audi eloquium meum.*

C. *Ego clamavi*, Ideo Christus clamavit ad patrem, id est, oravit, quoniam confidenter suam orationem exaudiri à patre sciebat. Inclinari autem petit, quoniam ad eum non valet humana infirmitas per se pervenire. Tunc exaudit cum se benignum indulserit.

8 ¶ Mirifica misericordias tuas:
Qui saluos facis sperantes in te. ¶ *Mirabilem fac misericordiam tuam: salvator sperantium.*

H. Tunc mirificavit misericordias suas, pater quando per Apostolos & cæteros sanctos infirmitates indigentium curavit. C. *Salvos facis*, id est, in æterna vita constitues sperantes in te.

E

9 A resistentibus dexteræ tuæ custodi me:
Vt pupillam † oculi: † *Intus in oculo.*

C. Dextera enim patris filius est, cui Iudæi resistere, id est, repugnare ausi sunt. Pupilla enim pars est oculi, qua discernimus qualitates rerum, dicta à parvitate quasi pusilla. Cui comparatus est Christus, qui in suo judicio justos a peccatoribus segregandos conspicit. Aptissimè se petit custodiri, ut pupillam, cum per ipsam res visuales discernimus, & in nostro corpore nil præstantius invenitur.

Dextera patris filius est.

Pupilla.

10 Sub umbra alarum tuarum protege me:
A facie impiorum † qui me afflixerunt: † *Vastantium me.*

F

C. A. Alæ sunt patris misericordia & charitas, quibus se protegi sancta Dei Ecclesia expostulat. C. A. *facie impiorum*, dæmones significat & sequaces eorum, qui ardorem insidiarum in necem Domini, vel in sanctos cumulabant. *Facies* instantiam impiorum notat, vel ipsorum truculentam præsentiam.

Alæ dei, misericordia & charitas.

11 Inimici mei animam meam circumdederunt, ¶ adipem suum concluserunt: ¶ *Adipe sua.*
† Os eorum locutum est superbiam: † *Et ore locuti sunt superbè.*

C. *Inimicos*: Iudæos dicit. *Animam* vitam temporalem, quam arripere voluerunt: cum gladiis & fustibus *circumdederunt*. Concludunt adipem qui multa voracitate pinguescunt, sic Iudæi scelerum nimietate incrassati: locuti sunt superbiam contra Christum impij. H. Vel contra Ecclesiam. C. Sua mala facta defendendo.

Cõcludere adipem.

G

12 ¶ Proiicientes me nunc circumdederunt me: ¶ *Incedentes adversum me nunc circumdederunt.*
Oculos suos † statuerunt declinare in terram: † *Posuerunt.*

C. *Proiicientes*, scilicet, Christum extra civitatem. *Circumdederunt*, non obsequiu, sed furore in cruce. Oculos mali declinant in terram: quando malâ cogitatione aliqua in mente volvunt. H. Vel oculos in terram statuerunt declinare, quando de terrenis cogitabant, & de cœlestibus non meditabantur.

Oculus in terram declinare.

13 ¶ Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam:
Et sicut catulus leonis habitans in abditis: ¶ *Similitudo eius quasi leonis desiderantis prædam, & quasi catuli leonis sedentis in absconditis.*

H

C. *Susceperunt me*, id est, Iudæi à Pilato, quando dixit, *tollite eum & crucifigite*: Leo diabolus intelligitur, cui hic Iudæi merito comparantur, cum etiam eo pejores visi sint, quoniam ille fuit ausus Dominum tentare, Iudæi autem Dominum crucifigere. *Catulus leonis*, reliquum populum Iudæorum signat, qui se diaboli filios effecerunt. *Habitans in abditis*, id est, in insidiis occultis, malorum enim hominum consuetudo est mala vota tegere, ut sic consilia eorum possint ad effectum venire.

A

14 ⁝ Ex ⁖ surge Domine præveni † eum & supplanta eum : † *Faciem eius, incurva eum.*

Eripe animam meam ab impio, ¶ frameam tuam ab inimicis manûs tuæ.

15 Domine à paucis de terra divide eos in vita eorum :

De absconditis tuis adimpletus est venter eorum. ¶ *Qui est gladius tuus, à viris manus tua Domine : Qui mortui sunt in profundo : Quorum pars in vita : & quorum de absconditis tuis replesti ventrem.*

H. Vox Christi ad patrem ut præveniat animæ suæ B ne læderetur à principe diabolo, prævenitque eum potestas divinitatis, & alligavit & ad infernum perduxit. C. Framea, modo contum, modo loricam, modo gladium significat bis acutum, quæ tamen omnia ad instrumenta armorum certum est pertinere. H. Framea est enim patris, anima salvatoris : quando per ipsum diabolum vicit. C. Sunt enim diaboli inimici manûs Domini, qui humanum genus contra voluntatem Domini semper perversa voluntate dilacerant.

C. Precatur etiam patrem filius, ut dividantur increduli a paucis, id est, ab Apostolis, ut convertantur ad Dominum de terra scilicet huius mundi vitiosa. *In vita eorum*, id est, in mundo isto, ubi pœnitentiæ locus est, ut in Christum crederent. *De absconditis tuis.* Omne peccatum illi abominabile est atque à conspe- C ctu eius quasi absconditum, quia extraneum est illi, inde dicit adimpletum esse ventrem, id est, sensum incredulorum. A. C. Vel divide iudæos à terra eorum in universum orbem, & hoc in vita illa eorum, quam solam suam putant, de æterna desperantes. In futuro autem quid tunc erit ?

16 † Saturati sunt filiis :

Et dimiserunt reliquias suas parvulis suis. † *Qui saturabuntur filiis : & dimittent reliquias suas parvulis eorum.*

H. *Saturati sunt filiis* scilicet iudæi qui in procreatione filiorum multiplicati sunt, & rebus sæculi. *Dimiserunt reliquias* maledictionis, hoc est vindictam illam quam merebantur, dicentes. *Sanguis eius super nos & super filios nostros* Reliquerunt filiis suis, quia illi sicut patres excæcati dispersique sunt.

17 ¶ Ego ⁝ autem ⁖ in iustitia apparebo D in conspectu tuo :

Satiabor cum apparuerit gloria tua.

¶ *Ego in iustitia videbo faciem tuam, Implebor cum evigilavero similitudine tuâ.*

C. Apparere se dicit in conspectu patris cum iustitia, quoniam eius voluntatem impleverat. Satiabor de humani generis credulitate, quando numerus sanctorum est supplendus. Gloria patris manifestabitur in iudicio Domini salvatoris, cum unusquisque recipiet pro actibus suis.

Oratio ex Psalm. XVI.

Converte Domine oculos cordis nostri ad cernendam tui iudicij veritatem, ut dum hic igne spirituali probamur, de tuis in æternum conspectibus cum fructu iustitiæ satiemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.

E

Argumentum Psal. XVII.

C. Propheta Domino gratias agit, quod eum de gravibus periculis liberavit, loquiturque Ecclesia quod ante Adventum Domini innumeras pertulit calamitates: vox etiam Christi inducitur, ubi virtus eius potestasque describitur.

TT. † In finem puero domini David, qui locutus est ad Dominum verba cantici huius, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul, & dixit. † *Victori servo Domini David, &c.* F

Totus hic Psalmus sub persona David ad Christum pertinet, qui est finis, & puer vocitatus, & manu fortis. quod David sonat: Canticum ad contemplationem cœlestium rerum pertinet.

1 Diligam te Domine fortitudo mea:

† Dominus firmamentum meum & refugium meum & liberator meus. † *Domine petra mea, & robur meum & salvator meus.*

C. Diligit Dominum qui mandatis eius obtemperat. Diligo dicitur quasi de omnibus eligo. Rectè confitetur Dominum esse suam virtutem, quo donante fortior factus est David suis inimicis. Pulchrè ostendit Propheta quis eius sit Dominus, singulis enim diversisque verbis prædicando : declarat quid sit Dominus, qui est modo virtus, modo firmamentum, modo refugium, modo adiutor, modo protector, modo liberator, modo cornu salutis, quæ omnia Christus est Ecclesiæ. G

Diligere Dominum.

2 Deus meus ¶ adiutor meus : ¶ *Fortis meus.*

Et sperabo in eum.

C. Nam sperare de futuro specialiter se dicit, qui eum in præteritis senserat adiutorem.

3 † Protector meus & cornu salutis meæ :

† *Scutum meum.* ⁝ Et ⁖ susceptor meus.

H. *Protector meus*, qui me protegis & defendis. *Cornu salutis*, quia infirmitatem confortas. C. Ad inimicos dissipandos. Cornua enim arma sunt belluarum, quibus salutem suam solerti concertatione defendunt. *Susceptor meus.* Quoniam susceptus est Christus à patre. H

Cornua sunt arma bestiarum.

4 ¶ Laudans invocabo Dominum : ¶ *Laudatum.*

Et ab inimicis meis salvus ero.

C. Laudantem se dicit invocare Dominum, & ipsi universam suam victoriam tribuere (non sibi) qui dignatus est cuncta præstare. Et ideò ab inimicis salvum se faciendum dicit, quia victoriam suam non sibi videbatur applicasse, sed Domino. Nam qui aliter facit, vitiis suis captivus redditur, quamvis hostea superasse videtur.

5 Circumdederunt me ¶ dolores mortis : ¶ *Funes.*

Et torrentes † iniquitatis conturbaverunt me. † *Diaboli terruerunt me.*

H. *Circumdederunt* Christum, qui in inferno gemebant. *Torrens* dicitur fluvius excitatus hybernis im-

A hibus, & significat turbam iniquorum rapidam ad iniquitatem, qui conturbant Ecclesiam, & more torrentis hyeme tribulationis intumescunt, sed adiuvante Domino citò deficiunt & defluunt.

6 ¶ Dolores inferni circumdederunt me: ¶ *Funes.*
† Præoccupaverunt me laquei mortis. † *Prævenerunt.*

Dolores inferni. Laquei mortis.

C. Istius versiculi talis est ordo verborum. *Circumdederunt me dolores inferni*, hæc de paganis dicit, qui erunt dolores inferni, id est, qui in inferno debito dolore torquendi sunt. Præoccupare David se dicit laqueos mortis, id est, reatus originalis peccati, qui nos ab ipso conceptu facit obnoxios priusquam nascamur in mundum. A. Vel Christus in persona membrorum suorum loquitur hæc.

B 7 In tribulatione mea ¶ invocavi Dominum: ¶ *Invocabo.*
Et ad Deum meum clamavi.

H. Humanitas invocavit divinitatem in passione, & Ecclesia Christum. C. Clamare autem plus est quam invocare. Crevit sermo, progrediente desiderio, & accensus animus prosilivit avidius in clamorem.

8 † ! ! Et ⁖ exaudivit de templo ! ! sancto ⁖ suo vocem meam: † *Exaudiet.*
Et clamor meus ¶ in conspectu eius introivit in aures eius. ¶ *Ante faciem eius veniet in aures eius.*

H. *Templum*, corpus dominicum: exaudita est humanitas à divinitate. C. *Clamor* iste: causa iustitiæ est,

C quæ ad Deum intrare poterat, quia pro mundi cladibus supplicabat.

9 Commota est & contremuit terra, & fundamenta montium † conturbata sunt & commota sunt: † *Concussa sunt & conquassata.*
Quoniam iratus est ! ! eis ⁖.

C. Nunc propheta ad incarnationis secreta pervenit, ordinémque ipsum mirabili narratione describit.

Terra commota.

H. Commota est terra, quando terreni de infidelitate in adventu Christi ad fidem venerunt & contremiscunt peccata sua. C. *Fundamenta montium*, significat præsumptiones superborum, id est divitias vel honores, cæteráque humana quibus illi innituntur. *Iratus est eis* Deus, quia vitia humana probantur Domino esse exosa.

D 10 Ascendit fumus † in ira eius, † *de furore eius.* Et ignis ¶ à facie eius exarsit: ¶ *Ex ore eius devorant.*
Carbones succensi sunt ab eo.

C. *Fumus* hic in bono positus est, qui succensus profudit lachrymas pœnitentiæ. *Ira eius* conturbationem signat timoris futuri iudicij quo conturbantur adeò peccatores, ut ad remedium pœnitentiæ perducantur. *Ignis* est Charitas Dei, qui egreditur a facie Domini, quoniam ipsius illuminatione eis conceditur Charitas qui peccare dimittunt. *Carbones succensos* peccatores dicit, qui velut carbones mortui erant prius peccando, iterum reviviscunt, succensi igne pœnitentiæ. Quomodo autem succensi sint carbones mortui, sequenter docet, scilicet veniente Domino redemptore, quia *inclinavit*, &c.

Ignis charitas Dei. Carbones succensi.

E 11 Inclinavit cœlos & descendit:
Et caligo sub pedibus eius.

H. *Cœli*, id est, Angeli sunt inclinati, quando Gabriel ad Mariam venit. *Et descendit* scilicet Christus, id est, venit in carne. *Caligo* est profunditas scripturarum quam dedit Deus *pedibus*, hoc est apostolis, vel cæteris sanctis. C. Vel caligo diabolus est, quia mentes obnubilat.

12 Et ascendit super ¶ cherubin & volavit: ¶ *Cherub.*
Et volavit super pennas ventorum.

F C. *Cherubin* interpretatur plenitudo scientiæ. *Ascendit super Cherubin* Christus, quando videntibus Apostolis cœlos conscendit. *Volavit*, id est, per mundi spatia eius fama velocior vento cucurrit, quando ipso in cunabulis iacente, Magis eum stellæ claritas nuntiavit. Quid enim dici potest velocius eo, qui mox ut natus in alia mundi parte conspectus est? Tunc ergo superata est celeritas ventorum quamvis in mundo nihil velocius eis esse monstretur.

Cherubin. Fama de Christo velocius.

13 ! ! Et ⁖ posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius:
Tenebrosa aqua in nubibus † aeris. † *Ætheris.*

C. *Tenebras*, mysterium dicit eius incarnationis, ut qui in deitate sua videri non poterat velatâ carne humanâ, redemptor noster appareret. *Latibulum* secretum maiestatis eius significat, quod tunc revelabit iustis quando eum facie ad faciem videbunt in gloria. *In circuitu* proximitatem signat tabernaculi, id est, dignitatem beatorum sanctorum, ut in cœlo iuxta ipsum habitent qui in eius Ecclesia fideliter perseverant.

G *Aquam*: scripturam dicit, quæ est *tenebrosa*, id est, obscurâ in prophetis, in prædicatoribus verbi, quia & si dicta eorum se quis putet intelligere, tamen ad ipsam dictorum virtutem, sicuti est totaliter, vix potest pervenire.

Aqua tenebrosa.

14 Præfulguræ in conspectu eius nubes transierunt:
* Grando & carbones ignis ⁖.

C. *Præfulgura* nominativus pluralis respondet ad nubes. Nubes sunt prædicatores divini verbi. Et est sensus Illæ nubes quæ aquam continent Dei, id est eloquia divina, sicut in hoc aëre tenebrosæ, id est, obscuræ videntur, ita in conspectu Dei præfulguræ sunt, id est prælucidæ, quia ibi omnia præclarè patent quæ hic sunt obscura. *Transierunt nubes*, id est, prædicatores ad gentes, relicto Israëlitico populo. *Grando*, hoc est increpatio prædicantium, quibus corda incredulorum stimulantur. *Carbones ignis*, charitatis incendia, quibus mens fidelium reviviscit.

Præfulguræ. Nubes, prædicatores.

H 15 Et intonuit ¶ de cœlo Dominus: ¶ *In.*
Et altissimus dedit vocem suam † * grando & carbones ignis ⁖ ! † *Grandinem.*

C. *Intonuit*, vox omnipotentis patris est, dicentis: *Clarificavi & iterum clarificabo.* Vndè multi crediderunt tonitruum esse. *Altissimus dedit vocem suam* quando dixit, *hic est filius meus dilectus*, &c.

H. Vel *intonuit Dominus* per Apostolos & Prædicatores minis, quæ sunt de pœnis æternis: & per eosdem dedit suam vocem, quæ est de præmiis æternis, quia nubes transierunt comminando supplicia æterna non credentibus: præmia quoque æterna credentibus promittendo. Ioan. 12.

A

16 Et ¶ misit sagittas suas & dissipauit eos : ¶ *Emisit.*
* Et :· fulgura multiplicavit & conturbavit eos.

Sagittæ Evangelistæ sint.

C. *Sagittas*, Evangelistas dicit, virtutum pennis, non suis sed eius à quo missi sunt, recta itineraia transvolantes. *Eos dissipavit*, ad quos missi sunt, id est, separavit, fideles recipiendo, impios abiiciendo. *Fulgura multiplicavit*, hoc est miracula multa fecit. H. *Conturbavit*, quia per miracula Apostolorum compuncti sunt ad pœnitentiam.

17 Et apparuerunt ¶ fontes aquarum : ¶ *Effusiones.*
Et revelata sunt fundamenta orbis : ! terrarum :· .

Fundamenta, Prophetæ & Apostoli.

B

H. *Fontes* Apostolos dicit. C. Qui *aquas*, id est, prædicamenta æternæ vitæ ore fundebant. H. *Fundamenta*, Prophetas atque Apostolos dicit esse manifestatos. C. Supra quos *orbis terrarum*, id est, Ecclesiæ ædificatio constructa est. Christo enim veniente patuit quod obscuritas divini tegebat eloquij.

18 Ab increpatione tua Domine :
Ab inspiratione spiritûs † iræ tuæ. † *Furoris tui.*

Ioan. 8.

H. *Ab increpatione* cum diceret, *nisi vos filius liberaverit, moriemini in peccatis vestris.* C. *Spiritus iræ tuæ*, prædicatores dicit, qui à spiritu Sancto inspirati delinquentes populos increpabant, vel increpatio prophetarum obiurgationem notat iustam in peccatores populos.

19 ¶ Misit de summo & accepit me :
Et assumpsit me de aquis multis. ¶ *Mittet de alto, & accipiet me : & trahet me.*

C

C. Vox Ecclesiæ, *misit* itaque pater *de summo*, id est, filium de cœlo : & *accepit* Ecclesiam, ac sibi coniunxit. *Assumpsit* Ecclesiam *de aquis*, quando baptismatis regeneratione eam conquirit. Sive *de aquis multis*, id est, populis multis collecta est Ecclesia.

20 † Eripuit † *Liberabit* me de inimicis meis ¶ fortissimis & ab his qui oderunt me : ¶ *Potentissimus.*
Quoniam † confortati sunt super me. † *Robustiores me erant.*

C. H. *Fortissimos inimicos*, persecutores & hæreticos dicit, qui sanctam Ecclesiam semper affligebant. C. Et ideò se magis dicit ereptam, quia *inimici confortati sunt*, supra ipsam in afflictione temporali. Tunc enim crescere meruit, cum eam data desuper potestate inimicus afflixit. O verè divina providentia, vt suis nisibus destruatur inimicus, & quanto se putat amplius lædere, tanto necesse sit eum etiam sævissimâ insecutione præstare.

D

21 † Prævenerunt me in die afflictionis meæ : † *Præveniet.*
Et factus est Dominus ¶ protector meus. ¶ *Firmamentum meum.*

C. *Prævenerunt* Pseudoapostoli, prædicatores Christi, conantes subvertere corda simplicium. *In die afflictionis*, quando martyria Christiani sustinuerunt. Ideo *Deus protector*, quia homo extitit impugnator, Deus enim Ecclesiam in persecutionibus protexit.

E

22 Et † eduxit me in latitudinem : † *Educet.*
¶ Salvum me fecit quoniam voluit me. ¶ *Liberabit me.*

C. Producta est Ecclesia in latitudinem, quando per sævitiam persecutorum numerum crevisse constat fidelium. Quoniam voluit, id est, me elegit qui gratis vocat universos, & salvos efficit sibi subjectos. In Ecclesia igitur catholica hunc esse morem fidelium nullus ignorat, vt quanto plus persecutionibus stringitur; tanto amplius fidei augmento dilatetur : tunc enim per gratiam Dei exurgunt invicti animi, tunc incendium charitatis ardescit, & facto agmine in gladios suaviter ruunt, qui æternæ vitæ præmia concupiscunt.

23 ! Et :· retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam :
Et secundum † puritatem manuum mearum retribuet mihi. † *Munditiam.*

F

C. *Secundum iustitiam meam*, id est, secundum voluntatem meam à te mihi datam bonam per gratiam. *Innocentiam manuum*, opera dicit pietatis, quam sanctorum virtus divino munere semper exercet.

24 Quia custodivi vias Domini :
Nec impie † gessi à Deo meo. † *Egi.*

C. *Via Domini*, sunt dilectio Dei, & proximi, quas constat eos custodire, qui nolunt à mandato Dei declinare : impie agit, qui iussa Domini declinare præsumit. Viæ Domini.

G

25 Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo :
Et ¶ iustitias ¶ *Præcepta.* eius non † repuli à me. † *Amovi.*

C. Habet in conspectu suo iudicia Dei, qui iugiter eius terribilia iudicia cogitat. Nunquam repulit iustitiam Dei à se, cui semper in corde Christus sive iustitia permanet. Repellunt iustitias Dei, qui carnis fragilitate superati, longâ præceptorum observatione deficientes, æquitatem (quam custodire cœperunt) deserunt.

26 Et ¶ ero immaculatus cum eo : ¶ *Fui.*
Et † observabo me ab iniquitate mea. † *Custodivi.*

H. *Ero immaculatus*, id est, perseverabo in illa innocentia Christianitatis in qua vocatus sum. *Observabo me*, ut non convertar ad infidelitatem in qua prius fui, sed firmiter perseverare volo in illa credulitate Christianitatis quam teneo. H

27 Et ¶ retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam : ¶ *Restituet.*
Et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.

C. *Iustitiam meam*, quam tu Deus donasti. H. Per oculos, aspectus intelligitur divinitatis. C. Quia sicut iusti semper corde Deum considerant, ita eos virtus divina iugiter respicit, & unicuique reddit secundum puritatem bonorum actuum.

28 Cum sancto sanctus eris :
Et cum viro innocente † innocens eris. † *Innocenter ages.*

C. *Cum sancto* viro, id est, Domino salvatore, ipso Sanctus Christus.

A prǽstante sancti esse possumus, præcipitur etiam, ut cum innocentia eius innocentes esse mereamur. Solent enim mores hominum frequenter eis similes fieri quos habuerunt doctores & præceptores.

29 Et cum electo electus eris:
Et cum perverso perverteris.

Esai. 42. *Perversus diabolus.*

C. Petendum est ut cum electione Christi (qui electus ab Esaia dicitur) eligamur, quod tunc accidit nobis quando præceptis eius obedimus. *Cum perverso*, id est, cum diabolo subverteris, qui propria iniquitate perversus est, illos etenim iniquissimus similes sibi facit, quos ad suæ obedientiæ iura convertit.

30 Quoniam tu populum † humilem salvum facies: † *Pauperem salvabis.*
Et oculos ¶ superborum humiliabis.
¶ *Excelsos.*

B C. Salvum faciet populum, cum in die iudicij ad dexteram suam humiles collocabit. *Oculos superborum*, arrogantes dicit. H. Qui pœnitentiam agere dedignantur. C. Quos *humiliabit* cum descendent in profunditatem gehennæ.

31 Quoniam tu illuminas lucernam meam:
Domine Deus meus illumina tenebras meas.

Lucerna intellectus dicitur.

H. Lucerna est intellectus animæ quæ illuminatur à Christo. Tenebras dicit ignorantiam cordis, quam petit a Christo illuminari.

32 † Quoniam in te eripiar à tentatione.
† *In te enim curram accinctus.*
Et in Deo meo ¶ transgrediar murum.
¶ *Transiliam.*

C *Murus mortis.*

C. *In te eripiar*, non à me, Tentatio, diabolum signat, qui omnibus momentis repeat, Benè dixit *transgrediar murum*, id est, obstaculum peccatorum, quod est murus mortis non salutis, quem inter Deum & homines mortalium nequitiæ construxerunt.

33 Deus !! meus ⁙ impolluta via eius, † eloquia Domini igne examinata:
† *Eloquium.*
¶ Protector est omnium sperantium in se. ¶ *Scutum est.*

C. *Impolluta via eius*, hoc est, incarnatio verbi, quam constat pollutionem nō habuisse peccati. H. *Eloquia Dei*, sunt eius igne fidei sive tribulationis examinata mandata, ideò Deo sunt placita sicut aurum igne probatum. Qui in Christum credunt proteguntur. C. Nullus dimissus est nisi qui in eum sperare neglexit.

D

34 Quoniam quis Deus præter Dominum?
Et quis † Deus præter Deum nostrum?
† *Fortis.*

C. Hoc contra paganorum dementiam dicitur: qui deos sibi multifariā vanitate finxere. Dominum posuit, quia ipsius servi sumus & eum adoramus. Iste enim Deus Trinitas est inseparabilis, tantum distincta personis non substantiā deitatis.

35 Deus qui præcinxit me ¶ virtute: ¶ *Fortitudine.*
Et posuit immaculatam viam meam.

H. Quod ait, *præcinxit me*, scilicet Spiritus Sanctus, qui nos armat contra potestates iniquas. C. *Immaculatam viam*, hoc est, viam purissimam sine sorde delicti, quam solus ille ambulavit qui peccata non fecit, & alios ambulare fecit in ea. E

36 † Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum: † *Coæquans pedes meos cervis.*
Et super excelsa statuens me.

C. Transmeavit Christus, delicta pungentia huius sæculi & facies peccatorum profundissimas sicut cervus spinosa fruteta. *Super excelsa* statuit eum, id est, Deus pater super omnem altitudinem creaturarum. Vt Apostolus ait: *Et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* *Philip. 2.*

37 ¶ Qui docet manus mea ad prælium:
¶ *Docens.*
Et † posuisti, ut arcum æreum brachia mea. † *Componens.* F

Brachia ut arcus ærens. Apostoli & Prophetæ sunt.

C. *Doceri*, est ab imminentibus insidiis cautum fieri. *Manus*, operationes significant, *prælium* certamen diaboli: *brachia* vero Christi, Prophetæ sunt & Apostoli per quos desiderium suæ voluntatis operatus est. His comparat *arcum æreum*, quia nesciunt servi Dei prædicando mollescere, sed in cœlesti fortitudine permanentes, verbis salutaribus emissis, velut sagittis eminus iaculatis, devotorum hominum corda compungunt.

38 !! Et ⁙ dedisti mihi ¶ protectionem salutis tuæ: ¶ *Clypeum.*
Et dextera tua † suscepit me. † *Confortavit.*

C. *Protectio salutis*, gloriam significat resurrectionis, quando mortali carne depositā eandem incorruptibilem resumpsit. *Dextera*, potentia divinitatis est, quæ assumptam humanitatem æterna majestate constituit. G

39 !! Et disciplina tua correxit me in finem:
¶ Et disciplina tua ipsa me docebit.
¶ *Et mansuetudo tua multiplicavit me.*

H. Vox Ecclesiæ, quem enim diligit Deus corripit, *& doctrina tua* (ut habet alia littera) *ipsa me docebit*, quia necesse est, dum hic sumus, semper sub doctrina esse. Vnde Paulus, omnibus, inquit, doctrina, in præsenti non videtur esse gaudij, sed mœroris, in futuro vero multum fructum affert.

40 † Dilatasti gressus meos subtus me: H
† *Dilatabis.*
¶ Et non sunt infirmata vestigia mea.
¶ *Et non deficient tali mei.*

H. *Dilatasti gressus meos*, id est, sensum meum in amplitudine tuæ charitatis. A. Quia latam fecisti charitatem, hilariter operantem etiam in his, scilicet mortalibus rebus & membris quæ sunt sub me. H. *Non sunt infirmata vestigia*, id est, exempla eius, à successoribus sequenda, & doctrina eius.

41 Persequar inimicos meos & comprehendam illos:
Et non † convertar donec deficiant.
† *Revertar donec consumam eos.*

H. Persequar vox Christi, id est Christus Iudæos vel gentiles, qui ei injustè inimici facti sunt, vel Ecclesia

persequitur

A Inimici nostri sunt carnales affectus. persequitur carnales affectus, *& comprehendam illos* antequam comprehendar ab illis, *& non convertar* scilicet ab hac intentione, *donec deficiant* huiusmodi carnales affectus in me, sive inimici Iudæi & mali omnes à malitia vel à cogitationibus pravis.

42 ¶ Confringam illos nec poterunt stare :
¶ *Cadam eos, & non potuerunt surgere.*
Cadent subtus pedes meos.

H. *Affligam illos* (vt habet alia translatio) scilicet in multis malis sicut iam factum legimus Iudæis, temporibus Titi. *Nec stare poterunt*, quia in superbia erecti fuerunt. *Cadent*, sive ut adorent se humiliando, seu ut conculcentur damnati.

43 :: Et :· præcinxisti me virtute ad bellum :
B † Supplantasti insurgentes in me subtus me. † *Incurvabis resistentes mihi subtus me.*

C. *Præcinctus est* enim *virtute* Christus : quando patientiâ & fortitudine, adversa inimicorum superavit. *Supplantavit eos*, quando qui contra eum insanâ conspiratione tumuerunt, suo iudicio sine dubio subdendi sunt, vt cum suo instigatore pereant, qui auctori suo credere noluerunt. Hoc enim de spiritibus immundis dictum est, qui per Iudæos Christo iniqua certamina moverunt.

44 :: Et ¶ inimicos ¶ *Inimicorum* meos dedisti mihi dorsum :
C Et odientes me disperdidisti.

C. H. *Dorsum*, signat conversionem eorum, qui resistentes nomini Christi, prius dorsum verterunt ad Christum non faciem, postea conversi facti sunt Christiani, vt Paulus Apostolus. C. Vel *dorsum dederunt*,
Act. 9. quando victi sunt, & conversi, quorum fuga (quæ per dorsum signatur) facta est Christi gloriosa victoria. Sicut Saulus victus factus est victor Paulus, quoniam alios vicit convertendo prius ipse victus. Dis-
Matt. 27. persit odientes, quando iudæos in eorum perfidia dimisit dicentes, *sanguis eius super nos*, &c. hæc enim est causa dispersionis eorum, sanguis Christi scilicet.

45 † Clamaverunt nec erat qui salvos faceret ad Dominum : † *Clamabunt, & non erit qui salvet.*
D Nec ¶ exaudivit eos. ¶ *Exaudiet.*

H. Clamabunt impij & iudæi in futuro iudicio ad Christum, cum viderint spem suam in diabolo corruisse. C. *Non exaudiet eos*, quoniam infructuosa illis est pœnitentia, ubi iam cognoscitur esse iusta damnatio.

46 :: Et :· † comminuam eos ut pulverem ante faciem venti : † *Delebo.*
Vt lutum platearum ¶ delebo eos.
¶ *Proiiciam.*

C. Intelligant se superbi & grandiloqui comminuendos ut pulverem : qui moliuntur Domino pravis mentibus contradicere. *Ante faciem venti*, ut quiescere non possint cum fuerint imminuti. Benè luto comparat peccatores qui fœtidis peccatis inquinantur. *Delebo*, id est, de medio sanctorum tollam, quod pertinet ad lutum platearum, lutum quippe quia mollissimum facilè tollitur.

47 Eripies me † de contradictionibus populi : † *à* E
¶ Constitues me in caput gentium.
¶ *Pones.*

C. Ereptus est Christus de contradictionibus populi : quando explosis perfidis iudæis ad gentium fidem devotionémque translatus est. Constitutus est in caput gentium, quando per fidem illorum susceptus est : quia in frontibus gentium, crucis habuerunt vexilla radiare.

48 Populus quem non cognovi ¶ servivit mihi : † *Serviet.*
:: In :· ¶ auditu auris obedivit mihi.
¶ *Auditione auris obediet mihi.*

C. *Servivit* populus Christo, id est, gentes crediderunt Christo, *quem* prius *non cognovit*, quia in illum credidit. H. Obedivit auditu auris, quia mirabilia Dei non videntes neque præsentiam corporalem, sed postea audientes, & suis doctoribus obedientes crediderunt, & opere fidem impleverunt. F

49 Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni † inveterati sunt :
Et claudicaverunt à semitis suis.
† *Defluent, & contrahentur in angustiis suis.*

H. *Filij alieni*, filij diaboli, quibus ipse dixit *vos* Ioan. 8.
ex patre diabolo estis C. *Mentiti sunt mihi* : quando Matt. 22.
dicebant, *magister scimus, quia à Deo venisti & in ve-* Mentiri.
ritate viam Dei doces. Mentiri est enim contra mentem loqui, & illud in lingua promere quod constat in animo non habere. A. H. *Inveterati sunt*, id est in veteri homine remanserunt, quos innovare veni. *Et claudicaverunt.* C. Nam claudicare dicimus eos, qui uno Claudicare.
pede debiles sunt. H. Ille claudicat, qui patrem credit, & filium non credit. C. Iudæi claudicant, qui G
unam partem scripturæ, vetus scilicet testamentum carnaliter intelligentes, aliam, id est, novum testamentum respuentes, non habent.

50 Vivit Dominus & benedictus Deus meus :
Et ¶ exaltetur Deus salutis meæ. ¶ *Exaltabitur.*

H. Rectè dicit Ecclesia, *vivit Dominus* : quem iudæi in sepulchro clauserant. C. *Benedictus* dicitur *Deus* cum ei digna devotione laus persolvitur. *Exaltetur*, id est, in toto orbe credatur. Nec poterat aliter exaltari: qui solus vocatur & est altissimus.

51 Deus qui das vindictas mihi, & † subdis populos sub me : † *Congregas.* H
¶ Liberator meus de inimicis meis :: iracundis :· ¶ *Qui servas me ab inimicis meis.*

H. *Deus qui das vindictam mihi* : subvertendo iudæos, vel *Deus qui das vindictas* sanctis Apostolis eorúmque successoribus Ecclesiæ ; solvendi & corrigendi. Et dedit potestatem prædicatoribus, ad regendum gentes incredulas. *Liberatorem* Deum dicit : Petit Ecclesia se liberari ab hæreticis seu à peccatoribus & hoc ab ira-
cundis. C. Id est à fervida malignitate succensis. Vindi- Quomodo vindicatur Ecclesia.
cari dicitur Ecclesia, quando eius inimici ad veræ religionis penetralia redeuntur.

52 * Et .· † ab insurgentibus in me exaltabis me : † *A resistentibus mihi elevas me.*
A viro iniquo ¶ eripies me. ¶ *Libera.*

A Matt.13. H. *Ab insurgentibus*, id est, à persecutoribus. *A viro iniquo* id est, a diabolo ut in Evangelio, *inimicus homo hoc fecit*. C. Vel quolibet schismatico.

53 Propterea confitebor tibi in † nationibus
Domine : † *Gentibus*.
Et nomini tuo psalmum dicam.

C. Propter illa quæ superius dicta sunt. *Confitebor tibi*, id est, laudabo te per populos Christianos. Psalmus opus significat actuale, per quod divinitas melius quam vocibus laudatur, quod etiam Deus citius quam voces exaudit, unde dicit. *Confitebor tibi*, id est, laudabo & operabor.

54 Magnificans salutes regis ¶ eius, & faciens misericordiam Christo suo David : ¶ *Sui*.
B Et semini eius usque in † sæculum.
† *Æternum*.

C. Magnificat pater regem ipsius, id est filium in toto orbe terrarum regnaturum. *Christus* unctus interpretatur. H. *David* manu fortis. C. Fecit in David misericórdiam, quia eum de persequentium ferocitate liberavit. *Semen eius* : Dominum significat salvatorem. *Usque in sæculum*, hoc est usque in æternum. *Semini* Christo misericordia facta est quando resurrexit cœlósque ascendit, & nunc sedet ad dexteram patris rex in æternum.

Oratio ex Psalm. XVII.

C *Firmamentum spei & refugium pressura piissime Deus, salva nos ab inimicis & a laqueis mortis, ut assumpti de multitudine circumstantium tribulationum, devotissimè sancto nomini tuo cum innocentia puritate psallamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.*

Argumentum Psal. XVIII.

C. *Domini prædicatores propheta collaudans, eius incarnationem specialissimè describit: necnon præcepta novi ac veteris testamenti magnificans, ab occultis vitiis purgari se à Domino precatur.*

TT. ¶ In finem psalmus David. ¶ *Victori*.

C. Inscriptio tituli huius frequenter exposita est, per totum igitur psalmum prophetæ verba sunt, de Christo loquentis.

D

1 COeli enarrant gloriam Dei :
Et opera manuum eius annuntiat firmamentum.

Cæli & Apostoli & Prophetæ dicuntur. C. *Cæli* Apostoli sunt & prophetæ, qui de adventu Christi annuntiaut gloriam ipsius. *Opera manuum eius*, id est, ipse homo qui ex manibus Christi plasmatus est. Annuntiat firmamentum, id est, prædicationes, scilicet incarnationis Christi, per quam firmabatur soliditas nostræ fidei, & ita in plorali dici oportet *annuntiant*. Sed secundum istam litteram quæ habet *annuntiat* : oportet dici firmamentum Apostolos & Prophetas, qui *annuntiabunt opera Dei*, id est, facta virtutum secundum hominem, ut incarnationem, mortem, &c.

2 Dies diei eructat verbum :
Et nox nocti indicat scientiam.

E H. *Dies* Christus sive Apostoli. C. *Eructat verbum*: cum irradiando corda apostolorum purissima cœlestia verba intimavit, vel cum apostoli corda fidelium luminosa prædicatione illuminant. *Nox nocti indicat scientiam*, cum iudas Iudæis Christum prodidit ac tradidit ad occidendum. Dies dici. Nox nocti.

3 † Non sunt loquelæ neque sermones :
Quorum non audiantur voces eorum.
† *Non est sermo, & non sunt verba, quibus non audiatur vox eorum.*

H. C. *Non sunt loquela*. Negando dicit nullos esse sermones neque loquelas, quos apostoli non potuissent loqui. C. *Sermones*, pertinet ad communes narrationes; *loquela*. ad publicas suasiones. Quod utrunque apostolos fecisse certissimum est.

4 In omnem terram exivit sonus eorum : F
Et in ¶ fines orbis /: terræ ∴ verba eorum. ¶ *Finibus*.

C. *Terram* hic hominem debemus accipere. *Sonus* verò fama miraculorum est. *Fines terra* sunt reges, id est, non solum ad humiles, sed etiam ad principes gentium Evangelij verba pervenerunt, & omnes homines salubri doctrinâ docuerunt.

5 ¶ In sole posuit tabernaculum suum :
¶ *Soli posuit tabernaculum in eis*.
Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.

C. *In sole posuit*, id est, in manifestatione, quia manifestè venit. Dicit *tabernaculum*, scilicet sui corporis. *Et ipse*, Christum Dominum dicit, qui tanquam sponsus Ecclesiæ suæ, *processit de thalamo suo*, id est, de utero virginali. Benè sponsus à spondendo dicitur Christus, qui totiens est promissus à prophetis. Sponsus. G

6 Exultavit ut † gigas ad currendam viam
/: suam ∴ † *Fortis*.
¶ A summo cœlo egressio eius. ¶ *A summitate cæli*.

C. Benè giganti comparatur Christus, qui humanam naturam superans magnitudine suæ potentiæ : omnia mundi vitia cum suo truculentissimo autore prostravit. Hic via cursum significat eius vitæ, quia scilicet homo natus crevit, docuit, passus est. *A summo* patrem significat. *Egressio* nativitas filij, non temporalis, sed coæterna patri. Christus ut Gigas.

7 Et † occursus † *Cursus* eius usque ad ¶ summum eius : ¶ *Summitatem illius*.
Nec est qui se abscondat à calore eius. H

C. *Occursus eius*, secundum hominem dicitur, quia post assumptionem carnis, in utrâque naturâ Christus permanens occurrit *usque ad summum*, id est, usque ad sedem paternæ majestatis, quâ patri filius semper æqualis est. *Calor eius* Spiritus Sanctus est, à quo nemo potest abscondi, quia potentia suæ divinitatis uniuscuiusque corda cognoscit. Calor eius Spiritus Sanctus est.

8 Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele :
Sapientiam præstans parvulis.

H. *Lex Domini* Christus est irreprehensibilis, quia non habuit peccatum. *Convertit animas* de captivitate in libertatem. C. *Testimonia* quæ dedit Israelitico populo *fidelia fuerunt*, quia plenissima veritate cognita sunt. H. *Sapientiam præstat parvulis* non sensu, sed Lex Domini.

humilibus

A humilibus & innocentibus. C. Vel lex Domini vetus : est immaculata, quia per legem novam approbata.

9 ¶ Iustitiæ ¶ *Præcepta.* Domini rectæ, lætificantes : † corda : † *Cor : mandatum.*
Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Iustitiæ Domini rectæ. *Iustitia Domini* revera *recta*, quia non aliter fecit Dominus quam docuit. Rectæ enim ibi non sunt, ubi aliud est in ore. *Lætificantur corda* subauditur, justorum. *Lucidum præceptum* dicit, quia sincerum & purum. *Illuminat oculos*, non istos carnales, sed illos interiores.

B 10 Timor Domini ¶ sanctus permanens in sæculum sæculi :· .¶ *Mundus perseverans in sæcula.*
Iudicia Domini vera justificata in semetipsa.

Timor Domini, reverentia. C. *Timor Domini* juxta cum pavore charitas est, qui imperturbata constantia non trepidâ confusione *permanet sanctus* : qui timor usu sæculari, reverentia nuncupatur. *Iudicia Dei* dicit mandata Dei, quæ in veteri & novo testamento conscripta sunt, quæ in semetipsis permanent, quia status eorum nulla varietate mutatur.

H. A. Nec alterius autoritate (ut firma habeantur) nisi Domini egent, qui neminem fallere potest.

11 Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum:
Et dulciora super mel & † favum : † *Favum redundantem.*

C C. *Desiderabilia* judicia Domini, id est, mandata novi & veteris testamenti *super aurum*, quod humana cupiditas maxime desiderat possidere. Addidit *lapidem pretiosum* qui multum valet in parvissimo margarito. Sed quia inveniri poterant qui divitias contemnerent, addidit sapores : *mel & favum.* Vetus testamentum superat mel, novum vincit *favum.*

12 ¶ Etenim servus tuus custodit ea : ¶ *Vnde servus tuus docebit ea.*
In custodiendis illis retributio multa:

C. Cum dicit *servus tuus* justum signat & devotum, qui ideo *custodit* mandata Dei, quia obedientibus *retributio*, subsequitur, quæ merito dicta est multa, quia comprehendi non possunt universa, quæ præparavit Deus diligentibus se.

D 13 † Delicta quis intelligit ? ab occultis 14 meis :· munda me † *Errores.*
14 Et ¶ ab alienis parce servo tuo : ¶ *A superbis quoque libera servum tuum.*

Peccatū occultū, Alienū. H. *Delicta quis intelligit* ? nisi scrutator cordium Deus, qui etiam potens est dimittere ea. *Ab occultis*, id est, à præteritis peccatis. C. Occultum est, quod originale dicitur, in quo concipimur & nascimur & secretâ voluntate peccamus. Alienum est, quod malis hominibus suadentibus, sive diabolo suadente committitur. sed fit proprium, quia consensus noster plectibilis ex arbitrio nostro adhibetur, & ex illa traduce massa mortalium ab hoste spiritali corrupta, sine gratia Dei velociter subvertitur, quia in primo homine per inobedientiam vitiata monstratur. Nam quam facile est antiquo insidiatori infectis vetita suadere : qui potuit liberos atque incorruptos suâ calliditate decipere? Sunt ergo *aliena* quæ ab aliis nostrâ suasione vel culpâ acta sunt, vel aliorum suasu aut auxilio nos facimus. E

14 Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero :
Et emundabor à delicto maximo.

H Tunc delicta dicuntur, cum homo servus fit peccati. Si ista peccata non perpetravero, ero immaculatus. Et *emundabor à delicto maximo*, id est, à superbia. C. Quia & diabolus cecidit & hominem traxit, & concessa beatitudine vacuavit. A. Non ergo petit tolli à se hic omnia omnino peccata, quod est impossibile, sed ne dominentur. Delicta.

15 ¶ Et erunt ut complaceant eloquia oris mei : ¶ *Sunt placentes sermones oris mei.*
Et meditatio cordis mei in conspectu tuo! : semper :· F

C. Possunt placere Domino *eloquia oris*, si à vitiis quæ superius dixit reddatur homo alienus. *Meditatio cordis*, quæ potest ad Deum pervenire, est spes, charitas & fides. Meditatio cordis.

16 Domine † adjutor meus : † *Fortitudo mea.*
Et redemptor meus :

C. Adjutorem suum dicit Deum in bonis actibus. Redemptorem, à malis, ut nemo meritis suis applicet quod susceperit cœlesti largitate.

Oratio ex Psalm. XVIII.

PIissime Deus, qui virginalis thalami egressu procedens, liberatis nobis ad patris dexteram conscendisti, immensam misericordiam tuam exposcimus, ut lege tuâ conversi, præceptis illuminati, testimoniis eruditi, mereamur & ab alienis & ab occultis vitiis emundari, Qui cum patre, &c. G

Argumentum Psalm. XIX.

C. *Rogat propheta Ecclesiam exaudiri, petens illius consilium à Domino confirmari, dicensque fideles, non potestate mundana, sed divinâ potentiâ magnificandos.*

TT. ¶ In finem psalmus David : ¶ *Victori.*

C. Iam nota sunt verba tituli. Nunc rogat propheta in hoc psalmo prospera evenire sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ longo tempore fieri posse per adventum Domini prævidebat dicendo, *exaudiat*, &c. H

1 EXaudiat te Dominus in die tribulationis :
Protegat te nomen Dei Iacob.

C. *In die tribulationis* ostendit tempus gravissimæ afflictionis. Cum dicit, *protegat te nomen dei Iacob* : hujusmodi benedictionem concedendam petit propheta à Domino Christiano populo, sicut sanctus patriarcha Iacob priscis temporibus ab ipso accepit, quando Esau fratri prælatus est. Audiri cognoscimur quando omnimodis aliquid obtinemus.

2 Mittat tibi auxilium de sancto :
Et de Sion † tueatur te : † *Roboret te.*

C. Optando dicens *mittat* : ostendit à patre filium

A Sion. missum suum, in auxilium sanctæ Dei Ecclesiæ. Sion enim mons signat speculationem, quæ convenit divinitati, quoniam illi cuncta sunt nota.

3 Memor sit omnis sacrificij tui:
Et holocaustum tuum pingue fiat. Diapsalma.

Sacrificium Ecclesiæ. C. Sacrificium sanctæ Ecclesiæ, est ritus accipiendus qui nunc agitur corporis & sanguinis Domini immolatione solenni. *Holocaustum* totum incensum dicitur, & repræsentat idem jam dictum sacrificium. Quod *pingue* fit atque jocundum quando nostra oblatio mentis & corporis à gratia divinitatis assumitur.

4 ¶ Tribuat tibi secundum cor tuum: ¶ *Det.*
Et omne † consilium tuum confirmet: † *Voluntatem tuam impleat.*

B Consilium Ecclesiæ. C. Dicit, *tribuat tibi secundum cor tuum*, id est, secundum intellectum quem habes De Domino, ut eum credas unum ex trinitate, passum carne, resurrexisse, ascendisse in cœlum, &c. *Et omne consilium tuum confirmet*, hoc est consilium sanctæ Ecclesiæ, patrem & filium & spiritum sanctum, unum Deum credere: à quo sunt omnia, & ex consilio deliberatè omnia pro ista fide spernere mundi delectamenta.

5 ¶ Lætabimur in salutari tuo: ¶ *Laudabimus.*
Et in nomine Dei nostri † magnificabimur: † *Ducemus choros.*

C. Nam in salutari Ecclesiæ (quod est Christus Iesus) lætaturum se esse declaravit, ut se unum esse ex ejus corpore monstraret. Et in ipsius nomine se esse
C magnificandum quia ex ipso Christiani fuerant nuncupandi. Magnificari est magnum fieri.

6 Impleat Dominus omnes petitiones tuas:
Nunc ¶ cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum: ¶ *Scio quoniam salvabit.*

C. *Impleat Dominus*, fit iterum ad Ecclesiam grata conversio, *Nunc cognovi* dicendo, magnam virtutem suæ prophetationis ostendit, cum se dicat in præsenti cognovisse quæ post sæcula multa implenda erant. *Salvum fecit* pater filium: in resurrectione gloriosa & in cœlos ascensione.

7 Exaudiet illum de cœlo sancto suo:
In † potentatibus salus dexteræ eius: † *Fortitudine, salutis dextera eius.*

D

C. Sensus iste talis est. *Exaudiet* filium pater de cœlo, quia in dextera ejus est salus, quam habens ex propria deitate, tamen expetere videtur carne.
Potentatus. Potentatibus dicit, quia nos potentes efficit cum gratia sua in præsenti, & in futura vita in beata perennitate custodiendo, quæ per dexteram intelligitur.

8 Hi in curribus & hi in equis:
Nos autem ¶ in nomine Domini Dei nostri invocabimus: † *Nominis Domini Dei nostri recordabimur.*

H. Per *currus*: voluptas mundi sive cupiditas designatur, quoniam superbi & cupidi velut rotæ instabiles mente huc illucque discurrunt.
Currus. Equi. Per *equos*: superbi intelliguntur, ipsi sunt cupidi. H. C. Nos autem in illis non gloriemur, sed *in nomine Dei* quod ad præmia æterna perducit.

E 9 Ipsi ¶ obligati sunt & ceciderunt: † *Incurvati.*
Nos autem surreximus & erecti sumus.

C. Dicit propheta, humanis honoribus vel pravis desideriis obligatos cecidisse arrogantes, quod necesse est illis contingere, qui se videntur nexuosis erroribus illigare. Resurgere duobus modis Christianus dicitur, scilicet à morte vitiorum & in illa resurrectione, in qua justi æterna præmia accipiunt, de utraque hic intelligi manifestum est.

10 Domine ¶ salvum fac regem:: & ∴ F
exaudi nos: ¶ *Salva: rex exaudiet nos.*
In die qua invocaverimus:: te ∴

C. Dicitur patri *salvum fac regem*, id est, ut Christus resurgat à mortuis. *Exaudi nos*, provenit illud tunc generi humano quando resurrectionem Christi firmè credit & lætanter aspicit: vel per eum regem exaudi nos in die necessitatis nostræ.

Oratio ex Psalm. XIX.

IMple Domine petitiones nostras, & tanquam pinguissimum nos holocaustum assume: ut inimicorum curribus obligatis, salutaris tui epulatione lætemur. Per Dominum nostrum Iesum, &c.

Argumentum Psalm. XX. G

C. *Hic Psalmus, Domini salvatoris primò incarnationem, & postea deitatis facta, prophetá narrante decantat.*

TT. ¶ In finem psalmus David. ¶ *Victori.*

C. Ideo titulus hic nonodecimo psalmo par est, quoniam & iste quidem de Domino salvatore loquitur sicut superior, sed sub aliqua diversitate.

1 DOmine in † virtute tua lætabitur rex: † *Fortitudine.*
Et ¶ super salutare tuum exultabit vehementer: ¶ *In salutari.*

C. *Domine* dicit propheta ad patrem, *in virtute tua*, id est, in omnipotentia majestatis tuæ, in qua & filius regnat. *Lætabitur rex*, gaudebit Christus Iesus. *Exultabit*, id est, in eo quod per eum salvasti homines filius tuus exultabit, qui est salvator. *Vehementer*, ostendit magnitudinem gaudij: ut quanta est copia in beneficio, tanta sit & gaudij magnitudo. H

2 Desiderium cordis ejus † tribuisti ei: † *Dedisti.*
Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. Diapsalma.

C. *Desiderium animæ eius* fuit pro omnium salute occidi, ut pretiosus sanguis ejus mundum redimeret. *voluntas labiorum fuit* quando immundis spiritibus imperabat languores diversos sermonis sui sanabat imperio, & prædicationes populis inserebat. Constat in nullo voluntatem ejus fuisse fraudatam; quando omnia quæ fieri jussit impleta sunt.

3 Quoniam prævenisti eum in benedictionibus † dulcedinis: † *Bonitatis: Pones.*

Posuisti

A

Posuisti in capite eius coronam de ¶ lapide pretioso ¶ *Obrizo.*

Benedictio dulcedinis.

C. *Quoniam prævenisti* : significat humanitatem præventam gratia divinitatis. A. *Benedictio dulcedinis* fuit immunitas peccati, qua donatus est Christus, nos enim in amaritudine Adæ concipimur. C. Vel *Benedictio dulcedinis fuit*, quando dictum est, *hic est filius meus dilectus.* *Corona* conventum signat discipulorum, hæc erat corona capitis, hoc regale diadema, quoniam ipsum docentem circuitus Apostolorum ambiebat. Diadema illud non ideo, ut ornaret est impositum, sed ut de Christo potius ornaretur. *Lapides pretiosi* Apostoli sunt.

Corona.

4 Vitam petit à te & tribuisti ei:
Longitudinem dierum in sæculum, & in ¶ sæculum !! sæculi :· ¶ *Æternum.*

B

Longitudo dierum.

C. *Vita* resurrectionem signat quam ille petiit dicendo. Pater clarifica filium tuum. *Longitudo dierum* signat perennitatem Christi, quæ nullo fine concluditur. *In sæculum sæculi* indefectam stabilitatem futuri sæculi indicat. Sed memento quod hæc & his similia, ab illa dicuntur parte qua passus est.

5 Magna gloria ejus in salutari tuo :
Gloriam & !! magnum :· decorem † impones super eum : † *Pones.*

C Nam gloria & magnum decus, tempus signat judicij : ubi in deitate sua altissimus apparebit, habens gloriam ex judicio, decorem de majestate. Sanctæ etiam etiam incarnationi magna est gloria in salutari, id est, in verbo patris.

C

6 ¶ Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum !! sæculi :·
Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo : ¶ *Pones enim eum in benedictionem sempiternam : hilarabis eum lætitia apud vultum tuum.*

H. *Quoniam dabis eum in benedictionem*, quia omnis creatura benedicit eum. *Lætificabis eum in gaudio* cum coadunata fuerit multitudo sanctorum, eique sanctorum numerus restitutus. C. *Cum vultu tuo* dicit, ut una intelligatur persona sine dubio esse Christi, quia humanitas de divinitate gaudet. Quamvis etiam de membris illud accipi Christi rectè possit.

D

7 Quoniam rex ¶ sperat in Domino : ¶ *Confidet.*
Et in misericordia † altissimi non commovebitur : † *Excelsi non decipietur.*

Rex Christus.

C. Rex est iste qui in passione sua ascriptus tribus linguis legebatur. *Speravit in Domino* secundum hominem. *Non commovebitur* à misericordia patris, quia protector est omnium sperantium in se.

8 † Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis : † *Inveniat manus tua omnes inimicos tuos.*
Dextera tua inveniat ! : omnes :· ¶ qui te oderunt : ¶ *Odientes te.*

Dextera patris Christus est.

C. *Inveniatur manus tua*, id est, operatio tua reperiatur. H. Ut evertantur inimici, afflicti potestate tua in bonum. *Dextera*, patris Dominus est salvator. Qui eum oderunt : pœnâ perpetuâ damnandi sunt, & sine fine cum diabolo & satellitibus suis, in æternis tenebris torquendi. Invenitur igitur Dei manus in judicio futuro inimicis ejus.

E

9 Pones eos, ut clibanum ignis in tempore vultûs tui :
Dominus in ira sua † conturbabit eos & devorabit eos ignis : † *Præcipitabit.*

Clibanus.

C. *Clibanus* est coquendis panibus ænei vasculi deducta rotunditas, quæ suburentibus flammis ardet intrinsecùs, quod signat peccatores, qui in judicio torquendi sunt : & mærore animi & pœnali excruciatione. *Tempus vultûs Dei*, dies est judicij. H. Hic ira Dei non punit, sed conturbat ad pœnitentiam, & hic ignis spiritus sancti devorat, id est, peccata consumit. C. Sive quando audient *Ite in ignem æternum* : tunc judicis sententia conturbabit, & ignis devorabit perpetuò.

10 Fructum eorum de terra perdes :
Et semen eorum ¶ à filiis hominum : ¶ *De.*

F

C. H. *Fructum* dicit opera iniquorum. *Perdere de terra*, id est, de sancta Ecclesia vel terra viventium. C. *Semen*, id est, vota vel facta peccantium. *A filiis*, id est, de sanctis eos facis alienos, quos in hæreditatem æternam tuâ largitate inducturus es.

11 Qoniam † declinaverunt in te mala : † *Inclinaverunt super te malum.*
Cogitaverunt ¶ consilia quæ non potuerunt !! stabilire :· ¶ *Scelus quod.*

H. Visi sunt Iudæi *declinare mala in Christum*, quando dixerunt *dignus est morte.* Cogitaverunt consilium dicendo, *iube ergo custodiri sepulchrum*, nolentes nec etiam credentes Christum resurgere. *Quod non potuerunt stabilire* : quia quando voluit Christus, resurrexit. C. declinare dicimus mala supra alios, pœnitentia in alios causam iniquitatis relidere, quod Iudæi Christo fecerunt : dum destructionem civitatis & gentis vitæ Christi ascripserunt, dicentes : *Si dimisemus eum sic, &c.*

G
Matt.28

Ioann.11

12 Quoniam pones eos † dorsum :
In reliquiis tuis præbarabis vultum eorum. † *Humerum : fines tuos firmabis contra facies eorum.*

A. *Positi sunt Iudæi dorsum* quando vitio suo terrena sapientes, non meruerunt cœlestia contueri. H. Præparabuntur *reliquiæ* Iudæorum, quando per Enoch & Heliam in fine credituri sunt, & tunc *præparabis vultum eorum*, scilicet in te credentium, ut scilicet convertantur corda patrum in filios.

Reliquiæ Iudæorū convertendæ.

H

13 Exaltare Domine in ¶ virtute tua : ¶ *Fortitudine.*
Cantabimus & psallemus † virtutes tuas : † *Fortitudines.*

H. *Exaltare in virtute*, id est, demonstra in judicio majestatem tuam & potestatem : qui prius venisti in humilitate. C. *Cantare* est verba Domini ore proferre : *psallere*, mandata divina bonis operibus constanter implere.

Cantare, psallere.

Oratio ex Psalm. X X.

Benedic nos Domine benedictione dulcedinis, & comple tibi placitum desiderium nostrum, ut dum iugiter virtutes tuas suavi modulatione concinimus, longitudinem vitæ perpetuæ consequamur. Per Dominum nostrum Iesum, &c.

A

Argumentum Psalm. X X I.

C. *In hoc Psalmo Christus de passione sua ad patrem loquitur, admonetque fideles laudare Dominum, quia in resurrectione sua catholicam respexerit Ecclesiam.*

TT. ¶ In finem pro susceptione matutinâ Psalmus David. ¶ *Victori pro cervo matutino canticum David.*

C. *In finem*, sive psalmus, sive David: quid signet expositum est, *Susceptio matutina* est tempus resurrectionis, quando mortale corpus in magna gloria clarificatum assumpsit. Matutinum dictum est, quasi manè primitivum, quod tempus innumeris locis ad resurrectionem Domini constat aptatum.

Susceptio matutina

B

Die Dominica, ad horam primam.

1 † DEus Deus meus !! respice in me :· : quare me dereliquisti: † *Deus meus, Deus meus.*
Longe à salute me verba ¶ delictorum meorum : ¶ *Rugitus mei.*

C. *Deus* sermo græcus est, & interpretatur timor, Vnde quidam ait gentilium Poëtarum. *Primus in orbe Deos fecit timor*, unde Christus quasi vicinâ passione permotus ex humanitate clamat, *respice in me*, deprecans sibi celerrimum auxilium resurrectionis. H. Quod se dicit *derelictum*: non ex propria, sed ex populi sui persona loquitur, cujus peccata ipse suscepit. C. Dicit *à se longe fieri verba quæ delicta parturiunt*, & iterum sua dicit esse peccata nostra delicta, qui non habuit peccata. A. Dicit igitur se derelictum in persona membrorum, quæ quod petunt non accipiunt, eo quod verba delictorum sunt petitiones eorum, dum vel petunt contra salutem vel non mox exauditi murmurant, & derelictos se conqueruntur.

Derelictus.

C

2 Deus meus clamabo per diem & non exaudies: ,
Et nocte † & non ad insipientiam mihi: † *Nec est silentium mihi.*

C. *Clamabat* humanitas verbi per diem, quam non circundabant tenebræ peccatorum. H. *Non exauditur* propter destinatos ad mortem, qui noctis nomine vocitantur. C. *Non ad insipientiam*, subaudiendum reputabis mihi, id est, pater filio; petebat ergo mediator Dei & hominum non insipienter, sed prudenter, & tamen non constat auditum, quia petitione & passione mundum erat redempturus. H. C. A. Vel dies prospera, , nox adversa significat. In quibus quandoque petentes Deus non exaudit, & hoc non ad insipientiam eorum, sed ut sic sapientes fiant & discant sapienter petere, non terrena, sed cœlestia, vel terrena ad salutem animæ.

D

3 ¶ Tu autem in sancto habitas:
Laus Israël: ¶ *Et tu sancte habitator, laus Israel.*

C. *In sanctis habitas laus*, incarnationem per hoc Christi declaravit propheta, quia in filio habitat *laus*, id est, pater qui est laus Israël, id est, Ecclesiæ videntis per fidem te. Ideo etiam non exauditum se ostendit, non propter insipientiam, sed propter salutem generis humani per passionem suam alias factam sanctam, quoniam pater semper audit filium in quo semper habitat.

Laus Israël.

4 In te † speraverunt patres nostri: † *Confisi sunt.*
Speraverunt & liberasti eos.

E

H. *Speraverunt* patriarchæ, & liberavit eos de Ægypto. H. Speraverunt in deserto & liberati sunt, quanto amplius filium pater liberat dum petit & vult liberari.

5 Ad te clamaverunt & salui facti sunt.
In te speraverunt & non sunt confusi.

Clamor martyrũ.

C. *Clamaverunt* martyres ad Christum, dum eos corporalis pœna consumpsit, & putabantur ab infidelibus non exaudiri, sed illi potius valde auditi sunt, quia coronam percipere meruerunt. *Nec sunt confusi* quos constat venisse ad præmium, non enim confunditur qui æternum regnum consequitur.

6 Ego autem sum vermis & non homo:
Opprobrium hominum & † abjectio plebis: † *Despectio.*

Vermis Christus.

F

C. *Vermis* enim comparatur Christus, quia mortalis & de carne sine mixtione seminis natus est. Similiter vermis sine concubitu nascitur. *Non homo*, id est, non peccator, quod in illo esse non potuit. *Opprobrium hominum* quando in eum spuebant, & alapis verberabant. *Abiectio*, cum elegerunt Barrabam, Christum abjecerunt.

7 Omnes videntes me ¶ deriserunt me:
Locuti sunt labiis !! & moverunt caput:
¶ *Subsannant me: dimittunt labium, moventes caput.*

Matt. 27.

C. *Omnes*, de malis suspicandum est, *deriserunt*, non credendo in Christum. H. *Locuti sunt labiis* si filius Dei est descendat de cruce. *Moverunt caput*, C. Per iracundiam: quod minantes faciunt non judicantes ex corde, ore enim non corde loquebantur, quibus non provenit ex firma deliberatione sententia.

8 † Speravit in Domino eripiat eum: † *Confugit ad Dominum.*
¶ Salvum faciat eum quoniam vult eum:
¶ *Liberet eum.*

G

H. Vox prophetæ. *Speravit*, hoc est humanitas in divinitatem. *Eripiat*, id est, de judæis, *vult eum*, quoniam Deus pater talem filium habere voluit sine peccato, per quem peccata tolleret mundi. C. Vel melius hoc per ironiam dictum est à judæis, quæ figura latinè irrisio dicitur, aliud quam conatur quis ostendens.

9 ¶ Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: ¶ *Tu autem propugnator meus ex utero: fiducia mea.*
Spes mea ab uberibus matris meæ, in te projectus sum ex † utero, † *Vulva.*

H

H. Vox humanitatis, *eduxisti me de ventre*, id est, de utero sanctæ Mariæ. C. Quia tunc ab originali peccati vitio sequestratus *tanquam sponsus processit de thalamo. Spes mea ab uberibus*, H. id est, secundum humanitatem, secundum quam non dedignatus est sugere ubera matris. *In te proiectus sum*, C. Ostendit se fuisse ab humanâ iniquitate divisum.

10 De ventre matris meæ Deus meus es tu:
Ne ¶ discesseris à me: ¶ *Longe fias.*

C. Cum dicit *de ventre matris meæ*: ostendit non fuisse sine Deo nec ipsam conceptionem carnis. *Ne discedas à me*. H. In die passionis.

11 Quoniam tribulatio proxima est:
Quoniam non est † qui adjuvet: † *Adjutor.*

Mat. 2

H. Quoniam

A H. *Quoniam proxima est tribulatio*, ut ipse dixit, *Surgite eamus, ecce appropinquavit qui me tradet. Non est qui adiuvet:* neque angelus, neque homo, nisi tu pater.

12 Circundederunt me vituli multi:
Tauri pingues ¶ obsederunt me: ¶ *Vallaverunt.*

Vituli. C. *Vituli* populi judæorum, qui ignorato jugo Dei inconsiderata procacitate lasciviunt, simul petulantes & fatui, qui egressus suos nullâ moderatione distinguunt, sed vagi ac penduli, ad iniqua consilia quibusdam saltibus efferuntur. Tauri pingues. *Tauri* principes judæorum designant. Addidit pingues, quia feroces circundederunt Christum cum gladiis & fustibus, animal enim impinguatum, inquietum & ferox efficitur.

B 13 Aperuerunt super me os suum:
Sicut leo rapiens & rugiens.

Mat. 27. C. *Aperuerunt* judæi os dicentes *Crucifige, crucifige. Suum* videlicet, quod non illis sapientia aperuit, sed cogitatio scelerata. *Rapiens* pertinet ad insanissimam seditionem, cum eum raptum traxerunt ad tribunalia, *Rugiens* ad blasphemas voces, quibus dicebant, *crucifige crucifige.*

14 Sicut aqua effusus sum:
Et † dispersa sunt omnia ossa mea. † *Separata.*

Ossa Christi, Apostoli. H. Ossa Christi Apostoli dicuntur. C. qui dispersi sunt & effusi sicut aqua, qui orbem terrarum divino imbre satiantes à sordibus peccatorum abluerunt. A. vel Christus ita viliter occisus, sicut aqua effunditur, & ejus sanguinis effusio nos rigavit & abluit, & dispersi sunt in morte ejus discipuli. C

15 Factum est cor meum tanquam cera ¶ liquescens: ¶ *Liquefacta.*
In medio ventris mei.

Mysteria legis, ut cera sūt. H. *Cor suum*, sapientiam suam dixit, quæ ante passionem suam non intelligebatur. C. Impletâ vero passione omnis veritas promissa revelata est. Bene mysteria legis comparata sunt ceræ, quæ tunc reddit splendorem luminis cum à calore dissolvitur, sic per ignem passionis Christi, illuminata sunt mysteria legis. *Ventrem* Ecclesiam dicit.

16 Aruit tanquam testa † virtus mea, † *Fortitudo.* Et lingua mea adhæsit ¶ faucibus meis: ¶ *Palato meo.*
Et in pulverem mortis † deduxisti me: † *Detraxisti.*

D Virtus Christi tanquam testa. H. C. *Virtus* Christi testæ comparatur, quia sicut illa igne decocta, fortior erit, sic virtus Christi in passione solidata est, quæ prius quasi lutea videbatur incredulis. C. *Lingua* sua significat prædicatores, qui adhærent faucibus suis dum ejus mandata custodiunt. *In pulverem deductum* dicit, ad voluntatem judæorum qui hoc nitebantur & se fecisse putabant, quia ejus resurrectionem credere noluerunt, sed se putabant Christo mortem dedisse communem, ut usque in pulverem perductum crederent.

17 ⁝ Quoniam ⁖ circumdederunt me ¶ canes ⁝ multi ⁖ : ¶ *Venatores.*
Concilium † malignantium obsedit me: † *Pessimorum vallavit me.*

Canes. H. *Canum* natura est Dominos amare, latrones allatrare: è contra judæi contra suum Dominum non loquentes recta, sed latrantes iniqua, latronem elegerunt. C. *Concilium malignantium* quando cogitabant Iesum dolo tenere, mortique tradere. E

18 ¶ Foderunt ¶ *fixerunt.* Manus meas & pedes meos:
† Dinumeraverunt omnia ossa mea: † *Numeravit.*

H. *Foderunt manus*, id est, clavis fixerunt, & fructum magnum invenerunt, id est, salutem omnium gentium. C. *Dinumeraverunt ossa* ejus, mysticè, id est, Apostolos seu reliquos Christianos, quos quærebant Iudæi persecutione factâ extinguere, ne in majorem numerum convalescerent. Vel corpus ejus sic extenderunt in cruce, ut ossa ejus numerabilia viderentur. F

19 ¶ Ipsi vero consideraverunt & inspexerunt me: ¶ *Qua ipsi respicientes viderunt in me.*
Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

C. Dicit Iudæos *considerare*, secundum incredulitatem eorum, ut non transitoriè vel casualiter fecisse videantur, sed diligenter considerasse & inspexisse ad ea quæ fiebant, & tamen cor eorum lapideum tot miraculis non fuisse mollitum. *Diviserunt sibi vestimenta mea* H. Hoc in passione Christi completum est, quando *fecerunt quatuor partes, quatuor militi*. Tunica tamen non est divisa significans unitatem Ecclesiæ, quæ non scinditur, quamvis hæretici eam scindere contendant. Ioan. 19.

20 Tu autem Domine ne † elongaveris auxilium meum: G
Ad defensionem meam conspice: † *Longe fias: fortitudo mea in auxilium meum festina.*

H. Hic humanitas ad divinitatem loquitur. C. Et resurrectionem celerrimam deprecatur: ut veniente tali gloriâ, perfidorum incredulitas destruatur. *Auxilium* signat resurrectionem Christi, quæ elongata non est, quando triduana provenit. H. *Ad defensionem*, ne quid prævaleat in me pars illa voracis inferni.

21 Erue à framea animam meam:
⁝ Et ⁖ de manu canis ¶ unicam meam: ¶ *Solitariam meam.*

C. Liberari se postulat à morte quam subire voluit. Framea autem significat hastam, sive gladium seu quælibet arma, & significat hic malitiam Iudæorum. *De manu canis* dixit: cum canis manus non habeat, sed vult intelligi potestatem Iudæorum. H. *Unicam* dicit animam suam, quæ non habet peccatum: vel Ecclesiam Catholicam. C. Ut intelligatur doctrinas novas & conciliabula perditorum respuisse. Framea. De manu canis. H

22 Salva me ex ore leonis:
Et † à cornibus unicornium humilitatem meam: † *De cornibus unicornium exaudi me.*

C. *De ore Leonis*, de potestate diaboli dicit, qui bene comparatur feris, quoniam humanis exitiis semper delectatur. *A cornibus*, id est, à superbis. *Unicornium*, qui nimia elatione surgentes, similes socios ferre non possunt: à talibus secerni suos humiles Christus postulavit, talia quippe animalia quæ uno cornu armantur, multo ferociora sunt his quibus duplicia tribuuntur. Superbi unicornes.

A

23 Narrabo nomen tuum fratribus meis :
In medio Eccleſiæ laudabo te.

Fratres.

C. Poſt factam paſſionem dicit gloriam divinitatis toto orbe vulgandam. *Narrabo*, id eſt, oarrari faciam. *Fratres* dicuntur qui diligont & diliguotur. *In medio Eccleſia*, H. In medio credentium populorum: prædicabo te & *laudabo te*.

24 Qui timetis Dominum, laudate eum :
¶ Vniverſum ſemen Iacob glorificate eum : ¶ *Omne.*

Timor Dei. Semen Iacob.

B

C. Timor Dei juſtus eſt & rectus, laudemque generat, amorem tribuit, & ardorem charitatis inflammat. *Semen Iacob*, qui fidei Iacob, devotione conſentiunt, & ſupplantatores vitiorum ſunt. *Laudate* igitur, *qui timetis*, id eſt, reverentiam habetis nominis ejus, quia eum non meretur prædicare niſi qui cognoſcitur & timere.

25 † Timeat eum omne ſemen Iſraël : † *Et metuite eum.*
Quoniam non ſprevit neque deſpexit ¶ deprecationem pauperis: ¶ *Modeſtiam pauperis.*

Semen Iſrael.

H. *Timeat eum omne ſemen Iſraël*, id eſt, onuſquiſque renatus per baptiſmum, & mente Deum videns. *Quoniam non ſprevit preces pauperum*, id eſt, fidelium. C. Sicut facere ſolent gloriantes in iſtius mundi honore, ſpernere paoperes & deſpicere ſupplicantes, cauſamque de habitûs qoalitate metiri, ut ſi ſit veſtibus nitidus, verax putetur, ſi amictu ſordidus, mendaciſſimus habeatur.

26 Nec † avertit † *abſcondit.* Faciem ſuam ¶ à me :† *Abeo.*

C

Et cum † clamarem ad eum exaudivit !! me :· † *Clamaret.*

H. *Nec avertit faciem*, ſed reſuſcitavit me à mortuis. *Cum clamarem*, reſpondit, *clarificavi & iterum clarificabo.* C. Vel aliter, clamavit itáque ut mors noſtra ejus morte finiretor, & peccatum veteris hominis redimeretur pretio ſanctiſſimæ paſſionis.

Ioann. 12.

27 Apud te laus mea in Eccleſia ¶ magna: ¶ *Multa.*
Vota mea reddam in conſpectu timentium eum.

Eccleſia magna.

C. *Apud te* ſignificat de te, *laus mea in Eccleſia*, ſcilicet Catholica, *magna* enim & amplitudine dicitur & honore. Vota, ſacramenta corporis & ſanguinis, quæ illis præſentibus redduntur, qoi ei ſancto timore ſubjecti ſunt, denique quæ ſint vota iſta ſubjungit. *Edent pauperes*, &c.

D

28 Edent † pauperes † *Mites.* Et ſaturabuntur !! & :· Laudabunt Dominum qui requirunt eum :
¶ Vivent corda eorum in ſæculum ſæculi :· ¶ *Vivet cor veſtrum in ſempiternum.*

C. *Pauperes*, id eſt, regnum Dei eſurientes. Saturari enim non poſſunt oiſi qoos talis poſſidet eſuries. Pauperes ſaturati Deum laodant, divites ſemetipſos exaltant. H. *Qui requirunt*, fide & opere, intelligentes, quod ipſe eſt panis qui de cœlo deſcendit. *Vivet cor*, id eſt, ſpes eorum immobilis vegetatur. Illud vivere dicimus veraciter quod in divinitatis gratia perſeverat.

Requiſite. Vivet c.

E

29 Reminiſcentur & convertentur ad Dominum :
Vniverſi fines terræ.

Reminiſci.

C. *Reminiſci* illos dicimus qoos conſtat poſt obliionem Chriſti rediiſſe ad veram medicinam. Et quando Deus ab illis fideliter cognoſcitur, recte ab eis dicitur reminiſci, ut ad illum redeant veraciter quem prius perverſa voluntate neglexerunt. *Vniverſi fines*, id eſt, oniverſalis Eccleſia, quam nunc conſtat toto orbe eſſe diffuſam. A. Et quotidie religioſa doctrinâ ad verum Chriſtum alios coovertere ſatagont Chriſti veri prædicatores.

30 Et adorabunt ¶ in conſpectu ejus : † *Coram eo.*
Vniverſæ ¶ familiæ gentium. ¶ *Cognationes.*

F

Adorare in cōſpectu Domini.

C. Illi *adorant in conſpectu Domini*: qui ſincerâ fide & operibus Chriſtum rogant. Conſpectus enim illius non eſt niſi ſupra fideliſſimos & beatos. *Vniverſa familia*, cunctos credentes concluſit, qui nihil excepit.

31 Quoniam Domini eſt regnum :
Et !! ipſa :· dominabitur † gentium: † *Gentibus.*

Domini eſt regnum.

C. *Quoniam Domini eſt regnum*, quia non ſunt gentium regna, ſed Domini: qui poteſtate ſuâ & mutat reges & continet. Et neceſſe eſt ipſum debere ubique coli, quem conſtat intelligi Domioum omnium rerum.

32 Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ :
¶ In conſpectu ejus cadent omnes : ¶ *Ante faciem eius curvabunt genu.* qui deſcendunt in † terram : *Pulverem.*

G

H. *Manducaverunt omnes divites*, id eſt, Apoſtoli vel cæteri ſancti corpus Chriſti *Adoraverunt* in fide & operatione. *Deſcendunt* à ſuperbia ſæculi, ut adorent in humilitate purâ. A. C. Vel hic *pingues* divites terræ, qoi etiam ſacramentum corporis Chriſti manducant, ſed non ſaturabontur, ut pauperes Chriſti: adoraotque, ſed fraternitatem charitatis non habent, & ideo quia mente in terrena deſcendunt, cadent in infernum

Omnes pingues terræ.

33 Et anima ¶ mea illi vivet : ¶ *Eius non vivet.*
† Et ſemen meum ſerviet ipſi : † *Semen ſerviet ei.*

C. Animam vero ſuam dicit Deo patri vivere, quoniam hunc mundum immaculatâ converſatione tranſivit. H. *Semen meum*, filij Eccleſiæ ſerviunt Chriſto. C. Vel opera Chriſti ſerviont laudando Deum.

H

34 † Annuntiabitur Domino generatio ventura :
Et annuntiabunt cœli juſtitiam ejus populo qui naſcetur, quem fecit !! Dominus :· † *Narrabitur Domino in generatione. Venient & annuntiabunt juſtitiam eius populo qui naſcetur, quem fecit.*

H. C. Propheta dicit *generationem venturam* populum gentium, quæ ex aqua & ſpiritu erat procreanda, hæc *annuntiabitur* Domino, id eſt, annuntiando convertetur Domioo, hoc eſt in honorem Domini H. *Annuntiant cæli, id eſt*, Apoſtoli prædicant filium Dei,

Generatio ventura. Populus quem fecit.

A ipse est enim iustitia patris. C. Aptè verò dictum est Christianum populum Dominum fecisse, quoniam eum prædestinavit ante sæcula & creavit illum & redemit & suo sancto corpore à peccatis liberum fecit.

Oratio ex Psal. XXI.

CAput misericordia Deus, qui propter nos descendens in uterum virginis addictus ligno, perfossus clavo, vestimentis insuper sorte divisis, surrexisti liber ab inferis: precamur, ut huius commercij non immemor, sis populus ab ore leonis ereptor, qui fuisti quondam patribus in te sperantibus liberator. Qui vivis, &c.

Argumentum Psal. XXII.

B *C. Per totum Psalmum renatus in baptismo Christianus gratias agit: quia de ariditate peccati ad locu pascua & ad aquas refectionis sit inductus.*

TT. Psalmus David.

C. *Psalmus David*, per totum istum Psalmum Christianus fidelis gratias agit Domino, quod liberatus vetustate depositâ ad loca pascuæ & aquam refectionis Domino largiente sit perductus.

1 DOminus † regit me † *Pascit* ÷ & :· nihil mihi deerit:
¶ In loco pascuæ ibi me collocavit.
C ¶ *In pascuis herbarum acclinavit me.*

H. Loquitur hic Ecclesia fiducialiter per fidem. *Dominus regit me*, quia ante Adventum Christi mundum diabolus regebat. *Nihil deerit* boni ei qui adhæret Deo. *In loco pascua*, id est in futura beatitudine eum collocabit, sed iam in spe eiusdem beatitudinis collocavit, vel in Ecclesiæ & fidei unitate spem meam composuit.

2 Super † aquam † *Aquas* refectionis ¶ educavit me: ¶ *Enutrivit.*
Animam meam † convertit. † *Refecit.*

Aqua refectionis. Baptismus.

H. C. *Aqua refectionis* est, baptismi lavacrum, quo anima sterilis irrigatur. *Educavit.* C. Id est, paulatim nutrivit, quasi parvulos & renatos doctrinâ. H. Patriarcharum & Prophetarum sive Apostolorum. C. *Convertit* fidelis animam ad Christum quæ dudum sub diabolo probatur fuisse captiva.

D 3 ¶ Deduxit me super semitas iustitiæ: ¶ *Duxit.*
Propter nomen suum.

Semita iustitiæ. Matt. 7.

C. *Semita iustitia*, sunt duo præcepta salutaria, id est, dilectio Dei & proximi. Quæ semitæ dicuntur, quia arcta est via ad regnum cœlorum. *Propter nomen suum* gaudet se famulus Christi deductum esse ad illam scientiam, ut possit iussa Dei vulgare, & hoc non suis meritis, sed divinâ gratiâ sibi concessum esse, ac si diceret, deductus sum in semitas mandatorum, non propter meritum meum, sed propter nomen suum.

4 ¶ Nam ¶ *Sed.* & si ambulavero in † medio † *Valle.* umbræ mortis, non timebo ¶ mala: ¶ *Malum.*
Quoniam tu mecum es.

C. Dicit Catholicus, *si ambulavero* inter hæreticos (qui rectè umbræ mortis dicuntur) *non timebo* eorum pravas suasiones, *quoniam tu me Domine defendis.* H. Vel inter sæculi obscuritates, ignorantias & peccata: peccata enim umbra mortis sunt, quia exprimunt similitudinem mortis. Sed & ideò *non timebo*, quia *virga tua*, &c.

E Hæretici umbræ mortis sunt.

5 Virga tua & baculus tuus:
Ipsa me † consalata sunt. † *Consolabuntur.*

Virga & baculus.

C. *Virga* enim ad iustitiam & fortitudinem Domini salvatoris pertinet. *Baculus* ad adiutorium humanum quo gubernatur & à Deo sustentatur homo, sicut infirmus baculo sustinetur, quo & pes cautè defigitur, & totum corpus desuper innixum sustinetur. Istis ergo duabus rebus fidelis consolatur, una est districtio quæ conterit vitia, & malos qui bonis nocere cupiunt: altera gubernatio, quæ sustinet fideles. H. A. Virga certe etiam consolatur, quando corrigendo peccatorem in viam salutis ducit. F

6 ¶ Parasti in conspectu meo mensam:
Adversus eos qui tribulant me. ¶ *Pones coram me mensam, ex adverso hostium meorum.*

Mensa est scriptura sacra.

C. *Parasti*, id est, prædestinasti altare sanctum, mensa dicta à mense, quoniam quolibet mense primo die, convivia ritu gentium exercebantur, &c. H. Significat scripturam sanctam. *Adversus eos*, id est, hæreticos qui tribulant Ecclesiam, vel persecutores Ecclesiæ & dæmones.

G

7 Impinguasti in oleo caput meum:
÷ & :· calix meus inebrians ÷ / quam præclarus est :·

Calix verbum Dei.

H. Vox Ecclesiæ. *Lætificasti caput*, id est, mentem meam, *oleo* hoc est spiritali lætitiâ. Calix intelligitur verbum Dei quod inebriat mentem hominis. C. *Præclarus* itaque, quia ad regnum cœlorum perducit. Vel calix sanguinis Christi, qui dignè sumentibus præclarus est.

8 † Et misericordia tua subsequetur me:
† *Sed & benignitas & misericordia subsequetur me.*
Omnibus diebus vitæ meæ.

C. *Subsequitur misericordia*, fideli utique ad custodiam, sed præcepit ad gratiam conferendam. Nisi Domini misericordia subsequeretur, facilè humana fragilitas deciperetur, quia à tergu diabolus insidias parat, quamdiu in hoc corpore mortali versatur, unde nimis necessarium est, ut semper nos gratia Dei præcedat, & misericordia subsequatur. H

9 * Et :· ÷ ut :· ¶ inhabitem in Domo Domini: ¶ *Habitabo.*
In longitudine dierum.

Domus Domini.

A. Ideò illa concessa sibi, quæ dicta sunt fatetur, ut *inhabitet*, &c. *Domus* quippe *Domini* futuram signat Hierusalem quæ consistit in longitudine dierum, quia in ipsa est perpetua lætitia & beatitudo sine fine.

Oratio ex Psal. XXII.

REge nos Domine suavibus tua præceptionis habenis, ut æterni tabernaculi habitatione perceptâ, plenitudine perennis poculi repleamur. Per Dominum nostrum, &c.

A

Argumentum Psal. XXIII.

C. Propheta testatur Christi ditioni universum orbem esse subiectum, diffiniens quibus virtutibus praediti sunt in eius Ecclesia constituti, alloquiturque superstitiosos ut vero Domino famulentur.

TT. Psalmus David : : Primâ sabbati :·.

Prima Sabbati est dies Dominica.

C. *Prima sabbati* significat diem Dominicum, quo Dominus surrexit, & resurgendo isti sæculo subvenit, mundúmque ipso die creavit, qui propter excellentiam tanti miraculi : propriè dies Dominica nuncupatur, id est, Domini, quamvis omnes sint Domini.

B

1 DOmini est terra & plenitudo eius : † Orbis terrarum & : / universi :· qui habitant in eo. † *Orbis & habitatores eius.*

Domini est terra id est, Ecclesia.

C. *Domini est terra*, id est, Ecclesia quæ Domino specialiter purà mente famulatur. Nam licet omnia ab ipso sint condita ; tamen ipsius esse proprium dicimus illud quod eum veneratur autorem. *Plenitudo*, id est, multitudo sancta quâ repletur Ecclesia. Ille *habitat* Ecclesiam qui usque ad obitum suum in fide recta perseverat, habitare enim manere dicimus.

2 Quia ipse super maria fundavit eum : Et super flumina ¶ præparavit eum. ¶ *Stabilivit illum.*

Flumina potentes sæculi dicuntur.

C. Quid est *super maria fundare* : nisi super tremulos fluctus vitiorum, Ecclesiam in firma fide solidare ? Flumina. H. Potentes sæculi vel cupidi. Super ista flumina est Ecclesia, ut illis prædicet, & convertantur.

3 Quis ascendet in montem Domini † Aut quis stabit in loco sancto eius ? † &c.

C

C. Quia omnia quæ condita Domini esse docuit sequenter interrogando ostendit quales esse debeant, qui se ipsius nuncupari desiderant. H. Et est vox prophetæ interrogantis, *quis ascendet in montem*, id est, cœlestem Ierusalem. C. Vel iustitiam ad quam magno nisu tendimus, quoniam peccatis obviantibus impedimur.

H. *Aut quis stabit*, id est, quis perseverabit in iustitia. C. Multò quippe utilius est in sancto loco stare, quam ad eius fastigium pervenire. H. Quia multi ascendunt, sed non perseverant. Quis igitur pro raritate ponitur.

4 Innocens manibus & mundo corde, qui non ¶ accepit in vano animam suam : Nec iuravit in dolo / : proximo suo :· ¶ *Exaltavit frustra animam suam, & non iuravit dolose.*

D

C. *Innocens manibus* est, cuius operatio neminem lædit, sed iuvare contendit. *Mundo corde.* H. Sanctus in cogitatione. Ille *non accepit in vanum animam suam*, qui opera bona agit. C. *Per dolum* itaque *iurat*, quisquis aliter facturus est quam promittit, credens periurium non esse, decepisse nequiter credentis errorem.

Iurare in dolo.

5 Hic accipiet benedictionem à Domino. Et † misericordiam à Deo salutari suo. † *Iustitiam.*

E

C. Ergo *accipit* benedictionem non ab alio, *sed à Domino.* H. qui se custodierit ab istis supradictis maculis. C. *Salutaris* ergo *noster* Christus est, à quo & beatitudo tribuitur & peccata laxantur. H. *Misericordiam à Deo* solus ille consequitur, qui se miserum putat. C. & nullus hominum est qui sibi misereri non egeat.

Salutaris noster.

6 Hæc est generatio quærentium eum : Quærentium faciem ¶ Dei Iacob. ¶ *Tuam Iacob.* Diapsalma.

Generatio quærentium Dominum.

H. *Generatio* hoc est populus Christianorum qui iacuit in tenebris, sed nunc quærens Dominum, *requirit faciem Dei* per fidem & operationem, id est Christi per illius illuminationem, qui posteriùs nato primatum dedit honoris, scilicet Christiano populo, quod per Iacob intelligi occultè dedit.

F

7 † Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales : † *Levate porta capita vestra, & elevamini ianua sempiterna.* Et introibit Rex gloriæ.

Portæ æternales.

C. Præcipit enim propheta *portas* mortis auferre, id est, cupiditatem & malitiam aliáque vitia, quæ principe diabolo positæ erant, quæ ideò portæ appellatæ sunt, quia per ea transeunt peccatores sua facta portantes, & per ea diabolus ad corda intrat. Siquidem à portando porta dicta est. Et iterum præcepit *elevare portas*, id est, H. fidem & charitatem quæ æternales sunt dictæ, quia per eas Christus introivit ad Ecclesias.

8 Quis est iste Rex gloriæ ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

Luca 11.

H. Vox dæmonum. Ac si dicerent, nostrum regem habemus diabolum. *Iste rex quis est ?* vox iterum Angelorum bonorum, *fortis est*, quia alligavit diabolum. *Potens* cum vicit Infernum. *In prælio potens* cum spoliavit tartarum. Sic quatere visi sunt diaboli à gentium cordibus, imperio Christi & prædicatione & gratiâ expulsi.

G

9 ¶ Attollite portas principes vestras : & elevamini portæ æternales : ¶ *Levate porta capita vestra ; & erigimini ianua sempiterna.* Et introibit Rex gloriæ.

C. Admonet iterum degentes in diversis erroribus, auferre claustra mortis. H. Hoc est superbiam & cupiditatem & avaritiam, quia per has tres omnis homo ad Infernum descendebat. *Elevata sunt porta æternales.* C. Id est, gratia baptismatis, honor Chrismatis, salus prædicationis : per quas rex gloriæ dignatus est introire.

H

10 Quis est iste Rex gloriæ ? Dominus † virtutum ipse Rex gloriæ * † *Exercituum.* Diapsalma.

Dominus virtutum.

H. Meritò *virtutum* Dominus dictus, quia virtute sua conculcans Infernos, cum triumpho rediens ad superos. *Rex gloria*, C. qui facit se glorificando gloriosos.

Oratio ex Psal. XXIII.

STabilitor terra Deus (cui cuncta mundi plenitudo deservit) restitue nos in innocentiam vita, ut possimus te

pravio

A *prævio montem sanctificationis ascendere. Per Dominum nostrum, &c.*

Argumentum Psal. XXIV.

C. *Per totum hunc psalmum deprecatur Ecclesia, ne ante conspectum Domini contemptibilis appareat inimicis:*

TT. ⁝ In finem ∵ psalmus David.

1 AD te Domine † levavi † *levabo* animam meam:
Deus meus in te ¶ confido non erubescam. ¶ *Confisus sum, non confundar.*

B C. Dicit mater Ecclesia, *se levasse animam suam* ad contemplationem cœlestium rerum, per spem, fidem & charitatem, quia humana facilè despicit qui divina conspexerit. Erubescere. *Erubescere* est repentinâ conturbatione animi confundi, quod non evenit Ecclesiæ, quia in Deum confidit.

2 ¶ Neque irrideant me inimici mei:
Etenim universi qui sustinent te non confundentur. ¶ *Ne lætentur inimici mei mihi, sed universi qui sperant in te, non confundentur.*

C. *Ridere* plerumque benigni, *irridere* autem semper adversi est. H. *Inimici* Ecclesiæ sunt dæmones, hæretici, vitia, peccata. Non confundentur, qui expectant Dominum, neque hic neque in futuro. Sustinere. C. *Sustinere* est sub malorum patientia Deum viriliter expectare, ut ille veniens in iudicio reddat quod devoti animus expectabat.

C

3 Confundantur ⁝ omnes ∴ † iniqua agentes:
Supervacuè. † *Qui iniqua egerunt frustra.*

H. Propheta dicit non optando, sed prophetando: *confundantur.* Confundentur enim qui usque in finem in malitia perseverant. C. Vanum dicimus infructuosum atque vacuum, quod à Domino probatur alienum. A. Vel optativè confundantur hic pro peccatis salubriter. Quòd si hic nolunt, confundantur tandem æternaliter.

4 Vias tuas Domine ¶ demonstra mihi: ¶ *Ostende.*
Et semitas tuas edoce me.

Viæ. Semitæ. C. *Viæ* dictæ sunt à vehendo, & significant hic mandata. *Semita* dicta quasi semi via, quia angusto calle dirigitur, nec vulgo nota est, sed occulto itinere ambulatur. H. Per semitam intelligitur angusta via quæ ducit ad vitam. *Edoce me*, C. Qui sermo non ad callem, sed ad legem magis noscitur pertinere.

D

5 ¶ Dirige ¶ *Deduc.* me in veritate tua & doce me:
Quia tu es Deus salvator meus ⁝ & ∴ te † sustinui tota die. † *Expectavi.*

C. *Dirige me* ad vitam pertinet, *doce* ad scientiam. H. Id est ut nihil perversè agam. C. Salutare est Christiano, ut Deum sibi salutarem credat. *Totâ die*, ac si diceret, omni die scilicet non interposito die, sed continuâ vitâ expectavi misericordiam tuam & retributionem. H. *Sustinui* itaque te, quem homines putant oblitum eorum dum tardas, expectans patienter miserationis tuæ dilationem in subveniendo.

E

6 Reminiscere miserationum tuarum Domine:
Et misericordiarum tuarum ¶ quæ à sæculo sunt. ¶ *Quia à sempiterno sunt.*

C. Humano usu hic dicitur, *reminiscere*, qui nunquam potest aliquid oblivisci. *Miserationes* pertinent ad operationes pias: *Misericordia* verò ad clementem naturam, quoniam miseratio, operis est, misericordia cordis. Sæcula dicta, quod in se revolvant iugiter tempora, à sequendo sese dicta. Miserationes. Misericordia. Sæcula.

7 † Delicta iuventutis meæ:
Et ignorantias meas ne memineris.
† *Peccatorum adolescentiæ meæ, & scelerum meorum.*

F

C. *Delictum* quidam volunt levius esse peccatum quasi derelictum, dictum ab eo quod viam derelinquat æquitatis. H. *Iuventutis*, id est, quæ in adolescentia gessi. C. *Ignorantias* dixit, quia multa facimus quæ mala esse nescimus, ideò precatur ne delicta eius meminerit, sed potius memor eius sit per suam misericordiam.

8 Secundum misericordiam tuam memento mei tu:
Propter bonitatem tuam Domine.

H. *Secundum tuam misericordiam*, id est, non propter meum meritum, sed propter tuam misericordiam *memor esto mei.* C. Merito etiam illius *bonitas* prædicatur, de quo dicitur, *nemo bonus nisi solus Deus.* Mat. 19.

G

9 ¶ Dulcis & rectus Dominus: ¶ *Bonus.*
Propter hoc † legem dabit delinquentibus in via. † *Docebit peccatores in via.*

C. *Dulcis* dicitur à quo suavia dona præstantur cœlestis vitæ. *Rectus.* H. quia reddit unicuique secundum opera sua. *Legem* charitatis *dabit*, per quam dimittentes offensam reconciliamur Deo. C. *In via*, id est, præsenti vitâ, ubi lex ponitur, in qua rectè vivere commonemur. Dulcis & rectus Dominus. In via.

10 ¶ Diriget mansuetos in iudicio: ¶ *Deducet.*
Docebit † mites vias suas. † *Modestos viam suam.*

C. *Directum* quippe dicitur, qui de curvo rectus efficitur. *Mansueti* dicuntur, quasi manu consueti, hoc est tolerantes iniurias; non reddentes malum pro malo. *Mites* sunt qui nullo furore turbantur, sed lenitate animi iugiter perseverant: illos dirigit in iudicio, quia ad promissam beatitudinem eos facit pervenire. Quæ verò sint viæ domini, sequenti verso exponit. Mansueti. H Mites.

11 ¶ Vniversæ viæ Domini misericordia & veritas: ¶ *Omnes semitæ.*
† Requirentibus testamentum eius & testimonia eius. † *His qui custodiunt pactum eius, & testificationes eius.*

C. *Vniversæ viæ domini* misericordia, quia prævenit cuncta bonitate suâ. *Veritas*, quia omnia iustè diiudicat. Quibus verò possint talia convenire: sequitur, *Requirentibus testamentum.* H. Id est, novum: *& testimonia*, id est, dicta præcedentium prophetarum. Misericordia & veritas.

A 12 Propter nomen tuum Domine † propi-
riaberis peccato meo :
Multum est enim. † *Propitiare iniquitati meæ, quoniam grandis est.*

C, Hoc bene refertur ad personam Ecclesiæ, quæ se salvatam dicit *propter nomen* Iesu, qood linguâ nostrâ salvator interpretatur. *Peccato meo multum est enim*, quia nisi fuerit divinâ miseratione subventum, quantum vita protenditur, tantum humana fragilitas peccatis involvitur & cursu temporis semper augetur.

13 Quis est ¶ homo ¶ *Iste vir.* qui timet Dominum :

B † Legem statuit ei in via quam elegit.
† *Quem docebit in via.*

C. More suo interrogando dicit propheta, *Quis est homo qui timet Dominum?* constituta est illi *lex*, ne sob securitate ignorantiæ peccet, *in via*, id est, in sanctitate propositi. A. Vel in via Dei; si enim timet, securitate non decipitur.

14 Anima eius in ¶ bonis demorabitur :
¶ *Bono.*
Et semen eius hæreditabit terram.

C H. *Anima* iusti *in bonis demorabitur*, hoc est perseverabit sperando in præmiis futuris. C. *Semen eius hæreditabit terram.* Id est, opera bona hæreditabunt terram viventium, id est, in æterna securitate recipientur, & possessio eius nulla ulterius expulsione turbabitur, qui enim aliquid ex hæreditate tenet, firmissimâ possessione gloriator.

15 † Firmamentum est Dominus timentibus eum :
Et testamentum ipsius ut manifestetur illis. † *Secretum domini timentibus eum: & pactum suum ostendet eis.*

Manifestatio legis in Christo.

H. Nos infirmi & imbecilles, si timemus Dominum, erit nostrum *firmamentum*, ne ab huius sæculi fluctibus quatiamur. Et *manifestatur* lex nobis in Christo, quæ prius velata erat per literam. C. Est valdè nobis necessarium, ut lex eius, ipsius munere declaretur nobis, sine quo, nec intelligere quicquam boni, nec perficere possumus.

16 Oculi mei semper ad Dominum :
Quoniam ipse ¶ evellet de laqueo pedes meos. ¶ *Educet de retibus.*

D H. *Oculi mei ad Dominum*, id est oculi cordis, vel mens mea semper cogitet dominum, quoniam *de laqueo* diaboli sensos meos (à quo prius per voluptates sæculi capiebar) evellet.

17 Respice in me & miserere mei :
Quia † unicus & pauper sum ego.
† *Solus.*

Unicus & pauper.

C. Superius dixit, *oculi mei semper ad Dominum*, nunc dicit, *respice in me* quemadmodum ego in te. *Miserere mei*, H. Quia miser sum, *unicus* est populos Christianus. C. Qui unicus est ei, quia solus sacramenta fidei custodit, *pauper* quoniam à mundi illecebris segregatus, nullâ sæculi ambitione refertus est.

18 Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt :
De ¶ necessitatibus meis erue me. E
¶ *Angustiis.*

Necessitates.

C. *Multiplicatæ sunt tribulationes* Ecclesiæ, dum cogitationes suas per calamitates mundi (ubi est seminata) distendit, necesse est enim ut copioso fasce deprimatur, qui pro multis affligitur. *De necessitatibus* dicit, quas persecutorum atque hæretientum patiebatur insidiis, hi sunt enim qui necem cupiont ioferre Christianis. A. Et necessitates rectè adversitates dicuntur, quia necessariæ sont ad regnum cœlorum tendentibus. G. Vel *necessitates*, venialia dicit peccata, sine quibus vivere non possumus.

19 Vide humilitatem meam & laborem meum :
Et ¶ dimitte universa delicta mea. F
¶ *Porta omnia peccata mea.*

A. C. *Vide*, id est propitius respice. *Humilitas* est Ecclesiæ, quando indisciplinatos docendo sustinet. C. *Labor* ipsius est, quia multis persecutionibus fatigatur. Meritò sibi omnia peccata deprecatur *dimitti*, quia durus labor toleratione semper clementiam iodicis expectat, id est propter istam humilitatem & laborem, meretus indulgentiam delictorum.

20 † Respice † *Vide* inimicos meos quoniam multiplicati sunt :
Et odio iniquo oderunt me.

H. *Respice*, vox Ecclesiæ pro persecutoribus. C. Orat ut redeant, quia quem ille respicit, sine dilatione convertit. *Multiplicati sunt*, in peccatis. *Odio iniquo* addidit, quia & iustum odium est, ut illud, *perfecto odio oderam illos.* Isti autem non illo iusto odio, sed iniquo oderunt me. G

Ps. 138.

21 Custodi animam meam & ¶ erue me :
¶ *Libera.*
Non erubescam quoniam speravi in te.

H. *Custodi*, vox Ecclesiæ, supplicat ut custodiatur. A. Ne declinet ad imitationem eorum, *& erue me*, ab omni malo. H. *Non erubescam* id est non confundar, neque hic neque in futuro, *quia in te speravi* & te invocavi. C. Ipsum enim eligit invocare, qui nescit piè supplicantes abiicere. A Quia igitur non in me, sed in te speravi, non confundar.

22 † Innocentes & recti adhæserunt mihi :
Quia sustinui te. † *Simplicitas & æquitas servabunt me, quia expectavi te.* H

Innocentes & recti.

C. *Innocentes*, parvulos dicit sacro baptismate regeneratos. *Rectos* qui iam maturâ ætate conversi sunt à peccatis. Ideò verò illos *adhæsisse* dicit Ecclesia sibi, qooniam *sustinuit* Deum, patienter adversitates sustinendo.

23 ¶ Libera Deus Israël : ¶ *Redime.*
Ex omnibus † tribulationibus suis.
† *Angustiis.*

C. *Libera Deus Israel*, id est, Deus te videntium. A. Vel, ó Deus libera Israël, id est, populum quem ad visionem tuam præparasti. C. Quia ipsos gratos habet, quibus conspectom suæ contemplationis indulget.

A

Oratio ex Psal. XXIV.

Libera nos ab omnibus angustiis nostris mitissime Deus, quia ad te animas nostras erigimus: obliviscere quæsumus delicta iuventutis & ignorantia prioris, & si quid negligenter delinquimus, clementer ignosce. Per Dominum nostrum, &c.

Argumentum Psal. XXV.

C. Totus Psalmi huius textus, ad perfectum aptandum est Christianum, qui diversorum laude meritorum in Ecclesia perseverans divinis se beneficiis consolatur.

B

TT.: : Psalmus :· David.

C. Totus hic Psalmus ad perfectum aptandus est Christianum, sed tamen cum à tali hymnus dicitur, necesse est, vt ad Christum Dominum intelligentiæ virtute referatur.

1 IVdica me † Domine, † *Deus* quoniam ego in ¶ innocentia mea ingressus sum: ¶ *Simplicitate mea ambulavi.*
Et in Domino sperans non † infirmabor. † *Deficiam.*

C. *Iudica me Domine*, postulat vir sanctus iudicia, quia certus erat de eius misericordia. *In innocentia ingreditur*, id est, inter peccatores habitans non peccat. Non *confidit* etiam in suas vires sed in Deum, ideo *non infirmabitur.*

C

2 Proba me Domine, & tenta me:
Vre renes meos, & cor meum.

Duplex tentatio. H. *Probari* se rogat Ecclesia, vt se cognoscat, & ab aliis cognoscatur. C. Duæ sunt tentationes, vna domini, qua bonos tentat vt eos erudiat, altera diaboli, quæ semper ducit ad mortem. *Vre renes*, H. Id est, Spiritum Sanctum adhibe delectationibus. *Et cor meum*, id est, cogitationibus meis Spiritum Sanctum adhibe.

3 Quoniam misericordia tua ¶ ante oculos meos est: ¶ *In conspectu oculorum meorum.*
Et † complacui in veritate tua. † *Ambulabo.*

D

Complacere. C. Quia domini misericordiam ante oculos cordis propheta habebat, ideò pericula tentationum non timebat. Complacere est cum sanctis æternam gratiam promereri. H. C. *In veritate*, id est, in Christo qui est veritas. Gratiâ igitur illustratus, Deo sibique complacuit in mente.

4 Non sedi ¶ cum concilio vanitatis:
Et cum iniqua gerentibus non introibo. ¶ *Cum viris vanitatis: & cum superbis non ingrediar.*

H. *Non sedi cum concilio*, id est, non sum coniunctus his, qui contra Christum meum vanum agunt concilium. *Introitus* hic initium significat operationis malæ, quod vir sanctus à se profitetur alienum. Vani. Impij. *Vani* autem sunt, qui caducis inquisitionibus occupantur, & in superflua narratione tempus consumunt. *Impij* autem, qui quæstionibus perversis scripturas divinas depravare contendunt, vt hæretici.

E

5 Odivi Ecclesiam † malignantium: † *Pessimorum.*
Et cum impiis non sedebo.

C. Non satis est vitasse perversos & malos, nisi & mente displiceant, ideò dicit. *Odivi Ecclesiam malignantium* H. Id est iudæorum vel hæreticorum, qui maligni dicuntur. *Et cum impiis* qui non solum mala cogitaverunt, sed in opere perfecerunt, cum his placitum non habebo.

6 Lavabo † inter innocentes manus meas: † *In innocentia.*
Et ¶ circumdabo altare tuum Domine. ¶ *Circuibo.*

C. *Lavit manus* suas, quisquis propria facta inæstimabili satisfactione diluerit. *Altare* autem ab altitudine dictum quasi alta ara. H. Et significat fidem, quam circumdare, est operibus bonis ornare. C. Vel altare cœleste quo dominus introiuit sacerdos pro nobis. A. Vel altare, id est, mentem. Lavare manus. Altare, quasi alta ara.

F

7 Vt audiam vocem laudis tuæ:
Et enarrem universa mirabilia tua.

A. *Vt audiam vocem laudis*, id est, discam quomodo te laudem, non ex ipso bono de me præsumens. C. Vocem autem laudis forte illud dicit quod in cœlesti templo coram Christo semper canitur. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* *Et se enarrare* dicit *mirabilia*, quæ quotidie beata canit Ecclesia in celebratione missarum. Esa. 6.

8 Domine dilexi † decorem domûs tuæ: † *Habitaculum.*
Et locum ¶ habitationis gloriæ tuæ. ¶ *Tabernaculi gloriæ tuæ.*

G

H. *Domine dilexi decorem domûs*, id est, sanctos sacerdotes & alios sanctos. C. In quibus gloria Dei habitare cognoscitur, *locum habitationis* significat arcanum humani pectoris. *Gloria tuæ*, quia Christus gloriosum efficit quicquid inhabitare dignatur. Idem enim sunt decor domus Dei & locus habitationis eius. A. diligere igitur decorem domus Dei, est bonos in Ecclesia diligere, qui decorant Ecclesiam. Decor domus Dei.

9 Ne † perdas cum impiis animam meam: † *Auferas cum peccatoribus.*
Et cum viris sanguinum vitam meam.

H. *Ne perdas cum impiis* scilicet iudæis qui per impietatem mitem tradiderunt. A. Vel impij omnes mali sunt, qui carnaliter vivunt, vel qui Christi sanguinem fuderunt. Tales pereunt de futura Hierusalem. Viri sanguinum.

H

10 In quorum manibus ¶ iniquitates sunt: ¶ *Scelus est.*
* Et /: dextera eorum repleta est muneribus.

H. *In quorum manibus*, id est, in operibus, *iniquitates sunt. Repleta est dextera muneribus*, quando proditor Iudas pecuniam pro Christo accepit. A. Vel illorum si quid boni agunt, pro muneribus faciunt. H. A. Quòd enim eis datum est ad accipienda æterna, convertunt ad sæculi dona, æstimantes quæstum esse pietatem.

11 Ego autem in † innocentia mea ingressus sum: † *Simplicitate mea gradiar.*
Redime me & miserere mei.

A H. *Ego autem in innocentia.* Ecclesia loquitur pro parte bonorum. C. Et per studium vitæ sanctæ ingressa in thesauros spirituales. *Redime me*, id est, in adventu tui pretioso sanguine. *Miserere* scilicet in hoc mundo, ubi supplicantibus parcis.

12 Pes meus stetit in ¶ directo : ¶ *Recto.*
In Ecclesiis benedicam ⁝ te ⁘ † domine. † *Domino.*

Pes meus. H. *Pes meus*, id est, sensus meus vel affectio mea *stetit* in Christo qui est recta via. *In Ecclesiis.* C. In populis Christianis, dicit se laudaturum Dominum Christum.

Oratio ex Psal. XXV.

B *Largire Domine misericordiam tuam famulis supplicibus, & fac nos in tua veritate devotos, ut actibus in innocentiam restitutis, liberari mereamur ab impiis. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.*

Argumentum Psal. XXVI.

C. *Vox Prophetæ dicentis se Deum metuere & nullum alium formidare, quia inter adversa sæculi ipse est suffugium eius; & spiritu prophetia, spem sibi futuræ beatitudinis pollicetur.*

TT. ¶ ⁝ Psalmus ⁘ David ⁝ priusquam liniretur ⁘. ¶ *David.*

C

1. Reg. 16. 2. Reg. 2. 2. Reg. 5. H. Vnctus est David semel sub patre Iesse in Bethleem, secundo in Hebron, tertio quando regnavit super Israël. Sed de his tribus unctionibus media ad istum psalmum pertinet. David figuram Christi tenet, unctus est Christus in baptismo.

Feria secunda Nocturnus. 1 DOminus † illuminatio † *Lux.* mea, & ¶ salus mea : ¶ *Salutare.*
Quem timebo?

H. Vox Ecclesiæ ad Christum, dicit se *non formidare* ullis tenebris obtegi, quam dominus semper *illuminat & salvat*, nec posse ullum timere tali defensore protegente.

2 Dominus † protector vitæ meæ : † *Fortitudo.*
¶ A quo trepidabo ? ¶ *Quem formidabo :*

D H. Confitetur se habere protectorem ipsum dominum idcirco non metuit coram inimico nec ab eo trepidat, id est, à diabolo, &c. vel hæretico, seu persecutore :

3 Dum appropiant super me † nocentes : † *Maligni.*
Vt edant carnes meas.

Carnes. C. *Dum appropiant super me.* Truculentium inimicorum hic vota ostendit, qui non solum extinguere, sed etiam aviditate furoris, ipsas humanas carnes cupiunt crudeliter devorare. A. Vel *carnes* affectus carnis sunt, qui sunt cibus nocentium inimicorum spirituum & persecutorum, vel etiam corpora sanctorum ipsis ad persequendum concessa carnes sunt, quibus vesci delectantur persequendo.

E

4 Qui ¶ tribulant me inimici mei : ¶ *Hostes mei & inimici mei.*
Ipsi † infirmati sunt & ceciderunt. † *Impegerunt.*

H. *Qui tribulant me*, id est dæmones vel persecutores, tunc *infirmati sunt*, quando Christus suscepit nostram humanitatem. C. Illi etenim corruunt, qui innocentem sanguinem devorare festinant.

5 Si ¶ consistant adversum me castra : ¶ *Steterint.*
Non timebit cor meum.

C. Castra enim valida munitio est, quam expugnare facile non potest impetus irruentis; sed hæc omnia dicit sibi esse contemptibilia, cum valletur auxiliatione divinâ. Castra.

F

6 Si † exurgat adversum me prælium : † *Surrexerit.*
In hoc ego sperabo.

H. *Si exurgat adversum me prælium.* Prælium dicit Ecclesia pugnas dæmonum, & se sperare in auxilium & defensionem Christi. C. In concitatis enim præliis gloria vincentis semper apparet; Non virtus probatur latere, quæ non fuerit explorata certamine.

7 ¶ Vnam ¶ *Vnum.* petij à Domino † hanc requiram : † *Hoc.*
Vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

G

H. *Vnam petij*, quidam putant unam charitatem sive gratiam aut certè ipsam petitionem dicit, cum in hebræo neutraliter unum dicatur, id est dominum. *Hanc*, id est, dominum *requiram*. &c. Vt inhabitem in domo domini, id est, in vita perpetua. C. Et hoc non in parvo tempore, sed in *omnibus diebus vitæ meæ.* Vnam petij.

8 Vt videam ¶ voluntatem Domini : ¶ *Pulchritudinem.*
Et † visitem templum sanctum eius. † *Attendam.*

H. *Vt videam voluntatem Domini*, id est, dilectionem Dei. C. Videt etiam voluntatem domini, qui præcepta eius intelligit & custodit. Ille *visitat templum eius*, qui Ecclesiam Christi sacris admonitionibus corroborat. A. Vel templum contemplationem dicit gloriæ domini, habet enim alia litera, *ut contempler delectationem domini.* Videre voluntatem Domini.

H

9 Quoniam abscondit me in ¶ tabernaculo suo : ¶ *Vmbra.*
In die † malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui. † *Pessima abscondet me in secreto tabernaculi sui.*

H. Abscondit ergo Ecclesiam apud se Christus, ne sibi tentationum obessent procellæ, vel ut ait apostolus. *Mortui enim estis. & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Non dicit malos dies esse, sed in nostris operibus malis mali esse dicuntur. C. *In abscondito tabernaculi*, id est, in divinitatis secreto potentiæ semper nos protexit & protegit. H. Vel *in die malorum* quo mali vigent. C. *Abscondi*, est quærentium oculis non præberi, *protegi* autem ab omni metu periculóque liberari. Coloss. 3.

A

10 In petra exaltavit me:
Et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Caput.

In petra exaltavit, id est, in Christo per fidem. *Nunc exaltavit caput*, C. A. Caput, hic pro mente ponitur, quo vegetante possumus contineri. *Super inimicos.* H. Id est, motus carnales. C. Sive appetitus vitiosos, supra quos mens nostra erigitur, quando divino adjutorio pura servatur.

11 ¶ Circuivi & immolavi in tabernaculo ejus ¶ *Quæ sunt in circuitu meo. Et immolabo.*
† Hostiam vociferationis: † *Hostias jubili.*
Cantabo & † psalmum dicam domino: † *Psallam.*

B

C. *Circuivi* hoc est animo perscrutatus sum, quâ potentia cœlum fecit Deus & omnia ex nihilo creavit. A. Hominem redimit & mundum in eo credentem, & inveni quid immolem, scilicet laudem C. *Et immolavi in tabernaculo ejus*, id est, obtuli in ejus Ecclesia sacrificium laudis. *Vociferationis* dicit, scilicet pro magnitudine laudis.

Cantare & psallere.

C. C. *Cantabo*, id est, prædicabo. *Psalmum dicam*, id est, opere complebo, C. Cantare est enim sola voce laudes dicere, sed psallere opere prædicare.

12 !! Ex ∵ audi domine vocem meam ¶ qua clamavi ad te:
Miserere mei & exaudi me: ¶ *Invocantis: miserere mei.*

C

C. Nunc iterum rogat Ecclesia, *ut exaudiatur*, clamavit enim & prius cum dixit, *ut inhabitem in domo domini*, scilicet quia divinarum rerum nulla satietas est, sed quantò gustatur Deus suaviùs, tanto appetitur plus, vel ideo iterat, quia spe habitat in æterna gloria, nondum re.

13 Tibi dixit cor meum † exquisivit te facies mea: † *Quæsivit vultus meus.*
Faciem tuam domine requiram.

C. Itaque vir fidelis, *cor*, hoc est desiderium suum, dixit ad dominum loqui, quoniam hoc videbant usferre quod cogitabat, A. *Facies mea*, id est, præsentia mea tuam, vel pulchritudo animæ meæ à te data tuam pulchritudinem. C. Quærit vero *faciem* Dei, qui se sancta conversatione custodit. De quibus dictum est, *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Geminat quoque, *faciem tuam requiram*, una quidem res, sed frequentata ostendit, quod ardenti studio Christum quærebat.

Quærere faciẽ Dei.

D

14 Ne † avertas faciem tuam à me: † *Abscondas.*
Ne declines in ¶ ira à servo tuo: ¶ *Furore tuo.*

C. Sanctus enim vir rogat, ne à facie Dei reddatur alienus. Iterumque rogat, *ut* ab ipso *declinet* Deus tunc quando sanctis vultum suæ majestatis indulget. *Iram* hoc est, judicij tempore, cum discernet malos à bonis. A. Vel non in ira declinat, quando cadere permittit ut cautior & fortior surgat.

Declinare in ira.

15 ¶ Adjutor meus es tu ne derelinquas me: ¶ *Auxilium meum fuisti.*
Neque † despicias, † *Dimittas.* Me Deus † salutaris meus: † *Salvator meus.*

E

C. Petit propheta ne deseratur à domino, scit enim, si ille reliquerit, quòd nulla potestas se regere prævalebit, H. *Salutaris noster* Christus est, & hoc rogat propheta: *ne despiciatur ab illo*, id est, ne committat ulla peccata per quæ à Deo despiciatur. A Quasi diceret, frustra creasti *Deus* & redemisti *salvator*, si despicis me conservare in bono quod dedisti, quia sine te nihil est conatus meus.

16 Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me:
Dominus autem ¶ assumpsit me: ¶ *Collegit.*

C. *Patrem suum*, Adam primum hominem dicit, *matrem* ejus uxorem Evam, unde generatio humana descendit, hi *dereliquerunt me* in ista miseria ad quam me exposuerunt: *Dominus* autem carne accepta *assumpsit me*. H. Loco scilicet veri parentis, ad hæreditatem æternam.

F

17 † Legem pone mihi domine in via tua: † *Ostende mihi Domine viam tuam.*
Et dirige me in semita recta propter ¶ inimicos meos: ¶ *Insidiatores mei.*

C. *Legem pone mihi*, postulat propheta legem sibi statui, id est, Evangelij intellectum venturis aperiri. *In via tua*, id est, in Christo. *Propter inimicos*, id est, hæreticos qui illam semitam, hoc est intelligentiam scripturarum, pravâ intentione subvertere nitebantur. A. Vel ô domine quia ad te tendo, & jam etiam in via ad te sum, pone legem in ea me dirigentem ne errem, & ne aberrantem disciplina tua deserat: *& dirige me* ulterius in rectitudine angustiarum, *propter insidiantes*, &c.

Inimici mei, Hæretici.

18 Ne tradideris me ¶ in animas, ¶ *Animæ*, tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes † iniqui:
Et mentita est iniquitas !! sibi ∵ . † *Falsi, & apertum mendacium.*

G

H. *Ne tradideris me*, id est, ut non satietur animus perversorum de adversitatibus, quæ accidunt mihi. *Insurrexerunt* contra Christum *testes iniqui* dicentes. Hic dixit, *destruite templum hoc, & in triduo reædificabo illud. Mentita est iniquitas sibi*, quia uniuscujusque vitium in suum recurrit autorem. C. Bene dixit autem *sibi*, quia pœnas recipit sui mendacij, qui falsum testimonium proferre contendit.

Matt. 26.

19 ¶ Credo videre bona domini: ¶ *Ego autem credo quod videam bona Domini.*
In terra viventium.

H. Vox Ecclesiæ, quæ quamvis tot periculis sit exposita, tamen *credit se videre bona*, id est, accipere per fidem hæreditatem regni cœlorum, in qua sancti cum Christo regnant.

H

20 Expecta dominum † viriliter age, & confortetur cor tuum: † *Confortare & roboretur cor tuum.*
Et sustine dominum.

C. *Expectat dominum*, scilicet qui promittendo non fallit, qui præstando non imputat, nec improperat. *Viriliter*, non solum viris, sed & fœminis est mandatum, *age & Confortetur cor*, ne tædio fatigante desperet. *Sustine dominum*, id est, sustine quod pateris, non lassescas neque discedas, & quod credis expecta.

A

Oratio ex Psalm. XXVI.

DEfende nos à castris & praliis inimici adiutor omnium Deus, ut in domo tua perpetuitate durantes, mereamur vultum tuum spirituali contemplatione suspicere. Per Dominum nostrum, &c.

Argumentum Psalm. XXVII.

C. *Orat Dominus Christus, per id quod homo est ut eius audiatur oratio, agitque gratias, quoniam exauditus est, rogans, ut sicut ipse suscitatus est potestate divinitatis sua, ita salvus fiat populus eius nomini crediturus.*

B

TT. !! Ipsi :· David.

David. C. *David* (sicut diximus) interpretatur manu fortis, & significat salvatorem, qui fortis utique manu, quia prostravit principem tenebrarum. Notandum igitur hunc psalmum tertium esse horum, qui passionem & resurrectionem dominicam sub brevitate commemorant.

1 AD te domine clamabo † Deus meus, ne sileas à me:
Nequando taceas à me, & assimilabor, descendentibus in lacum: † *Fortis meus, ne obsurdescas mihi: ne forte tacente te mihi, comparer his qui descendunt in lacum.*

C

C. Christus dominus *clamat* ad patrem tempore passionis *ne ab ipso sileat*, hoc est ne petenti non annuat, sed magis respondeat. H. Ac si dixisset, si siluer is ero similis petentibus, si taces non cognosceris.
Lacus. C. *Lacus* autem significat hoc sæculum, lacus enim dicitur quod sub ipsa terra lateat. Rogat ergo humanitas Verbi, ne similis esset cæteris hominibus, quia etsi communem conditionem carnis assumpsit: excellentiam tamen omnium creaturarum promeruit. H. Vel, lacus, infernum significat.

2 !! Ex :· audi !! domine :· vocem deprecationis ¶ dum oro ad te: ¶ *Cum clamavero ad te.*
Dum extollo manus meas ad † templum sanctum tuum: † *Oraculum sanctum tuum.*

Téplum. D

H. *Oravit* Christus in cruce pro toto mundo. *Extulit manus*, id est, extendit eas in cruce, *Ad templum sanctum*, hoc est, ut templum patri præpararet, id est, corpus Ecclesiæ. C. Non est etiam absurdum, templum accipi cœlum, quoniam domini sedes esse divina lectione monstratur.

3 Ne !! simul :· tradas me cum ¶ peccatoribus :· ¶ *Impiis.*
Et cum operantibus iniquitatem !! ne perdas me :· .

H. *Peccatores*, latrones inter quos pendebat, dicit. C. *Cum operantibus iniquitatem* petit ne habeat aliquam portionem.

4 Qui loquuntur pacem cum † proximo suo: † *Amicis suis.*
Mala autem in cordibus eorum.

H. *Loquebantur* judæi *pacem* cum Christo dicentes, *magister scimus quia verax es.* Erat pax in eorum labiis, sed in corde malitia. C. Qui jostè mali dicebantur, quia proximum malitiose prodere festinabant.

E Mat. 22.

5 Da illis secundum ¶ opera ipsorum: ¶ *Opus suum.*
Et secundum † nequitiam † *Malum.* adinventionum ¶ ipsorum: ¶ *Suarum.*

H. Petit illis dari secundum *opera ipsorum*, non optando, sed prænuntiando. Et *secundum nequitiam adinventionum.* C. Hoc est, ut innoxio nocerent, qui ad eos venerat saluandos, ut eum morti traderent.

6 † Secundum opera manuum eorum tribue illis: † *Iuxta opus manuum suarum da eis.* F
Redde retributionem ¶ eorum ipsis: ¶ *Suam.*

C. Quatuor sunt species retributionum, quarum una est, cum tribuuntur mala pro bonis, sicut judæi Christo. Altera cum bonum pro bono, ut Deus electis. Tertia cum retribuitur malum pro malo, ut est illod, *ite in ignem æternum.* quarta cum tribuitur quod hic dicit bonum pro malo, ut qui persecutores extiterant, fiant conversi postea laudatores Christi. Quadruplex retributio. Mat. 25.

7 Quoniam non † intellexerunt † *Intelligunt.* Opera domini, & ¶ in opera manuum eius: ¶ *Opus manuum eius:*
Destrues illos & non ædificabis !! eos :· .

C. *Non intellexerunt opera Dei*, scilicet nunc quando docuit populum viam veritatis. *Et in opera manuum eius* utique non consideraverunt: si considerassent, expavissent potius quam sprevissent. Sic ergo illos dicit *destrui*, ut non iterum debeant ædificari, quod tamen videtur dictum esse prophetice potius quam ad iracundiæ qualitatem referendum. G

8 Benedictus dominus:
Quoniam !! ex :· audivit vocem deprecationis meæ.

C. *Benedictus dominus.* Vox Christi ad patrem, *quoniam exaudivit* (qui est utique benedictus, & si non exaudiat vocem deprecationis) dicens *clarificavi & iterum clarificabo*, sed propriè *benedictus* dicitur, cum gratias agimus benedicendo: aptè igitur dictus est benedictus qui exaudire dignatus est. Benedictus Dominus. Ioan. 12.

9 Dominus † adjutor meus & protector meus: † *Fortitudo mea & scutum meum.*
!! Et :· in ipso speravit cor meum & ¶ adiutus sum: ¶ *Habui adiutorium.*

H

C. *Adiutor*, ad pericula vitæ pertinet, quæ patre adjuvante in passione superavit. *Protector*, quia eum ab insidiis diabolicis sua defensione vallavit. In morte *speravit* humanitas in divinitatem. *Adiutus sum*, in tribulatione ut resurgeret.

10 † Et refloruit caro mea:
Et ex voluntate mea confitebor ei: † *Gavisum est cor meum, & in cantico meo confitebor illi.*

C. *Floruit ergo caro*, quando ex virgine sine peccato emicuit, tanquam pulchrum floris decus, ut Esaias: *& flos de radice eius ascendet*, Sed *refloruit* cum resurrexit. *Confitebor* tibi pater domine cœli & terræ, &c. Esa. 11. Mat. 11.

11 Dominus

A

11 Dominus fortitudo ❡ plebis tuæ:
Et protector salvationum Christi sui est: ❡ *Mea, & robur salutarium Christi sui est.*

❡ C. Merito dicitur *dominus fortitudo plebis suæ*, quando adversa cuncta ipso auxiliante superant. *Protector*, quoniam eos tegit & liberat ab imminentibus malis. *Salvationum*, id est, justorum. H. Addidit, *Christi sui*, quicunque enim in Christo baptizatus est: & ipse Christus, id est, unctus vocatus est.

12 † Salvum fac † *Salva.* populum tuum ! ! domine :. & benedic hæreditati tuæ:
Et ❡ rege eos & extolle illos usque in æternum: ❡ *Pasce eos & sublevа eos usque in sempiternum.*

B

C. Orat humanitas verbi pro populo Christiano (propter quem & probatur esse assumpta) ut satisfactione fidelis in hoc mundo salvus fiat. *Hæreditatem Christi* Ecclesiam dicit, quam suo sancto sanguine acquisivit. A. Quæ patris est & sua, quia dixit, *omnia tua mea sunt & mea tua*, huic hæreditati petit benedici, ut virtutibus & numero augeatur. C. *Regere* populos devotus petit ne carnalia concupiscant. *Extollere* ut intellectu scripturarum & opere sancto proficiant, ut à terrenis vitiis purgati, ad æterna præmia perducantur, & hoc petit debere fieri usque ad illud sæculum æternum, cui nullum aliud succedit. — *Joan. 17.*

Oratio ex Psal. XXVII.

Fortitudo omnium fortissime Deus: salva populum tuum à descendentibus in lacum, ita nos in templo sancto tuo unanimiter invelle, ut pacem quam proximis ore proferimus, cordibus teneamus. Per Dominum nostrum, &c.

C

Argumentum Psal. XXVIII.

C. *Credentes propheta generaliter admonet, ut Domino sacrificia devota mente persolvant: septenarias narratione Sancti spiritus virtutes enumerans.*

TT. Psalmus David !) in consummatione tabernaculi :.

C. Consummatio tabernaculi perfectionem significat Ecclesiæ Catholicæ, quæ per totum orbem probatur esse constructa. Est enim totus iste psalmus, spiritus sancti laude plenissimus. H. Vox Christi prædicatores admonet, qui per gratiam in adoptionem filiorum vocati sunt. Quid admonet? afferre prædicationem & exemplum.

D

1 // Afferte domino filij Dei :. :
Afferte domino filios arietum.

H. C. *Arietes* Apostoli sunt accipiendi. C. Aries enim dictus quasi à fronte ruens, id est, diruens. H. Qui duo cornua habet in capite, sicut sancti Apostoli habuerunt duo testamenta quæ prædicaverunt. *Filij arietum*, successores Apostolorum sunt. — *Arietes Apostoli sunt.*

2 Afferte domino gloriam & † honorem: † *Imperium*: afferte domino gloriam nomini ejus:
Adorate dominum in ❡ atrio sancto ! ! ejus :. : ❡ *Decore.*

E

H. *Afferte domino gloriam*, ut per opera vestra glorificetur æternus Deus. Afferte nomini ejus, *nomen* patris filius est, *gloria Christi*, Ecclesia est, id est, ut per vos nomen ejus in cunctis gentibus innotescat. *Adorate in atrio sancto.* C. Id est, colite eum in conscientia vestra mundissima, ipsa est enim aula regalis & habitatio spiritus sancti. — *Conscientia.*

3 Vox domini super aquas, Deus † majestatis intonuit: † *Gloriæ.*
Dominus super aquas multas.

H. *Vox domini*, id est, prædicatio Dei, scilicet Christi per se & Apostolos suos, *super aquas*, id est, super populos, ut est illud, aquæ multæ, populi multi. *Deus maiestatis*, Deus potestatis, *intonuit* dominus super aquas, id est, terribiliter prædicavit: de tabernaculo assumpti corporis populis dicens: *pœnitentiam agite.* G. Ecce primum donum spiritus sancti, scilicet. Timor quem prædicando Christus cordibus hominum dedit. Initium enim sapientiæ & pœnitentiæ timor domini est. — *Apoc. 15. Matth. 4.* F *Ps. 110.*

4 Vox domini in ❡ virtute: ❡ *Fortitudine.*
Vox domini in † magnificentia: † *Decore.*

H. Merito ergo vox domini *in virtute* dicitur, quia in unoquoque sancto loquitur. C. Et ei nullis obstaculis obviatur. *In magnificentia*, quid enim spiritu sancto magnificentius? qui illuminato corde sentire facit, ut appetantur bona & pessima quæque fugiantur. G. In virtute, donum pietatis. In magnificentia, donum scientiæ notatur.

5 Vox domini confringentis cedros:
Et confringet dominus cedros Libani.

H. *Cedri*, dicuntur superbi vel sublimes. C. Bene enim comparatur cedrus superbis, quæ nullos utiles fructus generat, sic nec electio detestabilis quæ peccatum intulit mundo. Cedri quæ in Libano nascuntur altiores fiunt cedris quæ alibi nascuntur, & significat nobiles istius mundi & reges, qui reliquos homines tanquam humilia fruteta despiciunt: quos dominus confringet, quando abjectis superbis humiles eliget. C. In confractione cedrorum, donum fortitudinis intelligitur, dum fractos, id est, humiliatos & conversos quælibet pro Christo sustinere facit. — *Cedri superbi dicuntur.*

G

6 Et ❡ comminuet: ❡ *Disperget.* Eas tanquam vitulus † Libani:
Et dilectus quemadmodum filius unicornium: † *Libanus & Sarion quasi filius Rhinocerotis.*

H

H. Iste *vitulus* significat Christum, sicut enim confringit vitulus virgulta tenera cornibus, ita Christus confringet Iudæos. Qui etiam dicitur *filius unicornium*, id est, judæorum, quia ex stirpe judæorum secundum carnem fuit. Iudæi unicornes dicuntur pro una lege quam habuerunt per quam in superbia se extulerunt. Nos utrumque testamentum habemus, ipsi vetus tantum recipiunt, nos duo cornua habemus, id est, utrumque testamentum. — *Vitulus, Christus. Iudæi unicornes dicuntur.*

7 Vox domini ❡ intercidentis flammam ignis: ❡ *Dividens flammas ignis*,
† Vox domini concutientis desertum, & commovebit dominus desertum Cades: † *Parturire faciens desertum. parturire faciet dominus desertum Cades.*

H. *Vox domini intercidentis*, id est, auxilium illius,

inter

A inter persecutores, qui suis sanctis subvenit, ut persecutio furibundorum flamma ignis intelligatur, vel flammam dicit libidines quas per confessionem & gratiam facit cessare. *Concutit desertum* vox domini, id est, prædicatio animam quæ deserta fuerat commovebit, quia anima quæ vitiis occupata est, deserta dicitur, illis excussis habitabilis Deo fit. C. *Desertum* appellati sunt, qui nec dum fidei donum perceperunt. H. Quos *commovebit* dominus de infidelitate ad fidem. *Cades* interpretatur commotio tincæ. G. Intercisio ista flammæ, donum consilij innuit, quo interrumpitur consensus actusque peccati vel persecutionis, in concussione vero deserti donum intellectus notatur.

Anima, desertũ.

8 Vox domini ¶ præparantis cervos, & revelabit condensa: ¶ *Obstetricans cervis, & revelans saltus.*

B Et in templo ejus † omnes dicent gloriam † *Omnis loquetur gloriam.*

H. *Cervi*, prædicatores significat, quos *præparavit*, quando illis spiritum sanctum dedit ac illos prædicare misit. *Revelavit condensa*, id est, obscura divinarum scripturarum per spiritum sanctum illis patefecit G. Per cervos igitur sapientes intelliguntur, qui contemplatione, alta conscendentes. A. Superant & repellunt venenosas linguas hæreticorum, Habet igitur septimum donum spiritus sancti, scilicet sapientiam. C. Pro qua re, in Ecclesia ejus: omnes illi hæc dona habentes, referunt gloriam

Cervi prædicatores.

9 Dominus diluuium ¶ inhabitare facit: † *Inhabitat.*

Et sedebit dominus rex in æternum.

C C. *Dominus diluvium inhabitare facit.* Hic significat diluvium baptismum sive aquas baptismi (per quas purgatur homo sicut per diluvium purgatus est mundus) & eas spiritus sanctus inhabitat. H. *Et sedebit dominus* in sanctis (qui sedes ejus dicontur) *in æternum*, id est, in seculum seculi, vel sedebit Christus ad dexteram patris.

Diluviũ Baptismus.

10 Domious † virtutem populo suo dabit: † *Fortitudinem.*

Dominus benedicet populo suo in pace.

H. *Dominus virtutem*, id est, fidem & fortitudinem contra hujus mundi procellas populo Christiano dabit. *Et benedicet* hic & in futuro: quando dicturus erit, venite benedicti patris mei. In pace, in semetipso, quia ipse est pax vera nostra.

Oratio ex Psalm. XXVIII.

D *DOna Domine virtutem populo tuo, & effice nos templum spiritûs sancti: ut tibi de corde puro, holocaustum acceptabile preparemus, Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.*

Argumentum Psal. XXIX.

C. Vox Christi ad patrem, gratias agentis post eius gloriosissimam resurrectionem.

TT. Psalmus cantici ¶ dedicationis domûs David: ¶ *Ad dedicationem.*

C. *Domus* significat templum dominici corporis. *Dedicatio vero*, resurrectionem ejusdem domini nostri. Tunc dedicavit, cum à mortuis resurrexit, tunc enim corpus ejus in æternam gloriam perductum est. Dedicare enim dicimus cum novitas domûs alicujus in usum celeberrimum deputatur. Domus autem David propter semen ejus est posita, unde salvator, carnis traxit originem. E

Dedicatio.

1 EXaltabo te domine quoniam † suscepisti me:

Nec delectasti inimicos meos super me: † *Salvasti me, & non delatasti inimicos meos.*

H. *Exaltabo te domine.* Vox Christi ad patrem, vel vox Ecclesiæ ad Christum, id est, laudabo te, *quoniam suscepisti me.* C. Per dispensationem qua resurrexi à mortuis. *Nec delectasti, &c.* quia non potuerunt Iudæi Christum extinguere sicut voluerunt. Delectasti vero posuit: pro delectare fecisti.

2 ¶ Deus meus clamavi ad te: ¶ *Domine Deus meus.*

Et sanasti me. F

H. Oratio Christi sive Ecclesiæ, *sanasti me*, id est, resurgere me fecisti. C. Tunc enim sanatus est Christus, quando carnem fragilitatis nostræ, resurgendo in æterna vitæ gaudia collocavit, & nos salvos fecit.

3 Domine eduxisti † ab † *Ex* inferno animam meam:

¶ Salvasti me à descendentibus in lacum: ¶ *Vivificasti me, ne descenderem in lacum.*

C. H. *Domine eduxisti*, hoc expositione non eget. Manifestum est enim, animam Christi cum aliis animabus sanctorum, de inferno revocatam à Deo. C. *Descendentes* vero *in lacum* sunt, qui in iniquitate istius sæculi versantur. Salvatus est itaque à talibus, quia à communione eorum liberatus est cum resurrexit à mortuis. G

4 Psallite domino sancti ejus:

Et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

H. Propheta hortatur sanctus, ut laudent illum à quo salvati sunt. *Memoria sanctitatis eius* dixit, quia memor nostri esse dignatus est, qui in umbra mortis, id est, peccati versabantur. H. Id est, memores sitis istius beneficij quo vos liberavit.

5 Quoniam † ira in indignatione ejus: ¶ *Ad momentum est ira eius.*

Et vita in ¶ voluntate ejus: ¶ *Repropitiatione eius.*

C. *Indignatio illius*, mors est peccatoris. H. *Indignatio* Dei fuit, quando Adam peccavit. *Ira*: justa dicta, quando eum de paradiso ejecit. *Et vita in voluntate eius*, ut qui fecit voluntatem Dei, maneat in æterna vita. Et sicut in Adam, ita in unoquoque peccatore. H

6 Ad vesperum † demorabitur fletus: † *Commorabitur.*

Et ¶ ad matutinum lætitia: ¶ *In matutino laus.*

H. *Vesperum*, tota vita ista præsens intelligitur, quia per peccatum Adæ omnes usque in finem seculi *flent* vel gemunt, quando recordantur dona paradisi quæ perdiderunt in Adam. *Et mane, lætitia*, quando in resurrectione simul in libertatem veniunt, vel aliter Vesperum quando flebat Maria, lætitia quando Christus resurrexit. A. Dicit vero *demorabitur*, id est, diu morabitur, quia à tempore peccati Adæ usque in finem sæculi.

Vesperũ præsens vita.

7 Ego

A 7 Ego antem dixi in abundantia mea:
Noo movebor in æteroum.

C. *Ego autem dixi in abundantia.* Abundantia erat filio semper virginis Mariæ, quòd verbum caro factum est: & habitavit in nobis. Iure dicebat se moveri non posse in æternum, à Deo scilicet, cui sua majestas confidentiæ dona præstabat.

8 Dnmine, io voluotate tua:
† Præstitisti decori men virtutem: † *Posuisti monti meo fortitudinem.*

C. *Domine in voluntate tua.* Vox Christi, asserit sibi homini datam desuper *virtutem* a patre, virtutem, scilicet illam qua non movetur à Deo. A. Qua immunis ab omni peccato, omni gratiarum plenitudine re-
B splendet. Similiter & decorem illum, de quo scriptum est. *Speciosus formâ præ filiis hominum.*

Psal.44. 9 Avertisti faciem tnam à me:
Et factus sum cooturbatus.

H. *Tunc avertit* Deus *faciem suam* ab Adam, quando peccavit. Tunc *turbatus est*, quando sub maledictione de paradiso projectus est. A. Vel à Christo *vertit faciem*, quando passioni eum exposuit, & cœpit pavere & turbari & mœsta esse humanitas & carnis infirmitas.

10 Ad te domine clamabo:
† Et ad Deum meum deprecabor: † *Dominum deprecabor.*

C H. *Ad te domine clamabo*, Christus dominus hoc dicit, qui in cruce clamavit, cum pro redempto populo patrem interpellavit.

11 Qoæ utilitas io sanguine meo:
Dum ¶ descendo in enrruptinoem: ¶ *Descendero.*

C. Petit ergo Christus non ut non moriatur, sed ne caro ipsius corruptione resoluta maculetur. H. Ac si dixesset humanitas, nulla est utilitas quod sanguinem effudi, nisi resurrexero à mortuis. A. Si enim non resurgam: nemini annuntiabo, nullum lucrabor, ideo subdit. *Nunquid*, &c.

12 Nunqoid confitebitor tibi pulvis:
Aut annuntiabit veritatem tuam?

H. *Nunquid confitebitur tibi pulvis*, id est, non poterit turba impiorum, quæ adhuc velut pulvis omni
D vento doctrinæ movetur, justificari, si ego non resurgam? Nec etiam *annuntiabit veritatem tuam*, hoc est Christum tuum qui est veritas.

13 † Audivit dominos & misertos est mei:
Dominus: factus est adjutnr meus: † *Audi domine & miserere mei: domine esto adiutor.*

H. *Audivit dominus*, id est, Deus pater. *Misertus est*, quia resurgere me fecit à mortuis. *Factus est adiutor*, quia me fecit primogenitum mortuorum.

14 Coovertisti planctum meum in ¶ gaudium mihi: ¶ *Chorum.*
† Cnocidisti † *Solvisti.* saccum meom: & ¶ circundedisti me lætitiâ ¶ *Accinxisti.*

Matt.28. H. *Convertisti planctum meum*, cum dicerem, tristis est anima mea. *In gaudium* cum dixi, *Ite nuntiate fratribus meis.* C. *Concisus est saccus*, id est corpus Christi, cum pro nobis ipse mori dignatus est. H. *Præcinxisti lætitiâ*, scilicet per resurrectionem immortalitatis. E Saccus.

15 Vt † cantet tibi † *Laudet te.* Gloria mea: & noo ¶ compuogar: ¶ *Taceat.*
Dnmine Deus meus in æternum confitebor tibi.

C. *Cantare* enim dicimus ad mentis lætitiam propriè pertinere. *Gloria* vero *Christi* majestas patris, à quo audivit, *hic est filius meus dilectus.* A. Et cantat patri gloria filij, quoniam causa est gloria filij ut laudetur pater & ametur. C. Et quia Compunctus est semel, id est, crucifixus, nulli se ulterius subiacere memorat passioni. *Confitebor*, id est, cum sanctis æternâ voce te laudabo. Cantare. Matt.17. F

Oratio ex Psal. XXIX.

Susceptor omnium clementissime Deus, ne permittas delectari inimicos nostros super nos, sed ita nos in tua virtute corrobora, ut converso planctu nostro in gaudium, memoriam sanctitatis tuæ iugiter excolamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psal. XXX.

C. *Vox Christi positi in cruce, orantis patrem, ut de malis imminentibus liberetur, & gratias agentis pro se & populo fideli.* G

TT. ¶ Io fioem Psalmus David: ¶ *Victori.*

C. Verba quæ titulus continet, ad Christum frequenter diximus referenda, cui totus hic psalmus aptandus est, quoniam ejus passionem & resurrectionem decantat.

1 IN te Domine speravi noo coofuodar in æternum:
In justitia tua † libera me: † *Salva me.*

C. Orat Christus ad patrem ex natura humanitatis assumptæ, ne de sua spe dejectus, humanæ insultationis patiatur opprobria, addens *in æternum*, ubi ejus contemplatio fixa permanebat. *In tua iustitia* quâ consuevisti subvenire rogantibus. *Libera*, ad pericula hujus mundi pertinet amovenda. H

2 Ioclina ad me aurem tuam:
¶ Accelera ut eruas me: ¶ *Velociter libera me.*

C. *Inclina* dixit, propter membrorum suorum humilitatem, ut quoniam non poterat humana conditio ad divinitatem attingere, divinitas inclinata ad eam descenderet. *Accelera*, id est, festina resurrectionem dare celerrimam.

3 Esto mihi io † deum protectnrem † *Lapidem fortissimum.* Et in domum ¶ refugij: ¶ *Munitam.*
Vt salvum me facias.

C. Vox Ecclesiæ, *in Deum protectorem*, hoc est in Deum defensorem, quia multi sunt dij nuncupativi, nobis autem unus Deus, una fides, unum baptisma. *domus refugij* ipse est, in quo pater habitat. Domus refugij.

A

4 Quoniam † fortitudo mea & refugium meum es tu : † *Petra mea & munitio mea tu es.*

Et propter nomen tuum † deduces me & enutries me : † *Dux meus eris.*

C. *Fortitudo*, pertinet ad toleranda quæ passus est, *refugium* ad finem malorum; quando istius sæculi iniquitates superavit fine gloriosæ mortis. *Dux* erat humanitate Dominus, quando suum nomen per universas gentes fecit cognosci. Enutritum se dicit, quousque ad perfectionem Catholica Ecclesia ipsius munere perveniret. H. A. id est, paulatim sanctos aggregando, corpus ipsius, id est, Ecclesiam auget.

B

5 Educes me de † laqueo hoc quem absconderunt mihi : † *Rete.*

Quoniam tu es † protector meus : † *Fortitudo mea.*

C. Ergo *laqueum absconderunt* Iudæi Christo, quia occultis eum machinabantur perdere insidiis, unde se dicit educendum; id est, resurrectionis beneficio ad superna velociter elevandum. *Protectorem* dominum dicit, quia eo protegente nulla potest adversitas prævalere.

6 In † manus tuas commendo spiritum meum : † *Manu tua commendabo.*

Redemisti me domine Deus veritatis.

Deus veritatis.

H. *In manus tuas*, id est, potestatis tuæ. C. Dignum ergo fuit, ut tanto susceptori talis commendaretur *spiritus*. Addidit etiam, quis esset iste dominus, quia est *Deus veritatis*, illorum enim Deus est spiritualiter qui veritatem diligunt, nec in aliqua falsitate miscentur.

C

7 Odisti † observantes vanitates : † *Custodientes.*

† Supervacuè : † *Frustra.*

Vanitas.

C. Iuste ergo veritas, oderat vanitatem, quia vanitas in falsitate versatur. H. Odire enim Deus dicitur id quod reprobat. Addidit *supervacuè*, quæ non solum vacua vanitas dicitur, sed etiam supervacua. A. Vanitas est hujus sæculi falsa fœlicitas, quæ vacuè observatur, quia perditur : & supervacuè observantur, quando pro ea habenda etiam male agitur.

8 Ego autem in Domino speravi :

Exultabo & lætabor in misericordia tua.

Exultare. Lætari.

C. *Speravi in Domino* dicit, ubi nihil vanum, nihil supervacuum est, sed totum fixum. *Exultare*, est cum magna alacritate animi gaudere. *Lætari*, temperata mentis affectione mulceri.

D

9 Quoniam respexisti † humilitatẽ meam: Salvasti de necessitatibus animam meam: † *Afflictionem meam : cognovisti tribulationes animæ meæ.*

Necessitas.

C. Ideo erat in altissimo *humilitas*, quia illi humanitas adhærebat ab ipsa conceptione. *Necessitas* dicitur quod in nece sit posita, id est, in mortis angustiis constituta. Nam quando peccatorum laqueis innodamur, nec nostra virtute possumus absolvi, necessitas appellatur. A. Necessitates igitur peccata sunt, ex quibus se homo solvere nequit.

10 Nec conclusisti me in † manus inimici: † *Manu.*

Statuisti in † loco spatioso pedes meos : † *Latitudine pedes meos.*

E

Locus spatiosus charitas est.

C. *Nec conclusisti me* dicit, quia liber effectus est à potestate diaboli. *Statuisti* dicit, hoc est firmasti. *In loco spatioso*, id est, in patria virtutum, in regione beatorum. *Pedes suos* dicit virtutes morales, per quas hunc mundum fixis gressibus ambulavit. H. Locus spatiosus, charitas est: pedes, affectus animæ.

11 Miserere mei Domine quoniam tribulor, † conturbatus est in ira oculus meus : † *Caligavit.*

Anima mea & venter meus.

F

Mat. 26.

Venter memoria.

H. *Miserere mei Domine quoniam tribulor*. Vox eorum est qui qualibet tribulatione tribulantur, in quorum persona Christus loquitur hic, sicut superiùs in persona erutorum de tribulatione, dum dixit, *nec conclusisti*, &c. potest dici & de Christo, quando ait. *Tristis est anima mea usque ad mortem*. C. *Iram* posuit, inimicorum indignationem. *Oculus*, intellectum signat, quem semper conturbamus, quando imminentia pericula formidamus. *Ventrem* dicit suam memoriam, ubi habebat reposita, quæ illi dominus de sua clarificatione promiserat. *Animam*, sensualitatem putat.

12 Quoniam † defecit in dolore vita mea: † *consumpta est in mærore vita mea.*

Et anni mei in † gemitibus : † *Gemitu.*

Deficere.

C. *Deficere* enim est, paulatim minus facere, & ad finem, per aliquas valitudinis minutias pervenire, & signat hic illam conturbationem carnis Christi quâ in passione ejus vita carnis defecerat. *Et anni mei in gemitibus*, quia non fuit levis dolor, ubi continuus gemitus insonabat. A. anni Christi omnes in gemitibus quoniam futuram mortem semper vidit, & in persecutionibus completi sunt.

Anni Christi in gemitibus.

G

13 Infirmata est in † paupertate virtus mea: † *Iniquitate*

Et ossa mea † conturbata sunt : † *Contabuerunt.*

C. *Virtus* animi, *in paupertate* infirmatur in membris Christi, quoniam omnibus bonis indiget humana fragilitas. *Ossa*, fortitudinem corporis significant, quia neque in animi robore, neque in spe carnis debet ulla esse præsumptio. Virtus etiam corporis in egestate fuit & derelictione in passione.

14 † Super omnes inimicos meos:† *Apud omnes hostes meos.* Factus sum opprobrium, † & vicinis meis valde : † *Et vicinis meis nimis.*

Et timor notis meis.

H

Opprobrium.

C. *Inimicos*, Iudæos dicit, habebatur inter eos *opprobrium* innocens Christus, qui se nefario scelere polluebant. Contra probum dicimus improbum, id est, inhonestum & indecorum. Opprobrium autem significat valde abominabile facinus. *Vicinos* dicit qui ei in civitate fidei conjuncti, tamen perfectè non credebant. *Notos* Apostolos significat, qui in ejus passione turbati sunt. H. A. Vel Christianos malos dicit vicinos tales esse, qui sunt in malitia pejores omnibus aliis Christi inimicis.

15 Qui videbant me † foras fugerunt à me: † *In plateis fugiebant à me.*

Oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde.

H. *Fugerunt* Apostoli in passione Christi eo relicto. *Oblivioni datus* est Christus infidelibus, quando eum in carne mortuum pro nihilo computaverunt. C. *Tan-*

A Tanquam mortuus. *quam mortuus*, non enim à fidelibus mortuus dicitur, cuius divinitas impassibilis veraciter æstimatur, sed à mente infidelium mortuus æstimabatur. H. *A corde* mortuus, cuius memoria recedit à corde, sicut oblivisci solent homines mortuorum.

16 Factus sum tanquam vas perditum:
Quoniam audivi † vituperationem † *Opprobrium* multorum † commorantium in circuitu. † *Congregatione in circuitu.*

C. *Vas perditum* est quod fractum est, & ad nullos usus necessarium, quòd semper abiicitur, ita & Christus mortuus quasi fractum vas abiiciendus putabatur perfidis Iudæis. *Audivi vituperationem, &c.* id est, circumhabitantium perfidorum Iudæorum. Meritò tales circumhabitantes dicuntur, qui legem Dei non spiritaliter sed carnaliter advertere volunt. A. Sunt enim ut cortex medullam circuiens, sic literam tenentes spiritum non intrant scripturarum, sed semper in circuitu morantur & cortice occidentis literæ.

B Tanquam vas perditum. Cõmorari in circuitu.

17 † In eo dum convenirent simul adversum me:
Accipere animam meam consiliati sunt. † *Dum inirent consilium adversum me, Et ut auferrent animam meam cogitaverunt.*

C. In eo consiliatam partem maximam dicit Iudæorum, ut Deum neci traderent. H. *Omnes consiliati sunt*, ut quærerent animam Christi, sive hæretici, animam Ecclesiæ. Omne autem scelus gravius est quod consilio geritur plurimorum.

18 Ego autem in te speravi Domine, dixi, Deus meus es tu:
C In † manibus tuis sortes meæ. † *Manu tua tempora mea.*

C. *Speravit* in patrem filius, quia sciebat nullam esse potestatem Iudæorum contra se, sed ipso creante existimus, ipso disponente vegetamur. H. *In manibus tuis sortes meæ*, id est, in gratia Sancti. A. Qui sine merito quos vult eligit. Sortes itaque, id est, Dei gratuita electio est in manibus, id est, potestate Dei, non nostrâ.

Sortes.

19 Eripe me de manu inimicorum meorum:
Et † à persequentibus me. † *Persequentium.*

C. Ipsum patrem rogat se *eripere de manu inimicorum*, id est, Iudæorum, *& à persequentibus*, hoc est paganis vel hæreticis, qui Ecclesiam Dei insequuntur fraudulentis machinationibus. A. Maximè illi persequuntur Ecclesiam, qui cum sint Christiani, nolunt benè vivere, per hos opprobrium habet Ecclesia, inter quos gemens iste ait. *Illustra, &c.*

D Persecutores Ecclesiæ.

20 † Illustra faciem tuam super servum tuum. † *Ostende.*
Salvum me fac in misericordia tua:
Domine non confundar, quoniam invocavi te.

C. *Illustra faciem tuam*, id est, fac videri, quod super me dignaris intendere, ut sicut de moriente desperant, ita de resurrectione confidant. H. Vt non confundar, sed salver ab his persecutionibus.

21 † Erubescant impij & deducantur in infernum: † *Confundantur impij in inferno.* E
Muta fiant labia † dolosa. † *Mendacij.*

H. *Erubescant impij*, sive iniqui dæmones vel quicunque mali, cum viderint sanctos coronatos, quos in despectione habuerunt, & se condemnatos. C. Sequitur cum respexerint in gravi periculo constitutos, velociter *obmutescant.*

22 Quæ loquuntur adversus Iustum † iniquitatem: † *Dura.*
In superbia & † abusione. † *Despectione.*

C. Loquitur enim falsitas contra veritatem, quando Arriani creaturam Dominum creatorem dicunt. F
Addidit in *superbia & abusione*, id est, in contemptu. Nam cum audivit ista falsitas flagellis cæsum, statim in blasphema verba prosiliuit. A. Abusio fuit, quando eum qui propter eos venit in carnem crucifixerunt abutentes Dei beneficio. Abusio.

23 † Quam magna multitudo dulcedinis tuæ! Domine: † *Quam multa est bonitas tua.*
Quam abscondisti timentibus te.

H. *Multitudo dulcedinis* est, multa præmia quæ præparavit Ecclesiæ suæ, ut esset sine fine cum Angelis suis regnatura. C. Quæ hic sentitur *abscondita*, sed in futuro iudicio ostenditur manifesta. A. C. Est etiam dulcedo hic Dei multiplex, dum corrigit bonos vel parcit; promittit, vel emendat quos amat, quam tamen impius non sentit, qui palatum cordis perdidit de febre iniquitatis. Dulcedo Dei. G

24 † Perfecisti eis qui sperant in te: † *Operatus es sperantibus in te.*
In conspectu filiorum hominum.

C. *Perfecit* illam dulcedinem *in illis* qui constanti animo eam exquirunt. *In conspectu filiorum*, id est, in illa resurrectione quando sanctis suis præmia æterna restituet. H. *Perfecisti*, ac si dicat perfecturus eris, vel *in conspectu eorum* qui humana & non cœlestia quæsierunt.

25 Abscondes eos in † abscondito faciei tuæ: † *Protectione vultûs tui, à duritia viri.*
A conturbatione hominum.

C. *Abscondes eos in abscondito*, id est, in illa resurrectione quando iusti contemplatione Dei perfruentur, & præmia æterna consequentur, quam gloriam impij non vident. *Homines* hic omnes persecutores & schismaticos dicit, qui hic consueverunt conturbare populum Christianum. H

26 † Proteges eos in tabernaculo tuo: † *Abscondes eos in umbra.*
A contradictione linguarum.

C. Hic proteguntur iusti *in tabernaculo*, id est, in Ecclesia, ibi enim proteguntur, ubi malorum improbitas minimè nocere illis permittitur, quando illæsæ animæ iustorum, sub qualibet afflictione corporea servantur.

27 Benedictus Dominus:
Quoniam † mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita † *Mirabilem fecit.*

A Benedictus Dominus. Hierusalem in medio mundi.

H. *Benedictus Dominus*, cui benedicit omnis creatura. Sed non ideò quasi egeat nostrâ benedictione à nobis benedicitur, sed ut nos ab ipso benedictionem accipere mereamur. *Mirificavit misericordiam in civitate.* H. C. Id est, in Ierusalem quam circumdant omnes gentes. H. Quæ est in medio mundi, quia ibi natus, passus & resurrexit.

28 Ego autem dixi in † excessu mentis meæ: † *Stupore meo.*
Proiectus sum † à facie oculorum tuorum. † *De conspectu.*

H. Tunc *in excessu mentis* est Ecclesia, quando cogitat quæ in paradiso amisit, & qualiter Deus per Angelum apud Adam loquebatur; & quomodo oculis interioribus Deum videbat, qui *proiectus est à facie* Dei, quando transgressus est mandata Dei, & omnis posteritas est in illo proiecta.

B

29 † Ideò exaudisti vocem orationis meæ: † *Ergone audisti.*
Dum clamarem ad te.

C. Ideò exauditum se dicit Christus in membris suis, quia non tardat gratia Dei adiuvare illum, qui humiliter Dominum rogat. Et exauditus est Christus, quando audita est paterna vox dicens, *hic est filius meus dilectus*, & quando clamavit ad patrem. *Deus meus, Deus meus quare me dereliquisti?*

Mat. 17.

30 Diligite Dominum omnes sancti eius!: quoniam † veritatem requiret Dominus? † *Fideles servat Dominus.*
Et retribuet abundanter † facientibus superbiam. † *His qui satis operantur superbiam.*

C

C. *Diligite* dicit, iam tanquam ad amicos, non tanquam ad servos: servorum est enim formidare, amicorum diligere. *Requiret Dominus veritatem*, quam nesciunt hæretici, falsis erroribus illigati. Hic *superbiam*, non unum vitium dicit, sed quicquid morum pravitate peccatur. Illis *tribuet abundanter* qui præcepta Dei despiciunt.

Ioan 15.

31 † Viriliter agite & confortetur cor vestrum: † *Confortamini, & roboretur cor vestrum.*
Omnes qui † speratis in Domino. † *Expectatis Dominum.*

Viriliter agere.

C. *Viriliter agite*, id est, in bonis operibus constantissime perdurate, ne fœmineâ mollitie deficiatis qui corda vestra Domino constanter offertis. Sic enim roborantur corda fidelium, si spem suam Domini virtute confirment.

D

Oratio ex Psal. XXX.

Immensam multitudinem dulcedinis tuæ piissime Domine suppliciter exoramus, ut dum veritatem tuam requirimus, tumorem execrabilis superbiæ conteramus. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum, &c.

Argumentum Psal. XXXI.

C. Vox pænitentis, & Domini verba respondentis, se circumdare misericordiâ suâ in se sperantes.

TT. David. † Intellectus. † *eruditio.*

C. Cur in hoc titulo posuit David *intellectus*? cum omnes psalmi propter intellectum eorum habendi sunt scripti. Responsio, primò meminit *David*, propter Dominum Christum, quoniam ad ipsum respicit quicquid pœnitens iste dicturus est. Deinde addidit *intellectus*, ut cum nos intelligere divinitas præstiterit peccata nostra, pro eis tunc diluendis supplicemus, in alio enim psalmo dictum est, *delicta quis intelligit*, de intellectu igitur peccatorum loquitur.

E Intellectus David.

Psal. 18.

1 † Beati quorum remissæ sunt iniquitates:
Et quorum tecta sunt peccata. † *Beatus, cui dimissa est iniquitas: & absconditum est peccatum.*

H. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, id est, per confessionem à Domino diluuntur. *Quorum tecta sunt*, id est, per charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum, vel velata per pœnitentiam ne in iudicio revelentur. C. *Iniquitates* sunt, quæ ante susceptam fidem committuntur, peccata quæ post fidei cognitionem vel gratiam baptismatis contrahuntur.

F Prov. 10. 1. Pet. 4. Iniquitates & peccata.

2 Beatus † vir † *Homo.* cui non imputavit Dominus † peccatum: † *Iniquitatem.*
Nec est in spiritu eius dolus.

H. Illi non *imputatur peccatum*, qui in hoc sæculo se per pœnitentiam sufficienter expurgat, vel per martyrium purgat. Quòd tegitur, non videtur; quod non videtur, non imputatur; quod non imputatur, nec punietur. In *illius ore dolus non est* qui se peccatorem profitetur. C. Quia dum nosmetipsos culpamus, veriloquium est, cum nos volumus laudare, mendacium est, ipse enim Domino placet qui sibi displicet.

G

3 Quoniam tacui † inveteraverunt ossa mea? † *Attrita sunt.*
† Dum clamarem totâ die. † *In rugitu meo.*

H. *Tacui.* vox malorum est, qui tacent sua peccata, & in confessione nolunt dicere, ideò omnis fortitudo mea, id est, virtus in infirmitate consenuit. A. C More vulneris corporalis, quod dum occultatur medico putrescit. *Dum clamarem.* H. Clamant, id est, si aliquid boni habent, per vanitatem demonstrant. *Totâ die*, H. A. id est tota vitâ (quæ brevis est) tacent peccata, & clamant & iactant merita.

Tota die.

4 Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua:
† Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina. † *Versatus sum in miseria mea cum exardesceret æstas tugiter.*
* Diapsalma :·

H

H. *Gravata est manus Dei super* peccatores, id est, potestas vindictæ in die iudicij. C. *Die & nocte*, continuum tempus significat. Ærumnosus dicitur valdè ruinosus, Ruina quippe appellata est, quasi ruens in ima. *Conversus est in ærumna*, qui ceciderat de superbia, ut qui ante erat superbus nunc humilis factus est. *Spina* est, quæ corpus erigit atque retinet, hæc pro superbia merito posita est, quæ confracta non deiicit ad interitum, sed erigit ad salutem. H. Ærumna miseria est. A. Vel *configitur spina*, cum pungitur conscientia & dolet.

Ærumnosus.

Spina dicta.

5 Delictum meum † cognitum tibi feci: † *Notum factum tibi.*
Et iniustitiam meam non abscondi.

C. *Ille delictum cognitum* facit, qui illud in con-

fessionem

A fessionem veram perducit. Operire est valdè aliquid silentio tegere, aut cordis dissimulatione celare, hoc faciunt stulti, qui putant Deum ignorare quod agunt. Delictum quidam leve putant esse peccatum quasi negligentiùs derelictum. Iniustitia autem est immane aliquid vel sævum commissum. Sed & hic puritas confitentis ostenditur, quia non vult celare quod credebatur esse veniale.

Differt delictum & iniustitia.

6 Dixi, confitebor adversum me † iniustitiam meam Domino : † *Scelus meum.*
Et tu remisisti † impietatem peccati mei. † *Iniquitatem.* Diapsalma.

H. *Dixi* in corde, ubi Deus videt, *confitebor*. C. Id est, publicè fatebor, ut alios ad imitationem trahat pia fidelisque confessio. Impietas cordis fuit, quia tacere decreverat, ut illi crederet esse aliquid celatum, qui antequam fiant, omnia novit.

B 7 Pro hac orabit ad te omnis † sanctus :
In tempore oportuno. † *Misericors, tempus inveniens.*

H. *Pro hac orabit*, id est, pro iniquitate hac vel remissione, quod superius dixit. *Omnis sanctus*, dicit, quia nemo est à peccatis immunis. C. *In tempore oportuno*, in ista scilicet mundi vita, ubi converti fas est. Nam in inferno (sicut superius dictum est) nemo proficuè Domino confitetur.

8 † Verumtamen in diluvio aquarum multarum :
Ad eum non approximabunt. † *Vt cum inundaverint aqua multa, ad illum non accedant.*

C C. *Diluvium aquarum multarum* est error hominum pessimorum, qui variis pravitatibus fluctuantes, multiplices sibi doctrinas constituunt, & hi ad Dominum *non approximabunt*, quoniam à vera religione discedunt.

9 Tu es † refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me :
Exultatio mea erue me à circumdantibus me. † *Protectio mea, ab hoste custodiet me : Laus mea salvans circumdabis me.* Diapsalma.

C. *Refugium*, est ad quod confugitur, ut pericula declinentur. H. *Exultatio mea*, dicit Ecclesia, quia in te gaudeo. C. *Erue me ab inimicis*, sive à vitiis carnalibus, seu spiritibus immundis, qui nos perdere præcipiti velocitate festinant.
D

10 † Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac quâ gradieris :
Firmabo super te oculos meos. † *Docebo te & monstrabo tibi viam per quam ambules : cogitabo de te oculo meo.*

C. Intellectum non habent peccatores, nisi quando conversis Dominus propitiatus indulget. Intelligere est benè agere & ad mandata Dei vota non convertere. *Et instruam te*, quasi nescientem docebo. *In via hac qua gradieris.* H. A. Viam confessionis dicit docebo te, ut non recedas ab ea. C. *Firmabo super te oculos*, id est, in te dirigam lumen intelligentiæ meæ.

11 Nolite fieri sicut equus & mulus :
Quibus non est † intellectus. † *Intelligentia.*

E C. *Equus* sine discretione sessoris arbitrio servit, & à quocunque ascensus fuerit, excutrit. *Mulus* patienter onera portat, & per hoc utrique intellectum non habent, quia nec equus eligit cui obediat, nec mulus quibus oneribus ingravetur intelligit, ergo diabolicis fraudibus insideri & vitiorum onere gravari homines prohibet propheta.

12 In chamo & freno maxillas eorum constringe :
Qui non † approximant ad te. † *Accedunt.*

C *Chamus* ad mulum pertinet, *frenum* ad equum respicit. Frenum enim à fero retinendo dictum est, ferum antiqui gaballum dixerunt, Ergo ista retinacula, hæc duo animalia cohibent, ut ad arbitrium iubentis incedant, ne suis voluntatibus ferantur. *Maxillæ* adminicula sunt animalium quibus esca manditur. Ipsas ergo maxillas per figuram allegoricam dicit debere inobedientibus constringi, id est, victum parciùs dari eis, ut ieiuniis macerati, creatoris subdantur imperio. Chamus & frenũ. Maxilla. F

13 † Multa flagella peccatoris : † *Multi dolores impii.*
Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

C. *Multa flagella* sustinent peccatores contumaces, nolentes ire per semitas rectas, ut quod non faciunt sponte, plagis adhibitis cogantur implere. *Sperantes autem in Domino circumdabit misericordia*, ut non sit locus relictus, unde possit diabolus ad eos introire. G

14 Lætamini in Domino & exultate iusti :
Et † gloriamini omnes recti corde.
† *Laudate eum.*

C. Omnis iustus lætatur in Domino. Nam qui in se gaudet, fallaci præsumptione decipitur : Qui vero in Domino lætatur, perpetua delectatione perfruitur. Lætari est tacitæ mentis suavitate mulceri. Exultare vero est concitati animi fervore gaudere. *Et gloriamini* qui recti corde estis, & creditis, ex servitio Dei eos ad æternæ beatitudinis præmia pervenire. Lætandũ in Domino, nõ in seipso.

Oratio ex Psal. XXXI.

Sancte Domine, qui remissis delictis, beatitudinem te confessis attribuis : exaudi vota præsentis familiæ, & confracto peccati aculeo spiritali nos exultatione perfunde. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.

H

Argumentum Psal. XXXII.

C. Propheta in Domino gaudere admonet iustos, beatósque appellat, qui ad eius meruerint pertinere culturam.

TT. ! ! In finem psalmus David :·

C. Hic titulus omnino notus est, & ideò lector in eo sequatur expositionem priorem.

1 † EXultate iusti in Domino : † *Laudate iusti Dominum.*
Rectos decet ¶ collaudatio. ¶ *Laudatio.*

C. Commonet propheta Christianos, ut non in terrenis delectationibus exultent, sed in Domino, ubi

A gaudia continuâ suavitate perfecta sunt. *Rectos decet collaudatio*, non hæreticos pravos decet, sed rectos, H. Qui in regula veritatis sua corda dirigunt. C. Collaudatio vero multorum ore una laudatio est, propter onitatem Ecclesiæ.

Collaudatio.

2 Confitemini Domino in cithara :
In psalterio † decem chordarum psallite illi. † *Decachordo.*

Cithara. C. *Cithara* dicta, quod cita iteratione percutitur. H. Habens deorsum cavamen, superius sex chordas, & significat sex opera misericordiæ. Et de illis chordis aliæ benè cantant, aliæ murmurant. Sic & sancti, alij sic, alij vero sic. Psalterium de sursum habet cavamen & decem chordas, & signat decem præcepta legis, quæ de supernis veniunt in sanctos.

Psalterium.

B

3 Cantate ei canticum novum :
† Benè psallite ei in vociferatione.
† *Diligenter psallite in iubilo.*

C. *Novum canticum* dicit incarnationem Domini, quâ Angeli Domini cantabant dicentes, *gloria in altissimis*. H. Ille benè psallit qui implet opere quod docet. *Vociferatio*, iubilatio est, quia nec verbis nec syllabis nec literis nec in vocem potest erumpere nec mens comprehendere potest, quantum homo debet laudare Deum, quod est iubilus.

Luc 2. Benè psallere.

4 Quia rectum est verbum Domini :
Et omnia opera eius in fide.

C. *Rectum est* itaque *sermo* Domini, ad dirigendos scilicet homines, veraciter enim rectus dicitur qui rectos facit. H. *Opera eius in fide* sanctorum, quia quod promittit Deus sanctis, non mentitur.

Rectum est verbũ Domini.

C

5 Diligit † misericordiam & iudicium :
† *Iustitiam & iudicium.*
Misericordiâ Domini plena est terra.

C. *Diligit misericordiam* in hoc mundo, ubi eam longe latéque disseminat; videlicet ubi sustinet peccatores, ubi blasphemos patienter expectat. *Iudicium*, cum pios sequestrat ab impiis, & merita eorum æqualitatis lance discernit. H. *Plena est terra:* totus mundus, vel Ecclesia, quia sicut ille ubique est, ita misericordia cum illo est ubique.

6 Verbo Domini cœli firmati sunt :
Et spiritu oris eius omnis † virtus eorum. † *Ornatus.*

H. C. *Verbo Domini*, hoc est à filio Dei, cœli firmati sunt, id est, Apostoli. C. *Spiritu oris, &c.* utique quando Spiritus Sanctus eorum doctrinam declaravit signis & miraculis. *Virtus* enim, & ad miracula pertinet, & ad prædicationem eorum.

D

7 Congregans † sicut in utre aquas maris :
† *Quasi in.*
Ponens in thesauris abyssos.

Vter. C. *Vter* est exutum pecoris tergus : quod usibus humanis deservit ad liquores aliquos congregandos, & hic uter Ecclesiæ comparatur, quia sicut iste complectitur liquores, ita & illa adunationem credentis populi includit. *Aqua maris*, populum Christianum significat. H. C. *Ponis in thesauris*, id est, in scripturis divinis. *Abyssos*, id est, profunditatem sensuum.

8 Timeat Dominum omnis terra :
† Ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. † *Ipsum formident universi habitatores orbis.* E

C. Hic *terra* durum significat per omnia peccatorem, qui merito terra dicitur, quia tantum terrena diligit. H. *Commoveantur omnes*, id est, de infidelitate ad credulitatem. Et aliter, in admiratione creatoris creaturæ ipsius commotæ sunt.

9 Quoniam ipse dixit & † facta sunt :
Ipse mandavit & creata sunt. † *Factum est : ipso præcipiente fiebat.*

H. *Quoniam ipse dixit*, ideò ipsum cuncta timeant, quia ab ipso facta sunt & creata.

10 Dominus † dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum : † *Dissolvit consilium gentium.* F
⁞ Et reprobat consilia principum ∴.

C. *Dominus dissipavit consilia gentium*, quando eas in idolorum cultura non dimisit diutius permanere. H. *Reprobat cogitationes* saddocæorum & pharisæorum, vel reliquarum potestatum genera. *Consilia principum* Annæ & Caiphæ, quorum omnium consilium semper in malo fuit, quod dominus resurgendo destruxit.

11 Consilium ⁞ autem ∴ Domini in æternum † manet : † *Stabit.*
Cogitationes cordis eius in generatione & generationem.

H. *Consilium Domini* fuit ut resurgeret à mortuis, sicut & fecit. C. Vel Consilium Domini, intelligimus incarnationis arcanum, quod ad consulendum humano generi constat esse concessum, hoc nulla ætate dissolvitur, sed *manet in æternum*. A. C. *Cogitationes cordis eius*, significant prædestinationem, in qua cuncta reposita sunt quæ *permanent in æternum*. Æterna igitur sanctorum prædestinatio, cogitationes cordis eius dicuntur. G

Prædestinatio.

12 Beata gens cuius ⁞ est ∴ Dominus Deus eius :
Populus quem elegit in hæreditatem sibi.

C. Ipsa utique *gens beata* est, à qua Dominus colitur, qui eam protegit ac gubernat. Populus Christianus *hæreditas* Christi est, quia eum autor suus possidet, quem prædicationibus sanctis & pretioso sanguine acquisivit.

Hæreditas Christi.

13 De cœlo respexit Dominus :
Vidit omnes filios † hominum. † *Adam.* H

C. *De cœlo respexit Dominus*, quando donavit adventum proprij filij. *Vidit*, significat gratiam miserentis. *Filios hominum.* H. Id est peccatores absolvit, quia nunquam respectus eius sine misericordia fuit. C. Nota verò, quod dum Deus dicitur in scripturis respicere peccata, punit; cum vero hominem, absolvit.

Respicere.

14 † De præparato habitaculo suo :
Respexit super omnes qui habitant terram. † *De firmissimo solio suo perspexit ad universos habitatores terræ.*

C. *De præparato habitaculo*, id est, de futuro Domini corpore, quod præparatum in prædestinatione fuerat. *Respexit super omnes*, id est, disposuit, ut periclitanti mundo (quem disposuerat facere) subveniret.

15 † Qui

A

15 † Qui finxit ſingillatim corda eorum :
† *Fingens pariter corda eorum.*
Qui intelligit omnia opera eorum.

C. *Finxit corda* quibus intelligentiæ ſuæ dona largitus eſt. *Singillatim*, id eſt, diviſim vel diſtinctim, corda eorum, ſcilicet ſanctorum ſub Domini timore viventium. *Intelligit*, quando actibus bonorum præmia digna reſtituit. *Omnia opera*, id eſt, cogitationes, dicta, & facta.

16 Non ſalvatur rex † per multam virtutem :
Et gigas non ſalvabitur in multitudine virtutis ! ſuæ :.. † *In multitudine exercitus, nec fortis liberabitur in multitudine virtutis ſuæ.*

B

Rex. Gigas.

C. *Regem* dicit hominem continentem, qui quamvis regat corpus ſuum miſeratione divinâ, à vitiis tamen carnalibus ſalvus fieri non poteſt, dum de ſua virtute præſumpſerit. Eundem etiam *gigantem* vult intelligi, qui virtutum magnitudine roboratus, contra immanitatem diaboli dimicat fortiter. Et licet ſic fortiter confligat, ſi tamen ſublevatus fuerit vitio ſuperbiæ, ſalvus eſſe non poterit. Gigas vero interpretatur terrigena. Et iuſtè virtus humana à Deo deſeritur, quando datum bonum non largitori Deo, ſed propriis viribus applicatur.

17 Fallax equus ad ſalutem :
† In abundantia autem † *Et in multitudine.* virtutis ſuæ non † ſalvabitur. † *Salvabit.*

C

Fallax equus : fœlicitas humana.

C. *Equum* poſuit pro fœlicitate humana, quæ homines ſic portat & accipit, ſicut *equus fallax*. Ille enim dum appetit campos, ſolet incautos fallere in ſe præſumentes, ideò dicitur fallax equus.

18 Ecce † oculi Domini ſuper metuentes eum : † *Oculus.*
! Et in eis :· † qui ſperant ſuper miſericordia eius. † *Ad expectantes miſericordiam eius.*

C. Ergo *oculi Domini* ſunt *ſuper timentes eum*, quia eos protegit quos ſe timere cognoſcit. Qui ſint enim timentes Deum exponit, id eſt, *ſperantes in miſericordia eius.*

19 Vt eruat à morte animas eorum :
Vt † alat eos in fame. † *Vivificet.*

D

C. *Eruit à morte animas* iuſtorum : cum eas tulit de poteſtate diabolica. Alimentum dictum eſt, quaſi mentis nutrimentum. *In fame* enim poſiti ſunt qui ſe cœleſtium rerum deſiderio ſemper accendunt.

20 Anima noſtra † ſuſtinet dominum: † *Expectavit.*
!! Quoniam :· adiutor & protector noſter eſt. † *Auxilium noſtrum & clypeus noſter eſt.*

C. Cum dicit, *anima noſtra ſuſtinet* : patientiam ſignificat Chriſtiani, hæc confirmat omnes virtutes in homine : *Adiutor eſt* dum ad eum ipſius gratiâ conamur accedere. *Protector* dum reſiſtimus adverſario.

21 Quia in eo lætabitur cor noſtrum :
§ Et in nomine ſancto eius ſperavimus.
§ *Quia.*

H. *Lætabitur cor noſtrum*, id eſt, anima noſtra de ſpe futuræ remunerationis. *Nomen* patris filius eſt, in quem ſemper ſperare debemus.

E

Nomen patris filius eſt.

22 Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos:
Quemadmodum † ſperavimus in te.
† *Expectavimus in te.*

H. Vnuſquiſque antequam cantet iſtum verſum, debet cogitare ut fideliter dicat *quemadmodum ſperavimus in te*, ne alibi ſua mens vacet, ſed firma ſpes ſit, ut verè dicat, *fiat*, &c. ut qui nos per baptiſmum abluiſti, Spiritûs Sancti infuſione confirmes. Sicut in actibus Apoſtolorum cernimus factum, cum baptizati receperunt Spiritum Sanctum. Act. 19.

Oratio ex Pſal. XXXII.

F

PAſce Domine plebem tuam in fame, & eripe animas noſtras de morte peccati, ut repleti miſericordiâ tuâ, aggregari iuſtorum gaudiis impertiente te mereamur. Per Dominum noſtrum, &c.

Argumentum Pſal. XXXIII.

C. *Vox prophetæ benedicentis Deum, & admonentis manſuetos, ut cum ipſo in eius laude perſeverent, & ut à delictis ſe abſtineant, iuſtóſque dicit in ſua iuſtitia liberandos, impios vero perituros.*

TT. § Pſalmus David cum mutavit vultum ſuum § *Davidi : quando commutavit os ſuum* coram Abimelech & † dimiſit eum & abiit. † *Eiecit.*

G

C. Cum Saul perſequeretur David, fugit ad Achis regem, ibique dum eſſet, invidiâ eum occidere volebant : ille vero de induſtriâ mutavit vultum, ita ut ſalivis ora compleret, ut furibundus æſtimaretur, & illæſus relinqueretur. Cum fugit inde, iſtum pſalmum cantavit. 1. Reg. 21.

1 BEnedicam Dominum in omni tempore :
Semper laus eius in ore meo.

H. Cum ſe dicit Deum *benedicere omni tempore* : docet nos nec in adverſis ſuccumbere, nec in proſperis extolli. C. *Semper eſt laus Dei in ore* hominis, quando talia cogitat aut loquitur, ut nullâ redargutione culpetur. Laus vero à lauro dicta eſt, quæ ſolebat coronare victores. Laus.

H

2 In Domino laudabitur anima mea :
Audiant † manſueti & lætentur.
† *Mites.*

C. Tunc enim glorificatur fidelis ſervus, quando laudabilem Dominum habere cognoſcitur. *Audiant manſueti.* H. Id eſt, ſancti. C. Qui charitate præcipua, omnium rerum habere temperantiam conſueverunt.

3 Magnificate Dominum mecum :
Et exaltemus nomen eius § in idipſum.
§ *Pariter.*

C. Vocat Eccleſia fratres, hortatur populos obedientes, ut nomen Domini glorioſa ſocietate *magnificent*, ne inter officia ſanctitatis deteſtabilis invidia miſceatur. *Exaltemus nomen eius in idipſum.* In idipſum ſignificat compoſitos choros, quando pſalmodiam Domini alternâ filii ſucceſſione reſpondent. In idipſum.

A

4 † Exquisivi Dominum & exaudivit me: † *Quaesivi.*
Et ¶ ex omnibus tribulationibos meis eripuit me. ¶ *De.*

C. *Exquisivi Dominum*, non lungu spatio terrarum: sed in corde meo *Et exaudivit me*, quoniam intellectns Christi universa complectitur, id est, ubique intelligit se quæri, & exaudit. Dicendo *ex omnibus liberavit me*: nihil relictum est, quod remansisse suspiceris adversum. A. Qui ergu non audiuntur Dominum non quærunt. Non enim dixit, exquisivi aurum à Domino, sed Dominum.

B

5 † Accedite ad eum & illuminamini:
Et facies vestræ non confundentur. † *Respicite ad eum, & confluite & vultus vestri, &c.*

Esa. 7.

H. *Accedite ad eum* non loco sed fide & opere, & *illuminamini*, scilicet mente & intellectu, quia nisi credideritis nun intelligetis. *Et facies vestra non confundentur* in iudicio, quu inpij cunfundentur in condemnationem.

6 ¶ Iste pauper clamavit & Dominus exaudivit !: eum :· : ¶ *Hic.*
Et de omoibus tribulationibus eius salvavit eum.

C

H. *Iste pauper clamavit*, id est, Christus, qui pro nobis pauper factus est, in passione clamavit ad patrem. C. Quando clamavit salutariter est auditus, sed ex omnibus mundanis angustiis est liberatus, H. quando eum resuscitavit à mortuis.

7 ¶ Immittet Aogelus Domini in circuitu timentiom eum:
Et eripiet eos. ¶ *Circumdabit Angelus Domini in gyro timentes eum, & eruet eos.*

Angelus.

H. Haud dubium est timentes Dominum ab Angelis custodiri. Ideò alia litera habet. *Emittet Angelum Dominus.* C. Augelus enim minister est voluntatis divinæ, quapropter[illegible]is Ang lum te fieri, fac quod præcipit, ut liberes periclitantem, eripias innocentem, subvenias anxio, &c. quæ divina iubet auctoritas.

8 Gustate & videte quoniam † suavis !/ est :· Dominus. † *Bonus.*
Beatus vir qui sperat in eo

D

Gustate.

C. *Gustate*, non pertinet ad palatum, sed ad animæ suavissimum sensum. H. Qui perfecto animo Deum timet & præcepta custodit, & ita sentit Christum; tunc intelligit, *quia suavis est*, quia ipse est panis vivus, qui de coelo descendit. *Beatus* dicitur *qui in eum sperat*, & non in incertum divitiarum. Et ideò beatus, quia illum habet qui omnia habet. hoc est Deum.

9 Timete Dominum !: omnes :· sancti eius:
Quoniam non est inopia timentibos eum.

Timete Deum.

H. *Timete Dominum*, omnibus sanctis imperat, ne accepta securitate decipiantur. C. Solus ipse nihil indiget, qui timore Dei ditatus est. Omne enim bonum habet, quia Deum timendo amat.

10 † Divites eguerunt & esurierunt: † *Leones indiguerunt.*

Inquirentes autem Dominum, non † minuentur omni bono. † *Deerit omne bonum.* !: Diapsalma :· .

E

Divites.

C. Tunc *egent divites*, quando non habent rectam fidem. *Esuriunt* quando minimè à Domini corpore satiantur, divites ventre, esurientes semper spiritu. Quid enim habeant, qui Dominum non habent? *Inquirentes Dominum non deficient ullo bono*, quoniam spirituali desiderio perfruuntur. Nam cum diligimus Dominum, in Christo omnia reperimus.

11 Venite filij audite me:
Timorem Domini docebo vos.

F

Duplex timor.

C. Vox paterna sonat ad illos qui prima rudimenta suscipiunt, ut veniant ad fidem Christianam. Dum dicit, *docebo vos*, admonet ne pavescamus quod audivimus *timorem*. Non est enim iste timor qui formidetur, sed qui diligatur. Timor humanus amaritudinem habet, iste dulcedinem.

12 Quis est ¶ homo qui vult vitam? ¶ *Vir.*
Diligit dies videre bonos.

H. Propheta hoc interrogando loquitur, *quis vitam aeternam cupit videre*, ut cum sanctis iocundetur in regno Dei? quod si vis, fac quod, sequitur & *videbis*, id est, habebis vitam æternam & *dies bonos* & æternos.

13 † Prohibe linguam tuam à malo: † *Custodi*
Et labia tua ne loquantur dolum.

G

C. *Prohibe linguam tuam à malo* colloquio. Addidit *labia*, quæ linguæ motum protinus consequantur. *Dolus* autem est quando fallimus audientem.

14 ¶ Diverte à malo, & fac bonum: ¶ *Recede.*
Inquire pacem & persequere eam.

H. *Diverte à malo & fac bonum*, id est, destrue vitia, & ædifica virtutes. *Inquire pacem.* C. Nullus potest pervenire ad autorem pacis, nisi hic diligentius per pura opera inquirat.

15 Oculi Domini † soper iustos. † *Ad.*
Et aures eius ¶ in preces eorum. ¶ *Ad clamores.*

C. Cum dicit, *oculi Domini super iustos*: continuam gratiam divinitatis ostendit. H. *Et aures eius*, quia quicquid sancti rogant de bono, exaudit Deus. C. Quæ enim mora fiat ad audiendum, cum in ipsis habitet ipse Deus qui exaudit?

H

16 Vultus !/ autem :· Domini super facientes mala:
Vt perdat de terra memoriam eorum.

Vultus Domini super malos.

C. Ne dicerent pessimi: iustos attendit, nos autem non respicit, securi faciamus, quia ab illo conspici non meremur, ideò pronuntiat, vultum Domini, id est, intellectum vel considerationem esse super malos. De terra verò dicit eos disperdere, id est, de futura patria, quam soli Deo placiti possidebunt. Peribit memoria eorum, quia non erit iniquorum inter iustos ulla commemoratio. H. Vel vultum hic furorem intelligimus, qui minando iram: memoriam peccati à terra dispendit.

17 Clamaverunt !: iusti :· & Dominus exaudivit !!

Et

A Et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Martyres exauditi.

C. Iustos *clamasse* ad Deum dicit, & semper profitetur *auditos*. Martyres etiam (quos de suppliciis tyrannorum minimè liberavit Deus) sunt exauditi & liberati, quando ad cœlorum regna perducti, omnibus tribulationibus probantur exuti.

18 Juxta est Dominus † his qui tribulato sunt corde :
Et humiles spiritu salvabit : † *Contritis corde : & confractos spiritu salvabit.*

H. C. *Juxta* significat non loco, sed auxilio. C. *Qui tribulato sunt corde*, multi enim tribulantur, sed non ex corde, qui peccata non deflent, sed mundana eos damna contristant. H. *Humiles spiritu*, id est, mites, quos Christus *salvabit*, cœlestia regna tribuendo.

B

19 Multæ tribulationes † justorum : † *Iusti.*
Et de omnibus his liberavit † eos Dominus : † *Eum.*

C. *Multa* revera sunt *tribulationes iustorum*, quia eos diabolus validiùs insequitur. Sed in hoc quod subditur, *liberavit eos Dominus de omnibus his*, ostenditur potentia creatoris, quæ liberat justum ab omnibus tribulationibus. H. Quia vero multæ tribulationes justorum, ideo qui tribulationem non patitur, justus non est.

C 20 Custodit !! Dominus :. omnia ossa † eorum : † *Eius*
Vnum ex his non † conteretur : † *Confringetur.*

Ossa.

C. *Ossa* dixit fidelium in virtutibus firmitatem, id est, patientiam & mansuetudinem, quæ perire in sanctis nequeunt, nec conteri à diabolo, quia Domino custode servantur.

21 † Mors peccatorum pessima : † *Interficiet impium malitia.*
Et qui oderunt justum † delinquent: † *Culpabuntur.*

Mors pessima.

C. Revera *pessima mors peccatorum*, quia eam æterna pœna comitatur. Pessima enim dicta, quasi pessundata scilicet pœnis æternis. *Et qui oderunt iustum.* H. Id est, Christum : sine causa, *Delinquunt*, id est, Deum derelinquunt odiendo bonum, & ita ad mortem æternam peccât. Vel justum, id est, unumquemque sanctum.

D 22 Redimet Dominus animas servorum suorum :
Et non † delinquent omnes qui sperant in eo : † *Peccabunt.*

H. *Redimet Dominus*, scilicet sanguine pretioso. C. quia qui in ipso rectè crediderit, à peccatorum debita captivitate redimitur. *Animas* frequenter scriptura divina ponit pro hominibus. Addidit *servorum suorum*, id est, non iniquâ libertate viventium. C. Et non delinquent. H. Neque hic, neque in futuro. C. Qui sperant in eum, non in propriis viribus præsumentes.

Oratio ex Psal. XXXIII.

Angelorum & totius creaturæ dispositor Deus, emitte angelum tuum in circuitu nostro, cuius ambitione muniti, mereamur à peccatorum morte pessimâ liberari. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

E

Argumentum Psal. XXXIV.

C. *Christus de sua passione dicit ad patrem, petens se ab inimicorum persecutione liberari.*

TT. :: Ipsi :· David.

C. *David* (sicut diximus) duas significationes amplectitur, manu fortis, & desiderabilis, quod utrunque Domino salvatori certum est convenire.

David dupliciter interpretatur.

1 Iudica Domine † nocentes me :
Expugna impugnantes me : † *Adversarios meos, pugna contra impugnantes me.* F

C. Clamat Christus ex humana infirmitate, ut damnentur *nocentes*, id est, diabolus cum ministris : malos enim judicare damnare est. Qui *impugnat*, superare contendit. Qui *expugnatur*, jam omnino victus est, Immundi spiritus impugnatores dicuntur, quia licet sanctos vincere nequeant, contendere tamen cum eis non desistunt.

Impugnatores nostri.

2 Apprehende † arma & scutum :
Et exurge in adjutorium mihi : † *Scutum & hastam : & consurge in auxilium meum.*

G

Arma. Scutum.

C. Arma ab arcendo dicta sunt, quod per ea hostes violentissimos arceamus. Per *arma*, cœlestia adjutoria, per *scutum*, divina protectio designatur. Scutum enim dictum est, quasi sculptum, quod in ipso antiqui facta sua signabant. Sola vero voluntas Domini est quâ protegit periclitantem, & expugnat adversum.

3 † Effunde frameam & conclude adversus eos qui persequuntur me : † *Evagina gladium, & praeoccupa ex adverso persequentem me.*
Dic animæ meæ, salus tua ego sum.

Framea anima dicitur. Act. 5.

H. *Framea* hic intelligitur anima Christi vel cujuslibet sancti, quia Deus per animam Christi fecit vindictam contra diabolum, & per animam cujuslibet sancti facit vindictam, sicut per Petrum fecit Ananiæ & Saphiræ. *Et conclude.* Petit Ecclesia, ut concludat adversarios suos, ne valeant ad nocendum exire. *Dic animæ meæ*, ut te intelligat, quia tu salus ejus es.

4 Confundantur & revereantur :
Quærentes animam meam. H

Confund.

C. *Confundi*, est facta sua erubescere, & in melius commutare. Nam licet confusi dicantur, qui convincuntur ad pœnam : tamen ut hic ad conversionem intelligeres confusionem peritam, addidit, *revereantur*, id est, emendati diligant, quem persequendum esse putaverunt. *quærentes animam*, in malam partem dicit, qui scilicet sic quærunt, ut eam à corpore segregare festinent.

5 † Avertantur retrorsum & confundantur : † *Convertantur.*
Cogitantes mihi † mala : † *Malum.*

Matt. 16. Cogitantes mala.

C. *Averti* autem *retrorsum*, non dicitur nisi illi, qui corrigendi judicantur. Vt Petro, *Redi retro me Sathana. Qui cogitant*, sive de hæreticis, sive paganis dixit, mala enim omnes cogitant, qui præter Ca-

A tholicam fidem aliquâ pravâ intentione docere festinant.

6 Fiant tanqoam pulvis ante faciem venti:
Et angelus Domini † coarctans ÷ eos :·
† *Impellat.*

Tanquã pulvis peccatores, ut.

H. *Pulvis*, leves infructuosi homines dicti sunt quia sicut pulvis a vento, sic peccatores à sententia divina in die judicij projiciuntur. *Angelus Domini*, id est, spiritus malus non naturâ, sed suâ inventione. *Coarctat eos*: id est, in quantum potest persequitur eos, id est, quantum sibi permittitur. Habet enim diabolus voluntatem nocendi, sed non habet potestatem faciendi.

7 † Fiat via illorum tenebræ & lubricum:
† *Sit via.*
B Et Angelus Domini † persequens eos:
† *Persequatur eos.*

C. *Via*, id est, opera *tenebrosa* illis fiant, ut horreant mala facere, *lubrica*, ut in eisdem stare diutius non possint. Et si decreverint plus immorari, virtus Domini *persequatur* eos, ita ut in sceleribus suis longius hærere non sinat, qui ad interitum festinant.

8 Quoniam † gratis † *Frustra.* Absconderunt mihi ¶ interitum laquei sui.
Supervacuè exprobraverunt animam meam: ¶ *Insidias reti sui: sine causa foderunt animæ meæ.*

C. *Absconderunt mihi gratis*, id est, sine causa: scilicet Iudæi, ut illi putabant. Qui enim divinitatis
C eius potentiam non credebant, illi putabant se abscondisse *interitum*. Benè dictum est: *interitum laquei sui*, quia ille laqueus non morientis erat Domini, sed peccantis interitus. Supervacuè, id est, falsè, exprobraverunt, quando Christo dicta sua veracia quasi aliquod crimen imputabant. H. Et inutiliter egerunt, quia exprobratio ista nullam habuit utilitatem.

9 Veniat illi † laqueus † *Calamitas quam.* quem ignorat, & ¶ captio quam abscondit apprehendat eum: † *Rete suum quod.*
Et in laqueum cadat ÷ in ipsum :·

H. Excidium illud minatur propheta quod advenit Iudæis in temporibus Vespasiani. *Et captio, quam occultaverunt, apprehendat eos*, id est, mors repentina,
D quam domino nostro moliebantur occultè.

10 Anima autem mea exultabit in Domino:
Et delectabitur super salutari suo: † *In salute sua.*

C. Prima quippe sanctæ animæ beatitudo est: *exultare in Domino. Delectabitur super salutare eius.* H. Salutaris noster Christus est, quia in eo delectabitur Ecclesia.

11 Omnia ossa mea dicent:
Domine, quis similis tui?

C. *Ossa* fortitudinem animi & constantiam mentis
OS. significant, quæ merito ossibus comparantur, quia sicut illa corpus, ita & hæc sanctas voluntates corroborant. C. *Quis* negativum est. *Similis tui*, H. Id est, nullus. Quis potest similis esse Deo?

12 Eripiens inopem ¶ de manu fortiorum eius: ¶ *A validiore.* E
† Egenum & pauperem à diripientibus eum: † *Et pauperem & mendicum à violento.*

C. *Eripuit* Christus pene totum genus humanum, de illa potestate diaboli qui tunc per mundum regnabat. Homo enim erat *inops*, quia mortalis, *Egenus*, quia in labore & sudore panem quæsivit. *Pauper*, quia de sapientia & puritate dejectus à diripientibus immundis spiritibus, solam terrenam & umbratilem ratiunculam possidebat.

Homo erat inops egenus & pauper.

13 Surgentes testes iniqui:
Quæ ignorabam interrogabant me:

C. Nunc commemorat *Christum* de propria passione. Contra eum enim *testes*, subito impetu *consurgebant* revera *iniqui*, quia erant contra æquitatem locuturi. Addidit, *ignorabam*, id est, ipsi narrabant illa quæ me dixisse omnimodis nesciebam. F

14 ¶ Retribuebant ¶ *reddebant.* mihi mala pro † bonis: † *Bono.*
Sterilitatem animæ meæ.

C. *Retribuebant mihi mala pro bonis*, quia cum Christus vitam credentibus contulerit, illi mortem è contra reddere maluerunt. *Sterilitas animæ* fuit quando magister bonus in ipsis fructum fidei reperire non potuit.

15 Egò autem cum ¶ mihi molesti essent:
¶ *Infirmarer ab eis.* G
Induebar cilicio.

C. *Ego dum mihi molesti essent*, id est, dum Iudæi essent molesti per contumelias & insidias Christo, *induit se cilicio*. H. Id est, divinitas carne, & de peccato damnavit peccatum. C. Induit vero se carne divinitas, id est, occultavit se per carnis velamen tenebrosis mentibus. Rom. 8.

16 Humiliabam in jejunio animam meam:
Et oratio mea in † sinu meo convertetur:
† *Sinum meum revertetur.*

C. *Ieiunium* dictum est quasi inedium, quod abstinentes diutius ad inediam usque perducat. Iejunavit Christus in monte quadraginta diebus. *Et oratio mea*, id est, dum fundebatur à Domino in cruce, & eam miseri Iudæi minimè suscipere mererentur, remeabat *in sinum eius*, id est, in secretum pectoris, unde fuerat egressa.

Ieiuniũ quasi inedium. Matt. 4. H

17 Quasi ¶ proximum & quasi fratrem nostrum sic complacebam: ¶ *Ad amicum, quasi ad fratrem meum sic ambulabam.*
Quasi lugens † & contristatus sic humiliabar: † *Mater tristis incurvabar.*

C. Mutatus est hic casus nominum, pro ablativis enim sunt accusativi positi. Dicit enim *quasi de proximo, quasi de fratre nostro*: ita mihi complacebam, id est, de eorum conjunctione gaudebam, qui me hostiliter insequebantur. Complacebat enim in illis domino, quando nos docebat non delinquere. *Lugens & contristatus & humiliatus* Christus erat, quia in cunctis judæis, quos ut fratres & proximos dilexit, fidem invenire non potuit.

A

18 Et adversum me lætati sunt & convenerunt:
Congregata sunt super me flagella & ignoravi: ¶ *Et in infirmitate mea lætabantur & congregabantur: collecti sunt adversum me percutientes & nesciebam.*

H. *Lætati sunt iudæi*, quando Christum comprehenderunt, *Convenerunt*, ut eum crucifigerent, non ut crederent. *Congregata sunt flagella*, ut Pilatus dixit, *emendatum eum*, id est, *flagellatum dimittam. Et ignoravi*, id est, non habui conscientiam peccati, propter quod flagellari vel crucifigi debuerim.

B

19 † Dissipati sunt nec compuncti, tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione:
Frenduerunt super me dentibus suis: † *Stridentes & non tacentes. In simulatione, verborum fictorum: frendebant contra me dentibus suis.*

H. *Dissipati sunt* à vinculo charitatis, nec compuncti, ut agerent pœnitentiam. Tentaverunt multis modis judæi Christum. *Subsannaverunt* dicentes. *Ave rex iudæorum. Frenduerunt:* clamantes *crucifigatur*. Per motus corporis ostenditur motus animæ. H. C. *Strident* sævi homines *dentibus*, quando ratione vincuntur, nam cum eis pro veritate verba defecerint, impatienter dentibus fremunt, suasque voluntates tacita interminatione denuntiant.

20 Domine ¶ quando respicies, restitue animam meam à malignitate eorum: ¶ *Quanta aspicies: converte animam meam à calamitatibus suis.*
C
A leonibus † unicam meam: † *Solitariam.*

C. *Quando respicies*, pro consuetudine infirmitatis humanæ dicitur, cui morosum videtur quodcunque futurum est, quæ non ut cupit, festinat aliquid impleri. *Restitue*, quasi ereptam animam redde. *A. malignitate*, quia injustè probatur occisus *A leonibus*, H. Id est à persecutoribus, *unicam* animam suam dicit, quæ unica est sine peccato C. Vel unica, quia de virgine natus unicus est, id est, solum unus de virgine est natus. Vel unicam, Ecclesiam suam.

Vnica, id est, anima.

21 Confitebor tibi in Ecclesia magna:
In populo ¶ gravi laudabo te: ¶ *Forti.*

D

C. Duas esse diximus confessiones, unam laudis, alteram pœnitentiæ, sed hic ad laudem pertinet. *Magna* vero *Ecclesia* est populus Christianus, rectâ fide firmus. *In populo gravi*, H. Quia non est levis ad peccandum, ideo firmus in fide. A. Sic palea levis vento tollitur, granum manet, quia grave, talis est bonus Christianus, quia granum est.

Duplex cõfessio. Christiani sunt populus gravis.

33 † Non supergaudeant mihi quia adversantur mihi iniquè:
Qui oderunt me gratis, & annuunt oculis: † *Non lætentur super me inimici mei mendaces, odientes me frustra comminentes oculo.*

C. *Non supergaudeant mihi*, id est, non insultent hæretici: quando aliquos de numero fidelium perdit sancta Ecclesia, qui hæretici semper adversantur Christo & Ecclesiæ. *Qui oderunt me gratis*, hoc est inaniter, quibus nihil nocui. C. *Annuunt oculis*, Annuit oculis, quando homo tacitè & dolosè vult aliquid declarare. H. Sic fecerunt judæi, quia nihil boni in opere ostenderunt. A. Pronuntiabant vultu, quod corde non gestabant.

Annuere oculis.

E

23 ¶ Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur:
Et in iracundia * terræ :- loquentes dolos cogitabant: ¶ *Non enim pacem loquuntur, sed in rapina terræ verba fraudulenta concinnabant.*

H C. *Pacificè loquebantur* dicentes, *Magister scimus, quia verax es.* C. *Et in iracundia*, ut illud, *oportet unum pro omnibus mori*, quasi invidentes toti populo terræ. Potest enim aliquis dolum loqui, cum non cogitat occidere, ut si quis pecuniam proximo conatur auferre, propterea addidit: *in iracundia terræ*, ut dolus eorum exitialis fuisse declaretur.

Matt.22. Ioan.11.

F

24 Et dilataverunt super me os suum:
Dixerunt † euge euge, viderunt oculi nostri: † *Vah Vah vidit oculus noster.*

C. *Dilataverunt os suum*, postulantes apertà voce, *crucifige. Euge:* ac si dicerent sibi in cruce, bene, bene videmus de te, quod desideravimus efficere, ut prædicator plebis, in cruce cum latronibus penderes. H. Vel euge euge, id est, bene videmus nunc, quod virtutes quas prius fecisti nihil erant, quia teipsum in cruce juvare non potes. C. Euge: vox irrisoria & insultoria est. Ac si dicerent, jam, *viderunt oculi nostri* facta & mirabilia tua, cur non descendis de cruce? sed jam videmus quod non potes.

Euge Euge.

25 Vidisti Domine ne sileas:
G
Domine ne ¶ discedas à me: ¶ *Elongeris à me.*

C. *Vidisti*, hoc est probasti quam crudelis extitit mihi populus. *Ne sileas*, ne differas dare sententiam, quod utique tacendo non potest fieri, sed loquendo.

26 † Exurge & intende judicium meum: † *Consurge & vigila in judicium meum.*
Deus meus & Dominus meus in causam meam.

H. *Exurge*, id est, discerne inter me & Iudæos *Intende iudicium meum*, qualiter judicantes condemnaverunt me morti. *Deus meus in causam meam.* C. Ista est causa sua, scilicet ut qui dare venerat salutem humano generi ab insanis probaretur occidi. *Intende iudicium.* A. Id est, quomodo in laboribus & doloribus cruciatus sum. Sed quia & ista mali patiuntur, addit: *intende in causam meam* pro qua patior. Pœna enim similis est sceleratis & bonis, sed non causa. Martyrem itaque non facit pœna, sed causa.

H

Martyrẽ facit non pœna, sed causa.

27 Iudica me secundum justitiam tuam Domine Deus meus:
¶ Et non supergaudeant mihi: ¶ *Ne insultent mihi.*

C. Petit se judicari Christus *secundum iustitiam*, id est, secundum misericordiam, qui peccata non fecit, ut nobis ostenderet, deprecationis exemplum. *Vt non supergaudeant*, id est, non dicerent Iudæi, potuimus, fecimus, egimus quod voluimus.

28 Non dicant in † cordibus suis euge euge animæ nostræ: † *Corde suo vah anima nostra.*

A

Nec dicant ¶ devorabimus eum: ¶ *Absorbuimus eum.*

C. *Non dicant euge euge*, id est bene bene, ista verba sunt lætantium scelerata mente. H. *Nec dicant, devorabimus eum*, id est, ne pateſiat ultra os eorum ad me devorandum, id est, me similem illis deputandum. Devorat enim homo quod in os mittit, ita peccatores nituntur justos in suas oequitias traiicere, ut eis similes fiant, & unum cum eis corpus. — Devorate.

29 Erubeſcant & revereantur ſimul:
† Qui gratulantur malis meis. † *Lætantur.*

H. *Erubeſcant*, id eſt, Iudæi perſecutores & hæretici, *qui gratulabantur*, quando me perſequebantur, hoc eſt, non ſolum perſequentes me erubeſcant, ſed & illis conſentientes qui gratulantur, &c. Sic erubeſcant, ut proprios actus ſponte damnent, ut ſic convertantur. Et quia poteſt aliquis erubeſcere, & reverentiam non habere: addidit, *revereantur ſimul*, ut converſionis eorum iudicia declararet. Reverentia eſt enim, Domini timor cum amore permixtus. — In afflictione mea.

B

30 Induantur confuſione, & † reverentiâ:
Qui maligna loquuntur ſuper me: † *Verecundiâ, qui magnificantur ſuper me.*

Mat. 25. — H. *Induantur confuſione*, id eſt confuſione æternâ, unde dicit. *Diſcedite à me maledicti*: ut qui me quaſi hominem judicaverunt, videant ut Deum judicantem.

31 ¶ Exultent & lætentur qui volunt juſtitiam meam: ¶ *Laudent.*

C

Et dicant ſemper, magnificetur Dominus, qui † volunt † *Vult.* pacem ſervi ¶ ejus ¶ *Sui.*

H. *Exultent*, id eſt, ſancti qui volunt Dei juſtitiam implere, ipſi *exultent & lætentur* de remuneratione vitæ æternæ. *Dicant ſemper* ſcilicet ſancti, ut *Dominus* pater *magnificetur*, ipſe eſt pax noſtra. C. Qui autem dixit: *ſervi eius*, ad humilitatis formam reſpicit, qui in aſſumpta carne: ſecundum humilitatem ſervus patris dicitur. Qui ergo volunt pacem Chriſto? Illi ſcilicet qui a vitiis redduntur alieni. — Ephes. 2.

32 Et lingua mea meditabitur juſtitiam tuam:
Tota die laudem tuam.

H. *Lingua mea*, ſancti ſunt, illi *meditabuntur* mandata Dei. *Tota die*, toto tempore ſcilicet laudare Deum certent. C. Quia ſemper Deum laudant qui in omni voluntate ſua divina juſſa conſiderant.

D

Oratio ex Pſalm. XXXIV.

Protectio ſaluſque animæ noſtræ operi nos galea ſpei, & ſcuto inexpugnabilis munimenti, ut à te in cauſis noſtræ neceſſitatis adiuti, mereamur cum te diligentibus, lætitiâ & exultatione perfundi. Per Dominum noſtrum Ieſum, &c.

Argumentum Pſal. XXXV.

C. *Propheta contemptores legis vehementer accuſat, & ſub laude Domini collata beatorum dona deſcribit.*

TT. ¶ In finem ſervo Domini David. ¶ *Pro victoria.*

C. Nam & *in finem* Dominum ſignificat, & *ſervo Domini* de ipſo dicitur, qui formam ſervi accipiens, factus eſt obediens uſque ad mortem. *Pſalmus* vero & *David* frequenti expoſitione jam noti ſunt. E — Philip. 2.

1 † Dixit injuſtus ut delinquat in ſemetipſo: † *Dixit ſcelus impy in medio cordis ejus.*
Non ¶ eſt timor Dei ante oculos ejus, ¶ *Eſſe timorem.*

H. *Dixit iniuſtus*, id eſt, decrevit peccare ſe debere. C. Et ita ideo cogitat, ut ſibiipſi licentiam tribuat peccandi. *Non eſt timor Dei*, id eſt, non putat curare Deum, ut homines debeant eum formidare. A. Vel *iniuſtus* quilibet *dixit*, id eſt, deliberavit, non in publico, ſed in ſemetipſo, & ibi propoſuit, ubi homo non videt, & licet Deus videat hoc non curat, quia *non eſt timor Dei ante oculos eius*. Homines timet ne publicè profiteatur iniquitatem: Deum vero non timet, & ideo *in corde*, ubi Deus videt, homo non videt, *deliberavit ut delinquat*, id eſt, peccet. F

2 Quoniam doloſe egit † in conſpectu ejus:
Vt inveniatur iniquitas ejus ad odium: † *Adverſum eum in oculis ſuis: ut inveniret iniquitatem eius ad odiendum.*

C. *Doloſe egit in conſpectu* Dei, id eſt, in ſemetipſo quia *non eſt timor*, &c. H. Diabolus videlicet & Iudæi doloſe egerunt in conſpectu Dei. Vel ad Iudam proditorem pertinet, quorum iniquitas ad odium inventa eſt. A. Similiter omnium malorum invenitur iniquitas ad odium, quia odit Deus iniquitatem, dum eam perpetuo punit. G

3 Verba oris ejus iniquitas & dolus:
¶ Noluit intelligere ut bene ageret: ¶ *Ceſſavit cogitare benefacere.*

C. *Verba eorum* ſunt *iniquitas & dolus*: *iniquitas* pertinet ad blaſphemiam, *dolus* ad proximum decipiendum. *Noluit intelligere*, illos ſignificat, qui ex aliqua parte, igniculum ſapientiæ perceperunt, & à vero intellectu declinantes, ſuo vitio perverſis erroribus ſe polluerunt.

4 Iniquitatem † meditatus eſt in cubili ſuo: † *Cogitat.*
¶ Aſtitit ⁄⁄ omni ∴ viæ non bonæ: malitiam ⁄⁄ autem ∴ non odivit: ¶ *Stabit in via non bonâ, malum non abiiciet.*

H — Hæreticus meditatus iniquitatem.

C. *Iniquitatem meditatus eſt*, ſcilicet hæreticus, & errorem longâ meditatione tractavit, libros faciendo perverſos. H. *In cubili*, in corde ſecreto, ubi animus bonum vel malum meditatur. *Aſtitit omni via non bona*: ideo ad nullum fructum juſtitiæ pervenire potuit. *Malitiam non odivit*: ſed dilexit. A. quo eſt ſumma malitia; qui enim penitus non poteſt carere malitiâ, debet ſaltem mente odiſſe.

5 Domine in cœlo miſericordia tua:
⁄⁄ Et ∴ † veritas tua uſque ad nubes: † *Fides tua.*

H. *Domine in cœlo*, id eſt, in ſanctis angelis, qui in cœlo firmati fuerunt, & non ceciderunt. Vel *in cœlo*, id eſt, Eccleſia. A. Vel quolibet ſancto eſt *miſericordia* Dei cauſa quod cœlum eſt, & non eſt injuſtus, ſicut ille, de quo dictum eſt. *Et veritas tua uſque ad nubes*, C. Id eſt, Chriſtus in Apoſtolis & in prophetis habi- — In cœlo. — Chriſtus veritas, Apoſtoli nubes.

A tat, qui doctrinâ Evangelicâ irrigant corda arentia, ut fructum dent fidei, quæ sterilia fuerant ariditate peccati, Christus enim veritas est, Apostoli nubes.

6 Iustitia tua sicut montes ¶ Dei: ¶ *Domine.*
Iudicia tua abyssus multa.

Abyssus.

C. Beatos Apostolos montibus comparavit, qui capaces Domini justitiæ devotis sensibus extiterunt. *Abyssus*, hic in bonum posuit. Est enim profunditas aquarum, abyssus, quam nec metiri, nec intrinsecùs ex toto videre valeamus: sic divinam justitiam, nec mente complecti, nec ratione aliqua diffinire possumus.

7 † Homines & jumenta salvabis Domine: † *Hominem & jumentum.*

B ¶ Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus: ¶ *Quam pretiosa & misericordia tua Domine.*

H. *Homines & iumenta salvabis Dominus* Id est, rationales & irrationales personas regit & saluat. C. Malos & irrationabiles, salutem temporalem, sicut jumentis, Bonos & rationales, temporalem & æternam tribuendo, saluat Deus. Vel bonos malosque saluas, cum pro omnibus Christum pati volueris. H. Tunc *multiplicata est misericordia Domini*, cum nos proprio cruore redemit: ab initio quippe proflua fuit misericordia tua, sed tunc multiplicata.

8 † Filij autem hominum:
In tegmine alarum tuarum sperabunt:
C † *Et filij Adam in umbra alarum tuarum sperabunt.*

Filij hominum Alæ.

C. *Filij autem hominum* sunt qui non sunt jumenta, sed rationaliter vivunt, qui gratiam baptismatis consecuti, in novam progeniem renascuntur. H. C. *Alæ* vero Domini sunt præcepta novi & veteris testamenti. C. In quarum protectione omnis justus sperare cognoscitur: dum eis obedire ostenditur.

9 Inebriabuntur † ab ubertate domûs tuæ: † *De pinguedine.*
Et torrente ¶ voluptatis tuæ potabis eos: ¶ *Deliciarum.*

Torrens dicitur sapientia Christi.

H. *Inebriabuntur*, id est, ipsi filij Dei à pinguedine gratiæ spiritus sancti, ut habeant intellectum dogmatum Ecclesiasticorum, ut oblitis flagitiis, virtutibus impleantur. C. *Torrentem* dicimus esse fluvium velocem, cui bene comparatur sapientia Christi, quia
D & subita est, & ita rapida ut ad fidem quem vult sine ulla tarditate detrahat.

10 Quoniam † apud te est fons vitæ: † *Tecum.*
※ Et ⁖ in lumine tuo videbimus lumen.

Fons vitæ.

H. *Quoniam apud te fons vita*, id est, tu es, & apud te est origo omnium bonorum. *Fons vitæ*, doctrina Dei, quæ animæ vita est. *Lumen* patris Christus est, in quo videbimus *lumen*, id est, spiritûs sancti illuminationem.

11 † Pretende misericordiam tuam scientibus te: † *Attrahe.*
Et justitiam tuam ¶ his qui recto sunt corde: ¶ *Rectis corde.*

C. *Pretende* dixit, id est, longè latéque diffunde *tuam misericordiam*, ut possint, *scientes te* in isto sæculo firmiùs ambulare. Rogat *his* justitiam, id est, justam vitam permanentem, vel præcepta sua, ut ea vivendo teneant, *qui recto sunt corde*, id est, qui hic recta mente præstante Domino vivere meruerunt, hoc est, qui cor suum in omnibus ad voluntatem Dei dirigunt. E

12 Non veniat mihi pes superbiæ:
Et manus ¶ peccatoris non moveat me. ¶ *Impiorum.*

Pes affectus. Manus, operatio.

C. Orat ut gressu mentis à justo tramite non recedat, ne in superbia erectus cadat, *Pes* autem pro affectu mentis est positus. *Manus* vero peccatoris, est operatio malè suadentis, quæ tunc nos à firmitate fidei movet, cum iniquâ suasione nos sollicitat. Ideo vero timeo pedem superbiæ, quia *ibi*, &c. F

13 Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem:
Expulsi sunt nec potuerunt † stare. † *Surgere.*

Expulsi sunt mali angeli.

C. *Ibi*, ubi superius dixit, in pede scilicet superbiæ & nequitiâ pravæ suasionis *ceciderunt*: ac si diceret, in profundam foveam corruerunt dæmones, qui adhuc operantur iniquitatem male suadendo in hominibus & ad superbiam semper inducentes. H. *Expulsi sunt*, id est, a regno Dei C. *Nec potuerunt stare*, quia non eis licebat Domini jussa deferre, sed statim illic præcipitantur, ubi parata est eis flamma pœnalis. H. *Ibi* quoniam Adam cecidit & expulsus est a paradiso, qui dicitur etiam adhuc operari iniquitatem, dum in peccato suo omnes nascimur. Nec diabolus, nec Adam potuerunt stare vi suâ.

Oratio ex Psal. XXXV. G

Clarifica nos cælesti misericordiâ fons & origo luminis sempiterni: ut ubertate domûs tuæ repleti, omnem iniquitatem & dolum cum procacitate feroci superbiæ renuamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Argumentum Psal. XXXVI.

C. *Vox Ecclesiæ monentis, non imitandos malignantes: & de pœnis malorum ac præmiis beatorum.*

TT. ※ Psalmus ⁖ David.

H. Psalmus iste: personam justi glorificat, injusti notat, mores instruit, bonitatem Dei docet, pravitatem avellit. H

1 NOli † æmulari in malignantibus: † *Contendere cum malignis, neque æmuleris.*
Neque zelaveris facientes iniquitatem.

Æmulatio.

H. Multas habet *æmulatio* interpretationes, tamen hic docet noli particeps esse malignis, neque ad zelum, quia zelus ira est, neque ad invidiam, invidia enim livor est. *Neque zelaveris*, id est, imiteris eos, qui faciunt iniquitatem, qui per iniquas fraudes divitias congregant, honoresque requirunt.

2 Quoniam tanquam ¶ fœnum velociter arescent:
Et quemadmodum olera herbarum citò decident. ¶ *Herba velociter conterentur: & sicut olus viride marcescent.*

A Fœnum. Olera.

C. *Fœnum*, pulchra est res dum floret, sed cum aruerit mutato protinus colore marcescit. Sic sunt impij, qui quasi florida lætitia relucentes præmaturo fine siccantur. Olera autem ab olla dicta sunt ubi collecta decoquuntur. Ostensum est enim hic, citò impios cadere, per similitudinem fœni & olerum.

3 Spera in Domino & fac ❡ bonitatem !! & :. inhabita terram :
Et pascêtis in divitiis ejus. ❡ *Bonum peregrinare in terra & pascère fide.*

C. Admonet hic propheta, *ut speremus in Dominum*, hoc est introitus fidei, hoc initium salutis. C. H. *Fac bonitatem*, id est, adimple mandata. H. *inhabita terram*, hoc est dominare carni, non caro tibi. C. *Et pascêris*, ad suavitatem perennem, *In divitiis*, id est, contemplatione Domini Christi. H. A. Vel in scripturis sanctis.

B

4 Delectâre in Domino:
Et dabit tibi petitiones cordis tui.

Petitio cordis.

C. *Delectâre* cum dicit *in Domino*, suavem vult esse tibi ejus recordationem, ut ames quem times: *Dabit tibi petitionem cordis*, non carnis. Petitio cordis est, fides, charitas, intellectus Dei, & operatio bonorum actuum.

5 † Revela Domino viam tuam & spera in eum : † *Volve super Dominum viam tuam : confide in eo.*
Et ipse faciet.

C. Velum quoddam est densitas peccatorum, unde *via*, id est, vita nostra, tenebroso amictu circumvestita est: *hanc revelamus*, quando delicta nostra promptissimè confitemur. H. *Spera in eum*, ut possit dimittere delinquenti. *Et ipse faciet*, id quod sequitur.

C

6 Et educet quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem:
❡ Subditus esto Domino !! & :. ora eum. ❡ *Tace Domino : expecta eum Educere.*

C. *Educere* enim, est aliquid de tenebris ad lumen proferre, hoc est, de caligine hujus sæculi, ad illam claritatem futuri judicij perducere, ubi omnia palam fiant: & tunc justitia nostra, humanis aspectibus apparebit. H. *Et judicium tuum*, quo ea quæ bona sunt elegisti, *tanquam meridiem*, in pleno splendore gratiæ suæ revelabit coram angelis suis. *Subditus esto Domino*, non peccato, *& ora eum*, pro delictis tuis.

D

7 Noli † æmulari in eo qui prosperatur in via sua:
In homine faciente injustitias. † *Contendere adversus eum, qui proficit in via sua, adversus virum qui facit quæ cogitat.*

H. *Noli æmulari in eo*, id est, non te terreat impij fœlicitas brevis. C. *In homine faciente injustitias*, id est, nequitias, scilicet cui turpis est, & negotia feculenta

8 ❡ Desine ab ira, & derelinque furorem: ❡ *Dimitte iram.*
Noli † æmulari ut maligneris. † *Contendere ut malefacias.*

Furor. Ira. Nequitia.

C. *Furor* est enim, qui celeri motu animum succendit, *Ira* quæ diutius perseverat. Ergo utraque nos jubet deserere, per quæ ad culpam possumus pervenire.

E

Noli æmulari ut maligneris. H. Ne ipse nequam efficiaris, provocando alios ad nequitiam. C. Nequitiam vero veteres definierunt voluntariam esse malitiam, in quam non casu incidimus, sed delectatione versamur. Nequam enim dictus est nequaquam, id est, nullo tempore aptus.

9 Quoniam qui ❡ malignantur exterminabuntur : ❡ *Malefaciunt interibunt.*
Sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram.

F

C. *Exterminari* est foras terminos projici, id est, ab illa Dei civitate fraudari. *Qui* vero contra *sustinent Dominum, ipsi hæreditate possidebunt* terram viventium: quoniam despiciunt impiorum fœlicitatem, Domini judicium expectantes, & patienter interim adversa sustinentes.

10 Et adhuc † pusillum & non erit peccator : † *Modicum.*
Et ❡ quæres locum ejus & non invenies. ❡ *Cogitabis de loco ejus, & non subsistet.*

Pusillum tempus.

C. *Pusillum* enim à pugno dicitur, & exiguum aliquid parvulumque significat, quod contractis digitis manu possit includi. Et hic significat tempus, quod restat usque in diem judicij, quod comparatione præteritorum dierum, omnino parvissimum est. *Et non erit peccator*, non quia ipse qui peccaverit non erit, sed peccare jam desierit. *Locum ejus*, istum mundum significat, qui peccatores tantum demulcet, propriéque ipsis amicus est. H. Vel locus ejus, delectatio peccati.

G

11 † Mansueti autem hæreditabunt terram : † *Mites.*
Et delectabuntur in multitudine pacis.

Mansueti.

C. *Mansuetos* autem appellamus manu consuetos, id est, patientes & mites. H. Quos nullus turbo furoris exagitat. C. Ipsi possidebunt futuram Hierusalem, & in ea permanebunt in sæculum sæculi. In multitudine pacis, pax futuri sæculi est, ubi nihil adversum, nihil potest esse contrarium.

12 ❡ Observabit peccator justum :
Et stridebit super eum dentibus suis.
❡ *Cogitat impius de justo, & frendet adversus eum dentibus suis.*

H

C. *Observabit peccator justum*, quando illum viderit sceleratus bonis moribus insudare. H. Quia per opera sanctorum, ipsi cruciantur & torquentur in præsenti vita. *Stridebit* malitiæ & invidiæ dentibus, quibus eum nititur devorare: per motum enim istum corporis, ostendit motum animæ. A. C. Observabit igitur quasi de occultis insidiis ut eum illiciat. Ideò vero occultis insidiis observat, quia dum videt justum credit se ab eo accusari, conatur igitur justum ei similem facere. Quod si non potest, *stridebit*, &c.

13 Dominus !! autem :. irridebit eum :
!! Quoniam :. † prospicit quod veniet dies ejus † *Videns.*

H. Non quia Dominus aliquem irrideat, sed quia ipsi digni sunt, ut irrideantur in vindicta. Quoniam *prospicit*, hoc est dominus scit, *quando veniet* dies ultionis & perditionis ejus.

14 Gladium evaginaverunt ❡ peccatores: *Impij.*
Intenderunt arcum suum.

C. Gladium

A Gladius peccatoris. Arcus eius.

C. *Gladius* peccatoris, est quilibet dolus, alterius desiderans læsionem, quem educit ille, qui pravâ suasione desiderat decipere animas innocentes. *Arcum* autem *tendere*, est opere fraudulento expectare tempus, quando possint simplices innocentésque decipere. A. *Gladius*, apertam persecutionem. *Arcus* verò occultam indicat: qui enim gladio pugnat, cominus: qui vero arcu, eminus pugnat.

15 Vt † decipiant pauperem & inopem:
† *Percutiant.*
¶ Vt trucident rectos corde. ¶ *Et interficiant rectos in via.*

H. *Vt decipiant pauperem*, non divitem mundi, sed pauperem Christi. C. Addidit *rectos corde*, hoc de martyribus potest intelligi, qui recti sunt corde, sed carne trucidantur. Pauper dicitur, qui sibi non sufficit. Inops qui nec opem habet ab alio sive alienam.

B Pauper & inops.

16 Gladius eorum intret in corda ipsorum:
Et arcus eorum † confringatur. † *Confringantur.*

C. *Gladius* enim dicitur, qui fit ad hostium clades. H. Et significat vindictam in animas ipsorum. C. *Et arcus ipsorum*, id est, occulta malitia contra pios, *Confringatur*, quia non erit fidelibus in animæ parte nocitura. A. Se enim mali prius in corde & anima lædunt quam iustum in corpore & rebus exterioribus. In corde enim iustum lædere non possunt. Qui si in rebus læsus iustus fuerit, dicit *Melius*, &c.

17 Melius est modicum iusto:
† Super divitias peccatorum multas.
† *Quam divitiæ peccatorum multæ.*

C

C. *Modicum* hîc sentiatur humilitas, in qua dum se animus noster custodit mundi pretiosa transcendit. *Divitiæ peccatorum*, sunt congregationes criminum. Vndè æstimemus, quantum sit melius illud *modicum* iusti percipere, & molem tantorum scelerum non habere. Et verè multò melius, *quoniam brachia*, &c.

18 Quoniam brachia peccatorum ¶ conterentur: ¶ *Confringentur.*
† Confirmat autem iustos Dominus.
† *Sublevat.*

C. *Brachia peccatorum* perversas actiones signat quæ *conterentur*, id est, assiduâ triturâ minuentur. H. Vel fortitudo illorum conteretur in vindicta, ne innocentibus noceant. *Iustos autem confirmat Dominus* in fide. H. A. Brachia, potentiam & fortitudinem peccatorum significant. A. Confirmat iustos Dominus: per spem in adversis & per exempla, maximè crucis. Crux enim finita est in pœna, sed manet in gloria. A locis enim suppliciorum transiit ad frontes imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid faciet fidelibus suis?

Pœna crucis in gloriam versa.

D

19 Novit Dominus dies immaculatorum:
Et hæreditas eorum ¶ in æternum erit.
¶ *Æterna.*

C. *Dominus* autem *novit dies immaculatorum*, id est, vias qui eas condidit, quas humana ignorantia non potest intueri. *Hæreditas* est cœlestis Hierusalem, æternâ pace ditissima, Quæ *in æternum erit*, quoniam sine fine præstatur.

20 Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur:
Quia † peccatores peribunt. † *Impij.*

E Tempus malum dies iudicij. Dies famis.

H. C. *Malum tempus* significat diem iudicij. C. Quando omnis caro sollicita, actuum suorum retributionem compensationémque formidat in isto tempore non confundentur immaculati. *Dies famis*, tempus huius mundi significat, quando beati esuriunt iustitiam, & *saturabuntur* per scripturas sanctas & exempla dominica. *Peccatores peribunt*, id est, in illa iudicatione damnandi sunt. A. Vel tempus malum, dicit tempus tribulationis hic, in quo boni spe saturantur futuræ pacis, peccatores vero hic saturati, peribunt æternâ fame cruciandi.

21 ¶ Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint & exaltati:
Deficientes quemadmodum fumus deficient. ¶ *Et inimici Domini gloriantes ut Monocerotes consumentur, sicut fumus consumentur.*

F

H. *Inimici vero Domini*, id est, impij, *ut honorificati fuerint* in potestate terrena, *& exaltati* in vanam gloriam, mox adveniente morte, omnis gloria eorum tanquam fumus aut nebula tabescet.

22 ¶ Mutuabitur peccator & non solvet:
¶ *Fœnus accipit impius & non reddit.*
Iustus autem † miseretur & tribuet.
† *Donat & tribuit.*

H. C. *Mutuabitur peccator*: quando Dei beneficia diversa suscipit, & non solvet, hoc est, non dignas gratias agit Deo. *Iustus autem miseretur*, quamvis hîc pauca suscipiat promptus tamen ad eleemosynas faciendas invenitur.

G

23 Quia ¶ benedicentes ei hæreditabunt terram: ¶ *Qui benedicti fuerint ab eo.*
† Maledicentes autem ei disperibunt.
† *Et qui maledicti, interibunt.*

C. Nam *qui benedicunt* Dominum, id est, qui omnibus gratias referunt, & eius mandata custodiunt, terram illam viventium accipiunt possidendam. *Maledicentes*, id est, blasphemi, vel Dei legibus inobedientes, ab illa patria submoventur.

24 † Apud Dominum gressus hominis dirigentur: † *A Domino gressus viri firmantur.*
Et viam eius volet.

H. *Apud Dominum gressus*, id est, sensus uniuscuiusque hominis, à Domino dirigentur. *Et viam eius* scilicet Dei *volet*, ut ad se veniat, qui est via, veritas & vita. Gressus dicit opera & affectus, quos dirigit Deus. A. Et per hoc quod dirigitur vult iustus viam Dei: quamvis dura sit. Via vero terræ non est dura, sed plena latronibus. Via autem Domini tuta quamvis dura. Vel viam iusti hominis volet, in qua *cum ciciderit*, &c.

Ioan. 14.

H

Via Domini.

25 Cum ciciderit nō † collidetur: † *Allidetur.*
Quia Dominus † supponit manum suam. † *Sustentat manum eius.*

C. *Cum ciciderit* propter infirmitatem carnis, quia septies in die cadit iustus & resurgit, *Non collidetur*, quia Dominus agenti pœnitentiam statim miseretur. Sicut David & Petrus, cognitum delictum purgaverunt lachrymis, & à Domino confirmati sunt.

Prov. 4.

26 ¶ Iunior fui etenim senui, & non vidi iustum derelictum: ¶ *Puer fui, siquidem senui.*
Nec semen eius quærens panem.

A A. C. *Iunior fui*, vox Ecclesiæ, quando initia legis naturalis in ipso protoplasto primæva suscepit. *Senui*, quando ad honorabilem pervenit ætatem cum novissimis temporibus suscipere meruit Dominum salvatorem. H A. C. *Semen*, opera hominis diximus esse quæ seminat & metet. H. C. Ergo opera iusti non *quærunt panem*, hoc est verbum Dei, quia verbo Dei satiatus est, & quo intus revera vivit & pascitur. A. Loquitur enim hic Ecclesia quasi unus homo H. Vel David loquitur, qui parvulus fuit in malitia: senex in virtutibus.

Semen sunt opera hominis.

27 Tota die † miseretur & commodat:
† *Donat.*
Et semen illius in benedictione ⁝ erit ∴.

B H. *Omni tempore miseretur*, & à Domino *commodat*, qui aliis ministrat doctrinam suam. Et semen eius, opera quæ gessit, vel doctrina quam docuit, à Domino benedicentur.

28 ¶ Declina à malo & fac bonum: ¶ *Recede.*
Et inhabita in † sæculum ⁝ sæculi ∴.
† *Sempiterno.*

H. *Declina à malo*, id est, à malo opere, *& fac bonum* quod præcepit Deus. *Inhabita* in unitate fidei. C. *Sæculum* vero *sæculi*, signat æternum regnum, quod nullâ successione mutabitur.

29 Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos:
C In æternum † conservabuntur. † *Custoditi sunt.*

H. *Quia Dominus amat iudicium*, scilicet iustum: quo iustos impiósque discernit. *Et non derelinquet sanctos*, qui in eum tota spe confidunt, qui *conservabuntur in æternum*, hoc est, in perpetua vita.

30 ⁝ Iniusti punientur ∴:
Et semen impiorum peribit.

H. *Iniusti punientur* in vindicta. *Peribit semen*, hoc est opera eorum cum ipsis punientur in tormentis, & vanitas & delectatio in peccatis quæsitæ evanescent.

31 Iusti autem hæreditabunt terram:
Et inhabitabunt in sæculum ⁝ sæculi ∴ super eam.

Apoc. 21. H. *Iusti autem possidebunt terram* viventium. *Et inhabitabunt* illam, quæ est sine fine, de qua fugit dolor & gemitus.

D

32 Os iusti meditabitur sapientiam:
Et lingua eius loquetur iudicium.

Os iusti. H. *Os iusti meditabitur sapientiam*, id est, Christum. C. Per os enim cogitationes debemus hic accipere, quia sicut cor meditabitur sapientiam: ita lingua loquetur per cuncta iustitiam & iudicium. H. Hoc autem fiet, cum omnia mensuratè, & non fraudulenter, neque cum ira, sed iusto iudicio quæ de Deo sentit enarrat, quod erit in patria beatorum.

33 Lex Dei eius in corde ipsius:
⁝ Et ∴ non † supplantabuntur gressus eius. † *Deficient.*

Lex Dei eius. C. *Lex Dei eius*, hoc enim pronomen gratiam indicat Domini salvatoris. Nam cum sit omnium Deus, *ipsius* tamen propriè dicitur, quem liberare dignatus est. In corde *ipsius*, universum beati sensum tali bono signat completum esse, scilicet in eo quod cor consonat linguæ, ut lex Dei non solum in ore, sed etiam sit in corde, & omni sensu. *Huius gressus supplantare* nullus prævalebit. Supplantare enim dicimus plantis foveas prætendere, ne possit incedens firmum reperire vestigium, hoc nullatenus constat esse faciendum, ubi secura & æterna sunt omnia. A. Quia verbum Dei in corde custodit à laqueis: bonus custos, Christus in corde.

E Supplantare.

34 Considerat peccator iustum:
Et quærit ¶ mortificare eum. ¶ *Vt occidat eum.*

F H. *Considerat peccator iustum*, intuebatur enim populus Iudæorum iustum filium Dei, & stridebat in eum, *& quæsivit perdere eum*, quia gravis erat doctrina eius ad audiendum eis, & ipse etiam ad videndum. Sic & nunc inimicus considerat unumquemque nostrum ut perdat, sed si vigilanter resistas, evenit quod sequitur.

35 Dominus ⁝ autem ∴ non derelinquet eum in † manibus eius: † *Manu eius.*
Nec damnabit eum cum iudicabitur ⁝ illi ∴.

H. Sicut non dereliquit iustum Dominus in manibus Iudæorum, id est, in potestate eorum, ita quemlibet iustum *non derelinquet* in potestate peccatorum secundum animam, ut animæ noceant, id est, ut malis in malo consentiat. *Nec damnabit eum.* C. Id est, iustum, cum iudicabit impium: sed discretione meritorum, iustum suscipiet, impium debitâ pœnâ torquebit.

G

36 Expecta Dominum & custodi viam eius, & exaltabit te, ut ¶ hæreditate capias terram: ¶ *Possideas terram.*
Cum perierint peccatores videbis.

H. *Expecta Dominum*, id est, patienter age sive in prosperis seu in adversis. C. Qui *vias* Domini *custodit*, hoc est sacratissima præcepta. H. *Et exaltabit te, ut hæreditate capias terram* illam beatitudinis, in qua iusti exaltabuntur. C. Tunc iusti *videbunt peccatores perire*, quando conspecta fuerit pœnalis adversitas, & illis pereuntibus, se in summa beatitudine videbunt collocatos.

37 Vidi impium † superexaltatum:
Et elevatum sicut cedros Libani. † *Robustum & fortissimum sicut indigenam virentem.*

H C. *Vidisse impium* se dicit, *crevisse*, non ad honorem: sed potius ad ruinam. Et ne putares eum tantùm supra humiles erectum, addidit, *& elevatum sicut cedros Libani*: Cuius profectus in honore & divitiis & potestate ideò tantum extollitur, ut eius irremediabilis ruina monstretur. H. Hoc de diabolo fas est intelligi necnon & Iudâ. Et si de Iuda exponatur, sequens versiculus sic exponitur.

38 Et transivi & ecce non erat:
Quæsivi eum & non est inventus ⁝ locus eius ∴.

H. *Et transivi*, dicat hoc Apostolicus cœtus. Transivi tempore Passionis Iesu: & illo resurgente, *non erat* Iudas, quia abiit & laqueo se suspendit. *Quæsivi & non est inventus* scilicet ipsius impij *locus* Apostolicus, qui tantâ velocitate deficiebat. Sed dum de Iuda exponitur, per cedros Apostoli intelliguntur, & quando de diabolo, per cedros Angeli signantur. Dum verò de divitibus impiis vel potentibus exponitur (qui relicto Deo in divitiis mundi confidunt, qui quamlibet floreant, quamlibet extollantur & eleventur, non invenientur,

Impij, sicut Cedri sunt.

A tur, cum ab hoc mundo migraverint) tunc per cedros mali intelliguntur in hoc mundo elevati. Sicut enim cedrus super excelsos montes apparet exaltata, & impulsu ventorum sæpè dilabitur: ita & impius; locus impij impietas est.

39 Custodi ¶ innocentiam ¶ *Simplicitatem.* & vide † æquitatem:
Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. † *Rectum, quia erit ad extremum viro pax.*

H. *Custodi innocentiam*, si nullum noceas, & cum nullo litigiosus eris: *videbis* Christum qui *æquitas* intelligitur; sicut via & veritas & vita. C. *Reliquiæ sunt homini pacifico*, quando spes eius Domini remuneratione peragitur, id est, impletur quod speravit. Reliquiæ igitur sunt, quæ post mortem relinquuntur. A. Relinquit verò iustus post mortem memoriam iustitiæ suæ bonam, & Deus sibi relinquit præmia æterna. C. Pacificus vero dicitur, qui inter discordantes pacem facit.

Pacificus.

B

40 ¶ Iniusti autem disperibunt simul:
Reliquiæ impiorum interibunt. ¶ *Prævaricatores autem delebuntur pariter, & novissimum impiorum peribit.*

C. *Iusti autem*, &c. Nam sicut iusti post hanc vitam gratulantur, ita iniusti finita ista luce peribunt. *Reliquiæ* ut dictum est significant memoriam iustorum, quam in hoc mundo post obitum derelinquunt, hoc mereri impij nullatenus possunt, quoniam superveniente interitu, falsa laus & fragilis vita dissolvitur. A. Reliquiæ quoque eorum, id est, terrena interibunt omnia.

Reliquiæ iustorũ.

C

41 Salus autem iustorum à Domino:
!! Et ∴ ¶ protector eorum in tempore tribulationis. ¶ *Fortitudo.*

H. *Salus autem iustorum* à Domino venit, quia ipse est salus nostra. C. Tempus quidem tribulationis est duplex, nam hic tribulatio temporalis est, sed in iudicio extremo est æterna: illa igitur mala est, quia æterna quæ in die iudicij impiis venit. In hoc ergo *tempore tribulationis*, protector est Christus, quia ex ipsa eripit iustos.

42 Et adiuvabit eos Dominus, & liberabit eos, !! & ∴ eruet eos † à peccatoribus: † *Ab impiis.*
Et salvabit eos quia speraverunt in eo.

D

C. *Et adiuvabit eos*, id est, fideles famulos in hoc mundo adiuvat, quando contrariâ colluctatione fatigantur, *liberat*, dum fidem illorum non sinit pravâ suasione perverti. *Eruit* utique, dum in mundi istius contrarietate servat illæsos. *Quoniam speraverunt in eum*, id est, spem suam in Domini pietate posuerunt.

Oratio ex Psal. XXXVI.

BEatitudo omnium non incerta iustorum Deus, (qui sanctos tuos non derelinquis in fame, nec in stadio tribulationum superari permittis) precamur, ut eâ nos munias dexterâ, quam illis ne corruant, velociter porrigis præparatam. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psal. XXXVII.

C. Vox pœnitentis misericordiam benigni iudicis deprecantis, qui se corpore sauciatum & animo, amicorum exprobratione dicit esse confusum.

E

TT. † Psalmus David, in commemoratione !! de sabbato ∴. † *Canticum.*

C. Dicendo *in commemoratione*, hoc titulus ille pronuntiat, ut quia peccatum effugere non valemus, certè ipsum delictum in commemoratione semper habere debeamus, ut nos à futuris culpis Deo adiuvante temperemus. H. *Sabbatum* requies interpretatur, id est, quando requiescet Ecclesia in paradiso, quem perdidit Adam.

1 DOmine ne in † furore tuo arguas me: † *Ira.*
Neque in ¶ ira tua corripias me. ¶ *Furore.*

F

H. Totus iste psalmus ex persona pœnitentis est, sed & ad Christum referri potest, sicut & sexagesimus octavus. *Furor*, vindicta irrationabilis cum fellis amaritudine. *Ira* verò tantùm commotio animæ. Ideò iste pœnitens qui se peccatorem scit, non in ira, sed per misericordiam, nec in furore, sed per patientiam se argui postulat.

Furor. Ira.

2 Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi:
Et † confirmasti super me manum tuam. ¶ *Tetigit me manus tua.*

G

H. *Sagittæ*, verba doctrinæ sunt, quæ ut iaculum verberant cor pœnitentis, ut agat pœnitentiam. *Confirmasti, &c.* ut tanquam bonus magister, verberibus castigatum redderes emendatum.

Sagittæ verba doctrinæ.

3 Non est sanitas in carne mea à facie ¶ iræ tuæ: ¶ *Indignationis tuæ.*
Non est pax ossibus meis à facie † peccatorum meorum. † *Peccati mei.*

H. *Non est sanitas à facie iræ in carne mea*, id est, vidi faciem iræ tuæ, & non ipsam iram, hoc est, intellexi per scripturas sanctas, quanta minabaris peccatoribus, & extimui, petens ne ipsa ira super me descenderet. *Non est pax ossibus meis*, id est, nullam quietem indulsi vel ossibus vel membris meis, antequam pœnitendo mentem purgarem.

4 Quoniam iniquitates meæ ¶ supergressæ sunt caput meum: ¶ *Transierunt.*
Sicut onus grave † gravatæ sunt super me. † *Aggravatæ.*

H

C. *Iniquitates nostræ elevant se super caput* nostrum, quando amplius cumulantur, quam ratio quæ est caput mentis sufferre valeat: quam si iniquitas oppresserit, illa protinus victa succumbit. H. *Sicut onus grave*, quia non est leve onus peccati, sed omnibus debet esse grave, quia omnibus grave iudicij onus imponit.

Onus grave peccati.

5 Putruerunt & † corruptæ sunt cicatrices meæ: ¶ *Tabuerunt.*
A facie insipientiæ meæ.

H. *Computrescunt* mihi *& fætent* vulnera peccatorum, quousque in peccatis iaceo: & nunc desideranter quæro medicum per pœnitentiam. C. *Cicatrix* est dicta, quod in se vulnus celatum ostendat, significans occulta peccata. H. Quæ contingit hominem propter suam insipientiam celare. Cicatrix.

A

6 † Miser factus sum & curuatus som usque in finem :
Tota die cootristatus ingrediebar.
† *Afflictus sum & incurvatus sum nimis: tota die mærens ambulavi.*

H. *Miser factus sum*, usque dum confitendo purgarer, quia sine confusione & mœstitia non dimittuntur peccata. *Contristatus*, id est, indignum me existimans, vel ad cœlum oculos levare, sed pectus meum percutiens aiebam, Deus propitius esto mihi peccatori. *Luc. 18.*

7 Quoniam lumbi mei impleti suot ❡ illusiooibus: ❡ *Ignominia.*
Et noo est sanitas in carne mea.

B

Illusiones diabolicæ. H. *Illusionibus* illis confitetur se pœnitens *esse repletum* atque infirmatum, quibus diabolus humanum genus quotidie illicit & suadet, ut delinquat. Per *lumbos* voluptatem corporis designat titillantem, id est, carnis appetitum.

8 † Afflictus sum & humiliatus sum nimis:
† *Evigilavi: & afflictus sum nimis.*
Rugiebam à gemitu cordis mei.

Gemitus alius corporis, alius cordis. Rugire. H. *Afflictus sum & humiliatus* ad pœnitentiam *nimis*, *rugiebam*, petens remissionem cum luctu. Aliud est gemitus corporis, aliud cordis. Gemitus corporis, propter res terrenas; Gemitus cordis, propter sua peccata & aliorum. C. Rugire autem propriè belluarum est, leonum scilicet. A. Vel afflictus sum & humiliatus nimiis miseriis & calamitatibus propter peccatum, ideò rugio.

C

9 Domine ❡ ante te omne desiderium meum : ❡ *In conspectu tuo.*
Et gemitus meus à te ooo est abscooditus.

C. Tale fuit *desiderium* eius, ut *ante Deum* esse mereretur, ille enim gemitus non absconditur a Deo, qui pius est, & pro animæ liberatione persolvitur. Dictus est autem gemitus quasi geminatus luctus, quia fit pro exprimendo magno dolore.

10 Cor meum † conturbatum est, † *Fluctuabat.* dereliquit me ❡ virtus mea :
❡ *Fortitudo mea: & lax.*
Et lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.

D

C. Nunc venit ad gravissimos dolores animi, decursis corporeis ærumnis. Ideò *conturbatum esse suum cor* dicit, quia virtus eum deseruit; dicit ergo *dereliquit me virtus mea.* A. Quam habui ante peccatum. Cur verò virtus me dereliquit, quia *& lumen*, &c. Lumen oculorum suorum non esse secum narrat. H. Quia postposito veritatis lumine, in tenebras deciderat peccatorum.

11 ❡ Amici mei & proximi mei :
Adversum me appropinquaveruot & steteruot. ❡ *Chari mei & amici mei quasi contra lepram meam steterunt.*

A. Hactenus confessus est quæ patitur à se intus, nunc dicit quæ foris patitur ab his inter quos habitat. *Amici & proximi.* C. *Amici* sunt extranei sanguine, sed charitate coniuncti. Amicus enim dictus quasi animi æquus, id est, similis. *Proximi* sunt autem qui nobis parentela sociantur. H. Potest amicos & proximos de discipulis accipi, qui in passione Christi territi, in tantum à Domino recesserunt, ut ipse Petrus negaret. Exponant alij deinceps de pœnitente, ego ab illo passu usque ad finem, video dominum meum Iesum à iudæis circumdari.

E

12 † Et qui iuxta me erant de longè steterunt :
Et vim faciebant qui quærebant animam meam. † *Et vicini mei longè steterunt: & irruebant quærentes animam meam.*

H. *Steterunt de longè*, discipuli Christi, de quibus Evangelista ait, *Stabant noti eius à longè.* Sed *vim faciebant* iudæi. C. Vel diabolus cum ministris, qui quanto eum videbant in Dei amore persistere, tanto ei mortem animæ nitebantur inferre.

F

13 Et qui ioquirebaot mala mihi ❡ locuti sunt vaoitates : ❡ *Loquebantur insidias.*
Et dolos totâ die meditabantur.

H. Multos quidem dolos meditati sunt, cum interrogarent si deprehensa mulier lapidari debuisset, & si licet dare censum Cæsari, & similia facerent, sed tunc apertè dolum miserunt, cum falsos testes adducunt. *Loquuti sunt vana*, cum dicerent, *in Beelzebub eiicit dæmonia.* *Ioan 8. Matt. 22. Luc. 11.*

14 Ego autem tanquam surdus ooo audiebam :
Et sicut mutus oon aperiens os suum.

G

H. Semper quasi surdus sustulit Christus exprobationem iudæorum, & tanquam mutus dicente Pilato, *mihi non respondes?* C. Nihil potest esse fortius, nihil egregius quam audire noxia, & non respondere contraria. *Ioan. 19.*

15 Et † factos sum sicut homo non audiens : † *Eram.*
Et noo habens in ore suo redargutiones.

H. Sic tacuit Christus accusatus à iudæis quasi non haberet, quid pro se respondere deberet, exemplum tribuens homini, ut flagella pro Deo, patienter portare debeat, ideò non redarguit se iniustè increpantes.

16 ❡ Quooiam in te domine speravi : ❡ *Te enim domine expectabam.*
Tu exaudies me : Domine Deus meus.

H

C. Ideò petitionem suam exaudiendam dicit, quia se in Deum sperasse confidit, talis sanctorum voluntas, tale fixâ mente consilium, ut non emolumento aliquo præsentis temporis, sed tantum dilectione Dei capiantur.

17 Quia dixi ❡ nequando supergaudeant mihi inimici mei :
Et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti suot. ❡ *Ne fortè insultent mihi: Et cum vacillaverint pedes mei, super me magnificentur.*

H. Insultarent inimici Christo gaudentes, si in passione humiliatus non surrexisset. *Pedes* dicuntur *commoveri*, id est, Apostoli de fide ad infidelitatem commoti. *Magna locuti sunt* Iudæi dicentes, *si filius Dei es, descende de cruce.* *Mat. 27.*

18 Quoniam

A 18 Quoniam ego † in flagella paratus sum: † *Ad plagas.*

Et dolor meus ¶ in conspectu meo semper. ¶ *Contra me est semper.*

H. *Paratus est* Christus *ad flagella* sustinenda, crucem, lanceam, fel, acetum, ut per hanc mortem suo sancto sanguine, pereuntem populum liberaret. *Et dolor meus*, quasi dolere Christum dictum est, donec eiiceret suam victoriam in iudicium contra Iudæos.

19 Quoniam iniquitatem meam † annuntiabo: † *Annuntio.*

Et ∴ ¶ cogitabo pro peccato meo. † *Sollicitus ero.*

B H. *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo*, id est, sicut maledictio erueret, ita & peccatorem se profitetur, qui peccata nostra portabat. *Et cogitabo* Cogitabat enim ut clementi cogitatu humani generis delicta, quæ sibi computavit, in semetipso purgaret. *Gal. 3.*

20 Inimici autem mei vivent † & confirmati sunt super me ∴ : † *Viventes confortati sunt.*

Et multiplicati sunt qui oderūnt me ¶ inique. ¶ *Mendaciter.*

H. *Vivent inimici eius*, quia non sunt statim divinâ ultione puniti. *Confirmati sunt* in legis litera, at spiritualiter nuntiatum non intellexerunt. C. Vel confirmati sunt in malitia. *Multiplicati sunt* in amplitudine seminis, *qui oderunt* Christum *inique*. H. Et certè non rationabiliter sed inique oderunt, qui in hac litera semen suum, ceu astra cœli, multiplicari credebant. C

21 ¶ Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi: ¶ *Et qui reddunt malum, pro bono adversabantur mihi.*

Quoniam sequebar † bonitatem. † *Bonum.*

H. *Retribuebant mala pro bonis*, quia afferentem dulcedinem vitæ æternæ, aceto potaverunt & felle. *Detrahebant mihi* dicentes: *alios salvos fecit, seipsum non potest. Quoniam sequebar bonitatem*, ut implens voluntatem patris, pro vita populi susciperem mortem.

22 ¶ Non derelinquas me domine: ¶ *Ne.*

Deus meus ne † discesseris à me. † *Elongeris à me.*

D H. *Non derelinquas me*, inquit Christus, cum penetravero profunda Inferni. C. Vel hoc petit pœnitens, ut conversus non relinquatur à Deo iterum peccare. Nec etiam *à me discedas*, quia necesse est, abeunte rectissimâ viâ semper errare.

23 ¶ Intende in adiutorium meum: ¶ *Festina in auxilium meum.*

Domine Deus ∴ salutis meæ.

H. *Intende* ergo dicit *in adiutorium*. Quia graves sunt pugnæ carnis, tu intende in adiutorium meum, & esto nobis salus in tempore tribulationis. C. Ecce regula pœnitentis impleta est, qui gratiâ Dei se salvatum exultat.

Oratio ex Psal. XXXVII.

E*Mitte salutare tuum in infirmitatibus nostris, vulnerum cicatricumque mortalium potentissime medicator: ut omnem gemitum dolorémque nostrum coram te deplorantes, valeamus evincere insultationes adversantium vitiorum. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.* E

Argumentum Psal. XXXVIII.

C. Vox iusti contra inimicos utiliter tacentis, & petentis cognoscere vitæ suæ finem, si fortè incarnationem domini intueri possit: petentisque sibi noxia delicta dimitti.

TT. ¶ In finem pro Idithum, canticum David. † *Pro victoria Idithum Psal. David.*

F C. *In finem* quid significet, iam notum est. *Idithum* Hebræum nomen est, quod Latinè dicitur transilitor, signans eum qui mundi istius varicata vitia sua puritate transcendit. *Canticum* verò humanæ vocis divina laus: lætantis est, quandóque & dolentis, nunquam vero pœnitentis. *Idithū. Canticū.*

1 DIxi custodiam vias meas:

† Vt non delinquam in lingua mea. † *Ne peccem.*

C. *Dixi*, hoc est, apud me in corde meo deliberavi, *custodiam vias*, non dicit à criminibus, quia iam sanctus erat, sed à superfluis verbis, quæ raro potest vitare vel continens, facilius enim culpa tacendo refugitur quam loquendo. H. Vias verò dicit, actiones & verba. *Feria Tertia Nocturnus.* G

2 ¶ Posui ori meo custodiam:

Cum consisteret peccator adversum me. ¶ *Custodiam os meum silentio, donec est impius contra me.*

C. Dicitur os esse ostium linguæ, & benè illa clausa salvabitur si eius ianua custoditur. *Dum consistit peccator*. H. Id est, diabolus, qui instigator est eorum qui sanctis insidiantur. *Os, linguæ ostium.*

3 Obmutui † & humiliatus, sum & silui à bonis: † *Silentio tacui de bono.*

Et dolor meus ¶ renovatus est. ¶ *Conturbatus est.*

H. Obmutui, ne cum litigantibus mecum litigarem. A. Silui verò à bonis annuntiandis, propter calumniatores verborum meorum. C. *Humiliatus* autem significat humi prostratum contra eorum improperia siluisse. *Silui à bonis*, quia malorum mos est, quamvis nova audiant, nullatenus acquiescant. *Dolor eius renovatus est*, id est, dolor pietatis, quo bona tacuit malis auditoribus. A. Dolor enim qui fuit in loquendo, à quo quievit silendo, renovatus est ex silentio, quo negavit conservis cibaria vitæ & verbum Dei. H *Silui à bonis.*

4 Concaluit cor meum † intra me. † *In medio mei.*

Et in meditatione mea † exardescet ignis. ¶ *Incensus sum igne.*

C. *Concaluit* (dixit) *cor meum*, id est, ab omni parte succensum est. H. A. recordatione delictorum propriorum. C. *Intra me*: in homine interiore, ubi ratio tacitè loquitur. *Et in meditatione mea.* H. Quid meditaris? Istud inquam qualiter illum ignem reperire possim, scilicet S. Spiritūs qui peccata consumit

A & illuminat mentem. A. Vel quia vidi ex omni parte pericu a, & loquendo tacenda, & tacendo loquenda, cœp it cor meum inquietum esse : & calore fervere divino.

5 Locutus sum in lingua mea :
† Notum fac mihi domine finem meum.
† *Ostende.*

C. Proclamavit propheta conscientiæ linguâ veraci domino, qui siluerat prius dolosis inimicis. Petit ergo meditatione æternorum accensus, ut *finem suum noverit*, id est, salvatorem. Ipse enim noster finis est, ad quem pervenisse vita est. H. Non enim istius vitæ finem quærit sibi notum fieri propheta, sed illum, in quo destructâ morte Christo iungatur.

Finis noster christus.

6 Et ¶ numerum dierum meorum quis est :
¶ *Mensuram.*
Vt sciam quid desit mihi.

B C. Deinde desiderat propheta scire *numerum dierum*, id est, ut evidentius appareret, si Christi conspectum corporeis oculis mereretur aspicere. Addidit, *ut sciam quid desit mihi.* Revera deesse sibi indicabat ad vitam, si eius non meruisset videre præsentiam. H. Quòd autem non de suis diebus hæc loquatur, sequentia docent.

7 Ecce † mensurabiles posuisti dies meos :
† *Breves.*
Et ¶ substantia mea tanquam nihilum ante te. ¶ *Vita mea quasi non sit in conspectu tuo.*

C Ioan 8. Ps. 117. Tanquam nihilum ante te.

H. Secundum veterem hominem, usque nunc *fuerunt dies mensurabiles*, hoc est sub iugo peccati. Nunc novo desiderio unum æternum immensurabilem diem appeto, quem Abraham vidit & gavisus est, in quo alibi hortamur lætari, in quo Deus dominus illuxit nobis. C. Merito *substantiam suam* dicit *nihil esse ante Deum*, quæ Adam peccante damnata est, cui nisi aliquid divinitas contulerit, de propria substantia non habet quod præsumat. A. Dicit verò *ante te*, id est, in comparatione ad tuam substantiam : vel ante cognitionem tuam, & in cognitione & illuminatione tua. Ante homines enim aliquid videtur, sed ante te, tanquam nihil in comparatione æternitatis.

8 † Veruntamen universa vanitas : † *Omnia enim vanitas.*
Omnis homo ¶ vivens. ¶ *Stans semper.*
Diapsalma.

D Vanitas.

C. Vanitas enim (sicut sæpè diximus) mutabilitatem significat, quam omnis homo præter Christum sustinet qui hac carne vestitus est. Intellige vero non mutationem corporis, quam etiam Christus sustinuit, sed mentis instabilitatem.

9 † Veruntamen in imagine pertransit homo :
Sed & frustra conturbatur. † *Tantum in imagine ambulat homo tantum frustra conturbatur.*

Imago Dei. Gen. 1.

C. *Veruntamen in imagine pertransit homo.* Imago Dei est illa conditio, quam homo suscepit, quando dictum est, *faciamus hominem ad imaginem nostram.* Et benè dixit, *frustra conturbatur*, quia puritatem mentis perdunt, qui desideriis temporalibus occupantur, hoc est enim conturbari, à puritate mentis in actibus seculi deduci : & hoc frustra, quia sine utilitate, immo cum damno animæ.

E

10 ¶ Thesaurizat : ¶ *Congregat.*
Et ignorat cui † congregabit ea. † *Dimittat ea.*

Sæpè enim plerique thesaurizant & congregant multa, quæ aut desidia filiorum perdit, aut fiscus occupat, aut diripiunt alieni. Beatus autem est ille qui ibi thesaurizat, ubi audire mereatur, quandiu fecistis uni ex minimis istis mihi fecistis. Vbi fures non furantur nec effodiunt.

Mat. 25. Ibid. 6.

11 ¶ Et nunc quæ est expectatio mea, nonne Dominus ?
Et substantia mea apud te est. ¶ *Nunc Ergo quid expecto Domine ? præstolatio mea tu es.*

F Substantia mea apud te est.

C. *Et nunc quæ est expectatio mea ? nonne dominus?* pronuntians sibi esse expectationem dominum Christum, nec in caducis desideriis aliam habere se præsumptionem, nisi illum solum. *Substantia*, in bonam partem dicit, quæ apud Christum esse memoratur, vbi nihil est nisi perfectum. A. C. Dicit vero substantiam non ab Adam contractam, aut temporalium rerum, sed bonæ conscientiæ possessionem : illa apud Deum est, apud homines non est, quia ab eis non videtur.

12 Ab omnibus iniquitatibus meis † erue me : † *Libera me.*
Opprobrium ¶ insipienti dedisti me.
¶ *Stulto ne ponas me.*

G

H. Petit se *eruere ab iniquitatibus* præteritis præsentibus & futuris. C. Sanctus enim vir *opprobrium erat stultis*, quia sibi dissimilem respuebant. Sola enim ea scelerati laudant, quæ videntur habere communia. A. Quia omnia quæ hic homines cupiunt dico vana, & ignorare avaros cui congregent & thesaurizent. Derideor ab eis, & facis me opprobrium insipienti avaro. Et quamquam me sic delirare diceret, tamen *obmutui.*

13 Obmutui / : & ∴ non † aperui os meum, quoniam tu fecisti : † *Aperiam.*
¶ Amove à me plagas tuas. ¶ *Tolle.*

Plagæ.

C. *Obmutui* : scilicet in salubri silentio, quod cœlestis largitas concessit. *Quoniam tu fecisti*, ipse utique fecit, qui patientiæ dona dedit. *Plagæ* sunt correptiones, quibus pro nostris peccatis verberamur, ipsas desiderat sanctus vir à se amoveri, quæ culpis debebantur commissis.

14 A † fortitudine † *Contentione* manûs tuæ ego ¶ defeci : ¶ *Consumptus sum.*
In increpationibus † propter iniquitatem † *Pro iniquitate* corripuisti ¶ hominem. ¶ *Virum.*

H 2. Cor. 12.

C. Fortis enim manus graviter flagellat, & necesse erat illum deficere, quem manus excelsa percuteret. H. Incumbente etiam manu vindictæ, virtus delicti deficit, ut Paulus ait Apostolus. Cum infirmor tunc potens sum. Increpatur omnis homo propter iniquitatem, quem perdere non vult divina maiestas.

15 † Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius : † *Et posuisti quasi tineam desiderabilia eius.*
Veruntamen ¶ vanè : / conturbatur ∴ omnis homo. ¶ *Vanitas omnis homo semper.* Diapsalma.

A Tabescere.

H. *Tabescit anima*, cum caro luxuriis & concupiscentiis refrenatur. Est enim tabescere, obstupescere de anterioribus delictis. Ille vero qui ea agit, quæ mundanæ vanitatis sunt, telas texit araneæ, hoc est die noctuque in opere vano vacat, & non utilia, sed dissolubilia & corruptibilia operatur Sed quia propheta animam ceu araneam tabescere dicit, hoc est intelligendum, ut ad tantam subtilitatem afflicti anima vigiliis & obsecrationibus per abstinentiam decoquatur, ut instar filorum illorum deducatur, scilicet ut nihil crassum durumve peccati contineat. Veruntamen vanè & qui vanitatibus vivit, vana est ei & non utilis hæc mundana conturbatio. Sed & qui in Deo vivit, vana est ei & non utilis hæc mundana conturbatio.

B

16 :: Ex ∴ audi orationem meam domine
& † deprecationem meam:
Auribus percipe lachrymas meas.
17 Ne sileas, quoniam advena ego sum
apud te: † *Clamorem meum exaudi: ad lachrymam meam ne obsurdescas, quia advena, &c.*
Et peregrinus sicut omnes patres mei.

Oratio. Deprecatio. Lachrymæ.

C. Prius itaque orationem dixit, post deprecationem. Oratio est oris ratio, quam proni referimus, vota nostra pandentes. Deprecatio est frequens & assidua supplicatio, quæ ab imò pectoris profertur arcano. Addidit *lachrymas*, quæ violentæ sunt semper in precibus, & ad clementiam medicinalem adducunt animum miserantis.

Incola. 2. Cor. 5. C Peregrinus.

C. *Ne sileas* dixit, id est, audiam te dicentem, *dimissa sunt tibi peccata.* Advena vero dicitur qui terram colit alienam ad tempus, sicut omnes sancti in istu sæculo constituti. H. Quia illi, dum erant in corpore, peregrinabantur à domino. C. omnes enim à divina civitate nos peccatum fecit extraneos, & in ista regione tenuit captivos. Omnis etiam qui recipitur in æternam beatitudinem, peregrinus dicitur, quia incipit esse ubi non erat. *Peregrinus* dicitur quasi pergens longiùs. A. vel peregrinus dicitur hic vivens, quia etiam apud Deum est in fide & charitate. C. Addit *omnes*, ne quis ab hac conditione putaretur exceptus.

18 † Remitte mihi ut refrigerer priusquam
abeam:
Et amplius non ero. † *Parce mihi ut redeam, antequam vadam & non subsistam.*

C. Merito ergo *se refrigerari* de securitate regni cœlestis petebat, qui tanti desiderij calore flagrabat. Addidit *priusquam abeam*, id est, antequam de ista luce discedam. *Amplius non ero*, scilicet in hoc mundo, vel non ero post mortem, si hic desinas subvenire, quia non est esse, in æternis afflictionibus permanere. Merito ergo dicebat se non esse, si se non intellexisset non habere cum electis portionem. A. Quia illi soli sunt, qui immutabiliter in Deo beati sunt. Qui igitur in inferno sunt, in comparatione illius esse non sunt, quia in æterna corruptione & dolore non finiendo sunt.

D

Oratio ex Psal. XXXVIII.

CVstodi domine viam nostram, ne delinquamus in lingua, ut in meditationibus nostris spiritali igniculo ardescentes, ea thesaurizemus in sæculo, quæ te tribuente capiamus in cælo. Per Dominum nostrum Iesum, &c.

Argumentum Psal. XXXIX.

E

C. *Vox Ecclesiæ gratias agentis, quia de mœrore mundi liberata est: ipseque dominus sanctam incarnationem & iustitiam suæ prædicationis exponens, patris auxilium deprecatur.*

TT. ¶ In finem psalmus David. ¶ *Pro victoria.*

C. Sæpe diximus per finem, & David Christum Dominum significari, cui psalmus iste aptandus est.

F

1 EXpectans expectavi dominum:
Et † intendit mihi: † *Inclinatus est ad me.*

H. *Expectans*, vox Ecclesiæ dicit, se *expectare dominum* in promissionibus prophetarum, quia prævidebat propheta per spiritum sanctum, Christum venturum in carne. H. *Et intendit mihi*, per splendorem Evangelij, in quo me illuminavit.

2 Et :: ex ∴ audivit ¶ preces meas: *Clamorem meum.*
Et eduxit me de lacu † miseriæ: † *Sonitus.* & de luto ¶ fecis. ¶ *Cœni.*

G

Lutum fecis.

H. *Et exaudivit preces meas*, quia ipse mihi in novo testamento refulsit. *Et eduxit me de lacu*, in quo immersa eram, cum simulachra muta adorarem. *Et de luto fecis*, C. Nam sicut lutum laci fœtidum est atque grave, ita & hominum delicta limosa sunt & fœtoribus horrescunt. H. Vnde de luto fecis, id est, terrenis desideriis. Vel lacus, profundum infidelitatis, lutum desideria carnalia.

3 Et statuit supra petram pedes meos:
:: Et ∴ † direxit gressus meos. † *Stabilivit.*

Pedes supra petram posui.

H. *Statuit supra petram*, id est, super Christum *Pedes meos*, sensus meos. *Et direxit gressus meos*, id est, sensus bonorum operum dirigit Ecclesiæ, quia unusquisque per se tortuosus est, nisi dirigatur à Christo. Direxit igitur gressus meos, ne ad eum veniens, post tergum respicerem ad terrena quæ reliquissem. Vel pedes, affectus, gressus opera sunt.

4 ¶ Et immisit in os meum canticum novum: ¶ *Dedit in ore meo.*
† Carmen Deo nostro. † *Laudem Canticum novum.*

H

H. *Et immisit in os meum canticum novum* Laudem utique suam, quia novus homo venit in mundum, & novam legem dedit mundo. *Carmen.* C. Id est, laudem carminum lege compositam, *Deo nostro.* H. Vt jam non sonos turpes & theatrales concinam, sed in Dei viventis hymnis per harmoniam novi testamenti delecter.

5 Videbunt multi & timebunt:
Et sperabunt in domino.

H. *Videbunt multi* annuntiatum venisse, & multa mirabilia fecisse, *& timebunt*, quia se intelligent peccatores: *Et sperabunt*, ut eis pristina delicta remittantur.

A

6 Bearus vir ❡ cujus est nomeo domini spes ejus.
Et oon respexit in vanitates & insaoias falsas. ❡ *Qui ponit in dominum confidentiam suam non est aversus ad superbias pompasque mendacy.*

H. *Beatus vir*, fœlix illa anima quæ habet firmam fidem, & spem directam in Christo. C. Spes enim dicta est, quasi stabilis pes. Ille enim habet spem nominis Dei firmam, qui solum dominum avidus concupiscit, non temporalia *Vanitas* est à sancta religione, subitâ varietate mutare. *Insania falsa sunt*, saxis Deum formasse, dictæ insaniæ, quia mentem fallunt H. Et omnia pro quibus homines insaniunt ut peccent, quæ nominat Apostolus opera carois, insaniæ falsæ sunt, quia fallunt.

Insaniæ falsæ.

Gal.5.

B

7 Multa fecisti tu domioe Deus meus mirabilia tua :
Et † cogitationibus tuis oon est qui similis sit tibi.
8 Anouociavi & locutus sum : † *Cogitationes tuas pro nobis : Non invento ordinem coram te, si narrare voluero, & numerare, plura sunt quam ut narrari queant.*
Multiplicati suot super numerum.

Multa fecisti (narrat propheta divina miracula) id est, ostendisti patribus nostris mirabilia multa. *Non est qui similis sit tibi.* C. Nunquid tale est, ignitis facibus in theatro lodere, qoale fit in camino ignis tribus pueris ambulasse ? A. prospicis in fune ambulantem quasi mira facientem : attende Petrum nostrum non funiambulum, sed ut ita dicam mariambulum. Hæc miracula fecit Deus, ipsa intuere oculo fidei, non est qui similis sit ei.

C

H. Hujusque credeotium pupulus locutus est, hinc ipse dominus ad patrem ita exorsus est. *Annuntiavi*: dicens, *pœnitentiam agite.* C. *Locutus sum*, scilicet cum inter nos conversatus Evangelizavit. *Multiplicati sunt super numerum.* A. Iudæi in malitia sua foris oomerum sunt, quia non sunt digni numerari in oumero justorum H. A. C. Vel peccatores qoicunque damnandi etiam Christiani, dicti sunt super numerum salvandorum, id est, extra.

Dan.3. *Iean.11.* *Matth.3.* Iudæi extra numerum sunt.

9 ❡ Sacrificium & oblationem noluisti:
Aures ÷ autem ∴ persecisti mihi. ❡ *Victimam & oblationem non voluisti, aures fodisti mihi.*

H. Dicit *noluisse* patrem *sacrificium*, quia veniente domino, cessabant sacrificia judæorum. *Aures autem perfecisti* mihi, id est, ad obediendum patri. C. Vel sanctam incarnationem ejus sigoificat, in qua patri obediens fuit usque ad mortem, & in qua sacrificium & oblationem & holocaustum patri acceptum pro peccatis omnium obtulit.

D

10 Holocaustum & pro peccato non postulasti :
Tuoc dixi , ecce venio.

H. *Holocaustum* autem *pro peccato* non tibi placuit, nisi memetipsum pro totius mundi delicto tibi sacrificium exhiberes. *Tunc dixi, ecce venio*, id est, assumam carnem in qua patiar.

11 In † capite libri † *Volumine libri.* scriptum est de me ut facerem ❡ voluntatem tuam. ❡ *Placitum tibi.*

E

Deus meus volui, & legem tuam in medio † cordis mei. † *Ventris mei.*

H. A. C. *In capite libri scriptum est de me.* In libro isto psalmorum, io capite se dicit esse scriptum, cum dicitur, *beatus vir qui non abiit*, &c. Vel in Evangelio, *In principio erat verbum.* Vel in capite libri veteris testamenti, ubi dicitur. A. *In principio*, id est, filio *creavit Deus*, &c. Voluntatem patris fecit, quando descendit de cœlo. *Volui* : ut pro vita omnium mortem sustineam. C. Lex divina in medio cordis ipsius fuit, dum io lege domini meditabatur die ac oocte.

In capite libri.

12 Annuntiavi justitiam ÷ tuam ∴ in Ecclesia ❡ magoa : ❡ *Multa.*
Ecce labia mea oon prohibebo, domine tu † scisti. † *Nosti.*

F

C. Bene *annuntiavit* justitiam dicens. *Non sic impii non sic. In Ecclesia magna*, id est, in toto mundo diffusa. Non *prohibuit labia sua*, quia oon destitit prædicando admonere populum perfidorum : in qua parte testem Patrem invocat, quia nulla pericula timuit. H. Labia quoque Christi, sancti sunt : non prohibet illos prædicare, sicut sanctus Paulus dicit, *verbum Dei non est alligatum.*

Sancti sunt labia Christi.

2.Tim.2.

13 Iustitam tuam non abscondi in ❡ corde meo : ❡ *Medio cordis mei : fidem tuam.*
Veritatem tuam & salotare tuum dixi:

C. Iusti voluntas, est cum potest prodesse, non abscondere veritatem : quod dominus salvator fecit, quoniam turbas increpabat, arguebat incredulos. H. *Veritatem tuam dixi*, quod verax es. *Et salutare*, quod salus es omnium.

14 Non abscondi misericordiam tuam & veritatem toam :
† A concilio multo. † *In Ecclesia multa.*

G

C. *Non abscondit misericordiam* patris cum dixit, *si cum vos sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester cœlestis ?* H. Veritas & salutaris Christus est, quem prædicant sancti. C. In congregatione quoque densissima veritatem dixit Christus, quando Esaiæ librum accipiens & legens dixit. *Hodie impleta est hæc scriptura.*

Luc.11.

Luc.4.

15 Tu ÷ autem ∴ domine ❡ ne longè facias miserationes tuas à me : ❡ *Non prohibebis.*
Misericordia tua & veritas tua semper † susceperuot me. † *Servabunt me.*

C. Narratis sanctis operibus, ad passionis suæ gloriam redit, ubi merito patrem precatur, *ne longè* ab eo *faciat misericordias suas. Misericordia tua*, &c. Misericordia enim fuit, ut humanam naturam vitio sauciatam prævaricationis, suâ incarnatione salvaret. Veritas, ut resurrectionis beneficio sederet ad dexteram patris. *Susceperunt me*, scilicet ad glorificandum.

H

16 Quoniam circumdederunt me mala quorum ooo est oumerus :
Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ❡ ut viderem. ❡ *Videre.*

C. Dicit de membris suis quorum ipse caput est, *se circumdedisse mala*, ut se pati profiteretur, id quod turba fidelium sustinebat : *nec esse numerum*, scilicet apud homines. Addit *comprehendere se iniquitates*, dominus enim salvator nec mala perpetravit, nec iniqui-

Cōprehenderunt me iniquitates meæ.

A tatibus patdit, sed hoc à parte membrorum dixit, à qu:bus talia sostiserentut. Pietatis enim nostri capitis fuit, ut qui de se multa dixerat, de fidelibus faceret mentionem. H. Comprehenderunt humanum genus iniquitates, id est, originale peccatum, ex qoo pullularunt iniquitates. *Et non potui ut viderem*, quia lux veritatis fuit abstracta.

17 † Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: † *Plurés factæ sunt quam capilli capitis mei.*
Er cor meum dereliquit me.

H. *Multiplicata est* ipsa iniquitas *super capillos*, id est, soper genus humanum. C. *Cor nos verò derelinquit*, quando peccatis homo æger profutura non appetit. H. Vel quando homo peccat cor suum non habet, ut cum David dixit. *Invenit servus tuus cor suum.* (2. Reg 7.)

B

18 Complaceat tibi domine ut ¶ eruas mei ¶ *Liberet.*
Domine ad adjuvandum me † respice. † *Festina.*

C. *Complaceat*, id est, comiter placeat, concordia hic trinitatis ostenditur. Nam quod placet patri, hoc filio, hoc & spiritui sancto. Addit, *tibi*, ut sanctam trinitatem unum Deum esse cognosceres. *Domine ad adjuvandum me* respice, ot intelligamus conspectum ejus nostrum præsidium esse, aliter enim liberari non possumus nisi nos divinitas clementer respiciat.

19 Confundantur & revereaotor simul.
Qui quærunt animam meam ut auferaot eam.

C

C. *Confundantur* dixit, id est, mirabilium consideratione turbentur. *Et revereantur*, hoc est resurrectionis gloria corrigantur, ut illum confiteantur Deum, quem dudum putaverunt occisum. *Simul*, id est, quot persequebantur Christum. *Qui quærunt animam*: ad mortem, *ut auferant eam*, id est, qui contendunt à corpore meo segregare eam in mortem.

20 Coovertantur retrorsum & ¶ revertantur: ¶ *Confundantur.*
Qui volunt mihi mala.

C. Vox Christi *Retrorsum* hic in bonam partem dicit, ot redeant in bonum. H. Qui malum cursum habuerunt. *Qui cogitant mala mihi.* C. Significat judæorum improbas voluntates, quæ malæ, non erant domino, sed suis auctoribus. Cogitatio, dicta à cogitando seu cogendo: A. Non solum qui dicunt ot faciunt, sed etiam *qui volunt mihi mala*: humiles sequantur me qui superbè præibant. (Cogitatio.)

D

21 † Ferant confestim confusionem suam: † *Pereant post confusionem suam.*
Qui dicunt mihi ¶ euge euge. ¶ *Vah vah.*

C. *Ferant* dixit, quasi pondus immensum: *confestim* ut peccare ceperint, ne longius progrediendo peccatis periculosius graventur. *Confusionem suam*, id est, cogitationem pravam, veritate convictam. Qui dicunt mihi *euge*: hoc falsos arguit laudatores, qui adulando plus nitontur decipere quam possunt vituperationibus sanciare. H. Duas quippe hostes habet Ecclesia, adulationes & blasphemationes. A. Doo enim genera hostium maxime cavenda sunt, scilicet qui bona dicunt malo animo, de quibus dixi supra, *qui volunt mihi mala*, & qui mala dicunt dolose laudando, de quibus hic. (Duo genera hostium.)

E

22 ¶ Exultent ¶ *Gaudeant.* & lætentur † super te omoes quærentes te. † *In te.*
÷ Et ∴ dicant semper, magnificetur dominus, qui diligunt salutare tuom.

C. *Exultent*, scilicet justi, *& lætentur* in gaudio æterno. *Super te.* H. Id est, in Christo. C. *Quærentes te*, id est, qui te spiritali charitate perquirunt. H. *Magnificetur dominus* in membris, magnificetur populus sanctorum, glorificetur in eis Deus. Vnde dixit, *videant opera vestra bona, & glorificent patrem in cælis* (Matt. 5.) A. Isti igitur qui Christum diligunt, salutare nostrum, semper dicant: non euge euge ut mali, me laudando, sed patrem magnificando in me.

23 Ego autem ¶ meodicus sum & pauper: ¶ *Et egenus.*
Domious sollicitus † est mei. † *Erit pro me.*

F

H. Egenus dicitur, qoi aliquid habet & aliquo indiget: pauper qoi nihil habet: Inops, id est, sine ope. C. Pauper dictus dominus de nostro; dives de suo, qui ideo indigentiam humanitatis assumpsit, ut abundantiæ suæ nos diceret esse participes. Sed vide pauperum consolationem, *dominus sollicitus est* pro eis, securi sunt. (Egenus Pauper Inops.)

24 ¶ Adjutor meus & protector meus es tu: ¶ *Auxilium meum & salutare meum tu es.*
Deus meus oe † tardaveris. † *Moreris.*

C. *Adiutor & protector*: cum dicit, ostendit patientiam diversarum passionum, unde & ipsa psalmi fecit initium, qui & eodem fine concluditur, quapropter totus virtuti patientiæ merito deputatur.

G

Oratio ex Psal. XXXIX.

Expectatio cunctorum unica famulorum Deus, quem venturum in mundum caput libri principalis edocuit: insere precamur legem tuam in medio cordis nostri, ut tuas iustitias nuntiantes, ab imminentibus periculis eruamur. Qui cum patre, &c.

Argumentum Psal. XL.

C. *Vox prophetæ beatum prædicantis eleemosynæ largitorem, & de passione ac resurrectione Christi.*

TT. ¶ In fioem psalmus David. † *Pro victoria.*

H

C. Titulus iste jam notissimus est, sed magnificat hunc psalmum quod in quadtagenario numero noscitur collocatus: qui calculus emundationi & purificationi frequenter aptatur. (Numerus quadragenarius.)

1 BEatos qui † intelligit super egenum ÷ & pauperem ∴ : † *Cogitat de paupere.*
In die mala liberabit eum domious.

A. C. *Beatus qui intelligit*, id est, ut etiam non petentibus pauperibus offeratur eleemosyna. Nam qui petenti tribuit, bonum opus efficit, qui vero tacentem pauperem intelligit, beatitudinem sine dubitatione conquirit. Quem *dominus liberabit in die malo*, id est, in die judicij, qui malus dies dicitur malis, quia peccatoribus tunc debita pœna persolvetur. (Intelligere super egenum. Dies malæ, dies judicij.)

A

2 Dominus ¶ conservet eum & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra: ¶ *Custodiet.*
Et non † tradat eum in animam inimicorum ejus. † *Tradet eum in animas inimicorum suorum.*

C. *Conservet* dixit, id est, inter mala sæculi perire non sinat, sed ad suam gratiam perducat. *Vivi* proprie dicuntur, qui se à Christiana fide non dividunt. *Et beatum faciat*, utique in resurrectione, cum eum in dextera collocabit, & in patriam beatorum admittet. H. *Et non tradat in manus* vel *animam*, id est, in potestatem diaboli qui credulitati nostræ semper inimicus exiltit. A. H. Vel in terra, id est, Ecclesia vel etiam hic viventem in spe.

B

3 Dominus ¶ opem ferat illi super lectum doloris ejus:
Vniversum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. ¶ *Confortabit eum in lecto infirmitatis: totum stratum eius vertisti in agrotatione sua.*

H. *Opem ferat illi*, hoc est adjutorium præstet illi, *in lecto doloris*, id est, in infirmitate carnis; qui in delectatione sua quasi quodam lectulo sauciatur. *Stratum eius*, corpus hic pro stratu accipitur, C. Quod hic diversis calamitatibus *versasti*, inquietasti & afflixisti, ut æternæ beatitudinis requiem consequatur, sicut factum est in Iob.

4 Ego dixi domine miserere mei:
C Sana animam meam quia peccavi tibi.

C. Exclamat propheta piè trepidus, ut ipse misericordiam domini consequatur. Sana animam, omne enim peccatum morbus est animarum, quo crescente salus interioris hominis dissipatur. H. Vel hic propheta immutat ordinem, & deinceps in persona Christi loquitur, qui animam populi sui sanari à peccatu petit.

5 Inimici mei † dixerunt mala mihi: † *Loquentur malum.*
Quandu morietur & peribit nomen ejus.

C. *Inimici* vero *dixerunt mala* in passione Christi, quando falsa locuti sunt. Necesse enim erat ut impij mendacia cogitarent, qui diabolo auctore fremuerunt. *Quando morietur*, verba sont dementium Iudæorum: Ioan. 11. ut cum Caiphas ait: *Expedit ut unus moriatur pro populo. Periit nomen eius*, sed ipsis utique qui ei credere
D noluerunt.

6 Et si ¶ ingrediebatur ut videret, vana loquebatur.
Cor ejus congregavit iniquitatem sibi. ¶ *Veuerit, ut visitet, vana loquetur cor eius: congregabit.*

C. Tempus illud dominicæ passionis exponit, quando Iudas non ad venerandum dominum, sed ad prodendum dolosus intrabat. *Vana loquebatur* populus judæorum, quando de illius morte crudeliter tractavit. H. Congregavit cor ejus iniquitatem (dum rerum dominum scelerata cohors crucifigere decrevit) *sibi*, dicendo, *sanguis eius super nos*,

7 † Egrediebatur foras: † *Egrediens foras detrahet.*
Et loquebatur in id ipsum.

E

8 † Adversum me susurrabant omnes inimici mei:
Adversum me cogitabant mala mihi. † *Simul adversum me murmurabant omnes odientes me: contra me cogitabant malum mihi.*

C. *Egressa est foras*, ab arcano rectæ fidei plebs judaica, quæ intus stare non poterat, quia in credulitate fidei à fidelibus discrepabat. *Loquebatur in idipsum*, scilicet vanitatis, id est, infidelitate, quam introibat: à veritatis sinu exeundo, loquebatur vana & falsa, & ita loquebatur in idipsum quod ingressus fuit, scilicet dolum & falsum, quod egressus fuit. Malus ingressus, malus egressus.

F

C. *Susurratio* est oris pravissimus sonus, sineque aliqua vocis distinctione confusus sermo, tractus ab apibus, quarum vox prolata susurrus est, quod inter illos evenit qui ore invicem in auribus murmurabant. *Omnes inimici*, id est, supradicti Iudæi, qui semper cogitabant contra dominum mala.

9 Verbum ¶ iniquum constituerunt adversum me:
Nunquid qui dormit non adiiciet ut resurgat? ¶ *Diaboli infundebant sibi: Qui dormivit, non addet ut resurgat.*

C. *Verbum iniquum*, quando clamabant Pilato, *si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Ioan. 19. *Constituerunt*, id est, diffinierunt. H. Dicentes, *Tu accipe eum & crucifige. Nunquid qui dormit.* C. Audiant Iudæi, audiant & hæretici illum qui dormit, ipsum sibi adiicere protinus ut resurgat, dicentem: *Potestatem habeo ponendi* G
animam meam, & iterum sumendi eam. Ioan. 10. Putabant enim Iudæi si eum occiderent, non resurgeret.

10 † Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos: † *Sed & homo pacificus meus.*
Magnificavit super me supplantationem. ¶ *Levavit contra me plantam.*

C. *Hominem pacis* dicit Iudam, qui illi osculum pacis dedit, quando eum tradidit. *In quo sperabam*, id est, in quo sperare putabat, quem antequam nasceretur cognoscebam. *Magnificavit*, quando ignorantibus quis esset, eis eum ipse monstravit.

11 † Tu autem domine miserere mei: † *Et tu.*
Et ¶ resuscita me, & retribuam ei. ¶ *Eleva me, ut reddam eis.*

H

C. *Tu autem Domine*, humanitas rogat ibi hoc quod alibi divinitas pollicetur dicens. *Solvite templum hoc* Ioan. 2. *& triduo suscitabo illud. Resuscita me.* H. Scilicet à morte pater filium. *Retribuam ei*, quod factum est cum interitus debitus occupavit Iudam. Anticipavit ultio Iudam, cum eum interitus debitus sugillavit. Vel retribuam eis, scilicet. A. Iudæis quod factum nunc cernimus, habet enim una litera *ei*: alia *eis*.

12 In hoc cognovi † quoniam voluisti me: † *Quod vis me.*
Quoniam non ¶ gaudebit ¶ *Insultabit.* inimicus meus † super me. † *Mihi.*

C. *In hoc cognovi.* Dilectionem patris ostendit se in hoc cognovisse, quia gloriosa erat resurrectio secutura. *Quoniam voluisti me*, subaudis glorificari & exaltari. *Quoniam non gaudebit inimicus*, hoc erat quod di-

A xit, *quoniam voluiſti me*, ſcilicet quoniam inimicus ſuper eum gaudere non eſt permiſſus.

13 † Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti:
Et confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum. † *Ego autem in ſimplicitate mea adiutus ſum à te. Et ſtatuet me ante faciem tuam in perpetuum.*

H. Maxima innocentia eſt, cum juſtus pro impiis moritur. C. Et nullâ ſe contentione defendit. H. Propter quam innocentiam devictâ morte à patre in cœleſtibus *ſuſceptus eſt, & confirmatus eſt in æternum* C. Cujos poteſtas cœlo terræque imperat, cui omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. *Philip. 2.*

B 14 Benedictus dominus deus Iſraël:
A ſæculo & ❡ in ſæculum, fiat fiat. ❡ *Vſque in ſæculum, Amen.*

C. *Dominus* autem *benedictus* eſt, etſi omnes taceant, quia ille omne bonum non tanquam extraneum ſuſcipit, ſed ab ipſo egreditur. *A ſæculo*, præſentem mundum ſignat, *& uſque in ſæculum*, futurum vult intelligi, ubi jam omnia æterna conſiſtunt. H. Addidit, *fiat fiat*, hoc eſt quod hebræi dicunt, Amen, Amen. *Amen.*

Oratio ex Pſalm. XL.

NOſtrorum peccatorum mitis indultor, qui dignanter infirmas, effugere diem malum ſi miſericordia ſubſequatur egenum: fer opem quæſumus doloribus noſtris, ut dum carnalia delicta clementer arguis, medicinam animæ placabiliter largiaris. Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

C

Argumentum Pſal. XLI.

H. Vox fidelium dominum deſiderantium. C. Animaque ſua dicentium, ne Deo adiutore in hoc ſæculo turbetur.

TT. ❡ In finem intellectus filiis Core. ❡ *Victori.*

C. *Filiis Core.* Core hebraicè dicitur calvaria. Calvaria vero locus eſt ubi dominus crucifixus eſt, Quapropter filij Core merito dicuntur, qui glorioſum trophæum cœleſtis regis, id eſt, ſignaculum crucis ſuſcipere meruerunt. Et ideo pſalmus hic homini convenit Chriſtiano, qui amore domini & flamma dominicæ charitatis accenditur, de qua re hic primus pſalmus eſt, quem octuageſimus tertius & centeſimus triceſimus tertius ſubſequitur. *Filij core: Chriſtiani dicuntur.*

D

1 † QVemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum:
Ita deſiderat anima mea ad te Deus. † *Sicut areola præparata ad irrigationes aquarum: ſic anima mea præparata ad te Deus.*

C. *Quemadmodum deſiderat cervus.* Non immerito hoc animal comparatum eſt fidelibus, eſt enim primò innoxium, deinde velociſſimum, tertiò ſiticuloſum. H. C. Serpentes naribus trahit, quos ut voraverit, æſtuante veneno ad fontem feſtinat. C Hoc nos admonet, ut quando venena haurimus antiqui ſerpentis, ad fontem divinæ miſericordiæ feſtinemus. Fons enim ſemper irriguus eſt Chriſtus, unde non dixit ad fluenta, quia ſiccari poſſunt, fons autem ſemper fluit. H. Homo ergo Eccleſiæ, qui diu in actu venenoſo degebat, cum hunc gratiâ Dei videns derelinquere cupit, clamat, *quemadmodum*, &c. ut pœnitentiâ ablutus, gloriam Dei videat. *Chriſtianus, eſt ſicut cervus.* E

2 Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum:
Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.

H. Sitivit anima mea, non ad mortua ſimulachra, ſed ad illum qui dixit. *Vivo ego* dicit dominus. C. *Quando veniam*, quia tunc manifeſtus apparebit, quando nos in judicio ſuo miſericorditer inſpexerit. H. Vel *quando veniam*, quando erit tempus, ut cum ſanctis in claritate tua te videam, & ita ante conſpectum divinitatis *apparebo*, te videns ſicuti es, quia Eccleſia vult diſſolui à corpore, & eſſe cum Chriſto. *Ezec. 33.* *Ioann. 3. Philip. 1.*

3 Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes ❡ die ac nocte:
Dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt Deus tuus. ❡ *Per diem & noctem, cum diceretur mihi tota die, ubi, &c.* F

H. Quomodo poteſt de lachrymis panis fieri? poteſt, quia ſicut corpus ſatiatur pane, ita anima per lachrymas: quia exinde ſe habere ſperat remiſſionem peccatorum. C. *Diem*, proſperitatem, *noctem* vero debemus accipere triſtitiam: per hæc duo, omne tempus hujus vitæ indicatur. *Dum dicitur mihi quotidie*, hoc enim dicebatur aſſiduè perſecutionis tempore Chriſtianis, non eſt qui vos vindicet, ſuſtinete quæ volumus, quæ jubemus, & videte an Deus veſter vos liberet.

4 Hæc recordatus ſum & effudi in me animam meam:
† Quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei. † *Quia veniam ad umbraculum: tacebo uſque ad domum Dei.* G

C. Dum hæc quæ improperabant mihi, vel etiam quæ mihi imputabantur delicta cogitarem, *animam meam* in lachrymas ſubitâ inundatione *profudi*. Anima in ſe funditur, quotiens compuncta inſtinctu Dei in ſemetipſam revertitur. Sequitur cur ſe funderet, *quoniam ingrediebatur in locum tabernaculi*, hoc eſt in Eccleſiam præſentem, ubi amplius gemebat differri adhuc illam cœleſtem Hieruſalem. H. In qua ſunt multi admirabiles, virtutibus ſacris pollentes, qui ædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, tanquam una domus habentur; in quam iſte mente ingrediens effudit animam. *Animam in ſe fūdit.*

5 In voce ❡ exultationis & confeſſionis: † *Laudis.*
❡ Sonus epulantis. † *Multitudinis feſta celebrantis.* H

C. Quomodo illuc ire ſanctiſſimus ambiebat? *In voce* ſcilicet, *exultationis & confeſſionis.* Exultatio: ad pſalmodiam reſpicit. Confeſſio: ad peccata deploranda. Quæ duo efficiunt Chriſtianum perfectum. *Sonus epulantis*, diffinitio brevis quid ſit exultatio & confeſſio, quia eſt, ſonus epulantis. Nam ſonus iſte animam paſcit, & epulas ſuavi delectatione concedit. *Vox exultationis & confeſſionis.*

6 Quare ❡ triſtis es anima mea: ❡ *Incurvaris.*
Et quare conturbas me?

C. Loquitur filius Core, id eſt: filius crucis, dicens ad animam ſuam, *Quare triſtis es*, id eſt, *quare me* tuâ afflictione *conturbas*? neceſſe eſt enim, ut te triſti ac

A mœstâ, infirmitas corporis mei turbetur. Dicam tibi salutare remedium.

7 † Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi : † *Expecta Deum.*

† Salutare vultûs mei :/ & :· Deus meus. ¶ *Salutaribus, vultus eius Deus meus*

8 † Ad meipsum anima mea conturbata est: † *In meipsa anima mea incurvatur.*

Propterea memor ero tui de terra Iordanis & * Hermoniim à monte ¶ modico. ¶ *Minimò.*

B C. *Spera in Deo*, quia spes ejus omnia commutat in melius. Ne forte autem dicat anima, quomodo possum sperare in eum, dum mihi mea infirmitas obsistit? Dicit filius crucis, id est, homo carnem crucifigens cum vitiis & concupiscentiis respondendo animæ suæ. *Confitebor illi*, id est, de peccatis meis pœnitentiam gestam, ut tui devotione impediri non possim. Sed cui confiteris. Illi qui est salutare vultûs mei, hoc est Christus. (Gal. 5.)

H. Turbatam dicit animam suam ob recordationem delictorum priorum. *Propterea memor ero tui*, H. Memor fuit animæ suæ iste pœnitens in humilitate pœnitentiæ, & non se elevat magnum gloriando, sed efficit parvulum pœnitendo. C. Dicit etiam unde memor erit, id est, *de terra Iordanis*, quod interpretatur descensio, quia ibi dominus descendit in fontem quem nobis consecravit, & significat baptismum, in quo peccata remissa sunt. *Memor est* igitur domini, de beneficio baptismi & renuntiatione diaboli, unde addit, (De terra Iordanis, id est, baptismi.)

C *Et Hermoniim.* Hermon parvus est mons juxta Iordanem, & interpretatur Anathema : quod dicit homo diabolo, ut sit ab eo Anathema, quando ad Deum venerit verâ pœnitentiâ. *A monte modico*, quia Deus non elegit superbum sed humilem. A monte igitur modico, qui est Hermoniim, memor est domini, qui se non extollit. (Hermon.)

9 Abyssus abyssum : : in :· vocat : In voce cataractarum tuarum.

C. *Abyssus* & *cataracta* græca sunt. A. G. Duabus enim abyssis duo testamenta significantur, id est, novum & vetus quæ se mutuâ attestatione confirmant, quando vetus novum prædicit. H. Vt ibi *Prophetam vobis suscitabit dominus.* Novum vero vetus commemorat, ut Paulus *Bibebant autem de petrâ*, petra autem Christus. C. *Cataractæ*, prophetæ & Apostoli sunt, quia sicut aquarum multitudo per cataractas evomitur, ita de ore ipsorum domini præcepta manaverunt. (Duæ Abyssi, duo Testamenta. Deut. 18. 1. Cor. 10. Cataractæ, prophetæ & Apostoli sunt.)

D 10 Omnia ¶ excelsa tua & fluctus tui : ¶ *Omnes gurgites tui.*

Super me transierunt.

C. *Excelsa* vero & *fluctus*, scripturas sacras intelligamus. Hæc ergo dicit justus *super se transisse* : quia in eorum notitia, avidus perscrutator se immerserat.

11 † In die mandavit dominus misericordiam suam : † *Per diem.* (Oratio Deo, &c.)

Et nocte canticum ejus.

12 ¶ Apud me oratio Deo vitæ meæ : † *Mecum.*

Dicam Deo † susceptor meus :/ es :· † *Petra mea.*

H. *In die mandavit Dominus*, id est, in luce sanctarum scripturarum promisit *suam misericordiam. Et nocte canticum*, id est, in tribulatione positis, ipsam misericordiam ostendit. A. Vel in die, id est, prosperis præcepit Deus misericordiam suam intelligere & aliis facere : & nocte præcepit canticum, id est, in adversis exultationem unde Apostolus. *In tribulationibus gaudentes.* C. Vel in die prosperitatis docet eam, sed nocte tribulationis eam manifestat clariùs. E

C. *Apud me oratio*, ac si diceret, intra me sacrificium est quod offeram Deo, quod est utique oratio quam Deus non sprevit. *Dicam Deo*, &c. id est, cum me gratia baptismatis susceperis, de tuis beneficiis te laudans, semper susceptorem voco. (1. Thess. 5.)

13 Quare oblitus es mei: (Oratio est sacrificiũ intra me.)

:/ Et quare contristatus incedo ¶ dum affligit me inimicus ? ¶ *Affligente inimico.*

C. *Quare oblitus es mei* : dicit vir sanctissimus more humano, ac si dicat, cur tamdiu differs ut me non inducas in illam patriam, quam sanctis tuis pollicitus es. *Quare contristatus incedo* utique contristamur, quando flagella in hoc mundo sustinemus. *Dum affligit me inimicus*, id est, diabolus, cum fraudulentis surreptionibus suis nos tentat, quando carnis vitia invitum ac repugnante animo sustinemus. F

14 † Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi : † *Dum me interficerent in ossibus meis.*

¶ Qui tribulant me inimici mei. ¶ *Hostes mei.*

C. Franguntur ossa, dum virtus patientiæ nostræ affligitur, hoc irrident videntes inimici, & velut aliquem probrosum abominantur. H. Vel ossa fortiores in Ecclesia sunt, qui dum scandalis & diversis suppliciis urgentur, simplices videntes contristantur. H. A. Vnde & inimici Ecclesiæ, bonis Christianis exprobrant in martyribus vel confessoribus, dum à Deo vel occidi vel tribulari permittuntur. (Confringi ossa.) G

15 † Dum dicunt mihi per singulos dies, ubi est Deus tuus ? † *Dicentes totâ die: ubi, &c.*

Quare ¶ tristis es anima mea, & quare conturbas me ? ¶ *Incurvaris.*

H. *Dum dicitur mihi per singulos dies*, ac si dicat sanctus ad Christum. Cum ego te per pœnitentiam & afflictionem corporis animæque Christe placare desiderarem, inimici mei, quasi in cassum hoc facere me dicebant, aientes. *Vbi est Deus tuus ?* nescientes illa occulta quæ præparavit Deus diligentibus se. C. Vel hoc dicunt in passione martyres, quod ipsis à persecutoribus improperetur ubi sit Deus eorum. H. *Quare tristis es*, quia meum desiderium prolongatur. Repetita confortatio est, contra tribulationes frequentes. (Esai. 64.) H

16 ¶ Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi : ¶ *Expecta Dominum.*

† Salutare † *Salutibus.* † vultûs mei, & ¶ Deus meus. ¶ *Deo meo.*

H. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi.* In ipso nostra sit spes semper attenta, ipse omnes fluctus mitiget, ipse nos conservet in tentationibus, ipse sitim nostram suâ contemplatione satiet, nosque vultûs sui salutari vivificet.

Oratio

A

Oratio ex Psal. XLI.

VUltus nostri mirificum salutare, quem anima fidelium ardenter sitiunt servulorum, tribue, ut dum te (visibilis lachrymarum imbre pasti) requirimus, invisibiliter intra pectoris nostri tabernaculum collocemus. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum, &c.

Argumentum Psal. XLII.

C. *Vox Ecclesiæ; orantis, ut in novissimo examine ab infidelibus dividatur, & de suo introitu ad Deum.*

TT. :/ In finem Psalmus David :·.

B

C. Psalmus (sicut sæpè dictum est) signat melos cœlestium verborum. David autem fortissimum, ac desiderabilem nobis indicat salvatorem, ad quem de persona fidelissimi Christiani Psalmus iste dirigitur, dum mens & intentio eius ad ipsum desideranter aptatur.

1 IVdica me Domine, & discerne causam meam de gente non sancta:
Ab † homine † *viro*. iniquo & doloso ¶ erue me. ¶ *Salva me.*

C. *Iudica me Deus*, Non hic petit Propheta peccata sua discuti, sed ab iniquorum consortio liberari. Esset enim periculosum dicere, *Iudica me*, nisi addidisset: *discerne causam meam*, id est, divide permixtionem meam ab impiis. *De gente non sancta*, id est, de perversis, vel malè viventibus. *Iniquus* est, qui malè facit apertè. *Dolosus* est, qui occultè machinatur malum. *Erue me*, ne vita mea ab eis corrumpatur. Et possunt hæc omnia ad futurum exponi iudicium. H. Nemo verò magis iniquus & dolosus, *quam ille qui iniquitatis inventor atque æmulator est sanctitatis, id est, diabolus.

C Iniquus & dolosus.

2 † Quia tu es :· fortitudo mea: † *Tu enim Deus fortitudo mea.*
Quare me ¶ repulisti, ¶ *Proiecisti.* quare tristis incedo, † dum affligit me inimicus? † *Affligente inimico.*

H. Scio me infirmum & fragilem, nec sentio me habere aliquam fortitudinem quâ eruar, nisi tu me salvaveris. *Quare me repulisti.* Tunc nos repellit Christus: cum peccaverimus. *Tristis incedo*, propter peccata mea. Et ideò affligor tentationibus variis ab inimico diabolo, qui superius homo iniquus dictus est, unde quia me conturbant tenebræ peccatorum, ad te qui lux es mundi confugio supplex.

D

3 /: E :· mitte lucem & veritatem tuam:
Ipsa me ¶ deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, ¶ *Ducent & introducent ad montem, &c.* & in † tabernacula tua. † *Tabernaculum.*

C. Petit Propheta, ut pater mittat filium ad indicandum, qui est lux & veritas, ut cum ille venerit, omnis mœror confusionis abscedat à sanctis eius, & æternæ beatitudinis gloriam consequantur. H. *Ipsa me deduxerunt*, ab errore peccati: *& adduxerunt*, in Ecclesiam per fidem. C. *Tabernaculum* etiam ipsam Ecclesiam; & *mons* Christum significat. H. Vel æterna tabernacula in cœlis, ad quæ qui fuit in monte Christo per fidem veniet.

E

4 Et introibo ad altare Dei.
Ad Deum ¶ qui lætificat iuventutem meam. ¶ *Lætitia & exultationis mea.*

C. Altare enim dictum est, quasi alta ara, ac si dicat. H. Ibi *introibo*, ubi iam non vitulos & arietes exhibeam, sed memetipsum hostiā vivam Deo offeram. *Ad Deum qui lætificat iuventutem meam.* C. Iuventutem hic pro novitate ponit vitæ, quia Dominus omnia reparans de vetustate defecta, in novitatem firmæ fidei iuventutis reddidit validissimam firmitatem, credentibus.

Introibo ad altare. Iuventus novitas est vitæ.

5 :/ Et :· confitebor tibi in cithara Deus Deus meus:
Quare † tristis es anima mea, & quare conturbas me. † *Incurvaris.*

F

C In cithara vero confitetur, qui mundi huius adversitatem sustinens, à laude Dei non recedit. H. Vel qui carnem suam mortificat, in cithara laudat. *Quare tristis es.* C. Frequenter admonet tristitiam fugiendam istius sæculi, quoniam bonis rebus semper adversa est. Per hanc enim robur patientiæ frangitur, charitatis lumen extinguitur, spei desiderium virtúsque mollescit, & omnis vita confunditur. Tristitia vero de peccatis amplectenda est, quoniam ad perpetuam sospitatem dirigit.

Cōfiteri in cithara.

6 ¶ Spera in Deo, ¶ *Expecta Dominum.* quoniam † adhuc confitebor illi: † *Salutibus.*
Salutare vultûs mei & ¶ Deus meus. ¶ *Deo meo.*

G

H. *Spera in Deo*, ipsum confitetur, ab ipso peccata sua postulat dimitti, ipsúmque salutare vultûs sui dicit; quem & nos confitentes exposcimus, ut mereamur eius luce illuminari, viâ dirigi, veritate corrigi, vitâ locupletari.

Oratio ex Psal. XLII.

TE fontem luminis perpetui omnipotens Deus invocamus; & quæsumus, ut emissam veritatem tuam cordibus nostris nova nos lucis claritate perfundas. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum, &c.

Argumentum Psal. XLIII.

C. *Verba martyrum sive confessorum, precantium, ut in futuro iudicio de inimicis vindicentur.*

H

TT. ¶ In finem filiis Core :/ ad :· intellectum. ¶ *Pro victoria filiis Core eruditio.*

C, Quid significent filij Core, sufficienter iam dictum est, nunc autem *ad intellectum*: hoc est, ut intelligamus illum, qui initium sumpsit secundum carnem ex tempore, ante sæcula genitum. H. A. C. Vbi enim in titulis ponitur intellectus, spiritualem intelligentiam quærendam esse demonstrat.

Ad intellectū.

1 DEus auribus nostris audivimus:
Patres nostri † annunciaverunt nobis. † *Narraverunt.*

C. *Deus auribus nostris audivimus.* Verba hæc ac-

A *Patres noſtri Apoſtoli & Prophetæ.*

cipienda ſunt dicta in perſona martyrum ſive confeſſorum, ac ſi dixiſſet. H. Per ſpiritalem ſenſum ſe cognoviſſe, iuxta illud, *qui habet aures audiendi audiat. Patres* Apoſtolos & Prophetas vocavit, quorum annuntiatione renati ſumus ad vitam.

2 Opus quod operatus es in diebus eorum :
!! Et ∴ in diebus antiquis.

A. C. *Opus quod operatus* eſt Dominus *in diebus antiquis*, hoc eſt, quando Iſraëliticum populum illæſum per maris rubri fluenta tranſduxit.

3 † Manus tua gentes diſperdidit & plantaſti eos : † *Tu manu tua gentes deleſti.*
Afflixiſti populos & ¶ expuliſti eos.
¶ *Emiſiſti.*

B

C. Per manus (ſicut ſæpè dictum eſt) ſignificatur poteſtas. *Diſperſit* enim poteſtas Dei gentes, quando euntibus Amorræis & Cethæis de propriis terris, Hebræi in eorum ſedibus ſunt plantati. *Afflixit* autem *populos* cum canentibus tubis ſacerdotum muri Hiericho corruerunt, quos tunc de civitate conſtat expulſos. *Ioſue 3.*

4 Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram :
Et brachium eorum non ſalvavit eos.

Brachiū. C. Ne putarent Hebræi ſe fuiſſe triumphatores ſuis viribus, ideò dixit, *non enim in gladio ſuo. Brachium* pro robore dicimus, quoniam ipſo dimicante pugnatur, ſed *eorum brachium*, non ab inimicis ſuis *eos liberavit*, quos ſpecialiter virtus divina ſalvavit.

C

5 Sed dextera tua & brachium tuum & † illuminatio vultûs tui : † *Lux.*
Quoniam complacuiſti !! in ∴ eis.

C. *Dextera* enim ſignat proſperam partem ; *brachium*, fortitudinem ; *illuminatio*, conſilium ; quæ Dominus communiter confert, quando præliantibus victoriam dignatur donare. *Complacuit in illis* quando illa ſola gens de toto mundo electa eſt, de qua ſalvator advenit.

6 Tu es ipſe rex meus ¶ & Deus meus :
Qui mandas ſalutes Iacob. ¶ *Deus : præcipe pro ſalutibus Iacob.*

C. *Tu es ipſe rex*, id eſt, tu ipſe non alius eſt Dominus & ſalvator, cui nomen regis manifeſtum eſt convenire. Addit vero, *& Deus meus* : ne dubitares Dominum Ieſum Chriſtum eſſe illum qui *mandavit ſalutem Iacob*, quando audivit per Angelum, iam non diceris Iacob, ſed Iſraël, id eſt, vir videns Deum. A. Vel per Iacob populus Iſraëliticus intelligitur, cui Deus mandavit ſalutes corporales quaſi per alium, ſcilicet Angelum non per ſe. A. C. Mandare enim eſt per aliquem alium præcipere vel facere. A. Sic Deus antiquis patribus non per ſe & ſuam eſſentiam viſus eſt, ſed per aliquam creaturam viderunt eum & ſalvabantur.

D *Gen. 32.* *Mādare.*

7 In te † inimicos noſtros ventilabimus !! cornu : † *Hoſtes noſtros.*
Et ∴ in nomine tuo ¶ ſpernemus inſurgentes in nobis. ¶ *Conculcabimus adverſarios noſtros.*

C. Hoc enim, quod ventilandi ſunt inimici cornu, H. Id eſt, in Chriſto, eo quod C. hoſtis eſt antiquus ſpernendus, ad iudicium futurum pertinet, ubi talis eſt victoria, ut probentur ſobruiſſe omnia certamina. H. A. cornibus aliquid ventilatur, ſic Sedechias factis duobus ferreis cornibus aiebat, ſic ventilabo totam Syriam. Cornu vero noſtrum Chriſtus eſt : idem & nomen patris, in quo adverſarij noſtri vel ventilantur vel ſpernuntur.

E *3. Reg. 22.* *Cornu noſtrum Chriſtus eſt.*

8 Non enim in arcu meo † ſperabo :
† *Confidam.*
Et gladius meus non ſalvabit me.

Arcus & gladius. C. Arcus enim eſt præſidium bellatoris, in quo mens humana confidit : in gladio vero plus præſumit, ſagitta enim ſæpe in caſſum mittitur, enſis vero certius operatur mortis effectum, ſed nec in eo confidit multitudo ſanctorum, ſed in protectione divina. Cuius rationem ſubdit.

F

9 Salvaſti enim nos de ¶ affligentibus nos :
¶ *Hoſtibus noſtris.*
Et odientes nos confudiſti.

C. Non eſt dubium apud ſanctos, ſe liberari in ſecundo Adventu Domini à perſecutione ſpirituum peſſimorum, qui eos hîc multiplicibus inſidiis affligebant. Confundentur etiam qui beatos oderunt, quando illi æternâ pœnâ damnantur, iſti regna cœlorum recipiunt. A. C. *Salvaſti enim* pro ſalvabis dixit, propter certitudinem futuri in cognitione prophetæ. C. Vel confidentiâ fidei, *præterita* pro futuris dicunt, quoniam apud eos non eſt dubium quòd abſolutè noverunt eſſe venturum. *Futurum pro præterito.*

10 In † Deo laudabimur totâ die : † *Domino gaudebimus.*
Et ¶ in nomine tuo confitebimur in ſæculum. ¶ *Nomini tuo.* Diapſalma.

G

Tota die. C. Qui dicunt *laudabimur* ; in futuro ſe profitentur eſſe prædicandos. *Totâ die*, perpetuum tempus oſtendit, quod non habet noctem. *Confitentur in ſæculum*, qui præconia Domini hic iugiter perſonare contendunt. H. *In Deo* dicit, quia ipſe eſt laus & gloria noſtra, *& in nomine* ſuo Chriſtiani dicimur, & in tali nomine confitebimur.

11 ¶ Nunc autem repuliſti & confudiſti nos :
¶ *Verum tu proieciſti.*
Et non egredieris !! Deus ∴ in † virtutibus noſtris. † *Exercitibus noſtris.*

H

C. Dicendo enim martyres, *nunc autem*, ſignificant de futuris temporibus ſe ante dixiſſe, quia nunc præſens eſt tempus. *Repuliſti*, id eſt, dilationem nobis feciſti de illa futura beatitudine, quam nobis promiſiſti. *Confudiſti* illâ glorioſa confuſione, quam martyres ſubeunt, cum diverſis iniuriis affliguntur, fuſtibus verberantur, & velut criminibus obnoxij, morti mancipantur. *Nunc etiam non egreditur Deus in virtutibus* martyrum ; cum eos tribulationibus ſubdit, & diverſis paſſionibus ſubiacere concedit. *Glorioſa confuſio martyrū.*

12 ¶ Avertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros : ¶ *Vertiſti terga noſtra hoſti :*
Et qui oderunt nos † diripiebant ſibi.
† *Diripuerunt ſibi.*

C. *Averti* enim eſt hoſtem fugere carnalem. H. Debemus enim inimicos noſtros ante nos, id eſt, oculos noſtros habere, ut ſciamus quid cavere debeamus. *Diripiebant ſibi.* C. Hoc ſolet effugatis evenire, ut in direptionem cadant, qui hoſtibus ſuis minimè

prævale

A prævalebant resistere. H. Diripiebant persecutores martyres, cum plagis & reliquia tormentis eos vexabant. A. Vel nos, quia sumus retro quasi victi. Illi autem persecutores ante, quasi victores nos irrident & torquent.

13 Dedisti nos ¶ tanquam oves escarum :
¶ *Quasi gregem ad vorandum.*
Et in gentibus dispersisti nos.

Martyres velut oves escarum.

C. Esca enim luporum est oviom mansueta simplicitas : quæ martyribus merito comparatur, qui occidi à persecutoribus sine concertatione acquiescunt. *Et in gentibus* traditi martyres libertatem suam cum patrimoniis perdiderunt.

B 14 Vendidisti populum tuum sine pretio :
† Et non fuit multitudo in commutationibus eorum. † *Nec grandis fuit commutatio eorum.*

H. Vsque huc locuti sunt martyres, nunc de Iudæorum populo dicunt, quibus dictum est *In peccatis vestris venditi estis* Ideò *sine pretio*, quia non est effusus sanguis agni pro eis. H. *Non fuit multitudo in commutationibus eorum.* Commutatio est datæ rei æqualem consequi. Sed hic vilior erat merces quæ fuit vendita quam pretium, ideò non est commutatio facta. Nam Dominus populum quem emit non auro, sed comparavit proprio sanguine, id est, humanum genus in peccatis iacens liberavit.

Esa. 50.
1 Petr. 1.

15 Posuisti nos opprobrium vicinis nostris :
C Subsannationem & ¶ derisum his qui sunt in circuitu nostro. ¶ *Irrisum.*

C. Cum dicit *posuisti*, ostendit immobilem passionem, quâ sancti à vicinis, id est, persecutoribus patiuntur. *Opprobrium* contra probum positum est. Nam sicut omnia proba decora sunt, sic indecentia opprobria sunt. *Derisus* vero vox est confusa lætitiæ insultationem suam denuntians immoderatâ hilaritate. *Qui sunt in circuitu nostro*, infideles & perfidos exponit illis verbis.

Opprobrium.

16 Posuisti nos † in similitudinem gentibus : † *Similitudinem in gentibus.*
Commotionem capitis in ¶ populis.
¶ *Tribubus.*

C. Martyres enim positi sunt *in similitudinem* Christi, quando eos gentes paribus pœnis affligebant. *Commotio capitis* & martyribus contigit (quæ
D facta est in passione Domini) cum eos iniqui blasphemabant. H. Cum irrisione vel capitis commotione.

17 Totâ die † verecundia mea contra me :: est ⁖ † *Confusio.*
Et ¶ confusio faciei meæ cooperuit me.
¶ *Ignominia.*

H. Dominus hæc in assumpta carne loquitur, quia totâ *die verecundiam* pro nobis patiebatur Christus, atque *confusionem* etiam, usque ad ipsum patibulum crucis. C. Solet verecundia ad momentum venire, & brevi tempore sedata discedere, ista vero gravissima fuit, quæ iugiter permanebat.

Verecundia tota die.

18 A voce exprobrantis & † obloquentis :
† *Blasphemantis.*
A facie inimici & ¶ persequentis.
† *Vltoris.*

E H. *A voce exprobrantis*, cum diceret ei, *si filius Dei es descende de cruce. A facie inimici*, id est Iudæ, *& persequentis* populi Iudæi C. *Exprobrare* est in faciem maledicere. *Obloqui*, absenti detrahere & dolose aliquem sermone mordere.

Exprobrare. Obloqui.

19 Hæc omnia venerunt super nos nec obliti sumus te :
¶ Et iniquè non egimus in testamento tuo : ¶ *Nec mentiti sumus in pacto tuo.*

C. *Hæc omnia*, vox martyrum, omnia quæ tu Domine pertulisti ; & nos eadem pertulimus. *Nec obliti sumus*, sed te semper confessi sumus. *Et iniquè non egi-* F
mus, id est, fideliter prædicavimus testamentum tuum, & fideliter viximus in testamento. *Nec obliti.* C. Nam qui illum mente retinent, eius testamentum nesciunt oblivisci.

20 ¦ Et ⁖ non recessit retro cor nostrum :
† Et declinasti semitas nostras à via tua.
† *Nec declinaverunt gressus nostri à semita tua.*

C. *Retro redit cor* eorum, qui de Domini bonitate desperant : quod isti minimè fecerunt, qui spem in Domino habere probati sunt. Via enim à violentia nuncupatur. *Semita* hic in malo posita est, eo quod dicit *nostras*. Rectè enim humanæ semitæ, id est, voluptuosi & umbrosi calles, quos ambulat humana fragilitas, à via superna divisæ dicuntur : quia illæ ducunt ad mortem, hæc via ducit ad sospitatem desiderabilem. A. Vel *declinasti*, id est, repulisse videris nostris persecutoribus semitas nostras bonas : quas ambulamus in tribulationibus, in eo quod sequitur.

Semitæ nostræ malæ.

G 21 Quoniam ¶ humiliasti ¶ *Decepisti* nos in loco † afflictionis : † *Draconum.*
Et ¶ cooperuit nos umbra mortis.
¶ *Operuisti.*

H. *Humiliati sumus in loco afflictionis*, id est, in corpore isto, in quo versamur & affligimur propter Christum. C. *Vmbra mortis*, vitæ istius transitum dicit, qui sanctis & peccatoribus probatur esse communis. Illa vero mors vera est, quâ impij æternâ damnatione puniuntur. H. Etsi enim sancti hic affliguntur & morti destinantur, vivunt tamen Deo, ideò hæc mors umbra mortis non mors est.

Vmbra mortis.

22 Si obliti sumus nomen Dei nostri :
Et si expandimus manus nostras ad Deum alienum.

H. *Si obliti sumus nomen Dei*, id est, Christum. H
Si expandimus manus ad Deum alienum, id est, ad Idolum.

23 Nonne Deus † requiret ista ? † *Investigabit istud.*
Ipse enim novit ¶ abscondita cordis.
¶ *Cogitationes cordis.*

C. Nonne : cum pondere pronuntiandum est, quoniam gravissimum est apud Deum, si in eius religione peccetur. Requirere autem solemus, quando illa desideramus agnoscere, quæ nostram novimus conscientiam non tenere. Hoc in Deo non est, quia omnia novit, sed dicitur *requirere*, dum pro eis nos puniens, facit eorum nos recordari. Et quia agebatur de religionis affectu, qui in corde magis quam corporis devotione geritur, addit *ipse novit cordis abscondita*. A. Et quæ sint illa, sequitur.

A

24 Quooiam propter te mortificamur totâ die:
Æstimati sumus † sicut oves occisioois. † *Vt grex.*

Mortificati tota die.

C. *Morte* verò *affici* est: per longas passiones præsentis vitæ exitum pro Christo reperire. *Totâ die*, non per momentaneam mortem, sed per universum vitæ tempus: protractum nobis fidelium declarat exitum pro Christo. *Sicut oves.* Ovis enim non habet arma, nec dente contendit, sed manibus latronis patienter acquiescit. Sic famuli Christi sicut ovis æstimati sunt mori, quoniam sine contentione aliqua videbantur occidi.

B

25 ¶ Exurge quare obdormis Domine:
Exurge ! ! & :· ne repellas in finem.
¶ *Consurge quare dormitas Domine: Evigila, quare proiicis nos in sempiternum?*

Quomodo dormit & exurgit Dominus.

C. *Exurge, &c.* Non autem Deo convenit exurgere, qui nunquam noscitur posse dormire, sed humano usu dicitur dormire, quando nostra expectatio divinâ dispensatione elongatur. Repetitur *exurge*, ut quibus videt pericula crescere, non tardet subvenire. *Ne repellas in finem*, id est, ubi sunt præmia beatorum, ubi martyribus coronæ præparantur. H. In finem, mortis æternæ scilicet.

26 Quare faciem tuam † avertis? † *Abscondis.*
Oblivisceris ¶ inopiæ nostræ & tribulationis nostræ. † *Afflictiones & angustias nostras.*

C

H. Avertit Deus faciem ad tempus, ut probet electos suos. C. *Oblivisceris inopiæ*, hoc est, cui consueveras subvenire; quam sic in aliis amas, ut te inopem dicas. Addidit *tribulationis nostræ.* Cuius tribulationis clemens semper Christus inspector est.

27 Quoniam † humiliata est in puluere anima nostra: † *Incurvata est.*
¶ Cooglutinatus est io terra venter noster. ¶ *Adhæsit terra.*

C. Humiliaverunt se in pulvere, qui cinere super se sparso, animas suas discruciant ad recordationem peccatorum. H. *Conglutinatus est in terra* cum caro infirmatur, sed sensus est intentus in cœlestibus.

28 ! ! Ex :· urge ! ! Domine :· adiuva nos.
Et redime nos propter † nomen tuum. † *Misericordiam tuam.*

D

C. *Exurge*, non ad dormitionem :· sed ad resurrectionem est potius applicandum, in qua destructa agnoscitur humana captivitas. Illo enim resurgente adiuti sumus, non propter meritum nostrum, sed propter *nomen suum.* Ideò salvator dicitur, quia per gratiam suæ pietatis saluat infirmos.

Oratio ex Psal. XLIII.

Exurge Domine in auxilium nostrum, & erue nos ab opprobriis vitiorum: & qui coram patribus nostris inimicarum gentium regna vicisti, à persequentibus inimicis vultûs tui illuminatione nos eripe. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat, &c.

E

Argumentum Psal. XLIV.

C. Propheta Spiritu Sancto repletus, incarnationem Domini Christi se cruciture promittit, & mysticis virtutibus sponsam Christi describit Ecclesiam.

TT. ¶ In finem pro his qui commutabuntur, filiis Core ad intellectum, canticum pro dilecto. ¶ *Victori pro liliis filiorum Core: eruditionis canticum amantissimi.*

C. *In finem*: perfectionem significat, hoc est Dominum Christum. *Filij Core*: id est, filij crucis, qui *commutabuntur* transiendo de tristitia huius mundi ad gaudia æterna. *Canticum*, textum psalmi significat: *pro dilecto*, id est, Domino Christo, de quo pater dixit, *Hic est dilectus filius meus.* Istius nunc spirituales nuptiæ referuntur.

F

Filij Core, id est, filij Crucis.

1 Eructavit cor meum verbum bonum:
Dico ego opera mea regi.

C. *Eructare dicimus*, quando satietas ciborum digestiones saluberrimas evaporat. Vnde iste vir sanctus cœlesti largitate satiatus *eructavit*, unde fidelis populus abundantissimè pasceretur. *Cor meum*: sinum mentis intellige. *Verbum bonum*: filium Dei vocat. *Opera mea*: opusculum prophetæ fuit, & psalmi huius decora contextio.

Eructare.

2 Lingua mea † calamus scribæ: † *Stilus scribæ velocis.*
Velociter ! ! scribentis :· .

G

H. *Calamus scribæ*, scriba ipse Christus est, qui scripsit fidem, spem, & charitatem, in cordibus sanctorum. *Velociter*, hoc est, quod non tardantur quæ dixerat, sed velociter adimplentur.

Scriba Christus.

3 ¶ Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia io labiis tuis:
¶ *Decore pulchrior es filiis hominum effusa.*
Propterea benedixit † te Deus in æternum. † *Tibi.*

C. *Speciosus* dictus præ omnibus hominibus Christus est, non ex forma corporali, sed veraciter humano genere pulchrior fuit, quia peccata non habuit. Illud enim rectè speciosum dicimus, quod gratiâ mundissimæ puritatis ornatur. H. *Diffusa est gratia*, quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. C. *Benedixit te Deus*: à forma servi, quæ & passionem pertulit, & ad regna cœlorum pervenit, propterea, quia *diffusa est gratia in labiis tuis*, gratia scilicet prædicationis. H. Et etiam curationis; cum morbida verbo curas, mare quiescere facis, Lazarum vocas & venit, & omnia quæ loqueris gratiâ labiorum tuorum perficiuntur.

Speciosus forma. Ioan. 1. Gratia in labiis Christi.

H

4 Accingere gladio tuo:
Super femur ! ! tuum :· ¶ potentissime.
5 Specie tuâ & pulchritudine tuâ:
Inteode prospere procede & regna.
¶ *Fortissime: gloria tua & decore tuo: prospere ascende.*

C. *Gladium*, hic sermonem divinæ prædicationis debemus accipere: *femur* incarnationem. H. Accinctus Christus gladio, hoc est, verbo prædicationis, dividit

filium

A filium à patre, &c. Potentissime, non segniter, neque leviter, sed viriliter.

C. *Specie tuâ*, hoc pertinet ad humanitatem Christi, *pulchritudo* ad Deitatem. *Intende*, ut pereuntem hominem de cœlo miseratus aspicias. *Prospere*, quoniam erat humano generi liberationis beneficia præstiturus. C. H. *Procede* ut sponsus de utero virginali. *Regna*, id est, incredulitati hominum potentiam tuæ maiestatis ostende.

6 Prupter veritatem ¶ & mansuetudinem ⁄ ⁄ & iustitiam :
Et deducet te mirabiliter dextera tua. ¶ *Propter verbum veritatis & mansuetudinem iustitiæ, & docebit te terribilia dextera tua.*

B

Gladius verbum Dei. *Mat.10. Psal.44.*

C. *Propter veritatem*, illud significat, quia veritas de terra orta est. *Mansuetudo* monstrata est, quando in cruce pro persequentibus oravit. *Iustitia* verò, quia præcepta salutaria pius doctor infudit. *Deducet*, id est, cursum vitæ huius totius inoffensa conversatione custodivit. *Mirabiliter*, quia die tertia resurrexit. *Dextera* potentiam verbi significat.

7 Sagittæ tuæ acutæ :
Populi sub te cadent in † corda inimicorum regis. † *Corde.*

Sagittæ acutæ.

C. *Sagitta acuta*; sunt verba Domini salvatoris salutariter corda hominum infigentia, quæ ideò vulnerant ut sanent. *Acuta* pertinet ad transformationis celeritatem. *Populi sub te cadent*, non pedibus quibus corpora sustinentur, sed corde cadent in humilitatem qui prius in elatione erecti erant. Inimicos Christi dicit, qui à superna lege dissentiunt contrariâ voluntate.

8 ¶ Sedes tua ¶ *Thronus tuus.* Deus in sæculum † sæculi :
Virga directionis virga regni tui. † *Et in æternum sceptrum æquitatis sceptrum regni tui.*

C

Virga æquitatis.

C. Hic enim *sedes* Dei ad iudicium pertinet futurum, in quo omnia veraciter examinantur. *Virga*: regulam significat divinæ æquitatis; ista enim virga iustos regit, impios percutit: quæ veraciter recta dicitur, quia nulla pravitate curvatur. Vel fortitudo invicta & inflexibilis disciplina, virga est directionis. Et clarius quæ sit virga ista, sequendo ostendit, dicens :

9 Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem :
Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo ¶ lætitiæ præ consortibus tuis. ¶ *Exultationis præ participibus tuis.*

D

Præ consortibus tuis.

C. Nemo enim perfectè diligit iustitiam, nisi qui & actus pessimos execratur. Vnctus est Christus in regem & sacerdotem. H. *Oleo lætitia*, id est, Resurrectionis & Ascensionis. C. Repetitio ista, quod dicit: *Deus Deus*, præconium magnæ dilectionis ostendit. *Præ consortibus* dictum est, quoniam hanc benedictionem supra omne humanum genus Christus accepit, ut unctus singulariter cæteros ungere debuisset.

10 Myrrha & † gutta † *Stacte* & casia ¶ à vestimentis tuis à domibus eburneis: ¶ *In cunctis vestimentis tuis.*
† Ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. † *Quibus lætificaverunt te.*

C. Sanctum Domini corpus, quoddam deitatis cognoscitur fuisse vestimentum; quia maiestas verbi; oculis infidelium, velamine carnis videbatur abscondi. Ab hoc *vestimento*, id est, incarnationis arcano congrue venisse dicitur *myrrha & gutta & casia*. *Myrrha* mortem Christi significat. *Gutta* quæ dicitur ammoniaca: incarnationi Domini comparatur. *Casia* quæ à nostris fistula dicitur, crescit in aquosis locis, significatque aquas baptismatis. *Ebur* est os elephantis, qui temperanter suæ fœminæ commiscetur, & secunda coniuge non utitur. Hoc pudicis fœminis aptum est: quæ in domibus eburneis mansisse noscuntur, dum per castitatem, præcepta Dei secutæ sunt. *Filiæ regum* dicuntur qui semetipsos regunt & animas suas. H. Vel filiæ regum, id est, Apostolorum prædicatione conversæ animæ. A. Vel filiæ, Ecclesiæ sunt ab Apostolorum prædicatione fundatæ.

E

Vestimentum Christi mysticum. Myrrha. Gutta. Casia. Ebur.

Filiæ regum.

11 ¶ Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato : ¶ *Stetit coniunx in dextra tua in diademate aureo.*
⁝ Circumdata varietate.

F

Regina Ecclesiæ. Circumdata varietate.

H. *Regina* dicitur Ecclesia, & regina est quæ sua vitia regit vel peccata. C. Quæ *à dextris stetisse* dicitur, quia dextera pars est honorabilis. *Aurum* ad charitatem debemus aptare. Ornatur vero Ecclesia etiam *varietate*, quia auro Apostolorum, argento prophetarum, gemmis virginum, cocco martyrum, purpura pœnitentium.

12 Audi filia & vide, & inclina aurem tuam:
Et obliviscere populum tuum & domum patris tui.

Filia Prophetarum Ecclesia.

C. Dicit *audi* scilicet prophetas qui incarnationem Domini cecinerunt. *Filia* prophetarum est Ecclesia dicta, quia eorum prædicationibus nata est. H. *Et vide*, oculo cordis. C. *Inclina aurem*, id est, honorabiliter verba prophetæ percipe. *Obliviscere*, id est, desere conventiuncula paganorum. *Domum*: Babyloniam dicit, id est, mundum. Patris, diaboli, qui revera illam domum confusionis possidebat.

G

13 Et concupiscet rex decorem tuum :
Quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & † adorabunt eum. † *Adora eum.*

C. *Rex* itaque iste, salvator est, qui *concupivit* Ecclesiam: in sorte diaboli constitutam. *Ipse est Dominus Deus tuus*, non ille quem patrem dicebas, qui te fecerat tenebrosam; sed qui pristinam submovens fœditatem: pulchritudinem tibi contulit nuptialem, quem omnes populi *adorabunt* Christiani.

14 ¶ Et filiæ Tyri in muneribus : ¶ *Et filia fortis.*
Vultum tuum deprecabuntur ⁄ ⁝ omnes ⁖ divites plebis.

H

Filiæ Tyri.

C. *Tyrus* interpretatur angustia. H. Et significat animas in angustia positas, illæ enim muneribus cordis adorant. Tunc verò in *vultum* Ecclesiæ, id est, in Christiani populi *faciem intendimus*, quando maiestatem Christi in angustiis positi, piis fletibus exoramus. *Omnes divites*, non enim sola Tyrus, sed etiam totius mundi adunata diversitas, ut sic vultus Ecclesiæ sit vel fides vel divinitatis maiestas.

15 Omnis gloria ⁄ ⁝ eius ⁖ filiæ regis † ab intus :
In fimbriis aureis circumamicta varietatibus. † *Intrinsecus : fusciis aureis vestita est. In scutulatis ducetur ad regem: virgines sequentur eam, amicæ eius ducentur illuc.*

A 16 Adducentur regi virgines post eam :
Proximæ eius afferentur tibi.

C. *Gloria* est siquidem Ecclesiæ, quando filiæ principum sive iustorum convertuntur ad Dominum, & secretà se cupiunt cordis devotione offerre. *Ab intus* enim, est in secreto sensuum se Christo afferre. *Fimbriæ* sunt finitima vestium, per quas significatur extrema vita hominum: quæ *aureæ* dictæ sunt, quia in fine tota perfectio est, ubi charitas plenissima velut aurea reperitur. *Circumamicta varietate*, propter varias virtutes fidelium dicit, quas superius exposuimus.

Adducētur virgines: afferentur viduæ.

C. *Adducentur regi virgines*, deinde *proxima*, id est, viduæ. Et vide in ipsis nominibus non minimam esse distantiam. Virgines enim dixit adduci, quia integritate corporis robustæ sunt. Viduas vero dixit afferri, quæ plerumque fractæ diversis sollicitudinibus, corporis imbecillitate fatigantur. Afferentur igitur proximæ Christo, hoc est viduæ castæ, quæ gradu inferiori B iunguntur. Nam cum virginitas habeat centesimum fructum, ista sexagesimâ ubertate gloriatur.

17 § Afferentur in lætitia & exultatione :
Adducentur in templum regis. § *Ducentur in lætitiis & exultatione : ingredientur thalamum regis.*

C. Merito ergo dictum est, *Afferentur in lætitia*, quia ille fragilis sexus vicit gravissimas corporum passiones: quæ Angelorum sunt ministeriis adductæ, non solum in conspectum, sed etiam *in templum*, id est, in C penetralia regis, id est, in Ierusalem futuram, ubi venisse, beatum gaudium est & gloriosa securitas.

18 Pro patribus tuis † nati sunt tibi filij :
† *Erunt filij tui.*
Constitues eos principes § super omnem terram. § *In universa terra.*

Pro patribus nati filij.

C. *Pro patribus tuis.* Nunc exponit quantum hæc sponsa profecerit, ut *pro* antiquis *patribus*, id est, Idolorum cultoribus: *nati* sint illi *filij* Apostoli: quos *principes* prædicationis in toto terrarum orbe transmisit. Sed quantum sunt ista disparia, tantum laudatur Ecclesia. Illi enim erant seductores erroris, isti magistri veritatis; illi seminabant exitia, isti hortabantur ad vitam.

19 † Memor ero nominis tui : † *Recordabor.*
In omni generatione & generatione.

D H. Ideò *memores erunt nominis tui*, quia semper te prædicabunt Apostoli, sive ædificabunt in generationibus sanctorum. Sive populus Christianus Apostolorum prædicatione conversus memor erit nominis Christi Habet enim Romana translatio (quam Hieronymus hic & Cassiodorus sequitur) *memores erunt.*

20 Propterea populi confitebuntur tibi in æternum :
Et in sæculum sæculi.

Cōfitebūtur semper.

H Ob eorum prædicationem, *confitebuntur* Christo semper populi delicta. Vel *confitebuntur*. H. C. id est, in confessione symboli, quando symbolum in Ecclesiæ facie publicè confitentur. H. Vel laudando confitebuntur *in sæculum sæculi*, hic & post hanc vitam in æternum. C. In sæculum sæculi, futura significat: quando omnis adversitas conquiescit, & regnat sola iustitia, contrarietate diaboli deletâ, tunc enim confitebuntur: gloriam Dei enarrando pleuè.

E

Oratio ex Psal. XLIV.

Christe Domine, verbum Patris (per quem cuncta creata sunt & creantur) custodi quæsumus Ecclesiam tuam varietate gentium congregatam, ut dum te ex ipsa credulitatis instituta corde puro diligimus, principatum æterni sæculi cum patribus mereamur. Qui cum Patre, &c.

Argumentum Psal. XLV.

C. Vox fidelium, in perturbatione sæculi Deo protectore nihil timentium.

TT. § In finem filiis Core pro arcanis Psalmus. § *Victori filiorum Core pro iuventutibus canticum.* F

C. *In finem*: notum est quemadmodum ad Christum possit referri. *Filij Core*: filij Christiani, ex quorum persona psalmus iste canitur. *Pro arcanis*: adventum significat salvatoris, quem mirabili secreto pro homine disposuit.

Pro arcanis.

1 Deus † noster refugium & virtus :
Adiutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. † *Nostra spes & fortitudo : auxilium in tribulationibus inventus es valdè.*

G Quid Deus?

C. Quam pulchra diffinitio, quasi interrogarentur Christiani: filij Core. Quid est Deus? respondeant: *Deus noster refugium & virtus & adiutor.* Refugium fidelium, quando eos de animæ periculo liberat. Virtus, quando eorum mentes stabiliter ab iniquo errore custodit. Adiutor in tribulationibus, cum divina misericordia nos in tribulationibus suscipit & defendit.

2 Propterea non timebimus dum § turbabitur terra : § *Fuerit translata.*
Et † transferentur montes in cor maris.
† *Concussi montes in corde maris.*

C. *Propterea non timebimus*, quia in Christum credimus. H. C. *Dum turbabitur terra*, id est, generatio iudæorum, qui terrena sapiunt, & dum *transferentur montes*, id est, Apostoli relictis incredulis iudæis. *In cor maris*, hoc est ad prædicandum gentibus transierint. C. Et inspiciendum, quod aridæ terræ perfidia iudæorum, aquis vero salsis credulitatem gentium comparavit: ut illa corda in malum durata, hæc vero evangelico sale condita cognosceres.

Terra iudæis: mare gētes significat. H

3 § Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum :
Conturbati sunt montes in fortitudine eius. § *Sonantibus & intumescentibus gurgitibus eius, & agitatis montibus in potentia eius, semper.* Diapsalma.

C. De Adventu Domini *sonasse* dicit Apostolos prædicationes suas, quo tempore *turbatas* asserit *aquas*, id est, innumeras gentes, quæ de tali fuerunt annuntiatione & miraculorum admiratione perterritæ. *Conturbati sunt montes*, id est, sæculi potestates, quando contra religionem Dei, leges sacrilegas pagani inferebant. *In fortitudine eius* scilicet soni Apostolorum: Apostolorum enim grandisona prædicatione totus mundus intremuit, & ad Domini se credulitatem limpidato postea corde revocavit.

Montes sæculi potestates.

A

4 Fluminis † impetus lætificat civitatem Dei : † *Divisiones lætificant.*
¶ Sanctificavit tabernaculum suum altissimus. ¶ *Sanctum tabernaculum altissimi.*

C. Iste enim fluvius Christus est, & benedixit *fluminis impetus*, quia nihil palustre, nihil morosum cursus ejus sustinet, cum se potentia divinitatis ejus infuderit. *Tabernaculum altissimi* est Ecclesia, sive humani corporis gloriosa susceptio.

5 Deus in medio ejus non commovebitur :
Adjuvabit eam Deus ¶ mane diluculo ¶ *In ipso orta matutino.*

B

Mane diluculo.

C. *Deus in medio eius*, id est, Ecclesiæ. Non commovebitur commoveri enim non potest Ecclesia, quæ in solidissima petra, hoc est in Christo, noscitur esse fundata. *Adiuvabit* dixit scilicet in sæculi adversitate laborantem. H. *Diluculo*, id est, inspectione sancta, quam merebitur cor mundum. Vel mane, id est, boni operis principio, & hoc diluculo, id est, illuminatione Spiritus sancti.

6 Conturbatæ sunt gentes /: & ;. † inclinata sunt regna : † *Concussa.*
Dedit vocem suam ¶ mota est terra. ¶ *Prostrata.*

H. *Conturbata sunt gentes* scilicet viciorum ac criminum. C. Inclinata sunt regna, id est, humiliata sunt ad adorandum. *Dedit vocem* : per se prædicando & per Apostolos, ad quam necesse fuit tremefieri peccatores, qui terreni nuncupantur. Vel gentes Idololatræ conturbatæ sunt : in subito sono prædicationis incognitæ religionis.

C

7 Dominus † virtutum nobiscum : † *Exercituum.*
¶ Susceptor noster Deus Iacob. ¶ *Protector.* Diapsalma.

Dominus virtutum susceptor noster.

C. *Dominus virtutum*, utique cui virtutes cœlestes serviunt. *Nobiscum*, quoniam assumpta carne habitavit in terris. *Susceptor*, quando carnem pro infidelium salute suscepit. Dicit vero *noster*, non enim est Deus solius Iacob, sed omnium qui simili fide devoti sunt.

8 Venite & videte opera Domini † quæ posuit prodigia super terram:
Auferens bella usque ad finem terræ. † *Quantas posuerit solitudines in terra compescuit bella usque ad extremum terræ.*

D

Prodigium.

C. *Venite* cum dicit, hortatur eos, ut fide Domino proximentur : qui non poterant videre longinquum. H. *Opera Domini*, id est, virtutes Dei. C. Prodigium dictum est, eo quod porro dicat. Quod factum est in nativitate Domini, quando virgo peperit, & stella Magis apparuit. *Auferens bella*, &c. quia in nativitate Domini : regnante Augusto totus orbis legitur esse pacatus. H. Omnia bella in adventu Domini quievisse, multorum narrat historia. Vel pugnas vitiorum accipe.

9 Arcum ¶ conteret & confringet arma: ¶ *Confringet & concidet hastam.*
/: Et ;. † scuta comburet igni. † *Plaustra.*

E

H. *Arcum conteret*, id est, occultas insidias spirituum malorum. *Confringet arma*, id est, præsentes pugnas. *Et scutum comburet igni*, id est, consumet igne spiritali, fantasias diabolicæ excusationis, defensionis peccatorum, vel protectionis. C. Vel de armis gentium, quibus fidem impugnabant & se defendebant, accipe, hæc enim omnia constinguntur dum veritate vincuntur.

10 ¶ Vacate & videte quoniam ego /: sum ;. Deus : ¶ *Cessate & cognoscite.*
Exaltabor in gentibus /: & ;. exaltabor in terra.

F

C. Hunc versiculum loquuntur filij Core ex persona Domini. Merito illis dicitur, *vacate* : qui mundanis illusionibus armabantur, & diabolo serviebant. *Quoniam ego sum Deus*, non ille qui vos prius armabat ad malum, sed qui *exaltabor in gentibus & in terra*, id est, in gente Iudæa, quoniam terræ supra judæos comparavit.

11 Dominus † virtutum nobiscum : † *Exercituum.*
¶ Susceptor noster Deus Iacob. ¶ *Fortitudo nostra.* * Diapsalma. ;.

Deus Iacob.

C. Talem siquidem professionem ideo secundo repetunt filij Core, ut per eam nobis declararent liberationem præstitam fuisse. *Deus Iacob* ideo frequenter apponitur, ut victoria Christiani populi declaretur, qui licet sit tempore posterior, primum tamen populum fideli devotione transcendit.

Oratio ex Psal. XLV.

G

Perspicuum in imminenti tribulatione refugium misericors Deus, sanctifica impetu æterni fluminis habitaculum cordis nostri : ut te Deo virtutum nobiscum operante, terrena prælia confutemus. Per Dominum nostrum, &c.

Argumentum Psal. XLVI.

C. Vox Ecclesiæ Deum laudantis, ascensionemque eius prædicantis.

TT. ¶ In finem pro filiis Core Psalmus. ¶ *Victori filiorum. Core Psalmus.*

Filij Core.

C. Loquuntur & in hoc psalmo filij Core, quos vexillo crucis mater signat Ecclesia. Commonentur itaque primò gentes, ut Domino laudes debeant personare, secundo Domini ascensio & regnum ejus sub brevitate describitur.

H

1 Omnes † gentes plaudite manibus : † *Populi.*
Iubilate Deo in voce ¶ exultationis. ¶ *Laudis.*

Plaudere manibus. Iubilare.

C. *Plaudunt* vero *manibus*, qui eleemosynas faciunt, ægrotis serviunt, *Iubilare* vero gaudere est, qui sermo dictus est a juvando, id est, delectando : quando magnitudinem gaudij, non articulatis sermonibus, sed confusa voce proferimus. Vox exultationis, psalmodiam significat, quæ Deo pro nominis sui majestate persolvitur.

2 Quoniam Dominus † excelsus, terribilis : † *Altissimus.*
Rex magnus super omnem terram.

A *Apoc.19.*

H. *Dominus excelsus* dictus, quia cœlos ex potentia sua ascendit. C. *Rex magnus*, quia rex regum & Dominus dominantium. *Terribilis*, quia judicaturus est mundum, & ne tantum putaretur esse judæorum: *rex* dicit *omnium terrarum*.

3 ¶ Subiecit populos nobis : ¶ *Congregavit populos subter nos.*
Et † gentes sub pedibus nostris. † *Tribus.*

Pedes Christi sunt prædicatores.

C. *Pedes* hic significant sanctissimos prædicatores, quibus populi meritò & gentes esse subjecti dicebantur.

4 Elegit nobis hæreditatem ¶ suam :
Speciem Iacob quam dilexit. ¶ *Nostram: gloriam Iacob.* Diapsalma.

B

Species Iacob.

C. *Elegit nobis*, subaudiendum est dare, qui venerat ad salvandum Israeliticum populum, hoc magis gentibus pià largitate concederet. *Speciem Iacob.* Iacob lenticulæ & paruo commercio carnalium, spiritualem honorem assecutus est, hæc ipsa est enim species Iacob quam Dominus dilexit, adeo ut eadem facere velit fideles suos, quæ ille mysticà significatione sequenda præmonuit, Deo offerendo terrena, & acquirendo cœlestia; sic enim vere Christiani dicimur. H. Vel de pulchritudine Iacob dilecti, id est, de stirpe sua, Apostolos legit.

5 Ascendit Deus in jubilo:
!! Et :· Dominus in voce ¶ tubæ.
¶ *Buccinæ.*

C. Ideo ascensio Domini in jubilatione esse dicitur, quia stupentes Apostoli tale miraculum, ineffabili cordis lætitià replebantur. Voce quoque *tubæ*, verba significat Angelorum dicentium, *viri Galilæi, &c.* Verba vero ista magno strepitu percussi aeris fragrore tonuerunt.

Actor.1.

C

6 † Psallite Deo !! nostro :· psallite: *Canite.*
Psallite regi nostro psallite.

Psallere.

C. *Psallere*, est bonis actibus laudis Deo canere. *Regi nostro*, id est, Deo nostro Iesu Christo, non alieno cuiquam, sed *Deo nostro*, quem solum decet ista laudatio.

7 Quoniam rex omnis terræ Deus:
Psallite ¶ sapienter. ¶ *Erudite.*

Rex omnis terræ Deus. Psallere sapienter.

D

C. *Quoniam rex omnis terræ*, hoc propter illos dicitur, qui sibi per singula loca diversa numina faciebant, ut Venerem, in Papho, Martem in Thracia. Iovem in Creta, & alios per loca diversa. *Psallite sapienter*, hoc est quod intelligat quæ psallit. Nemo enim sapienter quicquam facit quod non intelligit. H. Vel ut quæ canitis per literam, intelligatis spiritualiter dicta.

8 Regnavit Deus super gentes:
Deus sedet super ¶ sedem sanctam suam. † *Thronum.*

Sedes Dei Angeli sunt.

H. *Regnavit Dominus super gentes*, quas in hæreditatem accepit à patre. C. *Sedet super sedem sanctam suam*, Dominum salvatorem significat, qui sedet ad dexteram patris, regnans in sæcula sæculorum. H. Vel in Angelis sedet, qui propter innocentiam suam sedes Dei dicuntur, inde dixit Cœlum mihi sedes est.

9 Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: ¶ *Populus Dei Abraham.*

E

Quoniam dij † fortes terræ vehementer elevati sunt. † *Scuta terræ.*

H. *Principes populorum*, id est, Apostoli, *congregati sunt* ad judicandum, *cum Deo Abraham*, id est, cum Christo qui est Deus Abrahæ. *Quoniam dij.* C. Hoc est judæi, qui fuerunt *fortes*, quia tumuerunt per superbiam, facti sunt extremi, qui potuerunt per humilitatem esse præcipui. H. Vel dij: sancti sunt, qui hic per fidem & prædicationem vehementer elevati, in judicio amplius & gloriosiùs elevabantur, id est, Apostoli sic congregati in judicio, vehementer sunt elevati judicantes.

Oratio ex Psal. XLVI.

F

R*Ex omnium sæculorum Deus (cuius regnum super omnes populos dilatatur) subiice quæsumus gentes vitiorum sub pedibus nostris: ut dum tibi sapienter Deo nostro psallimus, tuo eas auxilio superemus. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.*

Argumentum Psal. XLVII.

C. *Vox prophetæ laudantis Deum, quod Ecclesiam suam dilataverit.*

TT. ¶ Psalmus cantici filiis Core !! Secunda sabbati :· ¶ *Canticum Psalmi filiorum Core.*

G

Secunda Sabbati.

C. Videamus nunc quid significat *secunda Sabbati*. Sabbatum synagogam, id est, collectionem debemus accipere Iudæorum, quæ sabbatum observare videbatur. Secunda vero ejus Ecclesia Catholica est. Ideo verba Psalmi hujus sacerdotibus tribuuntur, ad Christianum populum edocendum, quos & filios crucis haberi posse non dubium est, & secundos esse tempore post synagogam manifestum est.

1 MAgnus Dominus & laudabilis nimis
In civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

C. *Magnus* dicitur *Dominus*, quia potenter omnia facit. *Laudabilis*, quia pulchra & mira facit. Additur *nimis*, quod non habet terminum, sed suà assiduitate semper augetur. *In civitate*, hoc est in Ecclesia. *Mons* autem sanctus est Christus.

2 † Fundatur exultatione universæ terræ:
Mons Sion latera Aquilonis, civitas regis magni. † *Specioso germine gaudio universa terra: montis Sion, lateribus Aquilonis, civitatula regis magni.*

H

H. Fundata est terra exultatione, ab ascensione Christi, quæ prius maledicto & peccatis subjacebat. *Mons Sion*, C. Natio Iudæorum. *Latera Aquilonis*, populi gentium, facta est *civitas* regis, hoc est Ecclesia Catholica, quam de universo mundo constat esse collectam.

3 Deus in domibus ejus ¶ cognoscetur:
¶ *Agnitus est in auxiliando.*
Cum suscipiet eum.

C. *Cognoscetur* Dominus *in domibus*, id est, in membris suis sanctissimis, virtus sua & potentia declarabitur, quando in Ecclesia beatos viros, ipso largiente, illi offerre monstrabitur.

A

4 Quoniam ecce reges congregati sunt: † Convenerunt in unum. † *Venerunt simul.*

Matt. 2. C. Per *Reges* terræ hoc loco significantur principes Judæorum: quos Herodes congregans in unum, quærebat ubi Christus nasceretur, & illi congregati dixerunt, in Bethlehem. Et *convenerunt in unum*, quia omnes unam protulere sententiam.

5 Ipsi videntes sic ¶ admirati sunt, ¶ *Obstupuerunt.* conturbati sunt † commoti sunt: † *admirati sunt.*

B

¶ Tremor apprehendit eos. ¶ *Horror possedit eos ibi: dolor quasi parturientis.*

6 Ibi dolores, ut parturientis:
¶ In spiritu vehementi conteres naves Tharsis. † *In vento urdenti: confringes naves Tharsi.*

H. *Ipsi* Iudæi, scilicet *videntes* gloriam redemptoris, *admirati* de tanta gloria. *Conturbati*, quia se noverant peccatores: *commoti*, de infidelitate ad fidem. *Tremor apprehendit eos*, à conscientia delictorum, unde dictum est. *A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis.*

Esai. 26. H. *Ibi dolores*, cum corpora affligere per abstinentiam cœperint. *In spiritu vehementi*, hoc enim fortissimo, scilicet sancto spiritu, *conteres naves*, humiliabis superbiam gentium, quia *Tharsis* à navigatione negotiorum superba facta est: significans eos qui hujus sæculi negotiis circumferuntur. C. Isti igitur nunc contriti, credentes dicunt. *Sicut audivimus.* A. Dolores pœnitentis sunt, ut dolores parturientis. *(margin: Naves Tharsis.)*

C

7 Sicut audivimus sic vidimus in civitate † Domini † *Dei.* ¶ virtutum, in civitate Dei nostri. ¶ *Exercituum.*
Deus fundavit eam † in æternum. † *Usque in æternum semper.* Diapsalma.

Civitas Dei. H. *Sicut audivimus* per prophetas, *ita videmus* in Evangelio, quod est civitas virtutum. *In civitate Dei*, id est, in Ecclesia Catholica. C. *Deus fundavit eam*, quia sola illa veraciter civitas Dei nuncupatur.

8 ¶ Suscepimus Deus misericordiam tuam: ¶ *Æstimavimus.*
In medio templi tui.

C. Illi enim misericordiam Dei suscipiunt, qui non solum per fidem sunt vocati, sed etiam per occultam prædestinationem ad æternam beatitudinem sunt electi. H. *In medio templi*: in Ecclesia. C. Misericordia (quæ Christus est) non ab omnibus suscipitur, sed ab his Catholicis qui ejus præcepta sunt secuti.

D

9 Secundum nomen tuum Deus sic ⁝ & ⁝ laus tua † in fines terræ. † *Usque ad extremum terræ.*
Iustitia ¶ plena est dextera tua. ¶ *Repleta.*

C. Nomen enim Dei in toto orbe terrarum sine dubio creditur adorandum. *Plena est ergo dextera ejus, justitiâ* locum significat, ubi justi sunt collocandi, ad dexteram enim veniunt in judicio, quia in illam partem dexteram recipiuntur, qui ejus munere justi esse meruerunt. A. Vel. *Secundum nomen tuum*, &c. id est, quomodo nominatus es per universas terras, sic & laudaris per omnes terras. Illi autem laudant qui bene vivunt: nec potest esse laus nisi in sanctis ejus.

E

10 Lætetur mons Sion ⁝ & ⁝ exultent filiæ Iudæ.
Propter judicia tua ⁝ Domine ⁝.

Filiæ Iudæ. C. Per montem Sion, Ecclesiam significat Catholicam. H. *Exultent filiæ Iudæ*, id est, animæ confessorum, quia Iudas confessio interpretatur. C. Quæ propter judicia Domini exultant, quibus se ad beatitudinem æternam sciunt esse venturas.

11 Circumdate Sion & † complectimini eam?
Narrate in turribus ejus. † *Circuite eam: numerate turres ejus.*

F

Turres, prælati Ecclesiæ. H. *Circumdate Sion*, id est, defendite Ecclesiam in credulitate vestra. *Complectimini eam*, in charitate. *Narrate*, hoc enim prædicate, *in turribus*, id est, in principibus Ecclesiæ, quia sicut turris fortis est, & undique speculatur, sic & sancti & fortes & prædicatores debent esse in genere humano.

12 Ponite ¶ corda vestra in virtute ejus, & distribuite domus ejus: ¶ *Cor vestrum in manibus ejus: separate palatia ejus*
Ut enarretis in progenie † altera. † *Novissima.*

H. *Ponite*, hoc est, intelligite corda vestra: *in virtute*, hoc est in charitate Christi. C. Qua virtute nihil potest esse præstantius. H. O vos Doctores Ecclesiastici, *distribuite domus*, id est, gradus Ecclesiastici ordinis, *ut enarretis*, non solum his qui credunt, sed etiam his qui credituri sunt. C. Per alteram enim progeniem signat populum Christianum, qui ab Hebræo, quem primum Dominus elegit, secundus esse dignoscitur. H. Ideo vos Doctores Ecclesiarum distribuite ejus ordinationum gradus canonicè & sanctè non præmiis corrupti, non personarum acceptione, per adulationem lapsi, ut enarretis. Et quid enarrabimus? *quoniam hic*, &c.

G

Progenies altera populus Christianus est.

13 Quoniam ¶ hic est Deus Deus noster in æternum & in sæculum ⁝ sæculi ⁝ ¶ *Ipse.*
Ipse † reget nos in sæcula. † *Erit dux noster in morte.*

H. Exponit iste versiculus, quid Ecclesiastici Sacerdotes narrare debent, scilicet: *Quoniam hic est Deus Deus noster.* C. *In æternum*, contra illos dicit, qui sibi temporales homines deos esse somniabant. *Reget* utique ille *nos*, quia ipse est rex noster. H. Reget lubricos & tortuosos gressus nostros.

Oratio ex Psal. XLVII.

H

Laudabilis atque terribilis Deus, qui in cælesti Ierusalem princeps magnificus inveniris: dilata mentem nostram spiritali intelligentiâ, ut misericordiâ tuâ in nostri pectoris templo susceptâ, digni narratione tui nominis habeamur. Per Dominum nostrum, &c.

Argumentum Psal. XLVIII.

C. *Vox Christi de meritis justorum, pœnis impiorum, & ne divites in hoc sæculo timeantur.*

TT. ¶ In finem filiis Core Psalmus. ¶ *Victori filiorum Core Psalmus.*

A

C. Tituli bujus verba contrahuntur ad Dominum salvatorem. Ipse enim & in finem significat, & per filios crucis intelligitur & per Psalmistam sine dubio denuntiatur. Et per totum Psalmum verba funt omnipotentis filij.

1 AVdite hæc omnes † gentes : † *Populi.*
Auribus percipite omnes ¶ qui habitatis orbem. ¶ *Habitatores occidentis.*

C. Admonetur universalis Ecclesia, ut veniant ad audiendum Christum, quia non vult Christus tantum paucis prodesse, sed omnibus cum puro corde quærentibus. *Auribus percipite*, id est, ut in finibus suæ memoriæ reponat. *Habitatores orbis*, Christianos & justos accipimus, qui sic noverunt habitare in orbe, ut in ejus sceleratis non implicentur erroribus.

B

Habitatores orbis.

2 † Quique terrigenæ & filij hominum : † *Tam filij Adam quam filij singulorum.*
¶ In unum dives & pauper. ¶ *Simul.*

Terrigenæ.

C. *Quique terrigenæ*, per hoc intelligendum est, quod omnes habitatores terræ, ad audiendum verba Dei vocentur. C. Terrigenæ peccatores sunt, qui vitia terrena sectantur. *Filij hominum* : justos dicit, quoniam & ipse Christus filius hominis dictus est. H. Per *divitem & pauperem* liber & servus accipiuntur.

3 Os meum loquetur ¶ sapientiam : ¶ *Sapientias.*
Et meditatio cordis mei † prudentiam. † *Prudentias.*

C

Sapientia & prudentia differunt.

C. *Os Christi loquitur sapientiam*, id est, ad divina mysteria declaranda, quæ occulta sunt ab bujus sæculi sapientibus. *Prudentia* pertinet ad mores probabiles instituendos, sic omnis divinus sermo his duabus virtutibus plenissime indicatur. H. Semper in corde meditabor, ut homines relinquentes stultam vanitatem, Christi prudentiam sequerentur.

4 Inclinabo † in parabolam aurem meam: † *Ad.*
Aperiam in ¶ psalterio propositionem meam. ¶ *Citharæ ænigma meum.*

C. Aurem inclinaturum se promisit Christus, ut cognosceret si prædicationem ejus populus devotus impleret. *In parabolam*, Similitudo enim rei veræ imitatio est, ut quod nobis ad exemplum datum est, devotá æmulatione promptè Domino præstante faciamus. *Aperire* se dixit *in psalterio propositionem*, id est, declaraturum præcepta divinitatis in sanctitate proprij corporis, ut probaretur docere verbo & exemplo. Psalterium enim (sicut sæpe diximus) corporis Domini decora similitudo est.

Similitudo.

D

Psalterium.

5 Cur timebo in † die mala ? † *diebus malis.*
Iniquitas calcanei mei circumdabit me.

C. *Cur timebo.* Sub interrogatione & responsione propriá versus iste est pronuntiandus, id est, quare formidolosa cogitatione confundar, *in die malâ*, in die scilicet passionis. Quæ mala judæis, bona fidelibus fuit. Ille enim debet timere finem vitæ, qui peccatorum recordatione mordetur. Christus autem mortem timere non poterat, quem non circumdabat iniquitas calcanei, quemadmodum solet contingere peccatori in fine vitæ, ut tunc iniquitas scelerato fine vitam claudat. H. Vel quilibet homo sua peccata agnoscens dicit, cur timebo in die mala, id est, judicij. Et respondet, ideo, quia iniquitas calcanei mei circundabit me. H. Id est, peccatum actuale vel originale.

Timere finem.

E

6 Qui confidunt in ¶ virtute sua : ¶ *Fortitudine.*
Et in multitudine divitiarum suarum † gloriantur. † *Superbiunt.*

H. *Qui confidunt in virtute sua*, illi labuntur in calcaneo. C. Et in multitudine divitiarum suarum : necesse est enim, ut tales timeant finem, qui deserere mandata nolunt, & peccatorum suorum pœnas formidant. Virtutem vero dixit corporis vires, animi robur, linguæ disertitudinem.

F

7 Frater non redemit, redimet homo:
Non dabit Deo placatiooem suam. ¶ *Fratrem redimens non redimet vir, nec dabit Deo propitiationem pro eo.*

H. *Frater non redimit*, id est, Adam, quia mortuus ipse non surrexit, vel frater non redemit, id est, Moyses. *Redimet homo*, id est, Christus, quos Moyses non redemit. Ille non dabit Deo placationem, qui non agit pœnitentiam, per quam placatur Christus. C. Vel sub admiratione legendum est sic. Non redimet vel frater non redimit, scilicet Christus, redimet, scilicet ne homo, scilicet Adam ? quasi diceret, si Christus non redemit vel redimet, nemo redimet, unde negative legendum. *Non dabit Deo*, &c. ullus homo.

8 † Et pretium redemptionis animæ suæ:
Et laborabit in æternum & vivet * adhuc :· in finem. † *Neque pretium redemptionis animæ eorum, sed quiescet in sæcula. Et vivet ultra in sempiternum : & non videbit interitum. Cum viderit, &c.*
9 Non videbit interitum cum viderit sapientes morientes :
Simul insipiens & ¶ stultus peribunt. ¶ *Indoctus.*

G

H. *Et pretium redemptionis* : subauditur non dabit, quia non fecit eleemosynam per quam peccata delentur. *Laborabit in æternum*, in tormentis perpetuis positus, *& vivet in finem*, quia non interficitur, sed semper reparatur ad pœnam H. *Non videbit interitum*, hoc est, non intelligit sibi imminere tormenta. *Cum viderit hominem* in Deo *sapientem*, ab hoc mundo migrare, dicit, quid huic jejunia, quid castitas, quid eleemosynæ profuerunt, nonne & ipse mortuus est? Tale quiddam redemptori nostro Iudæi insultantes dicebant. *Nunquid tu maior es patre nostro Abraham* ? C. Insipiens est qui prædicationibus prophetarum acquiescere non vult. Stultus vero dictus : qui nec ipsum Dominum venientem vult recipere. Hi ergo simul peribunt, quoniam in futuro judicio damnandi sunt.

H

Ioan. 8.

Insipiens. Stultus.

10 Et relinquent alienis divitias suas:
11 Et :· ¶ sepulchra eorum domus illorum in æternum. ¶ *Interiora sua domus suas in sæculum.*

H. Qui in divitiis & non in Domino sperant, perdunt utrumque, & divitias & Dei adjutorium : Divitias ideo perdunt, quia ibi posuerunt ubi fures effodiunt : Dei adjutorium, quia illum spreverunt. *Et divitias* quas magnopere diligebant, non suis, sed (quod gravius uret) *extraneis derelinquent*, propter quas omnia peccata commiserant. Et fabricant sibi sepulchra

de

A de marmore, firma magna & pulchra quaſi domus in æternum manſuras. Ecce etiam morientium pompa.

11 Tabernacula † eorum in progenie & progenie: † *Sua.*
Vocaverunt ¶ nomina ſua in terris ſuis. ¶ *Nominibus ſuis terras ſuas.*

H. Hæc erit illis perpetua habitatio, quia non reſurgunt, ut habeant vitam æternam, ſed ut damnentur in pœnam. *Vocaverunt*, ſæpe enim pagani ſupra defunctorum epulantur ſepulchra, & in nomine mortuorum bibentes, inania quædam cum modulatione canunt. C. Atque invocant *nomina* mortuorum, & credunt hoc illis prodeſſe. H. Sed nihil prodeſt in inferno damnatis, & ita per terras, ſepulchra accipiuntur. Et invocaverunt habet alia litera, quod hic exponitur.

B

12 Et homo † cum in honore eſſet non intellexit:
Comparatus eſt jumentis / insipientibus: † *In honore non commorabitur: & ſimilatus eſt jumentis & exæquatus eſt.*

H. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit*, eſſe ſe ad imaginem Dei formatum. C. *Comparatus eſt jumentis*, digna ſimilitudo datur vecordibus, ut qui ſe imaginem Dei geſtare non intelligunt, congrue jumentis inſipientibus comparantur. Nam tolle homini Dei ſcientiam, & omnino pecus inſipiens eſt, præſumptio vana & caduca ſuperbia.

13 Hæc † via illorum ſcandalum ipſis:
C Et poſtea in ore ſuo complacebunt. † *Eſt via inſipientia eorum, Et poſt eos juxta os eorum current, ſemper.* Diapſalma.

C. *Hæc via*, id eſt vita, in qua in hoc ſæculo ambulamus. Sed hæc via quid malis faciat non tacetur. *Scandalum* utique actoribus ſuis, id eſt, ſtimulum atque dolorem. Non enim ad ſecuritatem ſuam quicquam peccator facit, cui de ſua provenit actione, torqueri. Conſuetudo eſt peccantium, ut poſtquam impleverint votum in peccato, mox divinitati gratias agant, in ore non in corde, unde dicit: *poſtea in ore ſuo complacebunt*, Deo gratias agentes quod proſpere peccaverint.

14 Sicut ¶ oves in inferno poſiti ſunt: ¶ *Grex.*
Mors † depaſcet eos. † *Paſcet.*

C. *Sicut oves* lanæ ſine amiſſione jugiter perſeverant, ſic ſemper in illis ſine imminutione ſubſtantiæ, invenit pœna, quod cruciet. H Merito *à morte depaſcuntur*, qui Chriſtum noluerunt habere paſtorem.

D

15 Et ¶ dominabuntur eorum juſti in matutino: ¶ *Subiicient eos recti.*
Et † auxilium eorum veteraſcet in inferno à gloria eorum. † *Figura eorum conteretur in inferno poſt habitaculum ſuum.*

C. *Et dominabuntur eorum*, quod utique in illa reſurrectione fœlicium eſt, ut malis præmineant boni, hic enim juſtos obtinent peccatores. *In matutino*, cum gloria reſurrectionis illuxerit. Quorum *auxilia* tanquam panni putrefacti *veteraſcunt*, quia eorum divitiæ nihil illis proſunt. *A gloria ſua*, quam in iſto ſæculo habuerunt. A. Id eſt, in comparatione ad gloriam eorum quam hic habuerunt, quanto enim amplius hic ſunt gloriati, tanto plus in inferno corruptionem patientur.

Apoc.18.

E

16 Veruntamen Deus redimet animam meam: de manu ¶ inferi. ¶ *Inferni.*
Cum † acceperit me. † *Aſſumpſerit.* Diapſalma.

C. *Liberavit Deus animas* eorum, qui adventum ejus conſtanti animo crediderunt. *De manu inferi*, de poteſtate diaboli: qui ante adventum Chriſti animas tenebat obnoxias.

17 Ne timueris cum dives factus fuerit homo: ¶ *Noli timere, cum ditatus fuerit vir.*
Et cum multiplicata fuerit gloria domûs ejus. F

C. Dives enim dictus eſt à divo, qui quaſi Deus creditur nihil indigere: per quem hic impium debemus accipere. *Cum ejus gloria multiplicata fuerit*, junge, *ne timueris.* De manu inferi.

H. Dives effectus eſt Iudas proditor vendendo magiſtrum, ſed nihil pretij, quod acceperat ſecum cum moriebatur deportavit. Si ergo nunc unuſquiſque oppreſſo paupere dives efficitur, noli timere, cito præterit, & nihil ſecum de his quæ rapuerat tollit, Domino dicente. *Stulte hac nocte animam tuam repetent, quæ autem paraſti cujus erunt.* Dives. Luc.12.

18 † Quoniam cum interierit non ſumet omnia: † *Neque enim moriens, tollet omnia.*
Neque deſcendet ¶ cum eo gloria ejus: ¶ *Poſt eum.*

C. Ecce redditur ratio quare timere non debet mundi glorioſos. Cur enim timemus divitem, qui moritur pauper, nec aliud ſecum valet portare, niſi unde poſſit ardere? Et bene dicitur deſcendere in profundiſſimam foveam, ſed ſine gloria ſæculi, ſine turba ſatellitum. Et domus illa quam mirabaris, remanet tota, ſed onera quæ non videbas tranſmittit ingentia ſecum in gehennam. G

19 Quia ¶ anima ejus in vita ipſius benedicetur:
Confitebitur tibi cum benefeceris ei. ¶ *Animæ ſuæ in vita ſua benedicet, Laudabunt te, cum benefeceris tibi.*

C. Iſta benedictio non ad ſanctificationem pertinet, ſed ad favorem. Benedicitur enim dictum eſt propter linguam ſatellitum, inter epulas ſuos dominos collaudantium. *Cum eis benefeceris, confitebitur*, id eſt, Tunc agit gratias Deo, quando aliquid lucri conquirit. H

20 Introibit uſque in progenies patrum ſuorum:
Vſque † in æternum † *Ad finem.* non videbit ¶ lumen. ¶ *Lucem.*

C. Qui in iſto ſæculo patres peſſimos imitantur, eorum ſocietate damnandi ſunt. *Vſque in æternum non videbit lumen*, id eſt, lumen ſapientiæ hic & in æternum. Lumen quod illuminat omnem hominem, quod ſoli ſancti in deitate videbunt. Sicut enim peccata ſunt tenebroſa, ita peccatoribus ſapientiæ lumen auferunt. H De quibus dicitur. *Proiicite eum in tenebras exteriores.* Mat.20.

A

11 Homo cum in honore esset non intellexit:
Comparatus est jumentis :: insipientibus :· & † similis factus est illis. † *Silebitur.*

C. Conclusit Propheta pulcherrimum Psalmum parilitate versûs, ut se peccator à malo proposito removeret, cum stultitiam suam iteratâ increpatione cognosceret.

Oratio ex Psal. XLVIII.

B

Reple Domine os nostrum sapientiâ tuâ: ut memores te hominem factum, nosque redemisse de tartaro, mereamur vultûs tui lumine decorari. Qui cum patre & spiritu sancto, &c.

Argumentum Psal. XLIX.

C. *Vox synagogæ de primo & secundo adventu Christi, ipsiusque admonitio, ut ei sacrificium laudis fideles offerant.*

TT. Psalmus Asaph.

Asaph. H. Asaph erat egregius musicus, cujus nomen interpretatur congregatio. Psalmus iste, discernit justos ab impiis, cœlestes à terrenis, sanctos à peccatoribus: protestatur etiam non se locutum Propheta, sed ipsum Dominum, dicens, *Deus, &c.*

1 † DEus deorum Dominus locutus est † *Fortis Deus Dominus.*
Et vocavit terram.

C

Deus. Dij. Ioann. 1.

C. *Deus* enim timor græcâ linguâ dicitur. H. igitur Deus in Trinitate pater & filius, & spiritus sanctus. Unus tamen *Deus deorum*: Dij enim dicuntur boni homines. *Locutus est.* C. per prophetas & Apostolos. *Et vocavit terram*, id est, genus humanum. H. Credentes deos nuncupari voluit, quia dedit eis potestatem filios Dei fieri. C. Dicuntur itaque filij sicut & dij: quia utrumque gratia præstat, non natura.

2 A solis ortu usque ad occasum:
¶ Ex Sion species decoris ejus. ¶ *De Sion perfectio decore Deus apparuit.*

C. *A solis ortu*, per solis cursum universum significat mundum, quia omni terræ oritur & occidit claritas ejus. *Ex Sion species*, Hierusalem, in qua mons iste puris mentibus velut aurea massa resplendet. De hac enim urbe exeuntes Apostoli, speciem decoris ejus annuntiaverunt in toto orbe terrarum, sicut Esaias dicit: *Ex Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.*

D Esaie. 2.

3 † Deus manifestè veniet:
Deus noster & non silebit. † *Veniet Deus noster & non tacebit.*

C. Nunc de secundo Christi adventu propheta dicit, *manifestè veniet.* Manifestè vero tunc veniet Christus, quando jam non cruci affigendus, sed judicaturus est mundum. Silet enim modo per patientiam cum peccamus, tunc autem non silebit, cum sceleratis dicturus erit, *ite in ignem æternum.* Manifestè vero dicitur, quasi à mane dies festus dictum sic à sacrificiis, quia totâ die festivitati vacaretur.

Mat. 25. Manifestè.

E

4 Ignis ¶ in conspectu ejus exardescet: ¶ *Coram eo vorabit.*
Et in circuitu ejus tempestas valida.

H. *Ignis* hic duplicem habet virtutem, illuminat enim & exurit. Gaudeant enim justi, quia illuminantur ex eo, timeant peccatores, quia exurendi sunt ab eo. C. Hæc *tempestas* non ventis agitur, nec procellis sævientibus excitatur, sed ex divina potentia vehemens spiritus consurgit, ut area Domini æquitatis ejus sententiâ ventiletur. Tunc frumenta sequestrat a paleis. Quod judicium merito tempestas dicitur, quia improvisum veniet, & nimiâ claritate bonos discernet.

Ignis illuminat & exurit. Tempestas, extremum judicium dicitur.

5 † Advocavit cœlum desursum: † *Vocabit.*
Et terram ¶ discernere populum suum. ¶ *Ut iudicet populum suum.*

F

H. Advocavit cœlum, id est, Apostolos vel reliquos sanctos, qui despectis terrenis quæ sursum sunt sapiunt. Discernit autem terrenos, ut cum cœlestes ponuntur ad dexteram: hi ad sinistram collocentur.

6 Congregate † illi sanctos ejus: † *Mihi sanctos meos.*
Qui ¶ ordinant testamentum ejus super sacrificia. ¶ *Feriunt pactum meum in sacrificio.*

C. Nunc synagoga Christi verba facit ad Angelos, qui ministerio suo in fine sæculi congregabunt omnes sanctus de universo mundo. H. *Qui ordinant*, id est, qui sancti prædicant vel implent *testamentum* novum super vetus, ut per testamentum novam legem, per *sacrificia* veterem intelligas. H. C. Vel qui ordinant testamentum, id est, ordinabiliter dant & faciunt sicut testatus est Christus eis, qui opera misericordiæ exercent, regnum accepturi æternum, in quorum miserationibus Deus super omnia sacrificia delectatur.

Testamentum super sacrificia.

G

7 Et annunciabunt cœli justitiam ejus:
Quoniam Deus judex est. Diapsalma.

C. *Cælos*, viros justos dicit, quibus verbi cœlestis dispensatio condonatur. *Quoniam Deus judex est*, ac si diceret, qui nescit falli, & sicut omnia manifestè novit, ita sine reprehensione discernit. H. Vel sancti prædicabunt justitiam, id est, mandata ejus, & prædicabunt quod est judex vivorum & mortuorum, ideo justitia est timenda.

Cœli viri justi.

8 Audi † populus meus & loquar: † *Popule.*
Israël & testificabor ¶ tibi. ¶ *In te.*
Deus Deus tuus ego sum.

H

C. *Audi populus meus*, hic ipsa veritas ex propria persona loquitur. Populus hic significat plebem devotam. Cum dicit audi, id est, devota mente suscipe. *Loquar*, subaudi profutura. *Testificari*, id est, testimonium dicere. Tunc fidelibus testimonium dabit, cum dicturus est. *Esurivi enim & dedistis mihi manducare.* Est hic autem magnum sacramentum dum dicit, *sum*, Sum enim proprium est divinitatis verbum, eo quod semper adest & tempore non mutatur. Est vero ibi & aliud sacramentum, quia scilicet una syllaba tribus litteris continetur, ut sancta trinitas unus Deus esse doceatur.

Mat. 25. Sum, proprium verbum divinitatis est.

9 Non † in sacrificiis tuis arguam te: † *Propter victimas tuas.*
¶ Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. ¶ *Holocaustomata.*

A

Holocausta Christianorum.

C. *Non in sacrificiis tuis*, ad populum iudaicum loquitur, non iam exquirenda esse sacrificia pecudum, sed cor contritum. *Holocausta* autem esse accepta in conspectu suo, scilicet quando mens nostra divino amore succensa, peccata sua lamentatione decoquit & tribulatione, ut cruciatu corporeo omnia vitia causta, consumantur.

10 Non accipiam de Domo tua † vitulos: † *Vitulum.*
Neque de gregibus tuos hircos.

C. Cum duo respuit universa primi temporis sacrificia designat modis omnibus excludenda, significatur enim à parte totum.

11 Quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum:

B

¶ Iumenta in montibus & boves. ¶ *Pecudes in montes millium.*

C. *Feræ sylvarum*, gentes significant. Sylvestres in montibus, simplices in Catholica Ecclesia, qui in cacumine fidei habitare noscuntur. *Boves*, Apostolos, Prophetas & Prædicatores: qui in agro Domini assiduo labore versati sunt.

12 † Cognovi omnia volatilia cœli:
Et pulchritudo agri mecum est. † *Scio omnes uaes montium & universitas agri mecum est.*

C. Quis enim omnia *volatilia cœli* potest cognoscere nisi sola maiestas, quo versiculo cuncta complexus est. H. *Pulchritudo agri* cum illo est, quia ubi voluerit, copia omnium rerum vel administratur vel negatur.

C

13 Si esuriero non dicam tibi:
Meus est enim orbis ⁝⁝ terræ ∴ & plenitudo eius.

Esa. 4.

H. Esurire Dei, est non in escis carnalibus, sed ut faciat quis voluntatem eius, ergo tacet Israëli suam esuriem, quia expectat peccatoris conversionem. *Orbis terræ* illius est, id est, sancta Ecclesia, ac si diceret, eam redimendam esse suo sancto sanguine.

14 Nunquid manducabo ¶ carnes taurorum: ¶ *Carnem.*
Aut sanguinem hircorum † potabo? † *Bibam.*

Sacrificia in pauperes erogata.

C. Quomodo grata erunt Deo, quæ non sunt necessaria? H. Vetera hic sacrificia evacuanda esse declarat. Ideò in moribus bonis sacrificium requirit dicens. *Immola*, &c. Sed possunt hic repudiata nobis proficere, cum acceperint à nobis ista indigentes, cum esuriens pascatur, sitiens potetur. Et in pauperibus accipit Deus, qui sibi in sacrificiis offerri non permittit.

D

15 Immola Deo ⁝ sacrificium ∴ ¶ laudis: ¶ *Laudem.*
Et redde altissimo vota tua.

C. Ille *Deo immolat sacrificium laudis*, qui à terrenis vitiis fuerit segregatus, & moritur mundo, ut hostia fiat Christo. *Vota* quoque *reddit altissimo*, qui ei talia immolanda præparavit, qualia ipse propitius præcepit. H. Hoc est autem sacrificium acceptabile, hoc est holocaustum pingue, ut laudetur Deus ab homine quem creavit.

16 * Et ∴ invoca me in die tribulationis:
⁝ Et ∴ † eruam te & honorificabis me. † *Liberabo te & glorificabis me.*

E

C. Præcepit enim *invoca me*, ne quis spem haberet in terreno solatio, ubi sunt caduca universa. *In die* quando te affligit adversarius. *Eruam te*, quasi dicat, circumdatum a satellitibus diaboli, summa celeritate liberabo. *Magnificabis* sive honorabis me, id est, magnum me esse in æternum pronunties. Romana siquidem translatio *magnificabis* habet, gallicana vero, *honorificabis*, quod idem est.

17 ¶ Peccatori ¶ *Impio.* autem dixit Deus † quare tu enarras iustitias meas:
Et assumis testamentum meum per os tuum. † *Quid tibi est cum enarratione præceptorum meorum, ut assumas pactum meum in ore tuo.*

F

C. Interdicitur hic sceleratis qui converti nolunt, ne se præsumant sermonibus miscere divinis, quia os debet esse iustum, quod iustitias Domini enarrare præsumit. *Testamentum* vero: vetus & novum significat, quia dum unum suspense dicitur, utraque memorantur. H. Audiant doctores vel Episcopi Ecclesiarum, qui peccata populorum resecant prædicando, qui quod prædicant opere non implent.

18 ¶ Tu vero odisti disciplinam:
Et proiecisti sermones meos retrorsum. ¶ *Qui odisti disciplinam, & proiecisti verba mea post te.*

C. *Odit disciplinam*, qui ad correctiones iustas iniquâ præsumptione remurmurat, & non vult, Deum in se vindicare, quod peccat. *Proiicit* etiam *post se sermonem Dei*, qui sequi divina iussa contemnit.

G

19 Si videbas furem † currebas cum eo: † *Consentiebas ei.*
Et cum adulteris ¶ portionem tuam ponebas. ¶ *Erat pars tua.*

C. Ita istum versiculum debemus accipere, ut in his duobus prohibitis, omnia crimina vetuisse videatur. Ille *currit cum fure*, qui ei ad faciendum scelus socia voluntate iungitur. *Ponit portionem cum adultero*, qui ei adiutorium præbet, quo sua vota perficiat. Ibique sine dubio habere dignoscitur portionem.

20 Os tuum † abundavit malitiâ: † *Dimisisti ad malitiam.*
Et lingua tua ¶ concinnabat dolos. ¶ *Concinnavit dolum.*

H

C. Hic enim os, cogitationem cordis debemus accipere: tunc enim abundant *malitiâ* cogitationes, quando per diversa genera peccatorum iniquâ voluntate grassantur. *Et lingua tua*, &c. Qui enim falso laudat alium, dolum in lingua facit.

21 Sedens adversus fratrem tuum loquebaris:
Et adversus filium matris tuæ † ponebas scandalum: † *Fabricaris opprobrium.*
Hæc fecisti & tacui.

Frater.

Ponere scandalū.

C. Sedere enim morantis est, & ideò gravius peccat, qui moratur in detractione fraterna. *Fratrem* hic omnem proximum carnis debemus accipere, quia & de spirituali dicturus est. *Filium matris* sobolem dicit Ecclesiæ. Ponit ergo *scandalum* fratri suo, qui hæreticas pravitates vel alias interceptiones excogitat: quibus frater innocens capiatur. *Hæc fecisti & tacui.* H. Quia ea examinanda in futurum reservari iudicium: tacui enim iam, quia non statim vindicavi, sed sustinui.

A

22 Existimasti ¶ iniquè quod ero tui similis: ¶ *Me futurum similem tui.*
Arguam te & † statuam contra faciem tuam † *Proponam te ante oculos tuos.*

C. *Existimasti iniquè*, hoc est, quia Deus tacet & differt vindicare peccata, ideò creditur à stultis illi placuisse scelera humana. H. *Arguam* verò *te*, cum in sinistra parte sedis fueris collocatus. C. *Statuam*, quòd superius dixit: peccatorem verba sua (quæ semper ante oculos habere debuit, ut secundum ea viveret) post tergum & retro proiecisse. In iudicio igitur peccator ante faciem suam videbit, quod se putabat oblivionis beneficio præteriisse. Formido inæstimabilis, illa homines videre, per quæ se norunt ad æterna supplicia pervenire.

B

23 Intelligite ¶ hæc qui obliviscimini Deũ: ¶ *Hoc.*
Ne † quando rapiat & non sit qui eripiat. † *Fortè rapiat & non sit qui liberet.*

Oblivisc. Deũ.

C. *Intelligite*, id est, obedite *qui obliviscimini Deum.* Ille obliviscitur Dei, qui præcepta ipsius iniquâ præsumptione contemnit. *Nequando rapiat*, scilicet diabolus. Quando enim ille rapit, non est *qui eripiat* ad salutem, nisi Dominus per suam magnam misericordiam. H. Vel aliter, quando rapit Christus obliviscentes se, hoc est præcipitat in mortem, ei nemo eripere potest. Quando enim diabolus rapit hic, est qui eripiat ad salutem, Christus scilicet. Cùm verò Dominus rapit ad vindictam, non est qui liberare possit addictum.

C

24 ¶ Sacrificium laudis honorificabit me:
Et illic iter quo ostendam illi salutare Dei. ¶ *Qui immolat confessionem, glorificat me: Et qui ordinavit viam, ostendam ei salutare Dei.*

H. *Sacrificium laudis*, quia de omni bono, quod sancti faciunt Deus honoratur. *Iter* Christus est per opera sanctorum. *Salutaris Dei* patris est filius. C. Vel iter, beatissimam Psalmodiam appellat, quod non pedibus, sed puris mentibus ambulatur, & ducit ad Christum. H. O gloriosa semita quæ ducit ad cœli terræque creatorem.

Oratio ex Psal. XLIX.

D

DEorum Domine te rogamus, uti nos suscipias in sacrificio laudis, quo sine onere peccati tuas iustitias enarrantes, iter illud, quod salutare tuum ostendit gradiamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.

Argumentum Psal. L.

C. Vox pœnitentiam agentis.

TT. ¶ In finem Psalmus David, ¶ *Victori, Canticum David.* cum venit ad eum Nathan Propheta: cum intravit ad † Bersabee. † *Bethsabee.*

H. Iste quinquagesimus Psalmus vocem continet pœnitentis, ostendens, ut qui ciciderit in crimen aliquod, mala sua confitendo redeat ad salutem.

E

1 MIserere mei Deus:
Secundum /: magnam. :· misericordiam tuam.

C. Cum se audisset rex potentissimus à Natham propheta redargui, peccatum suum non erubuit publicè confiteri, dicendo iudici. *Miserere mei.* Vox ista non discutitur, sed sub tranquillitate semper auditur, soláque res est per quam possumus rei apud Dominum sine aliqua difficultate defendi. H. Qui enim se miserum putat esse de suis peccatis, cum illo facit Deus *misericordiam magnam.* 2. Reg 12.

2 /: Et :· secundum multitudinem miserationum tuarum.
Dele † iniquitatem meam. † *Iniquitates meas.*

F

H. *Secundum multitudinem*, &c. confugio ad miserationes tuas, ut gravibus vulneribus thiriacam vel medicinam tuæ miserationis infundas. *Miserationum* dicit, quia multa sunt peccata mea, & miserationes tuæ multæ. C. Ille enim solus in libro vitæ conscribitur, cuius omnia peccata delentur.

3 ¶ Amplius lava me ab iniquitate mea: ¶ *Multum.*
Et à peccato meo munda me.

H. *Amplius lava me* ac si dicat. Tu potes plus mihi remittere quam ego te intelligam rogare. C. Addit *munda me*, quatenus in eo nihil remanere possit immundum, potest enim aliquis sic lavari, ut non sit omnino purissimus, rectè igitur addidit *munda me.* Mũdare plus est quam lavare.

G

4 Quoniam † iniquitatem meam ego cognosco: † *Iniquitates meas ego cognovi.*
Et peccatum meum contra me est semper.

C. Peccata enim illa fortiora sunt, quæ agnoscentes committimus, non autem illa quæ per ignorantiam perpetramus. *Contra se* dicit stare delicta, quia iam hic constitutus, quasi in venturo iudicio, delictorum suorum aspectus teterrimos pertimescit, & contra se stare dicit delicta, quasi quandam imaginem figuratam, & hoc non semel aut bis, sed *semper.*

5 Tibi soli peccavi & malum coram te feci: Vt iustificeris in sermonibus tuis & vincas cum ¶ iudicaris. ¶ *Iudicaberis.*

H

C. Si quis enim de populo erraverit, & Deo peccat & regi. Nam quando rex delinquit, soli Deo reus est. Iste igitur rex *soli Deo* peccare se dicit, quia hominem non habet, qui eius facta diiudicet. Et quia illum ubique esse noverat, iure *coram eo malum se fecisse* deplorabat. Sermones autem Domini merito iustificati dicuntur, quoniam sine dubio semper eius dicta complentur. Ista autem verba, *& vincas cum iudicaris*, quidam aptant ad Domini passionem, cum iudicatus vicit, & mundum damnatus absolvit, sed intelligi rectè potest vincere Deus cum iudicatur ab hominibus, quia in omni iudicio Deus iustus probatur. Tibi soli peccatur.

6 Ecce /: enim :· in ¶ iniquitatibus conceptus sum: ¶ *Iniquitate.*
Et in † peccatis concepit me mater mea. † *Peccato peperit.*

H. Hic versiculos totius humani generis casum exponit. Concipitur enim homo & nascitur in originali peccato, quod ex Adam trahitur, sed baptismo per gratiam Dei purificatur. Peccatũ originale.

A

7 Ecce enim veritatem ❡ dilexisti: ❡ *Diligis.*
† Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. † *Absconditum & arcanum.*

Incerta & occulta sapientiæ tuæ.

C. Non enim delectatur Deus pœnis nostris, sed confessionem veram quærit erroris. David igitur peccatum non negans, *veritatem* confessus est, quam Deus supra sacrificia quærit & *diligit. Incerta* ergo & *occulta* sunt, quæ Deus prophetæ David in filij sui manifestatione revelavit, id est, ut passionem eius futuram prædiceret & resurrectionis gloriam nuntiaret, & inde dicit se non debuisse peccare, cum talia meruisset agnoscere. Incerta propriè sunt quæ omnino discerni non possunt, sed aliquibus ambiguitatibus colliguntur. Occulta vero sunt quæ nec oculus conspicit nec mens humana diiudicat.

B

8 Asperges me // Domine :· ❡ hysopo & mundabur: ❡ *Hyssopo.*
Lavabis me & super nivem dealbabor.

Hysopū.

H. Sicut enim hysopum, id est, humilis herba curandis pulmonibus aptum est, ita cœlesti quis respersus hysopo, id est, humilitate cordis, ab omni superbiæ malignitate purgatur. *Lavabis me*, hoc est per pœnitentiam. C. Per hysopum igitur Christi sanguinem intelligit, qui non solum inquinamenta detergit, sed etiam super nivem puritatem relucentis animæ ostendit, quia spiritalis anima longè supra corpora mundana (quorum nullum nive albius est) resplendet.

9 † Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: † *Auditum mihi facies gaudium.*
Et ❡ exultabunt ossa humiliata. ❡ *Exultent ossa quæ confregisti.*

C

Gaudiū & lætitia.

H. *Auditui meo*, id est cum iacens in infirmitate peccati audire meruero, *homo dimissa sunt tibi peccata tua: dabis gaudium auditui meo & lætitiam.* C. Gaudium pertinet ad absolutionem peccatorum; Lætitia vero ad perpetua præmia possidenda. *Ossa* vero significant animi firmamenta, quæ necesse fuerat humiliari, usque dum pœnitens potuisset absolvi. H. Ossa, id est, virtutes quæ peccatis fuerant humiliatæ: vel spes æternitatis, est ossa humiliata.

10 † Averte faciem tuam à peccatis meis: † *Absconde.*
Et omnes iniquitates meas dele.

H. *Averte faciem tuam*, id est, ne videas peccata mea, ne recorderis illa: & *omnes iniquitates* præteritas & præsentes atque futuras *dele.*

D

11 Cor mundum crea ❡ in me Deus: ❡ *Mihi.*
Et spiritum † rectum innova in visceribus meis. † *Stabilem renova.*

C. *Cor mundum* petit propheta *sibi creari*, id est, restaurari, quod iam impellentibus peccatis commoveri nullo modo possit ad culpam. *Et spiritum rectum*, &c. Nam ut per Adam veteres sumus, ita Christi Domini beneficiis innovamur. H Vel spiritum rectum quo rectè confitear, vel rectum ad videndum & discernendum sicut antea rectus fuit in me.

12 Ne proiicias me à facie tua:
Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.

Genes.4.

H. *Ne proiicias me*, ut sicut Cain exul efficiar à potentia tua. *Et ne auferes Spiritum Sanctum tuum à me*, sed ab eo consumptis delictis, tuo me statuas conspectui. Vel spiritum sanctum, hoc est spiritum prophetiæ.

E

12 Redde mihi lætitiam ❡ salutaris tui: ❡ *Iesu tui.*
Et spiritu † principali confirma me. † *Potenti.*

H. *Redde mihi lætitiam*, hoc est illam exultationem Christi tui, quam in eo habui priusquam peccarem. *Spiritu principali* dixit, id est, ut ipse in me, & non vitia principentur. Vel spiritu principali patrem; per spiritum rectum, filium, per spiritum sanctum, ipsum spiritum sanctum accipe.

14 Docebo iniquos vias tuas:
Et ❡ impij ad te convertentur. ❡ *Peccatores.*

F

H. *Docebo iniquos*, hoc est poniam me ipsum, ut meum exemplum imitentur. C. Quoniam si prophetæ parcatur, maxima spes remissionis delinquentibus conceditur. Docebo igitur exemplo remissionis meæ, sperare peccatores, & verbo prædicabo mirabilia miserationis tuæ.

15 Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ:
// Et :· † exultabit lingua mea iustitiam tuam. † *Laudabit.*

Liberari de sanguinibus.

C. Liberari se propheta petit *de sanguinibus*, quod contra latinam regulam positum est, sed laudandus omnino translator est, qui elegit aliquid contra artem sæcularium ponere quam à veritate posita discrepare. Nam si diceret à sanguine, forsitan unum peccatum videretur ostendere, sed cum pluralem numerum ponit, multa esse sine dubio delicta confitetur. *Deus salutis*, significat Dominum Christum, per quem salus piè credentibus datur. *Exultabit*, id est, si me liberaveris de peccatis, laudem tuam lingua mea iustè loquetur, propter hoc quod in præterito psalmo dictum est, *Peccatori autem dixit Deus*, &c. Absolutus enim rectè loqui potuit illud, à quo peccatorem divina lex suspendit.

G

Deus salutis Christus.

16 Domine labia mea aperies:
Et os meum annuntiabit laudem tuam.

Eccl.15.

H. Aperiri sibi petit *labia*, quæ clausa erant per peccatum. Quia non est pulchra laus ex ore peccatoris. C. *Os* autem dicitur cordis arcanum, unde veraciter laus divina cantatur.

17 ❡ Quoniam si voluisses sacrificium dedissem:
Vtique holocaustis non delectaberis.
❡ *Non enim vis, ut victimam feram, Nec holocaustum tibi placet.*

H

H. Audiant iudæi, & sacrificia sua cessasse intelligant. C. Etiam immolationes pecudum & ritus sacrorum in Adventu Domini respuendos.

18 Sacrificium † Deo spiritus contribulatus: † *Dei.*
Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Sacrificiū Deo acceptum.

C. Postquam dixit quæ sacrificia Deus respuit, nunc dicit illa quæ poscit. Illud verò placitum *sacrificium Deo* damus, cum spiritum superbiæ humilitate confessionis mactamus: unde non sanguis egreditur, sed lachrymarum fluenta decurrunt. *Cor contritum* dicit: laboribus pœnitentiæ vehementer afflictum. Humiliatum Deo scilicet, non enim poterat cor humiliari, nisi fuisset frequenti tribulatione contritum. Tales oblationes Deus non spernit.

A

19 Benigne fac ! ! Domine :· in ! ! bona :· voluntate tua Sion :

¶ Vt ædificentur muri Ierusalem. ¶ *&c.*

Muri Ierusalem ædificati.

C. Supplicat itaque propheta, ut quoniam Synagoga peccavit sub lege polita, succedens Sion per gratiam Christi, hoc est catholica firmetur Ecclesia. *Et ædificentur muri*, si secundum historiam velis advertere, significat fortè tempora Theodosij, quando Eudoxia eius coniunx fœminarum religiosissima, ampliori murorum circulo Ierusalem coronavit.

20 Tunc † acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta. † *Suscipies.*

Tunc imponent super altare tuum vitulos.

B

Sacrificium iustitiæ. Oblationes & holocausta. Vituli.

C. *Tunc acceptabis*, ô pater *sacrificium*, id est, gloriosissimam passionem filij tui, qui sacrificium se pro omnibus obtulit, & est eius passio sacrificium veracissimum iustitiæ. *Oblationes & holocausta*, pertinent ad Christianos, qui erant post Adventum Domini credituri, significans immolanda corda hominum viventium, non pecudum membra mortuorum. *Vitulos* quippe posuit, aut pro innocentibus, aut pro prædicatoribus, quorum imaginem in vituli figura Evangelista Lucas suscepit. Vel illos qui animas suas in historiam suavitatis sacris altaribus obtulerunt.

Oratio ex Psal. L.

C

PRostina miserationis ineffabile nomen Trinitatis Deus, qui humani pectoris antrum emundans vitiis, super candorem efficis nivis, innova quæsumus in visceribus nostris Spiritum Sanctum, quo laudem tuam annuntiare possimus: ut recto principalique spiritu confirmati, mereamur æternis sedibus in Ierusalem cælesti componi. Per Dominum nostrum, &c.

Argumentum Psal. L I.

C. B. Vox Prophetæ de Iuda vel Antichristo.

Eruditio David, &c.

TT. ¶ In finem intellectus David, ¶ *Victori* cum venit Doech Idumæus, & annuntiavit Saul & dixit illi. Venit David in Domum † Abimelech.

† *Achimelech.*

C. Totus hic titulus ad Adventum Domini secundum, per tempus antichristi iure referendus est, quoniam omnia ad Christi manifestationem competenter aptantur. Vt à psalmo suo non discrepare videatur.

D

H. Psalmus iste continet vocem prophetæ exprobrantis peccata iudaici populi. Ad ipsum enim loquitur dicens.

1 QVid gloriaris in malitia :

! ! Qui :· potens ! ! es :· † in iniquitate. † *Misericordia Dei tota die.*

2. Cor. 10

C. *Quid gloriaris in malitia.* Cum scriptura divina nec in bonis actibus dicat esse gloriandum, sed præcipiat, qui gloriatur in Domino glorietur, nunc propheta sceleratum virum redarguit, de sola se malignitate iactantem, cur velit de malis gloriari, unde debuit confundi.

2 Totâ die ¶ iniustitiã cogitavit lingua tua: Sicut novacula acuta fecisti dolum.

¶ *Insidias cogitavit lingua tua quasi novacula acuta faciens dolum.*

E

Sicut novacula acuta, dolus.

C. *Totâ die*. tempus vitæ significat, quia sine aliqua intermissione semper malus malum & operatur & cogitat. *Iniustitiam cogitavit* hic enim linguam dicit cogitasse, quia pessimorum est consuetudo, ut ante loquantur lingua quam cogitent corde, id est, inconsulta proferre. Benè autem comparavit mali hominis dolum acutæ novaculæ, quia sicut illa pilos radit, & hominem non lædit; ita nec dolus, animæ iusti nocere valebit, quando ei nititur auferre mundana. Terrena enim bona pilis comparantur, quia pili superfluitates quædam sunt corporis, & temporalia bona animæ.

3 Dilexisti † malitiam super benignitatem : Iniquitatem magis quam loqui æquitatem. † *Malum magis quam bonum, mendacium loqui magis quam iustitiam semper.* Diapsalma.

F

C. Ille enim diligit malitiam, qui cognoscitur diligere semper peccare. *Super benignitatem*, id est, si animum malivoli benignitas tangit, mox eam ut vitium detestabile proiicit, & magis diligit loqui iniquitatem, quam verba æquitatis proferre.

4 Dilexisti omnia verba ¶ præcipitationis : Lingua dolosa. ¶ *Ad devorandum linguam dolosam.*

C. De Antichristo vero dicitur, qui confusis moribus diligit iniquitatem, currit ad *omnia verba præcipitationis*, iubet quod nullum iuvat, & totum cum dolo loquitur, ac quæ nulli profutura censentur.

5 † Propterea Deus † *Sed Deus* destruet te in ¶ finem, evellet te & emigrabit te de tabernaculo tuo :

G

Et radicem tuam de terra viventium.

¶ *Sempiternum : terrebit te, & evellet de tabernaculo & eradicabit te de terra viventium semper.* Diapsalma.

H. Omnia hæc iudaico populo impleta sunt, qui à legis litera destructus, & evulsus de civitate, emigratus est de tabernaculo Dei temporibus Titi & Vespasiani. C. In finem autem qui destruetur, æternis suppliciis deputatur. *Et radicem tuam*, quia sicut sancti sanctorum, ita imitatores peccantium, radices eorum appellantur. Radices erant antichristi consentanei, & ideò radicem ipsius cum ipso dicit esse evellendam; quia cum sanctis Domini, nec antichristus, nec ministri eius habebunt aliquam portionem in regno beatorum.

Radices Antichristi.

6 Videbunt iusti & timebunt & super eum ridebunt :

H

! ! Et dicent :· ecce † homo † *Vir.* qui non posuit Deum ¶ adiutorem suum:

¶ *Fortitudinem suam.*

Videbunt iusti, hoc est intelligent iam malorum futuram pœnam, *& timebunt*, ne talia appetant in isto sæculo. Hic iusti flent, ridebunt in futuro. C. Super eum qui longam patientiam Dei, stulta voluntate contempsit. *Ecce* cum dicitur, extensa manu, peccatoris nefanda sors monstratur.

7 Sed speravit in multitudine divitiarum suarum :

† ! ! Et :· prævaluit in vanitate sua.

† *Confortatus est in insidiis suis.*

C. Divitias verò hic universas pompas sæculi debemus accipere. Qui in illam spem suam posuit & non in Deum, semetipsum fefellit. Ipse enim *prævalet in*

vanitate

A Divitiæ. Vanum.

vanitati sua, quia sibi profutura nullatenus acquirit. Vanum enim dicitur quod est inane, fragile vel caducum, & ab ipsa firmissima veritate discretum.

8 Ego autem sicut oliva ¶ fructifera in domo Dei : ¶ *Virens.*
Speravi in misericordia Dei in æternum & in sæculum : : sæculi.

H. Comparat se propheta olivæ fructiferæ, propter pinguedinem sapientiæ. *Speravi in misericordia*, quia non est humanæ fragilitatis facultas, ut per se quis salvus fiat, sed per misericordiam Domini.

9 Confitebor tibi in sæculum quia fecisti :
Et expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

B

C. Hic enim datum est confiteri nobis, ubi meremur absolvi. *Quia fecisti* : ibi intelligendum est, *misericordiam. Quoniam bonum.* Quod iure dicitur bonum, ubi & spes salutis, & totius vitæ palma suscipitur. Additum est quoque *ante conspectum sanctorum tuorum*, id est, quando iam gaudium generale iustorum est. A. Vel quia fecisti scilicet quod sum oliva fructifera, quod speravi in misericordia Dei in æternum, & ideò *expectabo nomen tuum*, &c.

Oratio ex Psal. L I.

TOtius mundanæ vanitatis destructor omnipotens, fac nos in domo tua sicut olivam fructiferam florere, ut in tuam misericordiam sperantes, ab iniquitatis maledicto salvemur. Per Dominum nostrum, &c.

C

Argumentum Psal. L II.

C. Ecclesia increpat eos qui corde vel opere corrumpuntur; & fideles monet, ut æquanimiter sæculi molestias sufferant.

TT. ¶ In finem pro Amalech, intellectus David. ¶ *Victori, per chorum eruditio David.*

Feria quinta Nocturnas.

C. *In finem* quid significet iam notum est. *Amalech* autem gens fuit, quæ contra Dei populum pugnavit. Eius nominis interpretatio talis est : pro parturiente sive dolente, & significat Ecclesiam, quæ tanquam dolens atque parturiens, populum admonet perfidorum, ut à suis iniquitatibus conquiescat.

D.

1 DIxit † insipiens in corde suo : † *Stultus.*
Non est Deus.

C. Proprium est linguæ, verbum dicere, non cordis. Sed quia cogitationes nostras potentia divinitatis intelligit, rectè dictum est, insipientes corde dicere, quod ad aures Domini potuit pervenire, non ad ignoscendum, sed vindicandum. H. *Dicit* autem *in corde*, diabolus vel iudæus, *Non est Deus*, ac si dicat, non est Christus filius Dei. A. Vel insipiens est quilibet qui malè vivit, & is si putat Deo placere mala, *dicit in corde, non est Deus*, vel qui dicit, Deum omnibus & semper parcere : Deus enim iustitia & bonitas est.

2 Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in ¶ iniquitatibus : ¶ *Iniquitate.*
Non est qui faciat bonum.

Corrupti omnes hæretici.

C. *Corrupti.* Sunt omnes hæretici uno verbo notati, nam Deo rectè non credidisse corruptio est. Hos subsequitur pœna iustissima, ut abominabiles in voluptatibus suis fiant. *Non est qui faciat bonum* : hoc est quod parturiebat Ecclesia plena doloribus, ut in tanta multitudine perditorum non sit qui bonum possit operari vel imitari.

E

3 Deus de cœlo prospexit super filios hominum :
Vt † videat † *Videret.* si ¶ est intelligens : : aut ∴ requirens Deum. ¶ *Esset.*

C. *Prospexit Dominus de cœlo*, id est, de unoquoque prædicatore suo, & prospexit *super filios hominum* sub magna pietate, ut non errantes perderet, sed pœnitens salvaret. *Vt videat*, id est, ut videre faciat sanctos, quis prædicationem eorum intelligat, id est, intus in seipso legat aut requirat opere Deum.

F

4 Omnes † declinaverunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum :
† *Aversi sunt, pariter adhæserunt.*
Non est usque ad unum.

Omnes declinaverunt.

C. Illos omnes enim *declinasse* dicit, qui durato corde in scelerato proposito permanserunt. Prius enim fuit ut declinarent, secutum est ut *inutiles fierent* sibi. *Vsque ad unum* verò dum dicitur, omnes negantur. Nam si aliquem bonum voluisset intelligi, non diceret : usque ad unum, sed præter unum. H. Omnes hi insipientes qui non requirebant Deum, inutiles facti sunt, quia mandata Dei implere nolunt, & ideò sibimetipsis inutiles & aliis, quia inutilis est qui non operatur aliquid boni, ideoque proiicitur in tenebras exteriores, evangelio teste.

Mat. 25.
G

5 ¶ Nonne scient : : omnes ∴ qui operantur iniquitatem : ¶ *Nunquid non cognoverunt.*
Qui † devorant plebem meam ut cibum panis. † *Comedunt.*

Sicut escam panis.

H. Cognoscunt impij se agere perverse, & non solum se non emendant, sed etiam Dei populum *devorant* dentibus suæ malitiæ. *Sicut escam panis*, qui semper desiderantes in usu est. Nam quamvis singulis quibusque temporibus diversitate escarum satiemur, iugiter tamen nobis panis edulium est, ita semper desiderant mali devorare bonos. A. Vel nonne scient omnes mali in futuro iudicio Deum esse, qui iam scire nolunt? scient utique, pœnarum experimento.

6 Deum non invocaverunt :
Illic ¶ trepidaverunt timore ¶ *Timuerunt.* ubi non † fuit timor. † *Est.*

H

C. *Deum non invocaverunt.* Illa enim quæ à peccatoribus contra voluntatem fiunt Dei, velut fumus sine celerrimo evanescunt, *& trepidant*, ne honoribus vel divitiis acquisitis in isto sæculo priventur. *Vbi non fuit timor* (subaudiendum est) videlicet iustus. A. Vel quia Deum non invocaverunt, cito perituri sunt. Vel ideò illic trepidaverunt *quoniam Deus*, &c.

7 Quoniam Deus dissipavit ossa ¶ eorum qui hominibus placent :
Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. ¶ *Circumdantium te : confunderis quia Deus proiecit eos.*

Qui hominibus placent.

C. *Deus* enim *dissipat ossa* malorum, id est, obstinationes durissimas. H. Vel spem æternitatis eorum, qui in eius contumeliam insurgere ausi sunt. *Qui hominibus placent*, & non Deo, rectè *confusi* dicuntur,

A quoniam *eos Deus sprevit.* Merito verò spernitur à Deo, qui reliquerit Deum, & quia eum reliquit, dignè tanquam ignotus ab eo confunditur, dicente Apostolo, *ignorans ignorabitur.* (1. Cor 14.)

8 Quis dabit ex Sion salutare Israël?
Cum ¶ converterit Deus captivitatem plebis suæ, exultabit Iacob !! & ∴ lætabitur Israël. ¶ *Reduxerit.*

C. *Quis dabit*, addendum est, nisi tu Domine: credentis enim verba sunt, non dubitantis. *Ex Sion*: illam dicit speculationem fœlicem in qua Deus aspicitur. Ipse etiam in hoc sæculo dat *salutare Israel ex Sion*, cum labores sanctorum suis beneficiis consolatur. H. Ipse quoque nos aversa captivitate vitiorum, erexit in libertatem virtutum. *Exultabit Iacob*, id est,
B Christianus populus, dum supplantat iudaicum populum, benedictionémque eius accipit. *Et lætabitur Israel*, dum Deum oculis fidei intuetur.

Oratio ex Psal. L I I.

Respiciens de cælo sancto tuo piissime Deus, pone terminum insipientiæ nostræ, ut à terroribus vanis eruti, tibi soli de puritate cordis integrâ placeamus. Per Dominum nostrum, &c.

Argumentum Psal. L I I I.

C. Vox Ecclesiæ de hæreticis ad Christum.

C TT. ¶ In finem in carminibus intellectus David, cum venissent Zyphæi & dixissent ad Saul, nonne!! ecce ∴ David absconditus est apud nos.
¶ *Victori in psalmis eruditio David, quando venerunt, &c.*

C. *In finem* Christum significat. Istud enim carmen laudes Christi denuntiat. *Intellectus David*, Dominum salvatorem indicat, quem ille proficuè intellexit evenire. Nam *Ziphæi* à vicu Syriæ, in quo habitabat Ziph, dicti sunt, qui prodiderunt David apud se esse cælatum. H. C. Ziphæi autem interpretatum significat florentes, quod in isto mundo peccatoribus datum est. C. David figuram Christi gerebat. H. Qui fuit absconditus in inferiore parte terræ, & Dominus in utero Sanctæ Mariæ, & in una gente iudæorum, & divinitas in carne Christi. (Ziphæi.)

D
1 Deus in nomine tuo salvum me fac:
Et in † virtute tua libera me. † *Fortitudine tua ulciscere me.*

C. Orat enim propheta, ut in nomine Domini à persequentium malignitate liberetur, sperans non aliunde sospitatem, sed quæ à Deo venit, & iterum rogat, ut in iudicio futuro eius virtute liberetur. H. *In nomine tuo*, id est, in nomine illo humilitatis quod est salvatio, id est, in nomine salvatoris, in nomine Iesu. (In nomine tuo.)

2 Deus exaudi orationem meam:
Auribus percipe verba oris mei.

C. Repetit iterum propheta nomen omnipotentis, ut cum frequenter Deus imploratur, non tardet ei auxilium ferre. H. *Auribus percipe*, aures Domini dicuntur, quando exaudire dignatur. C. Vel auribus, id est, mente.

3 Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam meam. E
Et non proposuerunt Deum ¶ ante conspectum suum. ¶ *In conspectu suo semper.* Diapsalma.

C. Verùm hic *alienos* non vult peregrini generis viros intelligi, sed operibus à Domino factos extraneos. Merito dum Ziphæi de tribu Iuda fuerunt, ab illis auxilium quæsivit. Apud ipsos tamen magis insidias proditionis invenit. *Fortes* enim, Saulem intellige cum ministris suis. Perditi ideò *non proponunt Deum ante oculos suos*, quia illum ignorare credunt, quæ scelerata mente concipiunt. (Alieni.)

4 Ecce!! enim ∴ Deus † adiuvat me: F
!! Et ∴ Dominus susceptor est animæ meæ. † *Auxiliabitur mihi: Dominus sustentans animam meam.*

C. *Adiuvat* dixit utique laborantem: ut potuisset ferre, quæ super eum nitebantur impij congregare. Sequitur etiam quod sit istud adiutorium, id est, *& Dominus est susceptor animæ meæ.*

5 ¶ Averte mala inimicis meis: ¶ *Redde malum insidiatoribus meis.*
!! Et ∴ in veritate tua disperde illos.

C. Orat ergo propheta, ut mala voluntas removeatur ab inimicis eius, unde eos cognoverat ingravandos. Mali enim cum ad veritatem veniunt, à pristina voluntate dispereunt, & nisi à mala intentione discedant, locum in bonis actibus non habebunt. Dispereat Saul, ne persequatur innoxium, dispereant Ziphæi, ne prodant cælatum. G

6 Voluntariè sacrificabo tibi:
!! Et ∴ confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

C. *Voluntariè* Deo sacrificat, qui pro inimicis suis exorat. Sacrificare voluntariè, est Deo puritatem bonæ voluntatis offerre. *Confiteri* quoque, hic laudare significat. Illum enim velle laudare, inæstimabile bonum est, unde & mens sancta reficitur, & omnis adversitas istius mundi effugatur. (Voluntariè sacrificans.)

7 Quoniam ex omni tribulatione † eripuisti me: H
Et super inimicos meos despexit oculus meus. † *Liberavit me: & inimicos meos vidit oculus meus.*

C. Ex omnibus tribulationibus se testatur propheta ereptum, quod in isto sæculo non potest evenire, nisi eis qui in Domini dilectione persistunt. *Respexit oculus Domini super inimicos* David, id est, Ziphæos, quando eos nefarias voluntates minimè complere permisit, frequenter enim propitius Deus nos iniqua non permittit efficere, ut compuncti debeamus de nostris erroribus supplicare.

Oratio ex Psal. L I I I.

Salvifica Domine Ecclesiam tuam, tui nominis protectionem confitentem, ut defectu inimicis, voluntariâ te confessione magnificet. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

A

Argumentum Psal. LIV.

C. Christus patrem petit, ne eius despiciatur oratio, quod ex infirmitate carnis probatur expetere: & quod obstinatis Iudæis in suis sceleribus persistentibus debeat evenire ostendit.

TT. ¶ In finem in carminibus intellectus David. ¶ *Victori in psalmis eruditio david.*

Finis Christus. Intellectus. B Luc. 18. Ps. 109.

C. Bene finis dicitur Christus, quia quicquid rectè ac fideliter agimus, ad ipsum constat sine dubitatione referendum. *In carminibus*; in laudibus dicit; intellectus iste certus est, ut cum David patrem dicimus Domini Christi (ut cæcus in Evangelio, miserere mei filij David) secundum carnem intelligamus: secundum divinitatem vero, servum fateamur esse ipsum David Christi, sicut ipse ait: *Dixit Dominus Domino meo.*

1 EXaudi Deus orationem meam, & ne †despexeris deprecationem meam: † *Despicias.*
¶ Intende mihi & exaudi me. ¶ *Attende.*

C. Primâ parte petit propheta exaudiri orationem suam, deinde postulat, ne eius deprecatio despiciatur. H. Qua ratione intellige homo, quia nisi pura conscientiâ deprecetis Deum prorsus à Deo non exaudieris.

2 † Contristatus sum in exercitatione mea: † *Humiliatus sum in meditatione mea.*
Et conturbatus sum à voce inimici ¶ & à tribulatione peccatoris. ¶ *In facie persequentis impij.*

C

Exercitatio. Ioann. 8.

C. Pulcherrimè Domini cursus vitæ, uno sermone exponitur. Exercitationem dicimus quæ nullo otio conquiescit. *Exercitabatur* miraculis & sanctitate doctrinæ, & *contristabatur*, quod prædicationibus saluberrimis, væsania obstinati populi non credebant. *A voce inimici.* H. Dicentis, Samaritanus es dæmonium habes, *conturbatus sum.* C. Tribulatio erat peccatoris, quando eum ore conspuebant, cædebant alapis, & alia multa ingerebant.

3 Quoniam † declinaverunt in me iniquitates:
Et in ira molesti erant mihi. † *Projecerunt super me iniquitatem, Et in furore adversabantur mihi.*

D

Ira, festuca: odium, trabs.

C. *Declinaverunt* enim *in Dominum iniquitatem*, quia nullam volentes recipere rationem, effusionem sanguinis innocentis expetebant. Audiant insipientes Iudæi, tantam se Domino fecisse molestiam accensa irâ, ut sibi perpetuam præpararent ruinam. H. *In ira.* Ira, festuca; trabs, odium. Ira conturbat, trabs excæcat, ut illud. Turbatus est præ ira oculus meus. *Molestus*, id est, sævus. Vel molestia est, quando procacitate superfluâ redduntur inquieti.

4 Cor meum ¶ conturbatum est in me:
Et formido mortis cecidit super me. ¶ *Doluit in vitalibus meis, & terrores mortis ceciderunt, &c.*

H. *Cor meum conturbatum est in me*, secundum hominem; sed virtute divina confortatum est. *Et formido, &c.* C. Sua suis aptè redduntur, consequens enim erat, in cujus cor conturbatum fuerat, eum formido mortis invaderet. Revera *cecidit*, quando super eum venit, ulterius non valitura, quæ prius potuit, quia perpetua mors morte Christi victa est.

E

5 Timor & tremor venerunt super me:
Et † contexerunt me tenebræ. † *Operuit me caligo.*

1. Ioan. 3.

H. Humano more loquitur, quibus est *timor* animæ, & *tremor* corporis. *Tenebræ* dicuntur mali homines, quia *qui odit fratrem suum, in tenebris est. Contexerunt* quidem, sed quia lux eram, non comprehenderunt.

6 Et dixi, quis dabit mihi pennas ! ! sicut ∴ columbæ:
¶ Et volabo & requiescam. ¶ *Vt volem.*

F

Pennæ columbæ.

Mat. 3.

C. *Quis dabit mihi*, scilicet nisi tu pater, qui humanam naturam ad cœlorum regna perducis. *Pennæ* à pendendo dictæ. Inspice vero, quod pennas non aquilæ non accipitris petit, sed *columbæ*, quæ dicta est quasi cellæ alumna, avis innocens mansueta, quæ in nullum animal fellitâ voluntate consurgit, merito illius pennas Christus petiit, in cujus specie super eum spiritus sanctus apparuit. *Volabo*, id est, celerrimâ me voluntate transponam, ut ab eorum iniquitate quiescam, qui me persequuntur, scilicet Iudæorum.

7 † Ecce elongavi fugiens:
Et mansi in solitudine. † *Vt procul abeam & commorer in deserto. Semper.* Diapsalma.

Esai. 35.

H. *Ecce elongavi* à Iudæis, scilicet, quia longe est à peccatoribus salus. Et cum gentibus incredulis *mansi*, quas in adventu meo florere feci. De quibus alius ait Propheta, lætetur & floreat desertum.

G

8 ¶ Expectabam eum qui salvum me fecit:
A pusillanimitate spiritûs & tempestate. ¶ *Festinabo, ut salver à spiritu tempestatis & turbinis.*

C. Pronuntiat enim se præsidium expectare patris, qui eum poterat à corporea infirmitate salvare, & quia superius dixit esse turbatum, ideo nunc modici animi esse se testatur. *Tempestates* dicit procellas seditionum quas Iudæi commovebant.

9 Præcipita Domine divide linguas eorum:
Quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate.

H
Gen. 11.

Mat. 13.

C. Hic Iudaico populo salutariter imprecatur, ut divisione linguarum, non implerent voluntatem malitiæ suæ, sicut in illa turri factum est, quam metu recentis diluvij in altum homines extendere conati sunt. Digne igitur illos dividi postulabat, quos iniquos esse in sacrilegis congregationibus præsciebat, ideo subjunxit, *quoniam vidi iniquitatem in civitate*, id est, H. Congregatione. *Iniquitatem* cum non crediderunt. *Contradictionem*, cum exprobrarent. Nonne hic est filius fabri, & alia multa.

10 Die ac nocte † circuondabit eam super muros ejus iniquitas:
Et labor in medio ejus & injustitia. † *Circumeuntes muros eius, scelus & dolor in medio eius: Insidiæ in vitalibus eius.*

A H. Dicit enim *die ac nocte*, id est, omni tempore *circumdare eam*, hoc est Hierusalem. *Super muros ejus iniquitas*, ut quantum murorum machina in altum potuit crescere, multo magis Iudæorum malitia se extenderit. *Labor in medio, ejus*, &c. labor, in oppressione pauperum: & injustitia, in judiciis. Per *medium* (quia in urbis medio tanquam honorabili sede demorari volunt primates) designans nobilissimos & primates eorum, quos non lex, non ratio, sed labor & injustitia possideat.

11 Et non § defecit de plateis ejus: § *Recedit.*
† Vsura & dolus. † *Damnum & fraudulentia.*

Vsura. B C. intende quod non dixit, occultè, sed in plateis talia fuisse commissa, quæ lex divina damnavit. H. Vsura est plus accipere quam dare: Omnia enim quæ in lege prohibita sunt, ad augendum peccati cumulum excreverunt. In lege enim usuræ accipi prohibentur, unde Propheta, non fœneravi, neque fœneravit mihi quisquam. *Hier. 15.*

12 § Quoniam si inimicus ⁖ meus ⁖ maledixisset mihi:
Sustinuissem utique. § *Non enim inimicus exprobravit mihi, ut sustineam.*

C. Hic monstratur magnæ patientiæ exemplum, ut inimicis contraria nobis loquentibus, non in contentionem erumpere, vel verbis resistere, sed locum insanis loquelis dare, studeamus.

13 † Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset:
C Abscondissem me forsitan ab eo. † *Neque is qui oderat super me magnificatus est, ut abscondar ab eo.*

C. In isto versiculo & præcedenti ac sequenti Iudas perfidus increpatur, qui caveri potuisset, si publicus fuisset inimicus, humano modo loquendo, quem tamen Christus si voluisset, occultum non sibi, sed aliis, cavere potuisset. H. Non hic tantum de passione Dominus queritur, sed & de discipulo proditore: à quo se non abscondit, licet à Iudæis (ut in Evangelio legimus) se abscondetit, sed etiam convivio sancto ascivit. *Ioan. 8.*

14 Tu vero homo unanimis:
Dux meus & notus meus.

Vnanimis. Dux. Notus. D C. *Vnanimis* dictus est Iudas, quia inter Apostolos fuit numeratus *Dux*, quia ad vicos & castella præmissus est, ut prædicatione verbi imbueret rudes animos. *Notus*, quia ejus proditio nota erat Christo. H. Vel quia cum aliis ad prædicandum missus fuit, notus ejus dicitur.

15 § Qui simul mecum dulces capiebas cibos: § *Qui simul habuimus dulce secretum.*
In domo Dei ambulavimus § cum consensu. † *In terrore.*

H. *Qui simul mecum dulces capiebas cibos*, id est, corpus & sanguinem Christi, quod ipse accepit ab eo indignus. Sæpe etiam cum ipso Domino in templo Salomonis *cum consensu* prædicationis abiit. C. Isti (ut superiori) versui jungendum est, *cur me tradis*, ut tu homo unanimis dux meus, &c. cur me tradis?

E 16 Veniat mors super illos:
⁖ Et ⁖ descendant in infernum viventes.

H. *Veniat mors* & devoret eos terra vivos: hoc factum fuit Dathan & Abyron, venit subito ignis & mortui sunt. C. More enim suo emendationem magis quam consumptionem postulat Propheta venire inimicis. Mors enim: vitæ dicitur finis, & qui in meliorem partem convertitur, finem prioris conversationis reperisse judicatur. *In infernum descendunt viventes*, quando cogitationes suas pessimas expavescunt, & ad meliora vota feruntur. Tunc enim quasi viventes ad inferna descendimus, quando malorum nostrorum recordatione terremur. *Num. 16.* *Mors.*

F 17 Quoniam nequitiæ in § habitaculis eorum: § *Congregatione eorum.*
In medio eorum.

H. *Quoniam nequitia in habitaculis* judæorum. Etenim tam opere quam cogitatione illi nequitiâ pleni erant.

18 Ego ⁖ autem ⁖ ad † Deum clamavi: † *Dominum clamabo.*
Et Dominus § exaudivit me. § *Salvabit.*

C. *Clamavit* igitur ex forma servi Christus jugiter *ad Deum* pro populo Christiano, & consequens erat illum *exaudiri*, quia non poterat à sua majestate segregari.

G 19 Vesperè & mane & meridie † narrabo & annuntiabo: † *Loquar & resonabo.*
Et exaudiet vocem meam.

C. *Vesperè*, significat tempus traditionis, quando eum Iudas cohorti tradidit. *Mane*, cum ad Pontium Pilatum ductus est. *Meridie*, quando hora sexta suspensus est. Meridies dictus quasi medius dies. His sequentia verba redduntur, nam narrabo pertinet ad vesperum, quando omnia prædixit, quæ Iudas pessimus facere disposuit. Annuntiabo: ad mane, quia mane annuntiavit respondendo Pilato, *in hoc natus sum*, &c. *Exaudies vocem*, ad meridiem pertinet, cum dixit, *Consummatum est*, & emisit spiritum. *Ioan. 18.*

20 Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi:
§ Quoniam inter multos erant mecum. § *Multi enim fuerunt adversum me.*

H H. *Redimet in pace*, narrat videlicet quod eum velociter exaudivit, cum eum de tribulationibus mortis eripuit in resurrectione. *In pace*, hoc est in semetipso. *Ab his qui appropinquant*: corpore, non vitâ & merito. *Inter multos*, credentes: *erant mecum*, & tamen non credebant. Vel inter istos qui sunt multi, id est, inter malos & non inter paucos, id est, inter bonos qui sunt pauci. Vel in multis, id est, in baptismo & fide fictâ. In paucis non sunt, id est, in fide firma, spe verâ & charitate.

21 Exaudiet Deus & humiliabit illos:
† Qui est ante sæcula. † *Qui judex est ab initio semper.* Diapsalma.

H. *Exaudiet Deus* me benedicentem, non illos maledicentes. *Et humiliabit eos*, hoc est superbos. *Qui est ante sæcula*, pater utique: quem in me manentem non cognoverunt.

A

22 Non enim ❡ est illis commutatio & non timuerunt Deum: *Mutantur neque timent Deum.*
Extendit manum suam † in retribuendo. † *Ad pacifica sua.*

H. *Non est illis commutatio*, de malo in bonum. *Et non timuerunt Deum*, & eâ causa, ad ultionem descendit Deus, sicut sequitur, *extendit manum in retribuendo.* Quia cum eis ad auxilium porrecta fuisset, non eam receperunt. In retribuendo ergo dicit, id est, in vindicta in die judicij, hoc est, quia noluerunt converti & recipere à manu misericordiæ gratiam, extendit manum in eos vindictæ, ut qui noluerunt recipere in tribuendo, accipiant in retribuendo.

B

23 † Contaminaverunt testamentum eius, divisi sunt ab ira vultus eius:
Et appropinquavit cor illius. † *Contaminabit pactum suum, divisi sunt butyroos eius: pugnat autem cor illius.*

C. Ille enim *testamentum Dei contaminat*, quantum ad se pertinet, qui minimè ipsius imperiis obedit. *Dividuntur* etiam perfidi à populo fideli in judicio, & segregantur tanquam arsuræ paleæ à granis: Ira enim hic pro vindicta ponitur, quam impij sustinebunt. *Et appropinquavit cor illius*: in judicio, quando cor Domini (hoc est voluntas ejus in Prophetis & Apostolis prædicata) omnibus innotescit. H. Vel contaminaverunt judæi testamentum, quia non intellexerunt Dominum Iesum in lege promissum, & quod intelligunt de scripturis in malum vertunt, quia Trinitatem non credunt, & ideo divisi sunt à spirituali intelligentia. A. Et ex eorum divisione & contaminatione, appropiavit voluntas Dei credentibus, ita ut & in scripturis Dei voluntatem quæ latebat intelligant.

Iudæi testamentum contaminant.

C

24 ❡ Molliti sunt sermones eius super oleum:
Et ipsi sunt jacula. ❡ *Molliores sermones eius oleo, cum sint lanceæ.*

Mat. 21.

Ibid. 26.

C. *Molliti sunt sermones* perfidorum judæorum dicentium, *Magister scimus, quia à Deo venisti & Super oleum*, ne tauro sceleri par potuisset aliquod inveniri, quia nil levius est oleo. *Ipsi* etiam *fuerunt jacula*, quando dixerunt, reus est mortis. H. Vel revertitur sermo ad Iudam: cujus sermo, *ave Rabbi*, super oleum erat, & osculo tradidit. Tale oleum refugientes boni, in tribulatione Deum invocant, ideo sequitur. *Iacta*, &c.

25 Iacta super Dominum † curam tuam, & ipse te enutriet: † *Charitatem tuam.*
Non dabit in æternum fluctuationem justo.

D

C. Quando cogitatio *iactatur in Dominum*, non solum nos non consumit, quemadmodum cogitatio istius sæculi, sed etiam nutrit: *in æternum* enim (sicut hic dicit) neminem justissimum permittit Deus *fluctuare*, quando cum ipso in æternitate cognoscitur regnare.

26 Tu vero Deus:
Deduces eos in puteum interitûs.

Puteus.

C. Prius itaque dixit de justis, nunc de impiis qui in gehennæ profunditatem mergendi sunt. *Puteus* dicitur hiatus terræ patens, sed ne hunc vitalem puteum intelligeres, addidit *interitûs*, id est, fovea mortalis. O pietas inaudita judicantis; totum hominibus prædicitur, ut culpa plectibilis vitetur. Ex putei enim similitudine gehennæ tormenta nos admonet formidare.

E

27 Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos:
Ego autem ❡ sperabo in te :: Domine ∴ ❡ *Fiduciam habeo tui.*

Viri sanguinum.

C. *Viri sanguinum* propriè non dicuntur qui innocenter humanum fundunt cruorem, quoniam & justi judices justè fundunt, propterea addidit *& dolosi*, ut solum illi notentur, qui per iniquissimum dolum quærunt alienum exitium. Hos tales *dicit non dimidiare dies suos*, quando cum sibi longam vitam promittunt, exitum celerrimæ mortis inveniunt. Ideo autem additum est *suos*, ut voluntarios intelligeres dies sibi computatos, id est, illos quos se victuros putabant, aut volebant à Domino constitutos.

Oratio ex Psal. LIV.

F

IEsu Domine, qui ante sæcula manens, conditionemque humanam suscipiens, ab unanimo discipulo proditus, mortem subisti pro perditis, exaudi orationem supplicum & præsta, ut te vesperè & mane meridiéque laudantes: mereamur ab huius sæculi tempestatibus defensari. Qui cum patre, &c.

Argumentum Psal. LV.

C. Vox Ecclesiæ in persecutione posita.

TT. ❡ In finem pro populo, qui à sanctis longè factus est, David in tituli inscriptione cum tenuerunt eum Allophyli in Geth. ❡ *Victori pro columba muta, eo quod procul abierit, David humilis & simplex, quando tenuerunt, &c.*

G

C. *In finem*, jam notum est, *pro populo* dicit, *qui à sanctis longè factus est*, quia Iudaicus populus postulabat à Pilato, ne inscriptionem tituli sicut prophetatum fuit scriberet, nolens Christum suum regem dici. Illa voluntas eos longe fecit à sanctis, qui sancti Christum suum regem dici gloriantur. *Geth* significat torcular, id est, pressuram, quam omnis patitur Christianus ab *allophylis*, id est, ab alienis. Philistini enim (qui nunc Palestini dicuntur) alio nomine Allophyli dicebantur, id est, alienigenæ.

Ioan 19

Geth. Allophyli.

1 MIserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo.
Totâ die † impugnans tribulavit me. † *Pugnans.*

C. Virgo mater Ecclesia cœlestem sponsum piis lachrymis rogat, ne se patiatur ab inimicis opprimi. H. In homine conculcante atque impugnante, diabolum vel reliquarum nequitiarum spiritualium ostendit persecutionem.

H

2 Conculcaverunt me ❡ inimici mei totâ die: ❡ *Insidiatores mei.*
Quoniam multi bellantes adversum me.
3 † Ab altitudine diei timebo:
Ego vero in te sperabo. † *Altissime. Quacunque die territus fuero, ego in te confidam.*

C. Vinum enim non profluit, nisi pedibus uva conculcetur. Sic Ecclesiam in membris suis *conculcat inimicus*, ut sanctorum merita gloriosa inde nascantur. *Totâ die*, omni tempore contra eam rebellant inimici

sed

A fed de his, quia aliqui convertuntur, non dicit omnes, fed *multi.*

A it do dio mũdus eſt. C. *Ab altitudine diei*, iſtum mundum ſignificat, ubi tumet altitudo ſuperbiæ. Nam ſicut Chriſtus humilitatem præcipit, ita diabolus altitudinis culmina perſuadet. Sed unde timere non debeat Eccleſia ne cadat, ſubdit. *Ego in te ſperabo*, qui nunquam in te decipis confidentes.

4 In Deo laudabo ❡ ſermones meos: ❡ *Verbum eius.*
In Deo ſperavi, non timebo quid faciat mihi caro?

C. *In Deo laudat ſermones* ſuos, qui omne quod loquitur bene, Deo applicare, non ſibi, contendit. *Non timebo*, licet ſæviat carnificum manus, omnia tamen tormenta deſpicit Eccleſia in membris ſuis, quæ expectat munera Domini ſalvatoris.

B

5 Totâ die † verba mea execrabantur adadverſum me: † *Sermonibus me affligebant.*
Omnes cogitationes eorum in malum.

Ioan. 7. H. *Totâ die execrabantur verba* Chriſti, Iudæi dicentes. *Non eſt propheta, ſed ſeducit turbam. Cogitationes* Iudæorum verſæ ſunt *in malum*: contra Chriſtum: & peccatorum, contra ſanctos.

6 ❡ Inhabitabunt & abſcondent:
Ipſi calcaneum meum obſervabunt. ❡ *Congregabuntur abſconditè: plantas meas obſervabunt. Expectantes animam meam, quia nullus eſt ſaluus in eis, In furore populos detrahet Deus.*
7 Sicut ſuſtinuerunt animam meam:
Pro nihilo ſaluos facies illos, in ira populos confringes.

C

C. *Inhabitare* videntur ſubduli Chriſtiani Eccleſiam, ſed malum ſuæ perverſitatis *abſcondunt*, nec palam auſi ſunt prodere, quod ſciunt Apoſtolicam doctrinam non habere. *Ipſi calcaneum obſervabunt*, more diaboli, vel eorum qui miniſtri ipſius ſunt, qui ultima noſtra inſidioſa calliditate reſpiciunt, cupientes nos à fide evertere, & ad reatus diſcrimina pervenire, ſaltem in extremis. H. *Suſtinuerunt animam* Chriſti Iudæi, ut captum in verbis accuſarent principibus. *Salvantur* enim *pro nihilo*, dum non commutantur ad gloriam, ſed ad ſupplicia transferuntur. *In ira populos confringes*, quia impacti ſunt in petram offenſionis, & lapidem ſcandali. A. C. Vel quamvis illi ſuſtineant in malum, & ab hoc indignos ſe faciant ſaluatione, tu tamen miſericordiâ omnia peccata ſuperans, pro nihilo, id eſt, gratis, nullis eorum meritis præcedentibus, ſaluos facis in ira ut quaſi iratus multis tribulationibus populos fatigatos, recurrere ad te cogas. Iraſceris & deducis, ſævis & ſalvas, terres & vocas, ira videtur, ſed paterna.

Calcaneũ obſervare. Pro nihilo ſaluari. 1 Petr. 2.

D

8 † Deus vitam meam annuntiavi tibi:
Poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo. † *Secretiora mea numeraſti pone lachrymam meam.*

C. *Vitam* ſuam *annuntiat Deo*, qui peccata propria confiteri non erubeſcit. *Lachryma* quæ *in conſpectu Domini ponuntur*, jocundæ ſunt, quia non cruciant, ſed à cruciatibus liberant.

9 ❡ Sicut & in promiſſione tua. ❡ *Sed non in narratione tua.*

E Tunc convertentur inimici mei retrorſum.

C. Promiſſio quippe Dei eſt, ut pias lachrymas non refutet. H. Optando dicit Eccleſia, converti inimicos retrorſum, id eſt, ut qui currunt ad infernum, convertantur ad Deum.

10 In quacunque die invocavero te:
❡ Ecce cognovi quoniam Deus meus es. ❡ *Hoc ſcio quia Deus meus.*

C. Hic clementiam Domini pronuntiat mirabilemque pietatem propheta, ut *in quacunque die invocatus fuerit* Chriſtus, ſemper ſe miſeratus indulgeat. Quacunque die, ſignificat diverſi temporis ſatisfactionem. Alius enim toto tempore vitæ Domino ſupplicat, alter mediâ ætate convertitur: Alius in fine vitæ ſalvatur. *Ecce cognovi.* H. Alij cognoſcunt Deum per creaturam cœli & terræ, ſicut Paulus dicit. Per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, alij per inſpirationem divinam, alij per ſigna ut Thomæ dixit, *Infer digitum tuum huc*, alij per indulgentiam, clementiam, & auxilium, ut pœnitentes. Quacunque die. F Rom. 1. Ioan. 20.

11 In Deo laudabo verbum, in Domino † laudabo ſermonem. † *Prædicabo.*
In Deo ſperavi non timebo quid faciat mihi homo.

H. Laudat iterum propheta *verbum* iſtud ſive ſermonem, qui erat in principio apud patrem: & *ſperans* in eum, *non metuit* minas adverſarij dicens, *in me ſunt Deus vota tua.* C. Vel ſermonem, id eſt, Evangelium ab ore Chriſti prolatum. Laudare verbum.

12 In me ſunt Deus vota * tua ⁖ :
⁖ Quæ ⁖ reddam ❡ laudationes tibi. ❡ *Gratiarum actiones tibi.*

G

H. Hæc ſunt vota prophetæ: ut laudem Dominicam ſedulò celebret, & cur hæc faciat adiecit, *quoniam eripuiſti.*

13 Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu.
Vt † placeam coram Deo in lumine viventium.

C. *Quoniam eripuiſti animam meam*, id eſt, populus fideles *de morte* perpetua, & bene ſuam animam ſancta mater dicit ereptam, quæ in liberatione filiorum gaudebat. Dicit vero *pedes* ereptos à *lapſu*, quod non fit hic, ſed in futuro ſæculo præſtabitur. Dum enim ambulabunt juſti in hoc mundo, in lapſu ſunt, ſed miſericordiâ divinâ continentur. Sic legitur Septies cadet juſtus & reſurget. H. Lumen viventium Chriſtus eſt, qui ſibi placentes illuminat. C. Vel manifeſtatio ſanctorum eſt lumen viventium. Pedes liberari de lapſu. Prov. 24. Lumen viventium.

H

Oratio ex Pſal. L V.

BEllorum invisibilium optime propugnator, qui in te fidentes ab inimicis obrui non permittis, exterge precamur ab oculis noſtris peccati lachrimam, ut dum carnalia bella comprimimus, placere tibi in lumine viventium mereamur. Per Dominum noſtrum Ieſum, &c.

Argumentum Pſal. L V I.

C. Chriſtus ſecundum humanitatem qua paſſus eſt orat, & reſurrectionis ſuæ gloriam commemorat, patriqae laudes decantat.

A

TT. ❡ In finem ne disperdas David in tituli inscriptione: cum fugeret à facie Saul in speluncam. ❡ *Victori, ut non disperdas David humilem & simplicem, quando fugit à facie Saul in speluncam.*

Tituli inscriptio. Joan. 19.

C. *Ne disperdas David* prohibetur David à Saule disperdi. *In tituli inscriptione*, hoc non David, sed in passione Christo evenit, ne à Pilato scriptus titulus mutaretur. *Cum fugeret*, &c. actus iste & David & Domino convenit. Nam sicut fugit David à facie Saul in speluncam, sic deitas abscondita fuit perfidis Iudæis in corpore Christi.

B

1 Miserere mei Deus miserere mei: Quoniam in te † confidit anima mea. † *Speravit.*

C. Clamat Christus ad patrem, ex eo quod futuram scivit passionem. Repetitio ista periculum futuræ mortis ostendit. Oravit autem, ut regulam nobis sanctæ orationis ostenderet, passus propter nos, ut nullus pro ipso pati velle refugiat.

2 ‖ Et ⁖ in umbra alarum tuarum sperabo:
Donec ❡ transeat iniquitas. ❡ *Transeant insidiæ.*

Umbra. Duæ alæ.

H. *Umbra* enim significat protectionem divinitatis A calore enim solis, umbra quæritur, sed per calorem, persecutio vel tribulatio intelligitur. Duæ alæ duo testamenta, vel duo præcepta charitatis, quibus protegi se petit Propheta, *donec transeat iniquitas*, id est diabolus cum suis satellitibus.

C

3 † Clamabo ad Deum altissimum: † *Invocabo Deum altissimum.*
Deum ❡ qui benefecit mihi. ❡ *Ultorem meum.*

C. Clamat ille ab humanitate suscepta, à quo supernæ creaturæ non desinunt opem postulare. *Qui benefecit mihi*, hoc significat arcanum incarnationis Domini, quod humano generi divinâ gratiâ collatum est.

4 † Misit de cœlo & liberavit me:
Dedit in opprobrium conculcantes me. † *Mittet de cœlo & salvabit me: Exprobravit conculcantibus me semper.* Diapsalma.

D

C. *Misit de cœlo*, non angelum, non aliquam creaturam, sed, intellige, auxilium supernæ potentiæ suæ. *Opprobrium* persequentibus fuit, quando illum quem se credebant extinguere viderunt resurgere & fideles populos de ipsius resurrectione gaudere.

5 ❡ Misit Deus misericordiam suam & veritatem suam: ❡ *Mittet.*
‖ Et ⁖ † eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormivi conturbatus. † *Anima mea in medio leonum dormivit ferocientium.*

H. *Misericordia* & veritas, Christus est, quem pater de cœlo *misit* in mundum, nec una sine altera esse potuit. Si sola misericordia fuisset, licentia esset peccandi: & si sola veritas, pœnam non potuisset homo sustinere. C. *Catuli leonum*: significat plebem Iudæorum, quam principes & Sacerdotes (qui sunt leones) ferali voluntate genuerunt. *Dormivit* altissima quiete in cruce, *conturbatus* à fremitu Iudæorum.

E

6 Filij hominum dentes eorum † arma & sagittæ: † *Lanceæ.*
Et lingua eorum gladius acutus.

C. *Filij hominum* sunt, qui in nece Domini impiâ voluntate sæviebant. Quorum *dentes fuerunt arma & sagittæ*, id est, consilia pessima, & verba volantia ad operationem mortis. Acuto gladio comparantur voces illæ quæ dicebant: *crucifige, crucifige*, quoniam sicut acutus ensis celerrimum mortis operatur effectum, ita & illa verba citatam exitij complevere sententiam.

7 Exaltare super cœlos Deus:
‖ Et ⁖ in ❡ omnem terram gloria tua. † *Omnis terra.*

F

C. *Exaltare*, ut pendens in cruce semper in tua maiestate cognoscaris regnare. *Super cœlos* dixit, quia Dominus, supernas virtutes noscitur habere subiectas, & quoniam ascendens super cœlos sedensque est super terram, quando totum mundum replet Ecclesia, in qua laudes Deo jugiter concinuntur.

Super cœlos.

8 Laqueum paraverunt ❡ pedibus meis:
Et incurvaverunt animam meam. ❡ *Gressibus meis: ad incurvandam animam meam.*

H. *Laqueum paraverunt*: cum interrogationes Christo inferebant dolosas. Sic quoque voluerunt Christum *incurvare*, ut non innuoaretur nomen ejus,

G

9 Foderunt ante faciem meam foveam:
‖ Et ⁖ ❡ inciderunt in eam. ❡ *Ceciderunt in medium eius.*

C. Bene *fovea* dicitur sententia mortis, quæ mittit ad foveam. Dixerunt enim, *Reus est mortis*, & ideo dicti sunt foveam fodere, quia visi sunt eum neci tradidisse. *Et ipsi inciderunt*, Omnis enim injusta vox suos damnat autores, & antequam alteri noceat, se prius ipsa condemnat. H. Inciderunt, cum post resurrectionem Domini inimicis traditi, capti, interfecti, & dispersi sunt.

Foveam fodere.

10 Paratum cor meum Deus paratum cor meum:
Cantabo & † psalmum dicam. † *Psallam.*

H

C. Agit filius gratias patri, per id per quod & resurrexit a mortuis. *Paratum* se dicit ad agendas gratias, quia sibi sciebat venturam gloriam resurrectionis. *Cantare* diximus, gratias vocibus referre. *Psalmum dicere*, prædicabili actione illum laudare.

Cantare & Psalmum dicere.

11 ‖ Ex ⁖ surge gloria mea ‖ ex ⁖ surge psalterium & cithara:
‖ Ex ⁖ surgam ❡ diluculo. ❡ *Mane.*

C. *Exurge* dicitur quasi surge, ad miraculum faciendum: *exurge psalterium & cithara.* Psalterium fuit, quando operabatur divina mandata. Cithara vero gloriosam passionem significat, quæ tensis nervis & ossibus dinumeratis virtutem patientiæ personabat. Surrexit diluculo, quod est inter tenebras noctis & claritatem Dei.

A

12 Confitebor tibi in populis Domine:
:: Et :· † psalmum dicam tibi in gentibus. † *Cantabo tibi.*

H. *Confitebor tibi*, hoc est, postquam resurrexero te in populis Christianis laudabo. C. *Psalmum dicam*, quia per omnes gentes linguis variis psalmodia Domino devota mente persolvitur.

13 Quoniam † magnificata est usque ad cœlos misericordia tua: † *Magna.*
Et usque ad nubes veritas tua.

H. *Magnificata est misericordia*, quia Domini resurrectione pacificata sunt omnia patri, quæ in cœlo & quæ in terra sunt. C. *Nubes* significant prophetas, quos irrigua veritas Spiritus sancti, velut copiosus imber implevit: & ij cœlesti fonte satiati, super steriles peccatores spiritualis copiæ dona fuderunt.

Nubes prophetæ sunt.

B

14 Exaltare super cœlos Deus:
:: Et :· ¶ super omnem terram gloria tua. ¶ *In omni terra.*

H. *Exaltare*, propheta hæc dicit de gloriosa Christi ascensione. Erit gloria super terram, cum effuderit donum Spiritûs sancti super omnem carnem.

Act.2.

Oratio ex Psal. LVI.

T*Ransfer Domine iniquitatem familiæ humilis, sub tuarum alarum umbra sperantis, ut missa de cælo misericordiâ tuâ, à nequissimis insidiarum foveis eruamur. Per Dominum nostrum Iesum, &c.*

Argumentum Psal. LVII.

C

C. *Christus exprobrat nequitiam Iudæorum, & eorum retributiones declarat, ac de lætitia justorum, cum ultionem viderint peccatorum.*

TT. ¶ In finem ne disperdas David in tituli inscriptione. ¶ *Victori, ut non disperdas David humilem & simplicem.*

C. Commonetur itaque Pontius Pilatus, ne disperdat scriptum titulum, qui regem Dominum declarabat. Regem enim illum quis poterit abolere, quem constat esse cœli terræque creatorem?

1 SI vere utique justitiam loquimini:
Recta judicate filij hominum.

D

C. Loquuntur enim judæi falso justitiam legis, qui non sunt recta judicaturi, & vere justa loquuntur, qui justa facturi sunt. Sermo enim rectus, vitæ debet esse consimilis. Hic arguit propheta voces illorum, quando dolose dicebant. *Magister scimus, quia à Deo venisti.* Non recte judicabant, quando Pilato dicebant: *crucifige, crucifige.*

Vere justitiam loqui.

2 Etenim in corde iniquitates operamini in terra:
Injustitias manus vestræ † concinnant. † *Appendunt.*

C. Etenim in corde, &c. ac si diceret, quomodo potuistis de me judicare qui in corde vestro iniquitates operamini? ubi perfectum est crimen antequam fiat perpetratum. *In terra* dicit, in arcano pectoris, per *manus* significat res actuales malas: quæ concinnantur mente, quando ex multis partibus sibi convenit perversitas adunata.

E

3 Alienati sunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero:
¶ Locuti sunt falsa ¶ *Loquentes mendacium.*

C. Merito ergo projectos dicit *peccatores* tanquam abortivos *à vulva* Ecclesiæ, qui nulla doctrinæ confirmatione perfectè imbuti sunt, sed tanquam teneræ pecudis fatuata mollities, non ad lucem vitalem, sed in perfidiæ tenebras probantur abjecti. Et recte Ecclesia uterum habere dicitur quæ nos sacro baptismate genuit in perpetuam lucem. *Erraverunt ab utero* qui contraria matri dogmata secuti sunt. Ipsi & *falsa locuti sunt* qui ab ejus sanctis doctrinis erraverunt.

Errare ab utero.

F

4 Furor † illis secundum similitudinem serpentis.
Sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas. † *Eorum sicut furor serpentis, sicut Reguli surdi obturantis aurem suam.*

C. Obstinatorum Iudæorum *furor* irrevocabilis est sicut serpentibus. Quibus etiam mala consuetudo *aspidi* comparatur, quæ ne exaudiat verba incantantis & suas latebras derelinquat, unam autem dicitur suæ caudæ obturare inflexione, alteram in terram deprimere. Sic obturatis auribus cordis Iudæi noluerunt audire saluberrimam jussionem Christi, sive sanctæ scripturæ intelligibilem veritatem.

5 ¶ Quæ non exaudiet vocē incantantium:
Et venefici incantantis sapienter. ¶ *Ut non audiat vocem murmurantium, nec incantationes callidas.*

G

C. Dicit enim de aspide *quæ non exaudiet vocem incantantium*, nec passa est audire vocem, quæ illam trahere potuisset ad lucem. Sic etiam Iudæus, vel quivis obstinatus malivolus, non trahitur à docente ad lumen veritatis.

6 Deus † conteret † *Excute.* dentes eorum ¶ in ore ipsorum: ¶ *Ex.*
† Molas leonum confringet Dominus. † *Molares leonum confringe Domine.*

C. Contrivit Deus dentes judæorum, quando dolosa verba eorum deducebantur ad nihilum. *Leones* fuerunt, quando cruento ore clamabant: *crucifige, crucifige. Confringebantur molæ in ore ipsorum*, quando non poterant dictis verissimis respondere.

H

7 † Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens: † *Dissolvanturque sicut aqua quæ defluunt.*
Intendit arcum suum donec ¶ infirmentur. ¶ *Conterantur.*

C. O! inaudita sævitia judæorum: comparantur illis tot mala ingentia, à quibus novimus immania venire pericula. *Aqua* vero *decurrens* est torrens cito deficiens. Deus etiam contra malos *arcum suum intendit*, id est, comminationem suæ potestatis, & tamdiu terret *donec infirmati* cedant, & ad confessionis salutem se convertant.

8 † Sicut cera quæ fluit auferentur:
Supercecidit ignis, & non viderunt solē. † *Quasi vermis tabefactus pertranseant. Quasi abortivum mulieris, quod non vidit solem.*

A H. *Sicut cera* igne dissolvitur, ita & isti qui in sua obstinatione perdurant, futuri iudicij igne perduntur. C. *Auferentur*, dicit à conspectu Dei. H *Supercecidit ignis*, id est, iudicium mortis. *Et non viderunt solem*, C. Id est, Dominum salvatorem. Illum enim conspicere nequeunt, nisi qui cum mundis mentibus intuentur. A. C. Vel ignis concupiscentiæ malæ cecidit hic super mentes malorum, & ideò iustum & bonum & sanctum videre non possunt, id est, bene agere & bene discernere agenda.

9 ¶ Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum:
Sicut viventes sicut in ira absorbet eos.
¶ *Antequam crescant spinæ vestræ in Rhamnum quasi viventes quasi in ira tempestas rapiet eos.*

B H. Hic loquitur ad populum peccantem. *Rhamnus* spinarum genus est aculeis asperrimum & flore gratissimum, & significat per flores retributionem bonorum, per aculeos pœnam malorum: Iustis floret ad ornatum, peccatoribus præbet spinas ad configendum. C. Dicit vero: *sicut viventes*, quia vivere creduntur & mortui sunt. Omnis enim peccator in peccatis degens, veritati moritur. *Sicut in ira* illud significat, quia Dominus non iratus, tanquam iratus videtur peccatores percellere. Quod autem additur *absorbet eos*, hoc significat subitum interitum eorum cum iusta vindicta.

Sicut viventes.

10 Lætabitur iustus cum viderit vindictam:
† Manus suas † *Pedes suos* lavabit in sanguine ¶ peccatoris. ¶ *Impij.*

C H. *Lætabitur iustus*, quia quando impij damnantur in pœnis, iusti lætificantur in præmiis. C. Cum enim sanguis peccatoris effunditur, tunc *manus*, id est, actus iusti hominis corriguntur. Impio enim pereunte, commonetur iustus se cautiùs diligentiusque custodire.

11 Et dicet homo † si utique est fructus iusto: † *Verè est.*
¶ Vtique est Deus iudicans eos ∴ in terra. ¶ *Verè.*

Ioan. 3. C. Vult hic enim hoc intelligi, quia nec mali in hoc sæculo omnino à pœna sunt liberi, quamvis florere videantur, quia *qui non crediderit iam iudicatus est.* Nec etiam boni à beneficio sequestrati, licet mundanis oneribus opprimantur. H. Tunc erit *fructus iusto*, cum ei Dominus cœlorum regna donaverit. Illi ante iudicium *in hac terra* iudicantur: de quibus dictum est. *Qui non crediderit iam iudicatus est.*

D

Oratio ex Psal. LVII.

Iustissime Domine concede populo tuo sequi iustitiam, diligere recta, ne à veritate tua auditum avertens, à venefici serpentis morsibus sauciétur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum vivis & regnat, &c.

Argumentum Psal. LVIII.

C. *Christus orat, ne ei inimici nocere prævaleant, dicitque, quemadmodum in fine sæculi convertendi sint Iudæi, pro quibus & oratio mirabili pietate depromitur.*

E TT. † In finem ne disperdas David, in tituli inscriptione: quando misit Saul & custodivit domum eius, ut interficeret eum. ¶ *Victori, ut non disperdas David humilem & simplicem, quando misit Saul, & custodierunt domum, ut occiderent eum.*

In finem: iam dictum est sine fine. *Ne disperdas David in tituli inscriptione.* Et hoc quoque frequenter ponitur, ut passio Domini per hæc indicia declaretur. Domus David indicat monumentum, ubi triduana morte requievit, quod ad custodiendum miserunt Iudæi malâ mente: quod tamen invitis eis factum est ad gloriam honoris eius, ne per fraudem diceretur resurgere.

F

1 ERipe me de inimicis meis Deus meus:
Et † ab insurgentibus in me libera me.
† *A resistentibus mihi protege me.*

C. Petit humanitas verbi ex humanitate sine macula peccatorum, diabolum vel ministros eius Iudæos averti a se. Nos autem sic petimus obnoxij, ab immundis spiritibus divinâ misericordiâ liberari. H. *Inimici* Christi fuerunt Iudæi, cum ei invidebant occultè. *Insurrexerunt* cum præceptis eius obviaverunt.

2 ¶ Eripe me de operantibus iniquitatem:
Et de viris sanguinum salva me. ¶ *Libera me ab operariis iniquitatis, & à viris sanguinum.*

G C. Duo genera inimicorum posuit, scilicet inimicos qui animum tantum habuerunt nocendi, & qui iam insurgebant nocere, nunc vero tertium genus ponit eorum, qui iam operantur malum. H. Quia *operarij iniquitatis* effecti sunt, cum manus armaverunt ad eius interfectionem. *Viri sanguinum fuerunt*, cum sanguinem iusti super se suosque filios venturum esse optaverunt. Mat. 27.

3 Quia ecce † ceperunt animam meam:
Irruerunt in me fortes. † *Insidiati sunt animæ meæ, congregantur adversus me fortissimi.*

C. *Anima* hic dicitur vita corporalis, cæterum animam Christi nulla potuit adversitas occupare, sed per animam captam tempus ostenditur passionis. *Fortes*: diabolum significat hic cum ministris Iudæis.

4 ¶ Neque iniquitas mea neque peccatum meum Domine: H
Sine iniquitate cucurri & direxi.
¶ *Absque iniquitate mea, & absque peccato meo Domine. Non ego inique, & illi currunt & præparantur.*

C. *Iniquitas* hic pro malitia vel malivolentia accipienda est, *peccatum* vero pro operatione sceleris: quæ omnino à Domino fuisse probantur extranea. Christus enim mundanam vitam recto tramite *cucurrit*, nec illi ullo modo potuit obviare iniquitas, quæ actus semper humanitatis intorquet. Hoc enim ei erat dirigi, unde venerat, ut rediret.

5 † Exurge in occursum meum & vide:
† *Surge ex adverso pro me & respice.*
Et tu Domine Deus ¶ virtutum Deus Israël. ¶ *Exercituum.*

H. Ad patrem hic loquitur, à quo se in Evangelio clarifica

A clarificari poſtulabat. *Et vide*, hoc eſt, fac videri, ut credant me æqualem tibi. *Deus virtutum*, id eſt, Angelorum & hominum. *Deus Iſrael*, hoc eſt, animarum Deum videntium. Deus virtutũ. Deus Iſrael.

6 † Intende ad viſitandas omnes gentes :
† *Evigila, ut viſites omnes gentes.*
Non miſercaris omnibus qui operantur iniquitatem. Diapſalma.

C. *Intende* nunc *ad viſitandas omnes gentes*, ut tibi ea gentibus enpia creſcat, quia ſterilitatem fidei in Iudaico populo comperiſti. Omnes gentes dicit, quoniam de univerſis gentibus Domino adiuvante erant credituri. *Non miſerearis*, oſtendit illis eſſe miſerendum qui puro ſtudio ſupplicabunt. Licet omnes operentur iniquitatem, illis tamen parcendum eſt, qui ad
B Chriſtum devotâ mente confugiunt.

7 ¶ Convertentur ad veſperam & famem patientur, ut canes :
Et circuibunt civitatem. ¶ *Revertantur ad veſperam & latrent, ut canes, & circumeant civitatem ut canes.*

C. Declaratur hic futura converſio Iudaici populi, & ex eis in fine mundi innumeros eſſe credituros, ut quamvis ſerâ, tamen aliquando ſalutiferâ converſione ſalventur. H. Et uſque ad exitum vitæ ſuæ *famem* verbi Dei *patientur*. C. Canis dictus à cavendo, nam illius conſuetudo eſt, illa loca defendere, ubi ſe novit alimoniam reperire : ita Iudæi iam converſi defendent civitatem, id eſt, Eccleſiam quam correctis prædicatoribus circuibunt.

C 8 † Ecce loquentur in ore ſuo, & gladius in labiis eorum :
Quoniam quis audivit. † *Ecce loquuntur ore ſuo, gladij, in labiis eorum quaſi nemo audiat.*

Gladius bis acutus. C. *Loquentur* certè tunc *in ore ſuo* : quod nunc habere non merentur in corde. A. C. Erit utique *in labiis eorum gladius* cœleſtis verbi Dei, qui legitur bis acutus, ex utroque teſtamento feriens. C. *Quis* enim cum pondere proferendum eſt, quaſi nullus gentilis pene, quaſi omnino rariſſimus, qui eorum prædicationem audiet, ſcilicet Iudæorum, quoniam quando convertentur Iudæi pene Chriſtiani ex gentibus antichriſto adhærebunt, ut rariſſimus ſit tunc Chriſtianus, ex gentibus natus.

9 ¶ Et tu Domine deridebis eos : ¶ *Tu autem.*
† Ad nihilum deduces omnes gentes.
D † *Subſannabis omnes gentes.*

C. De gentibus qui in antichriſti ſcelerata religione permanſerint, *irridendos eos* pronuntiat, qui prædicationes rectas audire noluerint. *Gentes*, & in bono & in malo poni notiſſimum eſt. Ipſas enim pro nihilo habet Dominus quæ eum creaturarum omnium non venerantur autorem. Mos eſt ſcripturæ (ſicut hic) dicere pro parte totum, ut omnes gentes non omnes, ſed omnes incredulas accipias.

10 Fortitudinem meam ad te ¶ cuſtodiam, ¶ *Servabo.* quia Deus † ſuſceptor meus : † *Elevator.*
¶ Deus meus miſericordia eius præveniet me. ¶ *Dei mei miſericordia præveniet.*

C. Fortitudinem humanitatis ſuæ dicit Chriſtus patris beneficiis applicandam. *Ad te cuſtodiam* mutata ſyllaba ſignificat per te. *Cuſtodiam fortitudinem meam* merito illi fortitudinem ſuam pronuntiat deputandam, quem etiam *ſuſceptorem* ſuum eſſe noſcebat. E
H. *Prævenit illum miſericordia patris*, cum prius centurio eum confeſſus eſt, quam ab inferis reſurrexiſſe Deum videret. Sed & multi percutientes pectora ſua revertebantur dicentes, *verè filius Dei erat iſte.* Mat. 27.

11 Deus oſtendit mihi † ſuper inimicos meos : † *Inſidiatores meos.*
Ne occidas eos ¶ ne quando obliviſcantur populi mei. ¶ *Ne fortè.*

C. *Deus oſtendit mihi.* Secundum iam dicit munus beneficij, ut etiam inter inimicos virtus ipſius maieſtatis poſſit oſtendi, et de blaſphemis fiant religioſi. *Ne occidas eos*, precatur ergo ne gens iudæorum funditus pereat, ſed magis erraſſe ſe ſatisfactione dignâ cognoſcat. F

12 Diſperge illos in † virtute tua. † *Fortitudine tua.*
Et ¶ depone ¶ *Deſtrue.* eos protector † meus Domine. † *Noſter.*

H. *Diſperge illos*, hoc dictum eſt de iudæis, ut in toto orbe diſperſi, ſic emendati non ſuperbiant, vel in hac diſperſione ſcelus ſuum pœnitendo deplorent.

13 ¶ Delictum oris eorum ſermonem labiorum ipſorum : ¶ *In peccato oris ſui in ſermone labiorum ſuorum.*
Et † comprehendantur in ſuperbia ſua. G
† *Capiantur.*

C. *Delictum oris eorum*, id eſt, cogitationum inſaniæ fuerunt, quando conſilium fecerunt, ut neci traderent Dominum. *Sermo* quoque *labiorum* deteſtabilis fuit, quando dicebant, *Reus eſt mortis.* *Captos eos* conſtat *in ſuperbia ſua*, quando viderunt reſurgentem, quem reſpuerant miracula facientem.

14 ¶ Et de execratione & mendacio annuntiabuntur in conſummatione :
In ira conſummationis & non erunt.
¶ *Maledictionem & mendacium narrantes : Conſume in furore, conſume, ut non ſubſiſtant.*

H. *Execrabantur* Dominum, cum eum filium Ioſeph fabri dixerunt. Innectebant etiam *mendacium* cum eum dæmonium dicebant habere. *Et non erunt*, id eſt, ut non poſſint perſeverare in malitia ſua, ſed in ea conſummentur. C. Conſummationem enim illam dicit, quam unuſquiſque patitur, quando memor peccatorum ſe cruciat. Non erunt igitur utique ſuperbi, ſed pœnitendo humiliati. H Mat. 13. Ioan. 8.

15 Et ſcient quia Deus † dominabitur Iacob :
†† Et :· finium terræ. † *Dominatur Iacob : in finibus terræ ſemper.* Diapſalma.

C. *Et ſcient*, Iudæi cum fuerint perfectâ religione inſtituti : Chriſtum eſſe *Dominum Iacob* patriarchæ, quod primitùs non credebant, & *Dominum eſſe finium terræ*, id eſt, Catholicæ Eccleſiæ toto orbe diffuſæ, quod modo durato corde non ſapiunt.

A

16 Convertentur ad vesperam & ¶ famem patientur ut canes : ¶ *Latrent ut canes.*

Et † circuibunt civitatem. † *Circumeant.*

C. Post interiectionem secundi Diapsalmatis : venit ad tertium ingressum, ubi conversio iudæorum & resurrectio Domini ostenditur. *Canes* hic significat prædicatores ex Iudæis conversos, ut Paulum & alios. *Civitas* verò hic Hierusalem significat terrestrem : quam Paulus circuivit prædicando gloriose, & alij Iudæi multi credentes. In superiore enim divisione *vesperam* diximus finem sæculi significare, sed hic initium sextæ ætatis ostendit, quando Dominus venit, & post eius resurrectionem multitudo credidit iudæorum.

Canes, prædicatores.

Vespera.

B

17 Ipsi ¶ dispergentur ad manducandum :

Si vero non fuerint saturati & murmurabunt. ¶ *Vagabuntur, ut comedant : & cum saturati non fuerint, murmurabunt.*

C. *Ipsi* verò qui veram meruerunt habere doctrinam, *dispergentur ad manducandum*, cibum videlicet spiritalem, ut convertantur gentes ad fidem, sicut Petro dictum est in visione. *Macta & manduca. Saturantur* doctores quando prædicationes suas viderint populos desideranter assumere. Contra ieiuni *murmurant*, si verba sua fructificare non cognoverint in mentibus perfidorum.

Act. 10.

C

18 Ego autem cantabo † fortitudinem tuam: † *Imperium tuum.*

Et ¶ exultabo manè misericordiam tuam. ¶ *Laudabo.*

H. *Cantabat* Christus, id est, prædicabat *fortitudinem* patris, quomodo cum ipso vicerit diabolum. C. *Manè exultabit*, cum nox obscura istius sæculi transierit, quando iam misericordia Domini in remuneratione sanctorum elucescet. Ibi enim ipse exultaturus est tanquam rex & Dominus, ubi suum populum in se gaudere conspexerit. Potest etiam cantatio & exultatio ista ad membra magis propriè referri. Cantavit enim Christus fortitudinem in Petro, aliisque apostolis & martyribus.

D

19 Quia factus es † susceptor meus : † *Fortitudo mea.*

Et refugium ÷ meum ∵ in die tribulationis meæ.

C. Ipse Christus suscipitur, quando Ecclesia cuncta salvatur. Tunc etiam æternum *refugium* efficitur Christus, quando ista desiderantissima vox auditur. *Venite benedicti patris mei*, sed & iam gratum est refugium Christus, quando tempore tribulationis consolatur.

Christus refugiũ nostrũ.

20 ¶ Adiutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es :

Deus ÷ meus ∵ misericordia mea.

¶ *Virtutem meam tibi cantabo, quoniam Deus adiutor meus.*

C. Repetit frequenter beneficia, ut nobis quemadmodum gratias agere debeamus ostendat. *Susceptor* humanitatis nostræ verbum est, quod eam in Mariæ virginis utero sibi sociare dignatus est. *Deus meus*, id est, misericordia mea, ibi enim omnia sunt beneficia, ibi universa munera designata.

E

Oratio ex Psal. LVIII.

Omnipotens Domine, cuius virtutem atque misericordiam matutino laudamus in tempore : fortitudinem te nostram oramus & quæsumus, ut ab omni obscuritate tenebrarum eruti matutino lumine decoremur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum, &c.

Argumentum Psal. LIX.

C. *Populus conversus ad Christum orat, ut post tribulationes quas pertulit, deducatur ad ipsum.*

F

TT. ¶ In finem pro his qui immutabuntur in tituli inscriptione David in doctrinam cum succendit : Mesopotamiam Syriæ & Syriam Sobal, & convertit Ioab & percussit Edom in valle salinarum duodecim millia. ¶ *Victori pro liliis testimonium humilis & simplicis David, ad docendum quando pugnavit adversus Syriam Mesopotamiæ & adversus Syriam Sobal, & reversus est Ioab, &c.*

C. *Commutabuntur autem in finem*, qui veteris hominis errore deposito Domino salvatori purà mente famulantur. *Tituli inscriptio* Christum significat regem. *In doctrinam* scilicet Christianam. Bella ista quæ sequuntur, historia regum comprehendit, & significant victorias Domini salvatoris, quas in toto mundo de paganis agit & perfidis, quorum verba iste psalmus dicturus est. Christus manu fortis & desiderabilis, non ferro, sed conversionis studio, non per ignem visibilem, sed per charitatis ardorem (quomodo divinitas debellare ac vincere invisibiliter consuevit) mundum rebellem subegit.

G

1 Deus † repulisti nos ÷ & ∵ destruxisti nos : † *Prosecisti nos, scidisti nos.*

Iratus es ¶ & misertus es nobis. ¶ *Convertisti nos.*

C. Populus iste qui erat priscis erroribus illigatus, repulsum se & destructum sub gratiarum actione commemorat. Cum dicit *repulisti*, ostendit se fuisse gratiâ Dei revocatum, ne in pravis dogmatibus vita finiretur. Ista destructio sic evertit, ut construat ; sic deponit, ut erigat, ideò merito ad gratiarum actionem venit ista destructio. *Iratus est* quando superstitiones eorum subvertit. *Misertus* cum eos ad cultum veræ religionis adduxit.

H

Bona destructio. Iratus & misertus.

2 Commovisti terram & † conturbasti eam: † *Dirupisti.*

Sana contritiones eius quia commota est.

C. *Terra* : universum cœtum peccantium significat, qui in Adventu Domini *commoti sunt*, quando culturas suas cognoverunt Deo esse abominabiles. *Conturbati sunt*, quando inter doctrinas suas alias audierunt, *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus : & peremus de via iusta. Sana contritiones, &c.* Cœlesti medico produntur vulnera, ut contritas medicina succurrat. Ista est contritio quæ nos efficit fortiores, quia commota est, id est, à priore errore translata est, ut tibi Domino obediat qui ante Idolis serviebat.

Psal. 2.

Bona cõtritio.

A

3 Ostendisti populo tuo † dura : † *Duritiam.*
Potasti nos vino ❡ compunctionis.
❡ *Consopiente.*

Vinum compunctionis.

C. *Ostendis* enim *dura* fidelibus iustis in isto mundo, ot reddat in æternitate pretiosa. *Vino* comparata est virtus, in qua non est vitiorum copia, sed *compunctionis* ubertas, quæ in bono proposito studium nostræ voluntatis immutat & efficit recta sapere, dum ea implentur.

4 Dedisti metuentibus te † significationem :
Vt fugiant à facie arcûs. † *Signum, ut fugerent.* Diapsalma.

B

A facie arcus.

C. *Dedit* timentibus *significationem*, quando per scripturas edocuit in hoc amenti mundo fideles multiplices passiones sustinere: *facies arcus*, diem iudicij designat, ubi novi & veteris testamenti, quasi duobus inflexis iugis omnis populus indicatur, sed ille ab isto arcu sagittam, id est, sententiam non suscipit, qui se in humilitate confessionis devotè prostraverit.

5 Vt liberentur ❡ dilecti tui : ❡ *Amici tui.*
Salvum fac dexterâ tuâ & exaudi me.

C. Deprecatur iste populus fidelis, ut iam à tribulationibus liberatis, Dei virtus tribulationes in alacritatem gaudij convertat. Et item precatur ut salvus fiat dexterâ, quia in ipsa parte statuendi sunt, qui perpetua fœlicitate gaudebunt.

C

6 Deus locutus est in † sancto suo : lætabor
!! & :· partibor Sichimam. † *Sanctuario suo.*
Et ❡ convallem tabernaculorum metibor. ❡ *Vallem Soccoth dimetiar.*

Sichima.

Côvallis tabernaculorum.

C. *Locutus est* pater in filio scilicet, Evangelicam veritatem, per quam venit redemptio fidelium. *Lætabor.* Iustè lætatur populus: cui prospera locutus est Dominus. H. Sichimam Samariam significat, dividit Christus Sichimam, cum aliam partem ad beatitudinem, aliam cum infidelibus ponit. C. *Convallem tabernaculorum metibor*, id est, de iudaica collectione habet non minimam portionem in fide catholica. Convallis dicta, quasi cavata vallis.

7 Meus est Galaad & meus est † Manasses :
† *Manasse.*
Et Effraim fortitudo capitis mei.

D

Galaad.

Manasses.

Effraim.

Ioan. 12.

C. *Galaad* interpretatur acervus testimonij; Testes enim Græcè martyres dicuntur. Acervus ille testimonij, magnam esse significat martyrum congregationem. *Manasses* interpretatur oblitus; merito ergo fidelis populus dicit, illam oblivionem suam esse, quæ erat de abolitione scelerum ventura. *Effraim* fructificatio dicitur, quæ est fortitudo capitis mei, id est, Dominus salvator, qui nobis contulit copiosissimum fructum, in passione & resurrectione: *quia nisi granum frumenti*, &c. usque *multum fructum affert.* H. Universa hæc de gentium vocatione dicuntur, quarum diversæ virtutes sub singulorum nominum interpretatione intelligenda sunt.

8 Iuda ❡ rex meus : ❡ *Legifer meus.*
Muab olla † spei meæ. † *Lavacri mei.*

Iuda.

Moab.

C. *Iuda* Christum significat: & cum exultatione dicendum est, *Iuda rex meus*, quoniam hæc est fidelium gloriosa confessio. *Moab* pro gentibus ponitur; unde congregandam prædicebat Ecclesiam. Per *ollam spei*, tribulatio significatur quam in hoc sæculo sancti sustinent, quæ ad spem vitæ æternæ Domino præstante porrigitur, ut Paulus ait, *spes autem non confundit.* Olla vero hic in malam partem ponitur, eo quod in sensu pravo velut unda decoctionis exæstuat, sed decoctis peccatis & exustis convertetur nigredo illa.

E

Olla spei.

Rom. 5.

9 ❡ In Idumæam extendam calciamentum meum :
Mihi alienigenæ subditi sunt. ❡ *Super Idumæam incedam calciamento meo, mihi Palæstina fœderata est.*

H. *Idumæa* interpretatur sanguinea vel terrena, ac si dicat, in istos tales extendam calciamentum, id est, prædicationem Evangelij. *Mihi alienigenæ subditi sunt*, scilicet Christo & Ecclesiæ.

F

10 Quis deducet me † in civitatem munitam ? † *Ad.*
Quis deducet me usque ❡ in Idumæam? ❡ *Ad.*

Civitas munita.

C. Exclamat populus fidelis ad Christum, *quis deducet me in civitatem munitam*, id est, futuram Hierusalem nisi tu solus Deus: quæ sic munita est, ut nullâ ulterius persecutione quatiatur qui eam te duce ingreditur. *Quis deducet?* ipse scilicet Deus. Desiderat enim Ecclesia illos populos sibi applicari, qui adhuc non meruerunt esse perfecti, ut completo numero prædestinatorum, simul ad æterna gaudia terreni cum sanctis pervenirent.

G

11 Nonne tu Deus qui † repulisti nos :
† *Proiecisti.*
Et non egredieris Deus in ❡ virtutibus nostris. ❡ *Exercitibus nostris.*

Deus defendit intus, foris affligi sinit.

C. Dicendo *nonne tu Deus* ostendit de quo superius dicebat, solum esse eum qui deduceret: & illum solum creatorem debere nobis esse propitium. Dicit autem, *qui repulisti nos*, id est, à malo prohibuisti, ne in nostra voluntate versaremur erronei. *Non egredietur Deus in virtutibus nostris*, id est, cum ita nos intus in præsenti sæculo defendas ab adversariis nostris, ut tamen foris nos diversis afflictionibus ad probationem nostram affligamur, æstimant inimici, quod non egrediaris in virtutibus nostris, quamvis in mente nos virtuose protegas.

12 Da nobis auxilium de tribulatione :
❡ Quia vana salus hominis. ❡ *Vana est enim salus ab homine.*

H

Vana salus hominis.

C. Orat Ecclesia, ut de tribulatione istius mundi, quam iugiter sustinebat, Domini sibi præveniret auxilium, sciens tanto illic amplius unumquemque consolandum, quanto hic pro eius nomine fuerit vehementer afflictus. Et *vana salus hominis*, salutem præstare non potest homini nisi solus Deus, ideóque sperare non debet homo in hominem.

13 In Deo faciemus virtutem :
Et ipse † ad nihilum deducet tribulantes nos. † *Conculcabit tribulantes nos.*

C. Ipse *in Deo faciet virtutem*, qui in mandatis eius iugiter perseverans, diabolicas tentationes Christo miserante calcaverit. *Ad nihilum* quippe *perducit inimicos* fidelium, quoniam delet eos de libro viventium, ubi sibi videbantur scripti.

A

Oratio ex Psal. L I X.

CLementissime Domine, salva supplicem populum auxilio dextera tua, ut dum ad fructum boni operis in tribulationibus exercitatur, tuâ semper gratiâ consoletur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.

Argumentum Psal. L X.

C. Vox Ecclesiæ petentis, ut sub alarum Christi velamine protegatur.

TT. ¶ In finem in hymnis David. ¶ *Victori in Psalmis David.* B

C. *In finem*, Christum significari iam notum est. *In hymnis* græcum vocabulum est, interpretaturque in laudibus, quia totus Psalmus Christi præconia personat. *David* autem ipsum Christum significat, cuius laudem decantat populus Christianus.

1 EXaudi Deus † deprecationem meam: † *Laudationem.*
Intende orationi meæ.

Deprecatio. Oratio. C. *Deprecatio*, assidua est communisque Deo & homini supplicatio. *Oratio* vero est quam sanctæ Trinitati iure persolvimus, illam postulavit *intendi*, id est, prospici à Domino atque misereri.

2 ¶ A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum:
In petra exaltasti me: ¶ *De novissimo terra ad te clamabo, cum triste fuerit cor meum.* C
3 † Deduxisti me quia factus es spes mea:
Turris fortitudinis à facie inimici.
† *Cum fortis elevabitur adversum me tu eris ductor meus, fuisti spes mea, turris munitissima, &c.*

C. Clamat congregatio sancta *à finibus terræ.* H. Id est, quatuor partibus mundi. C. In quibus omnipotentis Dei Ecclesia constituta est. *In anxietate cordis*, quando enixius oratur & clamatur ad Dominum, scilicet cum periclitanti animæ necessaria remedia postulantur. *Petra* significat Christum, in hac petra se exaltatum esse pronuntiat in qua omnis ædificatus est Christianus. C. *Deduxisti me*, in illam scilicet futuram requiem, quam beatis suis Dominus pollicetur. Causa etiam redditur, quare sit doctus ad præmium, *quia posuit sibi spem Dominum. Turris* etiam Dominum significat: turris enim civitatis muros defendit, & irruentes hostes ex alto vulnerat; Sic virtus Domini populum suum defendit; pugnat vero verbo non prælio, & turris illa virtutibus plena est, non gladiis.

D Petra. christus Turris. Dominus dicitur.

4 // In ∴ habitabo in tabernaculo tuo ¶ in sæcula:
Protegar in velamento alarum tuarum. ¶ *Iugiter: sperabo in protectione alarum tuarum.* Diapsalma.

Alarum protectio. H. *Inhabitabo* utique in illo tabernaculo, in quo sine fine mansuri Deum iugiter contemplemus. C. Merito ergo protectio Domini alis comparata est, quæ nec subiectos onerant & læsionem omnis contrarietatis emendant.

5 Quoniam tu Deus // meus ∴ exaudisti orationem meam: E
Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

C. Cur in velamento alarum Domini lætetur ostendit, scilicet, *quoniam eius exaudita est oratio. Hæreditatem dedisti*, significat futuri sæculi regnum, hæc non habet finem, sed cum semel suscepta fuerit nunquam à nobis mutatione aliquâ discedit. Hæreditas firma.

6 Dies super dies regis adiicies:
Annos eius † usque in diem generationis & generationis. † *Donec est generatio & generatio.* F

C. *Dies* æternitatem significat salvatoris, qui verè *rex* noster dicitur, quoniam ab ipso regimur. H. *Adiicientur* etiam anni regis huius, & dies inter istas generationes, usque dum congregatis electis & supplantatis inimicis, tradiderit regnum Deo patri, simul cum ipso regnans & cum sanctis. C. *Usque* ergo *in diem generationis & generationis*, id est, usque ad æternum unum diem in gloria Dei; qui est dies, ad quem omnis generatio hominum ordinatè facta est. 1. Cor. 15. Unus dies æternus.

7 ¶ Permanet in æternum in conspectu Dei:
Misericordiam & veritatem eius quis requiret? ¶ *Sedebit semper ante faciem Dei: misericordia & veritas servabunt eum.*

H. *Permanebit in æternum* scilicet populus sanctus in beatitudine, nullo iam in eo mortis Dominio dominante. C. *Misericordiam & veritatem quis requiret?* ibi misericordia non requiritur, ubi nullus est miser, ibi nec veritas ubi cuncti Deum videbunt. Nullus siquidem eorum indigus erit bonorum talium, cum in æternum possideant regna cœlorum. Negativè igitur legendum est, quis requiret quod dicit nullus. G

8 Sic † psalmum dicam nomini tuo in sæculum // sæculi:
Ut reddam vota mea de die in diem.
† *Canam nomini tuo iugiter: reddens vota mea per singulos dies.*

C. *Sic* significat ita, quemadmodum in subsequentibus declarat. *Psallere* enim *semper* dicit populus beatorum superno nomini, non brevi tempore, sed in sæculum sæculi. *Vota* etiam *sua se Domino reddere* promittit, ut ei æternas gratias semper exolvat. *De die in diem:* significat semper, ut & hic vota nostra reddamus, & ibi laudes cantemus Domino perpetuâ hilaritate. H Reddere vota.

Oratio ex Psal. L X.

ANxietatum nostrarum misericordissime consolator Deus, protege familiam tuam à facie inimici; ut à te turre fortitudinis præmunita inhabitare tabernacula mereatur æterna. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psal. L X I.

C. Vox conversi, dicentis animam suam Deo esse subiectam, monentisque errantes, ut magis in Domino quam in caduca huius mundi felicitate confidant.

A

TT. ¶ In finem pro Idithum pſalmus David. ¶ *Victori pro Idithum canticum David.*

Idithum. C. *Idithum* interpretatur tranſiliens eos, id eſt, amatores ſæculi huius, quos miles Chriſti contemptâ mundi voluntate tranſcendit, & in Domini ſpe firmiſſimâ permanebit. Talis enim præmittit *finem*, id eſt, Dominum Chriſtum, ſequitur quoque *pſalmus*, hoc eſt probabilis vita, quæ regulis Domini obſecundat, id eſt, obedit.

1 † NOnne Deo ſubiecta erit anima mea?
Ab ipſo enim ſalutare meum. † *Attamen apud Deum ſilebit anima mea: ex eo ſalus mea.*

B

C. *Nonne*: vertendum eſt ut planius fiat, dicamus enim, *nonne Deo ſubdita erit.* Subditus eſt Deo, qui ſemper humiliter illud agit quod ad eius mandata cognoverit pertinere, ac præter eum nihil aliud mens beata concupiſcit. *Ab ipſo enim ſalutare meum*, id eſt, unigenitus filius, qui rectè credentibus ſalutaris dicitur & exiſtit.

2 ¶ Nam & ipſe Deus meus & ſalutaris meus:
Suſceptor meus, non movebor ampliùs. ¶ *Attamen ipſe eſt ſcutum meum & ſalus mea: fortitudo mea, non commovebor amplius.*

C

C. *Nam & ipſe Deus meus*, nunc Deum invocat quem ſuperius nominavit ſalutare. Ne crederes autem minorem eſſe filium patre dicit, *ipſe eſt Deus meus.* Repetit *ſalutaris meus*, ſalus enim Chriſtus eſt humani generis, quod in Adam perierat. H. Addidit *ſuſceptor meus* in æternitate, ſcilicet, ideò *non movebor ampliùs*, quia poſtquam felici viſione fruar, cadere non timebo. Nec habet quo currat amplius niſi uſque ad Deum.

3 † Quouſque irruitis in hominem, interficitis univerſi vos?
Tanquam parieti inclinato & maceriæ depulſæ. † *Vſquequo inſidiamini contra virum, interficitis omnes: quaſi murus inclinatus & maceria corruens.*

D

C. Loquitur enim populus Dei ad perſecutores Chriſtianorum, *quamdiu* agmine facto ſupra *homines innocentes irruitis?* H. Addidit, *interficitis univerſi vos*, quia qui voluntatem habet occidendi hominem, etiam ſi non percuſſerit, occidit. C. Aptiſſima comparatio, *Paries inclinatus* quamvis non moveatur, tamen occumbit, quia in caſum vergit quicquid à ſoliditate ſua fuerit inclinatum, *& maceria depulſa*, quæ facilè in ruinam cadit, ſi fuerit aliqua impulſione quaſſata. H. Ita homicidæ cum rectè ſitis creati, ad ruinam proni criminis, naturaliſque in vobis ſenſus perverſus eſt. C. Eſt autem maceria ſicca ſaxorum conſtructio, quæ ſine aliquo ligamine impenſo, in altum ducta componitur.

Paries inclinatus. *Maceria.*

4 ¶ Veruntamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in ſiti.
¶ *Partem enim eius cogitaverunt expellere, placuerunt ſibi in mendacio.*
Ore ſuo † benedicebant, † *Singuli benedicunt.* & corde ſuo ¶ maledicebant.
¶ *Maledicunt ſemper.* Diapſalma.

E

C. Iſte verſus reſpicit ad iudæos & ad fictos Chriſtianos. *Cogitabant* infideles *repellere* Chriſtum, qui eſt caput & *pretium* Eccleſiæ, quando non puro corde coleretur, ſacrilegis dogmatibus obviabant. Tunc ſanctus vir *curſum vitæ* ſuæ *in ſiti* ſterilitatis peragebat, quia invenire non poterat, quem ſacra doctrina potaſſet. Sequitur ſitis cauſa. *Benedicebant ore*, qui legem fallaci emendatione pertranſeunt, & non hoc operibus demonſtrant quod ore pronuntiant. *Corde* enim *maledicebant*, qui ſcripturas ſanctas vitiosè intelligebant.

Ore benedicere.

5 Veruntamen Deo † ſubiecta eſto anima mea: † *Retice.*
Quoniam ab ipſo ¶ patientia mea.
¶ *Præſtolatio mea.*

F

C. Nunc repetit propheta quod ſuperius dixit, *animam ſuam Deo eſſe ſubiectam*, ut ipſa repetitio menti noſtræ credulitatem infigeret. *Patientia* quippe *noſtra* Chriſtus eſt, propter quem & adverſa libenter patimur, & ſuſceptæ regulæ obſervatione gaudemus.

Patientia noſtra Chriſtus.

6 † Quia ipſe Deus meus, & ſalvator meus:
Adiutor meus, non emigrabo. † *Sed ipſe eſt fortitudo mea & ſalus mea: ſuſceptor meus, non timebo.*

C. Superius Chriſtum patientiam nominavit, nunc iterum dicit, *Deus meus, & ſalutaris meus*, quia revera animæ ſuæ ſalutem iam tunc per incarnandum verbum provenire noſcebat. *Non emigrabo* ſcilicet de hac credulitate quam teneo vel ſuaſu malo veſtro, vel perſecutione.

G

7 In Deo ſalutare meum & gloria mea:
¶ Deus auxilij mei & ſpes mea in Deo eſt ∴ ¶ *Robur fortitudinis mea & ſalus mea in Deo.*

C. Congeminat *in Deo ſalutem* eſſe, non ut in gentium diis perpetuam mortem. *Et gloria mea*, ut non ſolum ſalus, ſed etiam illi crediſiſſe ſit gloria. *Deus auxilij mei*, ne ſibi aliquid deputaret humana infirmitas. Dixit poſtremo, *ſpes mea in Deo eſt*, ut & illa præterita quæ perceperat, Domino deputaret & futuram ſuam beatitudinem ipſi applicaret.

8 Sperate in eo † omnis congregatio populi, effundite † *Omni tempore: populi effundite.* coram illo ¶ corda veſtra.
Quia Deus adiutor noſter in æternum ∴ ¶ *Cor veſtrum. Deus ſpes noſtra eſt ſemper.* Diapſalma.

H

C. *Sperate in eo*, id eſt, in illum, ſcilicet, quem ſibi & Deus profeſſus fuerat & ſalutem omnis conventûs plebis. *Effundit* ante Dominum *cor ſuum*, qui peccata ſua uberrimis lachrymis confitetur. Cor aliter effundi non poteſt, niſi creberrimo imbre lachrymarum.

Effundere cor.

9 Veruntamen † vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris:
Vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum. † *Vanitas filij Adam, mendacium filij viri. In ſtateris doloſi fraudulenter agunt ſimul.*

C. *Veruntamen* dicit *vani filij hominum*, ut vitium

ſuum

A ſuum cognoſcens humanitas, ad autorem ſalutis celeri ſupplicatione feſtinet. *Vani* etenim homines dicuntur ad comparationem ſupernæ veritatis. *Mendaces* illos tangit, qui *ſtateris* iniquis emeotium decipiunt ſimplicitatem: ut & illos notat qui ſanctitatis ſimulatione decipiunt. *Vt decipiant*, poterant enim non decipere ſi eorum neqoitia poſſit deprehendi. *In idipſum*, ſcilicet in æquitate, quam falſo habere æſtimantur cum juſti eſſe creduntur.

Mendaces in ſtateris. In idipſum.

10 Nolite ¶ ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere: ¶ *Confidere in calumnia, & in rapina ne fruſtremini.*

Divitiæ ſi affluant nolite cor apponere.

C. Docet enim vitiatos, ne ſperare debeant, obi fructus boni deſiderij non poteſt inveniri. Dicit etiam ad pauperes, qui neceſſitate victûs furtivom aliquod concupiſcont, *& rapinas nolite concupiſcere.* Non enim poteſt crimen rapinæ indigentia tollere, nec qoi vindictæ ſubjacet, culpam excoſare. Nunc redit ad divites, dicens, *Divitia ſi affluant.* Merito ergo præcepit B divitibus, *cor non apponere* & quæ poſſident non amare, cum Paulus dicat, *non ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo.*

1.Tim.6.

11 ¶ Semel *Vnum.* locutus eſt Deus, duo hæc audivi, quia † poteſtas Dei eſt & tibi Domine miſericordia: *Imperium Dei eſt.*

Quia tu reddes unicuique ¶ juxta opera ſua. ¶ *Secundum opus ſuum.*

Hebr.1. Pſal.2. Ioan. 10.

C. Locutus eſt frequenter patribus noſtris Deus, ſed *ſemel locutus eſt* filio ſuo, dicens: *Filius meus es tu: ego hodie genui te*, hoc enim nulli alteri patrem fuiſſe locutum manifeſtum eſt. *Duo hæc audivi* in Evangelio *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam.* Sequitur illod ſecundum, *& tibi Domine miſericordia*, ſubaodiendum, placet, utrumque deitaris eſt, ut ſcilicet miſericorditer poſſit & potenter miſereatur. Et ut hoc de Chriſto dictum planiùs intelligas, ſequitur tempus judicij, *Quia tu reddes*, pater non judicat quemque, ſed omne judicium dedit filio. Oſtenditur ergo ea iſtis tribus Chriſto attributis ſcilicet ſingulari & poteſtate & miſericordiâ, ſimiliter judicio, cum unum eſſe verum cum patre Deum.

C

Ioan.5.

Oratio ex Pſal. L X I.

Subde tibi Domine animas noſtras: quoniam tu es patientia vera, ut renuentes incerta divitiarum te ſolum contemptâ omni mundanâ vanitate ſequamur. Per Dominum noſtrum Ieſum, &c.

Argumentum Pſal. L X I I.

D

C. Eccleſia deſiderans Domini videre virtutem, agit gratias, quia ſub protectione Domini procellas mundi evaſit.

TT. Pſalmus David cum eſſet in deſerto ¶ Idumeæ. ¶ *Iudea.*

C. *Idumæa* enim locus eſt ubi David fugiens perſecutionem Saulis, ibi latoiſſe cognoſcitur. Idumæa interpretatur terrena, & ſignificat terrenos actus, qui bonis ſpiritualibus omnino nudati ſunt.

Idumæa.

1 Deus Deus meus

Ad te de luce vigilo: † *Deus fortitudo mea tu es, de luce conſurgam.*

C. *Deus Deus meus.* In iſta repetitione venerandi nominis affectum piæ deprecationis oſtendit. Ad ipſum *vigilatur* quotiens in mundi ambitione dormitur. Addit *diluculo* quando Dominicæ reſurrectionis tempus eluxit, ut nunc laudes caneret, qoando genos humanum exemplo ſuæ reſurrectionis animavit. E

2 Sitiuit ⁝⁝ in ⁖ te anima mea:

¶ Quam multipliciter tibi caro mea.

¶ *Deſideravit te caro mea.*

C. *Sitit* ergo *anima* fidelium Deum, quando mandata ejus & virtutes eximias concupiſcit, & ipſum deſiderat videre, à quo bonorum omnium fluenta conſtat emanare. H. Ideo *multipliciter caro* Deum quærit, quia multis afficitur injuriis. F

3 In terra ⁝⁝ deſerta ⁖ † invia & inaqooſa, ſic in ſancto apparui tibi: ¶ *Conſitiente ac ſine aqua.*

Vt ¶ viderem virtutem tuam & gloriam tuam. ¶ *Videam fortitudinem tuam.*

C. *In terra deſerta* ſicut titulus dixit, id eſt, indigentiâ hujus mundi & ſterilitate jejuna. *In invia*, quia mundus in ſe non habet viam niſi Dominum ſalvatorem, qui iter eſt cæcorum. Et *inaquoſa*, id eſt, arida atque infertili, ut merito ejus anima nimia ſiccitate dureſcat. Vnde per hæc tria nomina mundi iſtius neceſſitas indicatur. Tunc ſe apparuiſſe dicit ſancta Eccleſia in ſancto fidelique propoſito, quando Chriſtum verum Deum eſſe cognovit. Dicit vero, *apparui tibi, ut viderem virtutem & gloriam tuam*, qoia nemo veritatem videt, niſi Deo prius apparere potuerit. Nam ſi ſol iſte videre nos facit, quando nobis fulſerit, qoantò magis virtus divina (ſine qoa nec accipere nec tenere aliquid boni poſſumus) videre ſe fecit, ſi antè nos illuminans, ſibi apparere faciat.

Terra deſerta, invia & inaquoſa.

Apparere Deo.

G

4 Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas: † *Quam vita.*

Labia mea laudabunt te.

C. *Miſericordiam* dicit, præmia Domini, quæ ſanctis ſuis promittit largâ pietate: qoæ longè melior eſt vita præſenti. *Labia mea laudabunt te*, poſt beneficia quæ promiſit, devotæ laudis obſeqoium pollicetor, quod Deo noverat eſſe gratiſſimom. H. Miſericordia tua, vitam præſtat æternam, vita præſens ſæpe mortem operatur. H. Vel melior eſt miſericordia tua quam vitæ, id eſt, modi vivendi quantumcunque ſancti, quia nollos ſuâ ſanctitate ſalvari poſſet, ſi miſericordia deeſſet Dei.

Super vitas.

5 Sic benedicam ¶ te in vita mea: ¶ *Tibi.*

⁝⁝ Et ⁖ in nomine tuo levabo manus meas.

H

C. *Benedicit* enim *in vita ſua* perfectè Deum, qui bonis operibus in hac luce verſatur. *Levat manus ſuas in nomine* Domini, qui operibos ſanctis inſiſtendo, tenſis manibus orat Dominum, ut ipſa oratio deſignet effigiem ſanctæ crucis.

Levare manus.

6 † Sicut † *Quaſi.* adipe & pinguedine ¶ repleatur anima mea: ¶ *implebitur.*

Et labiis † exultationis laudabit os ſuum. † *Laudantibus canet os meum.*

C. *Adipes* ſunt viſcerum craſſa velamina, quæ interna jecoris operiunt. *Pinguedo* vero eſt ſaginatæ pecudis nutrita cibis obæſitas, iſta fuerunt apta ſacrifi-

Adipes. Pinguedo animæ.

A ciis olim. Sed pinguedo animæ divinarum rerum scientia est, & recta fides ac inconcussa patientia, &c. unde sæculi istius macies superatur. *Et labiis exultationis*, Sicca labia aviditate peccati Deum laudare non possunt, sed cum pinguedinem divinæ misericordiæ anima perceperit, labiis exultationis laudabit. H. Hic orationes, in patria exultationes & lætitia sempiterna sunt.

7 † Sic memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: *Recordans tui in cubili meo per singulas vigilias meditabor tibi.*

Quia fuisti ¶ adjutor meus. ¶ *Auxilium meum.*

Memor Dei Ecclesia. B C. Nam cum dicit Ecclesia *sic memor fui tui*, ostendit se recordationem Domini semper habuisse, nec oblitam fuisse in rebus prosperis, quando solent humana corda collata beneficia in memoria non habere. Per *stratum* significat quietem, ubi solemus corpora nostra in somno remittere. *In matutinis* etiam fidelis vigilat, quoniam nec in prosperis suis poterit oblivisci lucis auctorem. In periculis fuit *adjutor*, quando fuit in invio deserto.

8 Et in † velamento † *Umbra.* alarum tuarum ¶ exultabo, adhæsit anima mea post te. ¶ *Laudabo.*

Me suscepit dextera tua.

Dextera patris Christus. H. *Et in velamento*, id est, in protectione cœlestis auxilij se dicit Ecclesia exultare, C. Et *se adhæsisse Domino* dicit, ut nunquam recedat à bono proposito. *Dextera* patris, Christus est Dominus, qui suscepit Ecclesiam, alarum suarum velamento protegendam.

9 Ipsi vero † in vanum quæsierunt animam meam: † *Interficere quærunt*,

C ¶ Introibunt in inferiora terræ. ¶ *Ingrediantur in extrema terræ.*

† Tradentur † *Congregentur.* in manus gladij ¶ partes vulpium erunt. ¶ *pars.*

H. C. *Ipsi vero*, hoc est inimici, *in vanum quæsierunt* animam Christi: quando falsis criminibus sanguinem ejus effundere decreverunt. C. Sequitur. Quia non ad cœlos evecti sunt, sed deorsum eos viscera terræ absorbuerunt. *Tradita est in manus gladij* gens Iudæa, quando eam principes Romanorum Vespasianus & Titus cæde incendioque vastabant. Iudæi quoque cœlestia credere nolentes, *partes vulpium facti sunt*: dum se dolosis & fraudulentis prava voluntate conjunxerunt, aut in talium potestatem redacti sunt. Sive cum in Hierosolymitana vastatione cadavera eorum escæ fuerunt vulpium ferarumque reliquarum. — Partes vulpium Iudæ.

D 10 Rex vero lætabitur in Deo † laudabuntur omnes qui jurant in eo: † *Laudabitur omnis.*

Quia ¶ obstructum est ¶ *Obstruetur.* os loquentium † iniqua. † *Mendacium.*

C. *Regem*, dicit salvatorem, ipse enim rex in æternum, qui *lætabitur in* Domino *Deo* patre. Adjecit *laudabuntur omnes*, cum laudant Christum sancti Dei ipsi fiunt sine dubitatione laudabiles, quia non possunt laudes ejus digne narrare, nisi qui ad palmam indulgentiæ meruerunt pervenire. Illi *jurant in eo* qui ei mentis obsequium inviolabile promittunt. H. *Obstructum est os* Iudæorum & principum sacerdotum, resurgente — Iurare in Deo.

E Domino, & crescente testimonio veritatis. C. Et os omnium iniquorum obstruetur in judicio, non in isto sæculo.

Oratio ex Psal. LXII.

AD te diluculo vigilantibus lumen largire perpetuum auctor lucis æterna, ut te labia nostra laudent, te vita benedicat, te meditatio matutina glorificet. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psal. LXIII.

C. Christus per totum hunc Psalmum de sua passione loquitur.

F TT. ¶ In finem Psalmus David. ¶ *Victori.*

C. Tituli hujus verba (sicut sæpe dictum est) referuntur ad Dominum Christum, qui per totum Psalmum locutus est, qui sextus esse cognoscitur horum qui passionem resurrectionemque dominicam brevi revelatione contingunt.

1 † EXaudi Deus orationem meam cum deprecor: † *Audi Deus vocem meam loquentis.*

A timore inimici ¶ eripe animam meam ¶ *Serva vitam meam.*

C. A parte humanitatis assumptæ postulabat Dominus Christus, ut ejus exaudiatur oratio, quando totis viribus petitur, quod prodesse sentitur. *A timore inimici*, id est, Iudæi. H. Vel diaboli suos fideles eripi postulabat. G

2 † Protexisti me à conventu malignantium:

A multitudine operantium iniquitatem. † *Absconde me à consilio malignorum, à tumultu operantium iniquitatem.*

C. *Protectus* est plane à conventu Iudæorum, quia dum illi eum crederent communiter mori, ejus resurrectionis gloriâ probantur esse confusi. Protectus est itaque, quia malignorum insidias potentiæ suæ virtute superavit. *A multitudine* dixit, ut actum exprimeret passionis, superius enim dixit *à conventu malignantium*, quod ad consilia potest referri, hoc autem ad actum eorum, nam dixit: *operantium iniquitatem.*

3 Quia exacuerunt, ut gladium ¶ linguas suas: ¶ *Linguam suam.*

† Intenderunt arcum rem amaram, † *Tetenderunt sagittam suam verbum amarissimum.* ut sagittent in occultis ¶ immaculatum. ¶ *Simplicem.* H

C. Iam redditur causa, cur protectus sit ab operantibus iniquitatem, nam quantum illi linguas suas velut mortiferum gladium exacuerant, tantum eorum iniquitas frangebatur, & eis magis nocebat quam Christo. Etenim mos est peccantium, ut primum sibi noceant, qui alterum gravare festinant. *Linguas exacuerunt*, quando voce unâ dixerunt, *Crucifige. Intenderunt arcum*, id est, insidias occultas. O res amara & omni felle deterior. Convivam ad proditionem, discipulum ad necem, conservatorem pecuniæ, præmio pecuniæ fuisse corruptum. *In occultis* sic accipiendum est, ut Iudæi putarunt: cæterum, actum eorum occultum esse Christo non potuit, qui frequenter ante prædictus est quam fieret. *Immaculati* dicuntur etiam qui abluti à pecca- — Arcus, res Amara.

A Immaculatus Christus. tis Dei sunt misericordiâ, sed verè immaculatus solus Christus est, qui nullam maculam contraxit.

4 Subitò sagittabunt eum, & non timebunt:
† Firmaverunt † *Confortaverunt.* sibi sermonem § nequam. § *Pessimum.*

H. *Subitò* quasi invisi vel ex improviso. H. Vt Iudæi dementissimi putaverunt. Quod vero dixit, *sagittabunt, & non timebunt*: ostendit malignæ voluntatis velocem effectum. *Firmaverunt sibi*, quando dixerunt, Mat. 27. *Reus est mortis*, sive *sanguis eius super nos & super filios nostros.*

5 Narraverunt, ut absconderent laqueos.
B Dixerunt, qui videbit eos?

C. Consuetudo peccantium est, ut qui dolum parat, hominem se putet fallere posse, sic Iudæi confusi, Christum tantummodo hominem putantes, malignitatem suam non credebant agnosci ab illo, cui cuncta patent.

6 Scrutati sunt iniquitates.
Defecerunt scrutantes scrutinio.

C. *Scrutati sunt* Iudæi *iniquitates*: quas utique prætermittere debuissent, dum nullum ibi fructum suæ salutis poterant invenire. Dixerunt enim, *Si dimittimus eum sic, venient Romani*, &c. *Defecerunt*: quia Ioan. 11. semper in cogitatione deficiunt, qui ad res pessimas pervenire contendunt.

7 † Accedet homo ad cor altum:
Et exaltabitur Deus.
8 Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum:
C Et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. † *Et cogitatione singulorum & corde profundo. Sagittabit eos ergo Deus iaculo repentino, Inferentur plagæ eorum, Et corruent in semetipsos linguis suis.*
9 § Conturbati sunt omnes qui videbant eos.
Et timuit omnis homo. § *Fugient omnes qui viderunt eos. Et timebunt omnes homines.*
10 † Et annuntiaverunt opera Dei:
Et facta eius intellexerunt. † *Et annuntiabunt opus Dei, & opera eius intelligent.*

D C. *Cor* enim *altum* est tunc, quando homo cœlestia *cogitat* & terrena devitat. Iste non deficit sicut ille qui scrutabatur scrutinio, sed magis magisque crescit, quia in eius corde *exaltabitur Deus*, non in se. Deus enim in eo grandescit, qui sanctitate crescit.

C. *Paruulorum sagitta* inania tela sunt, qui studio ludendi fragiles cannas jacere consueverunt in modum sagittarum. Sic Iudæorum vota inefficaci malignitate sævissima non intulerunt flendam mortem, sed gloriosissimam passionem. H. *Infirmatæ sunt linguæ*, quia nullam cepit stabilitatem elocutio eorum, sed dolus eorum reddidit eos infirmos.

Actor. 2. C. *Conturbati sunt* ex illis quidam credentes, quando venerunt & dixerunt ad Apostolos. *Quid faciemus viri fratres? Et timuit omnis homo.* Dicit totum pro parte, ut *omnis*, intelligatur qui judicium Domini futurum formidabat: *timuit*, quia judicium futurum sibi imminere formidabat. E

C. *Annuntiaverunt*, scilicet gloriam resurrectionis, & priora miracula quæ fecit. *Et facta eius intellexerunt*, scilicet, esse divina, quia talia implere non poterat humana fragilitas. H. compuncti enim eadem intellexerunt, & intellecta aliis nuntiaverunt, qui Deum religiose timuerunt.

11 Lætabitur justus in Domino & sperabit in eo:
Et § laudabuntur omnes recti corde. § *Exultabunt.*

H. *Lætabitur iustus.* Sicut enim impius propter infidelitatem suam formidat, ita iustus propter spem æternitatis suæ exultat in Domino. C. *Recti corde* sunt qui per semitas Domini gradiuntur, qui & Dominum laudant: & ab ipsa veritate laudantur? Quid laudabilius, quam ab ipso audire: Venite benedicti, &c. Recti corde. Mat. 25. F

Oratio ex Psal. LXIII.

Tutela omnium credentium Deus, custodi Ecclesiam tuam à conventu malignantium, qui eam occultis iaculis impugnare nituntur, ut te salubrè rectoque retinens intellectu, vestrorum meritis perpetualiter collætetur. Per Dominum nostrum Iesum, &c.

Argumentum Psal. LXIV.

C. *Populus à peccata liberatus, orationem suam postulat exaudiri, diversas laudes Domini potentiamque enuntians.*

TT. § In finem psalmus David § *Victori* † canticum ⁝ Hieremiæ & Ezechielis de populi transmigratione, cum inciperent proficisci ⁝ † *Cantici.* G

C. *In finem psalmus David*, verba jam nota sunt. *Canticum* significat prophetiam Hieremiæ & Ezechielis, qui prophetabant de populo transmigrationis Babyloniæ, eos post lxx. annos in patriam esse redituros. Significat populus rediens à Babylonia eos qui mundi hujus confusione damnatâ, ad cœlestem Hierusalem venire contendunt. Canticū de reditu è Babylone.

1 † TE decet hymnus Deus in Sion: † *Tibi silentium laus.*
Et tibi reddetur votum ⁝ in Hierusalem ⁝

H C. Reversa plebs ad Dominum de captivitate peccati, in magnam exultationem prorumpit dicens. *Decere hymnum* solum Deum non dæmonum turbas, nec alibi nisi *in Sion.* H. Id est, in Ecclesia. C. Et reddere oportere votum in Hierusalem, non sicut ab infidelibus vota redduntur Marti & Veneri, cæterisque dæmonibus, sed Deo soli in Hierusalem, id est, in visione pacis, in qua manet semper fixa fœlicitas. Hymnus in Sion. Reddere vota Deo.

2 Exaudi orationem ⁝ meam ⁝
§ Ad te § *Donec ad te.* omnis caro † veniet. † *Veniat.*

C. Ipse populus qui prius dixerat, *te decet hymnus* nunc ad Dominum hymnicâ supplicatione proclamat dicens, *exaudi orationem meam*, rogatque, hîc ut ei parceret, ne in futuro se damnaret. H. *Omnis caro*, ac si diceret, ad te convertetur omnis homo. C. Vel omnis homo ad te in judicium veniet, recipiens prout gessit, ideo rogo, ut hic parcas, exaudiens orationem meam. Omnis caro ad te veniet 2. Cor. 5.

A

3 Verba ¶ iniquorum ¶ *iniquitatum.* prævaluerunt † super nos : † *Adversum me.*
† Et impietatibus nostris tu propitiaberis. † *Sceleribus nostris.*

C. *Prævaluerunt verba iniquorum* quandu pagani parentes persuascrunt filiis suis, ut antiquos ritus & sacrilegia colerent. Sed his erroribus pietas divina subvenit, quando salutem mundo adventu Domini indulsit, & eum in cruce hostiam fecit, per quam mundum sibi reconcibavit.

Ephes. 1.

4 Beatus quem ¶ Elegisti & assumpsisti :
In babitabit in atriis tuis. ¶ *Elegeris & susceperis: habitabit enim.*

C. *Beatus est quem Dominus elegit*, nec eam electionem suis meritis tribuit. *Assumus* vero est, in æterna requie collocari. H. Ergo qui se dignum Christi electione præbuerit, inhabitat cum Apostolis sanctis in tabernaculis sempiternis.

B

5 Replebimur in boois domûs tuæ :
† Sanctum est templum tuum mirabile in æquitate. † *Sanctificatione templi tui.*

C. *Replebimur*, quasi ad mensuram nostram, quantum possumus capere, potabimur, ut Paulus, *unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* H. *Sanctum templum*, est bomo ille quem inhabitat plenitudo divinitatis. C. Quod dixit, *mirabile*, ad prædictum virum respicit, qui *in æquitate* judicaturus est mundum H. Vel quia mirabiliter veritatem incredulis judæis aperuit. C. potest etiam Ecclesia intelligi per Domini templum, quæ est mirabilis in sanctis, qui æquitatis virtutibus inscrutabiliter sont prædici.

Terribilis in iustitia.

Rom. 12. Ephes. 4.

Templũ Domini Ecclesia.

C

6 Exaudi nos Deus † salutaris noster : † *Salvator noster : confidentia.*
Spes omnium finium terræ & ¶ in mari longè. ¶ *Maris longinqui.*

C. *Salutaris noster* dicitur Deus, qui humano generi sua pietate salutem contulit : *spes* enim Domini non est localis, nec unius gentis, *sed omnium finium terræ. Et in mari longè*, sive ad insulas respicit, quas finibus prædictis videbatur non inclusisse, sive ad totius sæculi habitationem, quæ mare longum vel magnum rectè dicitur, quia mundus iste salsitatibus diabolicis & fluctibus perturbationum amarus est.

Spes omnium finium terræ.

7 Præparans montes in virtute † tua, † *Sua.* accinctus ¶ potentiâ :
Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius. ¶ *Fortitudine. Compescens sonitum maris, fremitum fluctuum eius.*

D

C. *Præparans montes*, id est, Apostolos, qui ad verbum prædicationis electi sunt : hos præparavit in virtute sua Dominus, quia per eos fecit magna miracula *Accinctus*, id est, indutus, *potentiâ*, id est, majestate sua. *Turbavit* per prædicationem Apostolorum *profundum maris*, id est, gentilium corda, qui sæculi hujus (quod mare dicitur) profunditas fuerunt, quia profundiùs in errores dimersi fuerunt. Merito corde turbati sunt, quando Deos suos conticuisse cernerent. *Sonum fluctuum*, id est, dicta crudelia persecutorum, quæ fuerunt sonus fluctuum, id est, persecutionum, *maris*, id est, mundi. H. Vel profundum maris est profunda sæculi jactantia.

Montes apostoli.

Profũdũ maris, gentiliũ corda.

E

8 † Turbabuntur gentes † *Et multitudinem gentium.* & timebunt quihabitant ¶ terminos à signis tuis :
Exitus matutini & vespere delectabis. ¶ *Et in extremis egressus matutini & vesperi laudantes facies.*

C. *Turbatæ sunt gentes*, quandu fidelissimos videbant & vivos virtutes facere, & mortuos supplicantium vota complere. *Timebunt* omnes *à signis tuis.* H. Id est, à virtute crucis quæ incredulis stultitia erat. C. Sive à signis, id est, miraculis Apostolorum, quæ prius nunquam vel viderunt vel audierunt. *Exitus matutinus* est, quando quis ex fœlicitate mundi ad Deum convertitur : *vespere* significat mœrentium tristitiam, quam vertit in gaudium Deus. H. Per mane, lætitia, per vesperam tristitia intelligitur. A. Delectat igitur, id est, delectabiles facit mane & vesperam, dum ex prosperitate & adversitate sanctos acquirit.

Exitus matutini.

F

9 Visitasti terram & † inebriasti eam :
Multiplicasti locupletare eam. † *Irriga eam: Ubertate dita eam.*

H. *Visitavit terram*, assumendo corporis materiam, *& inebriavit eam* non vino luxuriæ, sed infusione sancti spiritûs. *Locupletavit eam*, opibus diversarum gratiarum. C. Locuples dicitur loca plura tenens.

Terra inebriata.

Locuples.

10 ¶ Flumen Dei repletum est aquis :
Parasti cibum illorum quoniam ita est præparatio ejus. ¶ *Rivus Dei plenus aquâ, præparabis frumentum eorum quia sic fundasti eam.*

H. Nos qui credimus, jam *Dei flumen* sumus, *replebimur* aquis, id est, misericordiâ Dei, quæ aquis comparatur, vel spiritu sancto, vel cum baptismo abluimur, & locupletamur ab eodem spiritualis infusionis imbre, cum donis spiritalibus irrigamur. *Cibus* iste est panis vitæ. C. Talem cibum nobis Dominus præparavit, quem sumimus cum de Christi sanguine bibimus, & de ejus corpore saginamur.

G

Joan. 6.

11 † Rivos ejus inebria, multiplica † *Sulcos.* ¶ genimina ejus : ¶ *Fruges.*
† In stillicidiis ejus lætabitur germinans. † *Pluviis irriga eam, & germini eius benedic.*
12 Benedices ¶ coronæ anni benignitatis tuæ :
Et campi tui replebuntur ubertate. ¶ *Volvetur annus in bonitate tua, & vestigia tua rorabunt pinguedine.*

C. *Rivos* hic dicit Apostolos vel alios fideles, qui inebriati sunt spiritu sancto. *Multiplica genimina*, id est, generationes *eius*, id est, illius rivi qui de flumine sancto profluxit, ut per generationes succedentes beata prædicatio non deficiat, sed multiplicetur in sequacibus Apostolorum. *Stillicidia* sunt guttæ, quæ de tectis cadunt, non pondere, sed assiduitate penetrantes, & significant inchoantes, & in quos non potest introire larga doctrina, de quibus Paulus ait. *Lac vobis potum dedi non escam.* H. Tunc *lætabitur germinans* terra, id est, Ecclesia, cum ex ea hic spiritalis fructus exorietur.

H

Stillicidia.

1. Cor. 3.

C. *Corona anni*, totus hic mundus, per quem catholica hic dilatatur Ecclesia, accipitur : cui benedicit Dominus Campos dicit fideles homines atque justos, qui pro sua æquitate *campi* vocantur, quia campi æquales sunt. *Et replentur ubertate*, quia fructum tri-

Corona anni.
Campi: homines iusti.

cenarium,

A

cenarium, ſexagenarium & centenarium Domino largiente præſtabunt.

13 Pingueſceot † ſpecioſa deſerti : † *Paſcua.*
Et exultatione colles accingeotur.

Colles: martyres Chriſti.

C. *Pingueſcent ſpecioſa*, id eſt, Eccleſia, prædicatione Apoſtolorum, quæ prius in incredolitatis macie deſerta torrebat. *Colles* vero copioſos martyres debemus accipere, quia ipſi ſunt poſt Apoſtolos celſiores. H. Qui immenſis à Deo præmus elevati perpetuis gaudiis *accingentur*.

14 ¶ Induti ſunt arietes ovium, ¶ *Veſtientur agnis greges.* & valles † abuodabunt frumeoto: † *Plena.*
¶ Clamabuot eteoim hymnum dicent. ¶ *Coaquabuntur & canent.*

B

Arietes, apoſtoli. Valles, populi humiles.

C. *Arietes* ſunt Apoſtoli dicti, qui duces fuerunt bono populo Chriſtiano in doctrina, & *induti* illa veſte nuptiali. H. Id eſt, immortalitate perpetuâ. C. *Valles*, ſignificant populos humiles. Iſti ergo *abundant frumento*. H. Id eſt, fructu æternæ vitæ aluntur. *Dicent Hymnum*: omnes utique electi pro diverſorum muncrumdonis Deo perpetuam concinunt laudem. C. Quia vero dixit *clamabunt*, ne clamorem ipſum crederes confuſum eſſe, addidit *& hymnum dicent*, id eſt, laudem quæ rationabilibus creaturis noſcitur convenire.

Oratio ex Pſal. L X I V.

SPes omnium finium terræ exaudi orationem ſupplicem familiæ tuæ: ut dum te plauſu conſono hymno modulante perfultas, infuſione paracliti decorata, multiplici fructu pingueſcat. Per Dominum noſtrum Ieſum, &c.

Argumentum Pſal. L X V.

C

C. *Vox Eccleſiæ univerſitatem hortantis, ut de Domini reſurrectione congaudeat.*

TT. ¶ In fin[illegible] Pſa[illegible]us ! : David :· canticum [illegible] reſurrectionis :· ¶ *Victori canticum Pſalmi.*

C. Canticum iſtud ſancta cantavit Eccleſia, promittens in illo ſpem reſurrectionis, non ſolum fidelibus ex Iudæis, ſed univerſis gentibus.

1 IVbilate Deo omois terra:
† Pſalmum dicite nomioi ejus, date gloriam laudi ejus. † *Cantate gloriam nominis eius.*

D

Iubilatio.

C. Sancta dicit Eccleſia, eſſe omni terræ gaudendum, quæ erat in Chriſto creditura. *Iubilatio* dicitur exultatio cordis, quæ immenſitate ſuâ non poteſt verbis explicari. *Omnis terra*: omnes fideles ſignificat. H. *Pſalmum dicat*, id eſt, opere impleat. C. *Dat gloriam laudi*, qui frequentatâ exultatione præconia Chriſti concelebrat.

2 Dicite Deo quam ¶ terribilia ſunt opera tua !! Domioe :· : ¶ *Terribile opus tuum.*
Io multitudine † virtutis tuæ mentientur tibi ioimici tui. † *Fortitudinis tua*

H. *Dicite Deo*, id eſt, prædicate de eo, ut non creaturam colant, ſed creatoris virtutem intelligant, in his quæ contemplantur: quia *terribilia ſunt*, hoc eſt timenda. *In multitudine virtutis mentiti ſunt ei*, quia videntes ſigna in Ægypto dixerunt, omnia quæcunque præceperis faciemus, & non faciebant. Vnde dixit: *mentita eſt iniquitas ſibi, & inimici Domini mentiti ſunt ei.* C. Vel quando in virtute multa curabat infirmos, mentientes dixerunt. *In Beelzebub*, &c. & cum reſurrexit in multitudine virtutis, dicebant cuſtodibus datâ pecuniâ, dicite, *diſcipuli eum furati ſunt nocte.*

E

Exo. 14.

Mat 12. Luc. 18.

3 Omnis terra adoret te & ¶ pſallat tibi: Pſalmum dicat nomini tuo. ¶ *Canat tibi, canat nomini tuo.* Diapſalma.

Pſallere & Pſalmum dicere.

H. *Te adoret, tibi concinat*: non creaturæ, quam uſibus ejus ſubjeciſti. Hic interponit *Diapſalma*, ut ad nos verba convertat dicens, *venite, &c.* C. *Pſallat*, id eſt, Pſalmodiam dicat, *& Pſalmum dicat*, id eſt, opera ſancta pſalmodiæ conſona oſtendat.

F

4 Venite & videte opera Dei:
† Terribilis io conſiliis ſuper filios hominum. † *Terribilis conſiliis.*

C. Eccleſia invitat gentes, ut miraculis veteris teſtamenti perſpectis, veniant ad fidem. Propriè vero dictum eſt, *venite* quaſi adhuc longe poſitis. *Videte*, hoc eſt lumine cordis agnoſcite *opera Dei*, non iſta quæ omnes pariter vident, cœlum, terram, mare, &c. ſed illa quæ fideliſſimi ſpiritualiter agnoverunt. C. *Terribilis*, cum unus reprobatur & alter eligitur: reprobantur Iudæi, & eliguntur gentes. C. Vel filios hominum fecit terribiles atque metuendos, cum per eos miracula magna monſtravit.

5 !! Qui :· convertit mare in aridam, in flumioe pertranſibunt pede:
Ibi lætabimur io ¶ ipſo. ¶ *Eo.*

G

Exo. 14.

Ioſue. 3. Pertranſibunt pede.

C. Nunc oſtendit quæ ſint opera Dei quæ videre debeant. *Convertit mare in aridam*, quando hebræum populum per medios fluctus eduxit. *Flumina pertranſibunt pede*, cum Iordane dexterâ lævaque diviſo, in terram promiſſionis Iudaicum deduxit exercitum. C. Sed quia *pertranſibunt* dicit, non *pertranſibant*, melius intelligitur de prædicatoribus & Apoſtolis, qui Domini flumine baptizantes, & per flumen perſecutionis tranſeuntes, amaros perſecutores converterunt in aridam & ſitientem Dei gratiam terram. *Ibi lætabimur*, ubi eſt gaudij noſtri fons & origo præparata æternæ ſalutis. *In ipſo*, hoc eſt, in Chriſto.

6 Qui dominatur in † virtute ſua in æternum, † *Fortitudine ſua ſæculo.* oculi eius ¶ ſuper gentes reſpiciunt: ¶ *Gentes aſpiciunt.*
Qui † exaſperant non exaltentur in ſemetipſis. † *Increduli ſunt.* Diapſalma.

H

Dominatus in virtute.

C. In illo certe lætabimur *qui dominatur*, &c. dominari enim poſſunt & principes terrarum, ſed non *in virtute ſua* neque *in æternum*, ideo hæc duo addita ſunt, ut omnipotentis regis virtus poſſit oſtendi. *Oculi eius ſuper gentes*, H. Vt reprobentur Iudæi, & eligantur gentes. C. Hos prohibet in ſeipſis exaltari, quos oportet humiles inveniri. Fideles enim non in ſe, ſed in Chriſto exaltari oportet, ubi altitudo firma eſt, & nunquam ruiturus aſcenſus.

7 Benedicite ¶ gentes Deum noſtrum. ¶ *Populi Deo noſtro.*
Et auditam facite vocem laudis ejus.

C. Admonet gentes, ut Deum verum conſonâ voce

&

A *Matt. 3.* & prædicatione glorificent. *Audite*, id est, fideli credulitate suscipite, *Vocem laudis*, id est, quam pater dicit de filio. Dicit enim de eo, *hic est filius meus dilectus.*

8 Qui posuit animam † meam ad vitam: † *Nostram.*
Et non dedit in commotionem pedes ¶ meos. ¶ *Nostros.*

C. Duo sunt sacramenta liberationis nostræ, primum quod nos per baptismum ducit ad vitam, deinde ne nos exinde permittat expelli, qui gravibus vitiis probamur onerari. Ipse *pedes* & gressus *nostros non sinit commoveri*, qui Petro manum ne mergeretur extendit. *Mat. 14*

9 Quoniam probasti nos Deus:
Igne nos † examinasti sicut examinatur argentum. † *Conflasti, sicut conflatur argentum.* B

C. *Probari* nos facit Deus; quando per diversa genera passionum tolerantiam indulget. *Igne* autem aliquis *examinatur*, quando amore Christi tantum charitas succenditur, ut urentium flammarum tormenta vincantur. Datur autem exemplum argenti, quod ideò igne decoquitur, ut purius reddatur; ita enim sancti tribulationibus à scoria omnis peccati purgantur.

10 Induxisti nos in ¶ laqueum, ¶ *Obsidionem.* posuisti † tribulationes in dorso nostro: † *Stridorem.*
Imposuisti homines super capita nostra.

Induxisti nos in laqueum. C C. *Induxisti nos*, id est, intrare fecisti martyres in catenas custodiæ: quæ corpus quidem necterent, sed animæ vincula dissolverent. *Tribulatio* vero *in dorso posita*: significat corporeos dolores, quos de illatis verberibus sustinebant. *Homines* significat peccatores, qui capitales sententias dederunt in martyres.

11 Transivimus per ignem & aquam:
Et eduxisti nos in refrigerium.

Refrigerium. C. *Transierunt per ignem & aquam* martyres, quando alios ignis absumpsit, alios aqua devoravit, *sed induxit eos in refrigerium* post urentes curas delectabilis & amena securitas.

12 Introibo in domum tuam in holocaustis:
Reddam tibi vota mea quæ ¶ distinxerunt labia mea. ¶ *Promiserunt.*

C. *Introibo* in illam futuram Hierusalem, ubi non holocausta pecudum, sed puritas quæritur animarum. *Reddit vota*, hoc est, laudes in perpetuitate decantat. D *Distinguere vota.* *Distinguunt labia* illa vota, quando sancti Dominum laudant, & semetipsos accusant in afflictione positi, id est, reputant se meruisse peccatis suis afflictiones quas sustinent, & in eis gratias agunt, laudantes Deum & eius iustitiam & misericordiam prædicantes.

13 Et locutum est os meum:
In tribulatione mea.

C. Vide beatam tolerantiæ sanctitatem; multi in tribulationibus peccant carnis imbecillitate, & laudes Dei tacent, sed noverunt sancti in tribulationibus positi pura mente Dominum laudare, sicut sanctus Iob fecit. *Iob. 1. & 2.* Unde *locutum est os in tribulatione*, intellige, laudes Domini.

E

14 Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum:
† Offeram tibi :· boves cum hircis. † *Faciam boves.* Diapsalma.

C. *Holocausta medullata* sunt sacrificia quæ puro atque intimo corde Deo offerimus, quæ habere debent medullam, id est, fidem rectam; *arietes* significat apostolos, addidit vero *incensum* arietibus, non dixit cum incenso solum, sed addidit arietum, quia ipsum incensum suavissimum est Domino, quod apostolorum traditionibus probatur adiunctum. *Boves*, intelliguntur prædicatores. *Hircus* dictus quasi hirsutus, significat diabolo servientes, qui vitiis vestiuntur hispidis. Eos offert Ecclesia cum bobus; quando conversi peccatores Christo confitentur. *Medullata.* *Incensū arietum.* *Hirci, qui diabolo serviunt.*

15 Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum:
Quanta ¶ fecit animæ meæ. ¶ *Fecerit.* F

H. *Venite*, vos qui timetis Dominum, & considerate, qualiter animæ beatorum in beatitudine sunt constitutæ sempiterna. C. Nunc Ecclesia non rudes ut prius, sed fideles & devotos vocat, ut & nos audiamus & discamus petere, quæ matri nostræ cognovimus Dominum contulisse.

16 Ad :· ipsum ore meo † clamavi: † *Invocavi.*
Et Exaltavi ¶ sub lingua mea. ¶ *In.*

C. His duabus rebus, in isto versiculo expressis, diligenter impletis perfectus efficitur Christianus. Ergo *ore suo clamat*, qui rectâ conscientiâ, non voluntate perversa, pure supplicat Domino. *Sub lingua* vero dicit, id est, in conscientia, quia cor nostrum sub lingua nostra est. Et nobis exaltare illum videmur sub lingua, quando tacitâ cogitatione illum laudamus, qui semper probatur altissimus. *Ore clamare.* *Sub lingua exultare.* G

17 Iniquitatem si † aspexi in corde meo: † *Vidi.*
Non exaudiet Dominus.

C. Sic ergo verba orantis accipiuntur, si nullis cogitationum sordibus polluantur, dicit enim *si hoc feci, non exaudiet Deus*, ostendens quoniam si taliter orant, inanibus visionibus illuduntur.

18 Propterea exaudivit Deus:
Et attendit ¶ voci deprecationis meæ. ¶ *Vocem.*

C. *Propterea exauditum* se dicit, quia non conspexerat iniquitatem in corde suo. Ideo *intendit voci*, quia ille clamor ascendit ad Dominum qui pollutionem rerum non habet humanarum. H

19 Benedictus Deus:
Qui non † amovit orationem meam & misericordiam suam à me. † *Abstulit.*

H. Nam semper piæ aures Christi, precibus iustorum patent, sed nos suppliciter deprecemur, ut aperiat aures suas ad preces nostras, & ipse nos datâ remissione peccatorum de præsentibus ærumnis eripiat. C. Duo vero ista connexa sunt, quia quando Deus *orationem non amovet*, sine dubitatione *misericordiam* concedit, & cum oratio suspenditur, misericordia protelatur.

A

Oratio ex Psal. L X V.

IN sinua Domine menti nostra gloriam laudis tua: ut dum huius saculi incendia devitamus, in aterna refrigeria te prasule transferamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psal. L X V I.

C. *Propheta supplicat, ut cum fidelibus mereatur benedici; illique confitendum dicit, qui populos iudicat in aquitate.*

TT. ❡ In finem in hymnis Psalmus cantici. ❡ *Victori in Psalmis canticum carminis.*

B

Psalmus cantici. Psalmus. Hymnus

C. Iste hymnus quem nunc propheta canit, ideò præmisit *in finem*, quia tota oratio ad Dominum sine dubitatione dirigitur. *Psalmus* vero *cantici* est, qui sola modulatione humanæ vocis canebatur, Psalmus vero quando solus ponitur, significatur organis & timpanis fuisse prolatus. *Hymnum* vero carmen esse metricum diximus, cuius lege est compositus. Aliud est ergo hymnus, aliud psalmus, aliud psalmus cantici.

1 DEus misereatur nostri, & benedicat † nobis: † *Nos illustret.*
Illuminet vultum suum super nos /: & misereatur nostri ∴. Diapsalma.

C

H. Prima deprecatio, ut *misericordiam* suam nobis præbeat Deus, deinde *benedictionem* suam. C. Hæc autem est petitio benedictionis, *ut illuminet vultum suum super nos*, illum enim humanus videre non potest sensus, nisi qui splendoris ipsius fuerit claritate perfusus.

2 Vt ❡ cognoscamus in terra viam tuam: ❡ *Nota fiat.*
In omnibus gentibus † salutare tuum. † *Salus tua.*

Ioan. 14.

C. Petit propheta ut in hoc mundo *cognoscamus* illam *viam* veritatis, id est, Dominum salvatorem, qui nos ducit ad viam in qua nemo errare poterit, nisi qui ab eius regulis deviare præsumit; cuius *salutare*, id est, Christus *in omnes gentes* divulgatur.

3 Confiteantur tibi populi Deus:
Confiteantur tibi populi omnes.

D

Duplex cõfessio.

C. *Confiteantur tibi populi* scilicet peccata sua, & iterum gloriam Domini prædicare non desinant. Denique verbum ipsum in uno versu geminatum, docet, ut à fideli populo totum cognosceres faciendum esse, scilicet, ut peccata primò confiteantur, deinde laudes Domini personent.

4 Lætentur & ❡ exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate: ❡ *Laudent.*
Et † gentes in terra dirigis. † *Gentium quæ in terra sunt ductor et sempiternus.* Diapsalma.

H. *Lætentur gentes*, quoniam de captivitate diaboli liberatæ sunt, *quoniam populos iudicas in æquitate*, quia non accipis personam unius gentis, sed omnium Deus es: *& gentes dirigis*, ut ambulent viam rectam, quæ ante non recto pede gradiebantur.

E

5 Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes:
Terra dedit ❡ fructum suum. ❡ *Germen suum.*

C. *Dedit* etiam *terra fructum suum*, quando Dominum salvatorem, diversarum gentium turba suscepit: & vitalem fructum intulit, cum iussionibus Domini obedivit, & spinas diaboli tribulósque deservit.

6 Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus:
Et metuant eum omnes fines terræ.

Deus, Deus noster.

H. *Benedicat nos Deus*, id est, Deus pater, *Deus noster*, id est, Deus filius, qui Deus est omnium per naturam: noster factus est propriè Deus per gratiam, tertiò dicit *benedicat nos Deus*, id est, Spiritus sanctus. *Et metuant eum*, C. Hoc est incipientium: ut & credere incipiant, & credita cautâ sollicitudine custodiant. H. Timere incipientium est, diligere perfectorum.

F

Oratio ex Psal. L X V I.

ILlumina Domine vultum tuum super nos: & misericordiam nobis uberem, benedictionémque largire. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat, &c.

Argumentum Psal. L X V I I.

C. *Propheta Christi adventum annuntiat, inimicorumque eius superbiam comprimendam; & de eius assumptione in cælos.*

G

TT. ❡ In finem psalmus cantici David. ❡ *Victori David Psalmus cantici.*

In fin. Ioan. 8.

C. Vim istius nominis scilicet *in finem* hinc debemus advertere, quia dum finis dicatur, in initio semper apponitur. Significat enim rerum caput & æternale principium, sicut ipse dixit in evangelio. *Ego principium.* H. *Psalmus*, opera: *canticum*, intelligentiam mentis significat. C. Psalmus autem cantici est (ut iam dictum est) qui humanâ tantum solet voce cantari.

1 EXurgat Deus & dissipentur inimici eius:
Et fugiant qui oderunt eum à facie eius.

H

A. Petit propheta resurrectionem Christi, in qua dissiparentur adversarij scilicet Iudæi. Sequitur inæstimabilis pœna maledictionis, ut *ab eius facie fugiant*, cuius ubique constat esse pœnitentiam. *Qui oderunt eum*, eos significat qui in sua pertinacia consiliterunt.

2 Sicut deficit fumus deficiant:
Sicut † fluit † *Tabescit.* cera à facie ignis, sic pereant ❡ Peccatores à facie Dei. ❡ *Impij.*

Fumus.

C. *Fumus* est ex flamma surgens corruptibili, tenebrosa conglobatio, quæ quantum plus extollitur, tantum per inane tenuatur: sic peccatores producunt fumiferas actiones, quæ licet ad altiora superbiâ faciente consurgant, necesse est ut in sua elatione deficiant. Sic etiam in iudicio *depereunt peccatores à facie eius,*

A *quemadmodum cera à facie ignis* consumitur. Non dicit autem eos consumi posse pœnitus, qui perpetuo igne torquendi sunt, sed a facie Dei tollendos. H. Cera enim licet ab igne solvatur, naturam non perdit, ita peccatores mollescant a peccati duritia ex pœnitentia fluant, ut salventur.

3 Et iusti † epulentur & exultent in conspectu Dei : † *Laetentur.*
Et ¶ delectentur in lætitia. ¶ *Gaudeant.*

Delectatio in lætitia.

H. *Epulentur iusti* qui permanent in sua iustitia, & qui vitia non habent. *Exultent in conspectu Dei*, C. Vt illum quem hic iustè metuunt, ipsius munere liberati, sub eius pœnitentia gaudeant. *Delectentur* in Domino. In lætitia quia dum lætitiam suam sciant nullo fine claudendam, suavius in ea delectantur.

B

4 Cantate Deo † psalmum dicite nomini eius : † *Canite.*
¶ Iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. ¶ *Præparate viam ascendenti per deserta, in Domino nomen eius.*

Cantare & Psalmum dicere.

C. *Cantat* enim Domino, qui eius contemplationem puro semper & fideli animo contuetur. *Psalmum dicit*, qui opera facit quæ ille præcepit. *Iter facite ei*, id est, corda vestra purificata præparate, quæ dignetur Deus introire, *qui ascendit super occasum*, H. Scilicet mortis, & victor remeavit ex inferno. C. Dicit, *Dominus nomen illi*, ut nemo dubitaret, Dominum esse salvatorem & Deum, quem Iudæi ut communem hominem occidendum putabant.

C

5 ⁞ Et ∴ exultate † in conspectu eius,
⁞ turbabuntur à facie eius ∴ :
† *Coram eo.*
¶ Patris orphanorum & iudicis viduarum. ¶ *Patre pupillorum & defensore viduarum.*

C. *Exultate*: non in huius sæculi caducâ lætitiâ, sed *in conspectu eius*, ubi est iugiter vera lætitia. *Turbati* autem & nimium formidantes, *à facie Dei* expelluntur (qui orphanos & viduas, sæva cupiditate dilacerant) cum audierint, *Ite in ignem æternum.* Quis autem sit iste, à cuius facie expelluntur exponit, id est, *patris orphanorum & iudicis viduarum*, de quo & alibi legitur, *pupillo & vidua tu eris adiutor.*

Psal. 9.

D

6 Deus in † loco sancto suo : † *Habitaculo.*
Deus inhabitare facit ¶ unius moris in domo. ¶ *Solitarios in domo.*

Deus in loco sancto suo.

C. *Deus in loco sancto suo*, subaudiendum est, qui immutabilem servat sententiam, ut sanctus, hoc est, firmus dicatur, qui mutat tempora, non mutat consilia. H. Vel Deus in loco sancto suo, id est, anima fideli, ubicunque enim sanctitas est, ibi habitaculum Dei est. *Qui inhabitare facit* in Ecclesia, in qua fideliter consistentibus, spiritum charitatis infundit, qui unius moris sunt, & non mutantur. Siquidem iustus non mutatur, quia semel iudicavit in iustitia sua permanere. In Hebræo vero habetur *Dominus inhabitare facit monachos* (id est, solitarios: qui, scilicet soli, segregati sunt à vitiis, & in quibus non habitat peccatum) in domo. Solitarius enim, monachus interpretatur, ut sit solus & ab omni peccato divisus.

Monachus.

E

7 ⁞ Qui ∴ educit vinctos in fortitudine :
† Similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris. † *Increduli autem habitaverunt in siccitatibus.*

C. *Eduxit vinctos*, quia alligato diabolo vinctos ab inferno liberavit, & ad gaudia æterni regni elevavit. *Similiter eos qui exasperant*, id est, in iram provocant Dominum blasphemiâ. Ipsi sunt *qui habitant in sepulchris*, id est, qui in fœtida & carnali actione sepulti sunt. H. Vel *vinctos*, in peccatis ligatos accipe.

Qui exasperant.

8 Deus cum ¶ egredereris in conspectu populi tui :
Cum pertransires in desertu. ¶ *Ante populum tuum, & ambulares per desertum semper.* Diapsalma.

F

C. *Egreditur* enim *coram populo*, quando resuscitantur qui in sepulchris habitant. Ipsum enim contuetur fidelis, quando in operibus magnis, eius pietatem cognoscit. *Transgressus est in desertum*, quando ad gentes venit, quæ velut Eremus desolatæ, à verbo Dei reddebantur alienæ, & tunc (supplendum est) quando hæc feceris, cognosceris.

Gentes, velut desertum.

9 Terra mota est, ⁞ etenim ∴ cœli distillaverunt à facie ¶ Dei Sinai : ¶ Tua Deus, *hoc est in Sinai.*
A facie Dei Israël.

C. *Terra mota est*, id est, terreni homines videndo tam magna miracula crediderunt. *Cœli distillaverunt*, H. Scilicet manna. *Sinai* interpretatur tentatio.

G

10 Pluviam voluntariam † segregabis † *Elevasti.* Deus ¶ hæreditati tuæ ⁞ & ∴ infirmata est.
Tu ⁞ vero ∴ perfecisti ⁞ eam ∴ ¶ *Hæreditatem meam & laborantem tu confortasti.*

C. Exponit illud, quod iam dixit. *Cœli distillaverunt. Pluvia voluntaria* ista, fuit manna, non illa quæ generaliter ubique diffunditur. *Quod segregavit*, quia non hoc aliis gentibus dedit. *Hæreditas* ipsius fuit, populus Hebræorum, quæ ad tempus infirmata est, Domino minimè credendo. C. Quam firmavit, quando ibi Moyses in duabus tabulis legem accepit. H. Et ille qui tunc Iudaicum populum præcessit in deserto, hodie in Evangelio deserta gentium visitavit, & qui tunc manna, ille hodie corporis sanguinisque manna dedit, quam perfecit, quando gentes reliquas, in supplementum credulitatis admisit.

Pluvia voluntaria. Hæreditas Christi.

H

11 Animalia tua † habitabunt in ea : † *Habitaverunt.*
¶ Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. ¶ *Præparasti in bonitate tua.*

C. Ostendit nunc unde perfecerit infirmatam hæreditatem, scilicet de gentibus, *Animalia* enim fuerunt gentes verâ religione vacuatæ. Hæc *habitaverunt in ea*, hoc est, in Ecclesia, cum cultum religionis perceperunt. *Parasti*, significat prædestinatos, *In dulcedine tua*, id est, in illa suavitate, in qua pauperes Dei reges ditissimos antecellunt, non in sæculi huius dulcedine, ubi sancti magis amara patiuntur.

Animalia, gentes sunt.

12 ¶ Dominus dabit verbum evangelizantibus.
Virtute multâ. ¶ *Domine dabis sermonem annuntiatricibus fortitudinis plurima.*

A *Virtus multa.* C. *Dominus dabit verbum evangelizantibus*, id est, apostolis, qui verbum eius veneranda confessione prædicabant. *Virtute multa*, quando eis concessum est turbas languentium sanare. Nam ipsum quoque Evangelium multarum constat esse virtutum; quid enim fortius quam animam salvare? A. Dabit etiam Dominus, verbum evangelizare multa miraculorum virtute, vel multa fortitudine secundum aliam translationem, quæ habet, *Dominus dabit evangelizantibus, verbum fortitudine* vel *virtute multa*.

13 † Rex virtutum dilecti * dilecti ∴:
Et speciei domûs dividere spolia.
† *Regis exercituum fœderabuntur, fœderabuntur & pulchritudo domûs dividet spolia.*

C. *Rex* pater *virtutum*, hoc est Angelorum. H. Vel sanctorum ipsius *dilecti* filij. B C. *Et species domus*, id est, pulchritudinis domûs divinæ, id est Ecclesiæ, cuius esse cognoscitur autor filius, quando spolia diaboli, id est, homines sceleratos in Ecclesiam adduxit ad fidem. *Dividere spolia.* H. Vel quando Apostoli in Ecclesia, spolia, id est, homines dividebant, quæ acceperunt de idolis. Vnus enim Achaïam, alius Cappadociam in sortem accepit, ex spoliis, &c. Duplicat vero Spiritus Sanctus, *dilecti*, propter amorem quem habet in filium. Qui enim aliquem diligit, semper eum in ore habet.

14 Si dormiatis inter medios ¶ cleros pennæ columbæ deargentatæ: ¶ *Terminos.*
Et posteriora † dorsi eius in pallore auri:
† *Eius in virore auri.*

C. *Si dormiatis*, id est, si quiescatis in præceptis Dei inter duo testamenta. H. C. *Cleri* dicuntur duo testamenta. H. Et singuli libri veteris & novi testamenti. C. *Penna* significant virtutum celeritatem, quæ nos in illam patriam ducunt, si hic in lege Dei quiescere mereamur. *Columba deargentata*, Ecclesiam vult intelligi, quia innocentiam habet columbæ, & divinis eloquiis, argenteo candore resplendet, quamvis in illa futura resurrectione auri specie dicit esse adornandam. Si itaque sic dormiatis, posteriora dorsi in pallore auri (subaudiendum est) suscipient vos. Vnde Ecclesia in hoc mundo, argento comparatur, in resurrectione vero ultima, auro. Posteriora ergo Ecclesiæ, novissima sunt Ecclesiæ munera.

G Cleri sunt duo testamenta. Columba deargentata Ecclesia est.

15 ¶ Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon:
¶ *Cum divideret robustissimus reges in ea nive dealbata est.*
D Mons Dei mons pinguis.

C. Rex à regendo dictus est, unde *reges* significat Apostolos. H. Quos *discernit Dominus cœlestis*, cum Paulum in gentes, Petrum in circumcisionem separavit, *qui super nivem dealbabuntur*. C. Hoc est super candorem nivis elucescunt, qui Ecclesiam regere noscuntur fideliter. *Selmon* umbra interpretatur: quæ hic congruè divina virtus intelligitur, ipsa ab æstu vitiorum nos defendit. *Mons Dei mons pinguis*, Christus esse intelligitur, ex quo perpetua & suavia fluenta descendunt.

Galat. 2. Selmon.

16 Mons ¶ coagulatus mons pinguis: ¶ *Excelsus.*
† Vt quid suspicamini montes coagulatos?
17 Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: † *Quare contenditis montes excelsi adversus montem, quem dilexit Deus, ut habitaret in eo.*
E Etenim Dominus habitabit ¶ in finem.
¶ *Semper.*

C. *Mons coagulatus* dicitur Christus propter parvulos enutriendos, qui non esca, sed coagulato lacte potandi sunt. *Pinguis*, quia fertilitate sua, ubertimus est. Dixit superius montem intelligi salvatorem, nunc dicit, *ut quid suspicamini coagulates montes?* hoc est, cur montem istum apostolos intelligere voluistis? Non sunt enim ipsi iste mons coagulatus, quamvis & ipsos per Dei gratiam doctos esse cognoscatis. Reprehendit ergo propheta in hoc illum intellectum, quo aliquis per montem, Apostolos intelligere voluisset, ostendens hic per montem, solum Christum intelligendum, quamvis etiam Apostoli montes dicantur coagulati, ideò subdit.

Mons coagulatus & pinguis Christus est.

F C. *Mons*, scilicet iste est, *in quo Deo beneplacitum est*. Christus enim est solus mons, qui patri complacuit, ut *in eodem habitaret. Etenim Dominus habitabit* etiam *in finem*, scilicet in apostolis, de illis enim nunc loquitur, quod in eis sit habitaturus usque ad perfectissimum terminum maiestatis suæ, qui est finis sine fine.

18 Currus Dei † decem millibus multiplex, millia lætantium: † *Innumerabilis, millia abundantium.*
Dominus in eis in Sinai in sancto.

C. *Currus Dei*, est hominum charitate iuncta copulatio. Sanctorum ergo unanimitas, currus Dei est: quem ille velut auriga insidet, & salutari lege ad suæ voluntatis ministerium moderatur. Vt vero istum currum non equis, sed humanis cogitationibus attributum ostenderet, ait decem *millibus multiplex*, quod ad innumeros populos non equos noscitur pertinere. G *Millia lætantium*: quod utique de fidelibus debet intelligi. *Dominus in illis*, hoc est, in sanctis suis, *In Sinai in sancto*. Sina interpretatur mandatum. Ibi requiescit, ubi eius mandata perficiuntur.

Currus Dei sanctorum unanimitas est. Sina.

19 Ascendisti in altum, ¶ cepisti captivitatem: ¶ *Captivam duxisti captivitatem.*
Accepisti dona in hominibus.

C. *Ascendisti in altum*, Ascendit Christus utique qui propter nos descendit eruendos, *In altum* scilicet super cœlos cœlorum. H. *Captivasti* nos, qui captivi tenebamur à diabolo. C. *Dona* autem Domini fuerunt, super apostolos Spiritûs Sancti concessa magnalia. Sive ut apostolus ait: *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* *Ephes. 4.*

20 ¶ Etenim non credentes: ¶ *Insuper & non credentes.* H
Inhabitare Dominum Deum.

C. *Etenim non credentes*, hic subaudiendum est, eos convertit; nam qui non credunt inhabitare, id est, qui ad Domini penetralia negligunt pervenire, ut in domo eius cum fidelibus habitare prævaleant, Dominus eos convertit, qui fidem suam humano generi miseratus indulget, ipsa est enim gratia quæ gratis datur.

21 Benedictus Dominus † die quotidie:
Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. † *Per singulos dies: portabit nos, Deus salutis nostræ semper.*
Diapsalma.

C. *Benedictus Dominus*, &c. id est, cunctis diebus, omnique tempore benedicendus est. *Iter* quippe cursum

A — *Iter prosperum Salutare nostrorum.*

vitæ significat, qui iam *prosper* effectus est, quoniam redemptorem suum mundus agnovit. H. Benè dicit *salutarium* pluraliter, à quo tot salutes habemus, quot peccata commisimus, ab ipso enim salvamur. Securus esto peccator, noli dubitare, quod quotidie possis Deum benedicere operibus, quoniam prosperum iter tuum faciet Deus salutarium, qui enim quotidie proficit, potest quotidie Deum benedicere. Nil vero prodest, heri benedixisse Deum, & hodie non.

22 Deus noster Deus ¶ salvos :: faciẽdi ∴ :
Et Domini Domini exitus mortis. ¶ *Salutis, & Domini Dei, mortis egressus.*

Exitus mortis. B

C. *Deus noster*, subaudiamus, hic habet potestatem *salvos faciendi* nos. *Exitus mortis*, est Domini, hoc est, resurrectio votiva fidelium. Revera exitus illi singularis fuit, quia ipse ab inferis egressus est, & inde nos præstabit exire.

23 Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum :
Verticem † capilli perambulantium in delictis suis. † *Crinis.*

Capita inimicorum Christi, Iudæi & hæretici fuit.

C. *Capita inimicorum*, sunt Iudæi, qui primo persecuti sunt Ecclesiam, vel, capita inimicorum, sunt hæreticorum doctores, qui in ipsam etiam (si dici fas est) deitatem desæviunt. *Vertex capilli* significat versutias inanium quæstionum eorum qui utilia deserunt, & non necessaria detestabili disputatione perquirunt, in delictis suis perdurantes, ut Manichæi & cæteri hæretici: tales enim calumniarum minutias quærunt, ut ipsos quoque vertices capillorum perambulare & perscrutari posse videantur.

C

24 Dixit Dominus ¶ ex Basan convertam :
¶ *De.*
Convertam † in profundum maris.
† *De profundis.*

Basan.

C. *Dixit Dominus*, quæramus quid dixerit, quia nescio quam magnum est quod promisit. *Basan* interpretatur siccitas, quæ humanum genus possederat ariditate peccati, sed eam Dominus *convertit* ad viriditatem suam, dum illi fluvios salutis infudit. H. Et item *convertit* populos de profundis vitiis peccatisque *maris*, id est, sæculi. A. Convertam igitur scilicet me vel meam misericordiam, in profundum maris, id est, sæculi vel peccatorum, ut liberem exinde homines. Et ita convertam: *ut intingatur pes*, &c.

25 Vt ¶ intingatur pes tuus in sanguine :
¶ *Calcet.*
Lingua canum tuorum ex inimicis † ab ipso. † *A semetipso.*

D

Canes ex inimicis.

C. *Intingatur pes tuus*, id est, actio boni propositi, usque ad sanguinem gloriosi martyrij perveniat. Isti enim *canes* pro Domino latrare non desinunt, qui canes dicuntur *ex inimicis*; quia prius inimici fuerunt, qui postea clamorosis latratibus Ecclesiam Dei defendebant. *Ab ipso*, utique Deo, qui amarum vertit in dulcedinem, ab ipso & nullo alio, lingua illa canum ex inimicis facta est salubris.

26 Viderunt ¶ ingressus tuos Deus : ¶ *Itinera.*
† Ingressus Dei mei regis mei :: qui est ∴ in sancto. † *Itinera.*

Ingressus Christi.

C. *Viderunt ingressus tuos* sive assumpti corporis formam; sive vestigia prædicationis, quibus in hoc mundo sanctis gressibus ambulavit. *Dei mei regis*, quia ipse est rex, qui in titulo scriptus est *rex iudæorum*. Dicit vero secundò *ingressus*, quia ipse in hoc mundo specialiter est ingressus. H. Vel ingressus in cœlum viderunt *in sancto*, scilicet in homine, id est, Christo sancto viderunt ascensum in cœlum.

E

27 ¶ Prævenerunt principes coniuncti psallentibus : ¶ *Præcesserunt cantatores eos qui post tergum psallebant.*
In medio † iuvencularum tympanistriarum. † *Puellarum.*

C. *Prævenerunt principes*, id est, apostoli omnes prævenerunt in sanctitate doctrinæ, coniunctámque dicit illis esse multitudinem psallentium, qui iam laudes Domini non voce tantum, sed bonis operibus personarent. Addit *iuvencularum*, id est, prima ætate florentium, quæ tympana sua, hoc est corpora ad Domini laudes verterunt, macerantes se ieiuniis, carnisque afflictione gaudentes; tensiones etiam corporis ad laudes Domini vertentes, martyrio consummaverunt.

F — *In medio iuvencularum.*

28 In Ecclesiis benedicite Deo :
Domino de fontibus Israël.

C. Ad fideles ait: *in Ecclesiis benedicite Deum*, non in perversis conventiculis paganorum vel hæreticorum, sed in Ecclesia Catholica, ubi recta fides est & vera confessio. *De fontibus*, de doctrina scilicet Christiana, quam gentibus Apostoli infuderunt. Fons quippe à fovendo dictus est, eo quod nostra corpora labore fessa refoveat. Sive à fundendo quia effundit aquas; fons enim propriè est qui manat.

Fons.

29 Ibi Beniamin ¶ adolescentulus : ¶ *Parvulus continens eos.*
In mentis excessu.

G

Beniamin Paulus.

H. C. *Ibi Beniamin*; Paulus Apostolus, qui de tribu Beniamin descendit. C. *Adolescentulus* extitit *in mentis excessu*, quando Domini voce corruit, qui & miseratus intonuit, *Saule, Saule, &c.* Adolescens dicitur ab adolendo, id est, crescendo. H. Dictus etiam adolescens, quia novissimus omnium Apostolorum, conversus in excessu quem pertulit dum iret in Damascum.

Act. 9.

30 Principes Iuda † duces eorum ; † *In purpura sua.*
Principes Zabulon, principes ¶ Neptalim. ¶ *Neptali.*

C. *Principes Iuda*, Dominum indicat qui de tribu Iuda descendit. H. Apostoli enim sunt principes, Iuda, id est, Domini salvatoris, ut Iuda sit genitivi casus. Sicut dixit Iacob, *Iuda te laudabunt fratres tui*. C. *Duces eorum*, id est, populorum, qui erant in Ecclesia constituti, *Zabulon & Neptalim* tribus fuerunt, unde Apostoli traxerunt originem. *Iuda*, confessio dicitur, *Zabulon*, habitaculum fortitudinis, *Neptali*, dilatatio mea, quæ Catholicæ Ecclesiæ competenter aptabis, si diligenter inspicis.

H — *Principes Iuda, Apostoli. Gen. 49. Zabulon & Neptali.*

31 ¶ Manda Deus virtuti tuæ :
Confirma Deus hoc quod operatus es in nobis. ¶ *Præcepit Deus tuus de fortitudine tua : conforta.*

C. *Virtus* enim patris Christus est, quid autem mandetur edicit. *Confirma hoc Deus*, &c. Magna petitio certè, ut confirmet Deus in nobis fidem suam quam donare dignatus est. Opus Domini enim fuit, ut cæca gentilitas lumine veritatis afflata, verum Dominum salvatorem cognoscere posset. H. Confirma

donum

A

donum baptismi, Spiritus sancti infusione: & auxilium præbe, ut in virtutibus incedere & permanere possimus.

32 † A templo tuo in Hierusalem: † *De.*
Tibi offerent reges munera.

Offerre munera.

C. *A templo Hierusalem* offerunt reges munera, qui in Ecclesia Dei rectè viventes, sui cordis offerunt puritatem. H. Munera Christi, virtutes sunt sanctorum: & qui semetipsos regunt, reges sunt. Templum igitur corpus est cuiuslibet sancti, quod benè vivendo sanctum fit, ab illo offerunt sancta opera.

33 Increpa ¶ feras harundinis, ¶ *Bestiam calami.* congregatio † taurorum in vaccis populorum:

B

⁖ Ut ∴ excludant eos qui probati sunt argento. † *Fortium in vitulis populorum: calcitrantium contra rotas argenteas.*

Tauri, hæretici Vaccæ, plebis animæ.

C. *Increpa feras*, id est, argue superbos & feroces, qui in prava voluntate consistunt, & vacillant velut *harundo. Concilium taurorum*, id est, hæreticorum indomitorum, qui erecta cervice seducunt animas innocentes. H. *Vaccæ* significant stultas animas populi sequentes *tauros.* Ideò verò dicit eos arguendos, ut non excludantur à regno Dei, qui probati inventi sunt iusti, verum ista expositio Hieronymi innititur translationi Romanæ: quæ habet, ut non excludantur, similiter Cassiodori expositio. Sed Augustinus, exponens nostram translationem ait, *ut excludant*, id est, apparere faciant eos qui latebant, *qui probati sunt argento*, id est, Dei eloquio. *Oportet enim* (ut ait Apostolus) *hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter nos.*

C

34 ¶ Dissipa gentes quæ ¶ *Disperge populos qui.* bella volunt, † venient legati ex Ægypto: † *Offerantur velociter ex Ægypto.*

Æthiopia ¶ præveniet manus eius Deo.
¶ *Festinet dare manus Deo.*

C. *Dissipa gentes*, hoc est, hæreticos *qui volunt bella*, id est, contentiones contra Ecclesiam. Commonet etiam propheta gentium populos, *ut offerant legati* (id est, ab errore conversi) *munera*, hoc est, animas suas à mundana sorde purgatas. Sic Æthiopia commonetur, ne se tardet Deo tradere, sicut se victi protectis armis victoribus per manus tradunt, ut periculum mortis evadant. Ægyptus vero & Æthiopia mundum significant, vinculis gravibus & tenebris peccatorum plenum. Idololatræ ergo prævenient Iudæos, dare manus Deo.

D

Æthiopia præveniet.

35 Regna terræ cantate Deo:
¶ Psallite Domino. ¶ *Canite.* Diapsalma.

C. *Regna terræ*, Omne genus humanum significare voluit, *cantate*; ad animæ respicit puritatem, *psallite*; ad opera quæ Domino probantur accepta.

36 ⁖ Psallite Deo ∴ qui ascendit super cœlum cœli ∴
† Ad orientem. † *A principio.*

C. Nam cui Deo psalli debeat ostendit, scilicet *ei qui super cœlum ascendit*, Dominus enim Iesus, qui prius descendit de cœlo ad liberandum infirmitatis nostræ naturam, ipse etiam ascendit, qui sedet ad dexteram Patris. *Ad orientem*, Hierosolymam evidenter ostendit, quæ est in orientali parte collocata. Undè

Ad orientem. *Act. 1. Luc. ult.*

E

Dominus videntibus Apostolis ascendit ad cœlos. H. Vel ad orientem, scilicet quia ipse oriens est, sive quia per eum omnes ad vitam oriuntur, fertur etiam mons oliveti, unde Dominus ascendit, esse ad orientem ipsi Hierusalem.

37 Ecce dabit voci suæ vocem ¶ virtutis, date gloriam Deo super Israël:
¶ *Fortitudinis.*
Magnificentia eius, & † virtus eius in nubibus. † *Fortitudo eius in cœlis.*

H. C. *Dabit* etiam *voci suæ vocem virtutis*, quando in novissimo die, ut resurgat humanum genus dixerit. Quid fortius quam revocare favillas ad corpus? *Date gloriam Deo*, nam qui Deo dat gloriam, se facit esse laudabilem? H. *Super Israel*, id est, magis honorare Deum quam carnalis Israel honorat, quia ille labiis, vos corde. C. *Magnificentia*, quia semper magna facit. *Virtus*, quia imperio eius famulatur opus sive effectus. *Nubes*, Apostoli & Prophetæ.

Super Israël.

F

38 ¶ Mirabilis Deus in sanctis suis: ¶ *Terribilis Deus de sanctuario suo.*
Deus Israël ipse dabit ¶ virtutem & fortitudinem plebi ⁖ suæ ∴ benedictus Deus. ¶ *Fortitudinem & robur populo, benedictus Deus.*

C. *Mirabilis* sive in Angelis, seu in hominibus sanctis. *Dabit Dominus* fidelibus suis *virtutem* patientiæ. & fidei *fortitudinem*, ut possint ad æterna præmia pervenire. *Benedictus Deus*, ille potest dare quæ superius dixit, id est, qui omnium ore semper pro beneficiis debet benedici, ut sicut semper beneficia præstat, ita benedictiones semper accipiat.

G

Fit autem benedictio ista multipliciter. Nam & qui scripturas sanctas meditatur, benedicit Deum: & qui eius iussa compleverit, benedicit: & qui ei confitetur, benedicit Deum.

Benedictio multipliciter fit.

Oratio ex Psal. L X V I I.

DOminator Domine, qui iustis spiritale epulum tribuens, facis eos in lætitia delectari, concede gregi tuo, mortem tuam intelligere, téque triumphatorem mortis sedentem ad patris dexteram confiteri. Qui cum eodem Patre, &c.

Argumentum Psal. L X V I I I.

C. *Christus deprecatur: ut salvus fiat à patre, quoniam gratis est à Iudæis odio habitus, postulatque ne decipiatur spes fidelium, in eius resurrectione confisa; petensque se à luto huius sæculi liberari, pronuntiat quæ inimicis contingere noverat.*

H

TT. ¶ In finem pro his qui commutabuntur ⁖ Psalmus ipsi David. ¶ *Victori pro liliis David.*

C. *Pro his qui commutabuntur.* Ista igitur commutatio significat populos Christianos, qui veteris hominis pravitate depositâ, in novæ regenerationis sunt munere commutati. Quòd autem dicitur *pro his*, ostendit pro his, id est, cunctis fidelibus Christi passionem factam. *David* quoque subiunctum est, ut finis & initium tituli Domino Christo congrueret, qui est A, & O, id est, principium & finis. In finem enim (ut sæpissimè dictum est) Christum significat, & David eundem Christum denotat.

Commutatio bona.

A

1 † SAlvum me fac Deus, † *Salvum me,* quoniam ¶ intraverunt aquæ : ¶ *Venerunt.*
Vsque ad animam meam.

Feria quinta Nocturnus.

C. Postulabat humanitas à patre auxilium resurrectionis. *Aquas* pro seditionibus plebis motúque populorum debere suscipi, sæpius divina testatur scriptura, ut ibi, *Forsitan aqua absorbuissent nos.* Vnde & hic iudæorum populus intrasse usque ad animam salvatoris dicitur, quando eum crucifigere scelerata mente præsumpsit.

Aquæ, seditiones populi.

2 Infixus sum in limo profundi :
Et non † est substantia. † *Possum consistere.*

B

C. Facti sunt homines limus profundi, quando & originali & quotidianis peccatis tenentur obnoxij. Per hunc *limum infixus* est Christus, quando dementium turba clamabat *crucifige.* Limus, dictus est quasi ligans humum. H. *Non est substantia* evadendi, nisi tu salves pater, quia infixus sum in veteribus peccatis huius populi scelerata calliditate sævientis.

Homines facti limus profundi.

3 Veni in ¶ altitudinem maris :
Et tempestas dimersit me. ¶ *Profundum aquarum, & flumen operuit me.*

C. Hic *altitudo maris*, copiosa populi insania. Eadem *tempestas* est concitata dementium seditio. Ipsa *demersit* Dominum, quando eum venire fecit ad crucem.

4 Laboravi clamans † raucæ factæ sunt fauces meæ : † *Exasperatum est guttur meum.*
Defecerunt oculi mei ¶ dum spero in Deum meum. ¶ *Expectantes Deum meum.*

C

C. *Laborabat* ergo *clamans*, quando dicebat, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi.* Dicit etiam esse *raucas fauces suas*, quia dicta eius nequaquam sacrilegus populus audiebat. *Defecerunt oculi*, &c. Oculos istos, carnales intelligamus, qui in morte passionis clausi sunt. *Speravit in eum*, id est, in patrem. Nota verò rectè dici, *laboravi*, quod inauditum significat clamorem. Laborare enim illum dicimus, qui votum clamoris non est assecutus, id est, ubi audiri recusatur.

5 Multiplicati sunt super capillos capitis mei :
Qui oderunt me gratis.

D

C. Ergo ut ostenderet plus esse numerum infidelium, quam devotorum, dicit *multiplicatos* perfidos iudæos *super numerum capillorum*, id est, credentium. *Gratis* enim *odisse* dicimur, quando quæpiam sine aliquibus offensionibus execramur, sicut iudæi Christo fecerunt.

Odisse gratis.

6 Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniustè :
Quæ non ¶ rapui tunc exolvebam. ¶ *Rapueram tunc reddebam.*

C. *Confortati sunt* iudæi, quando id quod conabantur efficere, implebant. *Iniustè*, revera iniustum fuit, ut qui venerat ad iudaicos populos salvandos, eos potius invenisset inimicos. Christus peccata non rapuit, qui delicta nostra abluit, tamen crucem excepit, & solvit pro nobis, quod pro se iustè non pertulit.

E

7 Deus tu scis † insipientiam meam : † *Stultitiam.*
Et delicta mea à te non sunt abscondita.

C. Dum dicit *Deus tu scis insipientiam meam*, loquitur pro parte membrorum, insipiens enim non potest esse Christus, cum Dei sapientia esse dignoscitur. Conversi igitur ad fidem, ante erant insipientes, nunc in Christo sapientes; isti enim sunt de quibus dixit titulus, quod commutabuntur scilicet de insipientia infidelitatis vel peccatorum ad sapientiam Christi. Idem dicendum est de *delictis*, quæ non sunt capitis sed membrorum Christi.

8 Non ¶ erubescant in me qui expectant te Domine : ¶ *Confundantur.*
† Domine virtutum. † *Deus exercituum.*

F

H. Precatur ergo Christus, ne *de seipso erubescant*, qui resurrectionem eius magno desiderio *expectabant.* Cum dicit, *Domine Domine virtutum*, ostendit nihil impossibile esse omnipotentiæ ipsius.

9 Non confundantur ¶ super me : ¶ *In.*
Qui quærunt te Deus Israël.

C. *Non confundantur*, id est, ne evacuetur spes credentium de passione mea : sed cognoscant, quia voluntatem tuam veni facere. C. Vel non humanas insultationes diutius de mea dormitione sustineant, *qui quærunt te Deus Israel.*

10 Quoniam propter te † sustinui opprobrium : † *Portavi.*
Operuit confusio faciem meam.

G

C. *Sustinuit* enim Christus *opprobrium* : cum dicebatur à iudæis, *in Beelzebub eiicit dæmonia.* H. *Operuit confusio faciem illius*, quando negaverunt Apostoli.

Mat. 12.

11 ¶ Extraneus factus sum fratribus meis : ¶ *Alienus.*
Et peregrinus filiis matris meæ.

C. *Extraneus* Christus *factus* est iudæis, quando ei credere noluerunt, quos hic *fratres* appellat. *Filios matris*, ipsos dicit quos superius fratres nominavit. Sed si filij veri fuissent matris Synagogæ, non ut peregrinum, sed ut fratrem charissimum, Christum suscepissent.

Extraneus factus est.

12 Quoniam zelus domus tuæ comedit me :
Et † opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. † *Opprobrium.*

H

H. *Comedit* eum *Zelus domus* Dei, quando eos de templo eiecit, quia domum eam fecerant speluncam latronum. C. *Exprobratum* est patri ab eis, quando dicebant. Hi sunt dij tui qui eduxerunt te. H. Qui vero exprobrant patri, exprobrant filio. C. *Ceciderunt super me* dixit, ut effectum mortis ostenderet, quem crucis dignatione suscepit. Exprobrabant etiam patri : cum *Christum* dicerent *Ioseph fabri esse filium*, & *dæmonium habes*; opprobrium enim filio dictum, redit in patrem.

Mat. 21. Ioan. 2. Exo. 32.

Mat. 13.

13 Et ¶ operui in ieiunio animam meam : ¶ *Flevi.*
Et factum est in opprobrium mihi.

A C. *Operuit ieiunio animam*, quia hominum fidem, quam valdè esuriebat, minimè poterat invenire, & ideo quasi aliquo pallio tristitiæ circundedit animam suam jejunio tali afflictam. Semper boni malis opprobrium sunt, quia minimè eorum sceleribus acquiescunt, & illis studiose detrahunt, quibus nullâ societate junguntur.

14 Et posui vestimentum meum † cilicium: † *Saccum*.
Et factus sum ¶ illis in parabolam. ¶ *Eis*.

Ioan. 11. C. Per *cilicium*: tristitia significatur & lachrymæ, quando Dominus humani generis imbecillitate permotus, suscitaturus Lazarum flevit, dicentibus judæis. *Ecce quomodo amabat eum*. Factus est quoque judæis *in parabolam*, B quando per similitudines quasdam carnalem populum docere videbatur: sicut in Evangelio legitur, dixit Iesus parabolam ad turbam. Est autem parabola natura discrepantium rerum, sub aliqua similitudine facta comparatio. (Parabola quid est.) Ideo vero sic loquebatur, ut qui cœlestia capere non poterant, terrenas similitudines intelligerent.

15 Adversum me loquebantur qui sedebant in porta:
Et :: in me ⁖ ¶ psallebant qui bibebant vinum. ¶ *Cantabant bibentes vinum*.

(Porta.) C. Porta quippe dicta est, eo quod inde portantur omnia. *In porta* autem *sedent*, qui conventibus hominum sedula curiositate miscentur. Ergo dicit passionem suam genti judaicæ fuisse fabulam. *In Deum psallunt* (In Deum psallere) si in bonum accipitur, qui actione probabili diriguntur. *Vinum* similiter, non ebrietatis, sed spiritale. *Ipsi* enim psallebant, qui per intelligentiam supernam salutari doctrina potabantur. Et ita Cassiodorus psallere de fidelibus & bonis exponit & sequentia. C Sed secundum Hieronymum scribæ & pharisæi *in porta*, id est, judicio sedebant, qui clavem scientiæ habentes, nec (Mat. 23.) introibant, nec alios introire sinebant. Illi repleti vino iniquitatis, qualiter eum interficerent concinebant. (Zach. 2.) H. Vel ebrij erant vino, quando velantes faciem ejus dicebant, *prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?*

16 † Ego vero orationem meam ad te Domine:
Tempus beneplaciti Deus. † *Mea autem oratio ad te Domine, tempus reconciliationis est Deus*.

C. Illud *tempus* est *beneplaciti* quando incarnationis suæ beneficio, periclitantem mundum ab imminente exitio liberavit. H. Vel tempus beneplaciti, tempus est passionis, quo tempore judæis crucifigentibus D Christus oravit. *Ne statuas illis pater hoc peccatum*, &c. (Luc. 23.) summè enim patri placuit hominum redemptio.

17 In multitudine misericordiæ tuæ:
Exaudi me in veritate salutis tuæ.

C. Nam si *multitudines* misericordiæ non fuissent, nequaquam redimi poteramus obnoxij. Non enim parva misericordia fuit quæ tam ingentia peccata superavit. *Exaudi me*, rogat patrem, non naturâ deitatis, quâ ei æqualis est; sed ex infirmitate humana, in qua minor est patre.

18 ¶ Eripe me de luto ut non infigar: ¶ *Erue*.
Libera me ab his qui oderunt me, & de profundis † aquarum. † *Aquis*.

C. Exposcit Christus ex parte membrorum, ut anima ejus à desiderijs luteis, id est, hujus mundi cupiditatibus reddatur aliena. *Libera me ab his qui me oderunt*, id est, à judæis. *De profundo* aquarum ad illum populum pertinet, qui & profundus erat consilio malignitatis & seditionibus turbulentis. E (De profundis aquarū.)

19 ¶ Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum. ¶ *Ne operiat me fluvius aquæ*.
Neque † urgeat super me puteus os suum. † *Coarctet*.

H. *Non me demergat*, id est, hæc passionis tempestas non eum in profunditate abyssi retineat infernalis. (Tempestas aquæ. Profūdū.) C. *Profundum* itaque est peccatorum, quod deglutit animas impiorum, ita ut ad pœnitudinem redire nequeant. F *Vrgere* dicimus concludere. H. Petit ergo ut aditus infernalis non concludat os super eum, sive diabolus. (Puteus.) C. *Puteus* autem excavata terræ profunditas est, qui & in bono & malo in scriptura ponitur, hic vero in malo accipitur.

20 Exaudi me Domine quoniam ¶ benigna est misericordia tua: ¶ *Bona*.
Secundum multitudinem miserationum tuarum respice † in me. † *Ad*.

H. Hæc secundum humanam fragilitatem postulat dicens, qui alios meâ passione redimis, me quoque præeunte misericordia contemplare.

21 Et ne ¶ avertas ¶ *Abscondas*. faciem tuam à † puero tuo. † *Servo*.
Quoniam tribulor, ¶ velociter exaudi me. ¶ *Scito*.

C *Puer* enim frequenter legitur dictus Dominus ab innocentiæ puritate, cum simplex ætas hoc beneficium largiatur, ut vitia mundi non diligat. G (Puer per innocētiam, Christus.) *Velociter exaudi me*. H. Vt resumam spiritum, quem tuis manibus commendavi.

22 ¶ Intende animæ meæ ¶ *Accede ad animam meam*. :: & ⁖ † libera eam: † *Redime eam*.
Propter inimicos meos ¶ eripe me. ¶ *Libera*.

C. *Intende animæ meæ*, ut revera libera fiat, cum eam divinitas propitiata respexerit. *Propter inimicos* etiam petebat celerrimum resurrectionis auxilium, ut qui contempserant crucifixum, tertiâ die resurgentem crederent.

23 Tu scis ¶ improperium meum & confusionem meam: ¶ *Opprobrium*.
Et † reverentiam meam. † *Ignominiam meam*. H

C. *Improperium, confusionem & reverentiam* pro humano genere sic suscepit salvator libens ut mortem. Non enim ista pro suo reatu sustinuit, sed omnia pro nobis pertulit, ut nos bonus magister in talibus rebus positos, exemplo suæ patientiæ miseratus instrueret.

24 ¶ In conspectu tuo ¶ *Coram te*. sunt omnes † qui tribulant me: † *Hostes mei*.
¶ Improperium expectavit cor meum & miseriam. ¶ *Opprobrio contritum est cor meum: & desperatus sum*.

H. Tu vides pater, quales mihi tribulationes inferant, & illusiones ostendant. C. *Improperium expecta-*

A *vit cor eius*, quando iniquitates Iudæorum, & diversa quæ passus est pro suâ voluntate sustinuit, & passione benignus excepit. H. Vel *improperium passionis & miseriam*, id est, contumeliam crucis.

25 Et ¶ sustinui qui !! simul :· contristaretur & non fuit: ¶ *Expectavi.*
Qui consolaretur & non inveni.

H. *Et sustinui*, non fuit ullus de tanta multitudine iniquorum, aut compassus doloribus ejus, aut qui exitit consolator. C. Non enim de fidelibus, sed infidelibus loquitur persecutoribus, fideles enim auditores, Doctorem consolantur, dum in eis verba prædicationum proficiunt. Iudæorum igitur pertinacia Christum non consolabatur, quia ejus verba non suscepit.

B
26 Et dederunt in escam meam fel:
Et in siti mea potaverunt me aceto.

Fel cum aceto. Ioan. 19.

C. Oblatum est illi fel cum aceto mixtum, ut revera facta Iudæorum amaritudo potionis indicaret. Ipse enim dixit *sitio* quia fidem in ipsis desideravit invenire, illi obtulerunt amarissimos mores suos, qui nulla compunctione conversi sunt.

27 † Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum: † *Sit.*
Et in retributiones ¶ & in scandalum. ¶ *Ad corruendum.*

Mensa in laqueũ.

C. Non maledicendi voto, sed præscientis more sequentia promuntur. *Mensa* Domini, est utriusque legis intellectualis epulatio, quam primò habuerunt Iudæi, quando mandata Dei custodierunt, postquam vero à fide jejunare cœperunt, coram ipsis, gentibus tradita est, ut gravius doleret videntibus ipsis adempta fœlicitas. *In laqueum*, scilicet ut de litera, in qua alios astringere conabantur, ipsi in ea potiùs caderent obligati. *Retributio* malorum fuit, quod subtracta illa mensa fuit, & gentibus tradita. *Et scandalum*, quia deserentes pacis autorẽ, sibi concitabant rixam & prava studia.

C

28 † Obscurentur oculi eorum ne videant: † *Contenebrentur.*
Et dorsum eorum semper incurva.

C. Prænuntiatur digna pœna, *ne videant* in scriptura sua verissimum justitiæ solem, & hoc illis evenit, qui etiam nimio pondere delictorum prægravati, cervicem suam in terram cernui semper *incurvant*, nec eis ad cœlum respiciendi possibilitas datur. Dorsum dictum, quasi descendens deorsum. H. Vel incurva, ut Romanis serviant semper, vel sub onere legis maneant, quam secundum literam ferre nemo poterat.

Dorsum eorum semper incurva.

29 Effunde super eos ¶ iram tuam: ¶ *Indignationem tuam, & ira furoris tui.*
Et furor iræ tuæ comprehendat eos.

D

C. Dum dicitur *effunde*, magnitudo iræ significatur: quæ in morem fluminis copiosa descendit. *Apprehendit eos furor*, quasi damnatos & perterritos: ut non liceat effugere, quod datur pro sceleribus sustinere.

30 Fiat † habitatio eorum deserta: † *Commoratio*
!! Et :· in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

C. *Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis*, &c. hoc utrumque Iudæis contigisse manifestum est, cum civitas Hierusalem frequenti captivitate deleta sit, Tabernacula, Dei templum & regia palatium, sine cultore remanserunt. Et nota, quod privatis domibus posuit *habitationem*, sed Dei templo *inhabitationem*, quia ibi habitamus corpore, hic autem inhabitamus, ubi devotæ mentis affectus locum frequentamus.

E
Habitare & inhabitare.

31 Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt:
Et ¶ super dolorem vulnerum meorum addiderunt. ¶ *Ut affligerent vulneratos tuos narrabant.*

H. De se hæc Christus ad patrem loquitur, de sua passione dicens, scriptum est, *percutiam pastorem*, & in alio propheta ex persona patris loquentis, *propter peccata populi mei percussi eum*: dicitur, H. Quia percussum, persecuti sunt, sibique traditum detestabili feritate necaverunt. H. *Addiderunt super dolorem*, cum vel Ecclesiam vel Apostolos persecuti sunt.

Zach. 13. Esaia 53.

F

32 † Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: † *Da.*
Et non ¶ intrent in justitiam tuam. ¶ *Veniant in iustitiam tuam.*

C. Iniquitas prima fuit judæis, ut prophetas extinguerent. *Apposita est iniquitas super iniquitatem eorum*, quoniam ipsum Dominum crucifigere maluerunt. Additur pœna peccati, *ne intrent in iustitiam Dei*, id est, ne participes Christi fiant, in illo regno justitiæ.

Iniquitas super iniquitatem.

33 Deleantur de libro viventium:
Et cum justis non scribantur.

C. Dicit ergo judæis, *deleantur de libro viventium*, non quia scripti erant, sed quia scriptos esse se judicabant. Ibi enim quod scribitur, deleri non potest, quia totum in prædestinatione solidatum est. *Et cum iustis non scribantur*, hoc eis accidere negat, qui non sunt (ut titulus ait) piis satisfactionibus imputati.

Deleri de libro viventium.

G

34 Ego † sum pauper & dolens: † *Autem.*
Salus tua Deus suscepit me.

C. *Ego sum pauper*, hanc proprietatem sibi vendicavit, quia nemo alter hanc paupertatem & hunc dolorem, pro totius mundi culpa sustinuit. *Suscepit* itaque humanitatem *salus*, id est, forma filij, in qua æqualis est patri, quando reconciliavit mundum patri. H. Vel *pauper & dolens* fuit in passione, *salus*, autem eum in resurrectione *suscepit.*

Christus pauper.

35 Laudabo nomen Dei ¶ cum cantico: ¶ *In.*
Et magnificabo eum in † laude. † *Confessione.*

C. *Laudat* enim caput nostrum *nomen Dei cum cantico*, quando in Ecclesia hymnidica exultatione, fidelium fit adunatio: ipse enim in nobis laudat & magnificat, quos nos veraciter laudare cognoscit.

H
Christus laudat Deum in nobis.

36 Et placebit ¶ Deo super vitulum novellum: ¶ *Domino.*
Cornua † producentem & ungulas. ¶ *Efferentem.*

C. Multo enim est acceptior effusa laus puro corde Deo, quam potest pecudum placere veteris legis mactatio. H. Vel *placebit* Deo patri *super vitulum novellum*, id est, Christum, *cornua producentem*, id est, fortitudinem Ecclesiæ dantem, & *ungulas* quibus sacrilegia conculcet gentium ac divellat. Vitulus novellus dicitur Christus, qui seipsum patri obtulit. Nec *super* denotat comparationem, sed materiam notat

Vitulus novellus Christus dicitur.

oblatam

A

oblatam, ut sit sensus, Deo erit complacentia de tali vitulo novo, non carnali, sed mystico: non veteri figuranti, sed novo figurato.

37 § Videant pauperes & lætentur:
Quærite Deum & vivet anima vestra
§ *Videntes mansueti lætabuntur: Qui quæritis Deum vivet anima vestra.*

C. *Videant pauperes*, quia Deus despicit oblationem pecudum, & mundissimum cor requirit, ideo *lætentur*, quia in mentis affectu posita est oblatio, ubi & pauper potest esse ditissimus. *Quærite Dominum*, admonet pauperes ut escam mentis quærant, unde *anima saginetur*. Illud quoque proprie vivere dicimus, quod in beatitudinis jocunditate consistit.

Oblatio pauperis in affectu cordis.

B

38 Quoniam exaudivit pauperes Dominus:
Et vinctos suos non despexit.

C. *Pauperes* sunt Christiani, qui despiciunt voluptates & divitias mundi istius, & eligunt humanarum rerum indigentiam, ut epulis spiritalibus impleantur. *Vinctos suos* liberat à laqueis carnalibus, quos suis regulis connexos cognoverit.

Christiani pauperes. Vincti.

39 Laudent illum cæli & terra:
Mare & omnia † reptilia in eis. † *Quæ moventur in eis.*

C. In cœli commemoratione datur intelligi, ut omnia debeant cœlestia laudare. Terræ quoque commemoratione intellige terrestria: Maris universa natantia, & ita ad Domini laudes invitatur, quicquid creaturarum esse cognoscitur,

40 Quoniam Deus † saluam faciet Sion:
Et ædificabuntur civitates Iudæ. † *Salvabit Sion, & ædificabit.*

C

C. Sion enim parvus colliculus est qui cohæret Hierosolymitano templo, sed nominis qualitate grandescens, significat enim Ecclesiam. H. *Civitates Iudæ*, animæ sunt sanctorum, quæ per confessionem, in templum sanctum tanquam vivi lapides deferuntur.

Sion. Civitates Iudæ.

41. Et inhabitabunt ibi:
Et † hæreditate acquirent eam. † *Possidebunt eam.*

C. Hanc enim Ecclesiam hic habitant Christiani, *hæreditate* vero *acquirent eam*, quando ad Hierosolymam illam æternam Dei miseratione pervenerint

42 Et semen servorum eius possidebit eam:
Et qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.

D

C. *Semen* enim hic opus perfectum, non carnis progeniem debemus accipere, quod futuram *terram possidebit*, quæ nullo iam fine mutanda est, sed *in ea habitabunt, qui diligunt nomen eius*, & perpetua fœlicitate potientur.

Semen opus bonum.

Oratio ex Psal. LXVIII.

B*Enignissime Domine, exaudi nos in veritate salutis tuæ, ut eruti à squalore peccati, mereamur in libro vitæ digito cælesti conscribi. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.*

Argumentum Psal. LXIX.

C. Vox Martyrum & Confessorum, deprecantium, ut à persequentium periculis liberentur.

E

TT. § In finem David in rememoratione: eo quod salvum eum fecit Dominus. :· § *Victori David ad recordandum.*

F

C. *Finis & David* Christum significat. *In rememoratione*, spem significat liberationis & certitudinem futuri præmij, quæ suis sanctis pollicitus est.

Rememoratio.

1 DEus † in adjutorium meum intende :·
Domine ad adjuvandum me festina.
† *Vt liberes me, Domine ut auxilieris mihi festina.*

F

C. Tunc enim adjutorium poscimus, quando periculis subjacemus, ut tali remedio sublevati, calamitates diversarum passionum vincere possimus. *Intende*, id est, propitius respice, quia omnia Deus agnoscit, etiam cum non rogatur, *Festina* sic dicitur, quasi misericordia divina tardaret, sed tardum videtur ei auxilium, qui de huius sæculi clade liberari festinat.

Intende. Festina.

2 Confundantur & § revereantur: § *Erubescant.*
Qui quærunt animam meam:

C. *Confundantur*, vox martyrum expostulans emendationem inimicorum suorum. *Confundi* est, quando homo turbatur de factis suæ perversitatis. *Revereri* est, quando cognoscimus nostra operatione iustitiam læsam, & pro his operibus pœnas incurrere formidamus. Quærebant inimici animam fidelium, non in bono; sed ut eam à corpore segregarent.

Confundi. Revereri.

3 Avertantur retrorsum & erubescant:
Qui volunt mihi mala.

G

C. Avertantur retrorsum, quia à prava cogitatione descendens, iussa Domini subsequitur. *Qui volunt mihi mala*, hanc retributionem suscipiant, ne in sua iniquitate persistant. O pia sanctorum etiam ipsa quæ putatur adversitas, melius optabant inimicis, quam inimici sibiipsis in prosperis constituti.

4 † Avertantur statim erubescentes:
Qui dicunt mihi :· euge euge. † *Revertantur ad vestigium confusionis suæ, qui dicunt Vah, Vah.*

C. *Avertantur* petit, ut à suo proposito *erubescentes*, velociter se convertant. *Qui dicunt euge euge.* Euge, sermo laudantis est, sed hic Ironia est. Seu illos increpat qui afflictiones martyrum pœnasque collaudant, & non ad autoris gloriam referunt, quod eis largâ pietate est concessum.

Euge, euge.

5 Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te:
Et dicant, semper magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

H

H. Post persequentium iniquitatem & conversionem, ad gloriam convertitur beatorum, ut *exultent*, qui per lachrymas pœnitentiæ Dominum *quærunt*. C. *Magnificatur* autem *Dominus* in nobis, qui in se non habet ut crescat. Cum laudes Deo purâ mente persolvimus, nostraque conscientia semper augetur, tum Christum dignè laudamus. Illud quoque verbum *magnificetur*, ab humana consuetudine mutuatum est, magnificatur enim ille, qui laudibus crescit, qui bonâ opinione grandescit.

Magnificetur Dominus.

6 Ego

A 6 Ego vero egenus & pauper ⁞ sum ⁘ :
Deus ¶ adiuua me. ¶ *Festina pro me.*

Egenus & pauper.

C. *Egenus & pauperes* eos nominat, qui semper acquirere gratiam Dei exoptant. *Deus adiuva me*, id est, in tribulatione mundana, ubi cum vitiorum pugnamus adversitate.

7 † Adiutor meus & liberator meus ⁞ es tu ⁘
Domine ne moreris. † *Auxilium meum & salvator meus es tu. Ne tardaveris.*

C. *Adiutor meus* in necessitatibus, & de sæculi elade *liberator. Ne tardaveris.* Mos est periclitantium, judicare tardum auxilium, quamvis celerrimè præstetur. Christus enim mensuratè facit omnia: sed nos tardum putamus, quod magno desiderio requirimus.

B

Oratio ex Psal. L X I X.

INexhausti adiutorij Deus aeterne, ad adiuvandam famulos supplici festinus occurre, ut evictis malorum opprobriis, tuis semper auxiliis muniamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psal. L X X.

C. *Vox devotorum, qui ab humanis iniquitatibus se petunt liberari, ut Domino gratias liberiùs referre possint.*

TT. ⁞ Psalmus David filiorum Ionadab & priorum captivorum.

Ionadab. Hier. 35

C. *Ionadab* interpretatur spontaneus Dei, qui fuit Dei sacerdos, & præcepit filiis suis, in Dei templo degere, ac subtiè servire, quod eos constat fecisse, qui nunc pro fidelibus ponuntur. *Et priorum captivorum*, qui frequenter admoniti, se emendare noluerunt, sed contumaces effecti Deo, primæ secundæ & tertiæ captivitati subiacebant. Monemur ergo hoc titulo, ut habeamus voluntatem & devotionem filiorum Ionadab, non contumaciam Iudæorum, qui captivi esse meruerunt.

C

1 IN te Domine speravi, non confundar in æternum:
In iustitia tua libera me & eripe me.

Iustitia Dei.

H. Orat ergo mediator noster, ut hæc confusio mortis non sit (ut cæterorum hominum) diuturna. *Iustitia* Dei est, qui fecerit voluntatem eius transeat de morte ad vitam, per quam hic Christus eripi precatur. C. Vel membrorum Christi vox est petentium, etsi hic temporaliter & utiliter confundantur, non tamen in æternum confundi. Et quod dicit *in tua iustitia*, ostendit suam justitiam non sufficere, sed necessariam esse sibi misericordiam. Iustitia Dei est, parcere pœnitenti.

D

2 Inclina ad me aurem tuam.
Et salua me.

H. *Aures* Domini dicuntur, quando exaudire dignatur humilem, postulantem veniam pro delictis suis.

3 Esto mihi † in Deum protectorem † *Robustum habitaculum.* ¶ & in locum munitum:
·Vt salvum me facias. ¶ *Vt ingrediar iugiter, præcepisti, ut salvares me.*

E

H. *Esto mihi in Deum protectorem*, quia absque eo neque refugium, neque munitio, neque protectio à quoquam præstari potest. Nec ideo dicitur *locum munitum*, ut sit localis, quia ubique Dominus est. C. Sed locus iste divina protectio est.

4 † Quoniam firmamentum meum:
Et refugium meum es tu. † *Quia petra mea & fortitudo mea es tu.*

Firmamentum & refugium.

C. *Firmamentum* in hoc sæculo Dominus dicitur ubi & patientia quæritur. *Refugium* in illa beatitudine, ubi jam aliquod periculum non timetur.

5 Deus meus eripe me de manu ¶ peccatoris: ¶ *Impij.*
⁞ Et ⁘ de manu † contra legem agentis & iniqui. † *Iniqui & nocentis.*

F

C. *Contra legem agit*, qui acceptâ lege, facit contra regulas mandatorum, ut sunt Iudæi. *Iniqui* vero sunt pagani, qui nullâ lege Domini refrænantur, sed more ferarum faciunt quodcunque libuerit, sic omnem peccatorem duabus his partibus complectitur.

6 Quoniam tu es ¶ patientia mea Domine: ¶ *Expectatio.*
† Domine spes mea à iuventute mea. † *Deus fiducia mea ab adolescentia mea.*

Rom. 5. A iuventute.

C. Prius enim est, ut cum Dei gratia probemur per patientiam, & tunc illam fructuosam spem ipso donante habere merebimur, de qua ait Apostolus: *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem. A iuventute* significat, ex quo cœperit homo contra diabolum pugnare, quia ætas illa ad certamen dirigitur, nam quocunque tempore ad ipsum veniatur, merito juventus dicitur, quia tunc in ipso plenissimo robore solidamur.

G

7 ¶ In te confirmatus sum ex utero: ¶ *A te sustentatus sum.*
De ventre matris meæ tu es protector meus.

C. Tunc enim *confirmatio* nostra est Deus, quando ad eum fidei munere venimus. *Protector*, quoniam adversus diaboli nequitias ipse nos protegit ac defendit, hic uterum sanctæ matris Ecclesiæ debemus accipere, ubi primum per rudimenta fidei concipimur, deinde ex aqua & spiritu sancto regeneramur.

Ex utero.

8 In te † cantatio mea semper: † *Laus.*
¶ Tanquam prodigium factus sum multis, ¶ *Quasi portentum.* & tu † adiutor fortis. † *Spes mea fortissima.*

H

Tanquam Prodigium.

C. Significat enim *cantatio semper*, & præsens sæculum & futurum, hic enim illi pro liberatione cantamus, ibi autem gratias pro æterna remuneratione peragimus. *Prodigium* in hoc sæculo erit fidelis, quando alia sectatur quam amare potest multitudo peccantium, quærunt peccatores divitias, fideles pauperiem: quærunt peccatores epulas, justi jejunia: quærunt denique illi gaudia, isti tristitiam. Ne autem bonorum semitam ire nimis difficile æstimetur, addit, *& tu adiutor fortis.*

9 Repleatur os meum ¶ laude: ¶ *Laude tua.*
⁞ Vt cantem gloriam tuam ⁘ totâ die † magnitudinem tuam. † *Magnitudine tua.*

A

C. Nam si Christus non *repleat os nostrum*, nec lingua movetur, nec desideria honesta inflammantur nostra. Cum vero ponit, *totâ die*; significat omne tempus, & nunquam à laudibus Domini cessandum. Causa igitur cur petat os repleri, est, ut cantet Dei gloriam, sine cujus gratiâ omnes laude indignæ sunt.

10 Ne proiicias me in tempore senectutis:
Cum † deficiet virtus mea ne derelinquas me. † *Defecerit fortitudo mea.*

In tempore senectutis.

C. Supplicat fidelis: *ne proiiciatur in tempore senectutis* suæ a Deo, quando fessa virtus corporis sui plus indiget adiuvari. Tunc quoque se petit non debere derelinqui, *cum defecerit virtus* patientiæ, vel mollescit sub onere tribulationis, dum tribulationibus crebris atque martyriis robur animæ consenescit: quia cum Christo totū poterit sustinere, sine ipso vero nihil.

B

11 Quia dixerunt inimici mei mihi:
Et qui † custodiebant † *Observabant.* animam meam ¶ consilium fecerunt in unum. ¶ *Inierunt consilium pariter.*

C. Redditur causa, cur ad subveniendum pietas Dei debeat provocari: quoniam debilitate captata, fervor insidiantium accensus est, dum credunt facile decipi, à quo non potest viribus defectis obviari. Truculentior est inimicorum semper adunata collectio, & quod non dividitur graviùs uno fasce portatur. Innuit ergo non leves esse inimicos. Cujusmodi vero consilium inierint, sequenter aperit.

12 Dicentes Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum.
Quia non est qui † eripiat. † *Eruat.*

C

C. Hostes enim carnales, cum viderint hominem crebrâ calamitate fatigatum, credunt eum à Deo derelictum: qui divinam gratiam putant in solis corporis viribus constitutam, *dicentes, dereliquit eum Deus, persequimini*, quia fugere non valet, & *comprehendite*, quia nobis reluctari non poterit violentissimis.

13 Deus ne elongeris à me:
Deus meus in auxilium meum ¶ respice. ¶ *Festina.*

Ne elongeris à me.

Humana putat infirmitas elongare se Deum, quando ei venire tardat auxilium: ideo petit, ne gratia ejus ab ipsa discedat, & orat, ut per adjutorium Dei, ei digna patientia tribuatur.

14 † Confundantur & deficiant detrahentes animæ meæ: † *Consumantur adversary animæ meæ.*

D

Operiantur ¶ confusione & pudore, ¶ *Opprobrio & confusione.* qui quærunt † mala mihi. † *Malum.*

C. *Confundantur* enim dicit, cum tua viderent deposita non mutari: *deficiant detrahentes*, id est, obloquentes inaniter. *Operiantur* dixit, quasi quodam velo, seu verecundiâ obtegantur eorum facies, quod solet evenire his, qui actiones pristinas meliore vitâ condemnant. *Mala quærunt*, qui pravis blandimentis, occulto vulnere, mentes videntur impetere, dum carnis salutem suadent ad interitum animæ.

Qui quærunt mala mihi.

15 Ego autem ¶ semper sperabo: ¶ *Iugiter expectabo.*
Et adjiciam super † omnem laudem tuam. † *Omnes laudationes tuas.*

E

C. Decursa emendatione peccantium, ad suam delectationem bonúmque convertitur: ut sicut illi de divina potentia desperabant, ita populus fidelis sperare se semper dicit in Deo. *Adiiciam super laudem.* Nam cum quis dicit, verbum patris fecisse cœlum & terram, perfectâ devotione Deum laudat. Sed cum adjunxerit, incarnatum esse pro salute cunctorum, adjecit cumulum laudibus plenum: ita laus super laudem adiicitur.

Adiicere laudem.

16 Os meum † annuntiabit iustitiam tuam: † *Narrabit.*
Tota die salutare tuum.

C. *Iustitia* patris salvator est, & *salutare* dicitur, quia inde salus mundi, per gloriosam incarnationem provenit. *Totâ die*, continuum tempus ostendit. Ostendit igitur se pronuntiaturum gentibus salvatorem. H. Vel in persona Christi capitis qui in Apostolis se annuntiavit.

F

17 Quoniam non cognovi literaturam ¶ introibo in potentias Domini ¶ *Ingrediar in fortitudine Domini Dei.*
Domine memorabor justitiæ tuæ solius.

Literatura.

C. *Non cognovi literaturam*, id est, scientiam secularem, & eloquentiam vanam, malis actibus inquinatam. Ideo *introibo in potentiam Dei*, hoc est, in Hierusalem cœlestem. Tunc *memorabor*, &c. cum sequestrabit agnos ab hædis & impios à fidelibus.

18 Deus docuisti me † ex iuventute mea & usque nunc: † *Ab adolescentia mea.*
¶ Pronuntiabo mirabilia tua. ¶ *Annuntiabo.*

G

C. *Docuisti* autem, sive ad libros pertinet divinos, sive ad infusam cœlitus fidem. Iuventus incipit ex quo cœpit homo ad divinam gratiam pervenire. Utique *mirabilia* fuerunt, ut doceretur indoctus, & ex perfido fieret devotus, & ex peccatore justissimus.

19 Et † usque in senectam & senium: † *Insuper usque in senectutem & canos.*
Deus ne derelinquas me.

Senecta & senium.

C. Apud græcos duo nomina ista diversa sunt, *senectam*, gravem ætatem vocant: *senium*, ætatem finitimam. Latinè vero quasi simili nomine nuncupantur. Petit itaque populus fidelis, ut neque in matura, neque in senili ætate deseratur à Domino. Cum enim à juventute se docuerit & custodierit, petit id continuari in senectute.

20 Donec annuntiem brachium tuum:
Generationi ¶ omni quæ ventura est. ¶ *Cunctisque qui venturi sunt fortitudines tuas.*

H

C. *Brachium* patris salvator Dominus est. Et ne putares illis tantum denuntiandum fuisse Christum, qui eo tempore fuerunt, cum ille pro nobis incarnari dignatus est, addidit, *quæ ventura est*: ut hanc prædicationem usque ad finem seculi cognosceres esse faciendam. Petit ergo Ecclesia se non derelinqui usque ad finem seculi.

21 Potentiam tuam & iustitiam tuam Deus usque in ¶ altissima: quæ fecisti magnalia: ¶ *Excelsum quanta fecisti, &c.*
Deus quis similis tibi?

C. *Potentiam*

A Potentia & iustitia. C. *Potentiam tuam*: hic quoque reddendum est, donec annuntiem potentiam, &c. Nam *potentia* ad gratiam incarnationis respicit. *Iustitia* ad Iudicium in quo Adam iudicatus est, id est, morte punitur cum posteritate sua. *Vsque in altissima*: quia Deus homo sedet ad dexteram patris, regnans cum eo per infinita sæcula. Magnalia. *Magnalia*, à magnitudine vocantur: quoniam ad vindicandum fortis est Deus, sicut in Adam: & ad liberandum nullus ei similis invenitur, sicut in latrone. Deus quoque in operibus suis cognoscitur esse singularis, ideo subdit: *quis similis tibi*, quod cum admiratione legendum est.

22 ¶ Quantas ostendisti mihi ¶ *Quas*. tribulationes † multas & malas ? † *Plurimas*. :: & ∴ conversus ¶ vivificasti me: ¶ *Vivificabis nos*.
Et de abyssis terræ † iterum reduxisti me. *Rursum educes nos*. B

C. *Quantas*, sub admiratione legendum est, quasi innumerabiles passiones: quia fidelibus ad præsens, duras tribulationes ostendit. *Multas* ergo, quantitatem: *malas*, indicat qualitatem. *Conversus*, id est, converti me fecisti: quia distortus fueram lege peccati. Sciendum utique est, ideo iterum dictum, ut medicina Christi, frequentior indicetur, qui nos *de abysso*, id est, de profunditate peccatorum per multas remissiones edoxit.

23 ¶ Multiplicasti magnificentiam tuam: ¶ *Multiplicabis magnitudinem meam*.
Et conversus † consolatus es me. † *Consolaberis me*.

Consolatio Dei. C. *Multiplicas magnificentiam*, quando nobis per diversas causas afflictionum, subvenire dignatur. *Conversus consolatus es me*, hoc est, mentem sanas diversis languoribus sauciatam: sanas vero mentem revelando & divinarum scripturarum alloquio consolando. C

24 ¶ Nam & ego ¶ Ego *autem*. confitebor tibi in vasis † Psalmi † *Psalterij*. veritatem tuam ¶ Deus. ¶ *Deus meus cantabo*.
Psallam tibi in cithara ¶ sanctus Israël. † *Sancte*.

Psalmus & cithara. C. Hic jam justus ille lætus veritatem se psallere confitetur. *In vasis*. H. Hoc est in fidelibus Ecclesiæ, & *in cithara*. C. Id est, actione digna: per Psalmum, recta fides: per citharam, recta operatio designatur: quia Psalmus de superioribus, de inferioribus cithara, melos ad superna transmittit. Vel vasa Psalmi, psalmos dicit quasi spiritualia dolia, vinum Domini incorrupto sapore servantia. H. Vel illos significat, qui de vino, Evangelicæ Apostolicæque doctrinæ novo repleti, in Psalmis Christum intelligunt præconatum. D

25 ¶ Exultabunt labia mea cum cantavero tibi: ¶ *Laudabunt*.
Et anima mea quam redemisti.

C. *Labia*, os interioris hominis dicit: habet enim & mens vocem suam, qua tacite clamat ad Dominum suum. Gaudet ergo anima sua, quæ se redemptam esse cognoscit: ut enim de labiis animæ intelligeres, adiecit *& anima mea*, &c.

26 † Sed & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam. † *Insuper & lingua*.
¶ Cum confusi & reveriti fuerint, qui quærunt mala mihi. ¶ *Quia confusi sunt & dehonestati, quærentes malum mihi*. E

C. *Meditabitur* tunc *lingua*, laudes Domini per omne tempus, quando regnum ejus in illa resurrectione perceperit. Duobus modis *confunduntur & reverentur* inimici, quando aut hic pœnitentiam gerunt, aut certe in adventu Dei, dum illa suis oculis manifesta vident, quæ fieri non credebant. Tunc ergo securæ exultationis tempus est sanctis, quando jam locum dominationis, impij non habebunt.

Oratio ex Psal. LXX.

EXcelsi solij regnator immense, qui sperantes in te, damnari æterna confusione non pateris: reple quæsumus labia nostra laude tuâ, & in his nos super meditationibus bonorum insinuator exerce. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. F

Argumentum Psal. LXXI.

C. *Propheta Christi adventum pracinens, ab omnibus regibus eum dicit adorandum, quia humanum genus à diaboli potestate redemit.*

TT. ¶ In Salomonem :/ Psalmus ∴ ¶ *Salomoni*.

Salomō Christi typus. Ephes. 2. Ioan. 14. C. *Salomon* interpretatur pacificus, & significat Christum, de quo Apostolus ait: *ipse est pax nostra qui fecit utraque unum*. Ipsius verba testantur eum esse pacificum, qui dixit: *Pacem meam do vobis*.

1 DEus iudicium tuum regi da:
Et iustitiam tuam filio regis. G

Iudiciū. C. Propheta desiderio inflammatus, petit à patre *iudicium dari* filio, quod sciebat esse venturum. Iudicium enim dictum est, quasi juris dicium, id est, quod in eo jus dicatur, vel quasi juris indicium: quod in eo jus indicetur. Et ut veracissima probaretur esse petitio eadem iterum ingeminavit, hoc est enim quod dicit *& iustitiam tuam filio regis*, quod superius dixit: *iudicium tuum regi da*, & hoc secundum humanam naturam quâ patre minor est.

2 † Iudicare populum tuum in justitia: † *Iudicabit*.
Et pauperes tuos in judicio.

Pauperes Dei. H C. Exponit causam quare petierit filio judicium dari, scilicet, ut *iudicet orbem terrarum per iustitiam* patris. *Pauperes* Dei sunt, qui mundanâ superbiâ derelictâ, se humilitati per omnia subdidere. Nam & si pauper superbiat, non est Dei pauper, & si locuples humilitatem diligat, non est sæculi dives, voluntates enim talium inspiciendæ sunt, non nomina.

3 † Suscipiant montes pacem populo: † *Assument*.
Et colles iustitiam.

Montes & colles. Christus iustitia dicitur. Per *montes* significantur Apostoli & prophetæ, qui *pacem*, id est, Christum suscipiant, fideli populo prædicandum. Colles dicit cæteros beatos, qui recte videntur Domini prædicare mandata. Et Christus *iustitia* dicitur, quoniam diabolum per justitiam vicit magis quam per potentiam, & orbem judicat in justitia.

† Indicabit

A

4 Iudicabit pauperes populi, † & ſalvos faciet filios pauperum: †. *Salvabit filios pauperis.*

Et ¶ humiliabit calumniatorem. ¶ *Confringet.*

Calumniator.

C. *Pauperes populi*, id eſt, humiles ſpiritu, ſunt apoſtoli. *Filij* vero *pauperum*, filij ſunt Eccleſiæ, per Apoſtolorum prædicationem in Chriſto regenerati. *Calumniator*, diabolus, Chriſti potentia humiliatus. Calumniator quippe dicitur & eſt, qui innocentiam alienam in reatum nititur exquiſitâ machinatione perducere, quod diabolum ab initio ſæculi uſque in finem conſtat facere.

5 Et † permanebit cum ſole & ante lunam: Io generatiooe & generatione. † *Timebunt te quandiu erit ſol & ultra lunam.*

B

Sol Chriſtus Luna Eccleſia dicitur.

C. *Sol* quippe legitur verbum patris, qui Deus & homo, unus ex duabus naturis diſtinctis atque perfectis permanet Chriſtus: humanitas enim cum ſole, id eſt, divinitate ſemper unita *permanet*. *Permanet ante lunam*, id eſt, ante conſpectum Eccleſiæ, quem cordis luminibus ſemper contuetur. Eccleſia enim à Chriſto lumen, ſicut luna à ſole, recipit.

6 Deſcendit ſicut pluvia in vellus:

:: Et ∴ ¶ ſicut ſtillicidia ſtillaotia ſuper terram. ¶ *Vt ſtillæ irrorantes terram.*

C

Deſcendet ſicut pluvia in vellus.

C. Exponit myſterium glorioſæ nativitatis. Nam Dominus virtutum, ante cuius faciem terra tremefacta concutitur, voluit leniter in uterum virginalem, ſine aliquo ſtrepitu, *tanquam pluvia in vellus* agnæ, *deſcendere*. H. Arida enim erat terra humani corporis, cum advenit, nec ullum fructum exhibere poterat ſanctitatis, ſed ipſe eam, *ſtillicidiis* prædicationis ſuæ fœcundatam, æternis fructibus implevit.

7 † Orietur † *Germinabit.* io diebus eius ¶ iuſtitia & abundantia pacis: ¶ *Iuſtus.*

Donec † auferatur luna. † *Non ſit.*

Abundantia pacis.

C. *Orietur*, ex tempore ſanctæ incarnationis, quando erat partu virginis naſcitura. *Iuſtitia* enim verbum eſt patris. *Abundantia* vero *pacis* eſt, dum religio Chriſtianorum toto orbe dilatatur. *Donec auferatur*, id eſt, extollatur luna, id eſt, quamdiu protendatur & augeatur Eccleſia, vel quouſque prædeſtinatorum numerus compleatur.

D

8 Et dominabitur à mari uſque ad mare:

Et à flumine uſque ad terminos :/ orbis ∴ ¶ terrarum. ¶ *Terra.*

H. *Dominabitur*; totum hunc mundum, adquiſitum ſuâ paſſione atque ſubiectum Chriſto Domino, propheta teſtatur. C. *A flumine*, ſcilicet Iordane, unde per totum orbem terrarum ſaluberrima regula baptiſmatis emanavit: pulchra quidem brevitas, ſed ingentia nobis ſacramenta profudit.

9 † Coram illo procident Æthiopes: † *Ante eum.*

Et inimici eius ¶ terram lingent. ¶ *Pulverem.*

Æthiopes, peccatores ſunt:

C. *Æthiopes*, debemus peccatores advertere, qui *ante illum procidunt*, quando ſe pœnitentiæ humilitate proſternunt. *Inimici* Iudæi, qui *terram lingent*, id eſt, terram ſapiunt, & Chriſtum non credunt, hoc eſt[illegible] ſapit unuſquiſque quod lingit. Illos autem Iudæos intelligit, qui in ſua pertinacia permanebunt.

10 Reges Tharſis & inſulæ munera offerent:

Reges † Arabum & Saba dona adducent. † *Arabia & Saba tributum conferēt*

C. *Reges* ergo *Tharſis*, id eſt, dominatores vitiorum dona offerunt Deo, quando ei probantur animo ſervire devoto. *Inſulæ* vero ſunt, qui circumfluentia mund[i] vitia, à ſuis corporibus excluſerunt. *Reges Arabum* ſunt, qui blandimenta corporum ſubiiciunt rigidæ diſciplinæ. *Saba* (unde Sabæi) dicti ſunt omnes, qu[i] dona virtutum offerunt Deo ſuaviora, quam quæ in illa terra ſunt aromata redoleant.

11 Et adorabunt eum omnes reges:

¶ Omoes gentes ſervient ei. ¶ *Vniverſæ nationes.*

C. Per *omnes reges*, cunctas voluit nationes intelligere. *Omnes gentes*, ſcilicet quæ per univerſum mundum & linguis dividuntur & partibus. Nulla gens eſt, quæ in parte populi ſui, proprium non adoret autorem. Et vide, quia reges dicit *adoraturos*, qui putabantur adorandi.

12 † Quia liberavit pauperem à potente: † *Eruet.*

Et ¶ pauperem, ¶ *Inopem.* cui non † erat adiutor. † *Eſt.*

C. *Liberavit pauperem*, id eſt, fidelem populum, *a potente* diabolo, *& pauperem, cui non erat adiutor*: quia humanum genus ad idolorum culturam ſe contulerat & quid ab eis adiuvari poterant, qui vel ſenſum pecudum non habebant?

13 Parcet pauperi & inopi:

Et aoimas pauperum † ſalvas faciet. † *Salvabit.*

C. Cum dicit *parcet*, generaliter omnes homine[s] peccatores oſtendit: illis enim parcitur, qui in aliquo reatu detinentur. Ipſi autem *ſalvi fiunt*, qui regnum Dei poſſidebunt.

14 ¶ Ex uſuris & iniquitate redimet anima[s] eorum: ¶ *Ab uſura.*

Et † honorabile nomen eorum coram illo. † *Pretioſus erit ſanguis eorum coram oculis eius.*

C. *Vſura* ab uſu nomen accepit, quæ creditæ pecuniæ procurat ſemper augmentum. Sic in peccati[s] viventibus uſura creſcit malorum, quando quod in temporali converſatione delinquunt, in æterna calamitate recipiunt. Ab iſtis ergo uſuris liberantur fideles animæ, quando per pœnitentiam redduntur abſolutæ. Quorum *nomen honorabile*: revera præclarum nomen, ut Chriſtiani dicantur, & à ſuo rege reſplendeant vocaboli dignitate. Addidit etiam, *coram illo* id eſt, coram Deo: quoniam ante ipſum & in ipſiu[s] regno victuri ſunt.

15 Et vivet & dabitur ei de auro ¶ Arabiæ ¶ *Saba.* & † adorabunt de ipſo ſemper: † *Orabunt de eo iugiter.*

Totâ die benediceot ei.

C. Nam cum dicit, *& vivet*, oſtendit æternitatem Chriſti, quà, non vitâ creatâ, ſed beatitudine S. Trinita[tis]

A — Aurum Arabiæ ſapientia eſt.

vivit. *Aurum Arabia*, præ cæteris terris fertur eſſe puriſſimum, quod ad ſapientiam benè refertur. H. Offerantur enim ei mentes puritate ſanctâ, tanquam aurum Arabicum ſplendore pulcherrimo rutilantes. *Et adorabunt de ipſo*: hoc ad humanitatem ipſius conſtat referri, quando ore proprio quemadmodum oraretur inſtituit. Totâ die, totus vitæ noſtræ tempus oſtendit.

16 Erit ¶ firmamentum in terra, in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper Libanum fructus eius: ¶ *Memorabile triticum in terra, in capite montium, elevabitur, ſicut Libani, fructus eius.*

Et florebunt de civitate ſicut fœnum terræ.

B — De civitate florebunt.

C. *Firmamentum* montium Chriſtus eſt. *Summa montium*, excellentiam ſignificat prophetarum. H. *Superextolletur*, ſcilicet gratia baptiſmi, ſuper omnes altitudines ſæculi, per quam peccata tolluntur. C. *Florebunt ergo de civitate* iuſti, id eſt, de Eccleſia Dei, *ſicut fœnum*, cuius ætas non comparatur ſanctis, ſed decora viriditas. Et inſpice quod dicit, de civitate florebunt, non in civitate: quia de iſta civitate huius ſæculi laborando, in illa florebunt beatitudine ſempiterna coronando.

17 † Sit nomen eius ⁄: benedictum ∴ in ſæcula:

Ante ſolem permanet nomen eius.

† *Erit nomen eius in æternum, ultra ſolem perſeverabit nomen eius.*

C

C. *Sit nomen eius*, &c. ac ſi diceret, in æternum glorificetur Deus, quoniam æternam gloriam præſtaturus eſſe cognoſcitur. Ante omnem creaturam nomen eius permanere profeſſus eſt (ſicut dicitur in Evangelio, in principio erat verbum,) ne ſanctum Dei filium, temporalem aliquis blaſphemâ cogitatione ſentiret. Nomen autem dictum eſt, quod notam rem faciat. Et hic ſolem, pro omnibus creaturis ponit, quoniam conſpectibus noſtris gratior illuceſcit: ubi & ſugillantur philoſophi, qui ſolem ponebant æternum.

18 Et benedicentur in ipſo ⁄: omnes tribus terræ ∴ :

Omnes gentes ¶ magnificabunt eum.

¶ *Beatificabunt eum.*

D

C. *Et benedicentur in ipſo*, Domino videlicet Ieſu Chriſto. Cum dicit *magnificabunt*, laudabunt utique ſignificat. Aliter enim magnificari non poteſt, cui omnes ſummitates deſerviunt.

19 Benedictus Dominus † Deus Iſraël:

† *Deus Deus Iſrael.*

Quia facit mirabilia ſolus.

Qui facit mirabilia ſolus.

C. *Deus Iſraël*, id eſt, Deus univerſæ terræ benedicendus ſemper eſt, *qui facit mirabilia ſolus*, quia nullo indiget adiutorio. Nam licet angeli & multi iuſti faciant mirabilia, non ſoli tamen, ſed adiuvante Domino perficiunt. H. Debet vero bis poni *Deus*, quia & Trinitas in verſu oſtenditur.

20 Et benedictum nomen ¶ maieſtatis eius in æternum: ¶ *Gloriæ eius.*

Et replebitur maieſtate eius omnis terra, † fiat fiat. † *Amen, & amen.*

E

H. *Benedictum nomen*, ſcilicet, quia de Chriſto Chriſtiani ſunt dicti, quod vocabulum totum orbem ſacra veneratione complevit. *Terram* enim hic ſanctos dicit, quia ipſius claritate *replendi ſunt*. Optantis eſt dicere *fiat*, ſed nimium deſiderantis, ipſum repetere & dicere, *fiat fiat*. — Fiat fiat.

Oratio ex Pſal. L XXI.

NOmen tuum omnipotens Deus, ante cuncta ſæcula benedictum, invocantes oramus: ut humiliato calumniatore, pacem populo iuſtitiámque largiri digneris. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat, &c.

Argumentum Pſal. L XXII.

F

C. *Vox prophetæ, admirantis cur inimicis Dei & paganis proſperitas tanta eveniat.*

¶ Defecerunt laudes David filij Ieſſe, ¶ *Completæ ſunt orationes David filij Ieſſe.*

TT. † Pſalmus Aſaph. † *Canticum Aſaph.*

H. *Defecerunt laudes David filij Ieſſe*, ad finem ſeptuageſimi primi Pſalmi pertinet. Id verò quod ſequitur, *Pſalmus Aſaph* initium ſit ſequentis. C. *Aſaph* vero ſynagoga interpretatur, qui ex typo ſynagogæ per totum loquitur Pſalmum. *Defecerunt vero laudes David*, id eſt, defecerunt immolationes pecudum & immolationem nunc corporis & ſanguinis Chriſti, ſancta peragit Eccleſia. — Aſaph. Defecerunt laudes David.

G

1 † QVam bonus Iſraël Deus. † *Attamen.*

His qui ¶ recto ſunt corde.

¶ *Mundo.*

C. *Bonus* enim *Deus*, *his qui recto ſunt corde*, id eſt, qui opera eius ſtudio pietatis intelligunt. H. Et eum viſuri ſunt, ſicut ait Dominus, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* — Matt. 5.

2 Mei autem pene † moti ſunt pedes;

† *Vacillaverunt.*

Penè effuſi ſunt greſſus mei.

C. *Pes*, ſignificat arbitrium mentis: hunc dicit *pene fuiſſe commotum*, quando à vero intellectu eius animus diſcrepabat. *Greſſus* ſignificat actus humanos, qui *prope effuſi ſunt*, cum à vera cogitatione diſcrepare cœperunt. — Pedes. Greſſus.

H

3 Quia ¶ zelavi ſuper iniquos? ¶ *Æmulatus ſum contra iniquos.*

Pacem † peccatorum videns. † *Impiorum.*

C. Secuta eſt cauſa, cur greſſus eius viderentur effundi, quia peccatoribus incongruum zelum adhibuit, ut eos putaret felices, quos certum eſt æternâ damnatione puniri. *Pacem*, inquit, *peccatorum*, quæ putatur, ſed revera non eſt pax. Nam cum peccatores videntur locupletes, & nihil eſſe in mundo quod timeant, putantur habere pacem, ſed pax iſta cum conſcientia ſemper litigat, & intrinſecus rixatur, ſecúmque decertat. — Pax peccatorum non eſt vera pax.

4 ¶ Quia non eſt reſpectus morti eorum:

Et firmamentum in plaga eorum ¶ *Quod non te cogitaverunt de morte ſua, & firma ſint veſtibula eorum.*

C. Adhuc

A

C. Adhuc dicit de proſperitatibus impiorum, quia *non eſt reſpectus morti*, id eſt, quia mortem ſuam non prævident: ad emendandum ſe non convertunt. *Et firmamentum* ſubaudiendum, *non eſt*, quia ſi contigit eos præſtringi aliquâ adverſitate: non in eis videtur diutina permanere triſtitia, & ideò non ſtatim ad medicum verum recurrunt.

5 In labore hominum non ſunt:
Et cum hominibus non flagellabuntur.

In labore hominum non ſunt.

C. *Homines*, hic ſanctos viros intelligamus, qui & labores in hoc ſæculo ſuſtinent, & diverſa flagella patiuntur, ut correcti ad Dominum redeant: hoc peccatoribus non provenit, quod ad ſalutem datur devotis, quia in hoc mundo congruas non recipiunt ultiones.

B

6 Ideò † tenuit eos ſuperbia:
Operti ſunt iniquitate & impietate ſuâ.
† *Nutriti ſunt ad ſuperbiam, circumdederunt iniquitatem ſibi.*

C. *Tenuit* autem dixit, id eſt, quaſi quibuſdam apprehendit manibus *eos ſuperbia*, ut evadere nequeant. Dicit quoque ſecundum aliam tranſlationem, *ſuperbia eorum*: quia revera diaboli eſt, hoc facinus perpetrare. *Operti ſunt iniquitate.* Non dixit amicti ſunt, ſed operti, ut eos intelligamus totos eſſe demerſos. Addidit *impietate*, quæ malorum omnium probatur extrema, iniquitas enim mediocris eſſe poteſt.

Operti iniquitate.

7 ¶ Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum:
Tranſierunt in affectum cordis. ¶ *Proceſſerunt à pinguedine oculi eorum, tranſierunt cogitationes cordis.*

C

C. *Ex adipe procedit iniquitas*, quando hi, qui affluentia præſentis ſæculi præſtante Deo repleti ſunt, in divina detractione peccant. Pingue enim eſt peccatum, quod magis arbitrio quam neceſſitate committitur. Peccatores *tranſierunt in affectum cordis*, id eſt, erraverunt, quando inſenſatis idolis ſerviebant. H. Vel in affectum, id eſt, concupiſcentiam, ut ſuam non Dei facerent voluntatem.

8 † Cogitaverunt & locuti ſunt nequitiam:
Iniquitatem in excelſo locuti ſunt.
† *Irriſerunt & locuti ſunt in malitia, calumniam de excelſo loquentes.*

D

C. Duplex malum eſt, nequitiam cogitare, eámque tanquam bonum aliquod palam proferre. *Iniquitatem in excelſo locuti ſunt*, hoc eſt; quod mens perfida parturiebat, ut contra autorem ſuum blaſphema verba loqueretur.

9 Poſuerunt in cœlum os ſuum:
Et lingua eorum ¶ tranſivit in terra.
¶ *Deambulavit.*

Ponere in cœlū os ſuum.

C. *Ponit in cœlum os ſuum*, qui Iovem, Mercurium cæteráque portenta, Deo putat eſſe ſimilia. *Et lingua eorum tranſivit in terra*, qui ultra quam decet loquuntur, & dum ſunt ipſi fragiles, tenere ſe immortales æſtimant dignitates: vel qui Deum peccata non punire putant. H. Aut qui per ſuperbiam ſcientiæ locuti ſunt contra habitatorem cœli, illi poſuerunt in cœlum os ſuum, ſed humiliatum eſt iniquum eloquium eorum uſque in terram, & pertranſiit, quia firmam ſtationem non habuit.

E

10 Ideò convertetur populus ¶ meus hîc:
Et dies pleni invenientur in eis. ¶ *Et ut huc & quis plenus invenitur in eis.*

C. Congruum eſt illos populos hic advertere, qui aliquando in accepta Dei lege manſerunt, ſed per varia deſideria diſperſi, iterum vero correcti, ad Dei præcepta redierunt. *Dies pleni* ſunt, quando Chriſtus Dominus in plenitudine temporis advenire dignatus eſt. H. Vel de quibuſlibet bonis loquitur, qui viſis his quæ dicta ſunt, plus ad Deum convertuntur.

Dies Pleni.

11 Et dixerunt, quomodo ſcit Deus?
Et ſi eſt ſcientia in excelſo?

H. Ignorant enim peccatores, Deum omnia poſſe cognoſcere, neſcientes miſeri, quia nihil ab eius oculis abſconditur.

F

12 Ecce † ipſi peccatores & abundantes in ſæculo: † *Iſti impij.*
¶ Obtinuerunt divitias. ¶ *Multiplicarunt.*

H. *Ecce ipſi peccatores, abundantes divitiis ſæculi*, perdiderunt dona Paradiſi. C. Putabant inſipientes Deum neſcire quod agebant mali, ex eo quia peccatores *divitias poſſidebant*, & iuſti non: quaſi iuſtis & fidelibus talia ſit pollicitus, & non magis pauperes in mundo eſſe voluerit, quibus cœlorum regna promiſit.

Quomodo ſcit Deus.

13 ÷ Et dixi ⁘ † ergo ſine cauſa iuſtificavi cor meum: † *Ergo ne fruſtra mundavi cor meum?*
Et lavi † inter innocentes manus meas.
† *In innocentia.*

G

C. Vox animæ fluctuantis & anxiæ de próſperitate peccatorum, & affluentiâ eorum. *Iuſtificatio cordis*: cogitationes mundæ. *Ablutio manuum*: opera rectitudinis. Cauſa autem à caſu dicta eſt, quod ſæpe bona ſit, ſæpè mala: quod genus cauſæ anceps dicitur, quoniam dubius eſt animus quid ſequatur.

Cauſa anceps.

14 Et fui flagellatus totâ die:
Et ¶ caſtigatio mea in matutinis. ¶ *Increpatio.*

C. Anima æſtuans, adhuc de tribulatione ſua loquitur, quam in præſenti ſæculo, velut *totâ die* ſuſtinuit, quaſi irritè ſuſtinuerit: dum divitias ſæculi (propter bona opera & tribulationes) non obtinuerit.

15 ¶ Si dicebam narrabo ſic: ¶ *Dixi, ſi narravero ſic.*
Ecce † nationem † *Generationem.* filiorum tuorum ¶ reprobavi. ¶ *Reliqui.*

H

H. Senſus iſte eſt, ac ſi dicat anima: dum me accuſo in orationibus matutinis, ſi voluero taliter dicere, & ſic Dei occulta rimari, incipio à filiis tuis alienus fieri, qui per meam prædicationem tui filij facti ſunt. A. Vel reprobavi nationem filiorum tuorum, id eſt, omnium patriarcharum, prophetarum & ſanctorum, qui dixerunt & ſcripſerunt te humana curare & iuſtum eſſe in præmiis.

16 Et † exiſtimabam ut cognoſcerem hoc:
Labor eſt ante me. † *Cogitavi, ut intelligerem iſtud, labor eſt in oculis meis.*

H. Hie

A Rom.8. H. Hic propheta loquitur: *existimabam.* id est, perscrutatus sum cuncta & quamvis laboriosè, existimavi tamen cum apostolo, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. C. Vel prius *existimavi me intelligere*, cum stultè cogitarem, sed nunc illuminatus video esse laborem magnum scrutari, cur Deus ista permittat.

17 Donec ¶ intrem in sanctuarium Dei:
¶ *Veniam ad sanctuaria Dei.*
⁝ Et ∴ intelligam in † novissimis eorum. † *Novissimo.*

Sanctuarium Dei: lex. C. *Sanctuarium Dei:* est lex, quod contuetur, ut intelligeret novissima peccatorum: quoniam in futuro Iudicio felicitas humana damnabitur, quæ hic ad tempus florere monstratur. Ex istis novissimis quæstio soluta est: cur malos florere hic Deus permittat, B & iustos vexari in paucis, in novissimo vero optimè disponi præmio.

18 Veruntamen ¶ propter dolos posuisti eis:
¶ *In lubrico posuisti eos.*
Deiecisti eos † dum allevarentur. † *Ad interitum.*

Rom.1. A. *Veruntamen propter dolos*, hoc est quia dolum faciunt, dolum patiantur, ut decepti, terrena eligant & relinquant æterna. Quòd contingit cum traduntur reprobi in desideria cordis, ut faciant quæ non conveniunt C. Quorum elevatio, deiectio est: quo enim celsiùs ruinosa conscendunt: eo ipso periculosiùs ruunt, sic enim efferri, iam cadere est.

19 Quomodo ¶ facti sunt in desolationem?
C subitò defecerunt: ¶ *Vastati sunt subito.*
† Perierunt propter iniquitatem suam.
† *Consumpti sunt quasi non sint.*

Subitò defecerunt. C. *Quomodo:* admirabilis est vox, ut subito desolatus appareat, qui tanta felicitate pollebat. Exponit etiam modum desolationis, quia *subitò defecerunt:* quòd significat repentinæ mortis adventum. *Perierunt:* quia mali sic in hoc sæculo deficiunt, ut iterum perpetuâ clade moriantur.

10 ¶ Velut somnium surgentium: ¶ *Quasi somnium evigilantis.*
Domine in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

Velut somnū surgētiū. C. Pulchrâ comparatione talem dicit esse felicitatem malorum quale *somnium evigilantium.* Sic enim iam mortui divitias possidere non possunt, sicut evigi-D lantes sua gaudia perdiderunt. Periit quoque imago peccatorum, quando se eis ipsa veritas alienata subtraxerit in cælesti Hierusalem: ibi enim eorum effigies non videbitur, qui in gehennæ sequestrationem mittendi sunt.

21 Quia inflammatum est cor meum,
† *Contractum.* & ¶ renes mei cōmutati sunt: ¶ *Lumbi mei velut ignis fumigans.*
Et ego † ad nihilum redactus sum & nescivi. † *Insipiens & nesciens.*

Renes commutati. H. Christus Dominus nunc loquitur, *quia inflammatum*, &c. Inflammatum est enim cor Christi, ut faciat voluntatem patris. *Renes commutati sunt*, ne mihi prævaleret ulla inquinatio cogitationis humanæ. *Humiliatum* quoque se dicit, ut monstraret se esse verum hominem. *Ignorasse* verò se dicit, quia peccatores & peccata ignorat, quia nulla ignoratione fallitur. C. Vel loquitur idem Zelator qui doluit super temporali abundantia malorum, ponens causam cur imago eorum ad nihil redigatur: quia inflammatum est cor meum noxiâ invidentiâ per eos, id est, ipsi bonos faciunt peccare, ut quandóque dubitent de divina providentia, & renes, id est, mentis constantia bonorum, movetur ad quærendum temporalia pro suis laboribus, quibus debentur æterna, & ita ad nihil, id est, ad peccatum redactus sum, &c. E

22 ¶ Vt iumentum factus sum apud te:
Quasi.
Et † ego semper tecum. † *Eram.*

H. *Vt iumentum factus sum*, dicit Christus, portans in carne peccata populi: *& ego semper tecum*, ut est illud, *ego in te & tu in me.* C. Vel ille loquitur cuius pene moti sunt pedes. Qui inter iumentum se dicit, quoniam carnalis æmulatio eum, quasi animal irrationabile, insidebat super prosperitate malorum: & tamen adhuc tecum sum in fide, licet peccator. Vt iumentum factus Christus F

23 † Tenuisti manum † *Et tenebas.* dexteram meam, ⁝ & ∴ in ¶ voluntate tua deduxisti me:
Et cum gloria suscepisti me. ¶ *Consilium tuum deduces me, & postea in gloria suscipies me.*

H. *Tenuit dexteram* pater filio, eo descendente in infernum, quia sinistra diaboli adversabatur ei in terris. *Deduxit in voluntate* resurgentem, *suscepit in gloria* ad cœlos redeuntem. C. Vel per manum dexteram remissio peccatorum accipitur & fidei virtus & cœlestium desiderium: & gratuita voluntate non meis meritis deduxisti me, & naturam meam incarnatione tuâ gloriosè suscepisti ad dexteram patris. G

14 Quid enim mihi est in cœlo:
Et ¶ à te quid volui super terram? ¶ *Tecum volui in terra.*

H. *Quid enim mihi est*, id est, ad comparationem cœlestis gratiæ, quam electis tuis præparasti, quam vilia & caduca sunt, quæ *à te voluit* humana mens *super terram*? Aliter: neque in cœlo, neque in terra, Phil.2. alium præter te quæsivi: à te impleta est voluntas mea, ut mihi flectant omnia genua cœlestium, terrestrium & infernorum.

25 † Defecit caro mea & cor meum:
† *Consumpta est.*
¶ Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. ¶ *Robur.*

H. Vox Ecclesiæ. C. *Defecit*, cor utique à mala cogitatione. *Deus cordis*, bonum intellectum significat, H cum se errasse sentiebat. Illius hominis *pars Deus* est, qui se maiestati ipsius credulitate consociat: *In æternum* se ipsi adhærere promisit, quod est perfectorum.

26 Quia ecce qui elongant se à te peribunt:
Perdidisti omnem qui fornicatur abs te.

C. Ipsi enim *se elongaverunt* ab eo, qui idolis serviebant. *Fornicari à Deo est*, quando adulterinis cogitationibus ab eius casto amore deviamus: & quicquid Fornicari à Deo. contra catholicam fidem creditur, pollutis sensibus fornicatur.

27 Mihi autem † adhærere Deo bonum est:
† *Appropinquare.*
¶ Ponere in Domino Deo spem meam.
¶ *Posui.*

A

C.∫ Is enim divinitati *adhæret*, qui se illi verâ fide atque operum probitate coniungit, & *ponit spem suam* semper in Deo: quia nihil potest esse beatius, quam illi omnia committere, qui novit suis cultoribus profutura præstare.

18 Vt † annuntiem omnes prædicationes tuas: † *Narrem omnes annuntiationes tuas.*
// In portis filiæ Sinn ∴.

In portis filiæ Siō.

C. *Sion*: speculatio interpretatur. Istius ergo contemplationis *filiam*, catholicam constat esse Ecclesiam, ubi revera laudes Domini reddit, qui purâ mente crediderit. *In portis*: ipsum ingressum Christianitatis dicit, quando ad fidem veram populus novæ regenerationis adducitur.

B

Oratio ex Psal. LXXII.

FAc nos Domine tibi iugiter adhærere, in te totam virtutem spei nostræ defigere: ut mereamur laudes tuas in portis æternalibus nuntiare. Per Dominum, &c.

Argumentum Psal. LXXIII.

C. *Synagoga deplorat, cur sui traditi fuerint gentibus.*

TT. ∫ Intellectus Asaph. § *Eruditio.*

Intellectus Asaph.

C. *Intellectus* significat speculationem divinam, quam Psalmus iste denuntiat. *Asaph* interpretatur congregatio, quæ nunc vocatur Ecclesia.

1 VT quid Deus repulisti in finem: † Iratus est † *Fumabit*. furor tuus ∫ super oves pascuæ tuæ. § *In gregem.*

C

C. Israëlitarum populus per totum loquitur Psalmum, qui quærebat territus, cur sanctuarium Domini passurum esset nefandissimam vastitatem. *Repulisti*, id est, abiecisti, quasi alienos à tua defensione fecisti. *In finem*: captivitatem significat, quæ fuerat sub tempore Vespasiani & Titi. *Oves* dicit populum Iudæorum.

2 Memor esto cnngregatinnis tuæ:
Quam pnssedisti ab initio.

C. *Congregatio* Iudæorum vehementer prævaluit, cum eos sub Ægypti populo crescere faciebat. *Ab initio* dicit fidei scilicet culturæ traditæ, quam per Moysen accepit populus Hebræus.

3 † Redemisti virgam hæreditatis tuæ: † *Et redimisti.*
∫ Mons Sion in quo habitasti // in eo ∴. § *Montem.*

D

Mons Sion.

C. *Hæreditas* Dei fuit populus Iudæorum, quamdiu ei puro animo serviebat: hanc hæreditatem appellavit & *virgam*, propter Moysen famulum eius qui per virgam pro populo magnalia fecit. Per *montem Sion*, Hierosolymam significat civitatem, in qua Israeliticus populus habitabat.

4 † Leva manus tuas in superbias carum in finem:
Quanta malignatus est inimicus in sancto. † *Sublimitas pedum tuorum dissipata est usque ad finem: omnia mala egit inimicus in sanctuario.*

C. *Elevata* est ergo in ipsis populis *potentia* Dei, quando superbiam eorum gratia humilitatis commutavit: perducens eos *in finem*, id est, in Dominum salvatorem. *Inimicus*: significat populum Romanorum, qui in illo tempore insignis Idolorum cultor habebatur, qui *malignatus est in locis sanctis* Hierusalem, quando sacerdotes totáque ministeria templi in prædam ire ssa patuerunt, cunctáque gens Iudæorum, aut gladio subiacuit, aut captivitati subiugata fuit.

E

5 § Et gloriati sunt qui oderunt te:
Io medio solemnitatis tuæ. § *Fremuerunt hostes tui in medio pacti tui.*

H. *Gloriantur* peccatores, cum instinctu diaboli ex Dei odio, sanctos martyres pœnis affligunt. C. Vel gloriati sunt Romani, dum etiam in templo Dei in Hierusalem sacrilegium committerent.

F

6 Pnsuerunt signa sua † signa, & non cognnverunt:
Sicut in exitu super summum. † *In tropheum: Manifesta in introitu desuper.*

Signa Romanorum.

C. *Posuit* Romanus exercitus *signa*, scilicet aquilas, dracones, cæteráque quibus de prælio uti solebat. Addit *signa*, ut ipsa repetitio commoveret iudicem ad vindictam celerem. *Et non cognoverunt*, quod si cognovissent, tibi utique sacrificarent, & non elegissent ad dæmonum redire culturas. Et signa sua *super summum*, in tuo templo sancto posuisse memorantur, quemadmodum solent principum statuæ in plateis per loca edita collocari, ut memoria viantium instruatur visis talibus.

7 † // Quasi ∴ in sylva lignorum securibus exciderunt ianuas eius in idipsum:
In securi & asciâ deiecerunt // eam ∴ † *In saltu lignorum secures. Et nunc sculpturas eius pariter, bipenne & dolatoriis deraserunt.*

G

C. *Ianua* enim à Iano dicta est, quod per ipsam anni (ut putabant idololatræ) præberetur ingressus. Ergo ut civitatem illam, in modum sylvarum ostenderet funditus esse vastatam per hæc instrumenta fabrilia dicit esse deiectam. *Eius* vero: templi intellige.

8 † Incenderunt igni sanctuarium tuum: † *Miserunt ignem in sanctuarium tuum.*
In terra † polluerunt tabernaculum nominis tui. † *Contaminaverunt.*

H

Sanctuarium.

C. Crescit dolor ubi calamitas eversionis augetur. *Sanctuarium* illud, templum fuit, quod Salomon mirabili ædificatione construxit. Istud enim templum, quod visitabat virtus cœlestis manus *posuit* vastatoris, & usque *ad terram* culmina deduxit: quæ ad laudem Domini probabantur esse constructa. Crescit autem hic atrocitas facti in narratione Prophetæ, ut tam immaniter excidentibus & vastantibus debeat ab omnipotenti iudice obviari.

9 Dixerunt in corde suo † cngnatio eorum simul: † *Posteri eorum.*
† Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra. † *Incenderunt omnes solemnitates Dei in terra.*

C. Hic verba referuntur irascentium Iudæorum: quoniam viderunt sanctam civitatem, & Dei sanctuaria diruta, furiosè & insipienter *dixerunt*, abiiciamus legem Dei, & ne pauci viderentur esse, dixit *cognatio eorum simul*. Et mala superius enumerata potuissent

A Domini misericordiam commovere, nisi adhuc in Iudæis fuisset obstinata superbia. Ideò & impœnitenti cordi meritò non fuit calamitas abstracta, quoniam à blasphemiis eorum animus non recessit etiam in pœnis.

10 Signa nostra non vidimus, iam non est Propheta:
Et † nos non cognoscet amplius. † *Non est nobiscum qui sciat usquequo.*

C. Adhuc ista verba sunt desperantium Iudæorum, dicentium, *signa* quæ patribus eorum fuerunt collata, semetipsos *non vidisse* in illis calamitatibus, ac prophetas quibus instruerentur non habuisse, & ideò se à Deo fuisse derelictos.

B 11 Vsquequo Deus improperabit † inimicus: † *Adversarius.*
† Irritat adversarius nomen tuum in finem? † *Blasphemabit inimicus.*

Duplex afflictio implicita.

H. Facta sunt hæc, quæ iam narrata sunt secundum historiam, cum Nabuchodonosor abduxit Iudæos in Babylonem, vel cum Titus & Vespasianus succensa civitate multos peremerunt. C. *Irritat*: à canibus tractum est, quorum latratibus, r, litera plurimum sonat. De Iudæis itaque ex impatientia contra Dominum loquentibus quærit, *quandiu ita eos improperare sinis*? quandiu inimicum & adversarium illum tibi populum non convertis ad confessionem veram laudis tuæ? *In finem* scilicet mundi, quando gens illa convertetur.

C 12 † Vt quid avertis manum tuam, & dexteram tuam: † *Quare convertis.*
De medio sinu tuo ¶ in finem? ¶ *Consumens.*

Avertere manum. Sinus Dei.

Spiritualiter hic Ecclesia Deum patrem deprecatur de unigenito filio, qui *in sinu* patris est, qui & *dextera* appellatur, & *manus*: ne tardet eum transmittere in terris. H. C. Tunc autem *avertere manum* dicitur: cum nos peccare sinit. C. Tunc vero convertit manum: cum peccata hic corrigit. H. Sinus autem Dei: sanctuarium eius est, templum eius, vel eius custodia. C. Vel ad literam, cur à sinu, id est, Iudæis avertis manum, id est, Christum, usque ad finem sæculi? quando iterum ad sinum tuum convertis manum, id est, Iudæos convertes ad Christum.

13 Deus autem rex † noster ante sæcula:
† *Meus ab initio.*
D ¶ Operatus est salutem in medio terræ. ¶ *Operatur salutes.*

In medio terræ.

C. *Sæcula* autem dicta sunt, quod in se revoluant tempora. Ne crederet quis temporalem Dominum, ideò dicit eum esse *regem ante sæcula*. *In medio terra*, id est, hominum qui terræ nomine significantur, cunctis scilicet cernentibus populis operatus est salutem humani generis. H. Vel in Iudæa quæ medium terræ dicitur.

14 Tu † confirmasti in virtute tua mare:
† *Dissipasti in fortitudine.*
¶ Contribulasti capita draconum in aquis. ¶ *Contrivisti.*

C. Confirmasti mare.

C. Ostendit nunc eundem salvatorem esse eum, qui quondam fecit mirabilia. *Confirmavit* enim liquidas rubri *maris* abyssos, quando in duobus lateribus ita est defixum, ut mare navigerum iter faceret esse terrenum *Capita draconum*: superbia dæmoniorum, quæ perducentur ad nihilum, quando animas quas illi inquinabant, fons salutaris emundat baptismi. In hoc enim versu mysterium tam dicti miraculi exponit: significabat enim transitus maris rubri baptismum & de diabolo victoriam, unde *in aquis*, scilicet, baptismi intellige. E

Aquæ baptismi.

15 Tu confregisti capita † draconis: † *Leviathan.*
Dedisti eum escam ¶ populis Æthiopum. ¶ *Populo.*

C. *Confractum est caput draconis*, id est, sathan, quando superbia eius de cœlo deiecta est, & quando vitia in baptismo sunt extincta. *Æthiopes*: peccatores advertimus, qui ad Dominum conversi, escam cœperunt habere diabolum, quia à Christianis detractionum morsibus comeditur. H. Sive ut ab his comminueretur per signum crucis, quos prius devoraverat in suasionibus vanis. F

Esca Æthiopū.

16 Tu dirupisti † fontes & torrentes:
Tu siccasti fluvios Ethan. † *Fontem & torrentem, exsiccasti flumina fortia.*

C. *Fontes* dixit peccatores, quorum mala iugiter influunt: *torrentes*, qui subitò suscitati, rapidè peccando irruunt in bonos: hos *disrupit* Deus cum à famulatione diaboli divisit. *Ethan* fortis interpretatur, & significat diabolum: cuius *flumina*, id est, eius doctrinam *exsiccavit* Deus, & ad nihilum redegit.

Ethan.

17 Tuus est dies, & tua est nox:
Tu † fabricatus es auroram & solem. G
† *Ordinasti luminaria & solem.*

H. *Tuus est dies*, id est, claritas evangelij: *& nox*, id est, obscuritas legis, quia te utraque pronuntiant. *Auroram*, id est, illum hominem, per quem sedentes in tenebris lucem viderunt. *Lunam* vero Ecclesiam dicit, quæ in obscuritatibus sæculi lucet.

Dies Evangelij: Nox legis.

18 Tu † fecisti omnes terminos terræ:
† *Statuisti.*
Æstatem & ¶ ver tu plasmasti ea. ¶ *Hyemem.*

H. *Terminos terra*, apostolos & prophetas dicimus. H. *Ver* significat iustos qui in hoc sæculo bonis operibus florent & per æstatem fructum laboris sui percipiunt, C. Vel ver confessores, qui æquabili devotione & mansuetudine temperati Domino serviunt. Æstas vero eos qui martyrij calore fervent.

Ver iustorū seu confessorum. Æstas martyrū.

19 Memor esto huius, inimicus † improperavit Domino: † *Exprobravit.* H
Et populus insipiens ¶ incitavit nomen tuum. ¶ *Blasphemavit.*

H. *Memor esto* scilicet martyrum qui ab amore nominis tui talia patiuntur. *Inimicus* diabolus. *Populus insipiens*, id est, gentilis vel hæretici, qui *incitant* semper *nomen Domini*. C. Vel inimicus intelligitur Iudæorum populus, qui & insipiens rectè dicitur, dum dies festos & legem Dei sui à terra quiescere volebant facere, & talia dicerent quibus Deum incitarent.

Populus insipiēs.

20 Ne tradas bestiis animam † confitentem tibi: † *Eruditam lege tuā.*
¶ Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. ¶ *Vita pauperum tuorum ne obliviscaris in perpetuum.*

C. Supplicat

A C. Supplicat enim vir sanctus, quod sciebat de judæis devotis esse venturum, ut *non tradat animas* fidelium, ne diabolus ad sua vota perveniat. *Bestias* posuit, diabolum cum ministris. *Pauperes* sunt, qui se ad humilitatem sanctissimam hic contulerunt, ut illic divites fiant.

21 Respice † in testamentum tuum:
Quia repleti sunt, qui obscurati sunt, terræ domibus iniquitatum. † *Ad pactum, quia repleta sunt tenebris terra, habitationes iniquæ subrata.*

C. *Respice* dixit, ut digneris implere, quæ cognosceris ante promisisse, *quia repleti sunt* scilicet peccatores, qui ignorantiæ obscuritate dimersi sunt, quoniam lumen sapientiæ perdiderunt. *Repleti sunt* autem *terra domorum iniquitatum*, sive *terra domibus iniquitatum*. A. Id est, terrenis desideriis de domo iniquitatum, id est, conscientiâ iniquâ: domus enim iniquitatum, id est, conscientiæ malæ, obscuræ sunt terrenis desideriis & repletæ malitiâ.

B Domus iniquitatum.

22 ¶ Ne avertatur humilis factus confusus: ¶ *Ne revertatur confractus & confusus.*
Pauper & inops laudabunt nomen tuum.

C. Rogat propheta non debere confundi humiles, qui Deum jugiter laudant: *Pauper Dei* dicitur hic, & dives sæculi nuncupatur: iste est regis æterni, ille temporis fugitivi. Iste Dei pauper & cum videtur silere, Deum laudat: ille dives sæculi superbus, mutus est quamvis psallat.

Pauper Dei. Dives sæculi.

23 11 Ex :· surge Deus judica causam tuam:
Memor esto ¶ improperiorum tuorum eorum quæ ab insipiente sunt totâ die. ¶ *Opprobrij tui ab insipiente tota die.*

C

H. *Exurge Deus, judica causam* pro his improperiis, quæ vel tu sustinuisti pro nobis, vel nunc Ecclesia sustinet. *Memor esto*, ut in judicio confundantur, qui tibi vel tuis semper improperabant. C. Vel Deus judicat causam suam, dum errantes convertens, facit errorem suum cognoscere, & illud prædicare, quod prius abnuebant. Et ad literam: illorum improperiorum supradictorum (. *Iam non est propheta*, &c. quæ ab insipiente populo dicta sunt) memor esto.

24 Ne obliviscaris voces † inimicorum tuorum: † *Hostium tuorum.*
¶ Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. ¶ *Sonitus adversariorum tuorum ascendit iugiter.*

D

C. *Ne obliviscaris*, scilicet in damnatione perpetua, *voces* obstinatorum. C. Vel qui in præsentibus pressuris te invocant, consolentur propter voces persequentium. C. Superbia est enim quam Dominus spiritualiter odit, per quam & angelus corruit, & primi hominis beatitudo discessit. Et hoc congrue de Romanis accipimus, qui superbiâ elati super templum Dei vexilla erigebant & ipsum incenderunt.

Superbia.

Oratio ex Psal. LXXIII.

Creator omnium elementorum Domine, ante sæcula rex æterne, memento gregis tui, quem effusione cruoris proprij redemisti: atque omnium te quærentium voces, propitiatus exaudi. Per Dominum nostrum Iesum, &c.

E

Argumentum Psal. LXXIV.

C. *Vox fidelium Iudæorum, qui Christi mirabilia narrare se profitentur, & de Christi futuro judicio.*

TT. ¶ In finem ne corrumpas Psalmus Asaph cantici. ¶ *Victori, ut non disperdas, &c.*

C. *Asaph* Synagoga interpretatur, id est, congregatio quæ ex judæis credidit, non quæ obstinata permansit. Iste Asaph hic admonet populum judæorum ne fidem suam *corrumpat in finem*, id est, in Christum *Psalmum* vero *cantici* diximus esse, cum res actuales spirituali contemplatione discernimus.

Asaph. F Psalmus cantici.

1 Confitebimur tibi Deus confitebimur:
2 Narrabimus mirabilia tua. † *Iuxta nomen tuum narrabunt mirabilia tua.*
Et † invocabimus nomen tuum.
Cum accepero tempus ego † justitias judicabo. † *Recta.*

C. Erupit populus judaicus in vocem confessionis. Sequitur iterum: *confitebimur*, ista repetitio soliditatem promissionis testatur. Deo enim frequentata confessio, non parturit periculum, sed salutem, quamvis terreno judici vel semel confiteri crimina, plerumque mortem generet. Est autem confiteri, multorum confessione aliquid profiteri.

Frequentata confessio.

. C. Introducta est vox fidelium, qui purâ mente Deo merentur servire. Mutatio personæ deinde est, loquitur enim Deus, *cum accepero tempus* scilicet per id quod factus est homo, *se justitiam iudicaturum*, ut compuncta corda mortalia, ante tempus judicij se precarentur absolvi, ne in futuro duram sententiam judicis sustinerent. H. Nunc non est judex, sed erit. Si enim esset tunc judex, peccatores non erigerentur, & in sæculo non obtinerent divitias.

G

3 † Liquefacta est terra & omnes qui habitant in ea: † *Dissolvetur terra cum omnibus habitatoribus.*
Ego † confirmavi columnas ejus. ¶ *Appendi.* Diapsalma.

C. Dominus dicit, ante adventum suum, terram, id est, genus humanum, ab illa soliditate veritatis, in peccatorum labem resolutum esse, nefandis Idolis serviendo. *Columnas* Apostolos dicit qui confirmati sunt in resurrectione Christi, quoniam in passione ejus nutaverunt.

Columnæ Apostoli. H

4 Dixi † iniquis nolite iniquè agere: † *Inique agentibus.*
Et † delinquentibus nolite exaltare cornu. † *Impiis.*

C. Dixit enim per prophetas & Apostolos monita veritatis, ne scelerati male agerent. *Delinquentes* sunt, qui de propria justitia præsumentes, & exaltantes se in superbia, collum suum submittere jugo Christi contemnunt. Vel *cornu exaltant*, qui se in peccatis excusant: modo diabolum arguentes, modo alium incusantes suasorem.

Delinquentes. Exaltare cornu.

A

5 Nolite extollere in altum cornu vestrum:
!! Nolite :· † loqui adversus Deum iniquitatem. † *Loquentes in cervice veteri.*

Loqui contra Deum iniquitatem.

C. Ille quoque *in altum erigit cornu*, qui contra Deum (conceptâ iniquitate) remurmurat. *Loquitur* autem *contra Deum iniquitatem*, quando aliquis se sic æstimat constitutum à Deo, ut peccata minimè declinare potuisset, dicens. Non culpâ sua, sed necessitate ad aliquod se flagitium pervenisse, quod propriâ voluntate peccavit.

6 Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à ¶ desertis montibus. ¶ *Solitudine montium, sed.*
Quoniam Deus Iudex est.

B

Oriens. Occidẽs.

C. *Neque ab oriente*, &c. addendum Dominus deest, ut te non possis cognoscere. *Orientem* dicit, homines divina charitate conspicuos: *occidentem*, peccatores quibus adhuc lumen veritatis absconditur: *desertos montes*, falsos prædicatores, id est, hæreticos. Ergo cum his omnibus Deus præsens esse & cognitor, & *Iudex* justus monstratur, ne quisquam præsumat facere quod possit in futuro Iudicio damnare.

7 Hunc † humiliat & hunc exaltat: † *Humiliabit & hunc exaltabit.*
Quia calix in manu Domini ¶ vini meri plenus mixto. ¶ *Est vino meraco usque ad plenum mixtum.*

C. *Humiliat* utique superbum, *exaltat* humilem quia ille in se, iste in Deum confidit. H. *Calix* vero retributio est: *plenus vini meri*, id est, veritate, quoniam in die Iudicij unicuique propinabitur quod meretur: *mixtus* est autem misericordia & Iudicio.

C

8 † Et inclinavit ex hoc :: in hoc :· :
Veruntamen fex ejus non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ. † *Et propinabit ex eo, Veruntamen feces eius epotabunt, bibentes omnes impij terra.*

Fex eius.

C. Hic duos populos significat, Iudæorum & gentium: quoniam tulit ex ore non credentium Iudæorum, quod potandum *inclinavit*, conversis populis gentium: feces enim hic non sordes, sed ultimam fidem debemus accipere, quando Iudæi cum aliis peccatoribus credere meruerint: multi vero peccatores in sua obstinatione mansuri sunt.

9 Ego autem annuntiabo in sæculum:
Cantabo Deo Iacob.

D

C. Vox Ecclesiæ de futuro Iudicio in Deum gloriantis. *Cantat Deo Iacob*, dum psalmodiam dicit Ecclesia.

10 Et omnia cornua ¶ peccatorum confringam: ¶ *Impiorum.*
Et exaltabuntur cornua iusti.

Cornua peccatorum.

C. *Cornua peccatorum* sunt regna superborum, & omnis eorum potestas, & iactantia in futuro Iudicio conterenda. *Cornua* vero *iusti*, munera sunt futuri Iudicij, quæ revera firmiter eriguntur: quoniam in æterna pulchritudine permanebunt.

E

Oratio ex Psal. LXXIV.

Pastor bone, qui propter mortalium ovium redemptionem hausisti calicem passionis: nomen tuum supplices invocamus, ut nos super columnas sapientiæ stabiliter septiformis spiritus sanctificatione confirmes. Qui cum patre, &c.

Argumentum Psal. LXXV.

C. Vox Ecclesiæ, hortantis; ut Deo potenti fidelis anima munera offerat.

TT. ¶ In finem in laudibus Psalmus Asaph canticum :: ad Assyrios :· . ¶ *Victori in carminibus, &c.*

F

Assyrij.

C. Nota sunt verba istius tituli, sed de Assyriis dicemus, qui interpretantur dirigentes, qui designant Iudæos fideles, qui iam docti regulas fidei, rectis semitis ambulare contendunt: hos alloquitur Asaph, laudem Dei mirabiliter decantans.

1 † Notus in Iudæa Deus: † *Cognoscitur.*
In Israël magnum nomen eius.

Iudæa. Israël.

C. *Iudæa* enim confitens interpretatur, credens in illum regem, qui per Mariam virginem ex tribu venit Iuda. *Israel*, vir videns Deum interpretatur: & ad illos loquitur, qui vero lumine radiati, à perfidorum iniquitate discreti sunt, *& nomen Domini* puro corde confitentur, & non ad eos qui in perfidia manent, solo nomine Iudæos & Israël.

2 Et ¶ factus est in pace locus eius: ¶ *Erit in Salem tabernaculum eius.*
Et habitatio eius in Sion.

G

In pace locus eius. Sion.

C. Ille enim pacem habere probatur cum Domino, qui sequitur jussa dominantis pax enim vera est, concordiam habere cum motibus propriis & litigare cum vitiis. Sion speculatio interpretatur, per quam Deus fidelium corde prospicitur. Nam & ipse mons fit Sion qui eum meruerit sincerâ mente conspicere.

3 Ibi † confregit potentias arcuum: † *confringet volatilia arcûs.*
Scutum & gladium & bellum. Diapsal.

C. *Ibi* in illa scilicet pace, ubi Dominus pacis habitare dignatur, istic ista franguntur. *Potentia arcuum*, significat malitiam superborum. *Scutum* hic significat concertationes diabolicâ fraude præsumptas. *Gladius*, manifesta vulnera: *Bellum* monstratur esse paci contrarium, hæc omnia fracta erunt, veniente autore pacis.

4 ¶ Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis:
Turbati sunt *!!* omnes :· insipientes corde. ¶ *Lumen tu es magnificè à montibus captivitatis, spoliati sunt superbi corde.*

H

C. *Illuminare* dixit *Dominum per æternos montes*, quia ipse per prophetas atque Apostolos dedit Christianum populum eorum prædicatione illuminari: dicuntur autem illi montes *æterni*, quia perpetuâ & incommutabili sublimitate consistunt. *Turbatos* dicit *insipientes*: quoniam recedentes à vero lumine, tenebrosa mundi desideria secuti sunt, & unde justi sunt illuminati, inde isti sunt turbati.

5 ¶ Dormierunt

A

5 ¶ Dormierunt ſomnum ſuum : *Dormitaverunt ſomnum.*
Et † nihil † *Non* inveneruot omnes viri ¶ divitiarum in manibus ſuis. ¶ *Exercitus manus ſuas.*

C. *Dormierunt* tanquam vigilantes, habentes ſomnium in bonis actibus. Nihilque *in manibus ſuis inveniuntur habuiſſe* in futuro, qui divitias ſuas hic relinquunt, quas erogare pro ſe debuerunt.

6 Ab increpatione tua Deus Iacob:
† Dormitaverunt qui aſceoderuot equus. † *Conſopitus eſt currus & equus.*

C. *Dormitaſſe* dicit incredulos, qui ſancta monita Domini (qui eſt *Deus Iacob*) audire contempſerunt. Ipſi *aſcenderunt equos*, quia in ſuperbia elevati, per illecebras iſtius mundi vagantur, quaſi equis currentibus inſiderent,

B

7 Tu terribilis es & quis ¶ reſiſtet tibi? ¶ *Stabit adverſum te.*
Ex tunc ira tua.

Terribilis in die iudicij. Soph. 1.

C. *Terribilem* dicit eſſe Chriſtum in illo Iudicio, quando in ſede ſuæ majeſtatis apparebit, ubi nemo poteſt reproborum *reſiſtere*, ubi cognoſcunt Dominum omnia ſcelerata damnare. *Ex tunc* dicit, id eſt, tempore Iudicij, quæ etiam dies iræ dicitur: quia nihil ulterius per patientiam diſſimulabitur, quando jam in impios vindicatur.

8 De cœlo ¶ auditum feciſti Iudicium: ¶ *Annuntiabis iudicium.*
Terra † tremuit & quievit. † *Timens tacebit.*

C

De cœlo Deus pater *Iudicium auditum fecit*, quando filium ſuum propter redemptionem humani generis in mundum miſit. *Terra tremuit*, quia peccatores in adventu ejus perterriti, pro peccatis ſuis pœnitentiam egerunt, & de futuro à pravis operibus quieverunt. C. Vel in extremo Iudicio de cœlo Chriſtus veniens auditum fecit, id eſt, faciet Iudicium.

9 Cum † exurgeret io Iudicium Deus: † *Surrexit ad iudicandum.*
Vt ſalvos faceret omnes maoſuetos terræ. Diapſalma.

Exurgere.

C. *Exurgeret* tractum eſt à Iudicibus mundi, qui quando aliquid cum ſeveritate cenſuerint, dicuntur exurgere, quia commoti videntur commiſſa crimina vindicare. *Manſueti terræ* ſunt, qui nullis vitiis iſtius mundi inflammantur.

10 † Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi : † *Quia ira hominis.*
11 Et ∵ † reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. † *reliquiis iræ accingeris.*

D

Reliquiæ cogitationum.

C. *Cogitatio* noſtra *confitetur* Domino, quando peccata præterita ſatisfactione damnaverit. *Reliquiæ cogitationum* ſunt, poſt effuſas lachrymas, præteritorum criminum recordata pernicies & lamentatio : *hæc agit diem feſtum* Deo, quando ſe ab illo interitu peccatorum ſenſit eſſe liberatum.

11 Vovete & reddite Domino Deo veſtro:
Omoes, qui io circuitu ejus ſunt, offerent † munera. † *Dona terribili,*

12 Terribili ¶ & ei qui aufert ſpiritum principum:
Terribili apud reges terræ. ¶ *Auferet ſpiritum ducum, terribili regibus terræ.*

C. Sunt quædam, quæ niſi voveamus, implere nulla lege conſtringimur, ut virginitatem ſervare, heremum petere, quotidie jejunare, ſed cum promiſſa fuerint, jubet eſſe reddenda Deo. In circuitu quippe res agitur, cum munera fidelium ſacris altaribus offeruntur, hoc eſt, circumeundo altare offeruntur.

C. *Terribilis* dicitur Deus, non reprobis, nam ſi Deum metuerent vitam emendarent, ſed devotis eſt terribilis & ſuavis. Qui aufert ſpiritum, ſcilicet ſuperbiæ vel tumoris : utique ab illis regibus, qui corpus ſuum regere ac moderari Dei munere meruerunt, id eſt, illi *vovete & reddite*, qui principum ſpiritum, auferens, ſcilicet ſuperbiæ, dat illis principibus elatis humilem ſpiritum ut deinceps contremiſcant ad ſermones Dei, & ſint verè *reges terræ*, id eſt, corporis ſui & aliorum, vel etiam reprobis terribilis in judicio, quando piis dulcis erit.

Oratio ex Pſal. LXXV.

Cogitationibus te confitentibus effectum largire terribilis Deus ut à montibus æternis illuminati, dum reſurrectionis tuæ gloriam ſuſcipimus, futuri iudicij ignominiâ careamus. Qui cum patre, &c.

Argumentum Pſal. LXXVI.

C. *Pſalmus hic ad fidelium congregationem pertinet, quæ vitia huius ſæculi tranſiliens: ad illum finem pervenit cui nihil poteſt ſimile reperiri.*

TT. ¶ In finem pro Idithum Pſalmus Apſah. ¶ *Victori.*

1 VOce mea ad Dominum † clamavi: † *Exclamavi.*
Voce mea ad ¶ Deum & inteodit mihi. ¶ *Dominum & exaudivit me.*

C. Ille enim tantùm *clamat* ad Deum, qui talia eum petit, qualia ſe fidelibus daturum pollicetur. Nam qui eum pro rebus tranſitoriis rogat, non ad Deum clamare cognoſcitur, quamvis ipſum petere videatur. *Et intendit mihi*, illius quippe intendere, liberare eſt, & tam magna conferre, qualia non prevalet avidus precator expetere.

2 Io die tribulationis meæ Deum exquiſivi † maoibus meis, oocte contra eum:
Et oon ſum deceptus. † *Manus mea nocte extenditur, & non quieſcit.*

H. Iſta ſententia talis eſt, ac ſi diceret : filium perdidi, pauper factus ſum, incenſa eſt domus mea, non quæro illud quod perdidi, ſed Dominum quæro : ſi illum invenio, in ipſo omnia habeo. C. *Manibus*, operibus dicit bonis *Nocte*, mundi huius ſignificat vitam. *Et non ſum Deceptus.* Ille revera non decipitur, cui promiſſa Dei complentur. H. Vel non ſum deceptus ab inſidiis diaboli. Et vide, iſte in tribulatione Deum manibus quærit, nos quando tribulamur, nihil aliud niſi de tribulatione cogitamus & conquerimur.

3 ¶ Reouit cooſolari ¶ *Noluit.* anima mea † memor fui Dei & delectatus ſum † *Recordans Dei conturbabar.*

A ¶ ⁝ Et ⁛ exercitatus sum & defecit spiritus meus. ¶ *Loquebar in memetipso, & deficiebat spiritus meus semper.* Diapsalma.

C. *Consolari noluit* in præsenti de rebus transitoriis & caducis, ut æternam consolationem acciperet in futuro. *Delectatus sum*, Nam cum Dei memores sumus, totius suavitatis munere replemur : quod his evenit, qui transitoriis nolunt consolari. *Exercitatum* se dicit in illa contemplatione divina, cum tractaret quali sapientiâ Deus cuncta disponat. *Defecit spiritus* in ipsa consideratione tali, tam innumerabilia opera Dei, tam ingentia, comprehendere non valens.

4 † Anticipaverunt vigilias oculi mei : Turbatus sum & non sum locutus. † *Prohibebam suspectum oculorum meorum,* B
stupebam & non loquebar.

H. *Anticipaverunt*, id est, antequam aliquis vigilaret, ego vigilabam. Ergo monachus qui non vigilat, hunc versum non potest dicere. *Turbatus sum* quasi homo. *Non sum locutus* ut Christianum decet. Iracundiam in corde habui, sed eam in verbo non protuli. H. Vel turbatus sum : recordatione peccantium pro quibus crucior condolens. Et ideo causam turbationis subjungit.

5 ¶ Cogitavi dies antiquos : ¶ *Recogitabam.*
⁝ Et ⁛ annos † æternos ⁝ in mente habui ⁛ † *Sæculorum.*

Dies antiqui Adæ. Anni æterni in futuro.

C. *Cogitavi dies antiquos*, Adæ videlicet, quibus humanum genus peccatis tenebatur obnoxium. *Et annos æternos*, quia sicut isti dies antiqui, in quibus sumus, momento pereunt, sic futuri dies & anni in cœlo perenni longævitate consistunt. In istis mors dominatur, in illis, vita regnat perpetua. C

6 ¶ Et meditatus sum nocte cum corde meo.
⁝ Et ⁛ exercitabor & scrobebam spiritum meum. ¶ *Recordabor psalmorum meorum in nocte, cum corde meo loquebar, & scrobebam spiritum meum.*

C. *Meditatur* etiam *cum corde suo*, qui animam facit suam aliquid cum ratione tractare. *Exercemur* vero, quando per cogitationes innumeras æstuamus. H. *Scrobebam spiritum*, hoc est fodiebam quasi agrum, ut ibi mitterem semen doctrinæ Dei. Et ita dicit etiam in Epistola ad Sonniam & Fretulam Hieronymus, dicendum esse & scribendum esse scilicet scrobebam, id est, scrutabar & fodiebam, quasi qui in agro herbas quærit.

7 † Nunquid in æternum proiiciet Deus: † *Ergo ne.*
Et non ¶ apponet ut complacitior sit adhuc? ¶ *Repropitiabitur ultra.* D

C. *Nunquid proiiciet* scilicet genus humanum, ut non adventus sui miseratione ipsum adiuvet. Istud *nunquid* non est negantis, sed affirmantis : *apponet* enim, id est, præstabit, ut ei beneplacitum sit humanum genus *Adhuc* expectantis est non dolentis. H. Hæc erat tota cogitatio mea, Deus hominem fecit, & vitam promisit ei æternam : quomodo ergo de paradiso est ejectus, ut non adiiciat, ut ei placeat adhuc.

8 † Aut in finem misericordiam suam abscidet : † *Ergo ne complebit usque in finem misericordiam suam?* E
¶ A generatione in generationem. ¶ *Consummabitur verbum de generatione in generationem.*

C. *Misericordia* Dei est, quod de Maria virgine nasci dignatus est, hanc Dominus non *abscidit* : *a generatione*, Iudaica videlicet, *in generationem* gentium. H. Id est, nec à Iudæis, nec à gentibus abscidit. C. *In finem* vero significat plenitudinem temporis, de quo Ioannes ait. Filioli novissima hora est.

9 † Aut obliviscetur misereri Deus :
Aut continebit in ira sua misericordias suas? † *Nunquid oblitus est misereri Deus, aut complebit in furore misericordiam suam semper.* Diapsalma. F

C. Hinc pronuntiabat misereri Deum, quia ejus prævidebat adventum. Non etiam in ira continebit Deus misericordiam suam, sed in misericordia sua ab ira se potius abstinebit.

10 Et Dixi ¶ nunc cœpi :
Hæc mutatio dexteræ excelsi. ¶ *Imbecillitas mea est: hæc commutatio.*

C. Dicit etiam *nunc cœpi* scilicet sapere vel intelligere : & quid sit illud quod nunc cœpit exponit, quia hoc cœpi intelligere, quod sanctam commutationem dextera Domini, id est, Christus consuevit in nobis operari, ut de conditione sæculi commutati, mereamur ejus filij nuncupari. H. Vel hæc mutatio quod justè perditum piè miseretur.

11 † Memor fui operum Domini
Quia memor ero ab initio mirabilium tuorum. † *recordabor cogitationum domini, reminiscens antiqua mirabilia tua.* G

H. *Memor fui operum* Dei quæ fecerat Moysi : vel aliis sanctis C. *Memor ero ab initio* : quod fecit Adam ad imaginem suam, deinde quod oblationem Abel justi susceperit, & quod in Archa Noë diversi generis animalia, in mysterio Ecclesiæ salvabit, quod typum adventus sui in Isaac oblatione, cœlesti pietate monstravit, & similia quæ ab initio mirabilia fuerunt, in quibus tamen omnibus Dei misericordia homini ostenditur.

12 Et meditabor in † omnibus operibus tuis : † *omni opere tuo.*
Et ¶ in adinventionibus tuis exercebor. ¶ *adinventiones tuas loquar.*

H. Tota mea cogitatio de virtutibus tuis est, *& exercebor*, C. id est, in præceptis tuis salutaribus humili devotione versabor, vel *meditabor in omnibus operibus*, id est scripturis divinis. H

13 Deus in sancto via tua : quis Deus magnus sicut Deus ⁝ noster ⁛ ?
† Tu es Deus qui facis mirabilia.
14 Notam fecisti in populis virtutem tuam redemisti in brachio ⁝ tuo ⁛ populum tuum : † *Tu es Deus faciens mirabilia, ostendens in populis potentiam tuam, redemisti, &c.*
Filios Iacob & Ioseph. ¶ Diapsalma. ¶ *Semper.*

C. *Sanctus* Christus est Dominus, idem ipse est *via*

A

Christus via patris. Mat. 28

qui justè dicitur via patris, quia per ipsum quemadmodum trinitas colitur accipimus. Dicit enim, *ite baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti.* H. Dij dicuntur sancti secundum gratiam, *tu* vero naturaliter *Deus es*, & tu etiam ex natura solus *facis mirabilia* quotidie. Deus facit mirabilia, ut in latrone: heri latro, hodie Christianus. Alius heri fornicator, hodie continens, heri rapiebas aliena, hodie tua porrigis.

1. Cor. 1.

C. *Notam fecisti* scilicet cum in hunc mundum misisti Dominum salvatorem, qui Dei virtus & Dei sapientia est: & notus tantum corpore infidelibus populis, fidelibus autem & divinitate, ut est, *beati mundo corde.* H. C. *Redemit in brachio*, id est, in filio. *filios Iacob*, Iudaicam plebem, & *Ioseph*, gentilem populum, qui et credere puro corde maluerunt. Ioseph enim augmentum interpretatur, Iudæi ergo præcesserunt, & nos adjuncti fidelibus sumus.

Filio Ioseph Gentiles.

B

15 † Viderunt te aquæ Deus, † *Videntes.* viderunt te aquæ & ❡ timuerunt:
Et turbatæ sunt abyssi. ❡ *Parturierunt, & commetu.*

Viderunt te aqua, id est, populi gentium: & credendo *timuerunt, conturbata sunt abyssi.* C. hoc est humana corda tenebrosa quæ istâ salubri turbatione conversa sunt. H. Vel aquæ; mentes & animæ puræ sunt & timuerunt, sed timor non fuit de odio, sed fide.

16 † Multitudo sonitûs aquarum:
Vocem dederunt nubes. † *Excusserunt aquas nubila.*

Nubes prædicatores.

C. *Multitudo* est *sonitûs aquarum*: quando psalmodia dulcis effertur Domino, quando gemitibus & lachrymis culpa diluitur. *Nubes* significat prædicatores qui *vocem dederunt* cum præcepta Dei vulgaverunt per totum mundum, ex qua vulgatione sonitus iste aquarum provenit.

C

17 Etenim sagittæ tuæ ❡ transeunt: ❡ *Discurrebant.*
Vox tonitrui tui in rota.

Sagittæ, Evangelistæ. Vox in rota.

C. *Sagittas* hic Evangelistas dicit, qui prædicationibus suis devotos usque ad cordis intima medicinaliter transfoderunt, non inflicto vulnere, sed salute. Per *rotam*, orbem terrarum dicit, qui in speciem rotæ rotunditate concluditur, ubi vox prædicationis conspergitur. Sed illæ nubes illa tonitrua quid fecerint subditur.

18 † Illuxerunt coruscationes tuæ orbi :: terræ ⁖ : † *Apparuerunt fulgura.*
Commota est & contremuit terra.

Coruscationes.

C. *Illuxerunt coruscationes*, id est, divina præcepta, veritatis lumine radiantia. Commotos & tremefactos illos dicit, qui verbum Dei fideliter audientes, ad emendationis studium Christi munere pervenerunt.

D

19 In mari via tua & semitæ tuæ in aquis multis:
Et vestigia tua non ❡ cognoscentur. ❡ *Sunt agnita.*

In mari via tua. Vestigia.

C. *In mari*, id est, in cogitationibus hominum, quæ velut mare fluctuant: ubi Christus habet vias, quando eos gratiâ suâ sibi subdiderit. *Aqua multa*, conversantium turba gentium, ubi sunt *semita* Dei, dum ad eos venire dignatur: quod dicit *vestigia tua non cognoscentur*: significat præsentiam corporalem quam populus Iudaicus agnoscere noluit.

E

20 Deduxisti † sicut oves populum tuum: † *Quasi gregem.*
In manu Moysi & Aaron.

Deducti sunt enim populi hebræorum *in manu Moysi & Aaron*, id est, operatione, quam diversorum miraculorum novitate faciebant. Et deduxit *sicut oves* & non absolutè, oves, sed sicut oves, qui non credendo facti sunt hædi. *Moyses* interpretatur assumptus. *Aaron* fortitudinis mons, quæ nomina ipsorum virtutes quas fecerant exprimunt. Moyses & Aaron.

Oratio ex Psal. LXXVI.

Mirabilium omnium operator immense, qui quondam aquas in aspectu tuo sistentes, deinceps in vina mutasti: te humiliter imploramus, ut suscepta voce clamoris nostri, misericordiam nobis (quam nunquam oblivisceris) largiaris. Qui cum patre & filio, &c.

F

Argumentum Psal. LXXVII.

C. *Vox propheta ad Iudæos, enumerantis quanta munera Deus eis tribuerit, vel mirabilia ostenderit, qualisque in eis vindicta provenerit.*

TT. ❡ Intellectus Asaph. ❡ *Eruditio.*

C. *Asaph* ut dictum est, hebræa lingua Synagogam, latine collectionem significat: sed quia *intellectum* præmisit, fidelem hic Synagogam loqui posse declaravit.

1 † ATtendite populus meus legem meam: † *Ausculta populus meus.*
Inclinate aurem vestram ❡ in verba oris mei. ❡ *Ad.* G

C. In hoc principio loquitur Deus, qui per Moysen legem dedit hebræis. Attendit autem audita, qui res dictas devotâ mente perspexerit. *Populus meus*: illos dicit qui eius mandatis obediebant. *Inclinare* cognoscitur *aurem* suam, qui toto corde vult audita percipere: unde sicut per hoc quod dixit *attendite*, intellectum jubet apponere, ita per hoc quod dicit, *inclinate aurem*, affectum audiendi præcepit habere. H. Vel ista, & sequentis versus verba sunt Christi.

2 Aperiam in † parabolis os meum: † *Parabolas.*
Loquar ❡ propositiones ab initio. ❡ *Ænigmata antiqua.*

C. *Parabola* enim græco vocabulo dicitur similitudo: quando illud quod intelligi volumus, per aliquas comparationes indicamus. *Propositiones*, obscuras & abditas significat quæstiones, quæ adhibitâ disputatione solvendæ sunt. Quod vero dicit *ab initio*, videlicet veteris testamenti intellige. Parabolæ. Propositiones.

3 † Quanta audivimus & cognovimus :: ea ⁖ : † *Quæ.* H
Et patres nostri narraverunt nobis.

H. *Quanta audivimus*, hoc pertinet ad Apostolos, & *cognovimus* ea à patriarchis & prophetis. C. *Patres* suos: Moysen & alios Prophetas, qui de Domini adventu multa locuti sunt, dicit.

4 Non sunt occultata à filiis eorum:
❡ In generatione altera. ❡ *A generatione sequenti.*

A C. *Non sunt occultata* scilicet à spiritualibus filiis, qui eorum imitatores fuerunt. *Altera generatio*, non hebræorum, sed gentium significat congregationem.

Generatio altera, gentilium est

5 Narrantes laudes Domini & † virtutes eius: † *Potentiam.*
Et mirabilia ejus quæ fecit.

C. Narrare quippe opera Domini laudasse est. Cujos facta dum narrantur, gloria semper augetur. *Virtutes*, liberationes dicit, quas fecit in populo cum eos de Pharaone liberavit: *mirabilia* vero, quod eos in deserto mannâ pavit, & modicâ & levissimâ concertatione gentes potentissimas subjecit.

6 : : Et :· ¶ suscitavit testimonium in Iacob: ¶ *Statuit contestationem.*
Et legem posuit in Israël.

B C. *Suscitatum esse testimonium in Iacob* dicit quando cum Angelo colluctans, tactus, uno fœmore claudicavit: quod significat Israëliticum populum, partim fidei firmitate constare, partim à sua salute discedere. *Posuit legem in Israel*, ut eos devotos esse suo Domino commoneret, hoc est quod superius dicit, aperiam in parabolis & loquar propositiones, quia iste versus figurate loquitur.

Gen 32.

7 † Quanta mandavit patribus nostris: † *Qua.*
¶ Nota facere ea filiis suis: ¶ *Vt docerent filios suos.*
Vt cognoscat generatio † altera. † *Subsequens.*

C. Versus iste significat, per generationes hominum fuisse mandata Dei transmissa, ne quis putaret uni datum quod omnibus est concessum. *Altera* hic generatio, extraneos significat non propinquos, &
C gentes non judæos.

8 Filij ¶ qui nascentur & exurgent: ¶ *Nascituri, surgent.*
Et narrabunt filiis suis.

C. *Filij* Christiani sunt, qui prædicationes sanctas ad animarum salutem conferendam suis posteris tradiderunt.

9 Vt ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur † operum Dei: † *Cogitationum Dei.*
Et mandata ejus ¶ exquirant. ¶ *Custodiant.*

C. Admonet hic, ut posteri spem suam non ponant in legem, quæ punit, sed in gratiam concessam, quæ liberat: *& non obliviscantur operum Dei.* H. Id est,
D contemnant, sicut fecerunt perfidi judæi, sed mandata ejus exquirant ut Christiani.

10 † Ne fiant sicut patres eorum: † *Et non sint.*
Generatio ¶ prava & exasperans. ¶ *Declinans & provocans.*

H. Hic notatur perfidia Iudæorum, qui murmurabant semper in deserto contra Dominum C. *Generatio prava* dicta: quia veritatem recipere noluerunt. H. *Exasperantes*: quia contra Dominum blasphemabant irritantes ad vindictam.

11 Generatio quæ non † direxit cor suum: † *Præparavit.*

E Et non ¶ est creditus cum Deo spiritus eius. ¶ *Credidit Deo spiritus eius.*

H. Vsque hodie perversus est Israël, & non est *directus cum Deo spiritus eius*, & quoniam non recepit filium, propterea non recipit Spiritum Sanctum. C. Ille dirigit cor suum, qui ad divinas se corrigit iussiones. A. Illius vero spiritus *creditus est cum Deo*, qui in Deum credit.

12 Filij † Effrem intendentes & mittentes arcum: † *Effraim.*
¶ Conversi sunt in die belli. ¶ *Terga verterunt.*

C. *Effrem* vel *Effraim* interpretatur frugifer: hic fuit filius Ioseph iunior, quem avus suus primario loco benedixit: eius vero filij paternâ benedictione crescentes, de fructu fidei corruerunt. *Intenderunt arcum*; cum admonente Moyse dixerunt, quæcunque locutus est Deus faciemus. *Conversi* vero *sunt*: quando Aaron dixerunt. *Fac nobis Deos quos adoremus.*

Effrem. Gen. 48. F
Ibid 32.

13 Non custodierunt † testamentum Dei: † *Pactum Dei sui.*
Et in lege eius noluerunt ¶ ambulare. ¶ *Ingredi.*

C. *Non custodierunt testamentum Dei*: ideò conversi sunt in die belli.

14 Et obliti sunt † benefactorum eius: † *Commutationum.*
Et mirabilium eius quæ ostendit eis.

C. *Obliti sunt* Iudæi *beneficiorum Dei* & omnium signorum eius.

15 Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti: G
In ¶ campo Taneos. ¶ *Regione.*

C. Narrat enim facta miracula *coram patribus eorum*, id est, Moyse Aaron & aliis senioribus, ut & manifestis rebus constantiùs credere debuissent: & ideò etiam provinciam dixit & locum, ubi hæc facta sunt. *Campus Taneos*, significat humile mandatum, quod in terris positus Christus docuit dicens, *discite à me, quia mitis sum & humilis.* Matt. 11.

16 † Interrupit mare & perduxit eos:
Et statuit aquas quasi in utre. † *Divisit mare & transduxit eos, & stare fecit aquas quasi acervum.*

C. *Ruptum est mare* quando in geminum latus permansit, ut non tam pelagus quam excisa rupes putaretur. *Perduxit eos* ad promissam scilicet terram; *statuit aquas*, &c. id est, ut sic staret unda immobilis, tanquam fuisset inclusa in vasis. H

17 Et deduxit eos in nube ¶ diei: ¶ *Per diem.*
Et totâ nocte in † illuminatione ignis. † *Lumine.*

C. *Nubes diei*, mystice significat Dominum Christum: quia & ipse est verus dies, tamen perfidis celatus est nube carnis suæ. *Et tota nocte* hic significat Christianos, quos custodit in nocte sæculi, claritate sui luminis.

Nubes diei.

18 ¶ Inter

A

18 ¶ Interrupit petram in eremo : ¶ *Scidit.*
† Et adaquavit eos velut in abysso multa. † *Potum dedit quasi de abyssis magnis.*

Adaquare.

C. Tunc *interrupta est petra in eremo :* quando percussit & fluxerunt aquæ, ideo hoc, ut ostenderet universas creaturas eius iussionibus obedire, prius aquas, hic petram. *Adaquavit* dixit; ut iumenta magis videretur significare, quam homines, qui tantis beneficiis gratias agere noluerunt. *In abysso multa :* copiam largissimæ undæ declaravit, quæ velut de abysso pelagi, ita multa profluxit.

19 Et eduxit † aquam de petra : † *Rivos.*
Et ¶ deduxit tanquam flumina aquas. ¶ *Elicuit.*

B

H C. *Petra* hic significat Christum, in ligno crucis lancea percussum, de cuius latere sacramentum baptismatis profluxit.

20 Et † apposuerunt adhuc peccare ei : † *Addiderunt ultra.*
¶ In ira concitaverunt ¶ *Vt provocarent.* excelsum in † inaquoso. † *Invio.*

C. *Apposuerunt*, id est, adiecerunt, ut inter tanta miracula non crederent. *Peccare* dixit non credere : quod nimis improbum constat esse delictum eis, qui de perceptis bonis gratias non retulerunt. *In ira concitaverunt excelsum*, qui tot miraculis irrigati, perfidiæ suæ sterilitate in eum credere nolebant : ut sic *in inaquoso* vel sicco, non tam locum ubi facta sunt miracula, quam mentem eorum significet.

C

Inaquosum.

21 Et tentaverunt Deum in cordibus suis :
¶ Vt peterent escas animabus suis.
¶ *Petentes cibum animæ suæ.*

Tentare.

C. *Tentaverunt :* tentare enim dicimus aliquid sermonibus dolosis postulare, ut videatur in verbis simplicitas, cum sit in corde malitia. Isti ergo *animabus suis*, non spiritales, sed carnales escas, subdole *poposcerunt.*

22 Et † malè locuti sunt de Deo : † *Loquentes contra Deum, dicebant.*
Dixerunt nunquid poterit Deus † parare mensam in deserto ? † *Ponere mensam in solitudine.*

D

C. Vtique *malè locuti sunt*, quia falsa, non credentes posse *parare mensam in deserto*, qui dat escam omni carni : sed mensa ista significat passionem, in qua reficimur esurientes.

23 † Quoniam percussit petram & fluxerunt aquæ : † *Ecce.*
Et torrentes inundaverunt.

Aquæ Spiritus Sancti.

H. *Aqua*, mysticè significant donum Spiritûs Sancti & fluenta divinæ prædicationis, à petra, hoc est à Christo prolata : vel *aqua*, apostolos, *torrentes* vero, reliquos Ecclesiæ doctores, ex quorum prædicatione sitim verbi Dei restringimus : vel Christo, qui est petra, percusso propter peccata nostra, *fluxerunt* aquæ baptismi & martyrij.

24 Nunquid & panem poterit dare :
Aut † parare mensam populo suo ?
† *Præparare carnem populo suo.*

H. Diffidentia populi Iudæorum addit : *nunquid & panem*, &c. sed & panem cœli qui est Christus posse sibi dari negantes, ita inquiunt, *quomodo potest hic nobis dare suam carnem ad manducandum ?*

25 Ideo audivit Dominus & † distulit : † *Non distulit.*
Et ignis accensus est in Iacob, & ¶ ira ascendit in Israël. ¶ *Furor.*

C. Deus enim cogitationes murmurationum, etiam linguâ tacente, cognoscit : sed & vindictam *distulit* ideo, ne si vindicaret ad præsens, non crederetur potuisse murmurantes satiare. Iterum distulit vindictam, ut ostenderet patientiam. *Et ignis accensus est in Iacob. Iacob*, qui interpretatur supplantator, significat gentes, quæ supplantabant Iudæos, quia illis intrantibus, illi expulsi sunt, in quibus accensus est ignis charitatis. *in Israel* vero, id est, populo Iudæorum *ascendit ira* formidabilis.

26 Quia non crediderunt in Deo :
Nec speraverunt in † salutari eius.
† *Salutari.*

C Dicit enim *non credidisse eos in Deo suo :* ut ostenderet eos pertinaces fuisse. *Nec speraverunt in salutare eius*, id est, in salvatorem Dominum.

27 Et mandavit nubibus desuper :
Et ¶ ianuas cœli aperuit. ¶ *Portas.*

C. Hoc quod sequitur, etsi per historiam videatur factum, oportet tamen ad Christum referri. *Mandatum est igitur nubibus*, id est, prædicatoribus, ut per ianuas cœli, hoc est, scripturas sacras, prædicatio gloriosa adventum Salvatoris nuntiaret.

28 Et pluit † illis Manna † *Super eos.* ¶ ad manducandum :
Et panem cœli dedit eis. ¶ *Vt comederent : & triticum cœli.*

C. *Manna* interpretatur, quid est hoc ? quod sanctæ communioni corporis Christi decenter aptamus : quia dum admirando cibus assumitur iste, declarantur munera dominici corporis Christi. *Panis cœli* Christus est, unde cœlestia escam spiritalem capiunt & delectatione inæstimabili perfruuntur.

29 Panem † angelorum manducavit homo : † *Fortium comedit vir.*
Cibaria misit eis in ¶ abundantiam.
¶ *Saturitatem.*

C. *Panis ergo angelorum* bene dicitur Christus, quia videlicet ipsius laude pascuntur : verum hic panis, in cœlo replet angelos, nos pascit in terris. H. *Cibaria misit*, ut iam non literæ hordeo, sed spiritalis tritici dogmate satientur.

30 † Transtulit Austrum de cœlo : † *Abstulit Eurum.*
Et induxit in ¶ virtute sua Affricum.
¶ *Fortitudine sua.*

C. *Austrum* enim & Affricum ventos scimus esse meridianos : quibus flantibus, pigrum frigus expellitur, & aëris temperamenta præstantur, sic & verba Domini, charitatis igne flagrantia, mundo salutarem præstiterunt temperantiam.

A

31 Et pluit super eos sicut pulverem carnes :

Et sicut arenam maris volatilia pennata.

Pulvis. Arena.

C. *Et pluit super eos carnes*, id est, pabula doctrinæ, unde fidelium animæ satiarentur. *Pulvis* hic significat subtilitatem intelligentiæ : *Arena* vero innumerabilem prudentiam significat salsi maris sapore conditam, Sed *pennata volatilia*, cœlestia, desideria, quibus anima velut carnibus repleta pinguescat. Arenam quoque maris dixit, quæ salsum saporem habet : nam est & fluviorum Arena, quæ hunc saporem non habet. Vide itaque omnia ista, ad literam nota, in parabolis dicta, dum ad Christum referuntur.

32 Et ceciderunt in medio castrorum eorum :

B

† Circa tabernacula eorum. † *In circuitu tabernaculorum eorum.*

Castra.

C. *Castra* enim à castitate dicta sunt, eo quod exercitus bellis occupatus, fœdo luxui non vacaret. Nobis autem significatur, quod intra septa Ecclesiæ omnia superna munera possumus accipere, si expleri bona desideria nostra divino munere postulemus.

33 Et manducaverunt & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis :

¶ Non sunt fraudati à desiderio suo.

34 Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum :

Et ira Dei ascendit soper eos.

C

35 Et occidit pingues eorum : ¶ *Non indiguerunt de cupiditate sua, cum adhuc cibus esset in ore eorum, furor Dei, &c.*

Et electos Israël † impedivit. † *Incurvavit.*

Fraus. Exag. 32.

C. Expleverunt desideria carnis, ratione ieiuni: ventre pleni, sed mente vacuati. Fraus enim dicitur, quasi fracta fides. Satiati sunt ergo ad suam ruinam, non ut inde viverent, sed potius interirent.

C. *Adhuc esca erant in ore* scilicet dum mannâ & coturnicum carnibus vescerentur. Esca autem ab edendo dicta est. Tunc *ira Dei ascendit*, quando Dominus iratus Moysi dixit : graviter peccavit populus iste vitulum conflando & adorando, nam eum colendo, magituri erant in pœna, nam sequitur.

C. *Occidit pingues eorum*, id est, fortes Iudæorum : propter peccatum vituli, quem fecit Aaron, occisi leguntur viginti tria millia eorum unâ die. Sicque factum est, ut electos Israël, pravitas peccantium impediret, ne venirent in terram promissionis scilicet ipsum Moysen & Aaron.

D

36 In omnibus his peccaverunt ¶ adhuc :

¶ *Vltra.*

Et non crediderunt in mirabilibus eius.

Sacerdotibus obediendum.

H. *Peccavit adhuc* ille populus, qui contra famulum Dei Moysen murmurabat : peccant quotidie iniqui, qui sacerdotibus Dei obedire contemnunt : & tamdiu peccant, quousque deficiant, & cum festinatione deficiant.

37 Et † defecerunt in vanitate dies eorum :

† *Consumpsit.*

Et ¶ anni eorum cum festinatione.

¶ *Annos eorum velociter.*

E

Psal. 54.

C. *Dies eorum defecisse* dicit, quasi tabe languidâ consumptos, dies enim peccatorum *cum festinatione* transeunt, sicut legitur, viri sanguinum & dolosi, non dimidiabunt dies suos.

38 Cum occideret eos quærebant eum & † revertebantur : † *Convertebantur.*

Et diluculo ¶ veniebant ad Deum.

¶ *Consurgebant.*

C. Non ipsi inquisierunt Deum, quos dicit occisos, sed exemplo talium populus reliquus supplicavit. Iudaicus itaque populus tunc timuit, & exquisivit Deum, quando suos socios cernebat extingui. *Veniebant diluculo*, H. Flagellati in peccatis revertebantur, & excusso infidelitatis somno, veniebant manè ut audirent verbum Dei.

F

39 Et rememorati sunt quia Deus † adiutor :/ est ⁖ eorum : † *Fortitudo.*

Et Deus excelsus redemptor eorum est.

Num. 16.

C. *Memorati sunt* : quando irascente Domino extrema castrorum divino igne consumpta sunt, quo facto, rogaverunt Moysen ut pro eis Dominum supplicaret. H. Intellexerunt nullum alium posse in tali periculo adiutorium ferre, nisi illum qui eos de servitute Ægypti liberavit.

40 Et ¶ dilexerunt eum in ore suo : ¶ *Lactaverunt.*

Et † linguâ suâ mentiti sunt ei. † *In lingua.*

G

C. Sic illis contingit qui se putant per solum timorem credere. Nam nisi Dominus metuatur, mixto amore; toto corde non quæritur. hoc enim peccatum est maximum, ut se dicat illi confiteri lingua, dum cordis ima dissentiant : quasi ille omnia non cognoscat, quæ aguntur in tenebris, qui scrutator est renum & cordium. H. *Dilexerunt autem ore*, quando dicebant Moysi: *quæcunque præceperis Dominus faciemus.*

41 Cor autem eorum non erat ¶ rectum cum eo : ¶ *Firmum.*

Nec † fideles habiti sunt in testimonio eius. † *Permanserunt in pacto eius.*

Esai. 29. Fideles.

C. Nam & Dominus de ipsis per Esaiam dicit : *populus hic labiis me honorat, cor autem ipsorum longè est à me. Fidelis est in testimonio* Dei, qui eum veraciter diligit : fides autem dicta est ab eo quod fiant dicta.

42 Ipse autem :/ est ⁖ misericors :: & ⁖ ¶ propitius fiet peccatis /: eorum ⁖ :

H

¶ *Propitiabitur iniquitati.*

Et non disperdet /: eos ⁖ .

Exod. 18.

C *Ipse autem est misericors* : dum enim expectat pœnitentiam, non statim punit delinquentem, quoniam peccatoris non vult mortem sed conversionem.

43 † Et abundavit ut averteret iram suam :

† *Multumque avertit iram suam.*

Et non ¶ accendit omnem iram suam.

¶ *Suscitavit totum furorem suum.*

Luc. 23.

C. *Abundavit* : quando oravit pro Iudæis in cruce positus, *pater ignosce illis*: sic istius supplicatione actum est, ut ira Dei in eis placaretur: propitius enim peccatis eorum factus est, cum ad ipsius satisfactionem in cruce, non quidem omnes, sed multi ex his redire meruerunt.

44 † Et

A

44 † Et recordatus est qnia caro sunt : † *Sed.*
Spiritus vadens & non rediens.

Caro.

H. Scit enim Deus, quia caro semper resistit legi Dei. C. Caro autem dicta est, quod chara sit animæ suæ. *Spiritus vadens & non rediens* (subandiendum est) in hoc mundo : quoniam ad suum eum corpus in resurrectione constat esse rediturum, unde mirabili brevitate hic hominis mors temporalis definitur, id est, spiritus vadens & non rediens.

45 Quotiens ¶ exacerbaverunt eum in deserto : ¶ *Provocaverunt.*
† In ira concitaverunt † *Afflixerunt.* eum in ¶ inaquoso. ¶ *Solitudine.*

B

H. Incredulitate utique atque ariditate cordis sui exacerbaverunt in deserto.

46 Et conversi sunt & tentaverunt Deum :
Et sanctum Israël † exacerbaverunt.
† *Concitaverunt.*

Sanctus Israël Moyses est.

H. *Conversi sunt* scilicet retrorsum & acerbabant *sanctum Israel*, id est, Moysen, qui Deum videbat mente & oculis : sed & nunc eum exacerbant, cum audierint quod Christum Dominum in carne nasciturum annuntiat.

47 Non sunt recordati manus eius :
¶ Die qua ¶ *Dies.* tedemit eos † de manu tribulantis. † *A tribulante.*

Recordari.

C. *Recordari* enim dictum est, revocare ad cor. *Manus eius*, id est, beneficiorum Domini H. qui eos liberavit de manu Pharaonis, qui figuraliter diabolum significat.

C

48 ¶ Sicut posuit in Ægypto signa sua : ¶ *Qui fecit.*
Et † prodigia sua † *Ostenta.* in ¶ campo Taneos. ¶ *Regione Thanis.*

Prodigia.

C. *Thaneos* enim civitas est Ægypti, ubi sunt facta prodigia quæ leguntur. Prodigia vero dicta quasi porro dicentia, id est, quæ præfigurabant esse aliqua ventura : omnes enim plagæ illæ aliquid significabant.

49 † Et convertit in sanguinem flumina eorum : † *Qui.*
Et ¶ imbres eorum ne biberent. ¶ *Rivos.*

D

Rana.

C. Hinc prima plaga inchoat Ægyptiorum : nam sicut aqua in vinum conversa legitur, quæ significat permutationem populorum in melius, ita hic conversa in sanguinem, significat populum Iudaicum in deterius permutatum. *Imbrem* dicit cœlestem prædicationem : quam similiter ait in sanguinem versam, ut eos qui spiritualiter intelligere deberent, intelligere carnaliter ostenderet. Quomodo enim spiritaliter intelligerent, qui erant carnalibus sensibus occupati?

50 † Misit in eos eynomiam & comedit eos :
Et ranam & disperdit eos. † *Qui immisit eis omne genus muscarum ut comederent eos : & ranas, ut disperderent eos.*

H. In *cynomia* cynicorum sectam indicavit, quæ libidinem atque luxuriam summum prædicat bonum. C. *Rana* est loquacissima vanitas hæreticorum, quæ commorata cœnosis sensibus, improbis clamoribus garrire non desinit.

E

51 ¶ Et dedit erugioi fructus eorum :
Et labores eorum locustæ. ¶ *Qui dedit bruchο germen eorum, & laborem.*

Locusta.

C. *Erugo*, est amor turpis, honestatem consumens, imminutione occultâ. *Locusta* est malivola detractio, actus alienos invidâ oblocutione corrodens.

52 † Et occidit in grandine vineas eorum: † *Qui.*
Et ¶ moros eorum in pruina. ¶ *Sycomoros eorum in frigore.*

F

Grando. Pruina.

C. *Grando* est comminatio Dei, qua verberat contumaces. *Pruina*, præcurrens anticipánsque malitia, quæ labores alienos pervenire ad fructum non permittit.

53 † Et tradidit † *Qui.* grandini ¶ iumenta eorum :
Et possessionem eorum igni. ¶ *Pascua eorum, & iumenta eorum volucribus.*

H. In *grandine* castigatio divina monstratur. C. Morte pecudum, stultorum significatur occasus. H. Ab hac autem grandine & hæc iumenta occiduntur, ut eorum insipientia arguatur, qui divinum nomen bestiis indiderunt. C. Ignis quoque immittitur, ut illuminentur corda credentium, & vitia depascantur. Sicut ait Dominus. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?*

Luc. 12.

G

54 † Misit † *Qui misit.* in eos iram ¶ indignationis suæ, ¶ *Furoris.* indignationem & † iram & tribulationem :
† *Comminationem & angustiam.*
Immissionem ¶ per angelos malos.
¶ *Angelorum malorum.*

C. Ordo vindictæ verissimâ descriptione narratur. Prius enim Dominus peccatis hominum irascitur, quando nullâ compunctione convertuntur : ac deinde malitiam hominis in sua indignatione & ira & tribulatione derelinquit, & postremo nudati defensione divina in prædam cadunt diaboli. Constat enim cuncta quæ creata sunt, creatoris permissioni aut imperio subiacere. Dicit vero *immissionem illam malorum*, factam *per angelos malos* scilicet indignatione, id est, timore superbiæ, irâ audaciæ, tribulatione desperationis. H. Ut qui divinis plagis non arguebantur, diabolicis insidiis tunderentur.

H

55 † Viam fecit semitæ iræ suæ, † *Munivit semitam furori suo.* non pepercit à morte ¶ animarum eorum : ¶ *Animæ eorum.*
Et † iumenta eorum in morte conclusit. † *Animantia eorum pesti tradidit.*

H. *Viam* habet divina ira, cum in peccati ultionem quis traditus, non liberat animam suam à supplicio gehennæ : vel cum insipientia (quæ iumentis est similis) in morte sempiterna concluditur. C. Cum igitur dicit viam fecisse Dominum, qua possit ad vindictam infidelium pervenire : ostendit non posse ad eos venire vindictam, nisi fuerint Domini defensione privati : per mortem vero animarum, hominum intellige interitum eorum, qui in illa clade occisi sunt.

A

56 Et percussit omne primogenitum in ¶ terra Ægypti:
Primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham. ¶ *Ægypto: Principium partus in tabernaculis Cham.*

H. Sicut hæc gesta in Ægypto referuntur, ita & Dominus principatus & potestates dæmoniorum, sive vitiorum in hoc mundo delevit suo sancto adventu, & triumphavit in ligno sanctæ crucis, & ab eorum corde depulit qui calliditati diabolicæ dediti erant; quia Cham calliditas interpretatur. C. Per *primitias* vero omne primogenitum intellige: primitiæ quippe laborum, ad totum pertinent, quicquid humana possibilitas habere poterat.

Primitiæ.

B

57 Et † abstulit sicut oves populum suum: † *Tulit.*
Et ¶ perduxit eos tanquam gregem in deserto. ¶ *Minavit.*

Christiani sunt velut greges in deserto.

C. Nam cum dixit *oves* & *gregem*, significat populum Christianum, qui in hoc sæculo tanquam in deserto pascitur, si mundanarum rerum desideria non sequatur: quamvis ad literam Iudæos in terram promissionis inductos, oves accipere possis: tamen quia in parabolis se locuturum dixit, Christianum populum his signatum, magis quam signum, intellectu amplecti debes, nam sequitur. *Et eduxit*, &c.

58 Et eduxit eos in † spe & non timuerunt: † *Confidentia & absque timore.*
Et inimicos eorum operuit mare.

C

C. *Educti* enim nos sumus *in spe* à terra Ægypti, id est, à tenebris peccatorum, qui fidei lumen accepimus. *Et inimicos operuit mare:* cum nos abluebamur in baptismo, diabolus mergebatur in abysso cum ministris suis. Sic illis in figura omnia facta sunt, ut ait Apostolus, quæ nostræ salutis indicia nuntiabant.

1 Cor. 10.

59 Et ¶ induxit eos in montem sanctificationis suæ:
Montem quem acquisivit dextera eius. ¶ *Adduxit eos ad terminum sanctificatum suum: montem istum quem possedit dextera eius.*

C. *Mons sanctificationis:* sancta Ecclesia in latitudine fidei sublimata. Sive superna illa cœlestis Hierusalem, in quam populum Dei sua gratiâ salvator introduxit. Ad literam vero mons Sion, circa quem templum fuit ædificatum est mons sanctificationis.

D

60 Et eiecit à facie eorum gentes:
Et † sorte divisit eis ÷ terram ⁚ in funiculo distributionis. † *Possidere eos fecit in funiculo hæreditatem.*

C. *Eiecit à facie* nostra *gentes*, quando à nobis barbarici & immites fugantur errores: *divisit terram*, cum pro sua gratia unicuique beatam dederit portionem regni Dei: *funiculus* autem *distributionis* sic dictus est ab illis, qui terram tenso fune dividebant.

Funiculus distributionis.

61 Et ¶ habitare fecit in tabernaculis eorum: ¶ *Collocavit.*
Tribus Israël.

C. Mystice, tribubus Israel, id est, videntibus Deum, dabit inhabitare tabernacula, quæ ante ruinam superbiæ adhuc innocentes angeli possidebant.

E

62 Et tentaverunt & † exacerbaverunt Deum excelsum: † *Provocaverunt.*
Et testimonia eius non custodierunt.

C. Nunc dicit contumaciam Iudæorum, qui Dominum *tentaverunt*, & monita eius *non custodierunt*: & quid eis irato Domino contigerit, ut talia inobedientes debeant exempla metuere.

63 Et † averterunt se & non servaverunt pactum:
Quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum. † *Aversi sunt, & prævaricati sunt, ut patres eorum: incurvati sunt quasi arcus inutilis.*

F

H. *Averterunt se*, quos nec virtus nec beneficia mollierunt divina, sed sicut patres occiderunt prophetas, ita & isti ipsum Deum persequuntur. C. *Arcus pravus*, est malitia peccatorum, quæ non eminus vulnera iaculatur, sed in se magis spicula directa convertit: quia dolosus dum nititur ingerere plagas, in se convertere potius suas probatur insidias. H. Pravus enim arcus dicitur, qui iacula in tendentem se mittit, & dum contra inimicos sagittam putatur iacere, sauciat tenentem.

Mat. 23. Arcus pravus.

64 † In ira concitaverunt eum in collibus suis: † *Et provocaverunt eum in excelsis suis.*
Et in sculptilibus suis ad ¶ æmulationem ÷ eum ⁚ provocaverunt. ¶ *Æmulandum concitaverunt.*

G

C. *Colles*, superbas & timidas hominum cogitationes significat, quibus semper Dominus invenitur adversus. *Ad æmulationem eum quoque provocabant*, dum suum honorem idolis impendebant. H. Relicto enim Deo servierunt idolis, adorantes etiam in montibus.

65 Audivit Deus & † sprevit: † *Non distulit.*
Et ¶ ad nihilum redegit valde Israël. ¶ *Protexit vehementer.*

H. Illos vero *sprevit*, qui tantum nomine & non visione Israel erant.

H

66 Et † repulit tabernaculum Sylo: † *Reliquit.*
¶ Tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus. ¶ *Tentorium quod collocavit inter homines.*

C. *Sylo* civitas erat, ubi arca Dei fuisse legitur constituta. Sylo avulsio vel dimissio eius interpretatur, & significat sacerdotium Iudæorum à Deo reprobatum.

Sylo.

67 ÷ Et ⁚ tradidit in captivitatem ¶ virtutem eorum:
Et pulchritudinem eorum in manus inimici. ¶ *Gloriam suam, & decorem suum in manu hostis.*

C. *Traditi* sunt Iudæi *in captivitatem*, quando ab allophilis, id est, Philisthæis, captâ arcâ, sunt victi. *Virtutem & pulchritudinem*, dicit arcam testamenti, per quam inter gentes videbantur invicti, & summâ decoris laude esse præcipui.

68 Et

A

68 Et conclusit in gladio populum suum :
Et † hæreditatem suam sprevit. † *In hæreditatem suam non distulit.*

C. Consequens fuit, ut populus gladio corrueret in ruinam, cui Atcæ dignitas fuit ablata. *Sprevit suam hæreditatem*, quando pro scelerum suorum immanitate proiecit populum quem elegerat.

69 Iuvenes ¶ eorum comedit ignis : ¶ *Eius devoravit ignis.*
Et virgines † eorum non sunt lamentatæ. † *Eius nemo luxit.*

B

Lamentari.

C. *Ignem* hic, iram bellantium debemus advertere. *Lamentare*, vacantis est : nam cum omnes imminentia pericula formidarent, nulli licuit alterius funeri iusta persolvere. Lamenta enim dicta sunt, intra lares monumenta, sicut antiquis mos erat sepelire.

70 Sacerdotes † eorum in gladio ceciderunt : † *Eius gladio.*
Et viduæ † eorum non plorabantur.
† *Eius non sunt fleta.*

1. Reg. 4.

C. In ipsa igitur captivitate, filij Heli sacerdotis, ab allophilis leguntur gladio extincti: quorum unius uxor vidua facta, post subitum partum morte præventa est: & ita contigit, ut minimè ploraretur, dum universos, interitus communis occuparet : licet & id aliis multis accidisse non dubitaretur.

C

71 Et ¶ excitatus est tanquam dormiens Dominus : ¶ *Evigilavit quasi.*
† Tanquam potens crapulatus à vino.
† *Quasi fortis post crapulam vini.*

C. *Excitatur* enim *Dominus* ad vindictam, nostris malis actibus provocatus : cuius patientia dormitasse credebatur. Resurgens autem Dominus à mortuis, *tanquam vino* passionis *crapulatus*. Ad literam autem : crapulati & ebrij vino, irasci consueverunt dum excitantur, & fortes se exhibere : ita per similitudinem de Deo dictum est.

72 Et percussit † inimicos suos in posteriora.
† *Hostes suos retrorsum.*
Opprobrium sempiternum dedit illis.

1. Reg. 5.

C. *Percussit* Allophilos *in posteriora*, ut etiam vivi, à soricibus execrabili sorde roderentur : quod opprobrium permanet eis sempiternum. Sic peccatores in posteriora percutit, quando eis sua debita non relinquit : & quasi à soricibus consumuntur, dum eos diaboli cohors inimica vallaverit.

D

73 Et † repulit tabernaculum Ioseph :
† *Proiecit.*
Et tribum Effraim non elegit.

H. C. Hic reprobatio Iudæorum atque hæreticorum, & electio narratur sanctæ Ecclesiæ. C. *Ioseph* interpretatur augmentum, quod hic in contrarium accipiendum est, quia constat esse repudiatum. *Effraim* frugifer seu ubertas.

74 Sed elegit tribum Iuda :
Montem Sion quem dilexit.

C. *Iuda* interpretatur confitens, sive glorificans. Illam tribum merito diligit, quæ & confessione fuit humilis, & conversione laudabilis. H. C. Mons significat sanctam Ecclesiam.

E

75 Et ædificavit ¶ sicut unicornium sanctificium suum :
In terra quam fundavit in sæcula. ¶ *In similitudine monocerotis sanctuarium suum, quasi terram fundavit illud in sæculum.*

H. *Unicornis* singularis potentia dicitur. H. C. Et unicam Christi Ecclesiam quam fundavit in sæcula significat.

76 Et elegit David servum suum, & † sustulit eum de gregibus ovium : † *Tulit.*
† De postfœtantes accepit eum. † *Sequentem fœtas adduxit eum.*

F

David typus Christi.

H. C. *David* (interpretatur manu fortis, sive desiderabilis) Christum significat, ex populo Iudæorum, velut de gregibus ovium, delumptum atque translatum, ad populum pascendum Ecclesiæ. H. Vel qui de grege mortalium electus & sublevatus est. C. *Et accepit eum de postfœtantes*, id est, de loco qui est postfœtantes, id est, fœcundas & fœtosas oves : quia Christus pastor est ovium fœcundatum, spiritualique gratiâ multos filios generantium in sancta fide & Ecclesia : pastor quippe sequitur oves, ideò dicitur *post fœtantes*, non *ante*.

77 † Pascere Iacob servum suum : † *Ut pasceret Iacob populum eius.*
Et Israël hæreditatem suam.

G

Iacob populus Christianus.

C. Possumus per *Iacob* intelligere populum Christianum, qui hic degit in terris. H. Et supplantat desideria. C. *Hæreditatem* vero *Israel* : futuram congregationem, quæ Domini contemplatione pascenda est.

78 † Et † *Qui* pavit eos in † innocentia cordis sui : † *Simplicitate.*
Et in ¶ intellectibus ¶ *Prudentia* manuum suarum † deduxit eos. † *Dux eorum fuit.*

Matt. 4.

C. *Pavit* enim præceptor egregius, quos docere dignatus est : sicut ipse dixit, *non in solo pane vivit homo. Intellectus* vero *manuum*, actualem significat sanctitatem, ad quam fideles suos (prout ipse tribuit) gloriosa imitatione perduxit.

Oratio ex Psal. L X X V I I.

H

Refice nos manna spiritalis alimento, epulentissime largitor omnipotens : ut in sensum manuum tuarum directi, mereamur in monte, tuâ acquisitum dexterâ, gloriari. Per Dominum nostrum, &c.

Argumentum Psal. L X X V I I I.

C. *Vox Iudæorum dicentium, quanta in persecutione Antiochi vel gentium pertulerint, Deique potentiâ supplicantium correctionis voto vindicari.* H. *Quæ tamen persecutio ad animam, quæ sæpè civitas scribitur, referenda est.*

TT. ¶ Psalmus Asaph. ¶ *Canticum.*

C. *Asaph* significat Synagogam, est ergo totus iste Psalmus in lamentatione positus, qui futura tempora velut præterita deplorat. Deplorat verò Antiochi

A Persecutio Antiochi. persecutinnem, tempore Macbabæorum factam, tunc futuram, sed in spiritu prophetico quasi præteritam, propter certitudiuem eventus.

1 DEus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum:
Posuerunt Hierusalem in † pomorum custodiam. † *Acervis lapidum.*

H. Propheta de persecutione gentilium adversus Ecclesiam Dei (quæ est hæreditas eius) sive Hierusalem dicit. *Deus*, &c. C. *Gens* enim dicta est, quod uno sit genere procreata. *Polluerunt*: cum impiæ gentes, in sanctissimis Hierusalem & templi locis, simulachra nefanda posuerunt. H. Sicut enim poma cum maturescere cœperunt, diligentius custodiuntur, maturáque facilius devorantur: ita adversarius conscientem sibi animam custodit, donec ad plenum eam valeat devorare. Est enim Dei hæreditas anima sancta: in cuius figuram, terrenæ Hierusalem captivitatem deplorat propheta. (Gentes.) (B)

2 † Posuerunt morticinia † *Dederunt cadavera.* servorum tuurum ¶ escas volatilibus cœli. ¶ *Escam.*
Carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

Morticinia. C. Dicendo propheta, *posuerunt morticinia*, martyres significat: qui in illa captivitate copiosa persecutione floruerunt, & elegerunt magis mori, quam cibis à Domino vetitis coinquinari. Quia sepelire officium est pietatis, *volatilibus* ac *bestiis* abiicere, magnæ crudelitatis constat exemplum.

C

3 Effuderunt sanguinem eorum tanqnam aquam in circuitu Hierusalem:
Et non erat qui sepeliret.

C. Secundom literam de populo dicit Iudæorum: qui à gentibus non solum intra urbem, verum etiam circa muros civitatis est interemptus: quatenus officium sepulturæ nullus implere valuisset, dum par conditio omnes, tam circa muros, quam in corde civitatis, involveret. H. Hæc quidem ante Christi Adventum in Hierusalem acta sunt: sed passionem infantium figurarunt, ubi & carnes eorum bestiis & volucribus expositæ sunt, id est, persecutoribus, & tanta sanguinis multitudo effusa est, ut vix omnium possent corpuscula sepeliri.

4 Facti sumus opprobrium vicinis nostris:
D Subsannatio & † illusio his qui in circuitu nostro sunt. † *Derisio.*

C. Dicit enim Hebræos fuisse in *opprobrium* & in derisum, qui prius fuerant Domini devotione reverendi. H. Opprobrium etiam fiunt sancti his, qui prius fratres fuerunt: qui meliores factos odij stimulo persequuntur.

5 Vsquequo Domine irasceris in finem:
¶ Accendetur velut ignis zelus tuus?
¶ *Ardebit.*

C. Rogat enim pium iudicem, ne usque in finem irascatur genti iudaicæ: sed ut *incenderetur zelus* illius in eis, sicut in Mathathia: qui zelo paternæ traditionis incensus, quendam Iudæum idolis immolantem supra ipsas aras occidit. (1. Machab. 2.)

E

6 Effunde † iram tuam † *Furorem tuum.* ¶ in gentes quæ te non noverunt: ¶ *Super.*
Et † in regna quæ nomen tuum non invocaverunt. † *Super.*

C. *Effunde iram* super adversarios iudæorum, hoc est, indignationem tuam abundanter emitte, ut sicut illi nos comprimunt, ita tuis viribus opprimantur. Nec vacat quod ante dixit *in gentes*, postea *in regna*: prius enim populis imprecatus est, deinde ipsis regnis, quæ talia fieri imperabant.

7 Quia comederunt Iacob:
Et ¶ locum eius desolaverunt. ¶ *Decorem.*

F

C. Dicendo enim *comederunt*, sævitiam impiæ gentis ostendit. Comederunt vero significat, comedi fecerunt: dum cadavera mortuorum, ferarum morsibus exposuerunt. *Locum desolaverunt*: cum pulcherrimam civitatem, civium suorum habitatione nudaverunt.

8 Ne memineris iniquitatum nostrarnm antiquarum, cito ¶ anticipent nos misericordiæ tuæ: ¶ *Occupent.*
Quia † pauperes facti sumus nimis.
† *Attenuati sumus.*

H. Præveniat nos quæsumus Domine misericordiâ tua, qui est unigenitus tuus: ut veniens propitietur iniquitatibus nostris, & eruat nos à peccatis, *pauperes* enim *facti sumus* in mundo propter illum. C. Confessione itaque delictorum, propitium sibi reddit iudicem: & qui timet iudicium Domini, anticipari se eius misericordiâ rectè desiderat, pauperésque factos dicit nimis: paupertas est enim nobis bonorum, & non habemus quid offerre iustitiæ, si nos incipiat vigor æquitatis inquirere. (Paupertas nostra.) (G)

9 Adiuva nos Deus ¶ salutaris noster. ¶ *Iesus noster.*
Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

C. Benè ergo infirmitatem suam intellexit, qui salvatorem medicum, totis viribus invocavit. Et utiliter subdit, *propter gloriam* Dei, non propter aliquod suum proprium meritum. Ideò enim salvator dicitur, quia in se sperantes salvat, & imminentes pœnas peccatorum, commutat in præmia. (Salvator.)

10 † Ne fortè dicant in gentibus, ubi est Deus eorum. † *Quare dicunt gentes.*
¶ Et: innotescat in nationibus coram oculis nostris. ¶ *Nota fiant in gentibus ante oculos nostros.* H

H. *Gentes* spiritaliter, potestates adversæ sunt, quæ invalescunt adversum nos dicentes: *ubi est Deus* vester? sicut pagani martyribus sæpè dixerunt. C. *Et innotescat*: subaudiendum est vindicta, quam solet dominus de perfidis facere, quando eos cogit prava desideria damnare. Cùm verò dicit *coram oculis*: celeritatem postulat ultionis, ut videat fieri, quod aliquando novit posse concedi.

11 Visio sanguinis servorum tuorum qui effusus est:
† Introeat in conspectu tuo † *Ingrediatur coram te.* gemitus ¶ compeditorum.
¶ *Vinctorum.*

A H. Indiciutu hic invocat, quo sanguis martyrum exquiratur à domino. *Compeditos* Apostolos accipe, qui propter Christum colligati in carcere sunt, & in exilio sunt damnati. C. Vel illos dicit, quos pro nomine domini vinxerat irreligiosa gentilitas. Non antem, amari cordis vindictam, intelligas petitam: sed eam quæ ad conversionem respicit inimici. Est autem vindicatio, per quam jus ab injuria, justâ retributione defenditur.

Act 5. Imprecatio bona. Vindicatio.

12 † Secundum magnitudinem brachij tui: † *In magnitudine brachy.*
¶ Posside filios mortificatorum. ¶ *Relinque filios interitus.*

Filij mortificatorum.

H. *Filij mortificatorum*, spiritualiter sunt fideles populi, per Apostolorum prædicationem in Christo regenerati. C. Vel filij eorum, qui pro ejus religione morte puniti sunt: pro quibus orat propheta, ut parentum virtute proficiant, & ita eos dominus possideat, ne diaboli virtute seducantur.

B

13 Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum:
† Improperium ipsorum quod exprobraverunt tibi domine. † *Opprobrium suum.*

Septuplum.

C. Non contra illos, sed pro illis rogat Ecclesia. Nam afflictio corporum, salutem tribuit animarum. *Septuplum*, perfectionem significat cœlestis doni, quod accipimus, quando spiritûs sancti illuminatione complemur. *Improperium*: ut quia injurias fecerunt, dicant laudes nunc: fuerunt increduli, sint devoti: extiterunt superbi fiant humiles. *In sinu* vero *eorum*: in animas eorum, & animarum secreta intellige: ubi semper fit gloriosa conversio.

C

14 Nos autem populus tuus & ¶ oves pascuæ tuæ: ¶ *Grex.*
Confitebimur tibi in sæculum.

Oves.

H. Propter innocentiam autem, oves vocantur fideles, vel quia Christum pastorem habent. C. Recte vocantur oves, qui ejus gloriam confitentes, in fidei firmitate permanserunt.

15 In generatione & generatione:
† Annuntiabimus laudem tuam. † *Narrabimus laudes tuas. In generatione & generatione.*

H. *In generatione*, id est, in prophetis *& generatione*, hoc est in Evangeliis, semper annuntiabuntur laudes Christi. C. Vel in generatione ista hic Ecclesiæ, & generatione cœlesti in patria, cum omnibus beatis æternaliter laudabimus te.

D

Oratio ex Psal. L X X V I I I.

ANticipa nos domine misericordiâ tuâ, priusquam cœlestis ira deseviat: ut adiuti patrociniis beatorum, quorum propter te sanguis effusus est, propitiationem tuam cum peccatorum venia consequamur. Per dominum nostrum, &c.

Argumentum Psal. L X X I X.

C. Vox propheta de adventu Christi: & de vinea, id est, Ecclesia dilatatione.

TT. ¶ In finem pro his qui commutabuntur testimonium Asaph psalmus, ¶ *Victori pro liliis testimonium Asaph Canticum.*

C. *Finis* legis Christus est. *Asaph* interpretatur colligens, & significat Christum & Ecclesiam: à quo omnes in fidem collecti immutantur, scilicet de pejoribus ad meliora, de vetustate ad novitatem vitæ.

1 QVi † regis † *Pascis.* Israël ¶ intende: ¶ *Ausculta.*
Qui deducis velut † ovem Ioseph. ¶ *Gregem.*

C. Recte igitur dicitur, regem cœli *regere Israel*: quia ipsos propitius regit, qui cum puro corde respiciunt. *Intende*, ac si diceret: super nos lumen tuæ pietatis infunde. *Ioseph*, fidelem populum dicit: qui sic in caulam Dei deducitur, quasi oves ad pascua congregentur.

2 Qui sedes super Cherubin ¶ manifestare: ¶ *Ostendere.*
† Coram Effraim, Beniamin & Manasse. † *Ante.*

C. *Cherubin* plenitudo scientiæ interpretatur, in qua Christum sedere manifestum est: Rogat, dum dicit *manifestare*, ut beneficio sanctæ incarnationis appareat: *Effraim* vero interpretatur fructificatio: *Beniamin*, filius dexteræ: *Manasses*, oblitus. Has virtutes constat inesse salvatori: fructificavit nobis, quando surrexit, filius dexteræ, id est, omnipotentis patris: oblitus dicitur, quando injuriarum suarum in cruce positus oblitus est, pro persequentibus orans.

3 ¶ Excita potentiam tuam & veni: ¶ *Suscita fortitudinem tuam.*
Vt salvos facias nos.

C. Deprecatur tantò studiosius, quanto novit maximam utilitatem nobis domini incarnatione futuram, ut *excitet potentiam*, id est, ut veniat ad peccata humani generis abluenda: quæ enim preces, vel quæ vota sufficiant illud expetere, quod mundum possit, à sua impietate saluare.

4 Deus converte nos, & ostende faciem tuam:
Et salui erimus.

C. Postulat enim se magnopere *converti*, quia se noverat esse distortum. *Ostendis faciem* pater, manifestatione filij, cum ait: *ipsum audite*: in quo & saluati sumus, ideo dicit *& salui erimus.* Vel ostendit, cum incarnavit. Nemini vero ostendit Deus faciem, nisi converso.

5 Domine Deus † virtutum: † *Exercituum.*
Quousque ¶ irasceêris super orationem servi tui? ¶ *Fumabis ad orationem populi tui.*

C. Iustè *Deum virtutum* vocavit, qui solus prævalet de morte incredulitatis liberare. H. Non irascitur Deus, si justitiam petamus: sed putat conscientia delicti, ob orationem nostram Deum irasci.
C. Et iratum propheta credebat, quoniam humano generi subvenire tardabat: ex quo innotescit pietas & magnum desiderium prophetæ.

6 † Cibabis nos pane lachrymarum:
Et potum dabis nobis in lachrymis in mensura. † *Cibasti nos pane flebili, & potasti nos in lachrymis tripliciter.*

A C. *Panis enim lachrymarum*, vita est plena doloribus: sed tamen in ea, miseratione Dei cibamur, quando cladibus & ærumnis non extinguimur, sed potius erudimur. Nullum itaque tempus à lachrymis ostendit posse esse vacuum, quibus & ipsa refectio erat ploratio. *In mensura* vero, in distributo modulo dicit: ostendere volens illud Apostoli, quod Deus supra vires nostras tentari nos & vexari non permittit.

In mensura. 1 Cor. 10.

7 Posuisti nos ¶ in contradictionem vicinis nostris: ¶ *Contentionem.*
Et inimici nostri subsannaverunt nos.

C. *Contradictio* illa gentilis erat, quæ adversum prædicatores Christi, pravis concionibus erigebatur. H. *Subsannabant inimici*, (id est, hæretici,) Doctores Christi: similiter judæi & infideles omnes, qui in circuitu Ecclesiæ obstrepunt, nosque impugnant.

B 8 Deus † virtutum converte nos & ostende faciem tuam: † *Exercituum.*
Et salui erimus.

C. Repetit versum, quia desiderantis mos est, ea repetere, quæ desiderat magnopere advenire. Ipsa est ergo *facies*, id est, potentia Christi, per quam laqueos mortis evasimus: ipsa denique quæ dignis & confitentibus cœlorum regna largitur.

9 Vineam de Ægypto ¶ transtulisti: ¶ *Tulisti.*
Ejecisti gentes & plantasti eam.

Vinea typus Ecclesiæ.

C. *Vineam* dicit hebræorum gentem, quam positam in typo constat Ecclesiæ. Vinea autem à vitibus dicta est, *hanc ex Ægypto deduxit* magnis miraculis, & (expulsis gentibus, hoc est Amorrhæis cæterisque finitimis eorum) tanquam mirabilis agricola eam plantavit. Per hanc autem, Ecclesia ut dixi intelligitur: quæ hic in sanctis optimos fructus affert, qui tribulationibus pressi, saporem dulcem emanant: & passionum sarculo fossi & putati, sicut vites multiplicantur. Sola C enim hoc proprium habet Ecclesia, ut persecutionibus crescat.

10 ¶ Dux itineris fuisti in conspectu eius:
Et plantasti radices eius, & implevit terram ¶ *Præparasti ante faciem eius, & stabilisti radices.*

Radices prophetæ sunt.

C. *Dux* est Christus sanctæ Ecclesiæ Dei. *Radices eius* sunt prophetæ cœlestis regis operatione plantati: ex quibus illa fœlices palmites tendens, universum mundum, quasi amœnis fidei umbraculis, occupavit. Hoc est quod titulus dicit, de commutatis Iudæis: ut vineam judaicam commutatam intelligas in Christianam: & quæ de judaica hic dicuntur, impleta intelligas in vinea Christiana.

11 † Operuit montes umbra ejus: † *Operti sunt.*
D Et ¶ arbusta ejus cedros Dei. ¶ *Ramis illias.*

H. Hos Ecclesia protegit, qui in ejus esse gremio comprobantur, id est, patriarchas & diversos Doctores & Apostolos. C. Istos enim operit, quos nutrit, quoniam ejus umbra fructificat, & amplius facit crescere, quos magis tegit: unde *cedros Dei*, id est, martyres, qui in Ecclesia inter altissima cacumina constituti sunt, ipsa quoque protegit Ecclesia.

Cedri, martyres sunt.

12 † Extendit palmites suos usque ad mare: † *Expandit comas.*

E Et usque ad flumen ¶ propagines eius. ¶ *Germina sua.*

C. *Palmites* significant discipulos domini, quibus ipse dixit: *ego vitis, vos palmites. Mare*: omnium gentium sanctissimam credulitatem. *Extendit* vero dicit, quoniam ab Hierosolymis hæc prædicatio, in cunctas partes mundi extensa est: *propagines*, filios regenerationis dicit: qui à flumine Iordane manaverunt, ubi dominus baptizari dignatus est, in exemplum nostræ salutis.

Propagines, filii regenerationis.

13 † Ut quid destruxisti maceriam eius: † *Quare dissipasti.*
Et ¶ vindemiant ¶ *Vindemiaverunt.* eam omnes qui † prætergrediuntur viam? † *Transeant per viam.*

F C. Nunc de vinea prima, id est, judææ gentis, miratur cur eam Deus dereliquerit, & ejus munitio eversa fuerit, id est, Dei defensio ablata. H. Tunc enim munitio Synagogæ deposita est, cum ei cæcitas contigit, donec plenitudo gentium subintraret. C. *Vindemiant eam*, id est, diripiunt: *qui prætergrediuntur*, id est, gentes, quæ viam, id est, Christum pertranseuntes, in idolorum sacrificiis jugiter permanebant. Quod etiam Esaias prædixit dicens, *destruam maceriam eius, & erit in direptionem*, &c.

Rom. 11. Esai. 5.

14 ¶ Exterminavit eam aper de sylua: ¶ *Vastavit.*
Et † singularis ferus depastus est eam. † *Omnes bestiæ agri depastæ sunt eam.*

C. *Aprum* hunc Vespasianum principem Romanorum nonnulli intelligunt. Aper dictus est ab eo, quod in locis asperis commoretur. *Singularem* autem *ferum*, Titum. H. C. Spiritualiter autem aprum singularem dic diabolum, qui de sylua gentilium egressus, plebem judaicam exterminavit propter incredulitatem.

Aper de sylva.

G 15 Deus ¶ virtutum convertere:
Respice de cœlo & vide, & visita vineam istam. ¶ *Exercituum revertere obsecro respice.*

C. Petit hic Asaph, ut supplices judæos suos, operis agricola serenus aspiceret, & periclitantibus subveniret. *Visita*: adventum sanctæ incarnationis expostulat, ut præsente cultore, vinea plantata proficiat. H. Dicit igitur Domine Deus virtutum, convertere ab ira tua, & converte Synagogam ad Ecclesiam.

16 Et † perfice eam quam plantavit dextera tua: † *Radicem quam.*
Et ¶ super filium hominis quem confirmasti tibi ¶ *Filium.*

H H. *Et perfice eam*, scilicet Ecclesiam: *quam plantavit dextera* vel virtus, hoc est filius tuus in resurrectione sua fundavit. *Et super filium hominis*, id est, filium virginis, *quem tibi confirmasti*, ac devictâ morte in tua dextera collocasti. A. Perfice ergo eam, in vera fide, super te & filium tuum dominum nostrum Iesum Christum fundatam vineam, quem confirmasti tibi.

Dextera tua, filius.

17 † Incensa igni & suffossa: † *Succensam igni & devoratam.*
Ab increpatione ¶ vultûs tui peribunt. ¶ *Facies tua pereant.*

C. *Inceditur igne* aliquis cupiditatis, quando crimen nefandum commiserit. *Effossa* vero malis sunt, cum per operationem sceleratam aliis præparamus in-

A Matt.25. ſidias, & decipere volumus neſcientes, dum nos magis in ipſam foveam corruamus. Hæc ergo peccata *pereunt ab increpatione vultûs Dei*, dum dicit, *ite in ignem æternum*. H. Vel incenſa & ſuffoſſa, Synagoga eſt non credens.

18 Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ :
Et ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi.

Manus, id eſt, operatio. Mat.17. C. *Fiat manus tua*, id eſt, operatio ſancta ad effectum promiſſa perducat. *Filium hominis*, ipſe Chriſtus eſt : qui etiam dextera patris eſt, & *confirmatus* apud homines, ſicut dicit in Evangelio : hic eſt filius meus dilectus. Operationem itaque ſanctæ incarnationis expoſcit.

19 Et non diſcedimus à te :
B Vivificabis nos & † nomen tuum invocabimus. † *Nomine tuo vocabimur*.

Ioan.6. Philip.2. H. *Non diſcedimus*, id eſt, ſi tibi fide adhæſerimus tunc pane illo, quem de cœlo miſiſti, reficimur. C. Et ipſius *nomen invocabimus* in oratione dominica. H. Id eſt, eum cui dediſti nomen ſuper omne nomen. C. Vel ſi miſeris filium tuum incarnandum, non diſcedimus à te, qui tanto deſiderio cum petivimus : & dum non diſcedimus, *vivificabis nos*, &c.

20 Domine Deus ¶ virtutum converte nos : ¶ *Exercituum*.
!! Et ⁚. oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.

C In iſto verſu regulam totius religionis exponit ubi primum eſt, ut nos dominus *convertat* : deinde, ut *oſtendat faciem ſuam* : tertiò, ut *ſalvos efficiat*. Per iſtum quoque verſum ſub brevitate petimus quicquid nobis expedire monſtratur.

C

Oratio ex Pſal. L X X I X.

V Iſita domine vineam tuam, quam de Ægypto tribulatorum potenti dexterâ liberaſti : ut reſpectu vultûs tui vivificata, bonorum vita fructuum ubertate lætetur. Per dominum noſtrum Ieſum, &c.

Argumentum Pſal. L X X X.

C. Propheta fideles admonet : ut multimodis vocibus, Deum magnificent : & ne quiſquam idola, ſed ſolum Deum adoret.

TT. † In finem pro torcularibus Aſaph : !! quinta ſabbati ⁚. † *Victori pro torcularibus Aſaph*.

D Quinta Sabbati. C. Intentio tituli eſt, ut *in finem*, Chriſtum deſignet : *pro torcularibus*, Eccleſiam *Aſaph*, congregationem fidelium : *quinta ſabbati*, baptizatos; nam quinto die ex aquis Deus animantia fecit, & in baptiſmo novus homo generatur.

Feria ſexta Nocturno. 1 † EXultate Deo adiutori noſtro : † *Laudate Deum fortitudinem noſtram*.
Iubilate Deo Iacob.

C. Aſaph iſte, quem ſæpe diximus Synagogam, populos commonet fideles, ut non deſinant eum ſumma lætitia Deo laudes dicere, qui eos à ſævis periculis dignatus eſt eripere. *Deo adiutori noſtro* : contra fictitios Deos gentilium dicit, qui juvare nec ſe poſſunt. *Iubilare* à juvando, id eſt, delectando dictum eſt. *Iacob* populum ſignificat Chriſtianum. E

2 ¶ Sumite pſalmum & date tympanum : ¶ *Aſſumite carmen*.
† Pſalterium jocundum cum cithara. † *Citharam decoram cum pſalterio*.

C. *Pſalmus* enim ad divina verba pertinet intimanda. *Et date tympanum*, id eſt, prædicationem ſanctam cum cithara, id eſt, carnis mortificatione vel operatione. Nam pſalterium idem quod pſalmus ſignificat, & cithara idem quod tympanum.

3 ¶ Buccinate ¶ *Clangite*. in neomenia † tubâ.
In inſigni die ſolemnitatis veſtræ. † *Buccina, & in medio menſe die ſolemnitatis*. F

H. Canebant judæi tubâ in Paſcha, Pentecoſte, & ſcænopegia : nos præcipue in inchoatione Evangelicæ prædicationis atque initio fidei, cum reſurgimus in Chriſto, cum remiſſionem accipimus, & in dedicatione domûs pectoris noſtri, cum innovata fuerit poſt ruinam.

4 Quia ¶ præceptum in Iſraël eſt : ¶ *Legitimum Iſrael*.
Et judicium Deo Iacob.

C. *Iſrael* : populus electus fide videns Deum. Idem & Iacob propter utramque plebem, ex circumciſione venientem & præputio. Chriſtus enim utrunque fecit, & legem dedit, & judicium futurum ſuæ poteſtatis innotuit.

5 Teſtimonium in Ioſeph poſuit † illud cum exiret de terra Ægypti : † *Eum*. G
¶ Linguam quam non noverat audivit. ¶ *Labium quod neſciebam audivi*.

C. *Ioſeph* interpretatur augmentatio : cujus nominis interpretatio, teſtimonium eſt hebræi populi, qui de terra Ægypti, multiplicatus exivit. Et ſicut ille per maris rubri undas ejectus eſt, ſic nos à terra Ægypti, id eſt, à vitiis carnalibus abſoluti, regenerante ſancta undâ, renaſcimur. Et ſicut illud mare fuit rubrum : ita aqua baptiſmi (quæ cum ſanguine de latere Chriſti profluxit,) rubra poteſt nuncupari. *Audivit linguam*. H. C. Id eſt, præcepta Evangelica, quæ prius non novit.

6 † Divertit ab oneribus dorſum eius :
Manus eius in cophino ſervierunt. † † *Amovi ab onere humerum eius : manus eius à cophino receſſerunt*. H

C. *Evertit* Deus *à dorſo* Chriſtianorum *onera* peccatorum : quando fœlici humilitate proſternuntur. *Cophinos* dicimus, per quos ſordium purgamenta abiicimus. Manus in eis tenent, qui peccatorum immunditiis occupantur Ab hac ſervitute liberamur, quando ſcelerum noſtrorum ſordibus expiamur.

7 In tribulatione invocaſti !! me ⁚. & liberavi te, exaudivi te in abſcondito ¶ tempeſtatis : ¶ *Tonitrui*.
Probavi te † apud aquam contradictionis. † *Super*.
¶ Diapſalma. ¶ *Semper*.

H. C. Nunc introducitur perſona Dei loquens ad populum. C. Ipſe enim nos *de tribulatione liberat* : ipſe

in

A — Contradictiones hæreticorum.

in absconditio angostiam nostræ *tempestatis exaudit*: sed *probat nos in contradictionibus* hæreticorum, qui resistentes, & volontatem electorum mutare conantes, velut venti flantes mentem concitant.

8 Audi populus meus & contestabor te, Israël. si me audieris, non † erit in te † *Sit.* Deus ❡ recens: ❡ *Alienus.*
Neque adorabis Deum † alienum. † *Peregrinum.*

Matt. 16.

C. Ipse est populus Dei, qui nescit cum malis aliqoà mistione morum confundi. *Testificatur* autem Deus, quando in futuro judicio unicuique dederit pro factorum suorum qualitate sententiam. Dixit quoque: *non erit in te Deus recens*; ne verbum patris quisquam potaret esse sub tempore. Quoniam ipse est qui ante omne principium genitus de patris substantia, æquali cum eo coæternitate consistit. *Nec adorabis*, &c. ostendit ut pene par sit scelus, recentem Deum putare, & nefandis idolis servise.

B

9 Ego ⁞ enim ⁝ sum Dominus Deus tuus qui eduxi te deterra Ægypti:
Dilata os tuum & implebo illud.

Dilatate os.

C. *Ego* ipse, *qui* dudum *eduxi te de terra Ægypti*, nonc adveni per præsentiam carnis: & educo de terra Ægypti, quando per regenerationis gratiam, à peccatis teterrimis liberabo te. *Dilata os*, id est, divulga & dissemina confitendo vel admonendo, quæ digna sont auditu. H. Vis comedere dominum Deum tuum? dilata os tuum: ipse hortatur nos ut eum comedamus, quantum igitur dilataveris, tantum accipies. Si volueris, totum accipies: si nolueris, saltem accipe partem. Totum accipit, qui omnia propter eum relinquens, seqoitur eum.

10 Et non audivit pôpulus meus vocem meam:
Et Israël non ❡ intendit mihi. ❡ *Credidit.*

C

Apoc. 3.

C. *Non audivit* populus judæorum, qui Christo filio Dei eredere noluit. H. Ego sto ad ostiom & pulso: volo ut aperias & ingrediar, & aperire non vis.

11 Et dimisi † eos secundum desideria cordis eorum:
Ibunt in adinventionibus suis. † *Eum in pravitate cordis sui, ambulabunt in consiliis suis.*

C. Seqoitur ultio digna peccatoris. Non enim dimittitur impunitus, qui à domini defensione deseritur. Quia malorum omnium retributio est, tantâ bonitate fraudari. Putat enim peccator, genus esse beneficij, si suis voloptatibus permittitur expleri: cum in pœnam eorum dicat Apostolus: *tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum.* H. Infœlix qui à Deo non eotripitur. Si quis peccans non percutitur, iste miser est: ideo & *illos dimisit*, quia sæpe percussi, & disciplinam non receperunt.

Rom. 1.

D

12 ❡ Si populus meus audisset me: ❡ *Utinam.*
Israël ⁞ si ⁝ in viis meis ambulasset.

C. Ideo *suum* dixit *populum*, quia ei legem dedit & miracula magna monstravit, ut culpa cresceret, cum in eum plebs electa peccasset. Ille autem *ambulat in viis eius*, qui mandatis ejus non reperitur adversus.

E

13 † Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: † *Quasi nihilum inimicos eius humiliassem.*
Et super ❡ tribulantes eos misissem manum meam. ❡ *Hostes eorum vertissem manum meam.*

C. Vide ergo, quod si Deo malè agentes resistimus, ille nostris contradicit inimicis, id est, dæmonibus, vel vitiis: sed tamen & justos quandoque tentari sinit. Sed jostos sic tentari patitur, ot non deserat: impios autem tribulari permittit, ut se ab eis reddat alienum.

14 † Inimici domini mentiti sunt ei: † *Qui oderunt dominum negabunt eum.*
Et erit tempus eorum in sæcula.

C. *Mentiuntur* enim qui se bonis promissionibus obligantes, in pessimos iterum relabuntur errores. Addidit: *in æternum erit tempus eorum*, scilicet punitionis: quando illis dicitur, *ite in ignem æternum.* H. Inimici isti Iudæi sunt, qoi mentiti sunt, id est, negaverunt dominum. Et erit tempus conversionis eorum in sæcula, id est, finem sæculi, quando omnis Israël salvabitur.

F

Rom. 11.

15 Et cibavit illos ❡ ex adipe frumenti: ❡ *De.*
Et de petra melle saturavit eos.

Adeps frumenti.

C. *Adeps frumenti*, sacramentum est corporis Christi. Quid enim adeps in frumento signat, nisi divinitatem in carne? *Petra*, Christus: *mel*, dulcedo ipsios: à quo omnes credentes, prædicatione sanctâ satiantur: sed perfidi jejuni fuerunt, qoi auribus aggravatis, Christo obaudire noluerunt. Ad litteram. Cibavit eos manná.

Oratio ex Psal. LXXX.

G

Dilata domine supplicum ora, ad annuntiandam gloriam tuam: ut Ægyptiis operibus retrorsum relictis, nominis tui confessione lætemur. Per dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psal. LXXXI.

C. *Propheta contra Iudæos de adventu loquitur: monens ut intelligant, ipsum esse Christum: qui in assumptione carnis pauper esse videbatur.*

TT. Psalmus Asaph.

C. Asaph (quem pro significatione sui nominis in titulo constat appositum) contra judæos, de Christi adventu, per totum loquitur psalmum: monens, ut intelligant ipsum esse Christum, qui assumptione carnis, pauper esse videbatur.

H

1 DEus stetit in † Synagoga Deorum: † *Cœtu Dei.*
In medio ⁞ autem ⁝ Deos diiudicat.

C. De corporali situ humanitatis Christi loquitur. Nam non potest dici à natura deitatis, stare vel sedere, qoi nulla loci determinatione concluditur. Addit etiam *Deorum*: ot evidentius de hominibus dictum adverteres, inter quos corporaliter habitasse cognoscitur Christus. H. Deos appellat omnes præsides Ecclesiarum, *quos*

Deus

A Deus deorum non per alios, sed per semetipsum discernit ac iudicat. C. Vel Apostolos & iustos dicit Deos, quos Deus diiudicat, id est, discernit ab aliis. Possunt & Angeli dij dici.

Deos diiudicat.

2 Vsquequo iudicatis iniquitatem: Et facies ¶ peccatorum sumitis? ¶ *Impiorum suscipitis.* Diapsalma.

H. *Vsquequo iudicatis*: Scribarum & pharisæorum, siue quorundam redarguit Episcoporum pravitatem: qui personas accipientes, secundum faciem & non secundum Deum iudicant. Ac sic dicat, Si venerit pauper habens iustum negotium, & iterum dives habens perversum, vos personam aspicitis non negotium: iudicium vero non consideratis, non causam, sed personas eorum qui causas habent.

Facies sumere, id est, personã accipere.

B 3 Iudicate egeno & pupillo: † Humilem & pauperem iustificate. † *Egeno & inopi iuste facite.*

C. Admonet obnixius Iudæos, ut debuissent intelligere Christum, quem videbant, *egenum* propter nos factum & pauperem, cuius sunt omnia in cœlo & in terra. *Pupillum*, cui pater carnalis solatia non præbebat.

Christus egenus erat & pupillus

4 ¶ Eripite pauperem & egenum: ¶ *Salvate.* De manu † peccatoris liberate. † *Impiorum.*

C. Commonentur hic ergo, qui manus suas in necem domini minimè polluerunt, ne desinant iniustè traditum, sceleratis eripere, qui paupertatem & indigentiam cum humanitate suscepit: ideo rectè pauper dicitur & egenus.

C 5 ¶ Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant: ¶ *Non cognoscunt nec intelligunt.* Movebuntur omnia fundamenta terræ.

C. Vera sententia est, quæ illos dicit *non intellexisse* autorem luminis, qui *in tenebris ambulabant*: quia si cognovissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. *Movebuntur fundamenta*: signum dicit, quod in crucifixione domini constat evenisse: terra mota est, petræ scissæ sunt. Sive quia illo tempore multi peccatores, id est, terreni viso tali miraculo crediderunt, ut centurio.

1. Cor. 2. Mat. 27.

6 Ego dixi dij estis: Et filij excelsi † omnes. † *Omnes vos.*

H. C. Videte qualis sit dignitas fidelibus: *dij* vocari & *filij*. C. Omnes autem eius filij vocantur, qui suis iussionibus acquiescunt. Iste ergo versus solos iustos respicit.

Filij excelsi.

D 7 Vos ¶ autem sicut homines moriemini: ¶ *Ergo quasi adam moriemini.* Et sicut unus de principibus cadetis.

C. Increpat etiam incredulos, qui *mori* potius per superbiam voluerunt, quam per obedientiam vivere, dicendo autem, *Sicut homines*: significat peccatores, qui nullo pretio sunt redempti, nec de peccatis liberi propter perfidiam. *Unus de principibus*: significat diabolum, qui de cœlo proiectus corruit, & pœnam suæ perversitatis invenit.

Unus de principibus. Apoc. 12.

8 Surge † Deus iudica terram: † *Domine.*

Quoniam tu hæreditabis ¶ in omnibus gentibus. ¶ *Omnes gentes.*

C. *Surge*: dicitur illi, qui in sepulchro triduano somno dormivit. *Et iudica* eos, qui terrena sapiendo, meritò terræ comparantur. *Hæreditabis* illam terram, scilicet quam beati possidebunt. H. Vel *hæreditabis* per fidem, *in omnibus gentibus*, quia in omnem terram exivit sonus Apostolorum: & ex omnibus gentibus, hæreditatem recipient in regno cœlorum.

Oratio ex Psal. LXXXI.

Da nobis domine secundum præceptum tuum, ab iniquitatis iudicio declinare, pauperumque necessitatibus subvenire, ut mereamur filiorum tuorum numero copulari. Per dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psal. LXXXII.

C. Vox fidelium deprecantium, ne à satellitibus antichristi diutius Ecclesia torqueatur: sed cito eorum contumacia opprimatur.

TT. Canticum † psalmi Asaph. ¶ *Psalmus Asaph.*

1 † Deus: quis similis erit tibi? Ne taceas neque compescaris Deus. † *Deus ne taceas tibi, ne sileas, & non quiescas.*

C. *Quis* enim *similis erit* ei, qui cœlum terramque vel cuncta quæ in eis sunt, summa celeritate perfecit? quem vir iste contuebatur talem & tantum, & ideo, merito nullum ei similem esse profitetur. *Ne taceas*, in illo futuro adventu. *Compescuit* etiam virtutem suam, quando passus est, quasi reum se teneri, & Pontio Pilato tradi. Ista in futuro iudicio cessabunt, ubi potentia divinitatis elucescet.

2 Quoniam ecce inimici tui ¶ sonnerunt: ¶ *Tumultuati sunt.* Et qui oderunt te † extulerunt caput. † *Elevaverunt.*

C. Iste versiculus ad tempora Antichristi aptatur: quando inimici Dei tumultuosis seditionibus insonabunt. *Sonuerunt* vero dixit & non ait locuti sunt, ut eis negarentur verba hominum, qui voces rationabiles non habebant. Dicit *extulerunt caput*, dum capita potuisset dici: sed omnibus insanis unum est caput, Antichristus.

3 ¶ Super populum tuum malignaverunt consilium: Et cogitaverunt adversus sanctos tuos. ¶ *Contra populos tuos nequiter tractaverunt, & inierunt consilium adversus arcanum tuum.*

Populus Dei est, qui præcepta veritatis toto nisu implere satagit. C. Addidit *adversus sanctos*, ut non solum mediocribus, verum etiam ipsis cœlestibus viris inferre conarentur exitium.

4 Dixerũt: venite & † disperdamus eos de gente: † *Conteramus.* Et non ¶ memoretur nomen Israël ultra. ¶ *Sit memoria nominis.*

C. Talem intentionem habebit Antichristus, ut Christianorum

A Christianum nomen de orbe terrarum funditus deleatur: nesciens miser, quia dum servos Christi necare cupit, sanctorum numerum assiduâ persecutione complebit. *De gente*: significat populum Christianum, qui quamvis ex pluribus gentibus sit collectus, unus tamen quia de uno fonte baptismatis noscitur procreatus.

5 Quoniam † cogitaverunt unanimiter simul: † *Tractaverunt corde pariter, contra te fœdus pepigerunt.*
Adversum te testamentum disposuerunt tabernacula ¶ Idumæorum & Ismaëlitæ. ¶ *Idumea & Ismaelitarum.*

B Idumæi. Ismaëlitæ. Testamentum, pactum.

H. O infelicitas. Non potest populus Dei tantam in bono habere concordiam, quantam mali habent in malo. Videte ergo, quid pugnet adversus sanctos. *Tabernacula Idumæorum* (qui terreni interpretantur.) *Ismaelitæ*, qui obedientes sibi dicuntur, hoc est, quodcunque cor habuerit & mala cogitatio statim faciunt. C. *Testamentum* in scripturis divinis, non illud solum dicitur, quod non valet nisi testatoribus mortuis: sed omne pactum & placitum testamentum vocatur, etiam inter vivos.

6 Moab & Agareni: Gebal & Ammon & Amalech:
† Alienigenæ cum habitantibus Tyrum. † *Palæstina cum habitatoribus Tyri.*

Ammon. Amalech. Palæstini. Tyrus.

H. *Moab*: ex patre interpretatur, hoc est diabolo: *Agareni*, id est, advenæ, scilicet populo Dei alieni. *Gebal*, vallis vana: *Ge* dicitur vallis: *bal* vana, quod est præsens mundus, in quo vanitas regnat. *Ammon*, populus turbidus, id est, hæretici. C. *Amalech*, populus lingens, id est, fallaciter blandiens. H. *Alienigenæ*, id est, Philistiim, qui dicuntur cadentes potione, hoc est qui inebriati sunt de calice diaboli. *Tyrus* dicitur *Tsor* hebræa lingua, quod interpretatur angustia animæ, qui oppugnant populum Dei hi sunt. Sed videamus quem habeant principem. Sequitur enim.

C

7 † Etenim Assur venit cum illis: † *Sed & Assur.*
Facti sunt ¶ in adiutorium filiis Loth. ¶ *Brachium filiorum Loth.* Diapsalma.

Assur, id est, diabolus. Filii Loth.

H. *Assur*: pro ipso diabolo positus est. C. Quia revera simul cum eis venit, ad oppugnationem fidelium. H. *Loth* declinans interpretatur: filij Loth, immundi. C. Vnde merito tale nomen in fine positum est, quod declinationem significaret, ac si diceret: omnis hæc turba perditorum simul declinavit in malum, non est qui faciat bonum.

8 Fac illis sicut Madian & Sisaræ:
Sicut Iabin in torrente Cison.

Cison. D

C. *Madian*: declinans judicium. *Sisara*, gaudij exclusio. *Iabin*, sapiens mundi. *Cison*, duritia eorum: qui omnes in torrente Cison & in Endor perierunt.

9 † Disperierunt in Endor: † *Contriti sunt.* ¶ Facti sunt ut stercus terræ. ¶ *Fuerunt quasi sterquilinium terræ.*

H. *Endor*, id est, fons generationis, scilicet carnalis, non baptismatis. C. *Facti sunt ut stercus terræ*, dum cadavera eorum corporali putredine solverentur.

10 Pone † principes eorum sicut Oreb & Zeb: † *Duces.*
Et Zebee & Salmana.

E Oreb. Zeb. Zebee. Salmana.

H. *Oreb*, foramen interpretatur, in quod coluber ingreditur: *Zeb*, lupus. C. *Zebee*, victima. H. Sive hostia, scilicet diaboli. *Salmana*, perfectus in malitia. C. Hæc omnia exercitui optat Antichristi, qui nullâ conversione salvandi sunt.

11 Omnes principes eorum:
Qui dixerunt :/ hæreditate :· possideamus ¶ sanctuarium Dei. ¶ *Nobis pulchritudinem Dei.*

C. Isti superius nominati dixerunt *possideamus sanctuarium Dei*, id est, populum Christianum. H. Sed non perfecerunt, quia dominus pugnabat pro populo suo.

12 Deus meus pone illos ut rotam:
:/ Et :· sicut stipulam ante faciẽ venti.

F Impij, ut rota.

C. Impij enim dum malâ cogitatione volvuntur, rotis fiunt similes. H. Non habentes ulla fundamenta in malis actibus. *Sicut stipulam* C. Vt levitas peccantium, quasi vento meabili transferatur. *Facies* autem venti, præsentiam eius significat.

13 † Sicut ignis qui comburit sylvam: † *Quomodo ignis comburit sylvam.*
Et sicut flamma ¶ comburens montes. ¶ *Devorat.*

C. *Ignem* quoque & *flammam*, posuit tempus judicij, quando sylvæ densissimæ peccatorum, & montes superbiæ concremantur. H. Vel sylvam dixit steriles homines, qui frugibus carent. Sterilitas igitur pereat in eis, & superbia, quæ montium nomine significatur.

14 † Ita persequêris illos in tempestate tua: † *Sic persequere eos.*
Et in ¶ ira tua turbabis eos. ¶ *Turbine tuo conturba eos.*

G

C. *Ita persequêris eos*: hoc respicit ad illa, quæ superius dixit: ut sic debeant exterminari, quemadmodum comparationem ante faciem venti commemorat. *In tempestate*, hoc est judicij tempore, quod tempestati merito comparatur, primùm, quia improvisum est: deinde, quod subito fragore conturbat. Sæpe diximus iram divinitati non posse congruere, sed ab hominibus tractum est: qui quando sceleratos judicant, irato animo moventur.

In ira.

15 Imple facies eorum ignominiâ:
Et quærent nomen tuum domine.

C. Nunc convertitur ad illos, qui sunt domino credituri: nam illorum facies impletur ignominia, qui peccatorum suorum non invenerunt laudatores, & statim quærunt invocare nomen domini.

H

16 † Erubescant † *Confundantur.* & conturbentur ¶ in sæculum :/ sæculi :· : ¶ *Vsque in.*
:/ Et :· † confundantur & pereant. ¶ *Erubescant.*

H. *Pereant* secundum hoc quod mali sunt, & salventur in hoc quod bonum est. Perditio enim hæc, non abolitionem sonat, sed salutem.

17 ¶ Vt cognoscant ¶ *Et sciant.* quia nomen † tibi dominus. † *Tuum est dominus.*
Tu solus ¶ altissimus super omnem terram. ¶ *Excelsus.*

A C. Omnes enim *cognoscent* (sive ad mortem destinati seu ad vitam) omnipotentiam Dei: & quia ipse *solus* est *altissimus*, dum ipsum cognoverint, & conversis parcere, & obduratos æternâ ultione damnare.

Oratio ex Psal. LXXXII.

Discute à nobis domine, omnem superfluitatis errorem: ut relictis gentibus vitiorum, te solum (qui super omnem terram altissimus inhabitas) metuamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum, &c.

Argumentum Psal. LXXXIII.

B *C. Vox Ecclesiæ Deum vehementer desiderantis, beatum esse profitentis cui dominus præstat auxilium.*

TT. ¶ In finem pro torcularibus ¶ *Victori pro* † filiis Core psalmus. † *Filiorum.*

Tres psalmi pro Torcularibus Core.

C. Tres sunt psalmi, qui pro torcularibus inscribuntur scilicet, octavus, & octuagesimus, atque octuagesimus tertius, & significat ad Sanctam Trinitatem hoc mysterium Ecclesiæ pertinere, quod trini numeri repetitione sacratum est. *Core* calvum interpretari diximus, cuius nominis interpretatio denuntiat locum, ubi Christus crucifixus est: & ideò filij Core, Christiani vocantur, ex quorum persona, psalmus iste cantatur.

1 QVam dilecta tabernacula tua domine † virtutum? † *Exercituum: desiderat.*
Concupiscit & deficit anima mea in atria domini.

C H. Multi desiderant possessiones, alij sæculi divitias, alij apparere in Ecclesiis & gloriam habere: mihi solum hoc desiderium est, videre æterna *tabernacula. Dilecta* utique sunt, ubi congregatio virtutum est, non vitiorum. *Concupiscit anima*: hic est solus amor meus ac desiderium, ut videam atria tua.

Concupiscit & deficit.

C. *Deficit* vero meus necessariò in illud, quo directa, ad præsens non valet pervenire. Considerabat enim ille cœlestia gaudia, sed ad ea è vestigio non poterat pervenire.

2 Cor meum & caro mea:
¶ Exultaverunt in Deum vivum. ¶ *Laudabunt Deum viventem.*

D C. Hic advertendum est, quanta vir iste sanctitate fuerit præclarus: ut non solum eius anima, verum etiam caro (quæ plus prævaricationis vitio probatur obnoxia) in exultationem Dei, fœlici sorte prorupperit: prævidens bona futuri sæculi, quæ confidebat se gratia Christi adipisci.

3 † Etenim passer invenit ⁄ sibi ∴ domum: † *Siquidem.*
Et ¶ turtur ¶ *Avis.* nidum sibi † ubi reponat pullos suos. † *Vt ponat.*

C. *Passer* est nimia velocitare celerrimus, habitans in foraminibus parietum; qui dum habitationem invenerit, valdè lætus exultat: sic anima, dum in regno cœlorum mansionem suam senserit esse præparatam, gaudet. *Turtur* vero castissima avis est, quæ una tantum est copulatione contenta, filiisque suis nidificare cognoscitur: & significat Ecclesiam, quæ præter Christi domini, alterius nescit habere consortium.

Turtur.

4 Altaria tua domine ¶ virtutum: ¶ *Exercituum.*
Rex meus & Deus meus.

C. *Altaria tua*: ubi iungendum est, quod in primo versu dictum est: quam amabilia sunt & dilecta sunt? ubi satietas semper magis incitat, nec beata esuries aliquando discedit. *Rex* à regendo dicitur, *Deus* vero à creando, quamvis & timorem nomen illud indicet.

5 Beati qui habitant in domo tua:
† In sæcula sæculorum laudabunt te.
† *Adhuc laudabunt.* Diapsalma.

C. Qualis ergo illius sæculi ventura lætitia est, ubi datur copiosè gaudere & nunquam ab ea posse discedere, & sine fine Deum laudare?

6 Beatus ¶ vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum:
In loco quem posuit. ¶ *Homo cuius fortitudo in te est, semitæ in corde eius. Transeuntes in valle fletus, fontem ponent eam.*

C. Prodit hic labores colluctationesque difficiles, cum dicit, *auxilium abs te.* Et quia per liberum voluntatis arbitrium, Dei gratia adiutum, ascensio ista disponitur: adiecit, *ascensus in corde eius*: quia cum vicerit quis auxilio Dei libidinem, ascendit primum gradum: cum dominatus fuerit superbiæ, subit alterum: dum superaverit avaritiam, subit tertium: & tot gradibus evehitur, quot vitiis fuerit absolutus. *Valle lachrymarum*, humilitas est pœnitentis; *locus quem posuit*, regnum Dei significat futurum: quem locum Deus posuit, ut mandata eius custodientes, illic collocemur æternaliter.

7 Etenim † benedictiones dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem:
Videbitur Deus deorum in Sion. † *Benedictione quoque amicietur doctor: Ibunt de fortitudine in fortitudinem, parebunt apud Deum in Sion.*

H. *Legislator* Christus est, qui dat *benedictionem* hic benè pugnantibus. Et *ibunt de virtute in virtutem*, qui hic fortes apparuerunt, ibi robustiores fiunt. C. *Deus deorum* dicitur, sicut rex regum & dominus dominantium. H. Quanta lætitia est, ire de virtute in virtutem, & hoc ipsum habere præmium, ut Christum videre mereamur? Deum quippe videre infinita corona est. Non dicit autem: ibunt de imbecillitate in virtutem, sed de virtute in virtutem: quia nisi hic habuerimus virtutem, ibi maiorem habere non possumus. Vis ibi coronari, hic pugna.

8 Domine Deus virtutum exaudi orationem meam:
¶ Auribus percipe Deus Iacob. ¶ *Ausculta Deus Iacob.* Diapsalma.

C. *Deus virtutum*, & *Deus Iacob*, ipse est Christus Iesus: qui inimicorum suorum esse clementissimus supplantator cognoscitur, quando eorum nequitias, ad virtutum semitas facit pervenire directas. Dicitur vero *Deus virtutum*, quoniam ab ipso habemus ut eamus de virtute in virtutem, & ab ipso solo sunt omnes virtutes.

A

9 † Protector noster aspice Deus :
Et respice in faciem Christi tui. † *Clypeus noster vide Deus , & attende faciem.*

H. Respicit enim pater in faciem filij , quando in nos per suam gratiam respicere dignatur : quia Christus caput , nos membra ipsius sumus , & Christus in nobis est : unde ipse ait , *qui vos recipit, me recipit*, Et Apostolus , *an experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus ?* quia itaque Christus in nobis est , in Christi faciem dicitur pater respicere , cum in nos respicit, quia propter eum nos respicit.

Luc. 10. 2 Cor. 13.

10 Quoniam melior est dies ⁝ una ∵ in atriis tuis :
Super millia :

B

Dies aeterna. Apoc. 21. Super millia.

C. Dies ista aeterna est , nec initium habet nec fine includitur. H. Vna dies est perpetua , quia non habet noctem nec tenebras. C. *Super millia :* mundum istum significat , ubi millia dierum sustinet in finem , & ab uno illo vincitor , quicquid in istorum multiplicationibus aggregatur

11 Elegi abiectus esse in domo Dei mei :
Magis quam habitare in tabernaculis ¶ peccatorum. ¶ *Impietatis.*

Tabernacula peccatorum.

C. *Abiectus* enim ille est , qui humana aestimatione habetur extremus : sed apud Deum honorabilis iudicatur , qui propter nomen ipsius intra homines videtur esse despectus. *Tabernacula peccatorum* , vita praesens esse dignoscitur , vel gloria saeculi & pompa. H. Volui itaque & *elegi* esse minimus in regno caelorum magis quam in isto saeculo primus.

12 Quia † misericordiam & veritatem ⁝ diligit Deus ∵.
Gratiam & gloriam dabit Dominus.
† *Sol & scutum Dominus Deus, gratiam, &c.*

C

Misericordia & veritas.

H. *Misericordia* Dei est , quando ex peccatoribus efficit iustos : *veritas* , quia non negavit iustis praemium. Promissam primo gratiam dat , cum peccator convertitur ad vitam : gratia enim dicta quasi gratis data. Dabit vero & gloriam, cum divino munere iustificati, in futuro erimus consortes angelorum.

13 ¶ Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia : ¶ *Nec prohibebit bonum ab his qui ambulant in perfectione.*
Domine † virtutum , † *Exercituum.* beatus homo qui ¶ sperat in te. ¶ *Confidit.*

D

C. Ille enim est *innocens* qui nulli nocet : Talis ergo non potest privari muneribus Christi. *Domine virtutum* , sub admiratione dicendum est , id est, qui tanta facis , quanta homines enarrare non possunt , *beatus* est quoque , qui spem suam in aeterna foelicitate posuerit : H. Et qui se scit non offendisse Deum suum.

Oratio ex Psal. LXXXIII.

Tabernaculorum caelestium fundator aeterne Deus, dispone quaesumus ascensus in cordibus nostris , quibus ad tua tabernacula , mereamur sine lapsu peccati transcendere. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.

E

Argumentum Psal. LXXXIV.

C. Deo propheta gratias agit : quoniam de illa antiquitate iudaicae nationis , proveniet populus ad culturam Domini Salvatoris: expetitque Adventum Christi , in quo humana caecitas, fides lumen accepit.

TT. In finem filiis Core psalmus. ¶ *Victori filiorum Core , psalmus.*

C. Quid significat Core saepè iam diximus : hoc tamen hic commonere sufficiat , hunc psalmum dici de illis , qui iam Domino Salvatori sincera mente crediderunt.

1 † Benedixisti Domine terram tuam : F
Avertisti captivitatem Iacob.
† *Placatus es Domine terra tua, reduxisti captivitatem Iacob.*

Iacob, populus fidelis.

C. Benedixisti terram videlicet illam in tuo Adventu, quae in Adam mulcata est, id est , carnem quam dignatus es assumere , vel hominem. Per Iacob populum fidelem intellige qui liberatus est à captivitate diaboli, quando meruit Dei gratiâ salvari. H. Vel terram , id est , beatam virginem : vel peccatorem hominem , dum confitetur peccata sua , qui ante spinas & tribulos germinavit , postea benedictione contritionis accepta, fructus affert poenitentiae.

2 ¶ Remisisti iniquitatem plebis tuae : ¶ *Dimisisti iniquitatem populo tuo.*
Operuisti † omnia peccata eorum.
† *Omnes iniquitates eorum.* Diapsalma.

G

C. Remittere est debitum relaxare, non aliundè , sed ex pietate , id est, non causae alicuius interventu , sed mera pietate. Operuit verò peccata nostra, Quando ad vindictam videre non voluit , sed indulsit. H. Vel virtutibus operuit.

3 ¶ Mitigasti omnem iram tuam : ¶ *Continuisti.*
¶ Avertisti ¶ *Conversus es.* ab ira † indignationis tuae. † *Furoris tui.*

Avertisti ab ira.

C. Narrat culpas, quas in Dominum Iudaeorum perversitas exercuit. Ab ira se vertit, quando Iudaeorum interitum avertit , quando ad aegrotos medicus , & auctor salutis ad pestilentiae plenos advenit , quod non solum ad unam gentem , sed ad beneficium totius orbis aptandum est. H. Vel haec omnia supradicta fecisti, dum filium misisti incarnandum.

4 Converte nos Deus † salutaris noster : H
Et averte iram tuam à nobis. † *Iesus noster, & solve iram tuam adversus nos.*

Côverte.

C. Prius propheta gratias egit , pro praeteritis peccatis dimissis , nunc rogat pro futuris , quia eos praevidebat , in passione Christi magna scelera esse facturos , hoc dicit *converte* : ut de persecutoribus defensores fiant, de blasphemis praedicatores , de contradictoribus discipuli.

5 † Nunquid in aeternum irasceris nobis ?
¶ *Noli in aeternum irasci nobis.*
⁝ Aut ∵ extendes iram tuam ¶ à generatione in generationem ? ¶ *In generationem & generationem.*

C. Duas

A C. Duas generationes ponit. Prima est ut quibusdam placet, ab Adam usque ad Christum. Secunda à Christo, usque ad finem sæculi. Petit ergo, ut quia priori generationi, pro sua culpa instè irascitur Dominus: ne secundæ generationi item velit irasci, & perpetua eam damnatione percellere.

6 † Deus tu conversus vivificabis nos:
† *Nonne tu revertens.*
Et ¶ plebs tua lætabitur in te. ¶ *Populus tuus.*

C. Ideò vivificabis nos: quia promittis conversionis votum, ut ad introitum vitæ pervenire possimus: quod cum donaveris, tunc plebs illa pro spe lætabitur in te, quæ infœliciter gaudebat in se.

B 7 Ostende nobis Domine misericordiam tuam:
Et salutare tuum da nobis.

C. *Misericordia* patris, salvator est: quem sibi, illustratione sacræ fidei, beata cohors poscebat ostendi. Addit *da nobis*: ita scilicet ut in mente nostra cœlesti dono ita recipiatur, ut nullis tentationibus auferatur.

8 Audiam quid loquatur ! ! in me ∴ Dominus Deus:
Quoniam loquetur pacem † in plebem suam. † *Ad populum suum.*

C. Intus enim loquitur Dominus, id est, Spiritus Sanctus, ut psalmista foris fari posse videatur: intrinsecus audit, ut extrinsecus audiatur. Pax Dei, Christus est, quem locuturum dicit plebi suæ, id est, sanctis,
C qui Deo probabili conversatione placuerunt.

9 Et ¶ super sanctos suos: ¶ *Ad.*
† Et in eos qui convertuntur ad cor.
† *Vt non convertantur ad stultitiam.*

C. *Convertitur ad cor*, qui relictis peccatis ad pœnitentiam se erigit, & fœlicia eligit Christi subire servitia, mundi pestiferâ libertate derelictâ. H. Convertitur etiam ad cor: qui legem non corporaliter, sed spiritualiter intelligere conatur.

10 Verumtamen prope ¶ timentes eum salutare ipsius: ¶ *Est his qui timent eum salutare eius.*
Vt inhabitet gloria in terra nostra.

C. Iudæi quamvis soli (acceptâ lege) vero Deo viderentur devoti, tamen carnaliter omnia facientes, diversis eum culpis irritabant: ideò non verè dicti sunt timere, sed prope timere: qui legem ipsius carnaliter non
D spiritualiter acceperunt, & quamvis tales fuissent, tamen Dominus salvator, de ipsorum elegit carnaliter gente procreari: & versabatur gloria in terra illorum, id est, Christus miraculis coruscans.

11 Misericordia & veritas obviaverunt ! ! sibi / / :
Iustitia & pax osculatæ sunt.

Misericordia, in novo: veritas in veteri testamento. Osculatæ sunt.

C. Christo enim præstante, duo testamenta in unius copulationis seriem adducta sunt. In novo enim misericordia est, in qua liberamur: in veteri veritas, ubi prophetarum annuntiatio vera continetur: quæ sibi obviaverunt ad gratiam promissam profectionis implendam. *Osculatæ sunt pax & iustitia*, quæ idem significant, quod misericordia & veritas, osculatæ sese sunt, id est, in unam venerunt amabilis sententiæ concordiam: qui amoris amplexus fieri solet, quando causâ dilectionis homines, se post longum tempus videntes, osculantur.

12 Veritas de terra orta est:
Et iustitia de cœlo prospexit.

C. *Veritas de terra orta est*: quando ex Maria Virgine verbum caro factum est. *Iustitia prospexit*: quando humano generi periclitanti filius Dei subvenit. H. Iustum enim erat, ut salvator misereretur populo suo.

13 † Etenim † *Sed &* Dominus dabit ¶ benignitatem: ¶ *Bonum.*
Et terra nostra dabit † fructum suum.
† *Germen suum.*

C. Iste versiculus convenienter aptatur ad humilitatem pœnitentis, dat enim suâ benignitate Deus, affectum & amorem confessionis, id est, imbrem lachrymarum: ut caro nostra piis fletibus irrigata, fructum possit afferre pœnitentiæ. H. Vel Maria (quæ dicitur terra nostra, quia caro nostra) dedit fructum suum: & iustum fructum dedit, ideò ait. *Iustitia, &c.*

14 Iustitia ante eum ambulabit:
Et ponet in via gressus suos.

C *Iustitia* enim *ambulavit ante* eos, quando malorum suorum veritate recognita, remitti sibi humiliter petunt, quod peccando perpetraverunt: tunc verè *ponunt in via*, id est, in Christo *gressus suos*, qui ante erraverunt in semitis detestabilibus.

Oratio ex Psal. LXXXIV.

REmitte Domine iniquitatem plebis tuæ: & ostende nobis misericordiam tuam, quæ nos in viam pacis, iustitiâ præcedente, perducat. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.

Argumentum Psal. LXXXV.

C. Oratio Christi ad patrem pro se: suisque membris quorum ipse caput est.

TT. Oratio ! ! ipsi ∴ David.

C. Oratio dicitur quasi oris ratio, per totum istum psalmum orat Christus ad patrem pro se suisque membris, quorum ipse caput est.

1 INclina Domine aurem tuam:
/ / Et ∴ exaudi me quoniam † inops & pauper sum ego. † *Egenus.*

H. Iuxta fragilitatem corporis assumpti, ad patrem fundit orationem. C. *Aurem*. non istam corpoream, sed auditum illum spiritalem dicit, quo petentium vota cognoscit. Dicendo vero egenum esse & pauperem, conditionem quam susceperat humanitatis ostendit. *Egenus* etiam *& pauper est*, quisquis meruerit mundi istius perversitate vacuari, qualis veraciter fuit Christus.

2 Custodi animam meam quoniam sanctus sum.
Salvum fac servum tuum Deus meus sperantem in te.

C. *Sanctus* enim dictus veraciter Christus (quia mundi istius illecebras conversatione cœlestis vitæ calcavit) petit, se salvum fieri, à divinitate: ut nos instrueret, salutem non esse constitutam in humanis viribus.

A 3 Miserere mei Domine, qnoniam ad te † clamavi † *Clamabo.* tota die: lætifica animam servi tui.
Quoniam ad te Domine animam meam ¶ levavi. ¶ *Levo.*

Christus, servus Dei. *Psal.* 17

C. Vnus atque idem Deus homo Christus Iesus, petit misericordiam, qui donat illam: docens nos semper supplicare Deo, qui frequenti culpa delinquimus. Cum dicitur *tota die*, totius vitæ tempus ostenditur. Lætificari petit animam, fons hilaritatis, ex illa parte, qua servus est: servus vero diei vult, quoniam ex virgine Maria natus est, quæ ancillam Dei se esse fatebatur angelu nuntianti, unde & in aliu psalmo dicit. *Ego servus tuus & filius ancillæ tuæ.*

B 4 Quoniam tu Domine † suavis & mitis: † *Bonus & propitiabilis.*
Et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Suavis & mitis.

C. Ostendit enim quid sit Deus: quia est *suavis*, post amaritudinem huius sæculi ad se revertentibus: *mitis*, quia sustinet peccatores: *multa misericordia*, quia licet sint nostra innumerosa peccata, multo abundantior est pietas: quæ tot relaxat offensas, & nulli negat, se invocanti, præsidium.

5 ¶ Auribus percipe Domine orationem meam: ¶ *Exaudi.*
Et † intende voci deprecationis meæ. † *Ausculta vocem deprecationum mearum.*

C C. *Percipe* cum dicit, vult non transitoriè audiri: sed ut in illis finibus maiestatis eius oratio recondatur, sicut per aures ab homine memoriæ probatur infigi. Additúmque est. *Intende voci*: ut intentus animus aperiret auditum.

6 In die tribulationis meæ ¶ clamavi ad te: Quia exaudisti me. ¶ *Invocabo te quia exaudies me.*

H. *In die tribulationis*: hoc est in die passionis *clamavi* scilicet de cruce, *exaudisti*, ut commendatum tibi spiritum meum restitueres.

7 Non est similis tui in diis Domine:
Et non est † secundum opera tua. † *Iuxta.*

D C. *Non est in diis similis tui* dicendo, idola significat paganorum, quæ adhuc in mundo nefandâ devotione colebantur: & non est secundum opera tua scilicet tibi similis, qui fecisti cœlum & terram.

8 Omnes gentes quas!! cumque :· fecisti venient, & adorabunt coram te Domine:
Et glorificabunt nomen tuum.

C. Cum enim tunc sola esset iudaica gens, quæ unum Deum colere videbatur, prædicat omnes gentes, quæ idolis tenebantur obnoxiæ, ad culturam eius esse venturas H. Per passionem enim meam, cognoscent magnitudinem virtutis tuæ.

9 Quoniam magnus es tu & faciens mirabilia:
Tu!! es :· Deus solus.

Magnus & solus.

C. *Magnus* vero non potest dici nisi Deus solus, cuius potestati nullatenus potest aliquid comparari. *Solus* etiam dictus est, quia Sancta Trinitas unus Deus est, tantum personis distincta, non naturæ discretione separata. E

10 ¶ Deduc me ¶ *Doce.* domine † in via tua, & ingrediar in veritate tua: † *Viam tuam, ut ambulem in veritate tua.*
† Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. ¶ *Vnicum fac cor meum.*

H. C. Hic propheta loquitur, vel Christus in persona membrorum. *Via* Domini, Christus, ipse est & veritas: in qua via & veritate Ecclesia ut ambulare possit, Deum deprecatur, sine cuius auxilio hoc implere non valet. Sic *lætetur cor*, ut sub timore lætetur, & sub spe timeat. In hoc sæculo qui iudicem formidaverit, reus est: Deum qui timuerit, sanctus est. Lætari sub timore.

F

11 Confitebor tibi domine Deus meus in toto corde meo:
Et glorificabo nomen tuum in æternum.

H. Cum à mœrore facinorum erutus fuero, tunc in te lætitia spiritali gaudebo. C. Illa est vera confessio, quæ toto exprimitur mentis arcano: & ille confitetur ex toto corde, qui totam spem suam ponit in Deum. *In æternum*: illud significat, quod inter sanctos eius laudes Domino iugiter personabit, dum in illa beatitudine, promissa receperit. Confiteri ex toto corde.

12 Quia misericordia tua magna est super me:
Et eruisti animam meam ex inferno † inferiori. † *Extremo.*

H. Agit populus fidelis gratias Deo, quoniam *magna est misericordia* eius: suámque animam dicit esse liberatam, ab *inferno inferiori*, id est, à pœna in qua peccatores damnantur. Superior infernus, peccatum est, inferior, æterna pœna. A. C. Vel inferior infernus pœna damnatorum: Superior limbus patrum, in quo inferiori dives positus inferno, Lazarum vidit positum in superiori. G Infernus inferior & superior. *Luc.* 16.

13 Deus ¶ iniqui ¶ *Superbi.*!! in :· surrexerunt † super me, † *Adversum.* & ¶ synagoga potentium quæsierunt animam meam: ¶ *Cœtus robustorum.*
Et non proposuerunt te in conspectu suo.

C. Iterum Christus secundum humanitatem suam loquitur. Cum dicit iniquos, significat Iudæos, qui insurrexerunt super eum scilicet ut reum dicerent innocentem, suumque regem plebs insana trucidaret. *Synagoga potentium*, superborum est congregatio: qui belluino fremitu animam Christi adimere volebant. Addit vero. *Et non proposuerunt*, &c. Quicunque enim facinus perpetrat, Deum ante conspectum suum omnimodis non proponit: quoniam si illum haberet præsentem, protinus à cogitato facinore revocaretur. H

14 Et tu Domine Deus † miserator & misericors: † *Misericors & clemens.*
Patiens & multæ misericordiæ & † verax. † *Verus.*

C. *Miserator* enim Deus est, quia singulis rebus misericordiam facit: *misericors*, quia semper pia est ipsa natura deitatis: *patiens*, quia peccatores sustinet: *multa misericordia*, quia plus nobis remittit, quam imbecillitas nostra promeretur: *Verax*, quia nescit promissa sua, aliquâ imbecillitate subducere, id est, subtrahere vel negare. Verax.

15 Respice

A

15 Respice † in † *Ad.* me & miserere mei, da ¶ imperium tuum puero tuo :
¶ *Fortitudinem tuam servo tuo.*
Et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Esa.42. Puer christus. Filius ancillæ. *Luc.1.* *Ioan.5.*

C. Vox Christi secundum humanitatem ad patrem: ipse est enim puer Domini, de quo Esaias [illegible]. Ecce puer meus suscipiam eum. Puer est Christus in scripturis dictus, propter innocentiam mentis. Dicitur etiam *filius ancillæ*, quæ angelo respondit, se ancillam Dei esse dicens : *ecce ancilla Domini. Imperium* vero intellige potestatem iudicij : quia, eo teste, pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium filio dedit.

16 Fac mecum signum in † bono, † *Bonitate.* ot videant qui oderunt me, & confundantur :

B

Quoniam tu Domine adiuvisti me, & consolatus es me.

Signum in bono.

C. *Signum* dicitur ab eo quod ventura significet. *Fac* pater *signum* in resurrectione scilicet *in bono*; id est, in bonum credentium, & in confusionem negantium: vel *in bonum*, ut videant Iudæi & confundantur de malo suo, & ita revertantur & credant. *Adiuvisti*, pertinet ad contradictionem iudæorum altercantium; & ad iniusta certamina, in quibus illi semper veritatis testimonio superabantur. *Consolatus es* : ad persecutiones insanorum (quas ille velut tempestatis impetum patientissimè sustinebat) respicit.

Oratio ex Psal. LXXXV.

C

LÆtifica Domine vultum familia tua, & erue animas nostras ex inferno inferiori, ut tui vultus contemplatione protecti, desideria carnis, spiritali dominatione calcemus. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum, &c.

Argumentum Psal. LXXXVI.

C. *Vox propheta de cœlesti Hierusalem, id est, Ecclesiâ Christi.*

TT. † Filiis Core psalmus cantici. † *Filiorum.*

C. *Filij Core*, significant Christianos : *psalmus* autem de superioribus sonans, commonet nos cœlestia cogitare, & in eis hymnicâ exultatione gaudere.

D

1 FVndamenta eius in montibus † sanctis : † *Sanctuary.*
Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.

Portæ Sion.

C. *Fundamentum* Ecclesiæ Christus est : qui sic eam continet, ut nullâ possit quassatione titubare. *In montibus sanctis* : significat apostolos & prophetas, qui excellentiâ sanctitatis montes vocantur. *Sion* Hierusalem cœlestem significat : cuius portæ sunt, fides, charitas, baptisma, pœnitentia, & quicquid in illam civitatem acquisitum populum intromittit. Sive ut quidam volunt, XII. apostolos significant. *Tabernacula Iacob*, Ecclesiam Catholicam significant, quæ semper hic affligitur. Merito supra istam, illa spiritalis & cœlestis diligi dicitur : in qua iam nihil perturbationis esse declaratur.

E

2 Gloriosa dicta sunt ¶ de te : ¶ *In te.*
Civitas Dei. Diapsalma.

H. *Civitas Dei*, est sancta Ecclesia : de qua in omni serie scripturarum *gloriosa dicta sunt*, & in omnibus prophetis. Esaias enim dixit. *Surge Hierusalem*, de qua & salvator. *Non potest* inquit *civitas super montem posita abscondi.*

3 Memor ero † Raab & Babylonis : † *Superbia.*
Scientium me.

H. *Raab* interpretatur superbia vel latitudo. Vndè per *Raab*, latitudo imperij Ecclesiæ designatur, sive latitudo peccati. *Babylon*, confusio : utraque autem significat plebem gentium, quæ ante Adventum Christi, in spatiosis huius seculi viis per superbiam gradientes, confusioni idolorum & peccatorum traditæ fuerant, sed per misericordiam illuminatæ sunt. Dicit vero *scientium me* : Non enim cuiuslibet *Raab & Babylonis memor erit* in iudicio Dominus : sed tantum *scientium se*, per fidem & charitatem. Translatio tamen Hebræa & Romana, *scientibus me*, habet.

4 Ecce ¶ alienigenæ ¶ *Palæstina.* & Tyrus † & populus Æthiopum : † *Cum Æthiopia.*
¶ Hi fuerunt illic. ¶ *Iste natus est ibi.*

C. *Alienigena*, sunt à iudaico populo extranei : & illis non credentibus, isti sunt recepti. H. Et nos sumus isti alienigenæ, & Tyrus & populus æthiopum. C *Tyrus*, significat angustiam pœnitentium, quæ ex contritione super peccatis procreatur : *populus æthiopum*, qui peccatorum fuerat obscuritate teterrimus, sed in Dei civitatem collectus est.

5 † Nunquid Sion dicet homo ? & homo natus est in ea : † *Ad Sion autem dicetur vir, & vir natus est in ea.*
Et ipse fundavit eam ¶ altissimus. ¶ *Excelsus.*

H. *Nunquid Sion*, id est, quis hominum poterit dicere ipsi Sion : quomodo nascetur homo in ea ? & tamen nascetur talis homo in ea, qui est altissimus scilicet Deus, & *fundavit eam* scilicet Sion. *Et homo natus est in ea.* C. Assumptâ carne Deus est homo factus, & fundavit ipse Synagogam, ut Deus, qui tantum putabatur homo.

6 Dominus † narrabit in scripturis populorum & principum :
Horum qui fuerunt in ea. † *Numeravit scribens populos, ipse natus est in ea.*
Diapsalma.

C. Narravit Dominus frequenter in euangelio, quod de ipso prædixerat Moyses. Ipsi sunt enim *principes*, Moyses & prophetæ, *qui fuerunt in ea*, id est, in Synagoga. H. Vel in Sion, id est, in Ecclesia, narravit in scripturis Apostolorum, qui fuerunt in carne viventes principes in ea.

7 ¶ Sicut lætantium omnium ?
Habitatio est in te. ¶ *Et cantabunt quasi in choris omnes fontes mei in te.*

C. *Sicut lætantium* : de illa incomprehensibili lætitia dicit, ubi æterna habitatio est fidelium. H. Vel potius de Ecclesia hic dicitur : ubi non verè & plenè lætantium, sed sicut lætantium est habitatio.

A

Oratio ex Pſal LXXXVI.

FVndamentum fidei noſtræ Deus, qui in mentibus ſanctis, tanquam in excelſis montibus, æternitatis portas, inſtitiâ muniente componis, concede nobis in te glorioſe credere, atque ad redemptionem noſtram hominem factum, prædicabiliter confiteri. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

Argumentum Pſal. LXXXVII.

C. *Chriſtus à patre petens auxilium, contemptum ſuum refert, quem à Iudæis erat perpeſſus: aſſeritque mortuos eſſe ſuſcitandos, ut poſſint Domino confiteri, reſurrectionem ſibi celerrimam venire depoſcens.*

B

Græcum exemplar non Heman nec Eman ſed Æthan habet, ſicut & in ſequenti habetur titulo, niſi mendoſũ ſit exemplar S. Hier.

TT. Canticum † pſalmi filiis Core in finem pro Maëleth ad reſpondendum, intellectus Eman Iſraëlitæ. † *Carminis filiorum Core? Victori per chorum ad præcinendum eruditionis Eman Eſraitæ.*

C. *Maeleth*, interpretatur chorus, divina verba decantans. *Eman*, frater eius: quo vocabulo Chriſtus eos appellat, qui eius præceptis obediunt. *Iſraëlita*, Deum videntes, qui per obedientiam, Dei luce radiant. Hieronymus in commentario Origenis, *Maeleth*, & Auguſtinus & Caſſiodorus habent: verum in tranſlatione Hieronymi ex Hebræo in Latinum, nec *Amelech* nec *Maeleth*, ſed *per chorum* habetur: quod Hebraicè dicitur *Mahalat*, nec *Iſraëlita*, ſed *Eſraita*. Caſſiodorus tamen Auguſtinum ſequens *Maeleth* expoſuit & *Iſraëlita*, ubi in commentario Hieronymi *Iſraëlita* ſcriptum invenitur, ſed in Hebræo *Eſraita*.

C

1 DOmine Deus ſalutis meæ:
† In die clamavi & nocte coram te.
† *Per diem.*

C. Orat Chriſtus ad patrem, per id quod de virgine Maria natum eſt, deſignans humilitatem imbecillitatis humanæ, quam eſt dignatus aſſumere. *In die*, lætitiam ſignificat: *& nocte*, adverſitatem declarat: utroque enim tempore, Deum eſſe deprecandum demonſtrat.

2 Intret ¶ in conſpectu tuo oratio mea:
¶ *Ante te.*
Inclina aurem tuam ad † precem meam.
† *Laudationem meam.*

D

C. Inclinat autem aurem ſuam Dominus, cum miſericors dignatur audire, mirabili operatione ſuæ virtutis, non aure corporis.

3 Quia repleta eſt malis anima mea:
Et vita mea ¶ inferno appropinquavit.
¶ *Ad infernum deſcendit.*

C. *Malis* dicit completam eſſe animam ſuam: malis utique, non ſuis, qui peccata non habuit: ſed delictis mundi, quibus laborabat humanitas. *Et vita mea inferno appropinquavit*: hoc pertinet ad paſſionem Chriſti, ut in evangelio, *triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Mat. 26.

4 † Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum: † *Reputatus.*
Factus ſum ſicut homo ¶ ſine adiutorio, inter mortuos liber. ¶ *Invalidus.*

E

C. *Æſtimatus ſum*: culpat eos, qui putabant eum mortuum fuiſſe communiter, ut moriuntur cæteri. *Lacum* dixit, vel locum ſepulchri, vel inferni altiſſimam profunditatem. *Factus ſum, &c.* apud eos ſcilicet qui deitatem eius inſanis mentibus non credebant. Solus etiam *inter mortuos liber* fuit, quia ipſa quoque mortis clauſtra confregit. Ipſius enim tantum mors libera fuit, qui peccatum non fecit, & mors quoque eius voluntaria fuit: & licet liber eſſet inter mortuos, tamen à dementibus æſtimatus eſt ſicut vulnerati, &c.

Lacus. Inter mortuos liber.

5 Sicut † vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius: † *Interfecti & dormientes in ſepulchro.*
Et ¶ ipſi de manu tua repulſi ſunt.
¶ *Qui à manu tua abſciſſi ſunt.*

F

C. Adhuc enim de illis vaniſſimis dicit, qui putabant Deum, lancea vulneratum, occiſum, pariter & ſepultum, quaſi unum ex hominibus ſceleratis. *Quorum non es memor*, id eſt, de quibus non habes curam, quoniam peccatis facientibus, à te reddebantur alieni, Curam igitur intellige, quoad ſalutem eorum. *Et ipſi repulſi ſunt*: hoc eſt ipſi à manu Dei probantur expulſi, dum à gubernatione eius reddebantur alieni.

6 † Poſuerunt † *Poſuiſti.* me in lacu ¶ inferiori: ¶ *Noviſſimo.*
In tenebroſis & in † umbra mortis.
† *In profundis.*

G

C. *Lacus* pro inferno ponitur, & pro ſepultura foveali, & pro mundi iſtius profundiſſimâ calamitate: quod hic voluit intelligi. *In tenebroſis*, id eſt, ſub oblivionis cæcitate. *Umbra mortis*, peccatorum indicat locum, dum eis gaudium non relucet, qui in perpetua ſuæ triſtitiæ obſcuritate manebunt. Umbra mortis.

7 Super me confirmatus eſt furor tuus:
Et ¶ omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me. ¶ *Cunctis fluctibus tuis afflixiſti me.* Diapſalma.

C. Putabant Iudæi per furorem Dei, Ieſum Chriſtum ad pericula paſſionis perveniſſe: ſicut dicebant, *liberet eum ſi vult.* H. Per fluctus, iram furoris vult intelligi, quem pater effuſurus fuiſſet ſuper omnes gentes. *Super me induxiſti*: qui peccata eorum ſuſcepi, ſicut alibi ait: *propter peccata populi mei percuſſi eum.* Mat. 27. Eſa. 53.

8 Longè feciſti notos meos à me:
† Poſuerunt me abominationem ſibi.

H

9 Traditus ſum & non egrediebar:
Oculi mei languerunt præ inopia.
10 Clamavi ad te Domine totâ die: † *Poſuiſti me abominationem eis, clauſum & non prodeuntem: Oculus meus infirmatus eſt ab afflictione, invocavi te domine.*
Expandi ad te † manus meas. † *Palmas meas.*

C. *Notos*, apoſtolos appellat. Ille enim omnes notos habuit ex divinitate, ipſe autem ſciebatur à paucis. Iſti ergo noti ſpecialiter, longè facti ſunt: ut eſt ſcriptum: *percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis.* *In abominationem* vero poſitus eſt tunc, quando crucifixo dicebant: *vah qui deſtruis templum Dei*: & ſimilia.

C. *Traditus* eſt à Iuda cohortibus inſanorum: veruntamen non eſt egreſſus, quando minimè quod Zac. 13.

præva

A

Præ inopia.

prævaleret ostendit, id est, quando Deitatem occultabat. Sive de custodia non est egressus. *Languerunt oculi*, id est, Apostoli. *Præ inopia*, quia necdum acceperunt spiritum sanctum: inopia dicitur à contrario, ubi nulla est copia.

C. *Clamavi ad te Domine totâ die*: hic distinctio est ponenda, ut isto continuatio totius diei, ad orationem & bonorum actuum opus debeat pertinere. *Expandi manus*: per manus, opera bona vult intelligi, quas bonis actibus semper tetendit ad Deum. Nam si hæc cruci junxerimus, sequentia discrepabunt.

Expandite manus.

11 Nunquid mortuis facies mirabilia.
Aut † medici suscitabunt & confitebuntur tibi? † *Gigantes resurgent*. Diapsalma.

C. Nequaquam feci *mirabilia mortuis*, id est, non credentibus. Illis solis mirabilia fiunt, qui magnalia Dei sub credulitate conspiciunt. *Aut medici suscitabunt*: Hoc dicitur negativè: quia medici dum corporibus præbent curam, animas tamen peccatis mortuas resuscitare non valent: ut confessione verissimâ vivificentur, qui infidelitatis suæ vulnera pertulerunt: verum nec medici corporum, sine Dei munere ægris salutem dare possunt.

B

12 Nunquid ¶ narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam: ¶ *Narrabitur in sepulchro*.
Et veritatem tuam in perditione?

C. *Sepulchrum* enim significat infidelium mentes, & merito sepulchrum dicitur, ubi anima peccatis mortua continetur. Aut *veritatem tuam narrat*, qui est *in perditione* peccati? quia vivi & fideles, in actibus misericordiam narrare consueverunt. Et veritatem ille dicitur enarrare, qui eam invenitur in actibus custodire. Illos ergo notat qui non sunt vera credituri, quorum guttur est sepulchrum patens.

Veritatē enarrare. *Psal. 5.*

C

13 Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua:
Et justitia tua in terra † oblivionis? †
† *Quæ oblivioni tradita est*.

C. *Nunquid cognoscentur*: quia omnis qui facit peccatum odit lucem. C. Nec justitia Dei potest cognosci ab oppressis in terra oblivione, id est, crassissimâ cordis cæcitate, & vitiorum densissimâ caligine.

14 ¶ Et ego ad te Domine clamavi: ¶ *Ego autem*.
Et mane oratio mea præveniet te.

Oratio mea præveniet te.

C. Dicendo autem, *& ego*: significat cum membris suis se clamasse, quorum ipse caput est. *Mane* quoque dixit *prævenisse orationem suam*: cum ante multa sæcula petebat Ecclesia, quæ adhuc expectamus esse ventura. Non vero sic intelligamus, quod oratio gratiam Dei præveniat: quia & quod oramus, ex gratia est.

D

15 Ut quid Domine † repellis orationem meam:
Avertis faciem tuam à me? † *Abjicis animam meam: abscondis faciem tuam*.

C. Repelli putamus orationem nostram, & avertere Deum faciem à nobis, quando vota nostra distulerit: & quamvis ille utilia faciat, nos tamen dilata graviter contristant: quod ex persona martyrum dictum non inconvenienter accipitur, qui talibus desideriis in hoc mundo fatigantur.

16 Pauper sum ego, & ¶ in laboribus à juventute mea:
Exaltatus autem humiliatus sum & conturbatus. ¶ *Ærumnosus ab adolescentia mea, portavi furorem tuum & conturbatus sum*.

C. *Pauper sum ego*, hoc meritò dicit Ecclesia, quæ in paupertate mundi & laboribus à sua juventute fatigatur. *Exaltatus*: quando quisque fidelium res humanas tumido corde cogitat. *Humiliatus*: cum ad confessionem pervenit. *Confusus*: cum mala quæ gessit in pœnitentia damnavit.

17 † In me transierunt iræ tuæ: † *Super me*.
÷ Et :· terrores tui ¶ conturbaverunt me. ¶ *Oppresserunt me*.

C. Pulchrè dictum est *transierunt*: quia non mansuræ. Nam quando fidelis se affligit, iram Domini castigatus evadit. *Terrores* vero dicit venturi judicij, quos omnis caro peccatrix formidabit in judicio: sed etiam boni in hac vitâ perhorrescunt.

18 Circumdederunt me sicut aqua totâ die:
† Circumdederunt me simul. † *Vallaverunt me pariter*.

C. *Circumdederunt me*: utique delicta quæ legis & evangelij districtione damnantur, meritò, quoque aquis comparata sunt, quæ nos copiosissimâ inundatione concludunt.

19 Elongasti à me amicum & ¶ proximum: ¶ *Sodalem*.
÷ Et :· notos meos † à miseria. † *Abstulisti*,

C. *Amicos* dicit: qui honestis studiis morum in civitate conjuncti sunt, *proximos* vero: qui nobis parentelæ ordine sociantur. *Notos*: qui nec amici nec proximi sunt, sed sola visione vel opinione nos didicerunt, quæ genera hominum, frequenter longè facit à fidelibus, formidata passio vel calamitas.

Oratio ex Psal. LXXXVII.

Redemptor omnium, ineffabilisque salutis nostræ Deus: qui pro nobis inferna penetrans, factus es inter mortuos liber: exaudi matutinam familiæ tuæ precem, & erue nos ab inimici insidiantis pessimâ servitute. Qui cum patre & filio, &c.

Argumentum Psal. LXXXVIII.

C. *Vox fidelium, misericordias Domini, potentiámque laudantium.*

TT. † Intellectus Æthan Israëlitæ.
† *Ethan*.

C. *Æthan* interpretatur robustus. *Israëlita*, videns Deum. Et quia psalmus iste erat laudes & promissiones Dei narraturus: ideò illi tale nomen est appositum, ut fidelium verborum indicaret immutabilem firmitatem.

1 Misericordias Domini:
In æternum cantabo.

A

H. Illas enim *misericordias*, quibus hominem peccato mortuum visitare dignatus es per filium, semper *cantabo.*

2 In generatione & generatione :
Annunriabo veritatem tuam in ore meo.

In ore meo.

C. *In generatione & generatione :* duos significat populos, Iudaicum scilic.t & gentilem, quibus se veritatem pronuntiaturum esse testatur. Et benè dictum est, *in ore meo :* quia quod ore progreditur, cito delabitur : quod vero in ore versatur, diutina celebratur devotione. H. Veritas illa Christus est : sive promissiones Dei.

3 Quoniam dixisti † in æternum misericordia ædificabitur : † *Sempiterna.*
¶ In cœlis præparabitur veriras tua * in eis ∴ ∵¶ *Cœlos fundabis & veritas tua in eis.*

B

H. *Quoniam dixisti :* semper enim miseratio tua sublimatur, & nunquam destruetur. H. A. C. *In cœlis præparabitur*, id est, in apostolis prædicabitur veritas tua. Hinc vox patris, *disposui, &c.*

4 † Disposui testamentum electis meis : inravi David servo meo : † *Percussi fœdus cum electo meo.*
Vsque in æternum ¶ præparabo semen tuum. ¶ *Stabiliam.*

Iurare.

H. *Disposui testamentum electis*, id est, doctoribus Ecclesiarum : ut adquisitum per gratiam populum, doceant vel informent. C. *Iurat* vero justissimè Deus: cum suo jure promittit omnia : juravit enim dicimus, jore oravit, id est, justè locutus est. Iurat quoque & ideo justè Deus : quia quod jurat semper potest implere, homo vero justè prohibetur jurare vel juramento promittere, quia non est in potestate sua quod pollicetur efficere. Præparatus quoque est Christus, qui ex semine David origine carnis descendit, *usque in æternum* rex regum & Dominus dominantium : quod secundum humanitatem intelligi oportet. Vel *semen*, non solum Christus est, caput : sed & membra sua scilicet credentes in eum.

Apoc. 19.

C

5 Et ædificabo in generatione & generationem :
† Sedem tuam. † *Thronum tuum.* Diapsalma.

Sedes Christi.

C. *Et ædificabo :* ista pollicitatio ad Christum pertinet, sedes enim eius est omnis sanctus, quem quasi splendidissimum thronum sua gratia insidet. H. Vel thronus eius Ecclesia est: in qua Christus sedet in æternum, & eadem sententia est cum priore licet sint alia verba.

6 Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine :
⁝⁝ Etenim ∴ veritatem tuam in Ecclesia sanctorum.

D

Cœli, prædicatores seu Apostoli.

C. *Confitebuntur cœli :* qui sunt veri prædicatores: quantis miraculis Dominus mondum administret. *Et veritatem* ejus: quia verbum caro factum est, & habitavit in nobis : confitentur, non ubique (sicut mirabilia sua,) sed *in Ecclesia sanctorum*, ubi creditur veritas impleta, & verbum caro factum. H. Vel Apostoli prædicant mirabilia in Christi incarnatione & passione ostensa, & quæ per eum facta sunt, in congregatione sanctorum.

E

7 ¶ Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino : ¶ *Quis enim.*
Similis erit Domino ¶ in filiis Dei ? ¶ *De.*

C. *Nubes :* prophetæ, Apostoli & prædicatores sunt, qui per spiritum sanctum populos compluebant: sed tamen erant obnoxij in lege peccati. Nec inter filios Dei, id est, sanctos, potuit habere æqualem. Quoniam ille per naturam est filius Dei : sancti vero per gratiam, iste sine aliquo peccato : isti per ipsum à peccato probantur exuti.

Nubes.

8 Deus † qui glorificatur in consilio sanctorum :
Magnus & terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt. † *Inclytus in arcano sanctorum nimio, & terribilis in cunctis qui circa eum sunt.*

F

H. C Ipse enim Dominus, qui prædicatur à sanctis, *magnus* dicitur, quod Deus est : *terribilis* à potestate mirabili. *Qui in circuitu eius sunt :* sancti scilicet qui dono ipsius ejus gratiæ proximant, vitæ innocentiâ & sanctitate.

9 Domine Deus ¶ virtutum ¶ *Exercituum.*
quis similis † tibi ? potens es Domine : † *Tu fortissime Domine.*
Et veritas tua in circuitu tuo.

C. *Quis similis tibi ?* quia virtutum & potestatum Dominus es. Sancti enim ditantur virtutibus, non dominantur : tu autem illis rebus imperas, quibus te præstante alij præclari sunt. Tu ex te potens es ; illi per te. Illi in veritate tua illuminati sunt : tibi autem veritas tua semper inest.

Quis similis tibi.

10 Tu dominaris ¶ potestati maris :
Motum autem fluctuum eius tu mitigas. ¶ *Superbia maris, & elationes gurgitum eius tu comprimis.*

G

H. *Tu dominaris potestati maris*, id est, huius sæculi potestatibus. *Motum autem &c.* quando feroces motus persecutionum in martyres & sanctos, pro utilitate sanctorum convertis, ac *mitigas* tentationes quas commovent servis tuis persecutores. C. Dicit vero *mitigas*; ut tollerare possint, non dicit *tollis* ; quoniam si eum motum persecutionum funditus tolleret, coronam martyres non haberent.

11 Tu † humiliasti sicut vulneratum superbum : † *Confregisti quasi.*
In brachio ¶ virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos. ¶ *Forti tuo.*

H. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum*, id est, diabolum, clavis tuæ crucis sauciatum & humiliatum, suis spoliis abstractis. C. *Inimicos :* infideles Iudæos dicit ; qui per innumeras gentes dispersi sunt, per *brachium*, id est, per virtutem Domini Christi.

H

12 Tui sunt cœli, & tua est terra orbem ⁝⁝ terræ ∴ & plenitudinem eius tu fundasti :
Aquilonem & ¶ mare tu creasti. ¶ *Dextrum.*

C. Sensus istius versiculi talis est, cur vulnerant stulti in te sævire, in hoc mundo, cuius tu fundator es

Christe?

A Christe: *Orbis terrarum*, pertinet ad totins mundi spatium; *plenitudo eius*, ad omnes creaturas quæ in eo sunt. *Per aquilonem* diabolnm intellige, qui dixit, ponam sedem meam ad aquilonem. H. Vel Antichristum, de quo ait Dominus ad Hieremiam. Ab aquilone pandetur omne malum. C. *Mare*; sæculi huius elatas & iniquas hominum potestates. Creatura enim non debet superbire creatori, quia ab eo creata est.

Aquilo. *Esa. 14. Hier. 1.*

13 Thabor & Hermon † in nomine tuo exultabunt. † *Nomen tuum laudabunt.*
Tuum brachium cum ¶ potentia. ¶ *Fortitudine.*

Thabor. Hermon

C. A. *Thabor* interpretatum dicitur veniens lumen: quod specialiter pertinet ad adventum Dei. *Hermon* vero Anathema eius, id est, diaboli: quod veniente B Domino suscepit à Christianis. Dignnm enim fuit, nt præsente lumine, tenebrosns diabolus Anathema esset: unde *exultabunt in nomine* Dei sancti. *Brachium cum potentia* Christus est, qui facit quæ vult in cœlo & in terra. Illuminati igitur à te & diabolum abominantes, exultabunt in nomine tuo, tibi gloriam dantes.

14 † Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua: † *Roboretur.*
Iustitia & judicium ¶ præparatio sedis tuæ. ¶ *Firmamentum throni tui.*

H. *Firmetur manus*, id est, opera quæ facis in hoc mundo. C. *Exaltetur dextera*, id est, clarificetur numerus prædestinatorum, qui est ad dexteram collocandus. Sedes quidem Dei sempiterna est & semper præparata, sed tunc nobis apparebit præparata, quando ipsum cernimus judicare justitiam. H. Vel sancti sedes Dei sunt, & nisi quis primus in se justitiam & judicium fecerit, non potest Dei fieri sedes.

Sedes Dei præparata.

C 15 Misericordia & veritas præcedent faciem tuam:
Beatus populus qui † scit jubilationem. † *Novit iubilum.*

C. *Misericordia* est, qua parcit conversis: *veritas*, qua promissa restituit. *Beatus populus* est qui intelligit vel scit jubilationem, id est, qui immensam lætitiam suam, non in propriis viribus, sed in Dei cognoscitur posuisse virtute. *Iubilatio* est copiosa mentis exultatio, quæ verbis explicari non potest.

Iubilatio.

16 Domine in lumine vultus tui ambulabunt :/ & ∻ in nomine tuo exultabunt totâ die:
Et in justitia tua exaltabuntur.

C. Nunc ponit præmium eorum qui sciunt jubilationem. Ambulat in lumine vultus ejus populus Christianus: cum in contemplatione sanctæ trinitatis jugiter perseverat: cum vero dicit, *in nomine tuo*: vetat in D propria præsumptione gaudere. *Totâ die*, totius vitæ tempus ostendit. *Exaltabuntur in iustitia* Dei, quando in illa resurrectione ad dexteram fuerint collocati.

17 Quia gloria ¶ virtutis eorum tu es: ¶ *Fortitudinis.*
Et in † beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. † *Voluntate tua elevabis cornu nostrum.*

H. Sicut enim eis beneplacita fuerunt tua præcepta: ita tibi beneplacitum est in eis, ut in te exaltetur cornu, id est, virtus eorum.

18 Quia ¶ Domini est assumptio * nostra ∻: † *A Domino protectio nostra.*
Et † sancti Israël regis nostri: † *A sancto Israel rege nostro.*

C. *Nostra* enim *assumptio*: Domini est incarnatio, quæ à *sancto Israel* probatur impleta, in qua spem habentes, de profundo peccatorum erigimur sursum: dum ipsius misericordiâ sublevante, in æterna collocamur gaudiis.

19 Tunc locutus es ¶ in visione sanctis tuis, & dixisti: ¶ *Per.*
Posui adiutorium † in potente, † *Super robustum.* :/ & ∻ exaltavi electum de ¶ plebe :/ mea ∻ ¶ *Populo.*

C. Nunc iterum propheta ad patrem loquitur. Locutus est Deus prophetis reliquisque *sanctis in visione*, dum eos fecit aspicere quæ dicebant: unde videntes appellati sunt. *Posuit adiutorium*, idem est, ac si diceret pater perhibuit testimonium potenti, id est, filio: dicens, *clarificavi & iterum clarificabo. Electum* dicit Iesum Christum: *de plebe*, de gente Iudæorum. Vel potens corpus Ecclesiæ dicitur, super quam Christum posuit regem. Vel (ut alia translatio habet) in vel super potentem. H. Id est, diabolum, ut contra vel super diabolum positus, opprimeret superbiam eius.

20 Inveni David servum meum:
Oleo sancto meo unxi eum.

C. Cum dicit, *inveni David*: Iesum Christum evidenter insinuat, quem superius potentem appellavit, & de quo alibi dicitur, *unxit te Deus oleo lætitiæ.*

21 † Manus enim mea auxiliabitur ei: † *Cum quo manus mea firma erit.*
Et brachium meum ¶ confirmabit eum. ¶ *Roborabit.*

C. *Manus brachiumque*, hic pro fortitudine Dei posita est: quæ firmavit humanitatem Christi in passione.

22 † Nihil proficiet inimicus in eo: † *Non decipiet inimicus eum.*
Et filius iniquitatis non ¶ apponet nocere eum. ¶ *Affliget eum.*

C. *Nihil proficies inimicus*, id est, diabolus, qui est proteruus inimicus humanitatis. *Filius iniquitatis* fuit Iudas traditor, qui filius diaboli meritò nuncupatur, qui est autor omnis iniquitatis: qui intentioni Christi in nullo nocuerunt.

23 Et concidam † à facie ejus inimicos eius: † *Ante faciem eius hostes illius.*
Et odientes eum ¶ in fugam convertam. ¶ *Percutiam.*

C. Facies enim Christi, cùm peccatores dignata fuerit intueri, à suis pravitatibus conciduntur. Convertuntur quoque in fugam, quando impiâ vitâ derelictâ, ad Christi cœperint festinare remedia. Peccati enim memores sua facta refugiunt, & ad Domini beneficia convertuntur.

24 † Et veritas mea † *Veritas autem mea.* & misericordia mea ¶ cum ipso: ¶ *Erit cum eo.*
Et in nomine meo exaltabitur cornu eius.

C. *Veritas*

A Cornu eius. Mat. ult.

C. *Veritas* patris est filius : Pertinet hoc ad judicium : *misericordia* vero ad pietatem, quia peccata dimittit. *Cornu* significat invictissimam potestatem : de qua dicit, *data est mihi omnis potestas.* H. Vel *veritas* Christus : quia quæ à patre audivit locutus est. *Misericordia,* quia sanat infirmos mente & corpore. *Cornu:* fortitudo Ecclesiæ eius sanguine redemptæ dicitur.

25 Et ponam io mari manum eius :
Et in fluminibus dexteram eius.

Mare.

C. *Mare* significat universas gentes, in quibus salvator noster gloriam dominationis accepit. H. *Et in fluminibus*, id est, principatus & potestates ipsius mundi, potestatem eius. Vel *mare :* mundum significat : *manus*, operationem. Vel *flumina*, aquas baptismi ostendunt.

B

26 Ipse invocabit me : pater meus es tu :
Deus meus & † susceptor salutis meæ.
† *Fortitudo.*

Ioan. 17 Luc 23.

H. Sæpius eum invocasse patrem in Evangelio legimus : ut est, *clarifica me pater apud temetipsum* : & ibi, *pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

27 ❡ Et ego primogenitum ponam illum :
❡ *Ego autem.*
Excelsum ÷ præ :· regibus terræ.

Primogenitus.

C. Est ergo primogenitus, ut in Evangelio. *Ego sum alpha, & omega.* Et dicit *ponam*, id est constituam. H. *Excelsum præ regibus terræ:* hoc est regna mundi ei cuncta subiicio. Vel primogenitus ex mortuis dicitur : primogenitus quoque patris æterni & matris virginis.

28 In æternum ❡ servabo illi misericordiam meam : ❡ *Custodiam.*
† Et testamentum meum fidele ipsi. † *Pactum.*

C

C. Et hoc dicitur à forma servi : quia misericordiam patris æterno honore suscepit : cui data est potestas in cœlo & in terra. *Testamentum fidele* est : quia quæcunque prophetæ de ipso prædixerunt, omnia completa sunt.

29 † Et ponam in sæculum ÷ sæculi :· semen eius : † *Perpetuum.*
Et thronum eius sicut dies cœli.

C. *Seculum sæculi*, significat æternitatem. *Semen* David Christus est, *thronus eius* potestas est futuri judicij : in qua fulgebunt justi cœlesti claritate.

30 Si autem dereliquerint filij eius legem meam:
Et in judiciis meis non ambulaverint.

D

Filij eius.

C. Hos duos versus dicit de populo Christiano. Filij enim dicuntur Christiani quoniam Ecclesiâ matre, ex aqua & spiritu sancto regenerantur.

31 Si † justitias meas prophanaverint : † *Caeremonias.*
Et ❡ mandata mea non custodierint. ❡ *Præcepta.*

C. *Si iustitias* Christi, id est, mandata eius non custodierint, supra nominati filij : in subsequentibus eis digna promittitur evenire vindicta.

32 Visitabo in virga † Iniquitates eorum : † *Scelera.*
Et in verberibus peccata eorum. ❡ *Iniquitates.*

E

C. *Visitat in virga* : quando districte judicat, ut Apostolus ait, *quid vultis in virga veniam ad vos?* visitat quoque in *verberibus* : quando in nobis lenius vindicatur quod delinquimus. Vel virga percutit, flagella vero verberant.

1. Cor. 4.

33 Misericordiam autem meam non † dispergam ab eo : † *Auferam:*
Neque ❡ nocebo in veritate mea. ❡ *Mentiar.*

C. Superiora de membris dixit : nunc vero de capite loquitur. Dicit enim pater : *misericordiam suam* non se à Christo *dispergere*, sed tutâ plenitudine condonare *Neque nocebo* : nam etsi inimici permissi sunt nocere: in veritate tamen patris non est filius læsus, cuius totum mundum redimit sanguine : & quia omnia veritatis ordine constat impleta in Christo, quæ pater per prophetas dixit. Vnde & addit. *Non profanabo,* &c.

F

34 † Neque prophanabo testamentum meum:
Et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. † *Non violabo pactum meum, & quod egressum est de labiis meis non mutabo.*

C. *Non prophanavit* pater *testamentum suum*, id est, scripturam sanctam mentiendo, sed rerum fide honorabile fecit : dum quæ progressa sunt de labiis eius, id est, per sanctos prophetas, nullâ falsitate destructa sunt.

G

35 Semel iuravi in sancto meo:
Si David mentiar? semen eius in æternum † manebit. † *Erit.*

C. Hominum consuetudo est frequenter jurare, ut eis aliquid possit credi : Deus autem semel jurat, qui nulla varietate temporis immutatur : Iuramentum autem ejus diximus, ventura promittere. *Si David mentiar?* id est, non mentiar, *si* enim est negativè positum, quod etiam usus communis habet.

Semen Christi.

Semen Christi sunt omnes sancti & vere Christiani: qui in sancta conversatione usque in finem permanebunt hujus vitæ & post in æternum.

36 Et thronus eius sicut sol in conspectu meo : ÷ & :· sicut luna ❡ perfecta in æternum:
Et testis in cælo fidelis. ❡ *Stabilietur in sempiternum.* Diapsalma.

H Thronus Dei.

C. *Thronus* Dei, animas fidelis est, in qua reverâ Christus insidet, atque lucet sicut Sol : & sicut Luna, id est, compago corporis nostri post resurrectionem clarificata. C. *Et testis fidelis* : Christus est, qui testimonium perhibuit de veritate, quæ est ipse, & de opere patris in mundo. Dicit vero eum *in cælo*, id est, cœlesti homine & sancto : in illo ipsa caro glorificata, testis est fidelis huius promissionis impletæ, non in damnato homine.

Testis in cœlo fidelis.

37 Tu vero repulisti & † despexisti:
Distulisti Christum tuum. † *Proiecisti: iratus es adversus Christum tuum.*

Hæc depulsio & despectio de regno Salomonis, facta est in posteris eius.

Qui autem ait *distulisti*, non de Salomone, nec de

Distulisti.

David

A Rom. 11. David dictum eſſe manifeſtum eſt, ſed de Chriſto. A. Quem à populo Iudæorum pater diſtulit, nun abſtulit: quia reliquiæ ſaluæ fient in fine.

38 ¶ Avertiſti teſtamentum ſervi tui: ¶ *Attenuaſti pactum.*
Prophanaſti in terra † ſanctuarium eius. † *Diadema eius.*

C. *Avertiſti teſtamentum*, id eſt, in aliam partem tranſtuliſti: ut quod Iudæis fuerat promiſſum, ad gentium utilitatem perveniret. Non enim eis remanſit templum, ſacerdotium, oblatio vel regnum: ſed Chriſtiani omnia pleniſſime ſunt conſecuti. *Teſtamentum*: hoc eſt promiſſio nativitatis Dei. *Prophanum*, dictum eſt irreligioſum: quia veniente Chriſto, immolatio pecudum & obſervatio ſabbatorum, ſubmota ſunt *in terra*, hoc eſt in toto orbe, ubi eſt Eccleſia Chriſti. [margin: Propha num.]

39 ¶ Deſtroxiſti omnes ſepes eius: ¶ *Diſſipaſti omnes macerias.* B
Poſuiſti † firmamentum eius formidinem. † *Munitiones eius pavorem.*

H. *Deſtruxit ſepes*, id eſt, verba legis. C. *Firmamentum* Iudæorum defenſio eſt Dei & Chriſti, quam in formidinem poſuiſti: ut culpis facientibus, ipſum Dominum formidarent, cuius ſolebant munitione vallari.

40 Diripuerunt eum omnes tranſeuntes viam:
Factus eſt opprobrium vicinis ſuis.

A. C. *Diripuerunt* civitatem Hieruſalem, *omnes tranſeuntes viam*, hoc eſt gentes. C. Merito quoque populus Iudaicus factus eſt *opprobrium vicinis*: quoniam Chriſto credere noluit.

41 † Exaltaſti † *Elevaſti.* dexteram ¶ deprimentium eum: ¶ *Hoſtium eius.* C
Lætificaſti omnes inimicos eius.

C. *Exaltavit dexteram deprimentium*: quando Iudæi hoſtibus ſuis traditi, vaſtiſſimas cædes pertulerunt. Tunc enim lætus efficitur inimicus, quando coram eo humiliatur adverſarius.

42 Avertiſti † adiutorium gladij eius: † *Robur.*
Et non ¶ es auxiliatus ei in bello. ¶ *Sublevaſti eum in prælio.*

C. *Avertit adiutorium gladij eius*: cum ille populus armatus ſicut inermis factus eſt, ut cum prius pauci plures vincerent: plures poſt paucis reſiſtere non valerent.

43 † Deſtruxiſti eum ab emundatione: † *Quieſcere feciſti munditiam eius.* D
Et ſedem eius in terra ¶ colliſiſti. ¶ *Detraxiſti.*

A. C. *Deſtruxiſti eum*, id eſt, removiſti eos qui obſtinatione mentis Chriſtum ſpernere maluerunt. Eos enim *ab emundatione*, id eſt, fide, quæ emundat corda, deſtruit, quos etiam damnare decrevit. *Sedes* etiam hic pro regno poſita eſt: quæ merito dicitur in terra colliſa, quando diviſus populus in toto orbe eſt diſperſus, ulterius regem & regnum non habiturus. [margin: Sedes Iudæorum colliſa.]

44 ¶ Minoraſti dies temporis eius:
Perfudiſti eum confuſione. ¶ *Abbreviaſti dies adoleſcentiæ eius: operuiſti eum ignominia.* Diapſalma.

C. Minorati ſunt dies regni judaici: quia pollicitationem Abrahæ promiſſam, de regni æternitate, habere non meruit. Confuſi ſunt etiam ſcilicet corde incredulitatis ſuæ, dum gentes ad ſuum Dominum converti vident, quem ipſi occiderunt.

45 Vſquequo Domine † avertis in finem: † *Abſconderis.*
¶ Exardeſcet ſicut ignis ira tua? ¶ *Succenditur.*

C. Petit nunc propheta Dominum: ut judaico populo miſeratus indulgeat. *In finem*: ſæculi terminum ſignificat, quando Iudæi convertentur. Exardeſcimus ira, cum vindicare diſponimur: iraſcimur vero mediocriter, quando aliquem ſermone corripimus. Adiecit itaque, *ſicut ignis*, qui obiecta conſumit.

46 † Memorare quæ mea ſubſtantia: nunquid enim vane conſtituiſti.
!: Omnes :· filios hominum? † *Memento mei de profundo: alioquin quare fruſtra creaſti filios hominum.*

C. Rogat propheta, ut iſtam carnem, peccatis obnoxiam, adventus ſui gloriâ liberare dignetur: quia non eſt ad hoc creata, ut eam permitteret, quaſi vanum aliquid, interire.

47 Quis eſt homo ¶ qui vivet & non videbit mortem: ¶ *Vir.*
† Eruet animam ſuam de manu inferi? † *Salvans.* Diapſalma.

C. *Quis eſt homo*: interrogative legendum eſt: ubi ſubaudiendum: nullus. Omnes enim homines, ſive iuſti ſive peccatores, mortem videbunt: quæ primo homini inflicta eſt lege peccati. *Eruet animam*: hic ſimiliter ſubaudiendum nullus, *de manu*, id eſt, de poteſtate *inferi*: quæ à nullo de iſta poteſtate poteſt eripi: niſi per illum qui moriendo proſtravit mortem.

48 Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine:
¶ Sicut iuraſti David in veritate tua? ¶ *Quas.*

C. *Vbi ſunt miſericordiæ?* non ſub dolore dicitur, ſed quaſi tardans Dominus poſtulatur, ut cito præſtet quod eum noverat eſſe facturum. Antiquas dicit: quas Abrahæ feciſſe ſciebat, antiquas enim non diceret niſi ante Davidica tempora factas eſſe cognoſceret.

49 Memor eſto Domine opprobrij ſervorum tuorum.
† Quod continui in ſinu meo multarum gentium. ¶ *Quia portavi in ſinu meo omnes iniquitates populorum.*

C. Opprobrium contigit ſervis Dei: quando gentes amore idolorum, perſequebantur Chriſtianos: hoc erat *in ſinu* Chriſtianorum, id eſt, in ſecreto mentis affectu: quia palam timebant loqui, unde probabantur extingui.

50 ¶ Quod exprobraverunt inimici tui Domine: ¶ *Quas.*
† Quod exprobraverunt commutationem Chriſti tui. † *Quibus exprobraverunt veſtigia Chriſti tui.*

H. *Exprobrav*

A H. *Exprobaverunt* : Iudæi videlicet & pharisæi. C. Ipsa est commutatio Christi : qua obstinatos deseruit, & fideles ad dona suæ pietatis ascivit.

51 Benedictus Dominus in æternum:
† Fiat fiat. † *Amen amen.*

C. *Benedictus Dominus* : contra maledictiones gentilium positum est, quoniam quæ dicunt illi caduca sunt. Laus autem Domini permanet in æternum. Sequitur, *fiat fiat* : ut tantis promissionibus nemo dubitaret, ubi confirmatio iterata succederet.

Fiat fiat.

Oratio ex Psal. LXXXVIII.

B *ERue Domine animas nostras, de manu inferi, qui pro nobis inferna fortiter confregisti : ut tuas misericordias decantantes : & à confusione criminum, & à morte perpetua liberemur. Qui cum patre & spiritu &c.*

Argumentum Psal. LXXXIX.

C. *Oratio fidelium populorum pro Ecclesia ad Deum.*

TT. Oratio Moysi ¶ hominis Dei. ¶ *Viri.*

1 DOmine † refugium * tu ⁝ factus es nobis : † *Habitaculum.*
¶ A generatione & generatione. ¶ *In.*

Moyses typus Ecclesiæ.

C. Moyses ille venerabilis, in Typo sanctæ Ecclesiæ, quam præfiguratione gestabat, Domino fusa oratione gratias agit : qui factus est illi refugium, cum ab universis periculis noscitur esse liberatus. Verum ut hoc non tantum de uno homine, sed de universali Ecclesia adverteres, nobis posuit non mihi. *A generatione* dicit illud tempus, ex quo cœptum est genus humanum. Progenie : usque in finem sæculi significat, ac si diceret semper.

C

A generatione & progenie.

2 Priusquam montes † fierent aut formaretur terra & orbis : † *Nascerentur & parturiretur terra.*
A sæculo & usque in sæculum tu es Deus.

C. *Montes*, hic ponamus potestates cœlorum eximias : ac si dicat, tu es antequam cœlestia terrenaque formares. *A sæculo & usque in sæculum* æternitatem debemus advertere. *Tu es* : competenter Deo dicitur, quia non habet præteritum nec futurum : sic enim Moysi dixit. *Ego sum qui sum.*

3 ¶ Ne avertas hominem in humilitatem :
Et dixisti, convertimini filij hominum.
¶ *Convertens hominem usque ad contritionem : & dicens, revertimini filij Adam.*

D

C. *Ne avertas hominem in humilitatem*, id est, ne in mundi istius concupiscentiam ambitionemque proiicias. Merito ergo petit, ne deserantur homines in lubricis lapsibus, quibus dictum est : *convertimini.*

4 Quoniam mille anni ante oculos tuos.
Tanquam dies hesterna quæ ¶ præteriit. ¶ *Pertransiit.*

C. *Mille* enim *anni*, non solum pauci sunt ante oculos Dei, sed omnino *tanquam hesterna dies* habentur præteriti. Finitum quoque pro infinito posuit, id est, mille pro omnibus. E

5 † Et custodia in nocte : † *Et vigilia nocturna.*
¶ Quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt. ¶ *percutiente te eos ut somnium erunt.*

C. Pulchrè autem humanam vitam nocturnis comparavit excubiis : ubi totum sub obscuritate & trepidatione geritur : quando mens hominum vitiis carnalibus circundata pulsatur. Custodia vero nocturna tribus horis expletur : Quatuor enim custodiæ noctem complent.

6 Mane sicut herba † transeat, † *Pertransiens*, mane floreat & transeat :
Vesperè decidat induret & arescat. ¶ *Floruit & abiit, ad vesperum conteretur atque siccabitur.* F

H. C. *Mane* : infantia & pueritia sive adolescentia nuncupatur : *vesperum* vero senectutem hominis appellat. H. Mane nostrum, non stat, sed transit, id est, iuventus nostra, perit à senectute : nec ipsum vesperum manet, sed decidit.

7 † Quia defecimus in ira tua : † *Consumpti enim sumus.*
Et in furore tuo turbati sumus.

C. *Defecimus* enim dictum est, id est, humanâ sumus infirmitate fatigati. Conturbati sumus : cogitatâ mortis formidine quam omnes timemus. H. Nongentis & amplius annis vivebamus ; & ecce in brevem vitam nostra vita contracta est : quia defecimus, in ira tua.

8 Posuisti iniquitates nostras ¶ in conspectu tuo : ¶ *Coram te.* G
† Sæculum nostrum in illuminatione vultûs tui. † *Negligentias nostras in luce vultûs tui.*

H. *Posuisti, &c.* hoc est te latet nihil de peccatis nostris. *Sæculum nostrum in illuminatione.* C. Quia statim ut delinquimus, vindictam expectamus. H. Quicquid etiam in secreto nos facere putamus, illuminatione tuâ & in oculis tuis patet. Habet enim hebræa veritas : vita nostra illuminatione vultûs tui.

9 Quoniam omnes dies nostri ¶ defecerunt :
※ Et ⁝ in ira tua defecimus. ¶ *transierunt in furore tuo, consumpsimus annos nostros quasi sermonem loquens.*
10 Anni nostri sicut aranea meditabuntur :
Dies annorum nostrorum in ipsis Septuaginta anni.

C. Brevitatem humanæ vitæ, dicit propter iram Domini provenisse. Nam quod dicit *omnes dies nostri defecerunt*, ad annos pertinet innumerabiles, quod autem sequitur : *& in ira tua defecimus* : ad tribulationes ærumnasque respicit, quas in ipsa vita paruissima sustinemus. H

C. *Aranea* est animal debile ac tenuissimum, quod transeuntibus muscis, ad escam sibi præparandam, quædam retia dolosa contexit : sic anni eorum, qui sceleratis operibus dediti sunt, inanibus & subdolis machinationibus occupantur. Aranea dicta, quod sit arida, nimisque subtilis. *Meditabuntur* vero, non operabuntur dixit, quoniam sub nullo fructu operum, sed inani meditatione vixerunt.

Aranea.

11 Si

A

11 Si autem † in potentatibus, Octoginta anni: † *Multum octoginta.*
Et ¶ amplius eorum labor & dolor. ¶ *Quod amplius labor.*

Num. 70. & 80. Mysterium.

H. Licet hoc secundum historiam, de brevitate humanæ vitæ, non incongruè accipi debeat: tamen uterque numerus à spirituali sacramento non vacat. H. C. Septuagesimus denique numerus legem, octuagesimus evangelium significat. C. Quisquis enim hic legis præcepta & evangelicæ institutionis excedit: labori in præsenti, & dolori in futuro implicatur.

12 Quoniam † supervenit mansuetudo:
Et corripiemur. † *Transibimus cito & avolabimus.*

B

C. *Supervenit* autem *mansuetudo*, id est, Iesus Christus: nósque corripit & emendat, si testamentum eius implere non satagimus.

13 Quis novit ¶ potestatem iræ tuæ: ¶ *Fortitudinem.*
Et † præ timore tuo iram tuam dinumerare?

14 Dexteram tuam sic notam fac:
Et eruditos corde in sapientia. † *Secundum timorem tuum indignationem tuam. Vt numerentur dies nostri sic ostende, & veniemus corde sapienti.*

C. Nam sicut præmia Dei plenissimè nequeunt intelligi: ita nec mensura vindictæ prævalet apprehendi: Bene vero addidit præ timore: sicut & alius propheta ait, *consideravi opera tua & expavi.*

C

C. *Dexteram* enim dicit, Dominum salvatorem, petens ut ipse illis notus fiat: per quem omnia profutura discimus *Et eruditos, &c.* id est, intellectum habentes in Dominum Christum. Eruditus dicitur quasi ex omni iure elicitus. Ipse enim Dei virtus & sapientia patris, quem hic postulat, non corporeis oculis, sed erudito corde cognoscere.

15 Convertere Domine usquequo:
Et ¶ deprecabilis esto super servos tuos. ¶ *Exorabilis.*

C. Postulat propheta Dominum, ut iustitiam suam aliquâ lenitate temperet, quatenus exorari possit à peccatoribus, quibus iustè noscebatur iratus. H. Vsquequo tu, quem prophetæ dixerunt venturum, tardaveris Domine?

16 † Repleti sumus mane misericordiâ tuâ:
Et exultavimus & delectati sumus in omnibus diebus nostris. † *Imple nos matutina misericordia tua, Et laudabimus & lætabimur in cunctis diebus nostris.*

D

C. Repletum se dicit à *misericordia mane*, id est, lucidâ contemplatione Dei. Quoniam vir sanctus Domini prævidebat adventum: necesse fuit ut cor eius exultaret in laude, & delectaretur omnibus diebus vitæ suæ.

17 ¶ Lætati sumus ¶ *Lætifica nos.* pro diebus quibus nos † humiliasti: † *Afflixisti.*
* Et ∴ annis quibus vidimus mala.

C. Narrat propheta, se esse lætum in illis tribolationibus, per quas humiliandum populum salutariter sentiebat. Sciebat enim fidelibus viris, noxiam esse superbiam: & ideò lætatur in tribulationibus per quas humilitas custoditur.

18 ¶ Respice in servos tuos, & in opera tua:
Et dirige filios eorum. ¶ *Appareat apud servos tuos opus tuum & gloria tua super filios eorum.*

C. Considera hic, quibus verbis, pietatem boni iudicis invitavit; ut primo diceret, *respice in servos tuos* deinde *in opera tua*: quatenus & si factis suis veniam non mererentur accipere, eam per opera creatoris impetrarent. Quod argumentum apud rhetores dicitur à laude iudicis.

19 † Et sit splendor Domini Dei nostri super nos: & opera manuum nostrarum dirige super nos: † *Et sit decor Domini Dei nostri super nos, & opus manuum nostrarum fac stabile super nos.*
* Et opus manuum nostrarum ¶ dirige ∴ ¶ *Confirma.*

C. *Splendor Domini super nos* est: quando crucis eius impressione decoramur. *Opera nostra diriget super nos*: quandò donat nobis veniam peccatorum, ut cum fuerimus perversi, efficiamur eius correctione rectissimi. A. Vel opera manuum nostrarum diriguntur super nos; quando ea non pro terrenarum rerum mercede facimus *Et opus manuum nostrarum*: id est, charitatem, *dirige super nos*, ut omnia opera nostra, sint unum opus Charitatis: quia ipsa est finis præcepti & omnium operum nostrorum.

Oratio ex Psal LXXXIX.

Lucifluì syderis sator omnipotens Deus, qui novam mundo lucem, fugata nocte restituis: satia nos quæsumus remittente misericordiâ, ut omnes peccatorum obscuritates, te illuminante pellamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.

Argumentum Psal. XC.

C. Propheta prædicit, omnem fidelem Dei adiutorio circumdari: laudémque Christi denuntiat.

TT. ⁝ Laus cantici David ∴.

C. *Laus Cantici*, est divina laudatio. David enim hic ipsum prophetam dicit, qui primam partem huius psalmi suavi relatione dicturus est. Et hunc hymnum dæmonibus piâ confidentiâ semper opponimus, ut à nobis potius inde vincantur, unde contra creatorem aliquid dolose dicere tentaverunt.

1 QVi habitat in † adiutorio altissimi:
In protectione Dei ⁝⁝ cœli ∴ commorabitur. † *Absconditо excelsi: in umbraculo Domini commorabitur.*

C. *Qui habitat*, habitare enim est permanentis non discedentis. Qui tantam igitur spem, non in propriis viribus ponit, sed in altissimi voluntate constituit, talis vir protegitur à Domino cœli. Dicit enim, qui hic babitat, illic *commorabitur*, hoc est, qui in isto sæculo ab ipso non discedit, in illo semper mansurus est.

A

2 ¶ Dicet Domino susceptor meus ! ! es tu
∴ & refugium meum Deus meus :
¶ *Dicens Domino , spes mea & fortitudo mea.*
† Sperabo in eum. † *Confidam in eum.*

3 Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium :
† Et à verbo aspero. † *De morte insidiarum.*

Suscepit. Refug. ß.

C. Hoc dicit ille , qui sibi solum credit utile , quod dignatur superna pietas præstare. Cùm dicit vero *susceptor meus :* totum se confirmat in eius beneficia proiecisse. *Refugium* cum dicit : nullum sibi aliud esse profitetur auxilium , sed quando huius sæculi tempestatibus quatitur , ad portum divinæ misericordiæ se confugere velle testatur.

B

Verbum asperum.

C. Sperabo in eum : causam dicit cur in eum sperare debeat : quia ipse nos ab inimicorum , sive spiritalium sive carnalium , potest liberare versutiis : Qui laqueos ponunt (ut venatores) quibus possint ignorantes dolosis insidiis irretire. *Verbum asperum* est, omne verbum quod contra regulas divinas dictum est.

4 ¶ Scapulis suis obumbrabit tibi : ¶ *In scapulis suis.*
Et sub † pennis eius sperabis. † *Alis.*

Scapulæ Dei. Pennæ eius.

C. *Scapula* Dei : sunt operationes mirabilium , per quas velut quibusdam humeris virtus divina monstratur. *Pennæ* sunt monita prophetarum : quæ si recipiantur pura mente fideles animas ad cœlos usque perducunt. Etsi quæras quid ista obumbratio præstet : dico, ut per diem sol non urat te neque luna per noctem.

5 ¶ Scuto circumdabit te veritas eius :
¶ *Scutum & protectio veritas eius.*
Non timebis à timore nocturno.

C

Timor nocturnus.

H. *Circumdat nos veritas scuto* , id est , Christus suâ protectione : ne ardentibus sagittis diaboli percutiamur. *Non timebimus à timore nocturno,* id est, diabolum qui semper in tenebris est ut percutiat. Sive hoc dicit, licet in errore fueris , qui nox est , tamen non timebis sub scuto veritatis : quia proteget te illud.

6 A sagitta volante † in die , à negotio perambulante in tenebris :
Ab incursu & dæmonio meridiano.
† *Per diem : à peste in tenebris ambulante : à morsu insanientis meridie.*

C. *Sagitta volans* per diem : manifesta est persecutio tyrannorum. *Negotium in tenebris :* pravum studium eorum intellige. *Dæmonium meridianum :* periculum maximum est , fervore persecutionis accensum, ubi ruina plerumque metuitur , quando infirmitas humana superatur. Ruina autem certè dicta est , quasi repetens ima.

D

Ruina.

7 Cadent à latere tuo mille , & decem millia à dextris tuis :
Ad te autem non appropinquabit.

X. millia à dextris tuis.

C. *Mille à latere* eius dicit *casuros :* ab illa scilicet summitate iudicationis , quâ iudicabunt sancti cum Christo , ut assessores. Illi enim inde cadunt , qui falsa præsumptione illud sibi promittunt. Sed quoniam pauci hoc faciunt : ideo subdit. *A dextris decem millia :* quia multi putant se ad dexteram collocandos falsa opinatione, cum hoc in suis meritis non habeant. *Ad te non appropinquabit* scilicet qui sibi regnum Dei fallaciter pollicebatur , & ad remedium pœnitentiæ non currebat : ponit vero pro infinito numero numerum finitum.

E

8 Verumtamen oculis tuis ¶ considerabis :
Et retributionem peccatorum videbis.
¶ *Videbis, & ultionem impiorum cernes.*

C. *Oculis tuis :* dixit divinum illum conspectum, quo hominum merita iudicantur. Illa enim consideratio, retributio erit meritorum. *Videbis,* id est, videri facies. Illa ergo meritorum in iudicio Dei discretio, oculorum Dei consideratio dicitur.

9 Quoniam tu es Domine spes mea :
† Altissimum posuisti refugium tuum.
† *Excelsum posuisti habitaculum tuum.*

F

C. *Quoniam tu es Domine spes mea :* quia resurgente Domino , spem retributionis reliqua membra perceperunt. Verùm etiam Dominus salvator , per id quod mortuus est , refugium suum noscitur in altissimo posuisse , unde merito Ecclesia sequitur eius exemplum, eum sibi refugium ponens, quem ille habuit.

10 Non accedet ad te malum :
Et ¶ flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. ¶ *Lepra.*

C. Licet Christus à Iudæis convitia pertulisset : tamen nihil mali corpori suo appropinquare valuit. Hic enim flagellum positum est, quod delicta castigat , tale Christo non appropinquavit : quia nihil castigandum & flagellandum habuit, unde hypallage est : quia ipse malo aut flagello non appropinquavit : quæ sententia in litera psalmi vertitur : Flagellum quoque pro opere flagello digno ponitur.

Hypallage, figura loctionis.

11 Quoniam angelis ! ! suis ∴ mandavit de te :
Vt custodiant te in omnibus viis tuis.

G

C. Nam quod legitur *angelis esse mandatum*, ut eum debeant custodire , humanæ infirmitatis est. Vndè & dicitur in evangelio, apparuit illi angelus de cœlo confortans eum. Et ut ipsam humanitatis naturam perfectissimam declararet, adiecit : *Ne forte offendas.*

Luc. 22.

12 In manibus portabunt te :
Ne forte † offendas ad lapidem pedem tuum. † *Offendat ad lapidem pes tuus.*

C. *Ne offendas* , id est , ne in legem quæ in lapideis tabulis scripta videbatur, incurreret : qui venerat gentes legem & evangelicam doctrinam edocere, id est, ne solvat legem sed impleat.

Mat. 5.

13 Super aspidem & basiliscum ¶ ambulabis : ¶ *Calcabis.*
13 Et ∴ conculcabis leonem & draconem.

H

C. Nam ista nomina diabolo aptantur. Aspis est enim, dum occultè percutit : basiliscus, cum palam venena disseminat : Leo , dum persequitur innocentes : Draco , cum negligentes impiâ voracitate deglutit. Verùm hæc omnia , glorioso Adventu Domini , pedibus ipsius prostrata iacuerunt.

Aspis. Basiliscus. Leo. Draco.

14 Quoniam † in me speravit , liberabo eum : † *Mihi adhæsit & liberabo.*
¶ Protegam eum , quoniam cognovit nomen meum. ¶ *Exaltabo.*

C. Hunc ergo beatum virum , qui habitat in adiu-

A torin alcissimi liberatum dicit : quoniam spem suam in ipsius virtute reposuit: & ideò etiam protectum ab omnibus insidiis diaboli. Cognoscit nomen patris, qui filium non putat esse minorem patre.

15 ¶ Clamabit ad me ¶ *Invocabit me.* & ego
exaudiam eum, cum ipso † sum in
tribulatione : † *Ero.*
Eripiam eum & glorificabo eum.

C. Exauditur, qui clamat ad Dominum, dum ei præmia profutura concedit. Dicit *cum ipso sum*, &c. dum scilicet mens in angustiis devota ferventius tribulatur. Ereptus utique ex hoc mundo, glorificandus est iustus, quandu in illa beatitudine collocabitur : ubi iam tribulatiou locum non habebit.

16 Longitudine dierum replebo eum :
B Et ostendam illi salutare meum.

Longitudo dierũ, vita æterna.

C. *Longitudo* enim *dierum* vita est æterna quam nullus terminat finis. *Ostendam illi salutare* : hoc est enim quod fidelibus in summâ remuneratione promittitur, quia salutare Christum Dominum contuentur, ubi totum desiderium spémque beatorum implet.

Oratio ex Psal. X C.

PRæsta nobis Domine per invocationem nominis tui, aspidis & basilisci latalia venena calcare : ut ostense nobis salutari tuo, adversus insidias inimici, spiritalis clipei umbracalo muniamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psal. X C I.

C *C. Vox Ecclesiæ, de exaltatione iustorum & perditione impiorum.*

TT. Psalmus cantici in die sabbati.

Psalmus cantici. Dies sabbati.

C. *Psalmus cantici* : admonet nos ut in universis actibus nostris, divinitati gratias referre debeamus. *Dies sabbati* : requies interpretatur, per quam commonemur ab omni prava actione cessare.

1 BOnum est confiteri Domino :
Et psallere nomini tuo altissime.

H. *Bonum est confiteri* : hoc est, primum age pœnitentiam & dele peccata, deinde psalle altissimo.

2 Ad annuntiandum manè misericordiam
tuam :
Et † veritatem tuam per noctem.
D † *Fidem tuam in nocte.*

Mane, misericordia : nocte veritas.

C. Mirabiliter vita nostra duobus conclusa est sermonibus. *Manè* significat gaudium : & tunc misericordias ipsius annunciare debemus. *Nox* indicat tristitiam : & similiter tunc in tribulationibus, veritatem ipsius præcipimur annuntiare, quia iustè & meritò patimur. Sicut enim in prosperis misericordia ostenditur, qua dat indignis, & malis qui bonus est: ita in adversis veritas monstratur, qua dixit peccatores puniendos.

3 In decachordo ¶ psalterio :
Cum cantico in cithara. ¶ *Et in psalterio, in cantico & cithara.*

Decachordũ.

C. *Decachordum psalterium*, decem præcepta legis sunt. *Canticum & cithara* est gaudium boni operis, id est, eleemosynarum iocunda largitio. Citharâ vero cantat, qui opera bona perficit sine asperitate tristitiæ.

4 Quia † delectasti me Domine † *Lætificasti.*
in ¶ factura tua : ¶ *Opere tuo.*
Et in ¶ operibus ¶ *Facturis.* manuum tuarum † exultabo. † *Laudabo.*

C. Delectatam se dicit mater Ecclesia, *in factura* Domini : quoniam quicquid boni acceperit, non suis meritis, sed suo Domino applicavit. Et exultare se in Dei operibus, non vero in sua fœlicitate, sed in ipsius voluntate profitetur : ut ait Apostolus. *Ipsius enim figmentum sumus.*

5 Quam magnificata sunt opera tua Domine ?
¶ Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. ¶ *Satis profunda.*

C. Obstupescit propheta vehementiùs ipsa opera & Domini magnificentiam. *Nimis profunda sunt facta cogitationes* eius : ut sicut diabolus per superbiam corruit, ita humanum genus beneficio humilitatis possit absolvi. Quis hoc & similia profundabit ?

6 Vir insipiens non cognoscet.
Et stultus non intelliget † hæc. † *Istud.*

C. Est vir insipiens, qui cœlesti sapientia evacuatus, & humanis versutiis probatur esse plenissimus : iste non cognoscit opera Dei : qui casuale credit quod geritur. Sicut quidam philosophi dixerunt. Stultus autem utique est, qui nec divina cognoscit, nec ipsos sæculi actus intelligit, quos vulgo brutos vocamus.

7 ¶ Cum exorti fuerint peccatores sicut
fœnum :
Et apparuerint omnes qui operantur
iniquitatem : ¶ *Germinaverunt impij quasi fœnum, & floruerunt omnes, &c.*

C. Dicit enim hic florere peccatores *sicut fœnum* : sed in illo iudicio eos asserit celeriter interire, & ibi cum ad iudicium venerint, humanis conspectibus apparebunt corda eorum alia, quæ hic apparere non potuerunt.

8 Vt † intereant in sæculum !! sæculi ∴ :
† *Conterantur usque in sempiternum.*
Tu autem ¶ altissimus in æternum Domine. ¶ *Excelsus.*

C. Sequitur causa cur appareant : non utique ad gloriam, sed ut intereant. Pulchrè enim exposita est pœna damnatorum, non enim sic pereunt, ut esse iam desinant : sed *in sæculum sæculi* deficiunt, qui nunquam à suis afflictionibus exuuntur. *Tu autem altissimus*, subaudiendum est permanebis. H. Et nihil est bonum nisi quod æternum est. Quodcunque bonum, finem habet, nec inter bona numerandum est. Quid enim prodest si ante diem rex fui : hodie in carcere morior ? omne quod est præteritum & finem habet, nihil est.

9 ‖ Quoniam ∴ ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt :
Et † dispergentur omnes qui operantur
iniquitatem. † *Dissipabuntur.*

C. *Inimici* Dei sunt dæmonum cultores, & quicunque præceptis eius obviare satagunt. Illi enim

A *dispergentur*, quando à grege Domini fuerint segregati.

10 Et exaltabitur sicut ¶ unicornis cornu meum : ¶ *Monocerotis.*
Et senectus mea in † misericordia uberi. † *Oleo uberi.*

Vnicornis Senectus. C. Hic enim unicornis, exaltationem significat unitatis. Illa enim unitas, fortitudo sublimis est, ubi sanctorum gloria decorat Ecclesiam. *Senectus* candidum caput habet : quæ similitudo datur rectè Ecclesiæ : Quoniam omnia merita sanctorum, tanquam cani capitis purissima luce fulgebunt : cuius senectus ad vitam ducit perpetuam.

11 Et ¶ despexit ¶ *Respiciet.* oculus meus † inimicos meos :
B Et insurgentibus in me, malignantibus audiet auris mea. † *Eos qui insidiantur mihi, de his qui consurgunt adversum me, malignantibus.*

C. *Inimici* sunt scilicet Ecclesiæ, operarij iniquitatis, quos tunc despicit Deus, quando in sinistra parte segregatos se esse cognoscunt. *Insurgentes* sunt malignantes divites, qui hic paupertatem despiciunt. Hus audient aures hominum fidelium : quando dicent, quid nobis profuit superbia nostra ?

12 Iustus ut palma florebit :
Vt Cedrus ¶ libani multiplicabitur. ¶ *In Libano.*

Iustus ut palma. C Cedrus. C. Iustus rectè comparatur palmæ, hæc enim super terras hispida est: sed ubi ad superna processerit, dulcissimorum fructuum suavitate completur. Et dicta est palma : quasi pacis alumna. Sic vita iustorum duris est in hoc mundo laboribus plena, sed in supernis est pulcherrima. Cedrus lignum benè olens, ad pondera portanda aptissimum & fortissimum & multum palma celsius crescens (quod maximè in libano celsius invenitur) iustos significat repletos bonis operibus.

13 † Plantati in domo Domini : † *Transplantati.*
In atriis domus Dei nostri ¶ florebunt. ¶ *Germinabunt.*

Plantatio prædestinatio est. C. *Plantatio*, hic prædestinatio Dei intelligitur: quia nisi quis in ea plantatus fuerit, crementum fœlicissimum non habebit. *Atrium* enim initium dicitur mansionis : ibi *florebit* iustus, quando in illo initio resurrectionis auditá fœlicitate gaudebit, id est, quando dicere audiet, *venite benedicti*, &c.

D 14 Adhuc † multiplicabuntur in senecta uberi :
Et benè patientes erunt ut annuntient. † *Fructificabunt in senectute : pingues & frondentes erunt, annuntiantes.*

C. Senecta hominum arida est : Ecclesia vero tunc magis incipit esse uberrima, quando ad finem sæculi fuerit Domino miserante perducta. *Benè patientes erunt:* quia passiones beatorum cœlorum regna conquirunt. Vt tunc annuntient : quoniam iustus est Dominus, & quoniam rectus est, &c.

15 Quoniam rectus Dominus ¶ Deus noster : ¶ *Fortitudo mea.*
Et non est iniquitas in eo.

C. *Quoniam rectus Dominus* : qui servis suis promissa complevit, *& non est in eo iniquitas* : ut in hoc mundo permisisset periclitari martyrio, quos ibi non coronasset præmio. E

Oratio ex Psal. X C I.

EXultatio æterna sanctorum Deus : qui iustos diversis bonorum refectos impendiis, florere in palmiferis atriis immarcessibiliter facis : quæsumus, ut remissis molibus delictorum, eorum nobis societatem dignanter impertias. Per Dominum, &c.

Argumentum Psal. X C II.

C. Laus Ecclesiæ, de incarnatione & de regno Christi.

TT. ⁖ Laus cantici ipsi David in die ante sabbatum : quando fundata est terra ⁖ F

C. Canticum ad laudem pertinet divinitatis. *Ipsi David* : Christo aptatur. *In die ante sabbatum* : sexta feria est. quæ sabbatum præcedit. *Terra*, hic hominem significat, cui dicitur. *Terra es & in terram ibis* : quem inter initia rerum sexto die creator condidit. Dies ante sabbatum.

1 DOminus regnavit † decorem indutus est : † *Gloria.*
Indutus est Dominus fortitudinem & ¶ præcinxit se. ¶ *Accinctus est.*

C. Considerans propheta quæ ventura erant, regnaturum esse Dominum, cum magna exultatione concelebrat. *Decorem induit*, id est, pulchritudinem suæ maiestatis ostendit : quando transfiguratus est in monte coram discipulis. *Indutus est Dominus fortitudinem* : quia diabolum oppressit. H. *Et præcinxit se* : cum multitudine angelicâ circundatus remeavit ad patrem. G Mat. 17. Act. 1.

2 † Etenim firmavit orbem ⁖ terræ ⁖
† *Insuper appendit orbem.*
Qui non commovebitur.

C. *Firmavit orbem terræ*, id est, Ecclesiam (ut in evangelio : *tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*) quæ non commovebitur ullatenus, quamvis persecutione frequenter vexetur. Mat. 16.

3 ¶ Parata sedes tua ex tunc : ¶ *Firmum solium tuum.*
† A sæculo tu es. † *Ab æterno.*

C. *Parata est sedes*, id est, mens fidelium : sicut est. *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem & trementem verba mea & quietum ? Ex tunc*, id est, ab incarnatione Christi. *A sæculo* : deitatem (quæ coæterna regnans cum patre, nescit esse sub tempore) ostendit in Christo. H Esa. 66.

4 ⁖ E ⁖ levaverunt flumina Domine :
⁖ E ⁖ levaverunt flumina ¶ vocem suam. ¶ *Voces suas.*

C. *Flumina* Domini sunt, videlicet Apostoli, qui de Spiritu Sancto potati sunt, quæ merito voces elevasse dicta sunt, quoniam auctori suas laudes salutaritèr obtulerunt. Flumina, Apostoli.

5 Elevaverunt flumina † fluctus suos : † *Gurgites.*
A vocibus aquarum multarum.

A C. *Elevaverunt flumina fluctus*, id est, apostoli sermones irriguos: ipsósque in prædicationibus erexere sanctissimis. *A vocibus aquarum*: gentes significat, quæ ad catholicam fidem Deum laudando conveniunt.

6 ¶ Mirabiles elationes maris:
Mirabilis in altis Dominus. ¶ *Grandes fluctus maris, grandis in excelso Dominus.*

C. *Elationes maris*: sapientes populos in Ecclesia Catholica significat: quorum *mirabiles* elationes tunc fiunt, quando in mandatis Dei firmâ mente consistunt. *Mirabilis in altis Dominus.* H. Quando residet ad dexteram patris.

7 Testimonia tua † credibilia facta sunt nimis: † *Fidelia.*
B Domum tuam decet ¶ sanctitudo Domine, in longitudine dierum. ¶ *Sanctitas.*

C. *Testimonia* enim prophetarum *nimis credibilia facta sunt*: quia incarnatione Domini revelata sunt, quæ in sacris libris tenebantur occulta. Domus est utique universalis Ecclesia, hanc *decet sanctitudo*, id est, copiosa benedictio Christi adventùs, quo adventu eam sic ornat, ut nunquam deserat. *Longitudo dierum*: æternitatem significat. Nam, sicut quidam dixit, longitudo non est, in qua est aliquid extremum.

Oratio ex Psal. XCII.

Domine omnipotens qui paternâ præcinctus virtute cœlum, mare, terrámque locasti: exaudi supplices tuos, & da credulitatem in testimoniis tuis, indue nos fortitudinem & decorem sanctificationis. Qui cum patre & Spiritu, &c.

C

Argumentum Psal. XCIII.

C. *Oratio fidelium, ut à persecutoribus, qui Deum ignorant, liberentur.*

!! TT. Psalmus David quarta sabbati ∴.

Quarta sabbati. C. *Psalmus*: sanctam significat operationem, *quarta sabbati*: feria quarta est, in quo die luminaria in firmamento cœli facta narrantur. Sic in Ecclesia sunt fundati electi, de quorum patientia psalmus iste plurimum narrat.

1 Deus ultionum † Dominus: † *Domine.*
Deus ultionum ¶ liberé egit. ¶ *Ostendere.*

D Deus ultionum. C *Deus* enim terribile nomen est: quoniam ex græco, quod significat timorem, descendit. *Ultionum Dominus* est, qui iudicaturus erit mundum, & ultionibus iustis affliget obstinatos. *Liberè egit*, id est, nullo impediente totum mundum iudicabit.

2 † Exaltare qui iudicas terram. † *Elevare.*
Redde ¶ retributionem superbis. ¶ *Vicissitudinem.*

C. Tunc *exaltatus* est coram discipulis: quando cum in maiestate sua ad gloriam constat resurrexisse perpetuam. *Iudicabit terram*: quando maiestatis suæ ditione iudicabit terrenos homines. *Superbi* autē illi sunt, qui in sua malignitate deficiunt. Illis ergo retributio redditur, cum audierint: *Ite in ignem*, &c.

3 Usquequo † peccatores Domine: † *Impy.*
Usquequo ¶ peccatores gloriabuntur? ¶ *Impy exultabunt.*

H. Non sufficit eis peccatores esse, sed etiam in peccatis gloriantur. Prima quippe infœlicitas est, peccare: secunda, in fine vitæ pœnitentiam non agere, quod gloriabundis in malitia evenire solet. C. Qui in die iudicij, si hic non emendant, gloriari non possunt. Dicit ergo *quousque gloriantur?* quasi diceret usque ad finem vitæ: quia postea cessabit gloriatio & malitia.

4 † Effabuntur & loquentur iniquitatem:
Loquentur omnes qui operantur iniustitiam. † *Fluent loquentes antiquum: garrient omnes qui operantur iniquitatem.*

C. Qui sunt qui loquuntur iniquitatem, nisi illi qui dicunt. Quid nobis proderit si iustè vixerimus? aut quid illis profuit, qui in hac vita conversati sunt innocenter, qui ut cæteri mortui sunt?

5 Populum tuum Domine ¶ humiliaverunt: ¶ *Conterent.*
Et hæreditatem tuam † vexaverunt. † *Affligent.*

C. *Populum*, viros dicit fideles, quos dicit humiliatos: quoniam Deo contumelias fieri audiebant, necesse est enim devotum famulum dolore cruciari, quando aliquid irreverentissimum de Deo audierit. *Hæreditatem* dicit populos Christianos: quos innumeris cladibus à superbis persecutoribus constat esse vexatos.

6 Viduam & advenam ¶ interfecerunt: ¶ *Interficient.*
Et pupillos † occiderunt. † *Occident.*

H. *Vidua*: secundum tropologiam est anima peccatrix, quæ Deum verum amisit. *Pupilli* vero illi sunt, qui patrem Deum non habent quos hæretici interficiunt: sicut & pravi divites, cæteros humiles affligunt.

7 Et dixerunt non videbit dominus:
Nec intelliget Deus Iacob.

C. Æstimant enim dementes Deum non vidisse mala illorum cum peccant, quando se non sentiunt sub celeritate percelli: dum ille pius moderator exclamat; *nolo mortem peccatoris. Deus Iacob*: dicitur Deus Christiani populi.

8 Intelligite † insipientes in populo: † *Stulti.*
Et ¶ stulti aliquando sapite. ¶ *Insipientes aliquando discite.*

C. *Insipientes* illos appellat, qui in Ecclesia constituti, fœlicitate huius sæculi gaudent. *Stultis* autem dicit *sapite*, id est, vos qui veræ religionis expertes, blasphematis apertè, dicentes Deum nec videre nec intelligere hominum facta: vos inquam stulti & dementes advertite pietatem Dei.

9 Qui plantavit aurem non audiet:
Aut qui finxit oculum non † considerat? † *Videbit.*

C. Isti versus increpativè legendi sunt. Ostendunt enim in Deo esse virtutes audiendi videndique: ac si dicat. *Qui tibi plantavit aurem non audiet?* audiet verè.

A *Et qui finxit oculum* ad videndum *non videt?* H. Certè totus oculus est, quia omnia videt: totus manus est, quia omnia operatur: & quicquid membra nostra valent, ipse operatur.

10 Qui ¶ corripit gentes non arguet? ¶ *Erudit.*
Qui docet hominem scientiam.

Qui corripit gẽtes. C. *Qui corripit gentes*, id est, qui erudit gentes per legem suam & prophetas, *non arguet?* arguet utique. *Qui docet hominem scientiam*, ipse non habet? habet videlicet: quia plenitudo scientiæ in Deo est.

11 Dominus † scit cogitationes hominum: † *Novit.*
Quoniam vanæ sunt.

B C. Cogitationes enim talium hominum omnino vanissimæ sunt: quas Dominus novit, quia ipsi per se nosse non possunt, qui pravis cogitationibus occupantur. Vanum. Vanum enim dicimus, quicquid à veritate discedit, quicquid utilem non habet fructum.

12 Beatus ¶ homo quem tu erudieris domine: ¶ *Vir.*
Et de lege tua docueris eum.

C. Contra vanos, benè ponit *beatos*. Quia sicut illi caducis cogitationibus eluduntur, ita iusti doctrinæ cœlestis veritate firmantur, fiuntque reverà beati, quoniam munera cœlestis sapientiæ perceperunt. H. Vndè certe fœlix: quia Deo magistro utitur. *De lege*, id est, scripturis sanctis. Lectio quoque illius scripturæ sanctæ mitigat tribulationes: unde sequitur, *ut mitiges*, &c.

C 13 Vt † mitiges !! ei: ∴ à diebus malis:
† *Quiescat à diebus afflictionis.*
Donec fodiatur ¶ peccatori fovea.
† *Impio interitus.*

C. Constat esse beneficium sanctæ legis, ut in adversis istius mundi Christianus discat patientiam, qua omnia ei mitigantur adversa. Dies mali. *Dies mali*: præsens mundus est, in quo iustus expectat tolerando per patientiam adversa, donec omnibus peccatoribus fovea damnationis præparetur æterna.

14 Quia non repellet Dominus † plebem suam: † *Populum suum.*
Et hæreditatem suam non ¶ derelinquet. ¶ *Deseret.*

D Hæreditas Christi. C. *Plebem suam*: dicit fidelissimos Christianos, qui ad Dominum tota mentis intentione festinant. *Hæreditas* est humana, quæ ad successorem prioris Domini morte transfertur, sed licet hæreditas Christi sit suo sancto sanguine acquisita, tamen nunquam perdit suum auctorem, sed cum ipso possidetur semper.

15 † Quoadusque iustitia convertetur in iudicium:
Et qui iuxta illam? omnes qui recto sunt corde. † *Quoniam ad iustitiam revertetur iudicium, & sequentur illud omnes recti corde.*

C. Tunc *convertetur iustitia* hominum *in iudicium*, quando sedentibus apostolis super XII. sedes dabuntur iustis præmia æterna, & iusti iudicabunt impios. *Et qui iuxta illam* (interrogando dicit) scilicet iustitiam? Respondet *omnes recto corde.*

E 16 Quis ¶ consurget mihi adversus malignantes? ¶ *Stabit pro me adversum malos.*
!! Aut ∴ quis stabit mecum adversus † operantes iniquitatem? † *Operarius iniquitatis.*

C. Testatur enim Christus, sibi solum Deum esse adiutorem contra malignos spiritus. Et interrogativè legendum est: *quis consurget?* id est, nemo pro me adversus dæmones certaturus assistet: dum potius homines eos malis imitationibus subsequantur. *Aut quis stabit?* id est, nullus stabit in acie certaturus, quasi diversis iaculis vulnerandus, ut non defendendo, sed patiendo stet.

F 17 Nisi quia Dominus ¶ adiuvit me: ¶ *Auxiliator meus.*
Paulominus † habitavit in inferno anima mea. † *Habitasset.*

C. Dicit enim: *nisi quia Dominus*: vox Christi in persona membrorum, ac si dicat, in illam foveam protinus incidissem, in qua peccatores certum est posse demergi. *Paulominus habitaverat*, id est, vanis persuasionibus potuisset decipi anima mea: nisi meruisset à Domino liberari.

18 Si dicebam motus est pes meus:
Misericordia tua Domine ¶ adiuvabat me. ¶ *Sustentabat me.*

G Motus est pes meus. C. Hic beneficium celerrimæ confessionis ostenditur: ut cum se homo lapsum in peccatis confitetur, statim munera divina dimittendi peccata subsequuntur. *Si igitur dicebam motus est pes meus*, id est, peccavi; quam statim dixi vero corde, *misericordia tua adiuvabat me.* Tantum valet accelerata confessio, ut ante remittatur peccatum quam puniatur.

19 † Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: † *In multitudine cogitationum mearum, quæ sunt in me intrinsecus.*
Consolationes tuæ † lætificaverunt animam meam. † *Delectabunt.*

H H. *Secundum multitudinem*: id est, quantum fuit pondus pœnitentiæ, tantus fuit numerus consolationum. Quia quando egi pœnitentiam & sustinui tribulationem in præsenti vitâ, tunc consolari gaudebam in futura: & quantomagis egi pœnitentiam, tantomagis consolatus es me. Vnam fudi lachrymam, unam merui consolationem: decem fudi lachrymas, decem merui consolationes. Quot patimur vulnera, tot meremur & coronas, & magnitudo tribulationum magnitudo præmiorum est.

20 Nunquid ¶ adhæret tibi sedes iniquitatis:
Qui fingis laborem in præcepto?
¶ *Particeps erit tui thronus insidiarum, fingens laborem.*

C. *Nunquid?* negativè legendum est. *Sedes iniquitatis?* est mundi huius voluptuosa possessio, quæ domino adhærere non potest. Præceptum enim domini habet, *beati qui lugent & qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam istorum est regnum cælorum.* Mat. 5. Et præceptum domini in præsenti sæculo laborem & dolorem habet, non requiem nec gaudium. Quia arcta & angusta via est quæ ducit ad vitam. Fingere Fingere. enim plasmare dicimus, & qui mentitur aliquid sibi

plasmare

A plasmare videtur. Hic autem fingere Deo attribuitur, ille formavit laborem in præcepto. H. Nemo enim dormiens coronatur.

21 † Captabunt in animam justi : † *Copulabuntur adversum animam iusti.*
Et sanguinem innucentem condemnabunt.

C. *Captabunt* enim dixit : quasi captiose tractabunt: quia veram caosam criminis in martyribus persecutores invenire non possunt. *Et sanguinem innocentem :* Ad Christum hoc potest referri, quia *vere* innocens pro nostra redemptione sententiam iniustæ condemnationis accepit.

B 22 ¶ Et factos est dominus mihi io refugium : ¶ *Erit autem mihi domus.*
Et Deus meus ¶ io adiutorium spei meæ. † *Quasi petra spei meæ.*

C. Hic ostendit nihil valere persecutiones hominum contra Christum, vel contra martyres : & eo tempore magis dicit divinum sibi provenisse refugium, quando superbia humanæ persecutionis studio inflata est. Quia per hanc illa beatitudo coronalis palmæ præparatur. Et Deus meus in adiutorium spei meæ. Quoniam hic adhuc spem habemus, non rem tenemus : sed spem in futuro relinquimus:quia jam nostrum desiderium possidemus.

23 Et ¶ reddet illis iniquitatem ipsorum: ¶ *Restituet super eos iniquitatem suam.*
Et in malitia eorum † disperdet eos : † *Perdet.*
C * Disperdet illos :· dominus Deus noster.

Malitia. C. *Et reddet illis* : id est, retribuet malis secundum vota nequitiæ suæ. Et nota quod hoc nomen malitia est capax omnium criminum, sicut charitas est capax omnium virtutum. *Disperdet eos*, id est, à suo regno alienos efficiet.

Oratio ex Psal. XCIII.

Erudi nos domine secundum benevolentias legis tuæ: & esto nobis in tribulatione refugium, qui hominibus prudenter insinuas scientiam, ne delinquant. Per Dominum nostrum Iesum, &c.

Argumentum Psal. XCIV.

C. Propheta incitat populos ad laudem Dei convenire.

D TT. // Laus cantici ipsi David :·

Laus Cantici. C. *Laus*, vocis significat devotionem : *canticum*, hilaritatem mentis. Quod utrumque in opere psalmodiæ debet esse sociatum. *Ipsi David* : significat Christum, cui laus ista cantatur.

1 VEnite † exultemus domino : † *Laudemus dominum.*
Iubilemus ¶ Deo salutari oostro. ¶ *Petra Iesu nostro.*

C. *Venite* enim illis dicitur, qui longe positi sentiuntur : qui se needum fidei integritate populo fideli iunxerunt. Est autem *exultatio* huius sæculi, quæ occupat animas infideles : ideo addidit *Deo*, de quo vesa est exultatio. *Iubilare*, esse magnum modum lætitiæ, cui sermo non sufficit, sæpe diximus.

2 Præoccupemus † faciem eius in confessione : † *Vultum eius in actione gratiarum*
// Et :· ¶ in psalmis iubilemus ei. ¶ *In canticis.*

C. *Præoccupare* : est aliquid ante facere, quam ille possit videre qui creditur advenire. *Faciem* dicit : conspectum Christi in iudicio, id est, ut confiteamur facinora nostra ante iudicialem eius adventum. *Iubilemus in psalmis.* H. Scilicet in cordibus nostris psallentes, id est, gratias agentes.

3 Quoniam † Deus magous domious : † *Fortis & magnus dominus.*
Et rex magnus super omnes Deos.

C. Dicendo enim *quoniam deus magnus* : ostendit illum esse potentiorem, magnus quippe hic non dicitur, nisi qui summæ potestatis arcem tenere monstratur. *Deos* etiam homines sanctos appellat : super quos dominus *rex magnus est*, quoniam creat omnia & regit universa.

4 ¶ Quia in manu eius sunt omnes fiues terræ : ¶ *In cuius manu fundamenta terræ.*
Et † altitudines montium ipsius sunt. † *Excelsa.*

C. *Fines terræ* : ad gentes pertinet universas, quæ Christo fideli devotione subiectæ sunt. *Altitudines montium* : potestates sæculi honoresques terreni sunt, qui tamen domino subiecti sunt, & ideo *ipsius* esse dicuntur. H. Pugillo enim, id est, potestate concludit omnem latitudinem terræ.

5 ¶ Quoniam ipsius est mare & ipse fecit illud : ¶ *Cuius est mare, Ipse enim fecit illud.*
Et siccam manus eius † formaverunt. † *Plasmaverunt.*

C. *Mare* : significat gentes, quæ in hoc sæculo variis vitiorum flatibus commoventur. *Arida* : populus fidelis est, fontes fidei adhuc sitiens : quos dono suæ misericordiæ fundere dignatus est Christus. His omnibus iungendum est : *iubilemus ei.*

6 Venite adoremus & † procidamus: † *Curvemur.*
// Et :· ploremus ante dominũ qoi fecit nos : quia ipse est // dominus :. Deus noster. ¶ *Flectamus genua ante faciem domini factoris nostri. Ploremus ante Deum.*

C. Hortatur nunc Christianum populum propheta ad satisfactionem pœnitentiæ. *Adoremus*, id est, corporis inflexione incurvemur. *Procidamus*:ut ante ipsum nos prosternamus : totaque membrorum effusione tendamur. Ante Deum plorare, est pios fletus effundere, & pessima facta damnare. Nam si totâ cordis puritate deprecemur, facile nos qui fecit, & reficit. Et causam triplicem huius adhortationis humilis subiicit, quoniam ipse fecit nos, &c.

7 Et nos populus pascuæ eius :
Et ¶ oves maous eius. ¶ *Grex.*

C. Dicit enim quid sint fideles : utique oves pascuæ domini. Quia æternis deliciis fœlici sorte satiantur.

A

8 Hodie si vocem eius audieritis:
Nolite † obdurare corda vestra. † *In.*

C. Hic subducit unam conditionem necessario præ-requisitam ad hoc, ut sint homines verè oves Christi, dicens. *Hodie si vocem eius audieritis.* Nam qui vocem domini non audit, non grex dicitur eius, nec in pascuis eius collocatur. Hodie vero pro quolibet tempore positum est, velut dicatur, quocunque tempore vel die eius vocem audieritis, nolite obdurare corda vestra. (Hod.)

9 Sicut in ¶ irritatione:
Secundum diem tentationis in deserto.
¶ *Contradictione, sicut in die tentationis.*

B

C. Tentatio enim iudaica contra Moysen gravi murmuratione surrexit dicens: nec escam sibi in deserto dari, nec aquam potabilem divinâ largitate concedi. Quapropter culpa parentum istis repetitur, ut debita vindicta timeatur.

10 Vbi tentaverunt me patres vestri?
Probaverunt † & viderunt opera mea.
† *Me & viderunt opus meum.*

C. *Vbi*: significat in deserto: ibi apparuit potestas Dei, quando esca venit ex aëre, potusque ex lapide. Ibi *probaverunt opera mea*: quando manna pluit esurientibus, quando coturnicum multitudo venit, & aquas lapis dedit. *Et viderunt*: hoc ipsis improperium dicitur. Nam viderunt & tamen non crediderunt.

11 Quadraginta annis: ¶ offensus fui generationi illi: ¶ *Displicuit mihi generatio illa.*
Et dixi † semper errant corde. † *Populus errans in corde est.*

C

A. *Quadraginta annis*: omne tempus vitæ præsentis significat, denarius etenim numerus perfectus est, qui dum ad quatuor mundi partes adiungitur, ad quadragenarium usque pervenit.

12 ¶ Et isti non cogitaverunt vias meas:
ut iuravi in ira mea: ¶ *Et non cognoscent vias meas quibus iuravi.*
† Si introibunt in requiem meam? † *Vt non introirent.*

C. Et isti non *cognoverunt vias*: quia xl. annorum tempore beneficia Dei scire noluerunt. Duobus modis iurare dicitur Deus. Iurat placatus atque mitis, hic autem iurare dicitur iratus: quia vindictam noscitur comminari. Quid est aliud in requiem Dei non introire: nisi perpetua tormenta suscipere? Negative igitur legendum est: *si introibunt*, id est, non introibunt.

D

Oratio ex Psal. XCIV.

Salutare eximium omnium populorum domine, respice propitius super oves gregis tui: eisque impertiens sal prudentiæ, introducere easdem innoxias sempiternam digneris in requiem, Qui cum patre & spiritu, &c.

Argumentum Psal. XCV.

C. Laus fidelium: de Christi incarnatione & de exaltatione Ecclesiæ.

TT. Laus cantici David :: Quando domus ædificabatur post captivitatem :·

E

H. C. Domus enim ista est universalis Ecclesia, in qua Christus inhabitat: quæ destructa *ædificatur*, quando anima post captivitatem peccati, ad intelligentiam veritatis cœperit domino præstante remeare: nec ædificari desinet, donec usque ad finem sæculi prædestinatorum numerus impleatur. H. Totum quippe mysterium huius psalmi in titulo est: tota vitæ nostræ sacramenta & salus in titulo sunt.

1 Cantate domino canticum novum:
Cantate domino omnis terra.

C. *Cantat* enim domino *canticum novum*, qui vetere homine deposita, per gratiam baptismatis fœliciter innovatur. *Omnis terra*: Catholicam significat Ecclesiam, quæ per cunctum orbem noscitur esse diffusa. Nova domus, novum meretur canticum: Innovata anima, canticum innovet. (F — Omnis terra, id est, Catholica Ecclesia.)

2 Cantate domino :: & :· benedicite nomini eius:
Annuntiate de die in diem salutare eius.

C. Nomen enim Dei benedicimus, quando nostrum salutare per omnia confitemur. De die in diem annuntiatur: quando adventum Christi & prophetæ promiserant, & Evangelistæ venisse declararunt. Ita factum est: ut duo cœlestes dies annuntiasse eius gloriam comprobentur, scilicet vetus testamentum & novum. H. Christus enim in utroque lucet. Nolite eum tantum in veteri nuntiare, ne sitis Iudæi: nec solum in novo, ne sitis Manichæi: sed in utroque laudate eum. (De die in diem.)

3 † Annuntiate inter gentes gloriam eius:
† *Narrate in gentibus gloriam.*
In omnibus populis mirabilia eius.

G

C. Dominus enim salvator nuntiandus erat, & per gentes quoque prædicanda erat *gloria eius*, quia tanta miracula prædicabant autorem. *Mirabilia eius*: significat arcanum incarnationis Christi, qui dum sit altissimus, factus est pro nobis humillimus. (Mirabilia eius.)

4 Quoniam magnus dominus & laudabilis nimis:
Terribilis est super omnes Deos.

C. *Magnus*, ad potestatem pertinet, quia cunctis potentior est: *laudabilis*, ad pietatem, quia nos redemit: *nimis* ad utrumque pertinet, quia nec quantum magnus, nec quantum laudabilis sit potest explicari. *Deos* hic debemus advertere quos sibi gentilitas composuit.

5 Quoniam omnes dij ¶ gentium dæmonia: ¶ *Populorum sculptilia.*
Dominus autem cœlos fecit.

H

C. *Dæmonia* sunt enim: quæ nulli præstant bona, sed in se credentes semper decipiunt: dicti dæmones, quasi scientes, sed quoniam scientia illa dici non potest, quæ creatoris non obsecundat arbitrio: eos ita scientes debemus accipere, quasi non intelligentes, sicut & Apostolus sapientiam mundi stultitiam vocat. Deus cœlos fecit, id est, Apostolos & sanctos viros instituit, qui dæmonibus imperare consueverunt. (Dæmonia. — 1. Cor. 1)

6 ¶ Confessio & pulchritudo in conspectu eius.
Sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius. ¶ *Gloria & decor ante*

vultum

A

vultum eius : fortitudo & exultatio in sanctuario eius.

C. *Confessionem* siquidem, bene sequitur *pulchritudo.* Quia nemo potest esse pulcher, nisi fuerit Dei miseratione mundatus, fœdos nos faciunt peccata, sed pœnitentia reddit decoros. *Sanctimonia & magnificentia*, id est, bonor & beatitudo. *In sanctificatione*, id est, in illa voce Christi. *venite benedicti.* Vel melius. A. In sanctificatione gratiæ, qua sanctificat & ita magnificat nos. Noli ante magnificari quam sanctificari (quia illud est mere,) sed ante sanctificare, & ita à Deo non à te magnificaberis.

7 Afferte domino † patriæ gentium, † *Familiæ populorum.* affecte domino gloriam & ¶ honorem: ¶ *Fortitudinem.*
Afferte domino gloriam nomiui eius.

B

Patria gentium.

C. *Patria* dicta est : quasi patris atria. significat enim *patria gentium* omnem generalitatem Christianorum, quam admonet, ut domino *gloriam afferat & honorem.* Afferunt utique gloriam nomini eius : qui studio devotinnis & bonæ voluntatis commutantur in melius, & consubstantialem trinitatem per omnia confitentur. Laus enim & honor est domini, bona conversatio servi unde salvator ait. *Sic luceat operationis bona lux vestra coram hominibus, ut glorificetur pater vester in cœlis.*

Matt. 5.

8 † Tollite hostias & introite in atria eius: † *Levate munera.*
Adorate dominum in ¶ atrio sancto eius. ¶ *Decore sanctuary.*

C

Atria domini.

C. *Hostias* hic dicit conscientiæ puræ libamina: unde non sanguis, sed piæ lachrymæ currunt, hoc est cor contritum. Vel opera animæ. Atria autem domini sunt Apostoli vel prophetæ, per quos fidelis populus intrat ad Deum, Tunc reverà Christus adoratur, quando in atria Ecclesiæ Catholicæ pervenitur.

9 † Commoveatur à facie eius universa terra : † *Paveat.*
Dicite in gentibus :1 quia :. dominus regnavit.

Dominus regnavit à ligno.

C. Tunc enim *terra commovetur*, quando peccator terrena vitia derelinquens : ad pœnitentiam fuerit domino miserante perductus. *Dominus regnavit* : per trophæum crucis in genere humano, unde & Romana translatio, ex septuaginta interpretibus facta habet, *regnavit à ligno.* Sive regnavit, id est, apparuit in carne regnaturus qui semper regnavit. H. Vel regnavit in animabus commotis per pœnitentiam.

D

10 ¶ Etenim correxit orbem terræ qui non commovebitur. ¶ *Siquidem appendit orbem immobilem.*
Iudicabit populos in æquitate.

C. Tunc *correxit orbem* : quando per regulam fidei paganorum corda convertit. *Qui* scilicet orbis *non commovebitur*: quia in soliditate veræ fidei consistit *Populos* : hic fideles homines vult intelligi : qui iudicandi sunt sub tranquillitate supernæ misericordiæ, quando eis præmia promissa restituet. *Et æquitas* pertinet ad beatos, ira ad pœnas perpetuas impiorum.

11 ¶ Lætentur cœli ¶ *Lætamini.* & exultet terra, † commoveatur mare & plenitudo eius: † *Tonet.*

¶ Gaudebunt campi & omnia quæ in ei sunt. ¶ *Gaudeat ager.*

C. *Cœli* : Apostolos, prophetas & prædicatores: *terra*, auditores conversos : *mare*, mundum significat. *Campos* verò viros dicit, non superbia tumidos, non asperos iracundia, sed mansuetos lenitateque plenissimos : qui gaudent, quando conversationis dona susceperint. *Omnia* : universitatem gentium significat.

12 Tunc † exultabunt † *Laudabunt.* omnia ligna ¶ sylvarum à facie domini quia venit : ¶ *Saltus ante faciem.*
Quoniam venit iudicare terram.

C. *Tunc exultabunt*, id est, in secundo adventu Christi, quando iudicaturus est mundum, *exultabunt omnia ligna sylvarum*, id est, gentes, quæ prius fuerant steriles, velut ligna sylvarum, ad culturam fructiferam tunc perductæ, ante faciem domini magno gaudio sunt lætaturæ. *Quoniam venit* : per hoc illum nos adventum tantum voluit intelligere, quem adhuc noscimur expectare. H, Ideo certe ista ligna gaudebunt. Quia non sunt obnoxia combustioni. Peccatores enim subdet pœnis : iustos præmiis remunerabit æternis.

13 Iudicabit orbem :1 terræ :. in ¶ æquitate : ¶ *Iusto.*
Et populos in † veritate sua. † *Fide sua.*

Primo venit ut iudicetur : postea venturus est ut iudicet.

Oratio ex Psal. X C V.

FActor cœli & terræ creator Deus : quem omnis terra cantici novi modulatione persultat : precamur, ut sicut te à ligno regnantem supplices confitemur, ita amisso omni gentilitatis errore, futuri adventus tui gloriam, intentis sensibus præstolemur. Qui cum patre & spiritu, &c.

Argumentum Psal. X C V I.

C. Propheta de primo Christi adventu dicit, admonens fideles in eo lætari, & increpans eos qui idola venerantur.

TT. :1 Psalmus ipsi David, quando terra ei restituta est :.

C, *Terra David* : caro Christi est, quæ post soporem mortis lege communi, restaurata est in gloria, munere singulari resurrectionis. Vel certe terra est Ecclesia, id est, corpus Christi mysticum.

1 DOminus regnavit exultet terra : † Lætentur insulæ multæ : † *Lætabuntur.*

C. *Dominus regnavit* : quis ergo alter colendus est, nisi ille qui solus cognoscitur imperare? *Exultet terra*, id est, genus humanum in sua reparatione. *Lætentur insulæ*, id est, Ecclesiæ gentium. Dicit vero *multæ* non omnes, propter hæreticas pravitates.

2 Nubes & caligo in circuitu eius :
Iustitia & iudicium ¶ correctio sedis eius. ¶ *Firmamentum soly eius.*

C. In hoc versu, qualis sit dominus impiis vel religiosis narratur. *Nubilosus & caliginosus* est indevotis, dum tenebrosa corda, nulla claritate resplendent. *Iustitia* vero *& iudicium*, his qui in eum credunt, & se-

des

A des eius effici meruerunt : qui bene *correctio* vocantur, quia pravitate exuti, & recti & Dei sedes facti sunt.

3 Iguis ante † ipsum præcedet :
Et inflammabit in circuitu inimicns eius. † *Faciem eius ibit, & exuret per circuitum hostes eius.*

C. Ante adventom domini *ignis præcessit* : quando à prædicatione prophetarum, corda infidelium fremocrunt : ita ut ardore iracundiæ succensi, de prædicantium nece tractarent. *Et inflammabit*, scilicet impios adversus electos. *In circuitu* : quia dum panci essent electi, erat adversariorum circundans innumerabilis multitudo.

B 4 ¶ Alluxerunt fulgura eius orbi :: terræ :· : ¶ *Apparuerunt.*
Vidit & † commota est terra. † *Contremuit.*

Fulgura eius. C. *Alluxerunt fulgura eius*, id est, prædicationes prophetarum vel miracula sanctorum. *Commota est terra*: hoc est terreni perterriti in novitate prædicationis: ut se intelligerent idola insensata colere, dum habetent adorabilem summum creatorem.

5 Mnntes sicut cæra ¶ fluxerunt à facie domini : ¶ *Tabefacti sunt.*
A facie † domini omnis terra. † *Dominatoris omnis terræ.*

C. *Montes fluxerunt* hoc est : potentes huius sæculi, cognito domino humiliati sunt. *Omnis terra*, id est, potestates sæculi, pagani seu hæretici, qui ab errore vocati à domino, damnantes superstitiosum votum suum, magis divinum eligunt subire servitium.

C 6 Annuntiaverunt cœli iustitiam eius:
Et viderunt nmnes populi gloriam eius.

Viderunt omnes populi. C. *Cœli* : Apostoli vel prædicatores, quorum sanctis prædicationibus, iostitia Dei innotuit mundo. *Viderunt* hic non carnalibos oculis, sed cordis lumine debemus accipere, gloria enim audiri non videri solet. Vel ut quidam volunt, viderunt gloriam, id est, Christum, qui est gloria patris.

7 Cnnfundantur omnes qui ¶ adorant sculptilia : ¶ *serviunt Sculptilis.*
Qui glnriantur in † simulachris :: suis :· : † *Idolis.*

Simulachrum. C. Increpat hic cultores idolorum. *Idolum* dictum est, quod ipsum sit dolom, id est hominum falsitate repertum. *Simulachrum* : à simulatione sacrà compositum, eo quod illis detur honor alienus. Sic utraque fugienda, ipsorum oominum interpretatione declarantur.

D 8 Adorate eum nmnes ¶ Angeli :: eius :· : ¶ *Dij.*
Audivit & lætata est Sinn.

Apoc. 3. Matt. 4. C. Bonus enim angelus adorat Deum: qui recto corde suum cognoscit auctorem, nec se ab hominibus adorari permittit : sed malus angelos se adorari satagit. *Audivit Sion*, id est, Ecclesia Catholica puro corde iudicia domini percepit, & ideo *lætata est*. Nam qui verbum Dei subdolà mente audit, qnia contra voluntatem suam quod non credit audit, tristis abscedit.

9 Et exultaverunt filiæ Iudæ :
Prnpter iudicia tua domine.

Filij Iudæ. C. *Filiæ Iudæ* : significant religiosas mentes probatasque personas, qui ideo *filiæ Iudæ* dicuntur, quoniam Christo confiteri & credere maluerunt qui ex Iuda descendit. *Propter iudicia*, scilicet, qoia tristitiam servorum tuorum convertis in gaudium, & superbum eis diabolum virtutis humilitate prosternis. E

10 Quoniam tu dominus † altissimus super omnem terram : † *Excelsus.*
¶ Nimis exaltatus es super omnes Deos. ¶ *Vehementer elevatus.*

C. *Terram* hic, peccatores : *Deos* : iustos homines debemus advertere. Per hæc enim duo, significat Christum & terrenis creaturis & cœlestibus imperare.

11 Qui diligitis dnminum odite malum:
Custndit :: dominus :· animas sanctorum suorum, de manu † peccatorum liberabit eos. † *Impiorum eruet eos.* F

C. Hic bonos alloquitur & fideles, ut à malitia diaboli segregentur. Ipse enim iure dicitur malus, per quem venit omne malum. Et ne quis diabolum timuisset offendere, sequitur : *custodit dominus animas sanctorum. Liberat* etiam *animas de manu peccatorum*, quando eas non sinit aliquâ pravitate subverti. Ne vero dominum corpora sanctorum à pœnis custodire intelligeres (qui passim tradit ad pœnas, ut martyribus reddat coronas) dixit animas sanctorum. Odit malum diaboli.

12 Lux nrta est iusto :
Et rectis cnrde lætitia.

C. *Iusto* dicit *ortam esse lucem*, id est, verissimam fidem : ut illuminatus talia credat, quæ eum ad cœlorum regna perducant. *Rectis corde oritur lætitia* : quando Deo præstante talia gerunt, quæ sibi profutura cognoscunt. Lux, id est fides.

13 Lætamini iusti in dominn : G
Et confitemini memnriæ ¶ sanctificationis eius. ¶ *Sanctæ eius.*

C. Admonet hic iustos, non in humano desiderio, aut in huius sæculi ruinosa iactantiâ, sed in domino lætari. *Confitentur iusti memoriam sanctitatis eius*; quando in illo regno perpetuo fuerint collocati, recordantes de quanta clade huius sæculi (Deo miserante) sunt sobtracti.

Oratio ex Psal. XCVI.

CVstos animarum sanctorum Deus, cuius regnum est pars perfecta iustorum, concede prophetias Evangelicasque coruscationes pectoribus nostris inseri & si quid est obiectum velamine prisco, spiritu sancto revelante pandatur. Per dominum nostrum Iesum Christum filium, &c.

H

Argumentum Psal. XCVII.

C. Propheta commonet populum Christianum, cantici novi exultatione lætari, quando mirabilis est Christi concessus adventus.

TT. Psalmus :: ipsi David :· :

1 CAntate Domino canticum nnvum:
Quia mirabilia fecit. Die Sabbati Nocturnum.

C. Novus enim homo cantare debet canticum novom, non ille vetustos, qui necdum Adæ peccata deponens in eis perseverat. *Novum canticum* : est de domini incarnatione narrare vel cantare. Novum: quia Canticû novum.

A nunquam aliquid simile mundus audivit. *Fecit mirabilia*, quando cæcis lumen, claudis gressum donavit.

2 Salvavit sibi dextera eius:
Et brachium sanctum eius.

H. Christus enim, dextera & brachium dicitur. *Dextera* pro virtute, *brachium* pro robore hic ponitur. Ipse salvavit hominem dextera suâ in salutem, qui suo vitio perierat, C. Sive semetipsum salvavit qui dixit, potestatem habeo ponendi animam meam & iterum sumendi eam. *Ioan.10.*

3 Notum fecit dominus salutare suum:
In conspectu gentium revelavit iustitiam suam.

B *Salvatorem, id est, salutis autorem.*

C. *Notum fecit dominus salutare*, id est, dominum salvatorem: qui salutaris recte dicitur, quia omnis salutis est autor. *Et revelavit iustitiam*, id est Christum, qui prius sub quodam velamine prædicatus fuerat à prophetis; quo subducto, in eius adventu ipsa facies veritatis apparuit. H. Vel iustitiam vitæ, quæ incredulitate hominum fuit obscurata.

4 Recordatus est misericordiæ suæ:
Et veritatis suæ domui Israël.

H *Recordatus est misericordiæ*, in populo scilicet gentium. *Et veritatis suæ*, quoad populum Iudæorum, scilicet opere complens, quod patriarchis promiserat.

5 Viderunt omnes § termini terræ: § *Fines.*
Salutare Dei nostri.

C C. *Viderunt omnes*, id est, mente conspexerunt, quod per totum mundum constat effectum. Quæ visio non nisi ad fidem est referenda, ut nobis possit veritas constare verborum: per fidem enim *omnes termini terræ* viderunt Iesum.

6 Iubilate † domino omnis terra: § *Deo.*
§ Cantate & exultate & psallite. § *Vociferamini & laudate & canite.*

C. *Iubilate* dictum est: cum magna delectatione in gaudium vocis prosilire. *Omnis terra*: designat universam Ecclesiam. *Cantare*, est officio oris laudes personare: *Exultare*, cum magno amore animi vota declarare: *psallere*, bonis operibus Dei mandata complere. *Cantare, Exultare, psallere.*

7 Psallite domino in cithara, in cithara & voce § psalmi: § *Carminis, in tubis & clangore buccinæ.*
In tubis ⁝ ductilibus :· & voce tubæ corneæ.

D *Psallere in Cithara. Tubæ ductiles Vox tubæ corneæ.*

H. *Psallit domino in cithara*: qui omnibus membris se castum præbuerit, non potest autem esse sonus citharæ perfectus, si una corda defuerit: sic etiam homo, si uno crimini capitali subiacebit, non psallit domino in cithara, quia una corda deest, nec est perfectus citharæ sonus. C. *Vox psalmi* quoque ad laudationem divinam pertinet. *Tubæ ductiles*: significant fideles, qui diversis passionibus tunsi, Deo largiente clarius sonuerunt. *Vox tubæ corneæ*: est fixa tolerantia patientiæ, quæ ut cornu perseverat.

8 Iubilate † in conspectu regis domini: moveatur mare & plenitudo eius: † *Coram rege domino, tonet mare.*
Orbis ⁝ terrarum :· & § qui habitant in eo.

C. Dixit iubilandum esse: nunc ostendit ubi, quia *ante regem*. *Commovetur mare*: quando in futuro iudicio, impiorum pectora à recordatione delictorum commoventur. *Et plenitudo eius*: merito dicitur, quia multa peccata commiserant. *Orbis terrarum* movebitur: quando in novam faciem veniet, ut prædictum est, erit cœlum novum & terra nova. *Et qui habitant*, id est, homines in eo.

9 Flumina plaudent manu, simul montes † exultabunt à conspectu domini: † *Laudabunt, ante dominum.*
Quoniam venit iudicare terram.

C. *Flumina*: sanctos viros significat, qui bona opera cœlesti ubertate manaverunt. *Simul*, id est, cum domino salvatore, cui prædicta opera exhibuerunt. H. *Montes*, Apostoli. C. Qui exultabunt in conspectu domini, in iudicatione futurâ, *quoniam venit*, scilicet iudicare peccatores, qui terrena semper vitia concupiscunt, & ideo terra recte dicuntur.

10 Iudicabit orbem ⁝ terrarum :· in iustitia:
Et populus in § æquitate. § *Æquitatibus.*

C. Isti *sub iustitia* iudicandi sunt, qui nulla remissione liberabuntur à sua pertinacia. Illi vero *populi in æquitate* iudicandi sunt, qui ibi præmia recipiunt: quoniam hic propter nomen domini gravissima pericula pertulerunt.

Oratio ex Psal. XCVII.

Immitte domine salutare tuum mentibus nostris, qui revelasti iustitiam tuam gentibus universis: ut qui quondam iudicari venisti pro perditis, misericordiam, cum adveneris, pro quibus iudicatus es, largiaris, Qui cum patre & spiritu, &c.

Argumentum Psal. XCVIII.

C. *Propheta commonet populos Christo domino confiteri, eumque adorare: quia suis fidelibus propitius existit.*

TT. ⁝ Psalmus David :· .

C. Per David enim, & personam loquentis advertimus, & Christum manu fortem & desiderabilem sentimus. Ipsius enim honor, in hoc psalmo, regnum potentiaque cantatur.

1 Dominus regnavit † irascantur populi: † *Commoveantur.*
§ Qui sedes super cherubim moveatur terra. § *Sessor Cherubim, concutiatur terra.*

C. Cum dicit, *dominus regnavit*: exponit quoniam gloriam suæ resurrectionis ostendit. Ille enim, qui resurrexit nempe, ipse regnavit. *Irascantur populi.* H. Vel iudæi vel gentiles non credentes. C. Nihil ultra Christo nocituri. *Cherubim* hebræum: significat plenitudinem scientiæ: ubi quasi in throno suo Deum manifestat sedere. *Moveatur terra*: postulat peccatores ad conversionem commoveri. H. Quandiu enim terra, id est, peccator immobilis est, sanari non potest. Quando vero mota fuerit & intremuerit propter peccata, sanitatem recipit. Vnde alibi dicitur, sana contritiones eius, quia mota est.

A

Sion Ecclesia.

2 Dominus in Sion magnus:
Et excelsus super omnes populos.

C. *Sion* interpretatur speculatio, id est, Ecclesia, in qua dominus spiritaliter inesse monstratur. Et ille quem contempserunt perversa mente, rex & *excelsus super omnes populos* eminet.

3 Confiteantur nomini tuo magno, ¶ quoniam terribile & sanctum est : ¶ *Et terribili sanctoque.*
¶ ⁝ Et ⁖ honor regis iudicium diligit. † *Imperium.*

B

Honor regis iustum iudicium.

C. *Magnum* dictum est *nomen* Christi, quia ubique diffamatum est : *terribile*, quia ipse venturus est iudicare vivos & mortuos : *sanctum*, quia immaculatâ & cœlesti conversatione permansit. *Honor regis* est gloriosa prædicatio, quam illi semper offerimus, confitendo ipsius iustum iudicium. Vel *diligit honor*, id est, cultus quo Deum honoramus, amat, id est, requirit diligentem advertentiam, deliberationem, sui ipsius iudicium & vilitatem, atque Dei reverentiam.

4 Tu ¶ parasti directiones : ¶ *Fundasti aquitates.*
Iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti.

H. *Præparavit* Deus *directiones* in populis, sed ipsi proprio vitio depravati sont. C. *Iudicium* fecit in populo fideli, quando ei donavit bonum malomque discernere : *iustitiam* vero, cum relictis idolis, creatori soo meruit deservire. *In Iacob*, id est, in unoquoque fideli.

C

5 Exaltate dominum Deum nostrum :
Et adorate scabellum pedum eius, quoniam † sanctum est. † *Sanctus est.*

Scabellū corpus Christi.

C. Commonet propheta devotos popolos, prædicando magnificare & exaltare nomen domini, & adorare scabellum, &c. H. A. C. Id est corpus Christi, quod de Maria virgine assumpsit. C. Scabellum humanitas divinitatis intelligitur. *Pedes* eius, stabilitatem divinitatis significat. *Quoniam sanctum est*, scilicet corpus Christi, & gloriosum & adorabile.

6 Moyses & Aaron in sacerdotibus eius:
Et Samuël ¶ inter eos qui invocant nomen eius. ¶ *In his.*

Moyses & Aaron in sacerdotibus.

C. *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius.* Quamvis Moyses sacerdos esse alibi non legatur. H. Et quamvis illorum unus legis, alter sacerdotij teneat regulam, tamen uterque sacerdotali præconio, vel in legalibus vel in vestis tintinnabulis adventum domini nuntiavit. C. *Samuel* unxit David in regem, tamen non accepit officium sacerdotis, quia erat de tribu Effraim, unde sacerdotes fieri non licebat : & ideo non inter sacerdotes, sed *inter eos qui invocant nomen* domini ponitur hic. Levita vero fuit, quia illud linum Ephot portavit. H. Quod significat : posse candidum effici, qui per pœnitentiam nomen Dei invocans, nigredinem peccati, lachrymis diluerit.

D

Samuël non fuit sacerdos, sed Levita propter Ephot.

7 Invocabant dominum, & ¶ ipse exaudiebat eos : ¶ *Exaudivit.*
In columna nubis loquebatur ad eos.

C. Quantum valeat sinceritas orationis, in brevitate declaratum est : quia fideliter Deum invocantes efficaciter audiebat. *In columna nubis loquebatur* tunc illis: nobis autem per sanctum scabellum, id est, per incarnationem, & loqui & apparere dignatus est.

E

8 † Custodiebant testimonia eius : † *Custodierant.*
Et præceptum quod dedit ¶ illis. ¶ *Eis.*

C. Reddit causas quare eos dominus exaudire dignaretur. Ipse enim Christus verè illum diligit, qui eius mandata custodit, ut ipse ait. *Si me diligitis, mandata mea servate. Testimonium* vero hic dicitur : per signa aliqua præcedentis rei posita significatio. Sicut in lege dixit, *hoc erit vobis in testimonium.*

Ioan. 14.

Deut. 6.

9 Domine Deus noster tu † exaudiebas † *Exaudisti.* eos ¶ Deus ⁝ tu ⁖ propitius fuisti eis : ¶ *Domine.*
Et † ulciscens in ⁝ omnes ⁖ adinventiones eorum. † *Ultor super commutationibus eorum.*

F

C. Dicendo *tu exaudiebas eos* : tu eis propitius fuisti, ostendit quidem desideria sanctorum in bonis petitionibus fuisse completa. *Et ulciscens in omnes*, &c. ne eis humana electio surrepere potuisset. Nam quamvis aliqui sancti sunt & fideles viri, tamen oportet in eis vindicare pro tempore, ne cor eorum posse videatur ad superbiam deduci. *Adinventiones* vero *eorum*, intellige studia eorum & operationes deficientes. H. Vel in bonum accipe *ulciscens* : ut Deus ulcisci intelligatur in adinventiones, id est, contra adinventiones eorum facientes : quia placitæ erant domino eorum actiones & adinventiones.

Adinventiones.

10 Exaltate dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius.
Quoniam sanctus dominus Deus noster.

G

C. Notandum est enim : quod sanctum dominum *in monte sancto* præcipit adorandum : quoniam sicut laus eius non convenit ori pravo, ita nec eius culturæ, loci potest congruere turpitudo.

Oratio ex Psal. XCVIII.

SVblimis throni domine, te & oramus & quæsumus, ut columnâ nobis luminis refulgente, modum sacerdotalis ordinis te custode servemus. Per dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psal. XCIX.

C. Admonet propheta universitatem, dominum exaltando laudare.

TT. Psalmus ⁝ David in confessione ⁖ .

H

Confessio.

C. *Confessio* enim quasi confacio dicitur, sive pœnitentia sive laus multorum ore celebrata. Quæ ideo sic dicitur, ut ad plurimos pertinere modo monstretur. *Con* enim, simul, significare notum est.

2 IVbilate Deo omnis terra :
Seruite domino in lætitia.

Iubilatio.

C. *Iubilatio* est enim magno mentis gaudio commoveri, non tamen in articulata verba prorumpere, & sob iocunditate domino famulari. *Omnis terra* : non ad tellurem referendum est, sed allegoricè ad homines constat intelligi. Ista lætitia utique Charitas est, de qua Apostolus ait. Non inflatur, non agit perperam, non enim murmurantes domino servire debemus, quia sic Deum non diligimus.

Omnis terra. In lætitia. 1. Cor. 13.

A 2 † Introite in conspectu eius:
In exultatione. † *Ingredimini coram eo in laude.*

H. *Introite*, id est, non iocis turpibus dissolvimini, sed omnia quæ facitis in gloriam Dei facite. *In exultatione.* C. Hoc est, ut gaudia tunc sumatis humilitatis, quando superbis omnibus probatur esse terribilis.

3 Scitote quoniam dominus ipse est Deus:
Ipse fecit nos & ¶ non ipsi nos. ¶ *Ipsius sumus.*

H. *Scitote*: hoc est intelligite ô Iudæi, quod iste dominus (quem filium Dei minimè credidistis) *ipse est Deus*, qui fecit cœlum & terram, qui nos quoque
B ad suam imaginem plasmavit. H. Et non solum corporaliter, sed in novum hominem recreavit: & hoc non nostro merito, sed suo dono.

4 Populus eius & † oves † *Grex.* pascuæ eius, introite portas eius in ¶ confessione: ¶ *Gratiarum actione.*
Atria eius † in hymnis confitemini illi. † *In laude.*

Oves pascuæ eius. Porta. Atria.

H. Venit ad populum fidelem, per comparationes pulcherrimas ostendens quid sint. *Oves*, quia sunt simplices, & ipse earum pastor est verus. *Pascua eius*, id est, divinarum scripturarum dulcis epulatio. *Porta domini*, sunt humilis pœnitentia, baptismum sacrum, & charitas & alia bona opera & sancta. *Atria eius* (ut hic subaudias intrate) significat prophetas & evangelistas, & quicunque rectè prædicaverunt. Di-
C cta enim illorum, domini constat esse atria: quia per illos & illa, ad eum itur, & ipse (si devotâ mente perquiritur) in eis invenitur.

5 ¶ Laudate nomen eius ¶ *Benedicite nomini eius* quoniam † suavis ∴ est ∵ dominus: † *Bonus.*
In æternum misericordia eius: & usque ¶ in ¶ *Ad* generationem & generationem † veritas eius. † *Fides eius.*

In sæculũ sæculi.

C. Reddit causam quare prædicandum & laudandum est nomen Christi: *quoniam suavis est.* Suavitas enim ista nescit habere fastidium. *In æternum*: quia cum semel præstiterit æterna futura bona, semper ab ipso servantur illæsa. *Sæculum sæculi*, sive *in generationem & generationem.* Et istud significat sæculum quod nunc agitur, & illud quod credimus esse ventu-
D rum, id est, sæculum in beatorum gaudio. Hic enim veritas Dei impletur, & promissa eius in patria veritate complentur.

Oratio ex Psal. XCIX.

IVbilamus tibi domine æterne, in lætitia & exultatione poscentes ut porta pectorum nostrorum in tuis laudibus reserata semper ad misericordiam veritatémque pandantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum, &c.

Argumentum Psal. C.

C. Ecclesia Dei, iudicium & misericordiam decantat, séque non cum iniquis, sed cum fidelibus habitare congaudet.

TT. Psalmus ∴ ipsi ∵ David.

C. *Ipsi David* ubi ponitur: totum Christi virtutibus applicatur, ut nihil de isto terreno rege intelligas, sed omnia de illo cœlesti fuisse dicta cognoscas.

1 MIsericordiam & iudicium: Cantabo † tibi domine. † *Tibi domine psallam.*
2 Psallam ∴ & ∵ ¶ intelligam ¶ *Erudiar.* in via † immaculata. † *Perfecta.*
Quando venies ad me.

C. Audiant utique misericordem dominum peccatores, qui desperant de salute: intelligant superbi iudicem, qui malum suum non æstimant esse puniendum, in his enim duobus sermonibus, & cuncta opera Dei, & totius Ecclesiæ ædificatio probatur esse narrata. Omnia enim Dei opera sunt *misericordia & iudicium*, id est, veritas, in quibus duobus omnes virtutes comprehenduntur. H. Admonet propheta, ut quisquis quod psallit intelligat, & sensus ipsius psalmum contempletur, & non vagetur mens foras, ut ore quidem videatur psallere, mens autem sine fructu sit. *In via immaculata.* C. Quia Christus non habuit peccata, qui hunc mundum immaculatis gressibus ambulavit: & ideò ait. Ego in hoc mundo sine macula ambulabo, ut veniat ad me immaculatum. H. *Quando venies*: de secundo eius adventu dicit, quando revertens dominus, facta hominum exquirit.

3 ¶ Perambulabam in innocentia cordis mei: ¶ *Ambulabo in simplicitate.*
In medio domûs meæ.

H. Nihil sic placere Deo ut simplicitatem & innocentiam. H. Hinc datur intelligi, quod propter simplicitatem gratissimam in specie columbæ spiritus Sanctus apparuit: & propter mansuetudinem, agnum se vocari filius Dei elegit: per hoc utique designans, æternam sapientiam habitare in pectoribus placidis & humilibus.

4 Non † proponebam ante oculos meos rem iniustam:
Facientes prævaricationes odivi.
5 Non adhæsit mihi cor pravum:
Declinantem à me malignum non cognoscebam. † *Ponam coram oculis meis verbum Belial, facientem declinationes odivi, nec adhæsit mihi, Cor pravum recedet à me malum nesciam.*

C. Iustè ergo dicit sancta congregatio, *ante oculos* cordis sui *se non posuisse rem iniustam*, quam de penetrabilibus suæ mentis excluserat. Rectè siquidem res illas videre negamur, quas nullis delectationibus intuemur. *Facientes prævaricationes odivi*: quia prævaricationes hominum iugiter habui odiosas, nam quamvis ante faciem nostram veniant, tamen non sunt in conspectu mentis nostræ.

C. *Cor pravum* enim adhærere non potest, nisi ligatis funibus peccatorum. *Declinantem a me*, id est hæreticum, qui pravis doctrinis à catholica fide dissentit, *non cognoscebam*: cum se etiam baptizatum asserat, non tamen in eo agnoscitur divina dilectio, qui blasphemus probatur à domino. H Vel quicunque malus Christianus, per malignum accipitur.

A

6 † Detraheotem secreto proximo suo :
Huoc persequebar. † *Loquentem in abscondito contra proximum suum, hunc interficiam.*

C. *Detrahit* hæreticus *secretò*, quando absentem catholicum aliquâ oblocutione dilacerat : nec audet palam contendere, qui se novit irrationabilia vindicare. Hos dicit persequ.ndos, ut ad studia veritatis concitentur. H. Vel de quolibet detrahente intellige.

7 ¶ Superbo oculo & iosatiabili corde :
Cum boc non edebam. ¶ *Superbum oculis & altum corde, cum hoc esse non potero.*

C. *Superbo oculo* est : qui est prætumidus pravâ voluntate. *Insatiabili corde*, qui non recedit à blasphemiis. Illos in tantum dicit vitandos, ut nec cum ipsis debeamus inire convivium, ne aures Christianorum abominandis inquinentur sermonibus.

B 1.Cor.5.

8 Oculi mei ad fideles terræ ut † sedcant mecum : † *Habitent.*
Ambulans io via † immaculata ¶ *Simpliciter.* hic mihi ¶ ministrabat. † *Ministrabit.*

Ministrorum conversatio bona.

C. Profitetur se nunc sancta congregatio, illos oculos sociare cum sanctis, quos avertebat à pessimis. *Fideles terra* sunt Christiani, qui per totum mundum habitant, & sedent simul in unitate fidei. *Ambulans in via*, &c. hæc est vera & manifesta probatio Christianorum, & in sua vita clarescere, & bonorum ministrorum conversatione gaudere : sicut supra dixit. *Cum sancto sanctus eris.* Et quamvis hoc à laicis non sit exceptum, tamen specialiter probatur sacerdotibus impositum, ut tales ministrus habeant, qui divinis regulis non repugnent.

Psal.17.

C

9 Non habitabit io medio domûs meæ, ¶ qui facit superbiam : ¶ *Faciens idolum loquens mendacium.*
Qui loquitor ioiqua, non † direxit in coospectu oculorum meorum. † *Placebit.*

C. Negat enim fidelis populus, cum superbis sibi fuisse aliquam portionem. Vnde cognoscimus nos debere habere talia in subiectos iudicia, ut nullatenus pessimis hominibus faveamus : nec nobis grati videantur, qui morum pravitate vitandi sunt. *Non direxit*, id est, non profecit : illos enim dicimus dirigere, qui accedendo proficiunt, vel aliquâ prosperitate meliorantur. Quòd istis non contingit, qui tortuosè student ambulare.

Non direxit, id est, non profecit.

10 ¶ Io matutino interficiebam omnes peccatores terræ :
Vt disperderem de civitate domini omnes operantes iniquitatem. ¶ *Manè perdum omnes impios terra, ut interficiam.*

D

C. Postquam dixit malorum se fugisse consortia, exponit nnoe quemadmodum de penetralibus suis expulerit illam partem tyrannicam scilicet pravam dæmonum suggestionem. *In matutinis :* in ipsis videlicet initiis, cum nobis suggestiones diabolicæ cœperint velut dubia crepuscula apparere, tunc oratione debent eiici, ne paulatim noxiæ crescentes, velut dies nebulosissima comprehendant. *Peccatores terra* sunt dæmones, qui sic iustè dicuntur, quoniam peccatores faciunt. *Civitatem Dei :* animam piam patres esse dixerunt, unde diabolus *disperditur*, cum à sua intentione removetur.

In matutino.

Peccatores terræ, dæmones sunt.

E

Oratio ex Psal. C.

IN comprehensibili virtute Deus, qui tuis famulis misericordiam atque iudicium clementer insinuas ; concede nobis fideles intelligere, rectámque viam ingredi, & à vanitate exetrabilis superbia declinare. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psal. C I.

C. Propheta dicit de persona cuiuslibet pauperis iusti, ut dominus ad eius preces attendat.

TT. Oratio paopetis cum anxius fuerit, & coram domino effuderit ¶ precem suam. ¶ *Eloquium suum.*

F

H. *Pauper* est Christianus, non huius mundi carens divitiis, sed spiritu pauper. C. Sive etiam egens in hoc sæculo, sed locuples in Deo, vitiis vacuus, virtutibus plenus. *Anxius* est, qui in gravi discrimine positus, nullam partem quam sequi debeat, novit eligere. *Coram domino :* talem vult orationem intelligi, quæ de animæ sacculis ante pedes regios, quasi aurei metalli copia decora fundatur.

Pauper spiritu.

Anxius.

1 DOminc exaudi orationem meam :
Et clamor meus ad te veoiat.

C. Videns propheta ante adventum Domini humanos crescere errores, personam pauperis convenienter assumpsit. Primò enim posuit *orationem*, & adiecit *clamorem*, ut cognosceres crevisse studia supplicationis, cuius orationem in clamorem prorupisse sentires.

G

2 Non † avertas faciem toam à me :
† *Abscondas.*
In † quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. ¶ *Die tribulationis mea.*

C. Supplicat itaque pauper iste, ne à conspectu Dei reddatur alienus. *In quacunque die*, id est, quocunque tempore urgebatur vulneribus peccatorum, vel cum eum detestabilis premebat inimicus. *Inclina aurem*, id est, præbe auditum. Auris Dei pro clementia ponitur, qua preces supplicum benignus exaudit. Auris enim ab auditu dicta est. Licet enim omnes videat, omnésque audiat, solos tamen eos audire dicitur, quibus præstare dignatur.

Auris Dei clementia.

3 In quacunque die iovocavero te :
Velociter exaudi me.

H

H. *In quacunque die* pro præsentibus pressuris orat, ut ab his divinâ contemplatione eripiatur. C. Et iam confidentiùs petit, ut celeriùs mereatur audiri. Nam qui velocitatem postulat, de eius clementiâ non diffidit.

4 Quia † defecerunt sicut fumus dies mei :
† *Consumpti sunt.*
Et ossa mea ¶ sicut cremium aruerunt.
¶ *Quasi frixa contabuerunt.*

C. Merito ergo dies peccatorum, globis fumiferis comparantur. Et maximè ad superbiam mundi respicit, quæ quanto plus extollitur ut fumus, tanto amplius evanescit. H. *Ossa :* significat animi fortitudinem, si ergo quod est in me forte, hoc aruit & infirmum factum est, quanto magis quæ per naturam infirma

sunt,

A sunt, ut caro. C. Nam qui se pavescit in futuru arsurum, ipsius incendij pavore iam frigitur quasi in frixorio.

5 † Percossus sum ut fœnum, & aruit cor meum: † *Percussum est quasi fœnum & arefactum est cor meum.*
Qoia oblitus sum comedere paoem meum.

C. Benè genus humanum fœno comparatur, quod & viriditatis habet lætitiam, & percussum facilè sentit iniuriam. Sic eom in lege Dei consistimus, tanquam viridissimum fœnom vegetamur: mox vero ut ab eius præceptis fuerimus diabolicâ falce succisi, statim arescimus. Reddit qoque causam cor eius *cor aruit*, qui non comedit panem spiritalem, id est Christum, propter peccatum.

B

6 A voce gemitûs mei:
Adbæsit os meum carni meæ.

C Illo enim gemitu affligebatur iste pauper, quem mundi amatores potius irridebant. Ideò addidit *mei*, ut se à mundanis desideriis monstraret abstractum. H Discant pœnitentes, quomodo agant pœnitentiam, ab isto paupere. Videant quid dicat, *adhæsit*, *&c.* ac si dixisset iste pauper, ita maceravi memetipsum, ut sine carne essem Et adhæsit cutis ossibus meis: carnem, pro pelle dixit.

7 ¶ Similis factos sum ¶ *Assimilatus sum* pelicano † solitudinis. † *Deserti.*
Factus sum sicut ¶ nycticorax in domicilio. ¶ *Bubo solitudinum.*

C

Nycticorax.

C. *Pelicanus* avis est Ægyptia similis ciconiis in granditate corporis, quæ delectatione solitariâ se consolatur, & naturali macie semper confecta est, tenso enim intestino per viscera, quicquid escarum accipit, sine aliquâ decoctione transmittit: & significat heremitas. *Nycticorax*, id est nocticorvus, quem quidam bubonem, quidam noctuam vocant, qui quærit escas in nocte: ita & pœnitens isto nocturno tempore escas animæ quærit modolando, retinens se domicilio à publicâ visione remotum.

8 Vigilavi:
Et factus sum sicut † passer solitarius in tecto. † *Avis solitaria super tectum.*

Passer.

C. *Passer* est avis parva sagacitate sollicitâ, nec facilè irretitur laqueis: quæ ad domorum fastigia currit, ne fœtus perdat. Cui comparatur qui se conferunt ad septa Ecclesiæ Dei, & in eius fastigio vigilant, ac ibi tutissimè perseverant. Hæ autem aves genere discrepantes & consuetudinum qualitate dissimiles, per hyperbolem hominibus comparantur. Quod argumentum dicitur ex maiore ad minus, maior est homo quam passer.

D

9 Totâ die exprobrabant mibi ioimici mei:
11 Et ∵ qui laudabant me, adversum me iurabant. ¶ *Exultantes per me iurabant.*

C. Diabolicæ constat esse malitiæ, ut servos (Dei, quos apertis terroribus tyranoi soperare non valent) Derisoriâ magis increpatione flectant, sic enim est consuetudo perversis, bonos priùs in vitâ sæculari laudare, post ioreiurando detestari, cum eos pœnitentiâ affligi conspiciunt.

10 Quia cinerem taoqnam panem † manducabam.
Et poculum meum com fletu miscebam. † *Comedi: & potum meum cum fletu miscui.*

Manducavit Christus *cinerem ut panem*: quia peccatores pœnitentes ad se convertit. C. Vel cinerem, id est, reliquias peccatorum & parva peccata consumebam verâ pœnitentiâ: ne quid esset residoom, quod impediret meritum regni cœlorum. *Et poculum meum*: tunc enim animæ meæ penetralia, cœlestis ille potus ingreditur: quando piis fletibus irrigator. H. Vel in cinere intingebam panem meum, & sic comedebam. Si ergo propheta hoc fecit: nos quid faciamus? *& poculum cum lachrymis miscebam*: & nibil mihi suave erat, neque paois neqoe poculom, sed tantum veniam & cœlestem panem Christum desiderabam.

11 A facie ¶ iræ iodignationis tuæ: ¶ *Indignationis tuæ & iræ tuæ.*
Quia † elevans allisisti me. † *Elevasti me & allisisti me.*

C Ira & indignatio faciem non habent corporalem: sed timentibus sob imaginatione semper apparent. *Ira*, ad ultionem pertinet: *indignatio*, ad motum animi mediocrem. *Elevat* autem Deus suis beneficiis peccatores, quando illis opes confert, & honorem concedit: & dum ex hoc extolluntur, omnia eripit, ut non pereant, sed humilientur & cognoscant unde & illa habuerint.

12 Dies mei sicut umbra ¶ declinaveruot: ¶ *Inclinati sunt.*
Et ego sicut fœoum arui.

C. Pulcherrimè dixit iste pœnitens, post prævaricationem Adæ, *dies declinasse suos*: quia ipse declinavit à domino. Tanto enim quisque imminuitur, quanto ab illa plenitudine locis segregatur, consequénsque fuit, ot cuius declinabant dies, *sicut fœnum arescere* debuisset: beneficio enim vitali unde vegetabatur subtracto, in ariditatem perducitur, peccati.

13 Tu autem domioe io æternum permanes:
Et memoriale tuum in geoeratione & geoeratiooem.

C. Post dignissimam satisfactionem peccatorum, pœnitens venit ad laudes Dei. Fecit autem laudis initium pauper iste, ab adventu Domini, per quem mundum noverat esse salvandum. *Memoriale*: dictum est salutare promissum de domini incarnatione venturum: quod per infioita persevetat sæcula, nec aliqua potest immutare oblivio.

14 Tu † exurgens misereberis Sion: † *Suscitans.*
Quia tempus ¶ misereodi eius * quia venit tempus ∵. ¶ *Est ut miserearis eius.*

C. *Exurgens* dicitur: quasi dormierit, qoia diutiùs subvenire distulerat. *Sion* mons est, per quem significatur Ecclesia: cui *misertus est* Deus, quando eam de gentibos collegit, & suâ doctrinâ fundavit. H. Confidat ergo qui agit pœnitentiam, *quoniam venit tempus miserendi* & salvandi.

A 15 Quoniam † placuerunt servis tuis lapides eius :
Et terræ eius miserebuntur. † *Placitos fecerunt servi tui lapides eius , & pulverem eius miserabilem.*

C. *Servos* domini apostolos dicit. Isti *beneplacitos* habuerunt *lapides eius* , id est, Christianos, quando in eis prædicationem suam fructuosam esse cernebant. *Terra eius miserebuntur* , quia per gratiam Dei mundandi erant, qui terrena tantum sapiebant , & labe terrenâ sordebant.

16 Et timebunt gentes nomen ❡ tuum domine : ❡ *Domini.*
B Et omnes reges terræ gloriam tuam.

C. Postquam enim adventus Christi salutaris infulsit , gentes conversæ sunt per timorem. Ipsi quoque gloriam domini verissimè cognoscunt , qui infirmitate
Reges. fidei consistunt. *Reges* etenim sunt qui corpora sua ritè regunt , divinis ea regulis infrenantes. H. Vel reges qui priùs idola metuebant & dæmoniorum nomina invocabant, nunc nomen tuum venerabuntur.

17 Quia ædificavit dominus Sion :
Et ❡ videbitur in gloria sua. ❡ *Apparuit in gloria sua.*

C. *Ædificata est Sion*, hoc est mater Ecclesia de vivis lapidibus fabricata. Iste etiam dominus , qui ædi-
2 Pet. 2. ficavit Sion , *videbitur in gloria sua* , quando in die iudicij, hædos sequestrabit ab agnis.

18 Respexit † in orationem humilium :
C † *Ad orationem vacui.*
Et non sprevit precem eorum.

C. Dicit etiam respexisse dominum orationem pauperum , id est , fidelium : quia ille omnia incorporalia contuetur , cuius oculis nihil probatur occultum , hoc est autem ipsius respicere , scilicet non semper spernere.

19 ❡ Scribantur hæc in generatione alterâ:
❡ *Scribitur hoc in generatione novissima.*
Et populus qui creabitur laudabit dominum.

H. *Scribantur hæc in generatione alterâ* , hoc est in novo testamento , *& populus* , utique Christianus, qui prius peccatis mortuus , in eo est per gratiam baptismi recreatus , iste videlicet *laudabit dominum.* C. Novo,
D scilicet cantico : ut est , *cantate domino , canticum novum.*

20 Quia prospexit de excelso † sancto suo:
† *Sanctuario suo.*
Dominus de cœlo !! in ∴ terram ❡ aspexit. ❡ *Contemplatus est.*

C. *Prospexit de excelso*, id est, de cœlo : dum fragilitatem nostræ humanitatis assumpsit. Indè igitur aspexit in terram , id est , ad nostri corporis fragilitatem, quæ mundi vitiis tenebatur obnoxia.

21 Vt audiret † gemitus compeditorum :
† *Gemitum vincti.*
Vt solveret filios ❡ interemptorum.
❡ *Mortis.*

C. Illi autem *compediti* sive vinculati , sunt viri sancti vinculis mandatorum astricti , quos gementes atque ad se clamantes dominus audire dignatus est : ut mundum propriis peccatis irretitum , beneficio suæ miserationis absolveret : *& filios interemptorum* (qui diabolicâ fraude perempti sunt) à paternis erroribus divinâ fortitudine liberaret. E

22 Vt † annuntient in Sion nomen domini:
† *Narretur.*
Et ❡ laudem eius in Hierusalem. ❡ *Laudatio.*

C. *Annuntiatum est nomen domini* Christi *in Sion* : dum ibi primum diversis linguis magnalia Dei loquebantur apostoli. Hinc factum est , ut à locali Hierusalem , per Ecclesiam generalem pia præcepta Dei decurrerent.

23 † In conveniendo populos in unum & reges. † *Cum congregati fuerint populi simul, & regna.* F
Vt serviant domino.
24 ❡ Respondit ei in via virtutis suæ :
Paucitatem dierum meorum nuntia mihi. ❡ *Afflixit in via fortitudinem meam, abbreviavit dies meos.*

C. Ideò dicit *convenire populos in unum*, ut virtus catholicæ unitatis ostendatur. Addit *& reges* , sive ut alia habet translatio *regna terrarum, Vt serviant domino* cœlorum ; Tunc magis libera , quando autori suo fuerint fideli servitute ligata.

C. *Respondit* Christo vocanti ad virtutum opera sancta Ecclesia , in tribulationibus constituta. *In via virtutis* , id est , religionis suæ ? non linguâ : sed vitâ, non voce, sed fide, non clamore, sed corde cupiens agnoscere finem sæculi , ut cito ad illam beatitudinem, quam dominus promisit pervenire mereatur. Dicit G Paucitas dierum.
vero dies omnes Ecclesiæ usque ad finem sæculi *paucitatem dierum* , respiciens ad æternitatem , quia quodcunque finiendum est , non debemus dicere longum.

25 ❡ Ne revoces me in dimidio dierum meorum : ❡ *Dicam , Deus ne rapias me in medio dierum meorum.*
In generatione & generationem anni tui.

C. *Revocatur* enim *in dimidio dierum suorum*, qui ad antiqua delicta revertitur : significat enim dierum dimidium , ipsam iuventutem , in qua lubrica voluptas appetitur, & ætatis fervore crimina plus amantur. Per annos æternitatem domini.

26 † Initio !! tu domine ∴ terram fundasti: H
† *A principio.*
Et ❡ opera manuum tuarum !! sunt ∴ cœli. ❡ *Opus.*

C. Cum dicit *initio* : ostendit , quia creator ante creaturas suas, sine aliquo initio, cognoscitur extitisse. Per *manus* : hic virtutem iussionis debemus accipere, Psal. 32.
sicut scriptum est, *ipse dixit & facta sunt , mandavit & creata sunt.*

27 Ipsi peribunt , tu autem † permanes :
† *Stabis.*
Et omnes sicut vestimentum ❡ veterascent. ❡ *Atterentur.*

H. *Ipsi peribunt* : iuxta illud , *cælum & terra transibunt.* C. *Tu autem permanebis* , in gloria maiestatis. Matth. 24.
Vestimentum , ad carnis fragilitatem videtur aptandum. hoc enim *veterascet*, quod more vestis morte consumitur.

A 28 † ı! Et ∴ ſicut opertorium mutabis eos & mutabuntur. † *Quaſi pallium.*
Tu autem ı! idem ∴ ipſe es, & anni tui non deficient.

Opertorium, id eſt, cœli. C. *Opertorium* cœlos forſitan debemus advertere, qui ad vicem velaminis, terras operiunt: qui ſimiliter ut alia *commutantur*, poſtea ſub æternitate manſuri. *Idem*: poſitum eſt contra illa quæ dicta ſunt: quoniam dum illa ſint commutabilia, dominus ſemper immutabilis perſeverat.

29 Filij ſervorum tuorum habitabunt:
Et ſemen eorum ¶ in ſæculum dirigetur. ¶ *Ante faciem tuam perſeverabit.*

B C. *Filios*: dicit diſcipulos Apoſtolorum, quos per fidei uterum, ſanctâ prædicatione genuerunt. *Inhabitabunt*: Habitatio hæc locum beatitudinis ſignificat: *ſemen*, opera fidelium, quæ in hoc mundo ſeminantur, ut in illa æternitate, eorum laudabilis fructus appareat.

Semen, ſunt opera.

Oratio ex Pſal. C I.

EXorabilis domine, intende in orationem ſupplicum tuorum, ut qui in peccatis detenti, tanquam ſumum arumus, reſpectu cœleſtis miſericordiæ ſublevemur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat, &c.

Argumentum Pſal. C II.

C *C. Propheta univerſitatem ad Dei laudes hortando: de beneficiorum plurimorum, quæ ſuis fidelibus adminiſtrat munere, gratulatur.*

TT. ! ı Ipſi ∴ David.

C. *Ipſi David* poſitum eſt: ne terrenum regem David intelligeres. Totus hic pſalmus domini laude repletus eſt. Eſt enim lucidus tituli ſui claritate, ut ſine difficultate continentiam eius intelligere debeamus.

1 BEnedic anima mea domino:
Et omnia, † quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius. † *Viſcera mea.*

D C. Loquitur propheta ad animam ſuam, ut cum fuerit diverſis cladibus liberata, beneficiorum omnium recordetur autorem: ne ſibi aut alteri putet eſſe tribuendum, quod à ſolo Deo conſtat conceſſum. *Interiora*: ſunt cogitatio recta, virtutéſque rationis.

2 Benedic anima mea domino:
Et noli oblivıſci omnes retributiones eius.

H. Multas *retributiones* præſtitit nobis Dominus. C. Vt qui eramus digni pœna, dignos nos fecit eſſe honore: quod *oblivıſci* nulli fas eſt. Quæ vero ſint illæ retributiones & beneficia conſequenter enarrat, ut homo cogitans beneficia ipſius, tota mente collaudet. Ille enim laudare nunquam deſinit, qui collata beneficia non poteſt obliviſci.

3 Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis:
¶ Qui ſanat omnes infirmitates tuas. ¶ *&.*

C. Primo enim *ſit propitius peccatis noſtris*: quando remiſſis delictis, in pace dignatur ſuſcipere peccatores. *Sanat infirmitates*: dum ſecuritas & immortalitas in reſurrectione conceditur fidelibus.

4 Qui redimit de † interitu vitam tuam:
† *Corruptione.*
¶ Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. ¶ *&.*

C. *Redimit de interitu vitam*: quando nos ab æterna morte ſummoverit, ut non audiamus, ite in ignem æternum. *Coronat in miſericordia*: quando iam beatis præmia digna reſtituerit. H. Præcurrente enim miſericordiâ, dat victoriam, ut tribuat palmam, unde & dictum eſt, *ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.* Scuto itaque coronat, dum protegit, & defendit, & ſic coronat. Scutum ergo miſericordia eſt: quod enim protegit, non meriti noſtri eſt, ſed eius miſericordiæ.

5 Qui replet ! ! in ∴ bonis † deſiderium tuum: † *Vitam tuam.*
Renovabitur ut aquilæ iuventus tua.

C. Replet; cum eis dicitur, venite benedicti. Ideo vero aquilæ exemplum introducitur, quia huic avi iam ætate provectæ, tantum ſupernum labium corneâ inflexione naſutum creſcit, ut eſcas non valeat ſolitâ libertate decerpere. Quæ intelligens, unde ei periculum vitæ poſſit accedere, dicitur os ſuum in ſaxo expolire, uſquequo valeat manducare, & ita in antiquam valetudinem eſcarum ſolitâ perceptione revocatur. Sic anima, ſi non deſinit peccata ſua expolire in petra, id eſt in Chriſto, in priſtinam ſanitatem revertitur, recipere enim tunc valet cibos ſalutares.

6 Faciens ¶ miſericordias dominus: ¶ *Iuſtitias.*
Et † iudicium omnibus iniuriam patientibus. † *Iudicia cunctis qui calumnias ſuſtinent.*

C. Illis autem *miſericordias facit*, qui miſerti fuerint, ut in evangelio ait. *Beati miſericordes, &c. Iudicium* illis promittit, qui patientiæ munere decorantur: quibus & dicitur, *mihi vindicta & ego retribuam.* Iudicium enim hic vindictam intellige.

7 Notas fecit vias ſuas Moyſi:
Filiis Iſraël ¶ voluntates ſuas. ¶ *Cogitationes.*

C. *Notas fecit Moyſi vias*, ut perfectæ fidei gradibus vias domini ambularet, & eius iuſtitiam legémque conſcriberet, & mores doceret. *Filiis Iſraël voluntates* ſuas innotuit, non vias: quia multi eorum viam domini declinare præſumpſerunt, voluntatem quippe noverunt, ſed præcepta ſervare, & viam ire noluerunt, ideo non dicitur vias eis innotuiſſe, ſed voluntates.

8 Miſericors & † miſerator dominus:
Longanimis & multum miſericors.
† *Clemens dominus, patiens & multæ miſerationis.*

C. *Miſericors* eſt, qui naturâ ſuâ clementiſſimus approbatur: *miſerator*, qui miſericordiæ ſuæ dona largitur. Nullus autem miſericors, niſi qui & patiens eſſe probatur. Ideò addit, *longanimis*, id eſt, patiens & ſuſtinens peccatores longo tempore. Denique ſubdit, *multum miſericors*: quia etiam ſe blaſphemantibus, ſolem oriri facit, & tribuit eis & conſervat vitæ ſpiritum.

A

9 Non in ¶ perpetuum irascetur : ¶ *Sempiternum iudicabit.*
Neque in æternum † comminabitur.
† *Irascetur.*

C. *Non illis in perpetuum irascitur*, qui devoti in satisfactione esse cognoscuntur : nec eis *comminabitur*, qui eum totâ mente diligunt.

10 Non secundum peccata nostra fecit nobis :
Neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

H *Non secundum peccata nostra fecit* : quia quàm merebamur, nobis meliora indulsit. *Nec secundum iniquitates retribuet.* Quoniam ita pius est supplicantibus ut pœnitentem statim resolvat à peccatis.

B

11 † Quoniam secundum altitudinem cœli à terra :
Corroboravit misericordiam suam super timentes se : † *Quantùm enim excelsius est cælum à terra : tantùm confirmata est misericordia eius super, &c.*

C. Quâ comparatione significatur, quia sicut cœlum terras operit, & necessaria beneficia homini tribuit : modò pluvias, modò serena, modò ventos : ita & misericordia Dei nostræ fragilitati diversa beneficia præstat : sustinet enim, ut corrigat, flagellat ut erudiat: probat, ut præstet : & ut breviter dicamus si fas est ut cœlum non operiat terras, potest fieri ut dominus non protegat sibi purissimè servientes.

C

12 Quantum † distat ortus ab occidente :
Longè fecit à nobis iniquitates nostras.
† *Longè est Oriens ab occidente : tantum longè fecit à nobis scelera nostra.*

C. *Oriens* significat regnum Dei, *occasus* vero gehennam, quæ tantum dissocia est à sede beatorum, quantùm dicit ille pauper in sinu Abrahæ, *inter nos & vos chaos magnum firmatum est.* Vel oriens, est initium bonæ vitæ nostræ : occasus, malæ conversationis effectus.

Luc. 16.

13 Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est dominus timentibus se :
Quoniam ipse ¶ cognovit figmentum nostrum. ¶ *Novit plasmationem nostram.*

C. Pater enim carnalis, qui benè vult filium suum erudiri frequenter eum corripit ac flagellat : sic dominus flagellat omnem filium quem recipit, & timentes se ad studium bonæ voluntatis adducit. *Quoniam ipse cognovit* : quod nosmetipsos ab illâ naturali dignitate deiecimus, *figmentum* esse monstramur & creatoris factura.

D

Prov. 3. Figmentum Dei sumus.

14 Recordatus est quoniam pulvis sumus, homo sicut † fœnum : † *Herba.*
Dies eius, tanquam flos agri sic ∴ ef ∴ florebit.

H. Ac si diceret, non irasceris ut conteras, sed recordaris quod vasa figuli sumus, quæ semel confracta, reparari nisi per te non possunt. C. His ergo rebus transitoriis, humanitas comparatur, quæ pulchrescit ut flos & fœnum agri: sed non ad vitam longissimam perducitur. Ac si quæreres quid est homo ? & responderetur: est cuius dies sunt *sicut fumum*, & qui ut *flos agri efflorет*, sed statim flos decidit, *quoniam spiritus*, &c.

Quid homo.

E

15 Quoniam spiritus ¶ pertransibit in illo & non subsistet : ¶ *Pertransiet eum.*
Et non cognoscet † amplius locum suum. † *Eum ultra locus eius.*

C. Describit enim adhuc quid sit homo, id est, spiritus pertransiens, scilicet mundum præsentem, in quo diutissimè non potest permanere. *Non cognoscet amplius locum suum* : huc est in hoc sæculo non potest redire, ut suam vitam possit iterare.

16 Misericordia autem domini ab æterno & usque in æternum :
Super timentes eum.

C. Reddimur enim per misericordiam absolutè perpetui, quamvis per nos simus fragiles & caduci. *Et usque in æternum* : designat æternitatem Dei, quoniam & ille ante sæcula, & in sæculo, & post illud sæculum, misericors monstratur. Video vero istam perpetuam misericordiam solum in timentes eum protendi.

F

17 Et iustitia illius in filios filiorum :
His qui ¶ servant testamentum eius.
¶ *Custodiunt pactum eius.*

C. *Filios filiorum* : uniuscuiusque actus debemus advertere. Qui domini præcepta custodiunt, qui mandata eius operibus implent, hi generant opera, opera vero retributionem pariunt in beatitudine æternâ.

Filij filiorum, actus nostri sunt.

18 Et memores sunt mandatorum ipsius :
Ad faciendum ea.

C. *Memoria est* enim *mandatorum eius*, per quam animus repetit quæ audit, & visa factáque cognoscit. Isti enim sunt filij supra dicti, qui *mandatorum eius* operibus *sunt memores*, non studio cantilenæ. Nam & si quis psalterium totum voce reddat, memor eius non est nisi quæ præcipiuntur effecerit : ideò enim dicta sunt ut fiant, non ut solâ vociferatione cantentur.

G

Memores mandatorum ad faciendum ea.

19 Dominus in cœlo † paravit sedem suam:
† *Stabilivit thronum suum.*
Et regnum ipsius ¶ omnibus dominabitur. ¶ *Omnium dominatur.*

C. *Paravit sedem suam* : hoc ad illud pertinet, quod Christus ascendit in cœlum, unde venturus est iudicare vivos & mortuos. Dicit vero ipsum *dominaturum, qui paravit sedem suam*, ne putarent pagani, dæmones suos esse ullo modo regnaturos.

20 Benedicite domino angeli eius † potentes virtute : † *Fortes robore.*
Facientes verbum illius, ¶ ad audiendam vocem sermonum eius. ¶ *Obedientes voci sermonis eius.*

H

C. Commonet etiam *Angelos* & spiritales substantias, ad ministerium tantæ maiestatis accedere. Ipsi autem *virtute possunt*, qui eius iussis obediunt. Virtus enim hic pro virtute morali, non pro potentia accipitur. Ad audiendam vocem scilicet, ut sint humiles, non superbi, ipsi enim sunt digni benedicere, qui suum & cognoscunt & venerantur auctorem.

Potentes virtute.

21 Benedicite domino omnes † virtutes eius:
† *Exercitus.*
Ministri eius qui facitis ¶ voluntatem eius. † *Placitum illius.*

H. Admonet *benedicere Deum omnes virtutes*, id est,

A Verbum eius, id est, voluntas.

qui virtute illius roborati, verbum ecclesiis prædicatione ministrant. C. Vel quoniam prius potentes virtute admonuit benedicere Deum, qui faciunt verbum eius: ne verbum quod verberato aere ab hominibus proferri solet intelligeres, addidit: *qui faciunt voluntatem eius*, Angelis enim, domini verbum, est voluntas eius.

22 Benedicite domino omnia opera eius,
in † omni loco dominationis eius: †
Omnibus locis potestatis eius.
Benedic anima mea domino.

B In omni loco, id est, Catholica Ecclesia.

H. Nam cum totum opus domini sit cœlestis terrenisque creatura, admonet ut omnia debeant suum *benedicere* auctorem. *In omni loco*: significat Ecclesiam, quæ per totum mundum erat domino præstante creditura. Nam si eum semper benedicimus, ab eo iugiter custodimur. Ideo digna est admonitio, quæ contra omnes casus tanquam clipeus inexpugnabilis assumatur.

Oratio ex Psal. CII.

Sana domine languores populi tui, qui semper peccatoribus sicut pater filiis misereris: ut exempti ab interitu mortis perpetuæ, te anima nostra benedicat, & vita clarificet. Per dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psal. CIII.

C. Vox Ecclesiæ magnificantis Deum, & innumerabilia opera narrando collaudantis.

Additur in Græco. Super mundi generatione.

TT. :: Ipsi David :· .

C. *David* hîc tantum ad personam loquentis adhibetur, cæterum omnia constat de domino saluatore narranda, qui in principio fecit cœlum & terram.

C

1 Benedic anima mea domino:
Domine Deus meus magnificatus
es † vehementer. † *Nimis.*

Benedicere Deum.

C. Invitat propheta semetipsum ad *benedicendum Deum*: benedicere Deum, est eius magnalia confiteri: *magnificatur* Deus apud homines, quando eis magnus atque excelsus claruerit, ut ipsum creatorem ac redemptorem atque iudicem sentiant: *vehementer* vero magnificatur, quando ab eo, qui heri blasphemus fuit, hodie conversus prædicatur.

2 ¶ Confessionem & decorem induisti: ¶
Gloria & decore indutus es.
Amictus † lumine sicut vestimento. †
Luce.

D Confessionem & decorem induisti. Lumen, Ecclesia est.

C. *Induit decorem*: quando assumpsit carnem mortalem. *Induit* vero *confessionem*: cum eo veniente recesseront perfidi à cultu simulachrorum, & confessio ac decus supernæ maiestatis per mundum innotuit. *Lumen* autem Ecclesiam significat, quæ recte velut vestis advertitur domini salvatoris, non habens maculam neque rugam.

3 Extendens ¶ cœlum sicut pellem: ¶
Cælos.
Qui tegis aquis † superiora eius. † *Cœnacula.*

Extendens cœlum.

C. *Cœlum* hic omnem iustum debemus advertere, cuius *superiora*, id est, fidelis anima, aquis baptismi salutaribus emundata irrigatur. Vel *cælum extenditur*: cum publicani & meretrices admittuntur. Cœlum enim tantum iustorum est per iustitiam, sed factum est ex gratiæ largitate etiam peccantium. A. Vel cœlum, ut dictum est, prædicatores dicit: qui ut pellis extenti sunt, per prædicationem eorum in omni terrâ, & sicut mortuorum animalium maior est usus pellium, ita mortuis Apostolis, amplius doctrina eorum prædicationis in usum venit Ecclesiæ. *Aquæ* vero, sunt gratiæ infusio & charitas vel spirituales sensus.

4 Qui ponis ¶ nubem ascensum tuum: ¶
Nubes currum suum.
Qui ambulas super pennas † ventorum.
† *Venti.*

H. C. *Posuit nubem*: quando dominus post resurrectionem videntibus Apostolis ascendit in cœlum. *Ambulat super pennas ventorum*: dum suas voluntates velocius operatur, quam potest excursus esse ventorum. Sive magis ventos, iustorum animas debemus accipere qui utroque testamento perdocti, velut duabus alis ad superna gaudia transferuntur. Super quos ambulat, dum in eis misericordiam suæ operationis ostendit. Per nubem etiam prædicatores accipi possunt, per quos in membris Christus ascendit, dum peccata dimittunt eorum auditores.

5 Qui facis Angelos tuos spiritus:
:: Et :· ministros tuos ignem urentem.

C. *Angelus* dicitur græcâ linguâ, qui latinâ nuntius interpretatur, nam quando mittuntur Angeli sunt, qui tamen naturâ spiritus esse noscuntur. Talis est ordo verborum: *qui spiritus suos, facit Angelos.* Minister Dei est omnis qui divinas exequitur voluntates, talis enim vir ignis cœlestis efficitur, quando verbo prædicationis peccantium nequitias urere & consumere posse monstratur.

6 Qui fundasti terram super ¶ stabilitatem
suam: ¶ *Basim suam.*
Non † inclinabitur † *Commovebitur.* in sæculum ¶ sæculi. ¶ *Et in sæculum.*

C. *Fundavit* Christus *terram*: quando solidavit Ecclesiam. *Super stabilitatem*, id est, super se, qui est immobile fundamentum. *Non inclinabitur*: si iugiter supra eum manserimus, nullatenus inclinamur.

7 ¶ Abyssus sicut vestimentum amictus
eius: ¶ *Abysso quasi vestimento operuisti eam.*
Super montes stabunt aquæ.

C. *Abyssus* enim dicitur, aquarum copiosissima multitudo, quæ significat persecutores, quia sicut pallium subiecta cooperit, ita illi mundum fœtidissimâ superstitione texerunt. *Steterunt aquæ super montes*: id est, sanctos (qui montes, fidei firmitate vocati sunt) quando eos diversis pœnis affligebant, aquæ enim sicut & abyssi, hic impios significant.

8 Ab increpatione tuâ fugient:
A voce tonitrui tui formidabunt.

C. *Fugiens abyssi*, id est, superstitiosi, *ab increpatione* Apostolorum. *A voce tonitrui*, id est, prædicationis quando diabolum periturum audierunt cum sequacibus suis.

9 Ascendunt montes & descendunt campi.
¶ In locum quem fundasti eis: ¶ *Ad.*

A. *Ascendunt montes*, id est superbi & impij, quandiu permisit eos dominus: atque iterum, quando pla-

A Montes superbi erant.

cuit fecit in convallum humilitate sedere. Montes erant, cum sævirent: campi, cum placati resederant: *in locum*, id est, in Ecclesiam, ubi eis servire licebat.

10 Terminum posuisti, quem non † transgredientur:
Neque convertentur operire terram. † *Pertransibunt: nec revertentur ut operiant terram.*

C. *Terminus* quippe, scilicet ritus & superstitionis paganorum, est adventus domini Christi: cuius religione crescente, cuncta idololatria cum suis auctoribus corruerunt. *Neque convertentur.* H. In flagitia, quibus prius vixerant. C. Vel melius non convertentur: ut humanum genus superstitionum suarum inundatione operiant.

B

11 Qui emittis fontes in convallibus:
¶ Inter medium montium pertransibunt ⁘ aquæ ⁖ ¶ *Ut inter medios montes fluant.*

C. *Fontes*: hic scripturam divinam debemus intelligere, *qui in convalles*, id est, in homines humiles exæstuant. *Montes*: hæreticos significat ac superbos, inter quos scripturæ perenni ubertate decurrunt: quia eas hic audire bonis malisque commune est. *Pertransibunt*: quia tales non contingunt istæ aquæ, id est, non rigant ad aliquem fructum.

12 † Potabunt omnes bestiæ agri:
Expectabunt onagri in siti suâ. † *Ut bibant omnia animalia regionum, & reficiat onager sitim suam.*

C

C. *Bestias agri*: gentes intellige, quæ potandæ erant aquis, quas in Evangelio dominus Samaritanæ pollicitus est. *Onager* Sylvester asinus est, significans iudæos, qui satiari poculo vitali nolunt, sed expectant in siti donec plenitudo gentium intraverit.

13 Super ea volucres cœli ¶ habitabunt: ¶ *Morabuntur.*
De medio † petrarum dabunt vocem. † *Nemorum.*

C. *Volucres cœli*: animas sanctas pontificum vult intelligi, qui supra populos domini, sanctis prædicationibus *habitant. De medio petrarum dabunt vocem*: quando Apostolorum & prophetarum exemplis, aliqua prædicare noscuntur, id est, de illorum traditione sua dicta firmare.

14 ¶ Rigans ¶ *Qui irrigas.* montes de † superioribus suis: † *Cœnaculis tuis.*
De fructu operum tuorum ¶ satiabitur terra. ¶ *Implebitur.*

D

H. *Rigans montes*, hoc est Apostolos. *De superioribus*: effundens super eos spiritum sanctum. *Satiabitur terra*, id est, terreni de beneficiis largitionis Christi. C. Vel montes: quilibet Ecclesiæ boni prælati, irrigantur cœlesti doctrinâ & vitâ, terreni in melius mutati, satiantur.

15 † Producens fœnum iumentis: † *Germinans herbam.*
Et ¶ herbam servituti hominum. ¶ *Fœnum.*

Fœnum, id est, eleemosyna.

C. Admonet propheta, ut terra ista, cœlesti imbre satiata, *producat fœnum*, id est, eleemosynas faciat, *iumentis*, id est, pauperibus his, qui passim petunt. *Herbam vero servituti hominum*: hoc est, ut illi necessaria tribuantur, de quo scriptum est. Desudet eleemosyna in manu tuâ, donec invenies iustum cui eam tradas, id est, præ verecundia & patientiâ non petenti. A. Vel ministris Ecclesiæ verbum Dei ministrantibus & pauperibus.

E

16 Ut † educas panem de terrâ: † *Educat.*
Et vinum lætificet cor hominis.

C. Panis noster est Christus, qui *de terra producitur*, quando aliquid indigentibus, eius amore præstatur. *Vinum lætificat cor*: id est, mentem, cum fuerit sacratum in sanguinem Christi & honorificè acceptum, quia nihil ibi culpabile reperitur.

Panis de terra Christus.

17 ¶ Ut exhilaret faciem in oleo: ¶ *Ad exhilarandum.*
Et panis cor hominis † confirmet. † *Roborat.*

F

C. *Exhilaratur facies* quoque *in oleo*: cum regali chrismate ungitur. H. Vel misericordia exhilarat in oleo facies iustorum coram Deo. *Panis* hic ad animam referendus est, qui perfectos efficit Christianos. A Christus ille panis est, sive iustitia.

18 Saturabuntur ligna ¶ campi ⁘ & ⁖ cedri ¶ *Domini.* Libani quas † plantavit:
Illic passeres nidificabunt. † *Plantasti: ibi aves.*

H. *Saturabuntur*: de vera religione Christi. *Ligna*, id est, rationabiles homines. *Cedri*: excelsiores meritô sancti, quos plantavit in unitate Ecclesiasticæ fidei. C. *Passer* minuta avis est cautissima nimis: & significat monachorum parvitatem, qui in cedris, id est, in hæreditate potentium, velut in quibusdam ramis, *nidos*, id est, monasteria sibi *ædificare* monstrantur: eorumque robore sustentati, velut passeres laudes domini assiduâ voce frequentant. Cœlestis in terra vita, imitatio fidelium angelorum, in carne præter carnem vivere.

Ligna campi. Cedri. Passeres, Monachi.

G

19 ¶ Herodii domus dux est eorum: montes excelsi cervis: ¶ *Milvo abies domus eius.*
Petra refugium herinaciis.

H. *Herodius*, maior est omnium volatilium, qui aquilam vincit & comedit: & significat hominem sanctum, habitantem in domo Dei, adiutorium præstantem aliis ad vincendum diabolum. Aquila enim sæpe pro diabolo ponitur. C. *Cervus* significat fideles, qui serpentem devorant, id est, diabolum, cum nequitiam eius ad laudem Dei convertunt: *habitant in montibus*, id est, Apostolis & prophetis. *Erinacius* vero est, quem vocamus ericium, animal timidum naturâ armatum, in saxis habitans ne inveniatur: & peccatorem significat, qui futurum iudicium metuens, ad petram Christum refugit.

Herodius avium maxima.

H Erinacius.

20 Fecit lunam † in tempora: † *Per tempora.*
Sol cognovit ¶ occasum suum. ¶ *Occubitum suum.*

C. *Luna* significat Ecclesiam: quæ in temporibus facta est, quando eam minui contingit & crescere. *Sol* Christus, ille *cognovit occasum suum*, id est, gloriam suæ passionis, cum discipulis diceret. *Venit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.*

Luna, Ecclesia, Sol Christus. Mat 26.

A

21 Posuisti tenebras & facta est nox :
In ipsa † pertransibunt omnes bestiæ
sylvæ. † *Movebuntur.*

Nox.

C. *Posuit tenebras* : in tempore passionis, quando Sol obscuratus est. *Nox* etiam illis fuit : qui carnaliter Christum in cruce intuendo communiter æstimabant mori. In hac nocte *bestia exierunt* & tunc in nos pertranseunt istæ bestiæ sylvæ diaboli scilicet.

22 !! Catuli :· ¶ leonum ¶ *Leones.* rugientes † ut rapiant : ¶ *Ad prædam.*
Et quærant à Deo escam sibi.

Catuli leonum, ministri diaboli.

C. *Leones* : diabolos significant propter crudelitatem. *Catuli* (dicti, eo quod calleant sensu narium) significant ministros diaboli, qui *rugiunt* ut nocentem perdant. *Quærunt* vero istam *escam* à Deo : nemo enim immundis spiritibus rapi potest, nisi qui suâ exigente culpâ, à Deo fuerit derelictus. Nihil enim à quoquam fieri potest, nisi quod ipse secreto iudicio, aut ad probationem aut vindictam, faciendum esse permiserit.

B

23 ¶ Ortus est sol, & congregati sunt :
Et in cubilibus suis collocabuntur. ¶ *Oriente sole recedent, & in speluncis suis cubabunt.*

C. Tunc *ortus est sol* : quando Christus resurrexit, & tunc satellites diaboli congregati, eius maiestatem minimè sustinentes, se *in suis cubilibus*, id est, in pertinacium pectoribus collocabant. Sol est dictus : quod solus ita lucet, ut ex eo dies fiat.

Sol.

24 Exibit homo ad opus suum:
Et ad † operationem suam usque ad vesperam. † *Servitutem suam.*

C

C. Iste enim usus est mortalium : ut quandiu hic sumus, veniente die diversis occupemur actionibus: unus colit agrum, alter se bellis exercet : iste discit : ille docet : & quicquid mortalitas agit, probatur concludi vesperâ, id est, fine sæculi.

25 Quam ¶ magnificata sunt opera tua domine ? omnia in sapientia fecisti : ¶ *Multa.*
Impleta est terra possessione tuâ.

C. Admirando enim dicit propheta, *quam magnificata sunt*, nam non solum hoc hominis arduum (quia excedit humanum sensum, operatio Christi) verum etiam ipsis Angelis probatur immensum. Ista igitur *sapientia* filius est patris. *Terra* significat Ecclesiam, quæ *repleta est*, quando universalis domino deservit Ecclesia : *possessio* enim populum fidelem in Ecclesia significat, , unde & alia translatio habet, *impleta est terra creaturâ tuâ*, scilicet ista in novitate vitæ generata in baptismo.

D

26 Hoc mare magnum & ¶ spatiosum * manibus :· ¶ *Latum.*
Illic reptilia † quorum non est numerus. † *Innumerabilia.*

Mare, id est, mundus.

C. *Mare* enim : præsentem mundum significat, ubi malitia dæmonum, velut quibusdam fluctibus, voluntas animarum instabilis commovetur. Mare dictum est à mundo, quod semper eat & redeat. *Illic reptilia*, id est, spiritus maligni, nobis innumerabiles, à Deo tamen comprehendi possunt.

27 Animalia ¶ pusilla cum magnis : ¶ *Parva cum grandibus.*
Illic naves pertransibunt.

C. *Animalia pusilla* : quia inter ipsos spiritus malos, & maiores esse nequitiæ probantur & minores. Per *naves*, signantur Ecclesiæ, quæ periculosos fluctus mundi, per lignum gloriosæ crucis evadunt, portantes populos credentes.

Na... Ecc... sun...

28 † Draco iste quem formasti ad illudendum ei : † *Leviathan istum plasmasti, ut illuderet ei.* omnia ¶ à te expectant : ¶ *In te sperant.*
Ut des illis escam in † tempore. † *Tempore suo.*

C. *Draco iste* : apertè significat diabolum, qui verè draco dicitur, propter venenum, quod Euæ primæ mulieri malè suadendo inspiravit;, qui suis peccatis ita formatus est, ut ei illuderetur ab Angelis. Sed cum draco spiritalis sit, cuius esca deceptio hominum est, non omnino tamen timeas atrocem : quia nisi domino permittente, non prævalet quicquam suâ potestate perficere. Expectat igitur escam à Deo permittente, sicut & alia omnia.

29 Dante te illis colligent :
Aperiente te manum tuam :: omnia :·
¶ implebuntur bonitate. ¶ *Replebuntur bono.*

C. Exponit adhuc, cum diabolicâ iniquitate vexamur, non illum credamus ex suâ potestate præsumere: sed potius ad illum recurramus, sine cuius permissu nihil facere potest, & celeriùs victus abscedit. Dicit enim, *dante te illis* : ut intelligas, quia nisi datum fuerit illis, colligere non valebunt. *Magnus* significat potestatem per quam abundè cuncta replet, & mirabiliter universa disponit.

30 † Avertente autem te faciem turbabuntur : auferes spiritum eorum & deficient : † *Abscondes vultum tuum & turbabuntur.*
Et in pulverem suum revertentur.

C. De illis modo dicit, qui concessa Dei munera sibi applicant, non Deo, ab his ergo talibus, *cum averteris Deus faciem*, nudati à præsidio, sine dubio *turbantur. Auferes spiritum* superbiæ : ut accepto spiritu sancto, innoventur & recreentur. *Et in pulverem suum redeant*, id est, ad humilem confessionem peccatorum: in qua indigentiam suæ fragilitatis agnoscant, & ita tibi deficientes, ad conversionem saluberrimam redeant, qui in suis præsumptionibus errabant.

31 Emitte spiritum tuum & creabuntur:
Et ¶ renovabis faciem terræ. ¶ *Instaurabis.*

C. *Emitte spiritum tuum*, id est, ut reparentur in melius. Recreati sunt utique, qui se pulverem humiliter agnoverunt. *Renovabitur facies* : quando de vetustate peccatorum emundatur peccator.

32 Sit gloria domini in sæculum;
Lætabitur dominus in operibus suis.

C. *Sit gloria domini* : non cujuslibet alterius. *In sæculum*, id est, in æternum, quia laudis eius nullus est finis. H. *Lætitia est domini*, quando nos creatura ipsius benedicimus cum in die resurrectionis.

33 Qui

A

33 Qui respicit terram & † facit eam tremere : † *Tremet.*
Qui tangit moutes & ¶ fumigant. ¶ *Fumabunt.*

C. De illis dicit, qui per Dei gratiam illuminati, peccata sua prætetita contremiscunt. *Montes* hic peccatores dicit, qui dum fuerint indignatione domini percussi, tunc ad salutares lachrymas currunt, & quosdam fumiferos globos tristitiæ emittunt, tanquam incensum suavitatis.

34 Cantabo domino in vita mea :
Psallam Deo meo quandiu sum.

C. Cum ait *cantabo in vita mea* : tempus signat, cum in hoc mundo degere videbatur, cum vero adiecit, *psallam Deo meo*, scilicet in futuro sæculo ubi & esse perpetuum est, & psalmodia non habet finem.

B

35 † Iocundum sit ei eloquium meum : † *Placeat.*
Ego vero ¶ delectabor in domino. ¶ *Latabor.*

C. Sic enim Deo fit *iocunda* nostra *laudatio*: si nos delectemur in domino. Qui amans diligitur, negligens spernitur, desiderans sustinetur.

36 Deficiant peccatores † à terra, & iniqui, ita ut non sint : † *De terra : & impij ultra non sint.*
Benedic anima mea domino. Alleluia ⁝.

C

C. *Deficiunt à terra* peccatores; cum terrenâ cupiditate privati, per Dei gratiam ad meliora studia concitantur. Simili modo & iniqui deficiunt, quando mali iam esse desinunt. *Benedic anima mea*: dignum initium psalmi, & finis dignus, illum semper benedicere, à quo cognoscimus, nos semper dona recipere.

Oratio ex Psal. C III.

INclite omnipotens Deus, qui fructu locupleti terram aridam satiasti, da nobis spiritali mente ascensum tuæ gloriæ contueri : ut dum te in cælis suspicimus, illa semper quæ sunt cælestia, meditemur. Per dominum nostrum Iesum, &c.

Argumentum Psal. C IV.

C. *Propheta monet fideles : ne spem in illis transitoriis ponant : sed patriarcharum viam tenentes, Deum spiritaliter semper exquirant.*

D

TT. Alleluia.

Alleluia hic primum reperitur.

C. Hoc verbum, à præsenti psalmo fecit initium, nec antea quoque reperis positum, quamvis multi scriptores fuerint primitus hebræorum. Scire autem debemus, *alleluia* neutri generis esse definitum : quod & sanctus Hieronymus in expositione eiusdem psalmi evidenter designat. Et unum atque integrum manere debet in translatione, quod nullius linguæ præsumptione mutatum est. *Alleluia* vero apud hebræos dicitur, laudate Deum, *allelu* enim laudate : *ia* quippe signat invisibilem Deum.

1 CONfitemini domino ⁝ & ⁝ invocate nomen eius.

E

† Annuntiate inter gentes opera eius. † *Notas facite populis cogitationes eius.*

Confitemini domino.

C. *Confitemini domino*, id est, laudate eum, & bonis factis gratiam divinitatis vobis acquirite. *Annuntiate* : hoc Evangelistis convenit & Apostolis, & nunc sacerdotibus, ut magnalia Christi annuntient. Cum vero dicit *confitemini*, & postea subdit, *invocate*, docet invocare Deum volentes, prius eius laudes confiteri.

2 Cantate ei & psallite ei :
¶ Narrate omnia mirabilia eius. ¶ *Loquimini in universis mirabilia eius.*

F

C. *Cantate*, ad hymnos pertinet offerendos : *psallite*, ad pia opera exercenda. *Omnia* : significat ista quæ dicturus est. Non est enim humanarum virium, omnia mirabilia narrare : sed signat à toto partem.

3 † Laudamini in nomine sancto eius : † *Exaltate.*
Lætetur cor quærentium dominum.

Laudari in domino.

C. Non enim vetat, ut laudemur : quia actibus bonis non potest res ista denegari : sed ut in domino *laudemur* præcipit, qui præstat illa quæ bene gerimus. *Lætetur cor*, &c. Inde scilicet, lætetur cor, si dominum quærit & prædicatur in dominó : non autem si de suo posse laudatur.

4 Quærite dominum & ¶ confirmamini: ¶ *Virtutem eius.*
Quærite faciem eius semper :

G

C. Hortatur ut se ad præmia futura *confirment*, qui eum *quærere* delegerunt. Ista autem inquisitio non est ullo tempore finienda, quoniam addidit, *semper*. *Faciem* vero, præsentiam eius dicit.

5 Mementote mirabilium eius quæ fecit:
† Prodigia & iudicia oris eius. † *Signorum & iudiciorum.*

Mirabilia & prodigia.

C. *Mirabilia* itaque pertinent ad divisionem maris rubri : *Prodigia*, ad plagas quas misit in Ægyptum. *Iudicia oris* : quoniam cuncta complevit quæ Moysi suo famulo promisit. Iudicavit enim Pharaonem & populum suum, sicut Moysi dixit.

6 Semen Abraam servi eius :
Filij Iacob electi eius.

Iudæi, servi sui.

C. Hic subaudiendum est, quod supra dixit, *mementote*. Merito vero servos dicit contumaces iudæos: quoniam perfidia faciente, filij esse noluerunt. *Filios vero Iacob* : significat fidelissimos Christianos, qui heredes esse merentur domini.

H

7 Ipse dominus Deus noster.
In universa terra iudicia eius.

C. Dicendo *ipse dominus Deus noster* : commonet hic illum intelligi debere esse Deum, quem iudæorum populi crucifigendum esse decreverunt : & eius iudicia per universum mundum esse facienda, non in sola Iudæa.

8 Memor fuit in sæculum ¶ testamenti sui. ¶ *Pacti.*
Verbi quod † mandavit in mille generationes. † *Precepit.*

C. *Memor fuit in sæculum* : cum promissa complevit.

vit.

A Mandare. vit. *Testamenti sui*: prophetarum significat prædicatiunes, quas de verbi incarnatione prædixerunt. *Mandare*: est per alium aliquid dicere, quod per eos fecit, cum datum est eis futura prophetare. *Mille generationes*: finem sæculi significant.

9 Quod ¶ disposuit ad Abraham: ¶ *Pepigit cum Abraham.*
Et iuramenti sui † ad Isaac. † *Cum.*

C. Hoc ad illud respondet, quod superius dixit *testamenti sui. Quod disposuit*: illa enim quæ in veteri testamento Abrahæ & Isaac patriarchis promissa sunt, disposita dicuntur & iurata ut firma ostendantur.

1n Et ¶ statuit illud Iacob in præceptum:
B Et Israël in testamentum æternum. ¶ *Firmavit illud cum Iacob in lege: cum Israel in pactum sempiternum.*

C. Illud testamentum sic dispositum, *statuit Iacob*, id est, firmavit: *in præceptum*, id est, in nuvum *testamentum*, quod propriè dicitur *æternum*: quia nullum illi aliud aliquandu succedit, in quu est omnium promissorum completa perfectio.

11 Dicens tibi dabo terram Chanaan:
Funiculum hæreditatis vestræ.

Terra Chanaã. C. *Chanaan* interpretatur humilis: ergo convenienter significat accepturos esse Christianos, terram humilium, id est, beatorum. *Funiculus hæreditatis*: mundi huius dicit tortuosas angustias, quas Duminus pro salute nostrâ suâ passiune dissoluit. Nam carnis illius susceptiu, nostra probatur esse hæreditas.

12 Cum essent † numero brevi:
C Paucissimi & incolæ eius. † *Viri pauci, modici & advenæ in ea.*

C. Nunc enumerat, quanta patriarchis virtus divina præstiterit.

13 Et pertransierunt de gente in gentem:
Et de regno ad pnpulnm alterum.

Peregrinatio Abrahæ. H. *Pertransierunt*: non de captivitate iudæorum hoc, sed de Abraham dicit: qui exiit de terra Chaldæorum, & venit in Mesupotamiam: de Mesopotamia in terram promissiouis, & iterum in Ægyptum. Multa regna transimus, ut perveniamus ad terram repromissionis: & ita *de regno* Ægypti, huius mundi, ad *alterum populum* in cœlis.

14 Non ¶ reliquit ¶ *Dimisit.* hominem † nncere eis: † *Vt noceret.*
D Et cnrripuit pro eis reges.

Gen. 12. & 20. & 26. H. *Non reliquit* Pharaonem, ut noceret Abraham in Sara: nec Abimelech, Isaac in Rebecca: sed *corripuit* Pharaonem & Abimelech pro eis.

15 Nnlite tangere Christos meos:
Et ¶ in prnphetis meis nolite malignari. ¶ *Prophetas meos nolite affligere.*

Christi, id est, Vncti dicuntur patriarchæ. H. Ecce ante legem patriarchæ, non uncti unguento regali, *Christi* dicuntur. Christi autem sunt, qui spiritu sancto unguntur. Erubescant ergu iudæi qui dicunt, non posse dominum Iesum, Christum vocari, quia non fuit unctus regali ungoento: cum & illi Christi dicantur, qui longe ante Saul (à quo regalis ista & materialis cœpit unctio) fuerunt.

16 Et vocavit famem super terram:
11 Et ⁛ † omne firmamentum panis contrivit. † *Omnem virgam panis contrivit.*

C. *Vocavit famem*: tempore Pharaonis, quando in Ægypto septem annis fames grassata est. *Et omne firmamentum*, id est, fructum triticeum perduxit ad nihilum, hominum enim firmamentum panis est, cum supra dixerit, *& panis cor hominis confirmat.*

17 Misit ante ¶ eos virum: ¶ *Ante faciem eorum.*
In servum venundatns est Inseph.

C. *Misit* Iuseph *ante* patriarchas, quos superius memoravit: qui bene *vir* dicitur, quia ut vir viriliter cuncta sustinuit. Ordo autem verborum talis est, *misit ante eos virum Ioseph, qui in servum venundatus est.*

18 † Humiliaverunt in compedibns pedes eius: † *Afflixerunt in compede.* ¶ Ferrum pertransiit animam eius:
Donec veniret verbum eius. ¶ *In ferrum venit anima eius, usque ad tempus donec veniret sermo eius.*

C. A Putifar præposito Pharaonis Iuseph missus est in carcerem: *compedes* autem accepisse nun legitur: sed fieri potuit, ut qui in carcere retrusus est, ferreis nexibus ligaretur. Pertransiit animam ipsius ferrum: quandu in has missus est angustias, ne inter mala, quæ iniustè passus est, prævalerent & crimina falsitatis: ferrum autem hic indicat tribulationem duræ necessitatis, *Donec veniret verbum* à rege Pharaone, qui eum liberavit, vel verbum Ioseph interpretandi somnia quod verbum quærebatur à rege in co & eum liberavit, quod verbum, Dei fuit potius quam Ioseph.

19 Eloquium Domini † inflammavit eum, misit rex & soluit eum: † *Probavit.*
Princeps populorum & dimisit eum.

C. *Inflammavit* utique eum intus lumen cœlestis flammæ ut futura diceret cum fiducia veritatis. *Misit rex*: Pharao, *soluit* à reatu quo tenebatur obstrictus, ipse est *princeps* dictus Pharao scilicet, quem superius regem dixit, ille *dimisit eum* claustra extre carceris.

2n ¶ Constituit enm Dominum domûs suæ: ¶ *Posuit.*
Et principem † omnis possessionis suæ. † *In omni possessione.*

C. Constituit Dominum & principem, quando eum fecit currum ascendere & præconis voce nuntiari, hunc secundum Dominum esse post regem & principem totius Ægypti.

21 Vt erudiret principes eius ¶ sicut Semetipsum: ¶ *Secundum voluntatem suam.*
Et senes eius † prudentiam doceret. † *Sapientiam.*

C. Credebat Pharao quod erudire posset principes suos, ut & ipsi somniorum interpretes esse mererentur: & ideo eum eis præfecit, non sulum ut regeret, sed & *doceret*: nesciens eum, à quo somniorum scientia est, Deum solum docere.

22 Et intravit Israël ⁝ in ⁛ Ægyptum:
Et Iacob ¶ acola fuit in terra Cham. ¶ *Advena.*

A C. Iubente Pharaone, cognatio Ioſeph ad terras Ægypti deducta eſt. *Et Iacob* : diverſitate nominum, dicta ſuæ revelationis variavit. Ideo nunc Iſraël, nunc Iacob, unum & eundem dicit. Chanaan vero fuit filius Cham, nepos Noë, ex quo Ægyptij traxerunt originem. Noſtra vero tranſlatio, *Cham* habet : ſed Romana, quam hic ſequitur, *Chanaan*.

Terra Cham, Ægyptus.

23 Et † auxit † *Creſcere fecit.* populum ſuum ¶ vehementer : ¶ *Nimis.*
Et † firmavit eum † *Roboravit.* ſuper ¶ inimicos eius. ¶ *Hoſtes.*

H. *Auxit populum ſuum* : fœcunditate naſcendi: *Confirmavit* quando illis creſcentibus Ægyptiorum turba notiſſimis plagis vehementer afflicta eſt.

B

24 Convertit cor eorum, ut ¶ odirent populum eius : ¶ *Hodio haberent.*
† Et dolum facerent in ſervos eius. † *Vt doloſe agerent contra ſervos illius.*

C. *Convertit* Deus Ægyptiorum *cor* ad odium contra Iſraëliticum popolum præſtando illis fœlicia. *Et dolum facerent* : conſequens erat, ut poſt conceptum odium ſæviens populus, ad doloſas machinas perveniret : ut fuit in lateribus præceptis, duplicando opus, & paleas negando, & ſimilibus.

Exod. 1. & 5.

25 Miſit Moyſen ſervum ſuum :
Aaron quem elegit ¶ ipſum. ¶ *Sibi.*

C. Iſtos ad Pharaonem, quaſi quoſdam teſtes, conſtat à Deo deſtinatos, ut populum ſibi placitum abire permiſiſſet illæſum.

26 Poſuit in eis verba ſignorum ſuorum & † prodigiorum : † *Portentorum.*
In terra Cham.

C

Signa & prodigia.

C. *Signa* ſunt quaſi aliqua veſtigia futurarum ſive præteritarum rerum : prodigia vero pertinent ad mirabiles eventus, qui in ordine rerum prius non fuerunt (prodigium eſt enim dictum ab eo quod porro dicat) itaque iſta mirabilia tunc facta, porro & procul dicebant populo Chriſtiano aliquid ex eis intelligendum.

27 Miſit tenebras & ¶ obſcuravit : ¶ *Contenebravit.*
Et non † exacerbavit ſermones ſuos. † *Fuerunt creduli verbis eius.*

Exacerbare.

C. Leguntur tenebras inter plagas Ægyptij pertuliſſe : ſed potius intelligamus corda eorum fuiſſe obſcurata, qui Domini præcepta contemnebant. *Exacerbaverunt ſermones* : ſignificat acceperunt, aut certè iniurioſis abominationibus reſpuerunt, & ita exponit tranſlationem Romanam, quæ habet, *quia exacerbaverunt* : ſed noſtra habet, *non exacerbavit* ſcilicet Deus; id eſt, non irritavit, ſed complevit ſermones ſuos miraculis eos confirmans.

D

28 † Convertit aquas eorum in ſanguinem : ¶ *Commutavit.*
Et occidit piſces eorum.

C. *Convertit* enim *aquas in ſanguinem* : quoniam erant fluentis maris rubri perituri. *Piſces occiſi ſunt* : ne ſpes vivendi hominibus relicta videretur, quando etiam piſces mortui ſunt ; qui in nativo elemento iſto nutriti ſunt.

29 ¶ Edidit terra eorum ranas : ¶ *Ebullivit.*

E In † penetrabilibus regum ipſorum. † *Cubilibus.*

H. In *ranis* poëtarum carmina deſignantur, qui à Catholica regula diſcrepantes, corda terrenorum regum fabulis replent deceptionum.

Ranæ poëtarū carmina.

30 Dixit & venit ¶ cynomia & ſciniphes :
In omnibus finibus eorum. ¶ *Muſca omnimoda, ſciniphes in univerſis terminis eorum.*

C. *Cynomia* ſignificat muſcam caninam, quæ cæteris muſcis mordacior eſt & importunitate ſuâ violentior. *Sciniphes* : genus culicum fixis aculeis permoleſtum.

F

31 † Poſuit Pluvias eorum grandinem : † *Dedit.*
Ignem ¶ comburentem in terra ipſorum. ¶ *Flammantem.*

C. *Poſuit*, id eſt, decrevit, ut pluvia quæ ad fœcunditatem terris datur converteretur in grandinis noxiam vaſtitatem. *Ignis* vero *comburens* ſignificat fulmina, quæ ſolent excitatâ tempeſtate deſævire.

Ignis comburens.

32 Et percuſſit † vineas † *Vineam.* eorum & ¶ ficulneas eorum : ¶ *Ficum.*
Et † contrivit lignum finium eorum. † *Confregit.*

C. Qui dicit *percuſſit*, ad grandinem vel ignem comburentem refert, ne autem tantum ficulneas putares percuſſas, addidit *omne lignum* : ut & ſata non dubitares everſa, ubi arborum quoque robora cognoſceres fuiſſe contrita. Maiora enim continent intellectum minorum.

G

33 Dixit & venit locuſta :
Et bruchus cuius non erat numerus.

C. *Locuſta* eſt mater bruchi, quem malâ fœcunditate progenerat : quæ ad illam prædam, quaſi convocatus exercitus, cum ſuâ prole deſcendit.

Locuſta mater bruchi.

34 Et comedit omne fœnum ¶ in terra eorum : ¶ *Terræ.*
* Et comedit :: omnem ∴ fructum terræ eorum ∴ . † *Devoravit.*

Et ne crederes inaniter adductum illum exercitum, dicit omnem fructum conſumptum eſſe terræ.

35 Et percuſſit omne primogenitum in terra eorum :
Primitias ¶ omnis laboris eorum. ¶ *Univerſi partus eorum.*

H

C. Venit ad ſeptimam plagam in hoc pſalmo poſitam. Movet etiam aliquos, cur in iſto pſalmo ſeptem tantum, cum in exodi narratione decem narrantur. Sed hoc factum eſt ideo, quia ſeptem beneficia Dominum hebræo populo præſtitiſſe ſtatim dicturus eſt : præmiſit totidem plagas Ægyptios accepiſſe. A. Vel quia laudanti, de pluribus pauca attigiſſe, ſufficit : Narranti vero : omnia commemorare opus eſt.

36 Et eduxit eos cum argento & auro :
Et non erat in tribubus eorum infirmus.

A Exo. 11. Aurũ & argentũ, non furtum, sed merces laboris.

C. *Aurum & argentum* Israeliticum popolum ab Ægyptus discedentem, ex præcepto Dei legimus accepisse: ut non repentina surreptio, sed longæ operationis merces esse videatur. Et sequitur secundum beneficium, quia ibi etiam nullus ex iussione eius infirmitate corporeâ potuit affligi.

37 Lætata est Ægyptus † in profectiooe eorum: † *Cum egrederentur.*
Quia ¶ iocubuit timor eorum super eos. ¶ *Irruerat terror eorum.*

C. Tunc qui in Ægypto remanserant, omnino lætati sunt, quando illi dimersi sunt, qui ad insequendos Hebræos ire decreverant: cur? quia similia minimè pertulerunt. *Et timebant*: quia & ipsa elementa pro eis pugnabant, ut aqua maris, aër tenebrosus, ignis comburens, &c. Vel lætata est Ægyptus, per spem

B liberationis à morte. Ideò enim eos exire coëgerunt, ne iterum homines & primogenita interficerentur.

38 Expandit nubem in † protectiooem ⁝ eorum ⁝ : † *Tentorium.*
Et igoem ut luceret ⁝ eis ⁝ per noctem.

C. *Nubes* data est, ut solis temperaret ardorem, *Ignis* concessius est, ut tenebrarum potuisset auferre caliginem. Et hoc est tertium beneficium, quod Israelitico populo constat esse concessum.

39 Petieruot & ¶ venit coturnix: ¶ *Adduxit Ortygometram.*
Et pane cœli saturavit eos:

C. Superata sunt desideria petentium. Carnes petiit: & coturnices accepit (tam enim in quadrupedibus

C Exo. 16. Num. 11.

quam volatilibus, carnes sunt sine dubio dulciores) insuper & *panem cœli* acceperunt. Sunt enim ista exodi lectione notissima, quando coturnices in modum densissimorum imbrium depluerunt: manna quoque (ut iudaicus populus satiaretur) depluit, quod hic panem cœli dicit (& optimè) in figura sacramenti dictus

Manna.

est cœli panis. Manna enim dicitur, quid est hoc? & tanquam quærenti responderetur dictum est: panis cœlestis, illo saturavit eos.

40 † Disrupit petram & fluxerunt aquæ: † *Aperuit.*
¶ Abieruot in sicco flumina. ¶ *Concurrerunt in aridis flumina.*

C. Hoc quoque in figura gerebatur Domini Christi: ut petra aquas profudisset irriguas. Christus enim Dominus, petra spiritalis est, qui vitales aquas emanat. Quæ *abierunt in sicco*, id est, in gentium peccatores, qui merito sicci dicuntur, qui delictis urentibus siccabantur, sed imbre Domini virentes in novum hominem pullularunt.

Petra. 1. Cor. 10.

D

41 Quoniam memor fuit verbi sancti sui:
⁝ Quod habuit ⁝ † ad Abraham puerum suum. † *Cum.*

Gen. 15.

H. *Memor fuit verbi*: quod implevit de semine eius, id est, de Christo promissionem suam quam Abrahæ promisit. C. Vel causam miraculorum dictorum nunc subdit. Ideò enim dicuntur facta, quoniam Abrahæ constat fuisse promissa.

42 Et eduxit populum suum in ¶ exultatiooe: ¶ *Lætitia.*
⁝ Et ⁝ † electos suos in lætitia. † *Laudantes electos suos.*

C. *Eduxit electos suos in lætitia*: quoniam illi murmuraverunt Domini furore perculsi sunt, illos go non dicitur eduxisse, quos in heremo culpis gentibus prostravit.

43 Et dedit illis ¶ regiones geotium: ¶ *Terras.*
Et labores † populorum possederunt. † *Tributum.*

C. Venit nunc ad septimum beneficium, quod et dicit *regiones gentium*, ad possessionem videtur pe nere terrarum: *labores* vero *populorum*, ad divitias lo go tempore congregatas.

44 Vt ¶ custodiant iustificationes eius: ¶ *Custodirent Ceremonias.*
Et † legem eius requirant. † *Leges e servarent.*

Iustificationes Christi sunt: ut Deum toto corde ligamus, proximos ut nos amemus, patrem veneremu *Lex* vero *eius* fuit: die sabbato requiesci, in pasc agnum immolari. Sed hæc spiritaliter sunt quærenc ideò enim addidit, *requirant.*

Oratio ex Psal. C IV.

INvocantis nomen tuum Domine deprecamur, ut q patres nostros virtute tui nominis praemuo, angelic pastibus refecisti: nos quoque mysticis dapibus foveas reformes. Per Dominum nostrum Iesum Christum filiu tuum, qui tecum vivit, &c.

Argumentum Psal. C V.

C. Commemoratur hic ingratitudo populi Israe pro beneficiis sibi à Deo exhibitis, propte quam & iustè à Deo correpti, & inimic traditi fuerunt, donec conversi per miser cordiam Dei liberentur.

TT. Alleluia alleluia.

C. Hic introducitur confitens populus Hebræorum qui relicta perfidia patrum suorum, ad pietatem Do mini ipso miserante perductus est: ut intelligamus cu fuerint conversi, & ipsos *alleluia*, meritu pro suâ re demptione, cantare.

1 COnfitemini Domino quoniam bo nus:
Quoniam io † sæculum misericordi eius. † *Æternum.*

C. Confessio ista, ad medicinam pœnitudinis es applicanda: sed & ad præconiâ Domini pertinere no dubium est: quando maior gloria pietatis est parcer confitenti, quam sine offensione viventi præstare *Bonus* enim dicitur rectè *Dominus*, quia expectat er rantem, & pascit delinquentem. *In sæculum* autem: vitæ huius significat cursum, ubi miseri sunt quicunque delinquunt.

2 Quis loqoetur ¶ potentias Domini: ¶ *Formidines.*
Auditas faciet omnes laudes eius?

C. *Quis* enim significat nullum. Cui enim aut ingenium suppetit ad cogitandum, aut lingua ad depromendum, ut lingua possit referre magnitudinem tantæ maiestatis? *Auditas faciet*: & hic quoque subaudiendum est, *quis*: illa enim possunt audiri, quæ probantur & dici.

A

3 Beati qui custodiunt iudicium :
Et faciunt iustitiam in omni tempore.

C. *Custodit* enim *iudicium*, qui inter alios recta iudicat. *Iustitiam* autem *facit*, qui eam in opere demonstrat. Merito ergo isti tales beati dicti sunt, qui præcepta Dei purâ mente custodiunt omni tempore. Qui enim perseveraverit usque in finem hic salvus erit. *Mat.10.*

4 Memento † nostri † *Mei.* Domine in ¶ beneplacitu populi tui : ¶ *Repropitiatione.*
Visita † nos in salutari tuo. † *Me.*

C. Orant devoti, ut inter eos debeant æstimari, qui Domino fideli opere placuerunt : optant se visitari à Deo, cuius adventu se noverant esse salvandos. H. *Salutaris :* filius est patris. C. Ipse est salutare, de quo beatus Simeon ait, *viderunt oculi mei salutare tuum.* In salutari suo. *Luc.2.*

B

5 ¶ Ad videndum in bonitate ¶ *Vt videam bona*, electorum tuorum : † ad lætandum in lætitia gentis tuæ : † *Vt læter.*
† Vt lauderis cum hæreditate tua. † *Et exultem.*

C. Petit populus prædictus à salutari Domino visitari, ut bonitatem eius videret, quam electis suis erat suo munere præstaturus. *Cum* (vel *in*) *lætitia* suæ gentis : ipsa est gens Domini, quæ de gentium est diversitate collecta, ut esset grex unus & pastor unus. H. *Vt lauderis* à nobis iudæis, præcepta tua servantibus, *cum hæreditate tua*, scilicet gentili populo tibi credituro : ut simus cum eis unus populus, laudans te æternaliter, vidit enim te Abraham pater noster, & gavisus est : videamus & nos, & laudantes gaudeamus. Hæreditas Christi. *Ioan.8.*

C

6 Peccavimus cum patribus nostris :
† Iniustè egimus iniquitatem fecimus.
† *Iniquè fecimus, impiè egimus.*

C. Dubium non est istum populum ea peccata gemere, quæ ex nequitia patrum suorum probatur sustinere. Cum maioribus enim suis peccant, qui se ab eorum delictis non separant, hoc est autem *peccavimus*, quod *iniustè egimus*, quod *iniquitatem fecimus.*

7 Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua :
Non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.

D

C. Duo sunt quæ beneficia collata commendant, intellectus & memoria : quod utrunque in perfidis fuisse denegatur. Videbant enim plagas Ægyptiorum, & beneficia Dei : sed qua causa fierent *non agnoscebant, nec memores erant misericordiæ Dei*, videntes enim exercitum Pharaonis, credebant se subsidia evadendi perdidisse antequam mare divideretur, immemores priorum mirabilium.

8 Et ¶ irritaverunt ascendentes in mare :
Mare * rubrum :· ¶ *Ad iracundiam provocaverunt super mare, in mari rubro.*

C. *Irritaverunt*, id est, placatum Deum iracundum sibimet reddiderunt. *Ascendentes :* hoc constat dictum positione loci, quoniam Ægyptus cunctis regionibus perhibetur esse humilior : & ideò inde ascendentes petierunt loca altiora.

E

9 Et salvavit eos propter nomen suum :
Vt † notam faceret potentiam suam.
¶ *Ostenderet fortitudinem suam.*

C. Dicendo *propter nomen suum :* designat Dominum salvatorem, cuius vocabulo convenit, salvare periclitantes. *Notam fecit potentiam suam :* utique oculis spiritali cogitatione videntibus.

10 Et ¶ increpuit mare rubrum & exsiccatum est : ¶ *Comminatus est mari rubro & aruit.*
Et deduxit eos † in abyssis sicut in deserto. † *Per abyssos.*

C. *Increpationem* vocavit occultum divinitatis imperium : quia mare in exodo voce Domini non legimus increpatum. *Siccatum est mare :* non per totum, sed tantum quantum illis tunc iter aperiret. *Desertum* dicitur (& est) in abyssis, quando aquarum inundatione deseruntur, ac sic aruit illa via fluentorum, ut usque ad iter pulvereum potuisset pervenire : propter quod deserto comparantur abyssi istæ. F Increpuit mare.

11 Et salvavit eos de manu ¶ odientium :
¶ *Odientis.*
Et redemit eos de manu inimici.

C. *Salvavit* enim Christus humanum genus à cohorte dæmonum, quæ plebem humanam stimulo peccatorum & *odii* & percutit. *Redemit* peccatores obnoxios, pretioso sanguine, ab imperio diaboli, hoc est *de manu inimici.* Ad literam enim illud dici non videtur non enim Ægyptiis pretium dedit cum liberasset iudæos, quod tamen redemit significat, propheticè igitur dictum habetur. Redemptio.

G

12 Et operuit aqua ¶ tribulantes eos: ¶ *Hostes eorum.*
Vnus † ex eis non remansit. † *De ipsis non superfuit.*

H. Hæc nunc similitudo in nostro baptismo fit : ubi abluitur homo aquis, & perit diabolus cum satellitibus suis. C. Ad literam enim planum est intelligere historiam noscenti. Baptismi typus.

13 Et crediderunt in verbis eius :
Et ¶ laudaverunt laudem eius. ¶ *Cecinerunt.*

C. *Et crediderunt :* duritiam in hoc cordis demonstrat, quod non ante eventum rei, sed post factum miraculum credere maluerunt. *Et laudaverunt* scilicet canentes. *Cantemus Domino : gloriosè enim honoratus est.* H *Exo.15.*

14 Citò ÷ fecerunt :· obliti sunt operum eius.
† Non sustinuerunt consilium eius.
† *Nec expectaverunt voluntatem eius.*

C. *Citò fecerunt :* ac si diceret, summâ celeritate mutati sunt : ut qui Domino de collatis mirabilibus laudes canebant, post nefandas murmurationes assumebant. Consilium mutaverunt in peccatum : dum prius desperarent quam eius parata beneficia provenissent. Petierunt enim escam sub diffidentia : quamvis antè, nullam famem essent passi, divinà semper largitate pasti. Ita hodie multi dum sibi nimiâ festinatione provident : incauti divinitatis dispositionem anticipant.

A 15 Et ¶ coucupierunt concupiscentiam in deserto : ¶ *Desideraverunt desiderium.*
Et tentaverunt Deum in † ioaquoso.
† *Solitudine.*

C. *Et concupierunt concupiscentias :* cum postulabant sibi dari sub murmurationibus aquam & commessationem *in deserto.* Ostendit enim geminatiu verborum nimietatem desiderij. *Et tentaverunt in inaquoso.* H. Siccitas enim eis erat : quia non agnuscebant irrigatiunem sancti Spiritûs in columna nubis, quæ præcedebat eos.

Exo. 15. & 16.

16 Et dedit eis petitionem ipsorum :
Et misit ¶ saturitatem in animas eorum.
¶ *Tenuitatem in animam eorum.*

B C. Duobus enim modis animam dicimus satiatam : cum escis eurporalibus pru carnis infirmitate reficitur, & cum spirituali iocunditate completur ! sed bic *animas eorum* dicit carnibus potuque saginatas, ut eorum voluntas desperata, rebus emergentibus vinceretur.

17 Et † irritaverunt Moysen in castris :
† *Zelati sunt.*
Aaron sanctum Domini :

Num. 16. C. Saturitatem ventris secuta est seditio : quæ plerumque perieulorum perniciusorum eausas excitat. Irritari aliqoem dicimus ad iracundiam provocari, *irritaverunt* enim viros sanctus Dathan & Abiron ad interitum suum, quia per invidiam loquebantur, quod Domino displicebat. Et boc cougrue inter laudes Dei ponitur, quia suos famulos vindicasse declaratur.

C 18 Aperta est terra & ¶ deglutivit Dathao :
¶ *Devoravit.*
Et operuit † super congregationem Abiron. † *Synagogam.*

H. *Aperta est terra :* facta sunt hæc secundum literam, sed & nunc vorat eos terra, qui terrena sapiunt, & recedunt à mandatis Dei : quos non illuminat gratia Spiritûs Sancti, sed accendit flamma peccati.

19 Et † exarsit ignis in synagoga eorum :
† *Succensus est.*
Flamma ¶ combussit peccatores.
¶ *Exussit impios.*

C. *Exarsit ignis :* hoc factum est supra cel. socios Dathan & Abiron, qui corum infœliciter vota secuti

Flamma. sunt. *Flamma* dicta est à flagello eumarum suarum *Synagoga* vero hie eougregatiunem sociorum Dathan

D & Abiron significat.

20 ∴ Et ∴ feceruot vitulnm in Choreb :
Et adoraverunt ¶ sculptile. ¶ *Conflatile.*

Choreb. C. *Choreb* interpretatur calvaria, ubi postea Iudæi Dominum erucifixerunt : ut in eodem nomine, iam tuue in illu deserto Chureb, culturam Dei nefanda præsumptione violarent, quorum posteritas erat in loco ealvariæ crueifixura Dominum. Adoraverunt sculptile : non in deserto, sed in terra postea promissiunis.

21 Et mutaverunt gloriam suam, in similitudinem † vituli : † *Bovis.*
Comedentis fœnum.

C. *Gloria eorum* fuit adorata divinitas, quam infœliei commutatione perdentes, usque ad boc pervenire meruerunt : ut deserentes eœli terræque creatorem Deum sibi facerent, in similitudinem vituli fœnum c[omedentis].

22 Obliti sunt Deum ¶ qoi salvavit eos :
¶ *Salvatorem suum.*
Qui fecit magnalia in Ægypto, mira[bilia] bilia io terra Cham, terribilia † i[n] mari rubro. † *Super mare rubro.*

H. *Obliti sunt Deum :* qui verberavit multis plag[is] Ægyptum, ut suum populum liberaret : *& miracula [in] terra Cham* sive Chanaan fecit, cum eiectis gentib[us] ipsus in eorum terra plantavit. *Terribiliàque* fecit [in] *mari*, eum Pharaone extincto siccum populis præbebat incessum.

23 ¶ Et dixit ut disperderet eos : ¶ *Dixit er[go] go ut contereret eos.*
Si non Moyses electus eius stetisset † i[n] confractiooe in conspectu eius.
† *Medius contra faciem illius.*

H. Attende boc O sacerdos : perisset enim populu[s] nisi mitigasset Moyses iram Dei : & tu cum videris p[o]pulom delinquentem, annuntia ei delicta sua : & i[n] in fractione, id est, in periculo rogans Dominum, [ut] avertatur furor eius ab eis.

24 Vt ¶ averteret iram eius, oe disperdere[t] eos :
Et pro nihilo habuernot terram desid[e]rabilem. ¶ *Converteret indignatione[m] eius ut non interficeret, & despexeru[nt] terram desiderabilem.*

C. *Pro nihilo habuerunt terram :* quia semper ca[r]naliter visa & andita cogitabant, sed adverte qua[m] bona illa terra fuerit, ut desiderabilis esse diceretu[r]. H. Terra cuim viventium est, quam desiderabile[m] dicit : quam pro nihilu habebant, quia istam tra[n]sitoriam diligebant. C. Vel terra ista sancta corpor[a]lis, per mysteria redemptiouis nostræ desiderabilis i[n]telligentibus fuit : illis vero nulla, qui in ea nihil sp[i]rituale senserunt.

25 Non crediderunt † verbo eius : & mur[mu]raverunt io taberoaculis suis :
† *Sermoni.*
Noo exaudieruot vocem Domini.

C. *Non crediderunt in verbo eius :* filium significa[t] cui plebs nefandissima non credebat. Vel hoc ad lit[te]ram, quia ideò murmurabant, quia eius promission[i]bus minimè credere maluerunt. Dom murmuration[es] exercebant, vocem Domini uullatenus audierunt. [In] *tabernaculis* verò dieit : ut hoc contigisse videretu[r] non laborantibus, sed otiosis. Maius enim crimen e[st] cum murmurare contigit otiosis.

26 Et elevavit maoum suam super eos :
Vt ¶ prosterneret eos io deserto.
¶ *Deiiceret.*

Elevavit manum : hic iustitia Domini præmitt[i]tur, ut secuta pietas maiore gloriâ sentiatur. Dic[it] enim insurrexisse Domini potestatem, ut vindicaret [in] excedentibus *eósque prosterneret*, & alia quæ sequunt[ur] faceret.

27 Et ut deiiceret semeo eorum io ¶ natio[n]oibus : ¶ *Gentibus.*
Et dispergeret eos in † regionibus.
† *Terris.*

A Dispersi. H. *Dispersi sunt* enim Iudæi in diversis partibus, ut aliquando humiliati, suum Dominum plebs castigata cognosceret. Sed & ille dispergitur, cuius sensus omni vento inanis gloriæ vel cupiditatis circumfertur.

28 Et † initiati sunt Beelphegor. † *Consecrati sunt.*
Et comederunt ¶ sacrificia mortuorum. ¶ *Victimas.*

Initiati. H. *Et initiati sunt*, id est, qui Deo se consecrare debuerunt, idolo *Beelphegor* initiati, id est, consecrati sunt: & qui panem vivum esurire debuerunt, mortuorum sacrificia comederunt.

29 Et † irritaverunt † *Concitaverunt.* eum in ¶ adinventionibus suis. ¶ *Studiis.*
Et † multiplicata est in eis ruina. † *Percussit eos plaga.*

B H. *Irritaverunt eum in adinventionibus suis* scilicet perversis, & idolorum ruina multipliciter est facta. A. Vel *multiplicata est in eis ruina*: quia pro gravioribus suis peccatis gravius vastabantur.

30 Et stetit Phinees & ¶ placuit: ¶ *Diiudicavit.*
Et † cessavit quassatio. † *Est retenta percussio.*

C. *Stetit Phinees*: hoc verbum stetit soliditatem mentis ostendit, quæ ex zelo divino fornicatores occidit. H. Sic debet sacerdos cui animæ commissæ sunt, evaginare gladium, id est, proferre verbum, & occidere fornicationem & concupiscentias in utroque sexu, ut sibi reputetur ad iustitiam.

31 Et reputatum est ei in iustitiam:
C In generatione & generatione usque in sempiternum.

C. *Reputabatur* illi sacerdoti Phinees *ad iustitiam*, id quod superius dixit, hic & in futuro sæculo, sed & sacerdoti cuilibet vitia corrigenti reputatur ad æternam iustitiam.

32 Et ¶ irritaverunt eum ad aquam contradictionis: ¶ *Provocaverunt super aquam contradictionis.* † & vexatus est Moyses propter eos: † *Afflictus.*
Quia ¶ exacerbaverunt spiritum eius. ¶ *Provocaverunt.*

H. *Aqua contradictionis*: aquæ baptismi accipiuntur, ad quas diabolo contradicitur & operibus eius:
D post quas si quis se coinquinaverit vitiis, sacerdos vexabitur pro eo: eo quod *exacerbaverit spiritum Dei*, quem ille prædicat: sicut Paulus dicebat, *quis infirmatur & ego non infirmor?* 2.Cor 11.

33 Et † distinxit ÷ in :· labiis suis: † *Præcepit.*
Non ¶ disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis. ¶ *Exterminaverunt populos.*

H. *Et distinxit in labiis suis*: ut iugiter supplicaret pro eis. C. Vel distinxit dictum illud diffidentiæ, à priori mentis constantia. *Non disperdiderunt gentes*: quia postquam terram promissionis populus intravit, oblitus mandatorum Dei & præceptorum eius, quibus præceperat, debere eos propter idolorum culturas gentes occidere, enim illis se gentibus magis vetitâ societate coniunxit

34 Et commixti sunt † inter gentes: † *Gentibus.* & didicerunt opera eorum: & servierunt sculptilibus eorum: E
Et factum est illis in scandalum.

C. *Commixti sunt* itaque vetitâ societate inter gentes: ut se eorum superstitione polluerent, factúmque est illis in scandalum: *Scandalum* nomen Græcum est, significans sinistrum: eo quod eorum mentes in levam partem perversa imitatione deduxit. Ecce facta est terra promissionis in scandalum, quæ fuit in magnum præmium Domino largiente collata, unde monemur, rectè uti beneficiis divinâ largitate collatis, ne magis inde pereamus, unde sublevati fuisse cognoscimur. Scandalum.

35 Et immolaverunt filios suos & filias suas: F
¶ Dæmoniis. ¶ *Dæmonibus.*

H. *Immolaverunt filios suos & filias suas dæmoniis*: hoc intelligendum est moraliter, sensus & animas suas. C. Vel ad literam, non illi qui terram promissionis sunt ingressi, sed posteritas eorum.

36 Et effuderunt sanguinem innocentem: sanguinem filiorum suorum & filiarum * suarum :· :
Quas † sacrificaverunt sculptilibus Chanaan. † *Immolaverunt.*

C. *Effuderunt sanguinem*: non autem legitur ab Hebræis, terram promissionis ingressis, effusum sanguinem humanum in sacrificiis dæmonum: tamen ab ætate sequenti hoc fieri potuisse non dubium est. Et ne putarentur extranei fuisse, illi *innocentes* quorum sanguinem effuderant, addidit *filiorum suorum & filiarum suarum*: ut contra eos cresceret invidia, & scelus G grandesceret: & ut amplius grandesceret, addidit sculptilibus istum innocentem sanguinem effusum. Auxesis enim figura ista apud Græcos dicitur, quando, vel laus vel crimen adiectis dictionibus increscit & augetur. Auxesis.

37 Et ¶ interfecta est terra ÷ in :· sanguinibus: ¶ *Polluta.* & † contaminata est in operibus eorum: † *Coinquinati sunt.*
Et fornicati sunt in ¶ adinventionibus suis. ¶ *Studiis.*

C. *Interfectam* igitur *terram*: debemus crudeles homines accipere, qui se magis iniquâ devotione trucidabant interficiendo filios. Tropicâ enim locutione interfecta terra, dicuntur terreni homines, suis H malis actionibus in anima interempti. Et hoc faciendo etiam dicuntur *fornicati*, nam illi fornicati videntur in Domino, qui se adulterinis polluerunt superstitionibus. Fornicati.

38 † Et iratus est furore Dominus in populum suum: † *Iratus est itaque furor Domini.*
Et abominatus est hæreditatem suam.

C. Tropicâ locutione *iratus furore Dominus* dicitur. *Et iratus est furore Dominus.* H. Quia reliquit eum, & quæ quondam fuerat plebs Dei, facta est caterva diaboli. C. Abominatio autem & Dei aversio malorum omnium constat extremum, quia dum illud quod continet subducitur: necesse est ut earum rerum quæ continentur ruina protinus sequatur. Abominatio.

A

39 Et § tradidit § *Dedit.* eos in † manus gentium : † *Manu.*
Et dominati sunt eorum qui oderunt eos.

C. *Traditi sunt* enim opprobrio servitutis : quia gloriari videbantur in idolis. *Dominati sunt eorum qui oderunt eos* : gravis valde dominatio, nam qui semper odit semper iratus est, qui vero semper iratus est, implacabilis est, durissima igitur est servitus servire semper infenso.

40 Et † tribulaverunt † *Afflixerunt.* eos inimici § eorum. § *Sui.* Et humiliati sunt sub † manibus eorum : † *Manu.*
† Sæpè liberavit eos. § *Multis vicibus.*

B

C. *Et tribulaverunt eos*, recta vicissitudo, ut qui amanti Domino servire noluerunt, odientibus inimicis iusto iudicio probarentur esse subiecti. *Sæpè liberavit*, ut intelligamus ipsum & bona promittere, & flagellatis denuo subvenire. Promisit enim beneficia, & humana non cessavit iniquitas : intulit vindictam, & afflictis iterare dignatus est clementiam.

41 Ipsi autem † exacerbaverunt † *Provocabant.* :: eum ·: § in consilio suo : § *Consiliis suis.*
Et humiliati sunt † in iniquitatibus suis † *Propter iniquitates suas.*

H. *Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo* : quod habuerunt, ut eo relicto idolis servirent. *Et humiliati sunt* : non à Deo, sed à delictis suis humiliabantur.

C

42 Et vidit § cum tribularentur :
Et audivit orationem eorum. § *Tribulationem eorum, cum audires eos rogantes.*

H. *Et vidit cum tribularentur* : præcucurrit enim solita miseratio clementis Dei, quæ conversus *in orationibus* protinus *audivit.* Docet enim & te, quod si conversus ingemueris, protinus appropinquant celsis auribus eius preces humilitatis tuæ.

43 Et † memor fuit testamenti sui. † *Recordatus est pacti sui cum eis.*
Et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.

D

Pœnituit eum.

H. *Memor fuit testamenti*, quod cum Abraham in initio fidei nostræ pepigit. C. quod absconditum erat in prophetis, sed in tempore evangelij revelatum est. *Pœnituit* autem more humanitatis dicitur. H. quia semper super pœnitentes pœnitet Deus : dum mala quæ locutus fuerat ut faceret non facit. C. Pœnitet ergo tunc Deus, quando nos pœnitentes cognoscit, talis enim ille nobis efficitur, quales nos sibi esse probaverit. Est ergo Dei pœnitentia hîc, non dolor de imprudenter facto, sed remissio pœnæ peccati.

44 Et dedit eos § in misericordias :
In conspectu omnium qui cœperant eos. § *Miserabiles coram omnibus.*

In misericordias.

C. *In misericordias datos eos* dicit : quia diversa charismatum munera susceperunt, alij enim prophetæ, alij apostoli, alij martyres, alij confessores, ex ipso populo gratiâ Dei floruerunt. Vel ad literam : gentiles eis placabiles fecit qui captivarunt eos, ut sæpè etiam liberos darent, quos ante captivos tenebant.

45 Salvos fac nos Domine Deus noster :
Et congrega nos de † nationibus. † *Gentibus.*

H. *Salvos nos fac* : ne nobis vitia dominentu[r]. *Et congrega nos* : quia gens Hebræorum in regionibus nationum est dispersa. C. Populus est iste, c[uius] ab initio psalmi verba dedimus, nunc Deum deprec[a]tur : ut Ecclesiam suam de gentium congregatio[ne] perficiat.

46 Vt confiteamur nomini sancto tuo :
Et § gloriemur in laude tuâ. § *Cantemu[s] nomini tuo, id est, filio.*

H. *Vt confiteamur nomini tuo*, id est, filio utrique tu[o] qui, & nomen & laus tua est. C. *Et gloriemur* : non i[n] humana iactantia, sed in te, ubi est reverà fixa glori[a] & sine fine lætitia.

47 Benedictus Dominus Deus Israël à sæculo & usque in sæculum :
Et dicet omnis populus † fiat fiat. † *Amen Alleluia.*

H. Meritò *benedictus in secula*, per quem fact[a] sunt sæcula : non solum facta, sed etiam redempta. Qui & nunc nos recreare dignatur in salutari, id est in Christo Iesu Domino nostro, qui est in sæcul[a] benedictus. C. Dicit vero ab isto sæculo usque a[d] illud perpetuum sæculum Deum benedicendum, u[t] continuata laus, nunquam debeat habere fastidium.

Oratio ex Psal. C V.

MEmento nostri Domine in beneplacito populi tu[i] & à peccati servitute nos discussos salutaris tu[i] visitatione salvifica. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.

Argumentum Psal. C VI.

C. Hic commonetur populus Christianus ut pro col[latis] sibi beneficiis laudes Domino redda[t].

TT. § Alleluia.

1 COnfitemini Domino quoniam bo[n]us :
Quoniam in † sæculum misericordi[a] eius.

C. *Confitemini Domino* : commonet propheta & pro[fi]dere peccata sua, & laudes Domini personare. Dic[it] vero *quoniam bonus* : ut peccatoribus sit confidenti[a] post satisfactionem pio Domino supplicare. *In sæculum* : hoc est in æternum, quia nullum tempus est, quo ab eius misericordiâ reperiatur exceptum.

2 Dicant qui redempti sunt à Domino :
Quos redemit de manu § inimici, § *Ho[stis].* & de † regionibus congregavi[t] eos. † *Terris.*

C. *Dicant* : utique alleluia, quod titulus ait : & [...] iocundis exultationibus consolentur, qui ad Domin[i] gratiam venire meruerunt : significat tamen spiritua[li]ter populum gentium, qui Dei sanguine redempt[us] & de potestate inimici, id est, diaboli ipsius miser[a]

A tione sublati sunt: qui de diversis regionibus vocati sunt, vel qui redempti sunt in passione Christi.

3 A solis ortu & occasu: ¶ *Ab oriente & occidente.*
Ab aquilone & mari.

Mare, pars Australis. C. *A solis ortu*: cum tres cardines mundi designaverit, pro quarto, id est, pro australi posuit mare, ab illa parte volens intelligi oceanum, qui cunctum mundi marginem dicitur circuire.

4 Erraverunt in solitudine in † inaquoso:
Viam civitatis habitaculi non invenerunt. † *Deserta via, Civitatem qua habitaretur, non repererunt.*

B C. *Erraverunt* gentes in superstitiosa doctrina, aridi de vera doctrina: & *in solitudine*, cum nullos verissimos doctores adhuc habere probarentur. *Et viam* Via Civitatis. *civitatis*, id est, opera quibus pervenitur ad cœlestem Hierusalem *non invenerunt.*

5 Esurientes & sitientes:
Anima eorum in ipsis ¶ defecit.
¶ *Deficiebat.*

C. *Esurientes & sitientes*: curiosissimos viros sæculi huius significat, qui semitas veritatis diversis opinionibus exquirebant, sed quoniam non crediderant vero auctori, in vera sapientia non poterant inveniri. *Defecit anima in ipsis*: utique cum laboribus atque studiis eorum animositas lassata succubuit.

6 Et clamaverunt ad Dominum † cum tribularentur: † *In tribulatione sua.*
C Et ⁖ de ¶ necessitatibus eorum eripuit eos. ¶ *Afflictione.*

C. Superioribus versiculis descripsit errantes, nunc refert de redeuntibus ad dona Dei. *Clamaverunt*: significat magno desiderio quæsierunt. H. Tunc quoque exaudimur ab eo: quando non simplex vox, sed tribulatio clamat ad Deum. Sed vide quid clamor iste præstiterit, quia *de necessitatibus eripuit eos*, & semitas veritatis agnoscere fecit.

7 Et † eduxit eos in viam rectam: † *Duxit illos per viam rectam.*
Ut ¶ irent ¶ *Venirent.* in civitatem † habitationis. † *Habitabilem.*

D C. *Et eduxit eos in viam rectam* scilicet Christus, quatenus qui pridem invii errore vagabantur, accepta via sanctissimæ religionis, credentes in Christum ad Ecclesiæ beata atria fœliciter pervenerunt.

8 Confiteantur Domino ¶ misericordiæ eius. ¶ *Misericordias eius.*
Et mirabilia eius † filiis hominum.
† *In filios.*

C. Dignum & iustum est semper *confiteri pro Domino*, qui nos sua misericordia & à periculis liberat, & splendore suæ pietatis illuminat. *Mirabilia eius*: quæ fecit in mundo, per evangelistas & apostolos, posteris dicit esse prædicanda.

9 ¶ Quia satiavit animam inanem:
¶ *Saturavit animam vacuam.*
Et animam esurientem † satiavit bonis.
† *Implevit.*

C. Tunc erant *animæ* gentilium *inanes* & vacuæ, quando bonis fructibus ex cultu idolorum erant privatæ, postea *esurientes satiatæ sunt*, quando Domini miseratione commonitæ, vota sua ad pœnitentiæ studia E transtulerunt.

10 † Sedentes in tenebris & umbrâ mortis:
† *Habitantes.*
Vinctos ¶ in mendicitate & ferro.
¶ *Inopia.*

C. *Sedebant* gentes *in tenebris*: quoniam vacuatæ lumine fidei. Cum dicit sedentes: ostendit eas longo situ ibidem fuisse versatas. *Umbra mortis*: fuit istius sæculi vita vitiosa. *Vincta in mendicitate*, indigentiâ boni operis, ligatæ funibus peccatorum. *Ferrum* significat duritiam malorum.

11 Quia † exacerbaverunt eloquia Dei: F
† *Provocaverunt sermones Dei.*
Et consilium ¶ altissimi irritaverunt.
¶ *Excelsi blasphemaverunt.*

C. *Quia exacerbaverunt*: exponit enim quemadmodum peccaverunt illi qui sedebant in tenebris: quia contra Domini eloquia facientes, in eius regulis vivere respuebant, & ideò eius *consilia irritaverunt*. H. Quæ eis dederat ut eligerent vitam. C. Fuit etiam Dei iustum consilium, saluberrima medicina, ut morbus ille contrario remedio curaretur: superbia mentis, angustiâ cordis.

12 Et † humiliatum est in laboribus cor eorum: † *Humiliavit in labore.*
¶ Infirmati sunt, nec fuit qui adiuvaret.
¶ *Ceciderunt.*

C. *Humiliatum est cor eorum* in tribulationibus & G angustiis, ut qui in prosperitatibus superbi extiterunt, in tribulationibus & laboribus humiliarentur. *Infirmati sunt*, id est, à sæculi præsumptione deiecti sunt. *Nec fuit qui adiuvaret*: subaudiendum alter, nemo enim præstat periclitanti, nisi cui omnipotens Deus præceperit subvenire.

13 Et clamaverunt ad Dominum † cum tribularentur: † *In tribulatione sua.*
Et de ¶ necessitatibus ¶ *Angustiis.* eorum † liberavit eos. † *Salvavit.*

C. *Clamaverunt ad Dominum* scilicet propria delicta confitentes. Silebant prius in elatione positi, & velut insensata pecora nullum salutare verbum fundebant: compunctio facta est, & tunc vocem utilem reddiderunt; *& liberavit eos*, qui premebantur servitute diaboli. H

14 Et eduxit eos de tenebris & umbrâ mortis:
Et vincula eorum disrupit.

C. *Eduxit eos de tenebris*, id est, de cæcitate perfidiæ. *Umbra mortis* est vita peccatis maculata, quæ illius futuræ mortis teterrimam portat imaginem. Umbra mortis. *Disrupit vincula*: sic diaboli tyrannica potestas Christo veniente disrupta est, ut nunquam in illam quâ fuit dominationem redire prævaleat.

15 Confiteantur Domino ¶ misericordiæ eius: ¶ *Misericordias.*
Et mirabilia eius † filiis hominum.
† *In filios.*

C. Admonet enim liberatori gratias agere, quia ianuas peccatorum & malorum omnium claustra virtus divina confregit.

A

16 Quia contrivit portas æreas:
Et vectes ferreos confregit.—

Portæ æreæ. Vectes ferrei.

C. *Porta area* : ſunt cunſuetudines hominum vitioſæ : quæ nos ita in peccatorum atrijs recludunt, ut excundi nequeant præbere licentiam. *Vectes* autem *ferreos* : ſpiritus immundos dicit, qui illas ianuas peccatorum ne exire liceat, circumdatas obſervare & claudere non ceſſant. Hæc enim duo metalla, pro fortitudine delictorum videntur eſſe adhibita.

17 † Suſcepit eos de via iniquitatis eorum :
Propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt. † *Stultos propter viam ſceleris eorum, & propter iniquitates afflictos.*

B

H. *Suſcepit*, id eſt, liberavit Chriſtus, quos ubſeraverat diabolus validiſſimis ſeris vitiorum. *Propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt* : ut exaltarentur in Chriſto.

18 Omnem eſcam abominata eſt anima eorum :
Et ¶ appropinquaverunt usque ad portas mortis. ¶ *Acceſſerunt.*

Eſca animæ, eſt lex Dei.

C. *Hic eſcam* ſpiritalem, legem Dei ſcilicet & ſalutaria præcepta debemus advertere, unde fidelis anima vivit : de qua iniquorum mens, exitioſa fame jejuna eſt. Gravis morbos, execranda calamitas, divinæ legis appetentiam non habere. Nam unde poteſt vivere, qui ſuam vitam cœperit non amare? Hinc factum eſt, ut ad illa clauſtra mortifera veniretur, niſi Domini miſeratione eſſent liberati.

19 Et clamaverunt ad Dominum † cum tribularentur : † *In tribulatione ſua.*

C

Et de ¶ neceſſitatibus eorum liberavit eos. ¶ *Anguſtiis.*

C. Iſtum verſum conſtat eſſe repetitum : quoniam in ſimili cauſa unam decuit eſſe ſententiam.

20 Miſit verbum ſuum & ſanavit eos:
Et † eripuit eos de interitionibus eorum. † *Salvavit de interitu.*

H. *Miſit verbum ſuum*, id eſt, pater filium, qui nos reficeret & ſanaret. *Et eripuit eos de interitionibus*: in quibus ſe ipſi dimerſerant. C. Ecce qualis languor, ſpiritales delicias verbi Dei & prophetarum faſtidire, ut ſola cœleſtis medici præſentia ſcilicet Chriſti, tale potuiſſet periculum ægritudinis amputare.

21 Confiteantur Domino ¶ miſericordiæ eius : ¶ *Miſericordias eius.*
Et mirabilia eius † filiis hominum. † *In filios.*

D

Quarta pſalmi ſectio, repetitis verſibus introitur. Commonet autem ſacerdotes, ut *Domino confiteantur*, id eſt, ut ſacrificent illi, & *mirabilia eius* non deſinant populis prædicare.

22 Et ¶ ſacrificent ſacrificium laudis:
Et annuntient opera eius in exultatione. ¶ *Immolent hoſtias gratiarum, & narrent opera eius in laude.*

C. Domino *ſacrificium* reddit : qui lætus hoſtiam laudis obtulerit. Multò enim præſtantius eſt, cum bonis actibus pſalmodiæ illi iubilationes offerre, quam pecudum victimas immolare. *Et opera eius*, id eſt, beneficia eius prædicatores proferant in exultatione. Illi enim celerius credere acquieſcimus, quæ videmus do- ctores fixâ & gratâ mente prædicare.

23 Qui deſcendunt mare in navibus :
Facientes † operationem in aquis mul- tis. † *Opus.*

C. *Qui deſcendunt mare* : ſignificat ſacerdotes, qu[i] ſæculi iſtius procelloſa deſcendunt. H. *In navibus*, [id] eſt, in Eccleſiis, quæ Chriſtum portant, & à fluctib[us] huius mundi tunduntur. *Facientes operationem*. C. [id] eſt, prædicant populis Chriſtianis, qui aquis multis de- ſignantur.

24 Ipſi viderunt opera Domini.
Et mirabilia eius in profundo.

C. *Ipſi viderunt* : ipſi prædicatores, qui eius ope- ra ſpiritali intelligentiâ cognoverunt. *In profund[o]* H. In profunda enim caligine per eorum præd[i]- cationem lumen veritatis illuxit : ut viderent in te- nebris denſiſſimis, clarè lumen Deo operante veriſſi- mæ trinitatis.

25 Dixit, & ¶ ſtetit ſpiritus procellæ :
Et exaltati ſunt fluctus eius. ¶ *Surrexit ventus tempeſtatis & elevavit gurgite[s] eius.*

C. *Spiritus procellæ* ſignificat tempeſtates tribulatio- num noſtrarum, quas Deus pia miſeratione ſuſpendi[t,] ne malis creſcentibus obruamur. *Et exaltati ſunt fl[u]- ctus* in mentibus humanis : quando putamus merit[is] noſtris attribui, unde videmus nos ſolâ divina grat[ia] poſſe liberari.

26 Aſcendunt uſque ad cœlos † *In cœ- lum.* & deſcendunt uſque ¶ a[d] abyſſos : ¶ *In.*
Anima eorum in † malis tabeſcebat [†] *Afflictione conſumitur.*

C. *Aſcendunt* etiam iſti fluctus *uſque ad cœlos*, qua[n]- do ſæculi elationibus eriguntur : *deſcendunt* verò *uſq[ue] ad abyſſos*, cum in deſperationem pervenerunt. *Tab[e]- ſcebat anima* in malis : id eſt, in formidine, & in re- cordatione malorum quæ geſſit : in bono enim hic p[o]- nitur tabeſcere. A. Aſcendunt, audiendo : deſcendun[t] timendo.

27 ¶ Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebriu[s] ¶ *Obſtupuerunt & intremuerunt qua[ſi] ebrius.*
Et omnis ſapientia eorum † devorat[a] eſt. † *Abſorpta.*

C. *Turbati ſunt* : ad confuſionem pertinet ſenſu[s.] *Commoti ſunt* : ad iras protinus evumendas. *Motiq[ue] ſunt ut ebrius.* H. Quia nihil ſtabile, nihil ſubrin[m] eorum ſenſus habebat. *Sapientia eorum devorata e[ſt.]* C. Quia turbatis mentibus non prævalet apparere, [in] quibus ante videbatur ineſſe ſapientia : ſapientia eni[m] non poteſt, niſi apud quietos & imperturbatos anim[os] inveniri. C. H. Bene ergo eorum dicitur ſapientia de- vorata, qui ante ſibi videbantur doctores, ſed iam co[n]- turbati à ſapientia Dei, ſe ſtultos fuiſſe cognoſcun[t.] Sic olim draco Moyſi deglutivit dracones Ægypti[o]- rum.

28 ¶ Et clamaverunt ¶ *Clamabunt autem.* a[d] Dominum † cum tribularentur : † *In tribulatione ſua.*

A

Et de ¶ necessitatibus eorum eduxit eos. ¶ *Angustia eorum educet eos.*

H. *Clamaverunt ad Dominum* : ut linqoentes luxuriosam ebrietam, sapientiam Dei sequerentur. C. Ecce illud velut ebrij, quorum sapientia deglutita videbatur, clamore salubri ad vitalia consilia redierunt : & ad Dominom conversi, cœperunt iam esse sobrij. *Et eduxit eos de necessitatibus eorum* : modo qui sequitur, allegoricà descriptione.

29 :! Et :· † statuit procellam eius io auram :
Et siluerunt fluctus eius. † *Statuet turbinem in tranquillitatem, & silebunt fluctus.*

B

C. *Et statuit procellam eius in auram*, tempestas illa sævissima (quæ ab humâna fragilitate non poterat sustineri) in auras iussa disparuit. *Et siluerunt fluctus eius*, id est. H. C. Pœnitentiam agentibos io tranquillitatem conversi sunt, quia confestim fragor ille sævientium malorum imperio dominantis obmutuit.

30 :! Et :· lætati sunt quia siluerunt :
Et deduxit eos in portum voluntatis eorum. † *Lætabuntur quoniam quieverunt, & deducet ad portum quem voluerunt.*

C. *Lætati sunt* : dicit quod solet post pericula navigantibus evenire, ut se gaodeant ab ingenti clade liberatos, quando ad portum cœperint venire tutissimom, id est, ad Christum. *Portus* enim à portandis navibus dictus est : & animus æstuantis in Christo portatur quietus. H. Quiescentibos tentationum fluctibus, lætantur inquietati & liberati, & *deduxit Deus* liberatos *in portum voluntatis eorum* : eos scilicet qui integram voluntatem in eum converterunt, ipse enim est verus portus.

(Portus.) C

31 Confiteantur Domino ¶ misericordiæ eius : ¶ *Misericordias.*
Et mirabilia eius † filiis homioum. † *In filios.*

C. Inspice hic quod eundem versum quarto repetivit, ut quadrifaria illa mundi divisio (quam superius dixit *à solis ortu & occasu ab aquilone & mari*) his concordans partibus redderetur, quatenos confessio fidelis ubique eadem : ubique celeberrima cantaretur : ut sicut ubique est una Ecclesia, una sit & ubique confessio. H. *Confiteantur Domino misericordia eius* : quibus protegit humanom genus : & *mirabilia facta filiis hominum* : quia mirabiliter compescit hos fluctus.

(Versus quartò repetitus.)

D

32 * Et :· exaltent eum in Ecclesia ¶ plebis : ¶ *Populi.*
Et in cathedra seniorum laudeot eum.

C. *Ecclesiam* hic nobilem illam & verâ religione pollentem dicit, quæ Dominom religiosis actibus semper exaltat. *Et in cathedra* : hic omnes doctores præcipit laudes Domini personare, qoi *in cathedra seniorum* resident, id est, qui successores veterum pontificum esse meruerunt. H. Laudent eum in cathedra seniorum: non in illa in qua scribæ & pharisæi sederuot, qui legentes legem, non intellexeront in ea Dominum nunciatum : sed in illa, in qua eum vel prophetæ vel patriarchæ spiritali oculo contemplantes, cognoverant in miraculis, vel oraculis cecinerunt.

(Ecclesia.) (Cathedra seniorum.)

33 † Posuit fluminoa in desertum : † *Ponet.*

E

Et ¶ exitus aquarum io sitim. ¶ *Fontes.*

C. Nunc causam confessionis & exaltationis subdit: quia Iudæis reprobatis, omnis aquarum spiritûs sancti plenitudo venit ad populum Christianum. Illa siquidem *flumina*, id est, prophetæ vel Apostoli, noo credentibus Iudæis, ad *deserta* gentium transierunt : & velut fons irriguus dirivatus, ad gentes omnis divinus sermo est translatus. *Et exitus aquarum in sitim*, id est, in gentes : ut quæ priùs fuerant siccatæ ariditate peccati, cœlestes aqoas sitientes haurirent. H. Merito exaltent & laudent Deum : qui in Ecclesia (quæ prius fuerat desertum & odio habita) posoit Apostolos, qui eam & consolarentur alloquio, & alluvio fœcundarent : dedit & in animas sitientes verbum exitûs prædicationum, & terram corporis, quæ priùs protulit spinas amaritudinis, fructibus rèplevit æternis.

(Exitus aquarum in sitim.)

F

34 Terram fructiferam io salsugipem :
† A † *Præ.* malitia ¶ inhabitaotium in ea. ¶ *Habitatorum eius.*

C. *Terra* enim *fructifera* Iudæa erat, quando supernâ religione florebat : sed facta est salsa, cum Dei præcepta contempsit. Humor enim salsus fructibus probatur adversus. Quia ubicunque dominatus fuerit, germen fœcunditatis intercipit : quod illis contigit propter malitiam eorum, qoi Dei tabernaculum subdolis mentibus habitare videbantur.

35 † Posuit † *Ponet.* desertum in ¶ stagna aquarum : ¶ *Paludes.*
Et terram † sine aqua, in exitus aquarum. † *Inviam fontes aquarum.*

G

C. Iste versus pertinet ad populum Christianum: quorum siccitati data est unda salutaris sacri baptismatis. *Stagna.* enim pro fontibus Ecclesiarum arbitror posita : stagna siquidem à stando dicta sunt. *Terra sine aqua* : incredula significat corda gentilium, quæ post, irrigata undâ baptismatis & sanctâ prædicatione floruerunt. H. *Posuit desertum in stagna aquarum*: præbens in Ecclesia baptismum. *Et terram sine aquâ in exitus aquarum*, id est, prædicatores in nationum ariditate constituit. Et collocavit illic esurientes, ut bonis cœlestibus reficerentur.

(Terra sine aqua, gentiles.)

36 Et collocavit illic esurienses :
Et ¶ constitueruot civitatem habitationis. ¶ *Formabunt urbem ad habitandum.*

C. *Collocavit illic esurientes*, id est, qui Domini munera nimis gloriosa aviditate complexi sunt. *Civitas habitationis* Ecclesia Catholica est, in qua firmiter se constituunt qui supernis iussionibus obediunt.

H (Civitas habitationis, Ecclesia est.)

37 Et † seminaveruot agros & plantaverunt vineas : † *Serent.*
Et ¶ fecerunt fructum oativitatis. ¶ *Plantabunt.*

C. *Seminant agros & plantant vineas* : qui corpora sua mundatis sentibus peccatorum, cœlesti institutione purificant. *Fructus* à fruendo dicitur : & ideo qui fructum spiritalem faciunt, benedictione Dei perfruuntur : quos vero infœcundos invenerit, abscindet ut sterilem ficulneam. Ager vero ab agendo dictus est, quod ibi diversa victûs causa peragantur.

(Luc. 13. Ager.)

38 Et † benedixit eis † *Benedicet.* & ¶ multiplicati sunt oimis : ¶ *Multiplicabuntur.*

Et

A Et † iumenta eorum † *Peccora.* non ¶ minoravit. ¶ *Minuet.*

H. *Benedixit* enim Deus *illis*, qui ſe à pravis cogitationibus cuſtodiunt. C. *Et multiplicati ſunt nimis*: fœcunditate meritorum. *Iumenta* ſimplices homines debemus accipere, fidei probitate pollentes: non diſertitudine glorioſus, ſed meliores vitâ quam linguâ, plurimum valentes non linguâ, ſed corde: hi *non ſunt minorati*, ſed in melius reparati, quoniam magnam Dei gratiam ſunt conſecuti. H. Benedixit Apoſtolis quia quæ erant placita ei faciebant ſemper, ſicut & in manu Ioſeph benedixit omnia Deus.

39 ¶ Et pauci facti ſunt:

B Et vexati ſunt in tribulatione malorum & dolore. ¶ *Imminuta ſunt autem & afflicta, propter anguſtiam mali & doloris.*

C. In his duobus verſiculis deſcribit illos, qui hæreticâ pravitate decepti, Eccleſiam Dei relinquunt. Iſti ergo *pauci ſunt*, quamvis multi ſibi videantur: nam ad illam univerſalem Eccleſiam comparati, omnimodis probantur exigui. *Vexati*: quando eos diabolicæ inſidiæ perculerunt, hos dolor & tribulatio ſubſequitur, quoniam auctorem ſalutis reliquiſſe noſcuntur. H. De Iudæis exponit, quos dicit paucos factos, eo quod in ipſis non ſint deinceps opera Dei multiplicata, & *vexati à tribulatione malorum*: quia inſontem iniqui ſunt perſecuti, ſuper quorum principes effuſa eſt contemptio: ut qui Dominum contempſerant, ipſi contemnerentur, & errare fecit eos in invio ſathanæ.

40 † Effuſa eſt contemptio ſuper principes.

Et errare fecit eos in invio & non in via.

C † *Et effundes deſpectionem ſuper principes, & errare eos faciet in ſolitudine devia.*

C. Hic breviter hæreticorum ſacerdotes deſignati ſunt, ſuper quos *contentio effuſa eſt*: quia non ſalutari doctrina, ſed tantum mortiferâ loquacitate contendunt. Hi per invios labuntur errores: quippe qui viam ſalutis deſerunt, & tortuoſis ſemitis immorantur, & ita litera Caſſiodori habet *contentio* & eius expoſitio Sed omnes tranſlationes, & Origenis & Hieronymi & Auguſtini habent, *contemptio*, & ita exponitur ab eis. H. Vt qui Dominum contempſerant ipſi contemnerentur. A. Vel principes eſſe voluerunt, contempti ſunt & ab Eccleſia reprobati, ut ſal infatuatum.

Hæreticorum contentio. Contemptio.

41 † Et adiuvit pauperem de inopia: † *Sublevabit pauperem*:

Et ¶ poſuit ſicut oves familias. ¶ *Ponet quaſi gregem familiam.*

Paupe.

C. Redit ad humiles Catholicos. *Adiuvit pauperem.* H. Id eſt populum Chriſtianum dapibus ſatiavit

D æternis. *Et poſuit ſicut oves familias*, ut audientes vocem veri paſtoris fide ſequantur. C. Iſte autem pauper eſt, qui mundanis illecebris derelictis, ad cœleſtis miſericordiæ ianuam pulſat, ut in illam Dei familiam mereatur admitti: quæ (ſicut oves innoxiæ) ſimplicitatis honore decoratur.

42 Videbunt recti & lætabuntur:

Et omnis iniquitas † opilabit os ſuum. † *Contrahet.*

H. *Videbunt recti*: quorum ſunt iſti prædicatione converſi. *Et omnis iniquitas, &c.* id eſt diabolus ſive Iudæi & hæretici commuteſcunt. C. Quando electis Domini non erit quod poſſit opponi.

43 Quis ſapiens? & cuſtodiet hæc:

Et intelliget miſericordias Domini.

C. *Quis ſapiens?* ac ſi diceret: qui verè ſapiens eſt cuſtodit iſta quæ dicta ſunt, ut Chriſti ſe magis velit eſſe pauperem, quam hæreticorum principem. H. Si enim ſapienter conſideres, & ſpiritaliter intelligas: videbis in hoc pſalmo miſericordias petitas & clementer indultas. C. Vel videbis in cœlo miſericordias, & intelliges clementer indultas, id eſt, accipies miſericordias in præmio quæ nullo poſſunt tempore terminari. A. Vel intelliget miſericordias Domini: non merita ſua, non vires ſuas, non potentiam: ſed totum ſibi, quidquid boni habet, miſericordiâ Domini largitum, & gentes ea miſericordia ad fidem veniſſe, & omnes ſalvatos & ſalvandos ſolâ miſericordiâ eſſe beatos: propter quod totiens iuſſit Domino miſericordias eius confiteri.

Oratio ex Pſal. C V I.

Cōnfiteamur Domine miſericordias tuas, quas iugiter circa noſtras exerces inopias, precantes, ut qui exaltatus in Eccleſiis, reſides ad dexteram patris in throno, nobis tanta miſerationis & intelligere, & cuſtodire concedas arcanum. Qui vivis & regnas, &c.

Argumentum Pſal. C V I I.

C. Chriſtus patri gratias agit, quod poſt paſſionis triumphum: perpetuam reſurrexit in gloriam.

TT. Canticum pſalmus David.

C. *Canticum* enim frequenter diximus ad divinarum rerum contemplationem referri. *Pſalmum* vero ad operas actuales, quæ tamen divinis noſcuntur convenire mandatis: *David* ſignificat regem Chriſtum qui per totum pſalmum loquitur.

1 PAratum cor meum Deus :: paratum cor meum :· :

Cantabo & pſallam † in gloria mea. † *Sed & gloria mea.*

C. *Paratus* enim Chriſtus ſemper erat ad talia, qui ad præconia patris perficienda obſtaculum peccati non habebat. Sequitur, *cantabo & pſalmum dicam*: meritò ille de ſe talia dicebat, cuius ſermo & actus divinis regulis conſonabant. Ipſa autem geminatio confidentiam promiſſionis oſtendit, dum bis dicit, *paratum cor meum.* H. Paratus ſum non ſolum opere, ſed etiam corde & ſenſu, cantabo ergo in corde & pſallam in opere. Si in pſalterio una chorda rupta fuerit, exterminatur pſalterium; & ſi in actibus noſtris unum præceptum prætergreſſi fuerimus, pſalterium noſtrum rumpitur. Pſallam igitur in gloria mea: quod enim tibi Deus pſallo vel canto, non tibi gratiam, ſed mihi facio, quoniam bonorum meorum non eges Igitur quod tibi ſervio, gloria mea eſt, ſi enim vel ieiuno, vel in ſacco iaceo pro peccatis meis, facto hoc tantum tibi præſto, quod animam meam ſalvam facio: de quo ut bonus medicus gaudes, de ſanatione mea, & ego gaudeo de utilitate mea.

2 ¶ Exurge gloria mea Exurge pſalterium & cithara: ¶ *Conſurge.*

† Exurgam diluculo: † *Conſurgam mane.*

C. *Exurge gloria mea*, quæ per pſalterium indicatur & citharam. Pſalterium ad morum pertinet probi-

fatetur

A Psalterium & Cithara. tatem : eithara ad afflictionem corporis,per hæc ostendens & actus laudabiles , & gloriosissimam passionem. *Exurgam diluculo* , hoc de resurrectione Christi potest intelligi & de membris eius & quolibet fideli : qui in Ecclesia Domini laudaturus assistit operibus piis , nam licet profundâ nocte laudet , diluculo præconij Dei irradiatur.

3 Confitebor tibi in populis Domine :
Et ¶ psallam tibi in nationibus. ¶ *Cantabo te.*

C. *Confiteri* se dicit *in populo* judæorum , ubi propriâ voce locutus est : *psallere* autem *in gentibus* , ad quas directi Apostoli Domini præcepta impleverunt, & ideo dicit se , videlicet psallere quod per ministros B suos cognoscitur effecisse. H. Confitebor tibi in populis,id est, Iudæis, qui primo crediderunt , deinde etiam in nationibus gentium.

4 Quoniam magna super cœlus misericordia tua :
Et usque ad ¶ nubes veritas tua. ¶ *Æthera.*

Misericordia super cœlos. C. *Magnificata est misericordia usque ad cælos*: quando supernæ potestates eius beneficiis perfruuntur. *Vsque ad nubes* : quando prædicatores velut imbriferæ nubes infideles populos irrigabant. H. Quia magna misericordia tua super cœlos:non est creatura quæ non indigeat misericordia Dei , etiam Gabriel , Michaël, Cheruhim, Seraphim. Non detraho Angelis, sed creatorem prædico, de quo & Angeli gaudent scilicet quod creator prædicatur. Vel misericordia tua de terra elevat ad cœlos.

5 Exaltare super cœlos Deus : & super
C omnem terram gloria tua :
Vt liberentur dilecti tui.

C. *Exaltare super cælos Deus* : ut cuius misericordiâ cœlestia continentur, iustum est ut super cœlos debeat Ioan.12 exaltari. *Et super omnem terram* : cum exaltatus fuero. H. Id est , quando crucifixus ero , omnia traham ad me, ut liberentur dilecti : ideo crucifigitur Dominus, & exaltatur ut liberentur dilecti , factum est enim ut petivimus,ille exaltatus est, & nos liberati sumus. *Exaltare super cælos* : Deus non exaltatur nisi super cœlos, non exaltatur super terram , quando enim terreni sumus, non exaltamus Deum , sed quando sumus conversatione cœlestes.

6 † Salvum fac dexterâ tuâ & exandi me : † *Salua dexterâ.*
Deus locutus est in ¶ sancto suo : ¶ *Sanctuario suo.*

D C. *Saluum fac* : salvum se fieri deprecatur in passione , ut credentium turba liberaretur. *Deus locutus est in sancto suo* , id est , filio : ut verbum caro factum, unâ voluntate cum patre loqueretur.

7 † Exultabo11 † *Gaudebo.* & :· dividam ¶ sichimam :
Et convallem tabernaculorom demetiar. ¶ *Sichem , & vallem , Soccoth.*

Sichima. H. *Sichima* interpretatur humeri. Humeri autem significant opera , sensus ergo talis est. Propterea crucifigor , ut opera mea dividam sanctis meis. C. Vel post resurrectionem suam lætaturum se & divisurum dicit opera, id est , gratias suas Apostolis & fidelibus. Et addit , *convallem tabernaculorum* : quod significat humilitatem Ecclesiarum. Hanc ergo humilitatem *metitus est* Dominus ; quando unicuique fidelium prout voluit dona distribuit. E

8 Meus est Galaad & meus est † Manasses : † *Manasse.*
Et Effraim ¶ susceptio capitis mei : ¶ *Hæreditas capitis.*

C. *Galaad* interpretatur transmigratio, quâ migratione gentes Domini vocatione compunctæ ad Deum Galaad. fœliciter migraverunt. *Manasses* , oblivio : quo verbo significat populum Iudæorum , qui oblitus beneficia divinâ Christum crucifixit , qui tamen suâ miseratione ad eius culturam remeavit. Sic utrumque populum, nominum istorum commemoratione , suum esse testatur. H. C. Effrem , frutificatio dicitur : & significat spineam coronam , hæc enim fertilis ultra omnes fructus fuit , quoniam nos liberavit istâ humilitate , & susceptionem pro coronâ posuit. Manasses. Effrem. F

9 Iuda † rex meus : † *Dux.*
Moab lebes ¶ spei meæ. ¶ *Peluis mea.*

C. *Iudam* regem suum dixit , quia de eius stirpe descendit. H *Moab* ex patre dicitur, *mo* enim interpretatum dicitur *ex* : *ab* vero *pater* , quod est ex patre. Et quis est ille qui est ex patre ? ille est qui malis operibus perdidit patrem , nec reversus est ad patrem , diabolus scilicet , significat enim diabolum qui *lebes spei* Domini est. Lebes interpretatur olla quomodo olla spei Domini est ? sic est : ut qui non rectè ambulant tradantur diabolo , ut ab ipso cruciati convertantur ad Dominum. Moab. Lebes. Diabolus.

10 † In Idumeam extendam calciamentum meum : † *Super Idumeam proiiciam.* G
¶ Mibi alienigenæ amici facti sunt. † *Cum Philistiim faderabor.*

H. *Idumea* interpretatur terrena, misericors enim Deus non solum cœlestia vult possidere, sed & terrena. C. *Extendens calciamentum* , (id est , legem suam & Evangelium) mundum universali prædicatione complevit : *alienigenæ* enim gentes sunt. Calciamentum lex & Evang.

11 Quis deducet me in civitatem munitam ?
Quis deducet me usque in Idumeam ?

C. *Quis deducet me* : à parte humanitatis aptissima interrogatio præmittitur, ut consequens responsio subsequatur. H. C. *Civitas munita* : fortè significat infernum , quem nulla vis humana potuit aperire , nisi qui portas eius fregit. Ista civitas ad egrediendum munita est, aperta est ad introeundum. H. *Idumea* quoque interpretatur sanguinea, significans locum pœnarum,ubi interficiuntur animæ peccatorum. Civitas munita Infernus.

12 Nonne tu Deus qui ¶ repulisti nos? ¶ *Proieceras.*
Et non † exibis † *Exieras.* Deus in ¶ virtutibus nostris. ¶ *Exercitibus.* H

C. Quis enim claustrum mortis infringeret , quis ianuas muniræ civitatis aperiret , nisi ipse Christus ? *Repulisti* : caput cum membris loquitur , id est, detulisti : quia & ipsum Christum ad glorificationem suam constat esse dilatum , cum in hac vita demoraretur. *Et non egrediaris* : tempus illud significat , quando tentus à Iudæis, sputa & flagella sustinuit : tunc enim si voluisset divinitas illa repulisset , sed distulit miraculum ostendere , ut ordinem proficuæ passionis impleret.

A

13 Da nobis auxilium † de tribulatinne: † *In.*
Quia vana salus § hominis. ¶ *Ab homine.*

C. *Da nobis auxilium*: humanitas Christi hic clamat cum membris suis, quatenus tandem aliquando tempestas huius sæculi conquiescat. *Quia vana salus hominis*, id est, H. Maledictus homo qui spem suam ponit in hominem, quia non habemus spem nisi in Deo. *Hier. 17.*

14 In Deo † faciemus virtutem: † *Erimus fortes.*
Et ipse § ad nihilnm deducet inimicos nostros. § *Conculcabit hostes nostros.*

B

H. *In Deo faciemus virtutem*: ipse erit virtus nostra, ipse panis noster qui cor confortat, ipse & rector noster. *Et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros*: quia ipse nos coronat & diabolum superat, ipse pugnat in nobis, magis autem ipse vincit in nobis.

Oratio ex Psal. CVII.

Repara tibi Domine cor nostrum ad confitendum nomini tuo, ut te intelligentes surrexisse diluculo, illuc tendamus merito quo tu eluces victor in regno. Qui vivis & regnas, &c.

Argumentum Psal. CVIII.

C

C. *Christus increpat Iudæos: qui sibi mala pro bonis reddiderunt: & Iudæ atque ipsius populi narrat interitum.*

TT. § In finem psalmus David. § *Victori David psalmus.*

C. Iste psalmus referendus est ad regem supernum: quoniam omnes sermones eius tendunt ad Christum Dominum.

1 DEus † laudem meam ne tacueris: † *Laudabilis mihi ne taceas.*
Quia os § peccatoris § *Impy.* & dolosi † super me apertum est. † *Contra.*

Laudem meam ne tacueris. Mat. 28.

C. Dominus saluator secundum humanitatem, laudem resurrectionis suæ petit non taceri, dicens. *Deus laudem meam ne tacueris*, id est, ne tacere facias, deducit enim (quoniam inimici mendacia loquebantur dicentes, discipuli furati sunt eum) ut contra eos toto orbe testimonia resurrectionis caneremus: ut iudæi agnoscant reatum perversitatis propriæ. *Apertum* utique *os*: contumelias designat, quas pertulit à Iudæis, nam licet nomine unum dicant singulariter, intellectu tamen plurimi esse noscuntur in uno populo.

D

2 Locuti sunt § adversum me § *De.* linguâ † dolosa: † *Mendacy.* !! & :· § sermonibus odij circumdederunt me: § *Verbis.*
Et expugnaverunt me † gratis. † *Frustra.*

C. *Locuti sunt* igitur *lingua dolosa* cum verbis dolosis sanctam Domini simplicitatem appetebant dicentes, *licet censum dare cæsari*? Et sermonibus odij: quando iniqua conspiratione Pilato dicebant, *crucifige crucifige*: *Expugnaverunt gratis*: nam sicut iusti amant Deum gratis, cum eum non propter aliquod temporale, sed tantum propter suam bonitatem diligant: ita impij gratis execrantur, quia causam odij in eo reperire non possunt. H. Vel gratis, id est, sine causa vel sine utilitate, qui enim aliquem persequitur & nihil proficit, nec assequitur intentionem suam, gratis, id est, frustra persecutus dicitur.

Mat. 22.
Gratis.

3 Pro eo § ut * me :· diligerent § *Quod eos diligebam.* † detrahebant mihi: † *Adversabantur mihi.*
Ego autem orabam.

H. *Pro eo ut me diligerent, &c.* id est, pro beneficiis quæ in eus contuleram, ipsi contumelias mihi fecerunt, & retribuebant mala mihi pro bonis. *Ego autem orabam*: Domine ne statuas illis hoc peccatum. A. C. Tres sunt peccatorum gradus, primus non reddere bona pro bonis. Secundus reddere mala pro malis. Tertius & pessimus, tribuere mala pro bonis. Illam iudæi extremam & vitiosissimam partem elegerunt. E contra virtutis tres gradus adverte. Primus impendere bona pro bonis. Secundus malum non reddere pro malo. Tertius & perfectissimus bonum tribuere pro malo. Et sicut iudæi pessimum vitiorum gradum elegerunt: ita Christus summum illum bonitatis gradum elegit: ita Christus summum illum bonitatis gradum tenere voluit, ut etiam in cruce oraret pro crucifixoribus. H. Ego autem orabam: pater ignosce illis, non vindictam orabam, sed eorum salutem.

4 Et posuerunt adversum me § mala pro bonis: § *Malum pro bono.*
Et odium pro dilectione meâ.

H. *Posuerunt adversum me mala*: ille rogabat pro crucifigentibus qui illi dicebant: vah qui destruis templum hoc, salua temetipsum. *Et odium pro dilectione*: Considera O Christiane & monache, si Christus pro crucifigentibus se orabat: nos pro fratribus nostris quid facere debeamus.

5 Constitue super eum † peccatorem: † *Impium.*
Et § diabolus stet à dextris eius. § *Sathan.*

C. Prædixit propheta certissimus futurorum, supra Iudam traditorem constituendum esse diabolum; qui meritò *peccator* dicitur, quoniam peccatum traditionis ab ipso sumpsit initium. Addit, *& diabolus stet à dextris eius*: Non potuit dexteram habere liberam, qui totus scelera partis sinistræ perficiebat. Sic unusquisque facere dicitur: sicut est iste qui eius dexteram tenet.

6 Cum † iudicatur exeat condemnatus: † *Fuerit iudicatus.*
Et oratio eius § fiat in peccatum. § *Sit.*

C. Hoc dicitur de futuro iudicio: quando peccatores damnandi sunt a voce iudicantis dicentis, *discedite à me maledicti. Exeat* scilicet ex congregatione iustorum. H. Oportebat orationem ipsius esse in pœnitentiam, & versa est in peccatum. Audiant hæretici & manichæi, licet orent, tamen eorum oratio vertitur in peccatum. Pœnitentia quoque Iudæ, id est, suspensio maius peccatum proditione factum est: magis enim Dominum offendit, quod se suspendit, quam quod Dominum prodidit.

7 Fiant dies eius † pauci: † *parui.*
!! Et :· Episcopatum eius accipiat alter

H. Di

A H. *Dies eius pauci* sunt : quoniam recessit ab ipso sol iustitiæ, & tenebræ ei multiplicatæ sunt. C. Vel quia non tandiu in apostolatu vixit, sicut alij Apostoli. *Et Episcopatum eius accepit alter*, ne numerus sacratissimus Apostolorum, Iudâ mortuo rumperetur. Episcopatus summus in Ecclesia gradus : latine super inspectio dicitur.

Act. 1.

8 † Fiant † *Sint.* filij eius ❡ orphani : ❡ *Pupilli.*
Et uxor eius vidua.

Iudæ traditoris uxor & filij.

A. C. Quamvis alibi non legatur Iudam uxorem habuisse vel filios, tamen ex ista prophetia eum habuisse datur intelligi. Illo enim mortuo sine dubio contigit, & ut vidua fieret uxor eius relicta, & filij Orphani, cum patre caruissent. Spiritualiter vero sunt. H. Et Synagoga uxor Iudæ, quæ à viro Christo repudiata, iudæ traditori relicta est. C. Vel uxor voluntas eius dici potest, de qua opera generamus, quæ filij dici possunt. B

9 † Nutantes transferantur filij eius & mendicent : † *Instabiles vagentur.*
❡ Eiiciantur de habitationibus suis. ❡ *Et quærantur in parietinis suis.*

Mendicant Iudæi spiritualiter. Gen. 4.

H. *Nutantes* fuerunt judæi post crucifixionem Domini, quia non sunt in suis locis. *Mendicitatem* hic dicit rerum spiritalium, non enim habent prophetas, non habent legem, non sacerdotium, non sacrificium: sed vere mendici sunt facti indigentiâ bonarum rerum. Quod figuratum est in Cain, de quo dicitur, *exiit à facie Dei & habitavit in terra Naid* : Naid autem interpretatur commotio : egressus ergo à facie Dei, non stetit, sed habitavit in commotione & instabilitate.

10 Scrutetur † fœnerator omnem substantiam eius : † *Exactor universa quæ habet.*
C * Et ⁖ diripiant alieni labores eius.

Fœnerator diabolus.

H. *Fænerator* : hic diabolus accipitur. Hoc nunc optativo modo prophetatur Iudæ, ut detur in potestatem diaboli, ut omnibus bonis exuderetur. C. *Alieni* quoque sunt immundi spiritus, quibus diabolus tanquam mancipiis imperat ad nocendum. Isti *labores diripiunt*, mandata Dei transgredientium : dum perceptâ licentiâ eos bonis omnibus privaverint. H. Sive alieni Romani fuerunt, qui eos vastando, labores & divitias diripuerunt.

11 Non sit ❡ illi adiutor : ❡ *Qui eius misereatur.*
Nec † sit qui misereatur pupillis eius: † *Qui clemens sit in pupillos eius.*

Non sit illi adiutor.

H. *Non sit illi adiutor.* Illo tempore habuit populus judæorum adiutorem, quando fuit in Babylonica captivitate septuaginta annis, habuit enim ibi Ezechiel & Daniel prophetas : & quamvis tunc colerent idola, tamen eorum Deus miserebatur. Nunc autem quadringenti anni sunt à Christi occisione, & non colunt idola : quare dereliquit eos Dominus, quia Christum occiderunt, & ideo non est eis adiutor. C. *Pupilli* vero dicti sunt quasi pusilli, qui parvitate ætatis ad se regendos probantur infirmi. D

Pupilli.

12 ❡ Fiant nati eius in interitum : † *Fiat novissimum eius interitus.*
In generatione † unâ deleatur nomen eius. † *Altera.*

Hierusalem deleta.

H. O prophetia, O sacramentum prophetiæ, in generatione unâ deleatur nomen judæorum : post passionem Domini quadragintaduo anni transierunt, & populus ille deletus est, ac Hierosolyma destructa est: sed in hoc clementia Dei erat, quia quadraginta duos annos dedit eis ad pœnitendum, postea nullus remansit ex eis in illa regione. E

13 In memoriam redeat iniquitas patrum eius ❡ in conspectu Domini : ❡ *Apud Deum.*
Et † peccatum matris eius non deleatur. † *Iniquitas.*

Peccatum Synagogæ.

H. Iudas maledicitur, ut in Iuda iudæi maledicantur, Peccaverunt judæi in deserto, sed Deus illis dimisit, nunc precatur, ut illis reputetur quod tunc peccarunt, tanquam novum scelus, in interitum. C. *Peccatum matris* : est nota protervitas Synagogæ, quæ prophetas occidit : & ex illa parte genitrix proditoris dicta est, quia innocentium sanguinem fudit : non ex illa parte eius mater dicitur, quâ viros sanctos protulit, sed quâ (ut dictum est) sanguinem fudit : in quâ parte eam Iudas ut filius imitatus est. F

14 † Fiant contra Dominum semper : † *Sint.*
& ❡ dispereat de terra memoria eorum : ❡ *Intereat.*
15 Pro ⁖ eo quod non est recordatus facere misericordiam.

Fiant contra Dominum semper.

C. *Fiunt* ergo peccatores *contra Dominum semper*, quando de regno eius alienati, & ab eo divisi, in gehennam mittendi sunt, nam cum ille sit æterna beatitudo, contra ipsum dicuntur fieri, qui perenni ultione damnantur. *Disperit* autem *memoria eorum de terra viventium* : qui in beata patria non videntur, nec ullam ulterius misericordiam consequuntur. *Pro eo quod non est*, &c. Dicit causam ultionis iustissimæ : quoniam pietatem non potest invenire, qui eam aliis contemnit impendere, per singularem verò numerum non ipsum Iudam solum, sed totum populum in Iudæ delicto unum debemus accipere. G

15 Et persecutus est † hominem inopem & mendicum. † *Virum.*
Et compunctum corde ❡ mortificare. ❡ *Vt interficeret.*

Compunctio cordis. Mat. 26.

C. More autem suo *pauperem* se Dominus *& mendicum* esse memorat : mendicus de nostro, dives de suo. H. *Compunctum corde*, ut in evangelio, *tristis est anima mea usque ad mortem.* Aliter : hoc dolebat, quia eum persequentes nolebant pœnitentiam agere. H. C. Vel, quia compunctio propriè de peccatis est, de Christi membris accipitur : ut Stephano & Paulo & aliis quos Iudæi persecuti sunt in Christo.

16 Et dilexit maledictionem, † & veniet ei: † *Qua.*
Et noluit benedictionem, ❡ & elongabitur ab eo. ❡ *Qua.*

H

Matt. 27. *Ioan. 9.*

C. Adhuc de perfido populo dicit : quia dilexit maledictionem, quando ait *sanguis eius super nos & super filios nostros.* Noluit benedictionem : quando ab illuminato dictum est illis, *nunquid & vos vultis discipuli eius fieri?* illi (quasi sub maledicto acerrimo provocati) dicebant, *tu sis discipulus eius, nos autem Moysi.* Quo dicto, elongata est ab eis benedictio, quando illis derelictis venit ad gentium fidem.

17 Et induit maledictionem sicut vestimentum : & † intravit † *Ingredietur.* sicut aqua in ❡ interiora eius : ❡ *Viscera.*
Et sicut oleum in † ossibus eius. † *Ossa.*

C. *Induit*

A C. *Induit se* prædictus populus *maledictione sicut vestimento*: quando instigante diabolo consensum præbuit, ut Dominum Pontio Pilatu tradere maluisset. Ibi enim indutus est quasi onere vestis: ubi tali voluntate se involvit. *Intravit* vero *sicut aqua* maledictio: quando deliberavit facere, quod ei fuerat iniquissimâ inspiratione suggestum, quando enim aqua visceribus infirmis recipitur, semper ingreditur ad nocendum. *Oleum* hic significat delectationem facinoris: unde & tertio influxit iniquitas in *ossa ut oleum*, quando effectum rei inauditâ perversitate complevit, ut iam non in interiora solum carnis, sed etiam ossium venerit.

18 † Fiat † *Sit.* ei sicut ¶ vestimentum quo operitur: ¶ *Pallium quo circumdatur.*
Et sicut † zona † *Cingulum.* quâ semper ¶ præcingitur. ¶ *Accingitur.*

C. Supra dixit *induit*, quod pertinet ad tunicam:
B nunc dicit operitur, quod videtur pallio convenire. Geminata enim vestis significat onera ingentium peccatorum. *Et sicut zona quâ semper præcingitur*: quâ similitudine dicit, sic peccatis illigantibus fuisse istum populum constrictum, ut nunquam à suis oneribus ob-
Vestes pessimæ. stinationis perfidia gravatus exueretur. Istæ vestes sunt, quæ peccatores ardere faciunt non calere: quæ in flammam mittunt, non à frigore defendunt.

19 † Et hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum: † *Hæc est retributio his qui adversantur, mihi à Domino.*
Et qui loquuntur ¶ mala adversus animam meam. ¶ *Malum contra animam meam.*

C. Hunc versum non solum contra iudæos, sed &
C contra omnes perfidos debemus accipere. *Detrahunt* enim filio apud patrem Arriani, qui eum minorem esse dicunt *Loquuntur & mala* adversus animam Domini Apollinaristæ, qui dicunt eius deitatem carnem solam hominis suscepisse non animam.

20 Et tu Domine ¶ Domine fac mecum propter nomen tuum: ¶ *Deus.*
Quia † suavis est misericordia tua. † *Bona.*

C. *Et tu Domine*: hoc est: si Iudas tradidit, si iudæus crucifixit: tu fac misericordiam, ut contra illa quæ facta sunt resurrectio gloriosa proveniat. Sive
Fac mecum. Rom.9. ideò dicit *mecum*: quia omnia quæ facit pater operatur & filius. *Suavis est* enim *misericordia* in vasis misericordiæ, quam misericordiam in istis vasis simul facit pater & filius & Spiritus Sanctus; vel suavis, in
D carnis assumptione.

21 Libera me quia egenus & pauper ego sum:
Et cor meum ¶ conturbatum est intra me ¶ *Vulneratum est intrinsecùs.*

C. *Libera me*, in passione sævissimâ iudæorum. *Egenum & pauperem* se dicit ex humilitate carnis. Cor
Mar.14. conturbatum est, sicut ipse professus est, *tristis est anima mea usque ad mortem.*

22 Sicut umbra, cum † declinat, ablatus sum: † *Inclinatur abductus sum.*
Et excussus sum sicut locusta.

C. Hic velocitatem persecutionis ostendit: quoniam tantâ celeritate de medio discipulorum raptus est, quantâ velocitate solet umbra noctis discedere veniente solis lumine. *Excussus sicut locusta*: quæ manus apprehendentis evitans, quibusdam saltibus evolat. H. C. Sic Christus à persecutionibus crebris fugiens, loca videbatur diversa mutare: ne zelum suum populus impleret, antequam ipse mori voluisset.

23 Genua mea ¶ infirmata sunt à ieiunio: ¶ *Vacillaverunt.*
Et caro mea immutata est † propter oleum. † *Absque oleo.*

A. *Genua* fortes videntur mihi in Ecclesia, ut fuerunt apostoli. C. Ergo infirmata sunt genua: quando apostoli eius in passione sunt dispersi. Quid enim potuit esse infirmius, quam ut Petrus negaret, & reliqua turba fidelium latuisset? H. *Oleum* hic imago est charitatis Dei. C. Sive gratia divina, quæ carnis infirmitatem in gloriam immortalitatis commutavit. A. Oleum illud est plenitudo gratiæ in Christo: quæ mortuam humanam naturam in gloriam resurrectionis mutavit.

24 * Et ∵ ego factus sum opprobrium illis:
Viderunt me & moverunt ¶ capita sua. ¶ *Caput suum.*

C. *Factus est* Christus *in opprobrium* iudæorum dicentium: *vah qui destruis templum Dei, &c.* Quæ insanis mentibus videbantur opprobria: sed ipsa fuerunt quæ nobis probata sunt conferre medicinam. *Moverunt capita*: ad consuetudinem pertinet nimis irascentium, quia illi turbulentâ capitis commotione minantur.

25 Adiuva me Domine Deus meus:
Salvum me fac secundum misericordiam tuam.

C. Adiuvari se petit suscepta infirmitas. H. C. Ipse enim misericordiam petit, qui & auxilium tribuit: rogat ut homo, præstat ut Deus: petit ergo resurrectionem corporis.

26 Et sciant quia manus tua hæc:
Et ∵ tu Domine fecisti † eam. † *Ea.*

H. *Et sciant*, id est, intelligant iudæi: quoniam non ipsi prævaluerunt in Christo, sed sua & patris voluntas erat, ut sustineret crucem pro nobis, *quia manus tua hæc.* C. Id est potestas tua, & subaudiendum *operata est hæc.* H. Vel manus tua hæc est scilicet in passione meâ & resurrectione. A. Et hoc sciant postea credentes in me: qui nunc persequuntur me.

27 Maledicent illi & tu benedices: † qui insurgunt in me confundantur: † *Restiterunt & confundentur.*
Servus autem tuus lætabitur.

C. *Maledicent illi*: scilicet qui moventes capita transeuntes blasphemabant eum. Pater filium benedixit, cum ait, & clarificavi & iterum clarificabo. Insurrexerunt iudæi adversus Dominum, ut eum neci traderent. *Confusi sunt*: quando resurrectionis eius miracula cognoverunt. *Servus*: secundum hominem, ut Esaias ait, *ecce servus meus suscipiam eum.* H. *Maledicent illi*: usque hodie hoc fit, illi maledicunt in Synagoga: Christus benedicit in Ecclesia.

28 Induantur † qui detrahunt mihi pudore: † *Adversarij mei confusione.*
Et operiantur sicut † diploïde confusione suâ. † *Vestimento.*

A Induantur pudore. Diplo s.

H. C *Induantur pudore detractores* : hoc est ut intelligant errorem & confundantur pudore, & inde incipiant venire ad pœnitentiam. Qui enim pudore induitur, prope est saluti : si quis enim verè confunditur, incipit pœnitere. H. A.C. *Diploïs* : genus est pallij scilicet duplex pallium. C. Petit ergo, ut utriusque legis intelligentiâ vestiantur, qui nunc utroque (faciente perfidiâ) nudati sunt. Confessio enim iudæorum est, legem non intelligere, quæ totiens salvatorem præcinuit advenire. Sive diploïde, id est, duplici confusione scilicet ante Deum & homines.

29 Confitebor Domino ¶ nimis in ore meo: ¶ *Vehementer.*
Et in medio † multorum laudabo eum. † *Populorum.*

C. Hoc dicitur à parte membrorum : quoniam post resurrectionem sancta Dei Ecclesia, toto orbe diffusa, Deum deprecatur & ore & confessione. *In medio multorum* : ipsam quoque Ecclesiam designat, quæ circumpositis adhuc perfidis, non desinit Deo confiteri. B A. *Nimis* dici solet (consuetudine sermonis latini) quod plus est quam debet. Cui contrarium est *parum* : quod minus est quam debet. Sed *nimis*, græce *agan* dicitur. Iste autem versus, *agan* non habet, sed habet *asan* : quod quandoque *valde*, quandoque *nimis*, quidam nostri interpretati sunt, sed *nimis* pro eo quod est *valde* intelligatur : unde & translatio hebræa non habet nimis sed vehementer. (Nimis.)

30 ¶ Qui astitit à dextris pauperis : ¶ *Quoniam stabit.*
Ut salvam faceret † à persequentibus † *Iudicibus.* animam † meam. ¶ *Eius.*

C. Dicit sibi astitisse patrem *à dextris* : quia peccata non habuit, sed & fidelibus assistit, cum delicta C remiserit. *Salva facta est à persequentibus anima eius* : quando persecutorum nequitiis nullâ pravitate consensit.

Oratio ex Psal. CVIII.

Unica miserationis Deus, maledictioni subiacere qui dignatus es ut nos à maledicto legis erueres, Quæsumus, ut facias nobiscum misericordiam propter nomen tuum, & digneris nos à persequentibus vitiis & à malorum obtrectationibus liberare. Qui vivis & regnas, &c. (Gal. 3.)

Argumentum Psal. CIX.

C. Psalmus hic de incarnatione Domini, & de eius Deitate plenissimè breviterque decantat. D

TT. Psalmus David.

1 Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis. (Die Dominica in vesperis.)

C. Sanctissimus propheta, in secretum evectus altissimæ contemplationis in primo versu naturam deitatis ostendit simul & humanitatis. Cum dicit, *dixit Dominus* : naturam Deitatis ostendit *Domino meo* : de coæterno filio dixit, qui Dominus David & filius dicitur, quia ex semine eius ortus est. *Sede à dextris meis* : victori filio, & per incarnationem totius mundi triumphatori, consessus offertur : ut per hunc situm, susceptæ humanitatis gloria declaretur. H. Ideò autem dicit dexteram filio datam : ne videatur maior qui iubet & dicit sede, quam ille cui iubetur. (Sede.)

2 Donec ponam inimicos tuos : Scabellum pedum tuorum. E

C. *Scabellum* dictum est quod scandatur, id est, ascendatur. *Donec* : finitum est pro infinito propositum, est enim usus scripturæ, illud verbum & pro brevi tempore dicere, & pro æternitate depromere. *Pedes* autem Domini æternam eius stabilitatem significant, his enim pedibus inimici illi subiiciuntur, qui derelictis vitiorum peccatis, ad Dominum se convertunt, & tanquam scabellum pedibus, ita eius prædicationibus se subdunt. (Scabellū. Pedes Domini.)

3 Virgam † virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion : † *Fortitudinis tuæ.*
Dominare in medio inimicorum tuorum.

F C. *Virga virtutis* : est sceptrum regiæ potestatis, quæ sustentat fideles & affligit incredulos. *Tuæ* dixit : quia potestas illi deitatis suæ propria est & coæterna. Hanc *emittit Dominus ex Sion* : dicitur & filius. Tunc autem *Dominatur*, quando ad ipsum delinquentium turba convertitur. H. *Dominare* dixit : non dixit interfice inimicos, sed Dominare, id est, fac qui inimici & alieni erant, tui esse incipiant, id est, dignare esse Dominus inimicorum tuorum. (Virga virtutis. Dominare.)

4 ¶ Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum :
Ex utero ante luciferum genui te.
¶ *Populi tui spontanei erunt, in die fortitudinis tuæ, in montibus sanctis, quasi de vulva orietur tibi ros adolescentiæ tuæ.*

G C. Hic omnipotens pater de omnipotenti filio dicit, *tecum principium.* Pater enim principium est, & filius principium : verum non duo principia, sed sicut unus Deus, ita unum est principium. *In die* : æternitatem significat, ibi unus est dies, ubi iam à beatis claritas divina conspicitur. *Splendores* autem sunt *sanctorum* : quando in resurrectione lucebunt sicut Angeli Dei. *Ex utero* dicit pater filium, id est, ex arcano substantiæ meæ, ex ipsa scilicet deitate. H. Cùm verò dicit, *ante luciferum* : unam creaturam nominat, & omnes creaturas indicat eum præcedere. Non enim pater potuit se aliter patrem esse indicare, nisi humanis verbis loqueretur, *genui te*, & *ex utero*. Qui autem dicit, ex utero, nulli scandalum faciat, pater enim uterum non habet : sed non potest se aliter indicare patrem, nisi hominis verbis locutus fuerit : ut contra Arrium non creatura, quæ manu fit, Christus credatur : sed Dei naturalis filius, qui ex utero nascitur, non adoptivus. (Ante luciferum. Ex utero.)

H

5 Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum :
Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

H. C. Cum enim *iuravit Dominus*, non ei qui ante luciferum genitus est, sed ei iurat, qui post luciferum natus ex virgine est. *Nec pœnitebit eum.* C. Quoniam de tantâ ac tali dispensatione, cuncta gavisa sunt. *Tu es Sacerdos* : hoc Christo veraciter aptari decet, qui corpus ac sanguinem suum, in panis ac vini erogatione, salubriter nobis consecravit. Sacerdos propriè dicitur Christus, qui semel se pro nobis immolandum obtulit. Solus etiam Deus licitè iurat, quia solus potest exhibere quod promittit : homo non potest nisi Deo adiuvante. (Tu es sacerdos. Heb. 9. & 10.)

A

6 Domious à † dextris tuis : † *Dextera tua.*
† Coofregit † *Percussit.* in die † iræ suæ reges. † *Furoris.*

Dominus à dextris tuis.

C. H. *Dominus à dextris tuis.* Dicitur in principio, *sede à dextris meis :* si ipse ad dexteram patris sedet quomodo rursum pater sedet ad dexteram filij ? C. Quòd ideò dictum est, ut cum hæc vicissitudo æqualis ponitur, maius hic aut minus aliquid, nullo modo sentiatur. H. Id est, quod æqualis filio pater ostendatur. C. *Reges :* illos significat, qui in unum convenerunt adversus Christum : hos *confregit*, quando eorum superbiam prostravit.

7 Iudieabit in † natlonibus implevit ruioas :
B
Cooquassabit capita io terra multorum. † *Gentibus implevit valles : percussit caput in terra multa.*

Quassabit capita.
In terra multorũ.

C. *Iudicare nationes* perbibet, propter peccata communia. *Implet* autem *ruinas :* quando de cordibus humanis facit peccata corruere, & emendatione saluberrimâ disperire. *Capita quassabit :* illorum utique, qui caput non habent Christum, sed diabolum : qui cum fuerint correcti, capite suo sine dubitatione quassantur. *Terra multorum* est, quæ peccatores abundanter enutrit. H. Vel multorum dicit : quoad vindictam damnationis, non omnium (ut spem non auferat) sed multorum dixit : si enim omnium dixisset, nemo vitam speraret.

8 De torrente in via bibet :
Propterea exaltabit caput.

C
Torrens.

C. *Torrens* fuit turbulenta persecutio iudæorum : de qua dominus Christus bibit in via, id est, in hac vitâ, dum eam in corpore pertulit. *Exaltabit caput.* H. Id est, qui se humiliaverat, ipse non alius exaltavit sibi caput, qui est omnium caput.

Oratio ex Psal. C I X.

A*Nte luciferum genite, qui es principium totius creaturæ, rogamus & quæsumus, ut sicut sanctis pedibus tuis inimicos ad dexteram patris residens subiecisti, ita nos tuis efficias dignos habeas ablatâ damnatione peccati. Qui vivis & regnas, &c.*

Argumentum Psal. C X.

C. Congregatio iustorum undique collecta confiteri ac laudare Deum se dicit.

D

TT. Alleluia.

Duplex cõfessio.

C. Quamvis hoc nomen laudis *alleluia*, generale esse videatur : tamen ibi maximè apponitur, ubi magna exultatione gaudetur.

1 COnfitebor : : tibi ∴ † Domine in toto corde :! meo ∴. † *Domino.*
In eonsilio iustorum & congregatione.

C. *Confitentur* & qui peccata deplorant, & qui Christo gratias referunt : sed illud in lachrymis, istud in gaudio est. Hic autem profusa lætitiâ exultat populus fidelis, quandam imaginem futuri sæculi designans, ubi laudes domini semper devotâ mente concelebrat, ubi & verba & istæ voces continuæ sunt. *Consilium iustorum* est, quod iusti consulunt. Iusti autem consulunt, Deum laudare, & illi servire pro æternis bonis, laudat ergo & confitetur in consilio iustorum, qui non temere, sed ex ratione & deliberatione sanctâ, pro æternis laudat, sicut omnes iusti faciunt. *Congregatio* vero : est corona beata de diversis partibus mundi adunata.

2 Magoa opera domioi :
¶ Exquisita io omnes voluntates eius. ¶ *Exquirenda in cunctis voluntatibus suis.*

H. *Magna opera domini :* rectos dicit, qui antè peccatores erant. C. Quid enim magnificentius quam de impio facere iustum, de hoste filium ? *Exquisita*, id est, singulariter exacta, cui simile nihil potest reperiri. Sinit enim & diabolum sævire, ut ex iniquitate illius, fidelissimos sibi servos inveniat. Ita & in omnibus fit secundum *omnes voluntates eius* exquisitissimè, ut in singulis vel meliùs etiam cogitari aliquid non possit.

3 Confessio & magoificentia opus eius : † *Gloria & decor.*
Et iustitia eius ¶ maoet io sæculum ! sæculi ∴ ¶ *Perseverans semper.*

C. *Confessio*, id est, laus & gloria, *& magnificentia opus eius.* Landabilia enim sunt valde & decora, quæ dominus fecit. *Iustitia eius manet in sæculum sæculi* cum peccatoribus dicit, *ite in ignem æternum :* vel quando fideles vocaverit, *venite benedicti*, sic in utraque parte, iustitia Dei perpetua & incommutabilis perseverat.

4 Memoriam fecit mirabilium suorum † misericors & miserator dominus : † *Clemens & misericors.*
Escam dedit timentibus se.

C. *Memoriam* ergo *fecit mirabilium :* quando plurima nova mirabilia & inusitata monstravit. *Misericors :* naturam eius pietatis ostendit : *miserator*, cum in adventu suo humano generi largâ pietate subvenit. *Dedit escam :* cibum utique spiritalem, quis enim escam communem putat fidelibus ad præmium datam, quæ & peccatoribus passim cognoscitur attributa ? H. Escam ergo dedit, id est, panem qui de coelo descendit.

5 Memor erit in ¶ sæculum testamenti sui ¶ *Sempiternum pacti sui.*
† Virtutem operum suorum aonuntiabit populo suo. † *Fortitudinem.*

C. *In sæculum :* æternitatem significat, quia verba *testamenti sui*, solidissimâ veritate custodit : quia sicut in veteri testamento Christus promissus est, ita in novo venit. *Virtus operum* fuit, quam in evangelio dicit, *cæci vident, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt.* Illam virtutem annuntiavit *populo suo* Christiano, ut ex ea intelligant eum esse Deum credentes & causa sequitur.

6 Vt det illis hæreditatem gentium :
¶ Opera manuum eius veritas & iudicium. ¶ *Opus.*

C. *Dedit* autem *eis*, id est, populo Christiano, *hæreditatem gentium :* quando Ecclesiam de cunctis nationibus vivis lapidibus fabricavit. *Opus eius verita*

A *& iudicium :* veritas, quod fidelibus promissa restituit : iudicium, quod impiis minatur futura quæ debentur malis supplicia.

7 Fidelia omnia † mandata eius, † *Præcepta.*
confirmata in § sæculum sæculi.
§ *Sempiternum iugiter.*
Facta in veritate & æquitate.

Fidelia eius mandata.

C. *Fidelia eius mandata* sunt : quoniam nullo mendacio dicta variantur, sed firmiter nos custodiunt, cum ea custodire Dei auxilio festinamus. *Confirmata :* nescit enim sermo titubare, quem veritas loquitur. *Facta* dixit esse *in veritate*, quia dicta complentur : *& æquitate*. quoniam pondere iustitiæ proferuntur, habent enim omnia mandata eius & veritatem & æquitatem iustitiæ.

B
8 Redemptionem misit :: dominus ∴ populo suo :
Mandavit in æternum § testamentum suum. § *Pactum suum.*

Mādauit.

C. *Misit* enim filium pater ad redimendum genus humanum. *Mandavit in æternum :* mandare dicimus, absentibus verba per medias destinare personas : quod factum constat, quando testamentum novum per apostolos transmisit ad gentes, ut usque *in æternum* à successoribus prædicaretur, non enim ei succedit aliud testamentum sicut veteri novum successit : merito ergo æternum dicitur, quod nullo alio indigere cognoscitur.

9 Sanctum & terribile nomen eius :
§ Initium sapientiæ timor domini.
§ *Principium.*

C
Psal. 85.

C. *Sanctum nomen* pertinet ad incarnationem (sicut ait, *custodi animam meam quoniam sanctus sum*) *terribile :* ad omnipotentiam deitatis. Hæc duo coniuncta sunt ne nos aut solus amor negligentes reddat, aut tantus timor desperatos efficiat. Quid vero sit *timor* ostendit scilicet *initium sapientiæ*.

10 † Intellectus bonus omnibus facientibus eum : † *Doctrina bona.*
§ Laudatio eius manet in sæculum :: sæculi ∴. § *Laus eius perseverat iugiter.*

C. Iste ergo Intellectus bonus, id est, verus & salutaris, qui in timore domini probatur intentus : utilis atque fructuosus est, quoniam inde nascitur, quod ad perennem gloriam perducere probatur. *Laudatio eius* digna est : quia peccatores liberat hîc, & in futuro coronat : *laudatio* vero *eius* non clauditur termino,

D
quia nec finem habere potest beneficium datum. H.C. Merito ergo in titulo *alleluia* scriptum est, quia & laudem Dei fecit initium, & in eius laude finitus est psalmus.

Oratio ex Psal. C X.

Sanctorum omnium gloriosa confessio, tribue nobis timorem nominis tui (quod esse initium sapientiæ prædixisti) ut tuorum admixti conciliis, misericordiæ tuæ dapibus saginemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.

Argumentum Psal. C X I.

C. *Propheta loquitur de beatitudine iusti, & de incarnatione Christi, atque damnatione impiorum.*

E
TT. Alleluia :: Reversionis Aggei & Zachariæ ∴.

Aggeus & Zacharias.

C. Ideò huic titulo conversionis seu, *reversionis Aggei & Zachariæ* intexitur : quia sicut illi à Babylonica captivitate reversi, templum domini reparare videntes laudes domini magnâ profuderunt exultatione : ita post peccatorum absolutionem, à captivitate diaboli reversi in Dei gratiam, perfectissimâ debent Christiani alacritate cantare. Ostendit enim psalmus iste, post liberationem delictorum quanta sint bona fidelium, & quæ retributio peccatorum.

1 Beatus vir qui timet Dominum :
In mandatis eius volet nimis.

Volet nimis.

F

H. Nondum dicit, *beatus vir* qui diligit dominum : virorum enim est incipientium, timere Deum, perfectorum autem diligere. *In mandatis eius volet nimis :* qui enim timet dominum, & qui beatus est, mandata ipsius libenter custodit & facit. Sed vide, quia etiam non dixit, mandata eius facit, sed *volet nimis*. Multi enim etiam faciunt mandata, sed timore pœnæ, non voluntatis cupiditate : beatus autem etiam vult ea, & cupit ea facere.

2 Potens in terra erit semen eius :
Generatio † rectorum benedicetur.
† *Iustorum.*

Semen eius, opera bona.

C. Quæramus autem, in qua terra iusti potentes dicantur effici, quia hic probantur esse derisui. In illa scilicet in qua cum domino regnaturi sunt sancti. *Semen* vero : opera significat bona, quæ hic velut semina iaciuntur, ut fructus futuræ messis adolescat. *Generatio* quoque *rectorum :* non est ista carnis, sed illa quæ imitatione iustorum per similitudinem operum noscitur esse propagata.

G

3 † Gloria & divitiæ in domo eius. † *Substantia.*
Et iustitia eius † manet in sæculum :: sæculi. † *Perseverans semper.*

C. Beati *domus* est mentis secretum, ubi divitias sanctas & gloriam perpetuam reponit, quisquis domini præcepta compleverit. *Iustitia* autem hominis dicitur : quæ domino largiente præstatur, & ne aliquis se existimaret Dei præcepta servando fieri temporaliter beatum, addidit, *manet in sæculum sæculi*. Causam verò istius beatitudinis subdit. *Exortum est, &c.*

4 :: Ex ∴ ortum est in tenebris lumen § rectis : § *Iustis.*
† Misericors & miserator & iustus. † *Clemens.*

H

Lumen exortū.

C. *Venit* enim *lux*, quæ superat omnem lucem : & ut gratior esset ista lux, addidit *in tenebris*, sed intus sunt in corde istæ tenebræ, ubi sol mundanus non potest accedere. Quas illud lumen expulit quod mortem vicit, *Misericors* scilicet his qui confitentur ei, qui vero contemnunt, ipsum iustum iudicem sustinebunt.

5 § Iocundus homo qui miseretur & commodat :
Disponet sermones suos in iudicio :
§ *Bonus vir clemens & fœnerans : dispensabit verba sua.*
Quia in æternum non commovebitur.

A C. *Iocundus homo* hic dicitur, non tam hominibus acceptus, quam Deo gratus. *Qui miseretur*, id est, qui egentibus bona sua tribuit. *Commodare* autem videtur, quando dat homo temporalia & recepturus est æterna. *Disponet* vero dicit, id est, tranquillo animo indicabit: quomodo talentum sibi à domino traditum duplicat. Ipse ergo disponit sermones suos, qui se bona Dei geminasse probaverit dicens, *Domine quinque talenta tradidisti mihi. Non commovebitur*, id est, à gloria domini nullatenus separabitur. H. C. Disponit etiam sermones in iudicio: qui divinas scripturas prædicat discretè, ut non proiiciat margaritas ante porcos, nec bonis quæ capere possunt tacendo subtrahat.

Dispo-net. Mat.25. Matt.7.

6 In memoria æterna erit iustus:
Ab † auditione mala non timebit.
† *Auditu malo.*

B C. *In memoria æterna erit iustus*: quia vocatur ad præmium, impiis enim dicitur, *nescio vos. Ab illo auditu malo non timebit*, quem audituri sunt impij, *ite in ignem æternum*: malus enim illis ille auditus videtur, qui instâ severitate puniendi sunt.

7 Paratum cor eius ¶ sperate in Domino:
¶ *Confidens.* † confirmatum est cor eius: † *Firmum.* non ¶ commovebitur:
¶ *Timebit.*
Donec † despiciat inimicos suos.
† *Aspiciat.*

C. *Cor* enim hîc positum est pro affectu rectæ mentis. *Confirmatum est* ergo cor iusti: cum nullà sæculi fœlicitate mollescit. *Donec despiciat inimicos*, id est, in illa futura iudicatione despecti sunt omnimodo adversarij, qui hic despexerunt iustos. In hoc enim mundo Deus patitur iustos suos, videre inimicos suos potentes esse, ut ibi eos possint humiliatos aspicere. H. Vel inimicos, id est, peccata, hæreticos, diabolum & potestates eius, peccatores, scilicet despiciet.

Despi-ciat ini-micos. C

8 Dispersit dedit pauperibus: iustitia eius manet † in sæculum ⁝ sæculi ⁝.
† *In æternum.*
Cornu eius exaltabitur in gloria.

Mat. 19. C. *Dispersit*: hæc sententia pertinet ad illud præceptum, *vade & vende omnia & da pauperibus*: qui hæc fecerit, iustitiam operatus, quia domini præcepta complevit. H. Et ista *manent in sæculum sæculi*, id est, opera ipsa permanent. C. Vel quia præmium eorum æternaliter manet, dicuntur manere in sæculum sæculi. H. *Cornu eius*, id est, regnum ipsius *exaltabitur in gloria*, quia cum domino semper regnabit. C. Cornu enim pro potestate ponitur, sive pro regno sicut dicit Daniel, *quatuor autem cornua, quatuor regna sunt.*

Cornu, id est, regnum. D

9 ¶ Peccator videbit & irascetur: ¶ *Impius.* dentibus suis † fremet & tabescet:
† *Frendet.*
Desiderium ¶ peccatorum peribit.
¶ *Impiorum.*

C. *Videbit peccator* in die iudicij remunerare dominum electos suos. Tuncque *irascetur*: quoniam pro sua malignitate punitur, *fremet* quoque, & se iam mordet *suis dentibus*, atque se proprio dolore castigat, exigens à se cruciatus, quos hic cogebat sustinere innoxios. *Et tabescet*: in perditione suà, & *peccatorum desideria* succisa marcescent.

Oratio ex Psal. C XI.

Lumen perpetuum rectorum cordium Deus: concen[...] nobis diligere, tua gloria secundari, & sic dispergere in hoc sæculo, ut caveamus auditum asperum in futuro. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat, &c.

Argumentum Psal. C XII.

C. Propheta monet devotos ut laudes Deo iugite[r] à cunctis mundi partibus dicant.

TT. Alleluia.

C. Ecce verba tituli sui subsequens psalmus expo[...]nit, nam cum sit *alleluia*, laudate dominum: ita & ip[...]se facit initium, ut suo initio exponat titulum. H. Et hic psalmus docet, ut depositâ veteri malitiâ, tan[...]quam modo geniti infantes in Dei laudibus glorie[...]mur.

1 LAudate † pueri Dominum: † *Servi.*
Laudate nomen Domini.

C. *Pueri*: dicti sunt omnes fideles innocentes, [...] puritate mentis, atque à simplicitate cordis, non enim hic ætas est electa sed puritas. Laudat nomen Domi[...]ni, qui virtutes eius sanctâ prædicatione concelebrat, dominum vero laudat, qui cum probabili actione com[...]mendat.

2 Sit nomen Domini benedictum:
¶ Ex hoc nunc & usque in sæculum.
¶ *Amodo & usque in æternum.*

H. *Sit nomen Domini benedictum*: benedictum fui[t] ante, tantum in unâ gente iudæorum (quia illi tantum benedicebant & credebant) sed modo in omnibus gentibus creditur & benedicitur. *Ex hoc* scilicet tempor[e] quo credere cœperunt. *Nunc*, id est, in præsenti. *In sæculum*: hoc est sine fine.

3 A solis ortu usque ad † occasum: † *Occasum eius.*
Laudabile nomen domini.

C. *A solis ortu*: per cursum enim solis hîc declaratus est totus mundus, & quasi per quandam linear[...] significatus est mundus, qui designat Ecclesiam: i[n] qua per totum mundum, præconia Christi personar[e] monstrat debere fideles.

4 ¶ Excelsus super omnes gentes dominus
¶ *Supra cælum.*
⁝ Et ⁝ super cœlos gloria eius.

C. *Excelsus super omnes gentes*, id est, super homines carnales. *Cælos* vero spiritales debemus accipere, o[...] supra omnes creaturas altissimus sentiatur, qui cunctarum rerum conditor esse dignoscitur.

5 Quis sicut Dominus Deus noster, qu[i] in ¶ altis habitat: ¶ *Excelsis habitans humilia.*
Et humilia respicit in cœlo & in terra?

Quis sicut dominus. H. C. Ac si dicat, nullus tali[s]. *Qui habitat in altis.* H. Id est in sanctis. *Et humilia respicit*: ut ipse dixit, super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem? *In cælo & in terra* humilit[as] Deo placita reperitur, sicut superbia probatur exosa

A ubi ergo clari credunt locum habere ſuperbiam, cum cœlum & terram ab humilitate videant occupatam?

6 Suſcitans § à terra inopem: § *De.*
Et de ſtercore † erigens pauperem.
† *Elevat.*

C Hoc beneficium non ſoli ſibi inopes & pauperes vendicent: omnis *de ſtercore* & paupertate erigitur, quiſquis de hac labe corporis per Dei gratiam ſublevatur. Rex denique mundanus inops eſt munerum Dei, & in ſtercore volvitur, cui carnis vitia dominantur.

Rex mũdanus inops eſt.

7 Vt § collocet eum cum principibus.
§ *Sedere faciat.*
Cum principibus populi ſui.

C. *Principes autem populi ſunt*, patriarchæ & prophetæ, apoſtoli & quicunque Deo probabili converſatione placuerunt: ibi enim collocabitur pauper & inops Chriſti. Addit *populi ſui*, quod ſignat Eccleſiam. Non autem principatum hic, honorem hominum ſuffragatione conquiſitum, intelligas: ſed illum qui domino largiente præſtatur, qui humilitate altus eſt.

Principes populi ſui.

B

8 Qui † habitare facit ſterilem in domo:
† *Collocat ſterilem.*
Matrem filiorum lætantem.

C. Fuit enim ſterilis ſancta Eccleſia ante adventum ſponſi ſui: ſed facta eſt *mater læta filiorum*, prædicatione apoſtolorum, aqua & ſpiritu Sancto regenerans, quam dominus *in domo ſuâ*. H. id eſt, ſeipſa *habitare facit*. C. *Lætantem* de partu, ſcilicet & numeroſitate ſanctorum.

C

Oratio ex Pſal. C X I I.

Laudantes benedictum nomen tuum omnipotens Deus rogamus, ut in ſinu matris Eccleſiæ collocatos, charitatis tuæ facias ſtabilitate connecti. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

Argumentum Pſal. C X I I I.

C. Hic memorantur beneficia & mirabilia Dei, populo Iſrael in exitu de Ægypto, & populo Chriſtiano in receſſu ſpiritali ab hoc ſæculo exhibita.

TT. Alleluia.

D

C. Commemorat propheta quæ beneficia dominus Hebræis præſtiterit: & idola gentium vana eſſe demonſtrat, & exponit conſequenter quantùm ſit vitalis & ſaluberrima religio domini propriis cultoribus.

1 † IN exitu Iſraël de Ægypto: † *Cum egrederetur Iſrael.*
Domus Iacob de populo barbaro.

C. Hic *exitum* illum debemus accipere, quando nos à peccatorum vinculis contingit exire. Tunc enim ab *Ægypto*, id eſt, tenebris ignorantiæ & turbâ dæmonum liberamur. *Barbarus* autem à barba & rore dictus eſt, quod nunquam in urbe vixerit, ſed ſemper ut fera in agris habitaſſe noſcatur. *Domus* autem *Iacob* efficimur, quando præcepta Dei ſervamus. H. Iacob enim ſupplantator interpretatur, & nos primo debemus ſupplantare vitia, & confiteri ea, ſive fidem Trinitatis, quod *Iudas* interpretatur.

Exitus de Ægypto.

Domus Iacob.

E

2 § Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius.
§ *Factus eſt Iudas in ſanctificationem eius.*
Iſraël poteſtas eius.

C. *Iudam* dicimus non ſolum ad Hebræorum nationem, ſed & ad omnes fideles poſſe reſpicere. Verus enim Iuda ſalvator eſt dominus: in quo poteſtas Iſraëlitarum, id eſt, videntium Deum noſcitur perpetua eſſe. Itaque qui eum circumciſo corde ſequuntur, Iſraël appellantur veraciter. Iſraël enim vir videns Deum interpretatur.

Iudas dicitur, omnis Chriſtianus.

3 Mare vidit & fugit:
Iordanis converſus eſt retrorſum.

C. *Mare* (id eſt, gentilitas) *vidit* ſanctos ſupplantatores vitiorum (id eſt, prædicatores) *& fugit*, id eſt, non potuit reſiſtere apoſtolis, quia Deus in illis erat. *Iordanis* interpretatur deſcenſio eorum ſcilicet baptizatorum, qui deſcendunt in baptiſmum: id eſt, humiliantur baptizati, illi *converſi ſunt retrorſum*. H. Scilicet ad Deum unde orti erant, & à quo per peccata receſſerunt. H Multi enim qui crediderunt, quando viderunt martyres paſſos, converſi ſunt retrorſum, id eſt, à gentilitate ad fidem: & factus eſt illis Deus ante, quem poſt tergum poſuerunt: & ſic poſteriorum peccatorum obliti, in ea quæ ſunt ante extenderunt.

F

Iordanis.

Converſus retrorſum. Phil. 3.

4 Montes † exultaverunt ut arietes:
† *Subſiluerunt quaſi arietes.*
!! Et ∴ colles § ſicut agni ovium.
§ *Quaſi filij gregis.*

Montes: apoſtolos dicit qui exultaverunt in operibus ſuis, *tanquam arietes*, id eſt, prædicatores, ad caulas domini fidelem gregem ducentes. *Colles* dicti ſunt à colendo: & ſignat mediocres ab apoſtolis converſos, colentes dominum in veritate.

G

Montes, Apoſtoli.

5 Quid eſt * tibi ∴ mare † quod fugiſti?
† *Quia.*
!! Et tu ∴ Iordanis quia converſus es retrorſum.

H. Propheta ſemetipſum interrogat, & ipſe reſpondet, ac ſi dicat. Quid tibi fuit gentilitas *quod fugiſti? & tu Iordanis:* hoc eſt, & vobis Chriſtianis quid fuit, *quod converſi fuiſtis retrorſum?* ſcio quia vidiſtis ſanctos prædicatores & timuiſtis.

6 Montes § exultaſtis ſicut arietes: § *Subſaltaſtis.*
!! Et ∴ colles † ſicut agni ovium?
† *Quaſi filij gregis.*

H

H. *Exultaverunt montes*, id eſt, ſancti prædicatores, quando viderunt illos converſos, qui ante blaſphemi fuerunt. *Exultaverunt arietes*, id eſt, principes gregum, qui generant greges, hi ſunt apoſtoli, quorum unus ait, *filioli mei quos iterum parturio:* & iterum ait, *per evangelium vos genui.*

Gal. 4. 1. Cor. 4.

7 A facie Domini § mota eſt terra: § *Contremiſcit.*
A facie Dei Iacob.

C. *Commota eſt terra:* audite converſi, audite fideles Chriſtiani commotionem iſtam, id eſt, permutationem, quæ humanæ terræ fœliciter evenit: non tremore montium, ſed proſperâ converſione populorum:

A

ut in culturam Dei conversa, fixa permaneret. Et ista est competens utrisque versibus præcedentibus secuta responsio quia uterque versus quæsitivè legendus est secundum Cassiodorum.

8 Qui convertit petram in † stagna aquarum : † *Paludes.*
:: Et :· rupem in fontes aquarum.

Petra Iudæorum: rupes gentium duritia.

C. *Petram* : hic judæorum duritiam dicit, quam in sacra baptismatis stagna convertit, cum eos ad religionem fecit venire tranquillam. *Rupes* : hoc est arida & dura corda gentilium, divini eloquij manare fecit fontes irriguos.

9 Non nobis domine non nobis :
Sed nomini tuo da gloriam.

B

C. *Non nobis domine* : nam cum bona largiatur immeritis, ipsius gloriæ probatur esse, non aliunde, quod concedit. Et est affectuosa & nimis vera petitio, ut *propter nomen* suum præstaret humano generi utilia, qui non poterat in peccatoribus invenire merita ulla. Unde & subdit, *Super, &c.* propter misericordiam & veritatem da gloriam nomini tuo, & fac mirabilia.

10 ¶ Super misericordiâ tuâ & veritate tuâ : ¶ *Propter.*
Ne :: quando :· dicant gentes ubi est Deus eorum.

Misericordia & veritas.

C. *Misericordia* est enim, cum miseris ac delinquentibus peccata dimittit : *veritas*, cum beatitudinis promissa restituit. *Ubi est Deus eorum?* ita dicunt persecutores iustorum. Nam quotiens martyres affliguntur, ipsa est vox tyrannorum, *Ubi est Deus eorum?* quasi non possit eripere, quos ut coronet, tormenta patitur sustinere. Et propter hoc etiam fecit Deus mirabilia in filiis Israel; ut non dicerent gentes, ubi est Deus eorum?

C

11 Deus autem noster in cœlo :
† Omnia quæcunque voluit fecit. † *Universa.*

C. Contra dementiam verba, qui dicunt, ubi est Deus tuus, verissima infertur sententia : *Deum nostrum esse in cœlo, & omnia quæcunque vult*, in cœlo & in terra perficere posse.

12 ¶ Simulachra gentium argentum & aurum : ¶ *Idola.*
† Opera manuum hominum. † *Opus.*

Simulachrum.

H. *Simulachrum* ideo dicitur, quia ad similitudinem alicuius hominis fabricatur. C. Nam licet inveniantur ænea & lignea simulachra, tamen illud elegit utilius quod gentilitas judicabat reverentiùs adorandum : ut erubescerent colere viliora, quorum & pretiosa probantur irrisa.

D

13 Os habent & non loquentur :
Oculos habent & non videbunt.

C. *Os habent* : verissimè his versibus notati & irrisi sunt idolorum cultores. Nam quid rogo opus fuit illis *os*, qui loqui non poterant : quid *oculi*, qui nihil valebant conspicere? & alia membra, quibus exercere nullum opus valebant, quid proderant?

14 Aures habent & non audient :
¶ Nares habent & non odorabunt. ¶ *Nasum.*

C. Quid etiam *auris* profuit illi, qui non erat audituris? quid *naris*, qui nullatenus fragrantia sentiebat? Nares à gnaritate dictæ sunt, quod nos faciant odoratus agnoscere.

E

Nares.

15 Manus habent & non palpabunt : pedes habent & non ambulabunt :
Non † clamabunt in gutture suo. † *Sonabunt.*

C. Quid quoque prosunt *manus* illi, qui res palpabiles ignorabat? quid *pes* : qui se movere non poterat? Additur irrisio, *non clamabunt* : quia bestiæ & muta animalia voces habent, sed confusus clamor istorum est. Ista autem simulachra, nec humanum & articulatum clamorem, nec confusum ut bestiæ habent.

Non clamabunt.

16 Similes illis fiant qui faciunt ea :
Et omnes qui confidunt in eis.

F

C. *Similes illis fiant* : qui decreverunt talia sequi, insensibilia sequuntur & insensibiles facti sunt. Quisquis enim sequitur pravos mores alterius, in illis confusus malè obligatur. Cultores igitur, & eorum fabricatores, pari culpâ constringuntur. Similes enim est iniquitas, alios suis operibus decipere, & culturis se pessimis obligare.

17 :: Domus :· Israël ¶ speravit in domino : ¶ *Confidet.*
Adiutor eorum & protector eorum est.

C. *Domus Israël* : Ecclesiam signat, quæ mente videt Deum. *Adiutor* : quia carne laborantes in hoc mundo, inquantum utile novit, adiuvat. *Protector* : quoniam animas sanctas nullâ sinit diabolicâ fraude subverti.

Domus Israël Ecclesia est.

18 Domus Aaron speravit in domino :
Adiutor eorum & protector eorum est.

G

C. *Domus* quoque *Aaron* : Christi fideles sunt. Quia fecit nos regnum & sacerdotes Deo & patri suo : & iterum. Vos autem genus electum : regale Sacerdotium. Quia Aaron in populo judæorum primus sacerdos electus est : quod ergo priùs generaliter dixit, hoc nunc de sacerdotibus decorâ iteratione retexuit : ut excelsus ordo pontificum speciali præconio laudaretur.

Domus Aarō sacerdotes. Apoc. 1. 1. Pet. 2.

19 Qui timent dominum speraverunt in domino :
Adiutor eorum & protector eorum est.

H. *Qui timent dominum* : omnes enim qui timent illum & amant & sperant in eum : verâ protectione protegit & defendit illos. C. Exponit ergo quod superius dixit, domus Israel & domus Aaron. Ipsi enim sunt qui timent dominum, & sperant in eo (duo enim ista sunt, quæ beatos faciunt) quos etiam consequitur quod dixit ut eis & *adiutor* sit dominus & *protector.*

H

20 Dominus memor fuit nostri :
:: Et :· benedixit :: nobis :· . † *Benedicet.*

C. Cum dicit *memor fuit nostri* : gratiam divinæ pietatis ostendit, quoniam filium suum incarnari misit, qui ideo venit, ut errantes populos doceret, & conversos suâ benedictione salvaret. H. Memor ergo fuit nostri, cum nos liberavit, & filium misit, & benedixit nos omni benedictione spirituali.

21 ¶ Benedixit domui Israël : ¶ *Benedicet.*

A † Benedixit domui Aaron. † *Benedicet.*

Ps. 109. C. *Benedixit domui Israël*: de sancta Maria virgine nascendo. *Benedixit domui Aaron*: sacerdotij honore præcinctus, ut de ipso in alio psalmo dictum est. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

22 ¶ Benedixit :/ omnibus :· qui timent dominum : ¶ *Benedicet.*
† Pusillis cum maioribus. † *Parvis & magnis.*

C. *Benedixit omnibus*: hoc fecit in peccatoribus, hoc in regibus. Nec ullum genus hominum ei eredens probatur exceptum, quod sit ab eius munere alienum. Post speciales ergo benedictiones, ad generales hic descendit, ubi simul omnes benedicuntur. B H. *Pusilli*, id, est, inferiores merito, *maiores* quoque merito benedicuntur.

22 ¶ Adiiciat dominus super vos : ¶ *Addat.*
* Super vos :· & super filios vestros.

Adiiciat. C. *Adiiciat*: sive benedictionem, seu adiiciat numero nostro populos fideles: quod & in nostris temporibus facit, & usque in finem sæculi non desinit operari: quousque omnes fideles, in unum gregem collecti, simul gaudeant. H. Vel adiiciat alios prædicatores suos *super vos*: quia primitus pauci fuerunt, postea multi facti sunt.

24 Benedicti vos † domino : † *A domino.*
Qui fecit cœlum & terram.

C Benedicti vos Domino. H. C. *Benedicti vos* (scilicet iusti & sancti) *domino*. C. Vide genus benedictionis: domino posuit, quia ipsa est perfecta benedictio, non sibi præparari, sed domino, unde futura beatitudo provenire potest. Per *cœlum & terram*, pusillos & maiores significat.

25 Cœlum cœli domino :
Terram autem dedit filiis hominum.

Cœlum cœli domino. H. *Cœlum* altius Apostolos signat: quia ab ipso Christo audierunt prædicationem, & illuminationem spiritûs sancti acceperunt. *Cœlum* iterum sunt successores Apostolorum, quos illi prædicaverunt, *Terra* simplices significat: qui terreni erant, lacte nutriti, non adhuc solido cibo. C. Cœlum autem dictum est quod intra se cælet universa. 1. Cor. 3.

26 Non mortui laudabunt ¶ te domine : ¶ *Dominum.*
D Neque omnes qui descendunt in † infernum. † *Silentium.*

Prov. 18 C. *Non mortui*: hi sunt peccatores, peccator enim cum venerit in profundum malorum contemnit. *Neque omnes* (hoc est habitatores inferni) *laudabunt* nomen domini.

27 Sed nos :: qui vivimus :· ¶ benediciemus domino : ¶ *Benedicemus.*
† Ex hoc nunc & usque in sæculum. † *A modo & usque in æternum.*

Mat. 22. Ps. 114. C. *Vivorum* enim est dominus sive Deus, ut in Evangelio legitur, non mortuorum. Vivorum vero accipiendum est, non istâ vitâ viventium communi bonis malisque. sed illâ de qua dicitur *placebo domino in regione vivorum*. H. *Nos* enim fideles *qui vivimus*, id est, qui fidem tectam tenemus & opera habemus, *laudamus dominum*. *Ex hoc* scilicet quo incepimus intelligere. *Nunc*: id est, modo. *Usque in sæculum*, id est, sine fine. E

Oratio ex Psal. CXIII.

Ineffabile lumen trinitas Deus, qui fluenta Iordanis aspectu luminis terruisti: præsta, ut quos ablutos sacro baptismate renovasti, nunquam patiaris à vetitis simulachrorum idolis maculari. Qui vivis & regnas, &c.

Argumentum Psal. CXIV.

C. *Propheta ostendens se de profunda fovea peccatorum esse liberatum: gratias agit Deo quoniam exauditum esse se cognoscit.* F

TT. Alleluia.

1 Dilexi quoniam exaudiet dominus: Feria secunda in vesperis.
Vocem † orationis meæ. † *Deprecationis.*

C. David, non in amplitudine regni, aut mundi fœlicitate, lætus eaultat: sed gaudet, orationem suam in angustiis à clementissimo domino fuisse susceptam: quod sibi prodesse perpetuò sentiebat. In eo ergo quod dicit, *dilexi*, testatur se habuisse dilectionem Dei in corde. H. Sed vide quod non dicit, diligam, sed dilexi: non promisit se facere, sed fecisse. Sed quare dilexit: quoniam exaudiet me in tribulationibus orantem. Nec dicit quoniam exaudivit, sed *quoniam exaudiet*: magna itaque fuit ista dilectio. G

2 :: Quia :· inclinavit aurem suam mihi :
Et in diebus meis invocabo.

C. *Auris* dicta est ab auditu: quam meritò ad nos inclinans dicitur audire (nulla enim humana merita ad ipsum videntur attingere) inclinavit autem aurem pietatis, quando incarnatus est. Et quia circa se uberem sensit pietatem (cum in multis tribulationibus esset constitutus) *in diebus* suis se dicit invocaturum: nostros enim dies illos dicimus, ubi propriâ iniquitate peccavimus, & anxios dolores in pravis cogitationibus sustinemus. Inclinat aurem suam mihi. Dies nostri.

3 Circundederunt me ¶ dolores mortis : ¶ *Fines.*
Et † pericula inferni invenerunt me. † *Munitiones.*

H. *Dolores mortis*: malæ cogitationes sunt. *Pericula inferni*: opera prava, quæ animam circundantia peccare suadent. In primis enim dolor & parturitio: hic autem (scilicet in operibus pravis) periculum est vicinum morti. H

4 ¶ Tribulationem & dolorem inveni : ¶ *Angustiam.*
Et nomen domini invocavi.

Tribulationem inveni. Rom. 5. H. Sanctus quisque non requiem, sed *tribulationem* quærit: novit enim quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, quæ non confundit. *Et nomen domini invocavi*. C. Quo præstante, & dolor & tribulatio vinceretur celeriter. H. Rem itaque novam dicit, non dicit, requiem inveni aut saturitatem, sed tribulationem Quæsivit ergo tribulationem, non enim invenitur, nisi quod quæritur.

5 † O domine

A

5 † O domine † *Obsecro domine.* libera animam meam : ¶ misericors dominus & iustus : ¶ *Clemens.*
Et Deus noster miseretur. † *Misericors.*

C. Cum dicit propheta, *libera animam meam*, confitetur eam sine dubio esse semper captivam. *Misericors*: quia inclinavit illi aurem suam, *iustus* quoniam corripuit peccatorem ad veniam requirendam. *Miseretur*: cum recipit filium quem flagellat. *Prov. 3.*

6 ¶ Custodiens parvulos dominus : ¶ *Custodit.*
† Humiliatus sum & liberavit me. ¶ *Attenuatus sum & salvavit me.*

B

C. *Parvuli* sunt, qui certissimè sibi videntur exigui, sed domini largitate grandescunt : quos custodit eximius pastor, cum eos à rapacis lupi incursione defendit : quod facit quando eos humiliatos invenit.

7 ¶ Convertere anima mea in requiem tuam : ¶ *Revertere.*
Quia dominus † benefecit tibi. † *Reddet.*

C. Cantat hoc populus devotus, qui pretioso sanguine est redemptus, qui ad desideratam requiem pervenire domini largitate promeruit, ideo animam suam hortatur propheta. Vt convertatur ad dominum, unde illi & tranquilla venit requies, & abolitio peccatorum. *Suam* vero *requiem* dicit conscientiæ : quæ illi data est per gratiam, non meritorum compensatione possessa. Ideo addit, *quia dominus benefecit tibi.* H. Requies etiam nostra Christus est. Si quando in angustia fuerimus peccati, dicamus. *Convertere anima mea in requiem tuam.*

Requies animæ, bona cõscientia.

C

8 Quia ¶ eripuit animam meam de morte: oculos meos à lachrymis : ¶ *Eruet.*
Pedes meos † à lapsu. † *Ab offensa.*

C. Nunc causas ponit cur dixerit, *quia dominus benefecit tibi. Eripuit* : beneficium divinæ virtutis ostendit. Quia nisi per eius potestatem, nullus valuisset à morte perpetuâ liberari. *Oculos meos à lachrymis.* H. Id est, ploravi, ut rideam: luxi, ut in sempiternum gaudeam, qui enim in præsenti non plorat, in futuro lachrymabitur. C. Cum dicit *à lapsu*, ostendit lubricum & pronum esse peccatum, unde se credit ereptum. H. C. Illam autem ereptionem, à morte, à lachrymis, à lapsu dicit propheta præscientiæ virtute, de futuro in regione vivorum, hic enim non plene ab his eripimur.

9 ¶ Placebo domino :
In regione vivorum. ¶ *Deambulabo coram domino, in terris viventium.*

D

C. *Placebo* dixit, scilicet jam securus, quamvis enim & hic domino placeant iusti, tamen insecuri : securi autem tunc iusti placebunt domino, quando ulterius de peccatorum adversitate nil metuent. *In regione vivorum* : id est, in congregatione sanctorum, ubi omnis vivens reverà colligitur & à sorte morientium separatur.

Oratio ex Psal. CXIV.

Ablutor peccaminum domine (qui te fideliter invocantem velociter consolaris) rogamus, ut nos à periculis inferni erutos, in regione vivorum, ablatâ peccati morte restituas. Qui vivis & regnas, &c.

E

Argumentum Psal. CXV.

C. Vox martyrum invictorum, qui gloriosam mortem pro Christi nomine sustinuerunt.

TT. :: Alleluia :·.

C. *Alleluia* : vox fidelium, sermo beatorum, modulatio sancta canentium : unde & auditus delinitur, & anima fessa recreatur.

1 CRedidi propter quod locutus sum: Ego :: autem :· † humiliatus sum nimis. † *Afflictus.*

H. *Credidi* : quid ? quia prior psalmus ita finivit, *placebo domino* : hoc credidi, & ideo hoc locutus sum, *Ego autem humiliatus sum nimis* : quia considerabam meipsum, quod terra & cinis sum, & tamen Dei misericordia ero *in regione vivorum.* Ideo meritò *humiliatus sum nimis* : admiratus domini misericordiam. A. C. Vel *credidi* : contra illos dicit, qui divina loquuntur, antequam opere credunt : quibus Deus dicit, quare tu enarras iustitias meas ? Propter illos dicit. Ego credidi, *propter quod* scilicet quia credidi, *locutus sum* : non enim perfectè credidit, qui non loquitur quod credit, & ore non confitetur. Sed quia etiam ore locutus sum quod credidi, humiliatus sum nimis, id est, multa passus propter verbum Dei. C. Ideo ergo se dicit humiliatum, quia crescente sancta religione ipsi martyres, qui propter fidem locuti sunt, videbantur pœnis temporalibus nimis subiacere.

F
Humiliatus sũ nimis.
Psal. 49.

2 Ego dixi in ¶ excessu meo : ¶ *Stupore.*
Omnis homo † mendax. † *Mendacium.*

C. *Ego dixi in excessu meo*, id est, raptu mentis in divinam contemplationem. Magna siquidem prudentia est, ut sibi aliquis imprudens esse videatur : & quando carnis fragilitate mendaces sumus, nostrum esse fateamur : quando veraces, divinis muneribus applicemus. Quia *omnis homo mendax.* A. Id est, peccator & ex se mendax, ex Deo verax : ut enim in persecutionibus à fide non recedat, ex Deo est.

G
Omnis homo mendax.

3 Quid ¶ retribuam domino : ¶ *Reddam.*
Pro omnibus quæ retribuit mihi ?

C. *Retribuere* dicimus, quando & bonis bona reddimus, & malis bona præstamus. Dominus enim nobis bonum pro malo retribuit, quando ille alapis cæsus, spem nobis resurrectionis tribuit, & cœlorum regna promisit, & pro peccatis nostris passionem sustinuit.

Retribuere.

4 Calicem salutaris accipiam :
Et nomen domini invocabo.

C. Digna promissio, si Dei munere promittitur : sed si in humanis viribus ponitur, periculosa præsumptio. *Calicem* enim, id est, passionem & martyrium in desiderio *accipere* aut dare nullus potest, nisi Christus, qui calicem passionis pro nobis dignatus est accipere ? *Et nomen domini invocabo* : cuius fretus auxilio se credebat complere quod voluit. Ideo enim invocabo nomen domini, quia sine eius auxilio calicem accipere non valeo.

H
Calicem salutaris accipiã.

5 Vota mea domino reddam coram omni populo eius :
† Preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius. † *Gloriosa.*

A. C. *Vota mea* (quæ desiderio concepi patiendi) postea *reddam* in actu *coram omni populo*, ut exemplum

patiendi

A Preciosa mors sanctorum.

patiendi capiant à me. Et hoc ideo faciam, quia *pretiosa mors est sanctorum in conspectu domini.* H. Vota vero sunt martyrum orationes. C. Bene dicitur mors sanctorum pretiosa, quæ sanguine domini noscitur esse comparata. Illius enim passione glorificata est, ut in conspectu esset eximia: & ut sit pretiosa, non diuitiis efficitur oblatis, sed effussione sanguinis comparatur. O mors vitalis, o interitus ambiendus, O transitus gloriosus: quæ membra Christi imitatores sui capitis facis.

6 ❡ O domine quia ego servus tuus: ego servuus tuus: ❡ *Obsecro domine.*

11 Et :· filius ancillæ tuæ.

B Ecclesia ancilla & sposa.

C. *O Domine*: admiratur se talia beneficia suscepisse, qualia ipse dominus pro redemptione mundi est dignatus assumere. Adiecit, *& filius ancillæ tuæ*: ut humilitatem, triplicatis confessionibus, bis se servum & tertio filium ancillæ, filiom Ecclesiæ confessus est: quæ est ancilla, dum seruit: sponsa, dum iungitur.

7 † Disrupisti † *Dissolvisti.* vincula mea: tibi ❡ sacrificabo hostiam laodis: ❡ *Immolabo.*

Et † nomen domioi invocabo. † *In nomine.*

Versus in fine vitæ dicendus.

C. *Disrupisti*: virtutem hic exponit martyrij, cuius impetu triumphali, disrumpuntur *omnia vincula* peccatorum. Nulla enim macula in homine remanere potest, quam pius sanguis non abluerit. Hic autem versus tantam virtutem habere creditus est: ut diceretur ab aliquibus, posse omnibus peccata dimitti, si eum in fine vitæ suæ, tertiâ congemineot confessione. Et quia disrupta sunt peccatorum vincula, rectè se *hostiam* dicit *sacrificare laudis.* Nimis enim acceptum est Deo sacrificium, gratiarum actio.

C

8 Vota mea domino reddam in coospecto omois populi eius: in atriis domus domini:

Io medio tui Hierusalem.

C. Cum dicit, *vota mea domino reddam*: seipsum offerre videlicet pollicetur. Omnium enim fidelium votum est, Christo se offerre, & in eius Ecclesia rectâ credulitate consistere. *In conspectu*: dignum est, vt publicè debeat laudari, qui pati pro omnium salute dignatus est. *In atriis domus domini*, id est, in Ecclesia: & adhuc aptius ipsam nominat Ecclesiam dicens. *In medio Hierusalem*: ubi pax conquiescit, & unitas populi contemplatione Dei lætatur.

D

Oratio ex Psal. CXV.

TAlis sit quæsumus domine vita supplicum, sicut est in conspectu tuo mors pretiosa sanctorum: ut à vinculis peccati liberi, mereamur futura Hierusalem gaudia prælibare. Per dominum nostrum Iesum, &c.

Argumentum Psal. CXVI.

C. Iste psalmus persona martyrum convenit: qui gloriosa passione perfuncti, omnes gentes ad domini laudes excitant.

TT. Alleluia.

1 LAudate dominum omnes gentes;
Laudate eum omnes populi.

C. Clamat chorus ille sanctorum, *omnes gentes dominum laudare* debere. Collaudatio, est omnium fidelium in unum redacta laudatio. Commonentur enim omnes gentes generaliter laudare dominum, ne quis dicat se esse in iudicio Dei prætermissum.

E

2 Qooniam † confimata est super oos misericordia eius: ❡ *Confortata*

Et veritas domini :: manet :· io æternum.

Veritas domini. Ioan. 14.

C. *Confirmata est misericordia* eius in populu Christiano: quando qui præstitit, ipse nos suâ misericordiâ custodit. Hic *veritas* & vita. Convenit enim & salutu nostræ & veritati confiteri coæternum & consubstantialem per omnia patri filium.

Oratio ex Psal. CXVI.

F

OMnipotentissime dominator, qui ab omnium gentium ore laudaris: precamur, ut dilates veritate tuâ mentem nostram, & confirmes super nos misericordiam tuam. Per dominum nostrum Iesum, &c.

Argumentum Psal. CXVII.

C. Vox fidelium domino confitentium, & in eo solummodo confidentium: qui aperiri sibi portas iustitia deprecantur, de angulari lapide (hoc est domino salvatore) subiungentes.

TT. Alleluia.

C. In principio quippe istius psalmi, quatuor versus pari fine concludit, ut Evangelico numero totum mundum uni Domino laudes reddere debere commoneret, hoc & in centesimo tricesimo quinto psalmo per omnes versus absolute facturus est.

G

1 COofitemini Domino quooiam bonus:

Quooiam in † sæculum misericordia eius. † *Æternum.*

Bonus Deus. In sæculum.

H. Confessio hæc non ad peccatorum remissionem, sed ad laudem pertinet deitatis. *Quoniam bonus*: C. Solus ille propriè dicitur & per se bonus, qui bonos facit implere quod boni sunt. *In sæculum* autem, perpetuitatem significat futuram: ubi unum est sæculum & una dies, nec permutatio ulla succedit.

2 Dicat ouoc Israël :! quooiam boous :· :

Quoniam io sæculum misericordia eius.

H

H. *Dicat nunc Israël*, id est, vir videns Deum, qui prius cæcabatur delictis, nunc autem mente serena Dei gloriam contemplatur.

3 Dicat nunc domos Aaron :: quoniam bonus :· :

Quoniam in sæculom misericordia eius.

H. *Dicat nunc domus Aaron*: quæ ante idolis immolaverat, nunc autem altissimi dilecta bonitate, sacerdotium dignum gerit animæ suæ.

4 Dicant ouoc qoi timeot Domioum:

Quooiam io sæculum misericordia eius.

H. *Dicant nunc qui timent Dominum*, id est, vos qui

prius

A prius simulachra muta & surda metuebatis, nunc omnipotentis Domini misericordiam decantate cum reverentiâ timoris.

5 ¶ De tribulatione invocavi Dominum : ¶ *Cum tribularer.*
Et exaudivit me in latitudine !! Dominus :.

Latitudo gaudiorum.

C. Tribulatio præsentis seculi, finietur : latitudo autem beatitudinis, terminum nescit. Eripit latitudo gaudiorum æternorum de temporalibus malis : & quos in hac mundi brevitate gravabat tribulationum angustia, latissima præmiorum gaudia excipient.

6 Dominus † mihi adiutor : † *Meus es, non timebo.*
Non timebo quid faciat mihi homo.

B C. *Dominus mihi adiutor* : nam cum se dicit auxilio Domini, hominem non timere : carnales designat inimicos, qui visibiliter religiosorum hominum propositum persequuntur.

7 Dominus mihi adiutor.
Et ego despiciam ¶ inimicos meus. ¶ *Odientes me.*

H. *Dominus mihi adiutor* : ideo *despiciam* hæreticos. C. Vel Iudæos vel etiam diabolum cum cæteris ministris suis.

8 † Bonum est confidere in Domino : † *Melius est sperare.*
Quam confidere in homine.

C C. *Confidere* enim in solum Deum debemus, non in hominem : illum scilicet qui veraciter promittit, non istum qui fallaci præsumptione se decipit dicens. Facio quod volo, nec Dominum meæ voluntatis habeo.

9 ¶ Bonum est sperare in Domino : ¶ *Melius.*
Quam sperare in principibus.

Ioan. 14.

H. *Bonum est sperare in Domino*, qui vitam largitur æternam : *quam in principibus*, quorum potestas cum hoc mundo dilabitur. C. Principem etiam hic diabolum intelligere possumus, ut est illud, venit enim princeps mundi huius & in me non habet quicquam.

10 Omnes gentes † circuierunt me : † *Circundederunt.*
Et in nomine Domini !! quia :. ultus sum !! in :. ¶ eos. ¶ *Eas.*

D C. Vox Ecclesiæ de persecutione gentium, quæ prius persequebantur caput, quod est Christus : deinde eius corpus, quod est Ecclesia. Quod vero dixit *gentes*, & subiunxit genus masculinum, *ultus sum in eos* : sive ad intellectum pertinet, quia in gentibus populi significantur : sive schema est exallage, id est, immutatio quoniam genus nominis immutavit. Ultus vero in eos est : quando conversi de se pœnitentiæ pœnas exegerunt, quas pridem innocentibus ingerebant.

Ultus sit in eos.

11 † Circundantes circundederunt me :
Et in nomine Domini * quia :. ultus sum !! in :. eos. † *Circundederunt me & obsederunt me, sed in nomine Domini quia vultus sum eas.*

C. *Circundantes* : Iudæi videlicet in passione Christum. *In quibus tamen est in nomine Domini vindicatum*, quando multi ex eis pœnitentes, post mala quæ fecerant, meruerunt sumere vocabula Christianorum.

12 Circundederunt me sicut apes ¶ !! & :. exarserunt sicut ignis in spinis : ¶ *Extincta sunt quasi ignis spinarum.*
11 Et :. in nomine Domini * quia :. ultus sum † in eos. † *Eas.*

C. Ipse enim Christus à sævientibus Iudæis circundatus, per totum mundum mella passionis suæ profudit. *Apes* dicta, quasi *à pedibus*, eo quod sine pedibus nascitur. H. Ipsi *exarserunt* in invidia sua dum me exurere voluerunt. C. *Spinæ* significant peccata populi : sed in eis vindicatum est, quando de illo melle & ipsi suavissimè repleti sunt. Factum est Iudæis ut apibus : quæ favum circundantes, mel in domibus cæreis recondunt, & cum putant sibi victualia reponere, faciunt unde homines possint sua desideria satiare : ita Iudæis amaris conatibus, fecerunt rem cuncto orbi dulcissimam.

13 Impulsus † eversus sum ut caderem : † *Pellebar.*
Et Dominus ¶ suscepit me. ¶ *Sustentavit.*

C. *Impulsus* enim ille *cadit*, cui Domini fortitudo subtrahitur. Sed corpus fidelium *impulsum ut caderet*, non cecidit nec cadit, quia dexterâ Domini tenetur. Dicit se ergo non cecidisse, etiam *eversum* : quia susceptione Domini firmatus est. Ideo enim fideles tormentis traditi sunt, & eversi à quiete temporali, ut caderent à fide : sed Dominus suscepit eos, ne à fide caderent.

14 Fortitudo mea & ¶ laus mea Dominus : ¶ *Laudatio.*
Et factus est mihi in salutem.

C. Non potest impulsus cadere, cui auxilium Domini videtur fortitudinem præstare : ipse enim est fortitudo & laudatio atque æterna beatorum salus.

15 Vox † exultationis & salutis : † *Laudis.*
In tabernaculis iustorum.

C. Chorus ille fidelium lætus exultat *in tabernaculis iustorum*, id est, in humani pectoris secretis, ubi semper sancti læti sunt, quamvis forinsecus affligantur. Ibi ergo exultabant, quando eorum persecutores putabant, eos mœrore confici & tribulatione consumi. Et ut agnosceres unde eis illud gaudium fuerit : subdit *dextera, &c.*

16 Dextera Domini fecit † virtutem : † *Fortitudinem.*
Dextera Domini ¶ exaltavit me ; ¶ *Excelsa.*
Dextera Domini fecit † virtutem. † *Fortitudinem.*

C. *Dextera Domini*, id est, Christus, per quem pater *virtutem operatus est* in exaltatione sanctorum. Exaltat enim Christus sanctos, quando terrenis hominibus cœlorum regna concedit : & ita in terrenis hominibus fecit virtutem. Quid enim potentius quam mortales induere immortalitatem? & de hoste fortissimo, infirmis dare victoriam.

17 Non moriar, sed vivam :
Et narrabo opera Domini.

C. Non

A C. *Non moriar*: vox fidelium contra persecutores, id est, non moriar, ut tu putas, sed vivam vità, quam oescis, ad quam mente prætumidi pervenire oon possunt. *Narrabo opera*: qoia tolerantia martyrum per totam Ecclesiam vulgata est.

18 ¶ Castigans castigavit me Dominus: ¶ *Corripiens arguit.*
Et morti non tradidit me.

H *Castigat nos Dominus* ad emendationem multis verberibus, ut probatos eruat à morte perpetuà. C. Solos enim non morti traditur, cuius hic commissa vitia purgaotur, ille etenim se hic bene castigatum esse commemorat. Ne ergo sibi aliquid persecutorum superbia vendicaret, tormenta ipsorum castigationem Domini esse confirmat.

B 19 Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino.
Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.

Aperite. Porta Christus est. *Ioan. 14.* C. Quibus autem dicitur *aperite*, nisi prophetis atque Apostolis, qui cœlorum claves mysticis virtutibus acceperunt? per has enim doctrinæ introducti ianuas, intus iam positi, veraciter Domino confitentur. H C. *Hæc porta* Christus est: per quam introitur ad patrem, ut ipse ait *Nemo venit ad patrem nisi per me*. C. *Portas* itaque Apostolos dixit & prophetas, sed quia istæ aperiunt per & ad Christum, unam portam subdit, per qoam omnes (& qui portæ dicti sunt) introierunt. H. Sed nemo in eam ingreditur nisi iustus.

20 Confitebor tibi quoniam exaudisti me:
Et factus es mihi in salutem.

C C. Vox ista est lætantis populi. H. Cuius vulnera peccati Christus sanavit, & *factus* dicitur *in salutem*: vel quibus contra iniquum hostem factus est in salutem, quando redemptor gentium oculis humanis apparuit.

21 Lapidem quem reprobaverunt ædificantes.
// Hic :· factus est in caput anguli.

Lapis angularis Christus. *Ephes. 2.* C. Ideo Christos dicitur lapis angularis: quia duos ad se populos, è diverso venientes, in onam soliditatis gratiam colligavit, quem Iudæi reprobabant. Angulus enim dictus est ex græco sermone, id est, à *gony*, quod latine dicitur *genu*: hoc enim inflexum speciem anguli cooformi qualitate restituit. Iudæi *ædificant*. H. Id est, literam legis erigebant. C. Vel ædificabant: dum olim soli in verum Deum credebant.

22 A Domino factum est istud:
D Et † est mirabile in oculis nostris. † *Hoc est.*

C. Cum enim memorat istud *à Domino factum*: natura humanitatis ostenditur. H. C. *mirabilis* iste lapis *in oculis* fidelium, qoi non solum eum corporaliter vident, verum etiam illuminati mente conspiciunt. Viderunt & Iudæi, sed non mirabilem: quia solam intuebantur carnem, non deitatem intus conspiciebant, propter qood & ait, *nostris* scilicet fidelium oculis.

23 Hæc est dies quam fecit Dominus:
Exultemus & lætemur in ea.

C. Nam licet Deus cunctos dies creaverit, singulariter tamen *diem fecisse* dicitur, qui Christi nativitate sacratus est, io quo merito *exultare* convenit & *lætari*, qooniam in eo diabolus jus perdidit, & salutem mundus accepit. E

14 ¶ O Domine salvum me fac, ô Domine bene prosperare: ¶ *Obsecro Domine salua obsecro: obsecro Domine, prosperare obsecro.*
Benedictus qui † venturus es in nomine Domini. † *Venit.*

H. O *Domine salvum me fac* scilicet ad te venientem. C. Vt hic eripiar scilicet de morte peccatorum, & illic collocer in requie sempiterna. Prosperari est aliquod asperum tranquillum facere, dolores ergo, qoos hic amore Domini sustinent, ibi sine dobio prosperantur, quando iam ad gaodia æterna perveniunt. Illum constat esse *benedictum* (id est, Dominum Christum) qui ad nos venire dignatus est, *in nomine Domini*. Sicut in Evangelio, *ego veni in nomine patris mei & non me accepistis*: si alius scilicet Antichristus venerit in nomine non Domini, sed suo, illum accipietis. Prosperari. *Ioan. 5.* F

25 Benediximns vobis de domo Domini:
Deus Dominus & ¶ illuxit nobis. ¶ *Apparuit.*

H. *Benediximus vobis*: sancti de cœlesti Hierusalem, parvolis Ecclesiæ benedicunt. C. Vel Apostoli & Ecclesiæ prælati dicunt ad populum fidelem, *benediximus vobis de domo Domini*, id est, Ecclesià Catholicà, unde salutare baptisma veoit, & sancta commuoicatio procedit: oode & omnis benedictio procedit, *& Dominus Deus* suà resurrectione *illuminavit* tenebras oostras.

16 † Constituite diem solemnem in condensis: † *Frequentate solemnitatem in frondosis.*
Vsque ad cornu altaris.

C. *Constituite* dicit, id est, deliberatà sententià custodite, & promptà voluntate. *Diem solemnem*, qui honore, Dei & sanctorum confessione sacratus est. *In condensis* hoc est, in frequentationibus crebris, quas turba in veneratione Dei condensat. *Vsque ad cornu altaris*: id est, ut non recedant antequam ad altare Dei digni communicent. Per hoc ergo prohibetur (quod multis in usu est) auditâ Evangelij lectione discedere. G In condensis.

27 Deus meus es tu & confitebor tibi:
Deus meus es tu, & exaltabo te.

C. Rectum est enim, ut Deum esse nostrum dicamus, quem purà mente non cessamus adorare. Quod autem dicit, *confitebor*, ad gratiarum pertinet actionem. *Exaltabo te*; quia exaltatur Deus per prædicationem sanctorum.

28 // Confitebor tibi quoniam exaudisti me: H
Et factus es mihi in salutem :· .

H. *Confitebor tibi* Domine *quoniam audisti me*, *& factus es mihi in salutem* scilicet ut cum sanctis tuis me in cœlesti Hierusalem sociares.

29 ¶ Confitemini Domino quoniam bonus: ¶ *Confitebor.*
Quoniam in sæculum misericordia eius.

C. Hic quoque versus in capite Psalmi probatur esse iam dictus, ut sicut à Christo fecit initiom, ita ipsi concordare videatur & finis (ipse enim dixit. *Ego sum Alpha & Omega*) & ita io omni vita nostra, con- *Apoc. 1.*

fessionem

A fessionem nos oportet assumere, & in eius delectatione finire.

Oratio ex Psal. CXVII.

Consolatio tribulationum nostrarum, piissime Domine, qui iustorum tabernacula lætitiâ & exultatione perfundis: exalta Ecclesiam tuam virtute potentis dextra, quâ fiat porta iustitia, & ita se angulari stabilitate connectat, ut tuâ miseratione refulgeat. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psal. CXVIII.

C. *Per totum hunc Psalmum universalis sanctorum chorus eloquitur, qui ab initio mundi fuerunt, sive sunt, sive futuri esse creduntur, inter quos reperiuntur Apostoli, Propheta, Martyres, Confessores, Ecclesiastici ordines, & omnes qui sanctâ Domino integritate famulantur. Est autem Hebrais elementis tali ordine depictus: ut ab unaquaque litera octoni versus incipiant, quorum prima litera, Aleph, interpretatur* doctrina. *B. Et primo immaculatis in via Domini: aterna beatitudo promittitur.*

B

TT. *!!* Alleluia ∵.
H. Aleph, doctrina.

1 BEati immaculati in via:
Qui ambulant in lege Domini.

C. Videamus nunc, quæ in hoc cœlesti paradiso poma nascantur spiritalia. Sancti enim *immaculati* fiunt, quando indulgentiæ munera consequuntur, aliter enim & per se est nemo immaculatus nisi solus Deus: ille enim solus naturaliter immaculatus est. *In via*, id est, in Christo. Ibi enim ambulare iustorum est, non pedibus corporeis, sed rectâ actione. *In lege Domini*, id est, qui aut non peccant aut per gratiam Dei se emendant, & dignâ sibi satisfactione prospiciunt. Nec vacat quod dicit, in lege Domini, ut distingueret à lege peccati, in quâ peccatores ambulant.

C Immaculati. In via, id est, in Christo.

2 Beati qui † scrutantur testimonia eius: † *Custodiunt.*
In toto corde ¶ exquirunt eum. ¶ *Requirunt.*

H. *Beati qui scrutantur* scilicet ut intelligant, cum peccaverint, coram testibus deliquisse, ut legem Dei testem suorum peccatorum cognoscant. *In toto corde exquirunt eum.* H. Id est, non leviter vel segniter. C. Sed qui totum cor suum ad scripturas sanctas ponunt non ad falsitatis ambitum (ut hæretici) nec mundana gaudia concupiscunt: ideò præmisit, qui ambulant in lege Domini: deinde, qui scrutantur: quia non est dignus scrutari testimonia Dei, nisi qui se probabili cognoscitur actione tractare.

D

3 † Nō enim qui operātur iniquitatē: † *Nec.*
In viis eius ambulaverunt.

C. Merito enim dicuntur *in viis Domini non ambulare*, qui operantur iniquitatem. Operatio enim iniquitatis est consensus malorum: qui tamen à cordibus sanctorum, dono Dei probatur alienus.

4 Tu mandasti:
¶ Mandata tua custodiri nimis. ¶ *Praecepta tua.*

C. Ista enim est dominicæ iussionis veneranda præceptio, ut mandata eius non solum sedulè, sed & nimiè custodiantur. Istud autem *nimis*, significat multum atque infinitum, quapropter vires nostras excedere, divina malitia est: quia totum ibi nimium decet, quoniam & illud infinitum est, quod nobis tribui postulamus.

5 Vtinam dirigantur viæ meæ:
Ad custodiendas iustificationes tuas.

C. *Vtinam*: verbum semper optantis est. Viæ autem actus significant, quos in hac vita peragimus. Sed dum dicit *dirigantur*: ostendit quantum ad imbecillitatem humanam pertinet, nostras vias esse tortuosas. Verumetiam dum addit, *ad custodiendas, &c.* quod superius optavit, hic aperuit: quia nemo poterat pervenire ad custodiendas iustificationes Domini, nisi misericordiâ Domini probetur attribui.

6 Tunc non confundar:
Cum † perspexero in omnibus mandatis tuis: † *Respexero ad mandata tua.*

C. *Tunc non confundar* scilicet si mandata Dei *perspexero* universa. *Perspicere* autem, est mandata Dei semper ante oculos habere, ut si quid tortum committitur, protinus corrigatur. Cùm dicit *in omnibus*: in nullo commonet esse peccandum, sicut scriptum est, *si quis de lege minimum non fecerit, reus est totius legis.*

7 Confitebor tibi in directione cordis:
:/ Ineo :· ¶ quod didici Iudicia Iustitiæ tuæ. ¶ *Cum didicero.*

C. Hæc confessio laudem significat. *Directio cordis*, est regula sancta fidei: cum qua cum confiteri non potest hæreticorum distorta versutia. Cùm dicit *didici*: indicat à beatis patribus sibi traditam disciplinam, non studio perversitatis inventam. *Iudicia Iustitia* sunt: quia famulos suos liberavit diabolicâ persecutione laborantes.

8 † Iustificationes tuas custodiam: † *Praecepta tua.*
Non me derelinquas ¶ usquequaque. ¶ *Nimis.*

C. Promittit se sancta Ecclesia, *iustificationes* Domini *custodire*: & quoniam noverat tentationes diabolicas undique circuire, petit se statim à Domino custodiri, ne possit locum nocendi hostilis atrocitas invenire.

Argumentum sequentium octo versuum.

C. B. *Exponit fidelis populus in sermonibus Domini: quibus delectationibus perfruatur, ostendens se esse* domum *Domini & receptaculum mandatorum eius, cuius mysterium secunda litera continet.*

H. Beth: domus.

9 IN quo corrigit † adolescentior viam suam:
In custodiendo sermones tuos. † *Iuvenis semitam suam, cum custodierit verba tua.*

In quo corrigit. H. Hic Propheta non solum longævam ætatem dicit corrigendam: verum etiam *adolescentiam* edocet erudiendam, & ita custodire divinos sermones, ut etiamsi vetus culpa deflecta sit, caveat nunc ne cogitatio ad peccandum ulla consentiat.

A

Custodire sermones Le.

C. *Custodit* enim *Dei sermones:* non qui tantum eos memoriâ retinet, sed qui actione tenet.

10 In toto corde meo exquisivi te:
Ne ¶ repellas me à maodatis tuis.
† *Errare facias.*

C. Hoc quoque munus est Domini: quod se cum asserit *toto corde exquisisse.* Non enim quæreret quis Deum, nisi inqoisitus ab eo fuisset. *Ne repellas me:* rogat eum, ne ab intelligentia legis divinæ velut indignus repellatur. H. Vide igitur, ut non ex parte, sed toto corde Deum requiras: ne à mandatis eius repellaris.

11 In corde meo abscoodi eloquia tua:
Vt oon peccem tibi.

B

Mat. 7.

C. *In corde meo abscondi eloquia tua.* H. C. Nam sicut decet fidelibus præcepta Dei prædicare: sic non credentibus oportet abscondi, sicut in Evangelio, *ne dederitis sanctum canibus: nec margaritas porcis.* C. Est enim peccati genus, obstinatis eloquia Domini prædicare.

12 Benedictus ¶ es Domioe: ¶ *Tu Domine.*
Doce me † iustificationes tuas.
† *Præcepta tua.*

Duplex benedictio.

C. *Benedictus es Domine:* hic benedictio laudem signat. Nam cum nos benedicimus Deum, eius facta laudamus: cum ille benedicit nos, sanctificat. *Doce me,* &c. hoc est, præsta mihi facere, unde electos tuos iustificare consoevisti, id est, da mihi, ut non solum mente sciam & intelligam iustificationes tuas, sed doce me facere, quod intelligo.

13 In labiis meis ¶ pronuntiavi: ¶ *Narravi.*
† Omoia iudicia oris tui. † *Omnes iustitias oris tui.*

C

Omnia iudicia totū pro parte ponitur.

C Chorus ille sanctorum, pronunciasse se dicit iudicia omnia oris Domini, qui locutus per prophetas & apostolos, & quæ ore Christus suo prædicavit. *Omnia* autem *iudicia* signat, quæ scripta vel dicta didicit. Cæterùm universaliter non potest pronuntiari, quod nullâ notitiâ prævalet apprehendi: figuraliter ergo pro parte totum dixit.

14 In via testimooiorum tuorum delectatus sum:
Sicut in omnibus divitiis.

D

1. Cor. 1.

C. *Via testimoniorum:* est Dominus Christus, in quo se lætaturum chorus sanctorum narrat. Hic autem divitias spiritales debemus accipere, de quibus Apostolus: *Quoniam in omnibus divites facti estis in ipso, in omni verbo,* &c.

15 In ¶ mandatis tuis exercebor:
Et considerabo vias tuas. ¶ *Præceptis tuis meditabor, & contemplabor semitas tuas.*

H. *Exercebor:* exercitatio assiduitas operis est. C. Exercetur enim in mandatis divinis, qui freqoenti operatione ea implere studuerit, & sic ad intellectûs eius penetralia pervenire meretur. Nemo eoim tantum secretum conspicere meretur, nisi cui datum fuerit, bonâ conversatione cœlestibus se beneficiis proximare. H. *Vias* vero dicit, propheticas apostolicásque doctrinas.

E

16 In † iustificationibus tuis meditabor:
† *Iustitiis tuis delectabor.*
Noo obliviscar ¶ sermones tuos.
¶ *Verba tua.*

C. Meditari enim dicit iustificationes Dei: ne possit, quod retineri expedit, ullo modo oblivisci.

Argumentum sequentium octo versuum.

C. H. Postulat populus sanctus (qui in terra incolæ sunt) retribui gratiam quam in primo parente amiserant, sed & persecutoribus eorum restituendum dicit esse, quod agunt.

B. Gimel: retributio vel plenitudo.

F

17 Retribue servo tuo: † vivifica me:
† *Vivam, & custodiam.*
Et custodiam ¶ sermones tuos.
¶ *Verba tua.*

Retribue iterum tribue.

C. *Retribue* siquidem dicit, non meritis redde, sed iterum da, ut qui præstitisti petitionis affectum, effectum & operationem quoque postulationis attribue. *Servus* enim Christi dici non potest, nisi qui non suis meritis, sed divinæ gratiæ reputat, quod boni aliquid facit. Divina autem mandata *custodire,* revera viventis est. Sicut è contra mortuus dicitur in Evangelio, qui mandata non servat: dicente Domino, *Sine mortuos sepelire mortuos suos.*

Mat. 8.

18 Revela oculos meos:
Et † considerabo mirabilia de lege tua.
† *Videbo.*

G

Revelare.

C. *Revelare* dictum est removere velum, quodam enim operimento ignorantiæ, interior aspectus obducitur: & nisi misericordiâ ipsius fuerit hoc velamen ablatum, scripturas sanctas lumine cordis non possumus intueri. *Mirabilia* enim *legis* sunt spirituali sensu contenta mysteria. H. Quæ, nisi literæ velamen abducatur, intelligere non possumus.

Mirabilia legis.

19 ¶ Incola ego sum in terra. ¶ *Advena.*
† Non abscondas à me mandata tua.
† *Ne.*

Incola. Phil. 3.

C. In hac terra iusti sunt incolæ, qui propriam in mundo non habent mansionem mentis, ut ait Apostolus, *nostra conversatio in cœlis est.* Mandata enim diximus, *diliges Dominum Deum tuum,* & similia. Hæc rogat, ne ei nullatenus cælentur, quæ peccatoribus absconsa probantur.

H

20 ¶ Concupivit ¶ *Desideravit.* anima mea desiderare † iustificationes tuas.
† *Iudicia tua.*
In omni temporc.

C. Potest enim & infidelis, ad aliquod tempus rem bonam concupiscere, sed hoc constat tantum perfectis convenire, quod addidit, *omni tempore.* Hoc est autem *concupiscere,* quod desiderare (nemo enim desiderat, nisi qui concupiscit) quapropter plenissimam voluntatem indicat geminata professio, scilicet concupiscentiæ & desiderij.

In omni tempore.

21 Iocrepasti superbos:
Maledicti qui ¶ declinant à mandatis tuis. ¶ *Recedunt.*

A H. *Increpasti superbos*, ut eos ad humilitatem sanctam, quam docuisti, reduceres. Vel per doctores tuos increpas malos homines. *Maledicti* sunt, *qui declinant à mandatis* Dei, sed tunc pleniter maledicti erunt, quando dicturus erit. *Ite maledicti in ignem aeternum.* H. *Increpare* autem dicimus, quasi de taciturnitate crepare, & in mordacia dicta prosilire, quod Deus per scripturas divinas frequenter facit.

Mat. 25. Increpare.

22 Aufer à me opprobrium & contemptum :
Quia testimonia tua † exquisivi. † *Custodivi.*

Aufer à me opprobriū.

C. Intuendum est, quare petunt martyres, *à se opprobria removeri*, unde se noverant coronari. Sed hæc oratio pro persecutoribus funditur, ut convertantur. Quia dum conversi fuerint, tollitur martyribus opprobrium : quando & persecutores ipsam religionem colunt, quam in sanctis persequendam esse putaverunt.

B

23 Etenim sederunt principes ÷ & ∵ adversum me loquebantur :
Servus autem tuus ¶ exercebatur in iustificationibus tuis. ¶ *Meditabatur praecepta tua.*

H. Quod hîc loquitur Propheta de se, futurum in apostolis reliquisque martyribus vidit : qui multa coram regibus & præsidibus, Domino nuntiante, perpessi sunt : qui *exercebantur* in iustis operibus & Dei *iustificationibus*, etiam usque ad sectionem cervicum. C. Exercebantur etiam in tormentis ad provectum suum, non cruciabantur ad pœnam : dum sensum doloris sui, æterni præmij cogitationibus molliebant, & eis tormenta ad gaudia æterna proficerent.

C

24 Nam & testimonia tua † meditatio mea est :
Et consilium meum iustificationes tuæ. † *Voluntas mea, quasi viri amicissimi mei.*

H. Erant sanctis *testimonia* Christi *meditatio*, utique in his pressuris. Et *iustificationes* eius fuerunt *consilium* eorum, quia eis vitam pollicentur æternam. C. Consilium itaque inventum est contra malignantium consilium, & contra improbos furores & dolores scilicet testimonia Domini meditata. Eorum quippe cogitatio, quoslibet mitigat dolores.

Argumentum sequentium octo versuum.

D

B. *Plebs fidelis, paupertate mundana constricta, ianuam securis divitiis aperit : & frequenti meditatione, quasi tabulas, sua præcordia Dei mandatis exhibet.*

H. B. Daleth : pauper vel tabulæ vel ianua.

25 ADhæsit ¶ pavimento anima mea : ¶ *Pulveri.*
Vivifica me secundum verbum tuum.

C. *Adhæsisse* se dicit carni suæ : quod vitiosum esse non dubium est, anima enim si adhæret corpori, delictis favet. H. Ideò ne delictum invalescat in me, peto à te *vivificari*, sciens quoniam concupiscentia carnis mortem operatur. C. *Pavimentum* igitur pro corpore ponitur. Est enim pavimentum soli alicuius in levitatem maximam constructa soliditas : & corpus nostrum simili nitore levigatur.

26 Vias meas † enuntiavi & exaudisti me : † *Exposui.*
Doce me ¶ iustificationes tuas. ¶ *Iustitiam tuam.*

H. *Vias meas*, id est, opera peccati mei. *Enuntiavi* : per confessionem. *Et exaudisti me* : quia remisisti mihi peccata mea, nunc doctrinam indulge, quam in iustificationibus tuis edocear : C. *Et doce me iustificationes tuas* : non ad audiendum, sed ad faciendum, ille enim divinarum rerum doctus ostenditur, qui sibi credita fecisse monstratur.

27 Viam † iustificationum tuarum instrue me : † *Præceptorum tuorum fac me intelligere.*
Et ¶ exercebor in mirabilibus tuis. ¶ *Loquar.*

H. *Viam iustificationum*, id est, iustificationes quas legis litera protulit, spiritaliter capiam. *Et exercebor in mirabilibus*, id est, apostolicis, cæterisque doctrinis Ecclesiasticis, quæ in ea lege sunt figuratæ. C. Præbent enim intellecta miraculum : quando sic in præsenti sunt posita, ut longè futura significare videantur.

28 † Dormitavit † *Distillavit.* anima mea præ ¶ tædio :
Confirma me in verbis tuis. ¶ *Tristitia : serva me iuxta eloquium tuum.*

H. *Dormitavit anima* : in huius habitaculi mortalis statione. *Præ tædio* : imbecillitatis corporeæ. *Confirma me* : ut ablato somno peccati, instanter in his præceptis invigilem. C. *Dormire* obliviosi atque socordis est, *dormitare* vero fessi & expectantis. Hanc autem dormitationem Cassianus *accidiam* vocat.

29 Viam † iniquitatis amove à me : † *Mendacij aufer.*
Et ¶ in lege tua miserere mei. ¶ *Legem tuam dona mihi.*

H. *Viam iniquitatis* (id est, desiderium illud per quod ad peccandum venitur) *amove à me. Et in lege tua, &c.* apud te enim hæc lex constituta est, ut semper miserearis.

30 Viam † veritatis elegi : † *Fidei.*
Iudicia tua ¶ non sum oblitus. ¶ *Proponebam.*

H. *Viam veritatis elegi*, id est, Christum Dei filium, quem audivi venturum in mundum. Illa iudicia non sum oblitus : quæ in evangelio proferens ait, *hoc est iudicium, ut qui credit in filium habeat vitam æternam.* C. Eligere autem est de multis unum legere.

31 Adhæsi testimoniis tuis Domine :
† Noli me confundere. † *Ne confundas me.*

H. Quia *adhæsi testimoniis tuis* : quia his adhærens, anteriorum facinorum indulgentiam merui, ideo peto, adiuva me, ne iterum in priora peccata reincidam, & ita ne me patiaris de iteratione peccati confundi, & in iudicio deinde tuo palam verecundiam pati.

A 32 Viam mandatorum tuorum ¶ eucurri :
Cum dilatasti cor meum. ¶ *Curram: quoniam dilatasti, &c.*

H. *Cucurri viam* : quando multa patiebar propter verbum tuum, ob spem futuræ beatitudinis. *Dilatasti cor meum* scilicet in latitudine charitatis & spei & fidei. C. Vel dicitur dilatatum, scientiæ latitudine. Cùm enim anima lumen veritatis accipit, in multifarias agnitiones aperitur, & latior redditur virtutibus cognitis.

Dilat. st cor meū.

Argumentum sequentium octo versuum.

B

C. B. Beata plebs expetit : ut in lege Domini eius debeat munere custodiri. B. Et benè suscipiens appellatur : quæ dicit da mihi intellectum. Ipsa *quoque iure vocatur, quæ in eadem semper intentione persistens, à vanitate sæculi oculos avertit.*

B. He H. B. Ipsa vel suscipiens.

33 ¶ LEgem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum.
Et exquiram eam semper. ¶ *Ostende mihi Domine viam præceptorum tuorum & custodiam eam per vestigium.*

H. Propheta in persona Ecclesiæ dicit. *Legem*, id est, Christum *pone mihi* (lex enim Christus est) ac si dicat, temetipsum pone mihi, hoc est venire digneris, *& exquiram* te semper : ut tua mandata custodiam. C. Vel quia superius dixit, *in lege tua miserere mei* (quod dictum est de veteri testamento, quod nullum potuit salvare per se) nunc dicit de lege novi testamenti, quam cupit venire.

C

34 † Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam : ¶ *Doce me & observabo legem tuam.*
Et custodiam illam in toto corde ‖ meo ∴.

Intellectus.

C. Omnis enim *intellectus* à Deo tribuitur, sed tamen nonnunquam ad studia prava deflectitur. H. Sed hic rogat Ecclesia, ut intelligat discretionem inter bonum & malum, inter literam & sensum : *ut custodiat illam in toto corde*, id est, ex tota dilectione. C. Sed enim prius dixit, *viam mandatorum cucurri*, quid est quod iterum petit, quæ se prius accepisse memoravit scilicet legem, mandatorumque viam? quia dona Domini continuè sunt petenda, ut conserventur : semper enim dat qui donata conservat.

D

35 Deduc me in semita mandatorum tuorum :
Quia ipsam volui.

Semita. Matt. 7.

H. *Semita* minor est quam via, hoc est arcta & angusta via, id sunt mandata arctiora, quæ ducunt ad vitam, quia lata & spatiosa via ducit ad mortem. *Quia ipsam volui* : ac si dicat, non concupivi aliud nisi tua mandata implere. C. Semita, novum testamentum est: via, vetus. Spiritualem enim gratiam petit, quæ ad cœlum ducit.

36 Inclina cor meum ¶ in testimonia tua :
¶ *Ad.*
Et non † in avaritiam. † *Ad.*

E

C. *Inclinari cor* suum petit *in testimonia* Domini: ubi non per rapacem avaritiam, sed per laudabilem humilitatem præstante Domino pervenitur : sciénsque cohors illa sanctorum, *avaritiam* capacem esse vitiorum, ideò hanc postulat à se amoveri. Avaritia est enim flagrans omnino desiderium rerum temporalium.

Avaritia.

37 Averte oculos meos ne videant vanitatem :
In via tua vivifica me.

C. Deprecatur plebs beata, ut *oculos* cordis *avertat* à mundanis delectationibus : quia nos per oculos peccare non dubium est, dum in ambitione diversarum rerum traducimur. Sed additur apta petitio, ut in via sua, id est, in Christo vivificare dignetur. Hic notantur illi, qui diversis spectaculis occupantur, qui mulierum fœdo amore rapiuntur, à quibus oculos avertere nolunt.

F

38 † Statue servo tuo eloquium tuum :
† *Suscita.*
In ¶ timore tuo. ¶ *Timorem tuum.*

C. *Statue* dicit : quasi stare fac, id est, infige, consolida atque confirma, ne sanctum eloquium possimus fugaci oblivione amittere. Quia plurimi eloquia Domini suscipiunt negligenter, & tanquam fabulas inutiles audire declinant : ideò addidit, *in timore tuo*, ubi nunquam culpa acquiritur, nec ad desidiæ discrimina pervenitur.

39 † Amputa † *Averte.* opprobrium meum quod ¶ suspicatus sum : ¶ *Reversitus.*
Quia iudicia tua † iocunda. † *Bona.*

G

A. C. Iure ergo postulat sibi *amputari opprobrium*, quod ex suspicione venit. Sæpè enim aliquem iudicamus talem ex suspicione, qualis non est : & invenimur mendaces : & incurrimus ita opprobrium ; tale opprobrium & confusionem petit amoveri, unde reus poterat inveniri : suspicio enim sæpissimè probatur incerta, quæ vero Christiano non convenit. Et sic exponendo oportet *quòd* poni coniunctionaliter. *Iudicia tua iocunda* : primo confessus est infirmitatem suam : nunc Domini laudat iudicia, cuius verbum verum est veráque sententia. Ideò amator veritatis meritò sibi iocundum dicit Domini eloquium, per quod requiem & coronam se novit adquisiturum.

Amputa opprobrium.

40 Ecce ¶ concupivi mandata tua : ¶ *Desideravi præcepta tua.*
In æquitate tua vivifica me.

H

C. In hoc enim versu sancta cohors se dicit consecutam plenitudinem gratiarum : quia *concupivit* vera *mandata* Dei, quæ veram prudentiam conferunt & salutem. *Æquitas* autem est verbum patris, in quo se vivificari postulat.

Argumentum sequentium octo versuum.

C. B. Postulat congregatio sancta salutarem sibi Dominum debere concedi : ut inimicos de tanta remuneratione confundat, & in lege Domini assiduâ meditatione proficiat. B. Ipse ergo Dominus & salvator, Vau li*tera vocabulo designatur : id est, & ipse, videlicet cui dicitur*, tu autem idem ipse es, *id est, æternus.*

B Nota quàm pulchrè quinta litera, *ipsa*: sexta nuncupetur, *& ipse* : videlicet cui dicitur. *Tu autem idem*

A *Psal.101.* *ipse es*, id est, æternus. In cuius fide etiam Ecclesia ipsa esse, (id est, unà eadémque devotione semper hic & in futuro cum eo regnare) prometuit.

H. B. Van: Et ipse.

Van, id est, & ipse.

41 ET veniat † super me misericordia tua Domine : † *Mihi.*
¶ Salutare tuum secundum eloquium tuum. ¶ *Et salus tua iuxta.*

Salutare Dei, christus. C. Precatur ergo sancta congregatio : ut supra eam Dominus salvator *adveniat*, qui est misericordia peccatorum, & vita fidelium. *Salutare :* ecce ut Christum esse misericordiam istam esse ostenderet, addidit salutare tuum. Qui benè salutare dicitur, per quem salus gentibus venit, qui mundo ægrotanti medicinam suæ pietatis attribuit. *Secundum eloquium*, id est, secundum promissionem quam per prophetas pollicitus es.

B

42 Et respondebo exprobrantibus mihi † verbum : † *Sermonem.*
Quia speravi in ¶ sermonibus tuis.
¶ *Sermone tuo.*

Exprobrant Christo hæretici. Mat.10. C. *Exprobrant* enim *verbo :* qui filium dicunt esse minorem. Vel qui eum carne passum minimè crediderunt. Vtique etiam ideò dicit *respondendum*. *Quia speravit in sermonibus* Dei quibus dixit. *Cum veneritis ante reges, & principes nolite cogitare . quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis quid loquamini.* Exprobrant etiam infideles martyribus in passione & tormentis verbum fidei dicentes, *ubi est Deus vester ?*

43 Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usque † quaque. † *Nimis.*
¶ Quia in iudiciis tuis supersperavi.
¶ *Quoniam iudicia tua expectavi.*

C

1.Cor.1. C. *Et ne auferas hoc verbum* fidei, de quo Apostolus ait. *Hoc est verbum quod prædicamus.* Rogat ergo ut confessionem veritatis de eius ore nullæ pœnæ, nullus terror extorqueat : sed constanter in fide maneat. Iniqui enim cum molestantur, desperant : sancti autem viri si affligantur, spem magis suæ dilectionis accipiunt. A. C. Sed cum dicit *usquequaque :* significat verbum veritatis ad tempus aliquibus fuisse ablatum (ut Petro ter neganti) sed non usquequaque ablatum sibi fuit, quando culpam fletibus diluit & sanguinis effusione mundavit. *Vsquequaque.*

44 Et custodiam legem tuam † semper.
† *Iugiter.*
¶ In sæculum & in sæculum / i sæculi :· .
¶ *In sempiternum & ultra.*

D

C. *Custodire se legem* dicit Domini *semper :* quia in ipsa variari nefandum est Interdum *semper* ponitur usque ad finem huius sæculi : sed hic cum dicit *in sæculum sæculi*, illam perennitatem significat, quæ non habet finem. Novit enim consuetudinem angelorum & potestatum, Dominum sine fine laudantium.

45 Et † ambulabam in latitudine : † *Ambulabam in spatioso.*
Quia mandata tua ¶ exquisivi.
¶ *Quæsivi.*

Rom.5. C. *Latitudo* autem ista est charitas, de qua scriptum est. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Quam ideò meruit, *quia mandatorum intelligentiam quæsivit.* H. Diligenter enim exquisivit, & scrutatus est ad hoc, ut crederet & intelligeret.

46 Et loquebar † de † *In.* testimoniis tuis ¶ in conspectu regum : ¶ *Coram regibus.*
Et non confundebar.

C. *Loquebar de testimoniis* Dei : quoniam petierat & acceperat, ut responderet exprobrantibus sibi verbum : qua firmitate roboratus, inter reges sæculi non se dicit esse confusum, sed veritatem quam mente conceperat, intrepidis sermonibus proferebat. Confunditur autem ille, cuius per ratiocinationem dicta vincuntur: ad verecundiam autem venire non potest, qui veritatis ipsius testimonio roboratur.

47 Et † meditabar in mandatis tuis : † *Delectabor.*
Quæ dilexi.

C. Hic ostendit frequentatæ meditationis ardorem (meditari enim mandata non potest, nisi qui ea assiduâ lectione cucurrit) & ut evidentiùs hanc frequentiam declararet, addidit, *quæ dilexi :* negligere enim nunquam potest homo ea quæ diligit.

48 Et ¶ levavi ¶ *Levabo.* manus meas ad mandata tua quæ dilexi :
Et † exercebor in iustificationibus tuis.
† *Loquar in præceptis tuis.*

C. *Levare* autem *manus :* significat bonis operibus occupari. Ille levat manus ad mandata, qui facit eleemosynas, quas fieri iubent mandata. *Exercetur in iustificationibus*, qui quærit boni operis frequentatione proficere. H. Vel qui in his, quæ per literam indicabantur, spiritualem intellectum conatur invenire.

Argumentum sequentium octo versuum.

C. B. *Chorus Sanctorum (spem promissionum Domini, sensibus nostris commendans) asserit fideles adversa mundi sustinere, quibus æterna vita promittitur. B. Ista ergo vita (quæ hic in spe, illic in re percipitur)* olivæ *nomine (quam* Zai *litera designat) exprimitur : quia & hic sanctorum facies exhilaratur in oleo : & illic perfectius spiritûs Sancti æternâ visione pinguescit. Nomen autem* fornicationis *congruit peccatoribus derelinquentibus legem Domini.*

B. Zai, oliva vel fornicatio.

B. Et quia septiformis est Spiritûs Sancti gratia, rectè septima litera vocatur *oliva.*

49 ¶ MEmor esto verbi / ! tui :· servo tuo : ¶ *Memento sermonis.*
† In quo mihi spem dedisti. † *Quem me sperare fecisti.*

C. Ex humana consuetudine, *memor esto* dicitur Deo, qui nihil potest ullatenus oblivisci. Non ergo hoc dicit, quia dignum erat in illa maiestate ponere iniuriam oblivionis : sed precatur, ut citò servo suo conferat promissionem, quam in evangelio promisit. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. *Servo tuo :* subaudiendum implere promissum. *In quo mihi*, (id est, in illa scilicet promissione verbi tui) *spem dedisti.*

A

50 Hæc ¶ me consolata est in humilitate mea : ¶ *Est consolatio mea in afflictione mea.*

Quia eloquium tuum vivificavit me.

C. Cum dicit hæc me consolata est, ostendit inter ærumnas sæculi, hoc sibi fuisse solatij : ut in præsenti vita affligeretur, & de futura promissione gauderet. *In humilitate :* quia sancta probatur humilitas omnia pro Christo patienter sustinere. *Quia eloquium tuum vivificavit :* Causam consolationis suæ ponit : promissio quippe tanti Iudicis firmavit animam sustinentis, & spes consolationis vivificavit afflictum.

51 Superbi † inique agebant usquequaque : † *Deridebant me nimis.*

A lege ÷ autem ∴ tua non declinavi.

B

C. *Superbos*, id est, malignos atque tyrannos crudeliter egisse commemorat : qui non vivificandi, sed potius mortificandi sunt. *A lege tua non declinavi* scilicet ut illi putabant, qui persequebantur innoxios : sed significat se in veritatis mansisse iugiter sententia.

52 Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo Domine :

Et consolatus sum.

Memor iudiciorum.

C. *Memor est iudiciorum :* qui plectibilia non præsumit perpetrare peccata. Quia metu pœnarum revocatur, qui Domini Iudicij recordatur. *A sæculo :* significat cum administrari cœptus est mundus. *Consolatus sum :* quia nunquam deserit suos famulos divina virtus.

53 ¶ Defectio tenuit me pro peccatoribus. ¶ *Honor obtinuit me ab impiis.*

Derelinquentibus legem tuam.

C

Defectio, id est, tristitia.

C. Necesse est enim, ut sanctum virum alterius culpa contristet, & se dolore defecisse dicat, dum animus pius desiderat salvos fieri universos : & quem non optat excedere, affligitur, cum ei pœnas cognoverit imminere : unde sancta cohors martyrum, non tantum pœnis suis, quantum tyrannicis torquebatur excessibus. H. Ideò non vult quemquam peccare, sed omnes cupit viam veritatis agnoscere.

54 † Cantabiles † *Carmina.* mihi erant ¶ iustificationes tuæ : ¶ *Præcepta tua.*

In † loco peregrinationis meæ. † *Domo.*

D

Cantabiles.

Locus peregrinationis nostræ mundus est.

C. Cum dicit *cantabiles :* significat psalmodiam cum magna delectatione peragendam. Cantus enim semper relevat labores, & non sinit surripere tædium animo. Locus peregrinationis, est mundus ubi peregrinantur omnes qui Domino Christo devoti sunt.

55 Memor fui in nocte nominis tui Domine :

Et custodivi legem tuam.

In nocte.

A. C. Per *noctem* mundum istum significari posse, non dubium est, in quo peccatorum regnat obscuritas. C. Sed utinam oculos corporeos clauderet, & non cordis lumina periculosiùs excæcaret, in hac enim nocte *memor est nominis* Dei, qui beneficia Ipsius non suis meritis, sed divinis muneribus applicat : & per hoc legem Dei custodit. A. Vel in nocte adversitatis : ubi magis gratias agere oportet quam in die prosperitatis.

E

56 ¶ Hæc facta est mihi : ¶ *Hoc factum est mihi.*

Quia † iustificationes tuas exquisivi. † *Præcepta tua.*

C. *Hæc*, scilicet nox facta est mihi, subaudi consolatio. Sequitur causa, quare illi nox facta sit consolatio : *quia iustificationes tuas exquisivi.* Tuas dicit non meas : & ideò mundi tenebris non potuit obcæcari, quia illi nox tribulationum facta est, id est, ad utilitatem & profectum facta est. Hoc enim alicui fieri dicimus, quod frugi illi est.

Argumentum sequentium octo versuum.

F

H. B. Agmen beatum desiderat videre faciem Domini ; quia eius mandatis noscitur obsecutum. B. Et quia hoc desiderium in resurrectionis gloria perficietur, octava litera, vitæ *vocabulo gaudet.*

H. B. Heth : vita.

Heth vita : quæ in divinis scripturis reperitur : qui est Christus.

57 ¶ POrtio mea Domine : ¶ *Pars.*

Dixi † custodire legem tuam. † *Ut custodiam verbum tuum.*

C. *Portio* à parte dicta est : illius enim partis sumus, cuius voluntatibus obedimus : unde merito *portio* piorum Deus dicitur. *Dixi*, id est, statui decrevi atque promisi, præcepta Dei servare : unde & factus est in Domini portione. Portio piorum, Deus.

G

58 Deprecatus sum ¶ faciem tuam in toto corde meo : ¶ *Vultum tuum.*

Miserere mei secundum eloquium tuum.

C. Postulat enim plebs fidelis debere compleri misericordiam adventûs Christi, qui mundo poterat salutaris apparere. *Secundum eloquium*, illud, scilicet quod promittit sanctis suam beatam nimis & incomparabilem per omnia visionem.

59 ¶ Cogitavi vias meas : ¶ *Recogitavi.*

Et converti pedes meos † in testimonia tua. † *Ad.*

C. Ordinem humanæ conversationis exponit. Priùs enim est *vias suas cogitare*, id est, actus humanos districtiùs pensare, & sic ad Domini *mandata pedes suos convertere :* in quibus si aliquis ambulat, potest firma habere vestigia. Dicendo *pedes meos converti :* ostendit primitus fuisse perversos. H

60 ¶ Paratus sum & non sum turbatus :

Ut custodiam mandata tua. ¶ *Festinavi & non neglexi : custodire.*

C. *Paratum* se ad præcepta Dei custodienda ille testatur, qui nec persecutores metuit, & illecebras huius sæculi à suis sensibus effugavit. *Non sum turbatus*, ad tribulationem sustinendam propter Christum (improvisa enim conturbant : sed deliberata sententia animum perturbari non sinit.) Infert etiam ad quod paratum se esse dicebat scilicet ut *mandata Dei custodiret :* quia sic integrè servantur, cum adversitas nulla metuitur.

61 Funes

A

61 Funes † peccatotum circumplexi sunt me: † *Impiorum implicaverunt me.*
:: Et :. legem tuam non sum oblitus.

Funes peccatorum.

C. Cum dicit *funes peccatorum*: ostendit tot laqueos esse, quot peccata committimus; & hoc referendum est ad corporis pravitatem, fieri enim potuit ut caro delictorum funibus ligaretur, animus autem incentivis vitiis reluctans, *legis* Dei *non fuisset oblitus*. Funes autem, sunt implicita & tortuosa ligamina: talia etiam sunt peccata quibus se delinquentes semper astringunt.

B

62 ¶ Mediâ nocte surgebam ad coofitendum tibi: *Medio noctis surgam.*
Super indicia † iustificationis tuæ. † *Iustitia tua.*

Mediâ nocte. *Exo* 21. *Act.* 12. *&* 16. *Matt.* 25.

C. *Mediâ nocte*: scit enim hoc tempore primogenita Ægyptiorum percussa; scit Petri & Pauli vincula resoluta: scit quoque sponsum mediâ nocte esse venturum: ideo eodem tempore surgit ad laudes, ne inter fatuas virgines ei ianua clausa remaneat. Nec vacat quod dicit *surgebam*: quia surgit qui semper ad Dei præconia festinat. *Ad confitendum*, id est, ad laudandum iudicia Iustitiæ Christi.

63 Particeps ego sum omuium timentium te:
Et custodientium ¶ mandata tua. ¶ *Præcepta.*

C. Quisquis enim in novitate vitæ ambulaverit erit *particeps* Christi. Et quia dicit *omnium timentium*, ne illos tantum advertisses, qui Dei iudicia servili timore formidant, addit *& custodientium mandata tua*: qui devotissimi comprobantur, timore castissimo & amore reverendo.

C

64 Misericordiâ † Domini plena est terra: Iustificationes tuas doce me. † *Tua Domine completa est terra, præcepta tua.*

C. *Misericordiâ Domini* cum dicit, *plenam esse terram*: ostendit utique dilatationẽ Christianæ fidei: quam sic misericorditer implevit, ut undique vanissimæ superstitionis nomen evacuasse doceatur. *Iustificationes tuas doce me*. H. Hoc est tua mandata, ut illa intelligam & prædicem & opere impleam.

Argumentum sequentium octo versuum.

D

C. B. Populus beatus gratias agit, humiliatum se fuisse, ut ad iustificationes Domini perveniret. B. Nomenque literæ præsentis exponens: bonum suum dicit, verbum Dei humiliter meditari.

H.B. Teth, bonum.

65 ¶ BOnitatem fecisti cum servo tuo Domioe: ¶ *Beneficisti servo.*
Secuodum verbum tuum.

A. C. Nunc collata sibi à Domino munera profitetur. Bonus quippe Dominus *servis suis* tribuit *bonitatem*. Et quæ sit illa bonitas exponit, dum dicit. *Bonum mihi quod humiliasti me*: de afflictione enim salutari gratias agit, non de fœlicitate mundanâ. intellexit enim bonitatem illam debere dici unde proficitur, non unde inani exultatione gaudetur. Sic bonitatem facit medicus cum secat vulnera, sic pater cum cædit filium. *Secundum verbum tuum*: illud scilicet quod dicitur, *qui se humiliat exaltabitur*. H. Vel bonitatem fecisti: quando in carne nos redemisti. Secundum verbum tuum: quod promisisti Abrahæ aliisque patriarchis.

Bonitas in afflictione.

66 † Booitatem & disciplinam & scientiam doce me: † *Bonum sermonem & scientiam.*
Quia mandatis tuis credidi.

C. Docet autem Deus *bonitatem*, inspirando desiderium charitatis: docet *disciplinam*, cum patientiam in tribulatione donat: Docet *scientiam*, ut sciat homo discernere inter bonum & malum, inter vitam & mortem. *Credidi*. C. id est, præceptis tuis obediui. H. Vel opere implevi. Præmittit autem scientiæ disciplinam, ut quis primitus in se facere debeat disciplinam & postea docendo in aliis.

67 † Priusquam humiliater ego deliqui:
Propterea eloquium tuum custodivi. † *Antequam audirem ego ignoravi, nunc autem eloquium, &c.*

C. Vide quomodo in hoc versu humana vita describatur. Prius enim peccasse se dicit, cum teneretur originali vitio obnoxius: post humiliatum se esse professus est, ut culpa careret quam contraxerat in radice peccati: ad postremum *custodivit Dei eloquium*, quia meruit humiliari, sicut ait Apostolus, *humilibus autem dat gratiam*. Et ut excedentium licentiam cohiberet: post humiliationem suam, eloquium Domini, id est, sanctas scripturas, se dicit eius dono custodisse.

68 Bonus es tu.
Et ¶ io bonitate tua doce me iustificationes tuas. ¶ *Beneficus, doce me præcepta tua.*

C. Petit bonum magistrum: ut in sua bonitate dignetur docere discipulum, ut iustificationes, quas lectione didicerat, opere sciret. Tunc enim perfectè discuntur mandata cum fiunt.

69 † Multiplicata est super me iniquitas superborum: † *Applicabant mihi mendacium superbi.*
Ego autẽ in toto corde meo ¶ scrutabor mandata tua. ¶ *Servabam præcepta tua.*

C. Dicit enim *multiplicatam super se persequentium iniquitatem*: & ideo petit, ne pœnis gravibus superborum, eius devota humilitas macularetur: sed potius quantum illi contenderent sanctos seducere, tantum isti viderentur mandatis dominicis adhærere, & mandatorum scrutatores amplius effici. Et ita factum est, ut qui pœnis temporalibus sanctos vincere tentaverunt, & à lege Dei dividere nisi sunt: tanto illos mandatorum scrutatores amplius efficerent.

70 † Coagulatum est sicut lac cor eorum: † *Incrassatum est velut adeps cor.*
† Ego vero legem tuam † *Et ego in lege.* ¶ meditatus sum. ¶ *delectabar.*

C. Per *lac coagulatum*, vult intelligi condusatam superborum iniquitatem: quæ more lactis in crassiorem substantiam fuerat contracta. Lac autem dictum à liquore: quia de interna substantia naturali liquore decurrat (a enim, in i convertitur: ut amicus inimicus & his similia.) Ego vero legem tuam, id est, quantum

A illi in malo durescebant, tantum iste à lege Dei segregari non poterat.

71 Bonum mihi quia † humiliasti me :
Vt discam iustificationes tuas. † *Afflictus sum, ut discerem præcepta tua.*

C. *Bonum.* sibi dicit quod pœnis sævientium subdebatur : non præsentia cogitans, sed futura desiderans. Cœperat enim de illa dulcedine gustare cœlesti, quæ omnes soavitates excedit. Talis siquidem humilitas cœlestis Hierusalem tangit gloriosa fastigia. Nam sicut superbia mergit ad tartarum : ita ista humiltas tollit ad cœlum. *Vt discam iustificationes tuas*, id est, ut facerem quod docuisti. Tunc enim perfectè discitur: quando præcepta Dei fideli actione monstrantur.

B

72 ¶ Bonum mihi lex nris tui : ¶ *Melior est mihi.*
Super millia auri & argenti.

Lex oris tui. Super millia.

C. Cum dicit *lex oris tui* : non iam prophetarum nec Apostolorum, sed præcepta Evangelica sibi testatur pretiosissima, quæ sunt ore Christi prolata. *Super millia* quasi dicat, super omnia millia *auri & argenti* (quod infinitum atque incomprehensibile est) sic enim dilectio ista tanta meruit iudicari : ut nulla res potuisset ei æquari, ut auri argentique omnis copia posset vilescere, millia auri & argenti dixit : quicquid enim dixeris, semper excedit. Ideo facta est, comparatio absque similitudine, pretium sine modo, amor sine fine.

Argumentum sequentium octo versuum.

C *C. B. Cohors gloriosa petit intellectum mandatorum sibimet debere concedi, ut vera vita munere perfruatur : expetensque ut domini misericordia fiat immaculata, ne possit in illa iudicatione confundi. B. Et rectè* scientia *vel* principium *nuncupatur litera, in qua fideles, ab illo capiendi quarunt intellectum, à quo vivendi sumpserunt exordium.*

H. B. Ind scientia vel principium.

73 MAnus tuæ fecerunt me & † plasmaverunr me : † *Firmaverunt.*
¶ Da mihi inrellectum, ut discam mandata tua. ¶ *Doce me & discam.*

C. *Manus tuæ* operationis Dei virtutem ostendunt. Et quod additur, *fecerunt me* : quidam volunt *fecerunt* ad animam pertinere, *plasmaverunt* ad corpus: quod de limo terræ, cognoscitur esse formatum. Iustà voce

D Da mihi intellectum.

clamat factura auctori : *da mihi intellectum*, à quo cognoscor esse plasmata. Sed qualem ? non istum de quo sibi homines esse videntur sapientes, sed quo Domini mandata cognoscat : ut quem Adam per inobedientiam perdiderat, cohors sancta per obedientiam adipiscatur. Istum ergo purum contemplabilem & devotum (quem ante peccatum Adam possidebat) petit intellectum. H. Quo mandata Dei intelliguntur & custodiuntur.

74 Qui rimenr te videbunt me & lætabunrur.
Qnia † in verba rua super speravi. † *Sermonem tuum expectavi*

E H. *Qui timent te* : vox Ecclesiæ, id est, illi qui timent Deum, & alios vident Dei mandata observare, magnâ lætitiâ lætabuntur, quia in verbo tuo spero. H. C. id est, in Christo. C. Vbi nunquam decipit spes. Petit ergo Ecclesia talia in se fieri, unde omnium devotio possit augeri (ad imitationem enim rerum laudabilium, proposita semper exempla proficiunt) quasi dicat si illam gratiam mihi contuleris, ut diligenter faciam & perficiam præcepta tua, *videbunt* hoc *qui timent te*, &c.

75 ¶ Cognnvi ¶ *Scio.* Domine qnia † æquiras iudicia rua : ¶ *Iustum iudicium tuum*
Et ¶ in veritare tua humiliasti me. ¶ *Vere afflixisti me.* F

H. *Æquitas* Christi est, ut peccatores arguat pro delictis : *veritas*, ut superbos humiliet à prosperitatibus suis, Ergo quia me humiliasti, ut corrigeres, fiat nunc misericordia tua, ut consoletur me. C. *Cognovi* ergo dicit, id est, expertus sum, scilicet in meis passionibus & beneficiis) quod omnia æqua sunt iudicia tua, in puniendo & parcendo.

76 † Fiar misericnrdia rua, nt cosnletur me :
Secundum elnquium tuum servn tuo. † *Sit obsecro misericordia tua in consolatione mea sicut loquutus es servo tuo.*

C. *Consolatio* est enim, quando miseriarum patientiam donat, tormenta sua retemperat, & afflicti animi mœrores promissione beatitudinis confortat. *Secundum eloquium* : subiunge, fiat, id est, secundum promissionem : quà spopondit in Evangelio, se passuros tormenta minimè relicturum. G

77 Veniant mihi ¶ miseratinnes tuæ & vivam : ¶ *Misericordia tua.*
Quia lex rna † meditatio mea : ! est :· † *Delectatio.*

C. Per *miserationes* Christi, vitam vult consequi æternam : quia sola illa benedicitur vita, quam nulla molestia sollicitat, nec mors suspecta contristat. *Quia lex tua, &c.* illa enim meditatio beatos facit, quæ operibus bonis cœlorum regna conquirit. Non ergo per istam solam meditationem beati efficimur, quæ lectionis repetitione tractatur, sed quæ operibus impletur. Lex tua meditatio mea est.

78 Confundantnr superbi quia ¶ ininstè iniquitatem fecerunt in me : ¶ *Iniquè contriverunt me.*
Ego autem † exercebor in mandatis ruis. † *Loquar.*

H Bona confusio peccantis.

C. *Confundantur* : ad emendationem pertinet, non ad supplicium, tunc enim bene confunditur conscientia peccantis : quandu mala pristina propriâ voluntate damnantur, & incipit odisse, quod antea videbatur diligere. *Quia iniquitatem fecerunt in me* : quid enim iniustius, quam eos velle persequi, qui mandatis Dei videbantur occupari ? *Ego autem exercebor* : ponit salutare remedium, scilicet exercitium mandatorum contra persecutores crudeles, sola enim patientia in tormentis vincit illos.

79 ¶ Convertantur mihi rimentes te : † *Revertantur ad me.*
Et qui † nnverunr testimnnia tua. † *Sciunt testimonium tuum.*

C. *Convertantur*

A C. *Convertantur mihi*, id eſt, ad te: ad Dominum enim bene intelligitur converti, qui in Eccleſiaſtica congregatione cœperit verſari. *Et qui noverunt*. id eſt, quos lectio divina iam imbuit, ſed necdum opere ſalutari inſtruxit: tales ſunt incipientes bene vivere, quos petit ſic converti.

80 Fiat cor meum § immaculatum in iuſtificationibus tuis. § *Perfectum in præceptis tuis.*
Vt non confundar.

H. Hic *cor* pro anima ponitur, ac ſi dicat, fiat anima mea ſine peccato mortali, & hoc *in iuſtificationibus*, id eſt, ut non ſim reus in iuſtificationibus, ſed mundus à tranſgreſſione earum. Vel ut ſim immaculatus, & hoc non ex me, ſed iuſtificationibus tuis. *Vt non confundar*, hoc eſt, ut non habeam confuſionem æternam.
B Confundantur quidem ſuperbi, ad correctionem: & non confundar ego, ad pœnam æternam.

Argumentum ſequentium octo verſuum.

C. B. Peregrinus in hac terra populus, nimium deſiderium ſuum in adventu Domini confitetur; enumerans quantam ſuperborum inſecutionem pertulerit. C. Cuius mentis devotio per Caph literam deſignatur, quæ manus *interpretatur, per quam opera, vel cordis vel corporis exprimuntur.*

H. B. Caph, manus.

C *Caph.* B. Caph autem, ita *manus* interpretatur, ut eiuſdem manus palmam ſive volam ſignificet, id eſt, non contractam eam, ſed apertam expanſiſque digitis inſinuet. Ideo manus opera, vel corporis, vel cordis, vel ipſius amoris interni, ſignificat. Apertio vero eius ſignificat id, quod Propheta commendat, dicens: *Revela Domino viam tuam & ſpera in eum, &c.* *Pſal. 36.*

81 DEfecit in ſalutare tuum anima mea:
⁝ Et ⁝ in verbum tuum § ſuperſperavi. § *Expectavi.*

Defecit, id eſt, laſſata eſt. C. *Defecit anima mea*: ſignificat laſſata eſt atque fatigata, quod per nimia ſolet evenire deſideria. Mos enim iſte humanitatis eſt, ut quod omnino concupiſcimus, in eo laſſari atque deficere videamur. Sed ut intelligatur quo defectus iſte pergat, addit. *In ſalutare*: quod hebræa lingua dicitur Ieſus, & ne aliquis ita exponendum & ſentiendum dubitaret, adiunxit. *Et in verbum tuum*, id eſt, unigenitum filium, qui eſt Dei virtus.

D
82 † Defecerunt † *Conſumpti ſunt.* oculi mei in § eloquium tuum: § *Verbum.*
Dicentes, quando conſolaberis me?

Deficere ab eloquio & in eloquium. *Defecerunt oculi*: cordis. Et vide *in eloquium*, non ab eloquio, defeciſte. Deficere enim ab eloquio Dei, eſt totius boni privatio: in eloquium vero eius deficere, ſemper augeri eſt. *Dicentes*, cum lingua loqui ſoleat, dicit oculos locutos: ut oſtendat luminoſa cordis deſideria, ſilentioſo quodam ſermone proclamare, & præ clamore ardentiſſimo deficere: & tamdiu ſe dicit defectum iſtum pertuliſſe, donec expectata incarnatio Dei, cordis appareret aſpectibus.

83 † Quia factus ſum ſicut uter in pruina: † *Et cum eſſem quaſi.* . .

E § Iuſtificationes tuas non ſum oblitus. § *Præcepta.*

C. Cauſam cur adiuvandum ſe & conſolandum petat hic ponit. *Vter* enim, corpus mortale ſignificat: *pruina*, cœleſte beneficium converſionis oſtendit: per quam evenit, ut caro noſtra laſciviens afflictione pœnitentiæ contrahatur. Vter igitur in pruina, nativo colore deſertus, glaciali rigore contrahitur: ſic corpus ſanctorum, incendio vitiorum calore vacuatum, beneficio converſionis attrahitur: & cum ſic fuerit fœliciter maceratum, provenit quod ſequitur: ut iuſtificationes Dei nullatenus valeant oblivisci. *Sicut uter in pruina.*

84 Quot ſunt dies ſervi tui?
Quando facies † de perſequentibus me Iudicium? † *In.*

F C. Sciens cœtus ſanctorum, uſque ad finem mundi ſe tentationibus diaboli ſubiacere: interrogat, quando mundus iſte finiatur, ut de perſecutoribus, id eſt, diabolo cum miniſtris præparata ultio compleatur: non quia vitæ ſuæ tempus volebat agnoſcere, ſed celeritatem futuri poſtulabat Iudicij. in quo iam beatis erit requies & gaudium ſine fine manſurum.

85 § Narraverunt mihi iniqui fabulationes:
Sed non ut lex tua. § *Foderunt mihi ſuperbi foveas, quæ non erant iuxta legem tuam.*

H. A. C. *Iniqui*: ſunt hæretici vel Iudæi vel gentiles philoſophi. C. Quorum doctrina inanibus fabulis eſt comparata: quia a lege Dei omnino diſcrepat, & à Catholica veritate diſcedit.

86 Omnia mandata tua § veritas: § *Vera.*
† Iniqui perſecuti ſunt me, adiuva me. † *Falſo.* G

C. *Veritas* enim ſemper verum loquitur, ſed perfidi eam quibuſdam nebulis obcæcare contendunt. *Et perſecuti ſunt*: iubendo perverſa: falſa ſuadendo. Adiecit *adiuva me*: quaſi contra immanem belluam & hoſtem crudeliſſimum ſe adiuvari poſtulat, contra ſic fabulantes.

87 Paulominus § conſumaverunt me in terra: § *Conſumpſerunt.*
Ego autem non † dereliqui mandata tua. † *dimiſi.*

C. Dum dicit *paulominus*, & nimietatem perſecutionis oſtendit, & ſe tamen non defeciſſe Dei munere declaravit. *In terra*: in hoc ſæculo. *Ego autem non dereliqui mandata tua* ſcilicet quia ſuam conſtantiam in martyrio uſque in finem vitæ oſtendit & tenuit. H

88 Secundum miſericordiam tuam vivifica me:
Et cuſtodiam teſtimonia oris tui.

C. *Vivifica me* (dixit) *ſecundum miſericordiam*, id eſt, in illa vita æterna conſtitue, ubi ſanctorum vita eſt. *Vt cuſtodiam.* H. Vel ea quæ in lege mandaſti, vel illa quæ in Evangeliis protuliſti. A. Nullo modo martyres teſtimonia Dei, id eſt, martyria (martyr enim teſtis dicitur) cuſtodirent, niſi miſericordia Dei vivificarentur: vivificati ſunt enim, ne amando vitam negarent vitam, & negando vitam amitterent vitam: ac ſic qui pro vita veritatem deſerere noluerunt, moriendo pro veritate vixerunt. *Teſtimonia, id eſt, martyria.*

Argumentum

A

Argumentum sequentium octo versuum.

C. B. *Plebs fidelis, virtutem Domini factaque describens, dicit omnia temporalia posse finiri: mandata vero eius nequaquam terminum reperire. B. Quorum disciplinæ subdita proclamat*: in æternum non obliviscar iustificationes tuas.

H. B. Lamech, disciplina.

B. Et ideo Lamech disciplinam sonat, quia Dei disciplinæ plebs fidelis libentissimè subdita est.

Lamech

B

89 IN æternum Domine.
Verbum tuum ¶ permanet in cœlo. ¶ *Perstat.*

C. *Permanet* igitur *verbum* Dei *in æternum in cœlo*, id est, in unoquoque sancto, quos de morte facit vivere, id est, per mortem temporalem vivere æternaliter: est enim in illis cœlum, vel illi sunt cœlum, qui se cœlesti conversatione tractare noscuntur. Vel in cœlo, id est, in Angelis in quibus Deus habitat. Manet igitur in illis semper verbum Dei: quia illi iugiter in Dei ministerio & laude, firmissima deliberatione consistunt.

In cœlo.

90 In generatione & generatione † veritas tua: † *Fides.*
Fundasti terram & ¶ permanet. ¶ *Stat.*

H. C. *In generatione & generatione*: tempora significat quibus duo populi Domino crediderunt, unus legis & prophetarum, alius Evangelij & Apostolorum. C. In quibus est *veritas*, id est, ipse Dominus Christus. *Fundasti terram*: hoc est, constituisti sanctos, qui sic fundati sunt, ut in Christi credulitate permaneant. Et hæc est causa cur in generatione veritas est: quia fundata est terra, id est, credentes. Si enim ipse non fundasset sic terram, id est, confirmasset, nec prior generatio nec sequens, vel credere in Christum, vel permanere in fide potuisset.

C

Fundasti terram.

91 † Ordinatione tuâ perseverat dies: † *Iudicia tuo stant usque hodie.*
Quoniam omnia serviunt tibi.

C. Quotiens singulari numero *dies* ponitur: venturus ille significatur, qui unus atque æternus est, & non habet noctem: de quo scriptum est, *& erit illis Dominus lumen æternum.* Et ne quis, quomodo hoc fieri posset, interrogaret dubitando, adiecit, omnia servire creatori, qui pro sua voluntate & temporalia & æterna disponit.

Dies.

Apoc. 21.

D

92 Nisi quod lex tua ¶ meditatio mea est: ¶ *Delectatio.*
Tunc ∴ forte periissem in † humilitate mea. † *Pressura mea.*

C. *Meditatio* quippe legis est: illa quæ præcepit vel cogitare vel facere, ut interiore quasi consiliario firmatur, tormenta possit sævientia intrepidus superare *In humilitate*: in afflictionibus dicit, quas piâ voluntate toleravit: à quibus se gaudet ereptum, quando meruit ad sanctum pervenire martyrium. Humilitas ista à quibusdam necessitate subitur, ab aliis (ut à sanctis) voluntate suscipitur.

Meditatio legis.

E

93 In æternum non obliviscar ¶ justificationes tuas: ¶ *Præceptorum tuorum.*
Quia † in ipsis vivificasti me. † *Per ipsa.*

C. Nullus enim fidelium debet oblivisci illorum beneficiorum Domini, à quibus vitale munus noscitur accepisse: hæc autem beneficia sunt iustificationes, quæ nobis vitam animæ præstiterunt in fide. Possunt enim fortasse alia memoriæ decidere, beneficium autem nullus fidelium obliviscitur, in quo vita præstatur.

94 Tuus sum ego, salvum me fac:
Quoniam ¶ justificationes tuas exquisivi. ¶ *Præcepta tua quæsivi.*

C. *Tuus sum ego*: non potest dicere verè qui se novit peccato servire. Servus enim vitiorum: non meretur Dominum habere sanctorum. Istud autem considera, quod dum professa fuerit cohors sancta se esse Domini, adhuc petit, ut *salva fiat*, utique in illa iudicatione futurâ, cum beati intrant in requiem sempiternam. Sed quare salus ista petatur assidue: subter adiunxit, dicens: *Quoniam iustificationes tuas exquisivi*: alij honores, alij mundi gaudia, alij connubia quærunt, ego iustificationes tuas.

F

Tuus sum ego.

95 Me expectaverunt † peccatores, ut perderent me: † *Impij.*
¶ Testimonia tua intellexi. ¶ *Testimonium tuum considerabo.*

C. *Me expectaverunt*, scilicet, mali suasores blandiendo: quod agebant, ut meam animam vulnere pravitatis sauciarent. Ostendit vero per hoc, quod ait *expectaverunt*: pœnam martyrij non fuisse acceleratam & præcipitatam, ut gravior fieret pœna protracta quam subitanea: gravior est enim ista persecutio, quæ & coronam martyrij suspendit, & mortem animæ suadere non desinit. Sed intelligens iste testimonium Dei: non poterat ad vitia nefanda perduci, unde illi soli à tali periculo liberantur, qui Domini illuminatione firmantur. *Intellexi* autem exponatur, id est, operatus sum, sicut in alio Psalmo dicitur: *Beatus, qui intelligit super egenum*, id est, subvenit egeno. Ille enim qui operatur secundum testimonia, non potest ad vitia (ut diximus) nefanda perduci.

G

Intellexi, id est, operatus sum. Psal. 40.

96 Omnis consummationis vidi finem:
Latum mandatum tuum nimis.

C. *Consummatio* est enim omnium virtutum perfectio: cui consummationi Christus est finis, quem se vidisse dicit, cum eum illuminatâ mente credidit esse venturum. *Latum mandatum* significat charitatem, quam circa Deum habere iubemur & proximum. Nam quid latius esse dici potest, quam quod universam legem & prophetarum dicta concludit. Nam (ut Salvator docuit) in his duobus mandatis charitatis lex omnis & prophetæ pendent. H. Prævidit ergo propheta in spiritu, Christum omnia consummasse, quæ scripta sunt de eo in lege, prophetis & psalmis: propter quod in cruce dixit: *Consummatum est.*

Consummatio. Latum mandatum Charitas.

Matt. 22.

H

Ioan. 19.

Argumentum sequentium octo versuum.

C. B. *Populus beatus, prophetarum atque Evangelij meditatione proficiens: super docentes se ac seniores asserit se divina intellexisse mandata. B. Quod erga* mem *interpretatur* ex quo: *significat ex quo, hoc*

est

A *est quod dicitur. Quomodo dilexi legem tuam Domine? id est, ex quo affectu dulcedinis & amoris, ut significet ex intimo. Quod vero dicitur* ex ipsis : *significat ex ipsis Domini mandatis eorumdem concipiendum amorem : unde dicit*, à mandatis tuis intellexi.

H. B. Mem, ex quo vel ex ipsis.

97 † QVomodo dilexi legem tuam !! Domine :· ? † *Quam.*
Tota die ¶ meditatio mea !! est :· ¶ *Hæc meditatio mea.*

B C. Dicendo *quomodo*, promittit se dicturum quemadmodum legem Dei præcipuâ intentione & voluntate dilexerit. *Tota die* : continuum tempus significat, meditatur enim toto vitæ tempore legem Dei, qui omnia quæ facit, in laudem Dei agit. Si quis enim cum timore Dei cibos temperanter accipit, si somnos convenienter carpit, legem Dei meditatur in omnibus: quoniam se honestâ & probabili actione commendat.

Tota die meditatio mea est.

98 Super inimicos meos † prudentem me fecisti mandato tuo : † *Instruis me.*
Quia in æternum ¶ mihi est. ¶ *Hoc est mihi.*

C. *Inimici* intelligendi sunt obstinati Iudæi, hæretici & pagani, qui præcepta Dei non operantur. Supra istos *prudentem* se dicit effectum, quoniam iussa Dei devotus implevit. Sed unde factus prudens fuerit, addidit : *tuo mandato*. Quoniam dum illi obedivit fideliter, cunctos errantes transcendit. Adiecit, *quia in æternum mihi est* scilicet mandatum tuum, scilicet dilectio Dei & proximi.

Super inimicos.

C

99 Super omnes docentes me † intellexi : † *Eruditus sum.*
Quia testimonia tua meditatio mea !! est :· .

C. Intendamus hic superiorem versum, ubi non dixit, supra patres, sed *super inimicos* : hic autem arguit magistros scilicet pharisæos : quia ad literam se tenentes, spiritalem intelligentiam negligebant. Supra tales igitur omnes doctores, merito cohors sancta se melius intellexisse dicit : quia sinceram Dei doctrinam accepit, sed & cur melius intellexerit, causam dicit, *quia testimonia tua meditatio mea est.*

Super docentes me.

100 Super senes intellexi ?
Quia mandata tua ¶ quæsivi. ¶ *Servavi.*

Super senex intellexi. Senes dicit hic, non canos mente, sed corpore. Vult igitur dicere, melius intellexit populus novus (qui fœliciter Christum suscepit) quam senior ille Iudaicus, qui cum contemnendum iudicavit. Quare intellexit super seniores addidit, videlicet. *Quia mandata tua exquisivi* : non hominum perversorum mandata servavi.

Super senes.

D

101 Ab omni † via mala prohibui pedes meos : † *Semita.*
Vt ¶ custodiam verba tua. ¶ *Custodirem.*

C. *Ab omni via mala* : significat hæreticorum pravas suasiones, quibus illi blandiuntur : vel omnium malorum prava opera. *Pedes* autem *meos* : significat assensum mentis, qui nos quodam vestigio ducit ad culpam, nisi pietas Dei nos abstraxerit. *Vt verba tua custodiam* : aliter enim verba Dei custodire non poterat, nisi cum illa pestifera suasio probatur expulsa.

E

102 A Iudiciis tuis non † declinavi : † *Recessi.*
Quia tu ¶ legem posuisti mihi : ¶ *Illuminasti me.*

C. *A Iudiciis tuis* dicit, id est, ab illo quod tua voluntas constituit (quæ vivendi regulam dedit) ab eo utique *non declinavi. Quia tu legem posuisti mihi* : hoc est Evangelium, quod totius plenitudinis donavit effectum : non ergo lex vetus (quæ officium pædagogi habet) hic accipitur.

Legem posuisti, id est, Evangelium.

F

103 Quam † dulcia faucibus meis eloquia tua ? † *Dulce gutturi meo.*
Super mel ori meo.

C. *Quam dulcia*, id est, plus omnibus dulcia & maximè dulcia. *Super mel.* H. Quia transito melle (vel alio cibo) per palatum : nullum habet ultra saporem, eloquia vero Dei, sive in ore, sive in faucibus, vel in arcano abditi pectoris) semper dulcia sunt meditantibus ea. C. Cum enim omnis gustus corporalis sit in palato & faucibus tantum, eloquia tamen Domini deglutita in cordis dulcescunt faucibus.

Super mel.

104 ¶ A mandatis tuis intellexi : ¶ *Præcepta tua considerabam.*
Propterea odivi omnem † viam iniquitatis. † *Semitam mendacij.*

C. Legem enim Dei edoctus, *intellexit* scriptum illud, *fili noli ambulare cum impiis.* Item audierat, *perdidisti omnes qui fornicantur abs te*, talia quippe in mandatis Dei dum audisset, viam iniquitatis intellexit omnimodis execrandam, quæ iusto Domino placere non poterat.

G *Prov. 1. Psal. 72.*

Argumentum sequentium octo versuum.

C. B. *Cohors beata, pedibus suis domini verbi lumen radiare congaudens, B. Expetit tribulationes Domini perpetuas, ob quas hac litera* sempiterni *nomen accepit. Porro quod* piscis *interpretatur : ostendit eum qui in fluctibus sæculi lumen verbi requirit.*

H. B. Non, sempiternum vel piscis.

105 LVcerna ¶ pedibus meis verbum tuum : ¶ *Pedi meo.*
Et † lumen semitis meis. † *Lux semita mea.*

H

C. Testatur beata cohors, *pedibus suis* verbum Dei, (id est, scripturas sanctas) lucere, ne absentiâ veri luminis incidat in ruinam : quam per suam providentiam vitare non poterat. *Et lumen semitis meis.* H. Vt hoc lumine præeunte, dum semitas vitæ istius gradimur, ad illam quæ vera via est perducamur. Lucerna ergo, scriptura sancta dicitur Prophetarum : & Evangeliorum, lumen, vel utrumque lumen & lucerna.

Lucerna.

106 Iuravi & ¶ statui :
Custodire iudicia iustitiæ tuæ. ¶ *Perseverabo, ut custodiam.*

A Iurari.

C. *Iurare* est, enim, iure orare, id est, æquitatem dicere: ne velit quispiam quod promisit, in partem alteram declinare. Iurare igitur hic non significat sacramentum præstare (in quo invocando divinitatem veritatis testem adducimus) sed iurare est firmiter in animo constituere bonum propositum implere. *Iudicia* vero *Iustitiæ* sont: cum exaltat humiles, deiicit superbos.

107 † Humiliatus sum usquequaque: † *Afflictus sum usque nimis.*
Domine vivifica me secundum verbum tuum.

B Matt. 11.

C. Dum se dicunt membra Christi *usquequaque humiliata*: ostendunt multarum persecutionum se sustinuisse pericula, & ex humilitate sua secundum promissiones dei vivificari se petunt. Verbum enim illud dici potest, *venite ad me omnes qui laboratis, &c.*

108 Voluntaria oris mei † beneplacita fac Domine:
Et Iudicia tua doce me. † *Complaceant tibi Domine, secundum iudicia, &c.*

C. *Oris* autem *voluntaria sacrificia* seu *beneplacita* sunt: devotionem laudis offerre, non alicuius mundanæ utilitatis, sed propriæ voluntatis intuitu. Illa ergo petit ut reddantur accepta Deo: quatenus hac oblatione placatus, Iudicia sua eum doceat, quæ fidelibus mentibus dignatur aperire.

109 Anima mea in † manibus meis semper: *Manu mea.*
Et legem tuam non sum oblitus.

Anima mea in manibus meis semper.

C

H. *Anima mea in manibus meis*: hoc est, quia animam meam in bonis operibus (secundum quod lex tua iubet) paratam semper habeo: vel quia paratus sum martyrium propter te sustinere. C. Hoc ubique semper præcipitur, hoc spiritaliter commonemur, ut sic redeamus ad legem: ne discedamus à lege. Per *manus* itaque, vel operationes, vel potestas intelligitur, vel promptitudo ad martyrium & passionem.

110 Posuerunt ¶ peccatores laqueum mihi: ¶ *Impij.*
Et † de mandatis tuis non erravi. † *A præceptis tuis.*

Laquei.

H. Quid sunt isti laquei: nisi tendiculæ diaboli vel suggestiones eius? C. In hac enim sylvâ mundi, tot laqueos invenis, quot vitia contueris. Sequitur remedium, quod cognoscitur contra venena pugnare scilicet *quia à mandatis* Dei *minimè declinavi.* Ab illis enim qui non declinat, nullâ deceptione non capitur: quia iuxta ipsa mandata, non in ipsis insidiæ sunt. H. Laqueus enim iuxta viam, non in via ponitur: & si egressus de via fueris mandatorum, cades in laqueum.

D

111 ¶ Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum: *Hæreditas mea testimonia tua.*
Quia † exultatio cordis mei sunt. † *Gaudium.*

C. Ista *hæreditas* lucrativa æterna possessio est. *Testimonia*, sanctissima præcepta sont. Merito exultationem sui cordis esse dicebat hæreditatem regni cœlestis: ipse enim meretur ad eam pervenire, qui probatur de tali acquisitione gaudere. H. Testimonia enim & præcepta tua, hæc sunt hæreditas iusti, hic & in futurum in æternum.

E

112 Inclinavi cor meum ¶ ad faciendas iustificationes tuas in æternum.
Propter retributionem. ¶ *Vt facerem iustitias tuas, propter æternam retributionem.*

H. *Inclinavi cor meum* scilicet ad humilitatem. Inclinavi enim, id est, humiliavi cor meum, ut te intelligere meruissem: quia superbi non inclinant cor suum in humilitatem. Et addit ad quid inclinaverit scilicet *ad faciendas iustificationes*: hoc est tua mandata, quæ ego propter retributionem vitæ æternæ facere propriâ voluntate decrevi.

Argumentum sequentium octo versuum.

F

C. B. Catholicum examen iniquos odio sibi fuisse dicit legem vero Domini se dilexisse: petitque ille sanctus populus, ut ab eo susceptus, mala sæculi evadat. B. Nomen que litera exponit, cum dicit, adiuva me & saluus ero.

H. B. Samech, adiutorium.

113 † INiquos odio habui: † *Tumultuosos odivi.*
Et legem tuam dilexi.

H. *Iniquos odio habui*: non naturam (quâ homines erant) sed vitia & peccata, quibus legi Dei contrarij fuerant: quam ego diligo sicut tu præcepisti, ut opere impleam. Iniquos odio habui.

114 ¶ Adiutor & susceptor meus es tu:
Et in verbum tuum supersperavi. ¶ *Protectio mea & scutum meum tu es: verbum tuum expectavi.* G

H. *Adiutor*, in præsenti: *susceptor*, in sæculo futuro. C. Adiutor: pertinet ad implenda mandata, quoniam sine eius adiutorio, nec inchoare quicquam boni possumus, nec implere valemus. Vel susceptor: quando nostram naturam assumpsit. *Et in verbum tuum speravi.* H. Hoc est in Christum. C. Qui est præsidium summum.

115 † Declinate à me maligni. † *Recedite.*
Et scrutabor mandata Dei mei.

H. *Declinate à me maligni*: hi sunt dæmones vitiaque & peccata, quando enim ipsi tibi tendiculas præparant, & suggestiones pessimas: non potes scrutari mandata Dei tui. C. Nec ad ea scrutanda idonei inveniri possumus: nisi in eis totis animæ viribus occupemur. H. Vnde si volueris tu quoque perfectam agere pœnitentiam: segrega te à consortio omnium malorum, & in alium locum fuge. H

116 ¶ Suscipe me ¶ *Confirma.* secundum † eloquium tuum & vivam: † *Verbum.*
Et ¶ non confundas me ab expectatione meâ. ¶ *Noli me confundere.*

C. Petit se sancta cohors effugatis perfidis à Domino *suscipi*, ut possit eius promissione saluari. Cum dicit *vivam*: futurum tempus ostendit. Hic enim verè non vivitur, ubi fragilitate carnis peccatur. *Expe-* Vivam. Expectatione meâ.

ctatio

A ctatio quoque ſanctorum eſt, cœlorum regna & Angelorum conſortia, promereri, & (quod ſupra totum eſt) ipſum iugiter videre, qui in beatorum ſolet ſemper corde dulceſcere.

117 Adiuva me & ſalvus ero:
Et † meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper. † *Delectabor in præceptis tuis iugiter.*

H. Auxilium rogat in anima propheta ſibi venire de Christo. Addit *& meditabor in iuſtificationibus tuis.* C. Cauſam reddit obſequij. Quia quandiu in hoc ſæculo ſumus, & à peccatis liberi eſſe non poſſumus: decet nos in iſta ſemper iuſtificatione (quæ fit in confeſſione peccatorum) proſternere, & eius voluntatem meditari.

118 ¶ Sprevisti omnes diſcedentes à iudiciis tuis: ¶ *Abiecisti omnes qui averſantur præcepta tua.*
B Quia † iniuſta cogitatio eorum. † *Mendax.*

C. Meritò ergo ſpernuntur à Domino, qui ab eius iuſtificatione (quæ fit in confeſſione peccatorum) diſcedunt, eorum quippe cogitatio iniuſta eſt, vt velle peccare, & iuſtiſſimo iudici ſatisfacere nolle. Merito igitur ſuperbi ſpernuntur à Domino, qui remedio pœnitentiæ ſanari deſpiciunt & iuſtificari.

119 ¶ Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ: ¶ *Quaſi ſcoriam computaſti omnes impios terræ.*
Ideo dilexi teſtimonia tua.

H. *Prævaricantes* fuerunt omnes, qui ante adventum Christi erant: qui ſub debito tenentur prævaricationis Adæ primi hominis, & omnes ad infernum deC ſcendebant. *Ideo dilexi:* ne in his prævaricator appaream.

120 † Confige timore tuo carnes meas:
A iudiciis enim tuis timui. † *Horripilavit à timore tuo caro mea, & iudicia tua timui.*

C. Precatur ergo ſanctus Apoſtolus, *configi ſe timore* Domini, vt moriendo vivat, qui prius vivendo moriebatur. Fœlix qui clavo iſto configitur, qui tali vul-
Philip. 1. nere ſauciatur, ipſo clavo confixus erat, qui dicebat: *Mihi vivere Christus eſt, & mori lucrum.* H. Timore
D itaque iudicij, carnem Deus configit illius, qui omnes concupiſcentias carnis crucifigens, cum Christo commori & conſepeliri cupit, vt ſecum reſurgere & con-
Rom. 6. vivere æternaliter poſſit.

Argumentum ſequentium octo verſuum.

C. B. Membra Domini in æternum viventia petunt ſacra Incarnationis adventum. B. Ille enim ſcilicet Christus, eſt fons *vivus qui quæritur: iſte* oculus *mundus qui quærit.*

H. B. Ain: fons ſive oculus.

121 FEci iudicium & iuſtitiam:
¶ Non tradas me calumniantibus me. ¶ *Ne derelinquas me his qui calumniantur me.*

C. *Feci* enim *iudicium*, quiſquis iudicat contra ſe, & pravitates ſuas ante examen Domini iuſtà execratione condemnat. Sed ne hoc iudicium adulatorium magis quàm verum putares: addidit, *Et iuſtitiam*, quoniam per illam nos iudicamus, quando delictorum noſtrorum vindices ſumus. *Ne tradas me*, petit populus ſanctus, ne tradatur *perſequentibus*, id eſt, diabolo & eius miniſtris: quibus ideo iraſcebantur immundi ſpiritus, quia videbant ſuaſiones ſuas & immiſſiones damnari.

121 † Suſcipe ſervum tuum in bonum:
† *Sponde pro ſervo tuo.*
¶ Non calumnientur me ſuperbi. ¶ *Ne.*

C. Domini enim miſericordia ſuſcipimur: quando peccatorum noſtrorum compunctione percutimur. *Servus* enim à ſervando dicitur: quod eum captum, Domini ſui manus miſerata, ab imminenti interitu ſervaverit. Et iſte, à periculo animæ Christi miſeratione liberatus, eius ſe ſervum dicit. *Ne calumnientur*, ſcilicet immundi ſpiritus, qui nobis improbè adverſantur & nos calumniantur: quia & cum ipſi nos decipiant, tamen & cum hoc nos ſemper accuſant.

123 Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum:
Et in eloquium iuſtitiæ tuæ.

C. Cordis enim *oculos* dicit *defeciſſe*, propter adventum Christi, quem tanto deſiderio expectabat: vt nullam requiem habere potuiſſet expectando. Salutare Christus eſt. *Et in eloquium iuſtitiæ*, id eſt, evangelica verba, quæ dicturus erat populo credituro.

124 Fac cum ſervo tuo ſecundum miſericordiam tuam:
Et † iuſtificationes tuas doce me.
† *Præcepta.*

C. *Miſericordiam* ſupra ſe fieri petit: quia iuſtum eſt, vt iugiter rogetur, qui ſi non petatur offenditur. *Servo tuo:* quia ſtatim corruit, qui alterius eſſe voluerit. Et vide, quod iuſtificationes ſe doceri poſtulavit, quas iam devotus accepit. Et per totum Pſalmum frequenter petit vno loco, quod alio ſe accepiſſe fatetur, vt Deus quod dedit conſervet, & quia petendi nunquam debet eſſe faſtidium. Hanc enim aſſiduitatem & oratio dominica deſignat, quæ dicit: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*

125 Servus tuus ſum ego:
¶ Da mihi intellectum, vt ſciam teſtimonia tua. ¶ *Inſtrue me & cognoſcam.*

C. *Servus tuus ſum, da mihi:* qui ſolitus es donare, quæ iuſtè ac fiducialiter peteris. *Vt ſciam*, id eſt, vt accepta retineam. Scire enim illud eſt, quod in noſtram notitiam veniens nullâ oblivione deletur. Et quamvis omnia expedientia continuis precibus ſint à Domino poſtulanda, maximè tamen divinarum ſcripturarum intellectus iugiter petendus eſt: qui quanto plus percipitur, tanto ſuavior invenitur.

126 Tempus ¶ faciendi Domine: ¶ *Eſt vt facias.*
† Diſſipaverunt legem tuam. † *Prævaricati ſunt.*

A. Clamat populus fidelis, *tempus faciendi*, hoc eſt, vt mundo appareas, peccata diſſolvas, ipſum diabolum proſternas. Addit cauſam faciendi, quod petivit. Quia *diſſipaverunt* Iudæi *legem*, quam ille eis inviolabiliter

A Dissipare legem. labiliter custodire præcepit. Dissipare enim legem, est aliter vivere quàm lex præcipit, & facere, quod lex damnat.

127 Ideo dilexi mandata tua :
Super aurum & topazion.

Topazius. H. Sicut enim aurum cunctorum pretium præcellit, ita topazius (omnium gemmarum in se habens pulchritudines) omnium vincit honores, ideo propheta super omnia hæc *mandata Dei dilexit* : quia in his adventum Domini, qui mundum redemit, nuntiatum invenit.

128 Propterea † ad omnia mandata tua dirigebar : † *In vniversu præcepta tua direxi.*
Omnem † viam iniquam odio habui.
† *Semitam mendacij.*

B C. Qui legem Dei diligebat super aurum & gemmas, necesse fuit, vt *ad omnia mandata eius directus* appareret : & congruum fuit, vt *odisset omnem iniquam viam*, qui meruit amare rectissimam. Iniqua enim via est, quæ nos ducit ad vitia : recta, quæ ad salutem trahit & virtutes, indulgentiámque tribuit & salutem.

Argumentum sequentium octo versuum.

B. Sanctus populus, asserit se aperuisse os suum, attraxisse spiritum : vt eius audiatur oratio. (C Et ideo litera vocabulum oris *accepit) in qua parvulus quisque & humi-* C *les introitum cordis aperit & spiritum divinæ charitatis & pietatis imbibit.*

H. B. Phe : os *ab* ore *non ab* osse.

129 Mirabilia testimonia tua !! Domine :· :
Ideo § scrutata est ea anima mea. § *Custodivit ea.*

Mirabilia testimonia. C. Diffinitionem testimoniorum vno verbo complexus est, dicens *mirabilia*. Mirabilia plane : quoniam per ea cœlestis virtus hominibus terrenis innotuit : & nosse dederunt parvulis, vnde Angeli beatâ delectatione complentur. Hæc semper scrutari licet & assiduâ meditatione perquiri : non illud timeri quod

Eccl. 3. dicit. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris* : altiora enim dici non possunt, quæ vt perquirerentur edicta sunt.

D 130 † Declaratio sermonum † *Hostium* tuorum § illuminat :
Et intellectum dat parvulis. § *Lucidum docens parvulos.*

Esaiæ 7. C. *Sermones* Dei sunt : quos iustorum prophetavit auctoritas, vt est. *Ecce virgo concipiet.* Et alibi, *videbit omnis caro salutare Dei*. Istos sermones declaravit illuminatione adventûs sui : quia per se ipsum manifestata sunt, quæ sacris litteris tenebantur abscondita.

Parvul'. *Parvuli* sunt, non ætate dicti, sed de simplicitate & humilitate conscientiæ.

131 Os meum aperui & † attraxi spiritum : † *Respiravi.*
Quia mandata tua desiderabam.

C. *Os* enim dicit mentis introitum : qui tunc aperitur, quando aliquid discere curamus. Attrahit spiritum, id est, virtutem faciendi, quam per se non poterat adipisci. Attrahitur enim spiritus, quando mens salutari desiderij completur affectu, & incipit firmâ mente velle quod ante appetivit. *Quia mandata tua* : ardorem siquidem mandatorum habuisse se innuit, ideo enim aperuit os, quia desiderabat mandata. E Attrax. spiritum.

132 § Aspice in me & miserere mei : § *Respice ad me.*
Secundum iudicium diligentium nomen tuum.

C. Frequenter Dominus aspicit iratus, vt perdat : sicut Sodomam. Aspicit etiam propitius : vt in muneribus fecit Abel. Et ideo ne in partem susciperetur adversam : adjunxit, & *miserere mei*. *Iudicium* quippe Dei est : vt nomen suum diligentibus, largiatur auxilium misericordiæ. Sic, & secundum illud iudicium, sibi petit misereri. F

133 Gressus meos † dirige secundum eloquium tuum : *Firma in sermone tuo.*
Et non § dominetur mei omnis iniustitia. § *Des potestatem in me universa iniquitati.*

C. *Gressus* significant motus animæ : nam sicut per gressus corporis de loco ad locum transferimur, *ita & in illis*, quibusdam passibus, sive ad meliora, sive ad peiora progredimur. *Secundum eloquium* : petit se sancta cohors dirigi. (id est, secundum iussa & præcepta) quibus observatis fit, vt nulla illi *iniustitia dominari* potuisset. Et vide quam cautè petat : non enim petit, vt à nulla iniquitate pulsetur, quia hoc communi lege hic fieri non potest : fieri vero potest, vt non dominetur, non solum aliqua, sed omnis iniquitas. G

134 Redime me à † calumniis hominum : † *Calumnia.*
Et custodiam mandata tua.

C. *Calumnia* : sunt hominum contra honorem veritatis controversiæ, vel iurgia requisita : quas merito cohors sancta præcabatur à se auferri, vt amotis adversitatibus mandata Dei posset indagare. Est enim calumnia commentum aliquod periculosæ falsitatis obiectum : quod bonis semper hominibus studio perversitatis obiicitur, vt rectâ conscientiâ actum ab eis, decolorare conantes, criminari valeant. Vel breuius. H. A. Calumnia est falsa criminis obiectio. Calumniæ hominum.

135 § Faciem tuam illumina super servum tuum : § *Vultum tuum ostende servo tuo.* H
Et doce me † iustificationes tuas.
† *Præcepta tua.*

C. Desiderat sancta cohors salvatoris adventum, cuius facile illuminata sunt tenebrosa peccata, & qui vitam confert mortuis & certissima remedia desperatis. Vel ita illumina, vt illuminatam faciem tuam, non velatam conspicere possim. Legem enim Moyse ferente, in faciem eius Iudæi conspicere non poterant : quia velatis legem cordibus audiebant. Vultus enim Moysi fulgor erat legis : quem quia Iudæi conspicere non valebant, velabat vultum, & ita respicere valuerunt. Illud velum cordis hic auferri petit, vt claram legis veritatem agnoscere possit. Faciem tuam illumina. Exo. 34.

136 § Exitus § *Rivi* aquarum † deduxerunt oculi mei : † *Fluebant de oculis meis.*
Quia non custodierunt legem tuam.

C. Exitus

A C. *Exitus aquarum* : ſignificat lachrymas copioſas: quas tunc profundimus, quando peccatorum noſtrorum recordatione mordemur. Nam ſi mandata Domini cuſtodiremus, lætitiam vtique haberemus, non ardorem plorationis. Et vide, quia per oculos dicit ſatisfactionem veniſſe: per quos frequenter illecebras huius ſæculi attrahimus: vt meritò per illos culpa mundetur, per quos & exceſſus admittitur.

Argumentum ſequentium octo verſuum.

C. B. Cohors ſanctorum, carnis ſuæ triumphatrix, ſecundum huius literæ nomen iuſtitiam *Domini confitetur: & eloquia eius ignita, continuâ ſe dicit dilectione venerari.*

B

H.C.Tſade: iuſtitia.

137 IVſtus es Domine:
Et rectum iudicium tuum.

C. *Iuſtus es Domine*: qui iubes peccatores ſe affligere, vt eos debeat tua medicina ſalvare: iuſtum eſt enim, vt delinquens per ſatisfactionem corrigatur, vt iuſtitia Dei humili confeſſione declaretur: ſuis enim meritis putaretur datum ſi peccator iugiter floreret illæſus.

138 Maodaſti iuſtitiam † teſtimonia tua:
† *Teſtimonÿ tui.*
Et veritatem tuam nimis.

C — Teſtimonia, ſub teſtificatione prolata.

C. *Mandaſti*, id eſt, præcepiſti, ſcilicet obſervari *nimis*, id eſt, valde. Teſtimonia vero ſunt, quæ ſub teſtificatione ſunt prolata, id eſt, præcepta, hæc continent iuſtitiam & veritatem: iuſtitiam quoniam æqualiter omnia diſcernunt: veritatem, quia promiſſa retribuunt. H. Vel omnia quæ mandante te patimur, iuſta, recta ac vera ſunt: quia aut pro peccatis noſtris ingruunt, aut ut probati manifeſtemur eveniunt. A. Vel dicit teſtimonia, Dei eſſe iuſtitiam & veritatem: iuſtum enim ſe probat mandando, & verum; & ideo vult cuſtodiri nimis.

139 † Tabeſcere me fecit zelus meus:
† *Conſumpſit me.*
Quia obliti ſunt verba tua † inimici
mei. ſ *Hoſtes.*

Tabes. D

C. *Tabes* eſt alicuius morbi contracta neceſſitas: quæ nos facit paulatim defluere, dum corporis ſoliditatem conſumit: quod ſibi accidiſſe teſtatur, cum non patiebatur perfidorum laceratione violari legem Domini. Et hîc zelus eſt bonus. Quandoque etiam in malo ponitur, vt ibi. *Zelus & invidia comedit domum Iacob.*

Zelus duplex.

140 † Ignitum eloquium tuum vehementer: † *Probatus ſermo tuus.*
Et ſervus tuus dilexit illud.

Ignitum eloquiũ.

C. *Ignitum* eſt *eloquium* Domini: qui purgat mortalium corda, mundanâ fece ſordentia. Et vt hoc non ad mortem crederes, ſed ad ſalutem, addidit. *Et ſervus tuus dilexit illud*: vtique diligebat, quod vitam conferre noverat & honorem, non quod mortem afferret. H. Et ſicut eloquium præceptorum peccata conſumit: ita peccantem, ſi convertatur, illuminat.

141 ſ Adoleſcentulus ſ *Parvulus.* ſum ego & † contemptus: *Contemptibilis.*
† Iuſtificationes tuas non ſum oblitus.
† *Sed præcepta tua.*

H. Iſte verſiculus ad populum Chriſtianum referendus eſt: quia prius *contemptus*, & de domo patris eiectus, recolens iuſtificationes Dei, primogenita prioris accipiens, prior effectus eſt.

142 Iuſtitia tua † iuſtitia in æternum:
† *Sempiterna.*
Et lex tua veritas.

C. Hic verſus, iuſtitiam Domini & legem, ab hominum iuſtitiâ & lege diſcernit. Hominum enim iuſtitia (quantacumque ſit,) temporalis eſt. Iuſtitia autem Dei in æternum manet: quia quiſquis eam cuſtodierit æterna felicitate gaudebit. Ita & de lege ſentiendum, quicumque eam intelligere meruerit, cœleſti veritate completur: veritas enim legis Chriſtus eſt.

143 Tribulatio & anguſtia invenerunt me:
Maodata tua ſ meditatio mea // eſt ∴
† *Voluntas mea.*

C. *Tribulatio & anguſtia*: ſanctis viris magna ſunt munera, quia norunt ſe pondere talium compreſſos exudare peccata, & tendere ad gaudia æterna. *Invenerunt me*: quaſi expectantem, quaſi fixum & ad eorum certamina præparatum. Subiungit vero illud adjutorium, vnde ſe noverat in diverſis paſſionibus curatum, dicens. *Mandata tua*, &c. quoniam ſemper in divinis ſcripturis erat animus occupatus.

144 † Æquitas teſtimonia † *Iuſta teſtimonia* tua ſ in æternum:
Intellectum da mihi & vivam.
ſ *Semper doce me & vivam.*

H. *Æquitas teſtimonia* Dei ſunt: quia æqua omnia diſcernunt, propterea vivificari ſe poſtulat, vt pro eorum intelligentiâ vitam poſſit capere ſempiternam. C. Breviter itaque definivit teſtimonia Dei, eſſe æquitatem in æternum contra tribulationes & anguſtias (quæ temporalia eſſe noſcuntur) vt tali ſpe temporales anguſtiæ contemnerentur.

Argumentum ſequentium octo verſuum.

C. B. Reverendiſſimus chorus (iuxta huius literæ nomen,) in toto corde ſuo clamat ad Dominum, iuſtificationes eius ſedulus exquirens.

H. B. Coph, vocatio.

145 CLamavi in toto corde // meo ∴
exaudi me Domine:
† Iuſtificationes tuas requiram.
† *Præcepta tua cuſtodiam.*

H. Hunc clamorem non corporeæ vocis, ſed ſpiritalis mentis intellige. C. Eſt enim iſte clamor devotæ mentis affectus, qui magnâ cordis intentione profertur. Cogitationes enim illas exaudivit altiſſimus, quæ piâ intentione volvuntur. *In toto corde* dicitur: ne putares aliud cogitandum, quando clamatur ad Dominum. In ſolâ enim religioſa cogitatione debet totus ſpiritus occupari: ne mẽs diviſa nequeat quod poſtulat

A impetrare. Et intende qnid clamat non divitias, honores, voluptates, *sed iustificationes tuas requiram:* non lectione tantum sed opere.

146 § Clamavi ad te salvnm me fac :
§ *Invocavi te.*
Et custodiam † mandata tua. † *Testimonia tua.*

C. *Clamavi ad te :* ad illum enim clamat, qui petitionem suam digne toto cordis affectu effudit. Cum dicit, *salvum me fac :* in anima vult intelligi, non in corpore, non enim corporis salutem petere poterat, qui libenter corporeis passionibus subiacebat.

147 § Præveni in matutitate & clamavi.
B Qnia in verba tua supersperavi.
§ *Surgebam adhuc in tenebris, & clamabam verbum tuum expectans.*

C. *Prævenit in maturitate :* quisquis in annis puerilibus anticipat modestiam senectutis, & ante facit gravissimam mentem, quam possit annorum numerositate canescere. *Quia in verba tua,* (id est, in filium) *sperare non destiti.* A. Vel in verba prophetarum & Dei, potentis facere quod promisit : promisit enim in verbis suis redemptorem missurum.

148 † Prævenerunt ocnli mei ad te dilnculo : † *Præveniebant oculi mei vigilias.*
Vt meditarer § eloquia tua. § *In sermonibus tuis.*

C. *Prævenerunt oculi mei :* significat oculos cordis ante credidisse venturo in carne Domino, quam eius
C irradiaret adventus. Christus enim est dies, eiusque adventus & incarnatio diluculum est : *diluculum* enim initium diei significat. *Vt meditarer :* causam reddit cur ante diluculum mens eius resurrexerit, non ut agrum coleret, sed ut Dei meditaretur eloquia.

149 Vocem meam † audi secundum misericordiam tuam Domine : † *Exaudi.*
Secundum iudicium tuum vivifica me.

C. Petit suam *vocem* exaudiri *secundum illam misericordiam*, quæ ex miseris beatos fecit, ex captivis
Vivifica me. liberos, ex mortuis vivos. Quod autem addidit *vivifica me :* confitetur se mortuum esse lege peccati. Vivificari enim non potest : nisi qui in se propriam non habet vitam. Quod verò dicit *secundum iudicium*, in-
D telligę illud, quò supplicantibus parcit, & se damnantes absolvit.

150 Appropinquaverunt § persequentes me iniquitate : § *Persecutores mei sceleris.*
A lege antem tuâ longè facti sunt.

A C. *Appropinquant* enim *persequentes :* quando post omnia iique ad lacerationes carnis videntur accedere H. *Iniquitate* autem appropinquant, id est, cum iniquitate (hoc est iniquè.) Quoniam patiebantur martyres mala pro nobis. *A lege autem*, isti scilicet persecutores, *longè, &c.* quia. H. A.C. quantò ad sanctorum pœnas appropinquabant : tanto à lege Domini recedebant. Si vero textus alicuius habeat *iniquitati* vel *iniquè*, idem sensus redit : qui enim iustos persequitur, propinquat iniquitati & iniquè agit.

E
151 Prope es tu Domine :
Et † omnes viæ tuæ veritas. † *Omnia mandata tua.*

Prope es tu Domine. C. Dum dicit, *prope tu es Domine :* confitetur eum ubique præsentem, & eum nosse si perversa gerimus, nec declinare eum posse cum fugimus. Vna est ergo salus, ad ipsum festinare : quem non possis effugere. *Et omnes viæ tuæ*, &c. Iudæus hoc non potest loqui, qui noluit credere veritati : potest verò dicere, qui Christo credit & mandata eius custodit. A. Etiam in
Hest. 14. Dan. 3. & 9. tormentis, quod illa non immeritò patiatur, sed verum sit, Dei in hoc iudicium. Sic Hester, sic Daniel, sic tres in camino, sic omnes sancti confitentur.

152 § Initio cognovi de testimoniis tuis :
§ *A principio novi, &c.*
† Quia † *Quod*, in æternum § fundasti ea. § *Fundaveris.*
F

Gen. 4. C. *Initio* (significat à rudimentis seculi, quando à iusto Abel nomen cepit esse sanctorum : qui innocens à nefario fratre, in exemplum salvatoris, occisus est) dicit Ecclesia, *cognovi de testimoniis.* A. Scilicet quibus testatus es te daturum redemptorem & regnum
Ephe. 2. æternum. *Quia in æternum fundata sunt :* A. C. Quippe quæ ad fundamentum Christum pertinebant. Ipse enim fundamentum est, in quo omnia dicta & scripta legis & prophetarum & Evangelij fundata sunt. C. Vnde evidenter cognoscitur, ab antiquis mente conspectum Christum.

Argumentum sequentium octo versuum.

C. B. Populus, vitiorum victor, se petit vivificari, quoniam mandata Domini summo
G
studio exquisivi : principium quoque verborum Domini testatur esse veritatem, & hoc est caput, *quod præsens litera ostendit.*

H. B. Rese, caput.

153 VIde † humilitatem meam & eripe me : † *Afflictionem.*
Quia legem tuam non sum oblitus.

A. *Vide humilitatem meam & eripe me :* Quamvis ista vox videatur martyrum : tamen nemo eam à se putet alienam, qui in Christi corpore est constitutus. *Et eripe me.* C. Scilicet de necessitate pœnarum, & de periculo mortis (de quibus beati martyres se liberari pe-
H
Matt. 23. tunt) vel de periculo peccatorum. *Quia legem tuam.* H. A. C. Scilicet quâ dixisti. *Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.*

154 Iudica § iudicium meum & redime me :
§ *Causam meam.*
† Propter eloqnium tuum vivifica me.
† *In sermone tuo.*

A. C. Petit chorus sanctorum, *iudicium suum* (id est, causam quâ se tribulant & persequuntur iniustè, dæ-
Ioan. 11. mones, à Domino iudicari : & se ab ipsis *redimi.* Addidit *propter eloquium tuum.* C. Illud, scilicet ubi promittit, qui credit in me non morietur.

155 Longè à § peccatoribus salus. § *Impiis.*
Quia † iustificationes tuas non exquisierunt. † *Præcepta tua non quæsierunt.*

H.C.Meritò

A H. C. Meritò ergo à salute facti sunt *longè* Iudæi: qui respuerunt salutis autorem, & iustificationes legis non intelligebant: quia Christum in eis non agnoverunt. A. Vel etiam à quibuslibet peccatoribus, legem Dei spernentibus, longè est salus.

156 Misericordiæ tuæ multæ Domine:
Secundum § iudicium tuum vivifica me. § *Iudicia tua.*

C. *Miserationes* Domini sunt: per quas afflictis & sanciis diversis modis subvenire dignatur. *Secundum iudicium tuum vivifica me.* H. Ne inveniatur in me, quod iudicium mortis assumat. C. Quia nec sine iudicio miseretur, nec sine misericordia iudicat: ideo quando miseretur iudicat, & quando iudicat miseretur.

157 Multi qui persequuntur me & † tribulant me: † *Affligunt.*
B A testimoniis tuis non declinavi.

C. Narrat enim iniurias sive persecutiones, unde numerus electorum crescit: verum inter omnia nullatenus se à testimoniis Dei declinasse dignatus est.

158 Vidi § prævaricantes & tabescebam: § *Prævaricatores tuos & mærebam.*
Quia † eloquia tua non custodierunt. † *Verbum tuum.*

C. Vidi aliquos in persequutionibus, fidem quam tenuerunt, abnegantes: quod cohors sancta aspiciens affligebatur, dolens se socios fidei perdidisse: sed unde tabescebat ostendit, quia prævaricator nequaquam eloquia evangelica custodivit scilicet *qui perseveraverit usque in finem salvus erit.* (Matt. 10.) H. Vel Iudæi prævaricatores sunt, (Exo. 24.) qui dixerunt ad Moysen: omnia quæcunque dixerit Dominus faciemus: & non fecerunt. Et nos, in baptismo diabolo & operibus eius renuntiantes, & renuntiata facientes: prævaricantes sumus, de quo sancti vehementer dolent.

C 159 Vide quoniam mandata tua dilexi Domine:
§ In misericordiâ tuâ vivifica me. † *Iuxta misericordiam tuam.*

(Hilaritas animi in cruciatu carnis.) C. Bene dicit *dilexi mandata* scilicet martyrij pœnas, usque ad mortem perferendo: Dominus enim animorum qualitates gratiùs respicit quàm cruciatum carnis, oportet ergo hilarem martyrem esse. Merito ergo vivificandum se petebat in beata vita à Domino, qui vitam eius sæculi pro verâ religione contempserat.

160 † Principium verborum tuorum veritas: † *Caput.*
D In æternum § omnia iudicia iustitiæ tuæ. § *Omne iudicium.*

C. Illud *principium* mihi videtur significare initium scripturarum divinarum scilicet. *In principio creavit Deus cælum & terram.* Illud enim principium verborum Dei: probatur esse perfectio totius veritatis. Et sicut in principio vera est scriptura, ita in fine. Veritas enim (quæ à principio vera loquitur) etiam verba sua usque ad finem vera ostendit dicens, *cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* (Mat. 24.) *Iudicia* vero *iustitia* ipsius erunt sine dubitatione perpetua: Quando eius sententiam, nec tempus aliquod mutabit, nec res ulla subvertet. Iudicia vero illa putat, quando dicetur, *venite benedicti patris mei*, &c. & *ite maledicti in ignem æternum.* (Mat. 25.) Hæc iudicia in æternum fixa manebunt. Sic in uno versu & initia nostræ fidei, & adhuc ventura conclusit, omnia in veritate complenda. E A. Vel verba tua à veritate tua æterna procedunt: & ita eorum principium est veritas. Et quoniam ab illa veritate procedunt, veracia sunt & neminem fallunt. Et quoniam neminem fallunt, & eis pronuntiantur iudicia iustitiæ tuæ scilicet vita iusto, pœna impio: in æternum erunt ista iudicia iustitiæ tuæ vera, & manebunt in æternum, hi in vita, isti in pœna.

Argumentum sequentium octo versuum.

C. B. Sanctorum cœtus persecutiones sævientium, pro charitate Domini sibi dicit esse gratissimas. B. Dentes *autem (quos huius litteræ nomen exprimit) vel sanctorum intellige, qui Dominum laudant: vel persecutorum, de quibus dicitur*, filij hominum dentes eorum arma & sagitta. F

H. B. Sin, dentes.

161 PRincipes persecuti sunt me † gratis:
Et à verbis tuis formidavit cor meum. † *Sine causa? verba autem tua timuit cor meum.*

C. *Principes* hic persecutores debemus accipere, sic enim & diabolum principem dicimus, qui sibi primatum in sceleribus vendicavit. *Gratis*: quia sancti martyres nec eis tributa dari prohibuerunt, nec obedientiam subtraxerunt: verumetiam pro eis oraverunt. (Gratis.) Illi quoque non timentes eorum persecutionem, Dei formidabant præterire præcepta, unde subdit. *Et à verbis tuis formidavit.* H. Formidavit à verbo illo, quo ait. *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & eum coram patre meo.* (Luca 9.)

162 § Lætabor ego super eloquia tua:
§ *Gaudens ego sum in eloquia tua.*
Sicut qui invenit spolia multa.

G C. Ipse denique populus Christianus *lætatus est, tanquam qui invenit spolia multa*: quando eloquia Dei Iudæis non credentibus (ad utilitatem propriæ salutis) eripuit. Eloquia quoque sunt Dei. H. Quibus dixit. *Cum vos persequentur, & maledicent, & dicent omne malum adversum vos (mentientes) propter me: gaudete*, (Matt. 5.) & totum evangelium eloquia Dei sunt. C. Et omnes sacræ admonitiones.

163 † Iniquitatem † *Mendacium.* odio habui & § abominatus sum: § *Detestatus sum.*
Legem autem tuam dilexi.

C. Dicit se *odisse iniquitatem*, quod fas est, non hominem iniquum: atque eam, sic abominatum fuisse, ut longè redderet eam à se alienam, quatenus legem Dei perfecta voluntate diligeret.

H 164 Septies in die † laudem dixi tibi:
† *Laudavi te.*
Super § iudicia iustitiæ tuæ. § *Iudiciis.*

H. *Septies laudat Deum per diem* cuius mens perdurans in pleno splendore, ad illum septimum diem festinat, qui est sabbatum sabbatorum, id est, requies æterna. (Septies.) C. Vel ad literam, horas & vices septem, quibus Ecclesia Deum laudat, significat scilicet matutinam, tertiam, sextam, nonam, lucernariam, completoriam, & nocturnas. A. C. Vel omne tempus significat, ut est dictum alibi, *benedicam Dominum omni tempore.* (Psal. 33.) *Super iudicia*: C. Quia parcit videlicet supplicanti, & sic pius humilibus est, ut non solum culpas dimittat, sed etiam præmia æterna eis largiatur.

A

Pax multis.

165 Pax multa diligentibus legem tuam:
Et non est illis scandalum:

C. *Pax multa:* scilicet mentis: & puritas & fidei copia, cæterum tribulationibus in hoc mundo subiacet, qui legem diligit & se famulum Dei profitetur: in quibus tranquillà mente manet. A. *Et non est illis scandalum* scilicet lex Dei, id est, non scandalizantur in lege, ubi eam non intelligunt: sed potius venerantur, & se non intelligere & magnum aliquid latere ibi affirmant. Nec etiam est, diligentibus Dei legem, scandalum quicquid homines agant, id est, non scandalizantur in malis hominum operibus, ut cadant: etiam si religiosos peccare videant, ipsi non peccant.

Et non est illis scandalum.

166 † Expectabam salutare tuum Domine: † *Expectavi.*
Et mandata tua ¶ dilexi. ¶ *Feci.*

B

Expectat salutare tota Ecclesia.

A. C. *Expectabant* adventum Christi sancti patres veteris legis. *Et mandata eius dilexerunt:* id est, Deum & proximum diligebant. Expectant & insti novæ legis, salutarem Christi secundum adventum: ut secum in gloria coronentur: expectat ergo tota Ecclesia (quæ Dei mandata diligit) Iesum Dominum salutare omnium.

167 Custodivit anima mea testimonia tua:
Et dilexi ea † vehementer. † *Nimis.*

C. *Custodivit* ad tolerantiam pertinet martyrij. A. Custodiuntur enim Dei testimonia, dum non negantur: hoc est martyrum officium. C. *Dilexi* vero ad charitatem pertinet, tormentis omnibus fortiorem: quæ flammas vincit, gladios superat, & cœlesti virtute cuncta transcendit. Ideò autem *vehementer* dicit: quia perfecta dilectio non habet modum, sed totius animi nisibus explicatus: ita ut nec tempore aliquo cesset, nec animi torpore lentescat.

C

168 ¶ Servavi mandata tua & testimonia tua: ¶ *Custodivi.*
Quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

H. *Servat mandata & testimonia:* qui vias Dei recto cursu incedit, nec quicquam in actu, vel dicto, *aut* cogitatu agit, quod divinà contemplatione habeatur indignum. *Quia omnes via mea*, &c. C. Ideo se dicit servasse mandata: quia omnes vias eius dignatus est Dominus intendere, ut non suis viribus, sed divinæ potentiæ suum posse deputaret. Fuissent enim viæ eius cæcà nocte confusæ, nisi verum lumen eas dignaretur aspicere, negatur ergo ei errorem prævalere potuisse, qui se profitetur respicere auctorem luminis.

Omnes viæ meæ in cõspectu tuo.

Argumentum sequentium octo versuum.

D

C. B. Sanctorum chorus, quantum ad finem Psalmi vicinus est, tantum se Christo desiderat proximari: atque ideo adventum Domini salvatoris desiderans, petit ut ovem perditam revocare pietatis sua munere dignetur. B. Ipse est ergo nobis omnium consummatio virtutum: quia quicumque eum videre meruerit, nil ultra quærere habebit. ipsius est signum, *quo redempti canimus.* Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.

H. B. Thau: signum, vel consummatio.

E

169 † APpropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine: † *Ingrediatur laus mea coram te Domine.*
Iuxta eloquium tuum ¶ da mihi intellectum. ¶ *Doce me.*

C. Cum petit cohors sanctorum, *orationem suam* conspectui dominico *propinquare:* ostendit multum esse longè ab eodem Deo præsentiam peccatorum. Quoniam illi nulla fiunt proxima, nisi quæ fuerunt sanctitate purgata. Petit itaque, ut *secundum eloquium* Dei sapiat, ne vanitate & perversitate humanæ prudentiæ submergatur. A. Vel secundum eloquium, id est, promissum: promisit enim, *intellectum tibi dabo & instruam te.* H. *Da mihi* igitur talem *intellectum*, ut nihil aliud quam quod oportet exorem. C. Non enim intellectum mundanum petit. Psal. 31.

F

170 † Intret postulatio mea in conspectu tuo: † *Veniat deprecatio mea ante vultum tuum.*
Secundum eloquium tuum ¶ eripe me. ¶ *Libera.*

C. Gradatim ascendit sancta petitio: nam qui ante dixerat, appropinquet, nunc dicit, *intret* (prius enim fuerat ut appropinquaret, deinde ut ad conspectum Dei intrare potuisset) quatenus omnia per ipsius gratiam cognoscamus impleri, & nihil applicemus humanæ virtuti, & qui ante dixit, *secundum eloquium da intellectum*, hic dicit, *eripe me* etiam scilicet secundum affectum ut superna desiderem.

171 † Eructabunt labia mea hymnum: † *Fundabunt.*
¶ Cum docueris me iustificationes tuas. ¶ *Docebis enim me præcepta tua.* G

C. *Eructant labia hymnum:* quando spiritu Dei repleta sunt, & ad supernum intellectum disponitur sermo sensûs divini. *Cum docueris me:* promittit enim gratiam suæ devotionis cum Domini dona susceperit. H. Si enim per puram conscientiam reserata fuerint à te labia mea: tunc dignum laudationis proferunt hymnum.

172 † Pronuntiabit † *Loquetur* lingua mea ¶ eloquium tuum: ¶ *Sermonem tuum*
Quia omnia mandata tua † æquitas. † *Iusta.*

H. Nihil est enim aliud in eloquiis tuis Domine, nisi pax & æquitas, & vita. Hoc corde credam, hoc labiis loquar, hoc linguà pronuntiem. C. Nimis enim culpabile est, relictis divinis eloquiis, ad ineptas mundi fabulas & otiosa verba transire: quæ non solum non prosunt, sed & obsunt: Domino dicente, de omni verbo otioso reddent homines rationem. H Mat. 12.

173 † Fiat manus tua ut saluet me: *Sit manus tua auxilatrix mea.*
Quoniam mandata tua elegi.

C. Dum dicit, *fiat manus tua:* designat Dominum salvatorem, per quem facta sunt & reguntur universa, postulat ergo venire Dominum salvatorem. Quod autem dicit, *elegi mandata tua:* omnia se pericula propter amorem Dei postposuisse testatur.

174 ¶ Concupivi salutare tuum Domine: ¶ *Desideravi.*
Et lex tua † meditatio mea: est .:.
† *Voluntas mea.*

A A. C. *Salutare* patris Christus est, qui nos salvavit: hunc & veteres sancti concupierunt, & nunc Ecclesia concupiscit videre æternaliter in dextera patris. Ideo enim legem tuam semper meditor: Quoniam in ea video quem expecto.

175 Vivet anima mea & laudabit te:
Et iudicia tua adiuvabunt me.

C. Promittens Ecclesia animam suam in æternum vivere quam noverat salutariter credidisse, laudabo, inquit te cantico scilicet novo, quod homo ille salutariter innovatus canere debet. *Iudicia* vero illa dicit se adiuvare, quæ se in famulis suis facturum promisit scilicet *venite benedicti patris*. Tunc enim perfectè credit se adiuvandum: quando erit iustorum numerus ad dexteram collocandus.

B 176 Erravi sicut ovis ¶ quæ periit: ¶ *Perdita.*
Quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

Erravi, vox est totius Ecclesiæ.

C. Vox illa Ecclesiæ est (& omnium electorum) sicut & totus Psalmus iste. Ait enim ille homo generalis (qui in Adam erraverat, & ad caulas Dei per se redire non poterat, quoniam munus illud sapientiæ perdiderat quod habebat *erravi*: quasi à via tua discessi, & vitiorum invias solitudines cæcus intravi. *Sicut ovis*: ovis ista unica est cunctorum fidelium congregatio. Et bene dictum est, *qua perierat*: ut agnosceres illam misericordiâ Dei fuisse reparatam. Quare Christo Domino dicitur: quoniam te humana imbecillitas non potest perquirere. Additur quoque requisitionis causa: *quia mandata, &c.* quoniam iste iuste requiritur, qui mandata Dei non probatur oblitus.

Oratio ex Psal. CXVIII.

C *Palma totius beatitudinis Deus: qui fideles tuos, ut in lege tua ambulent, testimonia tua scrutentur, mandata custodiant, salubris provisor informas: concede nobis iustificationes tuas toto corde quærere, eloquia intelligere, mirabilia prædicare; ut qui hactenus, quasi perdita oves, erravimus; tuis piis humeris restituti paradiso gloriemur. Qui vivis & regnas, &c.*

Argumentum Psal. CXIX.

C. B. Cantica graduum cantica ascensionum sunt, quibus ad superna conscenditur. Propheta clamat ad Dominum, ut liberetur ab iniquis: vehementerque affligitur, quod in hac vita diutius commorans, malorum permixtione prægravatur.

TT. Canticum graduum.

Canticū graduū. D C. Novi quidem tituli & mirabiles inchoantur. *Canticum graduum*: cum gradus audivimus in Psalmis, non corporeis gressibus inspicemur subeundos: sed mentis accipiamus ascensum. Ideo enim præmissum est canticum, ut hoc potius ad animæ provectum applicare debeamus. Et gradus isti humilitatis sunt ascensus: quorum primus est relictio & confessio peccatorum. H. Nihil enim aliud in istis canticis docemur, quam ascendere in corde, in affectu bono, in fide & spe & charitate, in desiderio vitæ æternæ.

1 AD Dominum † cum tribularer clamavi: † *In tribulatione mea*
Et exandivit me.

C. Primus itaque gradus virtutum incipit, in quo propheta confessione lachrimabili petit se de mundi istius tribulatione liberari. Quipropter & auditum se dicit: quoniam *in tribulatione clamavi*. Dominus enim nescit differre, quem compuncto corde sibi senserit supplicare. Quæ verò sit tribulatio (à qua se liberari petit) subditur. *Domine libera animam meam, &c.*

2 Domine libera animam meam à ¶ labiis iniquis: ¶ *Labio mendacy.*
:: Et ∵ à lingua dolosa.

C. Petit se liberari propheta, ab iniquis suasionibus, unde humanum genus corruit. Nam cum venisset serpens ad Evam, dixit per labia iniqua, cur non manducatis de hoc ligno? Cumque illa respondisset, à Deo fuisse prohibitum, ait per linguam dolosam. Manducate & eritis sicut dij.

3 Quid detur tibi aut quid apponetur tibi:
Ad linguam dolosam?

C. Revertitur propheta ad interrogationem suam, quærit contra facinus tam immanissimum quale remedium sibi crederet esse præstandum: sed ne tardaret Christi auxilium, medicina sequitur postulata, versu sequenti.

4 Sagittæ potentis acutæ:
Cum carbonibus † desolatoriis. † *Iuniperorum.*

C. Ecce illud remedium invenit: quod labia iniqua destruat. *Sagitta potentis acuta*: verba sunt divinæ legis, quibus corda adversantium velut quibusdam iaculis transforantur. *Carbones desolatorij*: hoc est dignæ compunctionis, quæ solitudinem & devastationem & desolationem in mente facit peccatorum, & purgat livorem peccatorum. A. Vel carbones isti, sunt exemplaris vita sanctorum.

5 Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est, ¶ *Peregrinatio mea.* habitavi cum † habitantibus Cedar: † *Tabernaculis.*
Multum ¶ incola fuit anima mea. ¶ *Peregrina est.*

C. *Hei*, sermo dolentis est, quod huius mundi prolixitate fatigetur: quam quærelam sanctos habuisse non dubium est. *Incolatus* signat peregrinationem, incola est enim, qui ad tempus terram colit alienam, & à patria sua longè disiunctus est; quod de illis meritò dicitur, quorum conversatio in cœlis est. *Cedar* hebræum, interpretatur tenebræ, & significat præsentem mundum (in quo malitia regnat) & amatores ipsius, tenebrosis actibus involutos. *Multum incola fuit*: quia sanctorum mens hic incolatum patitur, ubi sub nullo gaudio habitare cognoscitur.

6 Cum his qui oderunt pacem ¶ eram pacificus:
Cum loquebar illis impugnabant me :: gratis ∵ ¶ *Ego pacifica loquebar, & illi bellantia.*

C. Ille enim odit pacem, qui non amat Christum. *Eram pacificus*, cum pacis, scilicet inimicis, illud implens evangelicum. *Diligite inimicos vestros.* Loquebatur etiam pacificus (non inimans) sed impugnabatur gratis: dum contentiones fallaces pateretur ab inflammatâ iniquitate.

A

Oratio ex Pſal. C XIX.

TRibulationum noſtrarum optime mitigator Deus, libera animas fidelium à labiis detrahentium iniquorum, ut adiutoriis ſpiritalibus præmunita, nullis impugnationibus aggraventur. Per Dominum noſtrum Ieſum &c.

Argumentum Pſal. C X X.

C. Propheta ad ſanctorum merita oculos elevans, petit eorum adiuvari precibus, ne mens eius hoſtili impugnatione ſuccumbat; indubitanter ſibi promittens, quod ſe integrè poſtulare cognoſcit.

B

TT. Canticum graduum.

Canticũ graduũ.

Canticum, ad ſcientiam pertinet: *graduum* vero, ad actionem. Ille enim bene ambulat, qui & cantat cum ſcientia & profectione graduum, id eſt, Eccleſiaſticâ operatione graditur.

1 LEvavi oculos meos in montes:
Vnde veniet auxilium mihi.

In montes.

C. Ad ſecundum gradum iuſtus iſte venit: in quo poſt humilem peccatorum confeſſionem & tribulationem, auſus eſt *levare oculos ad montes.* Oculos ſuos Propheta levaſſe ſe dicit, hoc eſt, ad contemplationem aliquam ſe oſtendit fuiſſe provectum. Spiritaliter oculos cordis, ſeu ad ſanctos viros, ſeu ad libros divinos, vel ad ſublimes Angelos credatur elevaſſe: qui magnitudine & firmitate ſuâ fere montes ſunt: unde etiam competens expectatur auxilium. Sed ne forſitan ſpem noſtram ſolam in ſanctos poneremus, conſequenter, unde nobis veraciter venire poſſit auxilium, ſequens verſus oſtendit.

C

2 Auxilium meum à Domino:
† Qui fecit cœlum & terram. † *factore cœli & terra.*

C. *Auxilium meum à Domino*: & ne putares alterum Dominum (quoniam hoc æquivocum nomen eſt) dicit, *qui fecit cœlum & terram*: ſignificans verbum per quod facta ſunt omnia. Ab illo eſt verum auxilium, à quo eſt ſanctis, ut nobis auxilientur.

3 Non det in commotionem pedem tuum:
Neque dormitet qui cuſtodit te.

Pedes, cogitationes noſtræ ſunt.

C. *Pes* enim, pars ultima corporis: quæ mentis imperio nos permutatione locorum tranſponens, ſignat cogitationes noſtras, per quas in bonas malaſque partes accedimus. Hos pedes optat Propheta, ne lubricatione peccatorum vertantur, ne ſtante corpore, ruinam ſoſtineat in corde. *Dormitare* dicitur Deus, quando nos in eius fide deficimus: in quo eius fides non dormit, vigilat Chriſtus. Dum ergo nos in fide Deum non reſpicimus: nobis eius defenſio ſubtrahitur.

D

Dormitare.

4 Ecce non dormitabit neque dormiet:
Qui cuſtodit Iſraël.

C. Si fueris Iſrael, (id eſt, vir Deum videns) *non dormitat* tibi Deus. Ergo ſupra eos, qui Deum purâ mente vident, Deus non dicitur dormitare: quia reverà talis in nobis aſpectus eius redditur, qualis in ipſo fuerit noſtræ mentis intuitus. Iſrael enim interpretatur, vir videns Deum. Igitur qui in eum rectè credit, erit veraciſſimus Iſrael, cui Deus non dormitabit cuſtodiens eum.

E

5 Dominus cuſtodit te:
Dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam.

H. *Dominus cuſtodit te*: ipſe qui fecit cœlum & terram, quia dij qui eam non fecerunt, pereunt ex ea. *Dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam*: Ille te protegit, ne opus tuum dexterum, (id eſt, bonum) pars impediat inimica, id eſt, diabolus. Per dexteram igitur hic ſpiritalia bona intelliguntur, quæ per ſiniſtram, id eſt, temporalia impediuntur, niſi Deus cuſtodiat.

Per dexteram, ſpiritalia intellige.

6 Per diem ſol non † uret te: † *Percutiet.*
Neque luna per noctem.

F

H. Iuſtus nec in proſperis uri, id eſt, elevari valet, nec in adverſis deiici vitæ præſentis: & vide idem quod in Sole & Luna ſignatur, per diem noctemque ſignificari. A. C. Vel uri, ſcandalizari intelligitur. Qui igitur nec in bonis nec malis actibus proximi ſcandalizatur, non uritur nec die nec nocte.

7 Dominus cuſtodit te ab omni malo:
Cuſtodiat animam tuam // Dominus ⁖.

H. *Dominus cuſtodit te*: ab omnibus inſidiis inimici. *Cuſtodit animam*: ne ei pars dominetur adverſæ poteſtatis. Per *malum* igitur hic accipe, non temporalia corporis incommoda (quæ amatores huius ſæculi æſtimant eſſe graviſſima,) ſed illud malum, quod divinam gratiam tollit, & animam perdit. Deus enim permittit ſanctiſſimos etiam viros, doloribus ingentibus cruciari: animam vero cuſtodit, ideo addit, *cuſtodiat, &c.*

Vel.

8 Dominus cuſtodiat ſ introitum tuum & exitum tuum:
Ex hoc nunc & uſque in ſæculum. ſ *Exitum tuum & introitum tuum, amodo & uſque in æternum.*

G

C. *Dominus cuſtodiat introitum*: hoc eſt de martyribus dictum quorum introitus à Domino cuſtodiendus eſt, ne aut violentia tormentorum cedant, aut blandimentis ſeducantur. *Et exitum*: ibi eſt tota perfectio, quando uſque ad finem vitæ permanet in eis vera confeſſio. *Ex hoc nunc, &c.* quoniam quicunque perſeveraverit, æterna beneficia poſſidebit. H. Id eſt, non ſolum in hac vita cuſtoditur, ſed & poſt ab æterna pœna.

Oratio ex Pſal. C X X.

PRotege plebem tuam, non dormitans neque dormiens Domine Deus, Iſrael protector: & ne uramur per diem, tu nos à ſcandalis huius mundi defende. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium, &c.

H

Argumentum Pſal. C X X I.

C. B. Gaudet propheta ſe commonitum, ad ſupernam Hieruſalem eſſe venturum, ubi iam ſancti ſecurâ proſperitate conſiſtunt: loquiturque ad cives Hieruſalem, pacis eis abundantiam optans.

TT. Canticum graduum * David ⁖

1 LÆtatus ſum † in his quæ dicta ſunt mihi: † *Eo quod dixerint mihi.*
In domum Domini ibimus.

Feria tertia in veſperis.

A A. Venit ad tertium gradum, quo iam non solum elevat ad montes oculos: verum spe conceptâ, lætatur se iturum ad montes & sanctorum societatem & cœlestem Hierusalem. C. Quærendum vero est, quis ad prophetam hæc dixit, quibus se lætatum esse testatur, videlicet spiritus sanctus, qui cordi eius tacitâ voce loquebatur, non sermone, sed divino spiramine. H. Vel dicta sunt in prophetis, & lege, & Apostolis. C. Domus hæc iustos tantum recipit, Angelos continet: quæ est cœlestis Hierusalem, in qua creaturarum omnium autor conspicitur.

Domus Domini.

2 Stantes erant pedes nostri:
In ¶ atriis tuis * Hierusalem :· ¶ *Portis tuis.*

C. Dicit se propheta *stare* io illa cœlesti domo, ad quam desiderat summo studio pervenire. Ibi enim statur, ubi semper firmâ voluntate coosistitur. *Atrium* est introitus domûs, in quo commanere nequeunt habitantes. Hic autem atria pro interioribus ponuntur, & pars pro toto.

B

3 Hierusalem quæ ædificatur, ut civitas:
Cuius participatio eius † in idipsum. † *Simul.*

Ædificatur, ut civitas.

C. *Ædificatur* planè Cœlestis Hierusalem quotidie vivis lapidibus, id est, martyribus, confessoribus, & qui Domino sincerâ mente deserviunt. Addit vero, *ut civitas*: quatenus similitudinem civitatis in illa esse monstraret. Nam cum sit omnis civitas dicta à civibus: illa tamen veriùs civitas dicitur, quæ unanimes cives continet. *Cuius participatio, &c.* A. C. Id est, civitatis ipsius participatio est in Dominum Salvatorem, qui est propriè *idipsum*: quod signat æternitatem, quæ nunquam desinit esse quod est, sed semper uno eodemque modo est virtus indefecta, unde & supra dixit: *Tu autem idem ipse es*, & Moysi ait: *ego sum qui sum*, quapropter soli creatori convenit esse idipsum.

C

Idipsum Deus est. *Psa. 101. Exod. 3.*

4 ¶ Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini, testimonium Israël? ¶ *Quia ibi.*
Ad confitendum nomini Domini.

C. Dicendo *illuc*, signat civitatem Hierusalem: ad quam beati semper ascendunt, qui iugi exercitatione proficiunt *Tribus*, id est, sancti, qui Christum Deum esse confessi sunt verum. Vt verò ab infidelibus tribus istas segregaret, addit *tribus Domini*: quæ eius non dicerentur, nisi purâ mente credidissent. Alias enim tribus (non credentes, scilicet,) constat esse diaboli Verum quales essent istæ tribus Domini, breviter indicat dicens, *testimonium Israel*, hoc est, ipsius vel ipsi Israel, vel quod est ipse Israël: hoc est, qui testimonium præbent sanctitati, id est, sibiipsis quod sint Israël, id est, videntes Deum & sancti (testantur enim hoc actibus suis.) Et hoc non ad laudandum se, sed *ad confitendum* dicit, id est, ad laudandum Dominum, est enim verum testimonium Israel, laudes Domini devotissimâ mente cantare. Illud vero testimonium post hanc vitam magis erit quàm hîc.

D Testimonium Israël.

5 Quia † illic sederunt sedes in iudicio: † *Ibi.*
Sedes :: super :· ¶ domum David. ¶ *Domini.*

C. *Illic sederunt*, qui ascenderunt, & cum Domino iudicabunt. Honorabilis sessio, admiranda dignitas, per Dei gratiam homines iudices fieri, qui fuerant peccatis facientibus rei. Meritò sancti viri sedes Dei sunt: qui in ipsis sedendo, eos gratiâ suæ maiestatis illuminat. *Sedes super domum David*, id est, super familiam Christi. Sederunt verò, præteritum pro futuro posuit, quia de ultimo iudicio loquitur.

Sedes Dei sunt sancti.

6 Rogate :/ quæ ad :· pacem /: sunt :· Hierusalem:
† :/ Et :· abundantia diligentibus te. † *Sit bene his qui diligunt te.*

H. A. C. *Rogate*: signat hîc non supplicate, sed interrogate: unde rogate, id est, interrogate quæ ad pacem pertineant huius civitatis. H. Et sequimini eam: ut per dilectionem pacis, fructum consequamini æternæ beatitudinis. *Abundantia* est illi cœlestium bonorum, qui relictis caducis Deum super omnia diligit. C. Vel omnia bona in cœlesti Hierusalem abundare manifestum est.

7 ¶ Fiat pax in virtute tuâ: ¶ *Sit pax in muris tuis.*
/: Et :· abundantia in † turribus tuis. † *Domibus tuis.*

C. *Pax* enim à patendo sive à pascendo dicta est, talis enim pax illic Christi miseratione confertur, quam nulla bella concutiunt, nec seditio ulla perturbat. *Turres* autem hic significant martyres: qui oppositione sui corporis, civitatem Dei piâ confessione defendunt: & quasi eminentia ædificia, ita hostibus fidei repugnare noscuntur.

8 Propter fratres meos & ¶ proximos meos: ¶ *Amicos.*
Loquebar pacem † de te. † *Tibi.*

C. Monet ergo propheta, ut non propter laudes aut commoda sua quisque doceat, sed *propter fratres & proximos* laboret. *Pacem* vero intellige Ecclesiæ, quam sancti docent in vinculo charitatis servandam. Sed *de te* cum dicit, ad Hierusalem se significat loqui: in quâ sanctorum cætus est, id est, adunatio beatorum & summa pax.

9 Propter domum Domini Dei nostri.
¶ Quæsivi bona tibi. ¶ *Quæram.*

C. *Domus Domini* est Hierusalem, in qua Deus est: ad quem bene refertur, quicquid dilectionis impenditur. A. Vel propter istam domum præsentem scilicet Ecclesiam, ut illic proficerent qui sunt adhuc peregrini, *quæsivi* & operatus sum docendo.

Oratio ex Psal. C X X I.

AMbulantibus in atriis domûs tuæ omnipotens Deus, pacis abundantiam largiri dignare: ut dum te totâ aviditate cordium confitemur, bona tua in cœlestibus capiamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psal. C X X I I.

C. Propheta, qui prius ad sanctos oculos levavit, nunc ad ipsum Dominum lumina cordis erexit, petens ut ei Dominus suum donet suffragium: quia instigatione diabolicâ, ab insultantibus adversa patiebatur multa.

TT. Canticum graduum :: David :·

1 AD te levavi oculos meos:
Qui habitas in cœlis.

A *Profectus noster per gradus.*

H. Qui io primo dixerat, *ad Dominum cum tribularer clamavi*, & in secundo cantico oculos ad montes levavit, lætatus quoque fuerat quod ingressus in domum Dei sibi fuit repromissus: nunc ad maius proficit, ut etiam ad ipsum Dominum oculos levare audeat. C. Levant enim oculos suos sancti (in quacunque tribulatione positi) ad Dominum, & ad illum respiciunt, à quo se veraciter posse salvari confidunt. H. Illuc enim oculos levant, quo tendunt & pervenire desiderant.

2 Ecce sicut oculi servorum:
In manibus Dominorum suorum. † *Ad manum.*

C. Attendunt servi ad manus Dominorum: sive quando per eos desiderant enutriri: seu quando pro culpis suis iubentur vapulare, donec audiant, parce. B Sic nos convenit facere, ut oculos nostros levemus semper ad Deum, cum aliquam indigentiam sustinemus, vel cum pro aliquibus verberamur excessibus. A. Manus quippe potestatem significat.

3 Sicut oculi ancillæ ¶ in manibos Dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum
Deum nostrum: ¶ *Ad manum.*
Donec misereatur nostri.

C. Sic etenim attendit ancilla *in manibus Dominæ suæ*, sicut servi in manibus Dominorum: & ita dum dicitur, oculi nostri sexum utrumque concludit. *Donec*, hic semper signat, quamvis temporaliter dictum esse videatur. Sicut & in Evangelio dictum est, *non cognovit eam: donec peperit filium suum primogenitum*: quam constat virum nullo cognovisse tempore: ubi similiter pro omni tempore ponitur. Nunquid enim postquam misertus est Dominus, oculi nostri ad eum non erunt?

Donec: i. semper. Mat. 1.

4 Miserere nostri Domine miserere nostri:
Quia multum repleti sumus despectione.

C C. Vox martyrum geminâ petitione sibi miserendum deplorat: quia corpora eorum in passionibus, anima laborabat opprobriis. *Multum repleti*: significat abundantiam passionum, quam tamen se cupidè ac libenter pertulisse testatur. Despiciuntur enim sancti à malis, & verberibus lacerantur, flammis exuruntur, gurgitibus merguntur altissimis.

5 !! Quia :· multum repleta est anima nostra: † opprobrium abundantibus:
Et despectio superbis. † *Opprobrio abundantium, & despectione superborum.*

C. Omnes qui secundum Christum piè volunt vivere, opprobrium patiuntur ab illis, qui de terrena fœlicitate atque abundantiâ mundanâ superbiunt. H. Quia semper divites, pauperes: superbi despiciunt humiles. Non dixit autem divitibus, sed *abundantibus*, ut in malitia abundantes acciperes.

2. Tim 3.

D

Oratio ex Psal. CXXII.

Cœlorum habitator Deus: ad te levamus oculos nostros, precantes, ut confusatis opprobriis superborum, misericordiam nobis solitam clementer indulgeas. Per Dominum nostrum Iesum, &c.

Argumentum Psal. CXXIII.

B. Sancti confessores fatentur se de tot ærumnis sæculi, Dei miseratione liberatos: aguntque gratias, quod non sunt decepti à persecutoribus eorum, sed insidiis contritis erepti. E

TT. Canticum graduum * David.

C. Isti enim gradus in illo sunt itinere constituti, ubi ipse rex patriæ viam se agnoscitur præbuisse: quam si ipso præstante fideliter atque humiliter gradiamur, ad eius sancta tribunalia pervenimus.

1 Nisi !! quia :· Dominus ¶ erat in nobis, dicat nunc Israël: ¶ *Fuisset.*
Nisi !! quia :· Dominus † erat in nobis. † *Fuisset.*

C. Vox sanctorum martyrum, in beatitudine iam in Domino exultantium & dicentium, se nullatenus potuisse inflicta pericula superare, *nisi quod Dominus erat in illis. Dicat nunc Israel*: præcipiunt quodammodo sancti martyres reliquis piis iustisque hominibus, ut unde ipsi fuerant salvati gratias secum agant. Hæc est enim charitatis & unitatis virtus, ut si quid uni prosperum acciderit, omnes sibi provenisse congaudeant: rursum si quid contrarium ingeritur, universi sibi accidisse condoleant. A. C. Quintum igitur gradum ascendunt, qui in spe fixâ, cum sanctis martyribus iam cœlo coronatis, se exultant invictos tribulationibus coronandos. B

2 Cum exurgerent homines ¶ in nos: ¶ *Super nos.*
Forte vivos † deglutissent nos. † *Absorbuissent.*

C. *Cum exurgerent homines* (scelerati, scilicet) *vivos deglutissent nos*: humana consuetudo non est, vivos deglutire, sed vivi deglutimur, cum in hæreticas pravitates aut in foveam culparum demergimur. Vivi enim dicuntur, qui in fide Christi adhuc sunt: mortui, qui à fide decesserunt: quod sanctis viris potuisset accidere, nisi eos virtus superna liberasset. *Quomodo vivi deglutimur.* G

3 Cum irasceretur furor eorum ¶ in nos. ¶ *Super nos.*
Forsitan † aqua absorbuisset nos. † *Aqua circumdedissent nos.*

C. *Cum irasceretur*, dixit, quia causas iustissimas non habebant, ira enim & invidia iudicio carent, dum voluntates suas mente præcipiti subsequuntur. *Aqua* hîc iniquos populos vel paganos significat: hi servos Dei absorbere cupiebant, cum in suas deorum suorum culturas eos perducere nitebantur, sed eos virtus divina liberavit. Aquam vero dixerunt antiqui, à quâ sunt omnia, credentes ex ea omnia procreata. *Aqua, id est, pagani.*

4 ¶ Torrentem pertransivit anima nostra:
Forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem. ¶ *Torrens transisset super animam nostram: forsitan transissens super animam nostram aqua superbia.* H

H. *Torrens* est mors carnis, per quam sancti martyres transeuntes, in refrigerium sunt introducti. A. C. Vel passio tribulatio & persecutio malorum. C. *Intolerabilis aqua* dicitur, quando nostra infirmitas cogitatur sine Dei adiutorio. Nam peccatorum gurgites criminumque tempestates, tolerare quis non valet, nisi cum confugerit ad defensionem Christi: fiunt enim omnia tolerabilia, cum Deus in nobis habitat: tunc *Aqua intolerabilis.*

A enim nec error surrepit, nec luxuria trahit, nec superbia ventosa prævalet, nec hostis maligni suggestio.

5 Benedictus Dominus.
Qui non dedit nos in † captionem dentibus eorum. † *Prædam.*

H. *Dentes* hic numerositatem signat vitiorum, à quibus ne capiamur, gratia Dei eruimur.

6 Anima nostra § sicut passer erepta est: § *Quasi avis.*
De laqueo venantium.
7 Laqueus contritus est:
Et nos liberati sumus.

H. Tenduntur nobis laquei, in concupiscentiis ac B diversis astutiæ diabolicæ dolis. Sed contrito diabolo sub pedibus nostris (qui nobis laqueus est) sicut passer sapiens & astutus, evolamus ab illo.

8 § Adiutorium nostrum in nomine Domini: † *Auxilium.*
Qui fecit cœlum & terram.

H. *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, hoc est, nomen quod est super omne nomen, huius nominis adiutorio, mortis vincuntur laquei, si in illo maneamus affixi.

C. Bene ergo in quinto gradu dicuntur, qui corporeos in passione sensus Domino iuvante superare valuerunt.

Oratio ex Psal. C X X I I I.

C *Conclude Domine hiantia ora malorum, qui sævis obtrectationum dentibus vorare nituntur: ut qui de nostra virtute diffidimus: nominis tui adiutorio muniamur. Per Dominum nostrum, &c.*

Argumentum Psal. C X X I V.

C. Clamat Propheta nobis in Domino confidendum, ne laboremus incassum, petens, ut rectis prosperitas, pravis vindicta proveniat.

TT. Canticum graduum.

C. Quamvis scala ista salutaris, competenti remedio videatur esse constructa: nullà tamen firmitate consistimus, nisi illic Domini regimine teneamur: quæ tamen ascensio fit mente, non corpore. Nam in uno magis loco sedentes, & cellulæ situ reclusi, efficaciùs istos gradus ascendimus quam si per hominum ora volitemus.

Ascensio graduũ mẽte fit, non corpore.

D

1 Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, † non commovebitur in æternum: † *Immobilis in aeternum, habitabilis.*
Qui habitat in Hierusalem.

A. Sextum gradum ascendit, qui omnimodis in Domino confidens, nec prosperitate malorum hominum turbat in fide de Deo, sed fixis gressibus iter in altum continuat. H. *Sion*, id est, speculatio: signat sanctam electorum congregationem, in altitudine contemplationis positam. *Mons* (iuxta Danielem) Dominus Christus: qui in eum totam spem ponit, *non commovebitur in aeternum*: quia conformis efficitur corpori gloriæ Christi. C. Hic quoque *Hierusalem*, cœlestem esse patriam advertimus (quæ est visio pacis) de quà nullus potest commoveri qui meruit in ea consistere.

Sion. Dani. 2. Hierusalem.

E

2 Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui:
§ Ex hoc nunc & usque in sæculum. § *A modo & usque in aeternum.*

C. Hic enim *montes*, viros sanctos designant: qui Hierusalem illam cœlestem inhabitant. *Et Dominus in circuitu*: ille enim circuit auxilio æternæ defensionis eos, quos sibi fideles esse cognoscit. *Ex hoc nunc*, istud sæculum significat. *Usque in sæculum*, illud dicit sæculum, ubi iam sanctis in maiestate sui luminis apparebit. Sed cur præbeatur ista defensio consequenter exponitur.

F

3 Quia non † relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum: † *Requiescet virga impietatis.*
Ut non § extendant iusti § *Mittant.* † ad iniquitatem manus suas: † *In.*

C. *Virga*: boni malique potestas significatur, hic autem in malam partem accipi manifestum est. *Sors iustorum*: est religio Christiana, supra quam non finit Christus *virgam peccatorum* (id est, iniquam potestatem tyrannorum) diutius insurgere, ne Ecclesiam Dei possint longissimà persecutione conterere. *Ut non extendant ad iniquitatem manus suas.* H. Id est, ut non cogitent: quid mihi prodest quod iustus sum, si semper persequuntur me iniqui, hoc est: ut sustineant malos, & non faciant mala: non enim diu relinquit Deus talem virgam super iustos, licet diu videatur imbecillis.

Virga peccatorum, sors iustorũ.

4 Benefac Domine:
Bonis & rectis corde.

G

C. Optat igitur propheta bis *fieri bonum*, qui nesciunt à Domino pravà voluntate separari. *Rectis corde* sunt, qui Deum sequuntur, & non præire contendunt. A. Et qui suam voluntatem divinæ voluntati conformant, non divinam voluntatem ad suam curvare volunt.

Recti corde.

5 Declinantes autem § in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: § *Ad pravitates suas deducet eos Dominus.*
Pax super Israël.

C. Pulchrè definita sunt opera iniquitatis: esse obligatio, quæ nos vinculis pravitatis innectit, ut esse liberi nequeamus, cum talibus tantisque laqueis constringimur. *Declinantes*, id est, iussa Dei non persequentes. Pari enim sententià pereunt, & qui declinate iussa Domini, & operari malitiam velle contendunt. *Pax super Israel*: hæc pax iste salvator est, qui semper defendit se videntes. H. Qui etiam auferens maceriam inimicitiæ Iudæorum & gentium, fecit utraque in credentibus unum, quod erat ante divisum.

H

Pax super Israël Christus est. Ephes. 2.

Oratio ex Psal. C X X I V.

Repelle Domine nequitias insurgentium à sorte iustorum: ut qui in te toto corde confidunt, nullis tentationum imbribus quatiantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium, &c.

Argumentum Psal. C X X V.

C. Sanctissimi viri Domini miseratione liberati, gratias agunt: quod de obnoxietate sævissi-

mà

A

ma peccatorum, in tantam gratiam sunt recepti, ut inter gentes probarentur esse laudabiles deprecantes ut captivitas eorum converteretur in gaudium.

TT. Canticum graduum.

1 † IN convertendo Dominus captivitatem Sion: † *Cum converteret.*
Facti sumus sicut ❡ consolati. ❡ *Somniantes.*

H. C. *Captivitas Sion* fuit, cum Ecclesia premeretur a cultura idolorum: sed conversa est in libertatem, quando adventu Domini, inferni vincula disrupta sunt. C. Vide autem quod non dicit, facti sumus consolati, sed *facti sumus sicut consolati*: quia illa captivitate explosa, non reddidit nos omnino securos, donec in isto corpore mortali versamur, sed in beata Hierusalem erit certa & perfecta consolatio.

B Sicut cõsolati.

2 Tunc † repletum est gaudio os nostrum: † *Implebitur risu.*
Et lingua nostra ❡ exultatione. ❡ *Laude.*

C. Tunc *repletum est os*, (id est, cordis arcanum) *gaudio*: in adventu Domini salvatoris, cum commutavit captivitatem nostram in gaudium. *Et lingua in exultatione*: cui talia Domini munere præstabantur.

3 Tunc dicent † inter gentes: † *In gentibus.*
Magnificavit Domiuus facere cum eis. ❡ *istis.*

C Inter gẽtes.

C. Non autem dicit gentes, sed *inter gentes*: quia in adventu Domini gentes universaliter non crediderunt: sed inter gentes erant, ex gentibus fideles facti, cum quibus Dominum magnalia facere cernebant adhuc gentiles infideles.

4 Magnificavit Dominus facere nobiscum.
Facti sumus † lætantes. † *Sicut lætantes.*

C. Et ne putares gentiles (dicentes de fidelibus, *magnificavit Dominus*) falsum dixisse, confirmant fideles eorum dictum dicentes. *Magnificavit Dominus*, id est, decrevit magnos nos ostendere gentibus donatione virtutum. *Facti sumus* (utique de tantâ gratiâ) *lætantes.*

5 ❡ Convertere Domine captivitatem nostram: ❡ *Converte.*
Sicut † torrens in austro. † *Rivus.*

D Sicut torrens in Austro.

C. Postulant populi fideles sua iterum peccata dimitti. *Sicut torrens.* H. A. Etenim flante Austro (qui est ventus calidus) solvuntur glacies, & impletum aquis torrentem facit currere: sic flante spiritu sancto, acceptâ remissione per lamenta solvontur peccata nostra. A. C. Torrentes enim dicimus flumina hyemalia, & peccata nostra quæ frigidantia corda congelant: quæ calore spiritûs sancti solvuntur in lachrymas. Sed ut nobis sensûs possit constare plenitudo: pronuntiandum est *convertere*, id est, converte (quia deponens est verbum antiquum *convertere*) *captivitatem nostram, sicut torrens in austro* convertitur in liquorem.

Seminatio semper in lachrymis est.

6 Qui seminant in lachrymis:
In exultatione metent.

C. Spiritalis seminatio semper *in lachrymis* est: aut enim sancti deplorant præterita peccata, aut cruciantur timore futurorum, aut persecutionibus agitantur: sed qui tale semen seminant, *metent gaudia* futuræ promissionis. E contra peccatores in gaudio seminant, & metunt in lachrymis.

E

7 ❡ Euntes ibant & flebant:
Mittentes semina sua. ❡ *Qui ambulans ibat & flebat, portans ad seminandum sementem.*

C. *Euntes* sancti bona operando. *Flebant*: quando pauperes aspiciebant frigore constrictos, inopiâ sævâ maceratos, *mittentes semina sua. Sua* dicit: ut de propriis laboribus, non de rapinis eleemosynas facere debere cognoscas. *Mittentes* vero: intellige præmittentes in cœlum, quò ante, nostra acta perveniunt quam nos: illa enim sunt thesaurus noster in cœlo condendus. H. Vel euntes (prædicando verbum Dei) flebant: super duritia cordis non credentium.

F

8 † Venientes autem venient in exultatione:
Portantes manipulos suos. † *Veniens veniet in exultatione portans manipulos.*

C. *Venientes*: illi veniunt *in exultatione*, quibus iam misericordia divina præstatur: qui hic taliter egerunt, qualiter Dei iussa præcipiunt: & fecerunt *manipulos*, id est, fructuosissimas actiones. Et felix ille, qui triticeis põderibus ingravatur: ne levitas stipularum, vota messoris eludat, & tunc attendat inanitatem laboris sui, quando iam non prævalet operari.

Portans manipulos suos.

Oratio ex Psal. CXXV.

CONsolare Domine populum tuum, & libera nos à captivitate pessimorum vitiorum: ut quod hic in lachrymis serimus: te retribuente cum gaudio metamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum &c.

G

Argumentum Psal. CXXVI.

C. *Providens propheta novi testamenti gratiam: docet ne quis propriis viribus aliquid boni applicet: sed Domino largitori. Loquitur etiam de ipso Domino & Apostolis, vel quicunque ipsius mandata perficiunt.*

TT. Canticum graduum Salomoni.

C. *Salomon* interpretatur pacificus, & significat Dominum, de quo Apostolus ait *ipse est pax nostra.* Domus huius Salomonis: Christi Ecclesia, quæ & civitas est eius.

Salomõ. Ephes. 2.

H

1 NIsi Dominus ædificaverit domum:
In vanum laboraverunt qui ædificant eam.

C. *Ædificant domum*, qui in unumquemque Christianum, veritatem fidei fabricare contendunt: ipsi enim sunt domus quibus dicit Apostolus, *vos enim estis templum Dei.* Sed isti, si suis viribus ædificare se putant, laborare videntur in vanum, nisi gratia Dei donet verissimæ credulitatis effectum.

1. Cor. 3.

2 Nisi Dominus custodierit civitatem:
Frustra vigilat qui custodit eam.

C. *Civitas* enim Domini Hierusalem intelligitur cælestis, cuius pars adhuc peregrinatur in terris: in

qua

A qua episcopi vigilare super gregem suum contendunt, ut pervigili cura eam custodiant : quibus idem dicitur, quod ædificantibus : ne credant solas humanas vigilias prævalere, cum sola divinitas incursionis pericula possit arcere.

3 † Vanum est † *Frustra.* vobis ¶ ante lucem
surgere ! : surgite :· postquam sederitis. ¶ *De mane consurgere.*
Qui manducatis panem † doloris.
† *Dolorum.*

Ante lucem surgere.

C. Adhuc ipsos doctores alloquitur, ut efficaciùs corrigatur populus, dum videt etiam magistrus præmonitos. Illi autem *ante lucem surgere* quærunt : qui neglectâ humilitate, Christum prius volunt exaltari quam humiliari. *Surgite*, id est, prius humiliationem sustinete, & post ascensum præmia quærite gaudiorum *Panem doloris* : perfecti comedunt Christiani, cum se lachrymis fidelibus castigant : de quibus alius Psalmus dicit. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes.* Illis enim dolor panis est, qui se de afflictione reficiunt, & de mundana tristitiâ consolantur. Et sequitur quando debeant surgere. qui iussi sunt ante sedere. Tunc enim surgent, *cum dederit dilectis*, *&c.* id est, cum mortui fuerint, non ante mortem.

B

Panis doloris, lachrymæ sunt. *Psal.* 41.

4 ¶ Cum dederit dilectis suis somnum : ecce hæreditas Domini : ¶ *Sic dabit diligentibus se somnum.*
Filij merces fructûs ventris.

Hæreditas Domini.

C. *Dilecti* sunt Dei, qui eum nimiâ charitate perquirunt. H. Cum illi accepto quietis somno ab hoc sæculo discedunt, tunc fiunt *hæreditas Domini* : quia iam subiacent tentationibus, tunc non. *Et merces fructûs ventris* : C. Id est, uteri virginali partus. Merces illius fructûs est omnis homo qui cum Deo perenniter gaudebit : & ista merces dicta est hæreditas : non autem deitatis sed humanitatis merces dicitur, ut in secundo psalmo dicitur, *postula à me, &c.*

C

5 Sicut sagittæ in manu potentis :
Ita filij † excussorum. † *Iuventutis.*

Sicut sagittæ Apostoli, qui & filij excussorum.

C. *Sagittæ* : sancti apostoli vel cæteri prædicatores. *In manu potentis*, id est, in potestate Christi transmissi ad prædicandum. Sicut enim telum vel sagitta missa à potente, rectissima & cito venit ad destinatum locum: ita apostoli in omnem terram missi, citò quò mittebantur pervenerunt & iussa impleverunt. *Ita & filij excussorum* : in loco scilicet prophetarum succedentes, & eorum prophetiam interpretando & explanando discutientes. Discutere est rectum aliquod palam facere, prophetæ ergo *excussores* dicuntur, quoniam secreta cœlestia mundo propalarunt. Illorum filij Apostoli sunt, quia eorum dicti credentes, quodammodo fide generati sunt.

D

6 Beatus vir qui implevit ¶ desiderium suum ex ipsis : ¶ *Pharetram suam.*
Non † confundetur cum loquetur inimicis suis in porta. † *Confundentur cum loquentur.*

C. Hos ergo Apostolos, beatos dicit, cum eorum labor ad gloriosa vota pervenerit. H. Vel ille homo populus beatus est : *qui implevit suum desiderium ex ipsis* Apostolis, id est, ex prædicatione eorum conversus, ea quæ prædicata sunt scilicet æterna desiderat, & implevit iam hoc desiderium opere. Vel desiderium ex ipsis implet, qui quod ipsi desiderabant scilicet esse in beatitudine æterna, & ipse desiderabat. C. *Porta* civitatis Hierusalem, Christus est : in ipsa enim loquitur qui recta prædicat de Domino. Tali ergo loco prius peccatores & infideles exire facit, & devotos introire. Fideles enim prædicatores *non confundentur in porta*, quia eis aperitur : malis vero clauditur, ideo confundentur.

E

Porta Hierusalem Christus est.

Oratio ex Psal. C X X V I.

D*Omorum spiritalium ædificator Deus, ut nos custodiat deprecamur, imple in te desiderium nostrum: & electis tuis nos adiunge pro meritis. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.*

Argumentum Psal. C X X V I I.

C. Propheta bona timentium Deum enumerans, eos benedicit, ut æterna gaudia consequantur.

F

T T. Canticum graduum.

C. Quam sit magnificus nonus gradus, ipse numerus declarat : qui trinâ protentus triplicatione, sanctum nobis Trinitatis culmen ostendit.

Nonus gradus.

1 ¶ BEati omnes qui timent Dominum : ¶ *Beatus omnis qui.*
Qui ambulant in viis eius.

C. Primò timorem Domini ab huius sæculi terrore divisit. Dicendo enim *beati omnes, qui timent Dominum*, ostendit non esse beatos, qui huius mundi pericula in amissione temporalium rerum sollicitâ mente formidant. Cum *viis* pluraliter dicit : Apostolos & Prophetas signat, per quos venitur ad unam viam, id est, Christum. Soli igitur, sancto illo timore Dominum timent, *qui ambulant in viis eius*, id est, præceptis, & in his quæ Prophetæ, Apostoli & Evangelistæ prædicaverunt. In sequentibus versibus tribus, enumerat utilitates timoris Domini.

Viæ Apostoli & Prophetæ.

G

2 ¶ Labores manuum tuarum * quia :·
manducabis : ¶ *Laborem manuum tuarum cum comederis.*
Beatus † es & bene tibi erit. † *Tu.*

C. *Labores manuum* : remuneratio est bonorum operum. Et ne istud pabulum carneum putares, addidit. *Beatus es* : nemo enim de carnali comestione beatus efficitur, nisi qui spiritali domo saginatur. *Bene tibi erit* : cum acceperis, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod Deus se diligentibus preparavit.*

Esaia 6.

3 Vxor tua sicut vitis ¶ abundans:
In lateribus domûs tuæ. ¶ *Fructifera in penetralibus domûs tuæ.*

H

C. *Vxor* dicta quasi ut soror : quapropter uxorem hic sapientiam debemus advertere. *Vitis* vero mater est uvarum, quæ dulcia vina profundens, corda nostra recreat. Sic & sapientia fructus inferens iocundus, suavi nos delectatione lætificat. *Latera*, duo testamenta sunt : *domus*, propria cogitatio. Mens enim in cogitatione suâ quasi in æde defigitur. Cuius cogitationis duo latera, legem & Evangelium accipe : in quibus mens sancta quasi in duobus ædis lateribus firmata solidatur.

Vxor, sapientia.

4 Filij tui sicut † novellæ olivarum :
† *Germina.*
In circuitu mensæ tuæ.

A — *Filij tui, actus boni.*

Filij tui. H. Id est, actus boni, assistentes in circuitu scripturæ & doctrinæ cœlestis, cum pinguedine pacis & obumbratione virtutis. C. Vel filij vtrunque sexum signat, spiritualiter cœlesti verbo genitum: & *mensa*, Domini altare, vbi cœlesti pane saginantur.

5 Ecce sic benedicetur ¶ homo: ¶ *Vir.*
Qui timet Dominum.

C. Cum dicit, *ecce sic:* signat sicut superiùs expositum est, sic enim meretur benedici, qui suum timet autorem.

6 Benedicat tibi Dominus ex Sion:
Et videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

B — *Dominus ex Sion, Christus.*

C. Dicit enim, *benedicat te Dominus ex Sion,* id est, Christus, qui in hoc monte hominibus apparere dignatus est: & pro nominis sui qualitate, tanquam pastori optimo semper ascribitur: *Sion* enim speculatio interpretatur: *Hierusalem* indicatur visio pacis. Optat ergo vt in Hierusalem videat cuncta quæ bona sunt. Sed ne crederes in cœlesti Hierusalem temporaliter ista bona videri, addidit, *omnibus diebus vitæ tuæ,* id est, *vita æterna.*

7 Et videas filios filiorum tuorum:
Pacem super Israël.

Filij filiorum.

C. *Filios* enim *filiorum:* signat nepotes. Quod vtique beatis viris contingere potest, qui prædicationibus sanctis populos multos generant. *Pax* est Dominus salvator: qui insidet illam beatam Hierusalem, & cuncta bona facit & beata, quæcunque majestatis suæ virtute complectitur: illam pacem videas, non solum filios filiorum.

C

Oratio ex Psal. CXXVII.

T*Imentibus nomen tuum Domine, beatitudinem largire perpetuam: vt talis nobis actio, talisque sit vita, qua celsum de bonis fructibus meritum reportet ad sidera. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, &c.*

Argumentum Psal. CXXVIII.

C. B. Propheta monet Ecclesiam, vt dicat quot certamina à suis pertulerit hostibus (ne quis fidelium de propriis tribulationibus desperet) prædicens eisdem inimicis, quod eis in iudicio futuro esse venturum noverat.

D

T T. Canticum graduum.

C. Docet hic Propheta toleranter nos sæculi molestias sustinere, quando Ecclesiæ crebras fuisse passiones comprobat.

1 SÆpe expugnaverunt me à † iuventute meâ: *Adolescentia mea.*
Dicat nunc Israël.

Genes. 4.

C. Admonet propheta *Israël,* id est, Ecclesiam, vt *dicat* bella sua. *Sæpe:* hic signat frequentiam passionum. *A juventute:* significat quando à fratre perverso iustus Abel occisus est, & cæteri deinceps quamplurimi: ipsius quoque passione Christi expugnata est Ecclesia. *Dicat nunc Israël,* (id est, in hoc sæculo, quando tempus est pœnitentiæ) vt instruantur reliqui fideles, patienter hic ferre persecutiones: quia in futura vita non expugnatur sanctus. Istud quoque dicat nunc Israël, per tres versus sequentes subaudiendum est.

E

2 Sæpe expugnaverunt me ¶ à iuventute mea: *Adolescentia mea.*
† Etenim non potuerunt mihi. † *Sed non potuerunt mihi.*

Ecclesia persecutionibus crescit.

C. Bene dicit Ecclesia *expugnatam se à juventute sua:* vt intelligas nunquam finitam Ecclesiam esse persecutione improborum, quæ ita sæpe est expugnata: crescit enim persecutionibus, suâque contritione grandescit: nam si hic sanctos viros amittit, futuræ patriæ adquirit. Non potest igitur finiri, quæ suis detrimentis augetur: vnde non potuisse tamen sibi prævalere dicit eos, quos superius se expugnasse commemorat: quia nunquam eis consensit ad malum.

F

3 Supra ¶ dorsum meum fabricaverunt peccatores:
Prolongaverunt iniquitatem suam.
¶ *Cervicem meam arabant arantes: prolongaverunt sulcum suum.*

Fabricâsse supra dorsum Ecclesiæ hæreticos.

C. *Fabricatum* vero supra dorsum suum Ecclesia testatur à peccatoribus: qui dolos facere festinant, & occultas suasiones, quasi in dorsum Ecclesiæ (vbi videri non possunt) agunt: qui sic occultè avertere à sancta fide aliquos moliuntur, ut vel paucos decipiant, qui Ecclesiam totam subvertere non potuerunt. *Prolongatas* quoque dicit ipsas insidias, quas assiduè hostes ingerebant fidelibus: *prolongata est* enim hæc *iniquitas* ab Abel usque huc, & in finem usque sæculi prolongabitur.

4 Dominus iustus concidet † cervices peccatorum:
† *Laqueos impiorum.*
Confundantur & ¶ convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion. † *Revertantur.*

G

C. *Cervices:* pro superbia posuit, quam *concidit* Dominus in illis sic expugnantibus: cum eos ad misericordiam per humilitatem & satisfactionem redire promittit. *Confundantur:* in extremo iudicio, qui iam per pœnitentiam nolunt confundi. *Et convertantur retro:* ad pœnam æternam: ipsi enim, id est, obstinati ipsi *oderunt Sion,* id est, Ecclesiam.

5 Fiant sicut fœnum tectorum:
Quod † priusquam evellatur exaruit.
† *Statim, vt viruerit arescit.*

H — *Sicut fœnum tectorū sunt hæretici.*

C. Fœnum in tectis antiquis crescens, ante tempus collectionis arescit & perit: quia nulla firma radice viget. Itaque comparantur peccatores illi caduco fœno quoniam & hic frequenter dispereunt, antequam de hac luce tollantur: nascuntur enim in cacuminibus superbiæ, vbi nullâ soliditate consistunt. H. Nec ullum granum bonitatis proferunt.

6 De quo non implebit manum suam † qui metet. † *Messor.*
Et sinum suum ¶ qui manipulos colliget. ¶ *Manipulos, faciens.*

Angeli metent in die iudicij.

C. *Metentes,* angeli sunt, qui ultimo die iudicij frumentum electorum in horreo cœlestis patriæ recondunt: sed de istis (hoc est, superbis) *manum non implent,* quia eos à societate sanctorum reprobatos segregant. De iustis enim supra dictum est, *venient in exultatione*

ferentes

A *ferentes manipulos ſuos:* de iniuſtis hic dicitur, quod nec manum plenam fructibus comportent. *Manus* ad operationem: *Sinus* ad conſcientiam pertinet. In malorum enim actibus, neutrum frugi aliquid poteſt inveniri.

7 † Et non † *De quo.* dixerunt ¶ qui præteribant, benedictio Domini ſuper vos: ¶ *Tranſeuntes.*
Benediximus vobis in nomine Domini.

Prætereuntes, ſunt ſancti in hoc mundo.

C. *Prætereuntes*, ſunt ſancti Dei, qui hunc mundum prætereunt, quia pro nihilo habent, & ad illa cœleſtia toto amore tranſeunt: à quibus, ſceleratis inaniter operantibus nulla benedictio præſtatur. Sed ne iſta benedictio putaretur humanis viribus applicanda, addit, *benediximus vobis, &c.* ipſa eſt enim firma & vera benedictio, quæ ſub Domini commemoratione agitur, à quo venit omne quod expedit.

B

Oratio ex Pſal. C X X V I I I.

AB omnium impugnantium nequitiis, Eccleſiam tuam Domine dexterâ tua potentia defende: ut inimicis retrorſum converſis, ſacra à te benedictionibus repleatur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat, &c.

Argumentum Pſal. C X X I X.

C. Clamat Propheta ad Dominum, ut à peccatorum profundo liberetur: benevolentiam boni iudicis quærens de calamitatibus indicatis.

TT. Canticum graduum.

C

1 DE profundis clamavi ad te Domine:
Domine exaudi vocem meam.

Profundum, humilitas pœnitentiæ. Luc. 18. Ione 2.

C. *Profundum* eſt quaſi porro fundum, cuius ima omnino demerſa ſunt. De iſto profundo glorioſas effudit lachrymas Petrus, publicanus pectora tutudit, Ionas tacitus vociferavit. *Domine exaudi*, ſic cum de profundo oravit, ad altiſſimi redemptoris celeriter dona pervenit. Eſt ergo illud profundum, profunda humilitas pœnitentiæ.

2 Fiant aures tuæ intendentes:
† In vocem deprecatioois meæ.
† *Ad.*

H. Non hic carnalem autem Propheta poſtulat (ſciens Deum incorporeum eſſe) ſed virtutem, quâ ſuos exaudire dignatur, expoſcit.

D

3 S iniquitates ¶ obſervaveris Domine:
¶ *Obſervabis.*
Domioe quis ſuſtinebit?

Iniquitas, omne peccatum.

C. *Iniquitatem* vult intelligi omne peccatum, quod poteſt aliquâ pravitate committi: iniquum enim eſt, quod iuſtum non eſt. Videns ergo propheta nullum eſſe, qui non aut cogitationibus excedat, aut vacuo ſermone delinquat, aut inani actu occupetur: dicit Iuſtitiæ ipſius humanum genus non ſufficere, niſi miſericordiæ præſtet auxilium: nemo enim ſolam Dei iuſtitiam ſuſtinere poſſet.

4 Quia † apud te propitiatio eſt: † *Tecum.*

E

¶ Et propter legem tuam ſuſtioui te Domine. ¶ *Cum terribilis ſis ſuſtinui Dominum.*

Lex tua, Evangelica.

C. Territus igitur iuſtitiâ Dei, ad patronam miſericordiam convolat. Non eſt enim in noſtris actibus ut mereamur abſolvi, ſed ipſius propitiationis eſt, ut confitentem reum liberare dignetur. Hæc eſt autem lex, id eſt, euangelica iuſſio, per quam ſe iure credebat eſſe ſalvandum. *Suſtinui:* indicat charitatem, quæ totam ſuſtinet, & perfectos efficit Chriſtianos. Vel *lex tua:* lex eſt miſerendi pœnitentibus.

5 Suſtiooit anima mea ¶ in verbo eius:
Speravit anima mea io Domino.
¶ *Et verbum eius expectavi, anima mea ad Dominum.*

F

Verbum eius Chriſtus.

C. *Suſtinuit anima mea in verbo eius:* quia incarnationem Domini credebat eſſe venturam. Chriſtus enim verbum iſtud eſt, quod ſuſtinendo interim, patienter expectavit. Et quod non dixit tranſitorium aliquod verbum, exponit ſequenter, dicens illud verbum Dominum. *Speravit anima mea in Domino* ſcilicet qui eſt verbum patris, ſperavit enim anima mea, quod futuris temporibus de Maria virgine, propter interitum generis humani auferendum, naſci dignaretur.

6 A † cuſtodiâ matutinâ uſque ad noctem:
Speret Iſraël in Domino. † *Vigilia matutina uſque ad vigiliam matutinam expectet Iſrael Dominum.*

C. *A cuſtodia matutina:* Cuſtodia matutina eſt reſurrectio Chriſti, qui cuſtodientibus ſepulchrum militibus matutino tempore ſurrexit, ex quo enim Chriſtus reſurrexit à mortuis, ſpes Eccleſiæ confirmata eſt in Domino. *Vſque ad noctem*, id eſt, uſque in finem mundi.

G

7 Quia apud Dominum miſericordia:
Et ¶ copioſa apud eum redemptio.
¶ *Multa.*

Copioſa redemptio.

C. Reddita eſt cauſa mirabilis, quare Iſraël debuiſſet in Domino ſperare: *quia in eius manu miſericordia* eſt, quæ poteſt ex perverſo facere iuſtum, ex imbecillo immortalem, ex carneo angelis ſimilem. Addidit etiam *& copioſa redemptio:* H. Quia non auro nec argento, ſed pretioſo ſanguine nos redemit. A. Vel copioſa dicit, ne quiſquam deſperaret de venia, arbitrans non uſque ad ipſam redemptionis pretium poſſe pervenire.

H

8 Et ipſe redimet Iſraël:
Ex omoibus iniquitatibus eius.

C. *Redemit* itaque *Iſraël:* ſanguine pretioſo, qui purificat non cruentat, qui non maculat ſed emundat ab omnibus maculis. Sed cum dicit *ipſe:* oſtendit præter ipſum evadendi impoſſibilitatem: & alium nullum potuiſſe nos redimere.

Oratio ex Pſal. C X X I X.

INtendant quæſumus Domine pietatis tuæ aures in orationem ſupplicum, quia apud te propitiatio eſt peccatorum: ut non obſerves iniquitates noſtras, ſed impertias nobis miſericordias tuas. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, &c.

A

Argumentum Psalm. C X X X.

C. Exemplo suo propheta humilitatem Christianum populum docens, pœnam ei gravissimam ponit, si mandata Domini non cum summa humilitate susceperit: hortatúrque Israëlem iugiter sperare in Domino, quatenus sæculi adversa valeat tolerare.

TT. Canticum graduum * David ∴.

C. Totus hic Psalmus de mansuetudine atque humilitate cantatur: eóque fit, vt quos labor præmissæ confessionis afflixerat, dulcedo gloriosæ devotionis reficiat. B

1 DOmine non est exaltatum cor meum:
Neque elati sunt oculi mei.

Syllogismus hypotheticus. C. Taliter hypotheticus syllogismus enascitur: Est enim sensus, *si non exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei*, à superbia videlicet reddor alienus. Attamen non est exaltatum cor meum, neque oculi elati sunt. A superbia igitur reddor alienus. Et sic cum propheta negat de se vitiosa, confitetur omnino laudanda.

2 Neque ambulavi in magnis:
Neque in mirabilibus super me.

Ioan. 19. C. *Ambulavit* Pilatus in magnis, qui dixit Christo nescis quia potestatem habeo dimittendi te: *ambulant in mirabilibus* qui de virtutibus quas à Deo acceperunt gloriantur, aut miracula quærunt, non vitam miraculosam. C

3 Si non ¶ humiliter sentiebam:
* Sed exaltavi animam meam. ¶ *Proposui & silere feci animam meam.*

C. Dicit se non superbè scripturas meditatum, monet ergo propheta divinas scripturas simplici ac puro corde ab vnoquoque esse meditandas: non vt Arriani & Manichæi. Iste ergo se dicit *humiliter sensisse*, vt Apostolus ait: *Noli altum sapere, sed time.* Negat, Rom. 11. iterum *exaltatam animam* ad culmen superbiæ, sed non negat elevatam ad prædicationes divinas. In illis enim rebus animam levare fas est, vnde cœlesti pane pascatur: in illis superbis exquisitionibus non licet, vbi mors reperitur.

D

4 Sicut ablactatus † est super matre sua:
† *Ad matrem suam.*
Ita ¶ retributio in anima mea.
¶ *Ablactata ad me anima mea.*

C. *Ablactati* dicuntur qui sunt à lacte prohibiti. Et merito talis est facta comparatio, quia sicut infantes vbera materna sugunt, ita fideles parvuli simplicitate scripturæ divinæ nutriuntur, donec præparentur ad solidum cibum. Est ordo autem verborum talis, *si non humiliter sentiebam, sicut ablactatus sub matre sua, sed exaltavi animam meam: tunc ita retribues*, id est, si ego te præsumpsi contemnere, tunc meritò videaris me abiicere.

5 † Speret Israël in Domino:
Ex hoc nunc & vsque in sæculum.
† *Expecta Israel Dominum à modo vsque in æternum.*

C. Docet propheta vnumquemque fidelium, vt confidentiam suam semper in Dominum ponat dicit enim, *ex hoc nunc*, id est, à præsenti tempore vsque ad æternitatem futuram: cum vnum sæculum erit & vicissitudo temporum in vnitatem perpetuam mutabitur. E Vsque in sæculum.

Oratio ex Psal. C X X X.

NE permittas nos exaltari in superbiis sæculi omnipotens Pater: sed qui mitis es & humilis corde, doce nos humilibus tibi placitis consentire. Qui vivis & regnas Deus, &c. Matt. 11.

Argumentum Psal. C X X X I.

C. Hic Psalmus incarnationis dominicæ sacramenta describit: cuius adventus Ecclesiam benedicat, Sacerdotes glorificet, inimicos confundat, & super ipsum Dominum floreat sanctificatio æterna iustitia. F

T T. Canticum graduum.

C. Cum prophetam omnia cantica graduum ad provectum spei celsioris evexerint: istud tamen eum omnimodis elevavit, qui incarnationis dominicæ sacramenta describit.

1 MEmento Domine David: Feria quinta in vesperis.
Et † omnis mansuetudinis eius.
† *Afflictionis.*

C. *Memento*: illi dicitur ex humano more, qui nihil aliquando potuit oblivisci, cui omne præteritum & futurum præsens est. Ille autem *David* manu fortis & desiderabilis est Dominus Christus. *Et omnis mansuetudinis eius*: per quod virtus immensæ patientiæ eius ostenditur. G David Christus.

2 † Sicut iuravit Domino: ¶ *Qui in.*
Votum vovit Deo Iacob.

C. Iuravit Dominus, scilicet Christus, id est, iure orавit secundum etymologiam: hoc est veraciter firmèque promisit, promisit vero se redempturum humanum genus. Quod ostendit, quando Petro ait, mitte gladium tuum in locum suum. Calicem quod dedit mihi pater, non bibam illum? Et hoc idem quem promisit, dicitur vovisse: votum itaque filij fuit, vt per adventum incarnationis eius reconciliaret patri genus humanum: hoc tamen votum non est à patre & spiritu sancto divisum, quia eorum hoc vnum est votum. Iuravit. Ioan. 18. Votum vovit. H

3 Si introiero in tabernaculum domûs meæ:
Si ascendero † in lectum strati mei.
† *Super lectum straminis mei.*

C. *Tabernaculum* dicit cœlestem habitationem, vbi post resurrectionem assumptâ carne videntibus Apostolis ascendit. *Lectus* ipsius, est requies intelligenda, beatissimæ scilicet passionis consummatio: quia consummatâ passione requies erat. Promittit enim se Christus non ascensurum in cœlum, nec carni suæ requiem illam daturum, donec quæ patri promisit impleverit.

4 Si dedero somnum oculis meis:
Et palpebris meis dormitationem.

C. *Somnus* iste intelligendus est requies mortis: quia triduanâ tantum pausatione susceptus est, & nullam Somnus mortis.

A Palpebræ. corpori corruptionem intulit, ſed quietem. *Palpebræ* à palpando dictæ ſunt: quæ niſi tremulà quadam remiſſione qoieverint, ſomnos oculos non poteſt introire. Et idem aliis verbis repetitum ſeqnitur: qooniam revera tempora capitis ooſtris requiem habere non poſſunt, qoando oculi crebris motibos agitati vigilare noſcuntur.

5 ⁝⁝ Et requiem temporibus meis ⁖ donec inveniam locum Domino:
Tabernaculum Deo Iacob.

H. Nec *requiem ſe temporibus* dediſſe profitetur, priuſquam in homine dignum Domino patri locum, vel Eccleſiæ congregationem conſtrueret ſuâ reſurrectione. C. Quia *locus* eius eſt tabernaculum pectoris Chriſtiani, & atria Eccleſiæ Catholicæ, quæ ille tanquam cœlum ſemper inhabitat. Et ipſe invenit, qoi quæſivit ovem perditam: ipſe reperit: qoi conſtruxit tabernaculum ſibi ex nobis, & in nobis.

B

6 Ecce audivimus † eam in Ephrata:
† *Illum.*
Invenimus ¶ eam in campis ſylvæ. ¶ *Illum in regione ſaltus.*

Ephrata, Bethlehem. Mich. 5. In campis ſylvæ. In cordibus gentium.

C. *Audivimus eam*, ſcilicet promiſſionem implendam. *Ephrata* ipſa eſt Bethlehem: vnde evidenter apparet auditum fuiſſe, naſciturum Dominum in Bethlehem, Michæâ Prophetâ dicente: *Et tu Bethlehem Ephrata nequaquam es minima, ex te enim exiet dux Chriſtus. Campi ſylvæ:* corda ſont gentium, quæ ex peccatis prius ſylveſtribus & dumoſis cubilia fuerunt dæmonum, nunc campi vocitantur Domino colente & extirpante. Campi à capacitate & ſpatio diffuſo dicti ſont.

7 † Introibimus in tabernaculum eius:
Intremus in tabernaculum eius.
¶ Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. ¶ *Adoremus ſcabellum pedum eius.*

C

Pedes eius.

H. Nos *introibimus in tabernaculum* Dei: qoi in adonatione Eccleſiæ per Dominom congregamur. C. *Pedes* ſignificant evangelicas iuſſiones: ibi enim *ſteterunt pedes eius*, vbi fidei veritas dignoſcitur eſſe fundata: ſtant enim Domini pedes æternâ ſoliditate veritatis fixi. H. Ibi ergo adorabimus, vbi apoſtolicæ prædicationes audiontur, quæ ſuſtentant totum corpus Eccleſiæ: locus itaque iſte, Eccleſia eſt.

8 Surge Domine in requiem tuam:
Tu & arca † iuſtificationis tuæ.
† *Fortitudinis tuæ.*

H. C. *Surge Domine*, &c id eſt ab inferis revertere in deitatis tuæ beatitudinem ſempiternam. C. *Tuam* dico: quam tibi tua maieſtas attriboit. *Tu & arca*, hoc eſt Eccleſia, quam ſanctificare dignatus es. Ideo vero Propheta ad Chriſtum dicit: *ſurge*, quia iam ſpiritu prævidit omnia impleta in prædeſtinatione, quæ ſuperius Chriſtus promiſit. H. Quaſi diceret, iam expleſti iuramentum, reddidiſti votum, inveniſti locum Deo, iam prodoxiſti ex latere tuo Eccleſiam: exurge nunc, revertere in tabernaculum & requiem tuam.

D

9 Sacerdotes tui ¶ induantur iuſtitiâ:
¶ *Induant iuſtitiam.*
Et ſancti tui † exultent. † *Laudent.*

Ephes. 6. H. *Sacerdotes Dei induantur iuſtitiâ*, vt loricâ iuſtitiæ muniti, non ſaucientur à iaculis inimici. C. *Et ſancti tui exultent*, qui Chriſtum in baptiſmo induerunt.

A Vel omnes ſancti, ſacerdotes dicti ſunt, regali illo ſacerdutio fidei & charitatis decorati.

10 Propter David ſervum tuum.
¶ Non avertas faciem Chriſti tui.
¶ *Ne.*

H. *Propter illum*, qui ex ſemine David formam ſervilem ſuſcepit, *non avertatur* claritas imaginis tuæ à ſanctis (in qoibos inhabitabat Chriſtus) ſed illuminet eos. A. C. Vel petit Propheta, vt à gente Iudæorum non avertat faciem ſuam, propter mortem Chriſti. Exandita eſt oratio: quia multi de gente illa ſalvi facti ſunt, vt Apoſtoli, & alij multi.

11 Iuravit Dominus David veritatem ⁝⁝ & ⁖ non fruſtrabitur eum: † *Non avertetur ab ea.*
De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

C. Quid enim firmios poteſt dici quam quando ille iurat per quem iuratur. Ille promittit qui non poteſt falli. *Fruſtrare* eſt in irritum promiſſa dedocere, quod hîc meritò denegat poſſe evenire, vbi locus eſſe deceptioni non potoit. *Fructus* eſt *ventris* doctrina Chriſti cœleſtis, de qna populus Chriſtianus eſt generatus ſedens ſuper ſedem eius, quando ſimilia mandata illius docere probatur. Socceſſores itaque Chriſti Apoſtoli, & alij poſiti ſunt ſuper ſedem Chriſti qui fuerunt fructus prædicationis Chriſti, verbo illius geniti. Per David igitur Chriſtus intelligitur, cui pater hoc iuravit, id eſt, firmiter promiſit ſecundum humanitatem.

12 Si cuſtodierint filij tui ¶ teſtamentum meum: ¶ *Pactum meum.*
Et † teſtimonia mea hæc quæ docebo eos. † *Teſtificationem meam quam docuero eos.*

C. Dicitur etiam & hoc de apoſtolis & Chriſtianis (qui filij Dei dici meruerunt integritate fidei) ſi teſtamentom Dei omnémque doctrinam porâ devotione cuſtodiant: ſedere ſemper in cœleſtibus & æternaliter, hoc eſt uſque in ſæculum ſcilicet futurum in cœlo, cuius non erit finis.

13 Et filij eorum: uſque in ¶ ſæculum:
¶ *Æternum.*
Sedebunt ſuper † ſedem tuam.
† *Thronum tuum.*

H. Sedebunt & filij noſtri: hoc eſt rememorabuntur opera bona, quæ ob amorem illius operati ſumus in coospectu eius.

14 Quoniam elegit Dominus Sion:
¶ Elegit eam in habitationem ſibi. ¶ *Deſideravit eam in habitaculum ſibi.*

H. *Sion:* ſancta Eccleſia, in ipſa enim requieſcit Dominus, id eſt, in cordibus electorum ſoorum, id eſt, in ſanctis animabos, ſacramentis cœleſtibus ſanctificatis.

15 Hæc requies mea in ſæculũ ⁝⁝ ſæculi ⁖
Hic habitabo † quoniam elegi eam.
† *Quia deſideravi eam.*

C. Ipſa eſt enim *requies*: Dominum ipſum ſpecialiter tabernacolom in religioſis hominom pectoribos inſidere, & ſic ubique eſſe, ut in his dicatur immenſus & incompreheuſibilis habitare.

A

16 § Viduam eius benedicens benedicam : § *Venationem.*
Pauperes eius saturabo † panibus. † *Pane.*

Vidua eius Ecclesia dicitur.

A. Vox patris de filio suo *viduam eius*, &c. A. C. Vidua Christi dicitur Ecclesia : quæ omni auxilio mundano destituta, solam spem suam ponit in Domino : quam benedicens benedicit, qui iugi eam benedictione sanctificat. Reveta pauperes Christi cœlesti pane saginantur: quoniam in mundanis copiis semper esuriunt, de quibus dicitur. *Beati pauperes spiritu.*

Matt. 5.

17 Sacerdotes eius induam § salutari : § *Salutare.*
Et sancti eius † exultatione exultabunt. † *Laude laudabunt.*

B

C. *Sacerdotes* Dei *induuntur salutari* : quando Dominum salvatorem summâ fidei integritate recipiunt, & ipsius misericordiâ vestiuntur. *Exultatione exultabunt* : perpetuam lætitiam vult significare sanctorum.

18 § Illic producam cornu David : § *Ibi oriri faciam cornu David.*
Paravi lucernam Christo meo.

Cornu David.

C. *Illic* cum dicitur, illa beatitudinis requies designatur, de qua superius dixit, *hac requies mea*, &c. *Cornu David* : fortitudo potestatis Christi in illa indicatione monstranda est, ubi ab ipso sanctis æterna præmia conceduntur. *Paravi lucernam.* H A. C. Id est, Ioannem Baptistam, vel eius lumen prædicationis, scilicet, Ioannis Baptistæ, qui fuit vera lucerna Christi.

Ioan. 5.

19 Inimicos eius induam confusione :
Super ipsum autem † efflorebit sanctificatio mea. † *Florebit diadema eius.*

C

C. Sicut sacerdotes Dei induuntur salutari : ita inimici eius (hoc est, hæretici vel pagani, vel quicunque contra eius instituta vixerunt) confusionis velamine vestiuntur, quando illi audiunt. *Venite benedicti*, illi autem *Ite in ignem æternum*. Efflorebit autem dixit, ad exprimendam sanctitatem gloriosæ incarnationis : floruit enim in Christo paterna semper sanctificatio, quicquid egit vel quicquid pertulit.

Oratio ex Psal. CXXXI.

IN omni ingressu nostro, memor esto nostri omnipotens Deus : indue nos sacerdotali iustitia, ut induci mereamur in tabernacula sempiterna. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

D

Argumentum Psal. CXXXII.

C. *Post præcedentis Psalmi gloriosissimam prædicationem, Propheta beatam prædicat unitatem, ut qui se Christianâ religione constringunt, in unâ charitatis conventientiâ perseverent.*

TT. Canticum graduum * David.

1 ECce quam bonum & quam § iucundum : § *Decorum.*
Habitare fratres in unum ?

E

H. Hic duo posuit, *bonum*, scilicet & *iucundum*, & quod sibi videbatur esse contrarium, uno sermone coniunxit : cum martyrium sit bonum non iucundum : voluptas iucunda non bona. C. Dicendo autem *fratres in unum* : significat non carnales fratres, sed eos qui fidei societate sub uno patre sunt constituti, quibus est cor unum & anima una.

Fratres. Act. 4.

2 Sicut unguentum † in capite : † *Optimum in capite.*
Quod descendit in barbam barbam Aaron.

C. *Unguentum in capite*, est spiritus sanctus : qui descendit supra Christum in baptismo in specie columbæ : qui est caput corporis Ecclesiæ. *Quod descendit in barbam*, id est, idem ipse spiritus, in apostolos: qui barba bene dicti sunt, quoniam viriliter fixi sub Christo suo capite velut barba perseverant. Addidit *Aaron* (qui Christi speciem gestabat in suo sacerdotio) ut non cuiuscunque hominis barbam, sed Christi intelligeres.

Matt. 3. Barba, apostoli sunt. Barba Aaron, id est, Christi.

F

3 Quod descendit § in oram vestimenti eius : § *Super oram vestimentorum eius.*
Sicut ros Hermon, qui descendit † in montem Sion. † *Super montana.*

C. Per *oram vestimenti*, Dei significatur Ecclesia : in cuius orâ descendit unctio ista, quia usque in finem sæculi descendit spiritus Sanctus super eum in baptismo, suáque miseratione sanctificat. H. *Hermon* Hebræum nomen est montis ultra Iordanem fluvium constituti : & interpretatur anathema, significátque populum Iudæorum à Deo reprobatum. *Ros Hermon*, divina scriptura, quæ prius Iudæis credita est, & postea ad montem Sion (id est, Christi Ecclesiam) transcendit. A. Vel fides & gratia Dei. Ros iste est, à Iudæa in gentes descendens, quæ nunc speculantur fide Deum, & ideo Sion sunt.

Hermõ.

Ros.

G

4 Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem :
!! Et ∴ vitam usque in § sæculum. § *Æternum.*

C. *Illic*, scilicet in Sion, id est in Ecclesia, quæ fratrum adunatione consistit. *Mandavit benedictionem* : hoc est, misit salvatorem, qui credentium est vita & beatitudo perpetua. C. Nulla enim discordantibus benedictio præstatur) illic ergo ubi concordia est, benedictio Dei mandatur.

Oratio ex Psal. CXXXII.

INfunde Domine in Ecclesiam tuam, charitatem nostra fraternitatis & pacis : ut vere unguenti spiritalis aspersi, benedictionis tua gratiâ iocundemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

H

Argumentum Psal. CXXXIII.

C. *Post mutua dilectionis monita, nunc consequenter suadet : ut fælix adunatio in laudes domini flagrantissimo charitatis studio concitetur.*

TT. Canticum graduum.

1 ECce !! nunc ∴ benedicite domino :
Omnes servi domini.

A

Nunc, id est, in æterna patria.

C. *Ecce* dictum est, ut rebus certis atque perfectis non solum sermo, sed etiam articularis præstaretur ostensio. Sed *nunc*, dictum est, id est, in æterna patriâ: quia tot gradibus ascensis, solus ille laudari debuit, mirabiliter qui tanta concessit. Tunc enim maiori studio prædicandus est dominus: quando facit sua largitate securos. Vel nunc, id est, in præsenti vita, ubi exercendus est animus, ut in futuro æternis laudibus occupetur. *Benedicite*, id est, laudate: quia nos illum benedicendo laudamus, ille nos benedicendo sanctificat. H. *Servi domini* sunt: quibus ira non imperat, quibus peccata non regnant, quibus non dominantur vitia.

Benedicite Servi domini.

2 Qui statis in domo domini:
!! In atriis domûs Dei nostri :·

B

C. Illi *stant in domo domini*: quorum animus in religione Dei firmo vestigio perseverat. *Atrium* est ingressus mansionis: significans eos qui meruerunt esse vel in penetralibus, vel in ingressu sanctæ Dei Ecclesiæ. *Dei nostri*, id est, non quem gentilitas colit, sed quem vera religio confitetur.

3 In noctibus extollite manus vestras † in sanctâ: † *Ad sanctum.*
Et benedicite domino.

In noctibus, id est, tribulationibus.

C. *In noctibus*: signat terminum istius mundi, tempus quod semper tribulationibus obscuratur. Ibi enim levandæ sunt manus, ubi meretur bona operatio auxilium domini. Cum dicit *extollite*: hoc est uberiùs eleemosynam & bona opera facite. Addidit vero *in sancta*, scilicet Ecclesiâ: vel in sancto scilicet Christo, ut in hebræo est: vel in sancta opera, quæ solum in Ecclesia sancta sunt. Illam enim solam eleemosynam Christus accipit, quam eius nomine, id est, in sanctâ Ecclesiâ fidelis Christianus obtulerit. Sed ne quis sibi aliquid arroget: dominum dicit esse benedicendum, quia ipse dat & animam misericordem, & substantiam largiorem.

In sancta.

C

4 Benedicat te dominus ex Sion:
¶ Qui fecit cœlum & terram. ¶ *Factor cæli & terra.*

H. Istum versiculum spiritus sanctus loquitur (sive prophetа) ad illum, qui per quindecim gradus ascendit ad benedictionem, ut recipiat mercedem. *Benedicat te dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram*: ad distinctionem eorum dicit, qui sunt dij falsi.

Oratio ex Psal. C X X X I I I.

Benedicentes te domine deprecamur: ut nos mundi huius nocte contectos, illuminare digneris: quatenus dum manus nostras in bonis operibus elevamus, benedictionem à te largissimam consequamur. Per dominum nostrum Iesum, &c.

D

Argumentum Psal. C X X X I V.

C. *Propheta laudes domino dicit esse soluendas: magnalia ipsius diversa commemorans: destruensque falsitatem, idolorum cultores redarguit.*

TT. Alleluia.

C. Perascensis gradibus usque ad illam summitatem, quæ securos efficit Christianos, congrue nimis ponitur *alleluia*: ut laudibus domini perfruatur sancta Ecclesia, cui tale munus noscitur esse præparatum. Quapropter sinceris mentibus alleluia dicamus, ut illi sancto populo, per divinam gratiam misceamur.

1 Laudate nomen domini:
Laudate servi dominum.

H. *Laudate nomen domini*: quod per fidem cognovistis esse super omne nomen. *Laudate servi*: Id est, qui servi ipsius estis, pronâ voluntate devoti, & dimisistis servire diabolo.

2 Qui statis in domo domini:
In atriis domus Dei nostri.

C. *Qui statis*: hoc est qui perseveranti voluntate in eius credulitate consistitis. *Atrium* dicitur, amplissimæ domûs primus ingressus, ubi habitantes focos facere solebant. Et ab atro fumo appellata sunt Atria, quasi atra: illos enim Deum benedicere in his verbis debere dicit: qui in primum membrum domûs dominicæ videntur ingressi.

3 Laudate dominum, quia bonus dominus:
† Psallite nomini eius, † *Cantate.* quoniam ¶ suave ! ! est :· ¶ *Decens.*

C. Considerate quod *laudate* tertio posuit, ut per laudis similem qualitatem, sanctæ trinitatis indivisibilem unitatem nobis ostenderet. *Quoniam bonus*: qui non solum bonus, sed optimus. *Psallere* vero ad bonas operationes corporis refertur; ut in hac conversatione dominum videamur de nostra probitate laudare.

4 Quoniam Iacob elegit sibi dominus:
Israël in † possessionem sibi. † *Peculium suum.*

C. *Elegit* itaque *Iacob dominus*: dum populum Ecclesiæ diversarum gentium adunavit. *Possidet Israel* quando in illa resurrectione beatorum, ipse in omnibus habitare probatur.

5 Quoniam ego cognovi, quod magnus ! ! est dominus:
Et ¶ Deus noster præ omnibus diis. ¶ *Dominus.*

C. Videbat enim vir sanctissimus maiestatem illam mirabilem, virtutibus cœlorum imperantem, & illius magnitudinem revelante spiritu cognovit: merito præ omnibus diis magnum dominum dixit, à quo cuncta creata sunt. Non autem *deos* dixit, quod eos Deos crederet, quos stulta gentilitas adorabat: sed quia ipsi eos Deos dicebant, quos suggillando eorum vocabulo commemorat.

6 Omnia quæ ! ! cunque :· voluit dominus fecit in cœlo & in terrâ:
In mari & in omnibus abyssis.

C. *Cælum* positum est, pro cunctis cœlestibus: *terra*, pro omnibus quæ in humo gignuntur: *mare*, pro istis finibus, quos commeantium discursus invisitat. *Abyssus*, oceanum signat, qui propter altitudinem suam nobis ignotus est. In his omnibus voluntas Dei sine dubitatione completur.

7 † Educens nubes ab extremo terræ: †
Levans nubes de summitatibus terræ.
Fulgura in pluviam fecit.

C. Si sequentia ad literam accipis: vera sunt. Sed quia de hebræo populo dicit inferiùs: convenit hæc quoque hominibus applicare. H. C. *Educens nubes*

A id est, elevans prophetas ab humili proposito, fecit pervenire ad fastigium prædicationis. *Fulgura* : sunt prophetarum prædicationes, cum terrendo convertunt peccatores : quæ *pluvia fiunt*, cum diluunt delinquentes à peccatis, & imbrem salutarem infundunt, unde spiritales fructus germinent.

8 § Qui producit ventos de thesauris suis: § *Educens.*
Qui percussit † primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus. † *Primitiva.*

Venti Apostoli. Primogenita Ægypti.

C. *Ventos* : Apostolos dicit, quorum prædicatio totum mundum tanquam ventus celerrimus percurrit. *De thesauris.* H. Id est, de arcanis cœlestibus. H. *Primogenita* mundi percutit Deus quasi Ægypti : quando natos homines originali peccato, suâ potenti inspiratione corrigit. *Ab homine &c.* id est, prudentioribus huius sæculi, usque ad mansuetus ac simplices viros: omnes enim (qui per gratiam domini liberentur à diabolo) velut Pharaonis impiâ dominatione deprimuntur. B

9 Emisit signa & § prodigia in medio tui Ægypte : § *Portenta.*
In Pharaonem & in omnes servos eius.

C. *Misit signa* : quando in passione Christi terra tremuit, saxa disrupta sunt. Dictum est signum, ab eo quod significet : sicut vestigio viso, transisse animal cuius vestigium est cogitamus. *Prodigia* quasi porro dicia, id est, longe prædicentia : quæ tunc facit cum animas fideles per aliqua signa præmissa convertit. *Pharao*, dissipatio interpretatur & diabolum significat. *In omnes servos eius*, id est, in illos qui illi serviunt: illius enim servi sumus, cui spontaneâ mente servimus. Submergitur enim cum servis suis diabolus, quando salutari fonte baptismi populus à diaboli errore liberatur.

Signa. Prodigia. Pharao. Diaboli typus. C

10 Qui percussit gentes multas :
Et occidit reges fortes.

C. *Gentes* : dicit catervas vitiorum, has *percutimus*, quando satisfactione per pœnitentiam vulneramus quod enim est illis vulnus, nobis salus est. *Reges fortes*: spiritus immundos dicit : quos *occidit* dominus, cum nos mundat à delictis, & illos facit a nobis extraneos.

11 Seon regem Amorrhæorum & Og regem Basan:
Et omnia regna Chanaan.

C. *Seon* : interpretatur tentatio oculorum. *Amorrhæi* : amaricantes. Vere amara sunt vitia, quæ nos ab illa beatitudine iocundissimâ deducunt. Hæc habent regem diabolum, qui est tentatio oculorum, quando se transformat in angelum lucis, ut per speciem boni devotos decipiat. Ista Deus occidit quando nos à talium servitute liberavit. *Og*, conclusio : *Basan*, confusio interpretatur. Meritò ergo confusionis rex conclusio perhibetur. Diabolus enim nobis conclusit regnum cœleste, & in confusionem deiecit. H. *Chanaan* : commotio interpretatur, quia diaboli illa regna commovent nos à Deo. C. Quæ ille occidit, qui crucem pro omnium salute suscepit.

D 2.Cor.11.

12 Et dedit terram eorum hæreditatem:
Hæreditatem Israël populo suo.

C. *Terra* illa est : quam sine dubio Christiani æternâ pace possidebunt in hæreditatem. Ideo addit, *hæreditatem Israel populo suo* : ista ergo hæreditas beatitudinis est ipsa perpetuitas. H. In quam nos suâ gratiâ ascivit.

13 Domine nomen tuum in æternum: E
Domine memoriale tuum in generatione & generatione.

C. Precatur ergo, ut humano generi nomen eius semper debeat permanere, quatenus ab adventu Christi usque ad finem sæculi semper dici & esse debeant Christiani. H. Vel illo nomine in æternum permanente, nobis sit hæreditas sempiterna. C. *Memoriale* Dei est : quicquid in scripturis sanctis commonitione saluberrimâ continetur. *Saculum saculi* : significat diem sempiternum, ubi enim nos habemus *generatione & generatione*. Cassiodori translatio habet *in saculum saculi*. H. Vel generatione & generatione : scilicet iudæorum & Christianorum : ut quod legis umbra præfiguravit, in Evangelio agnoscatur. A. Vel in hoc sæculo & futuro.

Nomen tuum Christiani. Memoriale tuum in scripturis sanctis. F

14 Quia iudicabit Dominus populum suum.
Et in † servis suis deprecabitur. † *Servos suos erit placabilis.*

C. *Iudicabit*, id est, damnabit dominus iudæos non credentes : quia noluerunt esse ipsius, quos de cunctis elegit nationibus ad possidendum. *Et in servis suis*, id est fidelibus, quibus dictum est, Qui credit in me, non iudicabitur : sed transit de morte ad vitam. In illis *deprecabitur* : id est, propitiabitur, quibus æterna promissa dat. Ab illis deprecatur : quos & exaudit.

Ioan.11. Deprecabitur.

15 † Simulachra gentium argentum & aurum : † *Idola.*
Opera manuum hominum.

C. Designantur autem his simulachra, per illud unde sunt, id est, aurum & argentum (metallorum scilicet qualitate formatâ) ad irrisionem gentium. Bene enim gentiles irridentur, cum putant Deos suos homini præstare quod capiunt ab homine, scilicet aurum, argentum, &c. melius enim consulerent sibi homines, ea frangentes : tunc enim aliquid prosunt, si ad pecunias translata descendunt : unde Deus eorum non exaudit integer, sed præstat potius imminutus.

G Dii gentiũ, plus prosunt confracti quam integri.

16 Os habent & non loquentur :
Oculos habent & non videbunt.

C. Quid prodest os quod non loquitur? quid oculus qui non videt? Vocabula enim sunt vana, non officia profutura.

17 Aures habent & non audient :
Neque enim est spiritus in ore ipsorum.

C. Quid prodest auris quæ non audit? quid nares quæ non odorant? nomina vana sine rebus : præsumptio caduca. Quæ utilitas manus quæ non palpat? quid pes qui non movetur? quid guttur quod non sonat? noxia sunt deliramenta, non veritas firma : abunde enim gentium simulachra derisa sunt. H

18 Similes illis fiant qui faciunt ea :
Et omnes qui confidunt in eis.

C. Dignum est enim, ut careant collatis sensibus, qui Deos insensatus sibimet effecerunt. Et intuere, quoniam fabricatores & cultores omnes idolorum, unâ complectitur damnatione, dum dicit, *qui faciunt & qui confidunt in eis.*

19 Domus Israël benedicite domino :
Domus Aaron benedicite domino.

C. Admonet

A Israël omnis iustus.

C. Admonet hic ut vero domino debeant personare laudes fidelium. *Per Israel*: omnis iustus significatur, qui divinâ contemplatione gratulatur. In *Aaron*: sacerdotes sancti significantur.

20 Domus Levi benedicite domino:
Qui timetis dominum benedicite domino.

C. In *Levi* etiam, sancti ministri, id est, diaconi significantur: ad postremum qui domino in qualibet conversatione famulantur. Sic omnis populus Deo devotus per diversas partes Deum laudare præcipitur.

21 Benedictos dominus ex Sion:
Qui babitat in Hierusalem.

B

C. *Benedictus dominus*, id est, Christus qui est *ex Sion*, id est, suam Ecclesiam sanctâ incarnatione visitavit, ipse est *qui habitat in Hierusalem*: quæ diversorum sanctorum congregatione construitur, & regis sui præsentiâ fœlicitate lætatur æternâ.

Oratio ex Psal. C X X X I V.

SVavitatis eximie Deus (quem omnis terra pro dulcedinis benignitate collaudat) rogamus, ut abluto à nobis vano superstitionis errore, tuis voluntatibus connectamur. Per dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psal. C X X X V.

C. *Magnificentiam domini propheta declarans, miracula refert, qua fecerit in Ægypto & gente Iudæorum: misericordiam eius sæpius nobis inculcans: quia illius est misericordia, omne quod possumus: & clementia omne quod vivimus.*

C

TT. Alleloia.

C. Mirabilis psalmus, & nimiâ virtute profundus: cuius enim virtutis sit, in lib. Paralipomenon ostenditur, ubi ait. *Cum cœpissent Deum laudare & dicere. Confitemini domino, &c. implebatur domus nube & caligine: ita quod nec sacerdotes poterant stare, & ministrare propter caliginem: compleverat enim gloria domini domum Dei.* Nam licet in omnibus psalmis, si porè cantantur, certum sit adesse divinam præsentiam: hoc tamen magis creditur, quod legis auctoritate firmatur. (2.Par.5.)

1 COnfitemini domino quoniam bonus:
Quooiam in æternum misericordia eius.

D

C. *Confitemini*: tam confessio peccatorum quam laudis intelligitur. Quia vero *misericordia*, in singulis versibus repetitur, hoc indicat: quia omnia quæ dicuntur, ex misericordiâ Dei procedunt: sine qua nec esse nec valere possumus. Quapropter nec ab ore nostro debet, nec à corde discedere, quatenus & ipsa dignetur nos iugi tutione servare. *Bonus* vero dicitur: quoniam laudes suas clementer audit, & supplicantibus miseratus indulget. Addit *in æternum misericordia eius*: quia hic præstat, ut recreet: parcit, ut corrigat: & in futuro misericordiam tribuit, ut coronet. (Cur in singulis versibus misericordia repetatur.)

2 Confitemini Deo deorum.
Quoniam in æternum misericordia eius.

C. *Deus* ille *deorum* est: cui nullus similis invenitur. Et non potest Deus deorum nisi sola trinitas sancta nuncupari.

E

3 Coofitemini domino dominorum:
Quoniam in æternum, &c.

C. *Dominus dominorum* ille solus est: cui cuncta deserviunt: ipse est etiam sanctus sanctorum, ipse rex regum & omnium potestatum.

4 Qoi facit mirabilia magoa solus: † *Fecit*.
Qnoniam, &c.

A. C. Per istos omnes versus, usqoe in finem, subaudiendum est *confitemini*: ut nobis plena possit constare sententia. Dicit itaque *solum illum fecisse mirabilia*: quasi & non per Angelos & Apostolos fecerit mirabilia: sed hic memorat ista mirabilia fecisse solum, quando verbo suo conditiones rerum fabricasse monstratur, quas sine ministerio fecit creaturæ, unde sequitur. *Qui fecit, &c.* (Qui facit mirabilia solus.)

F

5 Qui fecit cœlos in ¶ intellectu: ¶ *Sapientia*.
Quoniam.

C. *In intellectu* ergo *cœlos fecit*: quia nulla confusione, nullâ inordinatione, nullâ informitate creati sunt: sed distincti atque compositi, in sapientia creatoris sui peracti sunt. (In intellectu, id est. Sapientia.)

6 Qui firmavit terram super aquas: qooniam.

C. *Firmavit terram super aquas*, scilicet sacri baptismatis, quibus terra nostra (hoc est corpus nostrum) reficitur, dum stabilitate religionis firmatur. Sive ad literam, *super aquas*: id est, juxta aquas. Vel etiam, superiorem aquis unâ parte sui. (Super aquas.)

G

7 Qui fecit lumioaria magna: qooniam.

C. Etsi ad literam de astris verum sit, spiritualiter tamen magna luminaria fecit, cum Angelos ac potestates, thronos, dominationes creavit: quæ pietate sanctissimâ cœlesti lumine irradiant. (Luminaria magna.)

8 Solem in potestatem diei: quoniam.

C *Potestas diei*: est adventus solis, qui per eum omnibus declaratur visibilis creatura. Potest & de Christo dici, qui illuminat mentium tenebras.

6 Lunam & stellas in potestatem noctis: quouiam.

C. *Lunam*, Ecclesiam debemus accipere: *stellas*, eius diversos ordines, ut sunt Episcopi, presbyteri, diaconi: qui velut stellæ cœlesti noscuntur conversatione radiare. Qui *in potestate noctis*, id est, istius sæculi dati sunt: ut per eos caliginosa reluceant corda mortalium. (Stellæ, sacri ordines.)

H

10 Qui percussit Ægyptum eum † primogenitis eorum: † *Primitivis eius*.
Quoniam.

C. Quoniam historia nota est, videamus quid hic possit spiritualiter intelligi. *Percussit* Christus *primitiva Ægypti*: quando istius sæculi damnavit gloriam, quæ putabatur esse præcipua. Nam luxus & superbia ac avaritia, quasi primitiva sunt mundi: ipsam enim primo generat pessimus venter, & velut caros filios amplectitur, dum rerum istarum cupiditate gratulatur. Hæc percussit dum damnavit. (Primogenita Ægypti, luxus superbia & avaritia.)

11 ¶ Qui

A

11 ¶ Qui eduxit Israël de medio eorum: quoniam. ¶ *Et.*

C. Per *medium* enim Ægyptiorum *educitur Israël*: quando sanctos suos à conversatione liberat pessimorum, & à mundi istius teterrimâ habitatione in lucem suæ veritatis adducit.

12 In manu † potenti & brachio excelso: † *Valida & brachio extento.*
Quoniam.

C. Manus fortis: ad invincibilem pertinet actionem. *Brachium excelsum*: ad omnipotentiam domini singularem, quæ semper demonstrat omnium rerum auctorem.

B

13 Qui divisit mare rubrum in divisiones: Quoniam.

Mare rubrum in divisiones.

C. *Rubrum mare*: est istius sæculi permixta profunditas: quam multis divisionibus transimus, quando conversi ad terram viventium festinamus: alter enim per eleemosynas, alter per charitatem transit ad Deum.

14 Et eduxit Israël ¶ per medium eius: ¶ *In medio.*
Quoniam.

C. *Et eduxit Israël*: quoniam iste versiculus repetitus est, expositio superius dicta sufficiat.

15 Et † percussit † *Convolvit.* Pharaonem, & ¶ virtutem eius in mari rubro: ¶ *Exercitum.*
Quoniam.

C

C. *Et excussit Pharaonem*, id est, diabolum cum ministris suis, in fonte salutis, id est, baptismi: ubi eos suæ potentiæ virtute removet. *Excussit* autem dixit (hoc est quasi pulverem proiecit) ut de celeritate & virtutem divinitatis ostenderet, & illos terrenas sordes esse monstraret.

16 † Qui transduxit populum suum per desertum: † *Qui duxit.*
Quoniam.

Desertū: Mundus iste.

C. *Desertum* enim dicitur mundus: qui divinâ electione privatus fuit, & meritò sic vocatur, quia ad se venientem non recepit auctorem. Illi ergo à Christo per eum transducuntur, qui illæsi à malis eius pertranseunt.

17 Qui percussit reges magnos: quoniam in æternum.

Reges magni, impia desideria.

C. *Percussit reges magnos*: quando in corde nostro cœlestis medicus impia desideria extinxit: tunc enim nos vivimus, dum illa moriuntur: E contrario necesse est nos succumbere, si contingat illa superare.

D

18 Et occîdit reges ¶ fortes: quoniam in æternum. ¶ *Magnificos.*

Reges fortes, dæmonia.

C. *Reges fortes occidit*: quando à nobis expellit dæmonia, immissione variâ grassantia: quorum voluntas mala tunc extinguitur, si fidelium animæ ab eorum potestate tollantur.

19 Seon regem Amorrhæorum: quoniam.

Seon, diabolus.

C. *Seon* quidem interpretatur tentatio oculorum, sive arbor infructuosa. *Amorrhæus*, exacerbatio: quæ omnia videntur ad diabolum pertinere. Ipse est enim arbor infructuosa, ipse est exacerbatio. Sed hæc in nobis dominus occidit, quando nos ad instituta sua morum sanctitate perduxerit.

E

20 Et Og regem Basan:
Quoniam.

Og, diabolus.

C. *Og*: conclusio seu coacervans interpretatum dicitur. *Basan*: confusio, & diabolum significat. Qui rectè confusio dicitur: quoniam suos sequaces confundit, & ipse in iudicio Dei de beatitudine discedit confusus: ipse quoque peccata nostra coacervat ut accuset, & viam ad Deum concludit ne videatur.

21 Et dedit terram eorum hæreditatem:
Quoniam.

F

C. Data est terra illa æternæ beatitudinis populo Christiano, quæ fuerat pollicita iudæis. Illis enim in sua iniquitate proiectis, sanctis ac fidelibus promissa hæreditatis præmia conferuntur.

22 Hæreditatem Israël servo suo:
Quoniam.

C. Cum dicit *servo suo*, id est, Christiano populo, illos enim sequestrat qui iussionibus eius restiterunt, sive iudæos, sive Christianos,

23 Quia in humilitate nostrâ memor fuit nostri: Quoniam.

C. Ipse enim Christus monstravit nobis & humilitatis viam, & patientiæ disciplinam. Quapropter in humilitate positorum memor fuit: quando in adventu suo eos proprio cruore liberavit, tunc quoque latiùs cepit desiderari humilitas, quando eam in se dominus salvator ostendit.

24 Et redemit nos ¶ ab inimicis nostris: ¶ *De hostibus nostris.*
Quoniam.

G

C. *Redemit* enim *nos*: à diversis iniuriis, de potestate diaboli, quando alapis cæsus, flagellatus, verberatus est, & sanguinem in pretium dedit.

25 Qui dat † escam omni carni: † *Panem.*
Quoniam.

Qui dat escam omni carni.

C. *Dat escam carni*: cum suos fideles corpore & sanguine suo saginare & satiare dignatur. Si etiam ad literam intelligas, suâ misericordiâ omnia tenet & cibat.

26 Confitemini Deo cœli: quoniam in æternum.

H. *Confitemini Deo cœli*, id est, debitas ei reddite laudes, qui nos à terrenis ad cœlestia commutavit.

H

27 *!!* Confitemini domino dominorum:
Quoniam.

C. Memorat iterum in fine per ipsum versum, quem in capite posuit, esse confitendum: ne quid præter eius laudem & misericordiam agi posse crederetur.

Oratio ex Psal. CXXXV.

Memor humanitatis nostræ miserere omnipotens Deus: & qui quondam patribus nostris terram adversariorum in hæreditatem donasti: nos à peccatis liberos cum tua hæreditate constitue. Per dominum nostrum Iesum, &c.

A

Argumentum Psal. C X X X V I.

B. *Tripliciter hic psalmus intelligi potest : de captivitate Iudaicâ in Babylone : & de peccatoribus ab Ecclesia eiectis : & de eiectione, qua primi nostri parentes de paradiso expulsi sunt.*

TT. 1 ! Psalmus David propter Hieremiam :·

1 SVper flumina Babylonis † illic sedimus & flevimus : † *Ibi.*
Dum recordaremur Sion.

B

Babylon Flumen. H. *Babylon* : confusio interpretatur, & significat præsentem mundum. *Flumen* : significat unumquemque pulchrum ad horam, cuius flos sicut flumen transit. C. Supra flumina sedent fideles : qui captivitatem in hoc mundo patiuntur, & suspirantes desiderio patriæ cœlestis Hierusalem, amaras lachrymas fundunt.

2 ¶ In salicibus in medio eius : ¶ *Super salices.*
Suspendimus † organa nostra. † *Cytharas nostras.*

Salices. H. *Salix* est lignum infructuosum, & dicitur quod si quis ex illâ accipiat potionem aut manducet, filios non facit. *Organum* autem, hominis corpus est. Sicut enim organum ex multis fistulis compositum est, ita corpus nostrum ex multis organis & membris : per ipsum quoque tactum manibus hoc est per opera, melos & cantica & hymnos referimus Deo. Dicitur iterum salix radicem non habere, tamen si abscinditur & secus aquam plantatur, statim virescit : sic peccator licet peccaverit & ceciderit, tamen si sit secus aquam, id est, si legit sacras scripturas, viret anima eius.

C

3 Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos :
Verba ¶ cantionum. † *Carminis.*

Rom.7. H. Dæmones qui deceperunt nos & *captivos duxerunt*, quasi gloriantes & deridentes dicunt nobis, reddite verbum de fide vestrâ, & quemadmodum quando eratis in Hierusalem, id est, paradiso hymnum dicebatis Deo, ita nunc canite. C. Tenet quippe nos lex peccati in membris nostris captivos secundum mentem, ut non quod volumus faciamus, sed quod nolumus.

4 Et qui † abduxerunt nos :
Hymnum cantate nobis de canticis Sion. † *Affligebant nos, læti canite nobis.*

D

C. *Et qui abduxerunt nos*, id est, concupiscentiæ carnales (quæ nos iure captivitatis illaqueant) frequenter, suadent, ut verba psalmodiæ in locis immundis canere debeamus.

5 Quomodo cantabimus canticum domini :
In terrâ alienâ ?

C. *Quomodo cantabimus* (illis respondendum est) nos in peccatis constituti. *In terra aliena*, id est, inter actus vitiosos, qui sunt à Deo alieni. *Canticum domini.* H. peccator etenim non debet cantare, sed lugere peccata sua. Non potest enim nisi sanctus verè Deum laudare.

Psal.49. Eccl.15.

6 Si oblitus fuero tui Hierusalem :
Oblivioni detur dextera mea.

C. Astringit itaque se propheta duris conditionibus & vinculis, non ab eius mente discedere cœlestem Hierusalem, quæ est regio beatorum : quam qui hic obliviscitur, in regnum Dei minimè collocatur. H. Dextera quippe, bonorum sunt opera recta. Si vis semper in memoria Dei esse, opera fac dexteræ.

7 Adhæreat lingua mea ¶ faucibus meis : ¶ *Gutturi meo.*
Si non meminero tui.

C. Nunc proponitur secunda pœnalis conditio. Quid enim probatur deterius esse : quam illud non posse loqui, unde consuevit medicina præstari ? psalmodia est enim consolatio flentium, cura dolentium, sanitas ægrotorum, hoc animæ remedium, hoc miserorum omnium cognoscitur esse suffugium. Recordari igitur semper Christi debes, ne tali munere priveris.

8 Si non proposuero Hierusalem :
In principio lætitiæ meæ.

C. *Principium lætitiæ* est semper validum, semper amplissimum : quoniam in ipsis initiis voluntas accenditur gaudiorum. Omnia enim subita violenta sunt, & quod diuturnum in hoc sæculo fuerit, intepescit. Ve. principium lætitiæ, filius natus est Dei.

9 Memor esto domine filiorum Edom :
In die Hierusalem.

C. *Edom* alij sanguineum, alij terrenum interpretantur. H. Quis ergo est nisi diabolus ? diabolus est enim qui decipit genus humanum, cui petit propheta retribui, ut sentiat pœnam quam ipse sua malitia homini adduxit, trahens & adducens in Babylonem.

10 Qui dicunt † exinanite exinanite : † *Evacuate, Evacuate.*
Vsque ad fundamentum ¶ in ea. ¶ *Eius.*

C. Verba ista filiorum sunt Edom, persequentium populum Christianum qui persequebantur *usque ad fundamentum*, id est, usque ad mortem martyrij. Dicere autem *exinanire* est dicere lucem temporalem eripere à similitudine cisternæ tracta sunt verba : quæ quanto plus exhauritur, tanto magis exinanitur. Verum quid prodest malis usque ad fundamentum (quod Christus est) exinanire Christianorum temporalia ? dum fundamentum Christum eripere non possint, neque æterna bona minuere.

11 Filia Babylonis † misera : † *Vastata.*
Beatus qui retribuet tibi ¶ retributionem tuam, ¶ *Vicissitudinem tuam.* † quam retribuisti nobis. † *Quam tu.*

C. *Filia Babylonis* : caro nostra est, quæ confusionem nobis ingerit peccatorum. Quæ misera est dicta quia illicitis concupiscentiis semper satiat animam vulnere peccatorum. Cui retribuere : est eam ieiuniis & diversis tribulationibus subditam facere virtutibus quæ nos concupiscentiis suis concitavit ad vitia : ut quæ traxit ad culpam, adiutorio Dei perducatur ad gloriam.

12 Beatus qui tenebit.
Et allidet parvulos tuos ad petram.

C. Adhuc loquitur ad ipsam carnem : beatum esse commemorans, qui filios eius, id est, vitia nocentia tenet & cohibet & non permittit sibi nocere. Et allid

A *ad petram*, id est, ad Christum, ut non moretur tenens, ne voluptas blanda surrepat: sed ut statim confracta dispereant, quæ nos teterrimis motibus instigabant.

Oratio ex Psal. CXXXVI.

Captivitatum nostrarum potentissime absolutor, concede nobis laudes tuas spiritali canere concentu: ut quos onus noxæ ante faciem exules, alleviatio potentiæ dexteræ cælestes restituat cives. Per Dominum nostrum Iesum, &c.

B

Argumentum Psal. CXXXVII.

C. *Universalis Ecclesia domini beneficia sibi attributa collaudans, monet ut reges terræ Deum confiteantur excelsum: oratque ne peccatores conversos despiciat, quos creare dignatus est.*

TT. ⁝⁝ Ipsi ∵ David.

Ipsi David. C. Quamvis David Christum significet: tamen addendo *ipsi*, plus indicat. Ipsi enim reverentiùs pronuntiandum est, quasi altissimo, quasi omnipotenti, quasi cœlesti regi. Et tunc David iungendum est: quod vocabulum non ex deitate sumitur, sed per assumptæ carnis originem venire monstratur.

Feria Sexta ad Vesperas.

1 CONfitebor tibi Domine in toto corde meo:

⁝ Quoniam audisti omnia verba oris mei ∵

C H. Si quis pro omnibus vitiis & passionibus animæ suæ agit pœnitentiam: iste *confitetur ex toto corde*. Si quis vero pro uno vitio confitetur (puta quia avarus est, hoc confitetur: non autem confitetur, quia fornicator aut detractor est) quia non in toto corde confitetur, non auditur à Deo. C. Considera autem meritum orationis, ut omnia verba sua profiteatur audita.

2 In conspectu † Angelorum psallam tibi: † *Deorum cantabo tibi.*

Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Templū. H. Vide profectionem pœnitentis: quia post confessionem & pœnitentiam cum Angelis meretur psallere & gratias agere Deo. C. *Templum orationis*, est beatæ incarnationis adventus: quem quotidie adorat Ecclesia, dum corpus & sanguinem ipsius in sacramento venerâtur, sed illa adoratio perfecta est quam confessio beata comitatur.

D

3 Super misericordia tuâ & veritate tuâ:

Quoniam magnificasti super * omne ∵ nomen † sanctum tuum. † *Eloquium tuum.*

C. *Misericordia est*: quod sine cuiusquam meritis ad liberandos nos venire dignatus est. *Veritas*: quia prophetarum suorum promissa complevit. *Magnificatum est nomen*, cum nobis cultæ ipsius virtus innotuit. H. Peccator, audiat misericordiam: iustus autem & superbus, audiat veritatem.

4 In quacunque ∵ die ¶ invocavero te: exaudi me:

Multiplicabis in anima mea virtutem.

¶ *Invocabo & exaudies me: dilatabis animæ meæ fortitudinem.* E

C. *Dies* hic lucida petitio synceraque est: quam non non cupiditas nec ulla avaritia nubilet, sed de illo sole lucet, qui omnes caligines mortalitatis emundat: In talibus petitionibus devotus populus, se audiri precatur. H. *Multiplicabis*, id est, multis sollicitudinibus subiacere animam facis. C. Per hoc enim ostendit se innumera passorum contra quæ tam multiplicia virtutum petit auxilia.

5 Confiteantur tibi domine omnes reges terræ:

Quia audierunt ⁝⁝ omnia ∵ † verba oris tui. † *Eloqua.* F

C. *Reges terræ* sunt: qui corporibus suis divinitatis munere dominantur. Nam ille verè rex non dicitur qui vitiis servire monstratur. Quia audierunt, audire enim ad illos pertinet qui obedientes esse noscuntur. Illos enim non dicimus audisse quos contumaces sacris iussionibus esse scimus. Reges terræ. Audiere, id est, obediere.

6 Et cantent in viis domini:

Quoniam magna ⁝⁝ est ∵ gloria domini.

H. *Viæ domini*, sunt misericordia & veritas, quas *cantare* & laudare regibus & religiosis & verè Christianis (passionum animæ & concupiscentiarum rectoribus) præcipitur. Gloria quippe domini est, ut sæculum respuentes: eius laudes cantare non desinant.

7 Quoniam excelsus dominus & humilia respicit:

Et ¶ alta à longè cognoscit. ¶ *Excelsa de longe.*

G C. Cum enim sit dominus *excelsus*: tamen *humilia respicit* ne quis subiectorum putaret, non se ab excelso domino respici, cum se cognosceret magnâ deuotione prosterni. *Alta*; superba significat: quæ ideo *longè cognoscit*, quoniam eius gratiæ minimè proximantur. Et ne putarent superbi, quia alti sunt, se Deum non videre, ait cognoscit.

8 Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: ⁝⁝ & ∵ super iram inimicorum meorum † extendisti manum tuam: † *Mittes.*

Et ¶ salvum me fecit dextera tua. ¶ *Salvabit me.*

C. *Vivificatur* ergo populus, id est, lætificatur: dum enim in diversis angustiis fuerit constitutus, æternorum gaudiorum suavitate recordans reficitur. Sciens enim aurum igne probari, & præmium maximum post labores dari, & tribulationes domini virtute superandas: lætatur in tribulationibus, & in mente vivificatur. *Extendit manum super iram*: quando illi inimici conversi hic graviùs tribulantur, quam contristaverant subiectos humiles: & incipiunt se iustè persequi, qui priùs innocentibus parcere noluerunt, *Dextera* verò virtus dicitur, & Christus est. H

9 Dominus ¶ retribuet pro me: domine misericordia tua in sæculum: ¶ *Operabitur.*

Opera manuum tuarum ne † despicias. † *Dimittas.*

C. *Dominus retribuet*: perfecta nimis (& qualem fundere monemur) oratio est, causam suam domino Deo vindicta cōmittenda est.

commendare,

A commendare, qoi oovit vnicuique digna rependere. Et ut non irato animo dictum putares, addit, *domine misericordia tua*, &c. quam facis etiam in nostros persecutores, dum eos conversos pro fide tuâ multa pati facis. Pertinet ergo quod dicit, *misericordia*, ad illos qui nos persequuntur. *Opera manuum*, id est, inimicos nustros: quia & ipsi sont opera manoum tuarum. Ideo ergu rogat pius populos pro inimicis suis, vt eis miseratus indulgeat, qui in se peccaverunt persequendo: vt indulgentiâ præceptâ convertantur.

Oratio ex Psalm. CXXXVII.

Multiplica Domine virtutem tuam in animabus supplicum: vt dum in templo sancto ingiter adoramus, in conspectu tuo cum sanctis Angelis gloriemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, &c.

B

Argumentum Psal. CXXXVIII.

C. Christus ad Patrem de pausatione & resurrectione suâ loquitur, potentiam paternæ divinitatis exponens: quia in eo quod homo est, nusquam ab eius notitia se possit abscondere: ac super omnia asserens sanctorum confortatum esse principatum.

T T. ¶ In finem Psalmus David. ¶ *Victori.*

Psalmus David.

C C. Totus hic Psalmus, ad Christi Domini personam refereodus est, ad patrem: quoniam de paosatione suâ & resurrectione loquitur. A Potest veru & de pœnitente exponi.

1 DOmine † pcobasti me & cognovisti !! me :· : † *Investigasti.*
Tu cognovisti sessionem meam & resurrectinnem meam.

Mat. 13. Sessio, id est mors Christi.

C. *Probavit* pater filium: quandu manifestam fecit humilitatem ipsius, cum à Ioanne baptizari voluit. *Cognovit* eum, id est, ostendit: quandu dixit, *hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui: ipsum audite.* Bene autem appellata sessio, mors est saluatoris, in qua non pœna, sed requies fuit. A. Vel *probasti me*, in passione: *& cognovisti*, id est, cognitum fecisti, in resurrectione. Repetit enim in quo cugnitum eum fecerit, *in sessione*, scilicet, id est passione: quia sedens se humiliat, & Christus humiliavit se osque ad mortem crucis: *& in resurrectione* notum omnibus fecit, ita probavit, id est probatum ostendit & cognitum filium suum pater æternus.

D

2 Iotellixisti ¶ cogitatinnes meas de loogè: ¶ *Malum meum.*
Semitam meam & † funiculum meum iovestigasti: † *Accubationem meam eventilasti.*

C. *A longè*: hic non locum, sed tempus significat: quia non solum facta oostra prævidet, verum cogitationes nostras, antequam nos ipsi existimamus, agnoscit. Semitæ pertinent ad tacitas cogitationes, funiculus ad iusta iudicia.

3 Et omnes vias meas ¶ prævidisti: † *Intellexisti.*
Quia nno est † sermo in lingua mea.
† *Eloquium.*

E Funiculus. Esa. 53.

C. *Via* ad actus pertinent humanos. Prævisæ veru à Deo sunt viæ eius, id est, opera, sicut de Christi mansuetudine Esaias dixit. *Sicut ovis ad occisionem ductus est*, &c. *Non est sermo*: vtique falsitatis, qoia nunquaoi sub aliqua falsitate locutus est Christus.

4 Ecce Domine !! tu :· ¶ cognovisti omnia novissima & antiqua:
!! Tu :· formasti me & posuisti super me manum tuam. ¶ *Nosti omnia: retrorsum & ante formasti me.*

Novissima, tempus incarnationis. Gal. 4. 1. Ioan. 2.

C. Qui dicit *cognovisti omnia novissima*: hoc pertinet ad iocarnationem ipsius, quæ facta est novissimis temporibus: vt Paulus ait. Et Ioannes ait, *filioli novissima hora est. Antiqua*, id est, æterna, quæ nec initio, nec fine clauduntur. *Formasti me*: significat, genuisti. *Posuit* pater *manum super eum*, cum in ipso virtutem suæ maiestatis ostendit.

F

5 † Mirabilis facta est scientia tua ex me:
Confortata est & non potero ad eam.
† *Super me est scientia & excelsior est, non potero ad eam.*

Non potero ad eam. Ioan. 14.

C. *Scientia* patris est: quæ per Christum vbique terrarum prædicata est. Quæ *est facta mirabilis* per Christom: dum terrigenis sacramenta sacræ legis narrata sunt. *Nec potero ad eam*: ex humanitate carnis loquitur: vt in aliu loco. *Pater maior me est*: vt sit sensus. Humanam naturam quam assompsi, divinæ substantiæ adæquare non possum. A. Vel pœnitens, peccatis suis à divinâ contemplatione deiectus: illam dicit supra suam fragilitatem cunfortatam, mirabiliterque excelsam.

G

6 Quo ibo à spiritu tuo:
Et quo à facie tuâ fugiam.

Quo à facie tua fugiam.

C. Dicendo, *quò ibo*: significat naturam humanitatis non habere quò fugiat, cum spiritus sanctos vbique sit totus. *Facies* aotem substantiam deitatis significat, qoæ umnia complectitur, omnia contuetur, omnia penetrat. A. Vel pœnitens quærit locum, quò fugiat ab ira Dei.

7 Si ascendero in cœlum tu illic es:
Si ¶ descendero in infernum ades.
¶ *Iacuero.*

C. Ait autem per id quod homo est, *si ascendero in cœlum tu illic es*, scilicet vbi erat ad dexterâ patris collocandos, *Descendit* quoque *in infernum*: cum disrupit infernorum loca, & piissimus redemptor humanu generi subvenit. *Ades*: quoniam triduanâ celeritate surrexit. A. Vel pœnitens ait, si superbiero me extollens, ibi me punis: & si in profundum peccatorum descendero, & ibi vindicas.

H

8 Si sumpsero pennas !! meas :· diluculo:
!! Et :· habitavero io † extremis maris.
† *Novissimo.*

Pennæ meæ.

C. *Pennas* suas: dicit celeritatem divinæ majestatis, quæ sanctum corpus ad superna elevavit. Dom quoque dicit *meas*: intellige gloriam propriæ potestatis: quia proprià potestate deitas, non aogelico adiutorio humanitatem ad dexteram patris collocavit. Has pennas cum sumpserat diluculu resurrectionis, *habitavit in extremis maris*, hoc est supra istos sæculi amplissimum finem manus paterna deduxit. A. Vel pennæ: duo præcepta sunt charitatis, quibus mane à peccatis surgens pœnitens, habitat in extremis sæculi, id est, in gaudio cœlesti. Quod post finem huius vitæ datur: & tamen iam in eo spe habitatur.

A

9 † Etenim illic manus tua deducet me:
† *Etiam ibi.*
Et tenebit me dextera tua:

C. *Deduxit* Christum paterna manus: quæ est dextera patris, qui assumptam humanitatem & sibi vnitam per æterna sæcula continebit.

10 ¶ Et dixi: forsitan tenebræ conculcabunt me:
Et nox illuminatio mea in deliciis meis.
¶ *Si dixero, fortè tenebræ operient me, nox quoque lux erit circa me.*

B

C. Iste versus sub ironià pronuntiandus est, quomodo enim eum tenebræ conculcare poterant qui est lux mundi? sed ille potius tenebras conculcavit: eum cæcitatem primi hominis luce suæ misericordiæ reparavit. *Nox* significat inferni claustrum: quod certè illuminavit, eum potestatem diaboli contrivit. *Delicia*: paradisum significat, ad quem animæ sanctorum præstante domino reversæ sunt. A. Vel pœnitentis verba sunt, à tenebrosis actibus male suadentium seduci timentis.

Deliciæ id est. Paradisus.

11 ¶ 11 Quia ∴ tenebræ non obscurabuntur: & nox sicut dies illuminabitur.
Sicut tenebræ eius ita & lumen eius.
¶ *Nec tenebra habent tenebras apud te & nox quasi dies lucet: similes sunt tenebræ & lux.*

C

C. Causa redditur cur nox sit illuminatio in deliciis. *Tenebras* dicit mystica & profunda quæque divinarum scripturarum: quæ *non obscurabuntur*, sed illuminantur à Domino: & quæ fuerant quasi nox, sub mysticà complexione prophetarum tenebrosa dicta, in Adventu domini patuerunt. *Sicut tenebra eius ita & lumen eius*: quia in vtroque veritas fuit, seu cum obscura, sive cum illuminata viderentur. A. Vel pœnitens ait, tenebræ peccatorum non redduntur à te magis obscuræ sed à me, dum peccatum excusare volo: tu verò, si confessus fuero illuminas noctem & tenebras.

12 Quia tu possedisti renes meos:
† Suscepisti me de vtero matris meæ.
† *Orsusque es me in vtero matris meæ.*

Renes, id est, fortitudinē.

C. *Renes* significat fortitudinem corporalem: vnde meritò dicit renes suos esse à patre possessos, quoniam cœlestis iustitiæ firmitate consistens, peccatum fragilis corporis ignoravit. *De vtero* verò *matris* (id est, de Synagogæ situ) dicit se susceptum à deitate patris, quæ in eo cum patre vna est. Nam si de virginali vtero velis accipere; non solum quando est de castissimo vtero egressus, sed & quando spiritu sancto conceptus est, à Domino probatur assumptus. A. Vel verba pœnitentis sunt.

D

13 Confitebor tibi quia terribiliter ¶ magnificatus es: mirabilia opera tua.
¶ *Magnificasti me.*
Et anima mea † cognoscet nimis.
† *Novit.*

C. *Terribiliter* enim *magnificatus est* pater: quando in passione Christi terra tremuit, saxa disrupta sunt, sepulchra patuerunt. Necesséque fuit illum mirabilem cognoscere, quem tantorum beneficiorum pijssimum largitorem cernebat Christi humanitas. Vel pœnitens dicit in conversione peccatorum, Deum terribiliter magnificari & mirabiliter. Sic & sequentes versus de pœnitente exponere vales.

E

14 † Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto.
Et substantia mea in inferioribus terræ.
† *Non sunt operta ossa mea à te quibus factus sum in abscondito, imaginatus sum in novissimis terræ.*

C. Per *os* enim significat sacramenta divina, quæ ante Aduentum Domini, occulta fuerunt (vt baptismum sacrum, & corpus & sanguis Domini) quæ eo veniente claruerunt. *Inferiora terra*: fuerunt gentium culturæ. Sed ipsis facta est nota, substantia salvatoris Dei, quando in ipso intelligentes divinitatem, eum devotis mentibus per Apostolicam doctrinam Deum esse crediderunt. Terra itaque humanum genus est: cuius partes superiores, Iudæi fuerunt rectè credendo ante Christi nativitatem: & partes eius inferiores gentes terram adorantes & lapides: quæ nunc fide factæ sunt superiores.

F

15 † Imperfectum meum viderunt oculi tui:
† *Informem adhuc me viderunt oculi tui.*
& in libro tuo omnes scribentur.
Dies ¶ formabuntur & nemo in eis.
¶ *Formati sunt, & non est vna in eis.*

C. Dixit ex persona Ecclesiæ, suum *imperfectum*, patrem vidisse: quia illa vsque in finem sæculi congregabitur & perficietur: sed deitas ista iam vidit, quæ adhuc futura post longis temporibus servantur. *Et in libro scribentur*: qui æternà fœlicitate gaudebunt. *Dies formabuntur*, id est, sancti in perpetuà fœlicitate. *Nemo in eis*: subaudiendum est informabitur, id est, informis & defectuosus erit in cœlesti patrià: quia omnis infirmitas carnis consumpta disperibit.

Nemo in eis.

G

16 Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: † *Quam honorabiles.*
† Nimis confortatus est principatus eorum. ¶ *Quam fortes pauperes eorum.*

C. *Amicos*: dicit sanctos Apostolos: *Nimis*: valde significat. Confortatus est principatus eorum: quem præstante Domino perceperunt in tantum, vt arietes gregum & principes fidelium meruerint esse populorum.

17 Dinumerabo eos & † super arenam multiplicabuntur:
Exurrexi & adhuc sum tecum. † *Arena plures erunt: evigilavi.*

H

C. *Arena maris*: significat Iudæos propter ariditatem fidei (arena enim est dicta ab ariditate) promittit ergo Christus se dinumeraturum populum fidelem, qui numerosior populo iudaico invenitur. *Exurrexi*: à pausatione dormitionis. *Adhuc tecum sum*: non quod aliquando ab ipso dividendus sit: sed qui modo nobis est invisibilis, ad dexteram patris in cœlestibus residens, omnibus postea gentibus apparebit.

Super arenam, id est, super Iudæos.

18 Si occideris Deus ¶ peccatores:
¶ *Impium.*
Viri sanguinum declinate à me.
19 † Quia dicitis in cogitatione:
Accipient in vanitate civitates suas.
† *Qui contradicent tibi scelerate, elevati sunt frustra adversarij tui.*

C. *Occidis Deus peccatorem*: cum moritur peccato, vt vivat Deo: vt Paulus ait, mortuus sum legi, vt vivam Christo. *Viri sanguinum*: sunt qui carnaliter vivunt,

Gal. 2.

&

A Gal. 5. & quæ sunt sanguinis peragunt: quibus dicitur, *declinate à me.* A. C. Videtur autem sic connecti verborum ordo. *Si occideris Deus peccatores: accipient in vanitate civitates suas.* C. Id est, peccatores à malis cogitationibus in bona studia transferas: priores consuetudines & peccata in quibus habitabant, in vano accipient (id est, vanas respuent) & dicent his qui adhuc in illis vanis & malis permanent declinate à me, quia dicitis in cogitationibus, id est, loquimini in mente & murmuratis contra illa, quæ vobis spiritûs sancti virtute prædicata sunt: ideoque quia sic loquimini in cogitatione contra Deum, declinate à me.

C. Quia dicitis, id est, contra illa murmuratis quæ virtute spiritûs sancti vobis prædicata sunt.

B

20 Nonne ¶ qui oderunt te Domine oderam:
Et super inimicos tuos tabescebam?
¶ *Odientes te Domine odivi, & contra adversarios tuos distabui.*

Inimici nostri diligendi, Dei vero odiendi. Tabescere.

C. Merito nostros adversarios iubemur diligere, quos nos nostro vitio contingit offendere: Dei vero inimici, quando obstinati sunt, competenti & religiosa execratione damnantur: quoniam cum ab ipso creati sint, ipsique debeant omne quod vivunt, sua tamen contumaces redduntur autori: ideo iustè tales horrendi sunt, qui & suorum beneficiorum memores non fuerunt. *Tabescere*: hoc verbum indicium est magni doloris: tabescere enim illos dicimus, qui curis iugibus affliguntur, & pene usque ad interitum vitæ corpore deficiente perveniunt.

21 Perfecto odio oderam illos:
Inimici facti sunt mihi.

Perfectum odium.

C. *Perfectum est odium*: homines diligere, & eorum vitia semper odire, odium quippe dictum est quasi oris repudium. *Inimicos factos* etiam sibi dicit, qui contrarij paternis iussionibus exstiterunt: ut ostenderet unitatem suæ divinitatis cum patre.

C

22 † Proba me Deus † *Scrutare.* & ¶ scito cor meum: ¶ *cognosce.*
† Interroga me & cognosce semitas meas. † *Proba me & scito cogitationes meas.*

C. *Proba me*: istud nemo potest dicere, nisi ille solus qui peccata non fecit Christus. *Scito cor*: quia te derelinquere in persecutione non novi. *Interroga*: ad inquisitionem pertinet minutissimam præmisit enim, *scito cor meum.* Sciens vero acutè interrogatus potest negare quæ gessit. *Semita* ad operationes pertinet bonas: quas ille iugiter gessit & cœlesti sanctitate transegit.

23 Et vide si via ¶ iniquitatis in me est: ¶ *Doli.*
Et deduc me in via æterna.

D

C. Merito ergo humana in Christo substantia petit se *deduci in æternâ viâ*: quæ declinavit à via iniquitatis, id est, ab actibus diabolicis: quod verò dicit, *vide si est*: intellige, non dubitatione prolatum, sed scientiæ securitate. q. d. vide si est, id est, videbis quod non est.

Oratio ex Psal. CXXXVIII.

CÆli & terræ prospector Deus (quo moriente, illuminata sunt tartara, quo resurgente, sanctorum est multitudo gavisa: quo ascendente, Angelorum exultavit caterva) precamur tantæ gloriæ excellentem virtutem: ut directi in via æternâ, illo tueamur brachio, quo honorabiles amici tui tecum gloriantur in cælo. Qui cum patre & spiritu &c.

Argumentum Psal. CXXXIX.

C. Ecclesia Dominum deprecatur, ut ab iniquo diabolo liberetur: vindictam dicens in futuro iudicio super eos venturam, qui pauperes eius insanis motibus persequuntur.

TT. ¶ In finem psalmus David. ¶ *Victori canticum David.*

C. *In finem*: Dominum significat salvatorem, qui est finis legis: ad iustitiam omni credenti: qui nobis in hoc psalmo (quasi præconis voce) iudex terribilis, omnipotens, pius quoque & nimium desiderabilis advenire prædicitur.

1 ¶ ERipe me Domine ab homine malo † *Erue.*
A ¶ viro iniquo eripe me. ¶ *Viris iniquis salva me.*

C. Sciens mater Ecclesia, quanta in membris sui ab insidiis diaboli pateretur, clamat ad Dominum, qui solus potest eius superare nequitias, ut ab ipsius multiplici tentatione liberetur. *Hominem malum*: appellat diabolum. *Vir iniquus*: est homo sequax diaboli. Duo enim simul epitheta uni personæ non poterant convenire: quod eloquentiæ lege prohibitum sit.

2 Qui cogitaverunt † iniquitates in corde † *Malitias.*
Tota die ¶ constituebant prælia. ¶ *Versati sunt in præliis.*

C. Graviora sunt semper pericula, quæ habentur occulta. Significat per hoc verò hæreticos, qui pravis dogmatibus in sacrilega certamina proruperunt. *Tota die* ait: ut eorum nequitiam continuam monstraret, ut nulla eos lassitudo, nulla temporis longinquitas mitigaret.

3 ¶ Acuerunt linguas suas sicut serpentes † *Exacuerunt linguam suam quasi serpens.*
Venenum ¶ aspidum sub labiis eorum ¶ *Aspidis.* Diapsalma.

C. Per *linguas* significat verba hæreticorum: quibus vulnerare contendunt corda fidelium. *Venenum aspidum.* H. quoniam videntur amicitiæ verba habere, & plena sunt veneno mortifero.

4 Custodi me Domine de manu ¶ peccatoris.
Ab hominibus iniquis eripe me. ¶ *Impij à viro iniquitatum serva me.*

C. *Peccator*: iterum diabolum significat, qui multi dolis, multis fallit insidiis. Sequuntur etiam eius ministri: quoniam quod non possunt per se occultè inspirando mentibus nostris, per suos sequaces publicè conantur implere.

5 Qui cogitaverunt supplantare gressus meos:
Absconderunt superbi laqueum mihi.

C. *Supplantari* propriè dicimur: quando plantis nostris terra subducitur, ut in tenebrosas cavernas graviter incidamus: quod nobis facit diabolus, cum peccatorum foveas parat. *Superbi*: hæretici sunt qui pravis dogmatibus populos decipere potius quam docere festinant, & laqueos ponunt sanctæ plebi

quando eos vanis ænigmatibus obligare contendunt.

6 Et † funes extenderunt in laqueum:
Iuxta iter scandalum posuerunt mihi.
† Funibus extenderunt rete iuxta semitam offendiculum posuerunt.
Diapsalma.

Fu es ex̃édunt hæretici.

C. *Extenderunt* ipsi *funes*, id est, tortuosas & dolosas obiectiones, quibus capiant sensus humanos: vt quasi pedibus laqueum, ita mentibus tendere probentur scandalum. *Iuxta iter* dicit: quoniam non capiunt nisi illos qui à recto virtutum calle discedunt. Laqueus aut funis ideo positus est: quia vincula sua graviùs semper astringit, nec amplexus eius aliqua lenitate dilabitur, cum nodosis quibusdam finibus illaqueata concludit.

7 Dixi Domino Deus meus es tu:
!! Ex ∴ audi Domine vocem deprecationis meæ.

C. Orat Ecclesia ne pessimis tradatur insidiis: dicit enim Ecclesia, resplendens purissimâ fide de gentibus advocata, quæ sanctam Trinitatem veracissimâ fide confitetur, *dixi Domino*, &c. Sequitur, *exaudi Domine vocem*, &c. suffecisset dicere, exaudi deprecationem meam: sed altius quid innotescere volens dixit: *vocem deprecationis meæ.* Vox enim deprecationis: est puritas orationis, & clamor ille tacitus qui ascendit ad Dominum. Sanctæ enim operationis vox, est rerum ipsarum loquacissimus clamor: non hominibus notus, sed soli Deo cognitus, vnde & tacenti Moysi dicitur, *quid clamas ad me?* & Caîn dicitur, vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

Clamor non vocis, sed operationis. *Exod. 14. Gal. 4.*

8 Domine ❡ Domine virtus salutis meæ:
❡ *Deus fortitudo salutis meæ.*
† Obumbrasti super caput meum in die belli. † *Protexisti caput meum.*

C. Repetitio ista, *Domine Domine*, piæ precationis affectum ostendit: Cum autem dicit, *virtus salutis meæ:* patientiam perseverantiámque in certamine, demonstrat Domini esse donum. Virtus enim à viriditate dicta, quæ nescit aliquo labore marcescere: Caput autem suum obumbratum cum dicit Ecclesia, significat beatam Domini passionem: qui sic obumbratus est in ea (hoc est defensus,) vt nec animus eius confusionem, nec caro ipsius corruptionis iniuriam sustineret. *In die* autem *belli:* bene dictum est, in die passionis eius & mortis: quia diabolo victo, inferno fracto, captivi liberati sunt, & triumphans de morte redijt.

Virtus.

In die belli, id est, passionis.

9 ❡ Non tradas Domine desiderium!! meum ∴ peccatori cogitaverunt contra me ne derelinquas me:
Ne forte exaltentur. ❡ *Ne des Domine desideria, impij, scelera eius ne effundantur & eleventur semper.*
Diapsalma.

C. *Traditur* enim *peccatori*, (id est,) diabolo desiderium istius qui concupiscentias carnis perficit: talis enim non nisi quod diabolus vult desiderat, & ideo in desideriis suis diabolo traditur ad possidendum. Et quia inimici cogitaverunt (consilium scilicet faciendo) contra me: iuste peto Domine, *ne derelinquas me.* Et subinfertur causa iustissima petitionis & exauditionis: *ne exaltentur* impij in perditione iustorum.

10 † Caput circuitus eorum: † *Amaritudo convivarum meorum.*
Labor labiorum ipsorum operiet eos.

A. C. Deus obumbrat super caput iustorum, sed malorum caput operit labor labiorum. Ordo verborum talis est, caput eorum circuitus scilicet est, id est, caput impiorum est diabolus, qui semper circuit quærens quem devoret. *Labor* vero *labiorum*: est prolatum ore mendacium, quod semper laboriose fingitur, quoniam exquisitâ machinatione formatur. Veritas enim sine labore dicitur, quia sine difficultate profertur. A. Vel ipsius circuitus eorum caput est superbia, quæ provenit ex labore labiorum, id est, mendacio.

1. Pet. 5.

Labor labiorum.

11 Cadent super eos carbones: ❡ in ignem deiicies eos: ❡ *Ignis.*
In † miseriis non subsistent. † *Foveas vt non consurgant.*

C. *Carbones* ignis: sunt pœnitentiæ cruciatus, quod tamen incendium nascitur ex imbre lachrymarum. *In ignem deiiciuntur:* quando iam flammis charitatis accensi, fervere sanctis operibus incipiunt: his evenit, vt in peccatorum miseriis non subsistant: quoniam iam in bonam partem transferuntur.

Carbones pœnitentiæ cruciatus.

12 Vir linguosus non dirigetur in terra:
Virum iniustum mala capient in interitu.

C. *Vir linguosus*: est qui multa inutiliter verba profert, quod non dirigitur: quia multiloquia non effugiet peccatum. Iniustus vir est, qui divinas regulas contemnens, propriæ voluntatis fervore traducitur: illum mala capient, quia semper sibi noxia cogitat, qui præcepta Domini declinat.

Vir linguosus. *Prov. 10.*

13 † Cognovi † *Scio* quia faciet Dominus ❡ iudicium inopis:
!! Et ∴ vindictam pauperum.
❡ *Causam inopis, iudicia pauperum.*

C. *Faciet* ergo *iudicium inopum*, quando in illa iudicatione, promissa illis retribuet: & tunc *vindicat pauperes*, cum eorum persecutores à suo sancto separabit regno.

14 Veruntamen isti confitebuntur nomini tuo.
!! Et ∴ habitabunt recti cum vultu tuo.

H. Quid enim vultus Dei, nisi Christus filius eius? nisi cognitio divinitatis? C. cum ipso etiam Dei vultu, iusti in æternum habitabunt, cum (vt ait Apostolus) non per speculum sed facie ad faciem contuebuntur eum. Vide autem quod iusti, cum persecutionem patiuntur, confitentur laudes Deo (tunc enim magna virtus est, laudare Deum) & faciliùs discedit inimicus & tribulatio, & videbunt faciem Dei post vitam istam tales æternaliter.

1. Cor. 13.

Oratio ex Psal. CXXXIX.

Virtus salutis nostra Deus, defende Ecclesiam tuam à dissidentium veneno mortifero, vt à te obumbrati nunquam obligemur laqueis inimici. Per Dominum nostrum, &c.

A

Argumentum Psal. C X L.

C. Propheta supplicat, vt inter mundanos actus à deversis liberetur erroribus, ne in peccatorum retiacula cadat.

TT. Psalmus David.

1 DOmine clamavi ad te † exaudi me: Intende voci meæ dum clamavero ad te. † *Festina mihi exaudi vocem meam clamantis ad te.*

B

C. *Domine clamavi.* Volens propheta affectum orationis continuæ humano generi infundere, duo tempora videtur discrepantia posuisse: *clamavi* de præterito dicit, quod perfectam significat orationem: & iterum *clamavero*, quod vtique de futuro constat positum: vt sicut nullum tempus à culpis est vacuum, ita à devotis precibus nunquam est cessandum.

Semper orandū.

2 Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo:
Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

H. *Dirigatur* ad te *oratio mea sicut incensum*, hoc est vt recta veniat ad te oratio mea in odore virtutum, non habens sordes aut vitia. C. Incensum, est odoriferi pigmenti suavis adustio, & spiritualiter hic. H. Incensum orationes sanctorum sunt. C. *Sacrificium vespertinum*, fortasse significat illam oblationem, quam in fine vitæ Domino solet offerre religiosa devotio, & ideo nullus desperet, si vltimo suo peccata lachrymarum fonte detergat. *Elevatio* vero *manuum*, opera pia significat: sic remissio earundem cessationem à bono opere Vespera quoque nostra, tempus prope finem vitæ huius significat.

Incensum. *Apoc. 8.* Sacrificium vespertinū. Elevatio manuū.

C

3 Pone Domine custodiam ori meo:
¶ Et ostium circumstantiæ labiis meis. ¶ *Serva paupertatem labiorum meorum.*

C. Petit propheta, ne quid tale dicat, quod pervenire debeat ad reatum. *Ostium* quippe ab obstando dictum est. Illud ergo vidit propheta magnis precibus esse muniendum, vnde tam facile noverat venire peccatum: quod si fragilitate peccaverit, saltem hoc precatur ne illud excuset, vnde sequitur.

Ostium.

4 Non declines cor meum in † verba malitiæ:
Ad excusandas excusationes in peccatis. † *Verbum malum: volvere cogitationes impias cum viris op. &c.*

D

C. *Verba malitia* sunt, vt quis post peccatum suum falso ad excusationes cōfugiat, quia consuetudo est peccantium, quando deprehensi fuerint, primum se aliquâ falsitate excusare, & cum fuerint inde convicti, alias assumunt excusationes cum peccato falsitatis, nequando veritati acquiescat inverecunda protervitas) modo tempori, modo necessitati, modo aliis imputando quod peccant: hoc autem maximum vitium est, quo homines laborant.

Excusare peccatū vitiū est pessimū.

5 Cum hominibus operantibus iniquitatem:
¶ Et non communicabo cum electis eorum. ¶ *Neque comedere in delitiis eorum.*

H. Petit & hîc propheta: à collegio liberari eorum qui operantur iniquitatem. Sicut enim Dominus habet electos suos sanctos: ita & diabolus habet electos suos sicut principes hæreticorum, qui ad reprobos electi putantur: sed & omnes electi in secte, electi diaboli dicuntur. C. *Et communicabo*: refertur tam ad operantes homines iniquitatem, quam ad electos eorum. H. Vel prima pars huius versiculi combinanda est cum præcedenti versu: vt sit sensus, *non declines*, &c. *ad excusandas*, &c. cum hominibus operantibus iniquitatem.

E

6 † Corripiet † *Corripiat* me iustus in misecordia & ¶ increpabit me: ¶ *Arguat.*
Oleum ⁝⁝ autem ⁛ † peccatoris non impinguet caput meum. † *Amaritudinis.*

F

C. Prælegit vir sanctus iustorum increpationes, peccantium blandimentis. Quæ autem sit correptio iusti intimavit dicens, *in misericordia:* quoniam vir sanctus non in ira corripit, sed per dilectionem increpat: melius est enim corripi à iusto, quam laudari à peccatore. *Oleum* enim *peccatoris:* adulatio est deceptoris & ficti amoris, periculosa est adulatio, quæ excludere potest hominem à regno Dei.

Oleum peccatoris.

7 Quoniam adhuc ⁝⁝ & ⁛ oratio mea ¶ in beneplacitis eorum:
Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum. ¶ *Pro malitiis eorum, ablati sunt iuxta petram iudices eorum.*

H. *Quoniam adhuc*, &c. ipsi in beneplacitis suis manent. Ego autem pro ipsis orabam vt converterentur. C. Vel se adhuc imperfectum ostendit: quando orando talia sibi provenire cupiebat, quæ malis erant beneplacita. Et secundum primum intellectum Christus pro inimicis suis vt converterentur patrem orabat *Absorpti sunt*, id est, convicti iudices eorum (scilicet vel gentilium, vt Plato, Aristoteles: sive hæreticorum) quando sunt per fidem *iuncti petra*, id est, Christo, & segregati à diabolo. A. Sive iuncti, id est, comparati: videntur enim philosophi aliquid dicere: sed scripta eorum comparata divinæ scripturæ absorbentur, nihil sunt, & velut stulta iacent.

G

Iuncti petræ.

8 ⁝⁝ Et ⁛ audient verba mea, quoniam ¶ potuerunt:
Sicut crassitudo terræ erepta est super terram. ¶ *Decora sunt, Sicut agricola cum scindit terram, sic dissipata sunt ossa nostra in ore inferni.*

C. Verba sua ab hæreticis & tyrannis dicit audita, quæ præsentis libri textus eloquitur (quantis enim in eis locis increpantur vt debeant corrigi) potuerunt ergo totiens admoniti cognoscere Dei voluntatem. *Crassitudo* autem *terra* est superbia tyrannorum, quæ grassabatur in sanctos martyres.

H

Crassitudo terræ.

9 Dissipata sunt ossa nostra secus infernum: quia ad te Domine † Domine oculi mei: † *Deus.*
In te speravi ¶ non auferas animam meam. ¶ *Ne evacues.*

C. Martyres, ossa fidelium dicit esse propheta: quia constat eos Christianæ fidei esse validissima firmamenta. *Secus infernum* dicit: vide proprietatem verborum, non ait in infernum: quia licet mori communi sorte videantur: tamen vita illis conceditur æterna. *Non auferas animam meam*, scilicet à bonis tuis: sed spes mea in te sit, & oculi mei semper te intendant.

Martyres velut ossa sunt.

A

10 Custodi me † à laqueo quem statuerunt mihi:
Et à scandalis operantium iniquitatem.
† *De manibus laquei quem posuerunt mihi, & de offendiculis.*

Laquei dæmonum circa virtutes.

C. *Per laqueos & scandala:* totius mundi mala breviter propheta complexus est: à quibus se supplicat custodiri, ne per insidias eorum possit decipi. H. Semper etiam nobis laqueos ponunt dæmones: vitia enim vicina sunt virtutibus. In eleemosyna laqueum ponunt: si vt videar facio. Cervis ponuntur retia, & sancti cervi sunt, spinas transilientes, & alti cornibus, & serpentes interficient.

11 ¶ Cadent in retiaculo eius peccatores:
Singulariter sum ego, donec transeam.
¶ *Incidens in rete eius impy: simul autem ego transibo.*

B

Singularis. Donec transeam. Ioan. 12.

C. *Retiacula* dicta, quasi retinentia. In diaboli *retiacula cadit*, qui peccatorum suorum abscisionem non facit. *Singularis* est, qui cum pessimis hominibus non ambulat combinatus, id est, ligatus, qui Trinitatem sanctam vnum Deum confitetur, qui spem suam in solo Deo ponit. *Donec transeam*, id est, quamdiu in hoc mundo fuero commoratus, hoc enim sæculum beati velut viantes transire dicuntur, quia in ipso non tenentur aliquâ mundi delectatione. A. Vel Christus dicit, *singularis*, Id est, solus sum *donec transeam*, id est, moriar, tunc enim cum granum frumenti in terra mortuum fuerit, non manet solum, sed multum fructum affert, quia multi postea crediderunt & omnis terra Christo.

C

Oratio ex Psalm. C X L.

POne Domine custodiam ori nostro, ne inania profiramus, vt misericordiâ tuâ correpti, ab omnibus iniquitatum scandalis protegamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psal. C X L I.

C. Christus ad patrem clamat, dolos Iudaïca persecutionis exponens: liberarique se de inferno deprecatur: quoniam omnium sanctorum fides, in eius resurrectione pendebat.

D

T T. ¶ Intellectus David, cum esset in spelunca, oratio (alias orans.)
¶ *Eruditio.*

1.R g.24

Saül typus diaboli.

C. Psalmi causa præsenti titulo continetur. David enim filius Iesse, Saülem principem fugit, & cum in spelunca lateret, oravit, quod Dominum Christum in corpore ante passionem suam significabat esse facturum. H. Quoniam enim in titulo ponitur *intellectus David*, spiritualiter ostendit David intelligendum & psalmum. Saül igitur spiritualiter diabolus. Spelunca, mundus est iste, in quo diabolus non immittit aliquid boni, sed solum stercus & putridum. Est enim spelunca tenebrosa, & mundus iste tenebrosus peccatis est, nec in eo sancti perfectum lumen habent: quod erit in alio mundo, Christus tamen lumen venit in hunc mundum, & ex parte illuminavit. Et sicut David absconsus est in spelunca Saüli, ita Dominus Iesus diabolo in hoc mundo, & persecutionem passus est sicut David.

E

1 VOce mea ad Dominum clamavi:
Voce mea ad Dominum deprecatus sum.

H. *Voce mea ad Dominum:* omnia verba hæc in humilitate corporali loquitur, vt se verum hominem manifestet. C. Et ne clamor intelligeretur transitorius, addit *deprecatus sum*, quod frequentatâ supplicatione peragitur. Est enim deprecari frequenter supplicare.

2 † Effundo † *Effundam* in conspectu eius ¶ orationem meam: ¶ *Eloquium meum.*
Et ⁛ tribulationem meam † ante ipsum pronuntio. † *Coram illo annuntiabo.*

F

C. Quam pura, quam suavis oratio, quæ in conspectu Patris, velut perspicui fontis copia fundebatur? fundebatur certè non vt ad ima deflueret, sed vt perveniret eius oratio ad altitudinem supernæ pietatis. *Pronuntiat tribulationes* ante patrem, vt indulgentiam pro nostris possit obtinere peccatis. Et nota quod in his duobus versibus quatuor modis oratum est secundum hortationem Apostoli, vbi iubet primo fieri precationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. 1.Tim.

3 ¶ In deficiendo ex me spiritum meum:
Et tu cognovisti semitas meas. ¶ *Cum anxius in me fuerit spiritus meus. Tu enim nosti semitam meam.*

C. Qui dicit *in deficiendo spiritum*, hoc à parte membrorum debemus accipere. Vel ita *in deficiendo*, &c. hoc ex superioribus pendet, ac si diceret. Tribulationem meam ante ipsum pronuntio, cum defecit ex me spiritus meus. H. *Cognovit* pater *semitas*, id est, doctrinas quas docuit. G

4 In via hac qua † ambulabam † *Ambulabo*
Absconderunt laqueum mihi.

C. Diabolus *iuxta viam abscondit laqueum*, vt eos decipiat, qui rectas semitas declinare præsumunt. Christus vero (quia nunquam à sua sanctitate discessit) necesse fuit vt in ipsa via rectitudinis tentamenta pateretur invalida, vt in evangelio legitur.

5 † Considerabam † *Respice.* ad dexteram & ¶ videbam:
Et non erat qui cognosceret me.
¶ *Vide, quia non sit qui agnoscat me.*

C. *Considerabam ad dextram*, illud tempus facit intelligi, quando ibat ad crucem, quia nullum illic fidelium potuit intueri. Ideo verò non sunt visi ad dexteram stare, quia carnali metu dispersi sunt. *Et non erat qui cognosceret:* illam videlicet deitatem, quæ hæc omnia in assumpta carne voluntariè sustinebat. H Matt.4.

6 Periit fuga à me.
Et non est qui ¶ requirat animam meam.
¶ *Quærat.*

C. *Periit fuga* à Christo, cum se impiorum manibus permisit occidi. *Et nemo quæsivit animam* eius, dum illi nulla consolatio præberetur, sed solus ad passionem relictus est, qui erat pro omnium salute moriturus.

7 Clamavi ad te Domine dixi tu es spes mea:
† Portio mea in terra viventium.
† *Pars.*

C.Clamavit

A C. Clamavit ſpemque ſuam poſuit in Dominum cum dixit, *pater in manus tuas commendo ſpiritum meum Portio mea* : probat hoc ſpiritaliter locus ille, quando Luc.22. latroni dixit. *Amen dico tibi : hodie mecum eris in paradiſo* hoc eſt in terra viventium, quam ſoli beati introibunt. Terra viventiũ

8 ¶ Intende ad deprecationem meam : ¶ *Auſculta.*
Quia † humiliatus ſum nimis. † *Infirmatus.*

C. Meritò dicit, *humiliatus ſum nimis* : quia ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens ; & adhuc Philip.2. amplius humiliatus eſt, factus obediens uſque ad mortem crucis. Nam quomodo crucifigi potuiſſet : niſi ſe humiliaſſet, naturam noſtram aſſumendo, qui cœlum terramque creavit.

B 9 Libera me à † perſequentibus me : † *Perſecutoribus meis.*
Quia confortati ſunt ſuper me.

C. Orat, ut reverentiam patri exhiberet, qui ſe liberare poterat. Orat ergo : ut *à perſequentibus* iudæis divinâ virtute liberetur : qui adeo corporaliter fortiores fuerant, ut & manus iniicerent in eum, & de eius morte gauderent : ſed hoc miſeri fecerunt, non conſiderantes virtutem divinæ poteſtatis in eo.

10 Educ de † cuſtodia † *Carcere.* animam meam ¶ ad confitendum nomini tuo: ¶ *Vt confiteatur.*
† Me expectant iuſti donec retribuas mihi. † *In me coronabuntur iuſti, cum retribueris mihi.*

C H. C. Dicens, *educ de cuſtodia* ſcilicet inferni *animam meam*, petit patrem à parte qua mortuus eſt, qua & poſtea de imis penetrabilibus ad ſuperna eſt tranſlatus, ut de carcere inferni animam celeriter educat ad corporis reſurrectionem. Et hoc *ad confitendum nomini ſuo* : iſta enim confeſſio laudis, patri exhibita à fidelibus oſtenditur ; quando eum reſurrectionis miraculo de inferni carcere conſtat eductum. *Expectant iuſti.* H. Id eſt, Apoſtoli, vel reliqui ſancti. *Donec re-* Ioan.17. *tribuas mihi* : claritatem illam quam habui priuſquam mundus fieret. C. Vel donec retribuas, pro paſſione reſurrectionem : expectant illo triduo Apoſtoli & alij.

Oratio ex Pſal. C X L I.

DEprecantes Domine voce humili, pietatem tuam agnoſcimus, ut adiuti à te (ſpes noſtra) portionem cum electis tuis in terra viventium ſortiamur. Per Domi- D *num noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.*

Argumentum Pſal. C X L I I.

C. Propheta, ex perſona uniuscuiuſque fidelis, ſupplicans ſibi Domini miſericordiam ſubvenire : rogat Dominum Chriſtum, ne cum ſuo ſervo velit inire iudicium : velociterque ſe petit pervenire ad veniam, ne inimicorum traderetur inſidiis.

TT. Pſalmus David : quando filius ſuus eum perſequebatur :· .

C. David, ſignificat Chriſtum : perſequens eius filius, populum iudæorum, vel Iudam proditorem ſignificat.

1 DOmine exaudi orationem meam : † Auribus percipe obſecrationem meam † *Auſculta deprecationem meam.* In veritate tuâ exaudi me in tua iuſtitia.

H. *Domine exaudi* : verba humilia & plena humilitatis & minæ, quæ ad aures Domini pervenire merentur. C. Veritas enim & iuſtitia ipſius eſt : ne cum rogante diſceptet, nec ad iudicium illum trahat, qui ſe hic prius ipſe condemnat. Superbos enim Dominus ad examen adducit, qui ſe bona putant habere negotia.

2 Et non ¶ intres in iudicium cum ſervo tuo : ¶ *Venias ad iudicandum.*
Quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

C. Nec moveat quod iudici dicitur, *non intres in iudicium cum ſervo tuo.* H. Quantumvis enim quis ſit iuſtus, quamlibet perfectus : non poteſt intrare in iudicium Domini, niſi ſit cum miſericordia conditum, ſtellæ enim non ſunt mundæ in conſpectu eius. C. *Omnis vivens* : omnem hominem ſignificat, etiam quemlibet infantem nondum baptizatum, ut Iob ait. *Nemo mundus ante te, nec infans unius diei*, id eſt, nemo liber eſſe poteſt, niſi per divinam gratiam. Ideo nec Abraham, nec Iſaac, nec Iacob iuſtificabuntur in conſpectu Dei.

3 Quia perſecutus eſt inimicus animam meam :
† Humiliavit in terra vitam meam. ¶ *Confregit.*

H. C. *Inimicus* : diabolus qui perſequitur humanum genus. C. *Humiliatur* autem *in terra* : cuius vita carnalibus delectationibus polluitur, non humilitate probabili, ſed declinatione vitioſa.

4 ¶ Collocavit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi : ¶ *Poſuit me in tenebris quaſi mortuos antiquos.* & † anxiatus eſt in me ſpiritus meus : † *Anxius fuit.*
In ¶ me turbatum eſt cor meum. ¶ *Medio mei ſollicitum fuit cor meum.*

H. *Collocantur in tenebroſis* factis peccatores, & ſunt *mortui ſæculi.* Sed ſicut mortui, dum pœnitere incipiunt : nondum enim mortuus eſt, qui in pœnitentia ſtat. Siquis autem peccans non agit pœnitentiam : hic mortuus eſt ſæculi, & non ſicut mortuus, ſed perfectus mortuus, uſque dum non egerit pœnitentiam. *Anxiatus eſt ſpiritus* : quia ſcriptum eſt, ſi ſolum ſuſpiraveris de peccatis tuis, ſalvus eris. *Turbatum eſt cor*, id eſt conſcientia mea, quia peccavi. C. Vel anxiatus ſpiritus : vicinitatem periculi indicat. Et turbatum cor humanam ſapientiam teſtatur confuſam, ut ſpem ſuam de cætero in Domino poneret, cum virium ſuarum confidentiam non haberet.

5 Memor fui dierum antiquorum : meditatus ſum † in omnibus operibus tuis :
In factis manuum tuarum meditabar † *Omnia opera tua : facta manuum tuarum loquebar.*

C. Iuſte cor eius fuerat turbatum : quoniam *memor erat* ingentium peccatorum priorum. Ipſi enim *dies antiqui*, ſunt veteris illius hominis antiquitate fuſcat

A *Opera Domini* dicit : quibus cœlum terramque fundavit, patriarchis bona fecit, & populum per mare transtulit hebræorum : quæ se dicit frequenter iterasse memoriâ & lectione : ut excluderet amaritudinem mundi, suavitas lectionis. Quod exemplum pro maximo remedio positum credamus : ut nos quoque similis possit medicina saluare.

6 Expandi manus meas ad te:
Anima mea sicut terra ¶ sine aqua tibi.
¶ *Sitiens ad te*. Diapsalma.

Expansis manibus orare.

C. Hic extensione manuum : Christum in cruce designavit, unde & qui expansis manibus orat, illam crucem redemptoris imitatur : quæ licet à perfidis iudæis data est Christo ad pœnam, tamen concessa est credentibus ad salutem. Sequitur comparatio, in qua dicit : sic animam suam desiderare Deum, quemadmodum sicca terra copiosas pluvias. Dicit enim tibi scilicet non alteri, talis est anima mea, id est, soli Deo B sitiens inhæret.

7 Velociter exaudi me Domine:
Defecit spiritus meus.

C. Petit sibi pœnitens iste, imbrem misericordiæ celerrimè subvenire : & ut velociùs potuisset audiri, *defecisse* dicit *in se spiritum suum* : quod his contingit, qui passionum diversarum pondere prægravantur.

8 † Non avertas faciem tuam à me : † *Ne abscondas*.
Et ¶ similis ero descendentibus in lacum. ¶ *Comparabor*.

C. Convenit enim misericordiæ Dei, ut humiles respiciat, qui superborum corda contemnit. *Lacus* hîc infernum significat. Petit ergo, ne superbis similis fiat, qui hic peccata sua deplorat : quoniam si illis similis fiat, pariter quoque cum eis descendet in lacum.

C

9 † Auditam fac mihi manè misericordiam tuam : † *Fac me audire*.
Quia in te ¶ speravi. ¶ *Confido*.

Mane tempus veniæ.

C. *Auditam misericordiam* : clementiam dicit Dei toto orbe notissimam, qua supplicantibus præstat & indulget afflictis. *Mane* : tempus veniæ designat, quam post noctem peccatorum meritò manè dicitur, quando culpa laxatur. Causam quoque exauditionis addit : *quia in te* (qui sperantem decipere non potes) *speravi*. Vel manè tempus resurrectionis Christi ostendit.

10 Notam fac mihi viam in qua ambulem :
Quia ad te levavi animam meam.

C. Cum à Deo petit sibi, *viam notam fieri* ostendit quod hæc via hominibus habetur incognita. Illius enim lucerna & lumen huc iter ostendit, qui illuminat omnem hominem, sicut superiùs dixit. *Intellectum tibi dabo : & instruam te in via hac qua gradieris*. Ro- D gat ergo propheta, ut ei viam salutis ostendat, & sic notam semper habeat, ne de eius corde aliquando discedat. Et subditur solemnis confessio, *quia ad te, &c.* illud enim nos postulata facit mereri, si animam nostram non inclinemus ad mundum, sed semper levemus ad Deum.

11 † Eripe me de inimicis meis † *Libera*. Domine, ¶ ad te confugi : ¶ *A te protectus sum*. doce me † facere voluntatem tuam. † *Vt faciam*.
Quia Deus meus 11 es :· tu.

E C. Inimici nostri sunt dæmones : qui ingiter circundant fideles, ut eis possint spem divinitatis auferre. Ad eum confugit, qui eius iussionibus obedit. *Doce me* : nolebat prorsus errare, qui tanti magistri cupiebat esse discipulus, & eius voluntati obedire. Et causam & rationem addit, *quoniam Deus meus es* : ideo iustè à clementissimo te peto.

12 Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam :
Propter nomen tuum Domine vivificabis me ¶ in æquitate tua. ¶ *Institiâ tuâ*.

Spiritus bonus. Mat. 19. Terra recta.

H. C. *Spiritus bonus* : designatur per hoc nomen, Deum esse spiritum sanctum : scriptum est enim. *Nemo bonus, nisi solus Deus*. Igitur si spiritus sanctus bonus dicitur, Deus necessario est. C. Qui nos *deducit in terra recta* : quando corpus nostrum suis regulis subdit. Vel terra recta est in futuro sæculo, ubi recti ambulabunt. *Propter nomen tuum, &c.* nam quamvis, omnia gratis Christus donet : iustitiæ ipsius est supplicantes iustificare & vivificare. Ideo non dicit *in æquitate mea*, sed *tua* : quia non meritis meis, sed nominis Christi gratiâ. F

13 Educes de † tribulatione animam meam: † *Angustia*.
Et in misericordia tua ¶ disperdes inimicos meos. ¶ *Dissipabis*.

C. *Educuntur* de tribulatione tanquam de carceribus sanctæ animæ : quando concessa veniâ de isto sæculo ubi tribulantur, præcipiuntur exire. *In misericordia* autem *disperduntur inimici* : quando studio compunctionis de sceleratis cogitationibus abstrahuntur: quod ad illos pertinet, qui pœnas debitas remedio supplicationis evadunt. G

14 Et perdes omnes † qui tribulant animam meam : † *Ligantes animam meam*.
Quoniam ego servus tuus sum.

C. Hic dicit esse perdendos diabolum & omnes impios in futuro iudicio, qui in sua obstinatione moriuntur. Illi tribulabant prius iustos viros, quia eos famulos Dei esse noscebant : & necesse est illos in iudicio perire, qui innocentes viros ideo persequuntur, quia Dei esse famulos cognoscunt.

Oratio ex Psal. C X L I I.

DEus qui matutinam sacra resurrectionis tuæ auditam fecisti iocunditatem, cum ex inferno rediens, replesti terram gaudiis, quam reliqueras, in obscuris : rogamus potentiæ tuæ ineffabilem maiestatem, ut sicut tunc catervam Apostolicam gaudere sacrâ fecisti in anastasi, ita hanc Ecclesiam, tuam misericordiam expansis manibus flagitantem, splendore cœlestis iubaris illustrare digneris. Qui cum patre & spiritu, &c. H

Argumentum Psal. C X L I I I.

C. Bellum istud Davidicum, ad designandum certamen Domini salvatoris est præmissum: ut sicut iste Goliam saxei teli dimicatione prostravit : ita per petram (quæ est Christus) fortitudo diabolica vinceretur.

TT. David 11 adversus Goliam :· .

A *Sabbato in vesperis.*

1 **B**Enedictus Dominus † Deus meus qui docet manus meas ad prælium : † *Fortis meus.*

:: Et :· digitos meos ad bellum.

H. C. *Bellum* utique dicit spiritale non carnale, quo anima iusti adversus dæmones & passiones carnales invisibiliter dimicat. C. *Manus*, operationem significant : *digiti*, salutaria consilia : quæ de corde nostro velut quidam radij prosiliunt, dum aliquâ subtilitate causas necessarias obtinere contendunt. Quandoque etiam digiti trinitatem indicant, ut ibi. *Qui appendit tribus digitis molem terræ*, quandoque spiritum sanctum, ut ibi. *Accepit Moyses duas tabulas scriptas digito Dei.*

Esa.40. Exo.34.

B

2 Misericordia mea & ¶ refugium meum: Susceptor meus & liberator meus. ¶ *Fortitudo mea, auxiliator meus & salvator meus.*

C. *Misericordiam* fecit Dominus David : quando eum de fratribus suis ultimum, per Samuëlem ad regale culmen elegit. *Refugium* : quando ei consilium dedit, ut hostem suum petrâ deiiceret, quem gladio non poterat. *Susceptor* : quando fecit eum à Saule suscipi in generum. *Liberator* : cum eum à periculo regiæ indignationis eripuit.

1.Reg.16. 37.&c.

3 † Protector meus & in ipso speravi : † *Scutum meum.*

Qui ¶ subdis populum meum sub me. ¶ *Subiecit populos mihi.*

C. *Protector* : quando in spelunca latens, in Saulem regem ius ultionis accepit. *Et in ipso speravi* : à tali spe scit vir sanctus non esse cessandum. *Subdis populos* : quia multis populis imperaturus erat.

C

4 Domine quid est homo quia † innotuisti ei : † *Agnoscis eum.*

:: Aut :· filius hominis quia ¶ reputas eum ? ¶ *Computas.*

C. Sub interrogatione & despectu pronuntiandum est, *quid est homo?* quasi pulvis : qui vento flante nullam habet firmitatem. *Quia innotuisti ei*, id est, inæstimabile deitatis arcanum, per assumptam carnem rectis fide ostendisti. Simili modo interrogandum est : *aut filius hominis?* & item respondeatur *quoniam reputas eum* : utique in ovibus tuis, in numero prædestinatorum.

5 Homo vanitati † similis factus est : † *Assimilatus est.*

Dies eius sicut umbra ¶ prætereunt. ¶ *Pertransiens*

D *Homo vanitati similis factus est.*

C. Exponit breviter quod superiùs dixit, *quid est homo?* Adam enim quando creatus est, simplex, purus & verax & immortalis fuit : sed post quam peccavit, factus est vanitati similis : quoniam & mutabilis & mortalis effectus est, vanum enim illud dicimus, quod de sua substantiâ cadens, in auras tenues evanescit : ut umbra, ut fumus : unde addidit. *Dies eius sicut umbra prætereunt* : sicut umbra præterit, sic hominum vita post peccatum Adæ, nisi fuerit confessione reparata.

6 Domine inclina cœlos tuos & descende :

Tange montes & fumigabunt.

C. *Inclinatio* cœlorum fuit : quando ad hominem virtus & honor supernorum descendit scilicet Dei f lius. *Montes* hic superbos dicit : quos Dominus ret git, quando eis compunctionem tribuit. *Fumigabun* cum crebris suspiriis sua peccata plorabunt, crassu enim fumus ore vomitur, cum se in planctum hom commoverit.

7 † Fulgura coruscationem & dissipabi eos : † *Mica fulmine & dissipa eos.*

¶ Emitte sagittas tuas ¶ *Mitte.* & conturbabis eos. † *Interfice illos.*

Fulgura coruscationis dedit : quando tenebrosis pec catoribus, prophetarum prædicatione lumen suæ veri tatis infudit. *Dissipavit* autem dispersit signat, ut q ante fuerant cultores idolorum, subinde ad Ecclesi septa confugerent. *Sagittas* : Apostolos dicit, qui præ dicationum veritate, (quasi iacula pennata) hominu pectora transfoderunt. *Et conturbabis* scilicet bonâ cor tritionis turbatione : quia sic prius turbari, postea læ erunt. *Eos* autem : ad montes referendum est.

8 † Emitte manum tuam de alto : erip me & libera me de aquis multis: † *Ex tende.*

:: Et :· de manu filiorum alienorum.

C. Hic ad patrem verba convertit, *manum* dic Dominum salvatorem : quem venire deprecatur, ut li beraret mundum : *de alto*, id est, de potestatis excels ubi cum patre regnat parilitate virtutis & unitate sub stantiæ. *De aquis* autem, id est de populis undosis, & quasi procella sævissima concitatis. *De manu filiorum* de his qui fidelibus parcere nesciunt, quia de diabol generantur, qui filius Dei adversatur. Rectè igitu diaboli filij *alieni* dicuntur à filiis Dei : quia hæredita tem cum ipsis in cœlo nullam habent.

9 Quorum os locutum est vanitatem :

Et dextera eorum dextera ¶ iniquitatis ¶ *Mendacij.*

C. *Os eorum vana loquitur* : quoniam à divinis re gulis discrepare præsumunt, vanum est enim omn quicquid veritati contrarium est. *Dextera* reproborum prosperitas ipsorum, unde elevati licentiam sibi peccar di assumunt.

10 Deus canticum novum cantabo tibi :

In psalterio decachordo psallam tibi.

C. *Novum* merito dicitur Christi *canticum*, qu dum à Iudæis non sit receptus (quibus fuerat ut ven ret promissus) transivit ad gentes. Novum est etian quod nos corpore & sanguine suo saginare dignatu *Decem chordarum psalterium*, decalogus est datus tr bubus hebræorum.

11 Qui † das salutem regibus : † *Dat.* qu ¶ redemisti David servum tuum: *Eruit David servum suum.*

De gladio † maligno eripe me. † *Pes simo.*

C. *Reges*, homines iustos signat & veraces, q regunt corpora sua. Istis *das salutem*, cum eos liber à vitiis facit. *Redemit*, de pugna Gloriæ : vel spirituali ter, de vitiis : *De gladio maligno* : quia gladius diabo li malignus est, quoniam dividit à bonis : benignus au tem Christi, quoniam separat à malis.

12 Et erue me de manu filiorum alieno rum : quorum os locutum est vanita tem :

A Et dextera eorum dextera † iniquitatis.
† *Mendacy.*

C. Hunc versum iam diximus: quem ideo repetit, ut detestabiliores iniquos homines reddat ipsa geminatio: & maximè nunc de hæreticis verba intelligenda sunt, licet enim sequentia sicut & præcedentia ad literam vera sint intellecta: quia tamen literalis sensus apertus est, mysticè aliqua carpenda sunt.

13 ¶ Quorum filij sicut novellæ plantationes:
A iuventute suâ. ¶ *Vt sint fily nostri quasi plantatio crescens in adolescentia sua.*

B *Novellæ plantationes hæreticorum.*

C. *Filios* enim dicit, qui generantur prædicatione pravi dogmatis. Isti *novellis plantationibus* comparantur: quia nullâ veteri & à patribus traditâ prædicatione viguerunt, sed novis erroribus (à patribus ipsorum traditis) pullularunt. H. Plantatio enim de veteri lege, non de prophetis, non de Apostolis, sed de novis magistris suborta.

14 † Filiæ eorum compositæ:
Circum ornatæ ut similitudo templi. † *Filia nostra quasi anguli, ornata ad similitudinem templi.*

Similitudo tépli.

H. *Filia eorum* (hoc est verba hæreticorum) *composita*, (id est, ornata à sapientia sæculari,) sed quia filiæ sunt non filij, vires non habent. *Circumornata ut similitudo templi*: & pulchrè dixit similitudo templi: non enim habent veram Ecclesiam aut templum, sed similitudinem Ecclesiæ. C. Quippe similitudo non habet veritatem: sed alicuius rei subsistentis portat imaginem.

15 Promptuaria ¶ eorum plena: ¶ *Nostra.*
C † Eructantia ex hoc in illud. † *Et superfundentia ex hoc in illud.*

Promptuaria hæreticorum.

C. *Promptuaria* sunt, quæ cellaria vulgus appellat, & hæreticorum corda signat: ubi diversarum rerum species, vel doctrinarum epulæ repositæ sunt: & inde emittunt diversas eructationes pessimas. Quos si auctoritate convincas, ad interpretationum nequitias transferuntur: cum inde quoque fuerint Domino iuvante superati, ad sophistarum se versutias calumniasque convertunt: & ita ex una parte vertunt se in aliam, semper vagi & instabiles: quia radicem nequeunt habere veritatis.

16 ¶ Oves eorum fœtosæ abundantes in egressibus suis:
Boves eorum crassi. ¶ *Pecora nostra in millibus, & innumerabilia in computis nostris: Tauri nostri pingues.*

D *In egressibus suis.*

C. Secundum literam hi *fœtosa* dicuntur habere *pecora*: dum ipsi fide steriles esse doceantur. Abundans quippe dictus est, ab undâ, quasi redundans. Ipsa quoque pecora, quæ habere cernuntur, non dixit eos in ingressibus, sed *in egressibus* possidere: quia totum ab eis egreditur, quando ipsi quoque perituri esse monstrantur. H. Pulchrè quoque dixit *boves eorum crassi*: quorum Deus venter est, & gloria eorum in confusione. *Philip.*

17 Non est † ruina maceriæ, neque transitus:
Neque clamor in plateis eorum. † *Interruptio & non est egressus, & non est ululatus in plateis nostris.*

E H. *Non est ruina*: difficile enim hæreticum invenis imperitum. Omnes enim magistri sunt, & scientiâ sæculari instructi, & inimici doctrinis Apostolorum. Si tecum disputant: verba eorum brevia sunt, sic artificioso sermone conclusa, ut evadere inde difficile sit. Cum enim te ligaverint & clauserint syllogismis suis, & quasi maceriam syllogismum texerint: teneris inclusus: non potes exire: *non est ruina neque transitus*. Cum eis consenseris, & ibi conclusus fueris: eris *in plateis eorum*, & in lata viâ, quæ ad infernum ducit: & non in angusta viâ, quæ ducit ad vitam, quæ est transitus sanctorum. Neque *clamor* Iesu, (qui ad se omnes vocat) in plateis hæreticorum est: sed in angusta viâ est.

Neque ruina neque transitus maceriæ. Matt. 7.

18 † Beatum ÷ dixerunt :· populum cui hæc sunt: † *Beatus populus cuius talia sunt.*
F Beatus populus cuius Dominus Deus ¶ eius. ¶ *Sunt.*

H. Multi nescientes, beatos tales putant, & *dicunt beatum populum cui hæc sunt*. Nos autem dicamus, *beatus populus, cuius est Dominus Deus eius*. Quia ille est beatus qui pro omnibus divitiis habet Christum & illum diligit, & ille ei dominatur.

Oratio ex Psal. C X L I I I.

DOce nos Domine, spiritalibus armis, noxialibus culpis resistere: ne vanitati mundana subiecti, à tui iuris dominatione pellamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.

Argumentum Psal. C X L I V.

G *C. Laudationem Domini propheta variis narrationibus explicat.*

TT. Laudatio David.

1 EXaltabo te Deus meus rex: & benedicam nomini tuo in † sæculum: † *Æternum & ultra.*
Et in sæculum ÷ sæculi :· .

C. *Exaltabo te* dictum est: notum faciam te, prædicando quod es. Nam quemadmodum potest aliquâ laude Deus altior fieri, cum divina perfectio non possit augeri? H. Sed æqualem patri credo te. C. *Rex meus*: professio fidei est: quoniam ab ipso se dicebat regi, cui se noverat purâ mente famulari. *Benedicere* verò *nomini*: est per psalmodiæ gratiam supplicare: quod qui fecerit, & in æternitate eum laudare merebitur: ideo subditur *& in sæculum sæculi*, ubi nullus est finis.

Rex meus.

2 ¶ Per singulos dies benedicam tibi: ¶ *In omni die.* H
Et laudabo nomen tuum in † sæculum & in sæculum ÷ sæculi :· . † *Sempiternum iugiter.*

C. Qui hic per singulos dies benedicit Deum: ibi in illo æterno uno die (qui venturus est) cum beatis continuâ exultatione laudabit.

3 Magnus Dominus & laudabilis nimis:
Et ¶ magnitudinis eius ¶ *Magnificentia.* non est † finis. † *Invento.*

H. *Magnus Dominus*: quia sine fine magnus, sine fine *laudabilis*. C. Cuius virtus inexplicabilis, cuius

A pietas incomprebeusibilis, cuius sapientia ineffabilis, cuius vera deffinitio est, finem in sanctis laudibus non habere.

4 Genetatio ¶ & generatio laudabit opera tua: ¶ *Ad generationem.*
Et † potentiam tuam pronuntiabunt. † *Fortitudines tuas annuntiabunt.*

C. *Generatio & generatio:* ad duos populos debet applicari, unus hebræorum est, alter ex gentibus. Ipsi sunt enim, qui Domini beneficia susceperunt, & meritô eius potentiam laudando pronuntiant.

5 ¶ Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur.
B Et mirabilia tua narrabunt. † *Decorem gloriæ magnitudinis tuæ, & verba mirabilium tuorum loquar.*

H. Ipsi enim doo populi, eius magnificentiam ac mirabilia, quæ quotidie Christus in Ecclesia operatur, pio ore pronuntiant.

6 Et † virtutem terribilium tuorum dicent: † *Fortitudinem horribilium.*
Et ¶ magnitudinem tuam narrabunt. ¶ *Magnitudines tuas.*

H. *Virtus* Christi est *terribilis*, cum in impiis ulciscitur, ut in Pharaone. *Magnitudo* est, cum iusti eruuntur, ut frequenter Israel ab adversariis erutus est.

7 Memoriam † abundantiæ suavitatis tuæ
C eructabunt: † *Multa bonitatis tuæ.*
Et ¶ justitiâ tuâ exultabunt. ¶ *Iustitias tuas laudabunt.*

H. *Eructabunt* ipsi suavitatem Christi, quâ eos fovere dignatus est. *Et iustitiâ exultabunt:* quâ in impiis ulciscetur.

8 ¶ Miserator & misericors Dominus: ¶ *Clemens.*
Patiens & ¶ multum misericors. ¶ *Multa miserationis.*

Misericors & miserator. C. Quod *Misericors* dicitur, naturæ ipsius virtus est: quod *miserator*, causa salutis est nostræ fragilitati. *Patiens*: cum excessus humanos (propter quos debuimus puniri) per patientiam sustinet. *Multum misericors*: ut ipse ait. *Nolo mortem peccatoris.*

9 † Suavis Dominus universis:
Et miserationes eius super omnia opera eius. † *Bonus Dominus omnibus: & misericordia eius in universa opera eius.*

D C. Quid enim magnificentiùs, quam *suavem esse universis*, qui tamen devotis mentibus munera ipsius gustaverunt. Sed dicis cur ergo peccatores damnat, qui opera sua non fecerunt? *Misericordia* enim *sua dicitur esse super omnia opera eius*, scilicet Dei. Illud enim per misericordiam coronat, quod in nobis gratiâ suâ operatur. Illud vero damnat, quod diabolo machinante construitur. Vnde opera Domini semper eliguntur: nostra vero vel diaboli, sine dubitatione damnantur.

10 Confiteantur tibi Domine omnia opera tua:
Et sancti tui benedicant tibi.

H. *Confiteantur tibi Domine* scilicet ut per sanctos, qui te iugiter benedicunt & laudant, intelligatis omnium esse rerum conditor & creator. C. Vel omnia opera (etiam lapides & insensata) sua admirabili dispo-tione Deum eorum factorem prædicant.

11 Gloriam regni tui dicent:
Et ¶ potentiam tuam loquentur. ¶ *Fortitudines tuas.*

H. *Gloriam regni tui dicent*, id est, prædicant: ab omnibus ameris & clarificeris. *Et potentiam tuam loquentur*: ut ab omnibus timearis. H. C Omnia ig-tur creata indicant, quanta gloria ei debeatur, q-incogitabili & incomprehensibili sapientiâ ea creavi-& potentiam eius infinitam ostendunt.

12 Vt † notam faciant † *Ostendant.* filiis hominum ¶ potentiam tuam: ¶ *Fortitudines eius.*
Et gloriam † magnificentiæ regni tu- † *Decoris regni eius.*

C. Sanctis enim prædicationibus *nota est facta p-tentia Dei, & gloria regni eius*: ne ignoratus, minu-forsitan quæreretur. *Nota facta est potentia*: dum d-versas virtutes Apostoli invocato eius nomine perf-cerunt.

13 Regnum tuum, regnum omnium sæculorum:
Et ¶ dominatio tua in omni generatione & generatione. ¶ *Potestas.*

H. *Regnum tuum regnum omnium*: omnia enim sa-cula, dominatione tui regni voluuntur. C. Vel no-sicut alia mundi regna, aliquo tempore durat, sed to-mundi tempore. Et non solum toto tempore, verum-tiam post, æternaliter: unde & idem clarius repetitu-*Et dominatio tua*, id est, perpetuitas æterna quæ pe-manet *in omni generatione & generatione.* A. Vel r-gnum omnium sæculorum, & in omni generatione-generatione: est regnum cœleste, ubi de omni gen-ratione & sæculo una generatio erit æterna, & unu-solum æternaliter gloriosum regnum.

14 !: Fidelis Dominus in omnibus verbis suis:
Et sanctus in omnibus operibus suis :·

H. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*: cum om-nia quæ per prophetas locutus est adimplevit. *Sanctu-* ut sicut ille sanctos est, ita & nos (qui opera eius s-mus) sancti efficiamur in illo.

15 † Alleuat † *Sustentat.* Dominus omne- ¶ qui corruunt: ¶ *Corruentes.*
Et erigit omnes † elisos. † *Iacentes.*

C. *Ipse* enim *alleuat ruentes*: qui adhuc minin-corruerunt. *Ipse eripit elisos*: qui iam ruinam sustinui-se noscuntur & meritò ipse hæc facere dicitur: qu-niam ne cadamus, ipso custode defendimur: ut ve-prostrati surgere valeamus, virtute ipsius nihilomin-sublevamur.

16 Oculi omnium in te spetant:
Et tu das † escam illorum † *Eis escam suam.* in tempore ¶ oportuno ¶ *Suo.*

H. *Oculi omnium*, id est, sanctorum interior aspe-ctus, in illo futuro tempore, retributiones quas expe-ctat, suscipit. C. Vel etiam de omnibus rebus acci-potest: sed tunc *esca*, uniuscuiusque rei continent-debet intelligi: alia enim corporalia, alia spiritual-expetunt: sed his omnibus una esca est, largitas disper-sata creatoris.

A

17 Aperis ! ! tu :· † manum tuam : † *Manus tuas.*
Et imples omne animal ¶ benedictione. ¶ *Refectione.*

H. *Aperis manum, & imples omne animal*, (id est, omnem animam) suâ benedictione : qui maledictiones & opprobria mundi pro nomine eius sustinuit. C. Vel quia in manu eius est omnis esca : intelligimus per manum eius, potestatem : in qua omnium creaturarum vita constituta est & esse. Sed melius est, ut solum rationale animal intelligamus, quod revera constat posse benedici.

18 Iustus Dominus in omnibus viis suis :
Et sanctus in omnibus operibus suis.

B

Iustus Dominus.

C. *Iustus* verè *Dominus* est : quia cum nos verberat, æquitatem facit, quia peccatis digna restituit. Viæ pertinent ad dispositionem : *operatio* ad effectum, apud nos : apud illum verò, hoc est velle quod facere, hoc disponere quod iubere. *Sanctus* vero : & pium significat, & patientem, & bonorum omnium largitorem: quoniam quicquid ab illo efficitur, virtutum laude completur.

Sanctus.

19 † Prope est Dominus omnibus invocantibus eum : † *Iuxta.*
Omnibus invocantibus eum in veritate.

Dominus est prope, id est, propitius.

H. *Prope est Dominus his*, qui eum fide & operatione invocant, ut ipse ait. *Ego sum Deus de prope, & non Deus de longe.* C. Prope autem dicitur, id est, proximus, quando est propitius : Iratus vero, longinquus. Nam præsentia eius semper & ubique est. *Si enim ascendero in cælum, illic es, &c.* Sed quoniam & illi invocant, qui sua cupiunt vana & nociva desideria impleri : additum est, *in veritate* : quia solus veraciter invocat, qui ab eo petit, quæ ipse postulanda docuit & profutura novit.

Ps. 134.

C

20 † Voluntatem † *Placitum.* timentium se faciet, & ¶ deprecationem eorum exaudiet : ¶ *Clamorem.*
Et † salvos faciet eos. † *Salvabit.*

H. *Voluntatem timentium se facit* Dominus : dum eos eripit, vel ab instigatione diaboli, qui cum puro corde deprecantur, vel ab ardore peccati.

21 Custodit Dominus omnes diligentes se :
Et ¶ omnes peccatores disperdet. ¶ *Universos impios conteret.*

H. *Custodit Dominus* eos ; qui eum diligunt, & qui dilectionem eius mundanis dilectionibus prætulerunt. Illos vero *disperdet* : qui eius amori amorem sæculi præposuerunt. C. Omnes vero dicens disperdendos peccatores : eos dicit qui in sua obstinatione persistunt.

D

22 † Laudationem Domini loquetur os meum : † *Laudem.*
Et ¶ benedicat ¶ *Benedicet.* omnis caro nomini sancto eius in † sæculum & in sæculum ! ! sæculi :· · † *Æternum & iugiter.*

H. *Loquetur os meum laudem Domini*, nunc & in futuro retributionis tempore. *Et benedicat omnis caro*: hoc est omne corpus Ecclesiæ, quod nos sumus, qui Dominum laudare, benedicere, extollere & prædicare debemus. Dicit autem os suum, cordis arcanum, unde se propheta noverat libenter audiri. Carnem quoque per synecdochen dixit totum hominem.

E

Oratio ex Psal. CXLIV.

Regnator omnium sanctorum Domine, qui spiritalem cibum omni animæ opportune ministras in tempore: concede nobis te perpetualiter benedicere, tuamque potentiam cum electis tuis fiducialiter exaltare. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Argumentum Psal. CXLV.

C. *Propheta dicit in hominibus minime confidendum, sed totam spem in Domino esse ponendam : ne aliquid ab eo peteretur tepidè, si & alius crederetur posse præstare.*

F

TT. Alleluia ! ! Aggæi & Zachariæ :· .

1 Lauda anima mea Dominum : laudabo Dominum in vita mea:
† Psallam † *Cantabo.* Deo meo quamdiu ¶ fuero. ¶ *Sum.*

C. Hortatur psalmista suaviter animam laudare Dominum, ut explosis cogitationibus supervacuis, in ipso tantum, negotio totis viribus occupetur. *Laudabo* dixit, ut futurum tempus ostenderet : quando angelis iustisque hominibus sors ista communis est. *Psallam quamdiu fuero* scilicet in præsenti, quod ad bona opera pertinet. H. Vide etiam, quando iustè aliquid agimus, sumus ; quando peccamus, esse desistimus. Vnde dicit laudabo quamdiu ero : quia non est speciosa laus in ore peccatoris.

Eccl. 15.

G

2 Nolite confidere in principibus:
In † filiis hominum, in quibus non est salus. † *Filio hominis cui non est salus.*

C. *Nolite confidere*, id est, nec in dæmonibus (qui principes dicuntur) nec in hominibus est præsumendum, solus enim est filius hominis, qui tribuit unicuique salutem. H. Intellige nihilominus etiam de sæculi potestatibus, noli confidere imperatori, non in præfectis, non in iudicibus sæculi, qui sunt filij hominum & in eis non est salus.

Non confidendū in principibus.

3 Exibit spiritus eius & revertetur in ¶ terram suam : ¶ *Humum suam.*
In illa die peribunt omnes cogitationes eorum :

C. Causam ponit cur in istis non sit confidendum. Hic spiritum animam debemus accipere. Egressa itaque illâ die claustro corporis, *revertitur caro in terram*, unde sumpsit initium, ideo enim addidit *suam*, quia inde fuit procreata. *Illa die peribunt* (tempore scilicet mortis) *humanæ cogitationes*, quæ se in diversos ambitus priùs extendebant. H. Tunc quoque peribit omnis principum & hominum confidentia, & cogitationes illorum qui in eis sperabant.

H

4 Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius: spes eius in Domino Deo † ipsius. † *Suo.*
Qui fecit ¶ cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. ¶ *Cælos.*

C. *Israël*, id est, vir videns Deum, (quod vocabu-

lum

A lum ad omnes electos competenter aptatur) adjutur est illis, qui ipso donante gradus virtutum ascendere nituntur. *Qui fecit cælum & terram?* quid potest esse magnificentius quam cœlum & terram fecisse, *& omnia quæ in eis sunt?* H. Qui ergo fecit cœlum & terram (in quorum comparatione homo est secundum conditionem carnis quasi formica) hominem potest liberare quem fecit. Ideo bene spes nostra in eo.

5 Qui custodit veritatem in sæculum: facit iudicium iniuriam patientibus:
Dat escam esurientibus. † *Sempiternum: Qui facit iudicium calumniam sustinentibus, & dat panem esurientibus.*

B C. *Qui custodit veritatem:* ipse est scilicet Dominus Iesus Christus: *qui facit iudicium,* quoniam verus est iudex, & gubernator æternus, & vindicat *iniuriam patientes: & dat escam esurientibus,* id est, qui esuriunt audire verbum Dei. H. Dat quoque (si ad literam intelligas) cibum corporum: dat & cibum, corpus suum in sacramento: dat denique cibum doctrinam cœlestem, sed solum esurientibus: talis etiam solvit compeditos.

Dat escā esurientibus.

6 Dominus solvit § compeditos:
§ *Vinctos.*
Dominus illuminat cæcos.

H. C. *Dominus solvit:* qui prius ligati erant in peccatis suis, postea ad Christum conversi per ipsum soluti sunt. *Dominus illuminat cæcos:* C. Vitiosi enim omnes cæci sunt (quia peccatorum obscuritatibus implicantur) hos illuminat ille solus, qui illuminat omnem hominem.

C

7 Dominus erigit † elisos: † *Allisos.*
Dominus diligit iustos.

C. *Dominus erigit:* nec hoc quoque dubium est, quia elisos Christus erigit. Nam cum Diabolus elidat: Dominus sublevat. Cuius etiam est iustos diligere, nisi qui eos prævalet in æterna beatitudine collocare?

8 Dominus custodit advenas pupillum, & viduam suscipiet:
Et viam § peccatorum disperdet.
§ *Impiorum conteret.*

Advenæ. Pupilli & viduæ.

C. *Dominus custodit advenas,* id est, qui de Babylonia (diaboli civitate) ad Hierusalem (civitatem Dei) confugerunt. *Pupillos & viduas* dicit: qui Dominum pura mente respiciunt, humanis solatiis destituti. Hos recipit Christus ad vindicandos, & exterminabit diabolum (qui est via peccatorum, sicut Christus est via iustorum) & omnes in ea via eum imitantes.

D

9 Regnabit Dominus † in sæcula Deus tuus Sion. † *In æternum.*
In generatione & generatione.

C. Erit tunc regnaturus perfectè in sanctis: quando erit (sicut scriptum est) Deus omnia in omnibus. Hic enim quamvis in sanctis regnet: non tamen perfectè: quia corda eorum interdum inanibus cogitationibus occupantur. In Sion, id est, Ecclesia in futura beatitudine: regnabit enim ipse, & cum ea, & in eadem, qui est benedictus in sæcula. H. Vel regnabit in generatione Iudæorum, & generatione Christianorum, vel in generatione ista Ecclesiæ, & generatione ventura in cœlo.

Coloss. 3.

In generatione & generatione.

Oratio ex Psal. CXLV.

Gloriose Omnipotens Deus: in quem beatorum ani ma totam spei confidentiam ponunt: concede nobis ut adiutori tuo illuminati, valeamus te iugiter meri purâ diligere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, &c.

Argumentum Psal. CXLVI.

C. Hortatur Propheta populum devotum lau dare Dominum: qui supplicantibus bene ficia profutura concedit: quoniam qui d suis viribus confidunt, ei placere no possunt.

TT.: Alleluia Aggæi & Zachariæ ⁖.

1 Laudate Dominum quoniam † bonu est psalmus:
Deo nostro sit iocunda * decoraque ⁖ laudatio. † *Bonum est canticum Dei no stri: quoniam decorum est pulchra lau datio.*

H. *Laudate Dominum:* non dixit bonus psalmus sed absolute bonum, id est, bonum est psallere & lau dare Dominum. Sed noveris hic Hieronymum, no nostram translationem secutum, sed Gallicanam, qu habet. *Quoniam bonus psalmus:* psallere verò non voc sed corde dicit. Quanti enim bonum vocem h. bene sed quoniam peccatores sunt malè psallunt? Tun est enim *Domino iocunda laudatio:* quando in unar societatem vox & vita conveniunt. Nam quale est ut psalmus castitatem dicat, & cantor se ab obsceni tate non retrahat? vnde non potest a Domino ben percipi: quod contrarià inter se noscitur adversitat luctari. H. Bene ergo psallit, qui cantat in corde & conscientiâ: fitque Deo iocunda, non voce, sed con scientiâ laudatio.

2 § Ædificans Hierusalem Dominus:
§ *Ædificabit.*
† Dispersiones Israël congregabit.
† *Electos.*

C. *Ædificat Dominus civitatem Hierusalem:* quan do dispersiones Israël congregans (quæ in toto mun do habitare noscuntur) de vivis lapidibus cœl stem constituit civitatem sicut scriptum est. *Emittet A ge los suos, cum tuba & voce magnâ: & congregabit electo à quatuor angulis terræ.* H. Vel etiam iam ædificat dum sanat contritos corde, & alia facit quæ sequun tur.

3 Qui sanat contritos corde:
Et alligat § contritiones eorum. § *Plagas.*

C. Quando enim cœlestis medicus pœnitentiur corda invenerit gravi afflictione contrita: ea (qua quadam fasciâ sua pietate superductâ) constringit a que consolidat, & ad firmissimam spem sanitatis ad ducit.

4 Qui numerat multitudinem stellarum:
Et † omnibus eis nomina vocans. † *Omne nomine suo vocat.*

C. *Qui numerat stellas,* id est, sanctos viros. Il enim lucent velut astra in nocte huius sæculi: quia nc fuerunt in numero sanctorum congregati. Scimus etia

A à Deo posse sanctorum nomina vocari : quando eos legimus in cœlo esse conscriptos. Vel etiam ad literam de stellis materialibus firmamenti accipi potest.

5 Magnus Dominus noster & ¶ magna virtus eius : ¶ *Multus fortitudine.*
Et † sapientiæ eius non est numerus.
† *Prudentia.*

C. *Magnus Dominus noster* : utique cuius nec facta numerari, nec laus prævalet apprehendi. *Virtus* etiam *magna* : quia singularis, quia omnipotens, quia rerum omnium gubernator & conditor ; cuius sapientiæ numerus non prævalet ullo modo comprehendi. Numerus enim hic pro fine ponitur : quod enim numeratur finitur.

B 6 Suscipiens mansuetos Dominus :
Humilians ∴ autem ∴ ¶ peccatores usque ad terram : ¶ *Impios.*

Mansueti qui.

C. *Mansueti*, sunt & patientes afflicti per multas tribulationes. Rectum quoque est ut hi suscipiantur in cœlum, superbi deiiciantur in terram, ut permutatione vicariâ unde humilis levatus est, inde superbus corruat.

7 † Præcinite Domino in confessione :
† *Canite.*
¶ Psallite Deo nostro in citharâ.
¶ *Canite.*

Cithara virtutum concentus.

C. Illis dicitur *præcinite*, qui adhuc tacere noscuntur : & quomodo & cui canendum sit ostendit, dum subdit ; *Domino in confessione. Cithara* autem ; signat virtutes, consonâ operatione præcinentes ; quæ tunc veram citharam reddunt, quando nulla rupta est chorda, id est, virtus. Quomodo enim integra esset cithara, unâ cordâ ruptâ ? nec sonus perfectus redditur ; dum rupta non sonat.

C

8 Qui operit † cœlum nubibus : † *Cœlos.*
¶ Et parat terræ pluviam. ¶ *Præbet.*

Cœlum prophetia.

C. *Cœlum*. sanctam prophetiam congruenter advertimus. Hanc divina provisione obscuritas, similis nubibus tegit, ut sensus incitet nostros ad quærendum, dum gratiùs accipitur ad quod fatigato desiderio pervenitur. Sed quid istæ nubes parturiunt ? copiam pluviarum, hoc est, fontes divinæ prædicationis irriguos : quamvis & ista ad litteram sint vera & salubriter intelligenda.

9 † Qui producit in montibus fœnum ∴ & herbam : † *Et oriri facit in montibus germen.*
Servituti hominum ∴.

D

C. Et hoc quoque spiritualiter accipi rectè potest. Nam montes, viros significat sanctos ; in quibus Dominus *fœnum producit*, (id est, prædicationem robustam) *herbamque*, id est, monita molliora, unde simplicia iumenta pascantur.

Montes viri sancti.

10 Qui dat iumentis ¶ escam ipsorum.
¶ *Panem suum.*
11 Et ∴ † pullis coruorum invocantibus eum. † *Filiis corvi clamantibus.*

Iumenta, ecclesiastici greges.

C. *Iumenta* : Ecclesiasticos signant greges : qui competenti refectione pascuntur, alij lacte, alij cibo solido. *Corvi* : sunt irreligiosi viri & pagani, qui peccatorum nigredine vestiuntur. *Pulli* vero *corvorum* (filij paganorum, vel aliorum hominum malorum) pascuntur à Deo, dum Deum invocant quem patres eorum contempserant : unde addit non omnibus eorum pullis & filiis dat fidei escam, sed *invocantibus eum* : quoniam soli ipsi eum invocant, qui regulas scripturarum nullà hæretica pravitate subvertunt. E

11 ¶ Non in fortitudine equi voluntatem habebit : ¶ *Non est in fortitudine equi voluntas eius.*
Neque in tibiis viri † beneplacitum erit ei. † *Placetur ei.*

C. *Equus* : superbum hominem atque tumidum significat, cui divinitas non potest esse placabilis, quoniam mansuetos eligit. H. *Tibia* hic (sicut & femora) libidinem significant : quæ ullo modo in viro aut in fœmina Deo placere non potest. Potest autem & per equi fortitudinem & tibias : præsumptio de viribus suis intelligi, non enim placet vir Deo in virtute sua, sed in timore Dei, ut sequens verbum indicat.

Equus, superbus. Tibiæ.

F

12 ¶ Beneplacitum est Domino super timentes eum :
13 Et in eis ∴ qui sperant super misericordia eius. ¶ *Placetur Domino in his qui timent eum & expectant misericordiam eius.*

C. *Beneplacitum est* itaque *Domino in eis qui eum formidant* : sed non degeneri timore. Multi enim timent : sed quia desperant de misericordia eius, minimè diliguntur : sicut Iudas. Ille timor Deo probatur acceptus, qui cum amore maximo & pia spe coniungitur. Timeat ergo unusquisque, ne peccet : amet ut supplicet, ne tamen desperet.

Timor amore instructus.

G

Oratio ex Psal. CXLVI.

ÆDificator cœlestis Hierusalem Deus : qui multitudinem stellarum & concludis numero, & nominatim singulas vocas, sana quæsumus contritos corde, dispersos congrega, atque nos innumerabili sapientiâ tuâ locupleta. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum, &c.

Argumentum Psal. CXLVII.

C. Propheta Hierusalem, id est, supernam alloquitur civitatem : ut secura iam reddita in civibus suis, Dominum iugi exultatione collaudet, enumerans quanta populo suo pius miserator indulserit.

T T. ∴ Alleluia Aggæi & Zachariæ ∴.

Alleluia nusquam translatum.

C. Ad consuetum quidem *alleluia* revertimur : sed nullatenus repetiisse fastidium sit, cuius verbi tantus honor est, ut cum sit in Hebræâ linguâ reconditum, nullo tamen constet alio sermone translatum : hoc Græcus, hoc Latinus, hoc Chaldæus, hoc Syrus, hoc Persa, hoc Arabs, hoc tenet natio cuncta terrarum & piâ devotione veneratur : hoc ergo & nos purâ mente canamus. H

1 LAuda Hierusalem Dominum :
† Lauda Deum tuum Sion. † *Cane.*

C. *Hierusalem* (sicut sæpe dictum est) interpretatur visio pacis : quæ propriè ad illam civitatem pertinet, quæ vitiorum & scandalorum consortia non habebit. Sion quoque speculatio interpretatur : in illa enim Dei civitate videbimus eum sicuti est : vnde meritò hæc duo nomina futuræ civitati conveniunt.

Hierusalem visio pacis.

2 Quoniam

A 2 Quoniam confnrtavit § seras portarnm tuarum. §*Vectes.*
Benedixit filiis tuis † in te. † *In medio tui.*

C. Cum enim *seras confortatas* dicit *esse portarum:* clausas ianuas beatæ civitatis ostendit: quod tunc accidit, quando sponsus intravit (& quæ paratæ sunt cum eo) ad nuptias, ut in evangelio de virginibus dicitur: *Mat.5.* nec quisquam ulterius sanctus exibit, nec aliquis postea novus intrabit. Magna est quidem ibi benedictio filiorum. Dicitur autem *in te:* quia nunquam ab illa exire poterunt, quia æterno munere consecrantur.

3 Qui posuit § fines tuns pacem: § *Terminum suum pacem.*
B ⁝⁝ Et ∴ adipe frumenti † satiat te.
† *Saturavit te.*

C. Sicut autem beata Hierusalem pacem possidet: sic infœlix Babylon dolorum pugnam proculdubio sustinebit. *Adipe frumenti.* *Adipem* quippe *frumenti*, dicit ipsam cootuibilem deitatem: unde sic iustorum sensus reficitur, ut omnem satietatem superare noscatur.

4 Qni emittit eloquium suum terræ:
Velociter currit † sermn eius. † *Verbum.*

C. *Eloquium* Domini: verbum patris est: quod ad terras misit, quando humilitatem piæ incarnationis assumpsit. *Eloquiũ id est, verbum patris.* Tunc sic *encurrit sermo eius velociter*, ut Sanctæ Trinitatis agnitio, mirabili velocitate mundum compleverit, idolorum cultores veritatis ipsius manifestatione convertens.

5 Qui dat nivem sicut lanam:
. † Nebulam sicut cinerem spargit.
§ *Pruinas.*

C C. *Qui dat nivem sicut lanam:* dat dicit, id est, facit: quod fit utique, quando frigidissima peccatis corda mortalium, ad ardorem satisfactionis adduxerit. *Nix. Lana. Nebula.* *Nix* est homo, cum recedit à Domino: *lana*, cum ad eius venerit medicinam. *Nebula:* signat omne peccatum, quod semper caligioosâ obscuritate peragitur. Sed *velut cinis dispergitur:* dum purâ confessione ex Chrlsti gratiâ dissipatur.

6 † Mittit crystallum suam sicut buccellas:
† *Proiicit glaciem suam.*
Ante faciem frigoris eius quis § sustinebit. § *Stabit.*

C. *Crystallus* est in modum vitri glacies, per multas hyemes condurata, & in duritiam saxi perducta *Crystallus.* substantia. H. C. Cui comparantur: qui frigore perfidiæ constricti, per singulos dies congelascunt. D Hus *emittet Dominus sicut buccellas:* quando conversos prædicare sua facit magnalia, unde populus esuriens cœlesti pane vescatur. *Ante faciem*, id est, præsentiam *frigoris eius* dicitur: non quod ab ipso frigus illud veniat, sed fieri fortè permittitur: ut est. *Indurauit Deus cor Pharaonis.* *Exo.10.* Ante illud frigus, quod ipse Deus noo removet, nemo potest subsistere, nemo illud potest sustinere.

7 † Emittet † *Mittet.* verbum suum & § liquefaciet ea: § *Solvet illa.*
† Flabit spiritus eius & fluent aquæ.
† *Spirabit spiritu suo.*

H. C. Veniente verbo, id est, prædicatione Dei: *liquefacit ea;* ut compuncti incipiant agere pœnitentiam. *Flabit spiritus*, id est, Dei calor amoris. *Fluent aquæ*, id est, profunda fluenta spiritalis beneficij. E Sic factũ est de persecutore Saulo: Sic fit hodie de plurimis.

8 Qui annuntiat verbum suum Iacnb:
† Iustitias & iudicia sua Israël. † *Præcepta sua & iudicia.*

C. Per *Iacob* & *Israël*, significatur Ecclesia: nam & modo Israelita est, quicunque est fidelis: & ante Iacob fuit, qui Domino purâ devotione complacuit: *Iacob & Israël Ecclesia.* illi enim *verbum suum*, illi noscitur *pronuntiasse suas iustitias.*

9 Non fecit § taliter § *Similiter.* nmni † nationi: † *Genti.*
Et iudicia § sua non manifestavit ⁝⁝ eis ⁝.
§ *Eius non cognoscent.*

C. *Non fecit taliter:* quia licet omnes gentes religio Christiana complexa sit; tamen nulli facie ad faciem locutus est, aut mare divisit, nisi tantum Israelitico populo. F A. Vel nationi Iacob: quæ ex Abraham descendit, in cuius fide omnes Christiani sunt; illi nationi soli manifestavit iudicia sua.

Oratio ex Psal. CXLVII.

Conforta Domine portas Ecclesia tua, & pone terminis eius pacem: eique adipem spiritalis tritici dignanter attribue. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.

Argumentum Psal. CXLVIII.

C. Propheta per paucarum commemorationem creaturarum, omnes creaturas ad Domini laudem hortatur: rationales & intellectuales, per se: intellectu autem vel sensu carentes, per illas utique, quæ opera Domini sapientissimâ consideratione collaudant. G

TT. ⁝/ Alleluia Aggæi & Zachariæ ∴.

1 LAudate Dnminum de cœlis:
Laudate eum in excelsis.

C Quia dignum est, ut creatura suum laudet creatorem, ait. C. *Laudate Dominum.* H. Ad laudem Dei sola hominum natura non sufficit: iungantur & cœli. Non autem dixit laudate cœli, sed vos qui estis in cœlis: hoc est throni, dominationes, principatus, potestates & cætera in excelsis, id est, excelsi, dignè laudate excelsum.

2 Laodate eum omnes angeli eius:
Laudate eum omnes † virtutes eius.
† *Exercitus.*

H C. *Laudate eum omnes Angeli eius:* Angelus Græca linguâ latinè nuntius interpretatur: angelus enim officij nomine dicitur, non naturæ. *Omnes virtutes eius:* hoc generale nomen est, ibi enim concluduntur omnia quæ dignitate cœlestis militiæ grandescunt.

3 Laudate eum Snl & Luna:
Laudate eum omnes stellæ § & lumen.
† *Luminis.*

H. Ideo *Sol & Luna & Stellæ* laudant eum: quod à suo officio & servitio non recedunt, & servitium ipsorum, laus Dei est. Addit *lumen:* ut quomodo de invisibilibus dixit, laudate omnes virtutes; sic de visibilibus dicit, laudate eum omne quod lucet.

A

4 Laudate eum cœli cœlorum :
Et aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini.

Aquæ ſuper cœlum. Gen. 7.

C. Quamvis in geneſi unum cœlum factum eſſe legerimus : tamen in Paulo & hic plurali nuncupantur numero. *Aquæ vero quæ ſuper cœlos ſunt :* iſtas eſſe quæ depluunt non dubium eſt, nam dicitur & in geneſi, cataractæ cœli apertæ ſunt. Dicit vero, *laudent nomen Domini :* & præcipit ex operibus ſuis Dominum debere laudari, & quid dignius, quam quod conditio rerum proprium laudet auctorem?

5 Quia ∻ ipſe dixit, & facta ſunt ∴ :
Ipſe mandavit, & creata ſunt.

C. Dicendo *ipſe :* Dominum ſignificat ſalvatorem. Ipſe enim eſt verbum caro factum, cuius iuſſione cuncta *creata ſunt.* Diſtant autem facere & creare : facere enim poſſumus & nos, qui creare non poſſumus. Et ideo quia dixit, *facta ſunt* (quod eſt generale verbum) addidit, quod erat divinitatis proprium ſcilicet *creata ſunt. Mandavit :* ſignificat conſtituit atque formavit.

B

Facere & creare.

6 Statuit ea in ſæculum & in † ſæculum ∻ ſæculi ∴. † *Æternum.*
Præceptum ¶ poſuit & non præteribis.
¶ *Dedit.*

C. *Statuit ea :* declarat potentiam Domini, virtutémque eius : ut dubium non ſit omnipotentem eſſe Dominum, quando quæ ille conſtituit, nullà mutabilitate vertuntur. *Præceptum :* legem dicit ſive conditionem, ut omnia ſub ipſius poteſtate eſſe noſcantur: ideo addidit, *& non præteribis :* præterire non poteſt, quod omnipotens ſtatuit & veritas promiſit.

C

7 Laudate Dominum de terra :
Dracones & omnes abyſſi.

Dracones & abyſſi.

C. *Dracones & abyſſos* myſticè perſonas truculentas & validas debemus accipere : quæ hic in bonum converſæ, in illa patriâ Dominicis laudibus gloriantur. Quamvis etiam ſecundum literam intelligendo, dracones venenoſi, Deum laudant & aliæ creaturæ.

8 Ignis † grando nix glacies ſpiritus procellarum :
Quæ faciunt verbum eius. † *Et grando nix, & glacies, ventus turbo, quæ facitis ſermonem eius.*

D

C. *Ignis grando, nix, glacies :* myſticè ſignant homines, qui in hoc ſæculo ex turbulentis ſunt & peſſimis ſtudiis converſi ad Dominum. *Et ſpiritus procellarum* ſunt : qui ex tempeſtuoſis & improbis operibus, ad confeſſionis gratiam venire meruerunt.

9 Montes & omnes colles :
¶ Ligna fructifera & omnes cedri :
¶ *Lignum fructiferum.*

Montes. Colles.

C. *Montes*, homines ſignificat prætumidâ poteſtate ſublimes : *colles*, mediocres : *ligna fructifera*, eos qui ex duritia peccatorum converſi, fructus morum faciunt? *Cedri*, abſolutè ſuperbos ſignificat.

10 Beſtiæ & ¶ univerſa pecora : ¶ *Omnia iumenta.*
† Serpentes & omnes volucres pennatæ. † *Reptilia & aves volantes.*

E

Beſtiæ.

C. *Beſtiæ*, crudeles ſignificant & indomitos : *univerſa pecora*, communem plebem : *Serpentes*, venenoſos & callidos : *volucres*, philoſophos (qui cogitationum velocitate naturas diſcurrunt) ſignificat, de quibus omnibus ſibi Chriſtus parat electos, qui in illa reſurrectione & laude, angelorum poſſint cœtibus congregari.

11 Reges terræ & omnes populi :
Principes & omnes iudices terræ.

Reges viri ſancti.

C. *Reges*, ſanctos viros ſignificant, qui ſemet regunt : *omnes populi*, turbas quæ ad Deum conveniunt: *principes*, poteſtates excelſas advertimus : *iudices*, nobiles & potentes. Hi enim (ut frequenter evenit) ſubito mundi poteſtate derelictâ, diligunt Domini ſervitia ſubire.

F

12 Iuvenes & virgines, ſenes cum ¶ iunioribus laudent nomen Domini :
¶ *Pueris.*
Quia † exaltatum eſt nomen eius ſolius.
† *Sublime.*

Iuvenes.

C. *Iuvenes*, qui ætatis naturâ ferventes, ad modeſtiæ temperamenta ſe convertunt. *Seniores cum iunioribus*, permixtam ſignat ætatem. Quia de omni ſexu, & de omni ætate, potens Dominus eſt evocare quos vult. Cauſa hæc laudis iuſtiſſima ponitur, *quia exaltatum, &c.* exaltatum eſt enim dum illi (ſicut dicit apoſtolus) omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Phil. 2.

13 ¶ Confeſſio eius ſuper cœlum & terram :
¶ *Gloria eius in cœlo & in terra.*
Et exaltavit cornu populi ſui.

G

C. *Confeſſio eius ſuper cœlum & terram :* hæc confeſſio laudem illam ſignificat, quæ illi poſt finem ſæculi iſtius ab omnibus in beatitudine creaturis abſolvitur rationabilibus. Quod autem dicit, *ſuper cœlum & terram*, ſignat quod nec cœleſtia nec terreſtria laudibus Dei poſſunt æqualia reperiri. *Exaltavit cornu*, id eſt, poteſtatem, quia populus fidelis ibi exaltabitur, ubi omnis gloria præſtatur.

14 † Hymnus omnibus ſanctis eius :
† *Laus.*
Filiis Iſraël populo appropinquanti ſibi.

C. *Hymnus omnibus*, vox iſta promiſſio eſt & totius beatitudinis ſumma perfectio. Et quibus ſanctis ? *filiis Iſrael*, qui non ſolum genere, ſed fide nomen iſtud habere merebantur.

H

Oratio ex Pſal. C X L V I I I.

Excelſorum omnium ſuperveniens, & excelſa poteſtas Deus : concede famulis tuis, ut ſicut cuncta quæ cernimus te iubente creata ſunt, ita quæ præcipis te cuſtode ſerventur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, &c.

Argumentum Pſal. C X L I X.

C. *Canticum novum propheta Domino Chriſto dicit eſſe cantandum : qui de toto orbe terrarum univerſalem Hieruſalem conſtruxit ſuâ pietate : & gaudia ſanctorum virtuteſque deſcribens, vindictam peccantium, gloriam dicit eſſe iuſtorum.*

A

TT. Alleluia.

1 CAntate Domino canticum novum.
Laus eius in ¶ Ecclesia sanctorum.
¶ *Congregatione.*

C. Nam propheta in hoc mundo tantùm corpore constitutus, intellectu & fide in illa patriâ, cum angelica multitudine miscebatur, in quam commonet beatum populum, canticum novum cantare. *Canticum* autem *novum*, est sanctæ incarnationis arcanum, nativitas mirabilis, & cætera. *Laus eius*, sive in ista Ecclesia, sive in illa cœlesti Hierusalem.

Canticũ novum incarnationis mysterium.

2 Lætetur Israël in † eo qui fecit eum : † *Factore suo.*
:: Et :· ¶ filiæ Sion exultent in rege suo ¶ *Filij.*

B

C. *Israël & Sion*, diversa vocabula, sed virtus una sanctorum est. Nam Israel interpretatur vir videns Deum. Sion, speculatio : quod utrumque ad beatum populum pertinet, qui lætari & exultare in rege suo Christo Domino commonetur.

3 Laudent nomen eius in choro:
In tympano & † psalterio psallant ei.
† *Cithara cantent ei.*

C. Qualis sit iste chorus, alius psalmus exponit. *A solis ortu usque ad occasum laudate nomen Domini.* Chorus est igitur, qui à mundi initio, de numerositate hominum congregatur in fide, & (nisi in illa beata patria) non potest esse totus collectus. *Tympanum & psalterium*, probabiles actos significat, qui ad divina munera referuntur : quoniam actus isti, hic illis rebus significati, & hic exercitati, faciunt nos alibi Deum æternaliter laudare.

Ps. 112.

C

4 Quia ¶ beneplacitum est Domino in populo suo : ¶ *Complacet sibi Dominus.*
:: Et :· exaltabit mansuetos in † salutem. † *Iesu.*

C. Tunc *beneplacitum est Domino in suo populo*, quando illum fecerit perfectâ suavitate gaudere. *Mansueti*, sunt patientes, qui diversas hic nequitias pro Dei regno pertulerunt. Quos *exaltabit in salutem*, id est, in vitam æternam.

Mansueti qui.

4 Exultabunt sancti in gloria :
¶ Lætabuntur in cubilibus suis. ¶ *Laudabunt.*

C. Ibi enim est exultatio & lætitia sanctorum ubi sic bonum Dominum se habere cognoscunt, ut reis donet veniam, peccantibus gratiam, non merentibus gloriam sempiternam. *In cubilibus* autem, id est, in secreto cordis ubi solus ille cognoscit qui donare dignatus est. H. Vel in cubilibus in cœlesti patriâ Quia hic in cubili sancti plorant, & rigant lectum lachrymis.

Exultabunt sancti in gloria.

Psal. 6.
D

6 Exultationes Dei in gutture eorum :
Et gladij ancipites in manibus eorum.

C. Habent *exultationes in gutture* sancti, quoniam sive cogitatione, sive in lingua laudare non desinunt, à quo æterna dona percipiunt. *Anceps gladius* : sermo Domini salvatoris, ideo anceps quod duo continet testamenta. *In manibus*, id est potestate sanctorum, sicut legitur, *factus est sermo Domini in manu Aggei prophetæ.*

Gladius anceps.
Agge. 1.

7 Ad faciendam vindictam in † nationibus: † *Gentibus.*
Increpationes in populis.

E

C. *Ad faciendam vindictam*, ista enim tunc verè fiunt, quando cum Domino iudicabunt sedentes *super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.*

Mat. 19.

8 ¶ Ad alligandos reges eorum in compedibus : ¶ *Ut alligent reges eorum catenis.*
† Et nobiles eorum in manicis ferreis.
† *Inclytos eorum in compedibus ferreis.*

C. Exponit iste versus, quid ille gladius faciat bis acutus : *alligat reges terræ in compedibus*, unde non sit liberum exire : vincula quoque ferrea supra mundi nobiles ponit, ut & gravia sint cum portantur, & nexus eorum rumpere nullâ virtute prævaleant in æterna damnatione.

F

9 Ut faciant in eis iudicium conscriptum :
¶ Gloria :: hæc :· est omnibus sanctis eius. ¶ *Decor est omnium sanctorum eius.*

C. *Ut faciant in eis iudicium conscriptum*, utique quod dicit apostolus, quoniam angelos iudicabimus. Et ne solos Apostolos iudicaturos putares adiecit. *Gloria hæc est omnibus sanctis eius*, omnes enim sancti cum Christo iudicant, qui eius regulis non repugnant. C. *Conscriptum iudicium* : hoc est, ut sic eos iudicent, quomodo in scripturis sanctis digestum est.

Conscriptum iudicium.

Oratio ex Psal. C X L I X.

AUctor totius bonitatis Deus (qui omnem mansuetudinem te humiliter confitentem exaltas) præsta, ut sicut sanctos exultare facis in gloria : ita præsentem Ecclesiam custodire digneris ab huius sæculi delectationibus. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum, &c.

G

Argumentum Psal. C L.

B. Admonetur civitas Dei, ut de mundi ambitu congregata, Domino laudes & ore cantet & animo C. B. Quinquagesimus psalmus, est de pœnitentia : Centesimus, de misericordia & iudicio : Centesimus quinquagesimus, de Dei laude in sanctis eius. Sic enim ad æternam tendimus vitam: primitus nostra peccata damnando : deinde bene vivendo : ut post condemnatam malam vitam, & gestam bonam, mereamur æternam. Vocati enim renuntiamus diabolo per pœnitentiam, ne sub iugo eius remaneamus. Iustificati sanamur per misericordiam, ne iudicium timeamus : glorificati transimus in vitam æternam, ubi Dominum sine fine laudamus.

H

TT. Alleluia, Alleluia.

1 LAudate Dominum in † sanctis eius : † *Sancto eius.*
Laudate eum in ¶ firmamento virtutis eius. ¶ *Fortitudine potentiæ eius.*

H. *Laudate Dominum in sanctis* : quod eos post celebratum iudicium in æternitatis gloria collocabit. *Laudate eum in firmamento* : eo quod omni infirmitate sublatâ, firmamentum sanctis æternæ virtutis

In firmamento virtutis.

A invexerit. C. Docet autem qualiter sanctos laudare oportet: scilicet ut non ipsi, sed Dominus debeat de eorum prædicatione glorificari.

2 Laudate eum in † virtutibus eius: † *Fortitudinibus.*
Laudate eum secundum multitudinem ¶ magnitudinis eius: ¶ *Magnificentiæ suæ.*

[1.Cor.2.] [Psa 144.] H. *Laudate eum in virtutibus*: pro eo quod mortem potentialiter immortalitate consumens, incommutabilis vitæ his contribuerit gloriam. *Laudate eum secundum multitudinem*, &c. quia suis tribuit tantam gloriam, qualem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. C. Vel *secundum multitudinem magnitudinis eius*: cuius (ut alius psalmus dixit) non est finis. Ideo æternaliter & sine fine laudandus præcipitur, qui secundum multitudinem magnitudinis laudari iubetur.

B

3 Laudate eum in † sono tubæ: † *Clangore buccinæ.*
Laudate eum in psalterio & cithara.

[Tuba. Psalterium, Cithara.] C. Hinc instrumenta ponuntur musica aliqua, significabili modo in ordine: ut tuba concrepet, regi: psalterium canat, Deo: cithara cum reliquis, sponso: quæ omnia figuraliter dicuntur laudes Domini personare. H. In psalterio enim & cithara: vel decalogus opere servatus, vel mortificatio carnis (quæ citharæ nomine intelligitur) designatur: qui enim mortificatam carnem in se vivificaverit, iure laudatur in cithara, & in psalterio: quoniam decalogi in observatione coronam æternam assecutus est.

4 Laudate eum in tympano & choro:
Laudate eum in chordis & organo.

C [Tympanum.] H. *Laudate eum in tympano*, id est, in mortificatione carnis, & concordia charitatis, & in spiritalibus præceptis,

5 Laudate eum in cymbalis ⁝ bene ⁝ sonantibus:
Laudate eum in cymbalis ¶ iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.
¶ *Tinnientibus.*

[Omne quod spirat laudet Dominum alleluia. Cymbala. Omnis spiritus. Sancti virtus, firmamentum, tuba, psalter. &c.] H. Impletur hæc laus in cymbalis: quando corruptione carnis sanguinisque depulsa, conformati ad imaginem creatoris, omni plenitudine spei completâ, resplendent in regno patris. *Omnis spiritus*: in illo igitur regno, non caro, nec sanguis, non corruptio, sed homo iam spiritalis totus effectus, Deum in spiritu (qui spiritus est) laudare iam non desinat. A. Iubet DEUS se laudari *in sanctis: in firmamento virtutis*, &c. & quæ sunt illa omnia? vos sancti eius: virtus eius estis, sed quam fecit in vobis: vos firmamentum virtutis & multitudo magnitudinis eius, quam fecit & ostendit in vobis: vos estis tuba, psalterium, cithara, & tympanum, chordæ, & organum, & cymbala iubilationis bene sonantia, quia consonantia: vos estis hæc omnia. Nihil hic vile, nihil transitorium, nihil ludicre cogitur. Et quia sapere secundum carnem mors est: *omnis spiritus laudet Dominum.*

D

Oratio ex Psal. CL.

HArmonia nostra suavissimum melos: qui nostri pectoris modulamina, nunc flatibus, nunc fidibus præcipis exerceri: præsta, ut dum illa spiritali concinimus affectu: perpetualibus choris insertis, te cum sanctis collaudemus. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Explicit liber Psalmorum numero centum quinquaginta.

E



COMMENTARIUS S. BRUNONIS EPISCOPI

Quondam Herbipolensis, in diversa Cantica sacra, Symbolum, Apostol. & Athanasij.

Canticum Esaiæ Prophetæ xii. Cap.

F

1 CONFITEBOR tibi Domine quoniam iratus es mihi: [Feria secunda in laudibus.]
Conversus est furor tuus & consolatus es me.

H. Hoc est, qui prius ex Ægypto per siccum mare pergentes in solitudine dixistis, *Cantemus Domino*, & reliqua: nunc iterum percusso Ægypto quia blasphemavit dominum, & flumine illius arefacto atque conciso & humiliato: glorificate Deum & dicite. *Confitebor tibi Domine*, &c. Nato enim Domino, quando in orbe Romano primo facta est descriptio, Augustus Cæsar Romanorum, regnum Ægypti destruxit: & omnis Ægyptus in rivis septem percussa est: & Nilus aquarum multarum (qui prius uno fluens alveo intransmeabilis erat) in septem partes concisus est, ut calceatis pedibus transiretur: ideo glorificate dominum qui in Ægyptum vindicavit peccata sua, & dicite. *Confitebor tibi Domine*, (id est, laudabo te, vel pœnitentiam agam) *quoniam iratus es mihi*, (propter peccatum meum) *Conversus est furor tuus*, (id est, indignatio *tua*.) *Consolatus es me*: per absolutionem peccatorum. [Exo.15.] [Historia. Luc.2.]

G

2 Ecce Deus salvator meus:
Fiducialiter agam & non timebo.

Vox fidelium Iudæorum. *Ecce Deus salvator meus*: qui nobis promissus est in prophetis; qui nobis salutem dedit. *Fiducialiter agam & non timebo*: id est fidem habeo in illum quod me liberet, & fiducialiter prædicabo illum, id est sine timore.

3 Quia fortitudo mea & laus mea dominus:
Et factus est mihi in salutem.

Quia fortitudo mea Dominus: quia fortem me facit adversus insidias inimici, ipsum laudabo filium Dei. *Et factus est mihi in salutem*: secundum divinitatem non est factus, sed genitus à patre: in fine verò temporum, factus est in salutem æternam.

H

4 Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris:
Et dicetis in illa die, confitemini domino, & invocate nomen eius.

Vox prophetarum ad populum iudaicum. *Haurietis aquas in gaudio*, id est doctrinam Evangelij & Apostolorum, in lætitia accipietis. *De fontibus salvatoris*: fontes IESU fuerunt Apostoli & Evangelistæ. *Et dicetis in illa die*, ô vos Apostoli scilicet gentibus, vestris sequacibus, in illo tempore, ut laudent Dominum. *Confitemini Domino & invocate nomen eius*: subauditur, ut ab ipso salvemini.

A

5 Notas facite in populis adinventiones eius:
Mementote quoniam excelsum est nomen eius.

Adinventione Christi. Philip. 2.

Vox apostolorum ad gentiles, qui iam crediderant, *notas facite in populis* (adhuc non credentibus) *adinventiones eius.* Adinventiones Christi, superbos humiliare, humiles exaltare: vel peccatores iustificare, & obstinatos damnare. *Mementote quoniam excelsum est nomen eius*: sicut scriptum est. *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem: propter quod Deus exaltavit eum, &c.*

B

6 Cantate domino quoniam magnificè fecit:
Annunciate hoc in universa terrâ.

Cantate domino: id est, laudate dominum. *Quoniam magnificè fecit*, scilicet hominem assumendo, à mortuis resurgendo, in cœlos ascendendo. *Annunciate hoc in universa terrâ*: id est, in omnibus gentibus, quod assumpserit hominem.

7 Exulta & lauda habitatio Sion:
Quia magnus in medio tui sanctus Israël.

H. *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus.* O habitator Sion exulta & lauda Deum tuum: quia magnus & sanctus Israël, id est, Iesus Christus Deus tuus, qui tuus ante videbatur Deus, & modicis Iudææ terræ claudebatur angustiis: nunc implevit omnem terram, & invocatur in universis gentibus. Aliter Sion, id est, Ecclesia, lauda; quia sanctus Israël in medio tui habitat Christus dominus.

C

Canticum Ezechiæ regis Esaiæ XXXVIII. cap.

Cur flevit Ezechias.

H. Ne elevaretur cor Ezechiæ, post incredibiles triumphos infirmatur, & vidit se esse moriturum, & convertit faciem suam ad parietem templi, ne lachrymas suas ostenderet aliis: & flevit fletu magno, propter promissionem Dei ad David, quam videbat in sua morte perituram: quia tunc non habebat filios, & desperabat Christum de suo semine nasciturum: qui post redditam sibi sanitatem ita conscripsit. *Ego dixi in dimidio, &c.* quæ scriptura non dicitur propriè oratio, sed gratiarum actio pro beneficio quod suscepit.

Feria Tertia in laudibus.

1 EGo dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.
Quæsivi residuum annorum meorum.

D

Psal. 9. Psal. 54.

H. *Ego dixi*: narrat quid tempore languoris tacitus cogitaret. *Dixi* (inquit) desperatione in corde meo. *Vadam ad portas inferi*, id est, vel mortis, vel tartari: de quibus dicitur. *Qui exaltas me de portis mortis, &c.* ad quas in dimidio cursu vitæ & errorum tenebris ducentur viri sanguinum & dolosi, qui non dimidiabunt dies suos: non enim implent opera virtutum, nec pœnitent delictorum suorum. Aliter. *Ego dixi in di. di. m.* (id est, in medio cursu vitæ meæ, id est, in iuventute) *vadam ad portas inferi*, id est, descendam ad infernum sicut cæteri sancti. *Quæsivi residuum annorum meorum*, id est, non me putans ultra victurum, postulavi ut concederetur mihi tempus vitæ quod residuum erat.

2 Dixi non videbo dominum Deum in terra viventium:
Non aspiciam hominem ultra & habitatorem quietis.

E

Terra viventium regio sanctorum.

Dixi non videbo: subauditur, si descendero in infernum, non videbo Deum in societate sanctorum. *In terra viventium.* H. Ergo regio sanctorum ipsa est, quæ vocatur terra viventium. Hoc est autem omne quod metuit: ne salutare Dei, ductus ad inferos, non mereatur aspicere. *Non aspiciam hominem ultra & habitatorem quietis*: quod nos olim propter verbi ambiguitatem sequenti versiculo iunximus. Sermo enim hebraïcus, si legitur *edel*, requiem significat: si vero *eled*, occidentem significat. Timet ergo ne cum sanctis Dei hominibus non habitet in requie: ne generatio illius instar tabernaculi dissoluatur: ne in telæ similitudinem, in ipso lucis exordio præcidatur, & nequaquam de semine eius Christus oriatur.

F

3 Generatio mea ablata est & convoluta est à me:
Quasi tabernaculum pastorum.

Tres causæ propter quas dolebat Rex.

Generatio mea, id est, procreatio filiorum meorum avulsa & remota est. *Quasi*, id est, sicut amovetur, *tabernaculum pastorum.* Tribus modis dolebat iste vir sanctus, vel quia sciebat se descensurum ad infernum propter peccatum, vel quia sciebat se non visurum ibi dominum, vel certè (quia sine filiis adhuc erat) non nasciturum dominum de semine suo, qui erat illi promissus, timebat.

4 Præcisa est velut à texente vita mea,
Dum adhuc ordirer succidit me.
De mane usque ad vesperam finies me.

Præcisa est vita, id est, cursus vitæ meæ. *Dum adhuc ordirer*, id est, dum essem iuvenis, *succidit me. De mane usque ad vesperam finies me*: aut enim leviùs habebo, aut finem vitæ accipiam.

G

5 Sperabam usque ad mane.
Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.

Iob. 5.

H. *Sperabam usque ad mane*: sicut Iob in die noctem, & in tenebris lucem expectabat, mutatione temporum putans mutari posse supplicia. Hoc verum esse novit: qui magnis febribus æstuat, cuius ignis internus, ut leo omnia ossa consumit: nec se putat præ doloris magnitudine ultra victurum. *Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea*, id est, omnem fortitudinem meam.

6 De mane usque ad vesperam finies me sicut pullus hirundinis sic clamabo:
Meditabor ut columba.

H

Sicut pullus hirundinis sic clamabo, id est. sicut hirundo sic gemo. Aliter. *Sicut pullus hirundinis*: mors imminens & languor incumbens & dolor, ut leo ossa mea frangebant: sed ego ut hirundo & columba, fletibus & gemitibus dies noctesque iungebam, & à Deo solo qui subvenire potuit, præstolabar auxilium: cui dicebam, plus patior quam mea poscunt merita, sed si quid erravi, convertar ad melius. Clamat pullus hirundinis ad matrem pro cibo: gemit columba: ita ego ad Deum meum faciam propter peccata mea, donec misereatur mei.

7 Attenuati sunt oculi mei:
Suspicientes in excelso.

Attenuati sunt oculi mei, id est, defecerunt lachrymarum effusione. *Suspicientes in excelso*, id est, veniam postulantes.

8 Domine vim patior sponde † pro me:
† *Responde.*

A Quid dicam aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?

Domine vim patior, id est, infirmitas mea maior est, quam fragilitas mea possit ferre. *Sponde pro me*, id est, tu esto fideiussor, ut sanitate receptâ ad priora vitia non redeam. *Quid dicam, aut quid respondebit mihi?* subintellige ipse dominus. H. *Cum ipse fecerit* vel imposuerit ipsam infirmitatem. Aliter. Tu sponde pro me, non est enim volentis, & reliqua. (Rom.9.) Et rursum in se revertitur, quid dicam, quidue causabor contra te factorem meum? aut quid respondebit mihi? quia ipse fecit quod voluit, omnia igitur sustinenda sunt quæcunque decreverit. Vel cum ipse fecerit mecum misericordiam, & veniam spoponderit.

9 Recogitabo tibi omnes annos meos:
B In amaritudine animæ meæ.

H. *Recogitabo omnes annos meos*, scilicet, prosperitatis atque lætitiæ meæ recordabor *in amaritudine animæ meæ*, id est, cum essem in amaritudine infirmitatis. Nulla res enim longa mortalium est: omnisque fœlicitas sæculi, dum tenetur amittitur: cum enim tempus tribulationis advenerit, omnis præterita sæculi fœlicitas nihil adiuvat sustinentem, ergo Ezechias reputare se dicit omnes annos regni sui & præteritæ (ut putabat) beatitudinis in præsenti amaritudine. Et quia iam securus est nec patitur quæ refert, de humano statu philosophatur & dicit. *Domine, &c.*

10 Domine si sic vivitur, & in talibus vita spiritûs mei, corripies me & vivificabis me:
Ecce in pace amaritudo mea amarissima. C

Domine si sic vivitur, (id est, si sic est vita hominis ut infirmetur) *& in talibus* (subintellige varietatibus infirmitatum) *vita spiritûs mei*, id est, vita animæ meæ est *corripies me* (subintellige infirmitatem dando) *& vivificabis me* (iterum sanando) *ecce in pace amaritudo*, &c. id est, ecce in pace populi mei & civitatis meæ est mihi amaritudo amarissima: illis scilicet populis de liberatione gaudentibus, & me per mortem recedente: quia ipsi liberati sunt à Sennacherib, ego solus limina mortis intravi.

11 Tu autem eruisti animam meam ut non periret:
Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

H. *Tu autem eruisti animam meam* (subintellige de inferno) *ut non periret. Et proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea*, ne videres illa ad damnandum me, sed ad indulgendum. Vel etiam in præsenti eruisti vitam meam. D

12 Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te:
Non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

H. *Quia non infernus confitebitur tibi*, (id est, qui in inferno sunt non laudabunt te: *Non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem* iudicij, sed misericordiam liberationis: maximè cum Christus ad inferna descendit ut vinctos liberaret.

13 Vivens vivens ipse confitebitur, sicut & ego hodie:
Pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Vivens vivens ipse confitebitur. Quisquis vivendo vivit in cœlesti patria, ipse laudabit te. *Sicut & ego hodie*, subintellige laudo. *Pater filiis notam faciet veritatem tuam.* H. Patrem se vocat, & subiectos sibi, filios: vel omnem ætatem post se futuram, & non à se generatos: quia Manassen pessimum genuit, qui non legitur dominum benedixisse & veritatem domini confessus esse, sed maledixisse Deo, sanctos eius persequendo. *Veritatem tuam*: id est, veritatem misericordiæ tuæ. Confessio hic non pro pœnitentia, sed pro gloria & laude accipitur. Et ita pater filiis notam faciet veritatem tuam: ut per singulas successiones, Dei veritas & iustitia posteris prædicetur. E

14 Domine salvum me fac:
Et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo domini. F

C. *Domine salvum me fac*, ab omnibus adversis. *Et psalmos nostros*, id est, psalmodiam laudis, *cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ*, id est, quamdiu vixerimus omnes qui in te credimus, tuoque auxilio liberati sumus.

CANTICVM ANNÆ
primi Regum 11. cap.

1 EXultavit cor meum in domino:
Et exaltatum est cornu meum in Deo meo. (Feria quarta in laudibus.)

A. Dicat Ecclesia Christi, civitas regis magni, gratiâ plena, prole fœcunda: dicat quod tanto ante, de se prophetatum per os huius piæ matris agnoscit, *Exultavit cor meum*, quia non in se sed in domino suo exaltatum est, & in alio loco dicit, exaltabuntur cornua iusti: quia de crucis Christi apicibus, iustis conferuntur hæc cornua: in his ventilabimus atque destruemus adversarias potestates: animæ nostræ insidiantes. Aliter. *Exultavit cor meum in domino*, id est, mens mea. *Et exaltatum cor meum*, id est, filius meus in Deo. G (Psal.74.)

2 Dilatatum est os meum super inimicos meos:
Quia lætata sum in salutari tuo.

Dilatatum est os meum super inimicos meos: subintellige iudæos & hæreticos: quia super illos dilatatum est (2.Tim.2.) os Ecclesiæ, quæ coram iudæis & infidelibus sine prohibitione loquitur secundum Evangelium. Aliter. A. Dilatatum est os meum: quia & in angustiis pressurarum sermo Dei non est alligatus, nec in præconibus alligatis. *Et lætata sum in salutari tuo*: Christus iste est Iesus.

3 Non est sanctus ut est dominus:
Neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster. H

Non est sanctus: subintellige aliquis, sicut Deus pater. *Neque enim est alius extra te*, scilicet Deus verus. *Et non est fortis*, subaudi alius Deus immutabilis, sicut tu cum filio & spiritu sancto. A. Vel non est sanctus ut est dominus & iustus, &c. tanquam sanctus & sanctificans, iustus & iustificans. Non est sanctus extra & præter te, quia nemo fit nisi abs te.

4 Nolite multiplicare loqui:
Sublimia gloriantes.

Rabanus. Vox Ecclesiæ. *Nolite multiplicare loqui* (id est, nolite gloriari in sapientia legis) *sublimia* (intellige *verba*) gloriantes. Et Salomon dicit. Altiora te ne quæsieris, & alibi, dominus in cœlo & tu in terra: ideo sint pauci sermones tui. (Eccles.3. Eccles.5.)

A

5 Recedant vetera de ore vestro:
Quia Deus scientiarum dominus, & ipsi præparantur cogitationes.

Recedant vetera, id est, veteres traditiones. *Quoniam Deus scientiarum dominus*, id est, non solum dat scientiam sanctis, sed & ipsi præparantur cogitationes, id est, manifestæ sunt. Aliter. A. Recedant vetera hoc est, magniloquium non exeat de ore vestro. Quia Deus scientiarum dominus est: hæc dicuntur de se præsumentibus, qui se iustos putant, & ideo superbi & iustitiæ Dei non sunt subiecti, quia de suo putant non de Deo posse se placere: atque ideo arbiter conscientiarum dominus, & ipse videns cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt, si hominum sunt, & ab illo non sunt a quo ipsi homines sunt, sinit superbos cadere, humiles exaltari.

B

6 Arcus fortium superatus est:
Et infirmi accincti sunt robore.

Arcus fortium superatus est, id est, potentia Ægyptiorum in signis Moysi: vel potestas iudæorum. *Et infirmi accincti sunt robore*, id est, iudæi liberati à servitute Ægypti: vel gentiles fortitudine fidei.

7 Repleti prius pro panibus se locaverunt:
Et famelici saturati sunt.

C

A. *Repleti prius pro panibus se locaverunt*, id est, gentiles non habentes prius doctrinam. Iudæi enim repleti sunt prius panibus, id est, doctrinâ veteris testamenti, & pro panibus se locaverunt, id est, pro doctrina Christi se separaverunt à consortio fidelium. Aliter, se locaverunt, id est, diabolo tradiderunt se pro doctrinis suis, nolentes communicare corpori Christi.

8 Donec sterilis peperit plurimos:
Et quæ multos habebat filios infirmata est.

Donec sterilis peperit plurimos, &c. id est, gentilitas peperit plurimos filios. Et iudæa infirmata est: in pariendo filios Dei.

9 Dominus mortificat & vivificat:
Deducit ad inferos & reducit.

Dominus mortificat & vivificat: pater mortificavit filium permittens illum tradi quem vivificavit resurgendo. A. *Deducit ad inferos & reducit*, id est, deduxit animam filij cum iocunditate ad inferos & reduxit.

D

10 Dominus pauperem facit & ditat:
Humiliat & sublimat.

Mat. 19. *Dominus pauperem facit*: cum dicit, si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes. *Et ditat*: generando in illo virtutes, & reddendo centuplum. *Humiliat*: sanctos in præsenti, & *sublevat* in futuro.

11 Suscitans de puluere egenum:
Et de stercore erigens pauperem.

A. *Suscitans de pulvere egenum*, id est, de corruptione Christum, quia caro eius non vidit corruptionem. *Et de stercore erigens pauperem*, id est, Apostolos. Aliter suscitans à terra pauperem, id est, Christum, qui propter nos pauper factus est cum dives esset, ut eius paupertate vel morte ditaremur. Egenus quippe idem qui pauper. Stercus autem, unde erectus est, rectissime intelliguntur persecutores Iudæi.

E

12 Vt sedeat cum principibus.
Et solium gloriæ teneat.

A. *Vt sedeat cum principibus*, id est, cum Apostolis in iudicio. *Et solium gloriæ teneat*, id est, ut ad dexteram patris sedeat Christus: vel teneant Apostoli sedem gloriæ, quam dominus eis tribuit.

13 Domini enim sunt cardines terræ:
Et posuit super eos orbem.

Domini enim sunt cardines terræ, id est, fines qui sunt Apostoli, quia in omnem terram exivit sonus eorum. *Et posuit super eos orbem*, id est, sanctam Ecclesiam super doctrinam Apostolorum.

F

14 Pedes sanctorum suorum servabit, & impij in tenebris conticescent:
Quia non in fortitudine sua roborabitur vir.

Pedes sanctorum suorum, id est, sensus vel opera servabit ne peccent. *Impij in tene. con.* iudæi scilicet hæretici & falsi Christiani, qui vagantur offendendo, discurruntque simul cum dæmonibus. *Quia non in fortitudine sua roborabitur vir*, id est, nemo fortis in propria fortitudine convalescit. Aliter. Pedes sanctorum, hoc est, dilectorum suorum opera, in viam iustitiæ diriget. Et impij in tenebris conticescent: quia mittentur in tenebras exteriores, ubi conticescent, id est, ab arrogantia superbiæ suæ cessabunt. Quia non in fortitudine sua roborabitur vir: hoc est in fortitudine propria, sed in virtute divina potest esse vir, id est, populus credentium.

G

15 Dominum formidabunt adversarij eius:
Et super ipsos in cœlis tonabit.

Dominum formidabunt adversarij eius, id est, dæmones vel homines impij. *Et super ipsos*: subaudi impiosi *tonat*, in præsenti in libris comminans eis æterna supplicia, vel in futuro grandines & coruscationes.

16 Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo:
Et sublimabit cornu Christi sui.

H

A. *Dominus iudicabit fines terræ*: in die iudicij omnes habitantes in terra. Vel unumquemque secundum opera sua, quando de hac luce migraverit in regnum patriæ cœlestis. *Et dabit imperium regi*, id est, corpori *suo* quod est Ecclesia: quæ propter unctionem baptismi rex appellatur, sicut appellabantur in veteri testamento qui ungebantur reges. *Et sublimabit cornu Christi sui*: id est potentiam sanctæ Ecclesiæ, quæ unctionem sancti spiritûs accepit in baptismo manûs impositione. Aliter. Dominus iudicabit fines: id est, extrema opera hominis, in quibus inventus fuerit, non solum priora. Et dabit imperium regi suo: hoc est populo Christiano, quia dat eis virtutem qua carnem sicut reges regant. Et sublimabit cornu Christi: omnes quippe unctos eius chrismate, rectè Christos dicere possumus: quod tamen cum suo capite corpus, unus est Christus.

CANTICVM MOYSI
Exodi. xv. cap.

Feria Quinta in laudibus.

1 CAntemus domino, gloriosè enim magnificatus est:
Equum & ascensorem proiecit in mare.

A *Cantemus* : id eſt, laudemus, *quia magnificatus eſt* in ſignis Ægypti. Sed *glorioſè* magnificatus eſt, *equites & aſcenſores eorum in mare deiiciendo* : Pharaonem videlicet & exercitum eius. Spiritualiter illa laus laudem ſignificat, quæ nunc agitur in Eccleſia, laudaverunt illi dominum, laudemus & nos, dicit Eccleſia, Ori. quia Magnificatus eſt Chriſtus : in carnis aſſumptione, & naſcendo de Maria virgine, & diabolum per mortem crucis vincendo, equum & aſcenſorem deiiciendo in mare, id eſt, diabolum & miniſtros eius in infernum deiiciendo : ſed reſurgendo : & in cœlum aſcendendo, glorioſe magnificatus eſt.

B
2 Fortitudo mea & laus mea domious :
Et factus eſt mihi in ſalutem.

Fortitudo mea dominus, dicit Moyſes : quia fortes nos fecit adverſus inſidias inimicorum noſtrorum. *Laus noſtra* eſt, ipſum laudare, qui *factus eſt nobis in ſalutem*, nos redimendo, liberans nos de ſervitute Pharaonis. Spiritualiter fortitudo eſt dominus ſanctæ Eccleſiæ : quia ipſam fortem facit ad toleranda adverſa huius mundi.

3 Iſte Deus meus & glorificabo eum:
Deus patris mei & exaltabo eum.

Manichæorũ hæreſis.

Iſte eſt Deus, id eſt, Chriſtus, *& glorificabo*, hoc eſt laudabo eum. *Deus patris mei* Abraham ſcilicet *& exaltabo eum*, id eſt, magnum prædicabo. Fuerunt hæretici qui dixerunt duos eſſe Deos, unum veteris teſtamenti, alterum novi : Deum veteris teſtamenti dicebant eſſe iuſtum & crudelem, eo quod iuſtè præciperet, & eos qui peccabant interimi præciperet dicens, ſi quis hoc vel illud fecerit morte moriatur : Deum vero novi teſtamenti dicebant iuſtum. & miſericordem, eo quod peccantes ad pœnitentiam provocaret dicens. Pœnitentiam agite. Sed omnes iſti mentiti ſunt, oſtendente Moyſe ipſum Deum eſſe veteris teſtamenti quem & novi.

C
4 Dominus quaſi vir pugnatur, omnipoteos oomen eius :
Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare.

Dominus quaſi vir. Tunc Pharaonem, nunc diabolum debellando, *Omnipotens* quia ſolus omnia poteſt. *Currus Pharaonis, &c.* Omnia quidem quæ hic dicuntur & facta ſunt in Pharaone tunc, etiam poſtea per Chriſtum in antiquo perfecta ſunt hoſte : quæ etiam prophetico ſpiritu hic prædicuntur futura quaſi præterita.

5 Electi priocipes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro, abyſſi operuerunt eos:
Deſcenderuor in profondum quaſi lapis.

D *Electi principes*, id eſt, principalia vitia pariter cum minimis ſubruuntur. *Abyſſi operuerunt eos*, id eſt, gehenna, in quam *quaſi lapis deſcenderunt*. Quia & ille & iſte, Pharao, ſcilicet & diabolus, gravati duritiâ peccatorum, lapides vivi non erant.

6 Dextera tua domioe magoificata eſt io fortitodine, dextera tua domioe percuſſit ioimieum:
Et in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti adverſarios meos.

Dextera tua domine magnificata eſt, hoc eſt. Dexteram tuam domine, id eſt, filium tuum Chriſtum magnificamus in fortitudine victoriæ, qui *percuſſit inimicum* libertatis noſtræ, deponens eum de dominio deceptorum. E

7 Miſiſti iram tuam quæ devnravit eos ſicut ſtipulam :
Et io ſpiritu furoris tui congregatæ ſuot aquæ.

Miſiſti iram tuam : Iram, id eſt, vindictam, non tameo ira deitatis turbatur. *Qua devoravit eos ſicut ſtipulam*, quia ſicut facile ignis ſtipulam conſumit, ſic facile erat Deo eos ſubmergere. *Et in ſpiritu furoris tui* : quia patientibus furor videtur, cum ſit æquum iudicium.

8 Stetit unda flueos: F
Congregatæ ſunt abyſſi in medio mari.

Stetit unda fluens, id eſt, vel maria diviſi vel Iordanis, ut legitur. *Congregata ſunt abyſſi* : ne nocerent iuſtos & necarent iniuſtos. Exo.14. Ioſue 3.

9 Dixit inimicus perſequar & compræhendam :
Dividam ſpolia, implebitur anima mea.

Dixit inimicus, Id eſt, Pharao, *perſequar, &c.* iſta enim ſunt verba Pharaonis vel diaboli : quibus tamen fortior ſuperveniens ſpolia abſtulit. Luc.11.

10 Evaginabo gladium meum :
Interficiet eos manus mea.

Evaginabo gladium meum, id eſt, gladios, *& manus*, id eſt, potentia mea vel multitudo exercitus, *interficiet eos*. Ita dicit & diabolus. Evaginabo gladium, id eſt, aperiam omnes fallendi modos, & interficiet eos ſpiritualiter manus mea. G

11 Flavit ſpiritus tuus, operuit eos mare :
Submerſi ſunt quaſi plumbum io aquis vehementibus.

Flavit ſpiritus tuus : ſpiritu enim fortitudinis tuæ ſubmerſi ſunt. *Quaſi plumbum* : flexibiles ad malum, & gravati à malitia, ne poſſint ad bonum animam elevare. Quaſi plumbũ.

12 Quis ſimilis tui in fortibus domine, quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate:
Terribilis atqoe laudabilis & faciens mirabilia ?

Quis ſimilis tui ? magna faciens (quia ſanctus es) *terribilis*, (iudicando) *atque laudabilis*, (dimittendo peccata pœnitentibus) *& faciens mirabilia* : in cruce & in peccatorum converſione. H

13 Extendiſti maoum tuam :
Et devoravit eos terra.

Extendiſti manum, Id eſt, virtutem tuam, *& devoravit eos terra*, id eſt, arena vel peccata terrena. O. Vel terra devorantur, qui ſemper terrena faciunt, de terra loquuntur, litigant, terram deſiderant, & luxuriæ dediti, voluptatem quærunt corporis.

14 Dux fuiſti io miſericordia tua :
Populo quem redemiſti.

Ibi *dux fuiſti* ad terram promiſſam, hîc ad cœleſtem Hieruſalem redemptis.

A 15 Et portasti eum in foritudine tua:
Ad habitaculum sanctum tuum.

Et portasti eum tunc, id est, sine eius labore eum advexisti: uti tabernaculum, & postea templum videret: sicut sanctos in paradisum nunc introducis, ubi habitaculum sanctum tuum æternum vident in æternum.

16 Ascenderunt populi & irati sunt.
Dolores obtinuerunt habitatores Philistiim.

Ascenderunt populi Israël. *Et irati sunt*, id est, adversarij contra eos irati sunt. Hæc autem de futuro intelliguntur. *Philistiim* interpretantur cadentes poculo: Idumei, rubei vel terreni. B

17 Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Muab obtinuit tremor:
Obriguerunt omnes habitatores Chanaan.

18 Irruat super eos formido & pavor:
In magnitudine brachij tui.

Muab: ex patre interpretatur, & significat peccatores iustorum persecutores, qui inebriati sunt peccatis & nota effusionis sanguinis Christi. Vel qui sunt homicidiis inquinati, ex patre diabolo sunt: quibus hæc salus iustorum est invidia, quos tamen dominus cooperat.

19 Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus domine:
C Donec pertranseat populus tuus iste quem possedisti.

Fiant immobiles: optat vel pronuntiat, quod resistere non valeant Dei populo, illi superius iam nominati populi. O. Vel mystice iudæi facti sunt immobiles ad Christi fidem: *donec pertranseat* & veniat ad fidem omnis populus gentium, quem dominus possidet.

20 Introduces eos plantabis in monte hæreditatis tuæ:
Firmissimo habitaculo tuo quod operatus es domine.

Introduces eos, in terram promissam: & introducet etiam dominus sanctos suos in cœlestem Hierusalem, & plantabit in æternum, id est, fœliciter vivere faciet. *In monte*, scilicet Sion, & firmissimo habitaculo, hoc
Psal. 147. est Hierusalem. Spiritualiter autem Sion, contemplationem cœlestem: *firmissimum habitaculum*, Hierusalem cœlestem (cuius fines dominus pacem æternaliter firmam posuit) significat, ubi nulla infirmitas esse potest.
D

21 Sanctuarium tuum domine quod firmaverunt manus tuæ:
Dominus regnavit in æternum & ultra.

O. *Sanctuarium tuum*: hoc est sanctimonium assumptæ carnis: quod non manu hominum factum est, sed manibus Dei paratum. *Dominus regnavit*: regnat & regnabit in sæculum & sine terminali fine. Aliter. *Et regnabit in æternum & ultra*: si quid æterno ulterius est.

22 Ingressus est enim Pharao cum curribus & equitibus eius in mare.
Et reduxit super eos dominus aquas maris.

O. *Ingressus enim*: spiritualiter accipiendo, Qui Ægyptius est, & sequitur Pharaonem, id est, diabolum, ille vitiorum mergitur fluctibus. E

23 Filij autem Israël ambulaverunt per siccum:
In medio maris.

O. *Filij autem Israël*: mystice, id est, qui sequitur Christum, & sicut ille ambulabat ita & ipse ambulat: aquæ ei murus fiunt dexterâ levaque. Ipse autem mediâ viâ incedit per siccum usquequo exeat ad libertatem, & hymnum victoriæ canat dicens. *Cantemus domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare*: quod erit cum post mortem anima coelos gloriosa ingreditur. F

Oratio Abacuc prophetæ pro ignorantiis. III. cap.

1 Domine audivi auditionem tuam:
Et timui. Feria Sexta in laudibus. Ioan. 5.

Domine audivi: *omnia* (discipulis inquit salvator) *quæ audivi à patre annuntiavi vobis*, id est, probrosa adversaque carne assumptâ pro humano genere patior: & post, victâ morte, trahabo in gloriam meam. Hanc auditionem propheta audivit in spiritu, & timuit.

2 Domine opus tuum:
In medio annorum vivifica illud:

Domine opus tuum. Ait ergo deprecor domine ut quod promisisti expleas, finito quoque tempore reddas Christum tuum: & opus quod pollicitus es *vivifica*, hoc est, tuum imple promissum.

3 In medio annorum notum facies:
Dum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

In medio annorum. Cum venerit inquit plenitudo G
temporis, & opera promissa impleveris: monstrabis Gal. 4.
vera esse quæ es pollicitus, & cum peccantibus nobis iratus fueris, pœnitentiam tamen agentibus, misericordiæ tuæ recordaberis.

4 Deus ab Austro veniet:
Et sanctus de monte Pharan.
Diapsalma.

Deus ab austro, &c. Pharan, locus est vicinus Syna: in quo ipse dominus legem dedit, qui de virgine nasci Luc. 2.
dignatus est in Bethlehem: & inde ab Austro veniens, Hierosolymam a parentibus ductus est, ut pro eo hostia secundum legem daretur.

5 Operuit cœlos gloria eius: H
Et laudis eius plena est terra.

Operuit cœlos: in adventu enim salvatoris cuncta repleta sunt gloriâ, ut in Evangelio. *Gloria in excelsis Deo* Et alibi. *Domine dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universa terrâ.* Et rursum. *In omnem terram exivit sonus eorum.* Ibidem. Psal. 8. Psal. 18.

6 Splendor eius ut lux erit:
Cornua in manibus eius.

Splendor eius: quasi sol sic sol iustitiæ clara luce radiabit. Cornua, id est, vexilla ac trophæa crucis, in manibus eius.

7 Ibi abscondita est fortitudo eius:
Ante faciem eius ibit mors.

A Mat.14 Luc.23.

Ibi abscondita est fortitudo. In cruce abscondita est fortitudo eius: quoniam dicebat, *tristis est anima mea usque ad mortem.* Et *in manus tuas commendo spiritum meum.* Ibi enim latuit virtus divinitatis, & apparuit infirmitas humanitatis.

8 Egredietur diabolus ante pedes eius:
Stetit & mensus est terram.

Mat.4.

Egreditur: exeunte enim domino de aquis baptismatis, occurrit mors, id est diabolus & ante pedes eius veniebat coluber antiquus, quoniam tentavit eum in deserto.

9 Aspexit & dissoluit gentes:
Et contriti sunt montes sæculi.

B

Montes sæculi.

Aspexit & dissoluit. Stans salvator, & oculo suo cuncta prospiciens, & intuitu suo universum mundum metiens, gentium infidelitatem dissipavit, à glacieque suâ resoluit eorum corda: & dæmones & superbos (qui montes dicuntur sæculi) contrivit.

10 Incurvati sunt colles mundi.
Ab itineribus æternitatis eius.

Incurvati sunt.

Incurvati sunt colles, id est, superbi per pœnitentiam humiliati sunt: qui ante adventum salvatoris superbi erant, & a nullo flecti poterant: *Ab itineribus æternitatis eius*: per carnem enim assumptam & prædicationem suam & discipulorum, & interiorem inspirationem (quibus viis divinitas ad nos venire dignata est) humiliati sunt & conversi superbi.

11 Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ:
Turbabuntur pelles terræ Madian.

Pro iniquitate, id est propter iniquitatem. Qui templum Dei esse debuerant, propter iniquitatem avaritiæ & omnis malitiæ, fiunt tabernaculum Æthiopum, id est dæmonum. Tabernacula autem terræ Madian atque Æthiopum eosdem intellige: hi in novissimo conscij peccatorum suorum, pavebunt iudicio & turbabuntur.

C

12 Nunquid in fluminibus iratus es domine, aut in fluminibus furor tuus:
Vel in mari indignatio tua?

Flumina & mare bona & mala sunt.

Nunquid in fluminibus: fluminum & maris vocabulo corda exprimuntur infidelium, qui toto intentionis impetu ad inferiora rapiuntur. Sunt autem flumina bona, sunt & mala: unde litera ista potest & ista interrogatio affirmativè & negativè intelligi. Non enim bonis fluminibus irascitur Deus, irascitur autem malis: & mare similiter in bono & malo accipi potest. mundana vel hæretica eloquentia & verba, malum flumen: Dei verba & prædicatio & sacramenta, bonum flumen, in quibus peccator abluitur.

D

13 Qui ascendes super equos tuos:
Et quadrigæ tuæ saluatio.

Equi, Apostoli.

Quadriga, 4. Evangelia.

Qui ascendes super equos: non in illorum corda, quibus iratus dicitur superius: sed in corda electorum tuorum ascendes, per illuminationem gratiæ tuæ (ut Apostolorum) in his curribus equitans totum illustravit mundum & salvavit. Vel quatuor Evangelia quadriga sunt salutis.

14 Suscitans suscitabis arcum tuum:
Iuramenta tribubus quæ locutus est.
Diapsalma.

Arcus.

Suscitans suscitabis, &c. *Arcum* dicit improvisum adventum, in quo regna mundi examinanda prævidit. Vel arcum, sacram scripturam dicit: quam suscitavit, dum per eam in peccatis mortuos excitavit, & implevit quæ promisit tribubus patrum antiquorum.

E

15 Fluvios sciodes terræ, viderunt te aquæ & doluerunt montes:
Gurges aquarum transiit.

Fluvios scindes, id est, reges terræ adversus tuum populum dimicantes, divides atque disperges. *Te viderunt* excelsa regna, & sublimes huius sæculi potestates tremuerunt. *Gurges*, id est, persecutio eorum qui vexabant populum tuum, *transiit*.

16 Dedit abyssus vocem suam:
Altitudo manus suas levavit.

F

Dedit abyssus: hoc est postquam gurges aquarum, id est persecutionum transiit, id est, cessavit, id est, post passionem tuam Christe: inferi, id est, sancti in limbo patrum laudaverunt te. Et *altitudo*, id est, Angeli te resonabant esse victorem: & quasi plausu manuum elevatarum te victorem, triumphatoremque monstrarunt.

17 Sol & luna steterunt in habitaculo suo:
In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.

Sol & luna: post passionem suam & resurrectionem elevatus est dominus, sol videlicet iustitiæ in cœlum. & emisso spiritu illustravit Ecclesiam, quæ dicitur luna: quæ tunc ita stetit, robore spiritûs accepto, ut nec mortem timeret. *Sagitta tua*, id est; plagæ tuæ & eruditio, populo tuo lumen præbuerunt. In sole enim Christus, in luna Ecclesia designatur.

Sol, Christus. Luna, Ecclesia.

18 In fremitu conculcabis terram:
In furore obstupefacies gentes.

G

In fremitu conculcabis: quando iniuriam populi tui vindicabis, terrena regna conculcabis, & omnes gentes admirari facies.

19 Egressus es in salutem populi tui:
In salutem cum Christo tuo.

Egressus es: hoc patri dictum intelligitur quia exierit ad salvandum populum suum per Iesum Christum filium suum: Deus enim erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Vel egressus à Synagoga iudæorum ad gentes.

2.Cor.5.

20 Percussisti caput de domo impij:
Denudasti fundamentum usque ad collum.

Percussisti caput: Veniente autem filio tuo, percussisti Antichristum *de domo impij*, id est in hoc sæculo: quia in maligno mundus positus est. Et abscondita eius aperta fecisti, usque in sempiternum. Fundamenta enim sive abscondita eius sunt cogitationes, quæ nudantur vel in iudicio omnibus, vel hîc per confessionem, *usque ad collum*, id est usque ad verba & opera. Vel per caput diabolus intelligitur.

1.Ioan.5.

H

21 Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius:
Venientibus ut turbo ad dispergendum me.

Maledixisti: Non solum sceptris, id est, regno diaboli maledixisti, verum etiam capiti bellatorum quod percusseras, qui *venerunt ut turbo*: ut everterent popu-

lum

A lum tuum domine. Secundum literam autem intelligimus impium Nabuchodonosor, vel omnes adversarios, qui venerunt ut turbo ut dispergerent me, id est, ut everterent Israel & captivarent.

22 Exultatio eorum:
Sicut eius qui devorat pauperem in abscondito.

Exultatio eorum: Exultabant pauperem devorantes & subiectum sibi popolum, & hoc quasi in abscondito facient, id est, quasi tu Deus nescires. Venisti igitur ad prælium pro populo tuo, & quadrigas mittens in aquas, (id est, in gentes multas) *fecisti eis viam, &c.*

B 23 Viam fecisti in mari equis tuis:
In luto aquarum multarum.

Equi dicuntur prædicatores.

Viam fecisti: Equi sunt sancti prædicatores: quibus fecisti viam in populis nationum, & in quorum prædicatione turbatæ sunt aquæ: hoc est gentium corda. *Mare* enim spiritualiter mundus est: *lutum*, peccata & curæ vanæ: *aqua multa*, populi multi.

24 Audivi & conturbatus est venter meus:
A vuce contremnerunt labia mea.

Audivi & conturbatus est venter meus: Ad comminationem inquit propheta tuam, toto ventre, id est animo contremisco: labiorum enim tremor designat pavorem trepidæ mentis. Audivi igitur vindictam tuam in peccatores (quam fecisti hic, & quam amplius facies in extremo iudicio) & contremisco: ne & ego reprobus inveniar.

25 Ingrediatur putredo in ossibus meis:
Et subter me scateat.

C

Iob. 1. & 2.

Ingrediatur putredo, id non solum hunc tremorem libenter patior, verum etiam quod passus est Iob libenter sustinebo, (id est, putredinem corporis: ita ut innumeris scateat vermibus caro mea) & omnes angustias & tribulationes hic in hac vita.

26 Vt requiescam in die tribulationis:
Vt ascendam ad populum accinctum nostrum.

Dies iudicij.

Vt requiescam, id est, ut hic à meis munder, & eripiar peccatis, & *in die tribulationis*, hoc est consummationis sæculi & iudicij (in die, scilicet iræ calamitatis & miseriæ) requiescam, atque ascendam ad consortium eorum qui in Christo præcesserunt, & accinxerunt se ad pugnandum contra aëreas potestates & omnia vitia, armis virtutum undique cincti & expediti: cum illis ascendam in gaudia beatorum, & in hac vita de virtute in virtutem. Ficus enim non florebit, ego autem floream.

Psal. 83.

D 27 Ficus enim non florebit:
Et non erit germen in vineis.

Iudæi acant ficus vinea & oliva.

Ficus enim non florebit: ficus, vinea & oliva, erat Synagoga iudæorum: quoniam dulcedinem bonæ operationis proferebat: sed domino veniente, virtutis fructum ferre neglexit. Similiter exponitur de malis Christianis iste & sequentes duo versus.

28 Mentietur opus olivæ:
Et arua non afferent cibum.

Exo. 24
Deut. 18.

Mentietur opus olivæ: aliud promittentis & aliud facientis, dicentis ad Moysen. *Omnia quæcunque dixeris dominus faciemus:* & nolentis in eum credere qui a Moyse prædicatus est. Arua quoque, id est, agri, id est, iudæa, quæ olim in montibus sanctis, nunc in plano sita, depressionis exiccata peccatis, non fert cibum: nec pecori, id est, simplicibus, nec armentis, id est, prælatis: & ideo abscindetur. E

29 Abscindetur de ouili pecus:
Et non erit armentum in præsepibus:

Abscindetur de ouili: apud iudæos sunt præsepia literarum cœlestium, sed quia pabulum cœlestis intellectûs in his non sapiunt: qui iugum Evangelij baiulent absunt. *Armentum* enim quasi aramentum dicitur, quia aratri iugo terram aret: vel ab armis cornuum dicitur armentum, & prælatum vel quemlibet Christi iugum ferentem significat.

Armentum.

30 Ego autem in Domino gaudebo: F
Et exultabo in Deo Iesu meo.

2. Cor. 1.

Ego autem in Domino, id est, non in mea iustitia, sed in fide divinæ protectionis *gaudebo.* Illi enim hæc patientur, ego autem gaudebo: ego compassus hic Iesu meo, gaudebo alibi cum eo: illi hic in prophanis gavisi, alibi patientur æternaliter. Ego autem hic tribulatus pro Iesu meo, post hanc vitam in te, sicut nunc in spe *gaudebo & exultabo in Deo Iesu meo* Exultent alij in idolis suis, alij in divitiis, in honoribus alij, & libidine: ego exultabo in redemptione mea, in salvatore & Iesu meo.

31 Dominus Deus fortitudo mea:
Et ponet pedes meos quasi cervorum.

Deus Dominus fortitudo: In illo quippe me virtutem facere confido. Et sicut cervi spinosa transeunt, ita ego pericula delictorum, Domini auxilio transcendam omnia.

32 Et super excelsa mea deducet me victor: G
In Psalmis canentem.

Et super excelsa, id est, omnem mundanam sublimitatem contemplatione cœlestium transcendere faciet me, victoriam eius atque triumphum canentem.

CANTICVM MOYSI, Deuter 32.

1 AVdite cœli quæ loquor:
Audiat terra verba oris mei.

Sabbato in laudibus.

Audite cœli. Maxima elementa in testimonium vocat, ut intentum faciat auditorem, & significet se de magnis locuturum.

2 Concrescat † in pluviam doctrina mea:
† *Vt pluvia.*
Fluat ut ros eloquium meum.

Concrescat in pluviam doctrina mea, &c. sicut innumerabiles sunt pluviarum guttæ & roris: sic in hoc carmine de inscrutabilibus iudiciis Dei disputabo. Vel sicut pluvia & ros terram faciunt fructificare: sic doctrina mea in vobis virtutum reviviscere fructus faciat. H

3 Quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina:
Quia nomen Domini invocabo.

Quasi imber: iste versus superioris sensum habet, quia nomen Domini invocabo, id est, de Domino mihi sermo est.

A

4 Date magnificeotiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera:
Et omnes viæ eius iudicia.

Date magnificentiam, id est, dignè eum honorate fide & operibus. *Dei perfecta sunt opera:* quia summè perfectus est. Et omnes viæ eius, id est, opera eius iudicia, id est, cum discretione rationis, id est, providentissimâ ratione & discretione disposita & facta.

5 Deus fidelis & absque nlla iniquitate instus & rectus:
Peccaverunt ei oon filij eins in sordibus.

B

Deus fidelis: In omnibus promissis: in iudiciis iustus & rectus. *Non filij:* quia degeneraverant à vero patre, sequentes idola: sic & nunc qui peccata sequuntur, quasi degeneres sunt quod patrem bonum non imitantur.

6 Generatio prava atqne perversa:
Hæccioe reddis Domino popule stulte & iosipieos?

Populus stultus & insipiens.

Generatio prava & perversa est scilicet sensu & opere. *Haccine reddis* id est, hæc ne, scilicet mala tua, vel nonne hæc? *Stultus* dicitur *& insipiens:* quia beneficiis Domini ingratus existit & extitit, vel pravo effectu, vel perverso intellectu. Populus stultus: putans utile: quod est nocuum; & insipiens: non intelligens ei esse utile quod est utile.

7 Nonquid non ipse est pater tuos:
Qui possedit & fecit & creavit te?

C

Deus est pater noster. Genes. 2.

Nunquid non ipse est pater tuus? omnes enim homines Deum patrem babent naturaliter: quia Deus generare aliquid dicitur, cum noviter vel de novo producit, unde dicitur. Istæ sunt generationes cœli & terræ: non quod ea genuerit ex sua substantia, sed quod nova produxerit. *Qui possedit & fecit & creavit te:* E contrario legendum est scilicet ita, ut quod primo creaverit disponendo ut faceret, fecerit formando: in quo enim possideret nisi prius crearet.

8 Memento dierum antiquorum:
Cogita generationes singulas.

Memento dierum: Memento quomodo electus sis in patriarchis, & cogita quomodo Abraham, Isaac & Iacob & plurimos alios elegerit.

9 Ioterroga patrem tuum & annuntiabit tibi:
Maiotes tuos & dicent tibi.

Interroga patrem: interroga spiritualem doctorem & eos qui maiores sunt scientiâ.

D

10 Qnaodo dividebat altissimns gentes:
Quando separabat filios Adam.

Genes. 11. Exo. 14.

Quando dividebat scilicet in constructione turris Babylonicæ, quando per divisionem linguarum divisit gentes: vel divisione maris rubri, quando divisit eos ab Ægyptus:

11 Constituit termioos popolorum:
Iuxta oumerum filiorum Israël.

Hyperbole.

Constituit: Hyperbolicè loquitur, quia tot dicit constitui terminos populorum, id est, singulas gentes, quot erant singulæ personæ in populo Israël. Vel dicit tot esse singulas gentes constitutas, quot homines ingressi sunt de populo Israël in Ægyptum, id est, l x x. Quod autem alia translatio dicit, *statuit terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei*, sic intelligit, quod sicut unicuique hominum custodem angelum legimus deputatum: sic & angelos principes gentium credamus constitutos. Nam in Daniele legimus Michaëlem principem populo, & angelum Persarum vel Græcorum.

E

Genes. 46. Mat. 18. Dan. 10.

12 Pats autem Domini populus eius:
Iacob fuoiculus hæreditatis eius.

Pars autem Domini, quam elegit de omnibus istis populis & nationibus, & mirabilia sua ostendit, & singularia beneficia exhibuit, fuit populus eius scilicet Iudæorum. Hæc dicit ut validiùs eis beneficia Dei commendaret, quod tanta de multitudine gentium, sibi eos elegisset, qui de Iacob stirpe descenderant: ut essent funiculus hæreditatis eius, id est, quasi hæreditaria possessio eius.

F

13 Iovenit eum in terra deserta:
In loco hortotis & vastæ solitudiois.

Exo. 10.

Invenit eum in terra deserta, id est, in monte Seir, ubi illum legibus suis constringit. *In loco horroris & vasta solitudinis*, id est, Arabiæ quæ circa desertum est.

14 Circumduxit eum & docnit:
Et custodivit quasi pupillam oculi sui.

Deut. 2.

Circumduxit, id est, per viam montis. Seir duxit eum. *Et docuit* scilicet patientiam vel leges eius. *Et sicut pupillam oculi*, ita diligenti cura servavit eum. Pupilla enim omnibus membris cautiùs custoditur.

G

15 Sicut aqnila provoeans ad volandum pullos suos:
Et super eos volitans.

Aquila probans pullos suos.

Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos & reliqua: ferunt physici aquilam pullos contra solem ponere, & quem viderit aciem in radio solis fortiter figere, illum nutrit: quem vero torpentem viderit, dimittit: Sic & Dominus docet nos semper oculo intelligentiæ solem divinæ maiestatis intendere. Quæ etiam super eos volitans provocat pullos ad volandum: Ita divina pietas vult nos proficere de virtute in virtutem.

16 Expandit alas suas & assumpsit eum:
Atque pottavit in humetis suis.

Expandit alas. Quæ etiam aquila (Deus scilicet) bene lassescentes in se sublevat: quia ubi nos minus sufficianus, divinum speramus auxilium. Ipse enim portat nos, sicut aquila dicitur portare pullos suos in humeris: ut si sagittetur ad eam, ipsa antequam pulli excipiat sagittas: ita Christus pro nobis vulneratus est, & humeris suæ protectionis nos defendit, & Iudæos olim ita portavit. Aptat autem se ita Dominus infirmis, ut intelligamus eius pro nobis compassionem, qui etiam in Evangelio gallinæ se assimilavit.

H

Mat. 23.

17 Domious solus dux eius fuit:
Et noo erat cum eo Deus alienus.

Dominus solus: Quia solùm eius virtutis erat, sic glorificè populum suum educere, quod nullus aliorum Deorum facere valuit.

18 Constituit

A

18 Conſtituit eum ſuper excelſam terram:
Vt comederet fructus agrorum.

Hieruſalem, umbilicus terræ.

Conſtituit: terra enim repromiſſionis vertex mundi eſſe dicitur, unde & Hieruſalem umbilicus terræ eſſe videtur. Ferunt autem ſapientes mundi, terram globo ſimilem, undique convexam: noſtra autem terra, id eſt, Eccleſia, omnibus mundi virtutibus excelſior eſt.

19 Vt ſugeret mel de petra:
Et oleum de ſaxo duriſſimo.

Mel de petra. Oleum de ſaxo.

Vt ſugeret: propter affluentiam omnium bonorum dicitur, quia quamvis rupibus aſpera terra melle & oleo abundabat. Cæterum *de petra mel*, id eſt, de Chriſto dulcedo doctrinæ ante paſſionem fidelibus in iſta terrâ miniſtrata eſt. *Oleum autem de ſaxo duriſſimo*, id eſt, poſt reſurrectionem (quando iam immortalis effectus eſt) Oleum ſpiritûs ſancti Chriſtus effundit in eadem terrâ.

B

20 Butyrum de armento, & lac de ovibus:
Cum adipe agnorum & arietum filiorum Baſan.

Butyrum de armento. Num. 32.

Butyrum & lac: abundantiam rerum demonſtrat, & terra Baſan fertiliſſima ad alendos greges erat: unde Rubenitis & Gadditis (qui plurima pecora habebant) illa terra tradita eſt. Nobis autem *butyrum de armento*, id eſt, fortis doctrina nobis de patriarchis & prophetis miniſtratur. *Et lac de ovibus*, lenior doctrina ſimplicium: *cum adipe agnorum, & arietum*, id eſt, per exempla magiſtrorum & ſubditorum deſiderium ſpiritale, quod in adipe præſtatur. Baſan interpretatur pinguedo, quia ſancti pinguedinem charitatis oſtendunt.

C

21 Et hircos cum medulla tritici:
Et ſanguinem uvæ biberet meraciſſimum.

Hirci, pœnitentiam agentes.

Et hircos: per hircos pœnitentiarum exempla intelligimus, ſancti enim ſic vivunt in mundo, quaſi ſemper peccata defleant: Qualis eſt eremitarum & verorum monachorum vita. *Medulla tritici & ſanguis uvæ*: corpus & ſanguinem Chriſti ſignificat, *meraciſſimum*, id eſt, puriſſimum.

22 Incraſſatus eſt dilectus & recalcitravit:
Incraſſatus, impinguatus, dilatatus.
23 Dereliquit Deum factorem ſuum:
Et receſſit à Deo ſalutari ſuo.

Incraſſatus.

Incraſſatus eſt dilectus, propter rerum omnium abundantiam: *Et recalcitravit*, ſequendo Deos alienos: *dilatatus*: ſcilicet in generationis propagine. Vel incraſſatus deliciis, impinguatus divitiis, dilatatus honoribus & potentiâ: & ideo dereliquit Deum, quaſi eius auxilio non indigeret amplius.

D

24 Provocaverunt eum in diis alienis:
Et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.

Provocaverunt eum: id eſt, ad iracundiam & vindictam talibus auſis irritaverunt. Ille quoque qui poſt baptiſmum ad idololatriam convertitur, vel vitiis vel malignis ſpiritibus ſeſe mancipans, Domini vindictam in ſe incitat.

25 Immolaverunt dæmoniis & non Deo:
Diis quos ignorabant.

E

Immolaverunt, hoc manifeſtum eſt.

26 Novi recenteſque venerunt:
Quos non coluerunt patres eorum.

Novi recenteſque: id eſt, quia ſtabiles non erant in cultura Dei, quam à patribus didicerant, noviter accedebant ad Deos colendos, quos non coluerunt patres eorum.

27 Deum qui te genuit dereliquiſti:
Et oblitus es Domini creatoris tui.

Deum qui te genuit: id eſt, qui te formavit ut eſſes. Sed & nos aliter generat per baptiſmum in remiſſionem peccatorum.

F

28 Vidit Dominus & ad iracundiam concitatus eſt:
Quia provocaverunt eum filij ſui & filiæ.

Vidit Dominus quem nihil latere poteſt, & corripuit eos propter peccatum: quia eum provocaverunt in cultura Deorum, quos adoptaverat in filios & in filias.

29 Et ait abſcondam faciem meam ab eis:
Et conſiderabo noviſſima eorum.
30 Generatio enim perverſa eſt:
Et infideles filij.

Et ait, abſcondam, &c. hoc eſt ſubtrabam auxilium *& conſiderabo noviſſima eorum*: id eſt, ad qualem finem perveniant.

G

31 Ipſi me provocaverunt in eo qui non erat Deus:
Et irritaverunt in vanitatibus ſuis.

Ipſi me provocaverunt: Sicut enim illi me unum, in multis diis provocaverunt: ita & ego aſſumam multas gentes, & hanc reſpuam.

32 Et ego provocabo eos in eo, qui non eſt populus:
Et in gente ſtultâ irritabo illos.

Et ego eos provocabo, in eo qui non eſt populus: per quem populum ſignificat omnes gentes: quæ ad comparationem Iſrael: quaſi non eſſent, reputabantur: vel quia gentes idola colentes, non dicebantur Dei populus.

33 Ignis ſuccenſus eſt in furore meo:
Et ardebit uſque ad inferni noviſſima.

H

Act. 12. 1. Mac. 8.

Ignis ſuccenſus eſt: vindicta mea in hoc tempore incipiet, & ardebit uſque ad inferni noviſſima, id eſt, uſque ad æternam damnationem. Malos enim & impios Dominus nonnunquam hic incipit flagellare, ut de temporali pœna ad æternam tranſeant. Sic in Herode & Antiocho factum legimus.

34 Devorabitque terram cum germine ſuo:
Et montium fundamenta comburet.

Devorabitque terram, id eſt peccatores cum operibus ſuis devorabit: *& montium, &c* id eſt, ſuperborum, cogitationes & confidentiam deſtruet.

35 Congregabo ſuper eos mala:
Et ſagittas meas complebo in eis.

Congregabo, &c. Mala ſunt pœnæ, quæ ſufferentibus malæ videntur, ſed iuſtæ apud inferentem. *Et ſagittas*, id eſt, vindictas exercebo.

A

36 Consumentur fame:
Et devorabunt eos aves morsu amarissimo.

Consumentur : quod illis factum legimus, quorum cadavera volucres & bestiæ, comederunt, quos fames ac gladius consumpserunt. Consumuntur etiam nunc peccatores, fame verbi Dei : & devorantur ab avibus, id est, à malignis spiritibus lacerantur.

37 Dentes bestiarum immittam in eos:
Cum furore trahentium super terram atque serpentium.

B

Dentes bestiarum : sævitia diaboli immittetur eis, qui eos in furore Dei trahat super terram, id est, in inundanis desideriis subruat.

38 Foris vastabit eos gladius:
Et intus pavor.

Esaiæ ult. Mar 9.

Foris vastabit eos. Quia pœnas sustinentes, conscientiâ propriâ torquentur : unde dicitur. *Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur.*

39 Iuvenem simul ac virginem:
Lactentem cum homine sene.

Iuvenem simul, &c. id est, nulli vindicando parcet ætati. Allegoricè autem in iuvene, libidinosum : in virgine, à bonis operibus sterilem : in lactente, hebetem : in sene, inutilem diu per pigritiam accipere possumus : quos omnes vindicta Dei consumet.

40 Et dixi ubinam sunt?
Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.

C

Et dixi, ubinam? Non per ignorantiam interrogans, sed alios discere faciens. *Cessare faciam ex hominibus eorum memoriam* scilicet tunc cum Iudæi in terra repromissionis non apparent : vel cum iniqui de communione sanctorum discernentur, & pro nihilo reputantur : cuius rei multa exempla sunt.

41 Sed propter iram inimicorum distuli:
Ne forte superbirent hostes eorum.
42 Et dicerent manus nostra excelsa:
Et non Dominus fecit hæc omnia.

Sed propter, &c. Isti duo versiculi sunt iungendi. Ideo enim sæpe priorem populum sustinuit, ne gentes circumpositæ, eius nomen blasphemarent : sic & nos sustinet peccatores, nec statim peccantes damnat : ne glorientur maligni spiritus in perditione nostrâ, & se victoriam iactent percepisse.

43 Gens absque consilio est & sine prudentia.
Vtinam saperent & intelligerent ac novissima providerent.

D

Gēs absque consilio.

Gens absque, &c. Gens Iudæorum & omnium impiorum sine consilio salutis est : quia in futurum sibi prævidere nesciunt.

44 Quomodo persequebatur unus mille:
Et duo fugarent decem millia?
45 Nonne ideo quia Deus suus vendidit eos:
Et Dominus conclusit illos?

Quomodo persequebatur, &c. Non potuisset fieri, ut unus hostium mille Iudæorum persequeretur : nisi Dominus suus vendidisset eos, id est, à se proiecisset, & exosos haberet, & concluderet eos in manus inimicorum.

E

46 Non enim est Deus noster ut dij eorum:
Et inimici nostri sunt iudices.

Non enim est Deus noster. Dominus enim Deus noster verax & iustus : Idola autem gentium, falsa & inutilia. *Et inimici nostri sunt iudices*, id est, approbatores. Omnes enim gentes (quamvis varia colant idola) unius Dei potentiâ mundum regi confitentur.

47 De vinea Sodomorum vinum eorum:
Et de suburbanis Gomorræ.

F

Ezech. 16 & 23. Conceptio peccati triplex.

De vinea Sodomorum : Sæpe in scripturis Synagoga vel Hierusalem, Sodomæ comparatur : quia sicut illi male abusi sunt donis Dei, sic & isti beneficiis Dei semper ingrati extiterunt. Peccatum primo est in corde per consensum, secundo in interiori machinatione ad opus perpetrandum, tertio in actu exteriori perpetrato : primum hic vinea, secundum vua, tertium vinum dicitur.

48 Vua eorum vua fellis:
Et botrus amarissimus.

Esaiæ 5. Ioan. 19.

Vua eorum : vinea (quæ est domus Israël) conversa in amaritudinem, (id est, in mortem Christi conspirans) & pendenti in cruce acetum felle mixtum porrexerunt, & botrum maliciæ suæ protulerunt amarissimum.

49 Fel draconum vinum eorum:
Et venenum aspidum insanabile.

G

Fel draconum : Sicut felle dracones, & aspides venena occultant : ita conscientia eorum plena est malicia.

50 Nonne hæc condita sunt apud me:
Et signata in thesauris meis?

Nonne hæc condita sunt, id est, hæc sunt reservata apud me, nec oblivioni tradita? hæc scilicet peccata vestra, non enim quia vindicare distuli oblitus sum, sed recondita sunt usque in diem ultionis.

51 Mea est ultio & ego retribuam eis in tempore:
Vt labatur pes eorum.

Mea est ultio, id est, retribuam illis in tempore vindictæ quæ merentur. *Vt labatur pes eorum*, id est, qui videbantur stare, pereant.

52 Iuxta est dies perditionis:
Et adesse festinant tempora.

H

Matt. 24.

Iuxta est dies perditionis scilicet quia certum est : vel quia quamvis millia multa annorum hic habeat, ad comparationem tamen æternitatis modicum est, appropinquant igitur ultionis dies, & quando non putamus adsunt.

53 Iudicabit Dominus populum suum:
Et in servis suis miserebitur.

1. Cor. 4.

Iudicabit Dominus, id est, discernet sanctos suos ab impiis. Nam iudicium in discretione vel damnatione accipi potest. *Et in servis suis miserebitur*, id est, misericordiam ostendet in die ultionis : qui enim ei fideliter servierunt, non ex operibus, sed gratiâ & misericordiâ recipient æterna præmia, *quid enim habes quod non accepisti?*

54 Videbit

A

54 Videbit quod infirmata sit manus, & clausi quoque defecerunt:
Residuique consumpti sunt.

Videbit quod infirmata sit manus, id est, videri faciet, quod opera malorum infirma fuerint. *Et clausi quoque defecerunt*: id est, quod ab inimicis capti, propriis viribus defecerunt. *Residui*, id est, quia ab hac vitâ exeuntes, non habens postea aliquid faciendi facultatem.

55 Et dicent: ubi sunt dij eorum.
In quibus habebant fiduciam?

B Philip. 3. *Et dicent*, adversarij eorum qui eos captivarunt: & dæmones malis Christianis (quorum Deus venter & honor & divitiæ erat) dicent post mortem & in morte: *ubi*, *&c.* vel etiam iusti & boni vindictam & Dei iram videntes dicent, *ubi*, *&c.*

56 De quorum victimis comedebant adipes:
Et bibebant vinum libaminum.

De quorum victimis: In his verbis omnes vanitates, quas sequuntur homines idololatræ vel peccatores comprehendit: exprobrantur enim malis vana, in quibus vivebant.

57 Surgant & opitulentur vobis:
Et in necessitate vos protegant.

Veniant idola, quæ colebatis, & eruant vos.

58 Videte quod ego sim solus:
Et non sit alius Deus præter me.

C

Videte, id est, intelligite, *quod ego sim solus Deus*.

59 Ego occîdam & ego vivere faciam, percutiam & ego sanabo:
Et non est qui de manu mea possit eruere.

Deus dupliciter occidit. *Ego occidam*, *&c.* duobus modis occîdit, & duobus modis vivificat: quia alios in infernum damnat, & ad vitam alios æternam sublevat: Aliter occidit veterem hominem, ut vivificet novum. *Et non est qui manu mea possit eruere*, id est, qui potentiæ meæ possit resistere.

60 Levabo ad cœlum manum meam:
Et dicam, vivo ego in æternum.

Levabo ad cælum, id est, ostendam æternitatem potentiæ meæ.

D

61 Si acuero ut fulgur gladium meum:
Et arripuerit iudicium manus mea.

Si acuero ut fulgur: id est, dum velociter venerit iudicium meum. *Et arripuerit iudicium manus mea*, id est, cœperit iudicare potentia mea.

62 Reddam ultionem hostibus meis:
Et his qui oderunt me retribuam.

Reddam ultionem: hoc est in peccatores reddam ultionem.

63 Inebriabo sagittas meas sanguine:
Et gladius meus devorabit carnes.

Inebriabo sagittas, id est, in peccatoribus ostendam vindictas meas, *& gladius meus devorabit carnes*, id est, carnales iudicium meum consumet.

E

64 De cruore occisorum:
Et de captivitate nudati inimicorum capitis.

De cruore occisorum, subauditur, inebriabo sagittas meas, id est, in perditione damnatorum. *Et de captivitate nudati inimicorum capitis*: secundum literam captivati tondebantur (quod est sub corona vendere) spiritualiter autem Antichristus impiorum caput, per Christi potentiam destruetur vindicantis. Aliter exercet Dominus vindictam de captivitate inimicorum capitis, cum arrogantiam mentis malorum, & malitiam destruxerit.

F

65 Laudate gentes populum eius:
Quia sanguinem servorum suorum ulciscetur.

Laudate gentes populum eius, id est, sanctos eius: *quia sanguinem* martyrum suorum *ulciscetur*.

66 Et vindictam retribuet in hostes eorum:
Et propitius erit terræ populi sui.

Et vindictam retribuet in hostes eorum scilicet in hæreticos atque infideles & persecutores. Atque propitius erit terræ populi sui: id est, Ecclesiæ, cum misericordiam suam illi ostendit.

CANTICVM ZACHARIÆ, Lucæ, 1. cap.

G

1 Benedictus Dominus Deus Israël.
Quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.

Visitare & redimere. *Benedictus*: duo enim dicit, visitare & redimere. Visitare namque infirmorum, redimere vero captivorum est: quæ duo humano generi congruunt, quoniam genus humanum infirmum erat peccatis, captivum quoque fraude diabolicâ detinebatur. Veniens vero Dominus infirmum visitavit, quia à peccatis liberavit: & captivum redemit, quia à potestate diabolica abstraxit, & redimendo fecit eum suum. B. Notandum vero circa istum versum est, quod beatus Zacharias prophetico more quod adhuc in spiritu futurum & proximè faciendum præviderat narrat quasi factum, dicens, quia visitavit, id est, incarnatus est.

2 Et erexit cornu salutis nobis:
In domo David pueri sui.

H Cornu salutis. B. *Et erexit cornu salutis*: firmam celsitudinem salutis dicit. Omnia enim ossa, carne involuta sunt, cornu autem excedit carnem: & ideo cornu salutis regnum salvatoris Christi vocatur: quo vocabulo spiritalis, & quæ carnis gaudia superet, altitudo nuntiatur: & quo regno mundus & carnis gaudia superantur.

3 Sicut locutus est per os sanctorum:
Qui à sæculo sunt prophetarum eius

Prophetæ à sæculo. *Sicut locutus est. A sæculo* inquit, propterea quod tota veteris instrumenti scriptura, prophetia de Christo præcessit, non soli enim Hieremias & Esaias cæterique prophetæ de eius adventu manifestè locuti sunt: verum ipse pater Adam, Abel & Enoch, eius dispensationi testimonium reddunt.

A

4 Salutem ex inimicis oostris:
Et de manu omnium qui oderunt nos.

Salutem : iungendum est superiori versiculo. *Erexit nobis* scilicet *salutem ex inimicis nostris Omnes* autem qui *oderunt nos* , vel homines perversos , vel immundos spiritus significat.

5 Ad facicodam misericordiam cum patribus nostris :
Et memorari testamenti soi saocti.

Ad faciendam misericordiam : dixerat enim , Dominum iuxta eloquia prophetarum in domo David nasciturum : & ita misericordiam factam cum eis, cum impletum esset promissum.

B

6 Insiurandum quod iuravit ad Abraham patrem oostrum:
Daturum se oobis.

4.Re.17. *Iusiurandum :* dicit eundem Christum, iosta iusiurandum qood Deus ioravit , nos esse liberaturum , ad explendum testamentum quod Abrahæ disposuit. Quia videlicet his præcipuè patriarchis de suo semioe , vel congregatio gentiuni, vel incarnatio est repromissa.

7 Vt sine timore de maou inimicorum nostrorum liberati:
Serviamus illi.

Vt sine timore : nam qui vel ante mortem à Domini servitio discedit, vel coram hominibus tantùm & non coram Deo sanctus perdurare contendit : necdum de manu spiritualium inimicorum perfectè liberatus Domino servit , sed exemplu Samaritanorum diis gentium pariter & Domino servire conatur.

C

8 In saoctitate & iustitia coram ipsoi
Omnibus diebus nostris.

In sanctitate : apertè & breviter quomodu sit Domino serviendum designat , videlicet in sanctitate & iustitiâ , & coram ipso & omnibus diebus oostris.

9 Et tu puer propheta altissimi vocaberis :
Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.

Et tu puer: Pulchrè cum de Domino loqueretur , ad prophetam repente sua verba convertit : ut hoc quoque beneficium esse Domini designaret. A. Sed quomodo alloqui pocrum poterat , cum eum vel andire vel intelligere non potuerit ? sed poterat eum intelligere , quia spiritu sancto plenus erat : si enim adhuc oteru matris clausus adventum Domini cognovit, iam natus intelligere valebat.

D

10 Ad dandam scientiam salutis plebi eius :
In remissiooem peccatorum eorum.

Ad dandam scientiam : cum dandam commemorat, oe carnalem temporalemque promitti salutem putares, *in remissionem*, ioquit , *peccatorum eorum.*

11 Per viscera misericordiæ Dei oostri:
In quibos visitavit nos otiens ex alto.

Per viscera, viscera non solum vitalia dicuntur interioris corporis, verum etiam omne, quod corio & pelle tegitur : & per viscera , occulta eius miseratio designatur. In quibus scilicet occultis miserationibus *visitavit nos oriens ex alto.* Qui ideo rectè oriens vocatur : qood nobis ortum veræ locis apetiens , filius noctis & tenebrarum , lucis effecit filios.

E

1 Thess. 5.

12 Illuminare his qui in tenebris & umbra mortis sedeot :
Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Illuminare : Domini illuminare , est his qui in peccatis & ignorantiæ cæcitate vixerint , agnitionis amorisque sui radios iofigere. Pedes autem nostri in viam pacis diriguntur:cum actionom uostrarum iter per omnia cum redemptoris illominatorisque nustri gratiâ concordat.

F

CANTICVM SANCTÆ Mariæ ad vesperam, Lucæ 1. cap.

1 MAgnificat anima mea Dominum.

Magnificat anima mea : tantò , inquit me Dominus tamque inaudito munere sublimavit , quod nullo linguæ officio explicari, sed intimo pectoris affectu vix valeat comprehendi : Et ideo , totas animæ vires in agendis gratiarum laudibus offero.

2 Et exultavit spiritos meus:
In Deo salutari meo.

Et exultavit spiritus meus : quia & eiusdem Iesu , id est , salutaris æternâ divinitate spiritus meus lætatur: eios mea caro temporali conceptione fœcundatur. Cui simile est id Psalmistæ. *Anima autem exultabit in Domino & delectabitur super salutari suo.* Psal. 34.

G

3 Quia respexit humilitatem ancillæ suæ:
Ecce eoim ex hoc beatam me dicent omoes generationes.

Quia respexit : Cuius homilitas respicitur, rectè beata omnibus cognominanda gratulatur. Decebat enim ut sicut per superbiam primæ parentis nostræ Evæ mors intravit in mundum : ita deouo per humilitatem Mariæ vitæ introitus panderetur.

4 Quia fecit mihi magna qui potens est:
Et sanctum nomeo eius.

Quia fecit : sola quippe illa anima , cui Dominus magna facere dignatur , dignis eum præconiis magnificare potest. *Sanctum* autem *nomen eius* vocatur : quod singularis culmine potentiæ transcendit omnem creaturam , atque ab universis quæ fecit longè segregatur.

H

5 Et misericordia eius à progenie in progenies :
Timentibus eum.

Et misericordia : quasi dicat sicut supra me timentem venit misericordia eius , ita & supra omnes timentes. A. specialibus enim se donis , ad generalia Dei iudicia convertens , totius humani generis statum describit : & quid soperbi, quid humiles mereantur, quid filij Abrahæ per liberum arbitrium , quid filij Dei [illegible] per gratiam , alternis versibus explicat. Non ergo inquit soli mihi fecit magna qoi potens est : sed & in omni gente & progenie , qui timet Deum & operatur iustitiam , acceptus est illi. Act. 10.

A

6 Fecit potentiam in brachio suo:
Dispersit superbos mente cordis sui.

Fecit potentiam: nunc de Deo patre loquitur, qui fecit potentiam in brachio suo, id est, in ipso suo filio, sicut enim tuum brachium est per quod operaris, sic Dei brachium dictum est eius verbum, quia per verbum operatus est mundum. B. Vel brachium suum, potestas & ditio eius virtutis dicitur: quia non alieno ad operandum auxilio indiget.

Brachiũ Dei Christus

7 Deposuit potentes de sede:
Et exaltavit humiles.

Deposuit: potentes enim appellantur elati, sicut Iudæi: qui depositi sunt de sede regni, seu intelligentiâ sanctarum scripturarum. B. Eosdemque potentes, quos antè superbos dixerat, appellat, *potentes* igitur; non quia verè sint potentes, dicuntur: sed quia confidentes in virtute sua, conditoris sui auxilium quærere detrectant. Illi autem verè potentes sunt, qui cum apostolo dicere possunt. Omnia possum in eo qui me confortat Iesu Christo.

Depositi Iudæi potentes.

B

Phil.4.

8 Esurientes implevit bonis:
Et divites dimisit inanes.

B. *Esurientes* cœlestia, implentur hîc virtutibus cœlestibus, & post mortem æternâ beatitudine: & qui terrenis divitiis vel honoribus gloriantur, quibus refertos se norunt, vacui relinquuntur virtutibus, & post hanc vitam æternâ laborabunt inopiâ.

9 Suscepit Israël puerum suum:
Recordatus misericordiæ suæ.

C

Israël omnis fidelis.

Suscepit Israël: Israël, id est, omnis videns per fidem Deum, suscipitur à Deo: dum puer, id est, humilis & obediens fuerit. *Suscepit* igitur *Deus Israel puerum suum*, quando carnem ex Israel sursum cepit, & elevavit usque ad unionem verbi: suscepit dum sibi in utero Mariæ Virginis in persona univit. Et hoc non meritis nostris aut ipsius Israël pueri sui, sed misericordiâ sua indicibili, cuius recordatus est.

10 Sicut locutus est ad patres nostros:
Abraham & semini eius in sæcula.

Sicut locutus est ad Patres nostros: hoc enim ad patres & prophetas loquebatur, quod facturus esset hanc misericordiam *Abrahæ & semini eius*, id est, omni fidem suam imitanti.

D

CANTICVM SIMEONIS, Lucæ 2.cap.

1 NVnc dimittis servum tuum Domine:
Secundum verbum tuum in pace.

Nunc dimittis: vides non solum novi sed & veteris testamenti iustos, spe futuræ vitæ desiderium habuisse dissolvendi à corpore: immo pacis viam deputasse, sarcinam deponere terrestrem: utpotè qui se in sinu Abrahæ requiem non dubitarent habituros esse perpetuam.

2 Quia viderunt oculi mei:
Salutare tuum.

Luc.10. Ioan.20.

Quia viderunt: Beati oculi qui vident: quæ Symeon vidit. Beati qui non viderunt & crediderunt.

E

3 Quod parasti:
Ante faciem omnium populorum.

Quod parasti. Illud inquit ipsum quod postmodum omnibus gentibus & populis & linguis mente ac fide conspiciendum parasti, & spe ac dilectione quærendum prævidisti, ipse diu desideratum, nunc & carnis & cordis oculis tuum salutare contemplor.

4 Lumen ad revelationem gentium:
Et gloriam plebis tuæ Israël.

Lumen, lumen quidem utrique populo, salutare Dei, id est, Christus à Deo paratus est. Qui tamen gloria magis dicitur Israël, cui diu speratur, & ex quo pronuntiatus advenit. Gentium vero revelatio, quas visitare & illustrare pariter dignatus est. Rom.9.

F

ORATIO DOMINICA, Matth.6.& Lucæ 11.cap.

1 PAter noster qui es in cœlis.

Discipulus. In oratione Dominica quot petitiones habentur? Magister. Septem. D. Quæ est prima? M. *Sanctificetur nomen tuum.* D. Hoc quod in capite est, *Pater noster qui es in cœlis*, quomodo intelligitur? M. Ibi enim invocatio divinitatis est, dum patrem nos habere profitemur Deum: quia omnes fratres sumus, & Deum patrem habemus in cœlis.

2 Sanctificetur nomen tuum. Mat.13.

G

D. In prima petitione quam dixisti, quid intelligendum est? M. A Christo enim Christianus derivatur, & ideo dum Christiani vocamur, Christi nomen tenemus, & supplicamus, ut opera Christi facere valeamus, & nomen suum per opera bona nostra in bonis sanctificetur.

3 Adveniat regnum tuum.

D. Quæ secunda petitio? M. *Adveniat regnum tuum.* D. Quid ibi intelligendum est? M. Oramus enim, ut Christus regnet in nobis, & non diabolus, id est, Ecclesia Christi semper crescat, in qua regnat Deus. & dies iudicij adveniat, qui tunc diabolus regnare in mundo desistet, & Christus cum sanctis suis in æternum regnabit. 1. Cor. 15.

4 Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.

H

D. Quæ est tertia? M. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* D. Quomodo est intelligenda? M. Sicut Angeli in cœlo tuæ obediunt voluntati ita & iusti in terra faciant: & sicut in sanctis, ita & in peccatoribus tua voluntas impleatur.

5 Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

D. Quæ est quarta? M. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* D. Quid ea intelligitur. M. Hoc loco panis pro omnibus cibis accipitur, de quibus vivere debeamus: precamur etiam pro assumptione corporis Christi: petimus denique ut nobis seipsum tribuat qui est panis vivus. Ioan.6.

6 Et dimitte nobis debita nostra:
Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

D. Quæ est quinta? M. *Et dimitte nobis debita*

A *nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* D. Quid in illa sentiendum est? M. Precamur etiam vt sic dimittat nobis peccata nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

7 Et ne nos inducas in tentationem.

Rom. 5. *1. Cor. 10.* D. Quæ est sexta? M. *Et ne nos inducas in tentationem.* D Quomodo hoc intelligitur? M. Non petimus vt non tentemur (quia qui non est tentatus, non est probatus) sed precamur ne nos inducat in tentationem, quam sufferre non possimus, id est, non sinat nos in tentatione peccare. Inducere enim dicitur Deus, cum auxilium subtrahit.

8 Sed libera nos à malo, Amen.

B D. Quæ est septima? M. *Sed libera nos à malo.* D. Quomodo est intelligendum? M. Id est, à diabolo, à peccato, & ab omni malo tentamento. D. *Amen* quod in fine est, quomodo intelligitur vel cuius linguæ dicitur? M. Amen hebraice dicitur, quod in latinum versum, verè & fideliter intelligitur.

SYMBOLVM Apostolorum.

1 CRedo in Deum patrem omnipotentem:
Creatorem cœli & terræ.

C D. Ista suscipio: sed quoniam sicut nosti, omnes nos per fidem saluari credimus, rogo ut dicas mihi, quomodo fidem tuam intelligas: vel etiam in quem credas. M. *Ego credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ:* D. Quare dicitur omnipotens: & quare creator? M. Omnipotens dicitur, quia omnia potest quæcunque vult: creator, eo quod omnia creavit, cœlum & terram & mare & omnia.

2 Et in Iesum Christum filium eius unicum:
Dominum nostrum.

D. Credis in Iesum Christum? M. omnino credo in Iesum Christum filium eius unicum, Dominum nostrum: qui est verus Deus & verus homo.

3 Qui conceptus est de spiritu sancto:
Natus ex Maria virgine.

D. Quomodo Deus, & quomodo verus homo? M. Deus verus est, quia de spiritu sancto conceptus est: homo verus, quia ex Maria virgine natus est.

D 4 Passus sub Pontio Pilato:
Crucifixus, mortuus, & sepultus.

Luca 2. & 3. D. Ecce illum natum: quid postea factum est? M. Post sanctam enim eius nativitatem ætate & sapientiâ crescens, triginta annos implevit. In qua etiam ætate à Ioanne baptista dignatus est baptizari: & post baptismum tribus annis & dimidio docuit? Et prædicavit omnia quæ ad vitam æternam pertinent. D. Post hanc prædicationem quid factum est? M. In ipsa prædicatione comprehensus est à Iudæis iniquis & perfidis, à quibus propter invidiam illorum & propter peccata nostra, multas blasphemias multasque passiones sub Pontio Pilato (qui Iudex erat illo tempore in Iudæa) sustinuit. D. Vnde dicitur Pontius? M. A loco ubi natus fuit, hoc nomen accepit. D. Quid post hæc? M. sub illo enim crucifixus est: & in eadem cruce mortuus: deinde sepultus est.

E 5 Descendit ad inferna:
Tertiâ die resurrexit à mortuis.

Et manente corpore in sepulchro: anima eius ad Inferna descendit: de quo inferno sanctos patriarchas scilicet, Abraham, Isaac & Iacob & sanctos prophetas Esaiam, Hieremiam, & reliquos, & cæteros omnes quos elegit, misericorditer liberavit. Et tertiâ die victor resurrexit. D Postquam resurrexit quid fecit. M. Post nobilissimam & sanctissimam eius resurrectionem, conversatus est quadraginta noctibus cum discipulis suis: & manducavit cum illis, multa docens & loquens de regno Dei. *Actor. 1.*

6 Ascendit ad cœlos:
Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.

F D. Quid postea? M. Post hæc vero videntibus illis, ascendit in cœlum: ubi quomodo vult & qualiter vult, sedet ad dexteram patris omnipotentis.

7 Inde venturus est: Iudicare vivos & mortuos.

D. Quid post hæc facturus erit? M. Finito mundi termino, cum ipso corpore, cum quo ascendit in cœlum, venturus est iudicare vivos & mortuos. D. Quid sunt vivi & quid sunt mortui? M. vivi, iusti: mortui, peccatores.

8 Credo in spiritum sanctum.
Sanctam Ecclesiam catholicam: Sanctorum communionem.

G D. Credis in spiritum sanctum? M. Credo sine dubio in spiritum sanctum. D. Quid est. M. Deus est & in trinitate tertia persona: quia alia est persona patris, alia filij, alia spiritûs sancti: in qua trinitate unum Deum omnino esse credo & confiteor. D. Credis in sanctam Ecclesiam Catholicam, & sanctorum communionem? M. Credo sanctam Ecclesiam: sed non in illam credo, quia non Deus, sed convocatio vel congregatio Christianorum & domus Dei est. D. *Ecclesia* qua lingua dicitur? M. Græca. D. Quid interpretatur latinè. M. Convocatio seu congregatio Christianorum sicut superiùs dixi. D. Quid est *Catholica*? M. Vniversalis, id est, per totum orbem diffusa. Sanctorum quoque communionem, id est, cum sanctis societatem & communionem me habere credo, si fidem firmiter tenuero & operibus servavero.

9 Remissionem peccatorum.

H D. Credis in remissionem peccatorum: M. Non, sed esse remissionem peccatorum credo: quia propter hoc dignatus est Dei filius carnem assumere, ut nos (qui propter peccata nostra salui esse non poteramus) eius misericordiâ saluaremur.

10 Carnis resurrectionem.

D. Credis In carnis resurrectionem? M. Non credo in illam, sed carnem quam in hac vita sub mortali conditione portamus, resurrecturam esse immortalem credo: & pro consortio eius, animam in eam reddituram.

11 Et vitam æternam, Amen.

Vitam æternam verò sine dubio nos consecuturos credimus, si ista quæ hucusque exposuimus, firmiter teneamus, & operibus impleamus.

A

FIDES CATHOLICA
S.Athanasij Episcopi.

1 QVicunque vult salvus esse:
Ante omnia opus est, vt teneat Catholicam fidem.

Liberum arbitrium in homine. Psal 33. Mat. 16.

Hic Beatus Athanasius liberum arbitrium posuit: sicut dicit in Psalmo: *Quis est homo, qui vult vitam*, & iterum in Evangelio ipsa veritas dicit: *Qui vult post me venire.* Similiter & hic: *Quicunque vult salvus esse.* Non dicit, velis aut non, salvus eris, sed quicunque vult: quia Deus omnipotens nullum hominem invitum aut coactum trahit ad fidem. Sed quicunque vult salvus æternaliter esse in corpore vel in anima, necessitas illi est, ut teneat Catholicam fidem. B Quia ante omne opus necesse est, ut fides præcedat: ante omnem operationem, ante omnem inchoationem, ante omne principium unicuique opus est, vt teneat catholicam fidem, dicente Apostolo, *sine fide impossibile est placere Deo.* Vnde Abacuc Propheta ait: *Iustus autem ex fide vivit.* *Catholica:* Græcus sermo est, Latinè interpretatur generalis sive universalis: generalis, pertinet ad omnes homines: Vniversalis, quia per universum orbem est diffusa. Fidea credulitas quia scilicet veraciter credimus, id quod nequaquam videre valemus: unde Apostolus ait, *fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Dicitur namque fides, eo quod fit inter Deum & homines. Istam fidem, istam credulitatem ante omnia opus est habere nobis (quia fides fundamentum est omnium virtutum) & ideo prius ædificamus fidem, quæ est fundamentum, & super eam cæteras virtutes: quia sine fide nullus salvus esse potest. Dicitur igitur fides, credulitas sive credentia. C Catholica, universalis dicitur, id est recta, quam universa Ecclesia tenere debet. Ecclesia vero congregatio Christianorum sive conventus populorum dicitur.

Heb. 11. Abac. 2. Catholica fides.

2 Quam nisi quisque integram inviolatámque servaverit:
Absque dubio in æternum peribit.

Quam, scilicet, fidem *quisque*, id est vnusquisque. *Integram*, id est, plenam & perfectam, ut eam non scindat per hæresim, neque vllo schismate corrumpat. *Inviolatam*, id est, eam non violet maledicendo atque prædicando, & si eam non custodierit integram & inviolatam, absque dubio in æterna damnatione peribit.

3 Fides autem Catholica hæc est:
Vt unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.

D Nunc manifestat quid est fides, vel qualiter unusquisque eam credere debeat. *Vt unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremur*, id est, debemus credere trinum & unum: unum in substantia, trinumque in personis: nec propter Trinitatem debemus dimittere unitatem, nec propter vnitatem debemus dimittere Trinitatem. Vt ipsum quem colimus, unum veneremur & trinum: unum propter unitatem substantiæ, trinum propter personarum vocabula, veneremur, id est, adoremus atque colamus.

4 Neque confundentes personas:
Neque substantiam separantes.

Confundere est commiscere, quia non debemus tantum unam personam credere (sicut Sabellius hæreticus asserebat) sed tres, id est, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, nec substantiam separare, vt Arrius hæreticus asserebat: dicebat enim, quod sicut erant tres personæ, ita fuissent tres substantiæ. E Patrem asserebat maiorem filio, filium minorem patre, Spiritum sanctum ministrum eorum dicebat. Substantia dicitur, eo quod ex semetipsa subsistit: substantia verò commune est nomen omnium rerum, quæ sunt, cælum, sol, luna, terra, arbores: homines etiam substantiæ dicuntur. Deus igitur substantia est, & summa substantia, & prima & omnium substantiarum causa, quia omnium rerum creator est. Essentia igitur proprie de Deo dicitur: qui semper est quod est, quia incommutabilis est.

Exod. 3. Iacob. 1.

5 Alia est enim persona Patris:
Alia Filij, alia Spiritûs sancti.

Hic contra Sabellium sunt personæ divisæ, quas asserit esse unam: quia Pater in sua persona non est Filius, sed tantum pater: nec filius in sua persona est pater, sed tantum filius: & spiritus sanctus in sua persona non est pater, nec filius, sed tantum spiritus sanctus, ex vtroque procedens. F Persona dicta est, eo quod per se sonat.

6 Sed Patris & Filij, & Spiritûs sancti una est divinitas:
Æqualis gloria, coæterna Majestas.

Sed Patris & filij & Spiritus sancti una est divinitas: hoc est, vna substantia. *Æqualis gloria, coæterna Majestas*, id est, coæqualis sine initio & fine & gloria & potestas.

7 Qualis Pater talis Filius:
Talis & Spiritus sanctus.

Quia sicut pater æternus est vel omnipotens, seu invisibilis, similiter est & filius & spiritus sanctus.

G

8 Increatus Pater, increatus Filius:
Increatus Spiritus sanctus.

Increatus Pater. *In* præpositio, est in hoc loco pro *non* composita: increatus Pater, id est, non creatus: quia ipse est omnium creator, & à nullo creatus: ipse est omnium factor, & à nullo factus. Increatus filius: increatus & spiritus sanctus. *Increatus filius*: non creatura, sicut Arrius dicebat: quia omnia simul creavit cum patre, similiter & spiritus sanctus.

9 Immensus Pater, immensus Filius:
Immensus Spiritus sanctus.

Immensus Pater: quia eius magnitudinem vel quantitatem nullus mensurare potest: qui cœlo est excelsior, terra profundior & latior mari: & est incircumscriptus, incorporeus, inlocabilis, vbique totus: & non est locus vbi non sit, sicut dicit in Psalmo. *Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades, & si iero ad extrema maris, ibi me dextera tua tenebit.* H Ipse est intra omnia, & non conclusus: extra omnia, & non exclusus. Similiter & Filius, qui attingit à fine vsque ad finem fortiter, de quo scriptum est *Verbo Domini cæli firmati sunt.* Pari modo & Spiritus sanctus: vnde dicitur, *spiritus Domini replevit orbem terrarum.*

Iob 11. Psal. 138. Psal. 138. Sap. 8. Psal. 32. Sap. 1.

10 Æternus Pater, æternus Filius:
Æternus Spiritus sanctus.

Hic æternus pro sempiterno debemus intelligere. Æternus dicitur Deus Pater, quia sine initio & sine fine constat, similiter & Filius & Spiritus sanctus: quia sicut nunquam non Pater, ita nunquam non filius ac Spiritus sanctus.

11 Et tamen non tres æterni:
Sed vnus æternus.

A Et tam:n non tres æterni, sed vnus æternus scilicet in substantia.

12 Sicut non tres increati nec tres immensi.
Sed unus increatus & unus immensus.

Quia unus est Deus in sua substantiâ.

13 Similitet omoipotens Patet, omnipotens Filius:
Omnipotens & Spiritus sanctus.

Omnipotens. *Omnipotens* dicitur *pater*: quia omnia potest: non à patiendo, quod non vult: sed à faciendo omnia, quæcunque vult, & nihil illi impossibile est. *Omnipotens & filius*: quia quicquid potest pater, potest & filius: nihilominus & spiritus sanctus. Ergo si omnia B potest, quid est quod non potest? hoc non potest, quod non convenit omnipotenti posse. Falli non potest, quia veritas & sapientia est. Ægrotare aut infirmari non potest, quia sanitas est: Mori non potest, quia immortalis est: Finiri non potest, quia infinitus & perennis est.

14 Et tamen non tres omnipotentes:
Sed unus omniporens.

Non tres tamen omnipotentes: quia omnipotentia Relativa. est in substantia, sed eorum una est substantia. Paternitas verò in relatione ad alterum est: unde & nomina patris & filij & spiritûs sancti relativa sunt, quia alia ad alia referuntur, sicut verbi gratiâ servus ad Dominum, Dominus ad servum, magister ad discipulum, discipulus ad magistrum, pater ad filium, filius ad patrem: quia nullus pater dicitur, nisi habeat filium cuius sit pater: & nullus filius nisi habeat C patrem cuius filius sit: quia si non habuisset filium, nunquam habuisset nomen patris, similiter & spiritus sanctus non à se, sed alicuius spiritus est. Est & aliud vocabulum, ubi spiritus sanctus relativè dicitur scilicet donum: dicitur enim donum donatoris, & donator doni: donatorem dico esse patrem, donum verò spiritum sanctum: donum verò refertur ad donatorem, & donator ad donum. Ecce quâ ratione spiritus sanctus relativè dicitur.

15 Ita Deus Patet: Deus Filius:
Deus & Spiritus sanctus.

Deus. *Deus* proprium nomen est Trinitatis, pertinens ad patrem & filium & spiritum sanctum, translatum ex Græca appellatione. Nam *Deus* græcè *Theos* dicitur, id est, timor: unde tractum est Deus, quod eum colentibus sit timor. Proprium verò nomen est patris, D quia solus est pater: & proprium nomen est filij, quia solus filius est à solo patre: & proprium nomen est spiritûs sancti, qui ab utroque procedit. Deus est pater, quia ipse est fons & origo deitatis: similiter & filius Deus est, & hoc non à semetipso, quia non est à se, sed à solo patre est genitus: pari modo & spiritus sanctus, non à se est Deus, sed à patre & filio procedens est.

16 Et tamen non tres dij:
Sed unus est Deus.
Ita Dominus Patet, Dominus Filius:
Dominus Spiritus sanctus.
Et tameo nun tres domini:
Sed unus est Dominus.

Sicut scriptum est, audi Israël, *Dominus Deus tuus* Deut.6. *unus est*. Dominus dicitur pater à dominatione, eo E quod creaturam suam regat atque gubernet, similiter & filius & spiritus sanctus.

17 Quia sicut singulatim unamquamque personam:
Deum & Dominum confiteti Christianâ veritate compellimut.
18 Ita tres deos aut duminos dicere:
Catholicâ teligione prohibemur.

Quia sicut singulatim, id est, sicut distinctè vel separatim unamquamque personam dico Deum & Dominum (quia si me interrogaveris quid est pater, Ego respondeo, Deus & Dominus: Similiter si interrogaveris, quid est filius, Ego dico, Deus & Dominus: Et si dicis, quid est spiritus sanctus? Ego respondeo, Deus & Dominus) & tamen in his tribus personis, non tres deos, nec tres dominos, sed in tribus (sicut F iam supra dictum est) unum Deum & unum Dominum confiteor. *Prohibemur*, id est, vetamur.

19 Patet à nullo est factus:
Nec creatus, nec genitus.

Pater à nullo est factus: quia ipse est omnium factor, *nec creatus*, sed creator, *nec genitus*: sed genitor: *pater* enim Græce, latinè genitor dicitur.

20 Filius à patre solo est:
Non factus, nec creatus, sed genitus.

Filius à patre solo est, non factus: quia ipse est omnium factor simul cum patre, *nec creatus*: quia ipse est omnium creator, *sed genitus*: solus à solo patre. Filij duplex generatio. Et unaquæque persona habet proprium, quod non habet alia, proprium habet in persona pater, quod G solus est pater: & proprium habet in persona filius, quia solus à solo patre genitus est. Sed & habet aliud proprium filius, quod non habet pater, nec spiritus sanctus, habet æternitatem cum patre & spiritu sancto, & habet in tempore nativitatem de matre, quam non habet spiritus sanctus nec pater: quia non suscepit pater carnem in sua persona, nec spiritus sanctus, sed tantum filius, ut nobis in se ostenderet duas habere naturas: unam ante omnia sæcula, qua genitus est ex patre, & de qua dixit Esaias, *generationem eius quis enarrabit?* Esa.53. Alteram in tempore, de qua dicit Paulus Gal.4. Apostolus. *Cum autem venit plenitudo temporis, misit* Colos.2. *Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege. In quo complacuit plenitudinem divinitatis habitare corporaliter.* De patre sine initio & sine fine: de matre initium habens & nullo concluditur fine.

21 Spiritus sanctus à Patte & Filio:
Non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

H Proprium habet spiritus sanctus: quia non est pater & filius, sed spiritus procedens à patre & filio. Audis quia iste ab ambobus, filius ab uno, pater à nullo: ac per hoc apertè monstrantur proprietates eorum. Ideò autem spiritus Dei sanctus vocatur: quia patris & filij sanctitas est: nam cum sit & pater spiritus, & filius spiritus, & pater sanctus, & filius sanctus: propriè tamen ipse vocatur spiritus sanctus.

22 Vnus ergo Patet, non tres patres: unus Filius non tres filij:
Vnus Spititus sanctus, non tres spiritus sancti.

Vnus pater: quia solus sibi unicum genuit filium. *Et unus filius*: quia singulariter ab unico patre genitus est. *Vnus spiritus sanctus*: quia à patre & filio unicus procedit.

A

23 Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius : nihil maius aot minus. Sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.

Nihil prius aut posterius : quia nullus anterior . & nullus posterior : nullus inferior , & nullus superior, sed coæterni sibi sunt & coæquales : ideo nihil ibi vel mains vel minus.

24 Ita ut per omnia , sicut iam supradictum est :
Et unitas in Trinitate & Trinitas in unitate veneranda sit.

B Debemus colere & adorare Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate.

25 Qui vult ergo salvus esse :
Ita de Trinitate sentiat.

Hic rogat & admonet , ut onusquisque doctor memoriter eam teneat , & firmiter credat , & alios prædicando doceat.

26 Sed necessarium est ad æternam salutem :
Vt incarnationem qnoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.

Necesse est enim nobis : ut sicut superiùs diximus, ita credamus, Si vero æternam salutem volumus habere , id est , cum Christo sine fine regnare : necesse est , ut incarnationem Domini nostri Iesu Christi fideliter credamus. Quomodo fideliter ? Non adoptivum, sed proprium Dei filium, sicut dixit Apostolus , *proprio filio suo non pepercit Deus , sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

C
Rom. 8.

27 Est ergo fides recta , nt credamns & confiteamur :
Qnia Dominus noster Iesus Christus Dei filius , Deus pariter & homo est.

Modo inchoat enarrare , secundum humanitatem Christi quid sit fides recta. Est enim fides recta , ut humanitatem ipsam credamus in corde , & confiteamur ore , sicut dicit Apostolus. *Corde creditur ad iustitiam , ore autem confessio fit ad salutem.* Deus & homo unus est verus Dei filius : quia secundum divinitatem , nihil maius vel minus , quam Deus pater : secundom humanitatem nihil minus (extra peccatum)quam homo.

Rom. 10.

D

28 Deus est ex snbstantia Patris ante sæcula genitus :
Et homo ex substantia matris in sæculo natus.

Ex substantia patris , id est , ex æqualitate naturæ. *Ante sæcula* genitus , id est , ante omnem creaturam, sicut dicit in Psalmo. *Ex utero ante luciferum genui te. Ex utero* , id est , ex mea snbstantia. *Ante luciferum*, id est , ante omnem creaturam. *Et homo est ex substantia matris in sæculo natus*, id est , totus homo cum corpore & animâ, in omnia similis nobis absque peccato. *Ex substantia matris* , id est , de æqualitate naturæ matris. *In sæculo natus* , id est , in his temporibus , non aliunde , nisi de semine mulieris sine coïtu viri carnem suscepit. Vnde Salomon dicit : *Sapientia ædificavit sibi domum :* hoc est , Christus ædificavit sibi carnem de beata Maria , & alibi legitur, *qui factus est ex semine David secundum carnem.*

Ps. 109.
Hebr. 4.
Prov. 9.

E
Rom. 1.

29 Perfectus Deus & perfectus homo.
Ex anima rationali & humanâ carne subsistens.

Perfectus dicitur , id est plenus : qui nihil indiguit, *perfectus homo* , qui nihil minus habuit (extra peccatum (quam homo. *Ex anima rationali :* Christus veram animam habet , ubi sapientia crescere potuisset, sicut dicit in Evangelio. *Iesus proficiebat sapientiâ & ætate :* sapientia in anima,ætate in corpore. *Et humanâ carne subsistens* , quia humus terra dicitur , de humanitate carnem assumpsit.

Luc. 2.

30 Æqualis Patri secnndum divinitatem:
Minor Patre secundum humanitatem.

F
Ioan. 10.
Ioan. 14.

Æqualis : secundum illud , *ego & pater unum sumus. Minor* iuxta quod dicit , *pater maior me est*, & in quo homo est, minor est à divinitate.

31 Qui licet Deus sit & homo:
Non duo tamen , sed unus est Christus.

Ideo sic coniungi voluit Dei filius cum humana naturâ , ut ex his duabus snbstantiis fieret una persona.

32 Vnus autem non conversione divinitatis in carnem :
Sed assumptione humanitatis in Deo.

Non quod illa divinitas , qua est filius Dei, se convertisset in humanitatem (ut hoc , quod erat divinum fieret humanum) sed assumendo nostram naturam , sic est unus effectus , ut non amitteret quod erat , sed assumeret quod non erat. Assumpsit enim humanitatem,& non amisit divinitatem.

G

33 Vnus omnino non confusione substantiæ:
Sed unitate personæ.

Non in eo naturarum commixtio est : ut vel divinitas mutaretur in naturam humanitatis , vel humanitas converteretur in naturam divinitatis , sed utrique naturæ sua manet proprietas in perpetuum , tanta tamen coniunctio est naturarum , ut idem qui æternaliter ex Deo patre genitus est , homo sit verus : & ille qui natus est temporaliter ex virgine, Deus sit verus : propter suscipientem Deum, Deus verus, Deus Dei filius : propter susceptum hominem,homo verus. Personam quippe filij Dei,non ex duabus personis unitam, sed ex duabus naturis existere credimus : dicere autem duabus personis compositam , ut nefas vitamus.

Duæ in Christo naturæ, una persona.

H

34 Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo :
Ita Deus & homo nnus est Christns.

Sicut enim ex carne & animâ unum dicimus hominem , & unusquisque habet duos homines in se (unum carnalem alium spiritalem , unum visibilem , alium invisibilem , unum mortalem , alium immortalem) ita Deus & homo unus est Christus.

35 Qui passus est pro salnte nostrâ :
Descendit ad inferos , resurrexit à mortuis.

In quo , scilicet homine passus , in quo videbatur, in quo crucifixus, in quo mortuus , in quo sepultus, in quo resurrexit : quia divinitas impassibilis est , sed in coniunctione personæ filius Dei dicitur passus , & in

Descendit ad infernos.

vera

A vera natura filius hominis est passus. *Descendit ad inferos*. scilicet anima cum verbo: quia postquam humanitas assumpta est à divinitate, non est separata à verbo, sed ipsa anima à corpore separata est: quia si non esset separata, corpus non potuisset mori: & iste descensus ad solam animam pertinet. *Resurrexit à mortuis*, ut nobis exemplum resurrectionis ostenderet sicut Propheta ait: *Post duos dies suscitabit nos, & tertia die resurgemus, & in conspectu eius vivemus.* (Osee 6.)

36 Ascendit ad cœlos:
Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.

Ascendit ad cælos, scilicet ipsa humanitas quæ fuit passa, sicut angeli dixerunt, *viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum, hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* (Act. 1.) Quia secundum divinitatem ad nullum potest ascendere locum, sed ubique totus est. (B) *Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis*, dexteram autem Dei non carnalem, non corporalem (sicut humana habet natura) sed in hoc loco gloriam Dei convenit accipere, ac si apertè dicat, regnat in gloria Dei, & *sedere* pro *regnare* dicitur. (Dextera Dei, gloria Dei.)

37 Inde venturus est:
Iudicare vivos & mortuos.

Venturus est in eadem formâ, in quâ crucifixus, in qua mortuus, in qua sepultus est, & in qua resurrexit: non in ea tantum humilitate in qua antea fuit, sed in gloria & maiestate. Et ideò in ipsa forma? ut videat Herodes & Pilatus quem iudicaverunt, ut videant Iudæi quem tradiderunt, ut videant milites quem crucifixerunt, ut videant impij quem negaverunt. *Vivos*: quos eius adventus invenerit in corpore viventes. *Mortuos*: qui mortui erant ab initio usque in illum
C diem. Vel aliter, vivos, id est, sanctos, mortuos, id est, peccatores.

38 Ad cuius adventum:
Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis:

In adventu Domini unusquisque, sive iusti sive peccatores, resurgere habent cum corporibus suis.

39 Et reddituri sunt de factis propriis rationem:

Reddere autem rationem: non fabulâ verborum, sed recordatione omnium quæ fecit, sive bonum, sive malum, & secundum hoc unusquisque, recipere debet: boni bona, mali verò mala.

40 Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam:
D Qui vero mala, in ignem æternum.

In vitam æternam: quia semper erunt boni sine fine in gloria regnaturi. *In ignem æternum*: quia semper erit malis sine fine pœna inferni, & sine ullâ miseratione cum corpore & animâ, non cunsumendi, sed semper arsuri: & nunquam deficient in æternis pœnis mansuri. (Ignis æternus.)

41 Hæc est fides Catholica:
Quam nisi quisque fideliter firmitérque crediderit, salvus esse non poterit.

Hæc est fides Catholica: sicut superius diximus, ista est fides Catholica. Per hoc hic rogat & admonet, ut unusquisque sacerdos hoc sciat & prædicet. *Quam*, id est, quam fidem, *quisque*, id est, aliquis. *Fideliter*, ut de ea non dubitet. *Firmiter*, ut nullus à tua fide te removere possit, nullo schismate vel hæresi. Et si ita non credideris, salvus esse non poteris. E

FINIS.

HERMANNI
CONTRACTI COMITIS De Vôringen, Maioris Augiæ Monachi Chronicon, F

A VULGATO ILLO ET ab eo etiam quod Vrstisius edidit, longè diversissimum & locupletius:

NUNC PRIMUM EX Manuscripto Codice Augustani Monasterij SS. Afræ & Vdalrici editum,

Per Henric. Canis.

AD LECTOREM. G

CHRISTIANUS VRSTISIUS *tomo primo illustrium Germanicorum Scriptorum, vulgata Hermanni editioni aliam locupletiorem adiunxit, è regione respondentem. Cum quibus, si quis hoc nostrum Vlricianum apographum conferat, deprehendet, esse utrisque longè plenius, auctius, atque emendatius. Vt autem huius diversitatis causam, quæ mihi videtur, significem; censeo Hermanno in conscribendo chronico id evenisse, quod & hodie multis claris scriptoribus: placuit fœtus, quem lambendo formavit, variavit, & hoc aliquoties: ut proinde accesserint multa. Hæc coniectura & Vrstisij est: quam, erunt mecum, qui non pro certâ recipiant; & eo quidem nunc minus, quod tertia Hermanni Editio accedit: qua ego ferè persuadeor varietates à descriptoribus esse, quorum alius pro cuiusque captu, nonnulla adiecerit, alius resecuerit. Id enim antiquitus plerumque fieri consuesse observo in illis libris, quos monachi sibi quisque private usui describebāt. Sanè insunt huic, nusquam unquam ante hac visa, quæ historiam illius ævi illustrent. Quis Hermannus fuerit,* H *breviter habe. Comites de Vôringen ditionem habuerunt in alpibus Sueviæ, & ad Danubium supra Riedlingam. Ex horum illustri familia Hermannus. Trithemius Monachum sancti Galli facit: sed errat. Erroris causa forte est, quia vulgata illa editio primum ex codice Sangallensi transcripta fuit. Nam fuisse cœnobitam in Augia Maiori (REICHENAW) in insula lacûs Cellensis, qui Acronij appendix est, ipsemet sæpe disertè fatetur.* Hermannus, qui dicebatur Contractus, *inquit Abbas Spanheimensis*, Monachus Cœnobij sancti Galli, ordinis divi patris Benedicti, natione Teutonicus, filius Comitis de Vôringen in Suevia, vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in secularibus literis, universaliter doctissimus, philosophus, poeta, astronomus, rhetor & musicus, nulli suo tempore secundus, trium linguarum, Græcæ, Latinæ, & Arabicæ

A

peritissimus. Scripsit carmine & prosâ multa præclara volumina, de quibus ego tantum reperi subjecta; videlicet de musica, de monochordo, de sex ætatibus mundi, de compositione astrolabij, de vtilitate astrolabij, de eclipsibus, de quadratura circuli, de conflicto ryshmomachiæ, de physiognomia, vitas plurium Sanctorum, Hymnos & prosas varias. Composuit etiam dulci & regulari melodiâ cantus & prosas pulcherrimas: E quibus est illa de beata Virgine Mariâ dulcissima: *Salve Regina.* Et: *Alma Redemptoris mater*, &c. quarum copiosus est numerus. Transtulit etiam nonnulla Græcorum Philosophorum, & Arabum Astrologorum volumina in Latinum. Membris fuit iuxta nomen suum contractus, sed semper in gratiarum actione perseverans. Vnde & per Beatam Virginem Dei Genitricem interius mirabiliter consolari & illustrari meruit, Claruit temporibus Henrici Imperatoris Secundi. Anno Domini M. X L. *Ex omnibus illis libris Hermanni solum Chronicon de sex mundi ætatibus iam extat.*

B

CHRONICA HERMANNI, Viri Nobilis, Comitis de Vôringen, ac Aug. Monasterij Monachi religiosissimi: Scripsit ad tempora Papæ Victoris XXI. & Henrici Imperatoris, ad annos ab Incarnatione 1054. & anno ætatis 44.

Augiensis.

C

ANNO 42. Octaviani Augusti Cæsaris, ex quo autem Ægyptus in Provinciam redacta est, & Cleopatra cum Antonio victa, 28. anno, ab vrbe vero condita 752. Olympiadis 193. anno tertio Dominus noster Iesus Christus in Bethleem Iudæ nascitur: transactis ab initio mundi secundum Hebraicam veritatem annis 3952. secundum Septuaginta Interpretes vero 5199.

2 Infantes pro Domino trucidantur ab Herode.

3

4

4 Asinius Pollio orator moritur.

6 Herodes rex Iudææ cum magno cruciatu moritur.

Pro quo Archelaus regnavit annis 9.

7 Fames magna Romæ facta est.

8 Tiberius Cæsar Dalmatas Sarmatásque subegit.

9

10

11

D

12 Iani portæ, 12. annis iam ab Augusto clausæ aperiuntur.

13 Messala Corvinus orator moritur.

14 Eclipsis solis facta est.

15 Archelaus in Viennam Galliæ vrbem ab Augusto relegatur. Et Augustus moritur anno ætatis 76. Imperij 56. pro quo Tiberius regnat annis 23.

16 Herodes Tetrarcha Iudæorum regnum tenuit annis 24.

17 Mathematici vrbe pelluntur.

18 Livius Historiographus moritur. Ovidius poëta in exilio * mittitur.

* al. moritur.

19 Germanicus à Tiberio missus Germanos vicit.

20 Tredecim vrbes terræmotu corruerunt.

21 Fenestella Historiographus & Poeta moritur.

22 Tiberius multos reges ad se vocatos dolo nunquam remisit.

23 Pompeij theatrum incensum est.

E

24 Tiberius Drusum consortem regni fecit, qui eodem anno veneno periit.

25

26

27 Pilatus Præses Iudææ à Tiberio mittitur.

28

29

30 Dominus Iesus Christus à Ioanne baptizatur trigesimo anno ætatis suæ secundum carnem inchoante, & prædicare cœpit.

31 Ioannes Baptista ab Herode Tetrarchâ decollatur.

32

33 Dominus in Ierosolymis passus est & resurrexit. Eclipsis solis, & maximi terræmotus facti sunt.

34 Iacobus frater Domini Ierosolymorum Episcopus ab Apostolis ordinatus sedit annis 30.

35 Pilatus imaginem Cæsaris in templo statuens, seditionem excitavit.

F

36 Pilatus Romam venit, & de miraculis Domini Cæsari nuntiavit.

37 Tiberius ea, quæ à Pilato audierat Senatui nuntiavit, sed senatus contempsit.

38 Tiberius populum Romanum graviter afflixit, & ipse veneno periit.

Hæc & sequentia ad oram adscripta sunt in M.S Gaius regnat an. 3. mens. 10. dieb. 8. vir sceleratissimus.

39 Herodes Agrippa rex Iudææ à Gaio constitutus, regnat annos 7.

40 Iudæi apud Alexandriam profligantur, pro quibus Philo clarissimus scriptor Gaium interpellans, nihil profuit.

41 Pilatus semetipsum interfecit, magnis à Gaio calamitatibus oppressus.

42 Matthæus Evangelium Hebraïcè scripsit. Gaius occiditur a suis.

43

44 Petrus Apostolus Romam venit, ibique per 25. annos prædicans, Episcopatum tenuit.

G

45 Herodes Agrippa ab Angelo percussus, expiravit: pro quo filius eius Agrippa regnavit ann. 26. Marcus Evangelista in Ægypto prædicavit.

Claudius ann. 13. mens. 8. dies 28. M.S. habet 69144.

46 Claudius Britanniam subegit. Fames magna facta est.

47 Nova Insula 30. stadiorum in mari apparuit.

48 Cives Romani à Claudio numerati inuenti sunt sexagies novies centena & quadraginta quatuor millia.

49 Iudæorum in seditione 30000. necantur in diebus azymorum.

50

51 Claudius Iudæos vrbe expulit.

52 Magna fames Romæ facta est.

53 Claudius Felicem Procuratorem Iudææ fecit.

54 His temporibus Simon Magus simoniacæ hæreseos auctor extitit.

55 Ægyptius quidam pseudopropheta Iudæorum plures sedocens, à Felice opprimitur.

56 Claudius veneno mortuus est anno ætatis 64.

H

57 Nero flagitiosus primam in Christianos persecutionem exercuit. Seditio in Cæsarea orta plures Iudæorum perdidit.

Nero ann. 13. mens. 7. dies 28.

58 Paulus Apostolus Romam à Festo præside mittitur.

59 Hucvsque librum, Actus Apostolorum, Lucas Evangelista perduxit, continentem annos à passione Domini 27.

60 Statius Poëta clarus erat.

61 Nero Agrippinam matrem suam & sororem patris interficit.

62 Nero infinitâ luxuriâ & lasciviâ ignaviáque bacchatur.

63 Iacobus frater Domini à Iudæis lapidatur.

64 Marcus Evangelista apud Alexandriam passus est.

65 Neronianæ thermæ à Nerone ædificantur.

66 Nero ut similitudinem Troiæ ardentis videret, magnam partem vrbis incendit.

A 67 Nero magiſtrum ſuum Senecam interfecit.

68 Veſpaſianus adverſus Iudæos rebellantes à Nerone mittitur.

69 Petrus & Paolus à Nerone propter Simonem magum trucidantur, & peſtilentia Romæ facta eſt. Neroque ſeipſum interfecit. Linos primus à B. Petro ſedit ann. 12. Antiochiæ ſecundus Epiſcopus ordinatur Ignatios.

Veſpaſianus an. 9. menſ. 11. dies 22.

70 Galba menſes 7. Otho menſes 5. Vitellius menſes 8. Veſpaſianus in Iudæa pugnans Imperator ab exercitu conſtituitur, vir militari virtute præcipuus.

71 Titus Iudæos inenarrabili fame cruciatos obſedit

72 Ieruſalem à Tito expugnata deſtruitur anno à paſſione Domini 40. à prima vero conditione templi ſub Salomone 089

B 73

74

75 Hoc tempore Ioſephos hiſtoriographus clarus habetur.

76

77 Coloſſus erectus eſt habens altitudinis pedes 107.

78

79 Peſtilentia Romæ facta eſt, & terræmotus 3. civitates Cypri ſubvertit.

80 Veſpaſianus profluvio ventris in villa circa Sabinos obiit.

Titus ann. 2. menſ. 2.

81 Titus vir erat omnium virtutum genere mirabilis, ita ut deliciæ & amor humani generis diceretur. Hic amphitheatrum Romæ conſtruxit, in cujus dedicatione 5000. ferarum occidit.

82 Cletus Papa ſecundus anno 12. Titus in eadem villa qua & pater obiit anno ætatis 42.

C

Domitianus frater Titi ann. 15. menſes 5.

83 Domitianus infectus omnibus ſceleribus ſecundò perſequitur Chriſtianos. Idem etiam eunuchos fieri prohibuit.

84 Decreto Senatûs Titus inter Deos refertur.

85 Tres virgines Veſtæ ob ſtuprum damnantur.

86 Anianus primus poſt Marcum Evangeliſtam Epiſcopus Alexandriæ, poſt annos 22. obiit: pro quo Abilius ſedit annis 13.

87

88 Domitianus ſe Deum & dominum appellari iuſſit.

89

90 Quintilianus rhetor Romæ clarus habetur.

91 His temporibus hæreſis Menandri magi, & Hebionitarum, & Cherinthiorum & Nicolaïtarum exoritur.

92 Romani plurima mala à Cæſare & ab hoſtibus pertulerunt.

93 Domitianus de Dacis & Germanis triumphat.

D 94 Clemens Papa tertius ſedit annis 9. Cornelia virgo Veſtalis ob ſtuprum viva defoſſa eſt.

95 Domitianus multos nobilium occidit.

96 Hoc tempore Ioannes apoſtolus in Pathmos inſulam à Domitiano in exilium miſſus Apocalypſin ſcripſit

97 Domitianus Flaviam Domitillam cum multis aliis in exilium pro fide Chriſti relegavit.

98 Domitianus cum multa mala egiſſet, à ſuis crudeliter interfectus eſt anno ætatis ſuæ 35.

Nerva ann. 1. menſ 4. dies 8.

99 Nerva primo edicto ſuo omnes exules revocavit, Sanctus Ioannes Apoſtolus ab exilio rediens Evangelium ſcripſit. Nerva confectus morbo obiit, pro quo Trajanus regnavit.

Trajanus ann. 19 menſ. 6 dies 15

100 Trajanus genere Hiſpanus vir Reipubl. utilis, ſed errore deceptus tertius perſequitur Chriſtianos. Alexandriæ Cerdo 111. Epiſcopus ſedit ann. 12. Ioannes Apoſtolus apud Epheſum dormivit in pace, anno à paſſione Domini 68.

101

102

103 Evariſtus Papa IV. ſedit annis 8. Trajanus de Dacis & Scythis triumphat. E

104 Trajanus multas gentes Romano ſubjecit imperio.

105

106 Aurea domus Neronis incendio conflagravit.

107 Terræmoto multæ urbes ſubverſæ ſunt.

108 Alexandriæ Eccleſiæ IV. Epiſcopus ordinatur, nomine Primus.

109 Simon filius Cleophæ, qui in Ieroſolymis Epiſcopatum tenebat, crucifigitur anno ætatis 120. Pro quo Iuſtus tertius.

110 Ignatius Antiochiæ Epiſcopus Romam perductus beſtiis traditur. Pro quo conſtituitur Epiſcopus Oron.

111 Alexander Papa quintus ſedit annis 10.

112 Pantheum Romæ fulmine concrematum.

113 Poſt Iuſtum Ieroſolymæ Epiſcopum Zachæus conſtituitur quartus. F

114 Terræmotus pæne totam Antiochiam ſubruit.

115 Trajanus Aſſyriam, Armeniam, & Meſopotamiam provincias facit.

116

117 Iudæi commoti magnas cædes hominum faciunt, ſed in Alexandria victi ab omnibus ubique trucidantur.

118 Trajanus apud Seuleuciam profluvio ventris moritur anno ætatis 64.

119 Hic per Quadratum diſcipulum apoſtolorum & Ariſtidem virum ſapientem libris apologeticis edoctus, mitis efficitur Chriſtianis. Adrianus ann. 21.

Adrianus Alexandriam publicis reſtauravit expenſis.

120 Adrianus iterum Iudæos profligat.

121 Xiſtus Papa VI. ſedit annis 12. Adrianus plurimum tributa relaxat.

122 Adrianus bellum contra Sauromatas geſſit. Terræmotus factus eſt. G

123 Adrianus in Lybiam, quæ à Iudæis vaſtata fuerat, colonias deducit.

124 Iuſtinus Epiſcopus Alexandrinus ſedit annis 11. Adrianus dedit legem Athenienſibus.

125 Ieroſolymis poſt Philippum Seneca decimus conſtituitur.

126 Hoc tempore Aquila interpres habetur.

127 Adrianus apologeticis noſtrorum acceptis litteras pro Chriſtianis miſit.

128

129 His temporibus Saturninus & Baſilides & Carpocrates hæreſin condiderunt.

130 Adrianus pater patriæ primus appellatur.

131 Antiochiæ ordinatur Cornelius Epiſcopus, Nicopolis & Cæſarea terræmotu corruerunt.

132

133 Teleſphorus Papa VII. ſedit ann. 7.

134 Iudæi in arma verſi Palæſtinam depopulantur. H

135 Alexandriæ Eumenes Epiſcopus ſedit an. 13.

136 Iudæi iterum commoti magnis ubique cædibus enecantur.

137 Ieruſalem ab Helio Adriano reparata eſt, & ex eius nomine Helia nuncupata, & Iudæis ne introirent, interdicta.

138 Primus ex gentibus Ieroſolymis Epiſcopus Marcus ordinatur, cum jam 15. de Iudaïca gente obiiſſent.

139 Adrianus morbo intercutis aquæ moritur, major ſexagenario.

140 Antoninus cognomento Pius per apologeticum Iuſtini Chriſtiani philoſophi, & poſtea martyris edoctus clemens efficitur noſtris. Higinus Papa IIX. ſedit annis 4. Antoninus ann. 22. menſ. 3.

141 Antoninus pater patriæ appellatur.

142 Valentinus & Cerdo, & poſt hos Marcus & Marcion Eccleſiam hæreſi impugnant.

143 Iuſtinus philoſophus pro Chriſtianis Apologeticon Antonino ſcripſit.

A 144 Pius Papa I X. sedit annis 15.
145 Antiochiæ constituitur Episcopus Heros.
146
147
148 Alexandriæ Marcus V I I. Episcopus sedit annis 10.
149 Valentinus Hæreticus agnoscitur.
150
151
152 Apollonius & Basilides philosophi illustres habentur.
153
154
155
156 Crescens Cynicus Philosophus Iustino nostro persecutionem commovit, in qua ille gloriose sanguinem fudit.
157 Alexandriæ Celadion Episcopus sedit annis 14.
B 158 Anicetus Papa X sedit annis 13.
159 Ierosolymis post Marcum factus est Episcopus Cassianus X V I I
160 Antoninus Pius apud Lorum obiit annis ætatis 77.
Marcus & Lucius ann. 19. mēs. 1. 161 Marcus Antoninus Verus cum fratre Lucio Aurelio Commodo, æquo iure administraverunt imperium.
162 Lucio Cæsari Athenis sacrificanti ignis ab oriente in occidentem in cœlo ferri visus est.
163 Fronto orator insignis habetur.
164 Cæsares de Parthis triumphant.
165 Quarta persecutio orta apud Asiam Polycarpum cum plurimis & in Gallia multos sanctorum coronavit.
166
C 167 Lues maxima multas vastavit provincias & exercitum Romæ pæne delevit.
168 Sother Papa X I. sedit annis 8.
169 Antiochiæ Theophilus Episcopus ordinatur vir sapiens.
170 Lucius Cæsar apoplexiâ extinctus est. Alexandriæ Agrippinus Episcopus sedit annis 11.
171 His temporibus Egesippus, Dionysius Corinthi Episcopus, & Pinitus Cretæ Episcopus clari habentur.
172
173 Catafrigarum hæresis oritur.
174 Hoc tempore Trajanus hæresin Encratitarum condit.
175 Maxima per totum orbem pestilentia fuit.
176 Antoninus multa bella per se & Duces suos faciebat. Eleutherius X I I. Papa sedit annis 15.
177 Antoninus Commodum filium suum consortem regni fecit. Lucius Britanniæ rex ab Eleutherio Papa
D Christianus efficitur.
178 Imperatores dona largiti sunt, debita relaxant, & severiores leges temperant.
Cōmodus X V. an. 13. 179 Antoninus in Pannonia morbo periit, & Commodus à senatu Augustus appellatur.
180 Commodus post mortem patris Germanos vicit. Hic obscœnus & parvus fuit.
181 Alexandriæ templum Serapis incensum. Iulianus X. Alexandriæ Episcopus sedit annis 10.
182 Hyreneus Lugdunensis Episcopus insignis habetur. Panthenus & Clemens Alexandriæ clari habentur.
183 Commodianæ thermæ Romæ factæ sunt.
184 Commodus Septembrem mensem nomine suo appellavit.
185 Ierosolymis X X V I. ordinatur Maximus Episcopus. Origenes apud Alexandriam nascitur.
186 Montanus quidam hæresin Catafrigarum condit.
187
188 Capitolium Romæ & Bibliotheca fulmine cremantur.
189 Alexandriæ Episcopus Demetrius sedit annis 43. Commodus colossi capite sublato suæ imaginis caput E
iussit imponi.
190 Commodus multos nobilium interfecit. Serapion I X. Antiochiæ Episcopus ordinatur.
191 Quæstio de Pascha oritur, & in Dominica die celebrari iubetur.
192 Commodus cunctis incommodus in domo vestali strangulatus. Al. leg. vestilapi.
193 Pertinax maior septuagenario ex Senatusconsulto iussus est imperare. Victor X I I I. Papa sedit annis 10. Pertinax 16. mens. 7.
194 Pertinacem occidit in Palatio Iulianus iurisperitus: & regnavit pro eo 7. menses.
195 Severus genere Afer Iulianum apud Milvium pontem interfecit. Et in honorem Pertinacis, quem idem Iulianus occiderat, Pertinacem se cognominari fecit. Severus V I I. mēs. 17.
196 Hoc tempore Narcissus Ierosolymorum Episcopus & F
197 Theophilus Cæsariensis, Polycarpus quoque & Bacchilus, & alij insignes Episcopi habentur.
198 Iudaïcum & Samaricum bellum motum est.
199 Severus Parthos & Adiabenos Arabésque superavit.
200
201 Thermæ Severianæ apud Antiochiam factæ sunt.
202 Zepherinus Papa X I V. sedit annis 18.
203 Severus quantâ persecutione plurimos sanctos coronavit, inter quos pater Origenis, Leonides, cum multis aliis martyrizatur.
105 Perpetua & Felicitas hac persecutione bestiis deputantur apud Carthaginem.
106 Symmachus & Theodocion interpretes habentur his temporibus.
207 Severus vallum apud Britannos per 132. millia passuum à mari ad mare fecit. G
208 Tertullianus Afer clarissimus habetur.
209 Origenes Alexandriæ studiis eruditur.
210 Severus in Britannia moritur.
211 Antiochiæ Asclepiades Episcopus ordinatur.
112 Alexander Ierosolymorum Episcopus ordinatur, viuente Narcisso, Deo per visum iubente.
213 Antoninus Caracalla propter genus vestis, quod Romæ erogabat, cognominatur. Antoninus 18. ann. 7.
214 Antonianæ thermæ dictæ sunt Caracallæ ex nomine Antonini.
215 Antoninus Romæ thermas sui nominis ædificavit.
216 Antoninus impatientiâ libidinis novercam suam Iuliam duxit vxorem.
217 Antoninus interficitur anno vitæ 43.
218 Romæ amphitheatrum inceditur. Antiochiæ Episcopus constituitur Philetus X. H
Macrinus cum filio Diadumeno occiditur in Archelaïde.
219 Aurelius Antoninus adeo impudicè in imperio vixit, ut nullum genus obscœnitatis omiserit. Callistus Papa X V. sedit annis 5. Macrinus ann. 1. Aurel. Antoninus an. 4.
220 Hippolytus Episcopus clarus habetur.
221 In Palæstina Nicopolis, quæ prius Emmaüs vocabatur, condita est.
222 Aurelius tumultu militari Romæ occiditur.
223 Alexander Xerxem Persarum regem vicit.
224 Hic militaris disciplinæ Severus corrector fuit. Alexander X X I. 13.
225 Vrbanus Papa X V I. sedit annos 9. Hic multos nobiles ad fidem Catholicam convertit.
226 Vlpianus Iurisconsultus insignis habebatur.
227 Thermæ Alexandrinæ Romæ ædificantur.
228 Geminus presbyter Antiochenus & Hippolytus & Beryllus Episcopus & Bostrenus clari scriptores habentur.
229 Antiochiæ ordinatur Episcopus Zebenuus X I.
Alexandriæ Heradas Episcopus ann. 16.
230 Mammea mater Alexandri Origenem celeberrimum doctorem ad se vocatum audivit.

A

232 Alexander in matrem Mammeam unice pius fuit & omnibus ob id amabilis.

231 Origenes de Alexandria ad Cæsarem Palæstinæ transit.

233 Pontianus Papa X V I I. sedit annos 5.

234 Alexander Romæ favorabilis fuit.

235 Alexander tumultu militari Mogontiaci occiditur.

Maximinus 22. an. 3.

236 Maximinus Christianos & maximè rectores Ecclesiæ sextus post Neronem persequitur.

237 Maximinus adversus Germanos bellum feliciter gessit.

238 Maximinus Aquilegiæ à Pupieno occiditur.

Gordianus 23. ann. 6.

239 Antherus Papa X I I X. sedit . . . . . mens. 1. post quem Fabianus X I X an. 13.

240 Pupienus & Albinus, qui imperium arripuerant, in palatio à Gordiano occisi sunt.

B

241 Hoc tempore Iulius Africanus chronographus clarus habetur.

242 His temporibus Origenes Theodorum & Athenodorum fratres, postea Episcopos nobiles divinâ imbuit Philosophia.

243 Gordianus cum victor à Parthis reverteretur, haud longè à Romano solo interficitur.

244 Milites Gordiano tumulum ædificant, & ossa eius Romani reportant.

Philippus 24 cum filio ann. 7.

245 Philippus primus omnium Imperatorum Christianus fuit. Hic filium suum Philippum consortem regni fecit.

246 Regnantibus Philippis millesimus annus Romanæ urbis expletus est

147 Millesimus annus à Christiano Imperatore variis ludis celebratus est.

248 Theatrum Pompeij incensum.

249 Philippus nominis sui in Thracia construxit ..... His temporibus Origenes multa scripsit,

C

250 Alexandriæ Dionysius X I I I. Episcopus sedit annis 17.

251 Philippus senior Veronæ, Romæ verò iunior occiditur.

Decius 25. an 1. mens. 3.

252 Decius cum Philippos patrem & filium interfecisset, ob eorum odium in Christianos persecutionem movet.

Antonius in Ægypto nascitur. Decius cum filio occiditur.

Gallus cum Volusiano ann. 2. mens. 3.

Fabianus martyrizatur: pro quo Cornelius Papa sedit an. 2. qui etiam martyrio coronatur.

253 Origenes anno ætatis 70. moritur. Novatius presbyter hæreseos auctor interficitur. Maxima pestilentia facta est.

254 Lucius Papa X X I. mens. 8. post quem Stephanus an. 2. Gallus cum filio interficitur.

Valerianus & Galienus ann. 15.

255 Valerianus octavus persecutionem in Christianos exercuit.

256

D

257 Cyprianus doctor eximius Carthaginensis Episcopus martyrio coronatur.

258 Valerianus à Sapore Persarum Rege capitur. Xistus Papa sedit an. 6.

259 Valeriano in Persas ducto, & oculis privato Galienus pacem reddidit nostris.

260

261 Galienus in omnem lasciviam dissolvitur.

262 Germani Italiam, Alamanni Gallias & Italiam populantur.

263 Macedonia, Græcia, Pontus, Asia & aliæ provinciæ depopulantur per Gothos.

264

265 Dionysius Papa sedit an. 9.

266 Hoc tempore Theodorus, qui etiam Gregorius Neocæsareæ Episcopus virtutibus claruit.

267 Hierosolymis Hymeneus Episcopus ordinatur.

268

Claudius ann. 1. mens. 9.

269 Galienus Mediolani occiditur.

270 Claudius Gothos iam per annos 15. Illyricum Macedonicúmque vastantes superat.

E

Paulus Samosatenus Antiochiæ Episcopus hæreticus esse convincitur.

Claudius Sirmio moritur: pro quo frater eius Quintillus regnavit dies 17. & Aquileiæ occiditur.

Aurelianus an. 5. mens. 6

271 Aurelianus primò utilis & clemens Christianis, postea persecutor fuit.

272 Zenobia regina orientis vincitur. Eusebius Laodicensis Episcopus insignis habetur.

273 Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus & Zenobia captivi præcessere.

274 Imperator Soli templum ædificat & nonus Christianos persequitur.

Tacitus mens. 6.

275 Aurelianus divino fulmine territus, interficitur à militibus: pro quo regnavit Tacitus mensibus 6. quo apud Pontum occiso Florianus regnavit diebus 88. & occiditur.

276 Felix Papa X X V. sedit ann. 5.

F

Probus ann. 6. mens. 4.

277 Probus Gallias à Barbaris occupatas ingenti virtute restituit.

278 Anatolius Laodiceæ Episcopus clarus habetur.

179 Manes quidam genere Persa insanam Manichæorum hæresin condit.

280 Antiochiæ Episcopus X I I X. constituitur Quirillus.

281 Eutycianus Papa sedit menses 8. cui successit Gaius Papa, sedit annos 16.

Carus cũ filiis Carino & Numeriano an. 2.

282 Probus apud Sirmium tumultu militari occiditur.

283 Carus victor de Parthis super Tigridem, fulmine ictus interiit.

284 Numerianus insidiis Apri soceri sui occisus est.

Carinus apud Margum à Diocletiano prælio victus interficitur.

G

Huc usque ab incarnatione Domini supputantur secundum Dionysium anni 284.

285 Ab hoc anno Græci paschales circulos inchoabant.

Diocletianus annis 20.

286 Diocletianus Herculianum Maximianum in consortium regni assumit.

187 Maximianus in Gallia Amandum cum rusticis vicit.

288 Hoc tempore Carausius Britanniam, Narseus Rex Persarum Orientem, Achilleus Ægyptum, Quinquegentiani Africam infestavere. Ob quæ Constantinus, Galerius, & Maximianus in regnum assumuntur.

289

290 Diocletianus Constantium Constantini patrem Cæsarem fecit, qui regnavit annos 16.

291 Imperator Galerium Maximianum Cæsarem fecit.

H

292 Hoc tempore Phierius presbyter & Achillas & Melitus Alexandriæ claruere.

293 His temporibus diversis & multis præliis hostes diversi vincuntur.

294

295 Diocletianus se, ut Deum adorari iussit.

296 Gaio per Martyriũ coronato Marcellinus XXIIX. successit.

297 Diocletianus victo Achilleo Alexandriam Ægyptúmque recepit.

298 Idem plurimos per totam Ægyptum proscriptionibus & exiliis damnavit.

299 Constantius 6000. Alamannorum juxta Lingonas occidit.

300 Galerius Maximianus à Narseo victus, ante carpentum Diocletiani purpuratus cucurrit.

301 Maximianus Narseum superavit & uxorem ejus ac liberos captivavit.

302 Maximianus & Diocletianus insigni pompa de hostibus triumphant.

303 Diocletianus & Maximianus Ecclesias subvertũt, libros divinos intendunt & Christianos cruciant.

A

304 Diocletianus Nicomediæ & Maximianus Mediolani purpuras & regna deponunt. Eusebius Papa sedit mens.8. post quem Miltiades annos 4.

305 Maximinus & Severus Cæsares facti sunt. Constantius Augustus obiit: Post quem filius eius Constantinus regnavit.

Constă vixit an. 30. meſ 10. Constantinus Constantij ex concubina Helenâ filius, I. Imperator excepto Philippo Christianus fuit; & ab hoc Christiani Imperatores esse cœperunt.

306 Maxentius Maximiani Herculiani filius Augustus appellatur.

307 Maximianus apud Massiliam turpiter interficitur.

308 Occiso Severo Licinius Cæsar efficitur. Galerius Maximianus moritur.

309 Sylvester Papa sedit annos 25. Maximinus Christianos persequitur: & apud Tarsum moritur.

310

B

311 Maxentius iuxta Milvium pontem à Constantino superatus occiditur.

312 Persecutio post 10. annos finita est.

313

314 Diocletianus in prædio suo moritur & solus omnium privatus inter deos refertur.

315 Plurimi persecutorum & magorum trucidantur.

316

317

318 Licinius Christianos de palatio suo pellit, & eos persequitur.

319 Hoc tempore Arrius Alexandriæ presbyter nefandam Arrianorum hæresim condit.

320 Alexandriæ ordinatur Episcopus Alexander.

321 Arrius presbyter ab Ecclesia à suo Episcopo Alexandro eiectus multos suæ impietati sociat.

C

322 Concilium in Nicæa congregatur 318. Episcoporum sub Sylvestro Papa.

323 Constantius filius Constantini Cæsar efficitur. Licinius occiditur.

324 Hoc tempore Crux Dominica ab Helena matre Constantini Ierosolymis reperitur.

Sub Machario eiusdem vrbis Episcopo Nazarius rhetor insignis habetur.

325 Vicennalia Constantini Romæ Nicomediæ acta, & sequenti anno Romæ edita.

326 Hucvsque historiam scribit Eusebius. Hinc Hieronymus.

327 Constantinus Drepanam Bithyniæ civitatem instaurans in honorem suæ matris Helenopolim appellavit.

328 Arriani Episcopi Ecclesiam obtinuerunt, quorum tempora non digeruntur, qui hostes Christi iudicantur.

D

319 Iuvencus presbyter claruit. Porphyrius hæreticus à Constantino de exilio liberatur.

310 Alexandriæ ordinatur Episcopus Athanasius. Dedicatur Constantinopolis.

331 Edicto Constantini Gentilium templa subversa sunt.

312 His temporibus Eusebius Cæsariensis Episcopus & alij multi Doctores claruerunt.

433 Antonius Monachus clarus habetur.

334 Constantinus cum liberis suis honorificas ad Antonium litteras mittit.

333 Tricennalibus Constantini Dalmatius Cæsar appellatur.

35. Constantinus, Constantius & Constans ann. 24. mens. 5. dies 15. 336 Constantinus dum bellum parat in Persas, apud Nicomediam obiit anno ætatis 66.

337 Dalmatius Cæsar factione Constantij patruelis & tumultu militari interficitur.

338 Constantius Arrianâ hæresi per Arrianum presbyterum & Eusebium Nicomediensem pollutus, Athanasium Episcopum & omnes non suæ partis Episcopos persequitur.

339 Constantinus fratri Constantio bellum inferens iuxta Aquileiam occiditur.

E

340 Terræmotus multas vrbes subvertit.

341 Franci à Constante perdomiti in pacem recepti sunt.

342 Constantinopoli eiecto ab Arrianis Paulo Episcopo, Macedonius hæresiarches substituitur.

343 Hoc tempore Maximinus Trevirorum Episcopus claruit; à quo Athanasius à Constantio profugus suscipitur.

344 Athanasius ad Constantis literas Alexandriam regreditur.

345 Eclipsis solis facta est; & terræmotus multas vrbes subvertit.

346 Tribus diebus ac noctibus Roma natavit: & Campaniæ vrbes vexatæ.

347 Bellum contra Persas geritur gravi Romanorum damno.

F

348 Romæ ordinatur Liberius: quo ab Arrianis expulso, Fœlix in eius locum substituitur.

349 Constans interficitur anno ætatis 30. Magnentius & alij multi conturbant P. R.

350 His temporibus ossa Timothei & sancti Andreæ Apostolorum, & Lucæ Evangelistæ Constantinopolim invecta sunt.

351 Gallus Constantij patruelis Cæsar factus,, Magnentius seipsum occidit.

352 Antonius Monachus 105. ætatis suæ anno in eremo moritur. Et multi alij eremitæ claruerunt.

353 Gallus Cæsar occiditur. Victorinus rhetor & Donatus Grammaticus insignes habentur.

354 Iulianus Cæsar efficitur à Constantino. Eusebius Vercellinus & Dionysius Mediolanensis cum aliis exulantur.

355 Magnæ Alamannorum copiæ apud Argentarium deletæ sunt à Iuliano Cæsare.

G

336 Iulianus Rheno Germanos vicit. Hilarius Pictavensis & Athanasius Alexandrinus ab Arrianis multa mala passi sunt.

357 Apud Ariminum synodus Arrianorum contra fidem facta est. Paulus Trevirensis Episcopus in exilio moritur.

358 Iulianus Augusti nomen vsurpat. Constantius in Parthus bellum parat.

359 Constantius Parthico bello dimisso contra Iulianum arma sumit.

360 Constantius moritur anno ætatis 45.

361 Iulian. ex Christiano lectore paganus factus, persequitur Christianos. Athanasius, Eusebius, & Lucifer de exilio revertuntur. Pagani apud Sebasten sepulchrum S. Ioannis Baptistæ invadunt. 36. Iulianus an. 1. mens. 8.

362 Iulianus ad bellum Parthicum profectus, & Christianorum sanguinem diis suis vovens, Dei iudicio à quodam hoste occisus interiit anno ætatis 32. post quem Iovianus Imperator factus cum omni exercitu ad Christianitatem redit. Antiochiæ [illegible]dus hæresiaca collecta est.

H

363 Iovianus in nova domo recubans, suffocatus odore prunarum & calcis moritur: pro quo Valentinianus regnat; qui ob fidem Christi tribunatu militum à Iuliano privatus est. 37 Iovianus mens. 8.

364 Valentinianus Valenti fratri suo orientis imperium dedit. Valentinianus ann. 11.

365 Romæ Damasius Papa ordinatur. Valens ab Eudoxio Arrianorum Episcopo baptizatus Christianos persequitur.

366 Gratianus filius Valentiniani Imperator efficitur. Vera lana pluviâ mixta de nubibus fluxit.

367 Athanaricus rex Gothorum, Christianos persequitur. Hilarius Episcopus Pictaviæ moritur. Nicæa terræ motu corruit.

368 Eusebius Vercellinus moritur. Hoc tempore Apollinaris Episcopus hæresin condit.

369 Magna fames in Phrygia.

370 His diebus post Auxentij Arriani mortem Ambrosius Episcopus Mediolanensis ordinatur.

A 371 Didymus Alexandriæ cæcus claruit. Valentinianus Saxones cæde perdomuit.

372 Eunomius agnoscitur, à quo hæresis Eunomiana.

373 Burgundiones iuxta Rhenum consederunt. Hoc tempore docente Ambrosio, Italia ad Christi fidem convertitur.

374 Valentinianus subitâ sanguinis eruptione moritur: pro quo Gratianus filius cum patruo.

375 Gratianus 30. millia Alamannorum delevit.

376 Valens legem dedit, ut monachi militarent: nolentes fustibus iussit interfici.

Valens cū Gratiano & Valentiniano ann. 4.

377 Gothi datis à Valente Arrianis doctoribus Arriani efficiuntur.

378 Valens Arrianus Imperator post multa mala suâ in Thraciâ trucidato à Gothis Romano exercitu, ipse sagittâ sauciatus, fugiens, & in vilem casam, cum sæpè equo laberetur, deductus; insequentibúsque B hostibus, vivus in ipsa casa incensus sepulturâ caruit. Post quem Gratianus tertius fratris eius filius cum fratre suo Valentiniano regnavit annos 6.

Huc usque Chronicam Eusebij Hieronymus perduxit. Hinc Herimannus.

Theodosium in regn.

379 Gratianus Imperator ob perturbatum imperij statum, genere Hispanum armis, fide & religione præcipuum orienti Imperatorem præfecit: Qui 17. annis regnans Gothos, Hunnos, Alanos, & alias gentes plures coërcuit déque tyrannis Romanorum sæpe imperium vindicavit. Priscillianus de Gallis Episcopus hoc tempore sui nominis hæresim condit.

380 Ab hoc anno Theophilus Alexandrinus Episcopus Paschales ciclos inchoat.

Ambrosius Mediolanensis Archiepiscopus multa hoc tempore sublimiter scripsit.

381 Synodus secunda universalis 150. Episcoporum Constantinopoli agitur, contra Macedonium hæresiarcham ipsius urbis Episcopum sub Theodosio Au- C gusto & Damaso Papa.

382 Athanaricus Rex Gothorum persecutorque Christianorum Constantinopoli receptus à Theodosio moritur.

383 Arcadius filius Theodosij Augusti à patre in consortium regni assumptus regnavit annis 26.

384 Theodosio Augusto filius Honorius nascitur. Romæ post Damasum Papam Siricius, qui in chronicis Prosperi Vrsinus dicitur, Papa XL. sedit annis 14.

385 Maximus in Britannia à militibus Imperator creatus ad Gallias transfretans, Gratianum Augustum à suis proditum bello victum fugavit, & Lugduni captum occidit, Valentinianúmque Augustum fratrem eius de Italia ad Theodosium orientem pepulit, Victorémque filium suum imperij consortem fecit.

386

387

388 Maximus tyrannus à Theodosio & Valentiniano Augustis victus & captus iuxta Aquileiam purpurâ D privatus, capite plectitur, & Victor filius eius ab Arbogaste magistro militum in Gallus peremptus est, & Valentinianus imperio restitutus.

389 Ithacius & Vrsacius Episcopi ob necem Priscilliani, quem accusaverant, Ecclesiæ communione privantur.

390

391

392 Valentinianus Augustus nimiâ, ut aiunt, Arbogastis austeritate, vitæ pertæsus, apud Viennam laqueo vitam finivit. A quo Arbogastes insimulatus, Eugenium in Gallia Imperatorem creat. Hieronymus librum, quem de viris illustribus Ecclesiæ scripsit, hucusque perduxit.

393 Theodosius Imperator cum filiis Arcadio & Honorio 2. annos regnavit.

394 Ioannes Anachoreta, cuius vitam Hieronymus edidit, Theodosium Imperatorem, contra Eugenium E tyrannum victorem fore prædixit.

395 Theodosius Imperator divinitus adiutus Eugenium pugnâ victum peremit: & ipse eodem anno Mediolani vitâ decessit, & apud S. Laurentium sepultus est: pro quo filius eius Arcadius cum fratre Honorio annos 13. regnavit. Augustinus Ecclesiæ propugnator facundissimus à Maximo veterano Episcopo Hippone regionis Africæ, adhuc vivente, ipsius urbis Episcopus quamvis invitus ordinatur.

Claudianus poëta clarus habetur. Ioannes Eremita migravit ad Dominum.

Hucusque Ruffinus Ecclesiasticam historiam Eusebij Cæsariensis Episcopi à se translatam perduxit.

396 Gildo Comes Africæ tyrannidem sibi invasit, eam sibi usurpare præsumens.

397 Concilio Carthagini habito Hipponense Concilium roboratur. F

Sanctus Martinus Turonorum Episcopus post multas virtutes migravit ad Dominum anno ætatis 81. Episcopatus vero 26. cuius virtutes & vitam Sulpitius Severus egregio edidit stilo.

398 Sanctus Ambrosius Mediolanensis Archiepiscopus doctor Ecclesiæ mirificus ad Dominum migravit. Romæ Anastasius Papa X L I. sedit annos 4. In Africa Gildo Comes Africæ Mascezele Domino iuvante, pugnâ victus interiit.

399 Templa idolorum iussu Imperatorum in diversis partibus orbis destruuntur, & ludi gladiatorum tolluntur. Eutropius eunuchus qui hoc anno cum Theodoro consulatum invaserat honore & vitâ privatus interiit.

400 Gothi Alarico & Radagasio Regibus Italiam ingredientes devastant. Hoc tempore Anastasius Papa sua & Italiæ decreta constituit, inventos in urbe Manichæos damnavit, & Basilicam, quæ Crescentiana dicitur, viâ Mammertina construxit. G

401 Ioannes Constantinopolitanus & Theophilus Episcopi clarissimi habentur, sed adeo inter se discordes, ut molimine Theophili Ioannes in Pontum exilio relegatus sit.

402 Polleotiæ Romani, Stilicone Duce, contra Gothos, gravi utrorumque clade pugnantes, tandem victi terga vertunt.

Romæ Innocentius Papa X L I I sedit annos 14.

403 Carthagine concilium contra Donatistas habitum.

404 His temporibus Innocentius Papa plurima in Ecclesia constituit decreta & Ecclesiam Sanctorum Prothasij & Gervasij martyrum Romæ constructam dedicavit, & titulum in urbe constituit.

405 Romanis Duce Stilicone in Tuscia pugnantibus, Radagasios cum ducentis millibus Gothorum facili victoriâ, Deo donante, victus & captus est.

406 Wandali, Suevi, & Alani traiecto Rheno 3. Kalend. Ianuarij Gallias hostiliter ingressi.

407 Constantinus in Britannia tyrannide invasa ad Gallias transiit. H

408 Arcadius Imperator Constantinopoli moritur, relicto pro se filio Theodosio: cum quo demum huius patruos Honorius annis 15. regnavit. Stilico Dux fortis cum filio Euchenio ab Honorio Augusto occiditur.

409 Wandali Albani in die octavâ Hispanias occupant. Attalus Imperator Romæ per tyrannidem factus, & mox pulsus Gothis cohæsit.

410 Alaricus Rex Gothorum Romam obsedit, multásque cædes ibi & prædas faciens, locis tantum sacris, & ad ea profugis, quia Christianus erat, pepercit. Anno ab urbe conditâ 1164. Placidia soror Honorij Augusti à Gothis in urbe inter alios capta. Gothorum pars Venetiam captam possedit, & postea Ostrogothi vocati, & cum Romanis confœderati sunt.

411 Constantinus Tyrannus apud Relatum victus *Arelat.*

A ab Honorio captus est, & filiúsque eius Constans in Hispania à Gerontio comite peremptus, & Maximus ab eo in regnum levatus est. Constantinus ab Honorio Dux constitutus est. Alarico Gothorum rege mortuo, Ataulfus successit: qui placidiam captivam uxorem accepit. Pestilentia, fames, bestiæ, & gladius barbaricus miserum latè vastant & comprimunt orbem.

412 Maximo in Hispania regno ablato vita concessa est. Gothorum pars maxima rege Ataulfo Gallias ingressa. Heros sancti Martini discipulus Arelatensis Episcopus sanctus, innocens sede suâ pulsus est: & pro eo Patroclus ordinatus. Wandali & Suevi Galleciam, Alani Lusitaniam & Carthaginensem provincias, Silingi Bœticas sortiuntur.

413 Herodianus huius anni cum Lucio consul, novarum rerum in Africa seus, honore & vitâ privatur. Burgundiones partem Galliæ Rheno contiguam ob-
B tinuerant. * Lovinus & Sebastianus fratres, Galliæ tyranni, Narbonæ ab Honorio perempti sunt. His temporibus Pelagius Brito, adnitentibus Cælestio & Iuliano liberum arbitrium plus iusto extollentes, & hominem sine gratiæ Dei auxilio, proprio nisu, perfectum fieri posse asserentes fidem Christi & Ecclesiæ turbant. Eius hæresin sanctus Augustinus singulariter præ cæteris expugnat: & Papa Innocentius cum alus hæreticis condemnat.

414 Attalus Gothis auctoribus in Gallia tyrannidem invasit.

415 Gothi Hispanias petunt, quorum præsidio Attalus destitutus a Romanis captus est. Ataulfus rex Gothorum à quodam sociorum vulneratus interiit, & pro eo Wallia regium nomen invasit. Hierosolymis corpora sanctorum Stephani protomartyris, Gamalielis, & Nicodemi Luciano presbytero divinitus revelata inveniuntur, & innumeris miraculis glorificantur.

C 416 Wallia rex Gothorum pacem cupiens, filiam Ataulfi Placidiam fratri Honorio Augusto reddidit. Eius nuptias Dux Constantinus promeruit. Romæ Zosimus X L I I I. Papa sedit annis 3. qui sua etiam ad Ecclesiæ statum decreta promulgavit.

417 Honorius Augustus Romam triumphans ingreditur, Attalo currum eius præcedente, & postea in exilium misso. Quæstio & dissensio de huius anni Pascha sub Zosimo Papâ Romano. Constantius Fredibaldum regem Wandalorum, sine bello, arte captum Honorio Imperatori misit.

418 Carthaginiconcilio Episcoporum 217. collecto, & à Zosimo Papâ confirmato, Pelagius aliique hæretici damnantur. Eclipsis solis 14. Kalend. Augusti facta, & cometa abhinc usque ad mensem Septembrem visa. Pugna inter Gundericum regem Wandalorum & Ermenricum Suevorum regem facta.

419 Honorius Augustus Constantium Ducem in consortium imperij assumit. Romæ Bonifacius Papa X L I V. sedit ann. 4. cum quo ab aliis Papa ordinatur Eulalius: Quo ab Augusto eiecto, Bonifacius in sede firmatur: sua etiam decreta constituit, & Ecclesiam sanctæ Felicitatis & S. Silvani in urbe construxit. Constantius Imperator cum Wallia rege Gothorum pa-
D cem firmat, datâ ei cum aliquot urbibus ad inhabitandum Aquitantiâ secundâ.

420 Walliâ rege Gothorum mortuo Theodoricus successit. Bethlehem Hieronymus presbyter doctus & interpres incomparabilis scripturarum, anno ætatis 91. obiit. Alani à Gothis adeo cæde domiti, ut regio nomine neglecto, Gunderico Wandalorum regi se tuendos submitterent.

421 Constantius Imperator Ravennæ moritur. Bellum inter Wandalos & Gothos oritur.

422 Exercitus contra Wandalos, duce Castino, ad Hispanias Gothis auxilium mittitur, à quo offensus Bonifacius vir bellicosus secedens ad Africam se contulit. Wandali verò pene ad desperationem coacti, Castino incautè manum conferente victores effecti sunt.

423 Placidia Augusta à fratre Honorio pulsa cum filio Valentiniano ad Theodosium Augustum in orientem proficiscitur. Romæ Cælestinus Papa X L V. sedit ann. 9. qui plurima in Ecclesia fecit statuta, & Basilicam Iulij in urbe constitutam dedicavit. Honorius Occidentis Imperator Ravennæ moritur, & Ioannes Tyrannus regnum eius occupat. Theodosius Imperator Orientis post mortem patrui sui Honorij regnat annis 26. E

424 Theodosius Valentinianum amitæ suæ Placidiæ filium Cæsarem faciens, ad regnum Occidentis cum matre possidendum remittit. Ioannes Tyrannus Africam contra Bonifacium petiit.

425 Valentinianus cum matre Ioannem Ravennæ extinctum oppressit: regnum Occidentis recepit: Castinum Ioanni faventem exilio damnavit: Aetio patricio, qui Hunnus reverti fecerat, veniam dedit.

426 Patroclus Arelatensis Episcopus à tribuno quodam barbaro innocens trucidatus est. Gundericus rex Wandalorum Dei iudicio percussus moritur eique Gesericus tyrannus, Arrianusque hæreticus & Catholicorum crudelis persecutor successit. F

427 Bonifacius in Africa pollens duces quosdam contra se dimicantes occidit; contra quem evocatis barbaris, mare ad id tempus ignotum, pervium efficitur: unde gens effera Wandalorum de Hispaniis exclusa à Gothis freto traiecto Africam invadens: gladio, prædâ, & igne miserabiliter debacchatur: interfecto postea Ermengario rege Suevorum, postquam in Hispania 19. annis debacchati sunt.

428 Nestorius Episcopus Constantinopolitanus duas in Christo personas prædicans, hominemque purum ex virgine natum divinitatem postea accepisse affirmans a Cyrillo Alexandrino Episcopo & Papâ Cælestino hæreseos arguitur. Aetius comes Romanus multis Francis cæsis, partem Galliarum quam pervasam
tenuerant recepit. G

429 Aetius magister militum & patricius factus est.

Agricola hæreticus Pelagianista Britannias suo inficit errore. Vnde S. Germanus Antisiodorensis Episcopus à Cælestino Papa illò missus, hæresin expugnavit plurimisque saluti fuit.

430 S. Augustinus Hipponensis Episcopus, Ecclesiæ Christi & Catholicæ fidei propugnator & defensor invictissimus, in civitate sua à barbaris obsessus, cum inter ipsas obsidionis angustias pro Ecclesia sollicitus Iuliani argutiis pro gratiâ Dei oppugnans respondisset, ipse Dei gratiâ, ne ruinam suorum videret, subtractus 5. Calend. Septemb. migravit ad Dominum, anno ætatis 76. Episcopatus verò seu presbyteratus 40.

431 Tertia Synodus universalis 200. Episcoporum apud Ephesum congregatur sub Cælestino Papâ, ubi inter alias hæreses, Nestorius cum secta suâ damnatur. Palladius ad Scotos Christo credentes à Cælestino Papâ primus Episcopus mittitur.

432 Romæ Xistus Papa X L V I. sedit ann. 8. qui accusatus à Basso quodam, ventilatâ in synodo causa ab Episcopis 56. purgatus, & Bassus damnatus est. Boni-
facius de Africa reversus & magister militum factus H
cum Aetio pugnavit & vicit, & post paucos dies morbo absumptus est. Aetius verò inimicos fugiens, Dalmatias, Pannoniasque petiit & Hunnorum auxilio gratiam principum pristinamque dignitatem recepit.

433 Burgundiones Aetio pugnâ victi sunt hoc tempore. Xistus Papa Ecclesiam S. Mariæ, quæ Liberij dicebatur. & Ecclesiam S. Laurentij in vrbe construxit. Confessionem S. Petri itémque S. Laurentij adornavit. Valentinianus quoque Augustus Ecclesiis multa dona dedit, & confessionem sancti Pauli construxit. Petrus etiam Episcopus S. Sabinæ Ecclesiam fecit.

434 Wandali iam nono anno Africam infestantes pactum à Romanis postulant.

435 Pax cum Wandalis facta, data eis ad inhabitandum Africæ portione. Aetius Gundickarium regem Burgundionum bello obtinuit, supplicantique pacem

A concessit: qua tum non diu potitus à Hunnis cum gente sua peremptus est.

436 Gothi pacem turbantes inter alia mala Narbonam obsessam fame premunt, sed Littorius Dux Romanus superveniens & hostes vi repulit & civitatem advecto frumento fame liberavit.

437 Bellu ná Romanis contra Gothos Hunnis auxiliatoribus, geritur. Geisericus rex Wandalorum Arrianus Catholicos in Africa persequens quosdam Ecclesiis suis pepulit, quosdam exilio damnavit, quosdam etiam variis pœnis affectos martyrio coronavit. Barbari piraticam exercere aggressi. Valentinianus Augustus ad Theodosium Augustum avunculi sui filium Constantinopolim veniens, filiam eius accepit uxorem. Ermenricus rex Suevorum morbo oppressus Richilam filium pro se regem constituit.

B 438 Gothi Richilam regem Suevorum pugnâ victum thesauris spoliaverunt.

439 Iulianus Arelenensis Episcopus Pelagianista iactantissimus Ecclesiæ communioni surrepere tentans, à Xisto Papâ denuo damnatur. Romani Hunnis auxiliatoribus adversum Gothos & regem Theodoricum infaustâ pugnâ confligunt in Gallia; & Littorius Dux Romanos vulneratur, & post ab eis capitur & occiditur. Quibus tamen non multò post suppliciter petentibus, pax cum eis à Romanis pacta est. Ipso anno Aëtio & Romanis contra Gothos intento Geisericus rex Wandalorum, qui fidus & amicus Romani populi putabatur, dolo sub specie pacis 14. Calend. Novemb. Carthaginem cepit, cives & maximè nobiles trucidavit, opes omnes diripuit sacerdotibus cæsis & pulsis Ecclesias in usus suorum vertit, omniaque divina & humana iura confudit, ibique 37. anno regnum obtinuit, sub quo plurimi sanctorum martyrio ob fidem Catholicam coronati sunt.

440 Romæ defuncto Xisto Leo vir doctrinâ insignis & moribus Papa XLVII. sedit annos 12. Qui plurima ad utilitatem Ecclesiæ sublimiter scripsit & constituit, C Eutychianam & Nestorianam hæresim condemnavit: cuius tempore Demetrias ancilla Christi Romæ S. Stephani Ecclesiam fecit. Geisericus Siciliam pervasam graviter affligens timore Ducis ad Carthaginem tuendam rediit. Richila rex Suevorum Bœthicam provinciam, & Carthaginem, Hispaniam cepit.

441 Theodosius Imperator contra Geisericum & Wandalos per Duces suos bellum movet, sed ipsi negotium cunctando differentes Siciliæ magis oneri quam præsidio fuere.

442 Hunnis Thracias & Illyricum sævâ populatione vastantibus, exercitus contra Wandalos missus ad tuitionem Orientalium revocatur. Valentinianus Imperator cum Geiserico Rege Wandalorum pacem firmat. Africa inter utrumque certis spatiis divisa.

443 Sanctus Brictius Turonorum Episcopus decessit, cui S. Eustochius successit. Leo Papa multos Manichæos in urbe inveniens publicavit & libros eorum incendit.

444 Attila Rex Hunnorum Bledlam regem fratrem suum regnique consortem interemit, & eius regnum D populumqoc sibi subiecit. De huius anni Paschâ Proterius & Paschasios Leoni Papæ scribunt.

445 His temporibus Leo Papa inter alia bona Basilicas Apostolorum Petri & Pauli renovavit, & Ecclesiam S. Cornelij Papæ & martyris viâ Apiâ construxit.

446 Britanni ab Aetio & Romanis contra Scotos & Pictos auxilium implorant nec impetrant. Apud Ephesum septem dormientes, qui sub Decio multa pro Christo tormenta passi, in spelunca quadam obdormierunt, post annos 196. expergefacti sunt, & confirmata fide resurrectionis mortuorum iterum obdormierunt.

447 Euthices presbyter & Abbas Constantinopolitanus, confusa in Christo divinitatis & humanitatis substantia, unam in eo naturam dogmatizans, annitente Theodosio & Dioscoro Alexandrino Episcopo, resistentem sibi Flavianum Constantinopolitanum Archiepiscopum expulsum, usque ad mortem persequuntur, contra quam hæresim Leo Papa legatos misit. Richila Rex Suevorum moritur, eiqoc Richarius filius successit. E

448 Theodosius Imperator Leonem Papam pro defensione Euthicetis vocat, qui à populo Romano venire prohibitus, legatos pro se misit. Richarius Rex Suevorum ducta in coniugium Theodori Regis Gothorum filia, Wasconiam devastavit. Hoc tempore Angli Saxones à Britannis contra Pictos & Scotos auxilio ascati insulam petunt, & hostibus fugatis in socios arma convertunt; & post multa bella magna ex parte insula subacta potiti sunt.

449 Iterum Catholici ab imperatore Theodosio ad audientiam evocati. Attila rex Hunnorum Gallias aliasqoc circum provincias vastat, & arte Aetij magno inter eum & Gothos prælio concitato, Theodorus F Rex Gothorum cecidit eique Thorismodus filius eius successit.

450 Leo Papa legatos ad confutandam hæresin mittere curavit. Theodosius Imperator moritur, & à Placidia Augusta & Leone totoque senatu, ingenti pompa dedoctus in Mausoleo apud S. Petrum sepelitur. Pro quo Martianus Orientis imperium adeptus & 7. annis regnans Entichetem cum suis damnavit, sequentibus Placidia Augusta moritur. Romani Aëtio Duce Gothis auxiliatoribus, contra Attilam Regem Hunnorum grandi utrinque cæde pugnantes, in campo Catalaunico acie victum in superiorem Galliam fugere compellunt: Qui in regnum timidè reversus non multo post arma commovit in Italiam.

451 Attila recollectis visibus Aquileiam vi magna diu obsessam cepit, & circunquaque prædis & cædibus furibundus bacchatur. Ad quem Valentinianus Imperator Leonem Papam mittens pacem cum eo fecit, exercitusqoc eius fame, peste, morbo, cædibus insuper ab Aetio attritus eum reverti fecit.

452 Attila rex Hunnorum in ædibus suis moritur. Thorismodo Regi Gothorum perempto, Theodoricus G frater successit. Hoc tempore quarta Synodus universalis 630. Episcoporum Calcedone contra Eutychem & omnes hæreticos congregatur.

453 Valentinianus Imperator in palatio Aëtium patricium, qui multa pro populo Romano laboraverat, manu sua fraudulenter occidit, & à circunstantibus Boetius eius amicus interemptus est.

454 Valentinianus Imperator in campo Martio ab amicis Aetij peremptus interiit, pro quo Maximus invadens imperium infra duos menses à militibus interemptus & in Tyberim proiectus est, post quem Avitus in gallis auxiliis fidens Gothorum item imperium arripuit. Ipso anno Geisericus Rex Wandalorum de Africa traiiciens, Romam, quæ sine Imperatore erat, invasit, eamque opibus cunctis expoliavit.

Huc usqoc Prosper chronicam suam produxit.

455 Richario Rege Suevorum in Hispaniis vastationibus instante, consilio Aviti Theodoricus Rex Gothorum contra eum veniens inita pugna graviter cæde protrivit vulneratumque fugavit, & postea captum occidit; vastatáqoc impiè & crudeliter Hispaniâ & ipsa H quam possederat provinciâ, Suevus sibi subiugavit. Avitus Gothorum auxilio destitutus iubente Martiano Augusto Placentiæ imperium deposuit. Hoc tempore apud Francos mortuo Meroveo Rege filius eius Hildericus regnavit annos 24. Qui ob luxuriam regno pulsus in Turingiam fugit: sed astu Viomadi amici revocatus est.

456 Ab hoc anno Victorius Paschales ciclos inchoat, iubente Papa Hilario. Martiano Imperatore defuncto in Oriente, Leo Imperator annis 17. Romæque Maiorianus Imperator annis 4. regnavere.

457 Theodoricus Rex Gothorum multis in Hispania Ecclesiis & civitatibus vastatis Emeritam obsidet urbem. Suevi Maldram sibi statuunt Regem. Moiorianus Imperator contra Wandalos in Africam movet pro-

A cinctum. Theodoricus nuntiis territus, relictâ Emeritâ, Gallias repetit, & pace fucatâ, cæde furens Ecclesias, urbes, villas vastavit & incendit. Suevi Galliciam & Gothi Bœthicam provincias vastant.

458

459 Item Suevorum alij cum Maldra Rege Lusitaniam, alij cum Richmundo Galliciam deprædantur. Veruli Bœthicam invadunt. Maiorianus Imperator factâ cum Theodorico & Gothis pace contra Wandalos & Suevos suo eos ascivit auxilio.

460 Maldras Rex Suevorum occiditur. Suevi à Gothis prædati pacem postulant. Maiorianus Imperator Hispanias petens contra Wandalos paravit classem: Quæ tamen ab ipsis invasa & direpta est. Rursum cum ad Africam contra eos trancere moliretur, Geisericus territus pacem postulat. Maiorianus Romam reversus, cum R. P. disponeret, fraude Richimeris Patricij, Suevorum, ut aiunt, consilio peremptus est.

B 461 Severus Ravennæ à Richimere Imperator effectus, 4. annis regnavit. Atrabenus in Gallia Comes Theodorico Regi Gothorum confœderatus, Narbonam ei tradidit. Turonis beatus Perpetuus Episcopus factus est, qui Basilica beati Martini adauctâ, corporis eius translationem fecit. In Gallicia villæ, homines, & greges mirum in modum fulmine tacti comburuntur: & duo iuvenes concretis in unum adustione cadaveribus inveniuntur.

465 Romæ Hilarius Papa XLVIII. sedit an. 6. mensibus 3. Qui pro statu Ecclesiæ nonnulla decrevit & constituit, hæreses Eutychianam & Nestorianam damnavit, & multis metallis plures in urbe Basilicas ornavit, oratoriaque construxit, Monasterium S. Laurentij ad Balneas fecit, itemque aliud ad Lunam: & duas bibliothecas in urbe condidit.

463 Rex Alanorum Beorgot Italiam petens apud Pergamum à Richimere patricio pugnâ victus interiit.

C 464 Severus Imperator fraude, ut aiunt Richimeris, in palatio veneno interiit. Wandali per Marcellinum in Sicilia victi cæsique sunt & fugati.

465

466 Leo Imperator Anthemium de Constantinopoli ad tegendum Occidentis imperium Romam misit, quo suscepto regnavit annos 6.

467 Marcellinus in Sicilia occiditur. Tolosæ ubi sedes regni Gothorum erat: in medio civitatis sanguis è terra prorumpens tota die una fluxit.

468 Arabundus imperium tentans, iussu Anthemij Imperatoris, exilio deportatur. Romæ Simplicius Papa XLIX. sedit annis 15. mensibus 1. Qui Basilicam S. Stephani in Celio monte dedicavit. Item Basilicam S. Andreæ iuxta sanctam Mariam construxit. Item Basilicam Sancti Stephani iuxta sanctum Lautentium. Item Basilicam sanctæ Fabianæ iuxta palatium Licinianum.

469 Romanus Patritius imperium affectans capitaliter punitus est.

D 470 Constantinopoli Aspar affectata tyrannide à Leone Imperatore occidi iussus est. In Gallia sanctus Remigius antequam nasceretur cælitus prænuntiatus est. A cella, in quam, se adulescentulus, Deo militans incluserat, vl abstractus Remorum Archiepiscopus ordinatur.

471 Romæ Richimer patricius Olybrium faciens Imperatorem, Anthemium Imperatorem, contra ius affinitatis & imperij, cum gravi clade urbis occidit, sed non diu scelere lætatus ipse 40. post die, & Olybrius 7. mense vitam exegerunt.

472 Gundebaldo hortante Glycerius Ravennæ sumpsit imperium. Constantinopoli Leo Imperator Leonem nepotem suum imperij consortem fecit.

473 Constantinopoli Leo senior Imperator obiit: post quem Leo iunior paucis mensibus regnans, & ipse decessit, & post hunc Zeno Imperator factus regnavit annis 17. Romæ quoque Glycerio nepos in imperio successit.

E 474 Romæ Orestes patricius nepote Imperatore in Dalmatias fugato, filium suum Augustulum Imperatorem constituit.

475 Odoacer rex Torcilingorum & Rugorum, cum multis barbarorum auxiliis pervasa Italia, Romam obtinuit anno à conditione eius 1230. Orestem & Paulum patricios occidit. Augustulum Imperatorem exilio damnavit, & pro eo regis nomen arripuit, cum tamen nec purpura nec regni insignibus uteretur.

476 Odoacer possessa Roma maximam Italiæ partem sibi subiugavit.

477 Geisericus Rex Wandalorum post 37. & paulo plus invasæ Carthaginis annos, tandem moriens tyrannidi suæ finem fecit. Post quem non melior filius Hunericus regnavit annos fere 8.

F 478 Huius tempore Zenonis Imperatoris, corpus Barnabæ Apostoli, & Evangelium Matthæi Evangelistæ, stilo ipsius scriptum, ipso revelante, inuentum est.

479 His temporibus Simplicius Papa Petrum Alexandrinum Episcopum hæreticum Eutychianum ab Acacio Constantinopolitano accusatum damnat.

480 Hoc tempore mortuo Hilderico Rege Francorum, Ludovicus filius eius, quem Clodoveum dicunt, regnavit annis 30.

481 Odoacer Romæ regnans in Dalmatia Odiciam Regem vicit & peremit.

482 Theodoricus Theudmari filius Rex Ostrogothorum, vel qui olim remanserant in Italia Gothorum, Zenoni Augusto familiaris effectus cum suis ei Gothis militavit.

483 Zeno Augustus Theodoricum huius anni consulem & magistrum militum fecit. Romæ Fœlix III. Papa L. sedit annis fere 9. qui Basilicam beati Agapiti iuxta sanctum Laurentium construxit. Cirola Arrianus Episcopus in Africa adversus Eugenium Carthaginensem Archiepiscopum aliosque Catholicos miraculis claros, zelo ductus quendam è suis pecunia corruptum cæcitatem simulare iussit, ut eum coram Rege G se invocantem, quasi per fidem suam illuminaret: cui cum coram omnibus manus imposuisset, vera mox divinitus cæcitate percussus dolum aperuit, conversusque à sanctis Episcopis Eugenio, Vindemiale & Longvvino rursum illuminari promeruit. Ab hoc Cirola Hunericus Rex instigatus Catholicos persequitur, & plurimis martyrio coronatis ipsum Eugenium cum 334. Episcopis exilio relegavit & Catholicas Ecclesias clausit.

484 Hunericus Rex Wandalorum divinitus percussus, scatens vermibus, expiravit. Postquem fratris eius filius Gundamundus regnavit annis fere 11. qui non multo post Eugenium Episcopum revocavit. Ludovvicus Rex Francorum iuvante Raganhario cognato suo, Siagrum Regem Galliæ Egidij filium, bello victum, ad Alaricum Regem Gothorum fugere compulit, sibique redditum occidit & totum regnum illius ac thesauros sibi subiecit.

H 485 Hoc tempore Achacius Constantinopolitanus hæresi savens, Petrum Alexandrinum revocat: quo audito Fœlix Papa utrumque cum sequacibus erroris condemnat.

486 Odoacer Fœbam, qui & Feletheus, Regem Rugorum vicit & apprehendit.

487 Gundamundus Rex Wandalorum Carthagini Ecclesiam sancti Agilei Catholicis reddidit, petente sancto Eugenio Episcopo.

488 Theodoricus Rex Ostrogothorum permissu Zenonis Augusti Italiam petit, cui apud Isoncium Odoacer occurrens bello conflixit, & victus aufugit; & iterum recollectis viribus Veronæ acie congressus, denuo victus & fugatus est

489 Theodoricus ad fluvium Adduam Odoacrum tertio certamine vicit, fugientemque apud Ravennam obsedit. Ludovvicus Rex Francorum Turingos petens gravi eos cæde prostravit: ipsos cum terra eorum sibi subiecit.

A

490 Odoacer noctu à Ravenna cum Berulis egressus, collectis viribus, quarto cum Theodorico conflixit, & itidem victus captusque ab eo est. Ipso anno Gundamundus Rex Wandalorum pacem cum Romanis fecit. Constantinopoli Zeno moritur Imperator: post quem Anastasius imperium Orientis 28. annis tenuit. Hoc tempore Ludovicus Rex Francorum, intercurrente Aureliano legato suo, de Burgundia Bruodhildem uxorem Christianam accepit, filiam scilicet Hilperici, quem frater suus Gundobaldus cum uxore & filiis trucidaverat.

491 Romæ defuncto Felice Papa concilium à presbyteris & diaconis actum.

B

492 Theodoricus Ravennæ Odoacrum insidias sibi molientem peremit, ac ipse Occidentis imperium 30. annis obtinuit. Romæ Gelasius Papa L I. sedit annis 4. mensibus 7. vir doctus & pius, qui pro Ecclesiæ statu nonnulla decreta fecit: multa sublimiter scripsit: hæreticos damnavit: clerum Romanum auxit: pauperes dilexit: ipse dedicavit Ecclesiam sanctæ Eufemiæ Tiburtina urbe aliasque Basilicas sanctorum Nicandri, Eleutherij & sancti Andreæ via Lavicana: fecit etiam Basilicam sanctæ Mariæ.

493 His temporibus in Africa beatus Fulgentius Episcopus, qui Ruspensem 26. annis rexit Ecclesiam, doctrinâ & actibus clarus effulsit: qui etiam ipse plurima inter alios Catholicos mala & exilia perpessus. Hac etiam tempestate Ludovicus Rex Francorum Gallias usque Sequanam & deinde usque Ligerum fluvios suo regno subegit. Hunc multâ instantiâ Bruodhildis uxor sua ad fidem Christi cohortatur. Gundamundus Rex Wandalorum, persuadente Eugenio Episcopo, tandem post 10. annos omnes Catholicos Episcopos de exilio revocavit, & diu clausas Ecclesias, pace redditâ, aperuit. Ludovicus Rex Francorum contra Alamannos pugnans, cum exercitus eius periclitaretur, Deum cœli invocans & suam fidem Christo vovens, ipso iuvante, Alamanos subiugavit.

C

494

495 Ludovicus Rex Francorum seu Clodoveus, instante Bruodhilde coniuge suâ, à sancto Remigio Remensi Archiepiscopo fide Christi imbutus cum gente sua baptizatur.

496 Gundamundo Rege Wandalorum defuncto, Trasamundus 26. paulò plus annis regnat pro eo. Qui item Catholicis infestus Ecclesias post aliquot annos clausit, & inter alios persecutionis labores 240. Episcopos exilio in Sardinia & aliis insulis afflixit.

497 Boëtius patricius & consul multa his temporibus ingenij sui in seculari philosophia excellenter edidit: Romæ Anastasius Papa L I I. sedit annis fere 2. hic Confessionem sancti Laurentij exornavit. Et quia quibusdam communionem clam reddere velle videbatur, quidam se ab eius communione sequestrant.

498 Isauri occiso Lilingo duce suo, ab Anastasio Imperatore victi trucidati sunt. Hoc tempore Ludovicus Rex Francorum Gundebadum & Godegiselum fratres, burgundionum Reges, pugnâ fugavit, & Gundebadum Avenione obsessum tributarium fecit, & cum magna prædâ rediit.

D

499 Theodoricus Rex Romæ & alibi multa per hæc tempora mirifica construxit ædificia. Romæ Symmachus Papa L I I I. sedit annis 15. mensibus fere 8. cum quo simul per nimiam dissensionem ordinatus est Laurentius: & magna Romæ inter clerum & populum discordia facta: donec iudicio Theodorici Regis & maioris multitudinis, Symmachus in sede confirmaretur.

500. Symmachus Papa Romæ Synodo actâ inter alia Laurentium æmulum suum Nuceriæ Episcopum constituit.

501 Theodoricus rex aquæductum Ravennæ fecit. His temporibus S. Mamertus Viennensis Archiepiscopus virtutibus claruit, qui propter luporum & ursorum immanitatem aliasque plagas, triduanas ante ascensionem Domini Litanias primus instituens, Domini misericordiam plagarumque cessationem promeruit.

E

502 Theodoricus rex victis Vulgaris, Sirmium regno Italiæ restituit.

503 Quidam ex Romanis Symmachum falso criminantes, & apud regem accusantes, Laurentiumque revocantes, magnum Schisma fecerunt: Et Petrus Altinæ urbis Episcopus, permissu Theodorici, Sedem Apostolicam invasit.

F

504 Synodo C X V. Episcoporum collectâ, beatus Papa Symmachus de illatis purgatur, & sedi suæ cum gloria restituitur, & pervasores sedis eius Laurentius Nucerinus, & Petrus Altinas condemnantur. Ludovicus rex Francorum per suffragia S. Petri sanctique Martini & aliorum sanctorum divinum implorans auxilium Gothos petiit, eosque iuxta Pictaviæ urbem in campo Voglensi pugnâ vicit, & regem eorum Alaricum, qui iam 22. annis regnabat, occidit regnumque eius, quod in Galliis habebat ac thesauros accepit. Almaricus vero filius Alarici fugiens, regnum patris sui in Hispaniis recepit.

505 Ludovicus rex Francorum Parisiis B. Petri Basilicam ædificat.

506 Hoc tempore Ludovicus rex Francorum Ragneharium, cognatum suum regnique participem, ignavum & luxuriosum, à suis proditum, bello fugavit, victum & comprehensum suâ manu cum fratre Richario occidit, & eius sibi populum subiecit. Theodoricus rex Italiæ contra Francos in Galliam exercitum misit.

507 His temporibus Romæ iterum dissensione contra Symmachum Papam & Ecclesiam ortâ, nonnulli ex parte eius fustibus & diversis plagis afflicti, nonnulli trucidati & necati, & multa indigna & nefaria contra Ecclesiam & religionem commissa sunt.

G

508 Hoc anno Romæ Boëthius vir eruditissimus consulatum administravit.

509 Ludovicus, qui & Clodoveus magnus Francorum rex, post multas victorias totam pœne Galliam possidens, Parisius, ubi regni sedem instituit, moritur, & in Basilica S. Petri à se constructâ sepelitur anno regni 30. post transitum S. Martini, ut in gestis Francorum habetur, anno 112. post quem quatuor filij eius, diviso regno, Theodoricus Mettis sedem habens 23. cum strenuo filio suo Theodeberto regnavit; Chlodomeris, Aurelianis; Hildebertus, Parisiis; & quartus Lotarius Suesionis sedem statuens, ann. 51. regnavit. Horum soror Bruodhildis, æquivoca matris & æque religiosa, Almarico regi Gothorum Arriano in Hispaniis nupsit, materque vidua apud S. Martinum Turonis in orationibus & eleemosynis permansit.

H

510 His temporibus Symmachus Papa inter alia bona Manichæos in urbe inventos damnavit. Ecclesiam S. Andreæ ad S. Petrum construxit. Oratorium sancti Thomæ, Confessionem sancti Cassiani, itemque sanctorum Proti & Iacinthi, Oratorium S. Apollinaris, itemque S. Sossij, item S. Crucis, item S. Ioannis Baptistæ, item S. Ioannis Evangelistæ. Basilicam S. Petri & porticum marmore stravit & multis modis ornavit. Xenodochia instituit, & singulis annis Catholicos à Trasamundo rege Wandalorum Arriano per exilia dispersos alimoniâ & vestibus iuvit. Construxit etiam Basilicam B. Agathæ, viâ aureliâ, item S. Pancratij, item sancti Sylvestri, item S. Martini, item S. Cosmæ & Damiani, & alias nonnullas struxit, renovavit, & ornavit.

511 Hoc tempore reges Francorum Clodomeris, Hildebertus, & Lotharius Burgundiorum reges Sigismundum & Gotdmarum petunt, & pugna victos fugant. E quibus Sigismundus rex religiosus ad sanctos Agaunenses confugiens, insequente Clodomere ibidem captus, & Aurelianis in carcerem missus, unà cum uxore & filiis trucidatus est: & secuto tempore Clodomeris iterum Burgundiones petens pugnâ fugavit, & ipse inter hostes equo delatus ab ipsis iugulatur;

A gulamr; & Burgundia à Francis fubiugatur

512 Almaricus rex Gothorum in Hifpaniis Arrianus Hrodhildem uxorem fuam Catholicam multis modis afflixit. Qui poftea à fratre eius Hildebetto pugnâ victus eft, & peremptus & pro eo Theuda regnavit.

513 Caffiodorus huius anni conful fuit, qui poftea converfus & monachus factus, cœnobium conftruxit, & in feculari divinâqoc literaturâ clarus effulfit. Pfalmus expofuit, libros inftitutionum & chronica fecit. Romæ tandem diffenfione ceffante inter clerum & populum, optata rediit concordia: & Symmachus Papa beatus obiit.

514 Theodericus rex Italiæ filiam fuam Amalfuindam Eutharico Ciliciæ in matrimonium iunxit. Romæ Ormifda Papa L I V. fedit annos 9. qui inter alia bona Eutychianos itemque Manichæos damnavit: clerum B erudivit, Bafilicas adornavit.

515 Hoc tempore Vitalianus quidam fervus, dignitatibus elatus, Anaftafio Imperatori rebellat, & Scythis adiunctis, crebris præliis milites eius victos fugans, magno Romano populo dedecori & detrimento fuit.

516 His temporibus Ormifda Papa pro fide Catholica ad Imperatorem Anaftafium Conftantinopolim legatus mittens, & nihil proficiens, alius itidem cum Epiftolis legatos mittit: quos cum Anaftafius corrumpere non poffet, deputavit exilio: & inter alia domno Papæ refcripfit, dicens: Nos iubere volumus non iuberi.

517 His temporibus rex Francorum Danos fe invadentes per filium Theodebertum unà cum rege fuo ad internecionem delevit.

518 Anaftafius Imperator cum herefi Eutychetis faviffet & Catholicos perfequeretur, fulmine ictus interiit, maior octogenario: pro quo Iuftinus Imperator Catholicus Conftantinopoli regnavit ann.8. qui nonnullos imperio inhiantes & cum Vitaliano tyranno pace prius factâ eundem poftea peremit.

C 519 Iuftinus Imperator Auguftus legatos Apoftolicæ fedis ab Orfmifdâ Papâ Conftantinopolim pro fide miffos fummo honore fufcepit, eifque in damnatione hærefeos per omnia confentaneus plurima per eos donaria Romam mifit.

520 Hac tempeftate Theodoricus rex Francorum cum filio Theodeberto Thuringos petens, immenfa eos cæde protrivit, & Ermensfsidum regem eorum fugavit; quem poftea fide datâ ad fe venientem fufcipiens, è muro præcipitavit, & filios eius occidi fecit.

521 Iuftinus Auguftus hæreticis infeftus Arrianos etiam Conftantinopoli perfequitur. Vnde iratus Theodericus rex Italiæ Arrianus exitium in Italia Catholicis minatur.

522 In Africa mortuo tandem Trafamundo rege Wandalorum Arriano, Heldericus pro eo regnavit ann.8. qui ftatim in principio regni Ecclefias diu claufas aperuit & omnes Catholicos de exiliis revocare ftuduit & optatam Ecclefiæ pacem reftituit.

523 Romæ Ioannes Papa L V. fedit annos 2.menfes 9. D qui cœmeteria in urbe reftaurans & aliis bonis inftans à Theodorico Conftantinopolim Legatus mittitur, & fummo honore & gaudio à Iuftino Augufto & cunctis civibus fufceptus ad portam, quæ dicitur aurea, cæcum illuminat: & coronato à fe Augufto Iuftino, & pro quibus venerat impetratis, donariis & muneribus donatus revertitur.

524 Theodoricus rex Gothorum & tyrannus Romanorum inter alia mala Boëtium patricium & philofophum diu carceratum occidit, nec poft multum tempus focerum eius Symmachum patricium itidem peremit, Ioannemque Papam beatum de Conftantinopoli revertentem Ravennæ unà cum comitibus carceris afflictione necavit 15. Cal.Iunij: qui non multo poft Romam relatus apud fanctum Petrum fepultus eft.

525 Theodoricus tyrannus poft 7. menf. ab obitu Papæ Ioannis poft multa mala fua, Dei iudicio fubitâ morte Ravennæ interiit, &, ficut folitario cuidam revelatum eft, à Ioanne Papâ & Symmacho patricio in ollam Vulcani coniectus eft, anno regni Italici 32. poft quem nepos eius Athalricus puer cum matre fuâ Amalfuindâ regnavit ann. 8. Romæ Felix I V. Papa L V I. fedit annos 4. menf. 2. qui fecit Bafilicam fanctorum Cofmæ & Damiani viâ facrâ, & beati Saturnini viâ falariâ. E

526 Conftantinopoli Iuftinus Imperator Iuftinianum regni conforrem & fucceiforem faciens, obiit: pro quo Iuftinianus ex forore nepos eius imperavit an 38.multâ pietate & prudentia confpicuus, nifi in quibufdam hæreticis faviffet.

527 Iuftinianus Auguftus Belefarium amicum fuum principem militiæ fecit, per quem & de Parthis triumphavit, & magna ex parte R. P. recuperavit. Gens Winilorum five Longobardorum rege Oduvino Pannoniam invafit ibique habitare cœpit. F

528 His temporibus B. Abbas Benedictus immenfa virtutum gloriâ claruit. Prifcianus quoque Grammaticus.

529 Exercitus Romanus fabbato Pafchæ à Parthis fuperatur.

530 In Africa occifo male Helderico Rege Wandalorum Catholico, Geilamer regnum invadens, tanta feritate in Catholicos, & in omnes debacchatur, ut nec parentibus fuis parceret. Romæ Bonifacius I I. Papa L V I I. fedit annis 11. menfe ferme uno: cum quo per diffenfionem ordinatus eft Diofcorus, & paucis poft diebus mortuus: Quem tamen Bonifacius collecta Synodo damnare molitus eft.

531 Bonifacius Papa Vigilium Diaconum in fynodo poft fe Papam eligi fub chirographo decrevit, quod tamen poftea refcindens, quod contra Canones erat, combuffit. Ipfe in periculo famis clerum & pauperes alimonia iuvit.

532 Ab hoc anno, fcilicet, Iuftiniani Imperatoris fexto, Dionyfius Romanus Abbas utriufque linguæ peritiffimus, cyclum magnum Pafchalem inchoat: qui iam femel ab incarnatione Domini in annis 532. exactus, totidem ipfe annos continet. Incipit autem à primo Diocletiani anno, unde Græci clycos fuos inchoabant cyclis decennovenalibus 13. exactis, id eft, ann. 242. Romæ Ioannes I I. qui & Mercurius, Papa L V III. fedit ann. 2. menfibus 4. Ad hunc Iuftinianus Auguftus de fide fua litteras & donaria fancto Petro tranfmifit. Theodoricus rex Francorum anno regni 23. moritur, & Mettis fepelitur: pro quo filius eius Theodebertus regnavit ann.14. G

533 Romæ mortuo Atalarico Rege Gothorum Amalfuinda Theodatum in confortium regni affumit, qui ipfam non multo poft occidi iuffit, & regnum fibi foli ufurpavit.

534 Belefarius patricius à Iuftiniano Imperatore miffus Wandalorum gentem in Africa bello victam delevit: Geilamerum regem eorum captum Conftantinopolim abduxit & Carthaginenfibus Rempub. reftituit poft annos 94. ex quo à Geiferico capta eft. Geilamer quoque poft aliquot annos à Iuftiniano Augufto comes effectus & in terminos Parthorum ad eos arcendos conftitutus eft. H

535 Romæ Agapitus Papa L I X. fedit anno fere uno. Hic à Theodato Tyranno pro gratia Iuftiniani Augufti propter occifam Amalfuindam fibi infenfi Conftantinopolim miffus conftanter cum Augufto pro fide Chrifti decertavit, Anthemium eiufdem urbis Epifcopum hæreticum convictum damnavit, & in locum eius, favente Augufto, ordinavit Mœnam; ipfeque ibidem morbo tactus obiit, & in loculo plumbeo Romam relatus ad fanctum Petrum fepultus eft.

536 Romæ Silverius Hormifdæ Papæ dudum filius, contra voluntatem Clesi à Theodato tyranno pecunia corrupto, L X. Papa violenter promotus fedit ann. 1. menfibus 5. Theodatus tyrannus abhinc poft 2.menfes à Wittigifo peremptus & Witigis rex Gothorum factus eft.

A est. Belesarius patritius à Iustiniano Augusto in Italiam contra Gothos missus per Siciliam transiens & Fuderat Ducem eius vincens Africamque de tyrannis eius eruens Neapolim transfretavit, ipsamque urbem sibi resistentem obsessam vi cœpit, & tam cives quam Gothos nulli parcens trucidavit. Inde cum Romam ingressus esset, Gothi omnes, qui ibi fuerant, nocte egressi Ravennam fugientes petierunt, quos insecutus conserto prælio 10.0. ex eis occidit. Witigis vero collecto grandi exercitu Belesarium in benque Romam uno anno obsedit, omniaque circum devastans, urbem bello fameque graviter oppressit: postea vero egresso Belesario pugnâ commissa victus Ravennam aufugit. Fames tanta facta est, ut in Liguria quædam mulieres parvulos suos comederent.

537 Sylverius Papa cum in restitutione Anthemij & B communione hæreticorum Augustis noller parêre, missu ipsorum ab Belesario patricio falso criminatus, & secreto positus, monachique babitu indutus, indictione 15. à Vigilio diacono exilio afflictus & deficiens 12. calendas Iulij post obitum etiam miraculis claruit, ipseque Vigilius Papa L X I. ordinatus, sedit annos 17. menses 7. Ipsis diebus Belesarius Theodebertum regem Francorum cum grandi exercitu Italiam ingressum vicit, & inde reverti coëgit. Ipse Romæ S. Petro dona obtulit.

538 Belesarius patricius commissa cum Gothis pugnâ iterum victor, Witigisum regem eorum in ipsa fuga à Ioanne sanguinario magistro militum comprehensum, & Romam adductum, ipse & Vigilius Papa Constantinopolim cum uxore & thesauris ad Iustinianum Augustum perducunt, à quo patricius & Comes factus in oriente contra Parthorum seu Persarum excursiones constitutus ibidem vitam finivit. Gothi in Liguria manentes Hellebadum sibi regem elevant, iterumque Romanis rebellant.

C 539 Parthi ruptâ pace Antiochiam totamque Syriam invadentes devastant, donec à Belesario tandem repulsi ad terminos suos rediere. Posteaque à Martino Duce pax cum eis facta est, Belesario ad Italiam contra Totilam revocato. Gothi Hellebado post primo anno perempto Errarium regem faciunt.

540 In Italia occiso post 1. annum Errario rege Gothi Totilam qui & Badnila dictus est, regem sibi statuunt; qui successibus bellorum fretus, Romanum exercitum Ducesque aliquoties superavit, & per multos annos Italiam totam ipsamque urbem Romam captam pluribus malis attrivit & vastavit.

541 Totila per hæc tempora apud Faventinum Æmiliæ oppidum Romanum exercitum superat; nec multò post iterum Romanus duces fugans partim vi partim donis exercitum sibi consocias & tyrannidi instans ipsam etiam Romam & Campaniam vastat.

542 Horus Iustiniani temporibus corpus sancti Antonij monachi divinitus revelatum, ad Alexandriam translatum, in Ecclesia S. Ioannis Baptistæ tumulatum. Hoc etiam tempore V I. Synodus universalis Constantinopoli contra Theodorum & omnes hæreticos sub Vigilio Papâ collecta est.

D 543 Per hæc tempora cum Belesarius à Parthorum finibus ad auxilium Italiæ revocatus & diu impeditus, tandem cum classe Romam iam pœne vastatam ingressus esset, Totilæ super irruentem exercitum commisso prælio fudit, & in Tiberi mersit ipsumque in Campaniam repulit. Hoc tempore Benedictus Abbas cum discipulum suum Maurum ad Gallias transmisisset, migravit ipse post multas virtutes ad Dominum.

544 Sanctus Remigius Remorum Archiepiscopus & gentis Francorum apostolus anno Episcopatos 74. idibus Ianuarij plenus virtutibus migravit ad Dominum. Arator Subdiaconus Romanus librum suum, quem de Actibus Apostolorum heroico metro edidit, Vigilio Papæ oblatum publicè cum magno fervore recitavit.

E 545 Hoc tempore cum Belesarius à Sicilia iusso Augusti Constantinopolim revocatus esset, Totila iam securus iterum Romam invasit, & secuto tempore collectis viribus Siciliam etiam invasam cepit totamque Romanis, qui diversis occasionibus subducti erant, devastat Italiam.

546 Theodebertus rex Francorum strenuus & fortis moritur & filius Theodbaldus multum patre nequior & ignavior pro eo regnavit ann.7.

547 His temporibus Vigilius Papa cum ad consensum hæreseos & restitutionem Anthemij Episcopi nullatenus adduci posset, iussu imperiali Romæ vi captus & Constantinopolim perductus, cum constanter in incepto perstitisset nec Augustis cessisset, cum Comitibus affectus & exilio adductus, & per annos aliquot graviter afflictus est.

F 548 Per hæc tempora Iustinianus Augustus inter magnifica Basilicam Salvatoris, quæ Agiæ Sophiæ dicitur, incomparabili opere construxit: ipse leges Romanas infinitas abbreviatas collegit & leges, quæ Iustinianæ dicuntur, composuit.

549 Hoc tempore gens Gepidorum à Rege Albuino & Longobardis, qui in Pannonia tunc habitabant, prælio victa & pœne deleta est. Et Chunimundus Rex eorum occisus est, de cuius capite auro incluso Alboni sibi Pracıam fecit, filiamque eius Rosmodam inter alios multos captivam, postea defunctâ coniuge, Lodharij Regis Francorum filia, in sui perniciem duxit uxorem.

550 Victor Episcopus Capuanus de huius anni Pascha scribens, erroneos Victorij cyclos arguit. Hoc tempore Totila rex Gothorum iterum Romam obsessam & fame nimis oppressam cepit: & quibusdam senatoribus Constantinopolim fugientibus Severus urbem possedit.

Hucusque Iordanis Episcopus Chronica sua de gestis Romaoorum abbreviata perduxit.

G 551 His temporibus in Africa Mauri per Ioannem patritium domiti sunt.

552 Hoc tempore Iustinianus Augustus Narserem Eunuchum Carthularium & cubicularium suum principem militiæ fecit, & in Italiam misit, qui commissa pugnâ, Dei gratiâ, victor Totilam regem occidit & gentem Gothorum, auxiliantibus etiam Longobardis, in Italia exterminavit. Per hæc etiam tempora cum Bucellinus Comes cum sociis à Theodeberto rege Francorum dudum missus per annos aliquot Italiam Siciliamque infestaret & Romanum sæpe exercitum superaret, tandem exercitus eius profluvio ventris attritus & attenuatus, à Narsete pugnâ victus & profligatus; ipse dux occisus est: nec multo post socius eius Amingus Dux cum reliquis Gothorum, quibus se iunxit, peremptus est.

553 Theodbaldus Rex Francorum moritur, & regnum eius Wanderadam Hlotarius rex patris eius Theodeberti patruus accepit, qui iam 44. anno regnabat. Ipso H anno Hlotharius ipse Saxones rebellantes iuxta Wiseram fluvium magnâ cæde domuit & Thuringam pervasam devastavit.

554 Vigilius Papa tandem, impetrantibus Romanis & Narsete, de exilio revocatus, cum Romam redire cœpisset, in Sicilia morbo calculi tactus decessit: sed tamen Romam relatus apud sanctum Marcellum viâ salariâ sepultus est: pro quo ordinatus Pelagius Papa L X I I. sedit annos 11. mensibus 10. qui à Pop. Rom. factionis contra Vigilium incusatus, celebratis unà cum Narsete litaniis apud sanctum Petrum, ambone ascenso Evangelioque super caput suum posito, iuramento se crimine purgavit.

555 Hoc tempore Saxones iterum Hlodhario rebellantes, cum ab eo peterentur hostiliter eique pro satisfactione dimidium rerum suarum offerrent, idque exercitus Francorum refutans, eo invito pugnam iniisset, magna ab eis cæde protritus fugæ præsidium petiit.

A 556 His temporibus Chramnus Patri sun Hlodhario annitente patruo Hildeberto rebellans, regnum Francorum domesticâ seditione perturbat. Saxones factione Hildeberti in Francia prædas egerunt. Hildebertus Remensem Campaniam populatur.

557 In Britannia Briditus Rex Pictorum efficitur. Hildebertus Rex Francorum circa hæc tempora moritur, & Parisiis in Basilica S. Vincentij à se constructa sepelitur. Regnúmque eius Hlodharius frater assumens, totam paterni regni Monarchiam obtinuit.

558 Chramnus patrem Hlotharium, quem multis malis offenderat, hoc tempore in Britanniam fugiens, insequente eo ibidem cum Conobru Rege ibidem victus & captus, cum uxore & filiabus vivus incensus est. Quo etiam tempore Turonis Basilica sancti Martini, rebellibus ad eam confugientibus, igne crematur.

559 Lotharius Rex de sceleribus & peccatis suis pœ- B nitentiam agens Basilicam sancti Martini hoc tempore studiose reparans, stanno texit. Sanctus Medardus Episcopus plenus virtutibus migravit ad Dominum, & à Hlodhario Rege Francorum Suessionis magnâ cum gloria sepultus est.

560 Hlodharius major filius Clodovei magni, Rex Francorum anno regni 51. Compendij moritur, & Suessionis apud sanctum Medardum sepelitur. Post quem quatuor filij eius diviso regno, Sigebertus Metis & Remis sedem habens, annis 14. Haribertus Parisiis, Hilbericus Suessionis, 25. annis regnavit. Guntrammus Aurelianis & in Burgundiâ, 33. annis regnavit.

561 In Britannia Edilbertus Rex Anglorum regnavit annis 56. Hunni cum Rege suo Chagano Gallias petentes à Sigiberto Rege pugnâ victi & humiliati, vix impetratâ pace, fœdere pacto redierunt.

562 Hilpericus Rex regnum fratris sui Sigiberti & urbem Remensem invasit, Campaniámque vastavit. C Quo audito Sigibertus à Hunnis reversus è contra Suessionis urbem cepit: Theodebertum filium Hilperici ibidem captum in exilium misit ipsumque Hilpericum pugnâ victum fugavit, & civitates suas recepit. Postea vero accepto ab eo pacis Sacramento filium ei reddidit pacémque cum eo firmavit.

563 Haribertus Rex libidini deditus cum Gobergâ uxore suâ repudiatâ duas ancillas germanas sibi in matrimonio iunxisset, à suo germano Parisiorum Episcopo excommunicatus, non multo post interiit. Quo etiam tempore Sigibertus Rex Brunam, quæ & Brunihildis, filiam Athanagildi Regis Gothorum de Hispanis uxorem accepit, & secuto tempore Hilpericus frater eius Hielsvvindam, sororem Brunæ, conjugem accepit, quam postea suasu Fridegundis concubinæ noctu strangulavit: cuius etiam astu Audoveram Reginam commatrem suam factam repudiavit, & multa mala fecit.

564 Constantinopoli Iustinianus Imperator anno im- D perij 38. decessit: pro quo Iustinus minor ann. 11. regnavit, homo iniquis ultra modum deditus. His temporibus immensa pestilentia & mortalitas totam Italiam & maxime Liguriam incredibiliter vastavit.

565 Sáctus Columba presbyter & Abbas de Hybernia veniens Britannis verbum Dei prædicat. His temporibus Narses patricius Sinduvaldum Regem de reliquiis Herulorum in Italiam sibi rebellantem pugnâ vicit, & captum altâ trabe suspendit. Qui divitiis auctus magnam à Romanis passus invidiam apud Augustum criminatus, & ad id adductus est, ut relictâ Româ in Campaniam* subsecuri secederet, eique Longinus successor in Italiam mitteretur.

566 Romæ Ioannes LXIII. Papa, sedit ann. fere 14. Qui Ecclesiam Philippi & Iacobi Apostolorum, quam decessor eius Pelagius ceperat, perfecit & dedicavit.

567 Narses Eunuchus & Patricius, qui Italiam à Gothis aliisque hostibus liberaverat, & multum pro Republ. laboraverat, à Iustino Augusto & Sophiâ uxore eius iniuriis lacessitus, Longobardos, qui in Pannoniis E habitabant, ad vastandam & possidendam Italiam innitavit, missis eis de ubertate Italiæ fructibus terræ & muneribus. Multa prodigia & præcipue igneæ acies in cœlo visæ, sanguisque coruscans Italiam terrent.

568 Longobardi Rege Alboino mense Aprili Venetiam & fines eius ingressi sunt, eámque, paucis civitatibus exceptis, captam subiicientes; apud Aquilegiam seu forum Iulij electam partem copiarum cum Duce Gihulfo relinquentes, ad totam Italiam capiendam animos intendunt. Ingens hoc anno cecidit nix, & insolita frugum copia subsecuta est.

569 Hoc tempore Hunni ruptâ pace iterum Franciam petentes, dolis instructâ Sigibertum Regem cum Francis acie victum fugant. Alboïnus Rex cum Longobardis Liguriam invasit; Mediolanum & alias plerasque vrbes cepit & circumquaque prædis & cædibus furibundus Papiam plus triennio obsedit.

F 570 Alboïnus plerasque in Tuscia citráque civitates, exceptis Româ Ravennâque & paucis castris, cepit. Ingens etiam fames post ubertatem Italiam pestilentiâ attritam invasit. Sanctus Vedastus Episcopus decessit.

571 Papienses cives ultra resistere non valentes Regi Alboïno se tradunt: qui civitatem ingressus corruente & iacente intra portam equo suo divinitus mitigatus, contra votum, quo omnes se puniturum minitabatur, civibus pepercit, & sedem ibi regni statuens 3. an. & 6. menses in Italia regnavit. Quo etiam tempore Narses patricius cum è Campania Romam reversus esset, non multo post mortuus & in loculo plumbeo cum thesauris suis Constantinopolim relatus est.

572 Hilpericus Rex Chlodoveum hoc tempore hostiliter filium suum in regnum fratris sui Sigiberti misit; Qui cum iuxta Burdegalensem resideret vrbem, Sigulfus Dux ex parte Sigiberti super eum irruit, fugientem- G que cum tubis & buccinis vociferando, quasi cervum, Parisios usque, ubi pater eius fuerat, persequitur.

573 His diebus Hilpericus filium suum Theodebertum item ad vastandum Sigeberti regnum trans Ligerim misit: Qui cum vastationibus crudelissimè instaret & civitates nonnullas cepisset, tandem cum Ducibus Sigeberti pugnâ incaute consertâ decisus interiit.

574 Alboïnus Rex Longobardorum apud Veronam insidiis Rosmodæ conjugis suæ à Helmichio armigero suo peremptus est: ipséque Helmichis frustra regnum attentans, cum ad mortem quæreretur, cum eadem Rosmodâ coniuge suâ & thesauris filiáque regiâ Albsvvindâ Ravennam fugit; ibique venenum ab ipsa acceptum, ipsam quoque bibere cogens cum ipsa pariter interiit. Sigibertus Rex Francorum cum suas ulciscens iniurias, fratris Hilperici regnum invasisset, eúmque contra vetitũ sancti Germani Parisiorum Episcopi, mortifero odio, fugientem persequeretur, missis dolo Fridegundis jam Reginæ duobus adolescentibus, ab eis peremptus interiit; ipsique pariter extincti sunt, H & Brunihild vxor eius cum filio Hildeberto capta & custodiæ mancipata est: Sed Hildebertus puer clanculo à suis ereptus, & Rex pro parte promotus regnavit ann. 25. Rex admodum fortis & strenuus. Huius soror Ingundis Ermingildo Regi Gothorum, filio Levigildi nupsit.

575 Constantinopoli Iustinus Imperator post multa mala & cupiditates suas in amentiam versus moritur: Pro quo Tiberius Constantinus, qui & ipso mente capto palatiũ rexerat, regnavit ann. 7. vir Deo devotus & in eleemosynis pauperum omnium largissimus atque in acquirendis facilè divitiis omnium fortunatissimus. In Italia Clep Longobardorum Rex, qui pro Albuino electus fuerat, cum anno & mense uno crudeliter regnasset, & multos Romanorum peremisset, à proprio servo suo peremptus est. Post quem Longobardi sine Regibus per ann. 10. sub Ducibus militantes, pluribus per totam Italiam debacchantur sceleribus;

A Burgundiam, quam (sicut sanctus Hospitius reclusus prædixerat) ingressi, Amatum Ducem Guntramni Regis pugnâ victum occidunt, & multa cæde facta prædis ditati in Italiam revertuntur.

576 Hoc tempore Meroveus Hilperici filius à patre contra Pictavos missus & inde revertens Brunihildem accepit uxorem; à qua statim à patre separatus, cum suspectus haberetur, non multo post attonsus & presbyter ordinari jussus est. Per idem tempus sanctus Germanus Parisiorum Episcopus migravit ad Dominum. Circa hoc tempus Longobardi iterum Burgundiam ingressi à Mummulo patricio Guntramni, qui Amato successerat, circumventi, pluribus trucidatis & captis vix refugerunt.

577 His diebus Hilpericus Chlodoveum filium suum & Desiderium Ducem contra fratrem suum Guntrammum transmisit: sed à Mummulo patricio Guntrammi, pugna victi, terga verterunt. Hoc item tempore Saxo- B nes, qui cum Alboïno Italiam intraverant, Gallias invadunt: sed à Mummulo cæsi & humiliati, impetratâ pace, redeunt: & post annum iterum patriam repetere volentes, Gallias petunt; viso Mummulo territi, auro se redimunt. Postremo à Suevis, qui locum ipsorum possederant, pugna victi & pene deleti sunt.

578 Romæ Benedictus Papa LXIV. sedit annos 4. menses 2. à quo beatus Gregorius de monasterio ablatus, & diaconus ordinatus, Constantinopolimque apocrisiarius missus Eutychium ejusdem urbis Episcopum in fide resurrectionis erraisse, Tiberio Augusto præsente convicit: Vbi etiam egregium opus Moralia in Iob venientibus ad eum Monachis suis scribere compulsus est. Hoc tempore Guntrammus Rex Diacolemum Ducem superbè sibi vincula minitantem pugnâ victum occidit.

C 579 Hilpericus Rex Francorum inauditis exactionibus populum suum & descriptionibus afflixit: sed exactor ejus occisus, & pictacia census incensa sunt. Magna aquarum inundatio, & illuvies, fulmina & terræ motus, & prodigia sequens pestilentia Gallias aliasque provincias afflixere. Tres filij Hilperici dysenteriâ periere: quartus ab ipso in custodia positus molimine novercæ Fridegundis cultro fixus interiit. In Hispaniis Levigildus Rex Gothorum Arrianus instigante Goesinda uxore catholicos persequitur. His diebus magnæ Longobardorum copiæ cum tribus Ducibus Galliam ingressæ diversis modis ac præliis à Mummulo attritæ vix tandem in Italiam refugerunt.

580 Cometa die Paschæ visus, Suessionis cœlum ardere visum est. Parisiis sanguis de nubibus fluxit. Pestilentia & mortalitas ingens facta. Levigildus Rex Hermenigildũ filium Catholicum persequitur cum exercitu. Rodinar Dux Hildeberti pius & religiosus obiit.

581 Hoc tempore exercitus Tiberij Imperatoris missus D Persas potenter superavit, & inter innumerabilem prædæ copiam 20. elephantos Imperatori reddit. Ipse Imperator, cum Italia & ipsa Roma bello Longobardorum, pestilentia, & insuper fame graviter laboraret, naves frumento onustas Romam misit, & annonæ copiam populo subministravit.

582 Constantinopoli Tiberius Imperator omni laude dignissimus morbo tactus filiam suam & imperium Mauritio tradidit; & ipse ex hac vitâ fœliciter discessit. Pro quo idem Mauritius genere Capadocus regnavit annos 21. Romæ Pelagius II. Papa LXII. sedit ann. 10. mensibus 2. Hic templum sancti Petri tabulis argenteis deauratis texit. Domum suam fecit xenodochium, Basilicam sancti Laurentij construxit & sepulchrum ejus tabulis argenteis ornavit.

583 Hildebertus Rex Francorum cum hoc tempore 50. millia solidos auri à Mauritio Imperatore accepisset, quatenus Longobardos ex Italia pelleret, valido cum exercitu Italiam petiit. Sed Longobardis petentibus & munera offerentibus pacem cum eis pactùmque confirmans sine bello rediit, Mauritióque pecuniam repetenti nec responsum dedit.

584 Guntrammus Rex in suburbano Cavillonensi summo studio monasterium sancti Marcelli construens, ad exemplum Agaunensis instituit. Gundoaldus quidam cum auxilio Mummoli & Desiderij regnum affectans contra Guntrammum tyrannidem invasit. Sed adversis ejus Leudiselo & Egilano fugatus, cum latebram Cambanis urbe foveret, ab Osone de rupe præcipitatus interiit. E

585 Hilperico Rege Francorum post multa scelera & mala sua insidiis peremptо, & Parisiis in Basilica sancti Vincentij sepulto, Lotharius puer filius ejus à Guntrammo Rege, suo patruo, baptizari jussus est, & de sacro fonte susceptus inque regno patris sublimatur, regente matre Fridegunde & Landerico Majore domus, regnavit an 45. Mummulus patricius reus majestatis jussu Guntrammi Regis interficitur & thesauri ejus in fiscum rediguntur.

586 In Italia Longobardi post 10. annos, quibus duces præerant, Autharium Flavium Elephonis filium F Regem statuunt; qui bellicâ clarus virtute regnavit ann. 6. qui inter alia Brexillam urbem diruit, & totam pæne Italiam secuto tempore bello peragravit. Levigildus Rex Gothorum in Hispania Arrianus Herminigildum Regem filium suum die sancto Paschæ 8. Calend. Maij securi jussit interfici. Guntrammus Rex exercitum in Hispanias misit, qui infirmatus statim redit.

587 Leudisolus a Guntrammo patricius promovetur. Magna aquarum inundatio facta. Globus igneus scintillans & quasi rugiens de cœlo in terram cecidit. In Hispania Levigildus Rex Gothorum moritur: & Richaredus filius ejus Rex pro eo efficitur; qui instante Leandro Hispolitano Episcopo, à quo frater ejus Herminigildus conversus fuerat, cum tota gente Gothorum non multo post ad Catholicam fidem convertitur.

588 Guntrammus & Hildebertus Reges inter se pacem & pactum confirmant, regnúmq; Guntrammi post obitum ejus Hildeberto promittunt. Nonnulli principum & ducum Hildeberti, conjurationis contra eum convicti, puniti sunt. In Hispania hæresis destructa, & Synodus Toletana collecta est industriâ Leandri præsulis & Richaredi Regis. Cæsara regina Aunulfi Regis Persarum Constantinopolim dissimulato nomine regio profuga veniens, se baptizari impetravit: postea à marito inventa ipsum quoque cum multis & gente sua Antiochiam venientem baptizari & Christianitatem aggredi effecit. G

589 Exercitus Guntrammi ad Hispanias missus negligentiâ Bosonis Ducis graviter à Gothis trucidatus est. Hoc tempore Hildebertus Rex sororem suam, quam Authario Regi Longobardorum promiserat, Regi Gothorum, qui nuper Catholicus factus fuerat, in matrimonium tradidit.

590 Tunica Domini Salvatoris à Simone quodam Iudæo tormentis coacto monstrata, à Gregorio Antiocheno, Ioanne Constantinopolitano & Thomâ Hierosolymitano, & aliis Episcopis multis, jejunio triduano celebrato, in arca marmoreâ in oppido Saphadt inventa, summo cum honore Hierosolymam allata est. Inter Francos & Britannos pugna commissa est. Hoc quoque tempore Hildebertus petitione Maximi Imperatoris iterum Longobardos in Italia cum exercitu petiit: Sed victo ab Authario Rege cæsoque graviter exercitu suo cum paucis rediit. H

591 His diebus Rex Longobardorum Theodelindam filiam Garibaldi Regis Bavariorum, pulchram, prudentem, & piam accepit uxorem: Quo tempore magnus Francorum exercitus cum 20. Ducibus à Hildeberto Rege contra Longobardos missus diversis casibus, præcipuè morbo afflictus, parúmque hostibus, intra munitiones septis, nocere prævalens, parvo effectu, fame afflictus, ægrè tandem revertitur.

592 Immensa pluviarum inundatio & illuvies facta ingénsq; mortalitas subsecuta est. In qua primo Pelagius Papa, dein innumeri catervatim extincti sunt; & beatus Gregorius tunc Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus

consti

constituitur, litaniis, & plagâ cessante, Papa L X V I. ordinatus, doctrinâ & actibus cunctis merito præferendus Apostolicis, sedit ann. 13. mensib. 6. diebus 10. Qui statim inter alia bona librum pastoralem egregio edidit stylo. Hic quoque super corpus Beati Petri ciborium fecit & Missas celebrare instituit; itémque S. Pauli similiter. In Italia, cum Autharius Rex ad Francos pro pace petendâ misisset, veneno, vt aiunt, mortuus est: & Theodlinda Regina eius vidua Agonem Ducem, qui & Agilolfus maritum & Regem selegit: Qui Rex Longobardorum factus regnavit ann. 22. Longobardi pacem cum Francis peragunt.

593 Guntrammus Rex Burgundiæ in omni bonitate præcipuus anno regni 33. 5. Calend. Aprilis obiit, & in Monasterio S. Marcelli à se constructo sepultus est; regnúmque Hildebertus fratris eius Sigeberti filius accepit, & post eum 4 an. tenuit. In Britannia Edelfridus Rex super Anglorum partem constitutus est. Siccitas magna & fames facta est, & insolita locustarum magnarum molitudo

594 Quintrio Dux Gallicæ Campaniæ regnum Lotharij Regis filij Hilperici hostiliter ingressus ab ipso Lothario cruentâ vtrinque pugnâ victus aufugit. Item locustarum multitudo frugibus nocuit.

595 Gregorius Papa Synodum 24. Episcoporum pro vtilitate Ecclesiæ ad S. Petrum collegit Indictione 14. Franci & Britanni, gravi vtrinque cæde, pugna confligunt. His diebus Tassilo rex Baioariorum a Hildeberto constituitur, qui mox Sclavis superatis magnam exinde prædam deportavit.

596 Sanctus Columba Presbyter & Abbas post multa miracula in insula iuxta Hyberniam migravit ad Dominum, anno ætatis 75. Hoc tempore Beatus Gregorius Papa missis Doctoribus Augustino, Mellito, Ioanne, & aliis servis Dei, Anglorum Genti in Britannia verbum vitæ prædicare iussit, eámque cooperante Dei gratia, ad fidem Christi per eosdem convertit. Cometa & multa signa apparuerunt in cælo.

597 Hildebertus rex Francorum fortis & strenuus, filius Sigiberti 23. anno regni, ætatis vero 25. veneno, vt aiunt, à coniuge accepto, moritur: pro quo duo filij eius Theodebertus in Austrifrancia ann. 17. & Theodoricus in Burgundia cum avia Brunihilde 18 annos regnaverat: ipsoque anno Fridegundis cum filio Lothario regnum eorum invasit, & eos cum exercitu resistentes gravi cæde potiticos fugavit.

598 Fridegundis Regina mater Lotharij regis moritur. His temporibus cum Romanus patricius aliquot vrbes à Longobardis dudum captas, & cum deditione recepisset, idque Agilolfus rex vltum ire molitus, Italiæ ipsique Romæ infesto cum exercitu immineret, studio S. Papæ Gregorij & suffragio Theodelindæ religiosæ reginæ, pax vtrinque eff. cta est.

599 Quintrio Dux, instigante Brunihilde, peremptus est. Per hæc tempora Agilolfus rex nonnullos duces Longobardorum sibi rebelles, alios occidit, alios aliis modis perdomuit: ipse etiam perpetuam cum Theodorico rege Francorum pacem fecit. Circa hæc etiam tempora monasterium S. Benedicti in castro Cassino situm, fugientibus ex eo monachis à Longobardis omnino destructum & desolatum est.

600 Gregorius Papa Lindune & Eboraci Episcopos in Britannia, misso pallio Metropolitanos esse decernit, Indictione quarta. Clades glandularia Massiliam aliásque partium illarum civitates & Italiam graviter attrivit. In lacu Dunensi aqua repente bulliens & fervens magnam piscium partem decoxit. Warinharius Maior domus Theodorici omni substantia distributa obiit.

601 Brunihildis de regno Theodeberti ob scelera sua depulsa, à quodam paupere sola inventa, & ad Theodoricum regem, ut rogabat, perducta, benignéque suscepta, eidem pauperi Episcopatum Antisiodorensem impetravit.

602 Mauritius Imperator R.P. vtilem principem militiæ faciens; Focam scilicet, cúmque cum exercitu mittens de Persis & aliis nonnullis gentibus triomphavit. Globi ignei & alia signa in cœlo visa. Theodebertus & Theodoricus fratres ingenti pugna Lotharlo rege superato & exercitu eius trucidato atque fugato, regnum eius decipiunt & inter se dividunt: modica tantùm parte illi, id est, duodecim comitatibus iuxta littus Oceani cum pacto pacis relictis.

603 Constantinopoli Focas victor de Persis reversus; Mauritium Imperat. peccata sua in præsenti, vt ipse semper orasse fertur, exsolventem, turpiter interfecit, & ipse imperium arripiens, 8. ann. tenuit. Egilan Dux, Brunihilde instigante, sine causa propter divitias tantùm suas occisus est. Theodebertus & Theodoricus misso exercitu Wascones victos subiiciunt. Corpus S. Victoris Martyris, qui cum B. Vrso Solodori passus est, apud Genuensem vrbem divina revelatione in loculo argenteo invenitur, & multis miraculis declaratur. Filius Agilolfi regis Adaloaldus baptizatur, & à servo Dei Secundo Tridentino Episcopo de fonte suscipitur.

604 In Britannia Edilfridus rex Anglorum Edanum regem Scotorum insulam petentem forti profligato exercitu pugna vicit. Etherius Lugdunensis Episcopus obiit, eique Secundinus successit. Ipséque Atridius Agilolfus rex Cremonam & Mantuam captas diruit aliásque provincias vastavit. Et Romani redditâ illi, quæ prius capta erat, filiâ eius pacem ab eo ad tempus acceperunt.

605 Beatus Papa Gregorius & doctor sanctissimus migravit ad Dominum, Indictione 8. post quem cessante Episcopatu mensibus plus 5. Fabianus Papa L X V I I. sedit anno vno mensibus 5. & post hunc item cessavit Episcopatus anno ferme vno. Quare de Constantinopoli legatio Imperialis expectabatur, & hoc anno synodus nefaria Cavillanis congregata. Et Beatus Desiderius Viennensis Archiepiscopus, machinante Brunihilde, quia scelera eius arguebat, depositus & exilio deputatus, & in locum eius Domnulus subrogatus est. Sol obscuratus est. Hyems nimis sæva magnam vinearum partem perdidit.

606 Fames Romæ facta, & pax cum Longobardis in annum vnum pro 12. millibus solidorum condita est. Prothadius, qui cum Brunihilde inter alios plures concubuerat, dux effectus est. Lotharij exercitus contra pactum, regnum Theodorici invasit, & Berchvvaldum Maiorem domûs, virum strenuum & pium fugatum Aurelianis obsedit. Filius Agilolfi Adaloaldus coram patre Rex à Longobardis effectus & electus, & desponsata ei filia Theodeberti, pax perpetua cum Francis facta est. Mense Aprili & Maio cometa visus est.

607 Theodoricus exercitum Lotharij pugnâ initâ victum fugavit: In qua tamen Berchtoaldus Maior domûs audaciùs inter hostes progressus occubuit, pro quo Prothadius molimine Brunihildis promovetur. Theodebertus & Lotharius cum exercitibus collectis hostiliter convenirent, facta invicem pace digressi sunt. Theodoricus instigante Brunihilde & Prothadio contra fratrem Theodebertum arma movit, cumque infestis exercitibus concurrere pararent, cæterísque pacem persuadentibus solus obsisteret Prothadius, eo impetu militum in tentorio Regis trucidato, fratres ab invicem pace facta discedunt.

608 Romæ Bonifacius I I I. Papa L X I I X. sedit mensibus fere 9 post quem item cessavit Episcopatus mensibus 10. Hic quia Constantinopolitana Ecclesia primam se scribebat, apud Focam Augustum obtinuit, ut Romana Ecclesia omnium caput Ecclesiarum decerneretur. Hic quoque synodum 72. Episcoporum Romæ collegit. In regno Theodorici Claudius vir prudens & pius pro Prothadio efficitur Major domûs.

609 Romæ Bonifacius I V. Papa L X I X. sedit an 6. mensibus 8. & post hunc Episcopatus cessavit mensibus 7. Hic apud Focam Augustum templum omnium idolorum, quod Pantheon vocabatur, obtinuit, & in honore omnium Sanctorum dedicavit tertio Idus

A Maij, & S. Mariæ ad Martyres appellavit, festivitatémque omnium Sanctorum Calendis Novembris celebrari constituit. Cujus tempore fames & pestilentiæ & inundatio aquarum immensa acciderunt. Vueileous Dux ob mortem Prothadij, instigante Brunihilde, à Theoderico pede truncatus est, & facultatibus spoliatus. Itémque Volsus patricius occisus est. Ipse Theodericus Ermenbergam de Hispanis, filiam Betterici Regis Gothorum, conjugem sibi adductam, ejusdem Brunihildis suasu, ne honor suus vilesceret timentis, non uxorem accepit, sed repudiatam & expoliatam post annum remisit. Beatus Desiderius Viennensis Archiepiscopus de exilio revocatus, factione Brunihildis, Theoderici & Aridij Lugdunensis lapidatus & martyrio coronatus, plurimis post mortem claruit miraculis.

610 Betterihus Rex Gothorum, aliis tribus Regibus B auxilio sibi ascitis, contra Theodericum bellum parat. His temporibus Persæ bello furentes, multas provincias Romanis abstulerunt, inter quas ipsam Hierosolymam auferentes, & loca sancta destruentes, inter alia ornamenta & thesauros Ecclesiarum, Crucem Dominicam abstulerunt.

611 Heraclianus, qui Africæ præerat, Focæ Augusto rebellans, & cum exercitu veniens, regno eum vitáque privavit, & filium Heraclium Imperatorem promovit: Qui accepto Imperio regnavit annis 26. Beatus Abbas Columbanus qui cum discipulis suis sancto Gallo & aliis, temporibus Sigiberti Regis de Hybernia veniens Luxoviense Monasterium, multis virtutibus coruscans, construebat, cum sæpe Theodericum pro sceleribus suis & maximè adulteriis increpans, ad legitimum hortaretur conjugium, molimine Brunihildis, C Regiam ambitiose execrantis, jusso Theoderici Regis exinde pulsus, sanctum ibi Eustasium pro se reliquit Abbatem.

612 Circa hæc tempora beatus Augustinus Anglorum Apostolus & Archiepiscopus & doctor mirificus, migravit ad Dominum. Sanctus Columbanus de Luxovio propulsus, ad Lotharium Regem, inde ad Theodebertum venit, eóque optione manendi in regno dante, Bregetz. tandem in Alamannia Brigantium venit, ibique triennio mansit. Contentione inter Theodebertum & Theodericum de regno exortâ, Theodebertus Alsatiam violenter accepit. Alamanni Aventicum pagum & ultra Iutaoum petentes victores cum præda reversi sunt. Theodebertus conjugem suam peremit & aliam duxit.

613 In Hispania mortuo Betterico Sisebodus Rex Gothorum factus est, vir fortis & pius, qui sæpe Romanis militibus congressus, victor peperci, & captis plerisque urbibus regnum Gothorum nobiliter ampliavit. Theodericus contra fratrem Theodebertum bel- D lum parans Lotharium Regem patruelem suum promissa quadam provinciâ ab auxilio ejus avocare satagit. Circa hæc tempora Hunni, qui & Avares, Venetiam petunt & totam provinciam ferro, igne, prædáque vastantes, ipsum forum Iulij à Romhildâ Gisulfi viduâ proditum evertunt, & depopulatâ provinciâ redeunt.

614 Heraclius Imperator Constantinum imperij consortem fecit. Theodericus & Theodebertus cum infestis exercitibus apud Thulense territorium forti pugnâ confligunt: & magnâ utrinque cæde patratâ, Theodebertus victus Coloniam aufugit: Quem cum Theodericus odio & insuper venerabilis viri Leonisij Moguntiacensis Episcopi instigatione, persequeretur, ille denuo collectis undique viribus, apud Thulbiacum occurrens confligit, & immensa strage hominum factâ iterum victus fugit. Theodericus vero Coloniam ingressus thesauros ejus ac regnum rapuit, filiúmque ejus parvulum necari jussit, & ipsum comprehensum ac detonsum Cavillonis misit, nec multo post suspectum habens, instigante Brunihilde, occidi præcepit. Quibus diebus beatus Columbanus de Brigan- E tio pulsus, febricitantem Gallum reliquit, ipséque in Italiam veniens & benignè ab Agilolfo Rege & Theodelindâ susceptus cœnobium Bobiense construxit. Sanctus quoque Gallus solitudinem cellæ suæ incolere cœpit.

615 Theodericus contra Lotharium arma parans profluvio, &, ut quidam aiunt, fraude Brunihildis, veneno Mettis interiit; & Sigibertus ex concubinâ filius ejus à Brunihilde & principibus ejus Rex pro eo factus est: nec multo post Lotharius Rex regnum ejus invasit anno regni sui 31.

616 In Britannia Edilbertus primus Anglorum Regum Christianus anno regni 56. obiit: pro quo Eatpolt regnavit annis 24. Hoc tempore Isidorus Hispalensis Episcopus clarus in Hispaniis habetur, qui huc usque temporum abbreviationem produxit, & multa egregia opuscula edidit. In Italia Agilolfus Rex Longobardo- F rum moritur: pro quo filius Adoloaldus cum matre Theodelindâ regnavit annis 10. Apud Francos Sigibertus Rex cum contra Lotharium exercitum collegisset, à suis desertus & ab hostibus captus, unà cum fratribus jussu Lotharij peremptus est: à quo etiam Brunihildis ipsa indomitis equis alligari jussa & ab eis discerpta digna tandem morte periit: & Lotharius Monarchiam regni accepit.

617 Romæ Deusdedit Papa L X X. sedit annis 4. mense fere uno, qui clerum & Sacerdotes dilexit, eisque sumptus auxit, cujus tempore Eleutherius patricius Ravennam veniens Ioannis patricij peremptores occidit. Item Neapoli & aliis in locis tyrannis occisis pacem Italiæ reddidit. In Britannia Edivvinus occiso Edilfrido & filiis ejus in Hyberniam fugatis regnum illius per annos 17. egregiè rexit.

618 Terræmotus ingens factus est, & clades scabiosa G subsecuta populum fœdâ morte attrivit, ita ut mortui non possent agnosci. Hierosolyma inter alias Palæstinæ civitates à Chosdroë Rege Persarum capta, & Crux Dominica in Persidem abducta est.

619 Lotharius Rex Warinharium, cui aliquantulum infensus erat, suffragantibus multis in gratiam recipiens in principatu Majoris domûs confirmavit.

620 Romæ Bonifacius V. Papa L X X I. sedit ann. 5. Vir valde mitis & pius. Eleutherius patricius tyrannidem & regnum affectans, in Italia à militibus peremptus est, & caput Constantinopolim missum. In Britannia defuncto sancto Laurentio Archiepiscopo Mellitus successit. Magundat magus genere Persa ad fidem Christi conversus est & Anastasius dictus: Hierosolymæ miræ sanctitatis monachus effectus est.

621 Lotharius Rex acceptis amplis muneribus, Longobardis petentibus, 12000. solidorum auri, quos annuatim pro invasa quondam Burgundia Francis per- H solvebant sub nomine tributi, * quibus consiliantibus dimisit.

622 Gertrudis Regina uxor Lotharij Regis ipsi & omnibus pro pietatis & morum excellentia nimium amabilis obiit.

623 His temporibus beatus Adtala & post hunc Perpholfus Bobienses Abbates: in Alamannia quoque beatissimus Gallus virtutibus claruerunt.

624 In Britannia defuncto Mellito Iustus substitutus est, qui sequenti anno beatum Paulinum ordinans Episcopum, Anglis illis, qui adhuc Pagani erant, prædicatorem & doctorem misit. Lotharius Rex Francorum anno regni sui 39. Dagobertum filium consortem fecit, & beato viro Arnolfo Pipinóque Duci commendatum, ad regendum Austri franciæ dirigit regnum.

625 Romæ Honorius Papa L X X I I. sedit annis 13. qui multis bonis studens, Ecclesias plures adornavit, renovavit, extruxit, fecit Basilicam sanctæ Agnetis viâ Numentanâ. Item sancti Apollinaris in portico sancti Petri. Item sancti Quiriaci viâ Hostiensi. Item quatuor Coronatorum. Item sancti Severini Tiburtinâ urbe. Item sancti Pancratij viâ Aurelia. Item sanctæ

Luciæ.

A Luciæ. Item ſancti Adriani, & alia multa laudabilia patravit.

Samo. 626 Sonno quidam Francus negotiatoe dùm cum aliis ad Sclavos veniſſet, eiſque contra Hunnos, qui & Avares, bellum moventes fortiſſimè pugnans, adiuviſſet, ipſi victoriam nacti, ſuper ſe Regem illum eligunt, ubi multis clarus victoriis 35. annos feliciter regnum tenoit. Hic ibi 12. vxores habuit, & ex eis filios 22. filiaſque 15. accepit. In Italia Adaloaldus Rex Longobardorum cum in amentiam Græci cuiuſdam legati malefico vnguento verſus nonnullos Principum peremiſſet, depoſitus de regno non multò poſt veneno extinctus eſt: Poſt quem Harialdus Rex factus annis 7. regnavit. Hic Gundabergam filiam Agiolfi habuit vxorem.

627 In Britannia Edvvinus Rex Anglorum à Paulino Epiſcopo converſus cum gente ſuâ baptizatur, ann. adventùs Anglorum in Britanniam circiter 180. B Diſcordiâ inter Lotharium Regem & filium eius Dagobertum incepta, beato Arnolfo aliiſque principibus mediantibus ſedatur.

628 Beatus Anaſtaſius monachus multa pro Chriſto tormenta paſſos tandem in Perſide à Rege Choſdroe cum aliis 70. ſtrangulatus martyrium complevit. Ipſo anno Heraclius Imperator Perſidem petit victóque & occiſo Choſdroe cum infinita prædâ crucem Dominicam triumphans Ieroſolymam revexit. Apud Francos Warinharius Maior domûs moritur. Et Godinus filius eius novercam ſuam vxorem accipiens, Lothario perſequente, per diverſa fugitans, poſtremo peremptus eſt.

629 Lotharius Rex magnum de toto regno ſuo Clippiaci habuit conventum: vbi magna diſſenſio & tumultus exortus, vix tandem ſtudio Regis ſedatur.

630 Lotharius Rex Francorum fortis, pius & religioſus, anno regni 45. defunctus, & Pariſiis in Baſilica C S. Vincentij ſepultus eſt. Eius regnum Dagobertus accipiens, cum iam 6. annis regnaret, 10. annis poſteà rexit, modicâ tantum parte iuxta Waſcones & Pireneum fratri Hariberto conceſſâ.

631 Dagobertus Rex ſancto Arnolfo Mettenſi Epiſcopo, & Pipino Duce Maiore domûs, Chumbertóque Colonienſi Archiepiſcopo vtens conſiliariis, nimio iuſtitiæ flagravit amore, & Rex per omnia laudabilis extitit. Poſtea vero propria ſecutus conſilia multum ad exteriora defluere cœpit; vxoréque Gomadrudâ repudiatâ Nanthildem quandam de Monaſterio puellam accepit vxorem.

632 Heribertus Regulos frater Dagoberti Waſconiam invadens ſuo eam regno adiecit. Dagobertus ex quadam concubinâ Sigibertum filium genuit. Pax perpetua inter Heraclium Imperatorem & Dagobertum legatis mediantibus, pacta eſt; & petitione Imperatoris, qui imperium ſuum à gente circumciſa vaſtandum præcognoverat, Iudæi multi in regno Francorum, ſicut D & alibi in Romano imperio profligati ſunt. Nec multò poſt ſecutis temporibus crudeliſſima Saracenorum gens & ipſa circumciſa multas provincias inundans vaſtavit, & Romanum exercitum crebris prœliis trucidatum vehementer attrivit.

633 In Britannia Edvvinus Rex Anglorum pacificus & pius à Ceadvvaldâ & Pendâ paganis Regibus victus & peremptus eſt. Poſt cuios mortem, filij Edilfridi de Scotis reverſi, regnum quondam patris ſui arripiunt. E quibus duo à Chriſti fide, quam apud Scotos didicerant, apoſtatantes, intra vnum annum pereunt. Apud Francos Heribertus Regulus frater Dagoberti moritur, & regnum eius Dagobertus frater cum theſauris accepit. Tres exercitus à Dagoberto contra Samonem & Sclavos diverſis partibus miſſi. Vnus Francorũ victus, duo Suevorum & Longobardorum victores redierunt.

634 Calamitoſus fuit iſte annus Anglis, tam Regom apoſtaſiâ & perditione, quàm barbaricâ & crudeli, quam à Ceadvvaldâ pertulerant vaſtatione. Sed ſtatim Oſvvald tertius filius Edilfredi Chriſtianiſſimus paucis E collectis in Domino confiſus; & adoratâ quam erexerat ligneâ cruce, audacter cum Ceadvvaldâ pugnam inivit; eóque victo, provincia & fratribus vindicatis paternum regnum 8. annis plenus pietate nobiliter rexit. Samo cum Sclavis Turingiam vaſtat. Saxones Sclavis ſe reſiſtere pollicentes, tributo 500. vaccarum, quas Francis annuatim ſolvebant à Dagoberto abſolvuntur. In Italia mortuo Harialdo Rege Longobardorum, Rotharius à Gundeberga maritus aſſumptus, & Rex electus regnavit annis 13.

635 Per hæc tempora cum Sergius Conſtantinopolitanus annitente Cyro Alexandrino, hæreſim Acephalorum inſtaurans, vnam in Chriſto Divinitatis & Humanitatis voluntatem & operationem dogmatizaſſet, ipſúmque Imperatorem ſeduxiſſet, ab Apoſtolica ſede damnatus eſt. Sclavis cum Samone Turingiam & confines pagos incurſantibus, Dagobertus filium ſuum F parvulum Sigibertum, Pipino & Adalgiſo Ducibus & Chuniberto Archiepiſcopo Colonienſi commendatum Auſtrifranciæ Regem fecit; eique ſedem Mettis dedit, principibúſque, vt terminos regni Orientalis deinceps tuerentur perſuaſit.

636 Dagoberto Regi Clodoveus ſeu Ludovvicus ex Nanthilde Regina filius naſcitur; Cui non multò poſt regnum ſuum Occidentale deſtinavit & confirmavit. Ratholfus Dux Thuringiæ Sclavis ſæpe congrediens victor eos fugabat. Vnde elatus, vt Regi ſuo rebellare tentaret, ſenſim animos attollebat.

637 Conſtantinopoli Heraclius Imperator à Sergio Conſtantinopolitano Epiſcopo in hæreſin, ut aiunt, prius inductus moritur; pro quo filius eius Heraclonas cum matre Martina annis duobus imperat. Per hæc tempora Rotharius Rex Longobardorum, quamvis Arrianus, iuſtitiæ tamen Amator, leges Longobardorum ſcripſit. Ipſe etiam nonnullas Romanorum urbes cepit, & Ravennatibus pugna confligens ex eis octies millia occidit reliquoſque fugavit. G

638 Romæ defuncto Papa Honorio ceſſavit ſedes Apoſtolica ann. 1. menſes 7. dies 14. Quia Conſtantinopoli autoritas Imperialis morte principum mutabat, quo tempore Lateranenſis theſaurus à Mauritio Chartulario & Iſacio patritio Exarcho Italiæ direptus & diſtractus eſt. Waſcones rebellare tentantes, miſſo à Dagoberto exercitu perdomiti ſunt. Britonum Rex ad Dagobertum veniens humiliter ei ſatisfecit & pace impetrata rediit.

639 Conſtantinopoli mortuo Heraclona Imperatore frater eius Conſtantinus regnavit, menſes 6. In Britannia Eadvvald Rex Cantuariorum Anglorum deceſſit, eique filius Erchambertus ſucceſſit, ann. 25. Waſcones à Dagoberto pro rebellione ſua veniam precantur & impetrant.

640 Conſtantinopoli poſt mortem Conſtantini Imperatoris filius ipſius Conſtantinus, qui & Conſtans, regnavit annis 28. Romæ Severinus Papa 73. ſedit menſibus duobus diebus quatuor, vir ſanctus, mitis & pius: H poſt quem ceſſavit Epiſcopatus menſibus quinque. Dagobertus Rex anno regni 16. moritur, & in ſuburbano Pariſiaco in monaſterio S. Dionyſij ſummo ſtudio à ſe conſtructo, ornato, & dicato & ad inſtitutionem Agaunenſis monaſterij ordinato ſepelitur; cum quo pariter regni Francorum virtus & dignitas collapſa paulatim deficiebat, & pro eo filij eius Sigebertus & Ludovvicus regnum patris obtinuerunt.

641 Romæ Ioannes IV. Papa LXXIV. ſedit ann. 1. menſibus ferè 10 qui miſsâ multa pecuniâ multos captivos in Hiſtria & Dalmatia à barbaris redemit: & Baſilicam ſanctorum martyrum Venantij, Anaſtaſij & Mauri conſtruxit & ornavit. Ludovvicus ſeu Cludoveus infans regnante matre Nanthilde regno Occidentali præponitur. In Hiſpania Sentila Rex Gothorum moritur: pro quo Tolga puer regnum accepit: quo non multò poſt depoſito & detonſo Chinthaſindus regnum aſſumens, ſuperbiam Gothorum, trucidatis primoribus, nimis humiliavit.

A 641 Romæ Theodorus Papa 75. ſedit annis 6. menſibus fere 6. Hic corpora ſanctorum Primi & Feliciani levavit, & in Baſilica ſancti Stephani protomartyris ſepelivit, Eccleſiam ſancti Valentini via Flaminiâ, Oratorium ſancti Sebaſtiani Lateranis, Oratorium ſancti * Cupli ante portam ſancti Pauli fecit & inter alia bona conſtans in fide hæreticos damnavit. In Britannia Oſvvald Rex Anglorum piiſſimus pro patria contra Pendanum Regem Merciorum paganum pugnans occubuit & plurimis poſt mortem miraculis claruit, pro quo frater ejus Oſvviu regnavit ann 28.

643 Hoc tempore Mauritius Chartularius tyrannidem affectans miſſis ab Hiſacio patricio militibus Romæ comprehenſus & abductus juxta Ravennam decollatus eſt. Nec multò poſt ipſe Hiſacius morte apud Ravennam periit & pro eo Theodorus Italiæ Exarchus ab Imperatore miſſus eſt Ega major domûs Ludovici, vir ſtrenuus & religioſus obiit: Poſt quem Erchovvaldus
B item vir laudabilis Major domûs efficitur.

644 Sanctus Paulinus Eboracenſis Epiſcopus & dodoctor Anglorum anno Epiſcopatus 20 migravit ad Dominum 6 Idib. Octobris. Pipinus Major domûs & Dux Sigeberti, juſtitiæ & pietatis amator eximius obiit; poſt quem filius ejus Grimoaldus Major domûs effectus eſt.

645 Hoc tempore Pyrrhus Conſtantinopolitanus Sergij & in ſede & in hæreſi ſucceſſor cum à Theodoro Papâ dudum damnatus, ex Africa Romam veniſſet, & fictam pænitentiam ſatisfactionémque ſimulaſſet, benignè ſuſceptus & reconciliatus eſt. Poſtea vero domum reverſus & errorem repetens denuo ab ipſo Papâ depoſitus, damnatus & anathematizatus eſt.

646 His temporibus beata virgo Gertrudis, filia Pipini, ſoror Grimoaldi Majoris domûs, Nivalenſis cœnobij
C mater virtutibus claruit. Hujus ſoror Begga & ipſa fœmina religioſa Anſgiſo ſancti Arnolfi filio nupſit, cui etiam Pipinum juniorem peperit.

647 His temporibus cum Paulus Conſtantinopolitanus Pyrrhi ſucceſſor hæreſin non ſolum non dimitteret ipſumque Imperatorem cum aliis ſeduceret, ſed eam magis augmentaret, nec à Domno Papa admonitus & increpatus reſipiſceret, & ipſe identidem damnatus eſt. In Italia mortuo Rothario Rege Longobardorum Rodoaldus filius ejus regnavit annis quinque.

648 His Conſtantis Imperatoris temporibus gens Saracenorum crudeliſſima Palæſtinam, ipſamque Ieroſolymam, utramque Ægyptum, Alexandriam urbem & magnam Africæ partem aliaſque plures provincias Romani imperij vaſtavit atque diripuit.

649 Romæ Martinus Papa 76. ſedit ann. 6. menſibus fere duobus. Quo tempore Paulus Conſtantinopolitanus ipſo Imperatore Conſtante ſeducto legatos Apoſto-
D licæ ſedis ſe pro hæreſi arguentes carceribus, exiliis, & diverſis modis afflixit, Catholicis ubicunque potuit non modicam perſecutionem concitavit.

650 Martinus Papa indictam nonam Synodum Romæ 105. Epiſcoporum colligit, in qua Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, cum ſequacibus erroris condemnat.

651 In Britannia Oſvvi Rex pius ab Oſvvi Rege fugatus pugna ad quendam ſuorum cui fidem habebat, venit, à quo ſtatim proditus ab Oſvvo Rege cognato interfici juſſus eſt. Ipſo anno beatus Aidanus Scotigena Epiſcopus, & doctor Anglorum 2. Calend. Septemb. deceſſit. In Italia mortuo Rodoaldo Rege Longobardorum Haribertus filius Gundoaldi fratris Theodelindæ Reginæ regnat annis 9.

652 Hoc tempore Olympius Exarchus à Conſtante Imperatore in Italiam miſſus cum Dominum Papam ac cæteros in fide Catholicâ unanimes depravare, eiſque nocere non poſſet, fruſtraque ipſi Papæ divinitus protecto inſidias paraviſſet, cum eo tandem pacificatus, collecto exercitu Siciliam contra Saracenos ingreditur: ubi victo cæſoque ab ipſis exercitu Romano, tædio morboque confectus moritur. E

653 In Britannia Honorius Anglorum Archiepiſcopus obiit, pro quo Deuſdedit annis 10. præfuit

654 In Britannia mediterranei Angli ad fidem Chriſti converſi ſunt. Beatus Papa Martinus juſſu Conſtantis hæretici Imperatoris à Theodoro Exarcho ad hoc miſſo Romæ in Baſilica Salvatoris, quæ Conſtantiniana dicitur, comprehenſus & Conſtantinopolim adductus, cum flecti nullatenus poſſet, exilio in Cherſonam damnatus eſt.

655 Martinus Papa in exilio migravit ad Dominum, ibique ſepultus, poſtea miraculis claruit: pro quo Romæ Eugenius L X X V I I. ordinatus ſedit ann. 2. menſibus fere decem, vir benignus & mitis & pius. In Britannia Pendan Rex Merciorum paganus ab Oſvvi Rege ſancti Oſvvaldi fratre pugnâ victus interiit Et gens Merciorum Chriſti fidem accepit.

656 Petrus Conſtantinopolitanus quaſi ſatisfaciens F
pro fide ſua miſit Romam Synodicam epiſtolam, valde obſcuram & dubiam: ſed à Domino Papa & Eccleſia Romana non eſt accepta.

657 Romæ Eugenio Papâ defuncto ceſſavit Epiſcopatus menſibus fere duobus.

658 Romæ Vitalianus Papa L X X V I I I. ſedit annis 14. menſibus 6. qui literis ex more Conſtantinopolim miſſis in ſede confirmatus Eccleſiam Romanam inſigniter rexit.

659 In Britannia Vulfhere filius Pendani Rex Merciorum effectus regnavit ann. 17. Conſtantinus, qui & Conſtans, Imperator ſancto Petro donaria precioſa Romam miſit.

660 In Italia defuncto Hariberto Rege Longobardorum duo filij ejus Godabertus Ticini, & Bertarichus Mediolani regnum ſtatuentes, ſed non multo poſt, factione pravorum, odio infando alterutrum regno pel- G
lere cupientes diſſentiunt. Et Godabertus miſſo Gumbaldo Duce perfidiſſimo Grimoaldum virum ſtrenuum, qui jam 25. ann. Dux Beneventi erat, auxilio ſibi contra fratrem aſcivit; qui ab ipſo Gumbaldo inſtigatus Godabertum occidit, & Bertarichus ipſo terrore fugatus ad Hunnos ſeceſſit poſt unum annum & 3. menſes ſui regni, Grimoalduſque arrepto regno Longobardorum annis 9. ſtrennè regnavit.

661 Hoc tempore Bertarichus dudum Rex Longobardorum, cum de exilio reverſus Grimoaldi Regis gratiam petiiſſet, benignéque ſuſceptus eſſet, actione pravorum proximâ nocte ab ipſo Rege obſervari juſſus eſt, ſequenti die perimendus; ſed aſtu, imò fide Hunoldi amici ſui & cujuſdam fidelis veſtiarij ſui, eductus ex urbe Ticinenſi ad Francos confugit, ibique latuit. Hac etiam tempeſtate Francorum exercitus Italiam ingreſſus, cum in caſtris Grimoaldi Regis ſimulatâ ab ipſo fugâ relictis epularetur, ipſo irruente ad interne- H
cionem deletus eſt.

662 Conſtantinus, qui & Conſtans Imperator Italiam contra Longobardos petiit, & aliquot oppidis eorum captis Rumoaldum Ducem filium Grimoaldi Regis apud Beneventum obſedit. Sed adventante Grimoaldo cum exercitu territus Neapolim repetit, magnáque exercitus ſui parte, Duce Saburro, cum Rumoaldo pugnâ confligente victa trucidatáque, nihil contra Longobardos profecit.

663 Conſtantinus Imperator Romam venit, & à Vitaliano Papâ honorifice ſuſceptus, toto exercitu cum cereis in Eccleſiam intrante, beato Petro pallium auro textile obtulit, & actis ibi 12. diebus cuncta pæne urbis ornamenta abſtulit. Inter quæ etiam regulas æreas, quibus Baſilica ſanctæ Mariæ ad martyres, quæ Pantheon antiquitus vocabatur, tecta fuerat, diripiens in Siciliam præmiſit, ipſeque ſuis in Italia deprædatis, ipſam inſulam ſeptimâ indictione intravit, ibique quinquennio multò infamis avaritia & nequitiâ manſit.

664 Eclipſis ſolis 5. Non. Maij facta eſt horâ quaſi decimâ In Britânia conventu ab Anglis & Scotis acto,

quæſtio

A quæstio de Pascha ventilata, & Scotis à Wilfrido presbytero rationabiliter victis, sæva lues & pestilentia Britanniam & Hyberniam nimium vastat. Deusdedit Archiepiscopus Anglorum obiit. Ceydla & Wilfridus Nordanumbrorum Episcopi ordinantur.

665 In Britannia Erchamberto Rege Cantuariorum mortuo, Egibertus filius eius regnat ann. 9. Angli ad Vitalianum Papam pro Episcopo & doctore postulatum Romam mittunt. His diebus apud Francos Clodoveus seu Ludovicus Rex iners & infamis, filios Dagoberti, frater Sigiberti, cum Parisiis manens brachium S. Dionysij auferre ausus esset, in amentiam versus est.

666 Hoc tempore cum Lupus Dux Foroiulianus Regi Grimoaldo rebellaret, Hunni, qui & Avares, ab ipso Rege invitati, Venetiam petunt, & ter pugna victi, quartoque certamine victores, ipso Lupo cum suis oc-
B ciso, provinciam vastant; donec arte Grimoaldi territi tandem redire coacti sunt.

667 Circa hoc tempus Sclavi de Carunto, quod Carentanum dicimus, cum exercitu Venetiam vastantes, Duce Wectario cum 15. suorum super eos irruente, pauci ex quinque millibus effugere vix potuere.

668 In Sicilia Constantinus Imperator, qui & Constans, post multas exactiones & deprædationes per provincias actas, tandem à suis in balneo occisus interiit, Indictione 12. post quem Mezentius imperium ibi arripiens ab Italico exercitu cum complicibus suis peremptus est. Et Constantinus Constantis filius Constantinopoli Imperator factus regnavit annis 17. Imperator sane Catholicus & pius. Hoc anno Theodorus Archiepiscopus à Vitaliano Papa ordinatus, & cum Adriano Abbate ad Anglos missus, multis in verbo profuit & exemplo. Apud Francos, mortuo Clodoveo seu Lodovico Rege infami, filius eius Lotharius puer regnavit annis 4.

C 669 Saraceni, qui iam multis depopulatis provinciis, Ægyptum tenebant, Siciliam hoc tempore invadentes, magnas hominum strages faciunt: & deprædatâ insulâ: hisque, quæ Constans Imperator ibi collegerat, ablatis, Alexandriam redeunt.

670 In Britannia Osvvi Rex Anglorum frater sancti Osvvaldi obiit: pro quo Egfridus regnavit 15. annis. In Italia mortuo Grimoaldo Rege Longobardorum Pertherich de exilio reversus, regnum paternum magno Longobardorum favore recepit; & per annos 17 magnâ pietate insignis obtinuit.

671 Per hæc tempora in Italia regnum Longobardorum Pertherich adeptus, summa pace & probitate regebat. His temporibus Childericus frater Lotharij Regis, filius Ludovici, cum ad Austrifranciæ regnum vocatus leviter in eo & crudeliter ageret, à Francis unà cum uxore & filiis trucidatur.

672 Romæ Vitaliano Papâ indictione 15. defuncto, post duos menses Adeodatus Papa L X X I X. sedit ann. 4. mensibus 2. vir valde mitis & pius. Qui & Ecclesias renovavit & ædificia nova construxit. Apud Francos post Lotharium puerum frater eius Theodoricus regnat annis 19.

D 673 In Britannia Egberto Cantuariorum Rege mortuo frater eius Lothere regnavit ann. 11. mensibus 4. Quo tempore Theodorus Archiepiscopus Anglorum synodum utilem collegit.

674 Circa hæc tempora Alachis Dux Tridentinus, de quodam Comite Norico victoriâ nactâ, elatus, adversus Pertherich Regem suum rebellabat: sed per Chunibertum Regis filium sæpius reconciliatus & honoribus auctus est.

675 In Britannia Vulphere Rex Merciorum obiit, pro quo frater eius Edilred 35. annis regnat, qui sequenti anno Cantiam vastavit.

676 Romæ defuncto Adeodato post menses 4. Donus Papa L X X X. sedit annis 2. mensibus 5. Qui inter alia bona studia porticum S. Petri marmore stravit: quâ ætate immensa vis tonitruorum & pluviarum homines affligit: & legumina, quæ propter pluvias colligi non poterant, quibusdam in locis renata & ad maturitatem reducta sunt. Cometa per tres menses visus, & magna hominum pestilentia in Oriente subsecuta est. E

677 In Italia Pertherich Rex Longobardorum Chunibertum filium suum regni consortem fecit: Cum quo 10. annis postea regnavit Ecclesia Ravennas, quæ Autocephaliam sibi usurpans, à Romana desciverat, Dono Papæ denuo se subiecit.

678 Romæ defuncto Dono post duos menses Agatho Papa L X X X I. ordinatus sedit annis 2. mensibus 6. vir mansuetus & benignus. Wilfridus Anglorum Episcopus ab Egberto Rege sede suà pulsus, multos in peregrinatione suà ad Dominum prædicando convertit.

679 Constantinus Augustus Legationem Romam misit, & ut pro confutandis hæreticis Synodus Apostolicà authoritate Constantinopoli fieret, postulavit. Agatho Papa Synodum 120. Episcoporum Romæ collegit, & hæreticos unam in Christo operationem dogmatizantes damnavit. F

680 Ecclipsis Lunæ & magna mortalitas Romæ per æstivos menses facta. Agatho Papa legatos Constantinopolim misit indictione 9. qui honorifice ab Augusto suscepti atque tractati, sextæ Synodo universali 150. Episcoporum præfuerunt, & convictos rationabiliter hæreticos, unam in Christo voluntatem asserentes & operationem, damnaverunt. Theodorus Archiepiscopus Anglorum item Synodum collegit.

681 Constantinopoli sexta Synodus 150. Episcoporum indictione 9. mense Februario acta, & Macharius Antiochenus sequacesque erroris damnati sunt. Quibus damnatis, subito plurimæ aranearum telæ in Basilica coram omnibus ceciderunt, hæreticas videlicet nugas deiectas esse portendentes.

682 Romæ defuncto Agathone Papa cessavit Episcopatus anno 1. mensibus fere 7. G

683 Romæ Leo II. Papa L X X X I I. sedit mensibus fere 11. vir per omnia eruditissimus & eloquentissimus ac piissimus, qui aliquot Ecclesias renovans dedicavit atque ornavit, sua decreta fecit; & plurima egregiè scripsit, docuit, atque instituit. Hoc anno 16. die Aprilis in Parasceve tota pene nocte luna eclipsin passa. Egfridus rex Anglorum misso exercitu Hyberniam insulam sine causa crudeliter vastat. Sanctus Cudbertus Lindusarnensis Ecclesiæ Episcopus ordinatur: qui pluribus Britanniam virtutibus decorabat.

684 Romæ defuncto Leone cessavit Episcopatus anno fere uno: post quem Benedictus II. Papa L X X X I I I. sedit mensibus 10. vir & doctus, pius & beneficus omnibus, Ecclesias restaurans & exornans, & bona iugiter studia sectans. Cometæ apparent, & mons Campaniæ Bebius ultra modum flammas eructans circumposita exussit. In Britannia Egfridus Rex, cum dissuadente sancto Cudberto Pictus incautè bello peteret, ab ipsis victus & peremptus interiit: pro quo Alfridus Rex pius & prudens regnavit ann. 19.

685 Romæ post Pascha defuncto Benedicto exactis plus duobus mensibus Ioannes V. Papa L X X X I V. sedit Anno 1. vir item eruditus & dilectus: qui prius Archidiaconus legatus in 6. Synodo Apostolicæ sedis fuerat. Constantinopoli Constantino Imperatore defuncto, filius eius Iustinianus regnat ann. 10. Qui hæresi pollutus, Orthodoxis fuit infensus & pravus, hic etiam cum Saracenis, provincias plures devastantibus, datâ eis multâ pecuniâ, pacem in decennium condixit. In Britannia Luthere Rex Cantuariorum interiit. H

686 Romæ defuncto Ioanne post 3. menses Conon Papa L X X X V. ordinatus sedit mensibus 11. vir provectæ ætatis, summæ innocentiæ, sanctæque simplicitatis: qui dissentiente in duorum presbyterorum electione clero & populo, tertius postremo ab utrisque electus est. In Britannia sanctus Ioannes Hagustaldensis Ecclesiæ Episcopus ordinatus, multis claruit miraculis.

A 687 Romæ defuncto Conone, exactis fere tribus mensibus, Sergius Papa L X X X V I. sedit annis 13. mensibus fere 9. Hic quoque dissentientibus in duorum electione partibus, tertius, Deo volente, electus est. Qui in fide Catholica fortis, persecutionem ab Augusto Iustiniano passus est, & Ecclesias multas construxit, renovavit, & exornavit, atque ditavit, vir videlicet sanctus & omnibus bonis intentus. In Italia defuncto Perthericho Rege Longobardorum Chunibertus filius eius Rex strenuus, mitis & bonus regnavit annis duodecim.

688 Ceadvvald Rex Occidentalium Saxonum, ad fidem Christi conversus, Romam venit, & in Sabbatho sancto Paschæ à Sergio Papa baptizatus, & Petrus vocatus, inibi in albis defunctus, ab ipso Papa summo honore sepultus, & Epithaphio decoratus est. In

B

regno Francorum Pipinus filius Ansigisi filij sancti Arnolfi Theodericum Regem filium Ludovici in Testritio pugna vicit, & potestatem regni Francorum adeptus, Dux & Maior domus, regnavit annis 27. Interim tamen Hilderico & Dagoberto regale nomen non dignitatem habentibus.

689 Circa hæc tempora in Italia Alachis Dux tyrannidem invasit, & Papia occupata, Regeque Chuniberto in insula Comacina quia copia militum impar erat, se communiente, cunctos & maximè clericos crudelis insequitur.

690 Theodorus Venerabilis Anglorum Archiepiscopus anno adventus sui in Britanniam 23. ætatis vero 88. decessit: qui inter alia bona librum pœnitentialem magna discretione conscripsit.

691 Apud Francos Theodericus Rex anno regni 19. moritur: pro quo filius eius Ludovicus puer à Pipino & Francis Rex solo nomine factus, annis regnavit duobus.

692 Hoc tempore Chunibertus Rex Longobardorum, recepto Dei gratia regno, votis omnium, pugna victo & perempto Alachiso tyranno, optata suis dein-

C

ceps pace regnavit.

693 Apud Francos post Ludovicum frater eius Hildibertus, Regis nomen adeptus, regnavit annis 17.

694 His diebus duo Angli presbyteri Niger & Albus Zebald, studio divini verbi accensi, dum Saxonibus prædicarent, à quibusdam rusticis martyrio coronati sunt, & divinis miraculis declarati à Pipino Coloniæ tumulati sunt.

695 Constantinopoli Iustinianus Imperator hæreticus à Leone & Tiberio alijsque coniuratoribus iniuriis affectus abscissis naribus regno pulsus, exul in Pontum secessit: & Leo arreptum imperium annis 3. obtinuit.

Vir sanctus Willibrordus à Sergio Papa Archiepiscopus ordinatus, & Clemens vocatus, genti Frisonum verbum vitæ prædicans, plurimis saluti fuit.

696 In Britannia provincia Nardanumbrorum quidam Denthelmus corpore raptus, & horrendis iocundisque visis, vitæ redditus districtissimam & sanctam deinceps duxit vitam. Hoc tempore Sergius Papa, Domino revelante capsam cum portione Dominicæ Crucis

D

invenit.

697 In Britannia sanctus Gudbertus ex Anachoreta Episcopus post multas virtutes migravit ad Dominum: Cuius vitam Beda presbyter & ipsam hexametris versibus edidit. Ipso anno Ostric Regina à suis perempta est.

698 Constantinopoli Tiberius imperium invadens, Leonem Imperatorem 7. annis, quibus ipse post hunc regnavit, in carcere tenuit.

699 Hoc tempore Synodus Aquilegiensis facta, & quidam, qui Concilium V. Vniversale noluerant recipere à Sergio Papa correcti sunt.

700 In Italia Chunibertus Rex Longobardorum, fortis & pius, moriens, filio parvulo Luitperto regnum relinquens, eique tutorem Asprandum, virum prudentem & strenuum dedit. Sed post octo menses Tagin-

E

bertus Dux, Gotaberti dudum Regis filius, Luitperto cum suis pugnâ victo, regnum sibi usurpavit; sed eodem anno mortuus est: cuius filius Haribertus susceptum à patre regnum 12. fere annis obtinuit: Qui denuo Luitpertum cum suis vicit, fugit, cepit, atque peremit.

701 Romæ defuncto Sergio Ioannes V I. Papa L X X X V I I. sedit annis tribus, mensibus 2.

702 In Italia his diebus cum Heribertus reliquis inimicis victis & subactis, Asprandum infestus sequeretur, ille viribus impar, primo Clavennam, inde ad Theodebertum Baioariæ Ducem confugit, ibique novem annis mansit.

703 Beda presbyter Anglus, vir doctus usque huc Chronicam minoris libri de temporibus perduxit.

Hoc tempore cum Gisulfus Beneventi Dux Campa-

F

niam vastaret, & captivos educeret, eique nullus resisteret à Ioanne Papa, postulante pacem, donaria accipiens, captivos reddidit pacemque fecit.

704 In Britannia Edilred Rex Merciorum regnum suum Coenredo tradidit, & ipse factus est monachus.

705 Constantinopoli Iustinianus Imperator auxilio Terbelli Regis Vulgarorum, imperium recipiens, Leonem & Tiberium, imperij pervasores, cum aliis multis occidit. Gallicinum Patriarcham excæcatum Romam misit, & in locum eius Cyrum Abbatem, qui se in Ponto exulem aluerat, promovit. De hoc Imperatore fertur, quod quoties de truncis naribus profluvium detersérit, pene toties aliquem de inimicis suis perimi iusserit. Romæ Ioannes V I I. Papa L XXXVIII. sedit annis duobus, mensibus fere 8. vir facundus, & eruditus. In Britannia Alfridus Rex Nordanumbrorum, vir pius & prudens obiit; & pro eo filius eius Osredus annis 11. regnavit. Sanctus Beddi Episcopus Occidentalium Saxonum obiit: pro quo Daniel & Aldhelmus Episcopi facti sunt.

706 Ioannes Papa Oratorium sanctæ Mariæ ad sanctum

G

Petrum construxit & ornavit, & plures ad Ecclesias ornatus impendit.

707 Hoc tempore Haribertus Rex Longobardorum possessionem Alpium Cottiarum, dudum à Longobardis captam atque detentam, per privilegium aureis literis scriptum S. Petro Ioannique Papæ reddidit.

708 Romæ Sisinnius Papa L X X X I X. ordinatus ingravescente podagrâ 20. tantum diebus supervixit: postquam Constantinus Papa X C. effectus, sedit annis 7. diebus 15. vir valde mitis & pius, & omnibus studiis intentus & stabilis. Aldhelmus Episcopus vir doctus & eloquens prosa metroque facetus, obiit.

709 Coënredus Rex Merciorum & cum eo Offa iuvenis Regius filius Sigiberi Regis, relictis regnis Romam venimit, ibique monachi effecti mortalem non multò post vitam finiere. Wilfridus Episcopus venerabilis anno Episcopatûs 45. post exilia multosque labores obiit; eique Acca in Hagustaldensi Episcopatu successit.

710 Adrianus Abbas venerabilis anno, ex quo à Vitaliano Britanniam cum Theodoro Archiepiscopo missus est 41. obiit. Hildebertus Rex Francorum filius

H

Theoderici moritur anno regni 17. pro quo Dagobertus annis 5. regnavit.

711 Constantinopoli Philippicus Imperator factus, Iustinianum Imperatorem occidit, & ipse annum unum & 6. menses regnat, Catholicos persequens & hæreticis favens.

712 Heribertus Rex Longobardorum moritur: post quem Luidprandus.

713 Constantinopoli Anastasius Philippicum oculis & regno privavit: & ipse annos 3. regnavit.

714 Anastasius Imperator missis Constantino Papæ literis, se Catholicæ fidei fautorem declaravit. Pipinus filius Ansgisi, nepos sancti Arnulfi, maior domûs, & Dux Francorum 27. obiit: pro quo filius eius Carolus ex supradicta uxore Alpheide natus, regnat annis 27.

Romæ

A Romæ defuncto Constantino Papâ Gregorius II. Papa XCI. sedit annos 15. menses 9.

715 Carolus è custodia, in quam eum Pliddrud vidua patris sui coniecerat, divino auxilio liberatus, contra Radpodum Fresonum Regem cum sui damno exercitûs pugnat. Dagobertus iunior filios Hildeberti, Rex Francorum moritur: pro quo Hilpericus qui & Daniel.

716 Egbertus vir sanctus, natione Anglus, inter alia bona sua Scotos legitimè Pascha celebrare docuit. Constantinopoli Theodosius Imperator factus, annum unum regnavit, qui Anastasium Imperatorem victum pugnâ, presbyterum ordinari fecit. Hilpericus Rex & Reginfridos Maior domûs, regiones regno contiguas vastantes, à Bliddruda, viduâ Pipini, muneribus avocantur. Apud Anglos Osred Nordanumbrorum Rex B anno regni 11. obiit.

757 Romæ Tiberis supra modum inundans multa subvertit ædificia. Carolus Hilpericum & Regiofredum apud Wiciacum, Dominicâ Palmarum, pugnâ victos fugavit. Hoc tempore Winfridus, qui & postea Bonifacius, genere Anglus Germaniæ gentibus verbum salutis prædicat, auctoritate Gregorij Papæ II.

718 Constantinopoli Leo Imperator annis 9. regnavit, cuius tempore Saraceni, qui iam multas pervaserant provincias, triennio ipsam urbem obsidentes divino tandem auxilio fame, peste, ferro naufragioque repelluntur. Carolus receptis à Bliddruda patris sui thesauris Lotharium sibi quemdam Regem constituit. & initâ rursum pugnâ Hilpericum & Reginfredum unà cum Eudone duce Aquitaniæ, auxilium eis ferente, victos fugavit.

719 Hilpericus ab Eudone, ad quem confugerat, Carolo reposcenti redditus est, & Lotharius Rex mortuus est. Sanctus Bonifacius à Gregorio Papâ Moguntiæ Archiepiscopus ordinatus, multis populis & gentibus C verbo & exemplo profuit.

720 Mortuo Hilperico, Theodoricus filius Dagoberti, Rex à Carolo constituitur. S. Othmarus cellæ S. Galli primus Abbas constitutus, cœnobialem inibi vitam instituit, & 40. per annos nobiliter rexit.

721 Carolus item Reginfredum vicit, Antegavis urbem vi cepit, Saxones bello superavit. S Ioannes Hagustaldensis Episcopus obiit.

722 Carolus Alamanniam & Baioariam armis subegit.

723 Alamanni & Baioarij item Carulo rebellant.

724 Carolus transito Ligere, Aquitaniam vastat; Eudonem ducem pugnâ victum fugat.

Ad orã hac erant: Augia maior, alias Sinthlas. Augia mundatur & inhabitatur.

Sanctus PIRMINIUS Abbas & Chorespiscopus, à Berchtoldo & Vehi principibus ad Catulum ductis, Augiæque insulæ ab eo præfectus, serpentes inde fugabat & cœnobialem inibi vitam instituit tribus annis.

725 Saraceni ab Eudone in auxilium evocati Gallias prædâ & incendio vastant.

726 Carolus initâ pugnâ magnam Saracenorum multitudinem unà cum Rege eorum victor prostravit.

D 727 Carolus Burgundiam petens sibi eam subiecit. Sanctus Pirmioius ob odium Caroli à Theodebaldo Gotfridi Ducis filio ex Augia pulsus Etonem pro se constituit Abbatem, & ipse Alsatiam, alia instructurus cœnobia, petiit.

728 Eudo Dux moritur, & Carolus Aquitaniam sine bello recipit.

729 Carolus Fresiam invadit, Poponem Ducem pugnâ victum occidit, fana incendit, & victor redit. Sanctus Egbertus Anglus presbyter obiit, ætatis anno 90. die Paschæ.

730 Saraceni collecto exercitu Avinnionem urbem capiunt, regionesque circumquaque devastant. Landfridus Dux Alamanniæ moritur.

731 Carolus Avinnionem, victis & cæsis Saracenis, inexpugnatam recipit. Beda presbyter & monachus, natione Anglus, Doctor mirificus, obiit. Romæ Gregorius III. Papa XCII. sedit annos 10. menses 9. Tria Cœnobia, id est, Altaha, Morbach, & Favarias ex Augiensibus fratribus instructa sunt, duodenis ad singula fratribus deputatis, & totidem Augiæ remanentibus.

Ad orã hac erãt Althaiteros, Morbach, Phavoria Pfeffers.

732 Carolus Gothiam invadens, Regem Saracenorum Narbone inclusum obsidet. Etto Augiæ Abbas à Theodebaldo ob odium Caroli Muranium relegatus: sed eodem anno pulso Theodebaldo à Carolo restitutus est.

733 Exercitus Saracenorum de Hispaniis Narbonam superveniens à Carolo commissâ pugnâ ad internecionem [illegible]letur.

734 Saraceni item à Carolo pugnâ victi fugientesque naufragio periere. Augiæ Eoto Abbas post 7. annos Kebam successorem relinquens, ipse Argentinæ F Ecclesiæ Episcopus à Carolo promotus, non longe post sui nominis idem Ethenheim Cœnobium construxit.

735 Carolus item victis & protritis Saracenis cum præda magnâ & captivorum multitudine victor revertitur.

736 Carolus Gothos petiit, & nonnullas urbes eorum & castella diruens, victor rediit. Audoinus Episcopus obiit. Augiæ defuncto post duos annos Keba, Ernfredus monachus Augiæ Abbas & Constantiæ Episcopus factus præfuit annis 10.

737 Carolus Saxones victos tributarios fecit.

738 Carolus provinciam petens Maorontem Ducem, qui Saxones invitaverat, fugavit.

739 Carolus totam provinciam suæ subiecit ditioni.

740 Victis circumquaque hostibus pax & quies regno Francorum per Carolum facta.

741 Romæ Zacharias Papa XCIII. sedit annos 10. menses 4. Carolus post multa fortiter facta moritur Carisiaci & apud sanctum Dionysium sepelitur: pro quo filios eius, diviso inter se regno Francorum, Maiores domûs præfuerunt; Carolomannus annis 6. Pipinus G annis 10.

742 Carolomannus & Pipinus rebellare molientem Hunaldum Aquitaniæ & Theodebaldum Sueviæ duces celeriter comprimunt.

743 Ipsi Duces Odillonem Baioariæ Ducem sibi rebellantem prælio vincunt.

744 Carolomannus cum Odillone Duce pacem facit. Fuldense Cœnobium in saltu Bochoniâ à sancto Bonifacio Archiepiscopo fundatum est.

745 Carolomannus cum fratre Saxoniam rebellantem vastavit. Heseburg castrum cœpit.

746 Carolomannus Alamannos iterum rebellare conantes comprimit. Sanctus Bonifacius annuente Carulomanno, autoritate Zachariæ Papæ duos in parochia sua episcopatus facit Wirzæburgensem scilicet, cui sanctum Burchardum; & Eichstetensem, cui sanctum Willibaldum comprovinciales suos primos Episcopos ordinavit. Sidonius Augiæ monachus quintus ei loco Abbas, Constantiæque Episcopus factus, præfuit annis 13. qui cellam quoque S. Galli ambiens, iniquis principibus in damnatione sancti Othmari Abbatis consensit.

Fuld. Vurtzburg. Aichstet.

Ad orã erat: Sidonius nequam.

H 747 Carolomannus divino amore tactus mundo abrenuntiavit, & Romam pergens mutato habitu monachum se in castro Cassino ad sanctum Benedictum fecit.

748 Gripho ex concubina frater Pipini, tyrannidem affectans, ad Saxones se contulit. Pipinoque adveniente, pacificari cum eo nolens, in Baioariam fugit.

749 Pipinus Baioariam adiens Thassilonem, sororis suæ Hildrudis filium, Ducem sibi constituit, Griphone & Landfrido inde abductis.

750 Pipinus Griphoni 12. comitatus in partibus Neustriæ dedit, sed ille rursum diffidens ad Vuayfarium Ducem Aquitaniæ transfugit.

751 Pipinus missis Romam legatis, Zachariam Papam de regno Francorum, & ignavis Regibus eius Merovin-

gis,

A gis, nomine solo regnantibus, consuluit. Lanfridus Dux Alamannorum moritur.

752 Auctoritate Zachariæ Papæ, & non multo post Stephani (qui Papa XCIV. eidem in pontificatu 6. annos succedebat) deposito, ac deiu tonso Rege Hilderico Merovingorum ultimo, Pipinus Rex Francorum electus, & Suessionis à S. Bonifacio Archiepiscopo unctus & consecratus, regnavit annis 17. Audogarius primus Campidonensis cœnobij fundator & Abbas locum illum incolere cœpit.

753 Pipinus Rex perfidam rursus Saxoniam vastat: ibique Hildigarios Coloniensis Archiepiscopus occisus est. Gripho, cum Italiam petere moliretur, à Comitibus Pipini in valle Mauricuna interimitur, Stephanus Papa, pro auxilio contra Haystulfum Longobardorum Regem poscendo, ad Pipinum Regem in Franciam venit, & filios eius Carolum & Carolomannum

B Parisiis Reges ungit.

754 Sanctus Bonifacius Moguntinensis Archiepiscopus, cum Fresonibus Evangelizaret, martyrio ab eis coronatus est, anno Episcopatus 36. & apud Fuldense cœnobium sepultus: pro quo Lullus Archiepiscopus præfuit annis 32. Carolomannus frater Pipini, cum ad eum pro dissuadenda expeditione Italica venire vellet, Lugduni obiit. Pipinus Italiam cum exercitu petit, & Haystulfum Regem, victum & Papiæ obsessum, obsides dare & res S. Petri sacramento reddere compulit. Stephanus Papa, Duce Hieronymo Pipini fratre, Romam redit.

755 Haystulfus sacramentum contemnens Romam obsidet, omnia circum ferro & igne devastans: pro qua re Papa legatos marino itinere ad Pipinum questum & denuo auxilium obsecratum mittit.

756 Pipinus Rex iterum Italiam petens Haystulfum Papiæ inclusum, & Ravennam cum Pentapoli aliisque, quæ pervaserat, S. Petro & Domno Papæ per legatum suum Folradum reddere coartat.

C 757 Haystulfus Rex in venatu ex equo lapsus interiit: pro quo Desiderius regnavit. Constantinus Imperator inter alia munera Pipino Regi etiam organum misit.

758 Pipinus Saxonibus item superatis annuatim 300. equorum censum imponit. Romæ Stephano Papæ Paulus successit, sedit annos 10.

759 Waifarius tyrannidem in Aquitania exercens pressuras Ecclesiarum, prædas, & incendia villarum facit. Sanctus Othmarus Abbas à Warino & Ruthardo, consensu Sidonij Episcopi, inique damnatus, & in insulam Renstein relegatus, migravit ad Dominum. Cuius abbatiam cum Sidonius Episcopus & Abbas temerario ausu invasisset, ante altare sancti Galli, profluvio ventris percussus interiit: pro quo Ioannes Augiensis item Monachus, Episcopatum & utramque Abbatiam accipiens, præfuit annis 21. qui primum Romanæ sedis privilegium Augiæ ab Adriano Papâ impetravit.

760 Pipinus Aquitaniam seu Wasconiam invadens, Waifarium, quæ iniustè invaserat, sacramento reddere compulit.

D 761 Waifarius sacramenta postponens cuncta, quæ potuit usque Cavillionem, ferro, præda & igne vastavit.

762 Pipinus cum filio Carolo Aquitaniam item petens plurimas urbes cepit, & plurimas sibi rebellea domuit.

763 Thassilo Dux de exercitu se subducens Baioariam repetiit.

764 Hyems frigore sæva & ultra solitum prolixa hoc anno accidit. Pipinus magnum conventum Carisiaci habuit.

Rudgangus. 765 Rodgangus Metensis *Archiepiscopus corpora Sanctorum Gorgonij, Naboris, & Nazarij à Paolo Papa impetravit.

766 Corpus sancti Gorgonij in Gorza Cœnobio, sancti Naboris in Novacella: sancti Nazarij in Laureshain conditum est.

E 767 Pipinus in Aquitantia Lemovicam urbem expugnatam capit. Romæ Paulus Papa obiit: pro quo Stephanus sedit annos 4.

768 Pipinus occiso Waifario & subactâ Aquitaniâ, victor rediens 8. Calend. Octobris obiit Parisiis, ibique sepelitur anno ætatis 54. & Carolomannus 4. annos regnat.

769 Carolus & Carolomannus Hunoldum Aquitaniæ Ducem bello victum capiunt. Corpus sancti Othmari Abbatis post 10. annos, in insula, quâ obiit, incorruptum repertum, ad Monasterium S. Galli translatum est.

770 Carolus filiam Desiderij Regis Longobardorum, adducente Berthâ matre suâ uxorem duxit, sed statim eam repudiavit.

771 Carolomannus Rex obiit, & Remis sepelitur. Carolus Synodum magnam colligit.

F 772 Carolus Saxones petit, Eresburg castrum capit, idolum eorum *Irminsul* dictum diruit, & laborantem siti exercitum, datis divinitus in sicco quodam torrente aquis, reficere meruit, acceptisque pro pace 12. obsidibus rediit. Romæ post Stephanum Adrianus Papa sedit annis 24.

773 Carolus ab Adriano Papa pro defensione rerum sancti Petri rogatus Italiam petit, & claustris vi potitus, Desiderium fugientem Papiæ obsedit, & ipse Romam orandi gratia adiens Pascha inibi celebravit.

774 Longobardi cum Desiderio Rege suo, Carolo se tradunt, anno, ex quo Italiam cum Alboino Rege intraverunt 205. ipseque regno eorum & thesauris potitus, abducto secum Rege cum coniuge suâ victor rediit. Saxones pactum frangentes Hessios petunt: sed Ecclesiam apud Friteslar à sancto Bonifacio dedicatam Deo prohibente, incendere nequeunt. Corpora Sanctorum Gordiani & Epimachi de Roma in Alamanniam translata sunt. Ecclesia sancti Nazarij Laureshain dedicata est. [illegible marginal note]

G 775 Carolus late Saxonum terras vastat, & duobus eos præliis vastâ strage superat. Reudgaudus Longobardus Italiæ regnum effectat.

776 Carolus item Italiam petit & Reudgaudum victum occidit. Saxones item rebellantes, Caroli præsidia bello petunt.

777 Saxones multa tandem cæde perdomiti, Carolo subduntur & Christiani efficiuntur, suaque omnia tradentes, si ultro fidem violarent.

778 Carolus Hispanias bello petiit, & obsidibus acceptis, Wasconibusque & Narbaris subactis, redit, interim Saxones item rebelles, Duce Widichindo, Francorum terminos usque ad Rhenum vastant, & insequente Regis exercitu magna ex parte cæsi fugiunt.

779 Carolus item Saxonibus pugna victis & subactis, obsides accepit. Fuldis Sturmi Abbas obiit, & Bagolf successit.

780 Carolus habito in Saxonia conventu & dispositis tam Saxonum quam Sclavorum rebus, ipse Romam orandi gratia adiit.

781 Pipinus filius Caroli Romæ ab Adriano Papâ baptisatus est, & cum fratre Ludovico Rex unctus. Tassilo Dux Baioariæ fidem subiectionis Carolo sacramento & obsidibus firmat. Constantiæ Episcopus & Abbas

H Ioannes obiit: pro quo Egino Episcopus annos 32. & Petrus Augiæ Abbas annos 5. & apud sanctum Gallum Rudpertus Abbas annum unum præfuerunt. Inter alia prodigia Cruces multis in vestibus apparent, sanguis è terra & aëre fluxisse dicitur.

782 Carolus item in Saxonia conventum habens, legatos Danorum & Hunnorum audivit: quo reverso, Saxones, legatos eius in Sclavos cum exercitu missos, persuadente Widichindo, commisso prælio non sine magna clade sua interimunt. Ob quorum vindictam Carolus Saxonum 4500. decollare iussit. Apud sanctum Gallum Waldo Abbas præfuit anno uno & dimidio.

783 Hiltigardt Regina uxor Caroli 2. calend. Maij, & Bertha mater eius 4. idus Iulij obierunt. Carolus item Saxones bis acie confligens, magnâ strage vicit, Fastrandamque eo anno duxit uxorem.

784 Iunior Carolus à patre in Saxoniam missus Westfaldos prælio vicit & domuit. Apud sanctum Gallum Werdo Abbas præfuit annos 25.

785 Widikind Saxo ad deditionem Caroli veniens baptizatus est, & tota Saxonia subacta est. Coniuratio Orientalium Francorum contra Carolum orta & compressa est.

786 Carolus misso per Antulfum exercitu, Britones domuit, & ipse Romam orandi gratiâ adiit: auctores coniurationis contra Carolum diversis pœnis mulctavit. Lullo Moguntiensi Archiepiscopo Riculfus successit. Augiæ post Petrum Waldo Abbas VIII. præfuit annis 20.

787 Carolus Beneventum petens obsides accepit. Rudrod filia eius Constantino Imperatori desponsatur. Eclipsis solis 15. Calend. Octobris.

788 Tassilo Dux Baioariæ infidelitatis & periurij convictus à Carolo ducatu privatur. Græcorum exercitus à Francis & Italis vincitur. Item Hunni, qui & Avares à Carolo vincuntur ex reitu.

789 Carolus valido undique collecto exercitu Albiam fluvium transit, & Sclavos præliis protritos subiugavit.

790 Hunc annum Carolus sine bello Wormatiæ quietus transegit.

791 Carolus trifariam diviso exercitu terras Hunnorum ingrediens ferro & igne devastat.

792 Synodo Ratisbonæ collectâ hæresis Fœliciana damnata est. Coniuratio Pipini contra Carolum detecta, & supplicio auctorum ponita est.

793 Pugna inter Saracenos & Francos in Gothia Saracenis superioribus commissa est. Saxones item more suo rebellant.

794 Synodo magnâ in Francofurt habitâ, hæresis item Fœliciana damnata est. Fastrada Regina mortua & Moguntiaci sepulta est. Pseudosynodus Græcorum pro adorandis imaginibus habita, ab Episcopis damnata est. Carolus item Saxonibus subactis, tertiam virorum partem transtulit. His temporibus Alcvvinus, qui & Albinus, apud Regem cæterosque vita & doctrina clarus habetur.

795 Saxones cum Wizam Ducem Abodritarum ad Regem Carolum venientem peremissent, vastatâ item regione suâ, poniti, obsides tradunt. Honni quinque missis legatis se cum terra suâ ipsi tradunt, Christianitatem promittunt.

796 Romæ defuncto Adriano Papa Leo tertius sedit annis 21. Principibus Hunnorum Cagano & Iugorto civili bello peremptis, terrâ eorum Carolus per Ehuricum Foroiuliensem Ducem & Pipinum suum filium potitus est, Tudunque princeps eorum ad ipsum veniens cum populo suo baptizatus & honorificè ad sua remissus est.

797 Barcinona urbs Hispaniæ Carolo reddita est. Constantinopoli Constantinus Imperator à Græcia excæcatur. Saxonia item à Carolo usque ad oceanum vastata, & in deditionem per obsides recepta.

798 Carolus in Saxonia cum exercitu hyemavit, & Transalbianos Saxones, qui & legatos eius comprehenderant, late vastavit; & per legatos suos conserto prælio 4000, ex eis occidit; reliquos pacem postulare & obsides dare compulit. Hadefuns Rex Galleciæ Carolo post munera pretiosa itemque manubias suas pro munere misit. Herena Constantini mater Imperatoris cæci legatos Carolo pro pace misit. Mauri piraticam exercere incipiunt.

799 Leo Papa, ut fama est, in Lituania maiore à Romanis linguâ præcisâ excæcatur: sed per Wirundum Abbatem & Winigisum Spoletanum Ducem ereptus atque in Saxoniam ad Carolum perductus est. Ebericus Dux Foroiuliensis à Liburnis per insidias occisus est. Geroldus quoque præfectus Baioariæ, signifer & consiliarius Caroli pius & religiosus contra Hunnos pugnans, occubuit, Augiæque, quam multis auxerat donis & prædiis, sepultus est. Walcares insulæ victis auxilio Caroli Mauris & Saracenis, liberatæ sunt. Britannia Cismarina per Wittonem Ducem Carolo subiicitur. Patriarcha Hierosolymitanus reliquias de Sepulchro Domini, & Axan præfectus civitatis, quæ dicitur Osca, claves urbis & alia præclara munera Carolo mittunt. Augiæ sancti Petri Basilica ab Eginone Veronensi Episcopo constructa & dedicata est.

800 Carolus Hierosolymam ad sancta loca insignia dona transmisit, ipse dispositis per Gallici maris littora contrà piratas præsidiis, ad sanctum Martinum orandi gratiâ venit, ibique defunctam Luitgardam coniugem sepelivit. Inde Romam petens Leonem Papam se de illatis & non probatis criminibus purgantem sacramento, sedi suæ restituit, ibique hyemavit, Pipino filio in Campaniam prædatum misso.

801 Carolus in die Natalis Domini à Leone Papâ coronâ impositâ primus Regum Francorum Cæsar Augustus Imperator, succlamantibus Romanis laudes, appellatus est. Qui postea iuxta leges Romanas, temeratores Leonis Papæ capitali sententiæ addixit; sed precibus eiusdem Papæ vitâ concessa: in exilium eos relegavit. Terræ motus magnus 2. Calend. Maij factus est.

802 Herena Imperatrix de Constantinopoli legatos item ad Carolum Imperatorem pro pace misit, & ille vicissim missis ad eam Iesse Episcopo Ambianensi, & Helmgaudo Comite pacem firmavit. Aaron Rex Persarum inter alia munera elephantum Imperatori Carolo misit, Franci Transalbianos. Saxones vastant. Fuldis Baugolfo Abbati Radtgarius successit. Paulinus Patriarcha Foroiuliensis seu Aquilegiensis obiit. Egino Veronensis Episcopus hâc vitâ decessit, Augiæ in Basilica cellæ suæ sepultus est.

803 Constantinopoli depositâ Herenâ Niciferus Imperator factus, legatos Caroli Imperatoris, suis adiunctis, firmatâ pace remisit; quos ille suscipiens, compacto pacis litteris mandato dimisit. Sanguis Domini Mantuæ inventus Carolo Imperatori nuntiatur: cuius rei veritatem perquirendam Leoni Papæ Imperator commendavit Qua occasione arrepto itinere Papa ad Imperatorem venit & cum eo Natalem Domini Carisiaci celebravit.

804 Domnus Papa ab Imperatore magnis muneribus donatus, Baioariam rediit. Carolus Imperator Transalbianos Saxones cum mulieribus & natis in Franciam transtulit, & pagos eorum Abodritis dedit. Richpoto Treverensis Archiepiscopos obiit.

805 Carolus iunior à patre missus, Bohemiam, occiso Rege Lechone, subiugavit. Imperator Cagano apud Hunnos priscum honorem reddidit.

806 Carolus Imperator inter tres filios regnum divisit. Carolus iunior Sarabos vastavit, & Miliduch Ducem eorum occidit. Item misso exercitu Bohemia vastatur. Pipinus Rex filius Caroli Mauros de Corsica insula pepulit. Augiæ Waldone Abbate, ad regendum sancti Dionysij Cœnobium transposito, Heyto nonus Abbas præfuit annos 17.

807. Aaron Rex Persarum inter alia multa & pretiosa munera artificiosum satis Carolo Imperatori misit horologium. Classis à Carolo Imperatore missa, Mauros item in Corsica commisso prælio multis cæsis fugavit.

808. Godafridus Rex Danorum & Nortmannorum, multo militum suorum damno, cum Abodritis bello conflixit & vicit. Carolus iunior Linones & Simeldingus, qui ad Godafridum defecerunt, vastavit. Rex Nordanumbrorum Cardol (regno pulsus, primo ad Carolum Imperatorem ac deinde Romam questum venit.

809. Ludovicus filius Imperatoris Hispaniam petiit. Cardolf in regnum suum per legatos Papæ & Imperatoris remittitur. Quæstio de processione Spiritus Sancti,

A Synodo habitâ ventilatur. Imperator contra Godafridum castrum Esesfeld trans Albiam ædificat. Trasco Dux Abodritarum cum fortiter multa contra perfugas Godafridi suosque desertores fecisset, à militibus eius dolo occisus est. Apud S. Gallum Wolfiec Abbas præfuit annos 4.

810 Riddrud filia Imperatoris 8. Idus Iunij obiit. Godafridus missa magnâ classe, Fresonibus ter prælio victis tributum imposuit: Cui cum Imperator Carolus iam cum exercitu occursaret, elephas, quem Aaron miserat, subito moritur; classisque reversa: & Godafridus, qui se ipso Imperatore acie conflicturum minitabatur, domi a suis peremptus nuntiatur. Castellum quoque * Hochbd, super Albiam situm cum præsidio suo à Wilzis captum. Pipinumque filium suum Italiæ Regem 8. Idus Iulij defunctum didicit. Hispani itemque B Græci per legatos cum illo pacem firmant. Maxima boum pestilentia hoc anno facta. Hemmingus Rex Danorum filios Godafridi cum imperatore pacem fecit.

811 Heytu Abbas Augiæ & Episcopus Basileæ cum Hugone & Haione Comitibus Constantinopolim missus hodœporicum suum scripsit. Interim Nicephorus Imperator cum Vulgaribus pugnans occisus est. Tandem Michaël Imperator factus legatos Caroli Imperatoris remittit. Tres exercitus fausto omine, in Livones, in Pannonias, in Britones ab Imperatore mittuntur. Carolus Rex filius Imperatoris 2. Nonas Decemb. obiit.

812 Hemmingo Rege mortuo, orto inter Danos & regni primatum prælio 10940. cecidisse feruntur. Michael Imperator Legatis Caroli remissis, suos etiam pacem confirmatum misit. Beneventani 25000. solidorum auri tributum Carolo persoluunt. Classis Danorum Hyberniam invadens à Scotis, victa est.

813 Carolus Imperator Amalharium Trevirensem Archiepiscopum & Petrum * Antulanum Abbatem item Constantinopolim misit, quorum hodœporicum item scriptum habetur. Ipse Ludovicum consortem imperij, C Bernhardum quoque Pipini filium nepotem suum Italiæ Regem fecit. Quina permagna Concilia Moguntiaci, Remis, Turonis, Cavillonis, Arelati pro statu Ecclesiarum fieri iussit. Pons Moguntiaci super Rhenum à Carolo structus incendio periit. Constantiæ Egino Episcopus obiit; Post quem Wolfleoh Episcopus factus, qui Cœnobiū S. Galli 4. iam annis tenuit. Apud S. Gallum Gozbertus Abbas præfuit annis 27.

f. Nonantulanum.

814 Carolus Imperator magnus cum prius thesauros suos inter 21. Archiepiscopatus regni sui cæterosque Episcopatus & Ecclesias divisisset, febre & pleuresi pulsatus 5. Calend. Februarij Aquisgrani obiit, ibique honorificè sepultus est, anno ætatis 71. regni 47. subiectæ Italiæ 44. Imperij 14. Indictione 7. pro quo filius eius Ludovicus, cognomento Pius, regnavit ann. 27. qui statim auditis & absolutis diversarum gentium legatis, generale colloquium Aquisgrani habuit, & multa per totum regnum perperam gesta correxit.

815 Exercitus Herioldo Danorum Regi ad auxilium à D Ludovico Rege missus, 40. obsides ab hostibus accipit. Quidam ex Romanis primoribus, in necem Leonis Papæ coniurantes, puniuntur.

816 Sorabi itemque Wascones rebellare molientes comprimuntur. Leone Papâ 8. Calend. Iunij defuncto, Stephanus sedit mensibus 7. Qui ad Ludovicum Regem in Franciam veniens, Remis eum imperatorem coronavit, muneribusque & amicitiâ mutuò illi iūctus Romam rediit. Imperator Synodo collectâ, multa de statu & religione Cœnobiorum bene disposuit. Augiæ Basilica S. Mariæ ab Heytone Abbate & Episcopo constructa dedicata est.

817 Stephano Papâ 9. Calend. Februarij defuncto, Paschalis sedit annis 7. Eclipsis solis Nonis Februarij facta, & cometa visus est. Legati Leonis Imperatoris de Constantinopoli pro pace ad Ludovicum veniunt Imperatorem. Ludovicus Imperator Lotharium primo- E genitum suum imperij consortem, Ludovicum, & Pipinum filios suos Baioariæ & Aquitaniæ Reges præfecit. Sclaomir Dux Abodritarum rebellat. Bernhardus Rex Italiæ rebellare molitus, cum rebus suis desperaret, patruo Imperatori ad deditionem venit. Ratgarius Fuldensis Abbas à fratribus accusatus & convictus deponitur.

818 Bernhardus Rex item rebellionis convictus, iudicio Francorum excæcatus moritur, complicesque eius diversis modis puniti, Episcopique depositi sunt. Ludovicus Imperator Cismarinos Britannos rebellantes, exciso Marmanno Duce eorum, domuit. Eclipsis solis 8. Idus Iulij facta. * Irmingarth Imperatrix obiit 5. Non. Octob. Fuldis Eigil Abbas constituitur.

** I[illegible]gardt.*

919 Sclaomir Dux Abodritarum, exilio damnatus, & regnum eius Ceaddrogo Trasconis filio datum. Synodo Aquisgrani habitâ, multa de statu Ecclesiarum & F Cœnobiorum tractata sunt. Imperator Iudith filiam Welphi Comitis duxit uxorem: ex qua Carolum genuit. Pipinus filius Imperatoris Wascones rebellantes subiicit. Exercitus in Pannonias contra Luidvvidum Sclavum rebellantem, parvo effectu, mittitur. Fuldis Ecclesia S. Bonifacij ab Herstolfo Archiepiscopo dedicata est.

820 Tres exercitus contra Luidvvidum ex diversis partibus immissi, Pannoniam magnâ ex parte devastant. Bera Comes Barcinonæ, reus maiestatis, duello convictus, exilio damnatur. Ex inundatione pluviarum nimiâ, pestilentia magna & fames facta.

821. Ludovicus Imperator regnum inter filios dividit, exilia relaxavit, debita cunctis dimisit, possessiones in fiscum redactas restituit. Lotharius filius eius uxorem duxit, Ceadrogo Dux Abodritarum perfidiæ notato, Sclaomir exilio revocatus, tactusque morbo, percepto baptismate obiit.

822 In Thuringia cespes longitudine 50. pedum, latitudine 14. altitudine 18. de loco suo 25. pedes translatus, integer invenitur. In Orientali Saxonia nocte G quadam iuxta lacum Artisco, tellus per spatium leucæ unius in modum aggeris intumuit. Ludovicus Imperator de publicis peccatis suis publicam pœnitentiam egit, & quæque in regno suo corrigenda correxit. Lotharius in Italiam: Pipinus, ducta uxore, in Aquitaniam Reges missi sunt. Fuldis Eigil Abbas obiit: Cui Rabanus vir doctus & divinorum librorum tractator egregius successit. Augiæ Heytone Abbate & Episcopo, privatam & quietam vitam adoptante, Erlebaldus Abbas 2111. præfuit annis 15. Ebo Remorum Archiepiscopus genti Nordmannorum verbum Dei prædicat.

823 Lotharius Rex Italiæ, rogante Papâ Paschali, Imperator ab eo Romæ coronatur. Luidvvidus Pannoniæ tyrannus in Dalmatiam transfugiens, dolo Ducis provinciæ peremptus est. Inter alia prodigia, terræ motus Aquense Palatium concussit. In territorio Tullensi puella quædam duodennis triennio fere sine cibo & potu sana & manibus suis laborans permansit. In pago Saxoniæ Firichsaxu 23. villæ & in aliis provinciis ultra solitū plures fulmine crematæ: fulgura crebro sereno cælo cecidere, agri præter solitum multi grandine vastati, veris inter ipsam & magnis lapidibus, quibusdam in H locis, decidentibus, pestilentia quoque ingens facta.

824 Rex Vulgarorum Omartag pro pace ad Imperatorem Ludovicum misit. Romæ Eugenius Papa post Paschalem sedit annis 3. Hyems præter solitum frigida & prolixa.

In territorio Augustodunensi glacies de aëre cecidisse dicitur 15. pedum longa 7. lata 2. grossa. Ludovicus Imperator filium suum Lotharium pro quibusdam corrigendis Romam misit. Ipse rebellantem Britanniam ferro & igne vastans domuit. Augiæ Wetinus monachus è corpore ductus & reductus, post triduum obiit: cuius visiones Heyto Episcopus prosa; & Walachfridus heroïco metro scripsit.

A 825 Item Rex Vulgarorum legatos pro terminis regnorum dirimendis Imperatori mittit. Wiomarcus Britto Francorum terminos infestans, à militibus Lantperti Comitis in domo propriâ peremptus est. Imperator cum filiis Godafridi pacem fecit.

826 Item Vulgarorum Rex legatos insolentius pro terminis sine mora statuendis Imperatori mittit quos Imperator negligentiùs remisit. Herioldus Rex Danorum cum vxore & filiis & magnâ suorum multitudine Moguntiaci baptizatus est. Georgius quidam * per Veneticus organum Ydraulicum Aquisgrani fecit. Aizo Gothus de palatio ad Saracenos se conferens rebellare tentavit. Hildovvinus de S. Dionysio Abbas, ab Eugenio Papa ossa beati Martyris Sebastiani impetravit, quæ Suessionis in basilica S. Medardi locata variis & innumeris refulsere miraculis.

827 Exercitus Saracenorum Aizoni ad auxilium missus, Pipino Rege tardiùs resistente, territorium Barcinonensium & Gerundensium vastavit. Vulgari turbatâ

B pace Pannoniam per Dravum fluvium navibus invadunt, vastant, sibique subiiciunt. Corpora Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri in Franciam translata sunt, mense Novembri. Romæ post Eugenium Valentinus Papa sedit diebus 40. & post hunc Gregor. IV. Papa sedit annis 16.

828 Reliquiæ sancti Marcellini Aquisgrani allatæ, plurimis glorificantur miraculis. Imperator Lotharium filium ad terminos Hispaniæ contra Saracenos, Ludovicum verò contra Vulgaros in Pannonias cum exercitu misit. Rupto incautè pacto cum Nordmannis fœdere, castra nostrorum ab ipsis direpta sunt.

829 Aquisgrani terræ motus Sabbato sancto Paschæ factus. Generalis conventus mense Augusto Wormatiæ ab Imperatore habitus. Vulgari item navibus per Dravum invecti, Pannoniam vastant, Lotharius filius Imperatoris in Italiam proficiscitur. Bernhardus Comes Barcinonensis Camerarius Imperatoris contra voluntatem Francorum factus.

C 830 Dissensio Principum contra Imperatorem propter Bernhardum mota; ipsa eo pulso ad tempus modicum, sedatur. Corpus S. Marci Evangelistæ, sub nomine Valentis Martyris Ratholdus Veronensis Episcopus à Duce Venetiæ impetravit, & cum corpore Genesij martyris in Angiam insulam attulit. Basilica S. Galli à Gozberto Abbate incepta.

831 Imperator conventu Naviomagi habito, omnes, qui sibi contrarij fuerant, honoribus privavit, quosdam etiam prædiis spoliavit, quosdam exilio relegavit: animósque tam filiorum quam cæterorum contra se & Iudith vxorem suam graviter irritavit.

832 Imperator contra filium Ludovicum cum exercitu Augustam Vindelicam venit: quo resistente, contra alterum filium Pipinum ad Aquitaniam se convertit, eúmque regno privavit: sed inde rediens, timore filiorum, vxore abdicatâ, difficulter Aquense palatium repetiit. Eclipsis Solis 2. Non Maij, & Lunæ 13. Calend. Iunij facta.

833 Imperator receptâ vxore, contra filios ad se venire volentes, collecto exercitu, in Alsaciam arma movit; ibi veniente cum filiis Gregorio Papa, Imperator

D à suis proditus ac derelictus in filiorum suorum potestatem devenit.

834 Imperator judicio Episcoporum, armis depositis, ad agendam pœnitentiam includitur, & vxor eius in Italiam relegatur: sed mox æstate, receptâ vxore & armis Lotharium filium in Italiam repulit. Eodem anno pugna contra Machstedum & Lantpertum facta, in qua inter alios plures cecidit Odo comes Aurelianensis & Theodo Abbas Turonensis.

835 Imperator cum filiis Pipino & Lodovico Lugduni magnum habuit conventum. Nordmanni Dorestatum vastant. Basilica S. Galli dedicata est.

836 Imperator conventum apud Theodenboüe palatium habuit: ad quem Lotharius filius eius gravi morbo detritus venire non potuit. Nordmanni Andovverpam vrbem, & in ostiis Mosæ situm Walam emporium incendunt, & à Fresonibus tributum accipiunt. Augiæ Heyto Episcopus obiit & sepelitur. E

837 Ticinum 3. Calend. Ianuarij octies noctu tremuisse dicitur. Multi Principũ Italiæ morbo absumpti. Cometa in signo Libræ visus. Nordmanni in Walcra insulâ, commissa pugnâ 15. Calend. Iunij multos interimunt: Itémque Dorestatum vastantes tributum à Fresonibus accipiunt.

838 Terræ motus 15. Calend. Februar. vesperè factus. Naves contra Nordmannos ædificatæ. Imperator optimam partem regni filio iuniori Carolo dedit. Lotharius & Ludovicus fratres in Tridentina valle inter se colloquium habuere. Imperator habito Noviomagi conventu, consilio quorundam Ludovico filio regnum Orientalium Francorum, quod ab eo acceperat, interdixit. Quod ille invidiâ pravorum factum sciens, cum idem regnum invasisset, Imperator collecto exercitu, eum expellere statuit. Pipinus Rex Aquitaniæ filius Imperatoris mense Novembr. obiit. Apud sanctum F
Gallum Gozberto Abbati Pertivvicus successit. Augiæ Erlebaldo Abbate cedente Redhelm Abbas a 1. præfuit annis 4.

839 Ludovicus Patri Imperatori cedendum ratus, in Baioariam redit. Imperator celebrato iuxta Brigantinum lacum Pascha, postea habito Wormatiæ conventu Lothario de Italia venienti reconciliatur, ipsique & Carolo filio regnum partitur, Baioariâ tantùm Ludovico, qui eum offenderat, relictâ. Lotharióque Italiam repetente, ipse cum filio Carolo ad disponendam proficiscitur Aquitaniam. Cometa in signo Arietis, cœlum instar sãguinis rubeũ, igniculiq; per aera discurrere visi.

840 Ludovicus se privatum dolens, multis sibi adunatis per Alamanniam, quasi debitum repetens regnum Francofurt venit; contra quem pater Imperator Ludovicus relictâ Aquitaniâ copias colligit, eumque per Thuringiam ad barbaros pulsum per Sclavorum gentes laboriose Baioariam repetere coëgit. Ager quasi sanguis coagulatus in Paschæ tempore rubens apparuit. Eclipsis solis 7. Idus Maij post sextam diei horam facta. Imperator Ludovicus morbo correptus, & in quandam Rheni insulam prope Ingelcheim designato in imperium G
Lothario filio 11. Calend. Iulij obiit, & Metris in Ecclesia sancti Arnolfi sepultus est. Lotharius de Italia rediens regnum accepit: quod fratribus eius Ludovico & Carolo non ferentibus, primus ei Ludovicus cum copiis Orientalium Francorum Moguntiaci occurrit; vixque pugnâ dilatâ, cum Lotharius contra Carolum Gallias peteret, Ludovicus sibi Francos Orientales, Saxones, Thuringios, Alamannos, Baioariósque confœderat.

841 Ludovicus cum Orientalem Rheni ripam præsidiis occupasset, Lothario, omissa Caroli insecutione redeunte, & mense Aprili iuxta Vvormatiam clam Renum cum exercitu transeunte, à quibusdam suis pene proditus & à fratre circumventus, in Baioariam redire compulsus est: Lothariusque relictâ ad præsidium Rheni copiarum parte, ad persequendum redit Carolum. Interim Ludovicus ad auxiliũ Caroli per nuntios H
revocatus occurrentibus in Retiensi territorio relictis Lotharij copiis, 3. Idus Maij pugnâ conflixit, & Adalbertum Comitẽ cum multis aliis victor prostravit. Inde transito Rheno adunatis cum fratre Carolo copiis, cum Lothario monarchiam appetente, de partitione regni concordare non possent, iuxta Fontanetũ villam 7. Calend. Iulij acie confligunt, & innumerâ strage cõmissa Ludovicus & Carolus castris potiti sunt: Lotharius verò fugiens Aquense palatiũ petit, & recollectis undiq; copiis digressos à se invicem fratres, primo Ludovicũ autumno, & hyeme Carolum in Galliis frustra persequi laboravit. Cometa in signo Aquarij 8 Calend. Ianuar. visus. Grimaldus Archicapellanus Ludovici cœnobium S. Galli beneficij loco ab eo accipiens tenuit annis 31.

842 Visa fratris pertinaciâ Ludovicus & Carolus

A copiis collectis, apud Argentaracum conveniunt, eúmque persequi statuunt, & apud Sentiacam villam, (*Vivenium*,) cum à suis desereretur, 17. Calend. Aprilis fugere compellunt, regnúmque ex eis Alpes inter se dispertiunt, qui rursum collecto exercitu apud Madasconam Galliæ vrbem eos expectat; tandémque cum conctis pacem quam bellum malentibus ter quadragenis proceribus regnum in tria partiendum die statutâ mandant. Ludovicus in Saxonia conjorationem libertorum contra Dominos auctoribus capite plexis compescuit. Cum legati statutâ die concordare non possent, partitio in aliud tempus differtur. Augiæ Walafridus Strabo vir doctus Abbas 12. præfuit annis 7. qui multa ingenij sui monumenta prosa & metro reliquit.

843 Descripto regno & in tria diviso fratribúsque Viridum convenientibus, Lotharius cum Imperatoris nomine Italiam & Galliam Belgicam, quæ nunc usque ab eo regnum Lotharij dicitur; Ludovicus Germa- B niam, Pannonias, Noricum & Alamanniam; Carolus reliquas Galliarum provincias accipiunt: firmatáque sacramento pace digressi sunt. Carolus Aquitaniam Pipino fratris sui Pipini filio auferre moliens, eúmque infestans, plurima proprij exercitûs damna pertulit. Iudith Imperatrix obiit. Romæ Gregorio Papâ defuncto, Sergius 2. sedit annos tres: Mauri Beneventum occupant.

844 Carolus Rex Galliarum Bernhardum Barcinonensem Ducem nihil mali suspicantem occidit. Exercitus ejusdem à Pipini Ducibus pugnâ victus est 7. Idus Iunij, ceciditque cum multis aliis nobilibus Raban signifer ejus, & Hugo, Richpotóque Abbates. Ludovicus Rex Germaniæ, Abodrites defectionem molientes, occiso Rege eorum, bello perdomuit, & per Duces disposuit. Rabanus Fuldensis Abbas librum, quem de laude sanctæ Crucis variis figuris mettóque composuit, Sergio Papæ transmisit. Remis post Ebonem Hincmarus vir doctus Archiepiscopus ordinatur.

C 845 Nordmanni regnum Caroli vastantes Parisios usque per Sequanam navigio veniunt, acceptáque ab eo magnâ pro pace pecuniâ discedunt. Item in Fresiâ semel victi, & bis victores, magnas hominum strages faciunt. Item in Saxonia Hemmeburg populati, non multi redeunt. Carolus Rex iuntâ cum Britonibus pugnâ, pluribus amissis, vix cum paucis effugit. Ludovicus Rex quatuordecim Ducibus Bohemanis ad fidem conversos baptizari fecit. Lotharius Imperator Burgundiones rebellare molientes ad deditionem coëgit.

846 Gisalbertus Caroli miles filiam Lotharij Imperatoris vi rapuit; unde iratus Lotharius cum Carolo, licet Ludovico satagente, pacificari noluit. Ludovicus Marahensibus Sclavis compressis, Rastizen Ducem constituit, & per Bohemiam cum gravi damno exerci- D tûs redit. Mauri cum Romam petentes, urbem ipsam capere non possent, Ecclesiam S. Petri vastant. Romæ Leo IV. sedit annis 8. mensibus 3. qui castrum, quod Leonianum vocatur, ad Ecclesiam S. Petri communiendam construxit.

847 Lotharius & Ludovicus se vicissim invitantes mutuò conviviis regiis muneribúsque fruuntur. Nordmanni iterum Dorestatum incendunt. Moguntiæ Otgarius Archiepiscopus obiit: pro quo Rabanus Fuldensis Abbas doctissimus Archipræsul sedit annis 9. Qui mox Ludovico jubente, Synodum magnam Moguntiaci collegit: ubi inter alia Thiota Pseudoprophetissa, ex Salomonis Constantiensis Episcopi parochiâ, correpta, & publicè flagellis cæsa, tandem à vaticiniis quæstum quærentibus obticuit.

848 Ludovicus Rex misso filio Ludovico Bohemanos compressit, & obsides dare compulit. Gotescalcus quidam Presbyter quosdam homines ad vitam, quosdam ad mortem inevitabiliter adeo prædestinatos dogmatizans, in conventu Episcoporum E Moguntiaci convictus de regno Lodovici pellitur, & Remis ad Hincmarum Episcopum suum mittitur.

849 Exercitus à Ludovico Rege contra Bohemanos item rebellantes missus cum pactum & obsides hostium petentium pacem contempsissent, turpiter ab ipsis cæsus & spoliatus, obsides dedit, & cum dedecore rediit. Terræ motus factus est Augiæ. Walachfridus Abbas Strabo obiit: pro quo Folcwinus XIII. præfuit annis 9.

850 Nordmanni Godefrido Duce per Sequanam ascendentes regnum Caroli vastant: Contra quos Lotharius Imperator in auxilium evocatus, cum se pugnaturum cum hostibus crederet, Carolus timore perculsos Gothefridum cum suis in societatem regni assumit, eisque terram ad inhabitandum dedit. Fames magna Germaniam & maximè circa Rhenum oppressit. Et Rabanus Episcopus multos pauperes aluit. F

851 Ludovicus Rex Suevos, terminos Francorum infestantes, vastatâ regione eorum, perdomuit. Pipinus Rex comprehensus, à patruo Carolo traditus, & ab eo tonsus Suessionis in Monasterium S. Medardi retrusus est. Similiter & Carolus frater ejus junior, cum ad ipsum proficisci vellet, à Comitibus Caroli ejusdem captus, eóque jubente tonsus in Corbiense cœnobium custodiæ traditus est.

852 Magna Synodus & generalis conventus Moguntiaci à Rabano Archiepiscopo & Ludovico Rege habita, multáque correcta sunt. Herioldus Nordmannus, diu bene à Ludovico tractatus, suspicione proditionis à quibusdam Francis punitur. Translatio sancti Remigij Remorum Archiepiscopi ab Hincmaro ejusdem vrbis Archiepiscopo Calend. Octobris facta.

853 Nordmanni per Ligerim ascendentes & Gallias vastantes, Basilicam quoque sancti Martini Turonis incendunt. Aquitani Caroli injurias questi; Ludovicum, ut super se regnet, vel filium Regem donet, sollicitant. G

854 Ludovicus Æquivocum filium Aquitaniam mittens, instabiles eorum animos deprehendens contempsit. Nordmanni ex diversis, quas iam per 20. annos vastabant, regionibus collecti vulgus innumerum totúmque genus regium usque ad unum puerum mutuâ cæde mactaverunt.

855 Apud Moguntiacum terra vicies tremuisse fertur. Insoliti aëris turbines & grandines, fulgura & tonitrua facta. Ecclesia sancti Kiliani fulmine cremata Nonis Iunij, postea muri turbine diruti sunt. Gozpaldus ipsius vrbis Episcopus obiit: cui Arnus successit. Ludovicus Rex Rastizen Ducem Marahensium Sclavorum petens, vastatâ ex parte regione, subjugare nequivit: quo reverso Marahenses securi contigua trans Danubium loca vastant. Lotharius Imperator relicto mundo, divisóque inter filios regno, Monachum se Prumiæ fecit, & non multo post 3. Calend. Octobr. ad regnum cœleste migravit. Post quem filius ejus Ludovicus Imperator Italiam, & Lotharius Cisalpinas partes regni H tenuere. Igniculi crebri instar spiculorum ab Oriente in Occidentem per aëra ferri 16. Calend. Novemb. per totam noctem visi.

856 Rabano Moguntiensi Archiepiscopo 12. Non. Februarij defuncto, Carolus Pipini Regis Aquitaniæ filius, qui è custodia Corbeiensis cœnobij ad patruum Ludovicum transfugerat, Archiepiscopus ab ipso promotus, præfuit annis 8. Hildigard Regina obiit. Fuldis Hatto Abbas obiit. Thietóque successit. Ludovicus Rex per Sorabos transiens, auxiliáque inde assumens, Dalmatas bello victos tributarios facit, & Bohemanus nonnullos eorum in deditionem accipiens rediit. Romæ Leone defuncto, Benedictus Papa sedit annis duobus, mensibus 6.

857 Exercitus item à Ludovico Rege in Bohemiam missus Sclavitam tyrannum in Marahenses pepulit, Synodus à Carolo Moguntiæ Archiepiscopo collecta.

Tempestas valde terribilis Coloniæ 7. Calend. Octob. facta, & fulmen instar ignei draconis Ecclesiam S. Petri penetrans, tres homines diversis in locis extinxit, plures prostravit. Terræ motus magnus Calend. Ianuarij factus est.

858 Lotharius Rex filius Lotharij Imperatoris contra Ludovicum Regem patruum suum cum Carolo Rege alio patruo suo coniuravit. Ludovicus Rex legatione populi, de tyrannide Caroli flebilia conquesti, sollicitatus, diu cunctabundus, Gallias tandem cum exercitu intrat, concitisque pene ad eum conversis, Carolus fugit: ipse plus æquo securus, proprio exercitu remisso, regnum illud, prout voluit, disposuit. Sed fraus quorumdam fratrisque Caroli versutia incautum ibi circumvenisset, nisi fama rebellantium Soraborum propriu auxiliatum regno maturius eum revocasset; quo redeunte Carolus regnum suum recepit. Augiæ Folcvvino Abbati Waltheri XIV. successit annis 6. Villam quandam iuxta Moguntiam & Renum, Cammunti vocatam, nequam spiritus primo invisibiliter responsa dando, furta prodendo, deinde etiam lapidibus iactis & domorum incendiis homines persequendo, per triennium infestans, vastam reddit. Romæ post Benedictum Nicolaus Papa sedit annis 9.

859 Ludovicus Rex frequentibus missis legatis cum fratre Carolo & Lothario Rege fratruele pacificari satagens tandem cum denominatis viris ad secretum cum eis colloquium veniens, diem pacificationis condixit. Legatos etiam Nicolao Papæ & Ludovico Imperatori fratrueli suo se de invaso fratris regno excusatum misit. Crebri terræ motus Moguntiacum concutiunt; ibique Probus presbyter religiosus & sanctus obiit 7. Calend. Iulij.

860 Hyems nimis sæva & prolixa terræque frugibus noxia facta est; adeo ut & Ionium mare glaciatum usque Venetiam equis & carpentis se meabile præbuerit. Ludovicus & Carolus Lothariusque Reges in Confluente castro convenientes, pacificantur, mutuum sacramento pactum confirmantes.

861 Ludovicus Rex habito Ratisbonæ conventu, aliquot primates suos infidelitatis accusatos deposuit. Item contra maiorem filium suum Carolomannum Carantani Ducem, quasi novas res contra se molientem, iratus est. Fames validissima hoc anno facta. Megintradus Augiæ monachus & primus incola eremi, quæ Turicino adiacet lacui, à quibusdam latronibus inibi 12. Calend. Februarij peremptus, post mortem virtutibus claruit, Augiæque sepultus est: à quo usque hodie eremus ipsa à sanctis & religiosis culta viris, in nobile & famosum iam dudum excrevit Cœnobium.

Sanctus Megintradus.

862 Lotharius Rex faventibus Archiepiscopis, Gunthario Coloniensi, Theodgaudo Trevirensi, repudiatâ Thiotpirgâ uxore legitimâ, Waldradam concubinam sibi coniunxit, Synodo ad hoc quasi iure machinandum Mettis collecta. Carolomannus obiecta excusans cum patre pacificatur. Ludovicus Rex Abodritas rebellantes petens, obsides dare coëgit.

863 Carolomannus item apud patrem adeo innocens accusatus est, ut patrem contra se venientem, à suis proditus & ducatu privatus, vix innocentiam probans placaverit. Synodus coram Arsenio legato Nicolai Papæ Mettis habita, & Guntharius Theotgaudusque Archiepiscopus, pro roborandâ, quam machinati sunt, Lotharij Regis causa, Romam missi: Synodo Romæ à Nicolao Papâ collectâ, ab ordine depositi, & cum Synodo sua anathematizati; Lothariusque Rex, nisi resipisceret, excommunicatus est. Moguntiæ Carolo Archiepiscopo defuncto Luitpertus successit. Nonnulli ex Hunnis Christiani effecti sunt.

864 Guntharius Coloniensis, qui contumeliose Domino Papæ rescripserat, & contra interdictum eius officium Episcopale usurpaverat, pœnitentiâ ductus Romam ad eum venit; sed minime reconciliari meruit. Ludovicus Rex Germaniæ Rastizen Marabensium Ducem petens & apud Dovvinam castrum obsidens, iussos obsides dare & iusiurandum subiectionis iterare coartat. Ipse item Ludovicus & frater eius Carolus Rex Galliarum convenientes, debita sibi invicem relaxant, & fœdus pactúmque innovant & confirmant. Augiæ post Waldharium Abbatem Heyto XV. præfuit annis 7. Translatio S. Othmari in Basilicam S. Galli.

865 Riddusus Fuldensis presbyter & monachus, doctor, poeta, & historicus satis doctus 8. Idus Maij obiit. Arsenius Episcopus, Domini Papæ Nicolai legatus pacem inter Ludovicum Regem & fratruelem eius Ludovicum Italiæ Imperatorem reintegravit, Ipsique Lothario fidem connubij per sacramenta 12. Principum suorum pollicenti Thiotpirgam coniugem reconciliatam reddit: Waldradam concubinam in Italiam relegavit, multisque apud Carolum per Gallias dispositis, honoratus à Regibus & donatus Romam rediit.

866 Ludovicus iunior propter quædam beneficia sua, fratri Carolomanno data, patri Ludovico Regi rebellare multo studio molitus, & facile victus, tandem Luitperto Archiepiscopo mediante, patri reconciliatus est. Gundpaldus miles Carolomanni contra ipsum pugnare ausus, amissis copiis victus vix aufugit. Vulgari missis à Nicolao Papâ & Ludovico Rege prædicatoribus, fidem Christi suscipiunt.

867 Lotharius Rex promissis suis Principumque sacramentis posthabitis, coniugem Thiotpirgam denuo iniurians, Waldradæ revocatæ clam se miscuit. Vnde motus Papa Nicolaus, missis ad diversos literis, cum cunctis illum complicibus suis excommunicavit. Rudpertus fortissimus de regno Caroli Comes, alter sui temporis Machabæus, qui Nordmannos & Britones magnis sæpe protriverat prælijs, apud Ligerim fluvium, cum Nordmannis fortiter dimicans, occubuit. Terræmotus magnus septimo Idus Octob. factus.

868 Synodus magna Wormatiæ coram Ludovico Rege collecta est, & multa inibi pro statu Ecclesiæ decreta. Mense Maio Romæ defuncto Papâ Nicolao Adrianus secundus sedit annis 5. ad quem cum Lotharius Rex venisset, & frustra opitulante fratre Ludovico Imperatore, pro Waldradæ matrimonio sategisset, nihil profuit. Cometa visus, inundatio & illuvio magna facta, famesque & pestilentia ingens secuta est.

869 Bohemani Baioariæ fines infestant. Sorabi & Suisi irémque Bohemani Turingiam vastant. Carolomannus bis numero copiis Rastizi pugnâ congressus vicit & prædas ingentes abduxit, Gundacrúmque perjurum refugam suum divinitus in pugna debilitatum inibi occidit. Lotharius Rex cum complicibus suis se apud Adrianum Papam de illatis criminibus excusans, & corpus Domini temerariè ab eo accipiens, domúmque rediens, mense Iulio Placentiæ periit, fautorésque sceleris pene omnes interiere: regnúmque eius patruus Carolus invadens Mettis se coronari, Imperatorémque iussit appellari. Interim Ludovicus Rex usque ad desperationem Ratisbonæ ægrotans thesaurósque suos Ecclesiis pauperibúsque dispensans tres filios suos cum totidem exercitibus contra diversos miserat hostes. E quibus Carolus cæteris iunior cunctis Rastixi munitionibus captis, totam Marahensem regionem ferro, igne, prædáque vastavit. Carolomannus regnum Zvventibaldi nepotis Rastixi nihilominus depopulatur. Ludovicus vero Surabos & eorum complices bis pugnâ victos ad deditionem compulit. Fames valida & pestilentia facta.

870 Ludovicus Rex ex infirmitate convalescens multos ex regno Lotharij ad se venientes suscepit, postea ad colloquium obviam fratri Carolo venturus de solario quodam cum multis aliis, cadente ædificio, corruit, & graviter colliso corpore costisque confractis, dissimulato tamen dolore, crastino ad condictum venit, & cum fratre regnum Lotharij æqualiter divisit.

A

Zvventibaldus cum regno suo Carolomanno se tradidit; unde Rastia iratus prius cum dolo perimere, & hoc non procedente, manifestè eum persequi statuit. Ille vero superior factus Rastixen victum comprehendit, & Carolomanno vinctum tradidit; à quo pervaso regno, & Gaaissius in carcerem missus, & Ludovico Regi exhibitus iudicióque Francorum morti addictus, luminibus tandem oculorum privari jussus est. Ipso anno Wilpertus Agrippinæ Coloniæ Archiepiscopus à Luitperto Moguntiensi ordinatus; Synodúsque magna Coloniæ collecta & multa pro statu Ecclesiæ decreta: & Ecclesia sancti Petri dedicata est. Inter alia prodigia terræ motos facti sunt, & duæ rutilæ nubes quasi ignea inter se tela emittentes, se instar pugnantium commiscere visæ.

871 Ludovicus & Carolos propter quædam beneficia sua Carolomanno fratri donata, contra patrem Ludovicum rebellare molientes, vix tandem ab eo placari

B

pacaríque consentiunt. Zvventibaldus perfidiæ incusatus à Carolomanno in custodiam mittitur: Sed crimine non probato relaxatus ab eo & muneribus donatus, exercitiisque ei auxilio contra Slagamarum presbyterum, quem Marahenses invitum pro ipso Ducem fecerant, missus est. Qui dolose rediens se in civitatem recipiens, ipsum auxiliatorem exercitum dolo circumventum, paucis fugâ elapsis vel comprehensis, prorsus delevit. Buhemienses eruptionem molientes oppositis prædiis reprimuntur. Constantiæ Salomon Episcopus obiit, cui Pateon successit; præfuit annis 3. Augiæ Heytoni Abbati Rodho X V I. præfuit annis 17. Apud sanctum Gallum Yso magister obiit.

872 Basilius Imperator Græcorum inter alia munera crystallum grandem cum portione Dominicæ Crucis non modicâ, auro & gemmis pretiosis ornatam Ludo-

C

vico Regi misit. Ludovicus pacificatur secum & inter se filiis regni post se partitionem disposuit. Exercitus contra Marahenses missus cum sine Duce sibi dissentiret, ab hostibus victus, cæsus, & ludibrio habitus turpiter aufugit. Luitpertus Archiepiscopus cum exercitu in Bohemanos missus 5. Duces eorum pugnâ vicit, & regionem ex parte vastavit, Carolomannus Marahenses vastat; sed costodes navium ejus ab hostibus trucidati sunt, Embricone Ratisponæ Episcopo vix fugâ elapso. Æstas pene tota fulminibus, tonitruis, grandinibúsque horrida homines multos frugésque pessumdedit. Wormatiæ Ecclesia Sancti Petri fulmine incensa & diruta est. Terræ motus magnus 3. Non. Decemb. factus Moguntiacum diruit. Apud sanctum Gallum defuncto Grimaldo Harunout Abbas præfuit annis 12.

873 In conventu à Ludovico apud Francofurt habito, Carolus filius ejus arreptus à dæmone graviter ve-

D

xatur. Carolus Galliarum Rex Carolomannum Diaconum suum filium, tyrannidem exercentem, excæcari jussit: Pax cum Danis petentibus à Ludovico firmatur. Nordmanni Fresiam superbè classe petentes & tributum exigentes, pugnâ victi & Duce Rudolfo cum 800. amisso & cunctâ pecuniâ multati turpiter redierunt. Fames magna facta. Tanta multitudo inauditæ magnitudinis locustarum ab oriente gregatim more exercituum veniens has pertransiit regiones, ut per duos continuos menses sæpe radios Solis per unius spatium milliarij volitantes obnubilarent, & in una horâ, quidquid in centum vel amplius jugeribus viride invenerant, depascerentur, & postea in mare vento actæ, & fluctu rejectæ, fœtore, corrupto aëre, non modicam gignerent pestilentiam. In pago Italiæ Briaiensi sanguis tribus noctibus pluisse fertur. Item Græci missis per Agathonem Archiepiscopum muneribus, amicitiam cum Ludovico Rege confirmant, Romæ defuncto Adriano Ioannes Papa sedit annis 10.

874 Hyems valde proliaa, sæva & nivosa multos homines & jumenta frigore extinxit Sorabi & Suissi defectionem molientes à Luitperto Archiepiscopo facile comprimuntur. Ludovicus Rex in Quadragesima vi-

E

sione monitus multas pro liberatione animæ patris sui Ludovici Imperatoris eleemosynas & orationes patravit: Idem in Italiam veniens cum Ioanne Papâ & Ludovico Imperatore fratris sui filio colloquium habuit. Idem cum Zvventibaldo Duce Marahensium subjectionem per legatos promittente, & fidem censúmque annuum pollicente, pacem fecit, Bohemanósque idem facientes suscepit. Idem cum fratre Carolo colloquium habuit. Fames magna & pestilentia per Gallias & Germanias facta: tertia fere pars hominum interiit. Ratholfus Veronensis Episcopus obiit, qui sui nominis cellam juxta Augiensem Insulam construxit. Hemma Regina paralysi dissoluta est.

[illegible] Raol. fcell.

875 Inter Francos & Saxones sedirio pæne usque ad cædem mutuam mota, à Ludovico sedata est. Cometa plus solito scintillans 8. Idus Iunij visus. Villa quædam in pago Nitensi, Ascabrunnu dicta, nocte 5. Non. Iulij, subita tempestare 88. hominibus extin-

F

ctis ita absompta & deleta est, ut nec vestigium ejus remaneret. Ludovicus Italiæ Imperator defunctus, Mediolani in Basilica sancti Ambrosij sepultus est, anno regni 20. Cujus thesauros & regnum patruus ejus Carolus Rex Galliarum quasi sibi soli debitum invasit ac diripuit: unde motus frater Ludovicus Rex Germaniæ filium suum Carolomannum contra eum in Italiam misit, ipséque cum Æquivoco Gallias regnum ejus invasit: Carolus vero congredi bello timens dolis & pecuniis mendaciisque Carolomannum de Italia abegit, séque discessurum & fratrem Ludovicum de regni illius divisione expectaturum jurans: quo credulo & reverso ipse Romam tendens conciliatisque sibi dolo & pecuniis, Romanis, Imperatorem se à Ioanne Papâ coronari fecit, Italiámque, uti voluit, quasi suam disposoit.

876 Ludovicus Rex precibus populi annuens, de Galliis, ne eas vastaret, redit. Hemma Regina Ratisbonæ obiit, & in Basilica sancti Emerammi sepul-

G

ta est. Fresones item Nordmannis pugnâ victis, plurima spolia diripuere. Carolus Imperator fraudulenter de Italis Gallias repetens, novâ habitus, actuum, & virorum vanitate, jactantiâ, & levitate usus, Ludovico fratri procaciter & stultè minitabatur: sed Ludovico exercitum colligente perterritus, crebros & supplices pro pace petendâ legatos ad eum mittebat. Interim ipse Ludovicus Rex fortis & religiosus, morbo tactus, apud Francofurt. 5. Calend. Septembris vitâ decessit, anno regni 36. & apud Lanreshain Cœnobium sepultus est: regnúmque ejus tres filij, Carolomannus Baioariam, Ludvicus Germaniam, Carolus Alamanniam, singuli cum adjacentibus provinciis accepere, pacémque inter se sacramento firmavere. Sed Carolus Galliarum tyrannus, compertâ fratris morte, gavisus statim collecto exercitu regnum ejus Rheno contiguum invasit. Quem cum

H

Ludovicus jonior per legatos redire pacémque servare frustra postulasset, cúmque sibi dolo insidias struere comperisset, transito Rheno 8. Idus Octobris in Ribuaria bello inito vicit, multisque occisis & comprehensis, illum pæne nudum cum paucis turpiter fugere compulit & castra ejus cum innumeris spoliis diripuit.

877 Linones & Soissi eorúmque confines defectionem molientes à Ludovici missis facile compressi sunt. Carolus Galliarum Imperator tyrannicus, æstate item Italiam ingressus, cum Carolomannum quoque fratris sui filium, se invito: transcensis Alpibus, pugnâ secum congredi velle cognovisset, fugam more suo iniit, & inter fugiendum dysenteriâ correptus periit, anno regni 37. & in Burgundia Aganni sepultus est, post quem filius ejus Ludovicus Balbus regnum Galliarum accepit; & apud patrueles de omnibus patris injuriis per legatos se excusans, pacem cum eis fecit. Carolomannus vero dispositâ, prove voloit, Italiâ, in Baioariam rediit. Febris Italica, tussis, & dolor oculorum, & pestilentia multos graviter vexavit & extinxit.

A 878 Ludovicus Rex Germaniæ cum fratre Carolo regnum Lotharij divisit. Lampertus & Adalpertus Comites Romam cum manu validâ petentes, Ioanne Papâ sub custodia retento, principes Romanorum fidem Carolomanno sacramento firmare coëgerunt. Vnde idem Papa commotus Ecclesiam S. Petri, omnibus thesauris Lateranis translatis, clausit: divinaque inibi officia celebrare prohibuit, ipseque per mare Tyrrhenum Gallias adiens totum pene inibi moratus est annum: deinde sumpto secum Bosone quodam, qui propriâ uxore veneno necatâ, filiam Ludovici Italiæ Imperatoris vi rapuerat, quemque Carolus provinciæ præfecerat, Romam rediit, ipsique regnum Italiæ subijcere & Carolomanno auferre studuit. Eclipsis solis 7. Calend. Novemb. post nonam horam facta magnaque hominum & boum pestilentia.

B 879 Carolomannus Rex Baioariæ paralysi dissolutus usum loquendi amisit: ad quem Ludovicus frater visendum veniens, regnum Baioariæ disposuit. Ludovicus Balbus filius Caroli, Rex Galliarum 3. Idus Aprilis Compendij obiit, ibique sepelitur. Carolo filio posthumo relicto, duobusque aliis non legitimâ coniuge natis, Ludovico scilicet & Carolomanno in regnum illi succedentibus, quo mortuo Ludovicus Rex Germaniæ statim contiguam sibi Galliam Belgicam petit, indeque rursum in Baioariam à quibusdam vocatus, quæ videbantur disposuit, fratremque Carolomannum ægrotum, scripto ei res suas (quia linguâ non potuit) commendantem invisit, eique ministraturos principes nonnullos deputavit. Itemque missis copiis Hugonem Lotharij Regis & Waldradæ filium in Gallia Belgicâ tyrannidem exercentem cum suis compressit. Boso Burgundiâ invasâ tyrannidem exercet.

880 Hyems prolixa & nimis frigida facta. Ludovicus Rex Germaniæ in Gallias veniens, & filios Ludo- C vici Balbi ad se venientes suscipiens, pacem cum eis fecit, totumque Lotharij regnum sibi subiicit. Ipse initu cum Nordmannis, qui in Scalta fluvio residebant, prælio, plus quam quinque millia ex eis occidit, ibique Hugo ex concubina filios eius cecidit. Item Nordmanni initâ cum Saxonibus pugnâ, victores, duos Episcopos, 12. Comites, 18. regios milites cum secutâ magnâ multitudine peremerunt & captivos multos duxerunt. Sorabi, Dalmatæ, & Bohemani, Sclavi, collecto exercitu Thuringiam iuxta fluvium Salam populati à Popone Marchione circumventi, omnes peremti sunt. Carolomannus Rex Baioariæ fortis, prudens, & pius 11 Calend. Aprilis apud villam Ottingam obiit & sepelitur. Ludovicus Rex Germaniæ frater eius missis item contra Hugonem in Gallias copiis, cruentam adeptus est victoriam. Eius item auxilio freti filij Ludovici Balbi Bosonem tyrannum ultra Rhodanum persecuti sunt & in Viennam compellunt, & Madasconam urbem captam subiiciunt. Nordmanni Gallias itemque Fresiam igne, prædâ, cædeque vastantes, tandem Noviomagum muniunt, & in palatio Regis hiemare disponunt: contrà quos Ludovicus moto exercitu, impediente hyeme, parum proficere potuit. Ma- D gna sterilitas frugum Germaniam affligit.

881 Hyems item sæva & prolixa magnâque fames facta est. Ludovicus Rex Germaniæ Hugonem ad deditionem venientem benignè suscepit, rursumque rebellantem persecutus in Burgundiam pepulit. Ludovicus Rex Galliæ cum Nordmannis pugnans 9000. equitum victor prostravit: illi vero collectis rursum copiis, regnum Ludovici Germaniæ Regis petunt. Cameracum, Traiectum, Hispanicum pagum, Ribuariam totam, Prumiam, Stabulau, Mamuldarium, Vidam & alia perplura loca vastant, Aquisgrani in capella Regis equos suos stabulant, Coloniam Agrippinam & Bunnam una cum Ecclesiis incendunt; contra quos Ludovicus Rex cum morbo detentus venire non posset, exercitum misit. Terræ motus interim magnus 3. Calend. Ianuarij Moguntiaci factus. Eodem anno E Carolus Rex frater Ludovici Italiam petens Romamque veniens unà cum Regina Richardâ imperiali unctione à Ioanne Papâ coronatur.

882 Cometa ultra modum comas spargens 15. Calend. Februarij visus. Ludovicus Rex Germaniæ crescente morbo 13. Calend. Febr. defunctus & Laureshain iuxta patrem Æquivocum sepultus est. Quo audito exercitus contra Nordmannos missus infecto negotio rediit: Nordmanni vero nullo resistente, residua circumcirca vastantes, Walach Mettensem Episcopum incautè occurrentem occidunt, & inter alia multa mala Trevirensem quoque urbem, fugatis & occisis civibus, Nonis Aprilis incendunt, vastatâque & incensa regione in munitionem suam, quæ Aschaloha dicitur, iuxta Mosam fluvium, redierunt. Carolus Imperator de Ita- F lia reversus habito Wormatiæ conventu, regnoque fratris accepto, magno collecto exercitu, Nordmannos cum regibus suis per 12. dies obsedit, cumque magno æstu & foetore præter mutua tela utrinque vexarentur, & immensa tempestate horridâque grandine 12. Calend. Augusti exortâ perturbarentur; visa expugnandi difficultate petentibus hostibus, pacemque deinceps regno eius sacramento pollicentibus datis obsidibus cum Rege eorum Sigefrido mutuum colloquium habuit; eumque Christianitatem professum de baptismo suscepit, datisque mutuò muneribus & firmatâ pace & amicitiâ digressi sunt. Orto inter Saxones & Thuringios bello, Saxones superiores extitere. Pestilentia magna in Baioaria facta.

883 Carolus Imperator celebrato in Alamannia Natali Domini, ad sancti Galli quoque Cœnobium venit, ibique petente Hardmoto Abbate iam sene Bernhardum pro eo constituit Abbatem, qui eidem loco 7. annis præfuit: ipseque Ratisbonæ Pascha egit. Romæ G Ioannes Papa, dato sibi à quodam propinquo suo veneno, cum adhuc victurus putaretur, malleo percussus in cerebro expiravit, percussorque eius concurrente turbâ, eadem hora à nullo læsus cecidit mortuus. Et Martinus Archidiaconus Papa *C X I I I.* factus, præfuit anno uno, mensibus 6. Imperator Carolus iterum in Italiam obviam Papæ pergit, & Widonem ducem reum maiestatis accusatum, fugientem persequi iussit. Pestilentia exercitum vexat. Item Saxones cum Thuringiis & Popone pugnantes vincunt. Nordmanni item Prumiam petentes à Heinrico Marchione Poponis fratre ad internecionem cæsi sunt. Ludovicus Rex Galliæ, postquam regnum fortiter rexit & defendit, defunctus & Parisiis est sepultus 6. regni anno. Zvventibald Dux Marahensium Pannonias, quibus Arnolfus Dux filius Carolomanni Regis præfuit crudeliter vastat.

al. Marinus archid. Papa C X.

884 Baioarij in Italiam contra Widonem missi. Item Zvventibald Pannonias immanissimè vastans, quosdam ex Baioariis iuxta Rabam flumen incautè congressos, vicit, occisisque aliis nonnullos comprehendit. Carolomannus Rex Galliæ filius Ludovici Balbi, cum multam pecuniam Nordmannis pro pace dedisset, in venatu ab apro percussus interiit, anno regni 7. & re- H gnum Galliæ ad Carolum Imperatorem rediit. Carolus Imperator in citeriore Pannoniâ conventum habens Zvventibaldum Ducem Marahensium, per manus se Domino eius tradentem, pacemque & servitium promittentem suscepit. Itemque Brazlavonem Ducem qui inter Dravum & Savum fluvios Pannoniæ præfuit, nihilominus se tradentem, accepit: ipse per Carentanum in Italiam veniens Natalem Domini Papiæ celebravit.

885 Imperator Carolus habito in Italia conventu Widonem Ducem Spoletanum se excusantem seque subdêtem suscepit: Inde Gallias adiens, susceptisque primoribus: regnum illud, ut videbatur, disponens, ad condictum cum Papa placitum Wormatiam venit. Sed Papa ad eum veniendi arrepto itinere obiit, Romæque pro eo Adrianus I I I. Papa *C X I.* sedit anno uno, mensibus 4. Gotafridus Rex Nordmannorum perfidiæ contra

regnum Francorum insimulatus, ab ipsis accusatoribus dolo peremptus est. Hugo quoque nothus Lotharij Regis, cum incautè contra Imperatorem agitaret, oculorum luce privatus est. Pax inter Arnolfum Carentani & Pannoniæ Ducem, & Zvventibaldum Marahensem Ducem confirmatur.

886 Imperator celebrato Ratisbonæ Natali Domini Italiam à Papâ invitatus adiit, & Luitvvardum Vercellensem Episcopum pro quibusdam quærendis Romam misit. Tumultus Papiæ inter cives regiosque milites gravi utrorumque damno movetur. Imperator habito post Pascha Papiæ conventu, per Burgundiam Gallias contra Nordmannos perrit: ubi cum malè contra eos pugnatum esset, & Hëinricus Marchio Neustriæ occubuisset, rebus minus prosperè gestis discessit. Peringarius Dux Forojuliensis cum Luitvvardo Episcopo dissentiens, Vercellensem urbem expoliat. Inundatio insolita autumni tempore facta, exundantibus aquis plurimas villas evertit, & multis in montibus vias diruit, multáque mortalibus intulit. Romæ V. Stephanus Papa cxii. post Adrianum ordinatus sedit annis 6.

887 Imperator Carolus in Alsatia gravi infirmitate detentus jacuit, & parum convalescens incisionem capitis pertulit; habitóque in Alamannia conventu in villa Weiblingâ. Peringarium Ducem ad deditionem venientem, & Luitvvardo Episcopo satisfacientem suscepit. Mortuo Bosone filius eius ex filia Ludovici Italiæ Imperatoris puer Ludovicus ad Carolum Imperatorem veniens, benignè ab eo susceptus, & in filium adoptatus est. Richarda Imperatrix adulterij cum Luitvvardo Vercellensi Episcopo, qui apud eam & Imperatorem familiariter in palatio vivebat, ab Imperatore, & aliis incusata, divino iudicio ab omni se virorum commixtione integram & eatenus virginem se comprobavit; quamvis jam duodecim annis in coniugio apparuerit: Móxque ab eo separata in Andelahense cœnobium virginum à se constructum secessit, ibique sedula in divino servitio virgo Regina permansit. Deinde Carolus Imperator graviter infirmatus, mente etiam, vt videbatur, minùs valuit, omnésque regni Principes averso iam ab eo animo, cum apud Francofurt conventum habuisset, vnanimiter eum deseruere, & Arnolfum fratris eius Carolomanni filium non ex legitima coniuge, sed tamen nobili natum, Carenthani scilicet Ducem, super se Regem constituêre. Carolus vero cum se à cunctis omnino ministris etiam & servis suis deseri & à solo Luitperto Moguntiensi Archiepiscopo adhuc vidisset sustentari supplex jam Arnolfo munera misit, & pauca ab eo in Alamannia vsque ad obitum suum prædia postulans impetravit.

Ad oram hæc e.&c: Carolus Grossus Augiæ sepultus. Richarda eius vxor, virgo.

888 Carolus imperio jam privatus, Deo devotè serviens in villa Alamanniæ Indingâ infirmatus, & vt quidam perhibent, à suis strangulatus, Idibus Ianuarij vitâ decessit: & quibusdam videntibus, cœlo aperto & lumine super eum apparente, Augiam delatus, iuxta altare sanctæ Mariæ sepultus est. Arnolfo Rege Natali Domini Pascháque Ratisbonæ morante, multis Regulis emergentibus, Perengarius filius Eberhardi in Italia Regem se fecit; Rodolfus filius Conradi in Burgundia; Ludovicus filius Bosonis & Wido filius Lamperti in Gallia Belgicâ, & Provinciâ; Odo filius Rudperti in Gallia vsque ad Ligerim & in Aquitania vltraque in Gallia Ramnolfus regium nomen * nihil invasere: è quibus Odo Arnolfum Regem Franciam petentem humiliter adiens & benignè susceptus, permissu eius invasum retinuit regnum. Itidem Rodolfus Ratisbonam ad eum veniens favore eius pervasam impetravit Burgundiam. Nihilominus cum Italiam vellet Rex Arnolfus petere, obviam venienti Peringario, qui paulo ante cum Widone conflixerat tyranno, paucis exceptis totam concessit Italiam. In expeditione ingens equorum pestilentia facta. Augiæ Rudolpho Abbati Hatto successit: præfuit ann. 25. qui cellam & Basilicam sancti Georgij in insula construxit.

889 Luitpertus venerabilis omníque laude dignus Moguntiæ sedis Archiepiscopus hac vitâ decessit: cui Sunderold successit. Calamitosus iste annus morbis ac pestilentiâ, aquarum inundationibus, insolitis tempestatibus, turbinibus & grandinibus multis, fame, peste, & quaque versum bellis socialibus comprovincialiũ fuit. In Thuringia torrens in nivibus defluens, tres in momento villas absumpsit, & 300. homines cum pecorib. multis extinxit. Arnolfus Rex Zvventibaldo & Ratoldo filiis suis ex concubina natis subjectionem à Francis promitti vix effecit, si ei legitimus non nasceretur filius. Magna contra Abodritas expeditio ab eo, sed parvo effectu mota est.

890 Arnolfus Rex habito in Pannonia de diversis colloquio à Zvventibaldo Duce Marahẽsi ex verbis Apostolici obnixè rogatus, ut Romam veniẽs Italiámq; sub ditione sui retinens à tantis eam eruat tyrannis. Quod ille aliis præpeditus ad præsens facere distulit. Iterum conventu apud Forachheim acto, Ludovici Imperatoris Italiæ filiam Bosonis viduam ad se cum muneribus venientem, benignè suscepit. Inde Constantiam Augiámque orandi gratiâ adiit: indéque Ratisponam rediit.

891 Apud S.Gallum post Bernhardum Salomon Abbas præfuit ann. 30. S.Salomon secundus Constantiæ venerabilis Episcopus obiit: pro quo tertius Salomon, de cœnobio sancti Galli Abbas, Episcopus promotus præfuit annus 30. Embricho Ratisponensis Episcopus vitâ & ætate verendus obiit: Ipsáque vrbs (exceptus divinitus sancti Emerammi sanctique Cassiani Ecclesiasticus) 4. Idus Augusti incendio tota conflagrat. Gordianni item Franciam Rheno contiguam vastant, contra quos exercitu missu prælióque incautè conserto, Sonderolt Moguntiensis Archiepiscopus cum aliis multis peremptus occubuit, cæterique fugerunt: pro quo Hatto Augiensis Abbas, vir ingeniosus, Archiepiscopus promovetur. Arnolfus vero Rex Nordmannos victoriâ elatos, & regnum Lotharij vastantes cum exercitu insequens, juxta fluvium Dila, palustribus locis munitos, manúmque pugnâ conserere trepidantes offendit. Qui milites adhortatus, equis propter loci difficultatem dimissis, pedes eos aggreditur: clamor attollitur, res deinde gladiis cominus eminus geritur, unóque tantum milite ex nostris perempto, duo Nordmannorum Reges Sigifridus & Godafridus totúsque ejus exercitus multis milliis numerosus, trucidatus ferro, & in flumine fugam impediente dimersus, ad internecionem deletur. Et Rex eódem, litaniis celebratis & Deo laudibus redditis multísque hostium spoliis direptis, in Alamanniam venit, & Natalem Domini Vlmæ celebravit.

892 Apud Gallias Carolus adolescens Ludovici Balbi posthumus filius, à quibusdam primatibus Rex effectus, multa deinceps Odoni mala fecit, & ab eo vicissim sustinuit. Arnolfus Rex Pannonias adiens, cum Zvventibaldum Ducem Marahensem iterum sibi rebellantem cognovisset, colloquio cum Brazlacione Duce Pannoniæ ulterioris habito, trifariam cum tribus exercitibus, Vngaris etiam auxiliatoribus, nuper illas in partes adventantibus per continuum mensem Marahensem devastat regionem: ipse etiam eodem tempore priscam cum Vulgaris renovat amicitiam. Popo ducatu Thuringiæ privatus est. Romæ post Stephanum Formosus prius Portuensis Episcopus Papa cxsii. sedit annis 4. mensibus 7.

893 Engilstalcus Marchio Pannoniæ, judicio Noricorum excæcatus, & patruelis ejus Wilhelmus decollatus est. Arnolfus Rex Marahensem iterum vastat regionem. Ipsi Regi ex Vta Reginâ Ludovicus filius nascitur, & à Hattone Archiepiscopo Moguntiensi & Adalberone Augustensi Episcopo nobili baptizatur, & sacro Chrismate ungitur. Formosus Papa missis epistolis & legatis, Arnolfum Regem ad suscipiendam & emendam à tyrannis maximéque à Widone Italiam magnopere invitat: quod ille annuens legatos muneribus donatos remittit. Hyems sæva & diutina hoc anno facta.

A 894 Tonitruum magnum 5. Kalend. Feb. factum. Widone Italiæ tyranno mortuo, Angiltruda vidua eius cum filio Lamperto tyrannidem invasit.

895 Arnolfus Rex Hildigardam Ludovici Regis patrui sui filiam, cuius maximo molimine deiecto Carolo, Rex factus fuerat, exilio damnat. Synodus magna apud Tiburiam collecta. Arnolfus Rex cum Odone Galliarum Rege ad se veniente pacem firmat, Caroloque filio Regis Ludovici * Waldi non multo post veniente & munera offerenti, auxilium denegat. Ipse etiam Zvventibaldum ex concubina suum Regem super Lotharij regnum ungi fecit: Itemque per epistolas à Formoso Papâ rogatus Italiam petit Periogariumque perterritum, ad deditionem venientem, regnumque pervasum Italiæ reddentem suscepit, & Waltfredo Maginfredoque Comitibus Italiam cis Padum distribuit, & omnia vastando divisisque ad superum & inferum mare copiis, transiens, ipse Natalem Domini Lunæ celebravit.

* leg. Balbi

B 896 Magna pluuiarum inundatione exercitu fatigato, & plurimis equis inde amissis Peringario etiam à fidelitate eius deficiente, & ad Lampertum se conferente, Arnolfus Rex tandem Romam venit, eamque Angildrudâ Widonis viduâ cum filio Lamperto machinante, obseratam inveniens, mandato Formosi Papæ intus inclusi, celebratis apud sanctum Pandracium litaniis, eam oppugnat: expugnataque citiùs urbe ingressus à Domino Papâ honorificè susceptus, Imperatorque coronatus est, & dispositis ibi rebus primoribúsque sacramento subactis, Angildrudam persequi statuens, infirmari cœpit, metuénsque morbum graviorem de Italia statim redire acceleravit. Quo reverso Peringarius ac Lampertus diviso inter se regno Italiæ tyrannidem exercuere. Lampertus Megenfredum Comitem decollare iussit, Formosus Papa die Paschæ obiit, pro C quo VI. Bonifacius Papa C X I V. ordinatus 15. die podagrâ defunctus est, cui VI. Stephanus, Campaniæ prius Episcopus, Papa C X V. subs tituitus sedit anno uno, qui tyrannis favens & Arnolfum odiens, Formosum Papam VII. post obitum mense effossum & in sella positum, loquente pro eo diacono, criminatum & quasi convictum degradavit, & per crura de Ecclesia pertractum in Tiberim proiici præcepit: sed divinia per merita eius miraculis territi cives Romani, non multo post Stephanum dignè cruciatum eiecerunt, Formosumque in sepulcbrum suum reposuerunt. Eodem anno Græcis cum vagantibus hostibus Vngarus pacem facientibus, Vulgari irati Græciam invasam, Constantinopolim usque devastant. Interim Græcâ astutiâ Vngarij inducti oram Vulgatorum ferro, prædâ ignéque pessundant. Vulgari reversi bis ab eis pugnâ victi & cæsi terga verterunt. Tertiò demum divinam enixiùs gratiam precati, 20. millibus D suorum amissis, cruentam vix profligatis hostibus, meruere victoriam. Tanta etiam fames hoc anno facta, ut innumeri inediâ perirent, homin´ésque Christiani nonnulli se invicem comederent. Arnulfus Imperator quodam ædificio cadente cum multis aliis graviter conterens corpus cecidit.

897 Magna fames in Baioaria multos consumpsit. Bohemani contra Marahenses ab Arnolfo Imperatore auxilium petunt. Romæ post Stephani interitum Romanus Papa C X V I. sedit mensibus paulo plus 4. & post hunc Theodorus II. Papa C X V I I. sedit dies 20. post quem IX. Ioannes Papa C X V I I I. ordinatus, sedit annos duos. Arnolfus Imperator, habito conventu, nulli fidens, sacramentum fidelitatis denuo sibi & filio parvulo Ludovico à....exigit.

898 Discordia capitalis inter fratres Zvventibaldum & Mocmarum Marahenses Duces facta. Luitpaldus Marchio cum aliis Marahenses * impium rebelles vastat. Item Baioarij fines Marahensium hyeme vastant.

* fort. in impensi.

899 Vta Regina adulterij crimine cum quibusdam viris infamata, 72. Principum iuramentu Ratisbonæ in E conventu absoluta est. Arnulfus Imperator paralysi dissolutus est, & nonnulli inde veneficulorum maleficij criminati & puniti sunt. Item Baioarij Marahensium terram vastant. Isanricus Imperatori rebellans obsessusque, & ad deditionem vi coactus, ad Marahenses item confugit. Romæ Benedictus IV. Papa C X I X. sedit annis 3. mensibus 5.

900 Arnolfus Imperator Ratisbonæ, ubi frequentiùs manebat, ægrotans obiit: & in Basilica S. Emerammi sepultus est, anno regni 12. pro quo filius eius Ludovicus puer in regnum constitutus est: cuius frater ex concubina Zvventibaldus Galliæ Belgicæ Rex, cum crudeliter & temerè ageret, res Ecclesiarum affectaret, Ratpotonemque etiam Trevirensem Archiepiscopum baculo in caput percuteret, à suis spretus ac desertus, cum incautè viribus impar pugnâ cum eis congredi vellet, peremptus est. Baioarij per Bohemannos transeuntes ipsis secum assumptis, Marahen- F sem item devastant regionem, Vngarij hostes novi Italiam magnâ ex parte vastaverunt & conserto prælio victores * 20. ex Italis una die peremerunt. Itidem exploratam Baioariam invadentes circa Anesum flumen plurimas prædas abducunt: item Pannonias depopulatas occupant. Luitpaldus Marchio quibusdam copiis Vngariorum cum paucis Noricorum congressus uno tantum ex suis amisso 1200. peremit.

901 Vngarij Carentanum petentes commissa pugnâ victi cæsique fugerunt. Eodem anno Mormaius Dux Marahensis, & Isanricus Noricus Comes, qui ad ipsum transfugerat, cum Ludovico Rege pacificati sunt. Vngarij Marahenses petunt pugnâque victi terga verterunt. Ipso anno Beringer, Reginolf, & Gerhart nobiles Germani fratres, filij Atonis Comitis & Adellindæ, non longè ab Duchangiensi Cœnobio virginum, in pago Alamanniæ Erichgevve, à matre per G ipsum tempus studiose in honorem sancti Cornelij & sancti Cypriani martyrum constructo, cum sororem virginem nuptum tradere molientes, clam inde abducerent, ab inimicis circumventi & occisi sunt. & à matre sua apud ipsum cœnobium sepulti: ubi etiam ipsa, postquam Ierosolymam aliaque loca sancta causa orationis adiit & rediit, divinis intenta servitiis & animarum inhians lucris, fœliciter hanc vitam finiens condita est. Ipsa filia virgine Æquivuca sua Abbatissa inibi constituta est.

902

903

904 Romæ post Benedictum Leo V. prius presbyter Forensis, Papa * C X X. sedit mensibus ferme 2. post quem, ut in quibusdam inveni, Christophorus prius Cardinalis, Papa C X X I. sedit mensibus 4. qui deiectus est & monachus factus.

* m.s. habet. 123.

905 Romæ Sergius III. Papa C X X I I. sedit annis 7. mensibus 4.

906 Adalpertus nubilis & bellicusus & Babenberg H Francus, commissa cum æmulo suo Conrado pugnâ, vicit, eumque cum multis aliis peremit.

907 Adalpertus cum prædia eius, utpote rebellantis, à Ludovico Rege vastarentur, & castrum uppugnaretur, perfidiâ, ut fama est, Hottonis Archiepiscopi & cuiusdam Luitpaldi, de quibus plurimum confidebat, ad Ludovicum Regem spe pactionis adductus, decullari iussus est. Baioarij cum Vngaris commissa pugnâ victi sunt.

908 Vngarij Saxoniam & Thuringiam late vastant. Luitpaldus occisus est.

909 Vngarij Alamanniam invadentes vastant.

910 Vngarij Franciam petentes commissa pugnâ superiores fuere. Adalbero venerabilis & famosus Augustæ Vindelicæ Episcopus obiit: post quem Hiltine annis 13. præfuit.

911 Ludovicus Rex adolescens moritur & Ratisponæ sepelitur. Post quem deficiente nostris in partibus stemmate regio, Conradus filius Conradi, Rex electus & unctus regnavit annis 7. Burchardus Dux

A

Alamanniæ in conventu suo orto tumultu occisus est: pro quo Erchanger ducatum invasit.

fluv. qui hodie Oenus.

912 Vngarij item Baioariam petentes, congregatis Baioariorum & Alamannorum copiis, iuxta fluvium Ine congressi magnâ strage profligantur. Cometæ huc anno visi. Rudolphus Rex Burgundiæ obiit, & Rudolphus filius eius regni illius iura disposuit anno 25. Romæ Anastasius I I. Papa C X X I I I. sedit annis 2. mensibus 2. Apud sanctum Gallum Notkerus magister doctus obiit. Otpertus Episcopus occiditur. Linhart excæcatus.

913 Item Vngarij ingressi Alamanniam vastant. Moguntiæ Hattone Archiepiscopo Augiensique Abbate mortuo Heriger in Episcopatu succedens annis 24. in Abbatia verò Hugo Abbas X X I. annum unum præfuit.

B

* forte XXII.

914 Salomon Constantiæ Episcopus & Abbas Cœnobij S. Galli à quodam proterno captus & in custodiam missus est. Augiæ post Hugonem Thietingus Abbas * X I X. præfuit annis 3.

915 Romæ Lando Papa C X X I V. sedit mensibus 5. post quem Leo V I. Papa C X X V. mensibus ferme duobus: & post hunc Ioannes X. Papa C X X V I. annis 14. mensibus duobus.

916 Vngarij item egressi inter alia mala totam pæne Alamanniam igne & gladio miserabiliter vastant. Ipso anno apud Altheim coram misso Apostolico Synodus habita. Augiæ Thietingo Abbate defuncto, Heribracht Abbas X X I I I. præfuit ann. 10. Apud S. Gallum B. Virgo Wihorada arctiùs inclosa est.

Ad oræ bucerat: Vdilbradis inclusa.

917 Vngarij pervasa ut ceperant Alamanniâ, Basileam urbem destruunt, indéque Alsatiâ vastatâ, Lotharij regnum, multa mala facientes, invadunt. Erchanger, qui ducatum Alamanniæ invaserat, cum fratre Bertholdo, Regi Eduurado rebellantes, eique tandem ad deditionem spe pactionis venientes, ipso iubente apud villam Adingam decollantur 12. Kalend. Feb.

918 Burchardus Dux Alamanniæ factus tyrannidem invasit. Conradus Rex obiit.

C

919 Heinricus Comes natione Saxo in Regem electus sine regali unctione regnavit annis 18. Pugna apud Winterturum inter Rudolfum Regem Burgundiæ, & Burchardum Ducem Alamanniæ commissa, Rex à Duce victus fugatur, Salomone Episcopo Constantiensi Abbateque Cœnobij S. Galli defuncto, Notinger in Episcopatu annis 15. Hartmannus in Abbatia 4. ferme annis successere.

920 Carolus Rex Galliarum in Franciam venit. Apud S. Gallum Rachildis virgo inclusa est.

921

922 Loithardus à Borchardo Duce, oppresso Heriberto, Augiæ præpositus, & fratres in exilium missi sunt. Sanguis Domini in Augiam Insulam à quadam matronâ defertur, sicut literis inibi historicâ relatione continetur. Apud sanctum Gallum Engilbertus Abbas constitutus annis 9. præfuit.

923

924 Sanctus Vdalricus Augustæ Vindelicæ Episcopus ordinatus, mirâ pietate & religione præfuit annis 50.

D

925 Vngariis iam Alamanniam vastando pervagantibus, & ad Cœnobium quoque S. Galli pervenientibus, Wiborada virgo inclusa, fracta cella à quodam ex eis perempta & martyrio coronata. Rachildisque contectalis eius illæsa divinitus conservata est.

926 Vngarij vastatâ Alamanniâ, totam Franciam, Alsatiam, atque Galliam igne, & gladio sævientes percurrunt. Burchardus Dux occiditur. Heinricus Rex magnum conventum Wormatiæ habuit. Herimannus Alamanniæ Dux promovetur. Augiæ Luithardus Abbas XXI. effectus præfuit annis 8.

927 Heriger Moguntiensis Archiepiscopus obiit, & pro eo Hildipertus Archipræsulatum accepit.

928

E

919 Romæ Stephanus V I I. Papa CXXVII. sedit an. 2. mense vno.

930 Heinricus Rex Bohemiam petit.

931 Romæ Ioannes vndecimus CXXVIII. sedit an. 4. Heinricus Rex Reges Abodritarum & Nordmannorum Christianos fieri fecit, ipséque Gallias petiit.

932 Vngarij Soraborum provinciam petentes ab exercitu Regis Heinrici cæde profligati, fugati, multique ex eis capti sunt.

933 Apud sanctum Gallum Thieto Abbas præfuit annis ferme 10.

934 Constantiæ Notingo Episcopo defuncto, Conradus, genere & vitâ prænobilis præsul ordinatus, 41. per annos illam nobiliter rexit Ecclesiam. Augiæ quoque post Luithardum Alavvicus venerabilis Abbas X X I I. præfuit annis 25. Eberhardus Argentinensis præpositus proximus incola cellæ Meginradi venit.

Ad verbum ad scripti: sanctus Cōradus Episcopus Cōstantiensis.

F

935 Romæ Leo V I I. Papa C X X I X. sedit annis 3. mensibus 6.

936 Heinricus Rex obiit, & in Saxonia apud Chutilineburg Cœnobium Virginum sepultus est: pro quo Otto filius eius regni gubernacula accipiens 38. ferme annis strenue rexit.

937 Vngarij per Baioariam Alamanniamque & Orientalem Franciam prædis, gladio, ignéque furendo vagantes transito Wormatiæ Rheno, Alsatiam, regnum Lotharij, & adiacentes usque ad Oceanum Gallias vastantes, per Burgondiam Italiámque tandem in Pannoniam redierunt: monasteria S. Bonifacij, sanctique Galli incendio conflagraverunt. Ipso anno Rudolfus Burgondiæ Rex defunctus Agauni apud sanctum Mauricium sepultus est: filius eius Conradus regnum pro eo suscepit. Arnolfo etiam Baioariæ Duce mortuo, Ducatum eius Bertolfus accepit. Baioarij cum multis aliis Ottoni Regi rebellant.

G

938 Otto Rex contra Baioarios procinctus movit; interim frater eius Heinricus ab Eberhardo comprehensus est: quo liberato, Eberhardoque in exilium relegato, denuo Noricos cum exercitu invasit, omnésque præter Arnolfi Ducis filium Arnolfum subiugavit, interim Vngarij Saxoniam invadentes à Saxonibus pugnâ victi cæsique fugantur. Romæ Stephanus V I I I. Papa C X X X. sedit annis 3. mensibus 4.

939 Otto Rex Lotaringos rebellantes petens usque ad Campimontem cum exercitu venit: interim Ludovicus Rex Galliarum Caroli filius Alsatiam invasit: sed mox Ottone huc comperto redeunte, perterritus regnum suum repetit; cumque castrum Brisacha ab Ottone Rege obsessum oppugnaretur, capita rebellionis Eberhardus Dux occisus, & Gisalpertus Dux in Rheno submersus interierunt, Episcopique & alij qui cum eis contra Regem venerant, fugati & dispersi sunt. Otto vero Rex dedito castro in regnum Lotharij reversus cunctos sibi rebelles, præter Metensem Episcopum, subiugavit. Heinricus quoque frater eius proiectis armis ipsi se subdit.

H

940 Otto Rex Gallias contra Ludovicum Regem petens, magnam provinciæ partem, usque ad Sequanam amnem vastavit, Hugonem, & Heribertum Principes ad se venientes suscepit. Hyems sæva huc anno facta & pestis animalium subsecuta. Hugo filius Richardi moritur.

941 Nota. Dux Lutpoldus Aostriæ occisus fuit cum multis militibus anno ab Incarnatione Domini 854. Kalend. Iunij & fecerunt civitates sylvestres, quæ dicuntur Walstet · postea anno 855. multæ gentes volebant destruxisse illam provinciam, quæ dicitur Glarus, & venerunt per portus; postea illi Glarenses venerunt cum 8.. viris & occiderunt bene 300. qui turpiter dederunt fugam.

942 Otto Rex cum Ludovico Rege Galliarum pacificatur. Cometa per noctes 14. visus & immensa animalium pestilentia facta. Romæ Marinus secundus Papa C X X X I. sedit annos 3. menses 6.

943 Vnga

A 943 Vngarij item Baioarius invadentes, pugna cum eis commissa victi terga vetterunt. Apud sanctum Gallum Gralo Abbas præfuit annis 17.

944 Terræ motus factus est 16. Calend. Maij.

945 Romæ Agapitus II. Papa CXXXII. sedit annis ferme 10. Otto Rex Galliam inferiorem perit. Tietlandus Patuen. primus Abbas loci.

946 Apud sanctum Gallum Rachildis virgo inclusa migravit ad Dominum.

947 Bertolfu Duce Baioariæ defuncto, Heinricus frater Ottonis Regis, ducatum illum accepit. Luitolfus filius Regis Itam laudabilem fæminam duxit uxorem. Mirmidona igne consumitur.

(Nota anno ab Incarnatione * 73.9n. propria quarta feria post Nativitatem Domini fuerunt fulgura & tonitrua tetra mediâ nocte.)

B Thiertlandus Abbas monasterij heremitarum, qui facit glossam super Epistolas S. Pauli.

948 Hermannus Dux Alamanniæ, qui provinciæ sibi creditæ cultum, habitum, mores, instituta multum, ut fertur, honestaverat, defunctus, Augiæque in capella S. Chiliani sepultus est: & Luitolfus filius Regis Ottonis, vir omnium sui temporis universo populo acceptissimus, Dux pro eo à patre suo constitutus est. Synodus magna 30. Episcoporum coram Ottone & Ludovico Regibus apud Ingelenheim habita est, ipso anno Longaudia incendio conflagrat. Capella cœnobio sancti Meginradi cælitus consecrata est 18. Calend. Octobris.

949 Lothario Rege Italiæ mortuo, Beringarius regnum invasit, viduamque eius Adalhaidem Rudolfi Regis Burgundiæ filiam multis iniuriis afflixit & coarctavit: qua vix fugâ elapsâ Ottonis Regis adventum in multis angustiis præstolatur. Gregorius 2. pater ac nobilissimus venit.

C 950 Otto Rex Italiam petiit eamque subiiciens sibi, Beringarium Regem resistere non valentem pepulit, Dominamque Adalhaidem suam futuram coniugem liberavit.

* al. 15. 951 Synodus * 15. Episcoporum magnusque totius regni Principum conventus apud Augustam Vindelicam coadunatur; ibique Beringarius Ottoni Regi ad deditionem venit, eique subiectionem promittit. Inter alia prodigia ignitus lapis, quasi massa cadentis ferri ab Occidente per aëra venit, & draco visus est ambulans.

952 Otto Rex Bohemiam, & filius eius Luitolfus Dux Italiam petivit. Otto Rex unà cum filio suo Luitolfu Italiam item ingreditur, & nuptiæ regales Papiæ celebrantur. Discordia inter Luitolfum Ducem & patruum eius Heinricum Ducem agitata. Fridericus Moguntiæ Archiepiscopus & Hartpertus Curiæ Episcopus Romam à Rege missi sunt.

953 Otto Rex fratri Heinrico favens filium contra se incitavit Luitolfum, magnáque totius regni turbatio diversarum studiis partium facta est. Arnolfus filius Arnolfi quondam Dux Noricorum, partibus se Luitolfi contra Regem iungens, Augustensem urbem Episcopatumque deprædatur. & beatum Vdalricum Episcopum Regi fidum in castello Mandichindâ obsessum capere vel occidere nititur: sed superveniente cum copiis militum Adalperto de Marthale Comite & Theodpaldo Episcopi fatre item Comite, pugnâ victus, turpiter repulsus est, divináque ultione cum cunctis fautoribus non multò post dignè punitus. In ea congressione Adalpertus comes parum vulneratus moritur, & à sancto Episcopo Augustæ honorificè sepelitur. Secuto tempore cum invalescente discordiâ Otto Rex & filius eius Luitolfus Dux collectis contra se invicem exercitibus iuxta fluvium Hilaram, & villam vocabulo Tussam, iamque pugnâ conflicturi consedissent, intercurrentibus sanctis Episcopis Vdalrico Augustensi & Halperto Curiensi, Deo donante, pacificati & confœderati sunt.

D — Ad orã has orant: Pugna in Meunchioga facta tẽpore S. Vdalrici.

954 Vngarij item egressi Franciam, Baioariam, Italiamque devastant.

955 Vngarij cum tantis, ut nunquam ante, copiis per-

E cursa Baioariâ, Licum fluvium transeunt, Basilicam sanctæ Afræ Augustæ incendunt, sanctum Episcopum Vdalricum multâ instantiâ divinum implorantem auxilium Augustæ cum sua obsessum armis circumstrepunt: sed superveniente cum exercitu Ottone Rege IV. * X. Aug. pugna valida nimis committitur, multum humani sanguinis funditur, cædes Vngariorum immensa sequitur, alveus fluminis fugientium cadaveribus oppletur, & paucissimis fugâ elapsis, innumerabilis eorum exercitus ad internecionem deletur; ipsi, qui tunc effugere poterant, per totam postea passim Baioariam capti trucidatique sunt: inter quos Reges eorum comprehensi Ratisponæ patibulis suspensi sunt, in ipsa pugnâ ea nostra parte inter alios multos Conradus Dux bellicosus & pius genere regius & sancti frater Episcopi, Theodpaldus sororis eius filius, Reginbaldus Comes F aviæ meæ Perthæ patruus occubuere. Romæ Ioannes XII. qui & Octavianus Papa CXXXIII. sedit annis 8. mensibus 4. qui tanti ordinis, heu proh dolor, oblitus, vanitati & spurcitiæ vitam suam deditus duxit. Moguntiæ Fridericus Archiepiscopus decessit eique Hatto successit. Heinricus quoque frater Regis Baioarij Dux moriens filium Æquivocum successorem reliquit.

* legend. 4. Idus Augusti.

Reginbaldus aviæ Hermãni patruus.

956 Luitolfus Dux Italiam hostiliter invasit fugatoque Beringario & filio eius, Papiâ urbe provinciáque potitus est.

957 Luitolfus Dux commissa pugnâ Adalpertum vicit, cunctisque sibi unà cum regno Italiæ subiugatis, ipse eodem anno apud Plumbiam immaturo obitu vitâ decessit, & magno multorum luctu Moguntiæ sepultus est, Ottone filio adhuc parvulo superstite relicto. Et Burchardus Alamanniæ Ducatum accepit.

958 Alavvico Augiæ Abbate defuncto Eggehardus Abbas a XIII. præfuit annis 15. qui Ecclesiam sancti Ioannis Baptistæ furmoso inibi artificio construxit. Nonnullis hominibus signa Crucis in vestibus apparent. Eberhardus Argentinensis Præpositus cum magno apparatu in cellam sancti Meginradi veniens, ibique regularem vitam instituens post eius introitum 25. anno ad Dominum migravit.

959 Apud S. Gallum Anno Abbas præfuit anno paulò plùs uno.

G 960 Apud S. Gallum Burchardus Abbas præfuit ann. 13. Gregorius Abbas efficitur.

961 Otto Rex filium suum Æquivocum, ex Adelhaide Reginâ, Regem eligi fecit: & ipse Italiam cum exercitu petiit. Signum in Sole apparuit.

962 Otto Rex Romam veniens à Ioanne seu Octaviano Papâ imperiali unctione coronatur, ipseque Papam pro sceleribus, quæ fama de illo vulgabat, arguens, eius corrigere turpitudinem non valebat.

963 Otto imperator Natalem Domini Papiæ moratus, ipso anno cum propter alia tum maximè propter Ioannis scelera, quæ magis magisque infamari audiebat, diiudicanda Romam venit. Quo comperto idem Papa fugiens, Campaniam petiit, ibique in sylvis & montibus latitavit: in cuius locum à Romanis & Imperatore electus vir venerabilis Leo VIII. Papaque CXXXIV. ordinatus est.

H 964 Imperator Otto Natalem Domini Romæ egit, eoque alias inde Italiæ partes lustrante, Romani non multo post contra Leonem Papam insurgentes eum neci dare, Ioannemque reducere moliuntur. Papa vero fugiens ex urbe in partes Spuleti ad Imperatorem venit, suas illi conquestus iniurias: cum iratus Imperator Romam infesto exercitu repeteret, mors illi Ioannis scelerati nuntiatur; & Benedictus Diaconus à Romanis Papa postulatur: abnuente vero imperatore, idem Benedictus eius nominis V. Papa CXXXV. nolente Imperatore sedit mensibus 2. & civitas ab Imperatore obsessa est, tantáque fame oppressa, ut modius furfuris 30. veniret denariis, nec multo post afflictis subactisque Romanis Imperator deditâ urbe traditoque Benedicto, Leonem Papam restituit, eique subiectionem & fidelitatem à Romanis sacramento

promittis

A promitti fecit. Qui tamen Papa multis postes ab ipsis affectus injuriis. Eodem anno Rege Romæ morante cum cæteris Principibus, idem Papa consecrationem Capellæ cœlitus factam in Cœnobio S. Meginradi, coram Principibus, scriptis confirmavit.

965 Otto Imperator Natalem Domini item Papiæ maneos indéque per montem Cenerum de Italia rediens octavam Epiphaniæ Curiæ egit: Burchardus vero Dux Suevorum Italiam hostiliter invadens, Adalbertum pugnâ victum fugavit, fratrémque eius Widonem occidit &(*ad*)Imperatorem victor rediit. Ipso anno Brun Agrippinæ venerabilis Archiepiscopus frater Ottonis obiit: cuius vita litteris edita à quibusdam habetur. [Cule uæ.]

966 Romæ defuncto Leone Ioannes XIII. prius Narniensis Episcopus, Papa CXXXVI. in ordine sedit annis plus minus 7.

967

968 Eclipsis solis 11. Calend. Decemb. facta.

B 969 Hoc tempore Rodfredus Comes & Petrus præfefectus cum aliis quibusdam Romanis Ioannem Papam comprehensum, & in castellum S. Angeli retrusum, & in exilium demum in Campaniam missum per 10. & amplius menses affligunt; donec Rudfredo occiso à Ioanne quodam, Crescentij filio, ad suam sedem vix tandem relaxatus rediret.

970 Otto Imperator Italicas iterum invasit provincias, Romámque veniens injurias Domini Papæ graviter in auctoribus sceleris partim exiliis, partim patibulis variisque pœnis, & abominationibus vindicavit.

971 Otto Imperator, cum in Italia moraretur, beatus Vdalricus Augustensis Episcopus iam grandævus & infirmus, cum Romam causa orationis peteret, eum adiit & Episcopatum Adelberoni Clerico sororis suæ Luitgardæ & Peteræ Comitis filio ab eo impetravit. Signum quoddam ignei coloris in cœlo apparuit.

C 972 Augiæ Eggehardo Abbate, ob res Ecclesiæ in paupertatem redactas, incusato, & ab Imperatore Ottone privato, Rudmandus Præpositus Abbas XXIV. promotus, præfuit annis 14. nimisque Abbatiam ditavit. Synodus apud Ingelenheim ab Episcopis collecta est, ibique B. Episcopus Vdalricus & Adalbero sororis eius filius, transgressionis Canonum accusati, causa suâ dictâ & excusatâ, absoluti revertuntur. Romæ Benedictus VI. Papa CXXXVII. præfuit anno 1. mensibus 10. apud S. Gallum Notkerus Abbas 4. 6. annos præfuit. Ratisbonæ S. Wolfgangus Episcopus factus est. [S. Vuolfgangus.]

973 Cum Beatus Episcopus Vdalricus apud Dilingam castrum cum Richwino Comite fratris sui Theodwaldi filio Pascha ageret, Adalbero Clericus, futurus post eum, vt sperabatur, Episcopus, ibidem flebotomatis subitâ morte periit; Augustæque in Basilica S. Afræ ab avunculo Episcopo sepultus est. Ipse B. Episcopus inter alia bona Abbatiam Vttenburam sibi subditam, libertatis privilegio ab Imperatore absolvi impetravit. Otto Imperator per ipsum tempus D Non. Maij subitò mortuus, apud Parthenopolim, quæ Magedeburg dicitur, ubi Archiepiscopatum summo studio fecerat, sepultus est; & filius eius Otto II. regni pro eo iura suscepit. Sanctus quoque Vdalricus Augustensis Episcopus longâ infirmitate decoctus anno ætatis 83. Episcopatûs vero 50. feria 6. 4. Non. Iulij fœlici obitu migravit ad Dominum, & in Basilica sanctæ Afræ Martyris venerabili Wolfgango Ratisbonensi Episcopo tumulatus, innumeris usque hodie claret miraculis: post quem Heinricus Augustæ Episcopus factus, præfuit annis 9. Borchardus etiam Dux Alamanniæ defunctus, Augiæque in capella sancti Erasmi conditus est: & Otto filius Luitolfi paternum pro eo ducatum recepit.

974 Romæ Benedictus Papa criminatus à Romanis, & Crescentio Theodoræ filio in castello sancti Angeli custodiæ mancipatus, ibique strangulatus est: & * [* *leg. e... vivente.*] ea inventute Bonifacius Ferrutij filius Papa ordinatus, E & post unum mensem expulsus Constantinopolim postea petiit, & Benedictus VII. Sutriæ prius Episcopus Papa CXXXVIII. ordinatus, sedit annis 9. * [* *al. Constantiæ.*] Constantinæ sanctæ memoriæ Conradus Episcopus 6. Kalend. Decemb hac vitâ decessit, & pro eo Gamenolfus annis præfuit plus minus 4.

975

976 Dissensio inter Regem Ottonem & patruelem eius Heinricum Ducem Baioariæ commota est.

977 Apud S. Gallum Ymmo Abbas præfuit annis 8. qui templum patroni sui pro viribus adornare studuit, iuxta distichon illud in arcu Ecclesiæ scriptum. Discordia inter Ottonem Ducem Sueviæ & Heinricum Baioariæ Ducem agitata.

978 Otto Imperator contra Lotharium Regem in Gallias duxit exercitum. Heinricus Dux Baioariæ, & alius Dux, Augustensis quoque Episcopus Heinricus, rebellantes Imperatori capti & exilio mancipati sunt, ducatúmque Baioariæ Otto Dux Suevorum cepit. F

979 Constantiæ Gamenolfus Episcopus obiit: eique Gebehardus nobilis & venerabilis Præsul succedens 16. annis Ecclesiam rexit, qui Basilicam sancti Gregorij in ripa Rheni Abbatiámque suis ex prædiis construxit: iam dicitur Petri domus; [*Ad [illegible] erat. Petershausen Petri domus.*]

980

981 Otto Imperator peragratâ Italiâ Campaniam Calabrósque fines cum exercitu ingreditur.

982 Græci cum magnis copiis, conductis etiam pretio Saracenis, Calabriam contra Ottonem Imperatorem defendere aggressi, magnis vtrinque viribus * conferta primo victi, & deinde novâ manu succurrentibus Agarenis exercitum nostrum privant vel capiunt. Ipséque Imperator in mari natando fugiens, ab hostibus captus, cum non agnosceretur ab eis, ad quoddam castrum maritimum pro pretio, vt rogabat, adductus à suis redemptus est. In eo conflictu nostris infaustissimo, inter alios innumeros Heinricus etiam Augustensis interceptus disparuit, eique Etich in Episcopatu successit. Ipso anno Otto Dux Suevorum & Noricorum obiit: & post eum Conradus Dux Alamanniæ factus est, Heinricúsque Ducatum Baioariæ recepit. G

983 Otto Imperator Romæ infirmatus 6. Idus Decemb. moritur, ibique honorificè in portica S. Petri tumulatur.

984 Otto III. secundi Ottonis ex * Greta coninge [* *legēd. Græca. Theophanum intelliga.*] filius, adhuc infantilibus annis Rex pro patre, quibusdam primoribus invitis, constitutus est, & magnâ curâ educatus, summâ indole crevit. Romæ Ioannes XIV. qui & Petrus Papiæ prius Episcopus, Papa CXXXIX. sedit mensibus 8. eumque Bonifacius Verrucij filius, priùs relegato Benedicto, male ordinatus, de Constantinopoli quo fugerat reversus, comprehendit & in castellum S. Angeli relegatum fame, &, ut perhibent, veneno enecuit, eiusque sedem CXL. Papa invasit.

985 Romæ Bonifacius VII. postquam 11. mensibus male invasam sedem occuparat, subitâ morte periit & mortuus à suis cæsus, confossus & triniatim pedibus tractus, vix tandem Ecclesiasticis miserantibus (*est humatus*) Augiæ Rudmanno Abbate defuncto Wittegonno 25. Abbas præfuit annis 15. Apud S. Gallum post Ymmonem Vdalricus Abbas præfuit annis 5. H

986 Romæ Ioannes XV. Papa CXLI. sedit annis 10. mensibus 7. qui clericos suos parvi pendens odio ab ipsis habitus est.

987 Fames magna hac anno facta. Ecclesia cellæ S. Meginradi aucta est.

988 Nota quod 88. annus fuit valde mirabilis ab Incarnatione Domini.

989 In Alamannia fuerunt multæ rixæ primo Liga traxit ad Pavariam & destruxit ibi multas villas. s. de Wirtenb. habuit bellum cum Ligâ. In eodem ann. duo Duces Pavariæ Dominica die ante Bartholomæi Apostoli & victoriam habuerunt; & de Ligâ occisi

fuerunt

A fuerunt quatuor millia hominum. De constantia evasit unus, de Lindandia nullus, de sancto Gallo unus, de Basilea duo. Est illud bellum factum penes Richenvvil.

990 Apud S. Gallum Vdalricus Abbas & Eggehardus magister doctus obierunt & Gehardus Abbas præfuit annis vndecim.

991 Theophania Græca Imperatrix mater Ottonis Regis Octavo viduitatis anno obiit.

Apud S. Gallum * Faillanus Scotus eruditus hac vitâ decessit.

* al. Eullanus.

992

993

994 Contado Rege Burgundiæ mortuo, & apud sanctum Mauricium sepulto, Rudolfus filius licet ignavus, regium ibi nomen per annos circiter 38. occupavit: sub quo, cessante iure, violentia & rapinæ in illo reguo, vt non facilè propelli possint, adolevere,

B ibique, vt hodie apparet, cum suis complicibus regnum obtinuere.

995 Heinricus Dux Baioariæ obiit, & filius eius ex Gisela Conradi Regis Burgundiæ filia, itidem Heinricus, Imperator postea futurus, ducatum interim obtinuit: huius soror Gisela Stephano Regi Vngariorum, cum se ad fidem Christi converteret, quasi verè iuxta nomen suum fidei * obses, in coniugium data, eleemosynis cæterisque bonis operibus inibi intenta consenuit. Constantiæ Gebehardus Episcopus venerabilis obiit, & in Basilica sancti Greg. Papæ à se constructa sepultus quiescit, cique Lantpertus habitu & professione monachus in Episcopatu succedens præfuit annis 23. qui templum sanctæ Mariæ ex parte diruens ampliavit.

* Diffo lem.

996 Otto Rex Italiam cum exercitu petit, sibique rebelles coartavit. Gregorius sanctus Abbas obiit.

C 997 Otto Rex subactis rebellibus, Italiâ Româque potitus est. Et Gregorius V. qui & Bruno, filius Ottonis Ducis Papa C X L I I. ordinatus, & Otto ab eo Imperator coronatus, qui venerabilis Papa Canonicam ibi disciplinam reparare satagens, sedit annis 5. mensibus 9. Augiæ Witegonnone Abbate privato, Alavvicus Abbas 26. promotus Romæ ab ipso Papâ consecratus, & privilegio donatus est. Conradus Alamannorum Dux obiit & pro eo Herimannus ducatum accepit, qui & ipse filiam Conradi Regis Burgundiæ Gerbirgam in matrimonio habuit, ex qua filium Æquivocum tresque filias reliquit.

998

999 Otto Imperator iterum Italiam cum exercitu invisit.

1000 Mortuo in Italia Wideroldo Argentinæ Ecclesiæ Episcopo Alavvicus Augiensis Abbas Episcopus pro eo ab Imperatore promovetur, & Werinharius Augiæ Abbas 27. statutus præfuit annis 6. Romæ quo-

D que defuncto Gregorio Papâ Silvester sedens, qui & Gerbertus primò Remorum, post Ravennatium Archiepiscopus, seculari litteraturæ nimium deditus & ob hue curioso Imperatori admodum amatus, Papa in ordine C X L I I I. ordinatus sedit annis 5.

1001 Otto Imperator Italiam sibi quaque versum subditam lostrat. Ad sanctum Gallum Burchardus Abbas præfuit annis 23.

1002 Otto Imperator in Italia in castro Palernâ anno regni 19. 10. Calend. Feb. immaturato obitu decessit, & inde asportatus, intestinis Augustæ conditis, Aquisgrani sepelitur. Et Baioariæ Dux Heinricus assumptis insignibus regni Rex pro eo regnavit annis 23.

1003 Heinricus Rex Heinricum Marchionem sibi rebellantem petens, plurima eius diruit castella. Ernust comprehenditur à Brunone Regis fratre, & Heinricus vix fugâ dilapsus Argentinæ à Herimanno Duce Alamanniæ Regi rebellante spoliatus, & divinitus in autores sceleris graviter vindicatum est, & ab ipso Duce sacro loco satisfactum.

1004 Heinricus Rex per Veronam Italiam cis Padum petens, omnes sibi partium illarum civitates subiecit. E Papiam ipsa qua coronatus est die, irrumpens, gladio & igne perdomuit. Inde acceptis obsidibus in Saxoniam reversus, post paucus dies in Sclavos arma convertit. Bohemanisque ad pristinam servitutem tributúmque redactis, Bolixlaum etiam Ducem Sclavorum Bolanorum cum tota gente sua subiugavit; & in Saxoniam victor rediit. Herimannus Dux Alamanniæ obiit, eique filius eius Herimannus puer omni populo acceptabilis in ducatum successit.

1005 Fames magna facta est. Romæ post Gerbertum Ioannes 16 Papa C X X X X I V. sedit anno uno.

1006 Augiæ Werinhario abbate defuncto, fratres Heinricum Monachum elegerunt. Sed Rex Heinricus eius insolentiam, quamvis ab eo pecuniss accepisset, detestatus, fratribusque apud se accusatis infensus, Ymmonem quendam Goraiensem Abbatem, qui & Prumiam ipso tempore tenebat, virum austerum, ipsis in- F vitis præposuit. Vnde nonnullis ex ipsis sponte locum illum relinquentibus, quibusdam etiam ab eo ieiuniis, verberibus, exilioque graviter afflictis, nobile Monasterium in Magnis viris, librisque, & Ecclesiæ thesautis, grave (peccatis exigentibus) pertulit detrimentum. Sicuti Rudolpertus Monachus nobilis, doctus, & facetus matris meæ patruus, prosa, rithmo, metroque flebiliter deplangit. Romæ Ioannes 17. qui & Fasanus Papa C X L V. ordinatur.

Rudolpertus Hermanni matris patruus.

1007 Heinricus Rex summo studio apud castrum suum, Babenberg nobilem & divitem Episcopatum construxit, primusque ibi hoc anno Episcopus promotus est Eberhardus.

1008 Luitolfo viro docto Treverensi Archiepiscopo defuncto, Megingaudus pro eo Archiepiscopus promovetur, sed Adalbero clericus Reginæ Cunigundis germanus, quibusdam faventibus, ad Archipræsulatum, quasi ex regio promisso sibi debitum, admisus Treverense palatium præsidiis occupat, & iam cum fratribus suis Theodorico Metensi Episcopo, & He- G inrico Baioariæ Duce, Fridericóque Comite adnitente, etiam cum aliis multis Gerhardo item Comite contra Regem rebellavit: qui omnes à Rege post aliquo temporis spatium subacti sunt: & Heinricus ipse Baioariæ ducatu privatur. Ipso anno Heinricus Rex cognitâ tandem post duos annos Ymmonis crudelitate, remoto eo Bern. virum doctum, & primò Prumiensem monachum, Augiæ constituit Abbatem, qui gratanter susceptus, fratres dispersos recolligit, & à Lantperto Constantiensi Episcopo Abbas eius loci 29. consecratus, magnâ insignis scientiâ pietateque præfuit annis 40.

1009 Wolferadus Comes Hilprudem, & Piligrim Bernhardi filiam uxorem duxit, ex qua postea me Hermanno annumerato 15. liberos produxit.

1010 Senior Wolferadus Comes, paternus avus in ensibus clemens, & iustitiæ tenax, inter suosque præclarus, 4. Nonas Martij iam senex moritur.

1011 Willigisus Moguntiensis Archiepiscopus obiit, H eique Erchenvvaldus successit. Theodoricus Dux partis Lotharingorum sub ipsa pœne præsentia Regis à Heinrico Baioariæ dudum Duce à quibusdam Lotharingis captus & abductus est: quo tamen postea relaxato, Heinricus ipse gratiam Regis ducatumque recepit.

1012 Conradus Dux Carentani filius Ottonis Ducis fratérque Brunonis dudum Papæ, obiit, & privato filio eius puero Conrado, Adalbero ducatum accepit. Herimannus quoque Alamanniæ defunctus Ernustum sororis suæ Giselæ maritum successorem accepit.

1013 Romæ defuncto Sergio Papâ Benedictus IIX. Papa C X L V I I. sedit annis ferme 12. HARIMANNVS ego 15. Calend. Augusti natus sum. Heinricus Rex Italiam cum exercitu petit.

1014 Heinricus Rex Romæ imperiali à Benedicto Papa coronatur benedictione.

1015 Ernust Dux Alamanniæ in venatu ab Adalbero-

ne

ne Comite feram appetente, sagittà vulneratus interiit; & ducatum eius filius Æquivocus, viduam verò Giselam Conradus filius Heinrici filij Ottonis Ducis, futurus postea Imperator, accepit. Megingaudus Trevirorum Archiepiscopus obiit, eique Pippo vir venerabilis frater ipsius Ducis Ernusti successit.

1016

1017 Godefridus Dux partis Lotharingorum Gerhardum Comitem Conradi, postea Imperatoris, avunculum commisso prælio vicit.

1018 Constantiæ Lantperto Episcopo defuncto, Ridhardus præsulatum accepit, annisque ferme quinque præfuit.

1019 Conradus adolescens filius Conradi quondam Ducis Carentani, auxiliante patruele suo Conrado, postea Imperatore, Adalberonem tunc Ducem Carentani apud Vlmam pugnà victum fugavit.

1020 Benedictus Papa ab Imperatore invitatus Babenberg venit, ibique Ecclesiam sancti Stephani dedicavit. Werinharius Argentinæ Episcopus auxiliantibus quibusdam Suevis, Burgundiones invasit & conserto prælio vicit. Ego Herimannus litteris traditus sum 17. Kalend. Octob.

Ad verba hæc adscripta. Hermannus Contractus ad scholam missus est.

1021 Terræmotus magnus 4. Idus Maij feriâ 6. factus. Heribertus Coloniæ Agrippinæ Archiepiscopus, vir magnæ sanctitatis hac vitâ decessit; multis miraculis claruit: eique Piligrinus successit. Erchenbaldo quoque Moguntiensi Arhiepiscopo defuncto, Aricbo Archipræsul efficitur. Post Wolfpotonem quoque Leodicensem Durandus Antistes promovetur. Irmendrudus etiam * Brdehangiensis Abbas venerabilis 10. Kalend. Maij obiit: eique Abarhilt Abbas successit. Ex quo tempore locus ille magis magisque in deterius defluere cœpit. Heinricus Imperator in Italiam expeditionem movit. WERINHARIVS frater meus Calend. Novemb. nascitur.

** al. Aribo.* *frater Hermanni.*

1022 Heinricus Imperator Campaniam petens Beneventum intravit, Troiam oppugnavit & cepit, Neapolim, Capuam, Salernum, aliásque eò locorum civitates in deditionem omnes accepit; & Nordmannis quibusdam, qui tempore eius illò confluxerant, quoddam, ut fertur, illis in partibus territorium concessit, sicque per urbem transiens Romanam, victor rediit in Germaniam. Pestilentia in exercitu orta multos extinxit, inter quos Ruddhardus Constantiæ Episcopus, atque Burchardus Abbas de Cœnobio S. Galli obierunt. Et pro his Heimo Episcopus annis ferme quatuor, Theobaldúsque Abbas undecim annis præfuerunt. Nothkerus quoque magister & alij præstantes fratres apud S.Gallum decesserunt.

1023 Ratisbonæ post Gebehardum Episcopum, castum virum à singularibus quibusdam moribus & munditiarum ornatúsque consueto quodam amore famosum, & in divinis officiis nimis studiosum, ab hac luce subtractum, alter item Gebehardus Augustensis Canonicus successit.

1024 Romæ defuncto Benedicto frater eius Ioannes 18. ex laico, Papa CXLVIII. ordinatus, sedit annis ferme 9. Heinricus quoque Imperator 3. id. Iulij absque filio diem obiens apud Episcopatum * Benbergerensem à se constructum, quem omnium prædiorum & thesaurorum suorum reliquerat hæredem, in Basilica S. Petri sepelitur. Deinde Conradus senior filius Heinrici & Adelheidæ & patruelis eius Conradus filius Conradi Ducis ex Mathilde, ad regnum præcipuè aditerentur, habito apud villam Kambam principum * p. conventu, senior Conradus, Rex promotus, & ab Aribone Archiepiscopo Moguntiaci unctus est 6. Id Septemb. Nec multò post uxor eius Gisela à Piligrino Archiepiscopo Coloniæ Regina nihilominus benedicta 13. Kalend. Octob.

** al. Babenbergensem.*

1025 Rebellio & discordia multa contra Conradum Regem à patruele eius Conrado, & Ernusto Duce Alamanniæ, privigno eius Welph quoque Suevigenâ Comite & aliis pluribus facta.

1026 Rex Conradus sedatis ex parte rebellibus, circa tempus Quadragesimæ cum exercitu Italiam adiit, & Pascha Vercellis acto totam, præter Luccam urbem Tusciæ, Italiam in cis Romanis partibus sibi subiugavit. Ernust Dux alamanniæ cum eo ipso anno interpellante matre pacificatus Campidonensem loco beneficij Abbatiam accepit, suisque militibus distribuit, nec multo post privato aversus consilio iterum rebellavit. Ipso anno Constantiæ Heimo Episcopus subitâ morte plevresi tactus decessit, eique Warmannus successit annis ferme 8. Burchardus quoque Campidonensis & Rhenaugiensis Abbas obiit, eique Rhenaugiæ Pirhtilo Abbas substituitur. Brun Augustensis Episcopus, & Welph Comes prædis & incendiis inter sese mutuo debacchantur.

1027 Conradus Rex acto Yporegiæ Natali Domini in ulteriora progressus Luccam cum Reginhero Marchione in deditionem accepit, Romamque perveniens, à Ioanne Papâ in die sancto Paschæ Imperator coronatus est. subactâque Italià totâ reversus, in Alamannia apud Vlmam placitum habuit, ibique ad deditionem Ernustum Ducem privignum suum & Welph Comitem cum aliis accipiens, per aliquot tempora exilio deputavit. Cinyburg castrum Werenharij Comitis adhuc renitentis, aliaque nonnulla rebellium castra capta sunt. Conradus & patruelis eius sese Imperatori tradens, in exilium nihilominus mittitur. Werinharius Argentinæ Præsul Constantinopolim ab Imperatore legatus dirigitur, ibique insequenti anno defunctus Wilihelmum successorem accepit. Hiltegart * Bdchangiæ Abbas efficitur.

** Buchh. ga.*

1028 Heinricus filius Imperatoris Aquisgrani in die Sancto Paschæ Rex à Principibus cunctis adhuc puer electus, à Piligrino Coloniensi Archiepiscopo unctus est.

1029 Imperatore Ratisbonæ Paschale festum agente Brun Augustensis Episcopus, summus Symmysta eius vita inibi decessit, Augustæque in incepta S. Mauricij Basilica sepultus Eberhardum accepit successorem.

1030 Ernust Dux cum exilio relaxatus ducatum suum recepisset, privatorum consilio usus, & denuo Imperatori refragatus, Ducatu privatur: & frater eius iunior Herimannus Dux Suevorum efficitur. Conradus Imperator iamdudum inimicitiis cum Stephano Vngariorum Rege conflatis Pannoniam petiit, & quantum fluminibus & paludibus non obstantibus poterat, Rabam devastavit. Interim in Alamannia cum Ernust dudum Dux eiusque complices parvis viribus contra Imperatorem agitantes, prædis circa sylvam Martianam populares infestarent à Manegoldo Comite ex Augiensi militià observati, & 16. Calend. Septemb. conserto prælio victi sunt. Ipsoque Manegoldo ibidem perempto, Ernust pridem Dux, & Werinhere Comes caput rebellionis, Adalbertus quoque & Werin nobiles milites cum aliis ceciderunt, & Ernust Constantiæ, Manegoldus vero Augiæ sepulti sunt. Borchardus Augiensis monachus Ratisbonæ apud S. Emmeramum Abbas promovetur. Pax cum Stephano Rege Vngariorum redintegratur.

1031 Aribo Moguntinæ sedis Archiepiscopus Romam orandi gratià petens, hac vita decessit: eique in Archipræsulatum Bardo vitâ & habitu monachi venerandi successit. Primi lapides Ecclesiæ sancti Megenradi cellæ 6. Id Maij positi.

1032 Rudolfus Ignavus Burgundiæ regulus obiit, & diadema eius regnique insignia Conrado Imperatori per * Seligerum allata sunt Imperatoreque ipsis diebus contra Misiconem Sclavorum, qui Boloni vocantur, Regem exercitum ductante, Odo sororis eiusdem Rudolfi filius, princeps Gallicæ Campaniæ, regnum Burgundiæ invasit, captisque Nuenbug & Murtena castris, sua in eis præsidia posuit. Bern. Augiæ Abbas, missis Romam Cœnobij sui privilegiis, à Papa Ioanne item privilegium cum sandaliis, ut Episcopalibus indumentis Missas ageret, accepit. Vnde permoto

Warmanno

A Warmanno Constantiensi Episcopo, apud Imperatorem quasi pervasuor officij & honoris accusatus eousque ab utrisque coarctatur, donec *idem in Cœna Domini sequentis an incendendum. Ipso an. Bocaugiense Cœnobium 11. Idus Ianuarij incendio flagrat. Bertha avia mea fœmina satis religioso a 3. viduitatis anno 11. Calend. Januar. decessit.

[Margin: * ...vilegium ipsi Episcopo ... publice in Synodo sua, id est, in Cœna Domini.]

1033 Imperator post Natalem Domini Burgundiam petiit. Murcenam obsedit: sed impediente hyemis algore nihil inibi se dignum potuit efficere. Idem rursum æstate ipsam Odonis provinciam, Gallicam invadens Campaniam prædis & incendiis devastavit, donec ipse Odo supplex ad eum veniret, & clementer susceptus satisfactionem licet fictè promitteret. Romæ defuncto Ioanne Benedictus * II X. qui & Theophylactus Papa C X L I X. ordinatus, licet indignis tanto ordini moribus & factis, sedit annis plus 12. Eclypsis Solis 3. Calend. Iulij circa septimam diei horam facta.

[Margin: * al. I X.]

B 1034 Imperator iterum Burgundiam cum magnis petens copiis omnia eis Rhodanum castella subjecit, Murcenam diruit, Gennensem urbem intravit, Lugdunensem Archiepiscopum Burghardum, genere nobilem & strenuum, sed per omnia scelestum & sacrilegum, cum multis aliis Principibus in deditionem accepit, subjugatóque Burgundiæ regno rediit. Ipso anno Warmanno Constantiensi Episcopo mortuo frater eius Eberhardus succedens plus 12. præfuit annis. Megenhardo quoque præsule Wertzeburgensi defuncto Brun patruelis Imperatoris filius * Seliæque ex Mathilde Conradi Ducis Episcopatum die Paschæ accepit apud sanctum * eciam. Theobaldo Abbate decedente Nordpertus successit. Pagani Sclavi Leutizi dicti Saxoniæ terminos infestant.

C 1035 In Italia minores milites contra dominos suos insurgentes, & suis legibus vivere, eósque opprimere volentes, validam conjurationem fecere. Ad quos coërcendos cum primores adunati pugnam inirent multi utrinque ceciderunt; inter quos & Astensis Episcopus vulneratus interiit. Adelbero Dux Carentani & Histriæ amissa Imperatoris gratiâ, Ducatu quoque privatus est. Leutizi Wirbinam castellum clam proditum capiunt, multósque nostrorum occidunt, captivos abducunt. Imperator vi transito Albiâ flumine provinciam eorum ingrediens latè vastat. Synodus magna apud Tiburiam ab Imperatore collecta est.

1036 Piligrinus Coloniensis Archiepiscopus decessit; eique Hermannus Ottonis II. Imperatoris ex filia nepos successit. Gebehardus 2. Ratisbonensis Episcopus 16. Calend. Maij obiit; pro quo 3. Gebehardus Conradi Imperatoris ex matre Adelhaide frater Episcopus ordinatur. Heinricus Rex filius Imperatoris Chunihildem Cnutonis Danorum & Anglorum filiam regalibus sibi apud * Noviomagum nuptiis copulavit uxorem. Conradus patruelis Imperatoris patris sui ducatum in Carentano & in Histria, quem Adelbero habuerat, ab Imperatore suscepit. Hermannus quoque Dux Alamanniæ Marcham soceri sui Meginfridi in Italia ab Imperatore accepit. Leutizi Sclavi Imperatori vectigales facti. Burghardus * Lucdunensis Archiepiscopus imò tyrannus & sacrilegiis Ecclesiarum deprædator inectluosus, cum Vdalricum Selegereri filium bello peteret, ab ipso victus & captus Imperatorique adductus, ferro compeditus & custodiâ mancipatus, multis annis detinetur in vinculis. Imperator hyeme Italiam petit. Sanctimoniales & Domina Irmengarda Welph Comitis vidua apud Altorf pro clericis collectæ sunt.

[Margin: D; * al. Noviomagum.; Lugdunensis.]

1037 Imperator celebrato Veronæ Natali Domini, per Brixiam & Cremonam Mediolanum pervenit, inde Papiam adiens Heribertum Mediolanensem Archiepiscopum, infidelitatis accusatum, apprehendi iussit, eúmque Poponi Patriarchæ Aquilegiensi custodiendum commendavit: qui fugâ elapsus cunctis viribus eidem Imperatori rebellare contendit. Imperator Paschali festo Ravennæ acto territorium Mediolanense repetit, urbem obsedit, castella, villas, omniaque circum ad rebelles continentia vastavit. Conjuratorum vero manum facilè compescuit, eisque legem quam & prioribus habuerant temporibus, scripto roboravit. Papa Benedictus Cremonam ad Imperatorem venit. Episcopi Placentinus, Cremonensis, & Vircellensis incusati ab Imperatore, captique, & in exilium missi. Ipso anno pugnâ inter Odonem Gallicæ Campaniæ Principem & Gozxilonem Lotaringorum Ducem commissa. Odo victus & cum suis fugatus in ipsa fugâ peremptus interiit.

E 1038 Cum Imperator Natalem Domini Parmæ ageret, orto inter Parmenses cives & exercitum tumultu, multi ceciderunt, & pluribus civium trucidatis, ipsa civitas Incendio consumpta est. Papa Archiepiscopum Mediolanensem Imperatori adhuc rebellantem excommunicat. Imperator cum ultra Romanas partes peragrasset, indéque per Adriatici maris oras remearet, mense Iulio ingens exercitum pestilentia invasit, & plurimos extinxit: inter quos Chunihildis Regina Heinrici Regis uxor 17. Calend. Augusti defuncta, & ad castrum Linaburg translata, ibique sepulta est. Hermannus quoque Dux Alamanniæ suis admodum flebili morte 5. Calend. Augusti occumbens Tridentini tumulatus est. Imperator de Italia reversus Solodori colloquio habito, plurimos Burgundionum primores tam sibi quam filio suo subjectionem sacramento firmare cœpit. Ipso anno Stephanus Vngariorum Rex cum ante plurimos annos se cum totâ gente suâ ad Christi fidem convertisset, Ecclesiásque multas & Episcopatus contraxisset, & regnum suum probis mitissimus* operam impendisset, Petrum sororis suæ filium de Venetia natum pro se Regem constituens, obiit.

F

G 1039 Conradus Imperator apud Trajectum Fresiæ urbem, Pentecosten 3. Nonas Iunij inopinatâ morte subitò decessit; & Nemetum allatus ibique sepultus est: & filius eius Rex Heinricus gubernaculum regni suscepit. Regiabaldus quoque Nemetensis Episcopos, vir vitâ & habitu Monachico verendus, 3. Idus Octobr. decessit: eique Sibicho famâ longe dissimilis successit. Conradus & Dux Carentani & Adelbero æmulus eius, qui ante eum ducatum eundem tenuerant, ipso anno obierunt. Heinricus Rex motâ in Bohemiam expeditione, cum Dux gentis Brezizlaus filium suum ob fidem ei obsidem misisset, séque ipsum venturum & imperata facturum, licèt fictè promisisset, statim rediit. Petrus Rex Vngariorum hyeme terminos regni sui invadens, prædis, incendiis, & captivitate depopulatur. Ecclesia cellæ sancti Meginradi 3. Idus Octobris dedicatur, & * reliquiæ corpus sancti Meginradi.

H 1040 Heinricus Rex Bohemiensium Ducem iterum rebellantem petens, ad præstructionem seu munitionem Silvæ citra & ultra expugnandam, partem expeditam exercitûs per devia saltûs in provinciam misit: sed cum undecimo Calend. Septembris istac, crastina vero die illac milites sylvosa difficilia & obstructa loca ingressi casso labore iam fatigabūdi, firmissimam quandam machinam oppugnatum aggredi frustra tentarent, irruentibus undique Bohemanis cæsi, capti, fugatique, & qui in provincia adhuc ex nostris remanserant, interveniente Guinthario Eremitâ incolumes educti redierunt. Rex verò plurimis militum & procerum amissis, infecto interim negotio discessit. Eberhardus Babenbergensis Ecclesiæ primus Episcopus anno promotionis 33. decessit: cui Suidgerus natione Saxo, vir laudabilis successit.

1041 Heinricus Rex reddito Bohemano Duce obside filio suo, captivos in Sylva captos redemit; secutáque æstate collecto grandi exercitu provinciam ipsam per devia ingressus, prædis & incendiis cuncta devastat, donec Dux malis inbactus pacem postularet, sui deditionem, & cum tota gente subjectionem, Ratisbonam

A que ſe ad Regem venturum & imperata facturum, fidelibus Regis ad ſe vocatis promitteret. Quod & Rege diſcedente, mox facto implevit. Ipſo anno Vngarij perfidi Ovonem quendam Regem ſibi conſtituentes, Petrum Regem ſuum occidere moliuntur; qui vix fugâ lapſus primo ad Marchionem noſtrum Adelbertum ſororis ſuæ maritum profugus venit, indéque ad Regem Heinricum veniens, pedibúſque eius provolutus veniam & gratiam imploravit & impetravit.

1042 Heinricus Rex hyeme Burgundiam invaſit, multóſque Principum ſe illi ſubiicientes ſuſcepit, nonnulláque legitimè diiudicavit. Ovo Vngariorum tyrannus, ob ſuſceptum à noſtro Rege Petrum, diviſit bifariam exercitum ſuum; fines Baioariæ ex vtráque parte Danubij deprædans, & incendens depopulatur; ſed una pars exercitûs eius à Septentrionali parte Danubij ab Adalberto Marchione & filio eius B Luitpaldo ad interneccionem cæſa eſt. Heinricus quoque autumno Pannonias petens Heimenburg & Brecesburg evertit: Septentrionalem Danubij partem (quia flumina Auſtralem & paludes munierant) vſque ad Grana flumen vaſtavit ſeu in deditionem accepit: & pars exercitûs bis numero Vngariam incurſantibus congrediens, ſtrages magnas effecit, & ſubactis partium illarum Vngariis, cum Petrum recipere nollent, quendam alium ex illis, item apud Bohemanos exulantem; Ducem eis conſtituit; quem tamen Ovo ſtatim poſt diſceſſum Regis, reſiſtere non valentem, in Bohemiam repulit. Popo Patriarcha Aquilegienſis obiit eique Eberhardus Auguſtenſis Canonicus à Rege promotus ſucceſſit.

1043 Giſela Imperatrix apud Goſlere, quamvis, à ſortilegis nonnunquam vera ſibi prædicentibus decepta, filio Regi ſe ſupervicturam, crederet * deſuncte morbo 15. Calend. Maij deceſſit, & Nemeti iuxta maritum Imperatorem ſepulta eſt. Æſtas pluvioſa frugum & vindemiarum penuriam fecit. Heinricus Rex iterum Pannonias petens, ab Ovone vix pactum, ſatisfactionem, obſides, munera, regníque vſque ad C Litha fluvium, partem accipiens, diſceſſit, inde in Alamanniam veniens in Synodo Conſtantienſi cunctis, qui contra ſe deliquerant, primum ipſe debitum omne dimiſit, deinde precibus & adhortationibus omnes præſentes Suevigenas, poſtea in aliis regni ſui provinciis idem actum iri ſatagens, dimiſſis debitis & inimicitiis, ſibi invicem reconciliavit; pacémque multis ſæculis inauditam efficiens, per edictum confirmavit. Exin Agnetem Walhelmi Pictavienſis filiam ſponſam ſuam accipiens, & Moguntiaci Reginam inungi faciens, regales apud Ingelheim nuptias celebravit; & in vano hiſtrionum favore nihili pendendo, utile cunctis exemplum, vacuos eos & mœrentes dimittendo propoſuit. Vbi quoque Luitpaldus Adalberti Marchionis filius, magnæ virtutis & pietatis adoleſcens, ab ipſo Rege Marchio promotus; & poſt paucos dies defunctus Treviri à patruo ſuo Poppone Archiepiſcopo ſepultus.

* leg. dyſenteriæ.

1044 Maxima peſtis pecudum & hyems ſatis dura, D & nivoſa magnam vinearum partem frigore perdidit, & frugum ſterilitas famem non modicam effecit. Gozxilo Dux Lotharingorum moriens Gozzilino filio quamvis ignavo ducatum ſuum à Rege Heinrico promiſſum, relinquere diſpoſuit. Filius ei Godefridus iam dudum Dux cum ducatum fratri debitum contra fas à Rege Heinrico ſibi obtinere nequiviſſet, jusjurandum fidémque poſtponens, rebellare pio Regi præſumit. Ovo Rex, cum jusjurandum pactúmque fregiſſet, Heinricus Rex cum perpaucis copiis Pannonias petiit, quem Ovo, qui maximum paraverat exercitum, in tantum deſpexit, vt eum quaſi facile occidendum ſeu capiendum, provinciam ingredi ſineret: Sed Heinricus parte copiarum Rabam fluvium feſtinè in divino confiſus auxilio tranſnatavit, pugnam cunctis militibus paſſim feſtinantibus, iniit, & in prima congreſſione innumerabilem Vngariorum E exercitum fugavit & proſtravit; & pauciſſimis ſuorum amiſſis ipſemet fortiſſimè pugnans glorioſiſſimam victoriam adeptus eſt 3. Non. Iulij. Et Ovone Rege vix fuga elapſo omnes Vngarij ad deditionem ſervitium promittunt. Ipſe vero, ut erat per omnia piiſſimus, Petrum iam dudum expulſum regno ſuo reſtituit. Vngarios petentes lege Baioaricâ donavit, ipſe cum triumpho in regnum ſuum rediit. Nec multo poſt idem Ovo, à Petro Rege deprehenſus, ſcelerum ſuorum pœnas capite plexus perſolvit. Eodem anno Ludovicus Comes Reginoldum Principem Reginæ (Agnetis) avunculum, ſed Heinrico Regi inimicum, dum quoddam caſtellum eius, quod Mons Piligardæ dicitur, magnâ cum manu expugnare pararet, cum parua militum ſuorum copiâ pugnam iniens vicit, multiſque cæſis reliquos fugavit. Romani Benedictum Papam multis criminatum ſede ſuâ pellunt & Silſtrum quendam in lo- F cum eius ſtatuunt, quem tamen poſtea Benedictus quibuſdam ſibi faventibus, excommunicatum depulit, ſedique ſuæ redditus ſeipſum poſtea privavit, & alium pro ſe ob avaritiam contra Canones ordinat. Heribertus Mediolani Archiepiſcopus obiit. Beggelinheim caſtellum Gottefridi à Rege deſtruitur. Gebehardus Ravennas Archiepiſcopus obiit, & pro eo Wideger conſtituitur.

1045 Reginolt & Gerolt Burgundiones Regi apud Solodorum ad deditionem venerunt. Otto Palatinus Comes Paſchali hebdomadâ Dux Alamanniæ apud Goſtere à Rege conſtituitur. Petrus Rex Heinricum Regem in feſtivitate Pentecoſtes ad ſe invitatum cum magno apparatu ſuſcepit, & maximis muneribus donavit, eique regnum Pannoniarum, Principibus Vngariorum fidelitatem illi & ſucceſſoribus eius iuramento firmantibus, reddidit: quod tamen ab eo ipſe dum viveret poſſidendum recepit. In quo videlicet itinere Rex quoddam vetus ſolarium aſcendens, cum multis aliis ædificio cadente, corruit: ipſoque Deo protegente, illæſo, Bruno Wirtzeburg Epiſcopus lethaliter cum aliis collapſus, poſt unam hebdomadam G ſeptimo Calendarum Iunij obiit, & ad ſedem ſuam reportatus ibique ſepultus, Adalberonem * ſuſceptorem ſuſcepit. Gotefridus Dux rebellioni ſuæ deſperans, Regique ad deditionem veniens, in cuſtodiam mittitur. Wido Mediolani Archiepiſcopus conſtituitur, Sclavi, qui Luitici dicuntur, Saxoniæ terminos inquietantes, Regi illo cum copiis militum venienti ſe tradunt, & ſolitum cenſum promittunt. Autumnali tempore * Guticharius Eremita ad Chriſtum migravit, & in Praga Bohemiæ urbe ſepultus quieſcit. Per idem tempus regale colloquium apud Triburiam condictum gravis Regis infirmitas præpedit, quo etiam tempore Agnes Regina filiam Regi peperit.

* al. ſucceſſ. ſuum.

* al. Gũthero.

1046 Rex Natalem Domini in Saxonia apud Goſlere celebravit. Magna mortalitas multos paſſim * continxit. Eggehardus Marchio ditiſſimus ſubitò moriens prædiorum ſuorum Regem reliquit hæredem. Rex Paſchale feſtum apud Traiectum Freſiæ urbem egit, & ſubſecutis diebus navali expeditione in Phlatirtingam fretum traiiciens, pagum quendam quem H Theodoricus Marchio ſibi uſurpaverat, ab eo eripuit: unde idem poſtea rebellionis cauſam ſumpſit. Sanctam autem Pentecoſten Aquiſgrani faciens, Gotefrido Duci cuſtodiâ relaxato ſibique procedenti terratenus proſtrato ducatum ſuum miſertus reddidit. Quibus etiam diebus Widgerum, qui Ravennæ præſulatum iam biennio ineptè & crudeliter, nondum conſecratus, tenebat, ad ſe vocatum Epiſcopatu privavit. Sequenti tempore Rex in Italiam expeditionem parat. Fridericus frater Heinrici Ducis Baioariæ Dux Lotharingorum pro Gotefridi fratre ignavo Gozxilone conſtituitur. Subſecuto autumno Vngarij priſtinæ perfidiæ ſuæ memores, Andream quendam Regem ſibi ſtatuunt. Petrum Regem multis advenarum, qui pro eo pugnaverant, occiſis, * variis cum coniuge

* al. extinxit.

ſuâ

A

suâ alendum deputant, multis etiam per idem tempus peregrinis inibi expoliatis, exulatis, atque necatis; quo comperto Rex Heinricus, qui jam valido exercito congregato in Italiam iter cœperat, nimis indoluit, sed inceptam expeditionem non deservit. Itaque coadunato exercitu Papiæ Synodum celebravit, inde Placentiam veniens, Gratianum, quem expulsis prioribus Romani Papam statuerant, ad se venientem honorificè suscepit, sicque cunctis prosperè cedentibus, juxta Natalem Domini non longè ab urbe Româ apud* Sitriam Synodo item actâ, causâque erraneorum Pontificum diligentiùs ventilata, Gratianum Papam convictum pastorali baculo privavit: dein omnium tam Romanorum quam aliorum assensu Suidgerum Episcopum qui post Eberhardum Primum secundus Babenbergensem sexto iam anno regebat Ecclesiam, nimiùm reluctantem Summum Romanæ Ecclesiæ elegit Pontificem: sicque circa Vigilias Natalis Domini ipsam ingrediuntur urbem. Eadem nocte bonæ mem. Episcopus inibi in porticu S. Petri sepeliēdus obiit 13. Episcopat. sui anno.

* vulg. edit. Viniam cũ conjuge sua tempore affectâ, postremo oculis privât, & in quendam locum, cũ eadem conjuge sua alendum deputant. * leg. Sutriam.

B

1047 In ipsa Natalis die Domini præfatus Suidgerus natione Saxo, Apostolicæ Sedi Papa (C L I.) ex more consecratus & nomine auctus. Clemens II. vocatus est, qui mox ipsa die Heinricum Regem, conjugem eius Agnetem imperiali benedictione sublimavit, peractisque Missarum solemniis, ipse Dominus Papa & Imperator cum Imperatrice ita ut erat coronatus, ad Lateranense palatium cum ingenti gloriâ proficiscuntur, cunctis civibus Romanis mirantibus, honorémque singulis quibúsque pro facultate obiter impendentibus, completisque Romæ cum summa pace aliquot diebus, Imperator magnam exercitûs partem patriam redire permittens, ipse cum reliquo ad ulteriora contendit. Circa idem tempus Imperator præsules nonnullos constituit, inter quos Ravennati Ecclesiæ Hunfridum Cancellarium suum in Italia; Constantiensi Theodericum per alias provincias Cancellarium suum & Archicapellanum & Aquisgrani Præpositum; Argentinæ Herrandum Præpositum pro Wilhelmo autumnali tempore defuncto. Viridunensi Theodericum Basileæ Præpositum & Capellanum Pontifices præfecit.

C

Imperator verò Româ egressus nonnulla castella sibi rebellantia cepit: provincias, prout videbatur, disposuit; Duces Nordmannis, qui in illis partibus commorantur, & aliis eò locorum urbibus constituit, sed socru Imperatoris de monte Gargano Beneventum reversa, orto tumultu, Beneventani cives quibusdam eam injuriis afficiunt. Vnde sævam ab Imperatore vindictam metuentes eique se subdere non præsumentes, rebellionem ineunt. Sed Imperator, qui magnos, ut dictum est, exercitus iam remiserat, & ad alia occupato animo, iam in patriam tendebat, tantam tunc temporis civitatem aggredi distulit, interímque eo infecto negotio, sed aliàs universa Italiâ parente pacatáque redire disposuit. Interea Imperatrix Agnes, quæ Româ ab Imperatore digressa fuerat, in Ravennati territorio filiam peperit. Imperator verò cœpto redeundi itinere, Mantuæ Paschale festum in gravissima decumbens ægritudine commoratur.

D

Postea convalescens corpus beati Widonis Pompasiæ Monasterij Abbatis in magna sanctitate ante non integrum annum defuncti, plurimis glorificatum miraculis de Parmensi, ubi sepultum fuit, civitate, ad urbem Spiram transferendum, magno secum cum honore, de Italia rediens devexit. In quo itinere Augustam Vindelicam in Litaniis ante Ascensionem Domini veniens, Eberhardo urbis einsdem Episcopo in adventu eius defuncto, Heinricum Capellanum suum successorem constituit. Actóque inibi eodem festo, Pentecostes solennia Spiræ celebravit, ibique colloquium cum regni Principibus habuit, & corpus præfati Abbatis in incepta extra urbem Basilicâ tumulari fecit. Quo tempore Welf Comitem Suevigenam, Welf dudum Comitis filium Carentani Ducem promovit. Avunculum quoque eius Adalberonem Ducem, videlicet Heinrici & Friderici fratrem, Metensis Ecclesiæ Episcopum, post Theodericum nuper defunctum constituit. Item Poppone Archiepiscopo ipsis diebus defuncto Trevirensi urbi Eberhardum Vvormatiæ Præpositum Archipræsulem præfecit.

E

Per idem tempus eum expeditionem in Pannonias ad Petrum ulciscendum disponeret, Godefridus Dux cum Balduino de Flandris, & aliis nonnullis rebellionem innovasse, bellúmque copiis collectis paravisse, Theodericus quoque de Phlatritinga Marchio rebellavisse & Episcopatus sibi contiguos ad injuriam Imperatoris populatus esse nuntiatur. Præterea Andreas, qui regnum Petri obtinuit, iam crebrò legatus supplices miserat, regnum se ab Vngariis coactum suscepisse confirmans, de Petri sese injuriis excusans, quique adversus eum conjuraverunt, partim à se trucidatos, partim ipsi Imperatori tradendo denuntians, suámque Imperatori subjectionem annuum censum, & devotam servitutem, si regnum sibi habere permitteret, mandans. * Quibus dilatâ expeditione illâ, cum Gotefridus quoque rebellionem suam callidis legationibus dissimularet, autumnali tempore navali expeditione collectâ, contra Theodericum in Phlatirtingam arma commovit.

* quibus ex consi.

F

Interea Otto Suevorum Dux, qui provinciam sibi traditam pie ac strenue tertio iam anno regebat, immaturo obitu diem clausit extremum. Ipsis quoque diebus Baioariæ Dux Heinricus defunctus Treveris sepelitur. Clemens etiam qui Suidegerus Papa in Romanis partibus nono mense promotionis suæ diem obiens ad Episcopatum suum Babinberg reportatus tumulatur. Imperator expeditione in Phlatiringan trajectâ, aquosis impedientibus locis, parum proficere potuit, & revertens adversariis marino cursû levibus scaphis latrocinantium more sequentibus, & extremos quosque incursando cædentibus, non modicam in exercitu cladem pertulit. Ipso quoque tempore Gotefridus inter alia, quæ contra Regem gessit, Viridunensem civitatem dolo captam incendit & evertit, cuius Ducatum Adalberto cuidam tradit.

G

1048 Imperator Natalem Domini in Saxonia moratus, confestim per Wirtaeburg in Alamanniam venit, & Vlmæ colloquium habens, Ottonem de * Svnvurt Marchionem, Ducem constituit. Indéque Baioariam veniens Quadragesimale & Paschale tempus exigit. Eadem Quadragesimâ sanguis, ut creditur, Domini apud urbem Mantuam divinâ per quendam cœcum revelatione invenitur, & plurimis miraculis declaratur. Imperator Ratisponâ, ubi Pascha cum Ottone & Brecizlao Ducibus & multis Principibus egit, digressus Alamanniam repetit, & in Augiam nostram ingressus 8. Calend. Maij novam sancti Marci Evangelistæ Patroni nostri Basilicam à * Domino Bern. Abbate constructam, se præsente à Theoderico Constantiensi Episcopo dedicari fecit, & eiusdem Sancti festo in Litania majore apud nos acto, Ascensionem Domini Turego, Pentecosten autem Solodoro celebravit.

* al. Svinfurt.

* leg. à Domino Bernardo.

H

Habitóque ibi cum * Burdionibus colloquio per Franciam Orientalem in Saxoniam remeavit. Per idem tempus Dominus Bern. Abbas Augiæ vir doctus & moribus insignis anno promotionis suæ 40. in senectute bonâ morbo confectus 7. Idus * Iunij diem ultimum clausit, & in Basilica sancti Marci sepultus quiescit. In cuius locum Vdalricus Decanus, à fratribus electus, Abbas ab Imperatore statuitur. Defuncto quoque viro docto * Wazone Leodij Pontifice Dietvvinus successit. Sequente Iulio, Poppo Brixiensis Episcopus ab Imperatore electus Romam mittitur, & honorificè susceptus Apostolicæ Sedi Papa C L I I. ordinatus, mutato nomine Damasus I I. vocatur. Sed paucis diebus exactis defunctus, & ad sanctam Laurentium extra urbem sepultus est. Autumnali tempore

* leg. Burgundionibus.

* al. Vvazone.

Heinricus Imperator, & Heinricus Galliarum Rex in Metensi territorio convenientes pacem pactúmque inter se iuramento confirmant, Quibus diebus terræ motus magnus factus est nocte 3. Idus Octob. Ipsis item diebus Agnes Imperatrix filiam Imperatori peperit. Eodem etiam tempore Godefridus Adalbertum Ducem se deprædantem persecutus, & dimissa multitudine cum paucis inventum, cum aliis, qui repugnare tentabant occidit. Post quem Gerhardus Dux ab Imperatore constituitur. Ipsis Imperator diebus Argentoratum, & inde prope Natales Domini Vlmam venit sicque in Baioariam proficiscitur.

1049 Imperator Natalem Frisingiæ & Purificationem Sanctæ Mariæ Ratisponæ agens Baioariæ Ducem Conradum constituit: & circa Quadragesimale tempus in Saxoniam recessit. Gotebaldus Metensis Præpositus Aquileiæ Patriarcha post Eberhardum bis diebus defunctum ab Imperatore promovetur. Interea glaciali hyeme suppeditante, nonnulli de partibus maritimis milites & Principes cum Leodiensi Episcopo & Trajectensi atque Metensi congregati, Theoderico in Phlatirtingam insidias tendunt, commissáque pugnâ victum occidunt & provinciam illam Imperatori subjiciunt. Quam tamen non multò post Gotefridus occupans, ab eisdem pugnâ peritus & victus, vix aufugit. Per idem tempus Bruno Leucorum Episcopos ab Imperatore electus Romámque missus summo honore suscipitur, & in Quadragesima Papa 153. ordinatus Leonis nomen accipit. Qui in proximo Pascha Vdalricum Augiensis Cœnobij provisorem, Romam venientem Abbatis benedictione consecravit, & Monasterij ejusdem privilegia antiquitus à sede Apostolica tradita, suâ authoritate confirmavit & innovavit, Indictione secundâ. 7. Cal. April. Idem Papa in hebdomada post Albas Synodum cum Italiæ Episcopis maximè contra Simoniacam hæresin Romæ celebravit. Idem in hebdomada Pentecostes aliam Synodum Papiæ congregavit: Indéque per montem Iovis cum pluribus Romanorum in cisalpinas partes devenit. Exactóque tempore Odilo venerabilis * coloniacensis Cœnobij & multorum pater Monasteriorum 4. Non. Ianuarij migravit ad Dominum. Securâ æstate cum Imperator expeditionem contra Gotefridum & Waldevvinum à Domno Papâ excommunicatos pararet, Gotefridus tam manum Imperatoris quam Papæ excommunicationem pertimescens, ad deditionem Aquisgrani venit & opitulante Papâ gratiam Imperatoris promeruit. Waldevvinus vero vtrumque contemnens vastatâ ab exercitu magnâ ex parte provinciâ suâ, tandem obsides dedit & pactum cum Imperatore fecit. Autumnali tempore Domnus Papa Synodum magnam Remis cum Galliarum Episcopis habuit, indéque Mogontiacum veniens, aliam Synodum 40. Episcoporum coram Imperatore & regni nostri Principibus celebravit, & postea Alamanniam adiens Augiæ festum sancti Clementis, & Dominicam ante Adventum 6. Calend. Decembris agit, ac per Augustam Baioariámque transiens, Natalem Domini Veronæ coluit.

* Cluniacensis.

1050 Imperator verò idem festum in Saxonia mansit. Ipsa hyeme cum Episcopus Ratisbonæ Ratigeberhardus; qui * Capidonem Abbatiam nuper beneficij loco ab Imperatore acceperat, in Pannoniarum terminis moraretur, cedentibus Vngaris, fines eorum ingrediens, prædas inde abduxit. Sed ipso discedente, plurimus Vngariorum exercitus fines nostrorum invadens, plurimam partem captivavit, incendit, atque vastavit. Imperator Paschale tempus apud Traiectum moratur. Domnus Papa Leo post Pascha Synodum item Romæ collegit, & subsecuto tempore ultra Romam progrediens nonnullos locorum Principes & civitates tam sibi quam Imperatori iureiurando subiecit, Beneventanósque adhuc rebellantes excommunicavit. Nonnulli etiam exterarum Principes gentium, missis ad eum, utpote Apostolicum virum, legatis, subiectionem ipsi promittunt. Imperator contra Gazmerum Ducem Bolanorum rebellionem molientem, expeditionem parat, gravique infirmitate detentus, pacem pactumque eum petentem suscipiens discessit. Gebehardus Ratisbonensis Episcopus cum Conrado Duce Baioariæ & Adelberto Marchione, aliisque quibusdam Episcopis & Principibus Baioariæ Heimenburg reædificant, & magnam Vngariorum copiam se invadentem prosternunt, & usque ad innumerabilis exercitûs eorum præsentiam, refugientem persequuntur: cunctísque Vngariorum agminibus divinitus immisso terrore, vertentibus terga, ad castra, Deo gratias reddentes revertuntur. Ipso autumno Domnus Papa Synodum Vercellis collegit & Hunfridum Archiepiscopum pro quadam inter Ravennatem & Romanam Ecclesiam contentione ab officio suspendit; indéque Gallias & Episcopatum suum * Leucorum civitatem revisit. Quoque tempore Agnes Imperatrix tandem Imperatori filium peperit.

* leg. Campidonensem.

* al. Leucorum.

1051 Imperator Natalem Domini in Saxonia apud Goslere egit, & multos ex Principibus filio suo iureiurando fidem subiectionémque promittere fecit. Nec multò post ipse * Dominus cum multis Episcopis & Principibus apud Augustam Vindelicam convenientes, Purificationem Domini Genitricis celebraverunt. Ravennatéque Archiepiscopo apud Papam inibi reconciliato, charitativà à se invicem discedentes, Papa Romam revertitur. Imperator Nemeti partem Quadragesimæ, Paschæ vero festum Coloniæ demoratur: ibique filius eius Heinricus (ab Archiepiscopo Herimanno baptizatur. Post Pascha item Domnus Leo Papa Synodum Romæ collegit, ubi inter alia Gregorium Vercellensem Episcopum propter adulterium cum vidua quadam avunculi sui sponsa admissum, & periuria perpetrata, absentem & nescientem excommunicavit: quem tamen non multò post Romam venientem & satisfactionem promittentem, officio priori restituit. Per idem tempus Imperator Lampertum Comitem rebellare molientem, ad deditionem compulit. Eadem æstate Bardo venerabilis Moguntinæ sedis ex monacho Archiepiscopus, omni pietate & sanctitate mirabilis 3. Idus Iunij ab hac vitâ subtractus multis post obitum claret miraculis: pro quo Imperator Luidpaldum Babinbergensem Præpositum constituit. Item pro Theodorico Constantiensi Episcopo 10. Kalend. Iulij quinto præsulatûs sui anno post longam ægritudinem defuncto, Rumaldum promovit. Ravennas quoque Archiepiscopus Hunifridus veneno, ut aiunt, subitò periit. Sequenti autumno magno cum exercitu Imperator, pactum Andreæ Regis, ut per legatos offerebatur, accipere contemnens, Pannonias petiit, Gebehardoque Ratisbonensi Episcopo & Welf Brezizlaoque Ducibus ad Septentrionalem partem Danubij depopulandam transmissis, ipse devectò è navibus quantum poterat sumptu, longo propter fluviorum illuvionem circuitu, per Carentani fines transiens, periurúmque regnum invadens hac & illac Vngarico exercitu latrocinantium more fugitante, & nusquam æquo Marte conferre manum audente, omnia circumquaque quoad sumptus militi suppetebant, vasta reddidit. Sed cum laboranti iam penuriâ & fame exercitui Vngarij iam reditum pararent intercludere, oppositísque per ripas fluminum præmunitas vadosásque paludes copus suis, omnes se vel ad deditionem cogere vel inediâ minitarentur extinguere, milites interriti hostes per fluvios obsistentes, incunctanter transuadentes fugant, quandámque munitionem firmissimam ad pontem * Rabantza fluminis structam, in qua maximam hostis fiduciam habebat, quidam ex Burgundionibus, Saxonibus, & Bolanis milites non sine sui periculo flumine transitu, in brevi expugnatam capiunt, cæsis palatísque Vngariis * reliquo exercitui....

* al. ipse & Domnus Papa.

* al. Rabanza.

* Exercitu I

* Exercitui viam pandunt. Reliqua enim in nostro m. s. absunt, quæ lege in Vrstisiana duplici editione, ubi subiunctum habes Chronicon Bertoldi Constantiensis, qui ab obitu Hermanni, est, & ab anno 1054. continuat historiam usque ad ann. M C.



HVMBERTI SYLVÆ CANDIDÆ Episcopi S. R. Ecclesiæ Cardinalis, viri doctissimi, & Leonis IX. ad Imperatorem Constantinopolitanum Legati.

Adversus Calumnias

MICHAELIS PATRIARCHÆ Constantinopolitani & Leonis Archiepiscopi Achridani in Bulgaria, liber unus.

Eiusdem Humberti,

CONTRA NICETAM Pectoratum Presbyterum & Monachum Monasterij Studiani Constantinopoli, liber alius.

ACCESSIT BREVIS RELATIO Rerum Constantinopoli ab Apostolica Sedis Legatis gestarum.

OMNIA EX BIBLIOTHECA Serenissimi utriusque Bavariæ Ducis Maximiliani nunc edita.

PER HENRIC. CANISIVM.

TRITHEMIVS DE ILLVSTRIBVS Viris Germaniæ.



VMBERTVS monachus Tullensis, ordinis S. Benedicti, vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in secularibus literis nobiliter doctus, ingenio & eloquio clarus, quem Leo Papa Nonus propter scientiam literarum Romam secum duxit, & Episcopum Cardinalem ordinavit, missus ab eo Constantinopolim ad confutandas hæreses Græcorum, adeo Nicetam Pectoratum monachum in præsentia Imperatoris Constantini & Michaelis Patriarchæ confutavit & devicit, ut librum suum quem contra Latinorum Ecclesiam conscripserat, anathematizaret, & eum manu propria igni comburendum iniiceret. Et quicquid ibidem disputando dixit, aut fecit, luculenter conscripsit, sub nomine Romani *&* Constantinopolitani. *Dialogorum more lib. 1. Scripsit etiam quædam alia. Claruit sub Henrico Imperatore secundo. Anno Domini* 1050.

HÆc Trithemius, qui tamen corrigendus, cum Constantinum vocat Monachum, quem Monomachum vocare debuerat. Eadem correctio adhibenda est cum enumerans Scripta Leonis IX. Pontif. dicit: *Scripsit ad Constantinum ex Monacho Imperatorem Græcorum de Hæresibus exstirpandis librum unum.* Idem error, si non gravior insedit Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, ubi etiam Constantinum Monomachum, appellat *Monachum*. Quæ seu Trithemij, quod creditu difficile, seu ex scriptorum, quod creditu longè proclivius, errata, tollere debebat ille, qui nuper Historiam Trithemij vulgavit: si suo & Trithemij honori consultum volebat. Porro has Humberti lucubrationes antea fuisse editas, ut nobis persuadeamus facilè adducimur, quia à non paucis citantur; & Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ, Dialogum illum, cuius interlocutores ROMANVS & CONSTANTINOPOLITANVS, testatur excusum esse Coloniæ 1521. Nos tamen, etsi admodum cupita & quæsita non potuimus ullum Humberti typis descriptum exemplar indagare, aut adipisci. Quo factum, ut locus quidam græcè ex Damasceno ab Humberto citatus, sed à librario flagitiosissimè scriptus, emendari non potuerit: quem tibi erudite Lector, emendandum committimus, si incidas in exemplar correctius, sive excusum; sive calamo exaratum.

Idem argumentum, quod Humbertus, eruditissime tractavit Leo IX. in Epistola ad Michaelem Patriarcham Constantinopol. & Leonem Achridanum. Proderit etiam legisse eiusdem Leonis IX. Pontificis Epistolam ad Constantinum Monomachum Imperatorem: quæ est Epistola septima inter Epist. Leonis IX. Tom. 3. Concilior. ubi Humbertum & Socios eius his verbis Imperatori commendat. *Hinc iam tuæ gloriæ præsentes Filios nostros, Sanctæque Romanæ & Apostolicæ Sedis nuntios per omnia commendamus, quatenus, ut decet, liberaliter suscipiantur, reverenter habeantur, benignè & honestè tractentur, rationabiliter patienterque audiantur, atque quantocyus nobis laudabiliter remittantur, ut tantum laborem illos frustra arripuisse pigeat, & nos mandasse pudeat:* Epistolam Michaelis Leonisque Achridani, ut & scriptum Nicetæ, excudendum curavimus, prout in Bavarico Codice reperimus: quia interest has calumnias exstare; ut veritatis lux in contrarij opposita magis emineat.

Ex Bellarmin. de Scrips. Eccles.

HVmbertus Cardinalis Episcopus Sylvæ candidæ à Leone IX. Pontifice Romam ex Tullensi Ecclesiâ adductus fuit, & ab eo Legatus Constantinopolim missus, cum esset Græcè, & Latinè doctissimus scripsit *Librum contra Græcos de azymo, in forma dialogi.* Scripsit & *alterum de jejunio Sabbati contra Nicetam pectoratum Græcum*: qui duo libri extant apud Card. Baron. in appendice undecimi tomi Annalium, sed apud Henricum Canisium tom. 6. antiquæ lectionis habentur etiam epistolæ Archiepiscopi Constantinopolitani, & Nicetæ, quibus Humbertus respondet. Scriptus est autem prior liber anno Domini 1054.

*CAlumnia Episcoporum Michaelis Constantinopolitani, & Leonis * Arridani pervicaciter exhalantium pestiferas * mefites diversarum hæreseon, adversus Sanctam Romanam Ecclesiam Apostolicámque Sedem: imo contra omnem Latinam & Occidentalem Ecclesiam. Hæc quidem calumnia Græco sermone edita, & Ioanni Kanensi Episcopo in sugillationem omnium Latinorum directa, cum fuisset Trani exhibita fratri Humberto S. Ecclesiæ Sylvæ Candidæ Episcopo, in Latinam est translata eius studio, atque delata Domino Leoni IX. Quæ etiam hic ad cautelam multorum & notitiam, non autem ad utilitatem aliquam inserta, cunctis scire volentibus, fideliter est conservata.*

* Achridani. * Mephites.

A

Mirmus p.153.

*MICHAEL VNIVERSALIS Patriarcha novæ Romæ, & Leo * Archiepiscopus Arridæ Metropolis Bulgarorum, Dilecto fratri Ioanni Kannensi Episcopo.*

* Achridæ.

DEi magna dilectio & iocunda compassionis viscera flexere nos scribere ad tuam Sanctitatem, & per te ad universos principes Sacerdotum & sacerdotes Francorum, & Monachos & populos, & ad ipsum reverendissimum Papam, & memorari de azymis & sabbatis, quæ mysticè indecenter custoditis, & communicatis Iudæis. Etenim azyma & sabbata ipsi custodire à Moyse iussi sunt: Nostrum vero Pascha Christus est. Qui vt non iuxta legem inveniretur adversarios, & circumcisus est, & legale Pascha celebravit primitus. Sic illo discedente nostrum novum operatus est. Et hoc manifestum est in Evangelio secundum Matthæum, de mystica cœnâ loquens Evangelista, sic quoque inquit: *Prima autem die azymorum accesere discipuli ad Iesum dicentes ei: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? Qui ait: Ite ad civitatem ad quendam, & dicite ei: tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Et post pusillum: *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim. Et edentibus illis dixit: Amen amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.* Et post pusillum dicente Iuda: *Nunquid ego sum Rabbi?* dicit ei: *tu dixisti.* Hoc usque ô Dei homines vniversa legalis Paschæ sunt. Deinde ea quæ mystici & nostri sunt addidit: Evangelista enim dixit: *Edentibus autem illis accepit Iesus panem, fregit & dedit discipulis suis, & dixit: Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: bibite ex eo omnes: hic est sanguis meus novi testamenti.* Dicendo enim, *novi* ostendit, quomodo ea quæ veteris fuerunt testamenti, cessavere. Aspicite quomodo panem corpus suum sub novo testamento vocavit. Vos quidem panem, nos ἄρτον dicimus. Ἄρτος autem interpretatur elevatus & sursum portatus à fermento & sale, calorem & elevationem habens. Azymæ autem nihil distant à lapide sine anima & luto lateris deorsum coniunctæ terræ & sicco luto comparatæ. Quas Moyses cum amaritudinibus comedere miseris Iudæis semel in anno legem constituit: quoniam malæ passionis & tribulationis symbola sunt, at nostrum pascha gaudium & lætitia totum est: & extollit nos ab humo propter gaudium ad cælum, sicut & fermentum propter proprium calorem, panem, qui panis omni suavitate repletus est. Azymæ vero neque sal, neque fermentum habentes, lutum est aridum: Aut non audistis Iesum dicentem discipulis suis; Quia *vos estis sal terræ?* Et quoniam *Simile est regnum cælorum fermento quod accipiens mulier abscondit in farina satis tribus usque dum fermentaretur totum.* Mulierem sanctam Ecclesiam vocat. Satis vero tribus modis repletis, Patrem & Filium & Spiritum sanctum: Quorum nequaquam lutulentulæ azymæ sunt participes. Dicit enim & David de Christo: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech:* Qui ante Abraham & Moysen, cæli & terræ & cæterarum creaturarum agnoscens Deum, exurgens obtulit illi panem & vinum. Ideo dicit divinus Apostolus: *Quoniam si consummatio per Leviticum Sacerdotium erat, non secundum ordinem Melchisedech Sacerdos Christus diceretur.* Et quia *translato sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat*, quæ lex lutulenta constituit azyma Iudæis custodire.

B

Mat. 26.

C

D

Mat. 5. & 13.

Ps 109.

Hebr 7.

1. Cor. 11.

Idem ipse magnus Paulus ad Corinthios primâ Epistolâ ex his loquens ait: *Fratres ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis quoniam Dominus in nocte qua tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit & dixit: accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & de calice: Hic est calix novum testamentum in meo sanguine: hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis in meam commemorationem, mortem Domini annuntiabitis.* Azymæ vero neque commemorationem habent Dei, neque mortem illius annuntiant, sicut Mosaicæ & ante mille quadringentos annos ex lege constitutæ: Et per novum testamentum, hoc est, per sanctum Evangelium & per Christum maledictæ & derelictæ.

Sabbata vero quomodo in Quadragesima Iudaicè observatis? Aut non audistis Evangelistam loquentem: Quia transeuntes discipuli in Sabbatis cœperunt iter agere evellentes spicas & comedentes? Dicebant autem Iudæi ad Christum: *vides quid isti fecerint in Sabbatis?* qui dixit: *Etiam: Aut nescitis quod egit David cum esuriret ipse, & qui cum eo erant? quomodo intravit in templum, & panes propositionis comedit:* &c. Et quia *Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum.* Qui & dicebant, *quoniam homo iste non est ex Deo, qui sabbatum non custodit.* Et iterum loquente Christo in Sabbato, & qui manum habebat aridam, similiter & eo qui dæmonis Spiritum habebat, in Sabbato mundato, & murmurantibus Iudæis & similia dicentibus, dicit Christus: *Hypocritæ unusquisque vestrum non solvit asinum à præsepe, aut bovem suum & ducit adaquare?* Et paralytico similiter quem sanum fecit. Et ideo hi qui Sabbata cum Azymis custodiunt, neque Iudæi, neque Christiani sunt, sed similes sunt Leopardo: Sicut dicit magnus Basilius, cuius capilli nec nigri sunt, nec albi omnino.

F

Mat 12.

Marc.2.

Ioan.9.

Luc.13.

Quomodo autem & soffocata hi tales comedunt, in quibus sanguis tenetur? An nescitis, ut omnis animalis sanguis anima ipsius sit, & qui comederit sanguinem, animam comedit? Et ideirco secundum hoc nec gentiles ex toto sunt. Illi enim occidunt, aut plagantes comedunt.

G

Item *Alleluia* in Quadragesima non psallitis, sed semel in Pascha tantummodo: quod Interpretatur, *Dominus venit, Laudate, Hymnum dicite, & benedicite ei.* Ergo secundum hoc neque *Domini Dominum*, neque *Benedictus qui venit* psallitis. Et illud verò *Alleluia* Hebraice dictum est.

Cur tantam deceptionem horum talium non aspicitis, nec intelligitis, neque corrigitis populos & vosmetipsos, sicut qui debent iudicari ex his à Deo? Non derelinquitis quod dicitur, quod hoc Petrus, & Benedictus, & Paulus & cæteri docuerunt? Decipitis vos ipsos & populum in istis. Quæ vero scripsi ea sunt, quæ Petrus & Paulus & cæteri Apostoli & Christus docuit: & sancta Ecclesia Catholica suscepit & custodit religiose. Quæ & vos correcti custodite. Azymas vero & custodias Sabbatorum proiicite miseris Iudæis: Similiter & soffocata barbaris gentibus, ut fiamus pari in recta & immaculatâ fide, & unus grex unius pastoris Christi. Cuius in cruce divino sanguine inebriati laudamus pari purè Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Vniversa Mosaicæ legis & ab eo custodita derelinquentes, sine Deo Iudæis, qui velut cæci perquirentes Christum lumen amiserunt, permanentes in umbra, sicut insipientes perpetuò. Hæc autem homo Dei, & multotiens ipse enim populo agnoscens docuisti esse, & correctus scripsisti multis similem consuetudinem habentibus Et ut habeas salutem animæ tuæ, mitte principibus sacerdotum & sacerdotibus, & adiura, ut per hæc seipsos corrigant, & Dei populum; ut Dei mercedem in istis habeas. Et si hoc feceris, propono & per secundam scriptionem maiora & perfectiora his tibi scribere, fidei verâ ostensione & firmamento animarum, pro quibus Christus posuit animam suam.

H

TEXTVS

A

Habetur enim in fine tom. 12. annal. Baron.

TEXTVS PRÆFATORVM sycophantarum explicatur.

INCIPIT *responsio Fratris Humberti sanctæ Ecclesiæ Sylvæ candidæ dicti Episcopi, instar dialogi ab ipso Latinè conscripta apocrisariatûs sui tempore Constantinopoli. Et jussu Imperatoris Religiosi & Orthodoxi Constantini Monomachi* * *Græcè edita sub nominibus* Constantinopolitani *&* Romani: *anno Domini millesimo quinquagesimo quarto.*

* Græci.

B

* Romanus.

*PRæfulgente gratiâ sanctæ & individuæ Trinitatis, in cujus manu nos & sermones nostri, hinc jam aggredimur responsum in literis & cavillationibus vestris: ut palam sit nos illius summi Petri disciplinâ eruditos, qui dixit: *Estote parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe: cum modestia & timore conscientiam habentes bonam: ut in eo quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.* Quod figuratè per Moysen Dominus innuit, ubi vectes quibus arca portaretur circulis ipsius semper inesse præcepit: nec unquam extrahi ab eis, ne qua mora fieret quotiescumque arcam elevare necesse esset. Arca siquidem sanctam Ecclesiam: circuli ejus divinam scripturam: Vectes ejus præpositos Ecclesiæ significant, quos semper expedit sacræ Scripturæ insistere: ne prudenter tunc velint discere, quando jam ad exaltationem sanctæ Ecclesiæ debent quæstiones quorumlibet enodare. Vnde calumniam vestram seriatim discussuri, ab ipsius initio non pigritamur ordiri.

1. Petr. 3.

C

Insuper ut manifestiùs vestra dictâ à nostris secernantur, vestra obelis, nostra autem asteriscis, prænotantur. Sed tandem videamus quale sit illud vestræ calumniæ procemium, quo laborastis auditorem vestrum efficere benevolum: ita dicendo.

Constantinopolitanus.

† Dei magna dilectio & jocunda compassionis viscera flexerunt nos scribere ad tuam sanctitatem, & per te ad universos Principes Sacerdotum, & Sacerdotes Francorum, & Monachos & populos, & ad ipsum Reverendissimum Papam: & memorari de azymis & Sabbatis, quæ mysticè indecenter custoditis & communicatis Iudæis. Etenim azyma & Sabbata ipsi custodire à Moyse jussi sunt.

Romanus.

* Ex hac vestra præfatione, sicut profitemini, crederemus vos, salutem totius Latinæ seu Occidentalis Ecclesiæ pro sola magna Dei dilectione quærere: si sciremus vos vestram vestrorúmque non negligere. Cum vero vos ipsos & vobis commissos negligatis, ut nefandos Iacobitas, imò Theupaschitas, seu alias hæreticorum pestes, inter vos & penes vos habeatis: neque eorum consortia, neque colloquia, neque convivia seu pariter orare devitetis: Quomodo saltem suspicabimur, vos aliquâ dilectione Dei aut proximi præmonitos compati nostræ perditioni, sicut putatis? Et quare ad præceptum gloriosi Pauli, si aures præcordiorum obdurastis, ut dicentem non advertatis? *Hæreticum hominem, post unam & secundam admonitionem devita.* Vnde ipse Paulus sciens, quod nulla pars esset fideli cum infideli, Irenæum & Philetum devitavit, & Timotheo Alexandrum Ærarium devitare præcepit. Cur etiam non animadvertitis B. Ioannem contestantem fidelibus: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit ave, communicat operibus illius malignis?* Ast vos quasi omnia munda immunda sint vobis: oculis contra vos & vestra clausis S. Romanam & omnem Occidentalem Ecclesiam pollutam hæresi & Iudaïsmo proclamatis: & velut quandam abominationem devitatis. Ex qua tam cæca & hactenus inauditâ audaciâ ad hoc prorupistis, ut cunctorum hæreticorum quos adhuc deprehendere valuimus, temeritatem transcendatis. Quamvis omnino singulæ hæreses suis adinventionibus aliqua Ecclesiæ membra fatigaverint: nulla tamen adhuc ad tantam vesaniam erupit, ut opinionem suam primæ & Apostolicæ sedi ingerere præsumpsisset, cum interpositione anathematis. Recensete si placet ab initio Christianitatis usque ad nostra tempora cunctarum hæreseon volumina; & videbitis an aliqua earum præsumpserit talia. Et cum non inveneritis, saltem tunc resipiscite, ne quod absit, permaneatis viciniores præcursores illius Antichristi, qui adversatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus aut quod colitur. In cujus arrogantiæ monte consistentes, & ex supercilio ejus omnia subter vos jacere reputantes, dicitis vos flexos visceribus compassionis, scribere cunctis Sacerdotibus Francorum & Reverendiss. Papæ. Sed non solùm Romani & Francorum Sacerdotes, verum etiam omnis Latina Ecclesia de monte domûs Domini clamat, vobis contradicens: *In Domino confido: Quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?* Tamen eum quem Papam Reverendiss. dixistis, revereri & non detestari debuistis.

Tit. 3.

Ioan. 2.

E

F

Psal. 10.

Quod autem impudenter calumniamini nos communicare Iudæis observando typicè azyma & Sabbatum, frenesi inveteratâ arbitramur adeo vos perdidisse sensum, ut nec factum vestrum respiciatis nec dictum. Quapropter suademus vobis, ut ad cor redeatis & animadvertatis quid in Exodo Moyses jubeat de azymis: *Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperum comedetis azyma, usque ad vicesimam primam ejusdem mensis ad vesperum. Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris. Qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel, tam de advenis quam de indigenis terræ. Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitationibus vestris comedetis azyma.* Inde onde superius: *Septem diebus azyma comedetis. In die primâ non erit fermentatum in domibus vestris. Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, à prima die usque ad septimam. Dies prima erit sancta atque solennis, & dies septima eadem festivitate venerabilis, nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent, & observabitis azyma.* Item in sequentibus, scilicet in capitulo 13. ejusdem Exod. dicitur: *Septem diebus vesceris azymis, & in die septima solemnitas Domini erit. Azyma comedes. Septem diebus non apparebit apud te aliquod fermentatum, nec in cunctis finibus tuis.* Item: *Solemnitatem azymorũ custodies: Septẽ diebus comedes azyma sicut præcepi tibi in tempore mensis novorum.* Et in Levit. *Mense primo quartâ decimâ die mensis ad vesperam Phase Domini est: & in quinta decimâ die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis, dies primus erit vobis celeberrimus sanctúsque, omne opus servile non facietis in eo, sed offeretis sacrificiũ igne septẽ diebus. Dies autẽ septimus erit celebrior & sanctior, nullúmque opus servile fiet in eo.* Et in Numer. *Mense primo quarto decimâ die mensis Phase Domini est, & quintâ die solemnitas. Septem diebus comedetis azyma. Quorum dies prima venerabilis & sancta erit: omne opus servile non facietis in eo, offeretisq; holocaustum Domino: vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos & immaculatos septem, & sacrificia singulorum, & similam quæ conspersa sit oleo. Tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem, & decimam decimæ per agnos singulos, id est, per septem agnos, & hircum pro peccato unum ut expietur.* Et in Deuteron. *Observa mensem novarum frugum & verni primum tẽporis, ut facias Phase Domino Deo tuo quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte: Immolabisq; Phase Domino Deo tuo de ovibus & de bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi. Non comedes in eo panẽ fermentatũ: septẽ diebus comedes absq; fermẽto afflictionis panẽ, quoniã in pavore egressus es de Ægypto, ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto omnibus*

Exod. 12.

G

Exod. 13.

Levit. 23.

H

Num. 28.

Deut. 16.

A *dibus vitæ tuæ. Non apparebit fermentatum in omnibus terminis tuis, septem diebus, & non remanebit de carnibus eius, quod immolatum est vesperè die primo manè.*

Hæc omnia si ita Iudæis carnalibus carnaliter observanda veteris legis lator cælitus censuit: constat hæc secundum carnalem observationem omnino aliena à nobis. Quia in illis septem diebus quotidie fermentatum in omnibus finibus & terminis nostris & domibus invenitur, apparet atque comeditur. Nec ipsos septem dies aliter quam reliquos totius anni in azymis observamus: nec apud nos perit de cætu nostro anima illius; quicunque tam de advenis quam & de indigenis terræ comederit fermentatum in diebus supradictis. Sed nec velut ipsi à decima die mensis primi sumptum agnum masculum anniculum ex pecoribus, usque ad quartum decimum servamus, nec ad vesperam immolamus, ut sanguine eius postes signemus; nec carnes B eius assas igni accincti & calciati, tenendo baculos in manibus, nocte comedimus festinanter, cum azymis panibus & lactucis agrestibus. Insuper non offerimus incensum holocaustum Domino in his diebus quotidie in igne vitulos duos de armento, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem: & sacrificia singulorum, & similam conspersam oleo: neque hircum pro peccato, ut expietur pro nobis. In quo ergo communicamus Iudæis? & in quo solemnitatem azymorum custodimus? An forsan quis solennes eosdem dies & feriatos habemus, & à quarta decima luna usque ad vicesimam primam observamus? Et cur eadem vos observatis? nisi quis aliud nobis innuunt, aliud illis? Illis enim data sunt in memoriam egressionis suæ de Ægypto: nobis autem in memoriam spiritualis egressionis nostræ ex hoc mundo, ut vacemus & videamus, quoniam ipse est Deus qui nos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum, conresurgere, & consedere nos faciens secum in cœlestibus, & ut instar lunaris globi C incipiamus lucem cordis nostri, id est, rationem à terrenis avertere, & ad cœlestis convertere, sicque sapiendo & quærendo quæ sursum sunt, reviviscamus Deo, & moriamur mundo. Sic quoque omnia, quæ superiùs nos carnaliter observare negavimus, Domino annuente spiritualiter, & observamus, & omnimodè cupimus observare, proculdubio credentes, quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, 1. Cor. 10. B. Paulo sic protestante: *Hæc omnia in figuris contingebant illis: Scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.*

Nunc ad observantiam sabbati veniatur: De quo ita in Exodo præcipitur: *Memento ut diem Sabbati sanctifices: Sex diebus operaberis, & facies omnia opera* Exo. 20. *tua. Septima autem die Sabbatum Domini Dei tui. Non facies omne opus tu & filius tuus & filia tua, servus & ancilla tua, iumentum tuum & advena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare & omnia quæ in eis sunt, & requievit die septimo. Idcirco benedixit Dominus diem Sabbati, & sanctificavit eum.* Item in eodem: *Sex diebus opera-* Exo 34. *beris: die septimo cessabis arare & metere.* Igitur in huiusmodi observatione Sabbati, ubi & qualiter communicamus Iudæis? Illi enim in Sabbato otiosi & feriati D nec arant, non metunt, nullumque opus ex more faciunt, sed festum habent & convivium, & requiescunt servi & ancillæ eorum, boves & iumenta. Nos vero nihil horum observamus, sed omne opus facimus, sicut & in præcedentibus quinque diebus, & ieiunamus sicut & in proxima sibi feria sexta ieiunamus. Vos vero si non iudaizatis, dicite cur Iudæis in simili observantiâ Sabbati communicatis? Sabbatum certè ipsi celebrant & vos celebratis: Epulantur ipsi, & solvunt semper in Sabbato ieiunium. Illi in sua quadragesimâ solvunt, à ieiunio omne Sabbatum, præter unum, & vos in vestra quadragesimâ solvitis à ieiunio omne Sabbatum præter unum. Illis duplex est causa Sabbatum celebrandi, scilicet ex præcepto Moysi, & quod contristatis discipulis, ipsi fuerunt de morte Domini, quem non credebant resurrecturum, in hac die gavisi. Unde E quia cum Iudæis Sabbatum, & nobiscum celebratis diem Dominicum, videmini in tali observatione imitari sectam Nazarenorum, qui sic recipiunt Christianismum, ut non dimittant Iudaismum. Latina autem Ecclesia compatiens passo & sepulto Domino, congaudet resurgenti in die Dominicâ, quando Iudæos nimia occupavit mœstitia, & custodes sepulchri conati sunt corrumpere pecuniâ. Unde nos traditionem Apostolicam usque in hodiernum diem de Sabbato retinentes, & usque in finem retinere cupientes, hic subscribere curavimus, quid super hoc senserint & confirmaverint nostri antiqui & venerabiles Patres. Ex quorum numero beatissimus Papa Sylvester, magni Constantini Augusti spiritualis pater inter alia dixit: *Si omnis Dominicus dies resurrectionis gratiâ est colendus in gaudio Christianorum: omnis ergo Sabbati dies sepulturæ deputandus est in exsecratione Iudæorum. Omnes* F *enim discipuli Domini Sabbato fletum habuerunt sepultum Dominum suspirantes, & Iudæis exultantibus lætitia inerat: Apostolis autem ieiunantibus, tristitia imperabat: Tristemur itaque cum tristantibus de sepultura Domini, si volumus cum iisdem de Domini resurrectione gaudere. Neque enim fas est ut destructiones ciborum & ceremonias Iudæorum, more Iudaico observemus.* Hæc & his similia dicente sancto Sylvestro, non placuit quibusdam Orientalibus ista traditio Apostolicæ sedis, sed magis elegerunt celebrare Sabbatum cum Iudæis: Cuius sententiæ concordans sanctus Papa Innocentius ait: *Sabbato ieiunandum esse, ratio evidentissima demonstrat: Nam si diem dominicum ob venerationem resurrectionis Domini nostri Iesu Christi non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac sextâ feriâ propter passionem Domini ieiunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam atque lætitiam temporis illius videtur inclusum.* G *Quod utique constat Apostolos biduô istô & in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum se occuluisse, quod utique non dubium est, & in tantum eos ieiunasse biduô memoratur, ut traditio Ecclesiæ habeat istô biduô Sacramenta penitus non celebrari. Quæ forma utique per singulas hebdomadas est tenenda propter quod commemoratio diei illius semper est celebranda.* Quod si putatis semel atque uno Sabbato ieiunandum, ergo & dies Dominica & sexta feria semel in Pascha erit utique celebranda. Si autem Dominicæ diei ac sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est, dementis est bidui agere consuetudine, Sabbato prætermisso, cum non disparem causam habeat à sexta videlicet feriâ in qua Dominus passus est, quando & apud inferos fuit, ut die tertiâ resurgens redderet lætitiam, post biduanam præcedentem tristitiam. Non ergo nos negamus sextâ feriâ ieiunandum, sed dicimus in Sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis in his qui Christum secuti sunt indixerunt, qui die Dominicâ exhilarati, non solum ipsum festivissimum esse voluere, verum etiam per omnes hebdo- H madas frequentandum esse duxerunt. Hinc iam reliqua vestra dicta discutiamus.

† Nostrum vero Pascha Christus est. Qui ut non iuxta legem inveniretur adversarius, & circumcisus Constantinopol. est, & legale Pascha celebravit primitus. Sic illo discedente nostrum novum operatus est.

* Quod Christus vestrum Pascha sit, sciatis nos ita concedere, si eum asseritis etiam nostrum, imo totius Romanus. Catholicæ Ecclesiæ Pascha esse. Quod si, quod absit, pertinaciter contradixeritis, auscultabimus ipsum Dominum nostrum Iesum Christum sic suos præmonentem de Pseudochristis & Pseudoprophetis. *Si quis vo-* Mat. 24. *bis dixerit: Ecce hic est Christus, aut ecce illic: nolite ire neque secte mini.* Quod vero dicitis Dominum Iesum celebrato vetere Paschâ, novum, discipulis suis celebrandum tradidisse; quis sapiens id negat? Sed illud quod dicitis Dominum nostrum Iesum Christum ideo circumcisum & vetus Pascha celebrasse, ne iuxta le-

gem

A gem inveniretur Deo contrarius: quis unquam ausus erit astruere nisi manifestus hæreticus? In hoc enim videmini perverse cum Marcionitis & Manichæis sentire alium Deum veterem legem, alium novam dedisse, & ut apertiùs dicam, Deum malum & Deum bonum multis introducere. Et ne illi malo, hoc est, Deo tenebrarum, bonus iste Deus lucis inveniretur adversarius, & circumcisus fuit & celebravit Pascha vetus. Et quasi devitans illius Tyranni, velut fortioris se, iram incurrere, ad tempus simulavit se legem eius observare. Sed absit tam pestiferum virus à fidelium auribus & cordibus, ut vel suspicetur aliquis aliquid aliquando simulasse omnipotentem & simplicissimam veritatem, quæ est Christus Deus noster: aut alium veteris legis esse, alium novæ auctorem, cum ipsa veritas protestetur dicens: *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas: non veni solvere legem, sed adimplere.* Et psalmista dicat: *Etenim benedictionem dabit legislator.* Deinde subiunxistis. (*Matt. 5. Psal. 83.*)

B † Et hoc manifestum est, sicut in Evangelio secundum Matthæum de mystica cœna loquens Evangelista, sic quoque inquit: *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Qui ait: Ite in civitatem ad quendam, & dicite ei: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Et post pusillum: *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis, & edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.* Et post pusillum dicente Iuda: *Nunquid ego sum Rabbi?* Dicit ei: *Tu dixisti.* Huc usque Dei homines, universa legalis Paschæ sunt. Deinde ea quæ mystici & nostri sunt, addidit Evangelista & dixit: *Edentibus autem illis, accepit Iesus panem: fregit & dedit discipulis suis & dixit: accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem gratias egit & dedit eis dicens: Bibite ex eo omnes: hic est sanguis meus novi testamenti.* Dicendo enim, *novi*, ostendit quoniam ea quæ veteris fuerunt testamenti cessaverunt. (*Constantinopolitanus. Matt. 26.*)

G * Hæc omnia non à vobis, sed à veracibus Evangelistis conscripta, & ab omnibus orthodoxis patribus constanter prædicata credimus, & ipsum dominum nostrum Iesum Christum quartâ decimâ lunâ ad vesperam Pascha vetus perfecisse, & mox novum inchoasse prædicamus. Quapropter sequentia videamus. (*Romanus.*)

† Aspicite quomodo panem corpus suum sub novo testamento vocavit, sicut vivificum & plenum Spiritu, & sicut caloris demonstrativum. Vos quidem panem, nos ἄρτον dicimus. Ἄρτος autem interpretatur elevatus & sursum portatus à fermento & sale calorem & elevationem habens. Azymæ autem nihil distant à lapide sine anima & luto lateris deorsum coniunctæ terræ & sicco luto comparatæ, quæ cum amaritudinibus Moyses comedere miseris semel in divina lege constituit: quoniam malæ passionis & tribulationis symbola sunt significativa. (*Constantinopolitanus.*)

D * In hac vestra disputatione, illud tantum approbamus, quod Dominus Iesus panem benedictum & fractum in memoriam sui sub novo testamento corpus suum vocavit, Et quod omnis panis huiusmodi, vivificet & det vitam mundo, utpote plenus spiritu & calore Dei vivi, & quod nos panem, vos ἄρτον dicitis, reliqua vero vehementer detestamur, & velut hæreticam vanitatem & audaciam olentia atque resonantia, anathematizamus. Quis enim audebit panem quemlibet absque mysterio, quod supra diximus, asserere plenum Spiritu & animatum, nisi discipulus Manichæi? Ipsi enim delirando, sicut verè pleni insaniâ, impudenter asserunt, panem & vinum, lignum lapidem & vestem cæteráque talia animam habere. Illud quoque quod azymum negantes panem esse, per etymologiam eius nominis, quod est ἄρτος conamini nos vincere: sciatis omnino vanum & puerile. Quia & à linguarum peritis diversæ etymologiæ dantur ex uno nomine secundum humanum placitum, magis quam secundum naturam rerum. Et in omnibus scripturis invenimus panem indifferenter dici, sive fuerit azymus, sive fuerit fermentatus. Quod hinc demonstrare incipimus. (*Romanus.*) E

Primo omnium, ecce Manna tam in lege & Prophetis & Psalmis, quam in Evangelicis & Apostolicis litteris, panis, id est, ἄρτος vocatur. Sicut in Psalmo: ἄρτον οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς, ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγεν ἄνθρωπος quod latine dicitur: *panem cœli dedit eis, panem angelorum manducavit homo.* Et in Evangelio: κύριε ἀεὶ δὸς ἡμῖν τὸν ἄρτον τοῦτον. Et in Exodo: οὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος ὃν ἔδωκεν ὑμῖν κύριος. Si ergo manna quod erat album & minutum sicut semen coriandri, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ, gustusque eius quasi similæ cum melle, auctoritate divinâ dicitur panis, sive ἄρτος quod utique nullam similitudinem, aut verum saporem panis habebat; quomodo azymæ possit tolli nomen panis, non videmus, qui utique naturâ, formâ, & sapore omnimodis panis est & dicitur, præsertim cum Angeli apud Abraham & Loth subcinericios panes, ἄρτους ἐγκρυφίας dicantur comedisse. Angelusque Heliæ legatur in desertum attulisse. Sed quid multa? In lege & in Evangelio invenimus τοὺς ἄρτους προθέσεως, id est, *panes propositionis*, quos azymos fuisse nemo dubitat, qui legis Mosaicæ aliquam notitiam retentat. Ubi dicitur: *omnis oblatio quæ offertur Domino absque fermento fiet: nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini.* Et in Deuteronomio Moyses azymum vocavit, ἄρτον κακώσεως, id est, *panem afflictionis.* Sermo quoque Domini ad Ezechielem factus dixit: *Et tu Fili hominis sume tibi frumentum: hordeum, fabam, lentem, milium & viciam, & mitte in vas unum, & facies tibi panes.* Ecce tam hic quam in subsequentibus panes dicuntur, ubi nulla fermenti mentio habetur: in tantum ut subcinericius, hordeaceus ibidem vocetur. Veruntamen ut de vestris aliquid dicamus: Audite quid Ioannes Monachus Damascenus in laude Dei genetricis dicit: ἐπεὶ αὐτὴ τῶν βροτῶν γένει ἄζυμον ἐμψύχου τ... ἐκ ἧς * ἄζυμον μάνναν ... ἐξ οὗ ... ἀληθινὸν ... Quin etiam volumus, ut dicatis fermentatusne an azymus sit, de quo Salomon ait: *Suavis est homini panis mendacij.* Et *panis absconditus suavior est*, scilicet quem mulier stulta repromittit. Et hic enim & illic non azymus, sed ἄρτος dicitur. Et quia nos ad hoc trahere nititur tota vestra disputatio, ut pro eo tantum quod Matthæus dixit: λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον, id est, *accepit Iesus panem*, incipiamus credere fermentatum & non azymum discipulis suis in memoriam suæ passionis Dominum dedisse, sciatis istam sententiam vestram satis infirmam esse: Si aliud non habetis, quod possit vestræ parti favere. Omnis enim sententia ex opinione procedens, est dubia. Quæ autem ex scientia procedit, certa omnimodè & rata. Unde si aliam sententiam firmiorem non habetis, hac solâ tam ambigua nostrum consensum vobis non vendicabitis. Quia ut superius copiose monstravimus, azymus sicut fermentatus dicitur ἄρτος. Quin etiam Matthæus, qui Hebraicè scripsit Evangelium, non dixit: λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον, sicut Græcus, sed ut Hebræis, *Lacah Iesus Lechem.* Lechem autem Hebraicè etiam azymum vocari in Deuteronomio cognoscite, ubi sic habetur: *Lechem oni*, id est, panem afflictionis, atque panes propositionis *Lechem panim* dicuntur. Unde in Psalmo, manna quoque similiter vocatur, ut *Lechem abirim achalis*, quod interpretatur; *panem angelorum manducavit homo.* (F; *Psal. 77. Ioan. 6. Exo. 16. Levit. 2. Ezech. 4.*; G * ἄζυμα. *Prov. 20. Prov. 9. Mat. 26.*; H *Psal. 77.*)

Tam copiosis ergo trium principalium linguarum exemplis enervatam etymologiam vestram, ex nomine quod est ἄρτος sapienter considerate, & azymo nostro fermentatum vestrum præferre cavete. Quia si non obstinatâ mente manifestæ veritati resistitis, & si vetus & novum Testamentum apertè non impugnatis, nobiscum sentire & profiteri habetis azymum panem fuisse, quem ipse Dominus Iesus in cœna primis Ecclesiæ suæ

fundato

A fundatoribus distribuit in memoriam suæ passionis. Nam sicut sufficienter suprà ostensum est, in 7. Paschæ diebus fermentatum, nec inveniebatur nec apparebat in cunctis domibus seu finibus Israel. Et apud quemcunque fuisset inventum, tostà animadversione velut divinæ legis transgressor, absque procrastinatione peribat de cœtu Israelitarum. Quod si credimus (Mat. 5.) verbis veritatis dicentis: *Non veni solvere legem, sed implere*: credendum etiam & prædicandum est Dominum Iesum nec unum Iota, aut unum apicem legis prætermisisse, & ut totius transgressionis expertem insidiatoribus suis dixisse (Ioan. 8.): *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Alioquin nec ipse peccata multorum tulit, nec pro transgressoribus oravit, ut non perirent: nec pro nobis passus, sed pro sua prævaricatione iustè punitus præsertim qui nec solius legis transgressor inventus est, B fermentato apud se tunc reperto, sed insuper multos discipulos reos mortis effecit, cibans illos fermentato. Videte quorsum evadat hæc vestra disputatio: nempe si in solennitate azymorum dicitur quolibet usus fermentato, verè mortuus asseritur in peccato suo, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ipsius. Insuper administratis Iudæis materiam magnam sibi placendi super interfectione Domini, & permanendi in errore suo, & fidem nostram evacuandi: si gloriantes nomine Christiano obiecerint Christo, quod Iudæorum nemo obiicere præsumpsit, nec tunc nec modo, nisi forte vestro eductus magisterio. Quamvis enim principes sacerdotum & omne Concilium quæsissent falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent, & nec in verbis eius invenissent: tamen tale aliquid, quale vos obiicitis, nullos eorum obiecit. Quod si fuisset obiectum, solum unum sufficeret ad (Ioan. 18.) perdendum illum. Nec iam Pilato dicenti: *accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum*, dicerent: *Nobis non licet interficere quemquam*, quia ipsi C præcepta legis interfecissent fermentati participem. Denique tota in Iesum calumnia ex interrogatione Pilati & responsione Iudæorum facillimè potest animadverti iuxta Evangelium Matthæi & Marci, ubi interrogante Pilato (Matt. 27. Mar. 15. Luca 23.): *Quid enim mali fecit?* clamaverunt: *Crucifigatur*: Porro Lucâ attestante, omnis multitudo tradentes Iesum Pilato dixerunt: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum regem esse.* Quibus paulo post ait Pilatus: *Nihil invenio causæ in hoc homine.* Et illi: *Commovit populum per universam Iudæam incipiens à Galilæa usque huc.* Deinde post aliqua dixit eis Pilatus: *Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam mortis invenio in homine isto in his in quibus eum accusatis, sed neque Herodes. Corripiam ergo illum & dimittam.* At illi postulabant, ut crucifigeretur. Ioannes autem refert (Ioan. 18.), Pilatum sic dixisse Iudæis: *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Qui dixerunt ei: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Et post aliqua dicente eis Pilato: *Accipite eum vos & crucifigite.* Responderunt: *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium* D *Dei se fecit.* Nonne tot testibus iniquis in Dominum insurgentibus & iniquitate mentienti sibi, sufficeisset hoc unum vestrum mendacium, si constaret eis saltem hoc solum? Nonne instarent Pilato, & dicerent: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia fermentatum in Pascha comedit? aut certè eum apparuit? Et forte dicetis eum clam egisse hoc. Absit. Quia non solum de factis suis, verum & de dictis ait ipsi Pontifici percunctanti: *Ego palam locutus sum mundo: Ego semper docui in synagoga & in templo, quo omnes* (Ioan. 18) *Iudæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui me audierunt quid dixerim ego.* Nunquid etiam Dominum Domus in qua Pascha celebrabat sanctæ legis prævaricatio posset latere? quem constat paternarum traditionum æmulatorem apprime fuisse. Quod si forte & hunc latere potuit,

E aut certe ipse consensit: nunquid & Iudam complicem malignorum Iudæorum latere potuit: qui iuxta Psalmistam (Psal. 5): *Unanimus eius dux & notus* & præsertim dispensator fuit? Quem ipse Dominus dilecto Ioanni demonstrans ait (Ioan. 13.): *Ipse est cui intinctum panem porrexero.* Et cum intinxisset panem dedit Simoni Iscariothis. Ecce hic bis dixit ἄρτον, quem vos non nisi fermentatum accipitis. Quod si ita est, quæ res prohibuit infelicem Iudam demonstrato ipso fermentato, prodere sanguinem magistri palam, quemadmodum volebat prodere clam? Aut quid necesse habuit desperando dicere (Mat. 27.): *Peccavi tradens sanguinem iustum?* cum tradendo transgressorem legis averteris à se & à populo furorem Domini, & gratiam promeruerit? Ut enim præceptum legis divinæ super hoc breviter tangamus, perpendite quid in Deuteronomio latiùs dicatur (Deut. 13.). *Si Propheta quilibet sive frater* F *tuus, filius aut filia, uxor vel amicus quem diligis, ut animam tuam, voluerit clam persuadere tibi, ut averteris à ceremoniis legis, non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei tuus oculus, ut miserearis & occultes eum, sed statim proditum populo interficies, ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, & misereatur tibi, multiplicetque te sicut iuravit patribus tuis.*

Hic ne quid minùs factum videatur, etiam vestratium ridiculæ opinioni obviamus: qui non invenientes, quonam sanctarum scripturarum funiculo scapham assertionis suæ pertrahant ad alicuius stabilitatis littus, fluctuando pertrahuntur in illud divinæ omnipotentiæ pelagus. Namque sciscitantibus nobis unde Dominus Iesus fermentatum in cœna habuerit, cum in omnibus finibus Israel non inveniretur. Respondent: Si creditur omnipotens, potuit subito undecunque fermentatum exhibere, aut certè ipsum azymum benedicendo fermentare. Quod quam sit frivolum, nemo non intelligit. Quia G quocunque modo apud eum in ipsa solennitate fermentatum apparuisset, legis transgressor fieret, planè dignus poniri, qui in sanctæ legis contumeliam fermentatum tractasset. Sed etsi quolibet modo id fuisset factum, aliquis Evangelistarum tantum narraret miraculum, non inferius illo, quo aqua conversa narratur in vinum. Et cum tam subtiliter gesta sive dicta in ipsa cœnâ describunt, ut etiam aliqua velut minus necessaria videantur recitare: Sicut illud est de contentione prioratûs inter discipulos factâ, sive quod Dominus ipse præceperit vendi tunicam & emi gladium: quomodo tam obstinato silentio reticuere tam necessarij sacramenti initium & ut ita dicamus, omnimodam metamorphosim, & qualem vos somniatis? Neque enim fuerat negligenter commemorandum, quod totius Ecclesiæ extat fundamentum, & usque secundum Christi adventum retinebit Christianitatis statum, per quod in Christo manemus & ipse in nobis. Unde vos assertionis vestræ difficultatem passi, laboratis nobis præiudicium facere ex omnipotentia Christi. Sed vobis fideliter & constanter respondemus. Quamvis omnia quæcunque voluit fecerit, & faciat Dominus Iesus, hoc facere non potuit, sicut quondam de lapidibus panem facere non potuit. Si H quæritur, cur? Breviter respondetur, quia noluit. Sed unde scitur, quia noluit? quia non transgredi potuit, nec transgressus est legem, quam non venit solvere, sed adimplere. Itaque unum è duobus eligatis necesse est: aut enim fermentato abiecto in solennitate azymorum legem implevit, aut suscepto fermentato legem solvit, propter quam adimplendam se venisse mentitus invenietur, quod absit. Porro de omnipotentis Dei coomnipotente filio, ita habetur in Ioannis Evangelio (Ioan. 5. Marc. 6.): *Non potest filius facere quicquam à se.* Qui etiam secundum Marcum in patria suâ non poterat virtutes multas facere.

Hinc nil tergiversationum vestrarum prætermittentes, quia consideratis vestro fermentato secundum legem & Evangelium iustè contradici: astruere conamini Dominum non celebrasse Pascha cum Iudæis, quartâ decimâ Lunâ mensis primi, sed priusquam fieret legalis abiectio fermentati. Et hoc probare contenditis,

A ex Evangelio Ioannis, qui ait: *Et ipsi non introivere*
Ioan.12. *in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manduca-*
rent Pascha. Quod quanta absurditate dicatur, saltem
ex hoc perpendite: quod Christum transgressorem le-
gis non cavetis denuo pronuntiare, si Paschæ tempus
noluit observare. Præsertim cum Lucas referat: Quia
Luc.22. *cum facta hora esset discubuit.* Quamvis enim bis posse
celebrari Pascha lex concedat, tamen quartam deci-
mam lunam omnimodis observandam denuntiat. Et
mundis quidem quartam decimam lunam primi men-
sis, immundis autem quartam decimam secundi men-
sis. Et quicunque aliter præsumpsisset, de medio po-
puli sui periret. Quod si quæritur quare Ioannes deci-
mam quintam lunam, id est, à Pascha secundam dixe-
Ioan 18 rit *Pascha?* cum videatur dicere debuisse: Et ipsi non
introierunt in prætorium, vt non contaminarentur,
sed vt manducarent azyma: quorum prima erat dies
ipsa? Sciatis indifferenter ab Evangelistis dici *Pascha*
Mat. 26 *& azyma.* Nam licet Dominus discipulis dixerit: *Sci-*
B *tis quia post biduum Pascha fiet.* Matthæus tamen ipsius
diei in cuius vespere fiebat Pascha mentionem faciens,
Ibidem. inquit: *Prima autem die azymorum accesserunt discipu-*
li ad Iesum dicentes: vbi vis paremus tibi Pascha come-
dere? Cui concordans Marcus, ait: *Erat Pascha &*
Marc. 14. *azyma post biduum.* Et post pauca: *& primo azymorum,*
quando Pascha immolabant. Vbi si indifferenter non ac-
cipiuntur Pascha & azyma, vt modo Pascha pro festo
azymorum, modo festum azymorum intelligatur pro
Paschâ. Quomodo stabit: *Erat Pascha & azyma post*
biduum? Nam iuxta opinionem vestram debuit sic
scribi: Erat Pascha post biduum & azyma post tri-
duum. Sed B. Lucas omnem huiusmodi dissolvens con-
troversiam, inquit: *Appropinquabat dies azymorum, qui*
Luc 22. *dicitur Pascha.* Et quia cum eo qui propriè dicebatur
Pascha, subsequentes quoque septem dies azymorum
abusivè nuncupabantur Pascha, quem diem vellet spe-
cialiter intelligi in sequentibus luce clariùs ostendit,
dicens: *Venit autem dies azymorum in qua necesse erat*
Ibidem. *occidi Pascha.* Quod planè in quarta luna fiebat ad ve-
C sperum, quando agnus occidebatur. Quem etiam Pa-
scha dici sic Evangelista perhibuit, vt ipsum Pascha
occidendum diceret. Idem quoque in actibus Aposto-
lorum narrat, quod Herodes captum Petrum misit in
carcerem, volens post Pascha producere eum populo.
Qui quod Pascha dicat mox subiungens declarat.
Act.12. *Erant autem dies azymorum:* Nec mirum Cum etiam
Exod.3. Exodi 3. Dominus tria festa præcipua habere præci-
piens, Pascha tacuit: solemnitatem azymorum tantum
custodiri iussit, quæ prætermissio Pascha observari ne-
quit. Porro Ioannes qualiter intelligi vellet, quod ait: *vt*
non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha, pau-
Ioan. 18. lo post ait: *Erat autem parasceve Paschæ hora quasi*
Ioan.19. *sexta.* Parasceve Paschæ, præparatio Paschæ interpre-
tatur: quando iam præparabatur, vel instabat celebri-
tas magni diei Sabbathi, qui celebrior reliquis pascha-
libus diebus apud Iudæos habebatur: adeo vt ob reve-
rentiam eius, gentilis hominis cohabitatione, vel in-
D troitu prætorij pollui verentur. Et insuper ne in cru-
ce remanerent corpora in Sabbato, præcaverent. Nec
repugnat vero, quod Pascha solemnitas azymorum di-
citur: quandoquidem ipsum Pascha cum azymis ede-
batur, nec per totum diem illum, sicut scriptum est,
apparebat fermentatum in finibus illis vsque ad vespe-
rum octavæ diei, quam habebant celeberrimam.

Insuper harum trium solemnitatum continuati 8. dies
pro vno die sunt habiti, sicut de Scenopegiæ diebus
Ioan.7. Dominus dicit: *vos ascendite ad diem festum hunc, ego*
autem non ascendam ad diem festum: qui tamen postea
iam die festo mediante, dicitur ascendisse, & in no-
vissimo magnæ festivitatis die stetisse & clamasse: *si*
Ibidem. *quis sitit, veniat ad me & bibat.*

Ecce vestris opinionibus reluctati forsitan plus ne-
cessariò fuimus verbosi, sed hinc minime debemus re-
prehendi, quia causam humano generi super omnia
necessariam voluimus evacuari. Si Dominus Iesus le-
E gem potuisset transgredi, inanis enim esset fides no-
strâ, inanis & prædicatio nostra, quia posset doceri
peccatum Adæ obfuisse humano generi, mortem au-
tem Christi nihil profuisse. Nunc sequentia videa-
mus: ubi postquam vanis declamationibus, ut supra
monstratur, ἄρτον interpretati fuistis elevatum & sur-
sum portatum à fermento & sale, calorem & elevatio-
nem habentem, horrendâ cæcitate, abominati azyma
dixistis:

Consti- † Azyma autem nihil distant à lapide sine anima &
tu opul. luto lateris deorsum coniuncta terræ, & sicco luto
comparata.

Roma- * Heu heu heu Domine Deus, ecce compleri vide-
nus. mus principis Apostolorum præsagium nostris tempo-
2. Pet.2. ribus. *Ex vobis*, inquit, *erunt magistri mendaces, qui*
inducent sectas perditionis, & eum qui emit eos Domi-
num negant. Superducentes sibi celerem perditionem,
& multi sequentur eorum luxurias, per quos via veri-
tatis blasphemabitur, & in avaritia fictis verbis de vobis
F *negotiabuntur. Quibus iudicium iam olim non cessat, &*
perditio eorum non dormitat. Cuius sententiæ concor-
2.Tim.3 dans doctor gentium ait Timotheo: *Hoc scito, quod*
in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt
homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi,
&c. Et post pauca: *Quemadmodum Iannes & Mam-*
bres restiterunt Moysi, ita & isti resistunt veritati,
homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Sed ultra
non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit
omnibus, sicut & illorum fuit: Vnde & vos inpruden-
ter detrahentes azymis, etiam illi vivifico mysterio re-
demptionis nostræ inauditas iniurias irrogare non ti-
metis. Nec mirum si in secretis cœlestibus acies men-
tis vestræ caligat: quandoquidem in terrenis tam per-
versè errat, ut azymum quod visu & tactu atque gu-
stu simul & usu quotidiano panem comprobat, lapi-
dem seu siccum lutum lateris credat. Et ô quam dig-
nam erroris sui mercedem vestra vesania reciperet, si
vobis retrusis, & omni consolatione humani victûs
fraudatis, lapidem seu siccum lotum lateris apponeret
G aliquis pro azymis? Ibi proculdubio in summo discri-
mine vestro disceretis plurimum distare lapidem sive
laterem ab azymis, & quod lapidibus seu lateribus
paries, azymis autem confirmetur cor hominis. Quæ
quamvis humanam vitam temporaliter sustentent, ta-
men sine anima esse sicut & fermentatum nullus nega-
re audet, nisi Manichæus demens. Nam in corporis
Christi mysterio indubitanter vitalis esca fit perpetuò.
Sed dum nitimini apostolicæ Sedi derogare super azy-
mis, putredine inveteratæ hæresis vos scatere monstra-
tis, asserendo panibus inesse animam fermentatis etiam
absque mysterio aliquo dominicæ passionis.

Quod autem calumniamini azyma deorsum terræ
coniuncta, non negamus, vulgo hæc eadem sic para-
ri lapidibus aut argilla superposita: non sicut dicitis,
terræ coniuncta. Verùm hæc ad communes usus ho-
minum & cæterorum animalium transeunt. Nam ad
magnam Christi mensam non accedunt, sed illud so-
H lum, quod diaconi cum subdiaconis seu ipsi sacerdo-
tes sacris amicti vestibus cum melodia Psalmorum con-
spersum, & in ferro paratum ex Secretario proferunt.
Nempe sicut apostolici actus indicant: Diaconi spe-
cialiter constituti sunt super hoc opus. Petro dicente:
Non est aequum relinquere nos verbum Dei, & ministra- Act 6.
re mensis. Vos autem sicut facere nos reprehenditis,
nec in lapide aut argilla seu aliquo metallo vestrum fer-
mentatum paratis. Ergo aut in aqua paratis, aut de
cœlo manna venit vobis, quod ad humanos & divi-
nos usus habetis.

Sed ad reliqua frivola vestra veniamus. Non inve-
nitur Moses dixisse, azyma malæ passionis & tribula-
tionis symbola fuisse, sed *lechem oni*, id est, *panem af-* Deut 16.
flictionis: non quod naturaliter aliquid afflictionis in
se habeat, sed quod Hebræis ad memoriam revocet,
qui ab Ægyptiis exire compulsi conspersam farinam,
antequam fermentaretur asportarint in humeris: Quæ

ut

ut superius sufficienter disseruimus nihil nos tangunt mixta carnalis observantiæ ritus. Ideo discutiamus, quod sequitur.

† Nostrum vero Pascha gaudium & lætitia totum est, & extollit nos ab humo propter gaudium ad cœlum, sicut & fermentum propter proprium calorem panem: Qui panis omni suavitate repletus est. Azymum vero, neque sal, neque fermentum habens, lutum est aridum. Aut non audistis Iesum dicentem discipulis suis? *Vos estis sal terræ; & simile est regnum cælorum fermento quod accipiens mulier, abscondit in farina satis tribus, donec fermentaretur totum?* Mulierem sanctam Ecclesiam vocat. Satis verò tribus, hoc est tribus modiis repletis, Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, quorum nequaquam lutulentum azymum est particeps.

* Optamus vobiscum celebrare Pascha, quod totum sit lætitia, & plenum gaudij, in terra, scilicet viventium, quia hoc nemini concessum est in terris morientium, vbi & de præteritis scandalis subest gemitus, & de futuris metus. Vnde si cupitis de continuo Pascha postmodum gaudere, in isto, animo non sitis interim sine timore. Sed sicut Psalmista monet: *Servite Domino in timore. & exultate ei cum tremore.* (Psal. 2.) Et instanter cum Apostolis petite, vt gaudium vestrum sit plenum. Illud etiam, quod asseritis, id est, Pascha vos ab humo sustollere ad cœlum prægaudio, ita agere debet omnino. Quia si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextra Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: Sin aliàs, tam non levatur anima vestra ad Deum, sed contra Deum.

Sanè quoniam vestrum gaudium comparatis fermento, quod suo calore panem extollit, ambigimus iam quale illud gaudium sit, quia fermentum in bono accipi vix invenimus, nec fermentatus panis absque consecratione est suavitate aliquà plenior azymis panibus, quos plerique sibi salubriores & sapidiores arbitrantur, sed qualis fuerit propositio, aperit hæc vestra conclusio.

† Azymum verò neque sal, neque fermentum habens, lutum est aridum.

* Iteratis contumeliis in tantum azyma lacessitis, ut pene omnibus visibilibus & invisibilibus naturis iniuriam irrogetis. Si enim, ut definistis, lutum aridum est, quidquid neque sal, neque fermentum habet: Ergo beati Spiritus & animæ iustorum, sive ipsa quatuor elementa, ex quibus omnia visibilia existunt, lutum sunt: quoniam neque sal neque fermentum habent. Nec suffecit vobis tantum nefas evomuisse, nisi insuper Dominum testem vestræ opinionis produceretis, quasi pro solà commendatione & confectione vestri fermentati dixerit discipulis suis: *Vos estis sal terræ. & simile est regnum cælorum fermento:* (Mat. 5. & 13.) Ergo quia verba quæ sunt spiritus & vita, ad literam placet vobis intelligere; placeat etiam vestro fermentato aliquid palmitum & sinapi adiungere. Nam idem Dominus dicit discipulis: *Vos estis palmites.* Et: *Simile est regnum cælorum grano sinapis:* (Ioan. 15. Matt. 13.) quod scilicet calorem administrat quem tantopere tota vestra calumnia in fermento collaudat. Noveritis tamen ipsam de fermento abscondo expositionem vestram catholico dogmati contrariam. Si enim mulier illa Ecclesiam signat, & tria sata S. Trinitatem: ubi & quando & ad quid Ecclesia in ipsa B. Trinitate fermentum abscondit? An forte quisquam summo & incommutabili bono Deo quidquam augmenti aliquando conferre potuit aut poterit? Quapropter convenientiùs parabolam hanc exposuissetis, si regnum cœlorum S. Ecclesiam significare dixissetis. Fermentum autem doctrinam apostolicam, tria sata tres filios Noë, quibus post diluvium mensuratur farina, id est, totius humani generis massa. In qua utique mulier, id est, coæterna Deo Patri sapientia facta ex muliere, doctrinam apostolicam quasi fermentum recondidit, & regnum cælorum, id est, præsentem Ecclesiam ex diversis nationibus coadunavit.

Iam quia post multiplices azymorum obtrectationes ad hoc prorupit vestra insolentia, ut in ipsa terribilis & vivifica sacramenta redemptionis nostræ apertis contumeliis irreverenter insurgat, & azymum exclamet lutulentum, & nequaquàm S. Trinitatis particeps esse: Respondere cogimur deinceps vobis stultis iuxta stultitiam vestram, ne vobis sapientes esse videamini. Certissimè sciatis, quod gloriatio vestra stercus est & vermis, hodie enim extollimini, & cras non inveniemini, & secundum Psalmistam, ut pulvis ante faciem venti comminuemini & ut lutum laterum delebimini iuxta proverbium Sapientis, de stercore boum lapidandi, & velut stercus in via conculcandi sicut & antecessores vestri hæretici ac præcursores antichristi: (Psal. 17. Eccl. 22.) Vt enim in libro B. Iob dicitur: *Ex quo posuit Deus hominem super terram cognoscitur laus impiorum brevis esse, & gaudium hypocritæ ad instar puncti:* (Iob 20.) Vnde quia in eo putatis vos sapientes, si aliorum institutionibus detrahitis: hinc par pari referemus, quod vestram impudentiam mordebit, ut retrahat à reverendorum sacramentorum iniuriis.

Salua ergo ut dignum est reverentià corporis Domini nostri Iesu Christi, & in fermentato & in azymo, perquiramus an fermentatum ad humanas mensas præparatum syncerius ac mundius sit, plebeio azymo. Et primo omnium fermentatum repetamus, ut perspectà diligenter eius scaturigine verax iudicium de puritate fermentati habeamus. Necesse est enim, ut rivus fontis qualitatem & naturam sequatur. Ita enim originem fermenti invenire cupimus, sicut hominis cuiuslibet originem ipsam matrem omnium terram invenimus. Nam si hominis originem alium hominem dixerimus: iam propago non origo erit, quomodo nec fermentum fermenti origo esse poterit. Sicut enim sententia vulgi extat, fermenti origo fit, cum aut spuma musti seu fex cuiusdam rusticæ potionis quæ apud Gallos *cervisia* dicitur, vel certè ius elixati ordei, aut ciceris, sive lac ficulneæ vel pecorum corruptum, iniicitur conspersæ farinæ. Cum ergo spuma, fex, elixatum leguminum, & lac ficûs vel pecorum corruptum apud homines computentur inter sordida: constat fermentum sordibus non carere per omnia. Massa autem cuicunque fermentum iniicitur, necesse est corrumpatur: sicut ait sapientissimus Paulus: *modicum fermentum totam massam corrumpit.* (1. Cor. 5. & Gal. 5.) Vbicunque autem corruptio tam in divinis quam in humanis literis dicitur, ibi etiam deterioratio seu vitiositas aliqua substantiæ accidisse comprobatur. Vnde si non potest aliquando corruptio in bonam partem intelligi, nulli dubium est, quin fermentato azymum mundius, sit, quod nullam corruptionem fermenti admittens, ex munda farinà tantùm & purà aquà conficitur. Fermentum quoque si aliquamdiu in massa negligitur, tanto acore eam corrumpit, ut ultra humanis usibus non prosit. Deinde panis fermentatus parvo situ efficitur mucidus, quod rarissimè incurrit azymus, utpote planus & solidus, non tumidus & cavernosus, uti fermentatus. Qui licet magna ex parte impar sit nostris laudibus, tamen per omnia par est vestris moribus. Ipse enim fermento veteri corruptus deprehenditur acidus, cavernosus & tumidus. Et vos haud secus humanà opinione corrupti, loquacitate apparetis acidi, calliditate cavernosi. Et ut divinæ scientiæ vacui, humanà scientià inceditis inflati: Iuxta illud dictū Apostoli: *Scientia inflat.* (1. Cor. 8.) Cui etiam supradicta vitia inesse ibidem Apostolus attestatur Timotheo dicens: (1. Tim. 6.) *Si quis aliter docens, & non acquiescens sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati sunt.* Quod vero fermentum sicut præfati sumus, in divinis & humanis literis, in malum ponatur: dominus in Evangelio testatur: (Matt. 16. 1. Cor. 5. ibidem.) *Cavete*, inquiens, *à fermento Pha-*

risæorum,

[A] *risæorum quod est hypocrisis.* Et Paulus : *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum.* Et Paulo post : *Epulemur non in fermento malitia & nequitia.* In fecularibus quoque literis Satyricus effœminationem & corruptos mores Romanorum redarguens ait :

[Persius.] *Quid didicisse nisi hoc fermentum, ex quo semel intus,*
Innata est rupto iecore, exierit caprificus?

Et si omnes scripturas perscrutari fueritis, nunquam & nusquam fermentum in bonam significationem poni invenietis, [Mat. 13.] nisi in uno loco Evangelij, ubi regnum cœlorum fermento simile dominus dicit : Doctrinam videlicet Apostolicam significans. Si vero omnes revolvatis scripturas, nunquam & nusquam invenietis azyma poni in significationem contrariam, sed aut sinceritatem aut veritatem significare, sicut Apostolus ait: [1.Cor. 5.] *Epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.* [B] Vnde vestra duplicitas suo fermentato contenta Romanæ & Latinæ simplicitati azymum exorquere desinat. Ne si fuerit pertinax, anathema maranatha cum suo fermentatu fiat, & prophetam sibi exprobrantem audiat: [Amos 4.] *Ite ad Bethel & impie agite, sacrificate de fermentato laudem.*

Nunc videatur quænam Ecclesiarum maiori diligentia & subtiliori significatione dominici corporis proprietatem vel veritatem imitetur. Romana quippe & Occidentalis Ecclesia à ministris sacri altaris in secretario confectum offert azymum, quod ea grano frumenti & limpidâ lymphâ per ignem fuerit præparatum, significans se in una mediatoris Dei & hominum, hominis Dei Iesu Christi, personâ, tres perfectas credere, & venerari substantias : humanam scilicet carnem, animam rationalem, & verbum Dei Deum. Et granum quidem assimilari carni, quam de sola Virginis carne, quasi ex grano matris terræ, solâ virtute cælesti, non autem aliqua commixtione virili factam omnipotens divinitas animavit. Puriorem substantiam, id est, [C] animam, quasi aquam præclaram & nobilem ei infundens. Quas geminas substantias ab ipsius virginalis conceptionis exordio verbum Dei ritè suscepit, & mediante suæ divinitatis calore, tanquam igne sibi construxit & consolidavit. Taliter præparatus azymus fideli invocatione totius Trinitatis, fit verum & singulare corpus Christi, Non sicut Theupaschitæ volunt corpus Patris & Filij & Spiritûs sancti. Quod & vos videmini sentire, dicentes, Patris & Filij & Spiritûs sancti particeps, non esse azymum, sed subandiatur, sicut fermentum est particeps eorum. Ex qua pravâ sententiâ si non vultis cum Theupaschitis damnari, nolite in ipsa commemoratione Dominicæ passionis aliquod participium seu communionem præter solam consecrationem vel cooperationem concedere, sanctæ & impassibili Trinitati, quia mors solius humanitatis Filij Dei in illo sacramento visibili, ut Apostolus ait : [1.Cor. 11.] *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Ipse quoque Dominus Iesus in speciali commemorationis suæ [D] privilegio discipulis distribuens panem, ait: *Hoc est* [Mat. 26.] *corpus meum quod pro vobis tradetur. Meum*, inquam, quod Spiritûs sancti, septemplici gratiâ subnixum, ipsa sapientia Dei Patris æterni ædificavi mihi templum quadraginta & sex diebus in utero & ex utero intactæ Virginis : quodque mox pro vobis & pro multis per passionem crucis in mortem resolvendum, omnipotens Trinitas post triduum suscitabit, non permittens sanctum suum videre corruptionem. *Meum*, inquam, hoc est Filij Dei & Filij hominis, qui vadit sicut scriptum est de illo. Quapropter sicut prædiximus tota beata Trinitas in consecratione Eucharistiæ cooperatur, sed sola mors Christi in fractione eius & in usu annuntiatur.

Hinc iam quæ apud vos habeatur disciplina & cautela, super tanto mysterio advertamus. Vos aliquando pretio frementatum à quocunque viro, seu fœmina præparatum habetis, in tantum ut nonnunquam ab ipsis publicis negotiatorum tabernis emptum panem ad [E] Dominicam mensam transferatis. Quem tractatum illotis & sordidis quomodlibet manibus negare non potestis. Qui sanè iuxta nostram narrationem quinque substantiarum particeps est, id est, fermenti, farinæ, salis, aquæ & ignis. Quarum omnium significationes congruas in illa simplici & sincerâ carne salvatoris, si habetis, date nobis. Par est enim ut de fermento nobis rationem reddatis, quemadmodum nos de azymis vobis : ne forte, quod absit, perversitas Manichæorum, ad fulciendum errorem suum asserat, has quinque substantias in sacrificium Christianorum assumi, propter quinque antra tenebrarum, quæ fingunt mentiendo sibi. Date quoque evidentem causam illius circumcisionis, qua coronulam panis ad sanctum sacrificium ferro levatis, cum immaculata hostia, immaculatum corpus Domini aptiùs videatur significare, [F] & integritas panis, integritatem Ecclesiæ, quæ corpus Christi fit participatione eius integerrimi corporis. Quod qualiter fieri debeat, Paulus Corinthiis ita prædicat : *Panis quem frangimus, nonne participatio Domi-* [1.Corinth.] *ni est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane & uno calice participamus.* Vnde & Dominus panem accepisse benedixisse & fregisse, non autem legitur ante vel postea incidisse. Deinde quod sanctum panem vitæ æternæ in calice intritum cum cocleari sumere consuestis, quid opponitis? Neque enim ipse Dominus panem in calice vini intrivit, & sic Apostolis dedit dicens : accipite & cum cocleari comedite : Hoc est enim corpus meum. Sed sicut sancta Romana Ecclesia usque nunc observat : Panem integrum benedixit & fractum singulis particulatim distribuit dicens : *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Quibus postquam cœnatum est, calicem porrexit di- [1.Cor. 11. Mat. 26.] cens : *Bibite ex eo omnes.*

Quam reverendam angelis & hominibus institutionem etiam sancta Sion, prima scilicet Ecclesia, usque ad hæc moderna tempora, sicut ab Apostolis accepit, [G] fideliter retinuit : adeo, ut quidam Hierosolimitanorum pontificum datis epistolis significaverunt, quantum illorum institutio discreparet à Græcis. Sic enim scriptum reliquerunt : *Ex ipsa sanctâ civitate Hierusalem, qua & sancta Hierosolyma, exiit fides Christiana : in ipsa quoque sanctâ Sion & sancta resurrectione prima Ecclesia dicuntur & veraciter habentur. In ipso sancto & venerabili loco adimpletur divina & immaculata oblatio Domini nostri Iesu Christi, sicut decet per ordinem.* Et puto quia benefaciunt ibi, quod non nisi integras & sanctas ponunt ipsas oblationes in sanctas patinas, nec quomodo Græci habent lanceam ferream qua scindunt in modum Crucis ipsam oblationem, id est, prosfomite. Porro in præfatis sanctis Ecclesiis, cum ipsa sancta patina sanctam anaforam, id est, oblationem exaltant. Etenim veræ & aptæ sunt ipsæ oblationes tenuesque ex simila. Lanceam vero ferream nesciunt, nisi quæ latus Domini nostri Iesu Christi aperuit. Coclear vero cum quo communicent, sicut in Ecclesia Græcorum, minimè habent, quia non ita commiscent ipsam sanctam [H] communionem in calice, sed solâ communione communicant populum. Itaque & in magnis & in parvis Ecclesiis hunc morem traditum sibi à sanctis Apostolis habent omnes Christiani ipsius provinciæ. Græci autem cohabitantes eis, alij sic, alij qualiter à suis acceperunt. Ad hæc si quid ex sancta & venerabili Eucharistiâ in Hierosolymitanis Ecclesiis superfuerit, nec incendunt, nec in foveam mittunt, sed in pixidem mundam recondunt, & sequenti die communicant ex ea populum, quia quotidie communicant ibi, eo quod conveniunt illuc ex diversis provinciis Christiani, qui propter fidem & maximum amorem filij Dei communicare ibi desiderant, quia & locus ipse venerabilior & sanctior est omnibus locis, in omni terra. Et ibi est sepulchrum sanctum & honorabile Domini nostri Iesu Christi, & sanctus Calvariæ locus. Subterrare autem vel infodere sanctam Eucharistiam in

A in terra, ficut quidam dicuntur agere, aut in lagenam mittere, aut effundere illam, negligentia magna est & nullus timor Dei. Etenim fides Christianorum, ipsa impolluta & divina mysteria sunt: Secundum quod
Ioan.6. Christus dixit: *Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, vitâ vivit in æternum.* Sed de his hactenus: præcipue cum vos ipsi possitis hæc colligere subtiliùs ex tenore Epistolæ illius: quam istis ex Græca latinam perfecimus. Vbi luce clariùs intelligi datur eundem ritum divini sacrificij sanctam Hierosolymitanam Ecclesiam observasse antiquitus: quā sacrosancta Romana Ecclesia observare non cessat hactenus. Siquidem tenues oblatas ex simila præparatas integras & sanas sacris altaribus nos quoque superponimus, & ex ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamur. Et tunc demum calice meri & liquidi cruoris potamur: quandoquidem nemini discipulorum nisi Io-
B dæ proditori intinctum panem à Domino porrectum invenimus: significante, quod cum esset traditurus: pari modo etiam residuum Dominicæ oblationis reponimus. Iam quia sufficiente authoritate novi & veteris testamenti constat Dominum nostrum Iesum Christum commemorationem suæ passionis recolendam in azymis, discipulis sub ipsa cœnâ commendasse, sicut hodieque sancta Romana & Latina Ecclesia nititur recolere: Dicere debetis cuius institutionem in fermentato tam obstinate defenditis. Nempe quicum-
Iob.9. que, seu qualiscumque ille fuerit iuxta beatum Iob compositus Deo, qui est ipsa iustitia & sapientia, nec iustus, nec sapiens erit. Nec potest fieri, ut quilibet convenientiùs aut veriùs commendare prævaluisset sacrosanctum mysterium fide, quam ipse qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis: agnus immaculatus, qui tollit peccata mundi. Cui comparata, imperfecta, cuius vis scientia summa est ignorantia. Quapropter eventilemus reliqua dicta vestra.

C Constantinopol. Ps.109. Hebr.7. † Dixit autem David de ipso: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Qui ante Abraham & Muysen cæli & terræ & cæterarum creaturarum agnoscens Deum, exurgens obtulit illi panem & vinum. Ideò dicit divinus Apostolus. *Quoniam si consummatio per Leviticum Sacerdotium erat, non secundum ordinem Melchisedech Sacerdos Christus diceretur. Et quia translato Sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat.* Quæ lex luculenta constituit azyma Iudæis cu-
1.Cor.11. stodire. Idem ipse magnus Paulus ad Corinthios prima Epistola ex his loquutus sic ait: *Fratres ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Quoniam Dominus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: accipite & comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & de calice: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite quoties cunque bibitis in meam commemorationem, quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.*

Roma-
D nus. * Quamdiu vestigia doctiloqui Pauli fideliter tenuistis, omnino irreprehensibiliter cucurristis. Sed mox ut præcurrere tentastis, miserabiliter corruistis. Quibus non sufficit aberrasse, nisi insuper Doctorem gentium in fide & veritate maluissetis post vos reluctantem trahere, quam illius vestigia repetendo errorem vestrum evadere. Insuper inauditum præiudicium eidem facitis, quando suis dictis eum impugnando azyma luculenta pronuntiatis, quæ tam ipse quam omnis catholicus esse sinceritatis & veritatis asserit. Illam deinde Etymologiam vestram super pane contra nos defensando, complicem vestrum tantum Apostolum laboratis efficere, quasi in eo quod veraces E-
1.Cor.11. vangelistas secutus ait: *accepit panem*, nonnisi fermentatum voluisset insinuare. Quod si fieri potuit, inanis prædicatio & labor tanti Apostoli erit. Evacuabitur mors Christi, quia iam non tradidit semetipsum pro nobis, sed iustè interiit sicut transgressor legis. Verum quam sit hæc vestra Etymologia frivola, satis abundéque ostenditur supra.

E Iam videamus quorsum pertrahere conamini tantum Apostolum iuæ assertionis funibus.

Constantinopol. † Azyma vero neque commemorationem habent, neque mortem annuntiant, sicut Mosaica & ante mille quadringentos annos ex lege constituta, & per novum testamentum, hoc est, per sanctum Evangelium & per Christum maledicta & derelicta.

Romanus. * O Sacrilega temeritas, ô virosa & maniosa Manichæorum dicacitas, ô ab omnium viribus & cordibus procul abigenda impietas. Enne pertraxistis Apostolum, ut in tantæ perfidiæ barathrum præcipitaretis vobiscum? Ecce illud pestiferum ovum, quod tamdiu parturistis, repentè peperistis: Ex quo qui comederit
Esa.59. morietur: ut Esaias Propheta dicit: *& quod fuerit confotum, erumpet in regulum.* Ecce ut claret, dolorem
F conc:pistis, iniustitiam partusistis, iniquitatem peperistis, & contra ipsam veritatem & omnes divinas paginas mentiti impudenter latratis ipsum filium Dei legem & azyma quæ constituerat, maledixisse. Sed ô sancta, ô bona, ô venerabilis lex cum universis mandatis, & observationibus tuis, quicunque te & tua usque ad unum iota maledixit, maledicit aut maledicet: sit iste maledictus. Potuitne aut debuit Dominus noster sic ingratus esse ut tam fidelem & devotum præconem & constantissimum testem suum, aliquâ maledictione confunderet? qui non cessavit totâ suâ intentione, signis, mandatis, sacrificiis, cæremoniis, atque verbis gloriam eius conclamare. Et ubi didicistis, quod Dominus legi & azymis maledixerit? Forsitan dicturi estis, ubi novum Pascha tradidit discipulis suis, aut ubi surrexit à mortuis. Sed ut superiùs liquidò cognoscitur, & ipsis benedictis & fractis novum Pascha instituit: & ipsa suæ resurrectionis die à duobus invitatus in Emaus castello, accepit panem, benedixit, & mox ἐγνώσθη αὐτοῖς ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου:
G id est, *cognoverunt eum in fractione panis*: quem omni-
Luc.24. modis azymum fuisse constat, quia usque ad octavas Paschæ nullo modo fermentatum in omnibus finibus Israel apparebat. Sanè quod ipse factus sub lege legis
Ioan.5. testimonium habuerit, dicit Iudæis: *Scrutamini scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et iterum: *Si cre-*
Ibidem. Matt.5. *deretis Moysi, crederetis & mihi. de me enim ille scripsit.* Vnde in alio loco protestatur se non venisse, solvere legem, sed adimplere. Cuius quodlibet minimum mandatum quisquis solverit, etiam in regno cœlorum, hoc est præsenti Ecclesia, minimus foret: nedum illam futuram aliquo modo introiret. In qua factor & doctor legis magnus vocaretur. Ipsa quoque suæ resurrectionis die, duobus supra dictis discipulis, incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur Scripturas, quæ de ipso erant. Deinde undecim congregatis
Luc. 24. dixit: *Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysis & in Prophetis, & in Psalmis de me. Et quia oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis tertiâ die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem*
H *peccatorum per omnes gentes.* Ecce breviter Salvator innotuit incarnationis ac passionis suæ humilitatem, atque resurrectionis gloriam omniúmque gentium vocationem, & per baptismum salvationem, in veteri testamento præmonstratam, & in novo fuisse exhibitam, ut merito Evangelium nihil aliud sit dicendum, quam legis expositio. Quæ lex velut baiula & nutrix Christi & Ecclesiæ, id est, sponsi & sponsæ, capitis & corporis in plenitudine temporum prævia Evangelicæ gratiæ & veritatis lucernâ publicis visibus revelavit, quod diu in secretis cubiculi occultavit, tunc repentè illius speciosi forma præ filiis hominum omni creaturæ resplenduit: ubi per sanctos apostolos, quibus aperuit sensum, ut intelligerent scripturas, mysterium cunctis retrò seculis absconditum, in omnem terram, & usque in fines orbis transmisit. Maledicendus ergo est uterus ille, qui spiritu Dei gravidatus ab initio parturivit omnia Sacramenta Christi & Ecclesiæ, tan-

dèmque

A dénique in fine sæculorum peperit ipsum Evangelium prædicandum ubique? Siquidem vetus testamentum efficit, ut per novum liberâ fronte prædicetur partus Virginis, & credatur resurrectio ex mortuis, atque per lignum & aquam & Spiritum reparatio humani generis: alioquin deleto Veteri Testamento novum evanescet, fabuláque putabitur, nec retineri poterit absque charactere suo, quoniam nec paries stabit sine fundamento. Quod ipse Dominus suis factis & dictis supposuit, & Apostolis seu prædicatoribus suis inspiravit narrationis suæ cursum firmare anchorâ Testamenti Veteris. Cuius auctoritate primus magister Ecclesiæ profitetur certiorem esse illâ voce, quam super Dominum transfiguratum factam audivit. Vnde firmissimè credendum est, & liberrimè profitendum, quod quicunque Veteri Testamento contradicit, etiam novi adversarius exstitit, quod velut rota in medio rotæ inesse veteri sanctus Ezechiel vidit.

B Deinde quasi subjectum vel fundamentum est Vetus Testamentum, cuius ædificium vel superior pars constat Novum, quod necesse est deficiet vel corruet, deficiente vel corruente subjecto, cui insidebat: Et subjecto quidem seu fundamento permanente, permutantur superfidentia sæpe: intereunte autem vel ruente, nequeunt pariter non interire vel ruere. Hoc utique Dominus utriusque Testamenti lator intelligi volens cum posset omnipotenti voluntate vacuas sex hydrias in nuptiis vino de nihilo repentè creato implere: maluit tamen certi mysterij gratiâ priùs aqua easdẽ hydrias à festi ministris usque ad summum impleri, & post solo nutu suo, mirabile vinum fieri. In quo provido redemptoris nostri facto, dicimus, aquam non substantiam suam, sed qualitates, id est, saporem & colorem, & si quæ sunt hujusmodi permutasse, ut animadvertamus ipsum Dominum Vetus Testamentum quo sex mundi ætates, per ministerium priorum patrum repleverat non evacuasse, sed innovasse, nec inde

C quidquam reprobando minuisse, sed quod ei inerat & latebat, approbando exhibuisse. In quibusdam enim solâ permutatione temporum seu varietate exceptâ Lex & Evangelium idem concorditer clamant,

Deut.18. Isa.7. Luc.7. Luc.1. verbi gratiâ. Lex prædicit: *Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris.* Et: *Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Evangelium prædicat: *Propheta magnus surrexit in nobis.* Et: *Virgo concepit & peperit filium.* In quibusdam etiam tempore & themate salvo commemorant voces pietatis & impietatis.

Psal.21. Ibidem. Vt est: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Et: *Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Porrò si alicui insipida videtur talis lympha, noverit nullo vitio lymphæ istud sibi contingere, sed nimio palati sui stupore. Animalis enim homo, non percipit ea quæ sunt Spiritûs Dei. Stultitis siquidem est illi lex Dei, nec novit ex ea mentis ventrem salubriter replere, sed perniciosè distendere. Spiritualis autem qui judicat & discernit omnia

1.Tim.1. Rom.7. cum nostro architriclino Paulo fideliter decantat: *Scimus quia bona est lex si quis ea legitimè utatur.* Et illud:

D *Scimus quoniam lex spiritualis est.* Quod si lex spiritualis est, ministratio Spiritûs sit spiritualiter examinata, & ministratio mortis carnaliter discussa. Quamvis enim lex suapte naturâ sit vita, vitio tamen hominum mors

Ibid. fit, sicut idem Apostolus dicit: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit, Sed peccatum non agnovi nisi per legem.* Et post pauca: *Itaque lex quidem sancta & mandatum sanctum & iustum & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem.* Et rursus: *Invenio igitur legem volentem mihi bonum facere, quoniam mihi malum adjacet.* Tandem si sapienter audistis quæ præmisimus, resipiscite ab injuriis legis, quam sanctam, & mandatum sanctum & justum & bonum affirmat Apostolus: ne medicum demonstrantem morbos & curare volentem, videamini obruere lapidibus, tanquam freneticus.

E Porrò numerosa patrum conjugia, & ex tribu suâ, atque carnalia sacrificia & circumcisionis seu variarum purificationum cæremonias, ciborúmque differentias, noveritis temporaliter carnalibus aut permissa aut jussa: ut eos talium jugo vel licentiâ mandatorum retineret, ne ad idololatriam seu ad cætera flagitia corruerent: Spirituales autem significatione bonorum futurorum quæ in his promittebantur, jugiter sublevaret, ut advenientia à longè conspicerent & devotè salutarent. Quod licet hujusmodi observationibus pro loco & tempore viderentur nimium dediti, ut sua condescensione paulatim brutas plebes per signa traherent ad res: tamen quid in his senserint, ex his B. David dictis

Psal.50. Psal.33. liquet: *Si voluisses sacrificium dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Vnde rursum ait: *In me sunt Deus vota tua.* Cuius personam suscipiens, carnali populo contestatur di-

Psal.49. cens: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, &*

F *redde altissimo vota tua.* Nonne huic & reliquis patribus aqua legis, colorem & saporem mutaverat? quæ pallida & insipida carnalibus apparebat. Quippe his frigebat, quæ illis sic calebat, ut iam tunc cum discipu-

Luc.24. lis IESV dicere possent: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via & aperiret Scripturas?* Litera enim legis per Moysen datæ, carnales occidebat, cuius Spiritus gratiâ & veritate per Iesum-Christum facta Spiritualis vivificabat, ut illi timore temporalis mortis ac si frigore contracti, inde pallerent: unde isti amore æternæ vitæ, quasi calore vegetati ru-

Rom.13. bebant, & cum Paulo liberè proclamant: *Plenitudo legis est dilectio.* In cuius duobus præceptis charitatis pendere veritas perhibuit. Quod si Deus charitas est, Deo procul dubio adversatur, quisquis aliquid legi Moysi subtrahere conatur, quam ipse totam in charitate pendere testatur. Quæ charitas gemina carnalibus & terrenis cæremoniis contecta, velut quidam bisulcus

G hamus vermiculis seu volaticis plumis insertus & in pelagus humanæ captivationis cælitus demissus vagos & vacuos cœlestium homines, inescatos visibilibus, invisibili mucrone trajecit, & trajectos ad sinum Angelicæ libertatis retraxit: dicentes Deo in Canticorum

Cant.1. canticis: *Trahe me post te.* Et *Vulnerata charitate ego sum.* Sic dum homo adhæret Deo & homini proximus, decentissimâ lineâ, & tanquam aureâ mandatorum divinorum catenâ, pariter ad paradisum retrahuntur.

Deinde quantâ instantiâ Eufration Rhodiorum Episcopus legem veterem contra Severianos hæreticos defenderit: ex subjectis verbis ipsius liquet, ubi inter nonnulla alia dixit: *Fundamenta domûs præclara circa squallida loca sunt posita, ut ea quæ sunt superius nullas contumelias stercorum patiantur: superiora ergo domûs laquearibus aurata, parietibúsque picta, & vario marmorum metallo sunt edita. Inferiora vero humori terreno vicina: degesta etiam superiorum universa suscipiunt. Quid ergo nunc faciemus? Si auferimus inferiora, superiora corruunt: tamen si destruenda erunt inferiora? non hoc alius poterat, nisi Dei Filius facere. Videamus*

H *ergo utrum ipse destruxerit, hoc quod nos dicimus permanere. Putatis, inquit, quia veni legem solvere aut Prophetas? Non veni legem solvere sed adimplere.* Et vos ego saltem his & aliis proprij Doctoris vestri vocibus revocari ab injuriis sacratissimæ legis cessare: ne ab eodem & ab omnibus Catholicis anathema cum Severianis sitis.

Sed ne fortè adhuc vobis nimiùm placeatis ex opinationibus vestris, cum nihil teneatis, diligentiùs recapitulemus dictum Apostoli, quem supra violenter ad

Hebr.7. vestrum suffragium attrahere tentastis. Quia ait: *Si consummatio per Sacerdotium Leviticum erat: populus enim sub ipso legem accepit, quid adhuc necessarium fuit secundùm ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundùm Aaron dici? Translato enim Sacerdotio, necesse est ut legis quoque translatio fiat.* In quibus verbis, sicut superiùs ostenditur, nil aliud intelligitur

A consummationem, nisi consumptionem, id est, abolitionem & finem, non qui perficit, sed qui interimit. [Rom. 10.] Quod longè aliter esse idem Apostolus edocet, dicens: *Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti.* Vnde quoniam aliter dicitur finivi pacem, aliter finivi telam: accipiamus necesse est Christum finem legis, consummantem non consumentem: perficientem non annihilantem: complentem non evacuantem. Quod finis ab initio sæculi promissus, & in fine exhibitus, dum penderet in Cruce pro nobis sacrificium vespertinum & ultimum factus: sciens quia iam omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dicit: [Ioan. 19. Ibid.] *Sitio.* Qui cum accepisset acetum, dixit: *Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum.* Vbi certè non Evangelista dicit; ut consumeretur, sed ut consummaretur scriptura. Nec ipse Dominus, consumptum est, sed consummatum est. Ad quam morientis vocem, velum templi scissum est usque deorsum, ut iuxta Apostolum [2. Cor. 3.] B accedentibus ad Christum velamen usque tunc positum in lectione Veteris Testamentti significaretur ablatum. Quæ consummatio non per Leviticum sacerdotium fuit, quia attestante Apostolo: [Hebr. 7.] *Nihil ad perfectum duxit lex.* Ex quibus Apostoli verbis, ne forte resumatis ansam calumniandi: attendite quia non dixit, nil boni fecit lex, sed nil perfecit. Habuit enim, ut idem [Hebr. 9.] Apostolus ait justificationes culturæ & sanctum seculare, & tabernaculum manufactum, & Pontifices præsentium bonorum qui per alienum sanguinem semel in anno introeuntes Sanctasanctorum sanctificabant inquinatos ad emundationem carnis. A quibus munera & hostiæ offerebantur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere servientem solummodo in cibis & potibus, & variis baptismatibus & iustitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium C sanguinem introivit semel in sancta æternâ redemptione inventâ, quando per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, & mundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. Equidem secundùm legem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium, qui solus proprio sanguine semel æternam redemptionem perfecit, quam illi alieno sanguine incessanter imitantes imperfectam repræsentabant. Quæ ut accessit, omnis ille sacrificiorum seu cæremonialium carnalium cursus iure conquievit. Neque enim deinceps pluribus sacrificiis indigemus, quia in uno æternam redemptionem invenimus, quæ per Leviticum sacerdotium incepta, per Pontificatum Domini Iesu constat perfecta, qui non D secundùm Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech, ideò Sacerdos dicitur, quia panem & vinum offerendum atque sumendum in veritate carnis & sanguinis sui constituit fidelibus suis. Cuius generatio inenarrabilis de patre sine matre, de matre sine patre: nec initium dierum nec finem habens, solus verus Rex iustitiæ & pacis. Cui quia convenientiùs assimilatur Melchisedech, non solùm ex uno sacrificio & genealogià, sed etiam ex prænomine, quam Aaron, dicitur Sacerdos Christus secundùm ordinem Melchisedech, non secundùm Aaron. Denique Melchisedech ille, nec corpus & sanguinem suum in pane & vino divinitati obtulit, nec sine parentibus aut initio & fine fuit: neque substantialiter Rex iustitiæ & pacis, sed quod hæc omnia scripturæ de illo homine aut tacuerunt aut dixerunt, in manifestiori significatione nostri Melchisedech · cuius ille sicut & Aaron umbra non veritas fuit. Ad quem translato sacerdotio, necesse est, ut legis quoque fiat translatio, à litera, scilicet occidente, ad spiritum vivificantem, à vetustate ad novitatem, ab imperfectione ad perfectionem, à servitute ad libertatem, & filiorum Dei adoptionem, à Iudæis ad E gentes, quibus Apostolus ait: [Rom. 8.] *Non accepistis spiritum servitutis, iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Quia utique lex translatione est alterata, non facta alia: immutata, non est mutata: accessu gratiæ cumulata, non est recessu suo exinanita. Sicut Dominus suis inquit: [Matth. 5.] *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Nunquid dixit: nisi reprobaveritis aut omnino reliqueritis iustitiam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum? Sed quoniam iustitia illorum erat tantùm à malo opere abstinere: voluit Dominus in hoc suorum iustitias superabondare: ut non solum malum ab opere, sed insuper à cogitatione satagerent resecare. Nam illis ex lege bonum erat non occidere, non mœchari, istis autem super hoc ex gratia optimum & perfectum, nec irasci, nec concupiscere. Ideo lex ramos malitiæ succidit: gratia vero F etiam radices eius evellit. Et sicut in resurrectione hoc ipsum corpus humilitatis nostræ & non aliud reformabitur, sic & lex ipsa per Evangelium reformata in toto mundo prædicatur. In qua utique reformatione quamvis plurimum decus augeatur naturæ, tamen integritas in nullo aufertur, quando ad similitudinem grani seminatum corpus animale, surget corpus spirituale, & seminatum in infirmitate surget in virtute. Hac quoque reformatione cœlum & terra transibunt, non interibunt, transferentur non auferentur. Nec moveamur à nostro sensu, nec terreamur, si nonnulla legis sacramenta exhorret animalis sensus: quandoquidem ipsius sancti Evangelij nonnulla mysteria exhorruit hactenus, in tantum, ut Domino dicente: [Ioan. 6.] *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* Etiam maxima pars discipulorum eius ab eo discessissent: dicendo: *Durus est hic sermo. Quis potest eum audire?* Prætereà Novum Testamentum ideo G dicitur, quia proculdubio æterna sunt quæ pollicentur, sicut malis supplicium æternum: bonis vitam æternam. Nam quantum ad recitationem seu conscriptionem, ipsum Evangelium in novissimo die omninò præteribit: Vbi deinceps nec scriptura aliqua necessaria erit.

Cæterùm si ad rem pertineret, monstraremus non mille quadringentos annos tantùm sicut scripsistis, sed mille quingentos & amplius annos ab institutione azymorum per Moysen usque ad passionem Christi decurrisse. Sed cum nostræ intentionis sit, Romani ritum sacrificij approbare: Chronographis relinquimus opinionem vestram à præfato annorum numero reprobare. Itaque si azyma quemadmodum astruere conamini per Christum & eius Evangelium fuerunt maledicta, reprobata & derelicta, & ideo deinceps non debere offerri in sacrificio Domini, quia per Moysen constituta sunt Iudæis: Sciatis fermentatum quoque consti- H tutum per Moysen Iudæis, sicut in Levitico dicit: [Levit. 7.] *Hæc est lex hostiæ pacificorum. Offeret panes fermentatos cum hostia gratiarum, quæ offertur pro pacificis.* Idem Moyses in eodem: [Levit. 23.] *In Pentecoste offeretis ei panes primitiarum de duabus decimis simila fermentata, quos coquetis in primitias Domino: offeretisque cum panibus septem agnos.* Sal quoque quem tantopere prædicatis in fermento per Moysen ita cõstituitur in Iudæis in Levit. [Levit. 2.] *Quidquid obtuleris sacrificij sale cõdies, nec auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal.* Quapropter si à nobis non debet offerri azyma, quia Mosaïca sunt, nec à vobis debet offerri fermentatum & sal, quia æquè Mosaïca sunt. Et quia ab Apostolo audientes: [2. Cor. 5.] *Vetera trãsierunt, ecce facta sunt nova,* insipienter putatis omnia veteris testamenti reprobata & penitus destructa & ad nihilum redacta sacramenta: hinc iam perpendatis necesse est, ad quantas difficultates properet hæc vestra opinio. Denique si vetera non proficiendo, sed deficiendo transierunt, unde

vobis

A vobis templum, altare, sacrificium, candelabrum, cortinæ, sanctum Chrisma, & thymiama, aspersionis aqua, thuribulum, & cætera sancti ministerij vasa seu ornamenta aut vestimenta Sacerdotalia? Vnde vobis Encænia, Pentecostes & Pascha seu Quadragesima? Vnde vobis Pontifices, Sacerdotes & Levitæ ac reliqui Ecclesiastici gradus ex ordine? Vnde primitiæ & decimæ? Postremo, unde vobis dilectio Dei & proximi? ac reliqua mandata Decalogi? Quia ergo secundùm vos ita nova facta sunt, ut vetera relicta sint omnino, & per Christum maledicta: abiiciantur proculdubio ab eius Ecclesia, quæ suprà diximus omnia, & plura quæ reticuimus alia. & veteribus contraria fiant iam nova. Odio habeatur Deus & proximus, pater & mater inhonoretur, homo occidatur, omnes mœchentur, furentur, mentiantur, concupiscant, adulterent, conjugia nulla sint, omnis homo ad proximam sanguinis sui, & quæ ei affinitate jungitur, accedat. Ad summum quoque, nec comedatur, bibatur, nec dormiatur, sed relinquatur quidquid Vetus Testa- B mentum exhibuit & exercuit, tam in cultu Divino, quam in usu humano, & videbitis quia nec bestiæ eritis, nedum homines, imò ab eo, quod est aliquid transibitis ad nihil. Nos potiùs Catholicâ aure intenden- 2. Cor. 5. tes tanto Apostolo dicenti: *Si qua ergo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt nova.* Corde credimus & ore confitemur, vetera à vetere homine transeundo ad nuvum hominem IESVM-CHRISTVM, Ibid. nova facta esse, quemadmodum idem Apostolus mox secutus curavit declarare: *Omnia autem ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Christum.* Cuius singulari novitate innovantur omnia cœlestia atque terrestria: quando quidquid ad cultum Dei seu ad commodum sui vetus ille populus cœlitus acceperat, ad novum transtulit. Qui ideo novus dicitur, quia ab umbra ad veritatem, à signis ad res, à timore ad amorem, à servitute ad libertatem, à filiis iræ ad filios gratiæ, à carne Rom. 8. ad spiritum est translatus. Vnde dicit Apostolus: *Vos non estis in carne sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei ha-* C *bitat in vobis.* Et quomodo in carne non erant, quos 2. Cor. 10. Epistolis instruebat, nisi secundùm quod ipse ait: *In* Rom. 14. *carne ambulantes, non secundùm carnem militamus.* Hinc Galat. 2. rursos inquit: *Nemo vestrum sibi vivit, & nemo sibi moritur.* Et: *Vivo, iam non ego, vivit verò in me Christus.* Sic itaque nobis & omnibus in novitate Spiritûs ambulare satagentibus, nova facta sunt omnia, templa scilicet & altaria, Sacerdotes, sacrificia, candelabra, thuribula, cibus & potus, & quæque carnalia Israël tam in supellectile quam in mandatis retinebat, vetera ut eadem & non eadem sint omnia, instat utique Aquilæ, quæ dum naturaliter renovatur, inventus eidem accedit & senectus, non substantia ab ea recedit. Pari tenore prædicamus azymum Christianorum longe distare ab azymo carnalium Iudæorum, quos ad umbram veritatis observandam & captandam, sola promissio & desiderium terrenæ felicitatis invitabat: ut est longævitas, abundantia frugum, successio filiorum, perditio inimicorum & cætera. Nos verò corpus veritatis ex azymo & in azymo ritè vene- D rantes atque retinentes, ore & corde prægustamus iam quam suavis est Dominus: unum petentes ab ipso, & hoc requirentes, ut maneamus in eo, & ipse in nobis in æternum. Sanè si mutare vultis fermento azymum, mutate quolibet aliquo liquore vinum: quo sicut ex azymo Christus & vetus Pascha finivit, & novum inchoavit. Si enim recipitis vinum, azymum cur abiicitis?

Quod verò passio & mors Christi convenientiùs annuntietur azymo quam fermentato, ex hoc comprobatur, quod Dominus ipse azymo discipulis memoriam sui agendam tradidit: & quod in lege panis afflictionis dicitur, ut per hoc præmoneamur affligere animas nostras, & pariter offerre sacrificium Deo Spiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum, Philip. 2. Rom. 8. illud Apostoli recolentes: *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operemini*, &, *si compatimur &* E *conregnabimus.* Porrò quæ per legem fuerunt usque ad tempus correctionis imposita carnalibus Iudæis, Pau- Hebr. 9. lus breviter colligens, ait: *Munera & hostia offeruntur, quia non possunt iuxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis & potibus & variis baptismatibus & iustitiis carnis.* Carnales ergo victimæ atque purificationes variæ in lege, in quibus maxima erat circumcisio, & cæteræ iustitiæ carnis, ut est, differentia ciborum, festivitas tabernaculorum: non arare in bove simul & asino, nec serere agrum diverso semine, & his similia: quæ nihil sanctitatis conferebant conscientiis, exceptâ devotione obedientiæ & admonitione spiritualis munditiæ, data sunt usque ad præfinitum tempus à Patre, quando per Filium suum factum sub lege, redemit eos qui erant sub lege. Cuius carnales iustitias evadens idem Apostolus Philip. 3. ait: *Quæ mihi aliquando fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, & non solùm detrimenta, sed etiam stercora, ut inveniar in illo non habens meam iustitiam quæ est lege est, sed quæ ex fide Iesu Chri-* F *sti.* Quod Colossensibus quoque denuntiat dicens *Ne-* Coloss. 2. *mo vos iudicet in cibo ac potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum.* Hactenus defendisse legem Moysi & azymum Eucharistiæ Christi sufficiat. Iam discutiamus vestra quæ restant.

† Sabbata verò quomodo in Quadragesima judaïce Constantinopolitanus. observatis? Aut non audistis in Evangelio dicentem, quia transeuntes discipuli in Sabbatis cœperunt iter agere, evellentes spicas & comedentes. Dicebant autem Iudæi ad Christum: *Vides quid isti faciunt in Sabba-* Matth. 12. *tis?* Qui dixit: *Etiam. An nescitis quid egerit David cum esuriret ipse & qui cum eo erant, quomodo intravit in templum, & panes propositionis comedit?* & cæte- Ibid. ra. *Et quia Sabbatum propter homines factum est, non homo propter Sabbatum.* Qui & dicebant: *Quomodo ho-* Ioan. 9. *mo iste est ex Deo, qui Sabbata non custodit?* Et iterum loquente Christo in Sabbato ei qui manum aridam habebat: Similiter & ei qui dæmonis Spiritum habe- G bat in Sabbato mundato, & murmurantibus Iudæis & similia dicentibus, dicit Christus: *Hypocritæ unusquis-* Luc. 13. *que vestrum non solvit asinum à præsepe, & bovem suum in Sabbato ducit adaquare?* Et in Paralytico similiter, quem sanum fecit. Et ideo qui Sabbata cum azymis custodiunt, neque Iudæi neque Christiani sunt, sed similes sunt Leopardo, sicut magons dicit Basilius, cuius capilli nec nigri sunt, nec albi omnino.

* Quod nos Sabbata nec intra nec extra Quadragesi- * Romanus. mam Iudaïcè observamus, sufficienter monstratur superiùs. Vos autem si non Iudaïzatis, cur saltem Quadragesimæ non parcitis? ne cum Iudæis feriati & epulantes jejunium Christi in Sabbato dissolvatis. Vnde testimonia Evangelica quæ posuistis, omnino refragantur vobis, suffragantur verò nobis. Denique nos ut discipuli IESV non solùm iter agimus in Sabbato & spicas evellimus, sed insuper piscamur, & quidquid oportet operamur, & horâ competenti comedimus. Vos quod legitis discipulos spicas transeun- H do comedisse, à luce primâ in vesperum studetis variis deliciis & multo mero crapulam continuare. Nec mirum. Cum istic quoque obliti Etymologiæ vestræ ex nomine, quod est ἄρτος, dixistis David comedisse panes propositionis, id est, τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως, quos negare non potestis fuisse azymos, si qua conscientia veteris legis remansit apud vos. Deinde quoniam Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum. Nullo convivio aut otio honoratur apud nos tanquam Dominus, sed oneratur jejunio & labore, veluti devotus servus Dominicâ sepultura occupatus. Mox succedente die quam specialiter fecit Dominus solemniter exultamus & lætamur, quia in ea Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, mors ultra illi non dominabitur. Qui etiam pro custodia Sabbati, non timemus à Christo

A nitati hypocriſi, quoniam in ea non tantum manum
aridam, ſed & totum corpus curandum offerimus Deo,
& Medicis. Nec tantum bovem, & aſinum ſolvimus
à præſepio, & ducimus adaquare, ſed etiam arare.

Aſt vos volentes eſſe legis Doctores, nec intelli-
gentes quæ loquimini, neque de quibus affirmatis, aſ-
ſertionem veſtræ opinionis, ſic concluſiſtis.

Conſtã tinopol. † Et ideo qui Sabbata cum azymis cuſtodiunt ne-
que Iudæi ſunt, neque Chriſtiani ſunt, ſed ſimiles
ſunt Leopardo, ſicut magnus dicit Baſilius, cuius ca-
pilli nec nigri ſunt, nec albi omnino.

Romanus. * O mirabilis Græcorum Philoſophia, ô ars Pe-
laſga, ô Athenienſis & Academica perſpicacia. Vn-
de tibi tantus ſtupor & vertigo repentina? Vere tri-
plici fune lingua tua divinitus eſt ligata. Nam Græci
Sapientiam quærunt, quam ſimplex prædicatio Chri-
ſtianæ fidei ſtultam effecit, ſicut Dominus repromi-
1. Cor. 1. ſit: *Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam*
B *prudentium reprobabo. Vbi Sapiens? ubi Scriba? ubi
conquiſitor huius ſeculi? nonne ſtultam fecit Deus ſa-
pientiam huius ſeculi:* quâ ſtultitiâ vos repleti, nec ſe-
cundum divinas paginas definiviſtis aliquid, & mag-
num Baſilium ſecundum humanas monſtratis defini-
viſſe nihil. Falſiſſimum enim eſt ut qui Sabbata &
azyma cuſtodiunt, nec Iudæi nec Chriſtiani ſint.
Quia veriſſimè Iudæi ſunt qui Sabbata & azyma cu-
ſtodiunt carnaliter. Sed & illud in infinitam dubieta-
tem recidit, nec ullo modo conſequens erit, ut Leo-
pardus ſit tantum, cuius capilli nec nigri nec albi ſunt:
quia præter hunc innumerabilia animalia ſunt, quo-
rum pili nec albi nec nigri ſunt. O egregij Scrutato-
res divini eloquij, ô dociles diſcipuli magni Baſilij,
ex cuius præclaro fonte nihil niſi lutum haurire præva-
luiſtis: cum hinc inde vobis reſonaret rivus ille cœle-
ſtis lactis æterni mellis, Romanam & omnem Occi-
dentalem Eccleſiam vocans dominam, & obſecrans
ſuccurrere perditioni Orientis. Nunc gratis ſubver-
tere Latinam Eccleſiam molientes, armamini contra
C nos, quaſi Baſilij ſententiâ, quæ multo vecordior in-
venitur illa ridicula Tireſiæ Prophetia: *Quidquid di-
cam aut erit aut non:* Nempe accidit vobis illud Saty-
rici proverbium:

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Atque utinam tacuiſſetis, ut putaremini ſapientes:
Prou. 17. ceu Sapientia dicit: *Stultus ſi tacuerit, ſapiens putabi-
tur.* Modo autem ſtultitia veſtra omnibus nota eſt.
Hinc reliqua perſpiciamus.

Conſtã tinopol. † Quomodo autem & ſuffocata hi tales comedunt,
in quibus ſanguis tenetur? aut neſcitis ut omnis ani-
malis ſanguis, anima ipſius ſit? Et qui comederit ſan-
guinem, animam comedet? Et idcirco ſecundum hæc
nec gentiles ex toto ſunt, illi occidunt aut plagantes
comedunt.

Romanus. * Cur ex lege iſtud ſecundum vos per Chriſtum
maledicta & derelicta, mandatum nobis opponitis?
Nunquid vobis ſolis licet quidquid libet, ut modo ad
legis patrocinium humiliter recurratis, & modo ab ea
D ſuperbè tanquam anathematizata reſiliatis? Nonne ve-
tus lex & non Evangelium interdicit, ut omne ſuffo-
Leu. 17. catum & captum à beſtia non comedatur? *Quia ani-
ma omnis animalis in ſanguine eſt.* Conſtat utique
hoc mandatum ex illis eſſe, quæ carnali populo ad
qualemcunque munditiam ſeu iuſtitiam carnis, non ad
aliquam ſanctitatem mentis data ſunt ad tempus. Eſt
Coloſſ. 2. enim de cibo, unde Apoſtolus dicit: *Nemo vos iudi-
cet in cibo.* Ac ſi apertè diceret: Nemo vos velut Iu-
dæos diſcernat ab his inter quos habitatis, in diffe-
rentia ſcilicet ciborum, & in reliquis quæ idem Apo-
ſtolus adiecit. Quod autem hic, *Iudicare*, dixerit diſ-
cernere, in Epiſtola ad Romanos liquet, ubi de di-
Rom. 14. verſo ieiunio quorundam loquens ait: *Alius iudicat
diem inter diem, alius iudicat omnem diem.* Quaprop
ter ſicut idem ait: *Alius credit ſe manducare omnia.* Is
qui manducat quædam obſervans morem ſuæ patriæ &
provinciæ, & præcepta maiorum ſuorum, manducan-
tem non iudicet. Tu enim quis es, qui iudicas alie- E
num ſervum? qui ſalvâ fide & purâ conſcientiâ co-
medit, quidquid à maioribus ſuis comedendum acce-
pit? ut enim Dominus ait: *Non quod in os intrat co-
inquinat hominem.* Et ſecundum Apoſtolum, *omnia* Mat. 15
munda mundis. Coinquinatis autem & infidelibus ni- Tit.
*hil eſt mundum, ſed inquinata ſunt eorum mens & con-
ſcientia.* Quod Romanis denuntians ait: *Scio & con-* Rom. 14.
*fido in Domino Ieſu, quod nihil commune per ipſum niſi
ipſi, qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt.*
Et poſt pauca: *Qui diſcernit, ſi manducaverit, con-* Ibidem.
*demnatus eſt: quia non ex fide: omne autem quod non eſt
ex fide peccatum eſt.* Sed quamvis omnia munda ſunt, Ibidem.
tamen ſecundum eundem Apoſtolum: *Malum eſt ho-
mini, qui per offendiculum manducat aliquid*, quod
frater modicæ fidei & adhuc infirmus in fide credit
immundum, & propter hoc non comedendum. Cui
condeſcendere debemus in abſtinentia eſcarum huiuſ- F
modi, ut poſſimus eum Domino lucrari: ne religio-
nem Chriſtianam, pro aliqua eſca incipiat abomina-
ri: & cibo noſtro perdatur frater, pro quo Chriſtus
mortuus eſt.

Nos ergo quamvis à Domino & ab Apoſtolis licen-
tiam habeamus manducare omnia; quæ nec noſtræ
nec fraternæ ſaluti officiunt: conſuetudine tamen Pro
vinciarum & præceptis maiorum noſtrorum hacte-
nus detenti, devitamus comedere nonnulla, non quia
mala aut immunda ſunt, ſed quia aut nobis aliquo
modo non expediunt, aut longo uſu in naturam iam
verſo horrent. Nonne Draco populis Æthiopum in
eſca datus dicitur? Et nonnullæ nationes quibuſdam
veſcuntur, quæ aliæ penitus abominantur. Cur hoc?
Niſi quia unaquæque gens in ſuo ſenſu abundans,
quædam ſibi aſſumpſit, quædam reiecit. Vnde nos
quoque abſque culpis in antidotis plurima percipi-
mus, quæ ex ſerpentibus & ex aliis quæ execramur
animantibus aſſumpta eſſe non dubitamus. Quòd er-
go infirmo qualiſcunque medicina, hoc fame pereun-
ti qualiſcunque eſca. Et ſicut abominandus infirmus G
non eſt, artificialiter refectus ſanguine & cadavere
aliquorum reptilium, ſic nec fame tabeſcens ſi ſan-
guine & ſuffocato, naturaliter ſuſtentat miſerabiles
artus, potens etiam ad literam cum beato Iob dicere:
*Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angu-
ſtia cibi mei ſunt.* Omnis enim creatura Dei bona, &
nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione per-
cipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & oratio-
nem. Et vos peregrinos, egenos & pauperes Chri-
ſti, nec inter gentiles computatis, quibus nil eſt
mundum, quia aliquando qualecunque cibo retinent
à Deo ſibi datum præſentis vitæ munus? Quare non
potiùs ſignatæ arcas pecuniæ & promptuaria eructan-
tia ex hoc in illud aperitis, & diſpergitis pauperibus,
ut iuſtitia veſtra maneat in æternum, & iam non ſit
eis neceſſitas præſumere cibum inſolitum? Nunc au-
tem uſuris & oppreſſionibus miſerorum ditati & elati,
calumniamini ſi egens omnium ſuſtentetur aliquo
quod vos impinguati & crapulati abominamini: H
non attendentes Dominum miſericordiam malle quam
ſacrificium. Qui primo menſis hominum poſt Ca-
tacliſmum admovit omnia. Deinde certæ ſignifica-
tionis gratiâ, uſque ad tempus removit aliqua, qua-
ſi immunda, cum utique omnia fecerit valde bona,
& rationalis creaturæ vitium abominabile ſit apud
Deum; non quælibet irrationalium creaturarum: vo-
luntas quoque hominum aliquando ſibi quædam ven-
dicat, aliquando alienat. Ceu Romani paucis annis
ante Conſtantinum magnum porcinæ carnis eſum per
Aurelianum Imperatorem ſibi vendicarunt. Et Græ-
ci uſque nunc urſinam alienant. Et certè ſi huma-
num ſuper his interrogetis iudicium, immundior erit
porcus reptilibus, ſordibus atque olido conſuetus vi-
vere cœno, quam urſus ſaginatus glande atque reliquo
ſuo pabulo. Sed ſive nos ſive vos, quod à maioribus
noſtris accepimus, aut uſu tenemus comedendum, ſic

obſervemus,

A obſervemus, ut is qui non manducat, manducantem non ſpernat: & qui manducat, manducantem non iudicet.

Conſiderate tamen ad quantam ſtultitiam devoluta ſit, veſtra ſcriptura & ſapientia, quæ cum ab hominibus exquirere deberet finem præceptorum Dei, id eſt, charitatem de corde puro & conſcientiâ bonâ & fide non fictâ: hoc ſolum exquirendum putat, an aliquando comederint carnem urſinam. Cuius uſum quamvis non admittatis, admittentibus tamen pro crimine reputare non debetis: quibus Evangelica & Apoſtolica auctoritas omnia edenda conſtituit.

Nec hoc dicentes ſuffocatum & ſanguinem nobis contra vos defendentibus: Antiquam enim conſuetudinem ſeu traditionem maiorum noſtrorum diligenter retinentes, nos quoque hæc abominamur: adeo ut ſanguine vel B quocunque morticinio aut aquis ſeu quacunque negligentiâ humanâ præfocato, apud nos aliquando veſcentibus abſque extremo periculo vitæ huius, pœnitentia gravis imponatur: pro eo maxime, quia antiquas conſuetudines & traditiones maiorum quæ non ſunt contra fidem, leges Apoſtolicas arbitramur: nam de cæteris, quæ aucupio aut canibus ſeu laqueo venantium moriuntur, Apoſtoli præceptum ſequimur: 1.Cor.10. *Omne quod in macellum venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.* Domini eſt terra & plenitudo eius. Quod etiam in convivium gentilium vocatis Ibidem. conceſſit dicens: *Si quis infidelium vocat vos ad cœnam & vultis ire: Omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.* Dominus Lucæ 10. quoque pro mercede prædicatoribus ſuis providens alimoniam dixit eis: *In domo recipientium vos manete edentes & bibentes quæ apud illos ſunt.* Ecce Dominus non dixit quædam apud illos comedite, ſed indifferenter, *quæ apud illos ſunt.* Quapropter omnis homo ſcientiam habens, ſi ſimpliciter edit & bibit, quidquid in macellum vænit, aut quod ſibi apponitur, nullatenus eſt culpandus, niſi inde aliquam immunditiam C conſcientiæ ſuæ contrahat. Quia non quod intrat in os, ſed quod procedit de ore coinquinat hominem. Nec eſca aliqua eſt in vitio, ſed immoderatus appetitus. Verum ne ſcandalizetur frater infirmus in fide, qui putat aliquid commune vel immundum eſſe. Si quis dixerit hoc ſuffocatum eſt, vel morticinium, non 1.Cor.10. eſt comedendum, ut apoſtolus de idolothyto ait: *Si quis dixerit, hoc immolatum eſt idolis, nolite manducare, propter eum qui indicavit, & propter conſcientiam. Conſcientiam autem dico, non tuam ſed alterius.* Multa ſiquidem uſu aut traditione maiorum ita obſervamus, ut aliter facientes omnino abhorreamus, ſicut eſt, non lotis manibus manducare. Quod quamvis iuxta ſententiam veritatis, non coinquinat hominem, tamen velut immundum exhorrere ſolet homo hominem, non lotis manibus manducantem.

Sed forſan dicturi eſtis: non ſolum in veteri, ſed & in novo Teſtamento ab Apoſtolis traditum gentibus, ut abſtineant à ſanguine & ſuffocato. Nec nos neſcimus, tamen pro loco & tempore nonnulla carnalia D veteris legis mandata Apoſtolos obſervaſſe ſcimus, quando adhuc quaſi in matutino crepuſculo tenebræ & lux conſulgebant, & intuentium oculos, non huc, non illuc reducebant. Sic Apoſtoli in Iudæa commorati aliquando claritate Evangelij expergefacti, ab umbra legis recedebant, aliquando neceſſitate vel conſuetudine torpentes in eam recidebant. Denique ſorte aſſociarunt ſibi Matthiam, & in templum in quo adhuc ſanguis animalium offerebatur, orationis gratiâ frequentabant. Ipſe quoque vertex Apoſtolorum Petrus, modo cum gentibus comedebat, modo ab eis timens ſe ſubtrahebat. Cuius Coapoſtolus Paulus, quamvis dixerit Galatis: *Si circumcidamini Chriſtus vobis nihil proderit*, tamen dilectum diſcipulum propter ſubintroductos falſos fratres circumcidit, & cum aliis purificatus in templo ſacrificium legis exhibuit. Sed ubi ab anguſtiis Iudeæ excluſi amplitudine gentium fuere potiti, E mox quaſi catenis ſervitutis palam erepti, quotquot ad ſpiritualem gratiam attrahebant, à carnalibus ceremoniis legis avertere non ceſſabant. Quod procul dubio ex præcedentibus & ſubſequentibus verbis Pauli 1.Tim.4. intelligitur, ubi ſic proteſtatur: *Spiritus manifeſtè dicit: quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocryſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conſcientiam, prohibentium nubere, & abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & his qui cognoverunt veritatem: Quoniam omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Ecce tantus Apoſtolus, raptus uſque ad tertium cœlum & in ipſum F Paradiſum, clamat omnia munda mundis, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, quia per verbum Dei & orationem ſanctificatur. Et vos qui eſtis, qui attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquimini mendacium, ſcripta Latinis populis deſtinantes, ut relinquant mandata Dei, & quæ graviora ſunt legis, Iudicium ſcilicet & miſericordiam & fidem, & ſequantur traditiones & opiniones veſtras, quaſi nullos uſque nunc habuerint prædicatores ac patres, ac neceſſe habeant à vobis doceri, quæ ſint Elementa ſermonum Dei.

Nempe inter alia ignaros omnium conamini inſtruere, quid & qualiter præparatum comedant, & eos aſſeritis nec gentiles eſſe nec Iudæos niſi obediant. Quia ut dicitis, gentiles occidunt, aut plagantes comedunt: quaſi Latini ſoliti ſint animalia viva aut integra comedere. Nunquid Archimagiri omnibus nationibus delegati eſtis? etſi forte alicui fame deficienti animæ obſonium vel victus deſit, avis autem & ovis adſit, ſatius erit eum inediâ deficere, quam quovis ingenio ea mactare & comedere? Itaque doctrinis variis & pere- Rom.14. grinis nolentes abduci, *Scimus & confidimus in Domino Ieſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei qui G exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt*: ſicut Paulus dicit. Deinde optimum eſt gratiâ ſtabilire corpus non eſcis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Sed iam inſiſtamus reliquis.

† Etenim *Alleluia* in Quadrageſimam non pſalliris, Conſtantinopolitanus. ſed ſemel in Paſcha tantummodo, quod interpretatur *Dominus venit, laudate, hymnum dicite, & benedicite eum.* Ergo ſecundum hoc neque *Laudate*, neque *Benedictus qui venit*, pſalliris. Et iſtud vero *Alleluia* Hebraice dictum eſt.

* Scimus *Alleluia* Hebraice dictum, & Latine in- Romanus. terpretari *Laudate Deum*, ſed quod etiam: *Dominus venit*, aut, *Benedictus qui venit*, interpretetur, neſcimus, nec niſi à vobis hactenus audivimus. Porro ipſum *Alleluia* ſicut calumniamini, non ſolummodo in Paſcha cantamus, ſed omnibus totius anni temporibus, exceptis novem hebdomadibus, quibus id intermittere à patribus noſtris accepimus: ſcilicet quibus negligentias aliorum temporum diluere attentiùs debemus. Sicut enim quondam populus in eremo peccatum idololatriæ in ſeipſo puniturus, & Ninivitæ pœnitentiam in prædicatione Ionæ acturi, omnem ornatum ſuum & delicias depoſuerunt, & ſaccum & cinerem ſibi impoſuerunt, nec tam peregrinis verbis ac exquiſitis ſeu dul- H ciſonis melodiis, ſed propriis ſermonibus & incompoſitis, ſive amaris eiulatibus ad Dominum clamaverunt: Sic & venerabiles patres noſtri agere conſueverunt. Unde ornamenta & delicias divitis linguæ, tempore quadrageſimæ deponentes, pauperrimum habitum noſtræ linguæ nobis imponimus, & ſtulti facti propter Chriſtum, nihil nos ſcire indicamus, niſi ipſum Crucifixum. Cuius diſtrictum præ oculis habentes iudicium vinculati & gravati peccatis, tanquam idiotæ, vix audemus vel in noſtro idiomate interpellare Deum. Nam ex libro Sapientis didicimus: quia *non eſt ſpecio-* Eccl.15. *ſa laus in ore peccatoris.* Et tamen tunc iugiter hymnum dicimus Domino atque *Benedictus qui venit*, pſal-

A limus, & omnem Creaturam ad laudem eius die noctúque invitamus dicentes: *Laudate Dominum*, sed ut prædiximus patriâ voce tantum. Tunc quoque alium angelicum hymnum intermittimus, id est, *Gloria in excelsis Deo*. Denique hi duo solummodo hymni ab Angelis in novo testamento inveniuntur decantati. *Alleluia*, scilicet, & *Gloria in excelsis Deo*. Quos pariter in Septuagesima intermittimus: quia peccato veteris hominis a conventu angelicæ iubilationis expulsi in huius miseræ vitæ Babylonem; super flumina eius sedemus & flemus, dum recordamur illius Sion, in qua Deum decet Hymnus: dicentes adversariis nostris: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra alienâ?* (Ps. 136) Si quidem vetus homo, vetus & non novum Canticum cantare potest, donec post hanc laboriosam vitam, quæ significatur per Quadragesimam, renovetur in agnitione secundum imaginem eius qui creavit eum, per resurrectionem Iesu Christi ex

B mortuis. Nec tamen *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*, in Quadragesima intermittimus, quamvis sit hymnus angelicus & in novo Testamento decantatus, qui & in veteri priùs fuit dictus, fidem videlicet perfectam patrum humiliter Deo afferens, nullum autem meritum bonæ operationis eorum attollens. Sic & nos interim in hac nostræ peregrinationis Quadragesimâ; scientes nos per fidem & non per speciem ambulare, de sola fide apud Deum præsumimus supplici confessione dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*: (Esaia 6.) Cui de operibus diffidentes, cum Psalmista proclamamus: *Non intres in iudicium cum servis tuis, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. (Ps. 142.)

Quod autem novem hebdomadibus *Alleluia* intermittimus, non incongrue per novem hebdomadas novem ordines Angelorum accipimus. Quorum decimus ordo per superbiam corruens, Angelicum numerum imminuit, & fælicitatem perturbavit. Qui condolentes suæ diminutioni, & parem ruinam timentes sibi, à perfecta laude creatoris fuere præpediti. Quorum re-

C cuperationi & consolationi consulens omnipotens Creator primum hominem de limo terræ formavit. Qui sui generis multiplicatione damna cælestis patriæ resarciret, atque Angelorum gaudia suppleret. Qua spe Angelicus chorus ad modicum exhilaratus, nec morâ, ex lapsu ipsius hominis fuit conturbatus. Vnde ille novem ordinum concentus in laude Creatoris remansit imperfectus, donec in Christo resurgente resurrexit prolapsus ille Protoplastus. Ibi augmentum sui collegij & meliori spe angelicus exercitus gavisus, in novum *Alleluia* consurrexit totus, & in eo perstat devotus. Quem & nos pro modulo nostro imitantes, à Septuagesima, quando lapsus Protoplasti in Ecclesia recitatur, *Alleluia* novem hebdomadibus intermittimus, scilicet in Pascha, ubi Christus resurgens à mortuis, tristitiam nostram in gaudium vertit, & *Alleluia* redit. Quod utique si non aliquando Latina Ecclesia decantaret. reprehendi à vobis non deberet: cum tamen in sua lingua laudem Domini personaret.

D Nunc quæ sit ista vestra superbia miramur, quæ latrat, Latinos non pertinere ad Deum, si Hebraicè aut Græcè non persolvant & hymnum & debitum officium, cum etiam Latina lingua principaliter confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Ipsa quidem cum Hebræâ & Græcâ titulum Crucifixi Domini complevit, & quæ erat novissima facta est prima: ferro & fide usque ad adventum maligni Antichristi & benigni Iesu Christi defendens sibi terrenam & cælestem potestatem.

Hinc iam diu calumniis vestris reluctati, breviter attingamus intentionem vestri Epilogi.

(Constantinopol.) † Cur tantam deceptionem horum talium non aspicitis, nec intelligitis, neque corrigitis populos? sicut qui debentur iudicari à Deo? Non derelinquitis quod dicitur, quoniam hoc Petrus & Benedictus & Paulus & cæteri docuerunt? Decipitis vos ipsos & populum in istis. Quæ verò scripsi, ea sunt quæ Petrus & Paulus & cæteri Apostoli & Christus docuit, & sancta atque Catholica Ecclesia suscepit & custodit religiose, quæ & vos correcti custodite. E

(Romanus.) * Sicut sufficienter monstratur superiùs, converso ordine & versa vice procederent hæc rectius: scilicet si vos seductos, seductores & maturè iudicandos à Domino diceremus. Quia volentes esse Doctores, nec intelligentes quæ loquimini, neque de quibus affirmatis, sanctorum Apostolorum & catholicorum puram doctrinam, humanâ præsumptione fermentatis, omnino decipientes vos & alios in istis. Quæ autem nunc vobis scripsimus, Christus docuit, & apostoli ipsius, quæ ab eis & à sanctis Patribus sancta & catholica suscipiens Ecclesia, religiose observat hactenus, quæ & vos correcti observate, si non vultis à Christo anathema esse. Porro Benedictus monachorum pater egregius in nullo à vobis est detrahendus, quia fide, doctrinâ & vitâ præcipuus, nec ad dexteram nec ad sinistram aliquando declinavit à recta viâ, nec terminos quos patres posuerunt, est transgressus, nec Leopardum curavit definire, sed regulam discretione plenam cœnobitis tradere. In qua & si constituit esum carnium infirmis, & fæmoralia in itinere positis, absit tamen, ut arbitraretur, hæc duo peiora esse fornicatione, quam quidam vestratium adeo sibi defendunt, ut publicè profiteri, nec erubescant nec metuant, tale esse fornicari, quale est quolibet pomo vesci & refici. F

Vnde & fornicantes Sarabaitas venerantur: fæmoralibus vero & carnibus in necessitate utentes cœnobitas omnino detestantur. Sed quid dicit Propheta? *Væ his qui dicunt bonum malum, & malum bonum.* (Esaia 5.) Nunquid vas electionis B. Apostolus Paulus alicubi definit: neque carnibus aut fæmoralibus utentes regnum Dei possidebunt? (1. Cor. 6. Hebr. 13.) qui tamen plerisque locis vehementer inculcat, dicens: *Nolite errare, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.* (1. Cor. 6.) Item: *fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* Et, *omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est: Qui autem fornicatur in corpus suum peccat.* G

(Constantinopolitanus.) † Azymas vero & custodias sabbatorum proiicite miseris Iudæis: Similiter & suffocata barbaris gentibus, ut fiamus puri omnes in immaculatâ & in rectâ fide, & unus grex unius pastoris Christi. Cuius in cruce divino sanguine inebriati, laudamus puri purè Patrem & Filium & Spiritum sanctum: universa Mosaicæ legis & ab eo custodita derelinquentes sine Deo Iudæis. Qui velut cæci perquirentes Christum, lumen amiserunt, permanentes in umbra sicut insipientes perpetuo.

(Romanus.) * Superius monstravimus copiose, nec sabbata vel azyma nos Iudaicè observare: nec suffocata gentiliter manducare, sed Apostolicam catholicámque fidem, principaliter retinere, nec procaciter refugere, sed humiliter fugere ad unum unius summi boni pastoris ovile, qui posuit animam suam pro ovibus suis: quas, vocem suam non alienorum recognoscentes & sequentes carne suâ instanter cibat & sanguine potat, ut corde, ore, & opere collaudent S. & individuam Trinitatem. Vnde super omnia dolemus veteres animas vestro de pulmone hactenus non potuisse revelli. De quibus in actibus Apostolorum dicitur: *Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi addiscere aut audire aliquid novi.* (Act. 17.) H Sed iam profanas vocum novitates devitando, veterem pelliculam quantociùs abiicite, ne quod absit dicatur vobis sponsi voce: *Si ignoras te, egredere & abi post vestigia gregum & pasce hædos tuos*: (Cant. 1.) illos scilicet, quos ipse pastor in fine à sorte humilium ovium separat: quia lascivi & petulci, hic se vel superbia exaltare non cessant.

Deinde si universa Mosaicæ legis relinquimus Iudæis, nulla honestas aut sanctitas remanebit nobis: ceu ex superioribus recolligere potestis. Relinquantur ergo eis sola carnalia mandata, & sanctum seculare, in quibus cæci quærunt quid invenire, dum umbram

sectantes,

A Coloſſ.2. ſectantes, exultant à luce. In qua umbra numeratur & Sabbatum veſtrum Apoſtolo dicente: *Nemo vos iudicet in cibo aut potu aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ aut Sabbatorum, quæ ſunt umbra futurorum.* Porro ſicut ſine Deo ſunt Iudæi, ſic & omnes hæretici. Verum ne quid ſit minus, quod ſequitur attendamus.

Conſtantinopolitanus. † Hæc autem huiuſmodi multoties & ipſe cum populo agnoſcens docuiſti eos, & correctus ſcripſiſti multis talem conſuetudinem habentibus. Et ut habeas ſalutem animæ tuæ mitte Principibus Sacerdotum & Sacerdotibus, & adiura ut per hæc ſeipſus corrigant & populum, ut mercedem & in iſtis habeant. Et ſi hoc feceris, propono & per ſecundam ſcriptionem maiora & perfectiora his ſcribere tibi fidei verâ oſtenſione & firmamento animarum, pro quibus Chriſtus poſuit animam ſuam.

B Romanus. *O viri cordati perpendite hîc & cavete hæreticorum callidam ſubreptionem; qui per benedictiones & dulces ſermones, ſeducunt corda innocentum. Ecce his ſpecialiter Tranenſem Epiſcopum Ioannem, cui talia ſcripſiſtis, alloquentes, oleo peccatoris caput eius impinguare ſatagitis dicentes: *Hæc autem huiuſmodi multotiens cum populo agnoſcens docuiſti eos & correctus ſcripſiſti multis ſimilem conſuetudinem habentibus.* Sed

Sapien.1. nos è contrario per Salomonem dicimus vobis: *Os quod mentitur occidit animam.* Neque enim præfatus Epiſcopus correctus à vobis aliquando talia populum docuit, aut cuiquam ſuper his ſcripſit. Quod ſi feciſſet, correctus à nobis feciſſet, cur corruptus non autem correctus à vobis talia præſumpſiſſet. Sed ille qualiſcumque ſit in opere, ſanus tamen hactenus extitit in in orthodoxa fide iuxta capacitatem ſuæ intelligentiæ. Vnde nullis veſtris ſuſurrationibus acquieſcens, adhuc perſuaderi non potuit, ut alicui ſacerdotum has veſtras nænias pro correctione illorum & populi cum adiurationibus mitteret. Et ipſe non ſolum nullam mercedem in his haberet, ſed inſoper gradûs ſui periculum

C incurreret. Cui etiam ſi vobis in veſtris nugis obediat, aliud mercedis repromittitis; ſcilicet vos ſecundo ei ſcriptum iri maiora & perfectoria his, verâ fidei oſtenſione, ac firmamento animarum, pro quibus Chriſtus poſuit animam ſuam. In quibus planè promiſſis antiquum ritum hæreticorum retinetis, quorum ſermo ſicut cancer ſerpit, & pollicetur curioſis faſtigium perfectæ ſcientiæ, ut pertrahat ad baratrum extremæ ſtoltitiæ. Quorum vanitatem ſapientia Dei per Salomo-

Prov.9. nem propriè demonſtrans ait: *Mulier ſtulta & clamoſa, plenâque illecebris, & nihil omnino ſciens, ſedet in foribus domûs ſuæ, in excelſo urbis loco, ut vocet tranſeuntes per viam, & pergentes itinere ſuo. Quis eſt parvulus? declinet ad me. Et vecordi locuta eſt: aquæ furtivæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuavior. Et ignoravit, quod Gigantes ibi ſunt & in profundis inferni convivæ eius.* Hic planè hic veſtri efficax depictor eſt, qui maiora & perfectiora ad oſtenſionem fidei & firmamentum animarum pollicemini invitando parvulos & ve-

D cordes ad aquæ furtivæ dulcedinem & panis abſconditi ſuavitatem. Verè omnino aqua furtiva eſt in qua rebaptizatis Latinos catholicè baptizatos, quod nullus catholicus adhuc præſumpſit, ſcilicet ut rebaptizaret aliquos, in nomine S. Trinitatis ab ipſis etiam hæreticis baptizatos. Verè omnino ad neſcio quem panem abſconditum invitatis, quando vivifica & terribilia Sacramenta corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti profanis pedibus conculcatis.

Heccine ſunt illa maiora & perfectiora, ut tanta oblatio imponatur altari, quanta nequeat à miniſtris, vel à populo ſumi, & idcirco debeat ſubterrari aut in puteum ad hoc præparatum proiici? Hæccine quoque ſunt illa maiora & perfectiora, ut novus maritus & recenti carnis voluptate reſolutus & totus marcidus, Chriſti miniſtret altaribus & ab eius immaculato corpore ſanctificatas manus, confeſtim ad muliebres transferat amplexus? Hæccine ſunt illa perfectiora, ut mu-

E lieribus Chriſtianis in partu vel in menſtruo periclitantibus Communio denegetur? aut paganis baptiſmus interdicatur? & parvulis morituris ante octo dies regeneratio per aquam & ſpiritum ſanctum ſubtrahatur? In quo utique crudeliores Herode, non tantum in corpore, ſed & in anima quotidie trucidatis parvulorum innumerabilem populum & deſtinatis ad ignem æternum. Nunquid etiam inde eſt quod hominis morituri imaginem affigitis crucifixæ imagini Chriſti, ita ut quidam Antichriſtus in Cruce Chriſti ſedeat oſtendens ſe adorandum tanquam ſit Deus? Nunquid & illud inde eſt, quod peius ſit Monachos fæmoralibus indui & carnibus veſci quam fornicari? Ideone clauditis Eccleſias Latinorum & dirigitis ſcripta per totum orbem, ut ad hæc maiora & perfectiora pertrahatis omnem Chriſtianum populum? Non ſunt hæc talia, oſtenſio veræ fi-

F dei, ſed adinventio Diaboli. Nec ſunt firmamentum, ſed deſtructio animarum. Pro quibus omnibus & aliis, quos longum eſt ſcripto proſequi erroribus, niſi reſipueritis & dignè ſatisfeceritis, irrevocabile anathema hîc & in futuro eritis à Deo, & ab omnibus Catholicis, pro quibus Chriſtus animam ſuam poſuit.

Explicit Reſponſio.

INCIPIT CVIVSDAM Nicetæ preſbyteri & monachi monaſtery Study, libellus contra latinos editus, & ab Apocriſariis Apoſtolicæ Sedis Conſtantinopoli repertus.

Vide Miræum. p.153.

G NICETA presbyter & monachus monaſterij Studiorum, qui prænominor Pectoratus: Romanis de azymis & Sabbatorum ieiuniis, & nuptiis ſacerdotum.

Bona eſt dilectio ad proximum: ô omnium gentium ſapientiſſimi & nobiliſſimi Romani. Ex habitudine enim dilectionis ad proximum, & humilitas abundat ad eum qui habet illam. Ipſa autem abundans efficit

1 Cor.13. participem ſui, omnia diligere, omnia ſuſtinere, ut ait divinus Apoſtolus, & non inflari adverſus proximum ſuum aliquando, neque ea quæ ipſius ſolius ſunt quærere, aut zelum habere adverſus eum & altercationem & æmulationem. Omnia enim hæc dilectionem perſequuntur & humilitatem, & faciunt hominem non ſe-

1.Cor.3. cundum Deum ambulare, ſed ſecundum hominum libitum. Quod & Paulus arguit, dicens: *Cum ſit inter vos zelus & contentio & diſcordia, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Propter quod rogo veſtram charitatem, humiliari vos propter Dei præceptum, & audire à nobis indignis & minimis.

H Requirentes enim ab illis qui ex diverſis provinciis Romanorum peregrinantur hic de azymis, quid dicemus de his in dilectione Chriſti ad vos? Qui azymorum adhuc participant ſub umbra legis ſunt, & Hebræorum menſam comedunt, non autem rationalem & vivam Dei menſam, & nobis qui credidimus ſuperſubſtantialem, quemamodum ſuperius exigere ſuperſubſtantialem docti ſumus panem. Quid enim eſt ſuperſubſtantialis, nis quia nobis eſt conſubſtantialis? Alter autem nullus eſt nobis conſubſtantialis panis, ſed corpus Chriſti, quod conſimile nobis eſt ſecundum carnem humanitatis ipſius. Si autem animata eſt noſtræ maſſæ ſubſtantia, quâ verbum induit ſe: ergo non conſubſtantialem nobis panem comedetis, quia azyma enim inanimata ſunt, ſunt ſicut ipſa rerum natura declarat atque liquidiùs edocet. Intermixtum enim modicum fermentum in farina & commixta ſibi, ipſa unam

efficit

A efficit seipsam propter fermentum, vivifica quadam virtute, calefacit eam, & mobilem quasi vitam operatur. Mat. 16. Quod in azymo fermento Pharisæorum, quod effugere nos sermo admonet, neque effectum est aliquando, neque fiet omnino. Divinæ enim effecti sumus participes naturæ, cuius & participes naturæ, cuius & participamur quotidie, qui communitatem habemus cum Christo, sicut dicit & Petrus vertex: 2. Petr. ibid. *Gratia vobis & pax multiplicetur in cognitione Dei, & Iesu Domini nostri.* Et post pauca: *Vt per eam efficiamini divinæ participes naturæ*, non autem fermento axymi interfectorum Dei. Divinam autem naturam, quisquis rationis est Dominus, dicet aliquando axymum, & mortuum fermentatum Iudæorum quod in sacrificio vos Deo offertis, B quod in figura veræ & vivæ carnis Domini comedetis? Quomodo unitatem habebitis cum Christo, vivente Deo, mortuum, ut dictum est, & infermentatum fermentum comedentes, legis umbræ, non novi testamenti? Si enim & hoc dixeritis, sed non sic se habet. Inquit enim dilectus Christi discipulus: 1. Ioan. 1 *Si dixerimus quia communitatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & non facimus veritatem: Si autem in lumine ambulamus sicut ipse est in lumine, communitatem habemus adinvicem, & sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato.* Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat. Et quomodo habebit societatem cum Christo, qui est in lumine novi sui testamenti & gratiæ? Nam qui in lumine ambulant gratiæ, panem comedunt qui est corpus Christi: & bibunt sanguinem immaculatum eius, & ita habent ad invicem, & cum Christo societatem, purificati sicut dictum est, ab omni inquinamento. Axymum autem non est panis: neque enim compositus, neque per seipsum perfectus est, sed indigens, semique perfectus indigens plenitudine fermenti. Panis autem compositus, per seipsum perfectus est, & plenissimus, sicut ille qui totum habet in seipso C plenitudinis.

Animadvertite & attendite, quia in azymis nulla est vivens virtus, mortua enim sunt; in pane autem, hoc est, corpore Christi, tria sunt viventia, & vitam præbentia eis, qui ea dignè comedunt: Spiritus, aqua & sanguis, ceu & ipse, qui super pectus Christi in 1. Ioan. 5. cœna recubuit Ioannes, contestificatur in eo verbo: *Tres sunt qui testimonium dant, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres in uno sunt*, videlicet in corpore Christi. Quod & secundum tempus Dominicæ Crucifixionis declaratum est, cum aqua & sanguis ex immaculata costâ ipsius effluxit: lanceâ percussa carne ipsius, sanctus spiritus vivificusque in Deificata carne eius permansit. Quam comedentes in pane, qui immutatus est per spiritum & effectus est corpus Christi, vivimus in ipso, tanquam vivam & Deificatam carnem edentes. Sic autem & sanguinem vivum & calidissimum eius bibentes cum effluente aquâ ex immaculata costâ eius, mundamur ab omni delicto, feventi replemur spiritu. Calidum enim, ut videtis velut ex latere Domini calicem bibimus, quia ex viva carne & calidâ spiritu Christi calidissimus nobis sanguis & aqua emanavit. Quod in eis qui azyma comedunt, nequit D fieri.

Si autem mortuum fermentum comeditis ô sapientissimi, ut sermo declaravit, cuius rei gratiâ gloriamini dicentes: *Quia non sicut vos sale & fermento atque aquâ farinam temperamus, & sic facimus oblationem azymorum nostrorum, sed aquâ solâ & farinâ & igni azymum conficimus, & in tribus his puram facimus nostram oblationem.* Percontamur igitur vos, hæc tria, aquam & farinam & ignem ad quid accipitis, & cuius effigiem esse hæc æstimatis? Carnis Domini? Sed non 1. Ioan. 5 inquit dilectus Christo Ioannes: *Tres sunt qui testimonium perhibent*, aqua & farina & ignis. Sed quid? *Spiritus & aqua & sanguis, & hi tres in uno sunt*, videlicet in corpore Christi, ut dictum est, quod nos Ephes. 5. comedentes unimur incarnato propter nos & immolato Christo incorporati, & velut caro eius sumus, E ex carne ipsius, & os ex ossibus eius, sicut scriptum est. Si autem ad increatam & incorpoream naturam sanctæ Trinitatis, assumitis: erratis cadentes in hæresim eorum, qui asserunt Deum passum, qui dicunt compassum verbum carni, & eandem ipsam deitatem sustinuisse passionem. Non enim pariter Trinitas incarnata est, Pater & filius, & spiritus sanctus, ut conspiciantur in ea hæc tria, aqua ut dicitur, farina & ignis & ut in figura ipsius facistis azymum & sacrificium offeratis, sed unus ex Trinitate filius, & Verbum Dei incarnatum est, ex castissimis S. Virginis carnibus homo effectus, & omnia ordinationis suæ perficiens, crucifixus est carne, non passa divinitate ipsius. Carne igitur crucifixus tradidit nobis edere per panem, carnem suam, quam F in spiritu sanctu ita vivam dicimus: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis fractum est in remissionem peccatorum.*

Quid ergo vobis in Christo fratribus nostris & legi quæ maledicta est in Christo? quoniam adhuc azymum fermentum eius comeditis? nova creatura sumus in Christo. Vetera transierunt, Paulum audite dicentem: *Ecce facta sunt omnia nova.* 2. Cor. 5 Si autem hæc comedere decernitis iustum: cur non & circumcidimini? Christus circumcisus est, cur non & purificamini? Paulus etiam & hoc fecit: & alia etiam omnia similiter servate veterum, sicut & hi, ea quæ legis sunt faciunt, per quos nomen Dei in gentibus blasphematur, sicut est scriptum: Rom. 2. *Non bona est gloriatio vestra*, ut & ego quæ Pauli sunt loquar ad vos: 1. Cor. 5 *Nescitis*, inquit, *quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Et panis tandem non azymum efficitur. Sed quid hic dictus apostolus scribit ad Corinthios? Nunquid ut vos æstimatis, de celebratione, quam vos in azymis celebratis? Nequaquam. Sed quoniam illi hoc despiciebant, quod aliquis novercam acceperat, & in antiquis consuetudinibus falsæ scientiæ suæ gloriabantur, volens autem eos converti Paulus & ex vetere removere malitiâ: venit per similitudinem hanc, fermenti dico & massæ, G ostendit eos, quoniam unum malum tanquam modicum contemptum, magnam in toto corpore Ecclesiæ faciet læsionem. Propterea, inquit, adiiciens: Ibidem *Et non luctum habuistis, ut auferatur de medio vestri, qui hoc opus operatus est?* Potest enim, inquit, iniquitas ista ad omnes vestras urbes transire, & tanquam modicum fermentum totam massam fermentat: sic omnes apprehendi & fermentari, & unam massam maioris iniquitatis operari. Ibidem. *Expurgate*, inquit: *vetus fermentum*, peccati: Tollite hunc è medio vestri: ut efficiamini Christo nova conspersio, sicut estis baptizati, id est, vel azymi vel puri: mortificati mundo & desideriis carnis. Etenim Pascha nostrum hoc est, quoniam ut eriperet nos ex iniquitate ac morte, immolatus est Ibidem. Christus. Qua de re sic ait: *Epulemur non in fermento veteri: neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis*: hoc est, puræ vitæ & fidei, quia in Deum credimus & veraces oratores eius efficimur. Sic magnus Gregorius Theologus hoc verbum accepit, ô sapientissimi, ea quæ mentis Apostolicæ H sunt intelligite, & non quemadmodum hoc vos accepistis, de azymorum festivitate & participatione. Si enim de axymis & de celebratione eorum Corinthiis Paulus præcepisset, & eos in axymis epulari iussisset, non promulgasset cum undecim, & omnem reducens Ecclesiam fidelium in ordinem, in septuagesimo Canone, cum excommunicatione præcepisset omnibus, huiusmodi causam à Iudæis nullatenus accipi: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omnino ex numero Clericorum ieiunaverit cum Hebræis, aut epulatus fuerit cum eis, & acceperit festivitatum eorum munera, ut sunt azyma, aut aliquid huiusmodi, deponatur: Si autem laicus, sequestretur.*

Si autem dicitis: Quia ab Hebræis non accipimus, sed domi facere consuevimus, cur hoc? sive ab illis accipiatis sive domi faciatis azyma sunt. Et iuxta hoc

graviore m

A graviorem pœnam habebitis, quoniam relinquitis agere, quæ iussa sunt vobis à Christo, & Apostolis ipsius: facientes velut illi, qui sub servitute legis sunt, qualia Iudæi faciunt in umbra & tenebris legis sedentes, nullatenus dicenti Paulo credentes: 1.Cor.7. *Fratres unusquisque in eo ordine quo vocatus est in ipso permaneat:* Non enim invenietis omnino in divina Scripturâ, quoniam azymum dictum sit à Christo aut Apostolis eius, cum administraretur ab illo novi Testamenti mysterium. Paulus enim Corinthiis scribens dicit: 1.Cor 10 *Discernere vos oportet calicem benedictionis quem benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panem* B *quem frangimus nonne communicatio corporis Christi est? Quoniam unus panis, unum corpus, multi sumus. Etenim omnes ex uno pane participamur.* 1.Cor 11 *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: Quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem,* & non azymum, *& benedicens fregit & dixit: accipite & comedite hoc est corpus meum, quod pro vobis frangetur. Hoc facite in meam commemorationem.* Et non semel dixit panem, sed etiam sæpe. Non hic solus dixit, sed & cæteri Apostolorum, & Matthæus quidem ait: *Canantibus* Mat.26. *autem illis atque comedentibus accipiens Iesus panem:* Aspicis panem, & hic inquit, *& benedicens fregit, & dedit discipulis suis & dixit: sumite & comedite,* Marc.14 *hoc est corpus meum.* Similiter autem & hoc Marcus inquit, & reliqui: & nequaquam azymum ab eis commemoratur.

Quoniam quidem oportebat pati Christum secundum diem legalis Paschæ, in qua & agnus ab Hebræis immolabatur. Oportuit enim fieri Pascha ab interfectoribus Dei in sexta feriâ, in qua tandem & quarta decima Luna erat iuxta primum mensem, in quo contingit evenire M D X X X I V. annos: Cyclus enim solis erat X V I I I. & V. ut non adhuc traditus prævenisset proprium Pascha discipulis tradere: recumbens in cæna secundum vesperum quinti diei; C Postquam cænavit accepit panem, fregit, tradidit Apostolis mysterium novi Testamenti in nocte quintâ, in qua traditus est à Iuda: Sicut scriptum est. Sed Luc.22. quid dicit Lucas Apostolus? *Accepit panem & benedicens fregit.* Ecce & Lucas accipere panem Christum dixit, & non azymum. Non enim adhuc erat sextæ feriæ dies. Tertia decima erat Luna in illa quintâ feriâ, & non erat azymum, neque adhuc ablatio fermentati.

Azyma enim in quinta decimâ Lunâ promulgata erant in lege, ut in quarta decimâ die ad Vesperam agnus immolaretur, & in quarta decimâ die Lunæ primi mensis Pascha appellaret lex, quintam decimam diem primum azymorum & Sabbatum nominaret. Proh dolor insipientiam illiteratorum. Et non D erat azyma in quinta feriâ, cum esset Luna tertia decimâ & non quarta decima. Secundum quintam decimam Lunam fuerat institutum azyma fieri, sicut & agnum ad vesperam quartæ decimæ diei iussum est immolari, secundum quam immolatus est Christus, agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Si autem Christus immolatus est, & crucifixus in decima quarta die Lunæ, feriæ sextæ, in Sabbato autem erat festum azymorum, quando azyma comedit? etiam Apostolis sic facere in novo Testamento tradidit: Quomodo dicitis ab Apostolis accepisse vos facere azyma iam post resurrectionem à mortuis? Non videtis quia manifeste ex rebus arguimini, quoniam non tunc azyma, cum mysteria novi Testamenti traderet Apostolis Christus?

Ostendam vobis hoc ex legislatione Moysi: Lo- Lev.23. quitur enim: *Hæ sunt festivitates Domini & ipsa sancta quas vocabitis in temporibus suis, in primo mense in quinta decimâ die mensis huius festum azymorum Domino: & in quarta decimâ die mensis intra medium ad vesperum erit Pascha Domino: & in quinta decimâ die huius mensis festum azymorum Domino. Septem enim diebus azyma comedite.* Ecce enim ex legislatione Moysi didicistis, quoniam non tunc azyma, quando E post cænam secundum diem quintæ feriæ Christus tradidit per fractionem panis novi Testamenti mysterium. Ante festum autem azymorum hoc fecit, cum esset tertia decima dies mensis. Quinta decima enim die mensis, ut legislatio habet Moysi, erat festum azymorum. Et Christus in feriâ sextâ crucifixus, secundum quartam decimam diem mensis, quando debebant Iudæi immolare agnum: Sabbato autem secundum quintam decimam diem mensis, cum esset festum azymorum, in sepulchro iacuit sepultus. Azyma ergo dum non essent ante festum azymorum in toto anno ipso: Septem enim diebus comedebant azyma Iudæi, ceu instituit Moyses: in quintadecimâ die pri- F mi mensis incipientes festum horum; ubi reperta sunt azyma quando cum discipulis suis cænam comederet Christus? Si enim sicut dicitis, à Domino Apostoli acceperunt azyma, & illi iterum tradiderunt vobis hæc in figura corporis Christi in mysterium novi Testamenti: dum nec ablatio panis fieret secundum constitutionem Moysi, neque erant tunc azyma, ubi reperta sunt? Quomodo obliviscimur legislationum Moysis? Septem námque solis diebus facere tradidit vobis. Sed vos in toto anno conculcatis instituta Moysis. Et Christus non venerat solvere legem sed adimplere.

Valde enim veritati obsistitis fratres. Si enim traditum vobis fuit ab Apostolis comedere azyma: quomodo Agathon sanctissimus Papa vester, præsessor cum esset sextæ Synodi sub Constantino Imperatore, & divinus Gregorius Agrigentinorum Episcopus non abstinuere: cum sicut huius Synodi divini Patres adversum azyma legem constituissent à nemine fidelium hoc fieri? Et ut ostendam vobis horum legislationem contra azyma, adiicio rationi, & canonem ipsorum G sic habentem in undecimo capitulo: *Nemo in Sacerdotali constitutus ordine, aut laicus, ea quæ apud Iudæos sunt azyma comedat, aut cum eis cohabitet, aut in infirmitatibus suscitet, aut medicinam ab eis accipiat, vel in balneis cum eis lavetur. Si quis hoc agere intentaverit: siquidem Clericus fuerit deponatur, si autem laicus sequestretur.* Qui azymum conficit & comedit, & si non acceperit hoc à Iudæis, sed imitator fuerit in hoc, ut Iudæus intelligit, & extra legem est, quemadmodum & si circumciderit quis seipsum, aut à Iudæis circumciditur, simul & inscientia est illis, Canonésque & instituta Apostolorum, sanctorumque Patrum transgrediens, & irrita omnia facit, ut ratio nostra demonstravit. Sed de azymo sufficienter vobis quod prohibitum sit ab omni Scripturâ divinâ demonstravimus.

Age nunc quia cætera demonstravimus vobis, & subitò memoriæ suggestum est vobis de Ieiunio Sab- H batorum, quoniam insultatis nobis: Unde ieiunare Sabbata, ex qua sanctâ Scripturâ accepistis? Ab Apostolis? Nequaquam. Apostolorum vertices in quinto quidem libro ordinationum, qui de Martyribus inscribitur, iuxta Clementem, *Quartam feriam & sextam, præcepit nobis ieiunare Dominus Unam quidem propter traditionem, alteram propter passionem. Ipsum autem ieiunare Sabbatum, non tradidit nobis ieiunare, quoniam non oportet, propter illud solum, in quo Creator omnium sub terra fuit.* Unde iuxta calcem eiusdem libri, iterum sic loquitur: *Omne quidem Sabbatum & omnem Dominicum celebrandum esse dicimus Gaudere enim oportet in his & non lugere.* Septimo quidem libro earum constitutionum iuxta vicesimum quartum caput hoc inquiunt: *Sabbatum namque & Dominicum celebramus, quia illud quidem divina operationis est memoria: hic vero resurrectionis. Unum vero tantum Sabbatum custodiendum est in toto anno Sepultura Domini: quo ieiunare oportet. Quando enim Christus in sepulchro iacuit, discipuli potentiorem circa eum fletum habebant, quam gaudium ex memoria divina operationis.* Veruntamen hæc mysticè per Clementem

Papam

A Papam constituentem, non steterunt hic, sed scientes magnam damnationem esse ieiunare Sabbata, excommunicatione validâ, ligant ex hoc Ecclesiam. Dicit enim in sexagesimo quarto Canone. *Si quis inventus fuerit Dominicum diem ieiunans, aut Sabbatum præter unum solum, deponatur. Si autem Laicus sequestretur.*

Hoc autem exequentes & qui in sexta Synodo Patres, convenienter huic sic promulgant sanctè, præsidente Synodo Agathone Papâ Romæ, & Gregorio cum eis Agrigentinorum Episcopo præsente. *Quoniam quidem dicimus eos qui in Romanorum urbe sunt in sancta Quadragesima Ieiuniis eadem Sabbata ieiunare extra traditam sibi Ecclesiasticam consequentiam: placuit sancta Synodo observare Romanorum Ecclesiam immobilem Canonem dicentem: Si quis Clericus fuerit inventus*, & cætera quæ deinde scribit. Hæc igitur sicut cernitis Apostolicis constitutionibus & Canonibus fidelium Ecclesiam ligant cum Papâ Romæ Agathone. Vos vnde aliter & ex quo ieiunare Sabbata accepistis?
B Quin etiam oblationem perfectæ Missæ per omnem diem facere in sacris diebus ieiuniorum, sive Sabbato sive Dominico die: unde assuevistis? & à quo Doctore accepistis? Ex Apostolis? nullatenus. Apostoli enim ex hoc posuere Canonem sic loquentem: *Si quis Episcopus aut Presbyter vel Diaconus aut Lector, aut Cantor, sanctam non ieiunaverit Quadrasimam, quartámque & sextam feriam, deponatur, nisi infirmitate corporis impediatur.* Ministrantes ergo atque complentes ministrationem sanctæ Missæ secus tertiam horam diei, in qua, & promulgatum est offerri sacrificium: quomodo ieiunium vsque ad horam diei nonam observatis? solventes hæc in tempore ministrationis missæ? Nequaquam. Si autem hoc impossibile est, maledictione plectemini.

Qui in Gangreno fuere Patres Concilio cap. 19. talia effantur: *Si quis continentiam sine corporali necessitate elatus fuerit & constituta ieiunia in commune &*
C *observata ab Ecclesia dissolverit, præsumendo sibi perfectam rationem, anathema sit.* Similiter Patres qui in Laodicensi fuere Concilio, secundum quinquagesimum Canonem sic effati sunt, *quia non oportet in Quadragesima Martyrum natalitia celebrare, sed sanctorum commemorationem facere in Sabbatis & Dominicis diebus.* Et iuxta Quadragesimum octavum Canonem ita aiunt ipsi: *quod non decet in Quadragesima panem offerre nisi in Sabbato & Dominico solo.*

Et qui in sexto universali Concilio convenerunt Patres similiter iuxta quinquagesimum secundum Canonem sanciunt cum sanctissimo Agathone Papâ dicente sic: *In omnibus sanctis Quadragesima ieiuniorum diebus, sine Sabbato & Dominico die, & sine sancto annuntiationis die, fiat Missa ex ante sanctificatis oblationibus.* Sic ergo accipientes nos Sabbato & dominicâ
D die, secus tertiam diei horam, in qua & Spiritus sanctus descendit super discipulos, immolantes: In ipsis sanctificamus munera, ex quibus sufficientia in tota hebdomada conservamus. In aliis autem diebus hebdomadis iuxta tempus horæ nonæ diei concludentem omnem ministrationem in consummationem Completorij, agimus nos Sacerdotes cum Diaconibus ingressum, thuribulum solum ferentes. Et post lectionem Prophetarum constitutas orationes à magno Basilio facientes, & munera transferentes appositionis altario & orantes cum ipsis. Insuper autem & traditam nobis à Domino orationem dicentes, exaltamus præsanctificatum panem, & damus præsanctificata sancta Sanctis, & vniti communione pane & calice mysteriorum Christi. Et ita agentes gratias Deo, relinquimus eos atque dimittimus ex congregatione, sumentes nos communem mensam per folia & legumina, & calidam aquam qui voluerint. Sunt autem & alij qui solâ communione & benedictione per totam perseverant hebdomadam. Vos autem referentes per vnumquemque diem perfectam in Quadragesimam ministrationem, quæ congrua est iuxta tertiam horam diei offerri, positos transgredimini Canones Ecclesiæ. Et in hoc E
maledictioni Patrum subiacetis, sicut dictum est.

Quis ille est qui tradidit vobis prohiberi, & abscindere nuptias Sacerdotum? Quis ex doctoribus Ecclesiæ hanc vobis tradidit pravitatem? Siquidem nisi nupserit manus impositionis accipiet. Et ita ad nuptias ruit, qui ordinatus est innuptus, legitimè. Hoc & secundum Canones facitis, huiusmodi nuptias prohibentes? Si autem ante habuerit uxorem ille qui ordinandus est Sacerdos, perseveraveritque in castitate magnáque vitâ, nuptias eius solvitis, transgredimini, ut ex præcepto Apostolicorum Canonum ostendam vobis. In sexto enim libro Clementis ordinationum, quæ ab eo conscriptæ sunt, iuxta 17. caput Apostoli hæc dicunt: *Episcopum & Presbyterum & Diaconum dicimus, qui unam habent uxorem, ordinari, quamvis vivant eorum coniuges, quamvis defuncta, non licet eos post manus impositionem innuptos esse, nec insuper ad nuptias ire, aut si nupserint, alteras amplecti,* F
sed sufficere quas habent cum ad ordinationem venerunt. In quinto sanctorum Canonum ita fatur in 2. capite: *Episcopus aut Presbyter aut Diaconus uxorem suam non abiiciat obtentu religionis: Si autem abiecerit, sequestretur. Perseverans autem deponatur.* In quadragesimo verò Canone, inquiunt palam: *Propria Episcopi res:* Et post pauca: *Ne occasione Ecclesiasticarum rerum cadere Episcopum ab eis, quæ sunt Episcopi, in mulierem & pueros & propinquos, ne per occasionem eorum, ea quæ Ecclesia sunt subtrahat.* Et deinde: *Siquidem sunt qui prohibeant sacerdotes legitimis convenire coniugibus.* Non ita vertices Apostolorum exposuerunt Ecclesiasticos Canones. Si autem dicis mulierem Ecclesiam dixisse Apostolos: tunc infidelis apparebit sermo tuus & vacuus, cum sacris Canonibus ipsorum, qui à nobis prædicti sunt, non abiicere Episcopos & Presbyteros occasione religionis, uxores sanxerunt, & ut G
caderent res Episcoporum ex potestatibus eorum propter filios & mulieres ipsorum.

Si autem aliquis dixerit de sancta & universali Synodo, quod Papam Romæ sanctissimum Agathonem ut sæpissimè diximus præsessorem habuit, ipsa centum septuaginta Patrum, sub Constantino Imperatore Nepote Heraclij & Patre Iustiniani: Quomodo non obstitit divinus Agathon sanctæ Synodo sancienti adversus hos impios quos usque nunc habetis? Si vero ab Apostolis haberetis has traditiones, obsisteret fortitan, & non suscepisset hæc, quæ apud nos ab ea promulgata sunt Papa cum esset vester, quoniam adulteras cognoscebat traditiones ipsas & extraneas ab Apostolorum doctrinâ: propterea pariter cum Patribus sacræ sextæ Synodi, sicut de azymis & ieiuniis Sabbatorum & sacræ Missæ mysteriis, sic & de nuptiis Sacerdotum promulgavit dicens in decimo tertio capite: *Quia in Romanorum Ecclesia in ordine Canonis* H
tradi cognovimus, præsentes Diaconi aut Presbyteri dignas fore manuum impositiones confiteri, ut non amplius à suis disiungantur coniugibus: Nos antiquum exequentes Canonem Apostolica diligentia & ordinationis: sanctorum virorum copulationes secundum legem & amodo valere volumus, nullatenus à coniugum copulatione dissolventes aut privantes eos ab invicem, secundum tempus congruum locationis. Quasi vere si quis dignus inventus fuerit manûs impositione Diaconus vel Subdiaconus aut Presbyter, hic nullatenus prohibeatur ad huiusmodi gradum ascendere, coniugi cohabitaturus legitimè: neque in tempore ordinationis exigatur confiteri ad legem propria locationis propter propriam uxorem. Et post pauca: *Si quis ergo præsumpserit extra Apostolicos ordines motus quendam sacrorum Presbyterorum & Diaconorum privare à copulatione legitimarum mulierum, à communione sequestretur. Similiter si quis Presbyter aut Diaconus collectaneam suam occasione religionis projecerit, separetur: perseverans autem deponatur.*

Vnde igitur vobis, & ex quibus hæ horribiles

infirmitates

A infirmitates supervenerunt ô viri Romanorum sapientissimi, & omnium aliarum gentium nobilissimi? Æstimo quod quidam ex Iudæis in tempore Apostolorum credentes, vana lucra cupientes, & pecuniarum amatores reperti, volentes multos fidelium abstrahere ex Evangelio: hoc est, ex fidei prædicatione, corruptis dum prædixissent eis, in hoc & Christianitas & Iudaïsmus corrupta sunt. De quibus Ioannes fatus est: 1. Ioan. 2. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis permansissent utique nobiscum*, de his qui circa Simonem & Deman, Nicolaïmque & Cleobium subtexendo. Reliqui autem verticum in 7. lib. institutionum iuxta sextum decimum caput liquidiùs dixerunt: *Scimus enim*, inquit, *quia hi qui circa Simonem & Cleobium & Iudam, conscripserunt libros in nomine Christi & discipulorum eius, circumferunt ad seductionem vestram, & eorum qui diligunt Christum, & nos servos ipsius.* Et in veteribus quidam conscripserunt libros apocriphos Moysi & B Enoch, & Adam, Esäïæ & David & Heliæ, & trium Patriarcharum, corruptiones facientes atque veritatis inimicos libros. Sed & Paulum Domini Apostolum hæc præscientem, ut æstimo, sic ad vos ascendisse huiusmodi seductores, dolum texentes vobis, Philippensibus scribit: Philip. 3. *Videte canes, videte malos operarios, videte abscissionem.* 1. Tim. 4. Et Timotheo iterum: *In ultimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus & doctrinis dæmonum, in hypocrisi loquentium mendacia, & incedentium propria conscientiâ, impedientium nubere, & abstinere à cibis quos Deus creavit.* Et ea quæ exinde. Propter quod & Tito præcepit: Tit. 1. *Argue eos*, inquit, *duriter ut sani sint in fide non attendentes Iudaicis fabulis & preceptis hominum subvertentium veritatem.*

Quamobrem diligentissimè inquisivimus de cætero circa hæc, ô fratres, ne aliquando ex his quæ dicta sunt & redarguta vobis mendacia, dico nunc azyma, Sabbatorum ieiunia, nuptias Sacerdotum, & in ieiuniis oblationes accipiatis, sed scientes nunc, quod C primum est eorum, ex omni à Deo inspiratâ scripturâ: fugite quæ huiusmodi sunt acutare, cum sitis Ecclesia Dei & totius orbis semper splendidus oculus, aut uniti nobis vestris confratribus, quos per iam dicta scidistis, cum sitis corpus Christi: revelatâ facie gloriam Domini in conventu & unitate cum orthodoxa fide conspeculemur, & imaginem eius transformemus in nobis vivâ demonstratione, & ipsius ad gloriam sempiternam, sicut à Domini spiritu, quoniam ipse est caput nostræ Ecclesiæ corporis, & in eo sicut in uno corpore, omnes nos coniungimur.

Hæc vobis Romanis: Si ergo possimus vos cum sitis homines ad credulitatem nobiscum reducere per ea quæ diximus, & docendo vos ex divina scripturâ arguimus; gratia Dei, & vobis scientibus bene Spiritui sancto credere & prosequi rationem iam dictam ex scripturis. Si verò aliter tenetis, date nobis testi- D monia ex divina scripturâ consistentia: in quibus volo benevolos esse, ut super sedes intelligentiæ requiescatis, & nos scientes obedire inenarrabili rationi spiritus, docere omnia quæ ad vos scripsimus. Salutamus vos in CHRISTO IESV Domino nostro, cui est gloria & potentia, cum Patre & Spiritu sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Finis libelli Niceta Presbyteri & Monachi Menaste-y Studq, contra Latinos.

E

INCIPIT RESPONSIO sive Contradictio in eundem libellum à Fratre Humberto Episcopo Sylvæ candidæ.

SI diligenter S. Chalcedonensis Synodi quartum considerasses caput, quiete Monasticâ & ieiuniis atque orationibus in Monasterio tuo contentus, nequaquam Ecclesiasticis rebus communicasses, nec importunitatem intulisses. Quapropter sexcentorum triginta patrum, concordi decreto à communione es suspensus, ne per te nomen Domini blaspheme- F tur. Decet enim unamquamque professionem se sub mensura sui habitûs & gradûs cohibere: ne contumbet Ecclesiastici dogmatis ordinem totum, dum non suo contentus officio, præripere quærit alienum. Sed væ tibi Sarabaïta, qui nullà cœnobitali examinatus disciplinâ, voluntate atque voluptate ductus propriâ, contra Sanctam, & Romanam, & Apostolicam Ecclesiam, & omnium Sanctorum Patrum Concilia horribiliter latrasti, stultior asino, frontem Leonis, & murum adamantinum frangere tentasti. In quo utique conatu, non es victor erroris, sed victus errore: nec Presbyter, sed inveteratus dierum malorum & puer centum annorum maledictus. Potiùs dicendus Epicurus, quam Monachus. Nec credendus es degere in Monasterio Studio, sed in Amphitheatro aut Lupanari. Qui etiam verè prænominaris Pectoratus, quoniam cum serpente antiquo super pectus tuum graderis. Quod sicut quidam Patrum dixit: *Quicunque vult intrat, & solvit asinum*: Ex abundantia enim cordis os loquitur. Deinde detestabilior omni veneficio, labia G mortiferi poculi melle charitatis & bono odore humilitatis imbuens, ex prædictis virtutibus delectabile exhibuisti procemium, ut prægustata dulcedo faceret incunctanter absorberi fel draconum & reliquum veneficium. Sed væ ei qui potat amicum suum potione turbulentâ. Quam ideo necessariam duximus subtiliori linteo colatum ire, ut modus concinnationis eius, & potentia aliquatenus possit deprehendi, & deinceps caveri, quia ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit, ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.

Ecce in ipso livoratûs tui vestibulo tria proposuisti: de azymo, scilicet, de Sabbato, & de Sacerdotum nuptiis. Ex quibus tot & tanta evomuisti, ut in pervertendo divinas sententias non inferior videaris perversis & rabiosis canibus Iuliano & Porphyrio. Denique divini eloquij scalam ad cœlos subrectam, quantùm in te fuit, retorsisti ad inferos, ne cum Angelis scanderes ad Catholicos, sed H cum Apostatis descenderes ad hæreticos. Inde est, quod sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis sacrificio detrahens falsissimè definivisti nos mensam Iudæorum comedere. Quod satis ostenditur in superiori nostra narratione, ubi commentis complicum tuorum, Michaelis scilicet Constantinopolitani & Leonis Acridani voluimus obviare. Nec est necesse eadem nos totiens repetere. Quia stuppæ collectæ & paleæ coniectæ, zizaniisque collectis una potest flamma sufficere. Vnde ea tantùm decrevimus leviter succendere, quæ solus videris plus illis congessisse.

Itaque quod dixisti consubstantialem & supersubstantialem idem esse, omnino est futile: Quia Dominus IESVS, quamvis nobis humanitate sit consubstantialis, divinitate tamen, qua est Patri consubstantialis, est nobis supersubstantialis: Sic & humanæ mensæ panes, licet sine consubstantia-

A les sibi, mensæ tamen divinæ panis supersubstantialis sit eis. Et ô mentite Deo, & aperte impugnator sancti Evangelij, vbi & quando dixit veritas, veraeis Patris Filius: *Cavete ab azyme fermente Pharisæorum?* Nunquid *azymum* quolibet modo potest dici, *fermentum*, quando azymum dicatur, eo quod absque fermento sit? & vbicunque fermentum fuerit, necesse est, ut aut fermentum efficiat, aut fermentum permaneat? Cum ergo fermentatum non sit sine fermento, nec fermentum aliquando possit esse sine ipso, quomodo saltem somniare ausus es, azymum fermentatum? sed quamvis talia dicendo telas araneæ texeris, muscas & culices seu vermiculos aberrantes his irretire poteris, non autem columbas simplices & oves recognoscentes vocem sui auctoris.

Deinde ô subverse subversor subvertere conatus sententiam Apostoli Ioannis dicentis: *Si dixerimus*
1.Ioan.1. B *quia societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & non facimus veritatem*, & cæteris nequius usus es hoc eius testimonio, quam adulter oculo & latro ferro, quæ utique bona sunt. Illi enim lædere tentant aliquos: tu perdere cunctos. Vnde & sic concludis: *Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat.* Sed idem Ioannes intentionem tuam enarrans, luce clariùs demonstrat, quid dixerit, subjungens:
1.Ioan.5. *Qui odit suum fratrem, in tenebris est, & in tenebris ambulat.* Hic planè liquet, quod non ab Apostolo sancto, sed ab Apostata Angelo accepisti, ut diceres: *Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat*, quia tota epistola illa, nec fermentatum nec azymum commemorat, sed solùm charitatem.

Post hæc non minori sacrilegio abusus, alio testi-
1.Ioan.5. monio eiusdem Apostoli dicentis: *Tres sunt qui testimonium perhibent in terra, spiritus, aqua, & sanguis, &*
C *hi tres unum sunt*, perverse conaris ad panem mensæ Christi transferre, quod ille de baptismo eius voluit intimare. In baptismo siquidem hæc tria sunt, & unum baptisma efficiunt. Et spiritus quidem sanctificat, aqua abluit, sanguis redimit. Si quodlibet horum defuerit, baptismus non erit, sicut venerabilis Pater Augustinus ait: *Tolle aquam, non est baptismus, tolle verbum non est baptismus: Sed accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* Tu autem nequam Pectorate, nequiter interpretando & depravando sententiam recumbentis super pectus IESV dixisti: *Et hi tres in uno sunt*, scilicet in corpore Christi, quod dilectus eius nec sensit, nec scripsit, sed *hi tres unum sunt* secundum superiorem de baptismo sensum.

Parum sunt hæc & pene nulla ad comparationem sequentis blasphemiæ, qua asserere laboras, quod tempore Dominicæ passionis & Crucifixionis, quando sanguis & aqua de latere eius exivit, sanctus vivificatus spiritus in deificata eius carne remansit. Quod si constiterit mortuus non fuit. Si mortuus
D non fuit neque resurrexit. Si non resurrexit, inanis est fides & prædicatio nostra; quia nec nos resurgemus. Et sicut Apostolus ait: *Si ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest? si mortui non resurgunt?* Vt quid enim quotidie tanta patimur? Comedamus & bibamus, imò bestialiter vivamus, cras enim ut bestiæ moriemur. Si in hac vitâ tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Sed absit hoc ab omni genere humano. Nam idem præclarus Evangelista, qui hoc ipsum præsens vidit, attestatur, carnem Christi verè exanimatam in Cruce fuisse, dicens: *Et inclinato capite emisit spiritum.* Porro Marcus & Lucas dicunt eum *expirasse*, unde & in Symbolo confitemur *mortuum & sepultum*: Alioqui sepeliri non debuit, qui mortuus non fuit. Obmutesce Canis, linguam Canis improbe morde, Christus enim verè mortuus est propter delicta nostra, & propter justificationem nostram resurrexit à mortuis primitiæ dormientium.

E Ecce pestifera doctrina, ecce diabolica suggestio, cuius tu signifer effectus, conaris opiniones & adinventiones tuorum contra traditionem Apostolicam, & contra manifestam veritatem defendere, dicendo, aquam calidam & sanguinem de vivo & calido Christi corpore exisse, & ideo Græcos aquam ferventem sanguini eius iure miscere. Quod totum longè aliter est. Nam veraces Evangelistæ concorditer narrant, Dominum nostrum horâ nonâ in Cruce mortuum, & serò à Ioseph postulatum depositum de ligno & sepultum. Ipso enim emittente spiritum, velum templi, & petræ scissæ sunt, terra mota, monumenta aperta, & multa corpora sanctorum resurrexerunt. In tanta itaque perturbatione & quasi naufragio totius creaturæ, non solum latus Domini non fuit apertum lanceâ, sed etiam hi qui prius ei insultaverant, & ad spectaculum illud convenerant, viso terræ motu &
F his quæ fiebant, pectus suum percutientes revertebantur. Adeò ut ipse Centurio cui traditus fuerat ad puniendum, diceret: *Verè Filius Dei erat iste.* At ubi tumultus mundi conquieverat, & securitas aliqua redut: cum iam serò esset Pharisæi rogaverunt Pilatum, ut propter solemnem diem Sabbati, frangerentur crucifixorum crura, & deponerentur: Tunc quoque Ioseph rogavit Pilatum, ut tolleret corpus IESV, Pilatus verò mirabatur si jam obiisset. Et accersito Centurione, ubi cognovit IESVM jam mortuum, donavit corpus Ioseph. Porrò milites ad præceptum Pilati fregerunt crura prioris & alterius latronis. Ad IESVM autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua, quibus formaretur Ecclesia: quemadmodum ex costa Adæ dormientis formata est Eva. Ecce si horâ nonâ obiit, & serò jam
G de Cruce deponendus, lanceâ percussus fuit: Sanguis fuit ille, naturaliter calidus non fuit, toto corpore jam præmortuo, & frigido. Quod si aliquo modo caluit, Evangelium quare tantum miraculum & sacramentum tacuit? Vnde vos novi Symmistæ volumus dicatis, an sanguis tantùm, aut aqua tantùm, an simul utrumque caluerit? Si sanguis tantùm, quare aquam calefacitis? Si aqua tantùm, quare ex ea calefacitis sanguinem Christi? Si utrumque simul quare utrumque simul non calefit? Sed cuius visu vel tactu potuit discerni quodlibet duorum ex uno vulnere simul erumpentium, calidum aut frigidum fuisse? Præterea si aqua illa caluit, quare & aqua baptismatis non calefit? Cum præcipuè ipsa baptismum præfiguraverit, sicut sanguis redemptionem? Volumus autem scire qua intentione costam Christi immaculatam dixeris? Si pro sanctitate & innocentiâ, optimè: Si autem pro eo quod ferro impenetrabilis fuit, pessimè: quia de vero vulnere verum non phantasticum sanguinem pro nobis fudit. Et non de costa sicut tu scribis, sed de latere, quia os sanguinem non
H solet emittere, nec os comminutum fuit ex Dominico corpore.

Cæterum quod panis sit, & dicatur etiam azymus, quod non cum Theupaschitis in sacra oblatione erremus, & quod non azymum veteris legis, sed sinceritatis & veritatis comedamus, quodq; vetera transierunt, & facta sunt nova, satis ostenditur in alia nostra Epistola.

Tu vero maledicte & maledictus sermo oris tui, sanctam legem, sicut Severianus, maledictam dixisti. Nec mirum, cum etiam panem tuum, laudare supra modum cupiens, nimium vituperasti illum dicens: *Modicum fermentum totam massam corrumpit, & panis tandem non azymus efficitur.* Deo gratias quia azymum non efficitur de massa fermento corruptâ, sicut tuus panis. Nam corruptio nunquam & nusquam in bonum accipitur: quia vbicumque corruptio, ibi etiam substantiæ deterioratio. Quin etiam cum exponeres sententiam Beati Pauli, quam post tot orthodoxos Patres, nobis nolumus ab Hæreticis

exponi,

[A] exponi, quamvis noleus azymum laudasti, dicens: *Sicut estis baptizati, id est, azymi & puri.* Si ergu secundùm tuam confessionem baptizati sunt azymi, quid sunt uun baptizati, nisi fermentati, id est, currupti?

Dic tamen ubi, & quomodu Paulus cum undecim Apostolis Canones illos cum excommunicatione caposuit, quorum tu nobis Septuagesimum caput obiicis? omnino nesciens quid loquaris? Si *quis*, inquiens, *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omnino ex numero Clericorum ieiunaverit cum Hebræis, aut epulatus fuerit cum eis, & acceperit festivitatum eorum munera, ut sunt azyma, aut aliud huiusmodi, deponatur: laicus autem sequestretur.* Etiam si hoc capitulum ex libris authenticis prolatum esset, nullu modu nos tangeret, quia nec cum Hebræis ieiûnamus, nec cum eis epulamur aut festivitatum eorum munera ali[B]qua accipimus. Quod autem tu vesane subiungis: *Sive ab illis accipiatis, sive domi faciatis, azyma sunt.* Id jaculum tibi returquemus dicentes: *Sive cum Hebræis Sabbato epulemini, sive domi epulatio est.* Sane boc digniùs contra vos dirigeretur, quia vus nihil aliud in Sabbato quam solemnitatem Iudæorum, nos autem in azymo longè aliud Sacramentum retinemus & amplectimur. Si enim interrogemus Iudæos, quid celebrent in Sabbatu? Respondebunt: *Requiem Domini.* Si Græcus? idem & nuo aliud dicent. Ergu sub servitute legis sunt. In cuius umbra & tenebris consederunt.

Deinde post inanes latratus super vocabulo panis, reduxisti nobis annos ab initiu mundi, usque ad passionem Christi: quando secundùm te Cyclus Solaris erat X V I I I. & Lunæ V. ut hoc saltem figmento, possis evadere cum fermento tuu, quasi iuxta hanc supputatiunem tuam, occùrrat in cœna Domini Lu[C]na X I I I. in qua nondum fermentum abjecerat plebs Hebræa. Sed nus chronographis & calculatoribus talia relinquentes, maximè cum apud Græcos & Latinos atque Hebræos diversæ de temporibus habeantur rationes: Hoc tantùm dicimus, quia Christus nec unum iota aut apicem veteris legis resolvit. Vnde & X I V. Lunâ ad vesperum quintâ Sabbati Pascha celebravit, & mox eadem nocte comprehensus, crucifixus est quintâ decimâ Lunâ, id est, sextâ Sabbati, quæ specialiter dicebatur prima dies azymorū. Quamvis & in tota præcedente die, id est, quarta decima Luna fermentatum non appareret in omnibus finibus Israël. Nam & agnus cum azymis cumedebatur. Quod si iuxta tuam assertiunem Christus Pascha fecit tertiadecimâ Lunâ cum fermentu, dupliciter reus fuit: iustè puniendus secundùm legem, quia Pascha fecit in tempore non suo, & quia cum fermentato. Quapropter mors eius nihil nobis cunferet, qui non pru nostris, sed pru suis peccatis interiit, scilicet quia fuit transgressor sanctæ legis. Sed de bis aliàs copiosè dis[D]seruimus.

Deinde si exceptis septem diebus Iudæi toto annu fermentatum ut asseris comedunt, quis convenientiùs debet argui, ille qui minimo tempore eos imitatur in azymis; an ille qui totu anuo in fermentatis? Absit tamen, ut eorum carnalem ritum in aliquo imitemur.

Verum quoniam Labyrintheu errore duceris, ut tunc qua exibas inires, nunc qua intrabas exeas, iterum eaodem viam teris, dicens: *Si traditum vobis fuit ab Apostolis comedere azyma, quomodo Agatho Papa vester, præsessor sanctæ sextæ Synodi, cum Gregorio Agrigentinorum Episcopo & aliis patribus, contra azyma ne fierent legem statuit?* Audi: Stulte, vanc, non tantùm ab Apóstulis, quantùm ab ipso Domino nostro I e s v-C h r i s t o traditum est nubis azyma, non de Phase Iudaïco comedere, sed de Pascha Christiano percipere.

Nec rei tenemur illo quu objecisti X I. cap. sextæ Synudi dicens: *Nemo in Sacerdotali constitutus ordine,* [E] *aut Laicus ea quæ apud Iudæos sunt azyma comedat, aut cum eis habitet, aut in infirmitatibus eos inviset, aut medicinam ab eis accipiat, vel in balneis cum eis lavetur. Si quis hæc egerit, siquidem clericus fuerit, deponatur: si autem laicus, sequestretur.* Quis nostrum rogo azyma, quæ apud Iudæos sunt, comedit? Quamvis enim etiam reliqua capituli huius ubservemus, illud tamen super omnia de azymis observamus.

Sed qoid dices? Nonne magnus Basilius à Ioseph Iudæu medicinam multotiens accepit? tu autem sicut Diabolus Psalmum, ita exponendu capitulum subiunxisti: *Qui ergo azymum conficit & comedit, quamvis hoc non acceperit a Iudæis, imitator tamen Iudæorum est, sicut & is qui circumciditur.* Perdes Domine omnes qui loquuntur mendacium. Nonquid omnibus omniuu Christianis interdicitur, ne aliquandu alicubi azyma comedant, sicut interdicitur, ne se aliquando circum[F]cidant? Quare hoc? quia in bis imitantur Iudæos? Cuncedimus tamen circumcisionem solùm fuisse Iudæorum: veruntamen azyma omnium gentium, quæ tu malitiosè non solùm à divina, sed ab humanâ mensa omnino repellis. Sed quid facies, ô fermentate? Iudæi ceu superiùs asseruisti exceptis septem diebus toto anno fermentatum comedebant, & aliquandu offerebant. Nunquid & hoc tolles hominibus?

Hinc videamus si non estis Sabbatiani, quos commemorant Patres sanctæ quintæ Synodi. Reprehendens enim nos cur ieiunemus Sabbatis? dicis: *quartâ & sextâ feriè iugiter ieiunandum, unâ propter traditionem, alterâ propter passionem Domini, Sabbato autem nunquam nisi uno.* Et hoc asserere conaris ex apocryphis libris & Canonibus pari sententiâ sanctorum Patrum repudiatis. Nam Clementis liber, id est, itinerarium Petri Apostoli, & Canones Apustolurum numerantur inter apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt regulis urthudoxis adiungenda. Vnde nos quoque omne apocryphun abiicientes, dedigna[G]mur audire eorum fabulusas traditiones, quia non sunt, ut lex Dumini. Quapropter his umissis, in altera epistolâ, vide quid senserint de Sabbato beati & antiqui Puntifices Romani. Sylvester & Innocentius quorum sententiæ sententia Agathonis, quamvis sanctissimi nullatenus præfertur. Sed absit ut aliquandu contraria eis Agatho sensisset. Et tamen in hoc, sicut & in aliis falleris, quud eum præsessorem illius Synodi fuisse dicis: cum tantùm legati eius eidem Synodo præsederint. Cuius gesta hic summatim placuit inseri.

Tempore Constantini filij Constantini Imperatoris anno imperij eius septimo decimo, Agathu Papa ex rogatu Constantini Heraclij & Tiberij Principum piissimorum, misit in regiam urbem legatos suos: In quibus erat Ioannes Romanæ Ecclesiæ tunc Diaconus, longè post Episcopus, pru adunatione faciendâ, sanctarum Dei Ecclesiarum. Qui benignissimè suscepti, à Reverendissimo fidei Catholicæ defensure Constantinu: [H] jussi sunt remissis disputationibus Philosophicis, pacifico colloquiu de fide verâ perquirere, datis eis de Bibliotheca Cunstantinopolitanâ cunctis antiquorum Patrum, quos petebant libellis. Affuerunt autem & Episcopi C L. præsidente Gregoriu regiæ urbis præsule & Antiochiæ Machario. Et cunvicti sunt qui unam voluntatem & operationē astruebant in Christo, falsasse Patrum Catholicorum dicta perplurima. Finito autem conflictu, eâ horâ tantæ aranearum telæ in medium populi ceciderunt, ut omnes mirarentur. Ac per hoc significatum est, quud sordes hæreticæ pravitatis depulsæ essent. Et Gregorius quidem correctus est, Macharius autem cum suis sequacibus simul & prædecessoribus, Cyro, Sergiu, Honuriu, Pyrrhu, Paulo & Petru anathematizati: & in loco eius Theophanius Abbas de Cicilia Episcopus factus. Tanta gratia legatos catholicæ pacis comitata est, ut Ioannes Purtuensis Episcupus, qui erat unus ex Ipsis, Dominicâ in octavis Paschæ Missas publicas in Ecclesia S. Sophiæ

A coram principe & Episcopo ipsius urbis latinè celebraret. Eo tempore Damnanus Ticinensis Ecclesiæ S. Michaelis, satis utilem rectéque fidei Epistolam composuit, quæ in præfata synodo, non mediocre suffragium tulit. Recta autem & vera fides hæc est, ut in Domino nostro Iesu Christo sicut duæ sunt naturæ, hoc est, Dei & hominis, sic etiam duæ credantur esse voluntates sive operationes. Vis audire quod deitatis est? *Ego*, inquit, *& Pater unum sumus.* Vis audire, quod humanitatis? *Pater maior me est.* Cerne secundum humanitatem eum in navi dormientem. Cerne eius divinitatem cum Evangelista dicit: *Tunc surgens imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Hæc est sexta synodus universalis Constantinopoli celebrata & Græco sermone conscripta, temporibus Papæ Agathonis: exequente ac residente piissimo principe Constantino intra palatium suum, simulque legatis Apostolicæ sedis & Episcopis

Ioan. 10. Ioan. 4. Matt. 8.

B C L. residentibus: Qui omnes quidem hæresim damnaverunt. Tunc piissimus princeps Constantinus interrogavit eos, qualiter Romana Ecclesia de sacrificio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi ordinem teneret. Illi responderunt: *In calice Domini non debet solum offerri vinum, sed aqua mixtum. Nam si solum vinum offertur, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Et si aqua pura offertur, sola plebs incipit esse sine Christo. Quando utrumque admiscetur, id est, vinum & aqua, tunc sacramentum spirituale perficitur. Oblatio vero quæ in sacrificium altaris offertur, nullam commixtionem aut corruptionem fermenti debet habere, sicut B. Virgo Maria absque omni corruptione Christum concepit & peperit. Hinc in Ecclesia mos obtinuit, ut sacrificium altaris non in serico aut in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus Domini fuit in syndone munda sepultum. Sic & oblatio munda debet esse a fermento, iuxta quod in gestis Pontificalibus à B. Sylvestro legimus esse statutum.*

C Tunc placuit piissimo principi Constantino hæc traditio Apostolicæ sedis. Ecce istius & sex cæterarum synodorum omnibus sanctis Patribus & Orthodoxis Imperatoribus, per omnia placuit fides & traditio Apostolicæ sedis. Et tu quis es, cui displicent? Sed volumus dicas. Videturne tibi congruum, ut omni quartâ & sextâ feriâ ieiunes propter traditionem & passionem Christi, & propter sepulturam nullo sabbato, nisi uno? Cum ergo omni Dominica celebres resurrectionem, omnique quartâ & sextâ feriâ ieiunes propter traditionem & crucem; cur non & omni Sabbato propter sepulturam, cum de celebrando Sabbato nullam rationem teneas, nisi quam Iudæi, scilicet quia in eo requievit Deus? Qui utique fatigatus non est verbo creans quidquid voluit: Sed in hoc nostram requiem præfiguravit. Quod si uno Sabbato in toto anno ieiunandum est, propter sepulturam Christi, ergo & unâ quartâ feriâ propter traditionem, & unâ sextâ feriâ propter passionem in toto anno, est ieiunandum. Vnâ quoque Dominica propter resurrectionem celebranda.

D Non autem mirum si Agathoni Papæ & sanctis Patribus sextæ synodi vestra imputatis deliramenta, & quæ aut corrupistis aut finxistis capitula, cum etiam ipsi Domino Iesu & Apostolis eius imponetis figmenta. Vnde nos scientes sextam synodum ad destruendam hæresim Græcorum Monothelitarum, non autem ad tradendum Romanis novas institutiones congregatam: Capitula quæ nobis sub eius autoritate opponitis, omnino refutamus, quia prima & Apostolica sedes, nec aliquando ea accepit, nec observat hactenus, & quia aut sunt nulla, aut ut vobis libuit, depravata sunt. Depravastis, Ioannis Chrysostomi atque Gregorij Theologi aliorumque orthodoxorum Patrum dicta: & exhibuistis in eadem synodo sextâ. Nempe à prima synodo Nicenâ usque ad hanc sextam trecenti & amplius anni dicuntur evoluti. Et quomodo in Nicena & reliquis quatuor synodis universalibus nulla mentio fit de tam necessariis rebus? Nunquid usque ad sextam synodum Græci & Latini rationem Missæ ac ieiuniorum ignoraverunt? & per sexcentos & amplius annos à passione Christi in talibus errarunt? An forsan Græci hæc noverunt, & Romani ignoraverunt? Sed ex Missalibus Romanorum libris, ab omni Ecclesia occidentali, antiquitus receptis, evidenter cognoscitur: Quam rationem ieiunij & Missæ habuerint sub reverendissimis Pontificibus, Sylvestro, scilicet auctore Nicenæ Synodi, Gelasio damnatore vestri Acacij, maximeque Gregorij Dialogi, compatre Imperatoris Mauritij. In cuius libris Missalibus omnis dies quadragesimæ habet specialis Missæ plenarium officium, & exceptâ Dominicâ, nullus dies eius solute susceptum ieiunium, quam traditionem si tentasset Papa Agatho aliquatenus removere Romanis, non audiretur ab eis. Quia licet ipse magnus extiterit, præfatis tamen decessoribus suis sicut tempore, ita scientiâ & auctoritate minor fuit. Quamobrem caput quo asseris eum promulgasse, ut si quis clericus ieiunaret Sabbatum præter unum deponeretur, magis dicendum est Nazarenorum esse quam Apostolorum: Cerinthi & Hebionis, quam sextæ synodi & Papæ Agathonis. Cui sanè capitulo Epistola Pauli aperte contradicit, ubi ait: *Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, & Neomenia & sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum.* Vnde Romani proprio auctori & magistro gentium in fide & veritate obedientes, nulli sabbato festum vel otium deprudunt: sicut nec Neomenia, quia profectu Iudaica sunt, & utique umbra futurorum. E F *Colos. 2.*

Porro unde acceperimus omni die ieiuniorum perfectam Missam facere, suprà curavimus ostendere: nec timemus caput, quod dicitis Apostolorum de his qui non ieiunaverint quadragesimam, quartâ quoque & sextâ feriâ, quâ, exceptâ gravissimâ infirmitate, sollicitè cuncti ieiunamus diebus quadragesimæ, adeo ut interdum decennes pueros nobiscum faciamus ieiunare: nec solummus per sabbata quadragesimalem abstinentiam, quam Dominus noster non soluit in quadraginta ieiunij sui diebus. Nec solveremus etiam in die Dominica: quemadmodum nec ipse, nisi præ gaudio resurrectionis eius hoc interdixisset ab initio omnium catholicorum patrum sententia, etiam cum anathemate. Quos secuti sancti Patres Gangrensis Consilij dixerunt: *Si quis non diiudicans diem Dominicam, ieiunaverit tanquam in eius contemptu, anathema sit.* Vbi certè sicut eis attestantur omnes authentici libri, non contradicunt ieiunio sabbati, sed Dominicæ diei. G

Sed ô perfide Stercorianista, qui putas fideli participatione corporis & sanguinis Domini quadragesimalia atque Ecclesiastica dissolui ieiunia, omnino credens cœlestem escam velut terrenam per aqualiculi fœtidam & sordidam egestionem in secessum dimitti, planè sentis cum Arrio. Qui cum pro aliis blasphemiis in filium Dei, tum etiam pro ista foveam delapsus in atram, visceribus fusis vacuus quoque ventre remansit. Et ubi est Salvator qui dans discipulis panem à se benedictum & fractum dixit: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* In quo quid traderet, alibi dicit: *Panis quem ego dedero, caro mea est, pro mundi vita.* Et, *caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Quomodo verus? Quia qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Et quæ est vita æterna? Nempe Christus Iesus, sicut ipse dicit: *Ego sum via, veritas & vita.* Qui ergo panem Dei manducat, carnem Dei Christi manducat. Qui autem carnem eius manducat, Christum manducat, qui Christum manducat, proculdubio vitam æternam manducat, ergo ô pestifer Leno antiqui serpentis, qui conaris astutiâ tuâ corrumpere sensus Christi sponsæ, quæ est Ecclesia, ut excidatur à charitate tanti & talis sponsi, credis nos vitam incorruptibilem comedentes, corrumpere integritatem ieiuniorum, velut aliquo cibo corruptibili? H *1. Cor. 11. Ioan. 6. Ibidem. Ioan. 14.*

Hortemus

A Horremus quidem dicere, sed compellimur à tua impudenti improbitate. Conatis Christum, unò ipsam vitam per degestionem sicut cœnum olidum demittere in latrinam. Et ubi est, quod dicit: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet,*
Ioan. 6. Ibidem. *& ego in eo?* Sine qua refectione, quia non habetur vita ipsa vita quæ est Christus quasi quodam interminando protestatur, dicens: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nunquid hic dicit: Si manducaveritis carnem meam & biberitis sanguinem meum dissolvetis ieiunium? Et utinam hoc solo sacramento, non ad iudicium nostrum, omni horâ reficeremur. Sed quia corpore corruptibili & nimiâ miseriâ conscientiæ nostræ gravati, etiam bonum nostrum nequimus sufferre, à sanctis Patribus certæ ad
B percipiendum tantum sacramentum, præfixæ sunt horæ. Quod ne vilescat carnalibus, & in percipiendo escam spiritus sobmurmuret aliquis carnis appetitus, cum summa parcitate prægustamus; videre tantummodo cupientes quam suavis est Dominus, cuius panis non vult, sicuti nec manna fastidium. Nec dubitandum in quantulacunque portione eius, fideles manducare sibi totam vitam, id est, Christum, infideles autem mortem, id est, iudicium suum, utpote qui rei fiunt corporis, & sanguinis Domini. Deinde quotidie sive tertia sive nona, sive quacunque hora fiat à nobis Missa, non fit nisi perfecta. Nec reservatur ex oblatione eius pars aliqua, ut per dies quinque agatur inde Missa imperfecta. Quia nec S. Apostoli leguntur quidquam ex illo primo corporis & sanguinis Christi mysterio sub ipsa cœnâ distributo reservasse: nec actus eorum indicant eos aliquando tale quid egisse, aut præcepisse. Quinimo, sicut Lucas narrat: *Erant fideles perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis.* Quæ communicatio qualiter & quibus diebus fieret, post pauca de-
C monstrat, dicens: *Quotidie perseverantes unanimiter in templo & frangentes circa domos panem sumebant, &c.* Ecce verax Evangelista testatur sub Apostolis fideles quotidie orasse & panem fregisse. Et vos qui estis qui dicitis duobus tantum diebus hebdomadis Missam perfectam fieri debere? reliquis vero quinque imperfectam? Nempe hic in panis fractione & communicatione, non nisi perfectam actionem Missæ, debemus accipere, quemadmodum & ipsum Dominum legimus, non imperfectam, sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse, in pane à se benedicto & mox fracto atque distributo. Non enim benedixit tantùm & servavit frangendum in crastinum, nec fregit tantùm & reposuit, sed fractum statim distribuit. Unde B. Alexander martyr & Papa V. ab Apostolo Petro, Passionem Domini inserens Canoni Missæ, non ait: hoc quotiescunque feceritis: sed: *Hæc quotiescunque feceritis*, id est, benedixeritis, fregeritis & di-
1.Cor.11. stribueritis, *in mei memoriam facietis*, quodlibet horum trium, si sine reliquis fiat, scilicet, benedictio
D sine distributione aut fractio sine benedictione & distributione, perfectam Christi memoriam non repræsentant, sicut distributio nulla sine benedictione & fractione. Quod autem quotidie & quotacunque horâ diei, non autem solâ tertiâ perfectam Missam agimus auctoritatem tenemus ex verbis ipsius Domini iuxta
Ibidem. B. Paulum dicentis: *Hoc facite quotiescunque sumitis, in meam commemorationem.* Unde mox idem Apostolus secutus adiecit: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Et quandiu? *Donec veniat*: scilicet, iudicare vivos &
Ibidem. mortuos. Putasne alicubi dixerit: hoc facite horâ tertertiâ in meam commemorationem? Non utique, sed nullam horam aut tempora excipiens dixit: *Quotiescunque.* Nec ipse Paulus ieiunia aliqua aut certam quamlibet evolutionem annorum attendens ait: Quotiescunque per tot annos horâ nonâ manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, sed indifferenter: *Quotiescunque.* Et, *donec veniat.*

E Nec nescimus sanctos Patres diei Dominicæ & præcipuarum solemnitatum Missas horâ tertiâ celebrasse solitos, propter Spiritus sancti effusionem horâ tertiâ in discipulos, & hoc mandasse ad posteros, quatenus illa visus actio Missæ gemino privilegio insigniretur, resurrectione, videlicet Christi & adventu Paracleti, utque propter gaudium festi temperius relaxarentur cunctis frena ieiunij. Veruntamen alia causa est Dominicæ diei, ac solennitatum, alia ieiuniorum: si ergo horâ nonâ aut vespertinâ diebus ieiuniorum, perfecta agitur Missa, nulla proculdubio inde contrahitur noxa, quis & Dominus in cœna ad vesperum primam & perfectam administrationem tanti sacramenti discipulis instituit, & horâ nonâ spiritum tradens sacrificium vespertinum expansis manibus in cruce, &
F præmissa oratione ad Patrem consummavit. Propterea quamvis hora tertia & nona propter supradictas rationes sint aptiores Missarum actioni: quotiescunque tamen horis aliis fiunt occupatione itineris aut gratiâ cuiuslibet necessariæ rei, in memoriam fiunt Christi: nec violatur inde integritas ieiunij. Quod utique B. Thelesphorus Papa à Petro VII. sentiens, etiam nocte Nativitatis Domini Missas celebrari instituit, nec ullam resolutionem ieiunij ante horam tertiam & diurnam Missam inde fieri, sicut vos perverse putatis, timuit. Dicite autem si potestis, cur Sabbatum & cæteræ extra Dominicam feriæ horâ tertiâ Missam debeant habere, cum in eis Spiritus Sanctus non legatur descendisse? Itaque nos sicut suprà ostenditur divinâ auctoritate sobnixi, nec ieiunis resolvimus in celebratione Missæ, quotacunque horâ diei fit: nec in aliquo natalitio Martyrum, sed nec in annuntiatione Mariæ Virginis. Et ideo nullius universalis Synodi percellimur anathemate. Cæteri autem quamvis
G Sanctorum Patrum conventus, etsi potuerunt de utilitate & conversatione Ecclesiarum suarum tractate, nullas tamen traditiones universali Ecclesiæ præfigere. De Papa quoque Agathone omnino scimus, quia nec sextæ Synodi per seipsum præsedit, nec aliquibus capitulis eius subscripsit, nisi quæ promulgata fuerunt adversus Monothelitarum hæresim. Vos videte unde hæc quæ proponitis habeatis, quia Ecclesia Romana talia hactenus ignoravit. Nec credi potest post tot annos Romanum Pontificem Græcis promulgasse aliquas de Missa observationes. Deinde ritum vestræ Missæ deficere non curamus, quia minimam cautelam & maximam negligentiam ei inesse cognoscimus, dum sanctum panem frangentes & sumentes, hinc inde decidentes micas non curatis. Quod etiam solet contingere, dum patinas sanctas foliis palmarum & porcorum setis fricatis inhonestè. Multi quoque vestrum tam irreverenter corpus Christi reponunt, ut pixides inde cumulent, & sic decidat aut superefluat, manu inculcant. Reliquias quoque oblationis velut communes panes, nonnunquam usque ad fastidium su-
H munt. Et si sumere non sufficiunt subterrant, aut in puteum proiiciunt. Si autem, ut dicis, panem iampridem oblatum & sanctificatum exaltatis alterâ die, unam oblationem videmini bis offerre. Et cur non attendistis in Epistola Papæ Clementis, cuius traditiones ut putatis contra nos defenditis, quod ibi promolgasse putatur? *Certe*, inquit, *tanta in altario holocausta offerant, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserunt, in crastinum non reserventur, sed cum timore & tremore Clericorum cautelâ & diligentiâ consumantur.* Ad hæc quod asseris vos ab ipsa sancta communione statim ad communes cibos transire, non sic sensisse idem Clemens invenitur in præfata Epistolâ. ubi de his qui residua sacrificij consumpserint subiecit: *Qui autem*, inquit, *residua corporis Domini quæ in Sacrario relicta sunt consumunt, non statim ad communes accipiendos cibos conveniant, ne putent sancta portioni esse commiscendos cibos, qui per*

A *aqualiculi egestus in secessum funduntur. Si igitur mane Dominica portio in Sacrario edatur usque in sextam ieiunent ministri qui hae consumpserint. Et si tertia aut quartâ, ieiunent usque in vesperum.* In quibus sanè verbis liquet, quod non solùm horâ tertiâ, sed etiam manè horâ quartâ Missas fieri licet, quodque ex sacrificio ieiunium non solvitur, dum illic dicitur, ut qui consumpserint ieiunent usque ad sextam vel vesperum: alioqui quomodo ieiunabunt, si ex sacrificio ieiunium solverunt? Deinde abstinentiam paucissimorum nobis prædicantes, tacetis ingluviem multorum, qui aut parum aut nihil Quadragesimalis ieiunij Deo offerunt, dum à primo manè, usque vesperum crapulari non metuunt, nec erubescunt. Aliqui etiam ad Ecclesiam legumina & vilia obsonia deferentes inibi comedunt, nec Paulum attendunt, dicentem: *Qui esurit domi manducet.* Et: *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?* At nos Quadragesimam unius septimanæ quam dicitis sancti Theodori, nescientes, solam Quadragesimam Domini nostri IESV CHRISTI quadraginta diebus diligenter observare contendimus, quam ut aliquis acceptâ gravi infirmitate in aliquo infringat, sufferre nequimus. Nec licet cuiquam apud nos, sicut apud vos, post unam refectionem quicquam pomorum aut herbarum diebus ieiuniorum percipere. 1.Cor.11.

B

Hinc perpendentes à te tam perversè defendi adulteria potius quam nuptias Sacerdotum: arbitramur ab inferis emersisse principem huius hæresis nefandum Diaconum Nicolaum. De quo Epiphanius vester sic scripsit: *Quarta Nicolaitarum à Nicolao hæresis est adinventa, uno ex septem Diaconibus ab Apostolis ordinato. Iste cum zelo pulcherrimæ coniugis culparetur, docere cœpit indifferenter uti coniugibus, non solùm laicos, sed etiam qui Sacerdotij fungerentur officio. Has damnavit sanctus Evangelista & Apostolus Ioannes, & iussit, ut quicunque cum eis, vel sermonem colloquij miscuissent, ex hoc ipso communione privandos. Docens rationabiliter à mundi origine Deo castitatem plurimum placuisse. Tunc etiam in seipso Christum Dei filium castitatis gloriam dedicasse, cum virginem possidens matrem, virgo mansurus, nullum discipulorum suorum commixtione etiam legitimâ coniugij uti permisit, dicens: Si quis vult post me venire abneget semetipsum sibi & tollat crucem suam & sequatur me. Vnde idem Dominus IESVS in Apocalypsi præcipiens Apostolo Ioanni scribere Angelo inter alia inquit: Hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Hinc etiam Angelo Pergami dicit: Habeo adversum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balaac mittere scandalum coram filiis Israel, edere & fornicari: ita habet & tu tenentes Doctrinam Nicolaitarum.*

C

Suffecerat quidem hæc ô Nicolaita Niceta ad convincendum errorem tuum, sed quia Canonibus sub nomine Apostolorum editis, nos urgere videris: exponere tibi tua capitula decrevimus, quamvis ea inter apocrypha usque nunc magnâ ex parte computaverimus, ut apertè cognoscatur nec apocryphis nec authenticis vos vestras ineptias posse defendere. Ante omnia comprobamus te esse mentitum ipsi veritati, in eo quod dixisti, nostros priùs ordinari, deinde uxores sortiri. Quia apud nos nec ad Subdiaconatûs gradum quisquam admittitur: nisi perpetuam continentiam etiam à propria coniuge profiteatur. Nec post gradum cuiquam uxorem ducere unquam conceditur. Sed tu Ecclesiam Dei volens efficere Synagogam Sathanæ & prostibulum Balaam & Iezabel, cum Nicolao dicis: *Episcopum & Presbyterum & Diaconum dicimus, qui unam habet uxorem, ordinari: quamvis vivant eorum coniuges, quamvis defuncta. Nec licet eos post manus impositionem innuptos esse, nec insuper ad nuptias ire, aut si nupserint alteras amplecti, sed sufficere eis quas habent, cum ad ordinationem venerunt.* O abominabilis Cynice, quomodo non

D

erubuisti tantùm nefas evomere? Ergo non licet aliquem post manûs impositionem sine uxore esse? Si ita est, ipse Ioannes Apostolus & Paulus & Barnabas & omnis continens in gradu Ecclesiastico in culpa est procul dubio. Vnde necesse est, ut futurus Episcopus, Presbyter, Diaconus & Subdiaconus, prius uxorem sortiatur, quæ sibi sufficere debeat, ad carnales amplexus. Nunquid laïcis non sufficit una? nisi fortè discipulis maligni Mahumed, cuius farinæ totus es. Tu quoque quia Presbyter es, sine uxore esse non debes secundùm assertiones tuas. E

Sed iam videamus capitula quibus putas posse defendi adulteria Sacerdotum, non coniugia. *Episcopus*, inquam, *Presbyter aut Diaconus uxorem suam non abiciat obtentu religionis. Si autem abiecerit, sequestretur, perseverans autem deponatur.* Omnino confitemur non licere Episcopum, Presbyterum, Diaconum vel Subdiaconum uxorem propriam causa religionis abiicere à cura suâ, scilicet ut ei victum & vestitum provideat, non ut cum illa ex more carnaliter iaceat. Sic & sanctos Apostolos legimus egisse, B. Paulo dicente: *Nunquid non habemus potestatem, sororem mulierem circumducendi sicut fratres Domini & Cephas?* Vide insipiens, quia non dixit: Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem amplectendi, sed circumducendi, scilicet ut de mercede prædicationis sustentaretur ab eis, nec tamen foret deinceps inter eos carnale coniugium. Præterea cur aliquis laïcus uxoratus dubitabit ad Ecclesiasticos gradus ascendere, cum ei una, sine qua esse non debet, possit ad carnales amplexus sufficere? Et quare tu qui tantopere Clementis capitula proponis Epistolam eius de qua superiùs diximus, non attendis? ibi enim ita dicitur: *Tribus gradibus divinorum commissa secretorum sunt Sacramenta, id est, Presbyteris, Diaconibus & Subdiaconibus.* Et post nonnulla: *Ministri altaris ad Dominica tales eligantur officia, qui ante ordinationem coniuges noverunt, scilicet si semper continere voluerint. Quod si post ordinationem contigerit ministrum propria invadere cubile uxoris, secretarij non intret limina, nec sacrificij portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausta vel oblationes suscipiat, nec ad Dominici corporis portionem accedat. Aquam Sacerdotum porrigat manibus, ostia forinsecus claudat. Minora tantum gerat officia, urceum sane ad altare non suggerat.* F 1.Cor.9.

G

Porrò Synodus Nicæna omnino venerabilis & autentica, sic de suis actis, id est, subintroductis habet: *Omnimodis interdicit sancta Synodus, & neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque ulli omnino Clericorum permittit habere secum mulierem extraneam, nisi forte mater sit sororve aut amita. In his namque personis & horum similibus omnis suspicio declinatur. Qui autem præteragit, periclitabitur de ordine suo.*

Beatus quoque Papa Innocentius latiùs hinc scribens, Exuperio Episcopo Tholosano dicit: *Proposuisti quid de his observari debeat, quos in Diaconij ministerio, aut in officio positos incontinentes esse aut fuisse generati filij prodidere. De his & divinarum legum est disciplina, & beatæ recordationis viri Siricij Episcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis talibus positi, omni honore Ecclesiastico priventur, nec admittantur accedere ad ministerium quod solâ continentiâ oportet impleri.* Idem ad Victricium Episcopum: *Præterea quod dignum & pudicum & honestum est tenere Ecclesia omnimodo debet, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non coeant, quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur: Scriptum est enim sancti estote, quoniam ego sanctus sum, dicit Dominus Deus vester. Nam priscis temporibus de templo Dei anno vicis suæ non discedebant sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem, uxorius usus fuerat relaxatus: quia ex alia tribu & præter semen Aaron ad Sacerdotium nullus fuerat permissus accedere. Quantò magis hi Sacerdotes vel* H Levit.12.

A *Levita pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent
quibus Sacerdotium vel ministerium sine successione est,
nec præterit dies, quâ vel à sacrificiis divinis aut baptis-
1.Cor.7. *matis officio vacent. Nam si Paulus ad Corinthios scri*
*bit dicens: Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi:
& hoc utique laicis præcepit: multo magis Sacerdotes,
quibus & orandi & sacrificandi iuge officium, semper
debebunt ab huiusmodi consortio abstinere: qui si conta-
minatus fuerit carnali concupiscentiâ exaudiri posse se*
Tit.1. *credit? cum dictum sit: Omnia munda mundis: coinqui-
natis autem & infidelibus nihil mundum. Sed fortasse hoc*
1.Tim.3. *licere credit, quia scriptum est: unius uxoris virum, non
propter permanentiam in concupiscentia generandi hoc
dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim
integros corpore non admisit, qui ait: vellem autem omnes*
1.Cor.7. *esse sicut & ego. Et apertius declarat dicens: Qui au-*
Rom 8. *tem in carne sunt Deo placere non possunt. Vos autem iam*
1.Tim.3. *non estis in carne; sed in Spiritu. Et habentem filium non*
B *generantem dixit.*

Et Venerabilis Papa Siricius: *Fœminas non alias esse patimur in domibus Clericorum, nisi eas tantum, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum eisdem Synodus Nicena permisit.*

Sanctus Deinde Leo Papa mirabilis doctor & sanctæ Calcedonensis Synodi auctor, omnem ambiguitatem huius rei ascindens ait: *Lex continentiæ eadem est altaris ministris, quæ Episcopis atque Presbyteris. Qui cum essent Laici, sive Lectores, licitè & uxores ducere & filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos pervenere gradus, cœperunt eis non licere quæ licuerunt. Unde ut de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere uxores: & quasi non habeant sic habere: quo & salva sit charitas conubiorum, & cessent opera nuptiarum.*

Ecce isti cum Petro & per Petrum effecti clavigeri regni cœlorum, ita confringunt omnes claviculas in-
C fernalium portarum: ut nulla iam supersit hæresi Nicolaïtarum.

Sed nequid minus factum dicas, seriatim & apertè prosequemur, quid Romana Ecclesia in gradibus Clericorum agat. Clericos tantum Ostiarios, Lectores, Exorcistas, & Acolythos, si extra votum & habitum Monachi inveniuntur & continentiam profiteri nolunt, vxorem virginem ducere cum benedictione Sacerdotali permittit: non autem viduam & repudiatam; quia propter hoc solum deinceps nec ad subdiaconatum provehi poterunt, nec laïcus non virginem sortitus vxorem, aut bigamus, ad Clericatum. Quod si quis præfatorum ordinum desiderat ad Subdiaconatum ascendere, nequibit hoc sine consensu vxoris suæ, ut de carnali deinceps fiat coniugium spirituale, nemine eos ad hoc cogente. Nec permittitur postea vxor iungi eidem suo marito carnaliter, nec cuiquam nubere in vita, aut post mortem illius, alioqui anathematisanda est, sicut & Diaconus & Sodiaconus & Presby-
D ter aut Episcopus deponendus suam repetens, aut extraneam ducens: iuxta quod in Neocæsariensi Concilio orthodoxi sanxere Patres.

Talibus ergo traditionibus vsque nunc sancta Romana Ecclesia & Apostolica sedes omni mundo refulsit: nec alquando Iudaïcis fabulis & Apocryphis scripturis acquievit, sed per primos Apostolorum in ipso summo angulari lapide Christo Iesu fundata, nullis hæresibus cessit, nec prohibuit à coniugio laicos: sed sacri altaris ministros & Apostolicam perfectionem professos Monachos.

Illa tamen Ecclesia quam Arrius corrupit, Macedonius prostituit, quæ genimina viperarum, id est, Nestorium, Eutichen, Monothelitas & Theupaschitas & reliquas hæreticorum pestes peperit, adhuc à Nicolai hæresiarchæ complexibus abstrahi non potuit, adeo vt ad sacri altaris ministerium ordinandus interroget an habeant vxores. Qui respondentes se non habere: compelluntur primum ducere, & sic impositionis manum accipere, ut novi mariti, & recenti carnis voluptate toti resoluti & marcidi, & inter sancta sacri-
E ficia cogitantes, quomodo placeant vxoribus, immaculatum Christi corpus tractent atque populo distribuant, indéque sanctificatas manus ad tractandum membra muliebria moa referant, & sit sicut populus sic & Sacerdos, & tandem populi sicut Sacerdotes mali.

Quapropter parcite iam vobis, & nolite attendere spiritibus erroris & Dæmoniorum doctrinis, ut nobiscum de vera pace, quæ Christus est, hic & in futuro gaudeatis.

Tu vero miserrime Niceta, donec resipiscas, sis anathema, ab omni Christi Ecclesiâ, cum omnibus qui tibi acquiescunt, in tam perversa doctrinâ. Nam volens esse legis divinæ doctor, non intelligis quæ loqueris, neque de quibus affirmas, & stoltus ipse, sa-
F pientior tibi videris septem viris loquentibus parabolas. Sed saltem aliquando disce tacere, qui nunquam loqui didicisti.

Explicit responsio Fratris Humberti Episcopi contra Nicetæ blasphemias.

INCIPIT BREVIS & succincta commemoratio eorum quæ gesserunt apocrisiarij S. Romanæ & Apostolicæ Sedis in regia urbe, & qualiter anathematizati sunt Michaël cum sequacibus suis. G

ANno undecimo Imperij Constantini Monomachi indictione VII. ipso die nativitatis beati Ioannis Baptistæ, advenientibus à Domino Papâ Leone nono Apocrisiariis S. Romanæ Sedis, Humberto, scilicet Cardinali Episcopo Sylvæ Candidæ, & Petro Amalphitanorum Archiepiscopo; Friderico quoque Diacono & Cancellario, ad monasterium Studij intra urbem Constantinopolitanam. Niceta Monachus, qui & Pectoratus, ante præsentiam præfati Imperatoris & procerum eius, insistentibus ipsis nuntiis Romanis, anathematizavit quoddam scriptum sub suo nomine contra sedem Apostolicam & omnem Latinam Ecclesiam editum, & prætitulatum de azymo, de sabbatho, & de nuptiis Sacerdotum.
H Insuper anathematizavit cunctos, qui ipsam sanctam Ecclesiam Romanam negarent primam omnium Ecclesiarum esse, & qui illius fidem semper Orthodoxam præsumerent in aliquo reprehendere. Post hæc statim in conspectu omnium, ad suggestionem eorundem nuntiorum Romanorum, iussit idem Orthodoxus Imperator præfatum incendi scriptum, sicque fuit discessum.

Sequenti autem die prædictus Niceta urbe est egressus, ultro adiit legatos ipsos intra palatium Pigi. A quibus accipiens perfectam suarum propositionum solutionem, iterum sponte anathematizavit omnia dicta & facta vel tentata adversus primam Apostolicam sedem. Hic sic ab eis in communionem receptus, effectus est eorum familiaris amicus. Porro dicta vel scripta eorundem nuntiorum adversus diversas calumnias Græcorum & maximè contra scripta Michaelis Constantinopolitani Episcopi & Leonis Acridani Metropolitani Episcopi, & sæpe dicti Nicetæ Monachi, iussu Imperatoris in Græcum fuere translata, & in eadem urbe hactenus conservata.

A Tandem Michaele præsentiam eorundem & collo-
quium devitante, atque in stultitia suâ perseverante,
præfati nuntij 17. Kalend. Augusti adierunt Eccle-
siam S. Sophiæ, & super obstinatione illius conque-
sti, clero ex more ad Missas præparato iam horâ ter-
tiâ diei Sabbathi, chartam excommunicationis super
principale altare posuerunt sub oculis præsentia cleri
& populi. Inde mox egressi, etiam pulverem pedum
suorum excussere in testimonium illis, dictum Evan-
gelij proclamantes: VIDEAT DEVS ET IVDI-
CET. Hinc ordinatis Ecclesiis Latinorum intra ip-
sam Constantinopolim, & anathemate dato cunctis
qui deinceps communicarent ex manu Græci Roma-
num sacrificium vituperantis, in osculo pacis acce-
ptâ Orthodoxi Imperatoris licentiâ donisque Impe-
rialibus S. Petro & sibi, alacres cepere reverti 15.
Calend. Augusti, sed nimiâ instantiâ precum Mi-
chaëlis, spondentis tunc demum se conflicturum cum
eis, Imperator compulsus à Solembriâ literis suis eos
revocavit 13. Kalendas Augusti. Quo etiam die fe-
B stinantes regressi devenerunt ad palatium Pigi. Quos
præfatus Michaël hæresiarcha comperiens rediisse,
quasi ad Concilium conabatur adducere in Ecclesiam
S. Sophiæ, sequenti die, ut ostensâ chartâ quam
omnino corruperat transferendo, obruerentur ibi-
dem à populo. Quod prudens Imperat. præcavens,
noluit haberi aliquod Concilium, nisi & ipse adesset
præsens. Cùmque hoc ei omnimodis Michael contra-
diceret, iussit Augustus ipsos nuntios confestim arri-
pere iter. Quod & factum est. Porro vesanus Mi-
chael dolens suas non procedere insidias, concitavit
Imperatori vulgi seditionem maximam, velut nuntiis
cooperata fuerit eius voluntas. Vnde Imperator co-
actus, interpretes Latinorum Paulum ac filium eius
Smaragdum cæsos & detonsos Michaëli tradidit, sic-
que tumultus ille conquievit. Verùm Imperator post
nuntios Romanos directis suis, exemplar excommu-
C nicationis verissimum à civitate Russorum remissum
sibi accepit, civibusque exhibuit, ac tandem Mi-
chaëlem falsasse chartam legatorum comperit atque
convicit. Itaque commotus, amicos & affines ipsius
honoribus privatos à palatio eliminavit, contráque
ipsum usque nunc graves iras retinuit. Denique exem-
plar chartæ excommunicatoriæ est tale.

HVMBERTVS DEI Gratia Cardinalis Episcopus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Petrus Amalfitanorum Archiepiscopus; D Fridericus Diaconus & Cancellarius, omnibus Catholicæ Ecclesiæ filiis.

*SANCTA & Romana prima & Apostolica sedes
ad quam tanquam ad caput sollicitudo omnium
Ecclesiarum specialius pertinet, Ecclesiasticæ pacis &
utilitatis gratiâ ad hanc Regiam urbem, nos Apocrisia-*
Gen. 18. *rios suos facere dignata est, ut iuxta quod scriptum est,
descenderemus & videremus utrum opere compleret sic
clamor, qui sine intermissione ex tanta urbe conscendit
ad eius aures, aut si non est ita, ut sciret. Quamobrem
cognoscant ante omnia gloriosi Imperatores, Clerus, Se-
natus & populus huius Constantinopolitanæ urbis, &
omnis Ecclesia Catholica, nos hic persensisse magnum,
unde vehementer in Domino gaudemus bonum: & maxi-
mum, unde miserabiliter contristamur, malum. Nam
quantum ad columnas imperij & honoratos eius atque ci-
ves sapientes, Christianissima & Orthodoxa est civitas.*

Quantum autem ad Michaelem abusive dictum Patriar- E
*cham, & eius stultitiæ fautores, nimia zizania hære-
seon quotidie seminantur in medio eius. Quia sicut Si-
moniaci donum Dei vendunt, sicut Valesij hospites suos
castrant, & non solum ad Clericatum, sed insuper ad
Episcopatum promovent. Sicut Arriani rebaptizant in
nomine Sanctæ Trinitatis baptizatos, & maxime Lati-
nos. Sicut Donatistæ affirmant, exceptâ Græcorum Ec-
clesiâ, Ecclesiam Christi & verum sacrificium atque
baptismum ex toto mundo periisse. Sicut Nicolaitæ car-
nales nuptias concedunt, & defendunt sacri altaris mi-
nistris. Sicut Severiani maledictam dicunt legem Moy-
sis. Sicut Pneumatomachi vel Theumachi absciderunt à
symbolo spiritûs Sancti processionem à filio. Sicut Ma-
nichæi inter alia, quodlibet fermentatum fatentur ani-
matum esse. Sicut Nazareni carnalem Iudæorum mun-
ditiam adeo servant, ut parvulos morientes ante octavum
à nativitate diem baptizari contradicant, & mulieres
in menstruo vel in partu periclitantes communicari, vel
si paganæ fuerint baptizari prohibeant, & capillos ca-* F
*pitis ac barba nutrientes, eos qui comam tondent, & se-
cundum institutionem Romanæ Ecclesiæ barbas radunt,
in communione non recipiant. Pro quibus erroribus &
aliis pluribus factis suis, ipse Michael litteris Domini
nostri Papæ Leonis admonitus resipiscere contempsit. In-
super nobis nuntiis illius, causas tantorum malorum, ra-
tionabiliter reprimere volentibus, præsentiam suam &
colloquium denegavit, & Ecclesias ad Missas agendum
interdixit, sicut & prius Latinorum Ecclesias clause-
rat, & eos Azymitas vocans, verbis & factis ubi-
que persecutus fuerat: in tantum ut in filiis suis ana-
thematizasset Sedem Apostolicam contra quam se ad-
huc scribit Oecumenicum Patriarcham. Vnde nos qui-
dem sanctæ primæ & Apostolicæ sedis inauditam contu-
meliam & injuriam non ferentes, Catholicámque fidem
subrui multis modis attendentes, auctoritate sanctæ &* G
*individuæ Trinitatis, atque Apostolicæ sedis, cuius le-
gatione fungimur, & cunctorum Orthodoxorum Patrum
ex Conciliis septem, atque totius Ecclesiæ Catholicæ ana-
themati, quod noster Reverendissimus Papa eidem Mi-
chaeli, & suis sequacibus nisi resipiscerent, denuntiavit,
ita subscribimus.*

*Michael abusivus Patriarcha Neophytus, & solo
humano timore habitum Monachorum adeptus, nunc
etiam criminibus pessimis diffamatus, atque cum eo Leo
Acridanus Episcopus dictus, & saccellarius ipsius Mi-
chaelis, Constantinus, qui Latinorum sacrificium pro-
fanis conculcavit pedibus, & omnes sequaces eorum in
præfatis erroribus & præsumptionibus, sint anathema,
maranatha, cum Simoniacis, Valesiis, Arrianis, Do-
natistis, Nicolaitis, Severianis, Pneumatomachis &
Manichæis & Nazarenis, & cum omnibus hæreticis,
imo cum diabolo & Angelis eius, nisi forte resipuerint.
Amen, amen, amen.*

Item alia excommunicatio ibidem facta in præsen-
tia Imperatoris & optimatum eius, vivâ voce: *Qui-* H
*cumque fidei sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis eiusque
sacrificio pertinaciter contradixerit, sit anathema, ma-
ranatha, nec habeatur Christianus Catholicus, sed pro-
zymita hæreticus. Fiat, fiat, fiat.*

FINIS.

HVGONIS

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

HVGONIS LINGONENSIS EPISCOPI

Tractatus de Corpore & Sanguine Christi contra Berengarium.

EX BIBLIOTHECÆ REGIÆ & Corbiensis duplici MS.S.

TESTIMONIA

Ex historia MS. Laurentij de cœnobio Leodiensi Sancti Laurentij, deinde Sancti Vitoni Virdunensis Monachi.



Is diebus sanctus Papa Leo IX. primùm Tullensis Episcopus, Gallias veniens Remis Synodum celebravit. Idem Papa tunc in Synodo Remis Lingonensem Episcopum Hugonem fratrem Valeranni Abbatis (*S. Vitoni Virdunensis*) deposuerat pro criminalibus quibusdam causis. At Hugo Papam usque Romam sequutus, vt eius misericordiam experiretur, plenam Synodum, cui ille præsidebat, nudus & discalceatus intravit, virgas quibus cæderetur manu tremula deferens, & ore lachymabili hanc antiphonam canens: Dedit pater pœnitenti filio stolam primam, pariter & annulum; nam & calceamenta illi tribuens celebràvit magnum convivium; habemus stolam primam in lavacro, & annulum fidei signaculum. Eum ita videntes in singultibus proruperunt, lacrymas fuderunt, questibus Synodum repleverunt. Ipse Papa præ cæteris condoluit, & cunctis supplici reo suffragia ferentibus eum absolvit: atque pius pater pœnitenti filio stolam primam, & annulum amissi Pontificatûs indui, & sandalia pacis recalceari edixit; dum solummodo Ecclesia sua, quam læserat, vel quælibet alia eum dignaretur Episcopum. Ita ille à cunctis absolvi meruit, repatriare cœpit. In langorem itinerando incidit, habitum Monachi sub nomine cœnobij nostri, cui præsidebat frater suus, à comitibus suis Cluniacensibus Monachis quæsivit, accepit, feliciter excessit. *Ita MS. codex Monasterij S. Vitoni Virdunensis.*

Ex Gallia Christianâ Claudij Roberti, in Episcopis Lingonensibus.

HVgo ex Clerico Carnotensi, & alumno Cluniacensi assumitur ad hanc sedem 1031. *Et infra.* Viduni in Monasterio S. Vitoni Monachum professus est, Valeranno fratre suo Abbate, ex hac vita meliorem mutavit, ut est in Cartulario Stephaniensi, & apud Andream Quercetanum in Vita Leonis IX. &c. Scripsit Hugo contra Berengarium, & carmine expressit acta S. Victoris, quæ asservari audio Blesis in Bibliotheca Regiâ.

TRACTATVS

De Corpore & Sanguine Christi contra Berengarium.

HVGO Lingonensis Episcoporum minimus BERENGARIO, in quibusdam reverentissimo sacerdoti, Deum sapere. Rerum existentium, virorum acutissime, naturam, si bene perspiceres, si patrum sententias non tam exili, quàm pravo studio scrutateris, Sacramentum Corporis, & Sanguis Domini nostri IESV CHRISTI non ita crederes celebrarium, ut corpus esse diceres, & incorporeum prædicares. Perinde si perpenderes quod amplitudo divinæ potentiæ sensuum excedat circos, nec possit sensualiter ambiri quod in vos informet sensus, os nimis extensum contraheres, contractum corrigeres, correctum denique contineres. Dicis enim nimis extense loquens; In huiusmodi Sacramento corpus Christi sic esse, ut panis, & vini naturá, & essentia non mutetur: corpúsque quod dixeras crucifixum intellectuale constituis. In quo evidentissimè patet, quod incorporeum confiteris. Qua in te universalem Ecclesiam scandalizas, ipsúmque tuum offendis authorem, qui palpabile obtulit, quod incorporeum affirmas. Námque si panis, & vini natura, & essentia, reali principalitate post consecrationem persistunt, translatum nihil potest intelligi; & si quod adiunctum est solâ fit intellectûs potentiâ, reverà non capitur quomodo, vel unde, vel idem sit quod adhuc non subsistit. Est enim intellectus essentiarum discussor, non opifex, index non institutor. Et quamvis rerum, vel monstret, vel figuret imagines, nullum corpus materiali producit exordio. At si panis, & vini sacramentum ob solam salutis potentiam cum nato, & passo, unum atque idem est: similiter authori nihil refert hoc sacramentum eodem iudicio, eadem intelligentiâ baptismum vel esse, vel dicere, vel quicquid in sacramentis salubriter celebratur, sicut patet in plurimis: velut si procul iustitiæ aliquem dixeris condem cum regibus; hoc ipsum ad patricium referas, hoc ad Cæsarem si velis: Quod si hoc modo Christi corpus applicas ad sacramentum, inde quod hæc communis virtus, hæc publica fortitudo, commune & publicum malum sit. Porro autem si ex sua essentiâ, vel naturâ non habent salutis potentiam, habent eius contrarium, sicque dum in sua naturâ permanserit, erit impotens sacramentum. Per quod evidenter consequitur, corpus Christi sic esse imbecille, si panem, qui in sua natura permanserit, dixerit corpus esse. Quapropter necesse est ut aut panem omnino à sua natura deiicias, aut ipsum Christi corpus dicere non præsumas. Quòd si fortè dixeris, & suam naturam retinere, & tamen non esse impotens sacramentum; contra rationem loqueris; si eius naturam conferes, * inhærentiam tollis. Omnes enim res dum in sua natura consistunt, ab inhærentibus naturæ non recedunt. Quid ergo de aqua in vinum conversa dicis? Dices in sua naturâ mansisse, & tamen vinum esse, aut dices non esse vinum; sicut nec panis corpus nisi saporis potentiam. Quodcunque horum dicas mirabiliter furis, profundissimè fundis, solitarius bantis: Attritum dicit quod * incorruptibilia est; facisque consequentiam, quam quædam destruunt elementa. Putas enim non bene intelligens, attrita quæque consequenter corrumpi. Sed vide quia ignis plagatus non corrumpitur, & aer non doluit à sagitta. Quod si ipsum dixeris augmentari eo quod in dies immolatur, lebitum non dices non minui, cum ex eo quotidie caperetur. Si verò non imminutum protuleris, & sumptum, & integrum confiteris. Ergo si hoc potuit Helias, quare hoc non potuit & Deus? Frumentum mulieris Sareptinæ huiusmodi azymus præsignavit; hoc ipsi præsignaverunt panes, millibus satiatis, * totitas non solum servata est. Verum etiam bissenos redundavit in cophinos. Quos qualiter * gratuitos, vel unde augmentatos, si dixeris per eandem hoc esse potentiam; respondemus utrâque de ipsis confessio fides est sacramenti certissima. Natura etenim stabilis per longævos obtentus libertatem constantiæ, pactúmque virtutis, quo dominatur in rebus plerúmque * per quem obtinet, solvit. Alioquin nisi ita concederes

al. * Inhærētia.

al. * Incorruptibile.

al. * Panem.

al. * deitas.

al. * gustatos.

al. * per obtinet oium.

* videatur

A * videatur invicto obstare Deo. Quod sibi auferre non
al. * videretur. potest qui * ibi concesserit quæ de Christi corporis
sacramento præsumptuosè suades. Qua in re alios qui-
al. * tuos. dem vincis, sed ipsorum furorem armas, qui divinæ
al. * facilitatem. potentiæ detrahentes naturam rerum * factione dicunt.
Proinde ô in cunctis aliis reverentissime vir, assume
tibi fidem, quia *iustus ex fide vivit*, & fide mundan-
Rom. 1. 7. tur corda, sicut scriptum est: mundans fide corda eo-
rum. Et quæ in mysteriis ideo tenenda maximè est,
quia sicut alibi scribitur, ipsa mentis dubietas licet bo-
næ vitæ sit, qui accipit, excludit, ne ad eius sacra-
menti intelligentiam pertingat. Quod tecum sæpiùs
revolvendo, ne ultra quæso argumenteris de omnipo-
tentia divina. Sicut enim non capis quomodo Ver-
bum caro factum sit, sic non potes capere quomodo
panis iste mutetur in carnem, & vinum in sanguinem
transformetur: nisi te docuerit omnipotentiæ fides.
Alioquin luctaris cum Deo: sed non in brachiis Pa-
B triarchæ? sed neque cum aurora; imò etiam tota tua
hæc luctatio nocturna est, magisque videtur esse insi-
diose luctantis, quam amicabiliter amplexantis. Quæ
nimirum luctatio non solum non meretur, sed perdit;
al * volueris. & non à merito erroris immunis est, quasi durare *
nolueris currendo incurret mortem. Propter quod
Philosophiæ tuæ suadeo tenere quod scriptum est. Tol-
le, inquit, luctatori coronam, lentus iacebit in stadio.
Desiste ergo fore erroris miles, desiste impugnare cœ-
leste mysterium, perpende quod Dei voluntas, & ver-
bum omni naturæ supereminet: & qui in facturis po-
tens est potentem transformare credas, sicut scriptum
Ps. 101. est: *Mutabis ea, & mutabuntur.* Dei enim velle pro
facto est. Exue igitur erroris involucrum, & casto fi-
dei velamine in mentem para. Memorare quod in Am-
brosio legitur de sacramentis, *quia corpus quod conficí-
Lib. de initian. du. c. 9. tom. 4. mus ex virgine est*; Cum dicit quia ex virgine est, par-
tum dicit: & non alicui simile sicut tu per potentiam
iudicas: Hoc certè intellexi cum ad te de mysteriis ser-
al. * curiosius. monem adorsus, fidem tuam * curiosus investigarem,
quam longe sis à testibus tuis Ambrosio scilicet & Au-
gustino, à te quidem appellatis, sed ipsis non ita testan-
C tibus, probare paratus sum, cum eos per eosdem tuis
assertionibus videam restagari; eisque maximè quibus
te per eos authorizas. Ipsi enim verè liberi ab errore
non quasi velamen habentes malitiæ in suis significan-
tibus sonis, hoc cæleste convivium nulli comparant,
nulli simile dicunt; sed sicut alter eorum dicit Deum
suis vocibus, & non alienis assertionibus æstimandum,
per cuius distribuendum verbum, ex edibili sacramen-
to carnis, & sanguinis efficientiam de spirituali secre-
to procedere, nec ipsam carnem aliam, nec ipsum
alium sanguinem, quam unde incarnatus apparuit,
planè, & simpliciter crediderim: sicut semel accipiens
formam servi, sicut pro nobis quotidie hanc in se susci-
piens creaturam, faciens suum corpus occultâ quadam
recreando potentiâ. Sicut dicit beatus Augustinus in
al. * sermo. libro * quarto de Trinitate, ubi Paulum Apostolum
Christum significando prædicasse commemorat. *Cor-
Lib. 3. de Trinit. cap. 4. 13. pus*, inquit, *Christi, & sanguinem dicimus, sed illud
tantum quod fructibus terræ acceptum, & prece mysticâ
consecratum, ritè sumimus ad salutem spiritualem, in me-
D moriam pro nobis Dominicæ passionis, operante invisibili-
ter spiritu Dei.* Sicut scriptum est in libro Sapientiæ.
Ibidem. cap. 2. *Creatura*, inquit, *factori deserviens extenditur in tor-
mentum adversus iniustos, & lenior fit ad benefaciendum
his qui in te confidunt. Propter quod & tunc in omnia
se transfigurans omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat
ad voluntatem horum qui te desiderabant.* Quod exem-
plum licet ab alienis assumptionibus vel conversioni-
bus aptum sit: sicut cum formæ visibiles ab incorpo-
reis assumuntur; vel cum rerum conversiones fiunt, si-
al. * tamen maximè. cut aquæ veræ in vinum verum. Huic * maximè con-
venit sacramento, in quo panis, & vini creatura Deo
sic deservire probatur, ut perseverantiam quam exhi-
buerat naturæ, invisibili celeritate permutet, & se in
omnia transfigurans, hoc est in eum, in quo omnia

E sunt, aut qui omnium est homo Christus. Corpus eius
al * auct. ipso * recreatore fiat, quod extendatur in tormentum
iudicij adversus iniustos, hoc est in eos qui indignè
suscipiunt, & lene ad ipsos sit, qui in virtute, & ve-
ritate mysterij sibi vitam invenire confidunt.

Per hoc autem quod dicit ad voluntatem horum qui
te desiderabant: doceri oportet eos qui vitæ sacramen-
ta desidiose, & ignoranter accipiunt: Ac per hoc non
ei corporantur, in quem ipsa transeunt sacramenta.
Sedens quidem, sicut in Salomone legimus *ad mensam
potentis, scito quoniam talia oportet te præparare.* Quod
exponens sanctus Augustinus dicit. *Quæ est mensa* Tract. 84. in Evang. Ioan. 15.
*magna, nisi unde accipimus corpus Christi & sanguinem:
Quid est scito quoniam talia te oportet præparare, nisi
quod beatus Ioannes exponit; sicut Christus pro nobis ani-
mam posuit, sic & nos debemus pro fratribus animas* F
ponere. Ad hoc salutare convivium cum desiderio cur-
rendum est, quia Christus hoc ipsum cum desiderio
celebravit, sicut ipse in Evangelio ad discipulos suos Luc. 22. 15.
dixit: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobi-
scum antequam patiar.* Ad hanc mensam Iudæos Au-
gustinus invitans in libro contra genera hostium, sic
dicit: *Sævistis, ô Iudæi, occidistis, sanguinem Christi* Lib. 18. contra quinque hæreses...
*fudistis. Quid facere nunc habetis, nisi ut credentes ba-
ptizemini? Et bibatis sanguinem quem effudistis? Non
est quod horreatis, fusus est sanguis medici, & factum est
medicamentum frenetici.* Sicut Augustinus de Paulo
freneticum patienter toleravit, sustinuit me ferientem
se, donavit mibi feriri per se. Quid tibi quæso vile est
in ipsa quæ in Christi corpus transit creatura? Nam &
corpus quod Christus sumpsit ex virgine per naturam
quidem corruptibili, etsi non corruptâ per coïtum; ex
eodem extitit elemento, ex quo fructus sacramentorum
processit. Licet enim Virgo peperisset, non sicut ge-
nuit nata est, nec à virginibus descendit parentibus,
sed eâ conditione nascendi quæ cunctis mortalibus per-
severat. Aliter paritura defluxit, & Verbum incarna-
tum non ex alia, quam ex terrena substantia genera-
vit: sicut Augustinus dicit in libro de verbis Domini.
Adveniens, inquit, *divinitas in uterum Virginis Ma-
riæ, authoritate illâ quâ Adam in paradiso de limo terræ* G
*formavit, carnem sibi ex substantia ipsius Mariæ fabrica-
vit.* Ea hac ipsa materia ipsos quoque sacramentorum
fructus novimus procreari, quos catholicè oblatos, se-
cretâ deitatis potentiâ, per sanctum & invisibilem
spiritum carnem Christi, & sanguinem fieri confite-
mur. Vnde iteratò apud Augustinum habetur. *Quis,
inquit, ea facit, nisi qui dixit ut hæc terra produceret,
& in eodem verbo suo. quæ creavit, & regit, atque agit.*
Dei namque incommutabile verbum humiliter concar-
natum mortalibus, sicut nos inhabiles, & minùs ido-
neos per sacramentorum fidem in novam transtulit al. * quod non ab.
creaturam, quod nemo videre potest, * nisi qui non al. * sibi corporavit.
distinctiones membrorum in nobis considerat: sic ipsam
mysteriorum materiam summa sibi * corporavit virtute:
quod ideo invisibiliter est credendum quia invisibiliter
est factum. Sicut enim Verbum Dei in carne invisibi-
le fuit, quod tamen factum erat, sic ista ipsa caro quis
iam in verbo consistit, quodammodo invisibilis facta, H
quodam iterum necessario pióque consilio ad gustûs
suffragium panis, & vini quibusdam qualitatibus oc-
cultatur. Sed spiritualibus oculis ipsa carnis veritas
non negatur: Alioquin fides tanti mysterij deperisset,
si cruor in calice fieret manifestus, & si macello * Chri- al. * Christi.
sto roberet sua caro, rarus in terris ille qui hoc non ab-
horreret. Sed cum vita æterna non nisi edenti promit-
tatur, perpetuarent morti, qui Christum non cænas-
sent. Sicut enim medicus fastidienti ægro austeram po-
tionem per alienas dulcedines temperando saporat, tan-
tóque intentiùs, quantò eam amplius novit profutu-
ram: sic noster procurator, & providus conviva pran-
dium suæ carnis coaptavit hortensibus, ut priori crea-
turæ vultibus reservatis, ex formæ visione animosiùs
caperetur. Similiter cum tantùm Deus esset in sua im-
mortali essentiâ providens humanum genus non posse

reparari,

[A] reparari, si non moreretur per carnem, qui mori per divinitatem non poterat, occultavit se nostræ carnis amictu, & per assumpta membra passus est sine visione sermonis: quem nemo licet viderit, ut reor, non dicet defuisse.

Qua in re sicut haberet immortalem, & invisibilem per corpus disposuisse mori, sic ipsum eius corpus ingustabile per naturam, per formam, per speciem manducabile contulit, ne abhorrendo cruentum ipsa ieiunitas condemnaret, quos liberatos morte refectio sacrosancta satiaret. Quid enim tam optabile devenit in habitum, quam ipso pasci, ipso refici pane, qui tantâ virtute nos saginat, vt Christo corporati medullitus adipemur [al.* cō corporati]: & homo interior spiritualiter pinguescat? Ad istum capiendum comedendum, nutrimur. Per istum lactamur fide, pascimur * specie [forte * spe]. Per ipsum iam filij Dei sumus, sicut scriptum est: filij Dei sumus [B] per gratiam, per fidem, per sacramentum, per sanguinem Christi, per redemptionem salvatoris. Cibus immortalis, & sanctus, per quem nos * vegetemur [al.* Vegetamur] & ille non minuitur. Panis iste sicut lux plurium oculos pascens, & tamen tanta est, quanta erat. Sacramentum fidelium, quod soli agnoscunt fideles, tunc vnicuique vita est; si quod in Sacramentum visibiliter sumitur in ipsa veritate spiritualiter bibatur, aliter non satiaretur mens: aliter non recrearetur anima, sicut Augustinus dicit: *Omnino non satiaret me Deus, nisi promitteret se ipsum Deum.* Ergo vbi est ista promissio? *Panis*, inquit, *quem ego dabo caro mea est pro mundi vita* [Ioan. 6. a. 51]. Sed dices panis hic, sed non Deus promittitur. Audi iterum. *Ego sum*, inquit, *panis vivus, qui de cælo descendi* [Ibid. 51]. Vivus est, & vivos facit. Nam iteratò sic habes. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum* [Ibid. 52]. Audisti quia vita est. Sed quæ vita? Vita distinguibilis, [C] discretibilis, distans. Quare? quia perpes, quia æterna, quia salubris, quia corruptionis nescia, quia felicitatis plena. Per quod æternè, per quod salubriter, per quod sine corruptione, per quod feliciter vivitur. Nonne hoc opeabiliter amandum, amando, colendo credendum est? In his etiam à nostra differt. Activa enim nec perpes, nec colenda: exterminabilis est enim, sicut Augustinus dicit: Vita, inquit, ista vapor est ad modicum apparens, deinceps exterminabitur: & alibi. Vita hominis, etsi longa, quasi gutta una ad universum mare. Item ipse, Ipsi dies non stant, tu quare cum illis vis stare? quid tibi ulteriùs si contrà, si alter, si secus, si ex adverso credideris. Numquid enim vera non sunt, quæ à veritate procedunt; aut ipsa nos fefellit? Absit. Immo tu perturbas veritatem; & quasi mentitam redarguis; nec vereris scripturam dicentem: quod ea quæ veritas repromisit, sine aspectu credenda sint: ipsa enim dicit: *Hoc est corpus meum* [Mat. 26. a. 26]. Concedis dixisse, sed repugnare non cessas. Dicis enim corpus, & non corpus, suum, & non suum. [D] Quomodo enim dicas, vel non dicas, superiùs dixisse me puto. Idcirco dictum puta: *Sacramentum fidelium agnoscunt fideles, audientes autem quid aliud quam quod audiunt? Erit homini illi mors, non vita, qui mendacem putaverit vitam?* [August. Serm. 2. de verb. apost. c. 5. & 10] verba namque vitæ sunt; quia vita hæc dixit: & vita ipsa sunt, & veritas hæc dixit: & vera ipsa sunt, & quibus loquitur, quia ipse est Verbum Patris. Cur enim scandalizat te species quæ remansit ut reor si te cruentasset occisus, scandalum maius esset, sicut dicit Ioannes Chrysostomus: *Erubesces*, inquit, *oblationis arcana, occisus propositus est Christus* [Homil. de proditione Iudæ. sub finem]. Ita quidem nunc mysterium tecum est, nunc operta mysterio. Si enim per fidem non ambulas in quo erit mysterium? per fidem enim ambulamus, & non per speciem. Aliter enim non venitur ad aram, quæ & sacerdos, & sacrificium est. In Christo enim hæc omnia. Ipse enim est sublime altare Patris, sicut scriptum est [Heb. 13. b. 10]: Putas ne aliud esse altare ubi Christus pontifex astitit, quam corpus suum per quod, & in quod Deo Patri vota fidelium, & fides offeruntur? Vnde & Psalmista. *Introibo ad altare Dei mei* [Psal. 42. a. 4]. Sed & de quo diceret, adiunxit: *ad Deum qui lætificat iuventutem meam*, hoc & [E] apud Ambrosium: *forma*, inquit, *corporis altare est, & corpus Christi est in altari* [Lib. 4. de Sacramentis c. 2]. Ipse enim est sacerdos sicut scriptura dicit; Terribile est, inquit, immundum accedere ad ea. Vbi sacerdos est, *qui potestatem habet corpus, & animam perdere in gehennam* [Mat. 10. c. 28]: & illud Psalmistæ. *Tu es sacerdos in æternum* [Ps. 109. b. 4]: & Paulus, *hic autem eo quod maneat in æternum sempiternum habet sacerdotium*. Vnde & idem: *Talem*, inquit, *habemus sacerdotem, qui consedit ad dexteram magnitudinis in excelsis* [Heb. 7. a. 1.]. Vt enim ostenderet se esse sacrificium: *ideo ingrediens mundum dicit: hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam* [Ibid. 10. a. 5.]. In ipsa voluntate sicut Apostolus dicit: *Sanctificati sumus per oblationem corporis Christi IESV* [Ibi. c. 10.]. Sed ut nihil deficeret omnino venienti ad Christum; ipse est tabernaculum, huic soli servatum mysterio, [F] ut omnia essent sub gratia per plenitudinem pietatis. Nec esse de cætero qui laniaret aliud * pro se [al.* pro] quam ipsum in quo finis sacrificiorum est: per quem non solum nos reservamur ad vitam, verum etiam omnia illa quæ in sacrificium dabantur. Nullis enim iam synagoga, nullis fumant idola carnibus, plebs * ipsarum [al.* ista] victimarum, cum plebe salva est; In quo enim cessavit unctio, cessavit & victima. Caliga igitur, & quodammodo cæcus sis, ut videas quem non videbas, & sicut per bonum pudorem visus tibi exterior premitur, ut quæ videt, non videat: sic per Dei timorem acumen tuæ sublimitatis occultes ab occurrente errore: ne forensis aspectus per exteriora mysterij fallat mentem, & castos intellectus pravæ intentionis * adulatio corrumpat [al.* adulterio]: nec præsumas singulariter sentire, [G] quod universitas non assentit, quia, sicut in Ambrosio legimus, non solum * singulorum [al.* angelorū], verum, & universitatis ista mysteria sunt, & ob hoc commone debent habere iudicium secundum Catholicos & Canonicos sensus, quos extra ipse sentis, ideoque forensem duxi, eo quod extra communes oculos, de huiusmodi videas, sicut mecum in tuo discobio consuluisti. Expertus loquor, audisse contigit, nam non crederem. Abiectâ unitate, de parte extolleris.



DOMNI

DVRANDI

ABBATIS TROARNENSIS,

Liber de Corpore & Sanguine Christi, contra Berengarium & eius Sectatores.

EX CODICE MSS. BIBLIOTHECÆ Dom. Bigot Rothomagensis Curiæ Monetarum Senatoris.

TESTIMONIA ORDERICI Vitalis lib. 7. histor. ad ann. 1087. pagin. 658. D.

[H] IN *electione personarum vita meritum* (verba sunt Guillelmi Conquestoris in extremis positi) *& sapientia doctrinam investigavi; & quantum in me fuit, omnium dignissimo Ecclesiæ regimen commendavi. Hoc ni-*

mirum probari potest veraciter in Lanfranco Cantuariensium Archipræsule, hoc in Anselmo Beccensium Abbate, hoc in Gereberto Fontanellensi, & Durando Troarnensi, & in aliis multis regni mei Doctoribus, quorum celebris laus personat in ultimis, ut credo, terræ finibus. Tales socios ad colloquium elegi, in horum contubernio veritatem & sapientiam inveni: ideóque semper gaudens optabam eorum consiliis perfrui.

Et lib.8. pag.676. c. *Durandus Troarnensis Abbas grandævus, ab infantia Monachus, religione & sapientiâ præcipuus, Ecclesiastici cantûs, & divini dogmatis Doctor peritissimus, sibi durus carnifex, aliisque mitis opifex, post multos in Dei cultu labores, in lectum decubuit, & bene ut prudens & fidelis servus, ire ad curiam domini sui paratus, III. Idus Februarij de sæculo migravit.* Deinde post pauca *Venerabiles discipuli glebam religiosi Doctoris in Capitulo suo reverenter sepelierunt, & in candido lapide qui suppositus est, Epitaphium hoc addiderunt.*

Hac tegitur tumbâ bonus & venerabilis Abba,
Durandus nostri norma Monasterij.
Ad domini laudem præsentem condidit ædem,
Qua sibi propitium credimus esse Deum.
Luce sub undenâ Februi resolutus habenâ,
Carnis, ad Angelicam dirigitur patriam.

PROEMIUM EIUSDEM Durandi.

DOctorum cunctos labor est inquirere libros,
Ut divinarum quæ sit substantia rerum
Rite capi valeat, sub forma panis operta,
Ac vini, quæ post sacra verba, crucis quoque signum.
Nil aliud sunt quam caro vera, cruor quoque verus,
De vero Christi regnantis corpore in astris.
Ut Regem Regum decet, ac Dominum dominorum.
Sint iccirco satis hæc nostra minùs studiosis,
De multis Patrum libris excerpta priorum:
In quibus & fidei vigor emicat, & brevitatis
Concinna utilitas non parua datur recitanda.
Tantum simplicibus: sapientes porrò sequantur.
Ac studio freti potiora legendo capaci.
Verùm ne nobis succendendum temerè quis
Iccircò reatur, quod præsumpsisse videmur
Talia; discat nos multa improbitate coactos;
Iam per Francorum fines, & castra vagantum
Schismaticorum hæresis, per quos cæpit nova nostris
Temporibus, veneranda negans mysteria Christi,
Ecclesia quibus alma fides viget alta decenter.
Propterea ut vilem sapientum nemo laborem
Rideas, hunc nostrum multis fateor placiturum:
Optima namque Patrum decerpsi dicta priorum
Sincera fides, de carne & sanguine Christi,
Atque hoc in parvo congessi multa libello.

EXPLICIT PROEMIUM.

INCIPIT LIBER DOMINI Durandi Abbatis de Corpore, & Sanguine Domini.

PARS PRIMA.

QUONIAM quidem veternus hostis inimicus humani generis, & homicida crudelis, iuxta vocem Apostoli, ac si. *Leo rugiens circuivit quærens quem devoret*, opportet ei nos resistere fortes in fide, sine qua prorsus est impossibile Deo placere; Ea enim est quæ virtutem eius elidit, procacitatem obtundit, atque de eo victoriose triumphat, braviumque vitæ perennis reportat. Ipse namque virosus anguis antiquus mortalium pestis, qui per vasa suæ deceptionis aptata in interitum multiforme pravitatis hæreticæ venenum, à primordio fidei per orbem diffudit universum; nunc etiam per occultos nequitiæ suæ satellites, & ministros, Catholicam fidem subtiliter conatur eludere, Christique Ecclesiam in sua veritate antiquitus fundatam, exquisitis tentat argumentis labefactare: nam quibusdam vana sapientibus, ac perversè non tam alios, quam semetipsos decipientibus, persuasit sentire, atque callidis susurrationibus sensim, & occultè aliis sentiendum intimare, nihil in Sacramentis Dominicis ad veritatem fieri, sed omnia potius per figuram & similitudinem geri. Qui ne se hæreseos suspicione callidè exuant, ac Dominicæ sententiæ congruere ostendant, hac se calliditatis arte palliant, atque prophanæ novitatis dogma, ita tenùs temperantes colorant, ut dicant ea quæ ad altare deferuntur panis & vini munera, post consecrationem etiam quod fuerant permanere, & sic quodammodo corpus Christi, & sanguinem verum, non naturaliter, sed figuraliter esse. Ipsas quoque substantias divinæ Oblationis adeo corruptibiles, & corrumpentes delirant esse, quatinus & in digestione communium ciborum perire, & amplius æquo sumentes in crapulam, & ebrietatis furorem queant vertere.

Sed & alia graviora satis multóque his turpiora sentiunt, & conscijs minúsque suspectis insusurrare non desistunt; quæ ne dicam proferre, verum etiam nefas est vel tenuiter cogitare. Sed quærendum arbitror, talésque Doctores consulendum reor, quid utilitatis afferat huiuscemodi eorum professio. In qua nihil sanctum, nullum prorsus reperitur sanctitatis imitandæ vestigium; Sed omnia insana sunt & turpia, perversæque morum & actuum dissolutioni militantia. Quod si aliquatenus admittitur tanta perversitas, ut in dominicis Mysteriis nulla credatur veritas, sed umbratilis duntaxat astruatur falsitas; quodque consequitur eorumdem Sacramentorum turpis corruptela, quid rogo restat, nisi ut tota perierit professionis Christianæ disciplina? Sicut enim in his solidus catholicæ fidei vigor, & salutis humanæ summa consistit; ita his ademptis nihil sanctitatis, nihil meriti reliquum fuerit. Nam si hic aliqua deprehenditur falsitas, ubinam quæso erit veritas? Nullus igitur timor, nulla in sanctis erit ultra reverentia: nemo cordis munditiam, nemo corporis colet sanctimoniam: Omnia erunt dissoluta, omnia plane incomposita; cessante summæ honestatis disciplina. Nec immeritò. Quis enim deinceps modestiæ sobrietatique operam adhibuerit? quis ibi cultum divini timoris dependerit, ubi nulla est maiestas veritatis? Cæterum si in cibo dominico figura, & non substantiva veritas est, Christus qui dixit: *Accipite, & comedite hoc est corpus*, Verax non est. (Mat. 26. c. 26.) Si verax non est, nec Deus est, si Deus non est inanis est sanctorum per orbem terræ prædicatio, inanis etiam Ecclesiæ Catholicæ fides ac professio: in qua pretiosus Martyrum nequidquam fusus est cruor, frustráque fortium labor

A athletarum in theatro mundi ipso spectante triumphum de hoste reportavit, ac per hoc nihil est quod agimus, nihil omnino quod speramus. Hiccine est fructus uber, hæccine opima merces, cui schismaticorum impudens inservit insolentia? ô perditum fundamentum! quod tanta sequitur non structura, sed ruina. Sed absit, ut Christus Deus non sit qui utique verax est, quia revera Deus est; si verax est ergo quod ipso porrigente accipitur, quod præbente comeditur, quamquam diverso pro meritorum differentiâ modo, Dominicum tamen verè corpus est. Quod internam duntaxat purificatâ aciem ipsa imbecillitate exteriorum luminum feriatâ in fidei speculo altè rimati liquet. Sed tamen evidenti præconio veritatis, moderni dogmatistæ responsalésque Sathanæ refragantur, & tam impia turpiáque libertate temerariâ subinurmurando opinantur, quæ & ipsius aëris inficiant auras, sibique faventium mentes hominum corrumpant, & corda. B Veruntamen ut tantæ perfidiæ notam caveant, confutationémque liberiùs subterfugiant, omnibus Divinis tractatoribus voluminum auctoritatem, derogant beato Papæ Gregorio, Leoni, Maximo & cæteris quicunque præter paucos aliquid in authenticis Ecclesiæ litteris disserendo laborarunt.

PARS SECVNDA.

SEd valde incompetens videtur & absurdum, ut abjecti, spurcique homines, qui neque honestate vitæ, neque scientiæ utilitate, aliquod Ecclesiæ Catholicæ contulerunt emolumentum, eatenus convalescant, ut tot Patribus, atque Doctoribus, quorum vita hactenus, & institutione florere dignoscitur fides orthodoxa, prædicatione quoque, & instantiâ succrevisse, atque in meliùs, Deo suffragante, diatim profecisse, fructum sui laboris auferant. Nos quoque sibi C impudenter inclinent, atque suo errori perversè applicent; inconsultum nihilominus esse liquet, ut eos deseramus, quorum doctrinis instruimur, sanctæ vitæ exemplis informamur, quotidianisque miraculis illustramur: eis verò inhæreamus, quorum vita despicabilis, si qua esset etiam rectè docendi professio, meritò foret vilis, & obnoxia contemptui. Sed enim hoc tale esset, ac si vitæ renuntiantes, mortem amplecteremur; lucem abdicantes, tenebris implicaremur; abjurantes veritatem, fallaciæ manus præberemus. Absit autem ut tam perversis & à veritate ipsa tantùm aversis, pari jungamur perfidiâ, atque in sancta dominici Corporis, ac Sanguinis communione, minus aliquid fateamur, quam Catholica per universum urbem prædicat Ecclesia. In qua reverà tam vera Christi caro, verúsque sanguis existit, quam verax esse ipse Christus probatur, qui ea prior sanctificavit, suisque deinde D auctoritatem, formámque sanctificandi suâ potestate concessit, quæ fideliter percepta iustos clarificat, peccatores iustificat, impios condemnat, nec diversa in se; pro meritorum tamen qualitate in omni professione, sive personâ diversa cognoscitur operando peragere: Neque de cætero subire credenda est cuiuslibet iniuriæ incommoditatem, sed potius in spiritualem refundi virtute divinâ operationem. (Ioan. 6. f. 52.) Vnde scriptum est: *Panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita.* Panis ergo caro est, quia ipsa veritas dicit: *Panis quem ego dedero caro mea est*, caro vero vita, & vita mundi, non corruptela. Vt enim Deus & homo IESVS-CHRISTVS, impleta redemptionis humanæ dispensatione, à morte ad vitam, ad incorruptionem excessit à corruptione: Ita etiam hoc divinum ac cæleste Sacramentum non immeritò creditur à specie visibili in id repentè transformari, quod solus ipse novit: (Coloss. 2. a. 3.) *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, ac scientiæ reconditi*, expenso videlicet humanorum cœlestibus iungendorum officio satis efficaci. (Ioan. 6. f. 57.) Vnde Dominus: *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Vbi ut cunctis sanum sapientibus patenter liquet, E nunc digestionis obscenitas, sed divinæ per sacramentum mansionis repromittitur negotium fidelibus; ac proinde divinum mysterium fideliter, atque competenter acceptum, & in id, quod jam ex parte erat, ab eo quod adhuc visui subiacebat exteriori, divinitus ex toto transformatum; sumentium quoque animas, mentésque sanctificat, ac provehit, divinæque mansioni coaptat, & componit; ac deinde à morte ad vitam transformat iure potenti: Sicut auctor eiusdem muneris attestatur, (Ib. 58.) ubi ait: *Qui manducat me, vivet propter me.* Porro videamus quid beatus Augustinus Doctor de hac transformatione senserit, quidve in libro tertio de sancta Trinitate tractatum reliquerit: (Lib. 3. de Trinit. c. 4. t. 3.) Si ergo, ait, Paulus Apostolus adoptionem expectans redemptionem corporis sui potuit significando prædicare Dominum IESVM-CHRISTVM aliter per linguam suam, aliter per epistolam, aliter per Sacramentum corporis, & sanguinis eius, nec membranas, nec attramentũ, nec significantes sonos linguâ editos, nec signa litterarum conscripta pelliculis, corpus Christi, & sanguinem F dicimus, sed illud tantùm quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mysticâ consecratum, ritè sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis dominicæ passionis, quod cum per manus hominum ad illam invisibilem speciem perducatur, non sanctificatur ut sit tam magnum Sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei. Cum hæc igitur omnia quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur, movens primitùs invisibilia, sive ministrorum animas hominum, sive occultorum spirituum sibi subditas servitutes, quid mirum si etiam in creatura cœli, & terræ, maris, & aëris facit Deus quæ vult, sensibilia, atque insensibilia ad seipsum in eis, sicut oportere ipse novit, significandum, & demonstrandum, non ipsâ suâ, quæ est, apparente substantiâ. In qua sententia illud diligenter, & præcipuè perpendendum proponimus, quod ex terræ G fructibus accipi, ac prece mysticâ corpus Christi, ac sanguinem consecrari dicitur per quandam manum divinam, à forma visibili invisibiliter operante Spiritu sancto, hoc tam magnum fiat Sacramentum ad invisibilem speciem indubitanter perduci pronuntiatur, reverà enim ex visibilibus, & terrenis substantiis, id est, pane, & vino aquâ misto, incomprehensibili sancti Spiritûs opificio, verbis quoque mysticis sanctum Domini corpus, ac verus sanguis efficitur, mutatâ non specie, sed naturâ: Verè nihilominus inter manus Ministrorum ad invisibilem speciem cælesti commercio perducitur eiusdem Sacramenti etiam visibilis forma, videlicet ut tantum fiat Sacramentum, id est, ex toto sanctitas, ac vita animarum. Nec ut pravi quique audent delirando confingere, in digestionis corruptionem resolvitur, sed magis in mentibus utentium vitam, salutémque efficaciter operatur. Propter quod H & Redemptor noster, sui auctor & sanctificator Mysterij, in sancto Evangelio, ait: (Ioan 6. f. 52.) *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Vbi cum panem audis minimè turberis, nec exteriori formâ traducaris. Verùm quæ sequuntur diligentiùs attende, ubi sua idem Dominus verba patenter dignatus est explanare, & sub visibilis rei obtentu aliud satis longè clariùs, & magnificentiùs voluit ostentare; ait enim: (ibid.) *Et panis quem ego dabo, caro mea est.* Ecce qualiter, quam lucidè exprimitur, quod priùs aliud, hoc est panis vocabatur, caro ergo dicitur, & panis vocatur: panis quia cibus est, vel propter similitudinem forinsecùs apparentem: Caro vero, quia vita est; & propter veritatem intrinsecùs dispensatoriè latentem. (Ib. g. 67.) Panis enim dicitur, ne exhorrescas statim ipsu auditu, sicut olim multi discipulorum, de quibus scriptũ est, quia *abierunt retro, & iam non cum Iesu ambulabant dicentes: Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* (ib 61.) Caro verò vocatur, ut inviteris tantæ novitatis intuitu; atque intus trahatis repromisso tam ingenti beneficio. Tum subinfertur, *pro mundi vitâ*; vitâ utique non corruptelâ, ut impia

A *Ib. f. 51.* modernorum hæreticorum asserit temeritas: *pro mundi*, inquit, *vitâ*. Mundi quidem priùs immundi propter vitæ corruptæ spurcitias, ac sordes, & opera iniquitatis, quibus tam prævaricatione primi parentis humana natura, quam vitiatæ originis necessitate attaminata, diùtimque in deterius prolapsa sorduit: at iam glorioso cruore Christi, ac si agni immaculati, in crucis videlicet arâ immolati, militis lanceâ profuso, ad plenum mundati, quia unde culpa, inde manavit & gratia; nam de latere dormientis Adæ, Eua formata processit, quæ mundo damnationem mortis, per transgressionem præcepti invexit: de latere nihilominus secundi Adæ, id est Christi, crucis in patibulo suffixi, atque in soporem triduanæ mortis resoluti, sanguis, & aqua profluxit, qui exclusâ mortis æternæ pœnâ, perennis vitæ gratiam refudit. Inde planè salus, inde vita est mundi, cui expiando ab omni sorde peccati tam originalis, quam actualis, hoc singulare remedij genus, diuina providentia humanos miserata errores, procuravit: sicque in sua sanctâ Ecclesiâ per universum orbem longè iam latéque diffusâ, B unicum ac speciale instituit sacrificium: quo & Deus ipse mundo misericorditer propitietur, & mortalis infirmitas quotidianis cum sceleribus offendens reconcilietur. Qui quicunque non rectè credendo, vel impudenter, atque impiè blasphemando contradicit, divinis per omnia ingratus beneficiis, cœlestis aditum propitiationis salutis suæ præcludit: propter quod nec gratiam vitæ, quæ in tanto præfixa est sacramento, valet aliquatenus adipisci. De qua superiùs constat pronuntiatum, *panis quem ego dedero, caro mea est, pro mundi vita.*

PARS TERTIA.

Libet autem intueri diligentiùs, quod caro Dominica bis oblata est pro mundi vitâ. Priùs videlicet semel in sacramento, quando ipse Redemptor noster panem in manibus accepit, & in cœlum oculis elevatis C *Mat. 26. c. 26. Luc. 22. b. 19.* benedixit, fregit, ac sic discipulis suis dedit, & ait: *accipite, & comedite, hoc est corpus meum.* Vnde & huius sancti Sacrificij forma, quòd iam non semel in pretio, quando ut genus mortalium redimeretur, idem Dei filius crucis patibulum ascendit, séque ipsum Patri suo in sacrificium sacerdos ipse, & hostia obtulit: qui modus iam tunc præsignabatur, cum, ut prælibavimus, visibilem panis substantiam idem salvator morti, quam præelegerat, iam loco, & tempore propinquus sanctificavit dicens, *accipite, & comedite, hoc est corpus meum.* Ac ne cuilibet perverso facultas fortè relinqueretur errandi, vel aliud quid intelligendi, subintulit; *quod pro* *Ibid.* *vobis traditur*, quibus nimirum verbis exclusa sunt omnia impia opinandi argumenta, ac falsa nuperæ hæresis commenta: quando illud, quod in manibus tenebat Dominus Iesus, quod discipulis offerebat, tam absolutè suum testabatur corpus; nec prorsus aliud, quam quod pro eis tradendum erat. Sanè curiosiùs perpendendum, quod pietas divina, quæ novit omnia novissima, & antiqua, sicut sua sacramenta sanctæ suæ Ecclesiæ ad salutem tradidit, ita suis tam factis, quam verbis ea communivit: ne in aliquo valerent infirmari, aut contradici. D Vnde illis quæ præmissa sunt annectit; Hoc, *inquiens, facite*: ac si diceret, quod ego feci propriâ potestate, vos facite meâ authoritate. Ego exemplo, vos imitatione. *Luc. 22. c. 19.* *Hoc facite*, Qui? vos mei, qui in præsentiarum estis discipuli: & post vos hi, qui non viderunt, & crediderunt; & idcirco sunt reverà beati, *Hoc facite*, quid est, hoc facite? Id est hoc corpus, hunc sanguinem meis verbis, meâ invocatione conficite. Nec semel ut ego, sed quotiescunque sumitis Vt quid? *Ibidem.* *In meam*, ait, *commemorationem*, id est ut mei memoriam per hoc firmiùs teneatis; méque pro vobis passum in mentem revocetis: postremò ut me videre spiritualiter, sentire præsentialiter, habere valeatis indubitanter. Et quia semel mortuus sum, mihique mors nullatenus est ultra dominatura; per hoc mortem meam frequenti usu recolite, ut & vobis sit salubre pietatis commonitorium, & ad patris mei propitiationem specialiùs obtinendam singulare, ac potens fiat emolumentum. E Res ergo tam diuina, támque salutaris, tantæ denique virtutis plena & maiestatis, ut indigestione pereat cuilibet vel extremo fidelium nullatenus debet persuaderi, sed semel perceptam potius sub spe futuræ, quæ expectatur, glorificationis, in præsentiarum nos consolari, & ad promerendum id postmodum quod pollicetur potenti præparare effectu oportet credi. Nimis autem videtur absurdum, & à re ipsa decernitur alienum, ut ubi Christus percipitur, de stercore cogitetur. *1. Cor. 11. d. 29. & seq.* Quod Apostolus, ne ipsis quidem, quibus hoc placet, unde & Stercoritæ iure nuncupantur, concedit; sed iudicium potiùs eos comedere, & bibere, dum non bene diiudicant, asseritur: fidelibus fideliter Domini corpus, ac sanguinem sumentibus, sub specie visibili divini quod celebramus sacramenti. Quamobrem iam in Christo per sanctæ suæ carnis commercium naturaliter manemus, & ipse in nobis vicissim per assumptum infirmitatis nostræ morticinium esse dignatur: quoniam eò F nos sibi potenter corporavit, quò se nobis dignanter attemperavit, ac per hoc se nobiscum assumptione nostræ humanitatis, nósque secum communicando carni suæ ac sanguini unum naturaliter effecit. Sicut etiam B. Hilarius in libro quem de Sancta Trinitate titulavit, hanc novam reor hæresim prævidens in spiritu definivit. *Lib. 8. de Trinit.* *Eos*, inquiens, *nunc qui inter Patrem, & Filium voluntatis ingerunt unitatem interrogo, utrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis. Si enim verè Verbum caro factum est: & verè nos Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ inseruit?* Diligentiùs quæso attende, & quotiens verè & naturam repetierit recense: Primò quidem verè Verbum carnem factum præmisit, ac deinde verè nos Verbum carnem cibo sumere Dominico intulit, ut profectò huiuscemodi insinuaret documentis, G non aliter carnem Verbi cibo Sacramentorio, quam idem Verbum caro factum est, percipi. Nam quia verè Verbum caro factum est: Verè nihilominus eadem Verbi caro, ac potiùs Verbum caro, & non per cassam veritatis figuram in cibo sumi credenda est; nec sanè hæsitandum, si quod præmissum est verum sit: quin id quod subnectitur consentaneum sit veritati, id est ut sicut veritas Incarnationis facta est Verbi, ita vera per sacramentum visibile perceptio credenda sit Dominicæ carnis, quæ sumpta ex nobis sedet in cœlis consors Maiestatis.

Ioan. 6. f. 56. Hinc ipse Dominus, ut ad huius rei nos veritatem informaret, suis ait discipulis; *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Quid lucidiùs? Quid expressiùs? Ecce ipsa veritas de se testatur, cui adhuc novitia hæresis impudenter renititur, crassámque similitudinis, ac figuræ nubem improbè consectatur. Quam divinus Sophista Rhetorque cœlestis Hilarius fortiter repercutit, calcatiúsque refellit. *Quomodo non naturaliter*, inquiens, *in nobis manere existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub* H *sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit?* Vbi tertiò naturam totidémque modis inculcavit, quia videlicet Verbum quod erat à principio permanens, & naturam carnis nostræ sibi inseparabiliter unitam quod non erat assumens, carnis suæ naturam ad æternitatis naturam admiscuit: ac per hoc eam nobis communicabilem sub sacramento præbuit. Proinde ambigendum nullatenus est humanam posse naturam ad divinæ carnis pertingere edulium, quæ ineffabili Verbi commercio ad usque divinitatis adorandum perlata est participium: alioquin paganum erit, totúmque penitus desipiet quod scriptura refert; *Psal. 98. a. 5.* *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*, scabellum quippe divinitatis sancta est humanitas Redemptoris: cui propter inseparabilis veritatem unitatis deferenda est reverentia summissæ adorationis, támque præsertim quando munus supplet alternæ

commu-

A communionis : ad hoc siquidem divinitus institutum, ad hoc discipulis à Domino indictum, ad nos usque venerabile hoc decucurrit sacramentum : ut per unitatis mysterium, ipsius participatione comparatum : divinitatis efficiamur grata sedes, & regnum, ab humanis videlicet in divina transfigurati, & à carnalibus ineffabiliter ad spiritualia provecti.

Si igitur quod maius est collatum nobis non abnuimus, neque quod minus est concedi posse diffiteamur; videlicet iure sub mysterio carnem sumere corporis Christi, quod iam de contiguo nobis est, qoia dignanter corporis nostri carnem assumpsit quod supra nos est, qui verè homo ex virgine natus Christus fuit, ac per hoc de veritate carnis eius communicandæ, & sanguinis nullus iam relinquitur locus ambigendi. Si quidem & ipsios Domini professione, & nostrâ fide verè est caro, & verè est sanguis sacra confectio vivifici sacramenti, quæ accepta fideliter id efficit, ut nus in Christo, & Christus in nobis sit : & hæc est vitæ nostræ causa, hæc salus, quod in nobis carnalibus B manentem per carnem Christum habemus; qui licet iam longè sit alterius dignitatis, & gloriæ, quam nos, naturaliter tamen caro est, quod nus, quia non adimit naturam, sed glorificat assumptio, dum unum fit Verbum & caro : unde in nobis carnalibus etiam nunc manet Verbum caro, quam nobis communicandam, dum in stadio corruptibilis vitæ curritur, eâ dispensatione Christus Deus procuravit, ut in nobis maneret, qua per suam passionem mortisque supplicium indulto vitæ remedio prospexit, ut ad suam nos quandóque dignitatem contuendam, ac pro modulo nostro promerendam; proveheret, efficeremúrque ei similes, videntes eum sicuti est. Et verè hæc est vitæ nostræ causa, quia ipsa pro nobis occubuit vita, ut nobis usualis fieret esca. Hæc etiam gloriæ firma spes promerendæ, C quia ipsam gloriosæ divinitatis carnem hic tenemus in pignore, per quam in nobis carnalibus interim manentem Christum, qui Dominus virtutum est, & Rex gloriæ habemus; dum eam veram, atque ipsius Verbi naturalem, ministrorum officio, remoto totius erroris scrupolo, percipimus. Anne hoc veritas non est? Ecce iterum perspicacissimus mysterij contemplator Divini falsitatis authores redarguit, pœnámque eis, qua rei tantæ maiestatis merentur plecti, urgente Christi spiritu, qui in ipso loquebatur, imprecans annectit, *contingat planè his verum non esse, qui Christum Iesum verum Deum denegant esse.* Hoc & nos sicut & ille, nisi ab errore suo resipuerint, iuvat imprecari, ut qoid negaverint saltim ultionis torturâ valeant experiri. Nobis autem carnis suæ, salvatoris benignitas per veritatem suam, nostrámque fidem, naturam adeptis, & proprietatem perfectæ unitatis utrinque professis indulgeat qood repromisit, ut in ipso permaneamus, & ipse in nobis, siátque digna merces piæ credulitatis optabile contubernium dignanter illapsæ maiestatis, & hospitæ præsentialiter divinitatis : per idoneum videlicet tantæ gratiæ pignus, & virtutis.

Psal. 23. b.10.

Ioan. 6. f.57.

D

PARS QVARTA.

VErùm licet tanti viri sufficiat authoritas, aliqua tamen deflorare libet de S. Ambrosio, cuius in Ecclesia Catholicâ post Apostolos authoritas habetur præcipua; cuius eloquentiæ affluens facundia Latinæ linguæ decus est, & forma : Beati quoque Augustini, cuius spectata fides, & multiplex in scripturis labor utilis, & clarus comprobatur : sed & aliorum Sanctorum Patrum dicta nonnulla subtexemus, quæ sparsim reperta sed simul diligenti studio, & non parvo labore congesta, hac de re piè quærentibus sint grata, & ad rationem fidei roborandam satis supérque idonea. Ait ergo prædictus pater Ambrosius in libro de Mysteriis, *Nunc illud consideremus, ne quis fortè visibilia videns, quoniam quæ sunt invisibilia non videntur, nec possunt humanis oculis comprehendi, dicat; Iudæis Deus manna pluit;* * *Vnde dictum est, panem Angelorum manducavit* E *homo. Sed tamen panem illum qui manducaverunt omnes in deserto mortui sunt. Ista autem esca quam accipies, iste panis vivus qui descendit de cælo, vita æterna substantiam subministrat, & corpus est Christi.* * *Considera nunc utrum præstantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Manna illud de cælo : hoc supra cælum, illud cæli, hoc Domini cælorum. Illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur, hoc alienum ab omni corruptione, quod quicunque religiosè gustaverit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis è Christo. Illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in æternum, Iudæus bibit & sitit, tu cum biberis sitire non poteris, & illud in umbra, hoc in veritate.* Et post nonnulla: *Quantis igitur utimur exemplis ut probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, maiorémque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione natura etiam ipsa mutatur.* Et qoibosdam interiectis: *Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divinâ, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur, quòd si tantùm valuit sermo Heliæ, ut ignem de cælo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutetur elementorum?* De totius mundi operibus legisti, *quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea, quæ sunt in id mutare quod non erant. Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas. Nonne maius est novas res dare, quam mutare naturas? Sed quid argumentis utimur? suis utamur exemplis, incarnationisque astruamus* * *mysterio veritatem. Nunquid naturæ usus præcessit cum Iesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare consuevit. Liquet igitur quod præter naturæ ordinem Virgo generavit, & hoc quod conficimus corpus ex Virgine est. Quid hîc quærimus naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine? Vera utique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est : verè ergo carnis illius Sacramentum est. Ipse clamat Dominus Iesus, Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur, ipse dicit sanguinem suum, ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis, Amen : hoc est, verum est. Quod sermo sonat, affectus sentiat. His igitur Sacramentis pascit Ecclesiam suam Christus Iesus, quibus animæ substantia firmatur.* Et post pauca. *In illo Sacramento Christus est, quia corpus Christi est, non ergo corporalis esca, sed spiritualis est. Vnde & Apostolus de typo eius ait :* quia Patres nostri escam spiritualem manducaverunt, & potum spiritualem biberunt. *Corpus enim Domini, corpus est spirituale. Corpus Christi, corpus est divini spiritûs.* Hæc tanti viri sententia fideliter expensa, omnes hæreticorum versutias, & universa destruit argumenta, Catholicámque fidem è diverso instruit, & roborat, & de veritate naturali corporis, ac sanguinis Iesu Christi Salvatoris, devotionem fidelium, ne de cætero in aliquo vacillet, sufficienter ædificat; quam quia per singula nobis in quibus oporteret discutere non vacat, summatim percurrimus eam, monentes, ut qui hæc lecturi sunt per se diligentiùs inquirere, & intelligere quæ indiscussa præterimus, studeant. Ait ergo, *Ista esca quam accipis iste panis vivus qui de cælo descendit, vita æterna substantiam subministrat, & Corpus Christi est.*

Vbi advertas oportet, quod escam, & panem quem de sacro altari percipimus, Domini indobitanter dicat corpus, & ideo vitæ æternæ substantiam subministrat, dignâ devotione cordis illud accipientibus. Et reverà Christus enim verè est vita, sicut ipse dixit : *Ego sum via, veritas, & vita :* & necesse est ut qui Christum in se fideliter excipit, vitæ æternæ particeps mereatur effici : à qua longè fit, qui se à sancto mysterio aut malè vivendo, aut non rectè credendo elongare non metuit; cui quisque eo magis proximus existit, quo

Lib. de iis qui mysteriis initiantur c.8. 10.4.

* Ibid. post multa.

* Ibid. cap. 9. initio.

F

Psal. 32. b.9.

al.* mysterij.

G

Mat. 26. c.26.

1.Cor.10. a.3.

H

Ioan. 14. a.6.

A per rectæ fidei studium emendatiùs vivit. Ne verò quis corpus aliter interpretari sive intelligere posset, quia videlicet Apostolus ait, *& corpora cœlestia, & corpora terrestria*, mox in subsequentibus idem Doctor apertissimè Christi carnem appellat, dicens: *Considera nunc utrum præstantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Verè profectò corpus est vitæ caro Christi: quia ipse Christus, cui est ipsa caro corpus substantivum, vita est immortalis, seu quia vitam fideliter eo fruentibus constat spiritualiter operari.* Et post pauca: *Manna*, inquit, *illud umbra fuit, hoc corpus in veritate est.* Non immeritò manna umbra dicitur, quia etsi in veritate cœlestis creatura fuit, unde & Angelorum panis nuncupatur, dum tamen aliud quam quod videbatur signo portendit, figura vel umbra mysterij futuri non ipsa veritas extitit, quæ expectabatur temporibus revelanda novissimis, quando plenitudine quam divini consilij providentia disposuit ante tempora sæcularia jam accedente, Deus ipse homo pro hominibus dignatus est fieri, & hoc cœleste,

1 Cor. 15. v. 40. Cap. 9

B ac potiùs divinum, non ut ante per Moysen manna illud dederat, sed per semetipsum confecit, Discipulísque suis in sui memoriam usque in sæculi consummationem, qua ipse manifestè venturus est, celebrandum, ita dicens: *Hoc facite quotiescunque sumitis in meam commemorationem.* Vnde nimirum constat eandem veritatem carnis, ac sanguinis esse in Sacramento, quo sancta per universum orbem Ecclesia uniformiter agit; quæ erat & in illo, quod ipse Christus Deus suis sanctis manibus sanctificavit, ac suis, qui cum ab initio prædicationis secuti fuerant, distribuit: *Accipite*, inquiens, *& comedite, hoc est corpus meum.* Ac deinceps: *Hoc*, ait, *facite in mei commemorationem.* Hæc vox, ut credimus, & confitemur, est ad quam consecrationem Dominici mysterij quotidie fieri liquet. Quod quamvis aliud humanis cernatur obtutibus, quamvis aliud significare utiliter ratione typicâ non negetur, nihil tamen aliud omnino substantialiter esse quam vera Christi caro, & verus sanguis comprobatur. Et sicut superiùs ait Beatus Ambro-

Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 26

C sius: *Iam non est post verba cœlestia quod natura formavit, sed quod benedictio cœlestis consecravit, quia maior est vis benedictionis cœlitus infusa ad preces Sacerdotis, quam natura; quia & ipsa natura ab eo quod erat, in id quod non erat mutatur benedictione.* Vnde & aliàs in libro de Sacramentis idem ait: *Panis iste, panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Et post nonnulla: *Si ergo*, inquit, *tanta vis est in sermone Domini, ut inciperent esse quæ non erant, quantò magis operatorius est, ut sint quæ non erant, & in aliud commutentur.* Qua sententiolà liquidiùs destruitur hæreticorum perfidia, qui aliter quam ipsa veritas habet, adversus divina disputant Sacramenta, in quibus solam esse figuram, & non veritatem affirmant, atque creaturam, ut fuerat omnino, permanere: aliquam virtutem spiritualiter propter benedictionem, unde Domini corpus vocetur, habere, nec in

Lib. 4. c. 4.

D aliud quam fuerat demutari rerũ veritatem, cum Ambr. dicat: *hoc autem corpus in veritate est*; quod qualiter in veritate sit, ipse exponit, dicens: *non est quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, quia benedictione natura mutatur.*

Lib. de iis qui mysteriis initiantur, c. 9.

At quia sunt nonnulli his aliquanto ut sibi videntur, prudentiores, atque religiosiores, qui carnem quidem dicant esse Christi, non tamen illam, quam de Virgine sanctâ Christus ipse suscepit; in qua passus est, & à mortuis resurrexit; quam ad cœlos cum triumpho victoriæ vivus & verax devexit; sed quandam novam quam benedictio recens consecravit. Præfatus Doctor apertissime definit horum errorem destruens funditus, Catholicámque fidem validiùs ædificans, qualiter hac de re secundùm veritatem sentiendum sit; ait namque: *Liquet igitur quod præter naturæ ordinem virgo generavit, & hoc quod conficimus corpus ex virgine est.* Et paucis interiectis: *Vera utique caro Christi*

Ibid.

quæ crucifixa est, quæ sepulta est: Verè ergo carnis illius Sacramentum est, ipse enim clamat Dominus I e s v s. *hoc est corpus meum.* Ex quibus omnibus luce clariùs E constat Dominica Sacramenta verè esse corpus, ac sanguinem Christi, non solùm per virtutis efficaciam & spiritualem potentiam, sed etiam per proprietatem naturalis veritatis integerrimam, nec aliud omninò quam eandem carnem, quam Virgo de Spiritu sancto concepit, & integritate virginitatis illibatæ permanente præter humanam consuetudinem, non præter veritatem corporis humani edidit; quæ crucis damnata suspendio, mortis addicta supplicio, sed postmodum beatæ resurrectionis glorificata triumpho, cœlorum superavit fastigia, sedétque nunc in æterni Patris dextera, ubi pro nobis iuxta veridicam Apostoli Pauli vocẽ Pontifex in æternum factus, pro humana carne sedulus interpellat, sed per naturalem Deitatis veritatem suorum suscipit fidelium vota, & votis annuit, pro potestate ac Majestate divinâ. Hinc alia eiusdem Doctoris testimonia super eadem re non incompetens videtur addere: Vt multiplex dictorum copia fidelibus satisfacere, & perfidis vana, & prophana docendi libertatem valeat funditùs adimere, ait ergo in tertio de virginitate libro: *Vide quantus ad natale sponsi tui populus venit, & nemo impastus redit, denique ad suas nuptias plures vocavit; sed iam non panis ex hordeo, sed corpus ministratur è cœlo.* Ac post multa: *In passione vulneratus est, atque ex vulnere aqua, & sanguis ad potum spiritûs ad resurrectionem. Vnus enim Christus est nobis fides, spes, charitas. Fides in lavacro, spes in resurrectione, charitas in Sacramento.* In secundo de viduitate: *Dominus*, inquit, I e s v s *aliis panem hordeaceum, ne in via deficerent; aliis corpus suum, ut ad regnum contenderent, ministravit.* Et in libro de Sacramentis: *Ergo didicisti*, ait, *ut panis Corpus Christi fiat, & quid? Vinum in calice mittitur, sed fit sanguis consecratione cœlesti.* Ac post aliquanta: *Antequam consecretur panis est, ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi, & ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus, ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur. Deinde ipse Dominus* I e s v s-C h r i s t v s *testificatus est nobis, quod corpus suum accipimus, & sanguinem. Nunquid debemus de eius testificatione & fide dubitare?* Et in superiori libro de Sacramentis: *Sicut*, inquit, *verus est Dei filius Dominus* I e s v s-C h r i s t v s, *non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia Patris; ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus. Sed fortè dicas, quomodo vera? Qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem. Primò omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur ut possit mutare & convertere genera instituta. Deinde ubi non tulerunt Discipuli dicentem Christum, quod carnem suam daret manducare, & sanguinem suum ad bibendum, recedebant. Ne igitur plures hoc* * *facerent, & veluti quidam horror esset cruoris, sed maneret gratia redemptionis; ideo in similitudinem quidem accipis Sacramenta, sed vera naturæ gratiam virtutémque consequeris. Ego sum*, inquit, *panis vivus, qui de cœlo descendit. Sed caro non descendit de cœlo, hoc est, carnem in terris assumpsit ex Virgine. Quomodo ergo descendit panis de cœlo? Et panis vivus quia idem Dominus noster* I e s v s-C h r i s t v s *consors est divinitatis, & corporis: & tu qui accipis carnem, divinæ eius substantiæ participaris alimento.* In hac itaque sententia liquidò declarat beatus Ambrosius quare superiùs dixerit carnis, vel sanguinis similitudinem videri, non speciem: quia videlicet dispensatoriè species, id est, veritas carnis, ac sanguinis in Sacramento lateret, ne si ut est, appareret, horrorem videntibus res ipsa incuteret. *In similitudinem*, inquit, *accipis veritatem, ne ipsa veritas tibi incutiat horrorem.* Ideo similitudo prætenditur ut veritatis horror pellatur: nec gratia tamen veræ naturæ, carnis, & sanguinis minuitur, dum sub alia similitudine vera caro, & verus sanguis Christi percipitur. Et similitudo quidem

Heb. 7. v. 25. F *Sub init. tomo* *Cap. 4.* *Cap. 5.* G *Lib. 6. c. 1.* ** al. b. cerent.* H

carnis,

A carnis, ac sanguinis, panis, ac vinum dicitur; vel propter ipsam veritatem, quā licet occultā habet, seu quia iuxta aliquid caro, & sanguis sunt, propter quod sic iure dicantur, quia cum per consuetum usum vitam vescentium eis conservent, in carnem naturali incremento convertuntur & sanguinem, unde & satis competenter Salvator carnem suam, & sanguinē de panis, ac vini materiā constituit cōsecrari: quibus ipsa vita mortalis subsistit, quibus deniq; humana substantia quotidiana incrementa consequitur, dum per escam, & potum assumpta, in carnem, & sanguinem secretā quâdam vi naturæ traiecta convertuntur. Cæterùm in veritate caro, & sanguis, sunt post consecrationem panis, & vinum, licet lateat species sub præordinata divinitùs similitudine visibilium rerum: Sicut in libro de sancta Trinitate secundo idem antistes protestatur: *Quasi homo dicit quæ sunt humana, quia in mea substantiā loquebatur: hic est panis vivus, qui descendit de cœlo: panis hic caro est, sicut ipse dixit: hic panis, quem ego dabo, caro*

B *Lib. 3. de Spir. sancto c. 12. tom. 4.*

mea est. Et in octavo: *Videamus*, inquit, *ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus* IESVS-CHRISTVS *in carnis assumptione suscepit; itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodiéque in mysteriis adoramus.* Beatúsque

Ser. 5. in append. quo tom. 10. & Ambros. l. 5 de sacr. c. 4.

Augustinus in libro de verbis Domini: *Memini*, ait, *sermonis mei, quia cum de Sacramentis tractarem, dixi vobis quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur, ubi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis, sed corpus appellatur. Quare ergo in oratione Dominica, quæ postea sequitur, ait, panem nostrum? Panem quidem, sed supersubstantialem: non est iste panis qui vadit in corpus; sed ille vitæ æternæ panis, qui animæ nostræ substantiam fulcit.* Ex hac igitur tam perspicuā de Sacramento Dominico sententiā datur intelligi, quod consecratio illa supercœlestis non umbra sit, sed verè corpus, & sanguis. Vbi autem dicitur panem supersubstantialem, non qui vadit in corpus, sed qui

C animæ nostræ substantiam fulcit, patet utique quia oratio Dominica non de isto temporali pane, qui in corpus vadit, & in secessum emittitur, dicat; sed de illo qui consecratur divinis verbis, sumptúsque fulcit animam nostram: qui dum offertur tantummodo panis est, & temporale carnis moriturae subsidium, post consecrationis verò mysterium, caro Christi est vera, & immortale fidelis animæ præsidium: sicque sub forma quam invisibiliter prætendit, salutem quod divinum est operatur fideliter percipientis; nec per aqualiculum turpiter egestus perit, sed reverenter insumptus animæ

Lib. de corp. & sang. Domini c. 20 sub med.

substantiam fulcit. Quod Paschasius quoque divini Sacramenti scrutator diligentissimus, discussorque Catholicus, in libro suo, ut beatus Augustinus sensisse comprobatur, in quo inter cætera sic ait: *Frivolum est ergo, ut in apocrypho legitur, in hoc mysterio cogitare de stercore, ne commisceatur in digestione alterius cibi. Denique ubi spiritualis esca, & potus percipitur, & Spiritus*

D *sanctus per eum in homine operatur, ut si quid in eo adhuc carnale est, transferatur in spiritum: & fiat homo spiritualis, quid commixtionis habere poterit? Quantùm igitur distat illa æterna vita ab ista mortali, tantùm & iste cibus omnino præeminet ab illo communi, quo simul nobiscum etiam animalia vivunt.* Ecce quid memoratus vir secutus auctoritatem priorum patrum dixerit. Beatus ni-

Epist. 2. Clem. ad Iacob. fratr. Domini tom. 10. Concil.

hilominus Clemens Apostolicus in Epistola ad Iacobum directa, in qua se Apostoli Petri refert indidisse præcepta, imperat quatenus ministri reliquias mensæ Dominicæ absumentes, quæ ea tempestate permaximæ consueverant fieri, à reliquis cibis, certis abstinerent horarum interstitiis, ut scilicet qui tertiā diei horā communicaret, ad sextam usque ieiunaret; qui verò sextā ieiunus præstolaretur nonam; & qui nona in vespera reficeretur. Quia ergo post perceptionem mysteriorum statutis temporum momentis iussit à communibus observandum cibis, nunquid aliquā distendebatur sollicitudine de Sacramentorum stercore, quasi pretiosiori, ne fortè commisceretur aliorum ciborum

viliori, quod honestiori forsitan secessu, oporteret refundi? Absit. Neque enim de discernendis stercoribus ab Apostolo acceperat disciplinam, quam alij itidem Apostolo mandaret tenendam, sed de sanctis mensæ Dominicæ fragmentis præceptionem, quam cæteris traderet, acceperat. Quæ cum quanta sint sanctitate reverentiáque tractanda, evidenter insinuat, cum participes eorum ad communes illicò escas accedere vetat; non ut commixtionis caveatur obscenitas, quæ si proveniret minimè esset cavenda, sed ut tantæ sanctitatis officiales ad parcimoniam, ampliorémque frugi vitæ informaret diligentiam, ac ne imperitis falsa opinandi occasio daretur, negligentésque damnabilis noxæ supplicium sequeretur, quod minatur Apostolus Corinthiis, qui inter agendum Domini cœnam effrenatiùs indulgebant gulæ illecebris, quibus ait: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc, & calicem biberit indignè, iudicium sibi* 1 Cor. 11. ꝟ. 27. 29.

manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini. F

Ideo namque reatus ingens contrahitur, inde vehemens pœna subsequitur, quod mysterium Dominicum non diiudicatur, id est, à reliquis cibis minimè discernitur, quando ab imperitis, imò impiis, in digestione absolvi iactatur. Vnde beatus Augustinus in Evangelio Ioannis: *Quicunque*, inquit, *manducaverit panem, & biberit calicem indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini*: de his erat sermo cum hoc Apostolus diceret, qui Domini corpus velut quemlibet alium cibum indiscretè, negligentérque sumebant. *Tract. 72. in Evang. Ioan forte 26.*

Hic ergo si corripitur qui non diiudicat, hoc est non discernit à cæteris cibis Dominicum corpus, quomodo damnatur qui ad eius mensam fingens amicum, inimicus accedit? Proinde valde, ut superiùs diximus, cavendum est, ne non discernatur, id est, indiscretè vel negligenter sumatur Dominicum corpus, quod non modo mortis æternæ supplicium submovere, verum etiam gratiam vitæ perennis fideliter sumptum creditur impertire, velut eiusdem muneris auctor testatur, dicens: *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.*

Hic itaque panis cœlestis Sacramenti qui vitam mortalibus refundit, mortisque pœnam repellit longe incompatibilitérque ab illo, qui corpora tantummodo cibat, refert; ac per hoc credi quod pereat nequaquam oportet, ne ubi vitæ gratia per fidem haurienda est, periculosa mortis ob perfidiam incurratur lues: sicut Augustinus ait: *Erit autem illi homini mors non vita, qui mendacem putaverit vitam.* Mendacem quippe putat vitam, vel quantum in se est, facit, qui sacratissima verba Redemptoris interpolare, vel falsò præsumit interpretari: atque per hoc illi mors, non vita erit, dum de vita aliter, quam ipsa vita sentit, quæ ait: *Panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita.* Hic ergo specie tenus panis, sed in veritate caro veritatis, & vita fidelis mundi, iudicium verò infidelis, sicut ipsa veritas cui fides adhibenda est, apertè præscripsit, in homine vitam G *Serm. 11. de verbis apost. 16. in c. 2.*

non stercora, mentisque tutelam, non corruptelam operatur ventris; qui proinde vocatur supersubstātialis, quia superiorem fovet substantiam hominis, vegetátque, ac provehit; quod profectò ante consecrationem agere nequit terrenus panis, qui in corpus vadit; sed iste nimirum qui animæ substantiam fulcit, qui meritò iam post verba Dominica, ut Augustinus ait, vocatur Christi corpus non panis; utpote in aliud transformatus operatorio cœlitùs iure sacrandi. De quo pane quia spiritualis est, & vitæ æternæ, magna nobis ingeritur necessitas postulandi, ut scriptum est *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; si quotidianus est, quotidie pro certo & quærendus est; nec debet intercedere diuturna eum petendi dilatio, cuius constat vitalis, salutarisque animæ perceptio. De temporali autem pane & communi sollicitudo interdicitur his verbis: *Nolite solliciti esse dicentes quid manducabimus, aut quid bibemus? Quærite autem regnum Dei, & omnia hæc adiicientur vobis.* Regnum Dei Christus est, sicut scriptum est. *Regnum Dei intra vos est*: Christus autem H *Luc. 11. a. 3.* *Matt. 6. d. 31. & 33.* *Luc. 17. e. 21.*

A — Ioan. 6. 41. — panis est, sicut scriptum est: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.* Hoc pane quisquis fideliter satiatus fuerit, d. futurum sibi panis terreni subsidium non timebit.

PARS QVINTA.

VErum quia in auctorum libris alibi figura, alibi similitudo corporis, & sanguinis Christi reperitur insertum, quamquam id nullum rectæ fidei afferat præiudicium, inde tamen sibi nequam homines defendendi erroris ingens se arbitrantur reperisse patrocinium. Dumque sibi volunt videri quasi spirituales, multò ipsis carnalibus inveniuntur, ut ita dicam, carnaliores, & quod est verius, deteriores, quoniam ubi
B debuerant altioris gratiam intelligentiæ pulsando fideliter, quærendo humiliter investigare; ibi decipulam perfidiæ abruptumque perditionis præcipitium per obstinaciam noscuntur incurrisse, non enim in scripturis quid propensiùs oporteat sequi, sed quid validiùs inepto opituletur errori satagunt rimari: dumque suam tortitudinem ad scripturæ normam dedignantur dirigere, sed ipsius rectitudinem potiùs violenter inflectendo nituntur deformare, & ad usum suæ perversitatis intorquere, licet obtinere nequeant penitus quod ambiunt, vehementiùs tamen per hoc in præsumptionis suæ vino convalescunt: sibique viam profundioris scientiæ obstruunt, aditúmque salutis pertinaciter repagulis damnant, & seris blasphemiarum. At nos, quibus non animositas, sed veritatis placet sinceritas, auctoritati sanctæ scripturæ cedentes, ac non eam secundum nos, verum nostros magis sensus ad eam conformantes, nec in eius varietate dissonantiam, sed multiplicis Intelligentiæ lineas amplecten-
C tes, ita sacramentum Dominicum figuram iuxta aliquid, & similitudinem non negamus; ut in veritate tamen corpus Christi, & sanguinem naturaliter existere profitcamur. Ait enim Corinthiis Apostolus; — 1 Cor. 11. f. 26. — *quotiescunque panem hunc manducabitis, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Quod ex verbis derivatum Dominicis ratio manifesta prodit, quibus utique Christus suis Discipulis passionis suæ mentionem indicens ait: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hic Calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, hoc facite in meam commemorationem.* — Mat. 26 e. 26. Luc. 22. b 19. — Quia ergo *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur:* Per hoc illius mortem quotidie annuntiamus, ut per eam Patris propitiationem promptiùs provocantes impetremus, ac sic salutare mysterium, mortis est Dominicæ significativum reconciliationisque humanæ effectivum. — Rom. 6. b. 9. — Quis igitur neget id similitudinem iure dici, seu figuram, quod Vnigeniti passionem, quæ semel præcessit, repræsentat? Sed hæc similitudo, vel figura plena est admodum veritate, & gratia. Veritate quidem, quia carnis, ac sanguinis Christi dulcedi-
D ne, non modo potentialiter, sed & naturaliter approbatur redundare. Veritate dico, quia nihil in ea minus est ab illa carne, quæ clavis suffixa pependit in cruce, nec aliud est quam sanguis ille, qui perfuso profluxit ex latere. Sicut Augustinus ad Neophitos probatur dixisse: *hoc, accipite* inquiens, *in pane, quod pependit in ligno; hoc accipite in calice, quod manavit de latere.* Vt manifestè patet, nihil in ligno aliud pependit quam caro, nihil aliud de latere manavit quam qui erat in corpore sanguis. gratiâ autem plena redundat, quòd nos temporali solatur munere, ut id demum quod prætendit revelatâ consequamur facie: gratiâ quoque, qua nos capiti nostro agglutinat, ac dum tendimus ad patriam, sic nos vegetat, ne deficiamus in via. Veritate postremò pariter, & gratiâ figura hæc sive similitudo est referta, ubi illum proculdubio percipimus, per quem gratia, & veritas facta est: & illud idem totum, de quo Evangelicum intonat præconium. — Ioan. 1. b. 14. — *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiâ, & veritate.*

Hæc nimirum est gratia, quam dum mundus nescit, repentè accepit. Hæc gratia, quæ nullum invenit meritum, & prorogavit beneficiũ. Hæc postremo est veritas, quæ omnẽ excedens intelligentiam piscatoribus tamen concredita fatuam mortalium aut destruxit, aut condivit sapientiam. Huic enixiùs veritati inhæreamus, nè à gratia excidamus, & ut ad ipsum qui veritas est, pertingamus, tantæ gratiæ arram non negligamus: quæ ut vera quandoque apprehendatur vita in præsentiarum nobis constituta est via.

Cæterum ut sua divinæ naturæ servetur maiestas, ipsique sincera non obfuscetur serenitas, operosior adhibenda est diligentia, subtilitérque distinctio verborum facienda, ne prophana sensuum irrepat confusio, unde perversa consuevit oboriri dissensio. Hinc etenim illa latè serpens planta Manichæorum; hinc spurcissimus pullulavit surculus Arrianorum: Inde quoque innumerabilium pestis schismatum aut sumpsit exordium, aut — F — usurpavit sibi suffragium: Inde etiam modernæ hæreseos incentores, impiique dogmatis conflatores puritati fidei calumniam parant, divinoque mysterio veritatem, quantum in ipsis est, derogant; eo quod similitudo dicatur aliquando, vel figura, ac si aliquod sit figmentum, non veritas. Verum diligenter cautéque perpensum ire oportet, quia ut plura alia homonyma sunt duo vocabula hæc, cumque multifariam pro varietate sensuum, quibus applicantur, queant accipi, ita tamen non nunquam in divinis inveniuntur posita literis, ut nihil veritati naturæ, nihil substantiæ præiudicent proprietati; ut est illud in Genesi: *Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adiutorium simile sui.* — Gen. 2. 18. — Vbi cum fieri adiutorium homini dicitur, nova nimirum creatio mulieris intimatur: quæ bene similis perhibetur viro, quia profectò etsi in sexu sit discretio, nihil tamen est aliud mulier quam homo, eadem quippe natura, — G — eadem conditio, quæ ubi una fuerint nulla probatur dissensio. Sicut ergo mulier de viro non aliud quam eadem caro similis est homo, ita de vero corpore Christi, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, substantivũ verumque constat corpus ipsius, quod religiosis in sancta Ecclesia officiis tractamus: cui appositum nomen similitudinis in nullo contraire probatur. Porro si cui comparatio ista minùs videtur efficax, & ad susceptæ rei negotium non satis idonea; vel illud Apostolicum, ubi nulla fuerit ambiguitas, non ingratus audiat: *In similitudinem hominum factus.* — Phil. 2. 7. — Hic nomen similitudinis, ut perspicuum est, hominis veritatem non excludit. Christus enim verus homo fuit, licet in similitudinem hominum dicatur fieri.

De figura autem ita in eodem Apostolo legitur alibi. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* — Hebr. 1. 3. — Hic superstitiosi verborum aucupes, fraudulentique veritatis impostores, aut paternæ Christum substantiæ exuant penitùs dignitate, aut divino Sacramento calumniam de figuræ vocabulo desinant irrogare. Si enim figura hic substantiæ est abnegativa, non est filius quod pater, ac sic Christi Sacramentum dum simi- — H — liter dicitur figura, umbra est, non veritas, sicut illud unde refert scriptura: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* — 1 Cor. 10. c. 11. — Quæ omnia? maris videlicet multiplex beneficium, nubis in die refrigerium, splendoris in nocte solatium; sed & mannæ nectarei imbres, irriguæque silicis madores, & cætera quæ ibi replicantur. Sed hoc in manna sicut cætera dicitur figura, quia aliud erat, atque aliud præsignabat, quod enim videbatur ad totum substantialiter erat; Christi vero futura mysteria quibusdam intellectualibus indiciis præ- — Ibid. a. 1. — monstrahat quod utique non erat. Vnde Apostolus alias: *Nolo vos*, inquit, ignorare fratres, quia Patres nostri eandem escam manducaverunt, eundem *potum biberunt*; eundem scilicet per potentiam significativæ figuræ, non per veritatem exhibitæ naturæ: alioquin Christus adhuc in vasta heremo saxeus riget, ubi lapis ille profluus aquarum in sua mole turpet. Scriptum quippe est; *Petra autem erat Christus*: sed — Ibid. 10. a. 4.

non

A non petra de virgine nata Christus. Hæc igitur figura iure dicitur umbra, quæ aliud præloquebatur, quam erat. Si autem Patris Vnigenitus de Deo Deus, figura eius, à quo in nullo discrepat, substantiæ dicitur, nec minus eo est cuius figura prædicatur. Liquet profectò quod & divinum Sacramentum figuram dici liceat, & nihil minus à veritate carnis Dominicæ habeat. Atque hæc est Dominicæ figura substantiæ; illa verò figura fuit huius figuræ. Illic quippe fuit umbra, hic veritas est ipsa. Porrò hic illam Sancti Ambrosij sententiam inserere opportunum iudicavimus, qua quidam in derogationem Sancti Sacramenti, immò in suam perniciem, ut experti sumus, abutuntur; in qua alibi similitudo pretiosi sanguinis scribitur, alibi verò figura corporis, & sanguinis ponitur; quibus, ut dictum est, perversi quique in suo fortiùs errore implicantur, dum non auctoris sensum in eis per consequentiam dictorum perquirunt; sed ex nudis potius verbis suam in qua detriti sunt insipientiam astruere contendunt, B exque tanti Doctoris nomine auctoritatem sibi comparare, ac per hoc hæresim, in qua languent, contra Catholicos nituntur defendere. Quod nullatenus procedet, nec, ut volunt, continget, sed potius res quæ in quæstionem venit, clariùs elucescet, si prioribus posteriora consequenter collata fuerint; & ex præcedentibus subsequentium tenor verborum ritè intellectus extiterit; qui ita se habet: *Sed fortè dicis: speciem sanguinis non video; sed similitudinem habet. Sicut enim similitudinem mortis per baptismum suscepisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis, ut nullus horror cruoris sit, & pretium tamen Redemptionis operetur.* (Lib. 4. de Sacr. c. 4.) Ecce unde tota processit quæstionis inter insipientes dissensio, de quibus dici per Spiritum Sanctum in Propheta clamat ratio: *Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* (Psal. 13. a. 1.) Insipiens profectò est, qui Christum divinitate, quantum in se est, exuit, dum eum mentitum fuisse, quod in Deum non cadit aliquo modo, asserere non metuit, qui similitudinem vel figuram tantùm esse impiè dog- C matizare præsumit, quod ille verè carnem, & verè sanguinem esse suum probatur apertè protestari, quod tale est ac si diceretur à talibus, & taliter, non sapientibus, sed desipientibus, non est Deus.

Non est Deus ergo dicere, est veritati, quæ Christus est, contradicere, & aliter quam ipse de seipso docuit perversè sentire, quod insipientis omnino probatur esse. Aut nunquid insipiens non apertè probatur, qui ipsi Deo pro simplicis servuli verbo quomodocunque prolato renititur, & eius planis, ac simplicibus sententiis calumniatur? Dominus dicit, *hoc est corpus meum; hic est sanguis meus, quod pro vobis tradetur, qui pro vobis effundetur, comedite, & bibite:* Et hoc idem *in mei memoriam facite.* (Luc. 6. f. 40.) Isti dicunt Ambrosius dicit: sanguinem non video, sed similitudinem habet. videlicet ex verbis discipuli Magistro cælesti iniuriam contumaciter irrogantes; & cum scriptum sit, *non est discipulus super Magistrum*, auctori- D tatem Magistri discipuli prælatione, quantum in se est, demunt; unde non minus prælatum offendunt, quam eum qui ipsum præferunt. In utroque rei, utrobique nihilominus condemnandi. At nos sic honoremus servum, ut semper & in omnibus præferamus ut oportet Dominum, nec Domini sententiam ex verbis Discipuli, sed potiùs discipuli dicta ex Magistri metiamur doctrinâ, cui nimirum contraria sentire non potuit, si quidem discipulus veritatis fuit. Sed iam attentiùs considerandum quomodo vir tantus, qui in litem ab infidelibus vocatur, à suo auctore Domino nostro, Magistro veritatis non dissentiat, immo in omnibus concors existat. Qui paulo superiùs ait, *didicisti ut panis Corpus Christi fiat, & vinum in Calice mittitur, sed fit sanguis consecratione cælesti.* Hic sanè nihil est dissonantiæ, nihil prorsus quod discrepet à regula veritatis Catholicæ, nihil omnino quod verbis Dominicæ repugnet sententiæ. Hæc verba potius Dominica quomodo accipienda sint, dicta declarant. B Dominus enim ait, *Hoc est Corpus meum*, Ambrosius qua ratione id valeat fieri lucidius exponit, dum mutatione panis, ac vini Christi Corpus & Sanguinem cœlesti testatur benedictione effici; qui si hanc suam tam perspicuam de veritate Domini corporis, & sanguinis sententiam in eodem pene versiculo oblitus aliud sensit, & aliter docuit, iam non Domino, sed sibi ipsi contrarius existit, quod ridiculum est cogitare, ne dum affirmare.

Ergo videamus quod sequitur. *Sed fortè dicis speciem sanguinis non video, sed similitudinem habet.* Hic in primis attende, quod personam cuiuslibet assigurat idiotæ dicentis, speciem sanguinis non video: cui dubitanti, nec rem ut est expendere dignè valenti, respondet; *Sed similitudinem*, inquiens, *habet.* Ac si F diceret, ô pauper ingenio, ô efficax sensu, vel sicut discipulis Dominus ait, infirmis adhuc, & divina nondum Sacramenta capere valentibus, ô stulte & tarde corde ad credendum, miraris quòd corpus audis, quod sanguinem audis, sed speciem id est veritatem carnis, & sanguinis quæ intus est, quia non credis, non cernis, quam si nimirum crederes, sine dubio videres. (Luc. 24. d. 25.) Crede ergo ut videas, nam credere iam corde est videre: quod dum differtur, dum ad intuendam tanti mysterij profunditatem acies mentis fidei beneficio mundanda, & illustranda expectatur; quod exterius patet, interim quia similitudinem habet, ne contemnas, ne in iudicium damnationis merito incredulitatis incurras. Suscipe quod patet; ut postmodum pertingere merearis, mediante fide, ad id quod intrinsecus latet. Sed similitudinem habet, intus veritas carnis & sanguinis est ex pane & vino cœlesti opificio mutatis, foris similitudo, ne horror valeat accedentem confundere ostensi cruoris. Sed similitudinem habet, inquit, ubi non ipsam quam priùs testatus est veritatem denegat, sed quod aliud in veritate sit, aliter oculis videatur profectò declarat; similitudo igitur exterior, veritati non præiudicat interiori. Si- G militudo hæc non differt veritatem, sed præparat fidem, informat credulitatem, non minuit beneficium, sed cumulat meritum, mysterium velat, non adimit gratiam, fovet devotionem ac nutrit, rationem piam non impedit, temeritatem arcet, negotium salutis exercet; hæc similitudo attrahit te ac retinet, ut veritas te recreet, ac provehat: proinde ergo venerare: & honora hanc similitudinem, quam divina præcedit dispensatio, ut dignus quandoque fias, qui veritatis quæ reposita est non frauderis beneficio, quia mediatoris quodam modo vice fungitur, ut amoveat horrorem, gratiam largiatur: hinc profectò subiungitur. Sicut enim mortis similitudinem per baptismum suscepisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis, ut nullus horror cruoris sit, & pretium tamen redemptionis operetur: hic etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibi declarat, ut cruoris tantùm horror procul absistat: sicut mortis similitudo suscipi- H tur in baptismo, cum baptismum verum sit, & efficax Sacramentum: ut vitia obruat, vitæ sanctitatem conferat, alioquin si verum non esset, qualiter tantùm boni deferet? Et tamen mortis similitudo dicitur, cum tamen, ut præmissum est, verè peccatis afferat interitum, virtutibus ortum præbeat, & ministret incrementum. Sic quoque non immeritò pretiosi sanguinis hauritur similitudo, ut cruoris auferatur penitus horror, & tamen sicut verus est sanguis, ita verè pretium operatur redemptionis; unde iam de similitudine superductâ ob certæ rei gratiam disputare præfatus doctor desinit, atque de veritate naturali, quæ Dominico inest Sacramento, de qua etiam, ut superiùs patet, tanta dixerat, consuetè differit, *didicisti*, inquit, *quia quod accipis corpus Christi est*: Corpus, ait, est quod accipis in veritate, cui similitudo militat dispensatione. (Ibid.) Corpus ut redemptionem pretio operetur, similitudo ut horroris tædium propellatur, & devotio-

A nis fincetitas exetceatur; vt dum quod non videt, credit, digniùs assequatur quod pollicetur, uperta majestas mysterij. Sequitur: *vis scire quam verbis cœlestibus consecretur, accipe quæ sunt verba. Dicit Sacerdos, fac nobis hanc oblationem ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi.* Quod figuram dicit sic accipe: quia cum hoc dicit Sacerdos & agit, ipsum Dominum figurat sua Sacramenta tractantem, & consecrantem, & ea ipsa pariter quæ sacrabat corporis sui, & sanguinis mysteria præferentem: *quod est*, inquit, *figura corporis & sanguinis.* Figura dicitur, eo quod iam præsentetur simplex panis & vini substantia, vnde verbis potentibus cœlestia effici debeant Sacramenta, vt Sacerdotis oratio docet, & indicat. *Fac nobis*, inquiens, *hanc oblationem ratam.* Videlicet ut suam naturam excellat; rationabilem, ut tibi placeat: acceptabilem, vt nobis proficiat; vel ratam, ut à figura transformetur in veritatem: rationabilem, ut nostræ tibi commendet devotionis servitutem: acceptabilem, ut sufficiat ad impetrandam cœlitus propitiationem. At deinceps: *Qui pridie*, inquit, *quam pateretur accepit panem in manibus suis sanctis, respexit ad cælum, ad te Pater sancte omnipotens æterne Deus, gratias agens benedixit, fregit, fractúmque Apostolis, & Discipulis suis tradidit, dicens, accipite, & edite ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum, quod pro vobis confringetur. Similiter & calicem postquam cœnatum est, dicens: accipite, & bibite, hoc est * sanguis meus. Vide, illa verba omnia sunt Evangelista, usque, accipite, sive corpus sive sanguinem. Inde verba sunt Christi. Vide singula verba; qui pridie, inquit, quam pateretur, accepit panem. Antequam consecretur panis est, ubi autem verba Christi accesserunt, corpus est Christi. Denique audi dicentem: accipite, & edite ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum. Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus; vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi in adversa convertere. * Denique ipse Dominus Iesus testificatus est nobis, quod corpus suum accipiamus & sanguinem. Nunquid debemus de eius fide, & testificatione dubitare?* Hic beatus Ambrosius de fide & testificatione Christi hæsitantes manifestè redarguit: verúmque Christi corpus, verum eius sanguinem, panem & vinum post verba Christi apertâ confessione asserit; mutatis videlicet naturis potentiâ Dominici sermonis. Quapropter iam perspicuum & evidens est quare superius similitudinem habere sanguinis, non speciem videri dixerit. *Hæc*, ait, *similitudo sola est sanguinis, non sanguis, sed similitudinem*, inquit, *habet*, cuius non videri dixerat speciem; quod si dixisset, spem sibi salutis pretiúmque funditùs redemptionis ademisset: ideóque Christo Iesu ac suis quæ ante præmiserat verbis, & post subdiderat, contrarius omnino probaretur esse. Cùm ergo dixit speciem non videri, sed habere similitudinem, sanguinem reveta nullatenus esse negavit, ad quem species, vel similitudo videntur referri, & aliud ei tribuere, vel negare sine sui diminutione, nam licet non videatur in sua specie, licet aliquam videatur quam prætendit similitudinem habere, non nihil tamen potest esse. Nam & verus sanguis est, vero de corpore Dei & hominis Iesu Christi. Nec alius quam qui de Virginis carne exortum accepit, & in pretium fusus est mundi, sicut post pauca declarat præfatus Doctor ubi ait: *Vbi verba Christi accesserint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit.* Nota diligenter singula, & vim verborum pondera, verba, inquit Christi operantur, sanguis efficitur qui plebem redemit, quia nimirum non alius est qui efficitur, quam qui redemit sanguis. Idem igitur ille fusus, & iste sacratos unus est unius Christi sanguis verus, licet figura iuxta aliquid dicatur; non tamen sicut manna, quod corpus Christi non erat, sed signabat: propter quod & umbra vocatur, cum substantialiter manna tantum fuisse probatur. Vnde Augustinus: *Sed manna umbra erat, ista veritas est, panis quem ego dedero, caro mea est, hic est panis de cælo descendens: mira planè res, panis descendit de cælo, panis quoque est caro, ergo caro de cælo; itane est? Ita plane, sic enim scriptum est: qui descendit de cælo filius hominis, qui est in cælo. Vidésne quanta sit unitas Dominicæ personæ quantáque veritas utriusque naturæ in Dominico homine? In cælo caro, verbum in terra, immo verbum & caro in cælo & in terra, quia nimirum una Dei & hominis est Christi Iesu persona, hic autem est, panis vivus ex simila nostræ humanitatis, & divinitatis vere confectus; sicut enim granum frumenti volubili tritum molâ conspergitur aquâ, ut panis fiat, ita illud frumenti granum per dispensatoriam mortem in terram deciduum, ut multum afferret fructum stillicidio roratur divinitatis, ut sit iam non duo, sed unus panis, atque ita figura Dei, & figura carnis, una sit figura Sacramentorij panis, non futilis, sed plena veritatis. Quem illa mulier Evangelica tribus farinæ satis occulit, quoad sufficienter fermentatus fieret accommodus usibus humanis. Hoc igitur spiritualiter pane degustato, quæ prægustate ita merebimur concorporari Christo, ut ipse in nobis, & nos simus in ipso, sicque ex compluribus, non plures, sed unus panis, per consummata videlicet Sacramentum unitatis in ipso, & in nobis. Vnde Apostolus ait: Itaque unus panis, unum corpus multi sumus. Ingens igitur dependendus est labor, orationisque usus frequentior, colenda animi puritas, sectanda præ omnibus charitatis unitas, ac sic frequentanda tanta gratia veritas: quotidianus enim hic panis nuncupatur, cum in oratione Dominicâ dicitur; panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hic Pater Augustinus talia prosequitur: *Si quotidianus*, inquiens, *est panis cur post annum illum sumis quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit, sic vive ut quotidie merearis accipere, qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Quomodo Iob sanctus pro filiis offerebat sacrificium ne fortè aliquid vel in corde peccassent: ergo tu audis quod quotiescunque hoc sacrificium mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Domini significetur, & remissio peccatorum, & panem istum vitæ æternæ quotidie non assumis? qui vulnus habet, medicinam requirit: vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est cœleste, & venerabile Sacramentum.* Hæc sunt pretiosa Sancti Augustini dicta, contra eos præcipuè qui post novem annos semel communicant; & cum infidelitatis arguuntur, humilitatem mentiuntur, qui si humilitatis gratiâ à Sacramento sancto sese suspenderent, nequaquam perversè sentiendo, & in luto nuperæ hæreseos impudenter hæsitando, contra idem sacramentum procaciter disputarent. At nos, quibus alia sententia est, si munditia cordis cum innocentia operis consentit, divinis frequẽter participemur mysteriis. Si verò capitalia premunt crimina, à sanctis, non ut in peccatis perseveremus, abstineamus; sed ne super impiâ temeritate damnemur, si impudenter mortalibus attaminati vitiis ad ipsa nos præsumenda immergamus. Ergo ad tempus abstinendum est ita à sanctis, sed pœnitentia ocyus adhibenda, ut cessando à malis, dignáque satisfactione vitam mundando à peccatis, satagamus amissam reparando gratiam sacramentorum communione digni quandoque inveniri. Qui autem ab his criminibus vel vitæ innocentiâ immunis est, vel dignâ post lapsum pœnitentiâ subsequente indemptus effectus est, sic frequenter atque cum humilitate communicet, ut & infirmitatem suam diligenter consideret, & à minimis, opitulante Deo, peccatis abstinere de cætero festinet, déque Dei misericordia nullatenus desperet: qui ut quotidianis lapsibus nostris quotidianum procuraret remedium, cœleste hoc novúmque non annuatim, sed diatim agendum, remotis veteribus, instituit sacrificium, quo crebriùs pasti, ac subinde refecti innovemur, fideique gratiâ illustremur, quemadmodum ait Pater August. *Accesserunt*

Marginal notes (left): Ibid. c. 5. — B — Ibid. Mat. 26. c. 26. Luc. 22. b. 19. — * al. enim. — C — * al. deinde. — D

Marginal notes (right): E — F — Serm. [illegible] Item Ambros. lib. 5. de Sacram. [illegible] — G — H

A *Iudaei ad Christum ut crucifigerent; nos accedamus ut corpus eius accipiamus & sanguinem. Illi de crucifixo contenebrati sunt, nos manducando, & bibendo crucifixum, illuminamur.* Ecce hic nulla scribitur figura, sed apertè manducari crucifixus atque bibi perhibetur. Alibi quoque ait; *in sacramento credentes biberunt sanguinem quem fuderunt savientes.* Hic quoque nullum similitudinis offenditur nubilum, sed eundem in Sacramento dicti sunt bibisse sanguinem, credentes, quem sævientes fuderunt. Et in libro Confessionum. *Ille*, inquit, *tuus unicus redemit me sanguine suo, non calumnientur mihi superbi, quoniam cogito pretium meum & manduco, & bibo, & erogo, & pauper cupio saturari ex eo.* Ecce Augustinus Christum cogitat pretium suum, eumque se manducare dicit, quia cibus est, & bibere, quia potus est, utpote caro, & sanguis, &
B erogare, Episcopus enim erat, & pauperem copere ex eo saturari, quia humilis nesciebat fastidium divini Sacramenti.

Enarr. in psal. 33. tom. 8.

Ibid. in psal. 58. 1. parte.

Lib. 10. cap. 43. tom. 1.

Hæc igitur fideliter, & cum fidelibus credamus ut manducando Crucifixum, & bibendo cum illis veraciter illuminemur, ne per infidelitatem cum impiis obtenebremur; qui videlicet infideles tametsi vocem Christi, quæ carnem suam dixit comedendam, bibendumque Sanguinem nequiverint ferre, quia noluerunt reverenter credere, tamen Christus Deus quia voluit, potuit absque dubio, quod dixit implere, carnemque suam nobis in escam, & potum præbere; quod quamvis ratione videatur minùs compertum, fide tamen constat omnino perspicuum. Quemadmodum enim credimus Verbum carnem factum, & indubitanter tenemus, sed qualiter sit nullâ ratione novimus: ita & in dominico Sacramento panem, qui cernitur, nihil aliud quam Christi carnem, quæ percipitur, intelligi-
C mus, tametsi hoc capere, vel differere nequeamus. Hoc autem credimus, quoniam ipsa eadem divinæ virtutis efficacia, quæ Dominicæ incarnationis extitit creatrix, huius quoque cælestis Sacramenti semper sit efficax, potensque operatrix. His igitur propter perfidorum insolentiam, paucis quidem pro rei magnitudine, minúsque accuratis pro maiestatis dignitate, sed libratis ratâ veritatis æquitate, prælibatis potiùs quam peroratis, quorundam temeritatem compescere, atque habenis modestiæ temperare dignum duxi: ut immoderatius divini Sacramenti altitudinem perscrutari nequaquam præsumant, ne offensam sub obtentu pietatis incurrant: quibus sufficere debet pura fidei simplicitas, & ab antiquis tradita, & ab eorum successoribus ad nos usque transmissa: nec humana in divinis est sectanda loquacitas, unde est illa beati Hilarij sententia. *Non est*, inquit, *humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, nec per violentiam, atque imprudentem prædicationem, cælestium dictorum sanitati aliena, atque impia intelligentia extorquenda perversitas est.* Hæc illos propriè sententia respicit, qui humano sensu cælestibus dictis violentiam inferunt extortæ impietatis, dum divinum Sacramentum notâ depravant turpitudinis.

Lib. 8. de Trinit. p. 125. edit. Paris.

D

PARS SEXTA.

SVnt autem multa in scripturis, quæ si vehementiùs exaggerata fuerint, non opem salutis, sed errorem inferant perditionis; nec acuant intellectum, sed mentis confundant intuitum: In quibus quicunque modum reservarunt, in Ecclesia Catholicâ perstiterunt: qui verò perefluxerunt, obturatóque insipienti corde in cogitationibus evanuerunt, in multiplices falsitatis fantasias devoluti sunt, heresiarchesque effecti, schismata, & concisiones operati sunt. Cum ergo, ut dictum est, innumera sint scripturæ sacræ mysteria, quæ revereri magis mortales, quam scrutari oporteat pauca hic ad evidentiam rei subtexam, ex quibus est illa de vocatione gentiũ, Iudæorúmque repulsione districta divinitatis censura, in quam cum Paulus Apostolus opportunitate disputationis impegisset, nec se explanandæ, neque nos ei capiendæ sufficere pervidisset, in admirationem divini secreti repentè erumpens: *O*, inquit, *Altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles via eius!* Sed & illud de animarum origine, de qua multiplex apud mundi philosophos fuit disputatio, & inter nostræ religionis probatissimos duplex est agitata ratiocinatio. Cuius altera quidem pars ad reddendam quæstionum solutionem paratior, altera verò est ad fidei integritatem propensior. Sed ea nimirum evicit, quæ ad veritatem præponderavit. Ita quoque & hoc cæleste Sacramentum credendum est potius, quam discutiendum. Satius est enim aliquid dissimulanter ignorare, quam quid inhonestè de re tantâ diffinire: quia in altero præsumptionis est periculum, in altero sobrietatis catholicæ negotium: Vnde beatus Gregorius ait: *Quod ex agno remanet igne comburimus, quando hoc quod de mysterio eius penetrare non possumus, potestati sancti Spiritûs humiliter reservamus; ut non superbè quis audeat vel contemnere, vel denuntiare quod non intelligit, sed hoc igni tradat, cum spiritui sancto reservat.* Ergo quod ipsa per se veritas de suo sancto corpore, & sanguine definivit, credamus, quodque ut crederetur per scripturas divinitus inspiratas dignata est revelare; profiteamur. Ab his nullâ recenter emergente opinione avellamur: pro his quoque deffendendis quicquid est rerum, quicquid virium, sed & sanguinem ipsum, si ita res exigit, impendamus. Caro enim vera est, verusque Sanguis Christi Sacra confectio panis, & vini, quæ per mysterium passionem ipsius repræsentat Vnigeniti, proque sumentium meritis, vitæ sit stipendium, sive iudicij causa singulis. Quod si his altius quid pro perversitate ebullientium hæreticorum refellendâ depromere necesse sit, idipsum quoque modum probabilis non excedat rationis, nec gratiâ destituatur plenissimæ honestatis, nam ad omne redundat præstigium impietatis aliquod ibi suspicari vestigium turpitudinis: ubi consistit forma disciplinæ cælestis, decusque totius sanctitatis. His itáque quæ dicta sunt pro modo exortæ quæstionis, & sufficere credo his, quibus veritas placet, non prolixitas orationis: copiosa divinorum testimoniorum ex patrum dictis excerpta annectere exempla proposui, quibus fideles quique pleniùs informati, suam tueantur credulitatem, & perfidorum securiùs subsannent impietatem, & obiectas acriùs propellant quæstiones. Augustinus ergo ait in libro psalmorum; *Ferebatur in manibus suis: hoc verò fratres quomodo posset fieri in homine quis intelliget? Quis enim portatur in manibus suis? manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum literam non invenimus: in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis quando commendans ipsum corpus suum, ait, hoc est corpus meum. Ferebatur illud corpus in manibus suis, ipsa est humilitas Domini nostri Iesu Christi, ipsa multum commendatur hominibus.* Et post pauca ait: *Accesserunt enim ad illum Iudæi ut crucifigerent, nos ad eum accedamus ut corpus, & Sanguinem eius accipiamus. Illi de crucifixo contenebrati sunt, nos manducando & bibendo illuminamur.* Alibi dicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in illo, quomodo intellecturi sumus hoc? nunquid etiam illos poterimus hic accipere de quibus dicit Apostolus, quod iudicium sibi manducant & bibunt, cum ipsam carnem manducent, & ipsum Sanguinem bibant? Nunquid Iudas magistri venditor & traditor impius quamvis primum ipsum manibus eius confectum Sacramentum Carnis, & Sanguinis eius cum cæteris discipulis, sicut apertiùs Lucas Evangelista declarat, manducaret & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo?* Item Augustinus; *Hoc totum quod Dominus de Carne, & Sanguine suo locutus est, & quod hinc voluit intelligi manducatores, & potatores carnis, & sanguinis sui: hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, ut carnem & Sanguinem Christi non edamus tantùm in Sacramento, quod & multi mali; sed usque ad*

E Rom. 11. d. 33.

F Homil. 22. in Evangel.

G

Exposit. in ps. 51. Concion. 1. d. 10. 8.

H Expos. Psal. 33. tom. 8.

Serm. 38. de verb. domini. cap. 18. tom. 10.

spiritûs

A spiritus participationem manducemus, & bibamus, ut in Domini corpore tanquam membra maneamus, & non scandalizemur etiamsi multi modò nobiscum manducent, & bibant temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine tormenta. Item supra: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. De cœlo descendit & manna, Sed manna umbra erat, ista veritas est: Siquis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vitâ. Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem? vocatur caro quod non capit caro, & ideo magis non capit caro, quia vocatur caro: hoc enim exhorruerunt, hoc non posse fieri putaverunt, & paulo superius: Nunquid non morimur fratres, qui manducamus panem de cœlo descendentem? sic sunt illi mortui, quemadmodum nos sumus morituri. Nam temporaliter & hi profectò moriuntur, qui Christum manducant, sed vivent in æternum, quia Christus est vita æterna. In eodem: Caro non prodest quicquam, sicut illi intellexerunt; non sicut ego de ad manducandum carnem meam. Item: Vitam habes æternam in ministratione corporis, & Sanguinis tui; & nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei vivi, id est, quia ipse vita æterna tu es, & non das in carne, & sanguine tuo, nisi quod es. Hic stercorianistæ audiant, quid tantus Doctor dicat, non das in carne, & Sanguine tuo, nisi quod es. Vita æterna ipse es, & vitã æternam, quod es, das: non stercora quod non es, in carne, & sanguine qui ex te est. Item Augustinus: Locutus est nobis Dominus de corpore & Sanguine suo, quorum corpus dixit escam, & Sanguinem potum. Sacramentum fidelium agnoscunt fideles cum ergo commendans talem escam, & talem potum diceret; nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis Sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis, & hoc diceret de Vita, quis alius quam ipsa Vita; erit autem illi homini mors non vita, qui mendacem putaverit vitam. Scandalizati sunt autem discipuli eius, non quidem omnes, sed plurimi: quibus respondit Dominus; Hoc vos scandalizat, putatis quia de corpore hoc quod videtis partes facturus sim, & membra mea conscissurus, & vobis daturus? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? Quid sibi vult hoc? Certè qui integer ascendere potuit, consumi non potuit. Ergo de corpore, & Sanguine suo dedit nobis salubrem refectionem, & tam magnam breviter soluit de sua integritate quæstionem. Item Augustinus; Ille tuus: unicus redemit me Sanguine suo, & cogito precium meum & manduco, & bibo. Alibi: rectè ergo sub ara Martyres collocantur, quia super aram Christus imponitur, rectè sub altario istorum membra requiescunt, quia super altare corpus Domini offertur: nec immeritò illic iusti vindicta Sanguinis postulatur, ubi etiam pro peccatoribus Christi Sanguis effunditur. Sanctus quoque Cyrillus cum. C. L. apud Ephesum congregatis: Annuntiantes, inquit, secundum carnem mortem unigeniti filij Dei, id est, Iesu Christi, & resurrectionem eius & in cœlos Ascensionem pariter confitentes incruentam celebramus in Ecclesiis sacrificij servitutem. Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis, & pretiosi Sanguinis Christi omnium nostrum redemptoris effecti: non ut communem carnem percipientes, quod absit, nec ut viri sanctificati & verbo coniuncti secundum dignitatem unitatis, aut sicut divinam possidentis habitationem, sed verè vivificatricem, & ipsius Verbi propriam factam. Et beatus Ambrosius; Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus: Carnem audis, Sanguinem audis, mortis Dominicæ Sacramenta cognoscis, divinitati calumniaris? Audi dicentem ipsum: spiritus carnem, & ossa non habet. Nos autem quotiescunque Sacramenta sumimus, quæ per sanctæ orationis mysterium in carnem transfiguratur, & Sanguinem, mortem Domini annuntiamus. Huc usque Beatus Ambrosius, in cuius verbis considerandum est quod ait, Sacramenta, id est, panem, & vinum, quæ à sacrando ita dici patet, per sanctæ orationis mysterium in carnem transfigurari, & Sanguinem: quia profectò, ut supra ait Augustinus: Post verba sacra orationis non iam panis & vinum, ut pote in aliud cœlesti virtute translata, sed caro, & Sanguis Christi creduntur, per quæ mortem eius annuntiamus, hinc etiam Eusebius Emissenus: Recedat, inquit, omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse etiam & testis est veritatis. Nam invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis, & sanguinis sui, Verbo suo, secretà potestate convertit ita dicens: Accipite, & edite, hoc est corpus meum, & Sanctificatione repetità accipite, & bibite, hic est Sanguis meus. Ergo ad nutum præcipientis repente ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum: & pari potentiâ in spiritualibus Sacramentis verbis præcipit virtus, & rei servit effectus. Et post pauca: Nec dubitet quisquam primarias creaturas nutu potentiæ, & præsentiâ maiestatis in dominici corporis & Sanguinis transire posse naturam: cum ipsum hominem videas artificio cœlestis misericordiæ Christi corpus effectum. Et beatus Gregorius; debemus, inquit, præsens sæculum, vel quia conspicimus defluxisse, totâ mente contemnere & quotidiana Deo lachrimarum sacrificia, quotidianas carnis eius, & Sanguinis hostias immolare. Hæc namque * singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem unigeniti per mysterium repræsentat: qui licet surgens à mortuis iam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur, tamen in seipso immortaliter, atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur: eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salute partitur, eius Sanguis, non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. In dialogo quoque Basilij, atque Ioannis ita legitur: qui sursum sedet in dextera Patris, sacrificij tamen tempore hominum manibus continetur, traditurque lambere cupientibus eum, & cum veneratione complecti. Sed & Doctor Leo: Tunc, ait, sacrificij munda est oblatio, & misericordiæ sancta largitio, quando hi qui ista dependunt, quid operentur intelligunt, nam dicente domino; nisi manducaveritis, Carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis, sic sacra mensa communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi, & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, & frustra ab illis amen respondetur, à quibus contra id quod accipitur, disputatur. Beda nihilominus: Quotidie, ait, Christus tollit peccata Mundi, lavatque nos à peccatis nostris in Sanguine suo: cum eiusdem beatæ passionis memoria replicatur, cum panis & vini creatura in Sacramentum carnis, & Sanguinis eius, ineffabili spiritus sanctificatione transfertur: sicque corpus, & Sanguis illius non inter infidelium manus ad perniciem ipsorum occiditur, & funditur, sed fidelium ore suam sumitur in salutem. Paschasius verò: Ergo cum dominus, ait, hoc est corpus meum; & hic est Sanguis meus, non aliam puto insinuasse carnem, quam propriam, & quæ nata est de Maria Virgine, & pependit in cruce: neque Sanguinem alium quam qui fusus est ex latere, & tunc erat in proprio corpore. Amalarius etiam in libro officiorum: In pane, inquit, commendavit Christus corpus suum, & in calice Sanguinem suum dicens; comedite, & bibite; hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis: Hic credimus naturam simplicem panis, & vini verti in naturam rationabilem, scilicet corporis, & Sanguinis Domini. Mira ergo, & magna est sancta Ecclesiæ fides, quæ spiritualibus videt oculis, quod mortalibus deest. Credit sacrificium præsens per Angelorum manus deferri, & sentit mandendum esse humano ore. Credit quoque corpus, & Sanguinem Domini esse, eoque morsu repleri sumentium animas benedictione cœlesti. Vbi notandum quod priorum patrum secutus auctoritatem dixit simplicem panis, & vini naturam in rationabilem dominici corporis, & Sanguinis demutari naturam, quod enim in aliud vertitur, aliud proculdubio quam fuerat repentè habetur; proinde panis, & vinum quæ deferuntur ad altare, verbisque consecrantur divini sacerdotis ore: etsi videantur in

priori

Marginal notes: Expos. in Euang. Ioann. tr. 26. tom. 9. — Ibidem. — Ibidem in fine. — Ibidem tom. 27. — Ibidem. — Serm. 2. de verb. Apost. tom. 10. — Lib. 10. confess. c. 43. & l. 1. Ser. 71. de diversis tom. 10. — Epist. la Cyrilli Alexandrini ad Nestoriũ cap. 16. fol. 7. tom. 5. Concil. editionis Regia. — Lib. de fide ad Gratian. 1. 4. initio. — Homil. 5. de paschate in Biblioth. Patrum. — Lib. 4 dialog. cap. 58. — al. * Singularis. — Ioan. Chrys. lib. 3 de sacerd. cap. 4. — Serm. 5. de ieiun. 7. mens. — Homil. in Epiphan. Domini inter homil. hiemales de sanctis tom. 7. — Epist. de sang. & corp. Domini ad Fredegard. fere initio.

A

priori quâ deferuntur specie, Christi tamen substantialiter corpus & Sanguis creduntur esse, non aliquâ fantasmatis vacua imagine, sed quemadmodum Beatus Ambrosius, & sanctus Gregorius, atque Eusebius, sanctusque Beda suis scriptis tradidere, rerum temporalium in vivificam carnis, & Sanguinis veramque naturam cœlitus mutatione: cuius perceptio, quæ fit humano ore, cum interiori sensu mediante fide, animas sinceriter accipientium & corpora cælesti venustat benedictione. Sed hoc nonnisi à sapienter fidelibus valet ad liquidum capi, quibus id Deus per Spiritum sanctum suum, sine quo nemo potest dicere, *Dominus Iesus*, dignanter revelarit, gloriam quoque Deo fideliter dantibus, ac firmiter credentibus, quia quodcunque voluerit potest operari fidelis ipse in omnibus verbis suis, qui ut scriptum est, facit magna, & inscrutabilia: quæ

B

si non valent ad plenum comprehendi, debent tamen sine aliquo mentis scrupulo credi ad integrum.

Licet igitur hæc sufficere crediderim, quæ de antiquorum Patrum dictis excerpta hic congerere curavi, adhuc tamen quid Fulbertus Carnotensis Episcopus,

Epist. ad Deodat.

nostri temporis sagax, & acer philosophus; sed fide, vitâ, moribusque discipulorum Christi discipulus, hac de re senserit, & scripserit adnotatum ire non ingratum duximus. Ait enim inter cætera: *Quia corpus suum quod semel pro nobis Christus offerebat in precium, paulò post à nostris visibus sublaturus erat in cœlum, ne sublati corporis fraudaremur præsenti munimine, corporis & Sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit: non inanis mysterii symbolum, sed compaginante Spiritu Sancto corpus * Verum, quod quotidianâ veneratione, sub visibilis creaturæ formâ, invisibiliter virtus secreta in sacris sollennibus operatur.* Post pauca. *Quid autem indignum*

*al. * Christi.*

*Deo iudicari potest, qui uterum Virginis subiit, si virginibus creaturis infunditur? * & licet simplicis naturæ*

*al. * quæ.*

C

paulò ante præferant imaginem, postmodum cælestis verbi sanctificatione inspiratis maiestas vera diffunditur, & quod substantia panis, & vini parebat exterius, iam corpus Christi, & Sanguis fit interius. Gusta itaque, & sume panem vitæ interioris alimentum, non arte pistoriâ fermentatum, sed incarnata Deitatis vitale pulmentum. Sume nihilominus vinum, non sordido cultore calcatum, sed de torculari crucis expressum. Gusta inquam cælestis ferculi suavitatem, sed ne nausees dispensatorum germinis terreni saporem. Et paulo post. *Dubitari autem nefas est, si terrena materies natura, & generis sui meritum transcendens, in Christi substantiam commutetur; & si creaturas, quas de nihilo facere Deus potuit, has ipsas valeat in excellentioris naturæ dignitatem convertere, & in sui corporis substantiam transfundere.* Ecce quid supradictus vir, secutus per omnia Patres antiquos dixerit. Hæc quoque sunt Ioannis Chrysostomi de re eadem sensa. *Præsens Iudas erat Christo dicente; hic est Sanguis meus, qui pro multis effundetur, Dic Iuda quem triginta denariis vendidisti? iste est Sanguis, de quo cum*

Homil. I. in de proditione Iudæ Sub. fin.

Pharisæis pacta fecisti. O Christi misericordia! O Iudæ dementia! Ille cum triginta denariis paciscebatur ut venderet, & Christus ei Sanguinem quem vendidit offerebat. Et post nonnulla: *Nunc ille præsto est Christus,*

D

qui illam ornavit mensam; ipse quoque consecrat istam. Non enim homo est, qui proposita Christi corpus facit, & Sanguinem, sed ille qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur, & gratiâ, hoc est, ait, corpus meum, *hoc verbo proposita consecrantur, & sicut vox illa, quæ dicit: crescite, & multiplicamini, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem: ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem, & usque ad eius adventum præstat sacrificio firmitatem.* Et post nonnulla. *Ad sanctum, & terribile sacrificium properas, erubesce oblationis arcana, ubi occisus propositus est Christus: & cur occisus est? ut cælestia pacificet.* Item post pauca. *Iudæi Christum crucifixerunt, & tamen ille effusum Sanguinem ad salutem eorum, qui effuderunt, largâ pietate*

E

largitur. Ad Neophitos quoque ait; *Mortuo Iesu, & adhuc in cruce pendente approximat miles, lancea latus percussit, & exinde aqua fluxit, & Sanguis, unum baptismatis symbolum, aliud sacramenti. Ex latere igitur suo Christus ædificavit Ecclesiam, sicut de latere Adæ coniux Eva prolata est, & sicut in sopore quiescentis Adæ Deus lateris membra patefecit: sic modo post mortem, aquam nobis donavit & sanguinem. Videte ergo quo nos cibo satietatis enutrit. Ipse nobis cibi substantia est, atque nutrimentum, nam sicut mulier affectionis natura cogente, genitum alere sui lactis fecunditate festinat, & Christus quos ipse regenerat suo Sanguine semper enutrit.* Et alibi *Mortuus est*, inquit, *Christus ut tibi immortalitatem donaret. Esuriit ut te sua carne satiaret. Sitivit ut te Sanguine proprio potaret.* Item *Manducare voluisti, factus est tibi mensa. Bibere voluisti, factus est tibi poculum, sicut ipse*

F

ait; qui manducat carnem meam, & bibit Sanguinem meum, in me manet & ego in eo. Et Beatus Gregorius: *Quis*, inquit, *sit Sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui Sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur? In utroque enim poste agni Sanguis est positus, quando Sacramentum passionis illius cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur.* Hæc igitur & superius annotata tantorum Patrum dicta diligentissimè perpensa, omnem de tanto mysterio soluunt ambiguitatem: hæreticamque refellunt impietatem. Mirum autem vehementer, cum dominica per se sufficiant, verba, quod alia extrinsecùs quæramus ad fidei huius firmitatem exempla, qui enim dicit: *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus.* Et: *Qui manducat carnem meam & bibit Sanguinem meum*, Et: *Panis quem ego dabo, caro mea est*; Et *Qui manducat me, ipse vivet propter me.* Et, *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum: accipite, & bibete hic est Sanguis meus, qui pro vobis effundetur*, & cætera talia; nimirum huius rei firmitatem facit, & omnem dubietatis errorem plenissimè absoluit.

Homil. 22. in Evang.

G

PARS SEPTIMA.

VErum quia nonnulli sunt, qui hæc fideliter expendere nolunt, ad exemplorum copiam redeundum esse decernimus: Vt qui fortè rationi non credit, saltem auctoritate Multorum opprimatur. Ait igitur Eusebius Doctor: *Verè unica, & perfecta hostia, fide æstimanda, non specie, nec exteriori censenda visu, sed interiori effectu: unde meritò cælestis confirmat auctoritas: quia* carò mea vere est cibus, & Sanguis meus verè est potus. *Itaque quando benedicenda verbis cælestibus creatura sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis, & vini, post verba autem Christi, corpus est, & Sanguis Christi. Quid autem mirum est, si ea quæ verbo potuit creare, verbo possit creata convertere? imò minoris videtur miraculi esse, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum in melius valeat commutare.* Præterea Hincmarus Præsul in illa mirabili descriptione, quam versificè ad Regem Carolum edidit, quamque ferculum Salomonis vocari instituit, de veritate tanti Sacramenti cæteros secutus Patres, ita ait:

Homil. 5. de Pascha bibliot. SS. PP to. 5. p. 1.

H

In calce tom. 2. operum eiusdem. Et Flo-doardi est lib. 3. cap. 15.

Agnus lux mundi, proprio nos corpore pascens,
In nobis maneat: mansio nostra fiet.
Agnus fons vitæ, proprio nos Sanguine potans
Semper more suo debriet, atque regat.
Hic Deus omnipotens, per quem Pater omnia fecit,
Naturas rerum mutat, ut ipse volet.
Hic cruce nostra creat, proprius & munera verbis
Fitque caro, ac Sanguis, pane, liquore suus.
In cruce nam corpus fixum est, Sanguis quoque fu-
suo
Christo quæ in cæna iam dedit ante suis.

A *Cum nos indigni hæc memoramus, iussa Redemptor*
Emptorum pretium munera nostra facis

Et in Epicolumniis ita ait; *Sacrificium corporis, & Sanguinis Christi Domini de pane, & vino aquâ mixto, ineffabili sanctificatione, cruce, & verbis ipsius consecratur; & verum, ac proprium corpus ipsius Domini nostri Iesu Christi, & Sanguis eius verus ac proprius efficiuntur, sicut ipse protestatus est, hoc est corpus meum, hic est Sanguis meus.* (Ibidem.) Competenter autem prædictus vir sententiam suam divinâ auctoritate studuit firmare; unde velut ex quodam fonte tota consistit forma veritatis, atque traditionis Ecclesiasticæ, quæ uniformiter servatur ubique terrarum; unde & Apostolus ait: *Tradidi vobis in primis, quod & accepi; quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens benedixit, & fregit dicens; accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* (1. Cor. 11. v. 23.)

B Perpende quæso prudentiam accipientis, auctoritatemque considera tradentis, nihil namque eorum quæ acceperat immutavit, nihil novi, ut recentes schismatici, annexuit, sed ea ipsa quæ acceperat, salvâ sensuum integritate, ac verborum dignitate ut veritatis discipulus contexuit: ubi nullam figuræ, vel similitudinis mentionem interposuit; quia non quid significarent, sed quid essent dominica sacramenta propalaverat intimatum iri male tractantibus ea Corinthiis. Quocirca non sua, sed dominica verba ponere statuit, ut sibi pondus auctoritatis, & tanto sacramento debitam compararet reverentiam: de nomine Magistri dicentis, *hoc est corpus meum.* Verè etenim hoc divinum sacramentum corpus est dominicum, in quo vita manet perennis omnium. Vnde Augustinus ait: *O sacramentum pietatis! ô signum unitatis! vinculum charitatis, qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat, accedat, & credat, incorporetur, ut vivificetur.* (Expos. in Evang. Ioan. tract. 26.)

C Sed multâ consideratione dignum est, quod dicitur, *habet ubi vivat*; quia revera Christus inlocalis est vitæ locus, in quo vivat Christianus; habet unde vivat, quia non aliunde, quam ab ipso est vita, accedat ergo fide non pede, & credat corde, qui vult vivere. Incorporetur verò sacramentorum virtute, ut vivificetur caritatis veritate, ut per signum unitatis pertingat ad præmium incorruptionis, quod nemo aliter consequitur, nisi eo, in quo consistit plena veritas sacramento pietatis. De cuius sinceritate Cassiodorus in Psalmo centesimo nono prosequitur: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Cui enim potest veraciter aptari, nisi Domino salvatori? qui corpus, & Sanguinem suum in panis, ac vini erogatione salutariter consecravit, sicut ipse ait;* nisi manducaveritis Carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Sed in ista carne, & Sanguine nihil cruentum, nihil corruptibile, mens humana concipiat, ne, sicut dicit Apostolus, qui*

D *manducat corpus Domini indignè iudicium sibi manducet; sed vivificatricem substantiam, atque salutarem, & ipsius verbi propriam factam: per quam peccatorum remissio, & æterna vitæ dona præstantur.* Bene autem dictum est, nihil cruentum, nihil corruptibile mens humana concipiat, quia nimirum qui in dominico aliquid sacramento cruentum seu corruptibile adhuc suspicatur, ex illis est qui idcircò refugerunt dicentes; *quomodo potest hic carnem suam dare nobis ad manducandum?* cum *nisi manducaveritis carnem filij hominis non habebitis vitam in vobis*, audirent: (Ioan. 6. v. 53. 54.) arbitrabantur enim dici ut Christum quem intuebantur membratim essent divisuri, & morsibus corrosuri. Quod abhorrentes à consectatu Christi se subtraxere, quia quod audiebant nullomodo intellexere: tantique virtutem sacramenti, & vim dictorum non potuerunt penetrare: ideo scandalizati dixerunt: *durus est hic sermo*, (Ibid. 61.) quibus Augustinus eo loci ita dicit: *Putatis quia de hoc corpore quod videtis partes facturus sim, & membra mea conscissurus, & vobis daturus? Certò qui integer ascendere potuit, consumi non potuit. Ergo de corpore, & Sanguine*

E *suo dedit nobis Dominus salubrem refectionem, & tam magnam breviter solvit de sua integritate quæstionē.* Bene planè dicitur magnam solvit quæstionem, sed illis qui non refugiunt veritatem atque dominici venerantur, & capiunt sacramenti virtutem: nam illi qui adhuc erronei dubitant, aliudque quam veritas habet, sentientes, contra ipsam disputant, nodo tantæ quæstionis necdum soluti erant, quibus Dominus dicit *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam.* (Ioan. 6. v. 64.) Verè enim nihil illi prodest, qui divinum hoc mysterium non vult intelligere ut oportet. Cæterùm rectè credenti, & dignè percipienti per omnem modum prodest, unde August. *Domine Magister bone, quomodo caro non prodest quicquam, cum tu dixeris: nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? an vita non prodest quicquam? Et propter quid sumus quod sumus, nisi ut habeamus vitam æternam, quam in tua carne promittis? Quid est ergo non prodest quicquam? Caro non prodest quicquam. Sed quomodo illi intellexerunt? Carnem quippe sic intellexerunt quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.* (Expo. in Evang. Ioan tract. 27. tom. 9.)

F Quibus proculdubio similes moderni existunt hæretici, qui non dissimili errore possessi veritatem denegant dominici sacramenti: illi ipsi oppugnantes veritati, quæ dixit, *hoc est corpus meum.* Qui dum aliud quam quod veritas habet sibi fingant, ab ipsa penitus veritate extorres fiunt, & veram dominicæ communionis, cuius fidem refugiunt, salutem amittunt: nec immeritò: cæcitatis namque suæ tenebris undique obvoluti, ideóque odibilis vitio obstinationis, quod propriè hæreticorum est, præoccupati, dum scientiæ singularitate sibi applaudunt, divinum dominicorum dictorum lumen non attendunt: neque tantorum doctorum sententiis adquiescunt,

G quibus è diverso cum ipsi miserabiliter errant, erroris notam ascribere audent, in morem videlicet freneticorum, qui violentiâ passionis cum per omnia desipiant, omnes ipsi insanire è contra putant. Quod si prudenter, atque humiliter inter cæteras reliquorum doctorum sententias, hoc quoque quod prædictus vir Cassiodorus dicit, voluissent advertere, ad erroris sui probarent correctionem satis supérque sufficere, ait namque: *Nihil cruentum, nihil corruptibile mens concipiat, sed vivificatricem substantiam, & ipsius verbi propriam intelligat.* (Vbi sup.) Substantiam, inquit, non umbram, & ipsius verbi propriam, non figuram; quia reverà in illo specie tenus pane vera probatur substantia carnis dominicæ; & cum vera sit caro verusque Sanguis, nihil tamen corruptibile, nihil cruentum in tanto mysterio oportet credi, ne iudicium sibi, non salutis opem percipiat, qui taliter forte sentit, non diiudicans salobriter corpus Domini, quod maximi genus est flagitij. Vnde acerrimus disputator Augustinus in libro de doctrina Christiana dixisse invenitur ita: *Nisi*

H *manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis facinus, vel flagitium videtur iubere, sed infidelibus, qui quod dicebatur nolebant credere: qui cum audirent nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis, refugerunt: quia sacramentum quod divina parabat sapientia, sed interim differebat, non poterant utpote carnales intelligere, sed possent nimirum cum Petro & cæteris Apostolis qui perstiterunt fideliter, si vellent credere quousque cum illis glorificato Iesu, & dato Spiritu confirmari mererentur in omni veritate.* (Lib. 3. de doctrina Christ. c. 16. 17.) *At quia in audiendo inconsiderati, in non præbendo dominicis verbis fidem facti sunt indisciplinati, contigit illis non bene à bono Magistro recedere, in cuius disciplinatu noluerunt firmam constantiam retinere, offensi verbo equidem duro, ut sibi videbatur, sed temperando post non multum simplici sacramento, quod iam, licet non manifestè, prædicabatur.* Veruntamen taliter his à consectatu Domini recedentibus facilius indulserim, qui adhuc carnales carnalem hominem Christum Iesum Dominum cernentes,

ad

A ad superna oculos cordis mysteria contuenda erigere necdum poterant, quam nostri temporis hominibus, in quibus per baptismatis effusa est Spiritùs sancti gratia, qui sacrosancta mensæ cœlestis mysteria divinis formata oraculis, sanctorum quoque Doctorum declarata, atque lucidiùs exposita doctrinis, apertis roborata ostentis miraculorum, nec vereri dignantur, nec credere sed potius perversa dicendo contradicere: ac multa verborum turpium impietate, quia penitus nequeunt evertere, nituntur infamare; ac per hoc ubicunque possunt aliquam, vel in verbis, vel in sententiis Majorum occasionem reperire, injustam non desinunt calumniam concinnare; sicut in hac sancti Augustini, quam proposuimus sententiâ noscuntur facere, quam idcircò gratiùs amplectuntur, quam cætera illius de divino Sacramento documenta, quia dicit, *flagitium, vel facinus videtur iubere.* Sed horum perfidiâ studiosiùs repudiatâ, quid memoratus Doctor dixerit, vel
B quid in suis his dictis senserit, perscrutantes fideliter expendamus. *Facinus*, inquit, *vel flagitium videtur iubere*, ubi in primis considerare placet quod dictum est, *videtur iubere*, non iubet. Videbatur namque intolerabile esse facinus, vel flagitium carnem hominis manducare, vel Sanguinem bibere viventis, quod non iubebatur, sed in sacramento, quod iam prædicebatur. *Videtur*, inquit, *iubere*, non iubet, ubi Iudæos tangit, & eorum sequaces erroris, qui grande flagitium in his Domini verbis esse arbitrati sunt: & ideo exhorruerunt, & retro abierunt, quia dictum ita acceperunt, quasi dentibus voraturi essent Christum, sicut canes vivum atque cruentum eùm comprehenderint vorant leporem, aut cervum. Quod non procedit, neque ratio admittit. Facinus enim est & grande flagitium, hoc ita sapere, quod aliter est sentiendum: Videlicet ut ca-
C ro Dominica ita putetur accipi, ut caro communis hominis, vel alicuius animalis, cum potius per sacramentum spiritualiter sumi credenda sit, & tamen non alia, quam quæ passioni subjacuit, licet oblati species videatur panis; quod ita divinâ utique dispensatione procuratum esse, oportet fideliter credi: ut fragilitas humana quæ suis carnibus non consuevit vesci, ipso visu nihil hauriat quod horreat, & de cætero nihilominus quam veritas habet carnis Domini nostri Iesu-Christi in sacramento percipiat, de quo Apostolus ait: *Etsi noveramus secundum carnem* Iesum-Christum, *sed nunc iam non novimus.* Vbi veritatem assumptæ ex nobis non denegat naturæ, sed incorruptibilitatem significat in * Deum per resurrectionem glorificatæ substantiæ nostræ, quam, sicut est incorruptibilis in Deo, ita nimirum sub visibili, & vsitatâ specie incorruptibilem sumimus in sacramento. Sed huic tanto sacramento percipientium conformandæ, & co-
D aptandæ sunt mentes, ut quod sumitur in mysterio, effectu proficiat interno, videlicet ut quisquis tantæ participat sanctitati, mortuus mundo, & vitiis, in novitate vitæ de cætero studeat conversari. Ideo namq; signum, vel figura ab eodem dicitur Augustino in supra memorato libro, ubi ait: *Figura * ergo præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter * recolendum in misericordia, quod caro Christi pro nobis crucifixa, & vulnerata sit. Passioni siquidem Christi communicat qui se crucifigit mundo, & concupiscentiis, ut non quodcunque libet faciat, sed & utiliter recolit crucifixam, & vulneratam pro nobis carnem dominicam, qui proximi necessitatibus benignè impendit misericordiam apponendo & ipse pro fratribus animam suam.* Hoc profectò significare, cum talia diceret præfatus Doctor, attenderat communionem dominicam: quanquam secundùm naturæ proprietatem nihil aliud sit quod percipitur, quam vera, ac naturalis Christi carnis, & Sanguinis substantia. Proinde quotiens in voluminibus Beati Augustini dominicum mysterium figura, vel signum, sive typus reperitur appellati; non debet inconsideratâ temeritate accipi, sed diligenti operâ cur ita nuncupetur ventilari; quia

[Margin: 1. Cor. 5. 16.]
[Margin: Deo.]
[Margin: Vbi su[pra] al. * ergo, * recolendum memoria.]

E reverà sibi ipsi tantus Doctor contrarius esse nequit; si enim ea quæ alibi dixerat, alias aliter sentiendo destrueret; prævaricatorem se procul dubio constitueret, ac per hoc nullus dictis eius accommodare fidem deberet. Verum de errore dictorum eius auferenda est omnia suspicio post ea, quibus propria ipsius prospexit correctio, & diligens operosáque adhibenda intentio; ac locorum, in quibus videtur diversa posuisse, facienda discussio, ne alia accipiantur pro aliis, sed sua suis servetur dictorum proprietas quibúsque locis. Nam ut cætera prætercam quæ de veritate dominici corporis approbatur sensisse ac Sanguinis, illud quod contra omnium hæreticorum argutias, & versuta argumentorum jacula præcipuum sufficiénsque decernitur, quodque in explanatione cuiusdam Psalmi edidisse cognoscitur inseram, unde luce clarius patet eum in sacramento Dominico nihil inane, & veritatis vacuum, nihil sensisse umbratile & fucatum: quin potius designasse per omnia verè esse Christi corpus naturale; &
F Sanguinem substantivum, qui fusus est in cruce, munera quæ consecrantur in altare; licet nonnunquam videatur approbare innui nobis ipsa veritate aliquid, per quod eidem pressiùs informemur, & artiùs inhæreamus, opere faciendum. Ita namque ait: *Anceps factus sum, timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cælum & terram: rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia dicit mihi Psalmus, adorate scabellum pedum eius. Quæro quid sit scabellum pedum eius, & dicit mihi scriptura: Terra est scabellum pedum meorum? fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius: suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.* Et paulo post *cum dixisset*: Nisi
G quis manducaverit carnem meam, non habebit in se vitam æternam, *scandalizati sunt discipuli eius quidam septuaginta fermè, & dixerunt, durus est hic sermo, quis potest illum intelligere? Et recesserunt ab eo, & amplius non cum eo ambulaverunt, durum illis visum est quod ait, nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam, acceperunt illud stultè, carnaliter illud cogitaverunt, & putaverunt quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo & daturus illis:* Dixerunt, durus est hic sermo; *Ipsi erant duri, non sermo. Etenim si duri non essent, sed mites essent, dicerent sibi: non sine causa hoc dicit nisi quia est ibi aliquod sacramentum latens, manerent cum illo lenes non duri, ut discerent ab illo, quod illis discedentibus qui remanserunt didicerunt: nam cum remansissent duodecim Discipuli illis recedentibus suggesserunt illi tanquam dolentes illorum mortem, quod scandalizati sint in sermone eius, & recesserint. Ille*
H *autem instruxit illos, & ait illis:* Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quicquam: verba quæ locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt: *Spiritualiter intelligite, quod locutus sum, non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri Sanguinem, quem fusuri sunt illi, qui me crucifigent, Sacramentum vobis aliquod commendavi, spiritualiter intellectum vos vivificabit, & si necesse illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi.* Quid hoc apertius, quid planius potuit dici? *Hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri Sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent.* Hic nihil ambiguum est, nihil quod accipi valeat aliter, quam corpus illud Domini, quod videbatur comedendum, & Sanguinem qui fundendus erat bibendum. Hoc plane est quod ipse Dominus dixit: *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hic Sanguis qui pro vobis effundetur.* Sed ad superiora redeamus: *Suscepit*, inquit, *Christus de terra terram, quia caro terra est, & ipsam nobis non aliam planè, sed ipsam quam suscepit de terra nobis carnem ad*

[Margin: Enar. Psal. 98. to. 8.]
[Margin: Ibid.]

A *manducandum, & ad salutem dedit.* Ecce quod alibi certæ gratiâ rationis figuram dicit, & signum. Hic carnem Christi de terra sumptam apertè pronuntiat datam nobis ad manducandum, nec aliam sanè, quam quæ de Virgine nata est, quæque crucis suspendium perpessa est, quæ æthera transmisit, atque in paterna sede locata ad decus humanæ naturæ orbis imperium pro arbitrio disponit divinæ per omnia consors majestatis; nulli ulterius obnoxia corruptioni, quæ eò sumentes se provehit, ut devictâ quandoq; molestiâ naturæ mortalis consortes, & participes promereantur effici beatæ immortalitatis. In suæ igitur persistens integritatis incorruptione nihil nostro vitio pati creditor corruptibile, licet visibili mysterio nostræ videatur officio servitutis non deesse. Veritas ergo credenda est in proprietate substantiæ, & sinceritas in ipsius Sacramenti inæstimabili dignitate, ac si vera caro, verusque B Sanguis sentienda sunt sine qualibet corruptione, licet panis, ac vini species dispensatoriè reservata ministrorum devotioni famuletur temporaneæ, quâ perceptâ, & ipsa in nos, & nos ipsi mereamur in Christi membra transformari, per veritatem videlicet communicatæ utrimque naturæ, nostræ scilicet, ac suæ, quam dignatus est ex nobis habere, ut illius nos efficiat participes, & modo utcunque, & hoc remoto, perfectiùs quandoque in qua semper manet de Patre, atque in Patre. Quanam autem ratione sanctus vir, qui carnem de terra Christum tam manifestè definivit assumpsisse, eámque nobis ad manducandum, & ad salutem insinuat contulisse, contra suam sententiam potuit aliter alibi, quod absit, docere, & ex abrupto Dominicum sacramentum figuram duntaxat aut signum, nihilque aliud esse, imprudenter atque impiè dogmatizare? Attamen veritas ipsa, aliquid per mysterium nobis agendum notat. Vnde Apostolus: *Quicunque manducatis hunc panem, mortem Domini annunciatis.* (1.Cor.11 f.26.) Et Petrus: *Christus, inquit, passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* (Ep.1.c.2. b.21.) Ecce signum, ecce figura, quam tangit C Augustinus; videlicet ut sequamini vestigia eius, id est, o! qui creditis in eum fide, quem & sumitis in corpore suo, ac Sanguine, imitemini illum operum bonorum executione, & morum sinceritate: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore eius, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur.* (Ibid.22.) Quicunque enim corpori Christi, & Sanguini, qui per passionem fusus est, communicat, debet ei participare, & per sinceram in proximos benignitatem, & compatientis animi suavitatem. Hoc quippe est, quod Augustinus ait: *Figura ergo est præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter, atque utiliter recolendam, in misericordia, quod caro Christi pro nobis crucifixa sit, & vulnerata.* Ac si diceret: veritas quidem est, quod in sacramento percipitur, ac vera caro verúsque sanguis quod sumitur; verumtamen ipsius veritatis indiculo, necne passionis do- D minicæ, quæ ibidem recolitur, exemplo commonetur omnium percipientium devotio, ut ad illius agni per simplicis vitæ meritum contendat innocentiam, ac per compassionis fraternæ misericordiam, eius sufferentiæ æmuletur vestigia, qui pro nobis nec opprobriorum contumelias, nec passionum refugit iniurias, & omnibus tam credentibus, quam incredulis singulare mortis suæ dignanter impedit remedium, ac vitæ procuravit beneficium, quod ita se idem Doctor nec aliter affirmat profectò sensisse, in præcedenti, id est in secundo de Doctrina Christiana libro liquidiùs dum dicit inter cætera: (Cap. 1.) *Nam odore unguenti Dominum quo perfusi sunt pedes eius signum aliquod dedit, & sacramento corporis & sanguinis prægustato significavit, quod voluit.* In quo loco simul posita licet advertas, odorem unguenti, quod & verum secundum gestorum fidem fuit, & tamen aliud iuxta tropologiæ rationem significavit, & dominici sacramenti prægustationem, id est, corporis, & sanguinis Christi perceptionem, quæ nihilominus inata integritatem rerum vera esse constat,

E & tamen à significationis gratiâ non vacant. Vnde & alibi de sacramentis feriâ secundâ Paschæ disputans, ait: *Vnus panis, unum corpus multi sumus, omnésque de uno pane, & de uno calice participamus, quia qui passus est pro nobis, commendavit nobis in isto sacramento corpus suum, & sanguinem, quod etiam fecit & nos ipsos: nam & nos corpus ipsius facti sumus, sed per misericordiam ipsius. Non fuistis, & creati estis, ad aream Dominicam deportati estis à laborantibus boum, id est, annuntiantibus Evangelium triturati estis, tepistis moli ieiuniis & exorcismis; postea ad aquam venistis, & conspersi estis, & unum facti estis: accedente fervore Spiritûs sancti cocti estis, & panis dominicus facti estis. Ecce quod accepistis. Quomodo ergo videtis unum esse quod factum est, sic unum estote & vos, diligendo vos, tenendo unam fidem, unam spem, individuam charitatem. Hæretici quando accipiunt hoc testimonium, contra se faciunt, quia illi quærunt divisionem, cum iste panis indicet unitatem. Sic & vinum ex multis racemis fluit,* F *& modo in uno est, unum est in suavitate calicis, post pressuram torcularis. Et vos post illa ieiunia, post labores, post humilitatem, & contritionem iam in nomine Christi tanquam ad calicem Domini venistis, & ubi vos estis in mensa, ubi vos estis in calice, nobiscum estis. Simul enim hoc sumus, quia simul bibimus, quia simul vivimus.* Sic nimirum præfatus Præsul, sic multis in locis, sic in hac sententiâ, sic etiam præmisso in capitulo Dominicum Sacramentum non abrogatâ veritatis fide aliquid signare indicat. Sed dum scribendis libris operosè insudat, minùs se quibusdam in locis explicat, ac per hoc nonnullis minus eruditis, atque in sacris scripturis apprimè nequaquam elimatis, aut difficilis videtur, aut non rectè intellectus, erroris seminarium fieri probatur. Cæterùm si aliter quid intellexisse hac de re, & ab integritate tanti mysterij alienum probaretur dixisse, quod absit, ex diffinito proferendum erat, quod Apostolus ait: *Etiam si Angelus de cælo annuntiaverit vobis præter quod accepistis anathema sit.* (Gal.1.6. 8.) G Porro ipse hac de re quid docuerit, quid senserit Apostolus, cui nec Angelus de cœlo si contraria senserit suscipiendus sit, audiamus. *Calix,* (1 Cor.10. d.16.) *inquit, cui benedicimus, nonne communicatio est sanguinis Christi? Panis quem frangimus, nonne communicatio est corporis Christi?* Sed absit ut vir tantæ in Ecclesia Christi auctoritatis de Sacramento corporis, & sanguinis Christi aliter quam Ipse Dominus tradidit, vel ipse eius Apostolus docuit, sensisse putetur, qui tot ac talia sanæ fidei testimonia in diversis libris, quibus nemo valet refragari, reliquisse invenitur: quæ ne dicam scribere, sed ne legere quidem quisquam occurrat. Ex quibus est illud in libro quarto de sancta Trinitate: (Cap.14. to.3.) *Quis ergo tam iustus, & sanctus Sacerdos, quam unicus Dei Filius, non qui opus haberet per sacrificium sua peccata purgare, nec originalia, nec ex humana vitâ quæ adduntur?* H *Et quid tam congruenter ab omnibus sumeretur quod pro eis offerretur, quam humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi, quam caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero, & ex utero virginali? Et quid tam gratè offerri, & suscipi posset quam caro sacrificij nostri, corpus effecta Sacerdotis nostri? ut quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, à quo offeratur, pro quibus offeratur, idem ipse unus verúsque Mediator per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat unum ipse esse qui offerebat.* Et in lib. contra Faust. (Lib.12. c.10. 10 fin.) *Habet magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur, Amen. Hæc est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum.* Item: (Ibid. c.20.) *Quod post septem dies dimissa columba reversa non est; significat finem sæculi quando erit requies Sanctorum,*

non

A

non adhuc in sacramento spei, quo in hoc tempore consociatur Ecclesia quandiu bibitur quod de Christi latere manavit, sed iam in ipsa perfectione salutis æterna cum traditur regnum Deo & Patri. Item in primo libro de symbolo, Quantum nefas est occidere Christum! Iudæi tamen eum occiderunt, & multi postea in eum crediderunt, & sanguinem eius biberunt, & dimissum est illis peccatum quod commiserunt. In secundo quoque, percussum est enim latus, & statim emanavit sanguinis, & aqua, aqua in qua est sponsa purificata; sanguis, ex quo invenitur dotata. In isto sanguine sancti Martyres stolas suas laverunt, & candidas eas fecerunt, ad nuptias agni invitati venerunt, calicem acceperunt, biberunt, eique propinaverunt, sanguinem namque eius biberunt sanguinem suum pro illo fuderunt. In libro de quarta feria. Primus, inquit, homo de terra terrenus, quid dicis omnis homo terra, quando accipit sanguinem Christi Amen dicis, quid est Amen? verum est: quid est, verum est? Quia fusus est sanguis Christi: quo faciente? Discipulo tradente. Amen dicendo, verum clamando; dicit hoc omnis homo terra. Ecce Iuda vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, probavimus quia eius sanguine rigaris. Vide terra, quomodo accipias hunc sanguinem, quia quicunque accipit, accipit benedictionem. Item in eodem: Responde sicut respondit Cyprianus, Laurentius, cæterique sancti, qui percipientes sanguinem Christi, pro sanguine quem biberunt, sanguinem suum fundere non dubitaverunt. Et post pauca Vide ne deseras mensam sponsi tui, ut pulchra permaneas. Carnes eius quotidie manducabis, & sanguinem potabis, & vitam æternum habebis. Mensa sponsi tui panem habet integrum, & calicem sanctum. De isto pane, & de isto calice dicebat ipse: panis quem ego dedero caro mea est: calix quem sanctificavero sanguis meus est. In tertio libro de Symbolo: Prostratus ad terram & effectus discipulus cœlestis Archiatri; antidotum confectum ex sanguine medici prior ipse bibis, & bibendum amatoribus propinavit; Hoc antidotum de sanguine crucifixi confectum etiam ipsi Reges biberunt, & qui tram Ecclesiæ persecuteres, eius facti sunt deffensores. In libro de cataclismo: Comeditur enim agnus per noctem huius sæculi, ut cum manè illud venerit, quod vesperum non habebis, iam non offeratur sacrificium imaginis agni: sed ipsum agnum, quem quotidie comedimus, & cuius sanguinem bibimus, inveniamus illic Sacerdotem perfectum, quem hic pro salute vestrâ constat occisum. In Evangelio Ioannis; Verba quæ locutus sum vobis spiritus & vita sunt, spiritualiter intelligite quæ locutus sum, nam hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Nunquid hæc tanta, ac talia, tamque perspicua sancti Augustini scripta non possunt nobis sufficere ad plenam eruditionem de veritate, quæ est in sacramentis Christi, & eidem ad evidentiam sinceræ fidei testimonium suffragari, qui licet figuram ob certæ rationis gratiam Dominicum dixerit sacramentum, nihil tamen aliud secundum veritatem, quam veram carnem, quam verum sanguinem esse vel senserit, vel sentiendum docuerit? Nam vide quid dixerit; hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, & sanguinem bibituri, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Quid apertius quid lucidius dici potuit? Ideo ubi figuram dixit, non quid esset, sed quid significaret sacramentum dominicum intendit. Verum quia quidam perversi ex hac tanti Doctoris sententia in erroris labyrinthum proruerunt, & alios post se pertinaciter inducere nisi sunt, sciendum est plerosque subtilia eius dicta nequaquam intelligere, quod eò præcipuè comprobatur accidere, quia ea non causâ discendi, quæ ignorant legunt, sed ut ei potius, in quo iampridem decepti languent, errori patrocinium tanti viri comparent, aliisque laqueos deceptionis faciliùs innectant per eius auctoritatem, quam perversitati suæ coaptant. Unde studiosiùs persuadendum, monendumque videtur, ut quicunque codices divinorum tractatorum offenderit, ac legendos revolverit, cautiùs singula percurrat, & ubi aliqua sibi obscuræ rei oborta fuerit difficultas, suæ tarditati non doctoris imputet errori; ac proinde aut suo, si id procellerit, studio quæ dicuntur elaboret intelligere, sin minus Catholici magisterio Doctoris maturet addiscere; aut certè si assequi unde agitur nequiverit, reverenter discat honorare, ut pro huiusmodi humilitate, aut illud capiendi quod sibi arduum, & difficile erat, aut aliam divinitùs adipiscatur gratiam, quam necdum habebat. Humilitas enim sicut virtutum emolumenta, quæ non erant, adquirit, sic adepta ne amittantur agit, proinde sanè cum in omnibus sit necessaria humilitas Christianæ Religionis carissimatibus, in hoc præsertim Dominicæ traditionis Sacramento utilis & admodum opportuna comprobatur, in quo tantâ divinæ virtutis refulget gratiâ, ut humilitate potius quam humanâ capiatur industriâ. De cuius magnitudine terribili, magisque reverendâ quam discutiendâ in dialogo Ioannis & Basilij valde competenter disputatum est inveniri: sic namque inter cætera reperitur scriptum; Fuerunt quidem terribilia atque horribilia etiam ea quæ in vetere testamento ante gratiam gerebantur in lege, ut puta tintinabula malogranata, Lapides in pectore ordinati, superhumerale, Mitra, cidaris, vestimentum talare, Lamina aurea, Sancta Sanctorum, intusque silentium & solitudo reverenda. Verum si quis ea quæ sunt in gratia ordinatione considerot, parua esse illa quæ præcesserunt terribilia, indicabit, quodque de lege pronuntiatum est, etiam per hæc verum probabit, quoniam non sit glorificatum id quod glorificatum fuerat, propter excellentem claritatem. Nam cùm immolatum Dominum nostrum, & incenso adstantem videris sacerdotem, atque imprecantem, omnesque pariter pretioso illo imbui Sanguine, adhuc te esse cum hominibus arbitraris, & non continuò animo translatus in cælos, omnemque de mente sensum carnis excludens, nudâ animâ, sensuque mundissima ea quæ sunt in cælestibus contueris? Et Item: Hoc igitur ministerium ita reverendum, quæ despicere audebit insania? Et paulo inferiùs: Cum verò sacerdos Spiritum sanctum advocaverit, & reverendam illam immolaverit hostiam, communemque omnium dominum subinde contigerit, ubi illum dic mihi nostrâ æstimatione ponemus? Tunc enim etiam Angeli circunstant sacerdoti, & tribunal, atque altaris locus cælestibus virtutibus adimpletur in honorem ipsius, qui immolatur, quod quidem ex ipsis etiam quæ aguntur, ostenditur. Ego autem audivi referente aliquo, quoniam presbyter quidam vita sanctitate mirabilis, & qui revelatione soleret videre, retulisset illi tale spectaculum aliquando vidisse, id est sacrificij tempore conspexisse Angelorum multitudinem sicut ei possibile erat intueri, stolis fulgentibus circundantem, & altare coronantem, cum officio, quo circa Regem suum milites stare consueverunt. Hæc autem illo exarata in libro, ita se habent, in quibus quia revelatio divinitus ostensa continetur, alias etiam diversis repertas in locis narratum ire, operæ pretium duximus: maximam enim legentibus utilitatem pollicentur.

Lib. 1. de Symbol. ad Catechum. cap. 7. tom. 9.

Ibid. lib. 2. cap. 6.

Cap. 9. tom. 9.

B

Ibid. c. 4. Ibidem.

cap. 5.

cap. 5.

C

cap. 4. tom. 9.

Enarr. in psal. 98 tom. 8.

D

Sinistra mente plerique doctorū revolvunt libros.

E

Quid agendū quādo inter legendū obscuri nonnihil occurrit.

Humilitas quid efficiat.

F

Ioan. Chrys. De Sacerd. lib. 3. cap. 3.

Lib. 6 de Sacerd. cap. 4.

H

PARS OCTAVA.

Fuit namque Matrona nobilis genere, moribus proba honestis, temporibus sancti Papæ Gregorij, cui aliquando ut consueverat oblationem ad altare detulit. Quam cum idem Pontifex manibus suis consecrasset, ad horam communicandi ventum est. Cumque singuli pro ordinis sui dignitate dominicam communionem accepissent, inter cæteros præfatæ mulieri portio Dominici sacramenti manu eiusdem Præsulis porrecta est; ipso dicente; corpus domini nostri Iesu

Ioannes diaconus in lib. 4. vita S. Gre PP. c. 41.

A Christi prosit tibi in vitam æternam; ad hoc illa recognitâ panis quem obtulerat particulâ, subrisit. Quamobrem Pontifex commotus manum continuit, oblationem in ara reposuit, sermonem de re ad populum fecit, deinde preci cum fideli clero incubuit, surgens quoque à terra, panem illum vt erat carnem factum reperit, quam mulieri dubiæ, & cæteris ostendit, quibus ea reor admodum in fide robori profuit.

Paschas. Radb. lib. de cor. & sang. Domini cap. 14.

His itaque succinctè decursis aliud nihilominus minus mirabile, non minus vtile dignum videtur si ad memoriam breuiter litteris mandetur. Quidam Presbyter electus, vitâ & moribus clarus, cum divina Sacramenta crebrò ex devotione sacraret, præsumptâ tandem spe impetrandi tum de divina pietate, tum de merito sedulæ servitutis suæ, inter agendum divina Mysteria poposcit humiliter, uti sibi res, quam frequentabat, divinitùs revelaretur. Cui humi strato, lachrimisque B infuso Angelus repente apparuit, ut surgeret actutùm imperavit, & quod petierat obtinuisse innotuit, ad cuius imperium illicò surrexit, puerum ubi panem reliquerat sanctificatum certissimè vidit, quem, ô mira res! tremulis manibus accepit, pectori proprio pressiùs applicavit, & os eius ori suo osculaturus flebilis piè admovit, sicque diutiùs desiderio ardenti Christum cernendo, osculando, & amplectendo satisfecit: ad ultimum verò Dei filium altari restituit, precibusque ut in pristinam redire formam dignaretur, obtinuit: ac sic sacris ex more mysteriis participavit.

*Rufini lo. 3. vit. PP. * n. 38. Item Pelagij lib. 5. de bello. 18. num. 1.*

Nequaquam verò prætereundum videtur, quod Beatus Hieronymus cuius præcipua inter Ecclesiasticos Doctores auctoritas habetur, in libro quem vitas Patrum nuncupari placuit, narrasse reperitur. Quidam seniorum magnus quidem vitæ merito, sed idiota, minusque in scripturis eruditus de mysterio Dominico errabat; Verum magis, ut dictum est, inscitiâ, quam malitiâ. Quod cum aliis duobus patribus innotuisset, & ipsis magnis virtutum gratiâ & sapientiæ doctrinâ, ad eum ex condicto venire maturant, cumque de veritate Dominici corporis, & sanguinis ei persuadere vellent, nequaquam adquievit, sed nisi rem video, inquit, non credo vobis. Quo audito qui convenerant, & sinceritatem rustico illi seni insinuabant, tridui ieiunium C secum eidem indicunt, ac super hoc negotio Dominum rogaturi conventum soluunt; sed statuto tempore unà conveniunt; deinde ad Ecclesiam, ubi divina agebantur mysteria, contendunt, ibi rei quam conceperant mente præstolantur exitum. Quibus solis quæ agebantur collata est intuendi gratia, apertè videlicet intellectualium luminum acie revelatâ: & quando positi sunt panes in altare visus est illis tantummodo tribus tanquam puerulus iacens super altare; cumque extendisset Præsbyter manus ut frangeret panem, descendit Angelus de cœlo habens cultrum in manu & sacrificavit puerum illum, sanguinem vero eius excipiebat in calice. Cum autem Presbyter frangeret in paruis partibus panem, etiam Angelus incidebat pueri membra in modicis partibus. Cum vero accessisset senex ut acciperet Sanctam communionem, data est ipsi soli caro sanguine cruentata, quod cum vidisset pertimuit, & clamavit D dicens: *Credo Domine quia panis, qui in altare ponitur, corpus tuum est, & calix tuus est sanguis*, & statim facta est illa particula in manu eius panis secundum mysterium; & sumpsit illud in ore agens gratias Deo. Tunc senes, *Deus*, inquiunt, *scit humanam naturam non posse humanis carnibus vesci, ideo proprietatem sui corporis, & sanguinis, sub figura panis, & vini piâ dispensatione latere voluit.*

Illud præterea quod in libro de vita sancti Basilij legitur, quia soluendo dubietatis nodo plurimum opitulari credimus, narratiunculæ nostræ oportere inseri censuimus: quod ita se habere probatur. Hebræus quidam necdum in Christo renatus, sed divinorum mysteriorum admodum curiosus, fideli populo latenter admixtus Ecclesiam aliquando subintravit, quæ ibi agerentur subtiliter exploraturus. Celebrante autem B. Basilio Sancta E Sanctorum, cum ad horam distribuendi corpus Dominicum populo esset perventum, inter cæteros ad altare accessit, portionem de sacro mysterio carnem factam de manu ministri accepit; cumque ad Calicem sumpturus de eo venisset, eum quoque sanguine repletum vidisset, tanti miraculi stupore attonitus domum rediit, ignorantique quæ egerat, & inspexerat uxori expedivit. Qua credente, die posterâ ad Basilium destinavit, acta visaque diligenter exposuit, sanctum Baptisma prudenter virtutem Christiani nominis expendens sibi dari poposcit, & citiùs obtinuit. Si cui autem movet scrupulum acta res dubietatis, quod pagano imò Iudæo portio Dominici corporis, & sanguinis dicitur revelata necdum credenti, idque inficiatur potuisse fieri, perpendat alia Salvatoris longè fortiora insignia pietatis. Quomodo ignoranti mundo carne velatus apparuit, qualiter pro impiis F & peccatoribus mori pertulit. Attendat etiam in actibus Apostolorum paganis, & gentilibus Spiritûs Sancti gratiam præter spem indultam esse, animadvertetque nihil novi, nihilque incredibile hac in re accidisse, quod aut veritatis excedat fidem, aut salvatoris non deceat pietatem. De quo scriptura continet: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*; Videlicet ut crucis suspendium, mortisque supplicium pro redimendo mundo perferret. Qui de Iudæis ortus, quibus ut repromissus fuerat à Patre, missus est, sicut ipse ait: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierant domus Israel.* Non ergo mirum, si suorum illis sacramentorum arcana retexit, corporisque sui, ac Sanguinis proprietatem revelavit, pro quo se ex repromissione hæreditariâ impendere redimendo voluit.

Ioan. 3. b. 16. Mat. 15 c. 54.

Cuiusdam quoque Iudæi filius, cum inter Christianos pueros liberalium studiis literarum exerceretur, quadam die ad Basilicam gloriosæ & intemeratæ semperque Virginis Mariæ, ubi missarum agebantur solemnia cum coævis sodalibus accessit, participationemque corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi ibi cum infantibus infans ipse accepit; sicque domum redit patris, cui inter amplexus, oscula simpliciter quæ egerat retulit: quibus auditis, pater impius, Christóque, atque suis legibus inimicus vehementer infremuit, G puerόque minatus ait; quia hoc contra meam voluntatem egisti ad ulciscendam violatæ legis nostræ iniuriam, parricida iam nunc in te durus existam, & crudelis; quo dicto apprehensum eum in fornacem propiùs ardentem iniecit, sicque ligna ut vehementiùs exureretur adiecit. Interea Mater hoc comperto, gemebunda quasi filium liberatura ociùs accurrit, sed præ vehementia flammarum nihil proficiens, dolore percita capitis velamen abiecit, sicque sparsis crinibus hac illacque discurrens, totam civitatem miseris plangoribus implevit. Ad cuius voces repente populus convenit, tantum facinus ex ordine didicit; unde ad fornacem indignatus accessit, flammas quantociùs amovit, ac puerum qui inter flammas incolumis repertus est, extraxit; patrem vero eius tanti sceleris auctorem in easdem flammas deliberato simul consilio iniecit, ubi divino iudicio usque ad ossa combustus in momento disperiit. Requisitus autem puer utrum illa flammarum incendia senserit; *Mulier*, inquit, *quæ in illa ba-* H *silica, ubi panem de mensa accepi paruulum in sinu gestabat, pallio me suo, ne ignis ille devoraret, operuit.* Hic nimirum patenter datur intelligi, quod non solum filium Dei, sed & sanctam Genitricem eius, puer ille inter sacra mysteria inspexerit, cuius postmodum fretus præsidio flammarum incendia, mortisque discrimen evasit. Qui utique innocentiâ, & simplicitate puerili de tanta visione nihil confingere, neque mentiri potuit; cui rei satis evidens præstat testimonium, indultum sibi divinæ liberationis beneficium. Sed inter hæc diligenti studio perpendendum, quod sicut huic puero divinitus est revelatum utrum corpus sit filij Dei sacrosanctum quod de mensa percipitur altaris mysterium, sanctæ quoque Genitricis eius nonnunquam adesse præsentiam,

Evang. 4. lib. 8. dist. cap. 15. rem. Greg. Turon. lib. 1. miraculorum. cap. 10.

A Mat. 19. b. 4 Marc. 10. b. 14. Luc. 18. a. 16. Isai. 8. d. 18. Ioan. 21. a. 5.

suumque percipientibus deferre patrocinium: quibus inter agendum simplicitatis, & innocentiæ non defuerit meritum, quæ apud Deum singularem caræ familiaritatis ubtinent locum: sicut ipse salvator ait: *Sinite parvulos venire ad me talium est enim regnum.* Vnde & discipulos suos, quos puros & simplices elegerat, pueros vocat dicens per prophetam: *Ecce ego & pueri mei quos mihi donavit Deus* & in Evangeliu. *Pueri nunquid pulmentarium habetis?*

PARS NONA.

VErum quia multa etsi imperito dicendi genere, saluâ tamen sensuum veritate, & fidei integritate dicta sunt de Dominici sacramenti veritate, libet paucis conscientiam nostram excusatum ire; Meque hæc simplicibus, & qnibus sensùs profunditas, vel librorum non suppetit copia, simpliciter dictasse, fideliter intimare quod non egu solus videor præsumpsisse. Alij namque idem nacti occasionem veniâ dignam inveniuntur egisse. Divino utique zelo compellente, adversusque hostes perfidos Ecclesiæ multa conscripsisse, quorum maxima multitudo nostrâ tempestate Francorum occupaverat provincias, & veneno suæ perfidiæ circumpositas inficere moliebatur regiones, & loca. Porrò erroris huius auctor videbatur, & caput quidem Berengarius, cui plures Francorum, nunnulli quoque Normannorum, quos aut ipse docuerat, aut in discendi studio aliquantisper iuverat, plurimum favoris dependebant.

B

Berengariana heresis historia compendium. Anno. MLIII.

Is autem dominicæ Incarnationis annu millesimu quinquagesimo tertio Normannorum finibus irrepsit; & ad cœnubium quod Pratellis nuncupatur appulit, catholicóque visu, qui idem strenuè regebat cænobium, à quo & honestè satis exceptus fuerat, multa blasphemus impiè delatravit: quod ipse quoque, eodem abbate Ansfredo nomine referente, dum apud me super tanta impietate valde quereretur, non multo post agnovi. In multis itaque subtiliter ab eodem Abbate pertentatus, in multis perinde reprehensibilis, & perfidus est repertus: qui inde digressus, Normannorum Principem festinus adiit, quem suâ quoque irretire perfidiâ subtiliter attentavit. Verum ille licet ætate adolescentiæ needum excederet annos, tamen illum, quia catholicæ fidei merito præditus erat, & gratiâ, callidè suspendit, secumque quu ad regni sui ad mediterraneam deveniret sedem * Briotnam vocabulo detinuit, ubi undique coactis Catholicis, ac sapientibus viris, super eadem re disponebat conflictum haberi. Eò ergu ventum est, & res sequenti die ventilanda proposita. Cùmque multi ex tota Normanniâ sapientes, qui plurimi, & clari habebantur, convenissent, præfatum hæresiarcham Berengarium cum aliu quodam quem secum addnxerat Clerico, in cuius eloquentiâ victoriæ sibi spem posuerat, ita coram omnibus confutaverunt, atque evidenti ratione superaverunt: quatinus eis silentium imponerent, verborúmque, quibus fidem catholicam tuebantur, assensum ab eis extorquerent. Berengarius autem tandem nun sine pudute evadens Carnotum petiit, ubi positus de eadem quæstione se cunsulentibus (audita quippe iam longe latéque acta res fuerat) clericis eiusdem urbis nulla respondit, cum vero sibi upportunitas daretur se responsurum promisit. Vnde non multò post literas quas & ipse legi dictavit, in quibus multa absurda, fideique catholicæ aliena anhelus declamavit: inter quæ Romanam Ecclesiam, Caput videlicet totius Christianitatis, multâ temeritate hæreticu vocabulu denotavit, cum qua Rectorem eius, Dominum scilicet Papam Leonem, cuius fides Catholica, spectabilis sapientia, laudabilis habebatur industria, quem non excepit, pariter infamavit, seque ad utrumque convincendum dum respondere differret, interruganlibus intendisse retulit: tunc quippe instabat constituta dies concilij post modum Vercellis habiti. Has itaque litteras pu-

C

*al. * Brionam.*

In Brionensi conventu Berengarius confutatur.

Canit palinodiam.

D

titatis, ut sibi videbatur, plenas, sed reverà multâ vanitate refertas, Carnotensibus, qui sibi quæstionem intentaverant, destinavit. Cum autem tanti mali fama crebresceret, & omnium corda fidelium vehementiùs percelleret, perque multos huiusmodi virus latenter, & apertè iam serperet, contigit, ut ad aures etiam Regis Francorum Henrici perveniret, qui cun sultu sui regni pontificum, procerúmque concilium Parisiis cogi decimo septimo Kalendas Novembris præcepit, ac præfatum Berengarium, ut aut sua dicta Patrum auctoritate firmaret multis sibi ubnitentibus, aut si ea deffendere nequiret, in catholicam, cui obviare non posset fidem prudenter transiret, interesse tantorum cætui Patrum imperavit. Interea condicta venerat dies, freqnensque conventus præsulum ac reliquorum sancti ordinis Clericorum, necnon nobilium laicorum Parisiis factus est, sed iam dictus Berengarius malæ conscientiæ perculsus terrore, ut iussus erat eò venire distulit, seque cum Brunone suo videlicet Episcupo Andegavensi, sub quu Archidiaconi fungebatur honore, pro eu maximè continuit, quia eodem errore utpote tanti viri credulus & ipse noscebatur involvi. Interea Præsul Aurelianensis quosdam apices in scheda haud parum digestos in conspectu omnium & Regis (intererat enim) peotulit: Et *præcipiat*, inquit, *vestra sanctitas has litteras à Berengario editas, si libet recitari, quas ego quidem ab ipso nequaquam accepi, sed cum eas cuidam suo familiari nomine Paulo per veredarium dirigeret, violenter rapui*, quibus susceptis, & ad recitandum traditis, omnium aures eriguntur, ora in silentium componuntur, cutda ad intelligendum, quæ continebantur in eis præparantur, sed inter legendum multum repentè fit murmur, & per singula absurdi sensus verba gravis instrepit fremitus. Itaque omnibus talis lectio, quoniam nequissimâ sordebat hæresi, vehementer displicuit, damnatu proinde communi sententiâ talium auctore, damnatis eius complicibus, cum codice Ioannis Scoti, ex quo ea quæ damnabantur sumpta videbantur: concilio soluto discessum est, ea conditione, ut nisi resipisceret eiusmodi perversitatis auctor, cum sequacibus suis, ab omni exercitu Francorum præeuntibus Clericis * cum Ecclesiasticu apparatu instanter quæsiti, ubicumque convenissent eo usque obsiderentur, donec aut consentirent Catholicæ fidei, aut mortis pœnas luituri caperentur. Quamobrem territi, non multò post in concilio super fidei suæ statu conventi, ita se sicut Ecclesia tenet catholica credere fideliter, & sapere publicè professi sont, delatisque sanctorum piguoribus, ut umnibus satisfacerent, atque de veritate fidei, quam professi fuerant, eos qui aderant certos facerent, sacramentum dederunt. Sed omissa de talibus relatione, quos post hæc ad Apostasiam, & priorem vomitum audivimus redisse, libelli huius tenorem, in quo fidei nostræ sinceritatem iuxta antiquorum Patrum auctoritatem multis eorum exemplis adhibitis, ut potuimus fideliter ostendimus. Tandem claudamus, Dominum umnipotentem totis præcordiis glorificantes, cuius est donum, & gratia ut fideliter credamus, & bene agamus, qui vivit & regnat in Trinitate unicâ, & unitate perfectâ, per omnia secula sæculorum.

E

Concilium Parisiis convocatum.

F

Bruno Andegavens. Episcop. Berengarij sectator.

Verba Episcopi Aurelianensis.

G

*l. * in*

H

ADELMANNI EX SCHOLASTICO Leodiensi, Episcopi Brixiensis, de veritate Corporis & Sanguinis Domini in Eucharistia, ad Berengarium, Epistola.

EX SIGEBERTO DE SCRIPTORIBVS Ecclesiasticis. Cap. 153.

ALMANNVS Grammaticus, ex Clerico Leodiensi Episcopus Brixiensis, scripsit ad Berengarium Turonensem Clericum Epistolam, arguens eum quod se divulserit ab unitate Catholicæ Ecclesiæ, dogmatizando & verbis & scriptis, quod corpus & sanguis Christi, quod quotidie in universa terra in altari immolatur, non sit verum corpus Christi, nec verus sanguis Christi, sed figura & similitudo corporis & sanguinis Christi. Scripsit super eadem re Epistolam ad Paulum Metensem Primicerium, monens eum, uti & ipse Berengarium communem amicum suum revocaret ab hac pravâ intentione.

Nota Auberti Miræi.

ADelmannus, Sigeberto Almannus, ex Scholastico Leodiensi Episcopus Brixiensis in Italia, quondam Fulberti Carnotensis Episcopi, unà cum Berengario Andegavensi Archidiacono, discipulus, scripsit adversus eundem Berengarium, de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, Epistolam valde eruditam, à Ioanne Vlimmerio editam.

Ex Bellarmino de Script. Ecclesiasticis.

ADelmannus Episcopus Brixiensis, qui aliquando Berengario Diacono Andegavensi comes fuerat, & condiscipulus sub disciplina Sancti Fulberti Carnotensis Episcopi, scripsit Epistolam valde eruditam ad Berengarium de veritate Corporis Domini in sacrosanctâ Eucharistiâ quæ extat.

Dilecto in Christo Fratri Scholastico Berengario, Adelmannus, salutem in Domino.

Academia Carnotensis.

* De Fulberto Carnotensi Episcopo, est loqui apparet ex eo quod paulò infra per suavissimam memoriam Fulberti, inquit, pacem Catholicam diligas, &c.

COllactaneum te meum vocavi propter dulcissimum illud contubernium quod cum te adolescentulo, ipse ego maiusculus, in Academia Carnotensi sub nostro illo venerabili Socrate * iucundissimè duxi: cuius de convictu gloriari nobis digniùs licet quam gloriabatur Plato gratias agens naturæ, eo quod in diebus Socratis sui hominem se & non pecudem peperisset. Nos enim sanctiorem vitam salubrioremque doctrinam Catholici & Christianissimi hominis experti sumus: & nunc, eius apud Deum precibus adiuvari, sperare debemus. Neque enim putandus est, memoriam, in qua nos tanquam in sinu materno semper ferebat, amisisse, aut verò charitas Christi, qua sicut filios amplectebatur, in eo extincta est. Sed absque dubio memor nostri, diligens pleniùs quam cum in corpore mortis huius peregrinaretur, invitat ad se votis & tacitis precibus, obtestans per secreta illa & vespertina colloquia, quæ nobiscum in hortulo iuxta Capellam de civitate illa quam Deo volente senator nunc possidet, sæpius habebat, & obsecrans per lacbrymas, quas interdum in medio sermone prorumpens, exundante sancti ardoris impetu emanabat, ut illuc omni studio properemus viam regiam directum gradientes, sanctorum Patrum vestigiis observantissimè inhærentes, ut nullum prorsus in diverticulum, nullam in novam & fallacem semitam desiliamus, ne fortè in laqueos & scandala incidamus; quia sicut ait Psalmista, *iuxta iter scandalum posuerunt mihi.* Ps. 139. Nam quod est iuxta iter, hoc est extra iter. De via autem quid dicit? *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Ps. 118. Et quid est lex Domini, nisi via Domini? Sicut in alio Psalmo cantatur; *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Ergo in via, pax, extra viam, scandalum. Hoc scandalum incurrunt, qui per hæreses & schismata deviantes, pacem catholicam impiis contentionibus rescindunt. Quos nihilominus in Psal. 13 ita annotatos advertimus: *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt.* Ecce scandalum vel potiùs scandala; nempe contritio & infelicitas æterna: quæ occurrunt in semitis hæreticorum, viam pacis Catholicæ nosse recusantium. Avertat Dominus à te, sancte frater, semitas tales; & convertat pedes tuos in testimonia sua: & mendaces ostendat qui famam tuam tam fœda labe maculare nituntur, spargentes usquequaque, ut non solum Latinas, verum etiam Teutonicas aures inter quas diu peregrinor repleverint quasi te ab unitate sanctæ matris Ecclesiæ divulseris, & de corpore & sanguine Domini, quod quotidie in universa terrâ super sanctum altare immolatur, aliter quàm fides Catholica teneat, sentire videaris. Hoc est, ut illorum de te dictis utar non esse verum corpus Christi neque verum sanguinem, sed figuram quandam & similitudinem. Hæc ante hoc biennium cum audissem: fraternitatem tuam per epistolam convenire, idque ex teipso certiùs sciscitandum esse decrevi. Sciens porro familiarem tuum Dominum Paulinum Metensem primicerium tibi propiorem ubique aliquantò viciniorem esse, & meâ petitione & suâ pollicitatione delegavi sibi huius negotij executionem. At ille (non enim in hac re laudare eum possum) negligens sive alterutrum sive utrunque nostrum, usque adhuc reliquit me suspensum. Sed divina gratia nos nunquam negligens inopinato mihi obtulit melius quam optabam. Optabam autem invenire hominem peregrinandi usu exercitatum, regionis & linguæ Francorum non ignarum: & ecce stetit mihi è latere frater iste G, ex tuo nomine me salutans. Obstupui præ gaudio, & tamen non potui tam repentino eventui fidem integram habere quia frater item nullum abs te signum litteratorium (uti mos est inter amicos tam longè remotos tamque diu non visos) afferebat: quod tamen ipsum multis de causis facilè persuasibilibus excusabat. Sive ergo verè, sive aliter hoc agebat: ego eum à Domino præparatum mihi esse non diffidens, nolui diutius dissimulare quin ipse mente ac spiritu meo (præsentibus literis tanquam pennis induto) per tanta terrarum spatia transvolarem: obsecrans per misericordiam Dei, per suavissimam memoriam Fulberti, ut pacem catholicam diligas neque conturbes rempublicam Christianæ civitatis bene compositam à maioribus nostris: pro qua tot millia Martyrum contra idololatriam & regnum diaboli fortiter certantes triumphaverunt, subindéque Sancti Doctores bella civilia ab hæreticis commota salutaris eloquentiæ fluminibus restrinxerunt, itaque eam circumquaque munierunt, ut iam novus hostis nullus oboriri queat qui adversus eam aliquid nitens non continuò mille iaculis desuper mœnibus obruatur. Ideò confusi sunt omnes & defecerunt. Vbi enim sunt Manichæi? Vbi Arriani? Quonam tota illa factio perditissimorum civium evasit? Computruit etiam memoria eorum. At verò Ambrosius, Augustinus, Hieronym. & alij plures bestiarum talium oppressores, cum laudibus vivunt, quotidiéque splendidiùs efflorescunt.

D. Fulbertus Episcopus Carnotensis.

A

cunt. Bonum est, frater, nobis parvulis, sub istorum ducum titulis delitescere, quorum tam valida támque probabilis est apud Ecclesiasticas aures authoritas sanctarum virtutum fulgore cœlestis sapientiæ luce præpollens; ut extremæ iam sit dementiæ, vel de ratione fidei, vel de ordine rectè vivendi, eis in aliquo refragari. Quare? Nonne homines erant, & falli ab aliis, atque ipsi fallere alios poterant? Ita enim dicit Scriptura verax, quia *omnis homo mendax.* Vnde ergo eò culminis perven runt, ut tam ratum habendum sit quicquid de divinis mysteriis senserunt, memoriæque mandaverunt? Nam & Gentiles magni quidam & nobiles Philosophi, multa falsa quæ iure contemnimus non solùm de creatore Deo, sed de hoc mundo, & his quæ in eo sunt, sensisse inveniuntur. Quid enim absurdius affirmari potest, quam cœlum astráque omnia stare, terram vero rapidâ vertigine in medio circumferri; falli verò eos qui putent cœlestia moveri, quemadmodum falluntur navigantes quibus turres atque arbores cum ipsis littoribus videntur recedere: Solem præterea non calere, nivem nigram esse, audire quis ferat. Sunt apud illos plura æquè monstruosa, quæ prosequi longum est & nugatorium? De quibus Doctor noster: *Dicentes*, inquit, *se esse sapientes, stulti facti sunt.* Non hos elegit Dominus, qui superbiæ inflati spiritu *evanuerunt in cogitationibus suis.* At nostri illi Patres humiles corde ac pauperes spiritu, pro quibus Salvator Patrem glorificat hoc modo: *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Ideo veraces sunt, quia participaverunt & cohæserunt illi, qui ait: *Ego sum via, veritas & vita.* De quo etiam intus didicerunt, quod de Sacramento hoc, de quo agimus, foris docuerunt. Audierunt enim eum de seipso in Evangelio prædicantem: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: Si quis manducaverit de hoc pane, vivet in æternum: Et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vitâ. Dabo*, inquit, non ait, *dedi*: Quando ergo cœpit dare? Quando, *pridie quam pateretur accepit panem, & elevatis oculis in cœlum, gratias agens benedixit, fregit, dedit Discipulis suis, dicens: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Accipite & bibite ex eo omnes: Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quis hoc ita esse non credit, nisi qui aut Christo non credit, aut ipsum hoc dixisse non credit? Sed de incredulis nihil ad nos. Dixisse autem Christum, testes non duo tantùm aut tres, in quibus *stat omne verbum*; sed quatuor probatissimi certissimique existunt: duo scilicet ex Circumcisione, & duo ex Præputio, ut uterque populus suis ac legitimis authoritatibus, sive ad salutem sive ad iudicium vteretur. Dixit utique dixit ille qui dixit & facta sunt. Qui enim dixit in principio: *Fiat lux, & facta est lux* de nihilo: non potuit dicendo de pane, *Hoc est corpus meum*, ita fieri efficere? at qui tacitâ virtute aquam vertit in vinum, non efficacius poterat (si quid tamen efficacius de Deo dici debet) sonante vocaliter eadem virtute, vinum ipsum in sanguinem suum transferre? Quod si quis apud se dicat, potuisse hoc facere unum illum hominem, qui etiam Deus erat; cæteris verò qui hoc non sint, impossibile esse: nos quoque cum eo sentimus, sic tamen, ut per ministerium humanum, Christum ipsum operari fateamur. Dixerat enim cum adhuc esset cum hominibus mortalis: *Sine me nihil potestis facere.* Et immortalis effectus, cum cœlos ascensurus corporaliter esset: *Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quia enim ex duabus naturis diversis (alterâ circumscriptâ, altera incircumscriptâ) compersonatus per circumscriptam de loco ad locum transmigrabat; per incircumscriptam, vero qua illocaliter ubique est totus, cum eis remanebat: nec tamen filium Dei à filio hominis separabat. Denique & priusquam filius hominis actu ascenderet in cœlum, cum filio Dei ibi

Psal.11. Hæreticorum.
B
Rom. 1.
Matt. 11.
Ioan. 14.
C
Genes. 1.
D

erat; ipso attestante, ubi ait: *Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Si ergo ibi erat per unitatem personæ, quo nondum ascenderat per proprietatem naturæ, propter eandem unitatem cœlum ascendens, cum hominibus in terra remanebat. Quis enim alius dicebat: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Neque putandus est ei Angelus pro Christo apparuisse, cum ipse Saulus effectus Paulus postea dicat: *Novissimè omnium tanquam abortivo, visus est & mihi.* Et alio loco: *Nonne Dominum Iesvm-Christvm vidi?* Aut vero Saulus adhuc infidelis raptus est in cœlum, ut illic ei Christus loqueretur; aut ipse Christus descendit è cœlo, quod semel tantùm fieri oportet in voce Archangeli, & in tuba Dei, *quando omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filij Dei*, procedent? Ipse igitur cum hominibus manens semper, & homines baptizat per homines, & consecrat quicquid per homines consecratur. Vtrumque enim in Euãgelio habemus, & quod Iesvs baptizaret, & quod ipse non baptizaret, sed Discipuli eius. Baptizat nimirum, quia quando corpus sub quibusdam verbis solemnibus in aqua mersatur, ipse animam mortuam, peccata remittendo vivificat, sicut in Evangelio loquitur: *Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, vivent.* quod non nisi de resurrectione animarum accipi potest. Baptizat & homo, per cuius manus & linguam opus illud administratur: sed maximè & principaliter ille baptizat, qui vim & efficientiam totam præstat. Propter quod dictum est Ioanni Baptistæ: *Super quem videris spiritum descẽdentem & manentem super eum hic est qui baptizat.* Alioquin baptismus unus non esset; sed prout meritum se haberet baptizantis, alius dignior, alius indignior fieret; & quem homo sanctior baptizaret, ille meliùs baptizatus esset. Sed absit: quia quicunque baptizat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, dignus an indignus, sanctus aut peccator, Catholicus aut hæreticus; nihil interest, quoniam ministerium illorum tantummodo est, nec ab eis, sed per eos (si rectè loqui volumus) baptizatur. Christus igitur per manum & os Sacerdotis baptizat, Christus per manum & os Sacerdotis corpus & sanguinem suum creat. *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus?* Dicebat quidem hoc Apostolus non arroganter se efferendo, sed veraciter docendo, Christum in ministris suis & loqui quod ipsi loqui audiuntur, & operari quæ ipsi facere videntur; propter quod Sacerdos est in æternum, quia ipse est qui baptizat & qui immolat. Nam quod semel fecit passibiliter per semetipsum: id quotidie agit impassibiliter per eos quibus dedit potestatem filios Dei fieri. Nec aliter meliùs posse intelligi puto, quod Apostolus de illo ait: *Qui est ad dexteram Patris, qui etiam interpellat pro nobis:* quam ut interpellatio ista fiat non verba proferendo, sed obedientiam atque humanitatem suam per commemorationem passionis Deo Patri commendando. Hoc quoque in eiusdem Sacramenti institutione, cum iam sub articulo ipsius passionis agoniaaret, & ad dolores carnis mox futuros præscio spiritu pavitaret; hoc, inquam, certissimum pignus sui, dilectis Discipulis relinquens: *Hoc facite*: inquit: *in meam commemorationem*: Commemorationem inquam, charitatis erga vos, pro quibus animam meam pono, & obedientiæ apud Patrem: quia *sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio.* Quod si quos movet cur hoc Sacramentum non visibiliter transmutetur in speciem carnis & sanguinis, attendant quod Apostolus ait: *Per fidem ambulamus, & non per speciem. Est autem fides*, ipse definivit: *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Si enim id quod intus sunt, foris Sacramenta ostenderent: fides ex qua *iustus vivit*, non solùm otiosa, verum nulla omnino esset. *Quod enim videt quis, quid sperat?* Vt ergo fides exerceatur credendo quod non apparet, vitale Sacramentum sub specie corporeâ viriliter latet, vti anima in corpore.

E
Ioan. 3.
Act. 9. a.
1. Cor. 15. a.
Gen. 9. a.
Ioan. 5. a.
F
Ibid.
Ioan. 1.
G
1. Cor. 13.
Creat, ritè intellige, id est, conficit, nã habet aliquid simile creationi transsubstantiatio. Vide S. Thom. 3. p. q. 85. art. 8.
H
Psal.—
Rom. 8.
Luc. 12.
2 Cor. 5.
Heb. 11.
Heb. 10.

A Denique & Baptiſmi aqua quælibet oculis intuentium videtur, & homo baptizatus, quid aliud quam quod antea erat, apparet? Non enim ex nigro albus, aut ex illiterato grammaticus, per lavacrum regenerationis efficitur. *O animalis homo* qui non percipit ea quæ Dei ſunt. O cæco carnalibus phantaſiis magis quam vino ebria! Quouſque ab his tam infeliciter ludificaberis? Non enim ſimilis eſt hic error denegationi ſalutis animarum, aut illuſionibus ſomniorum, aut de aquis & ſpeculis reſultantium imaginationum: quia ibi ſine periculo fallitur, hic cum detrimento irrecuperabili, niſi reſipiſcatur, erratur. Expergiſcere ergo & clama: *Infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et reſpondebit tibi Apoſtolica conſolatio; *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quod & ſi credimus verum eſſe non liberari hominem non ſolum à moleſtia ſpiritualis pugnæ, (quam hoc in loco mortem appellat) ſed nec à miſeria errorum niſi gratiâ Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum: (Rom. 7.)

B melius tamen id intelligimus, ſi humanæ naturæ concretionem & vim, quæ nimirum in ſenſu corporis & animi intellectu tota conſtat, diligenter inſpiciamus: & quid per utrumque, quidve per alterutrum valeat, breviter perſtringemus. Sunt námque multa, quæ ſolo ſenſu corporis agimus, ſicut audire & videre; pleráque ſicut legere & ſcribere, quæ communiter ſenſus cum intellectu adminiſtrat. Plurima vero, ad quæ ſenſui nullus prorſus acceſſus eſſe poteſt; ſicut ad rationem numerorum, ad proportiones ſonorum, & omnino ad notiones rerum incorporearum, quæ omnia quilibet intellectus, ſed purus atque etiam uſu limatus percipere meretur. Nec me fugit illa prima, quæ duas iſtas potentias præcedit, ſed ad noſtrum inſtitutum nihil viſa eſt attinere: & curandum eſt ne longiore quam oportet utamur digreſſione. Conamur enim adiuvante divinà gratiâ oſtendere quod nulla humana facultas, quæ planè & ipſa eſt divina largitas, nequaquam tamen ſufficiens ſit (quamlibet ſe extendat) ad comprehen-

C dendam altitudinem ſacramentorum quibus initiamur & perficimur ad æternam ſalutem quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Proponamus itaque Baptiſmum ipſum, & quid ibi ſenſus, quid ratio deprehendat, videamus. Liquorem eſſe aliquem, interrogatus tactus pronuntiat: viſus, ſi fortè in vaſe eſt, quiſnam liquor ſit addubitat: ſed guſtus tanquam tertius teſtis adhibitus, aquam eſſe incunctanter explorat. Vlterius (niſi fallor,) hac in re officium ſuum ſenſus non pollicetur. At ratio longè latéque penetrat interius, naturámque inſenſibilem perſpicaciter intuetur: hoc eſt, mobilem atque obtuſam eſſe, humidam ſubſtantialiter, frigidam naturaliter, in aerem ſive in terram converti eam poſſibile eſſe: & ſi quid adhuc aliud quod novimus aut ignoramus, de natura aquarum indagari poteſt. Quomodo autem per aquam & Spiritum anima regeneretur, peccatorúmque remiſſio tribuatur: ſicut ſenſus carnis paulò ante docebatur non poſſe ad ratio-

D nis excellentiam aſcendere, ita profectò & minus forſitan valet ratio ad hoc inſcrutabile arcanum aſpirare: & tamen firmiter tenemus, veriſſimè confitemur, animam incorpoream per aquam corpoream renaſci, atque in eum ſtatum, quo fuerat Adam nondum prævaricans, reparari. Deum quoque ipſum, cuius ænigma omnem ſuperat intellectum, non ſolum novimus eſſe quod infideles fateantur: verùm etiam unum eundémque trium perſonarum incircumſcriptum, ubique illocaliter totum: neque tamen ſenſu aut ratione habemus hoc comprehenſum.

(Quod ad eſſentiam gratiæ ſufficit, animis duntaxat attinet, non quo ad alias exoleſcis eius felicis ſtatus qualitates.)

Videntur multa deeſſe.

E 

GVITMVNDI ARCHIEPISCOPI AVERSANI,

De Corporis & Sanguinis Chriſti veritate in Euchariſtia Lib. III.

ACCESSIT EIVSDEM DE SANCTA Trinitate, Chriſti humanitate, Corporis ac Sanguinis veritate, Confeſſio. Et Oratio ad Regem Anglorum.

F

GVITMVNDI VITA EX Ioanne Trithemio.

GVitmundus Archiepiſcopus Averſanus, ex monacho cœnobij de cruce Sancti Leufredi, ordinis ſacratiſſimi Patris Benedicti, vir in divinis ſcripturis ſtudioſus, & valde peritus, ſecularium quoque literarum non ignarus, ſcripſit ad Rogerium monachum contra errores Berengarij Turonenſis, de Corpore & Sanguine Chriſti Libros tres, Quorum initium eſt, Ad rem his temporibus: *Et quædam alia nobis inviſa. Claruit ſub Henrico Imperatore tertio. Anno Domini* 1060.

G

EX BELLARMIN. DE SCRIPT.

GVitmundus Epiſcopus Averſanus, vixit Gregorio VII. ſummo Pontifice, ut ipſe teſtatur initio primi libri de Euchariſtia. Scripſit *libros tres de Corpore & Sanguine Domini in Euchariſtia Sacramento*: Nec ſolum veritatem confirmavit, ſed etiam argumenta contraria doctè, ſolidéque deſtruxit. Scripſit etiam *Confeſſionem de Sancta Trinitate, Chriſti humanitate, & corporis Domini veritate*: quæ extant unum eſt in quo Guitmundus reprehendi ſolet, quod lib. 2. timuerit concedere, ſpecies Sacramentales verè poſſe corrumpi, & putrefieri, quæ potuiſſet admittere, ſine ulla iniuriâ corporis Dominici fieri.

H

DE CORPORIS ET Sanguinis Chriſti veritate in Euchariſtia, liber primus: Interlocutoribus ipſo Guitmundo & Rogerio, Benedictini inſtituti Confratribus.

GVITMVNDVS.



AD rem his temporibus neceſſariam quidem, ſed meliori, quam ego ſum iniungendam, dilectiſſime frater Rogeri me vocas: ſcilicet, ut de veritate Dominici corporis contra quæſtiones huius temporis diſſeram, ac Berengarij Turonenſis nugas pro meo captu ſcribendo refellam. Sed quamvis ad alias animæ utilitates me voluntas, imò neceſſitas mea

ducat:

A

ducat : tuis tamen deſideriis & precibus, quem mihi valde charum intueor, deeſſe non poſſum, cum etiam noverim communi commodo religioſam deſervire petitionem tuam. Tu verò hoc unum exolveris quæſo, quod in hac re obedienti certe debes : ut orando propenſiùs Dominum, mihi ſubvenire non ceſſes. *In manu quippe eius* ſumus *& nos & ſermones noſtri.* ROGER. Omnino quod poſtulas æquiſſimum eſt, nec de tantis Sacramentis niſi comitantibus ſemper precibus diſputari decet. Proinde adiuvante Domino ita fiet. Tu vero hunc mihi obſecro motem gere, ut meis obiectionibus auditis, quæconque inſuper, ſeu ea ipſius Berengarij libris ſeu ea multorum interrogationibus, quibus de hac re multoties interrogatus es, ſeu ex teipſo, iure tibi opponi poſſe perpenderis : non reticeſcas. GVITMVND. Quæ mihi ſuper his Sacramentis, & quemadmodum coram Deo conſcientia loquitur : quantum ſatis eſſe videbitur, iuvante Domino propalabo: Sed ut totius erroris cauſam exortúmque plenius noveris, primum de viri moribus & doctrinâ perpauca dicamus. ROGER. Rem profectò congruam dicis: Nam quoddam veluti pondus, neſcio cuiuſmodi gravitatis eius & antiquæ doctrinæ faſtum, nonnulli attendentes : eum imitari maluerunt. GVITMVND. Is ergo cum iuveniles adhuc in ſcholis ageret annos (ut aiunt qui eum tunc noverunt) elatus ingenij levitate, ipſius magiſtri ſenſum non adeo curabat, condiſcipulorum pro nihilo reputabat, libros inſuper artium contemnebat. Sed cum per ſe attingere Philoſophiæ altioris ſecreta non poſſet : neque enim homo ita acutus erat : ſed & tunc temporis liberales artes intra Gallias pene obſoleverant : novis ſaltem verborum interpretationibus quibus etiam nunc nimirum gaudet, ſingularis ſcientiæ laudem ſibi arrogare, & cuiuſdam excellentiæ gloriam venari, qualitercúnque poterat. affectabat : Factúmque eſt ut pompatico inceſſu, ſublimi præ cæteris ſuggeſtu, dignitatem magiſtri potiùs ſimulans, quam rebus oſtendens, profundâ quoque incluſione inter cucullum, ac ſimulatione longæ meditationis, & via tandem ſatis deſideratæ diu vocis, lentiſſimo quodam quaſi plangore incautos decipiens, doctorem ſeſe artium pene inſcius profiteretur. Sed poſtquam à D. LANFRANCO in dialectica de re ſatis parvà turpiter eſt confuſus, cúmque per ipſum D. Lanfrancum virum æque doctiſſimum liberales artes Deus recaleſcere, atque optimè reviviſcere feciſſet : deſertum ſe iſte à diſcipulis dolens, ad eructanda impudenter divinarum ſcripturarum Sacramenta, ubi ille adhuc adoleſcens & aliis eatenus detentus ſtudiis nondum adeo intenderat, ſeſe convertit. Sed & ibi inſipiens, quippe *in malevolam animam non introibit ſapientia*, & ea quorum novitate omnium corda permoveret, atque ad ſe omnium oculos traheret, ſtudioſe perquirens : maluit eſſe ſub aliqua admiratione hominum hæreticus, quam ſub oculis Dei privatè vivere catholicus, Tunc illa quibus mundanis hominibus, (& ſi inultè, licet) ſemper peccare cupientibus, placeret, aperuit : legitima videlicet coniugia, quantum in ipſo erat deſtruens, & parvulorum baptiſma evertens : Ita ut in altero peſſimis hominibus diabolus per os eius licite omnibus fœminis abutendum eſſe : In altero caſſato baptiſmate infantiæ in profundum omnium malorum ; utpote poſtmodum baptizandis, impunè ruere ſuaderet. Lege Epiſtolam Leodienſis Epiſcopi contra Berengarium ad Henricum Regem Francorum : & eiſdem penè verbis eadem ipſa ibi ſcripta reperies. Illis ſanè diebus & hanc quoque (contra quam Deo propitio acturi ſumus) eſt auſus dementiſſimè propinare blaſphemiam, ad hoc etiam hic diabolo militâs, ut ablatâ veritate Dominici corporis, peccare volentes, nulla reverentia, nullus metus percipiendæ ſacræ communionis ab aliquo ſcelere revocaret. De cæteris ſanè impietatibus, quas ſatis multas per id temporis evomuit, nunc te remorari nolo. Ita igitur huius initium peſtis accepimus. Nunc autem qualiter, & per quos tantiſper retenta ſit, qualiter etiam & per quos expugnata & damnata ſit : ut ortu atque proceſſu, caſu quoque cognito, quid de illa ſentias, meliùs noris, niſi longum putes, aperiam. ROGER. Imo vero ſitibundus hæc audiam. Multum enim ad rem propoſitam exiſtimo profutura. GVITMVND. Cùm igitur ſuperiores blaſphemias primam quidem propter iniurias matrum, cæterorúmque effectuum, ſecundam verò propter damnationem parvulorum ſuorum, nec aures etiam peſſimorum ſuſtinere poſſent : ipſe vero in ſcripturis ſacris locum tuendi eas nullum penitus inveniret, maximè diſputante contra eas copioſiſſimè beato Auguſtino, in hanc ſe defenſandam totum contulit : ubi & quodam velut teſtimonio ſenſuum niti videbatur : nec tam copioſiſſimè ab aliquo ſanctiſſimorum Patrum (quippe non indigente adeo temporibus illorum Eccleſiâ, cum tamen quid inde tenerent perſpicuè & luculentiſſimè ſapientiſſimi eorum multi ſcripſerunt) contra hanc diſputatum ſentiebat. Aucupatis ergo nonnullis velut ratiunculis (neque enim ulla unquam hæreſis ſine aliqua veriſimilitudine rationis invaleſcere potuit) adhibitis quoque paucis malè intellectis à ſe capitulis ſcripturæ ſacræ quæ multis errantibus laqueus eſt mortis per egenos Scholaſticos iam per alimoniam qua ſuſtentabat eos, & per ſuos dulces ſermones corruptos, quaquaverſum potuit, clanculo huius tanti mali nefandiſſimum virus effudit. Si qui autem prætere aliquo modo receperint eum : hi ſunt qui ex Apoſtolica ſententiâ territi (qua dicitur, *qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit*) communionem ſacram, quam pro Eccleſiaſtico more ſumere coguntur, mallent aut nullam aut non tantam eſſe, quam eius metu ſe à flagitiis aliquatenus temperare. Ita igitur & per tales execranda peſtis paululum adolevit. Mox ergo incipientibus his palam audiri, catholici viri graviter commoti, atque intolerabiliter ferentes, præſidente per ſemetipſum beatiſſimæ memoriæ Domino Papa Leone, Vercellis Concilium ponunt. In quo etiam per nos aliqua dici cupis : iam nunc quæ tibi proponenda videntur expone. ROGER. Berengarius & qui eum ſequuntur, aſſeverant Eucharistiam Domini, non eſſe verè ſubſtantialitérque corpus & ſanguinem Domini : ſed ſolâ voce ſic appellari, pro eo quod tanquam umbra & figura ſignificativa ſit corporis & ſanguinis Domini. Nec de hoc moveret adeo, ſi carnaliter ſapientes, ſecundum ſenſus fallerentur, niſi quod nonnullas (ut ſupra memoraſti) ratiunculas obtendere, & eas ex quibuſdam beati Auguſtini ſententiis munire videntur. Aliqua etiam verba Domini Salvatoris iactitant, ex quibus infirmi ſcandalizari forſitan poſſint. Ac primum ipſas ratiunculas, deinde authoritates ponam. Natura, inquiunt, hanc mutationem non patitur. Cúmque affertur eis ſcriptum, quia *omnia quæcunque voluit Dominus fecit*. Sed hanc, inquiunt mutationem noluit. Abſit enim ut fas ſit Chriſtum dentibus atteri, aut partibus diſſipari, ſicut iſta dentibus atteruntur, & in partes diſſipantur. Ad hæc ſi placet, interim reſponde, poſtmodum verò cætera proponam, quo diligentiùs opere diſtributo, ſingulis à me propoſitis reſponſa tua comparando, mihi ad unguem de omnibus intelligam ſatisfactum. GVITMVND Quoniam quidem ſuperius poſtulaſti ut tuis inquiſitionibus, ſi qua mihi viderentur addenda, ſuperadderem : cognoſce primum quia non omnes qui de iſtis Sacramentis errant, una incedunt via erroris. Nam Berengariani omnes quidem in hoc conveniunt, quia panis & vinum eſſentialiter non mutantur, ſed ut extorquere à quibuſdam potui, multum in hoc differunt, quod alij nihil omnino de corpore & ſanguine Domini Sacramentis iſtis ineſſe, ſed tantummodo umbras hæc, & figuras eſſe dicunt. Alij vero rectis Eccleſiæ rationibus cedentes, nec tamen à ſtultitia recedentes, ut quaſi aliquo modo nobiſcum eſſe videantur, dicunt ibi corpus & ſanguinem Domini reverà, ſed latenter contineri, & ut ſumi

possint

Margin notes (left): Sap. 7. — Vita Berengarij. — B — Artes in Gallia abolitæ. — C — Lanfrãcus artiũ reſtaurator. — Sap. 1. — D

Margin notes (right): E — Aug. pro nuptiis, & de Capt. parvulorum. — F — Quales exciderint Berẽgario. 1. Cor. 11. — Vercellẽſe Cõciliũ. — G — Pſ. 143. — H — Quot genera Berengarianæ hæreſis.

A Impanatio Hæ. videtur sequi Lutherus.

possint quodammodo (ut ita dixerim) impanati. Et hanc ipsius Berengarij subtiliorem esse sententiam aiunt. Alij verò non quidem iam Berengariani, sed acerrimè Berengario repugnantes, argumentis tamen eius, & quibusdam verbis Domini paulisper offensi (quod suo loco dicemus uberius) solebant olim putare quod panis & vinum ex parte mutentur, & ex parte remaneant. Alijs vero irrationabilem istorum sensum longe horrentibus, eadem verba Domini, quibus isti moventur, non satis apte intelligentibus, videbatur panem & vinum ex toto quidem mutari, sed cum indigni accedunt ad communicandum carnem Domini & sanguinem, iterum in panem & vinum reverti. Quorum omnium erroribus, sicut Dominus dederit, obviare tentabimus.

B Primum argumentū hæreticorum de natura.

Nunc primum Berengarianis utrisque respondeamus. Isti etenim, licet inter se diversi sint, contra nos tamen unam habent pene sententiam, & argumentis nituntur eisdem. Vtrique enim nihil de pane & vino mutari essentialiter asserunt. Nunc argumenta eorum videamus: ac primum quid de natura asserant discutiamus. Nam cum dicunt, non potest hanc mutationem natura pati: aut absolutè & absque ulla exceptione dicere hoc habent ut nullatenus scilicet, nec volente Deo hoc possit, aut cum aliqua exceptione. At si absolutè & absque ulla exceptione dicunt, ut mum quidem voluntatis Dei manifestos adversarios se esse declarant: dum ei aliquid impossibile esse confirmant. Ipsi denique seipsos destruunt, quoties illum (quem dixisti) Psalmi versiculum canunt: *Omnia quæcunque Dominus voluit fecit.* Nam si versum hunc non recipiunt, frustra eum canunt, nec iam Dominum omnipotentem credunt, cui volenti, naturam aliquam resistere posse contendunt. Si autem omnipotentem non credunt, nec Deum credunt. Non enim verè Deus est, qui quod vult non potest. Sed Deum ipsi (ut puto) credere se non negant. Recipiant igitur, quia *omnia quæcunque voluit Dominus fecit.* Simul ergo necessario recipiant quoniam hanc mutationem ut possit natura pati, si voluit Dominus fecit. Si enim ipsa omnium rerum natura cum omnino nihil esset, volente Deo factum est ut esset, & in tot rerum varias species formaretur: quomodo panis & vini natura iam existens, volenti Deo resistet, ut vel in unum aliud non transferatur? Perridiculi homines, qui dum se defensitare naturam existimant, vim naturæ se potiùs ignorare demonstrant. Nam sicut tu ipse testaris, qui per artem medicinæ ciborum naturas & hominum nosti, quotidie natura panis quem comedimus, & vini quod bibimus, naturaliter in nostram carnem & nostrum sanguinem transmutatur. Quod si tantum potest venter hominis seu etiam cuiuscunque animalis, ut panem & vinum, vel quoscunque cibos intra se clausos, in vivam carnem, & vinum sanguinem quotidie mutet: nonne tantundem, si vult, poterit præsentia suæ maiestatis, & virtute verbi sui Deus ut videlicet in carnem & sanguinem suum, panem vinúmque transformet? Quod si vel tantùm volunt Christiani concedere Deo quantùm concessit paganorum magnus philosophus Plato, qui rerum naturam dixit esse id quod vult Deus: quid unquam erit absurdius, quam id quod vult Deus, Deo volenti contraire? Quapropter isti, nisi omnino careant corde, nunquam ita absolutè dicent, naturam mutationem pati, nisi Deus velit: frustra ergo hoc quasi magnum aliquid contra nos asserunt. Nihil enim prorsus per hoc contra nos agunt. Nemo enim Christianorum credit hanc fieri mutationem, nisi per Dei voluntatem. Desinant igitur inaniter dicere: natura non patitur: & id tantummodo an Deus hanc mutationem velit, requiramus. Sed absit, inquiunt, ut unquam hoc Deus velit. Non enim fas est Christum dentibus atteri. Ego vero in primis quæro quid dicant significare atteri. Si enim intelligunt atteri, velut pressiùs tangi aut fortiùs premi: quæro quare non

Ps. 134.

C

D Quid Platoni natura.

E

sit fas Christum dentibus atteri? Nam si idcirco hoc ipsum non est fas, quia non possit fieri: eadem ratio est, quam de natura dicunt, scilicet quia natura non potest pati. Et nimium vana ratio. Nulla quippe rerum impossibilitas potest impedire voluntatem Dei. Deinde quare non possit dentibus premi, qui manibus Thomæ, & post resurrectionem potuit attrectari? Et sanctæ mulieres, quibus occurrit post resurrectionem, scriptum est, quia tenuerunt pedes eius. Nulla namque ratio est, ut non possit tangere dens, quod tangit manus: Nam sicut ad manus, ita & ad totum corpus pertinet tactus. Quare quicquid tangit manus, potest & toto corpore tangi: potest igitur & dentibus tangi. Porro quod potest vel leviter tangi, cum solidum corpus sit: cur non possit etiam fortiusculè tangi, quod est atteri? Si ergo corpus Domini post resurrectionem manibus Thomæ Apostoli & sanctarum mulierum potuit tangi: cur hodie à credentium dentibus non possit vel leviùs, vel pressiùs tangi, id est, atteri, nulla obstare ratio videtur. Porro autem si idcirco dicunt non esse fas Christum dentibus atteri, non quia impossibile est, sed eo quod indignum videatur: quæro iterum quare indignum debeat videri? An quia nimium Christus humiliari videatur? Sed qui dedignatus non est ob salutem fidelium, virgis infidelium, coronâ spineâ, cruce, clavis, lanceâ, nimis irreligiosissimè quàntum in ipsis erat, atteri, sicut scriptum est, *Attritus est propter scelera nostra*: is pro salute eorundem fidelium dentibus ipsorum dedignatur religiosissimè, in quantum valent atteri? Si enim id quod erat indignius, pro nobis pertulit, quomodo quod minus indignum est, dedignabitur pati? maximè cum sicut oportuit Dominum Iesum Christum in ligno suspendi, ut mors quæ per lignum venerat, per lignum crucis vinceretur: ita oporteat reverà Christum manducari: ut quia veteres homines non umbram fructûs, sed ipsum fructum ligni vetiti verè comedendo mortem susceperunt: novi homines non umbram, sed ipsum qui in ligno pependit obedientiæ, id est, crucis verè comedendo mortem evadant & vitam sumant. Quod mysterium Esaias Prophetasse videtur, ubi ait: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ; & præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & præcipitabit mortem in sempiternum.* Propheta in Ierusalem erat. Quid est ergo dicere, *in monte hoc*: nisi ubi crucifixus est Christus? Et quid est, *convivium faciet omnibus populis*: nisi quia illud quod pependit ibi, manducant omnes populi? *Quid in pinguibus istis medullatis* nisi carnem gratiâ Spiritûs sancti pinguissimam, *in qua habitat plenitudo divinitatis corporaliter*? Quid in vindemia defecatâ, nisi sanguinem sanctum, qui in specie vini bibitur, signat: Et quid nobis per istud convivium fiet? *Præcipitabit*, inquit, *mortem in sempiternum.* At fortasse immundi sunt dentes. Sed Apostolus ait: *Omnia munda mundis.* Igitur neque dens, neque aliud quicquam immundum est Christo. Certè sordidiores videntur manus esse quam dentes. Manibus quippe multas sordes tangimus, quas admovere dentibus horremus. Qui ergo se palpandum & post resurrectionem manibus obtulit: dentes propter immunditiam non vitabit. At fortasse metuunt isti salvatorem lædere, dentibus attrectando: quem lædere non metuunt procaciter mentiendo. O destruat Deus ad salutem inimicos defensores, si hoc scire nesciunt, quia caro Domini resurgentis, quod naturæ erat, retinuit, quod infirmitatis, amisit. Tangi námque naturale est carni, lædi autem infirmitatis est. Ita ergo potest Christus etiam dentibus tangi, ut quacunque pressurâ dentium iam non valeat lædi. Quare quoniam nec ulla obsistit impossibilitas, nec Christi abhorret humilitas (si quidem id nobis quoque ita expedit ad vitam) cum neque per hoc ulla immunditia salvatori, vel læsura timenda sit, nulláque occurrat alia ratio

Ioan. 20. Mat. 28.

F

Esa. 53. Comparatio.

G Esa. 25.

Col. 2.

Tit. 1.

H

cur

A

cur nefas sit Christum dentibus atteri. Si atteri accipitur quasi pressiùs tangi nihil prorsus contra nos valet, quod vanissime iactitant, dicentes : non est fas Christum dentibus atteri. Porro si atteri intelligunt quasi comminui vel frangi : tunc iam non duæ, sed una sola ratio est, quod dicunt dentibus atteri, & partibus dissipari, nisi quia plus est partibus dissipari, quam dentibus atteri : & ita intelligendum est tanquam si dicerent : Non est fas Christum in partes dissipari, vel dentibus atterendo, id est, comminuendo, vel ullo alio modo.

Hoc equidem & nos confitemur : scilicet, quia non est fas Christum ullâ quidem violentiâ, sive dentibus, sive alio modo per partes dissipari. Si verò illi cui omnia possibilia sunt, altissimâ & inscrutabili consilij sui ratione placet, ut corpus suum per partes ipse dividere possit, ita duntaxat, ut iam ultra non moriatur, neque lædatur, neque ullam corruptionem patiatur (nullam enim miseriam ampliùs sustinebit) quis

B

impossibile hoc audeat æstimare ? Quod igitur inferunt quia ista Sacramenta dentibus atteruntur, & in partes dissipantur : si atteruntur, ponant quidem quasi diminuuntur, respondemus, quoniam si ei, cui nihil impossibile est, & qui de omnibus rebus quicquid vult facere potest, sicut dictum est, placet ut non quidem per nostram violentiam, sed per suam in nostro ministerio voluntatem, corpus suum sine morte vel læsione, vel aliquo sui incommodo in istis Sacramentis dividatur, & per partes distribuatur : si & nos ita credimus, nemo super hoc inconveniens aliquod valeat annotare. Eius quippe hic (ut Sanctus Gregorius ait) caro in populi salutem partitur. Si autem ei non placet, ut sine aliquo sui incommodo, caro eius possit per partes divisa distribui : tunc nos ista neque dentibus minui, neque per partes aliquo modo credimus dissipari. Et tunc nobis intelligendum est hoc quod dicitur. Eius caro in populi salutem partitur : dictum esse non quia partiendo minuatur, sed propter similitudinem fractionis, sicut immolari quotidie dicitur Christus propter similitudinem passionis. Licet enim hæc magni causa mysterij sacerdos quasi dividere videatur, nos tamen Dominum & Salvatorem nostrum, quando corpus eius venerabile fidelibus distribuitur, non se per singulos dividentem, sed participatione sui in diversos credere debemus venientem. Possumus quoque dicere tantumdem esse in una quasi portiunculâ, quantum erat in hostia tota. Sicut de manna legitur, quia nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus collegerat habuit minus. Ita ergo tota Hostia est corpus Christi, ut nihilominus unaquæque particula separata sit totum Corpus Christi. Nec tamen tres particulæ separatæ, sunt tria corpora, sed unum corpus. Nec ipsæ etiam particulæ à se tanquam plures differunt, quia quod corporis totius una est, hoc & cæteræ sunt. Itaque iam nec plures particulæ dicendæ sunt, sed una potius hostia integra & indivisa, licet officio Sacerdotis videatur quasi dividi, propter magnum (ut dixi mysterium, quod ita oportuit celebrari. Similiter & si dentibus, vel aliquo alio modo hæc frangi videntur intelligimus non hæc frangi : quia nihil aliud in toto, quam in qualibet velut particulâ separata credimus contineri. Ne autem me quis existimet hanc sententiam ex meo sensu commentatum : præfationem istam, quæ per totum, pene orbem Latinum, inter Epiphaniam & Septuagesimam, in quadam die Dominicâ habetur, hic supposui hæc continentem : *Æterne Deus : & tibi hanc immolationis hostiam offerre, qua est salutifera, & ineffabile divina gratia Sacramentum : qua offertur à plurimis, & unum corpus Christi, sancti Spiritûs infusione perficitur. Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est : nec per singulos minuitur, sed integrum se prabet in singulis.* Propterea ipsi qui sumimus communionem huius sancti panis & calicis, unum Christi corpus efficimur. Eusebius Emissenus

Gregorius. Quomodo dividitur christus.

C

Exod. 16. Tota hostia Christus in qualibet particula totus.

D

Præfatio Missæ Ambrosianæ.

ita dicit : Vetus narrat historia : *Nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus* : eo quod Eucharistiæ sacra perceptio non in quantitate, sed in virtute consistat. Quod corpus Sacerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto : quod dum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in universis, ita integrum esse probatur in singulis. De quo sensu Apostolica sententia derivata est, dicens : *Qui multum* habuit, *non abundavit, & qui modicum non minoravit.* Si fortè esum panis esurientibus apponeremus, non ex toto perveniret ad singulos, quia particulatim & minutatim proportione suâ unusquisque præsumeret. De hoc verò pane cum assumitur nihil minus habent singuli, quam universi : Totum unus, totum duo, totum plures, sine diminutione percipiunt : quia benedictio huius Sacramenti scit distribui, nescit distributione consumi. Idem quoque dicimus, & si mille Missæ eodem tempore celebrentur. Nam ita in singulis totum credimus esse Christum : ut nec plures Christos, nec divisum Christum faciat, aut Sacerdotum diversitas aut locorum. In quo quidem illi contra nos esse non possunt, qui corpus Domini in omni Missa adesse invisibiliter credunt. Nam cum simul mille celebrentur Missæ, & sicut ipsi consentiunt, in omni Missa est totum corpus Christi (dividi enim posse corpus Domini & ipsi negant) aut mille tunc erunt Christi corpora, aut fatebuntur nobiscum, uno eodémque tempore, mille in locis unum idémque Christi corpus totum & indivisum posse haberi. Sed mille Christi corpora nec ipsi dicunt Restat ergo, ut in mille Missis eodem tempore, unum idémque corpus Christi & indivisum esse credere debeant. Similiter igitur & in una hostiâ, & si videatur quasi in plures partes dividi : nullam tamen in ea dividi carnem attendimus, quia quod omnes simul iunctæ, idipsum singulæ separatæ sunt, totum Christi corpus. Nec cuiquam incredibile id debet videri. Quotidiano enim experimento cognoscimus, quia intellectus noster, id est, verbum cordis nostri, cum illum quodammodo voce vestimus, ut qui in corde nostro latens nobis solus cognitus erat, per vocem aliis etiam manifestari possit : eodem tempore & totus in corde nostro remanet, & totus æque mille hominibus cum assumpta voce suâ quantum in se est, ita apparere potest, ut non solum ipse simul omnium corda collustret, sed aures etiam cunctorum ipsa qua vestitus est voce, eodem tempore tota & indivisa perstringat. Si igitur humano verbo Deus tantum præstitit ut non solum ipsum, sed etiam vox, qua quodammodo vestitur, ad mille homines eadem simul totáque pertingere valeat : nemo hoc ipsum de omnipotentis Dei unico & omnipotente & coæterno verbo, & de carne eius, quam similiter ut nobis ipsum Verbum appareret, vestivit, & si capere non possit, habere incredibile debet, quod de fragilissimo & transitorio verbo hominis & momentaneis vocibus vixque existentibus & nunquam prævalet capere, & tamen penè semper experimento habet. Ipsam certè animam nostram corpore quod corrumpitur aggravatam, non particulatim per singula corporis membra dividi, sed in singulis portiunculis totam atque integram contineri beatus Augustinus validissimè probat. Qui ergo hanc nostræ animæ potentiam præbuit, ut una eadémque & indivisa in singulis quibúsque particulis sui corporis, eodem tempore tota consistat : quare suæ propriæ carni id dignitatis si vult dare, non valeat, & ipsa in diversis sui cuiusdam corporis, quod est Ecclesia, partibus, tota simul & indivisa possit haberi : cum sicut anima nostra vita est corporis, ita sit Ecclesiæ (imo multò meliùs per Dei gratiam) vita caro salvatoris. Per animam quippe fit, ut corpus utcúmque temporaliter vivat : per carnem vero Salvatoris agitur, ut Ecclesia non quomodocúnque, sed beate in æternum vivat. Cùm vero sapientissimus Salomon cunctas res esse difficiles dixerit, ita ut explicare eas homo non possit,

E Eusebius Emissen. Exod. 16. 2. Cor. 8.

F

Missa.

G Vox humana tota & simul est in pluribus locis.

H

Caro Christi, vita Ecclesiæ.

nonne

A nonne inſaniſnti quam ſimillimus eſt, qui hæc divina arcana diſcutere ad oculum violenter quærit? Omnes enim creaturæ Dei miracula nobis implicabilia ſunt: Chriſtus vero inter omnia, aut præ omnibus miraculum ſingulare. Si igitur poteſt Chriſtus efficere (ſicut diximus) ut unaquæque ſeparata particula ſit totum Chriſti corpus, & tamen omnes ſeparatæ, non plura ſint corpora, ſed unum corpus: quemadmodum vox mille hominum percutit aures, & apud unumquemque tota eſt, nec tamen plures dicuntur, ſed una ſola: & quemadmodum tota anima mille corporis humani replet particulas, & cum ſe totam præbeat ſingulis, non plures tamen, ſed una eſt anima: ita iam nulla ratio propter huiuſcemodi quaſi partitiones obſtare videtur, ut non poſſit, aut velle non debeat Chriſtus, panem & vinum, ſicut ipſe docuit & Eccleſia credidit, transferre in corpus & ſanguinem ſuum. ROGER. De mille Miſſis, quæ eodem tempore celebrari poſſunt videris mihi rem quidem valde difficilem, ſufficienter & ſatis idonee declaraſſe: Veruntamen in partitione unius hoſtiæ adhuc pauliſper hæreo, quoniam quod priùs unum tantummodo video, id me partiente, ita in plura dividi cernitur, unaquæque portio minor, quam illud, quod erat integrum, videatur. Si enim non meâ vi, ſed ſuâ ſponte hoſtia divideretur, aut poſt diviſionem magnitudo integrè non videretur immutata: iam ſatisfactum mihi eſſe crederem, quod & unaquæque portio & omnes ſimul abſque ulla diviſione unum integrum corpus eſſe poſſent. GVITMVNDVS. Si de mille Miſſis, quæ uno tempore celebrantur ſatis æſtimas declaratum: mirum eſt quod de unâ hoſtiâ ita poſſis moveri. Nam ſicut hîc priuſquam partiaris hoſtiam, tantummodo unam vides; ita prius quam mille celebrentur Miſſæ unum tantum Chriſti corpus in cælis, & ſi non oculis, mente tamen vel fide cernis. Et ſicut opere tuo putas hoſtiam dividi: ſic putari poteſt Sacerdotum opere fieri, ut corpus Chriſti quod in cælis unum eſt, mille in locis ſimul teneatur. Sed abſit hoc, ut vel illorum opere, vel tuo, unus Chriſtus per plures locos vel partes dividatur; quia ipſe eſt qui in opere veſtro, non quod veſter viſus æſtimat, ſed quod ipſe vult operatur. Nam ſic violentiâ Iudæorum videbatur mori, & tamen ipſe dicit: *nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à meipſo.* Ita ergo cuiuſlibet fortaſſe violentiâ putatur frangi: nec tamen quod carnalis æſtimat ſenſus, ſed quod ipſe vult Chriſtus credendus eſt operari. Sicut ſanè poſt partitionem hoſtiæ ſingula tibi minora videntur quam hoſtia integra: ita in omnibus Miſſis minus apparet corpus Domini quam in cælis eſſe credatur. Sed hoc* tantum ſecundum ſenſus; qui ſicut in multis rebus aliis ſæpe, ita in hac re ſemper falluntur. Sed nunquid ſi hoc capere non poteſt oculus carnis, extinguendus ideo eſt oculus mentis? Cum enim Maria Magdalene ad monumentum Domini plorans, ipſum Dominum cerneret; nunquid non ipſe reverâ Ieſus erat, quia illa ſecundum oculos decepta hortulanum ſe videre putabat? Aut cum ipſe die reſurrectionis ſuæ, duobus diſcipulis ambulantibus in via ſcripturas tanquam peregrinus exponeret, nunquid aliud quam ipſe erat; quia ſcriptum eſt, *oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent?* Aut cum Diſcipuli in mari laborantes, eum ſuper undas cernerent ambulantem; quis audeat dicere non ipſum verè fuiſſe, quia ipſi decepti oculis phantaſma eſſe putaverunt? Sed & ſecum in navi iam poſitum, videntes, & miraculum eius in ſedato mari admirantes, ſicut ex Evangelio poteſt coniici, non cognoverunt eum donec ad terram venirent. Sic enim ſcriptum eſt; *Cumque egreſſi eſſent de navi, continuò cognoverunt eum.* Quibus ex verbis poteſt (ut diximus) coniici, quod in navi fortaſſis obſtupefacti adhuc recenti miraculo, aliqui non cognoverunt. Quid igitur? Nunquid putandus eſt eos ioculariter deluſiſſe? Abſit. Ipſe enim ubique idem erat, Ipſe ubique veritas erat, Ipſe ubique ſapientia erat. Sed nobis per hæc oportebat oſtendi, quoniam quandiu cum Maria flente, velut ad monumentum, Domini ſtamus, noſmetipſos mortificando & mortem Domini donec veniat annuntiando, quandiu in via poſiti peregrinamur à Domino, quamdiu in mari huius ſeculi laboramus, & ventus nobis tentationum contrarius eſt, quamdiu ambulamus per fidem, & non per ſpeciem: quamvis plorantes ad monumentum ſuum ſemper Dominus conſoletur, quamvis in viis poſitis ſemper ſcripturas exponat, quamvis turbatos in mari tranquillet, quamvis præſens nobiſcum ſit ſemper in navi ſanctæ Eccleſiæ *uſque ad conſummationem ſeculi*; non tamen habemus eum cernere niſi in peregrinâ ſpecie, maxime oculis carnis; licet non aliud quam ipſum habeamus in his Sacramentis. Et meritò. Nam quia fructus mortiferæ arboris antiquis hominibus ſpirituales veraceſque oculos clauſerat, carnales, fallaceſque aperuerat; iuſtum eſt, ut fructus vivificæ crucis novis hominibus ipſos carnis oculos claudat, & veraces mentis oculos, quibus veritas videtur, aperiat. Quemadmodum igitur ægrotanti palato amara cenſeri quæ ſano dulcia ſunt, nemo ſanus credit: ita infirmis carnalibus oculis contra ſanatos mentis oculos, de ipſa medicina interioris luminis indicantibus, nemo niſi inſanus conſentit. Nam & res hæc tanta eſt, ut infirmo viſu non valeat comprehendi, & fidem noſtram ita utilius eſt interim exerceri: ut per hoc videlicet quod contra viſum carnis in hoc tam neceſſario Sacramento agitur, diſcamus viſibilia tranſcendere, ad inviſibilia feſtinare, & tenere certiùs occulta, quæ nunquam mentiens veritas docuit, quam quæ coram nobis fallax oculus pandit. Quapropter quoniam tibi oſtenſum eſt, idem eſſe in particulis unius hoſtiæ, quod eſt in pluribus Miſſis, quæ ſimul celebrantur, de quibus ſatis declaratum eſſe dixiſti, nec ſecundum viſionem oculorum carnalium debere te iudicare Evangelicis exemplis & ratione monſtratum eſt: utrum ſatis adhuc dictum arbitraris, expone. ROGER. Videris equidem mihi, fateor, ſynceræ fidei veritatem congruâ proſequi ratione: veruntamen, illud, quod me aliquo modo adhuc rodit, non tacebo. Superiùs quippe dixiſti, quia ſacerdos videtur quaſi dividere hoſtiam propter myſterium, quod ita celebrari oportet. Si ergo viderem quod hoſtia poſtquam eſt conſecrata, iam non poſſet amplius dividi, niſi ob myſterij gratiam, quod ſicut dixiſti, ita oportet celebrari: omnem prorſus diſputationis tuæ ſeriem inconcuſſa veritate ratam eſſe confiterer. Sed quoniam quilibet nullius conſideratione myſterij prout vult, ſibi eam dividere poſſe videtur: adhuc neſcio quas hinc cogitatio mea tenebras ſuſtinet, quas & expellere geſtit, & tamen liberè omnino non valet. GVIT. Si plenè animo ſupra dicta revolvas nihil hinc tenebrarum, ut æſtimo, tibi reſidere cognoſces. Nam ſenſus perſæpe falli, cum veterum philoſophorum multa argumenta tum quotidiana experimenta pleniſſimè docent. Æque enim, ut ait Boetius, ſenſus, & in maximis & minimis confunduntur. Vnde fit, ut de his in quibus confunduntur, merum ſyncerumque iudicium habere non poſſint. De mediocribus quoque rebus non inata rerum veritatem, ſed pro affectu iudicant ſentientis. Sano namque cuiuis comedoni, ſi multum eſuriat, etiam amara dulcia videntur: Ægroto autem, aut multum ſaturo, etiam dulcia ſunt amara. Item ſi quis deformis alicuius ſcorti amore depereat, nonne illa talis forma oculis eius ſummè gratiſſima eſt, cum omnium pene intuentium, quorum mens eadem miſeriâ captivata non eſt, non mediocriter viſus offendat? Remum in aqua, ſi interrogas oculos, fractum aſſerunt, quem mox extractum manſiſſe integrum teſtantibus oculis ratio probat. Quid de iudicio aurium? quandoquidem illa quæ in auribus ſobrij abſurdiſſima reſonat, laſciuum quemlibet mimum cantilena mollis oblectat. Sed quid in his diutius immoror? Quis enim mirari debeat ſi ſenſus exterior frequenter fallitur: cum in-

terior,

Marginalia (left): Eccleſ. — B — De hoſtia diviſa. — C — Quis operetur hæc mirabilia, Sacerdos an Chriſtus. Ioan. 10. — * Totû. — Ioan. 2. — D — Luc. 24. — Mat. 14 — Marc. 6

Marginalia (right): E — Ioan. 20. 1 Cor. 11. 2 Cor. 5. Coloſſ. 3. — 1 Cor. 13. — F — G — Boetius. — H — Diverſitas palatorum. — Iudicium aurium.

A terior, atque omnium iudex sensuum animus, nisi bonc Dei gratia regat toties & tantùm periclitetur? Ex quo fit, ot contra rationabilem sanctæ Ecclesiæ fidem per hoc quod infirmus & lippus oculus se videre putat, nullatenus debeas impediri: quandoqoidem eos, quos Gen. 3. inobedientiæ cibus oculos aperuerat, per hunc obedientiæ cibum oportere claudi credo iam tecines: vt videlicet per spisitalem vitalémque cibum restitutis spiritualibus, quos carnalis ille ac mortifes clauserat oculus, 2. Cor. 3. iam non secundùm carnem sapiamus ad mortem, sed rev-latâ facie, quæ sont spiritualia contemplemur ad vitam æternam. Atque ita quamdiu in agone fidei certamus, quamdiu peregrinamur à Domino, fidem nostsam sedulò convenit exerceri: quatenus exercendo erudiatur, erudiendo pascatur, pascendo augeatur, angendo perficiatur, perfecta coronetur. Quod antem fidei id exesestium esset, vel quod pro exercitio suo meritum tanti Sacramenti fideles haberêt, si sacram hostiam non posse, nisi per Sacerdotem & in Missa solummodo B dividi, manifestè & quorumlibet oculis pateret. Quis non vel infidelium pro tam evidenti miraculo, magis quam pro ratiooe fidei consentiret? Denique manifesta miracula noo propter fideles, sed propter infideles 1. Cor. 14. dicit Apostolus fieri: hæc antem Sacramenta non sunt infidelium, sed fidelium. Vnde nec infidelibus fas est illa distribui, sed nec etiam pandi. Non igitur infidelibus per aperta miracula pateant, soli vero fideles non carnis intuitu hæc, sed mente cernant. Nam & ipse Dominus noster IESVS CHRISTVS Sacramenta hæc, mysterium fidei appellavit. Vt quid ergo mysterium, nisi quia occultum? Vt quid fidei nisi quod hoc non carnis oculo, sed intuitu fidei convenit contemplari: Nam sicut sanctissimus ait Gregorius, non habet fides meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Si igitur de fallacia carnalium sensuum, qui nec de rebus parvis, & quæ ipsis patere sensibus solent, nedum de maximis & occultis contra rationem credendi C sunt, evidenter accepisti, si spirituales sensus ad spiritualia Sacramenta aperiri, carnales verò claudi oportere didicisti, si denique tibi de mysterin fidei sic infidelibus occultando, fidelibus autem pro exercitio suo merito crescentis fidei plurimum profuturo, satisfactum est: nullis vt arbitror, hic amplius tenebris improbæ tergiversationis te involvi decet. Ad summam, quis possit edicere vel mente capere, quanta etiam nostræ carnis post resurrectionem futura sit gloria, quanta potentia? Immutabimur enim, 1. Cor. 25. *& corruptibile hoc induet corruptionem, & corpus nunc animale surget spirituale*, dabitúrque nobis, *quod* Isa. 64. 1. Cor. 2. *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Cum igitur vel extremi cuiuslibet homunculi caro, quantam sit habitura potentiam nulla nunc possit comprehendere ratio: tu de corpore Salvatoris impudenter & carnaliter iuxta sensus disputas, quod præ se ineffabiliter omnes Angeli venerantur? Certe enimvero quicquid humano intellectui occurrit nobis posse D dari, minus est aut nihil, ad illud quod promittitur nobis. Cum igitur nos accepturos esse credimus, quod nunc scire quomodo possit fieri, nisi quia Deo omnia possibilia sunt non valemus: tu de omnipotentis Dei corpore, quoniam quæcunque aguntur præ oculis bestialibus non habes, infantiliter garrire non cessabis? Proinde consideratiùs supradicta retracta, & fidenter tene, aut Dominum Deum nostrum carnem suam sine vllo eius incommodo per partes ineffabiliter posse distribuere, aut si id ei non placet, Sacramenta suæ mensæ, vel secundùm rationes quas diximus, vel secundùm alias, si Deus tibi dederit forsitan meliores, licet oculorum carnalium infirmitati aliter videatur, tamen indivisa manere. At si illud quod prius dixi Domino placet: fas est ergo non per violentiam quidem nostram, sed per dignationem suam Christum secundùm carnem dentibus atteri, & per partes corpus eius fidelibus ministrari. Si vero non placet, nihil nobis inconveniens de divisione Sacramentorum & dissipatione debet obiici, quæ possunt, E vt diximus, rationabiliter indivisibilia & indissoparabilia comprobari. ROGER. Ita fateor, cunctis quæ opposui tua competenter occurrit ratio, vt per omnia gaudeam, & nihil ex his reliquum videam in quo iustum putem, te debere à me ampliùs fatigari.

GVITMVNDVS. Illud sane scrupulum movet aliquibus, quominus hanc mutationem posse fieri credant: quod ex solido naturæ cursu nulla fere ex toto simillima occurrit mutatio. Nam cum aliquid substantialiter transmutatur in aliud, in id vtique transire solet, quod non existebat prius. Verbi gratia: *Virga Moysi mutata est in serpentem*, quæ ante non erat serpens, sed tunc cœpit esse serpens: quando vero dicimus mutari panem, non in carnem quæ nondum fuerat caro, sed in eam quæ iam erat Christi caro, sine vllo carnis ipsius Dominicæ cremento mutari confitemur. Et nos equidem ad intelligendum nobis in hoc sæculo difficilem mutationem hanc non negamus: non tamen ad credendum. Sed quorsum id? F Non enim idcirco magnum hoc atque saluberrimum credere non debemus, si in hac vitâ quomodo fiat, capere non valemus: cum necessariò multa fide teneamus, quibus nostra cæcitas, aut multò magis, aut certè non minùs repugnare videtur? De providentia namque & libero arbitrio, cum vtrumque fideliter teneamus, & vtrumque teneri oporteat, ita sibi rationes humanæ videntur altrinsecus obviare,, vt potius * vtramque vicissim destruant, quam vel alterum esse concedant. Nulla mens hominis potest capere quomodo id, quod in vno loco totum est, eodem tempore totum esse possit in altero, cum de voce tamen hominis, id omnes teneant: animam quoque singulis inesse membris simul totam, beatus Augustinus inexpugnabili ratione confirmet. Et ecce omnium rerum creatio creditur, cum tamen ab homine non capiatur. Quis enim vt de compendio loquar, valeat capere illud, quod primo fa-G ctum est, quando habuit fieri? Quod enim adhuc omnino non est, non fit: fieri enim iam ad esse pertinet: postquam autem est, non fit: iam quippe est. Sed nec inter esse & non esse, illud quod primum factum fuit, potest esse aliquid. Nam illud aliquid quòd interesset, primò factum esset, illud verò alterum posteriùs. Quando ergo id quod primò factum est, habuit fieri? habuit tamen. Quod enim non caret initio, nullatenus esset, nisi fieret: Ipse quippe dixit & facta sunt. O admirabile fieri quod necessariò creditus, & nullo cogitatu comprehenditur. At si quis hæc absurdè ratiocinari me æstimat, eique hæc omnia displicent, dicat vel ipse quod placet: & inveniet se certè in omnibus verbis, in cunctis etiam cogitationibus suis, si tamen subtiliter adverterit, de rerum primis initiis, deficientem. Hæc itaque cum fidem necessariò exigant discussionem omnimodo non admittant: ad ipsius authoris corpus, nonne rationabiliter espetunt simplicem creditorem, arguunt improbum discussorem? Hinc sanè disputationis quoque huius recolere decet initium. Proposueramus nempe ita, vt cum dicunt naturam non posse mutationem hanc pati, vel addi paterentur, nisi Deus velit, vel non. Si non patiuntur hoc addi, sed præter exceptionem asserunt id naturam non posse pati, etiam si Deus velit: non ergo credunt quia *omnia quæcunque voluit Dominus, fecit.* Si autem non credunt quoniam omnia quæcunqoe voluit Dominus, fecit, primùm quidem scripturas canonicas, quas frequentissimè & ipsi recitant, imò eum cuius sunt scripturæ, videlicet Deum despiciunt: deinde vero ipsum Deum nec omnipotentem, nec Deum credunt. Non enim verè omnipotens, aut verè Deus est, qui quod vult non potest. Sed quoniam hæc & apud ipsos nefandissima sunt: fateantur necesse est, quoniam omnia quæcunque voluit Dominus, fecit. Et hanc igitur mutationem quamlibet nobis difficilem,

Mutatio substantiæ in substantiam. Exod. 7.

* vtramque.

August.

Psal. 148

H

Nô posse omnia, excludit omnipotentiâ & Deitatê.

A si facere voluit Deus, absque dubio fecit. Requirendum ergo tantummodo est, an id Deus voluerit. Quod cum voluisse Deum ipso adiuvante oportuno loco monstraverimus, sive possit intelligi quomodo fiat, sive non possit, obtinebimus tamen necessariâ ratione quoniam fecit. Non enim satis argumento est, si nostræ infirmitatis cæcitas id nunquam in hac vita capere valet, quominus debeas credere, si manifestæ rationis necessitas, rem ita ut diximus, probaverit esse. Non enim præcepit tibi Christus, intellige, sed crede. Eius est curare quomodo id quod fieri vult, fiat: tuum est autem non discutere, sed humiliter credere: quia quicquid omnino fieri vult, fiat. Non enim intelligendum priùs est, ut postmodum credas: sed priùs credendum ut postmodum intelligas.

Esaia 7. Aug c.8. Nec Propheta Esaias dixit: Nisi intellexeritis, non credetis: sed nisi credideritis, non intelligetis.

B Vtamur igitur verbis sancti Augustini contra Felicianum dicentis: *Hoc fides credat, intelligentia non requirat: ne aut non inventum putes incredibile, aut repertum non credas singulare.* Idem in secunda Epistolâ ad Volusianum: *Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deo aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis.* Non est, inquit beatus Hilarius, humano aut seculi sensu in Dei rebus loquendum.

Hilarius. Ambrosius de mysteriis initiandis. c. 9. Vnde beatus Ambrosius in libro de Sacramentis de hac ipsa quæstione agens: Quid, ait, argumentis utimur? suis utamur exemplis, incarnationisque exemplo astruamus mysterij veritatem. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Christus partus ex virgine? Quoniam ergo nos ad incarnationis seu virginalis partus invitat exemplum, operæpretium reor, paulisper hanc elucidare similitudinem paulòque altiùs incipiendum.

C *Quadruplex hominum generatio.* Quadrifariam namque in scripturis sanctis hominum generationem accipimus. Vna est singularis viri, neque de viro, neque de fœmina, sed de limo terræ, quæ est Adæ. Altera huic quodammodo contraria, de viro & fœmina, ex qua & viri & fœminæ: quæ omnium fere solennis est. Alia rursus absque exemplo, qua de virgine viro prodiit virgo fœmina: de Adam videlicet Eva. Quarta nihilominus singularis atque unica, pro reliquis omnibus facta, omnibusque melior, & utilior reliquis, contraria & ipsa quodammodo tertiæ: qua vir de fœmina virgine virgo, de Maria utique Salvator omnium Christus nostro seculo natus illuxit: Ex his itaque generationibus illam qua de viro & fœmina viri nascuntur & fœminæ, quia quotidiano usu tenetur, nemo miratur, nemo incredibilem iudicat. In qua tamen illud quod extra cæteras valde mirabile est: quod ex duobus corruptis nunquam nisi integrum, neque integrum unquam nisi ex duobus non integris, tanquam ex contrario contrarium nasci possibile est.

D *Eccl. 11.* Illud vero penitus incomprehensibile scitu Salomon asserit, *quomodo compingantur ossa in ventre prægnantis.* Illam quoque qua de non homine homo, Adam videlicet de limo formatus quæ & in hoc cæteris longè videtur mirabilior, & illam qua de virgine Adam virgo Eva producta est: vix unquam aliquis impugnavit: vix aliquis accusavit. Quando verò de Virgine Maria virgo Christus prædicatus est natus, totus mundus innumeris contradictionibus contra infremuit: & vi & dolo, omnique genere malitiæ, hanc generationem de medio prorsus auferre conatus est. Satis certè iniustè, cum reliquis omnibus hæc excellentior sit atque utilior: utpote reliquarum omnium non solum honor atque nobilitas, verum etiam medicina. Siquidem hæc ab aliis nostri generis tantum naturam trahens, nihil autem honoris inde, imo vero infirmitatum ac tentationum plurimùm sumens: ad perfectam undique felicitatem per virtutem divinam sibi ipsa sufficeret. Cæteræ vero per hanc de sub pedibus infelicissimi omnium rerum diaboli, usque ad consortium Dei omnipotentis sublimatæ,

E *1. Pet. 1.* *ut simus* (ut ait beatissimus Petrus Apostolus) *divinæ consortes naturæ*: nisi huius ope atque medelâ uterentur, irrecuperabiliter omnes perditum irent. Tum etiam perspecta diligenter inter tres singulares, usitatissimæ generationi multò vicinior multòque similior, ideoque credibilior invenitur. Cui enim non satis elucet, communi generationi, quæ de viro & fœmina est, similiorem fore hanc quæ de horum est altero, quam illam quæ est de neutro? Item si contemplemur illam qua de viro solo, fœmina prodiit: valde à communi usu, & illa remotior. Familiariùs quippe & accommodatiùs communi naturæ est, ut fœmina marem (nam id quotidie fit) quam ut mas fœminam pariat.

Genes. 2. Sed neque fortassis Evæ generationem, partum quispiam dixerit: atque ideo etiam à communi usu longinquior est. Sed quid & illud, quod de viri latere dormientis, illa, imo costa de qua facta est

F *Modus generationis Christi.* illa, contra consuetum naturæ cursum repente prorupit: hic verò sicut cæteri homines in matris alvo novem mensibus paulatim crevit, communique nascendi lege exivit, hoc excepto quod mater in partu non doluit, & quod matris ipse, ut talem decebat filium, virginalia integerrima servans, singulari prærogativâ decoravit? Neque enim fas erat, ut quia corrupta restauraturus, atque inhonesta honoraturus veniebat; integra violaret, honesta dehonestaret, multóque decentius erat: si de viro virgine violatura mundum Eva processit: ut de virgine fœminâ restauraturus mundum Christus procederet. Adde etiam quod omnes aliæ servorum sunt, hæc Domini. Ex aliis homines, ex hac Deus. Alias omnes Deus fecit ex solo, ut ita dixerim, præcepto: hanc quasi ex magno studio faciens, & verbis & rebus gestis, & miraculorum novitate promittere ab initio & præfigurare non destitit. Vnde tanquam de opere speciali scriptum est: *Sapientia ædificavit sibi domum.*

G *Prov. 9.* Quibus omnibus aliisque permultis dignè consideratis: satis hæc credibilior chariorque quam primæ duæ, debuit iudicari. Sed quid attineant hæc ad rem de qua loquimur dignum est intueri.

Quatuor genera mutationum. Quatuor enim nihilominus rerum mutationes substantivas sive efficientias nobis scriptura divina commendat. Vnam de qua omnino nihil in id quod sunt, facta sunt omnia. Alteram huic contrariam, quam tametsi experimento non ita scimus, ratione tamen colligimus: qua videlicet de eo quod sunt, quantum in ipsis est, redire in nihilum possunt. Nam si hoc solo: quia vult Deus, omnia sunt: si voluntatem suam qua præstat ut sint, vel modicè substrahat, illico in nihilum suum omnia remeabunt.

Aug. 9. Ita denique B. Augustinus contra Felicianum, Creatura, inquit, ex nihilo prolata est: & propterea quantum ad se pertinet, ex eo quod est in id quod non est, id est in nihilum nisi perpetua gratia fecerit, naturæ suæ qualitate vertenda est:

Accidentia abeuntia in nihilum redeunt. Quamvis de accidentibus singulis, quæ supervenientibus aliis cedunt non appareat verè posse aliud dici quam quod omnino nihil fiunt. Nam si aliquid essent in subiecto essent. Sed contrariis supervenientibus, nec in suo possunt remanere subiecto,

H nec ad alia transmeare. Omnino igitur nihil fiunt, nisi quis fortè illa dicat in ea, quæ superveniunt transmutari. Quod si ita est, innumera nobis exempla occurrent earum rerum quæ essentialiter in ea, quæ similiter existunt, transmutantur. Age enim verbi causa, atramento nigerrimo membrana albissima inficiatur: albedo nigredini continuò cedit. Si igitur albedo in nigredinem versa est, in id utique versa est quod iam erat. Neque enim dici potest tunc ibi augeri nigredinem in quam transferatur albedo, quandoquidem nec atramentum nigrius est quam priùs erat, neque aliquid membranæ præter atramentum occupavit nigredo. Idem quoque in aliis sæpe numero inveniri potest. Vnde fit ut accidentia recedentia, sicut diximus, aut penitus nihil fiant: aut si permutantur

in

A in advenientia, quod nostræ causæ non parum accederet, in ea utique multoties permutentur, quæ iam erant. Tertiam autem mutationem solemniter cernimus, qua videlicet substantiæ in eas quæ non erant substantias vel naturali usu, vel per miracula transeunt: sicut nucleus in arborem, semen in herbam, esca & potus in carnem & sanguinem: vel sicut virga in serpentem, serpens in virgam, & cætera huiusmodi.

Quarta verò mutatio est, qua id quod est, transit in id, quod nihilominus est, sicut panem & vinum, virtute divinâ, in corpus Christi proprium singulari quadam potentiâ credimus commutari. Et hæc quidem tribus aliis longè melior, longéque utilior à credentibus facile iudicatur. Melior quidem, quoniam
B in divinam carnem, quæ rerum est omnium optima, id quod mutatur, transit. Utilior autem, quoniam hanc propter alias factam, singularem nobis medicinam Christus constituit. De nihilo quippe primo facta sunt elementa, è quibus non felices facti sumus. Sed & aliæ duæ mutationes nihil nobis profuerant, quin ad summas traduceremur miserias: nisi quarta medicinaliter superveniens, subveniret. Cui itaque cæteris omnibus hæc honorabilior sit atque utilior, tum etiam illi quæ usitatissima est, multo vicinior atque similior: ideo multo credibilior, quam duæ reliquæ, reperitur. Cum enim non luce clarius pateat, ei mutationi, quæ usitatissimè de aliquo in aliquid fit, eam quæ etiam ipsa de aliquo fit in aliquid, licet aliquantò mirabilius, propinquiorem admodum ac similiorem esse: quam illam, quæ de nihilo fit in aliquid, aut illa quæ de aliquo fit in nihil? Illæ enim duo aliqua habent: istæ unum tantum: Adeoque à capacitate intelligentiæ nostræ remotæ sunt, ut neque
C mutationes eas quis fortasse vocaverit: difficilliméque verbum reperiat, si tamen vel difficillimè, quo eas aliquatenus propriè exprimere possit. Et cæteræ quidem mutationes rerum subiectarum sunt, hæc Domini: illæ creaturarum cæterarum, hanc suo proprio corpori author ipse retinuit. Et cæteras quidem semel in principio iussit esse Deus, & factæ sunt: hanc autem & propheticis oraculis, & rebus gestis, maximéque sacrificiis & miraculorum novitate promittere & præfigurare ab initio non cessavit: cum etiam magnâ insuper precum solennitate & studio, per verba quæ ad hoc ipsum propria Deus ipse ac Dominus noster Iesus Christus dictavit quotidie repetita præbet effectum. Quibus omnibus, aliisque permultis dignè perspectis, valde credibilior hæc, chariorque, quam illæ duæ potest & debet iudicari. Si enim Deus id quod difficilius, & ab intellectu nostro remotius est, quia voluit, fecit: quomodo non id quod videtur aliquo modo facilius & intelligibilius, si voluit, fecit? Atqui difficilius illud Deum fecisse nemo dubitat: Istud igitur facilius Deum facere, si vult, nemo dubitare debet. Aut quare hanc quartam mutationem non deberet addere
D Deus ob medelam hominum, qui quartam generationem (ut ostendimus) addidit ob reparationem salutis ipsorum: ut sicut ille summè bonus cuncta bona in creaturis, quæ fore in eis decebat, sine invidia esse voluit: ita quoque mirâ varietatis pulchritudine nullus generationis modus decens deesset hominibus, nullus mutandi modus competens deesset rebus: Quoniam igitur satis de propositione, ut arbitror, constitit (scilicet quoniam mutationem hanc Deus, si voluit, fecit) probanda, tantum restat assumptio, scilicet quia voluit. Sed quoniam multa adhuc exhaurienda veneria supersunt, opportuniùs id suo loco servamus. Nunc igitur prioribus adversariorum calumniis discussis, hic si placet, aliquantulum quiescamus: ut & quæ dicta sunt diligentiùs recolas, & dum novo initio in ea quæ sequuntur assurgimus, animus tuus novâ intentione reparetur.

LIBER SECUNDUS.

GUITMUNDUS.

E Dum tuis obiectionibus respondeo, prudenter advertat si quis legerit, non me laborare nunc ad expugnandum nostris argumentis penitus hostem: sed ad muniendam interim contra hostilia argumenta Catholicam fidem. Et illud quidem Deo auxiliante postmodum fiet. Nunc vero rem ita distinguere volumus, ut primo hostilem disputationem debilem esse, & nihil contra fidem nostram conficere
F posse monstremus: ut cum in suis inimicus ubique defecerit, nostris ad ultimum (Deo favente) pleniùs subruatur. Ex qua re puto fieri, ut hæretica fallacia citiùs sileat, & Catholica veritas clariùs elucescat. Sed hæc propter eos dicta sint, qui festinantiùs quam res postulat satisfieri sibi omnino volentes, quia non omnis nostra hîc expendimus, apud se nos forsitan de inefficaci opere reprehendant. Iam vero cætera prosequamur. ROGER. Berengarius dicit: caro Christi incorruptibilis est, Sacramenta vero altaris, si diutius serventur, possunt corrumpi. Videntur enim putrefieri. GUITMUNDUS. O calumniosa lingua, ô lingua blasphemiis assueta: promptior ad extorquendam superbè de scripturis Dei suam perditionem, quam ad percipiendam cum fidelibus salubrem refectionem. Credidit scripturis sanctis dicentibus Christum esse incorruptibilem, & non credidit Christo dicenti: *Panis quem ego dedero, caro mea est pro seculi vitâ*, sed contra hoc opponit corruptionem. Videatur itaque male sanis corruptisque hominibus, iuxta infidelitatem suam, corruptibilis
G & putribilis panis divinus, & sicut scriptum est, tollatur impius ne umquam videat gloriam Dei: sed semper ignominiosa de Deo somniet, semper scandala meditetur, sitque ei Christus semper *lapis offensionis, & petra scandali.* Nobis enim panis ille Dei cœlestis, illa Eucharistia, divinum illud manna, quod immaculati agni carnem impassibilem factam, de sacris altaribus sumimus, per quod & vivimus, & à corruptione sanamur, nunquam corrumpitur, nunquam putrescit: quia cum de die in diem nos renovet, ipsum veterascere nunquam novit. Cui sententiæ beatus Ambrosius adstipulatur in libro de Sacramentis his verbis: *Considera nunc utrum præstantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Manna illud è cœlo, hoc supra cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium si in diem alterum servaretur, hoc alienum ab omni corruptione. Quod quicunque religiosè gustaverit, corruptionem sentire non poterit.* Si ergo forte cuipiam vetustate corruptum & putridum aliquando videatur, si
H is non credit hoc quod videt, esse corpus Domini, iuxta cor suum, cum eo credimus agi: (ut quemadmodum de Christo peregrino, & duobus discipulis cum eo in via loquentibus beatus ait Gregorius) tale illi foris appareat, quale intus in corde videlicet creditur. Si autem credit, hoc quod videt esse corpus Domini: id cum eo fieri credimus, ut aut aliquis eius negligentia corrigenda, vel punienda declaretur, pro eo videlicet, quod Domini sui corpus, quantum in se est, indignè tractaverit, vel contra Ecclesiasticas regulas diutius retinendo inobedienter egerit: aut certè fidei eius soliditas copiosius remuneranda comprobetur, qui contra id etiam quod oculus cernit de rebus ac potentiâ Domini sui, & communi Ecclesiæ fide non dubitat. Ad hæc quæ dicimus, ex divinis libris exempla nobis in promptu sunt. Maria namque Magdalene nondum resurrexisse Dominum credens, iuxta incredulitatem suam quasi hortulanum vidit. Discipulis quoque dubitantibus,

Marginal notes: Ex corruptis speciebus arguit corruptionem corporis. — Ioan. 6. — Esa. 26. — 1. Petr. 2. — Cap. 9. — Duo genera videntium Eucharistiæ species.

A ipsa resurrectionis die tanquam peregrinus apparuit. Vbi etiam quomodo credentium negligentia puniatur, vel corrigatur videri potest. Nam quoniam Prophetias de Christo minus diligenter attenderant, de negligentia primum quidem puniri, dum stulti vocantur: deindè corrigi, dum scripturæ eis aperiuntur, meruerunt. Quomodo autem ad comprobandos remunerandosque fideles incorruptibilis Christus quasi corruptibilis videri dignatus sit, beatus Gregorius declarat de quodam Martyrio Monacho narrans, qui Dominum IESVM in specie leprosi sibi apparentem propriis meruit humeris bajulare. Cumque is, inquit: qui quasi leprosus videbatur, de collo eius euanuisset, ab ipso mox sententiam remunerationis accepit: Quoniam, inquit, non erubuisti me in terra, ô Martyri, nec ego erubescam te in cœlo. Sicut igitur ad comprobandam & remunerandam Martyrij humilitatem sive dilectionem, in terra deformi horrendáque specie Dominus noster IESVS-

(Ioan 20. Luc. 24.)

B CHRISTVS apparuit: ita ad comprobandam & remunerandam servorum suorum fidem, si nulla incredulitas est, vel negligentia punienda vel corrigenda, in specie corrupti illius panis, si quando hoc contingat, credendus est videri. Et sicut non alium leprosum illum deformissimum fuisse nisi seipsum de collo Martyrij evanescens Christus ostendit: ita non aliud quam Christi carnem & sanguinem in divinis Sacramentis, etiam si sub specie quasi putrefacti panis & vini aliquando videantur, orthodoxorum prudentia credere novit. Quod si obiicias (vt dici assolet) quia Berengarius vitas Sanctorum pro authoritate non recepit, scias, quia tametsi quasdam sanctorum vitas non recipit: beati Gregorij tamen libros nunquam eum respuisse prout recordor, accepi. Quapropter & dialogum beati Gregorij pro authoritate assumpsimus, in quo de Martyrio memorantur ista quæ diximus. Tantus enim author non ea scriberet, nisi & ipse vera esse crederet, & digna credi à posteris iudicaret. Postremò, totam ipsam dispensationem humanitatis Dominicæ animo percurramus. To-

C (*Quid tota humanitatis Christi dispensatio intendit.*) ta quippe talis extitit, de qua & inimicorum incredulitas magis excæcanda, proptereáque damnanda, scandalizaretur: & credentium fides magis augmentanda, & propterea coronanda probaretur. Quid enim hoc ipsum, quod de Virgine desponsata Ioseph nasci voluit? Nonne & inimicis ad augmentum mortiferæ impietatis scandali causa fuit, vt appellarent eum filium fabri: & credenti Petro ad augmentum remunerandæ fidei profuit, qui in nullo per hoc impeditus dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi?* Quid denique tota carnis eius infirmitas? Nonne & ipsum diabolum vsque adeo excæcavit, vt nec miracula inaudita prius attendens, vsque ad occidendum eum insurgeret, nec damna irrestaurabilia sibi exinde proventura præideret? Ea eadem tamen infirmi-

(Matt. 1. Luc. 1. Matt 13. Marc 6. Luc 4. Matt 16. Marc. 8. Luc. 9.)

D tate tantisper illuminantur per fidem hodiéque fideles, vt non solùm valeant ipsius adjutorio fidei in suis infirmitatibus non deficere: sed eiusdem insuper Domini sui auxilium credentes charitati qua pro ipsis infirmatus est, vsquequaque fiducialiùs audeant implorare. De morte autem eius quid dicam? Nonne dicit Apostolus, quia per ipsam *Christus Iudæis est scandalum, gentibus autem stultitia*: Christianis verò. *Christus Dei virtus & Dei sapientia*: Sicut igitur tunc cum inter homines mortalis adhuc Christus viveret, circa eius carnem agebatur: ita etiam quamdiu Ecclesia eius vsque ad consummationem sæculi mortalis erit, pro eadem vtilitate Ecclesiæ, qua illa tunc fiebant circa ipsam eandem carnem, salvâ incorruptione eius, tale quid specie tenus apparere potest vnde scandalizentur, & contenebrentur semper increduli, exerceantur autem & illuminentur magis electi. Quaproter desinant homines mente corrupti & putridi, corruptelam & putredinem opponere Sacramentis Dei: quia sicut assumpta peregrini vel hor-

(1. Cor. 1.)

(Luc. 24. Ioan. 10.)

E tulani, vel leprosi species, fidelium negligentiam, vel increpuit, vel corripuit, vel fidem dilectionémque probavit, veritatem tamen essentiæ Christi non evacuavit? ita si quando putredo, vel aliud simile indecens quid in Ecclesiæ Sacramentis appareat, ad negligentiam ministrorum puniendam vel corrigendam, vel certè ad fidem dilectionémve probandam, vt diximus, valet: veritatem tamen essentiæ Dominicæ carnis & sanguinis evacuare non potest. Proinde ergo nec istas Ecclesia Dei hæreticorum versucias metuat: quæ ipsam etiam totam carnalem in terris dispensationem Domini sui sibi quidem salutem, scandalum autem semper fuisse reprobis non ignorat. ROGER. A muribus quoque, vel huiuscemodi quibuslibet animalibus corrodi, vel consumi hæc Sacramenta posse obiiciunt. GVITMVND. Mihi equidem Sacramenta hæc nequaquam à muribus, vel aliquibus brutis animalibus videntur posse corrodi. Quod si aliquando velut corrosa videantur, quod tunc de hortulano, de peregrino, vel leproso diximus, responderi potest, id est, non esse

(O... Guitmu... ... Sacramenta Eucharistiæ ... corrip... ... muribus posse ... non ab ... devora... sed hæc tamen)

F corrosa: sed vel ad puniendam seu corrigendam ministrorum negligentiam, vel ad probandam eorum qui hoc viderint, fidem, in tali specie posse videri. Ad hoc vero quod à brutis animalibus consumi posse dicuntur, respondere possumus ob prædictas causas, id est, probandæ fidei, aut damnandæ seu corrigendæ custodum negligentiæ, bruta animalia eatenus ad corpus Christi posse accedere, quovsque potest humanus visus aspicere: Deinde aut mox invisibiliter Angelorum sibi semper assistentium ministerio, vel suapte virtute raptum iri, in cœlisque constitui. Cuius sententiæ Martyr gloriosus Tarsitius nobis idoneus testis occurrit. Qui cum veneranda Dominici corporis Sacramenta portaret, à Paganis forte supervenientibus, & quidnam ferret exquirentibus comprehensus est. At ille mori potius quam *sanctum dare canibus* eligens, palmam pretiosæ mortis emeruit. Illi vero curiosissimè omnia scrutantes, rapto cœlitus Dominico corpore, nihil penitus, nisi sola linteamina repererunt. Porro verò si quis se vidisse dicat (nam isti

G contra quos agimus non curant quid proferant, dum tamen aliquid ne rectè credant semper obiiciant) hæc à brutis animalibus devorari, & intra eorundem corpora inveniri, licet tale testimonium non facile recipiendum, dignúmve responsione videatur: tamen ne quid neglexisse vel evitasse putemur, responderi potest, quoniam si placet Christo, vel propter eas quas modo diximus, vel propter alias quaslibet, quas ipse noverit causas, vt hæc Sacramenta absque sui corruptione à bestiis sive avibus comedi possint: quid hoc ad veritatem, quam credimus, Dominici corporis obstat? Certe enim non magis bestiarum, vel avium, quam nostro læditur gustu. Sed nec pro vtilitate bestiarum, ora vel

(... Vide S. Thom. ... p. 4 ... art. 3. 4. 5. 6. 7.)

H avium rostra refugit, qui in lapide sepulchri iacuit, qui post resurrectionis etiam gloriam, terram calcavit. Manifestissimum quippe est ex ordine Dei, animata corpora inanimatis, sensibilia insensibilibus meliora esse: Neque huic sententiæ ullum vel tenuiter sciolum refragaturum credo. Quæ autem meliora sunt, apud optimum Dominum ehariora, ideoque honorabiliora sunt: quo fit ut corpus cuiuslibet vivi animalis non sit apud Deum vilius quam terra & lapis. Sed ipsum Christi corpus, sicut iam diximus, in lapide iacuit, & terram calcavit: non igitur propter aliquam vilitatem cuiuscunque animalis corpus horrescit. Quapropter, etiam si aliquo divino iudicio bruta quælibet animalia non solum sacrosancta mysteria tangere, sed etiam valeant devorare nulla tamen ex hoc nobis ratio obviat quæ veritatem Dominicæ carnis & sanguinis, quam tenemus in sacris mysteriis, nos negare compellat. Quocirca sufficienter excussa & hac blasphemia, cætera videamus.

De igne grandis quoque quæſtio oritur: pro eo quod in quibuſdam, ut aiunt, canonibus igni tanquam abſumenda, ſacra myſteria tradi iubentur. Veruntamen non ut combuſtione conſumantur, id præcipitur, ſed tanquam omnium elementorum purgatiſſimo, ac mundiſſimo digniſſimóque, quod omnia reliqua elementa purgat, ipſum vero ex reliquis nec inquinari valet, nec indiget expurgari, venerabiliter committi iubentur. Satis tamen mihi placeret, ut quando aliqua negligentia vel certe miraculum novum de tantis myſteriis accidit, id inde fieret, quod mihi magiſter meus, vir eximius ſine dubitatione credendus, D. Lanfran. ſe puero in Italia factum eſſe narravit: Nam cum Presbiter quidam Miſſam celebrans, invenitam ſuper altare veram carnem & verum in calice ſanguinem, ſecundum propriam carnis & ſanguinis ſpeciem, ſumere trepidaret: rem protinus ſuo Epiſcopo conſilium quæſiturus aperuit. Epiſcopus autem cum multis Coepiſcopis ad hoc convocatis, calicem illum cum eadem carne & ſanguine Domini diligenter opertum ac ſigillatim in medio altaris incluſit, pro ſummis reliquiis perpetuo reſervandum. Si tamen ſacra myſteria ignibus imponuntur: non traduntur equidem ignibus cremenda, ſed mundiſſimo, ut dixi, elemento fideliter committuntur, nobis occultanda & ſupernis ſedibus illico reponenda. Quod ſi fortè cuivis curioſo videantur comburi, certiſſimè noverit, quod Dominici Sacramenti ſubſtantia quidem nullatenus crematur; ſed à nobis, ut dictum eſt, cœleſtia petens abripitur: qualitates vero ſenſuales, quas ibidem poſt immutationem ſubſtantiæ Dei remanere altiſſimo conſilio voluit, oſtendunt quod ſuum eſt. Vnde fit ut color & ſapor, odor quoque, & ſi qua huiuſmodi accidentia prioris eſſentiæ videlicet panis ſervata ſunt, quemadmodum in pane vel uſtulato vel nimis diu ſervato ſolet fieri: Simili modo hic quoque ſalvâ omnino Dominici corporis ſubſtantiâ, corruptioni exteriùs ipſa accidentia aliquatenus videntur obnoxia: quatenus cœleſtis altitudo myſterij, tetentis velata accidentibus, nec paſſim reveletur incredulis, & probatæ fidei merito, uberiùs & gratiùs commendetur iuſtis. ROGER. Si panis & vinum in Chriſti carnem & ſanguinem verterentur, iam toties, inquiunt, talia devorata ſunt: ut ſi Chriſti corpus tam magnum ut ingentiſſimus mons fuiſſet, iam totum devoratum conſumptumque fuiſſet. GVITMVNDVS. Ita equidem videretur conſequens, ſi nos concederemus corpus Domini membratim diſcerpi: atque ita particulatim à fidelibus manducari, ut iam ſine ullo ſui damno totum apud ſe remanere non poſſet: ſed quoniam ad inſtar vocis, quæ inter mille homines (ut ſupra dictum eſt) ab uno prolata, ad ſingulos tota pervenit, & apud dicentem tota remanet: ita Dominicum corpus à ſingulis comedi credimus: ut tamen apud ſe totum, integrumque remanere fateamur, iam nos in nullo impediens hæc obiectio vana conticeat: quia ſicut beatus Auguſtinus & Euſebius Emiſſenus dixerunt, *hæc gratia Dei ſcit diſtribui, neſcit diſtributione conſumi.* ROGER. Corpus Domini inconveniens eſt in ſeceſſum mitti, *Omne autem quod intrat in os*, ut Salvator ait, *in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur.* Denique de Sacramentis iſtis ſi multi panes, ut inquiunt, & multa vina ſacrentur: poteſt quis longo tempore vivere, nihil aliud comedens aut bibens: unde igitur habebit ſeceſſum illo tempore, niſi iſta in ſeceſſum vadant? hæc ſunt interim quæ mihi de rationibus Berengarij occurrunt: quibus poſtquam reſponderis, authoritates apponam. GVITMVNDVS. Corpus Domini quidem nullo modo in ſeceſſum mitti, & nos credimus. Sed non omnia quæ in os intrant in ſeceſſum ire concedimus: Non enim ſententia illa Dominica, niſi de cibis qui ad ſuſtentandam huius mortalis corporis vitam ingeruntur, competenter intelligi poteſt. Nemo eſt enim qui de eo, quod Salvator poſt reſurrectionem ſuam comedit, ſicut nec de Angelis qui apud Abraham comederunt, id vel audeat ſuſpicari. Sicut igitur cibus corruptibilis, cum ab immortalibus ſumitur, hac ſeceſſus lege congruè creditur non teneri: ita cibum incorruptibilem, quod eſt corpus Domini, cum à mortalibus editur, ſeceſſus neceſſitatem pati nefas eſt arbitrari. Abſit enim ut inhoneſtam corporis egeſtionem cibus ille ſuſtineat qui corpus & animam ad æternam honeſtatem parat. Sed ſi cui hoc quod diximus fortaſſe non ſufficit: audiat quod de ipſis noſtris incorruptibilibus cibis phyſici, & medici maximè, certiſſimâ ratione doceant: dicentes, partem ciborum & potuum eam videlicet quæ corpulentior & corruptior eſt, per ſeceſſum egeri: partem autem ſubtiliorem, & utiliorem, ut naturæ per diverſas corporis partes diſtrahi, & in carnis naturam ac ſanguinis verſum iri: partem vero aliam, ſubtilem quidem, ſed minus utilem, per partes corporis ſimiliter transfuſam, per poros evaporari: partem autem reſiduam, neque tantiſper ſubtilem, neque adeo ut prima eſt, corpulentam, per fluxum narium aut per ſputa, vel quolibet ſimili modo iactari. Quæ ſi ita ſunt: non igitur cibus qui in ventrem vadit, omnis in ſeceſſum emittitur. Sed neque Dominus hoc in Evangelio dixit. Illud quidem ex ſententia Domini intelligimus, quod omnis cibus & potus qui ad ſuſtentandum corpus in os intrat, in ventrem naturaliter vadit: non tamen dixit, & omnis in ſeceſſum emittitur, ſed tantum dixit, & in ſeceſſum emittitur, de parte videlicet omnibus notiſſimâ loquens. Et hæc quidem quantum ad hunc locum attinet, de hac ſententia Evangelica dixiſſe ſufficiat. Cæterum ſi quis hanc Domini ſententiam enucleatiùs ſibi exponi deſiderat, expoſitiones Evangeliorum ſtudioſus legat. Nobis enim in præſentiarum hoc tantum dixiſſe ſufficit ne quis nos exiſtimet Dominicæ ſententiæ contraire. Sive autem hoc modo, ſive quolibet alio, prædicta quæſtio de ſententia Domini convenientiùs ſolvatur: hoc interim quod ad ſuſceptam diſputationem ſatis eſt, conſtat: ſcilicet, quia non omne quod in os intrat, in ſeceſſum emittitur. Fruſtra igitur & hæc nobis offertur obiectio: quia nullo modo per eam impedimur, quod de menſa Domini ſumimus, corpus & ſanguinem Domini credere, cum tam multa alia ſciamus, quæ in os intrant, in ſeceſſum non ire.

Illuc nunc quod addunt ex ſe, videamus. De iſtis, inquiunt, Sacramentis, ſi multi panes & multa vina ſacrentur, poteſt quis longo tempore vivere nihil aliud comedens aut bibens, unde igitur ſeceſſum habebit tempore illo, ſi non iſta ſeceſſum petant? illud equidem ego conſiteor, quoniam ex virtute ſacroſancti corporis, ſi placet ita Deo, propter aliquam quam ipſe noverit cauſam non dico ex multitudine panum, ſed vel ex modica portiuncula poteſt quis longo tempore melius, quam ex omnibus huius mundi epulis ſuſtentari. Nam ſi Helias, ex virtute refectionis illius quam ex duobus ſubcinericiis panibus & modico aquæ Angelo miniſtrante perceperat, quadraginta diebus totidemque noctibus vixit: quanto magis ex virtute huius cœleſtis divinique convivij, in quo non iam ſubcinericios panes, & aquam de manu Angeli, ſed ipſius Verbi Dei propriam carnem & ſanguinem de manu eiuſdem ſumimus Chriſti, poteſt quiſpiam nullo alio cibo utens, ſi quando ita voluntas Dei eſt optime ſuſtentari? Denique & hoc de quibuſdam ſanctis patribus legimus, qui nullum aliud ſumentes prorſus edulium, ſolâ communione Dominicâ, diebus tantùm Dominicis ſaginati, multis annis vixerunt.

Hoc igitur concedere poſſumus, poſſe videlicet aliquem ex virtute Dominici corporis per divinum miraculum longo tempore vivere: ſeceſſum autem ei poſſe fieri exinde, omnino denegamus. Si quid ſane interim habet ſeceſſus, aut ex reliquis præ-

Margin notes: Lanfran. Miraculum de Sacramento altaris hiſtoria. — B — Aliis inſtulato. — C — Auguſtinus Euſebius. — D — Mat. 15. — Gen. 19. — E — F — G — H — Helias. 3 Reg. 19. — ... olo Sacramēto poſſe quē ſuſtentari.

A teritorum ciborum, aut ex defectu sui corporis id esse necesse est. Sed hoc, inquit Berengarius, iam manifestè probatum est (ita enim nonnulli pro eo nobis responderunt) neque ex reliquiis præteritorum ciborum, quippe propter diuturnitatem longi temporis iam consumptis, neque ex defectu propriæ carnis, quippe consueta corporis pinguedine permanente, Eucharistia pastos habuisse secessum. O hæretica malitia, hoccine experimento ausa es probare? hoc te probasse ausa es dicere? hoc manifestè ausa es propalare? Quam immanissima audacia, nec præsentis Dei tremendam majestatem in experiendo pertimuisti, nec Christiani populi pro tanto scelere dignè sævituram indignationem in referendo formidasti? Hic ego tamen quæro, quando vel à quo istud probatum est. Si enim antiquis temporibus id probatum esse dicat: cum nullus hoc authorum probabilium referat, nullo modo credendum est. At si propinquis temporibus probatum est, quis probavit? Catholicæ partis

Christianorum indignatio contra Sacramentarios.

B equidem nullus. Quis enim hunc sacratum panem Christi corpus verè esse credens, de experiendo tam nefandissimo scelere cogitaret? Quod si ipse, vel suæ partis quispiam panes multos, aut pergrandem unum, tale quid probaturus sacravit: nos de Missa infidelium & maximè tantum nefas probare volentium, quicquid eis contigerit, non magnopere iam curamus. Non enim nisi apud eos, qui verba Christi per virtutem divinam tantæ rei operatoria esse credunt, panem & vinum in carnem & sanguinem Domini transire necessariò credimus. Apud eos autem qui fidem huius rei tenent, hanc mutationem per verba Christi necessariò fieri & credimus, & confirmamus. At si fortè aliquando quemlibet simplicem, Catholicum Presbyterum ignorantem ad quid hoc fieret, ut plures sibi panes, aut unum

Omnes sacerdotes verè conficiunt si quomodocumque intendunt facere quod facit Ecclesia.

C maximum sacraret, ob idipsum experimentum decepit: aut suæ partis quispiam fortè cum Catholicis Missam celebrans itidem fecit: corpus equidem Christi, quod sacratum est credimus, sed aut nunquam in secessum isse, aut eodem tempore Domini corpore invisibiliter absumpto, dignum fallendis refellendisque hæreticis qui secessum faceret panem ab Angelis, sive à malignis spiritibus repositum respondemus. Nam in vitis Patrum (quas & si Berengarius recipere non vult, ad instructionem tamen aliorum hoc proferam) legitur, quod aspiciente quodam sanctissimo Patre, cuius ad id cernendum Deus oculos aperuerat, quibusdam indignis communicaturis corpus Domini invisibiliter Angelus subtrahens, carbonem porrigebat, contra hanc de secessu quæstionem posteros fortasse præmuniens. Non quod id semper indignis communicaturis faciat, sicut de hac re volente Deo posteriùs ostendemus. Sed & Beatus Augustinus, quem saltem Berengarius

Aug. lib. 18. c. 18.

D numquam respuit, in libro de Civitate Dei, similem subtractionem per Apostatas Spiritus factam de Ephigenia Virgine, Regis Agamemnonis filia, dicit, asserens, quod cum a patre diis immolanda esset, ut miraculi novitate miseros altiùs falleret, Diabolus eam subtraxerit, pro qua interim alicubi sumptam cervam supposuerit. De quodam etiam suis temporibus magna contigisse mirabilia refert, qui inter jumenta videbatur in specie caballi frumenta subvehere, cum ipse interim gravissimo stetteret velut somno oppressus, & eius specie assumptâ Diabolus, ac deinde coram hominibus in caballum transformatus frumenta portaret. Quocirca, quoniam vel in Missa non credentium virtutem verbi dominici, corpus Domini non fit, vel certè corpore Domini divinâ virtute, vel Angelico ministerio invisibiliter ablato, potest hæreticis secessui congruus panis, aut ab Angelis, aut dæmonibus subiici: iam de tali experimento Berengarius, & sequaces eius contra Ecclesiam Dei desinant oblatrare, cum salvâ usquequaque in sacrosan-

E ctis mysteriis Dominici corporis veritate, magis ipsi altiùs in sua stultissimâ curiositate convincantur errare. ROGER. Reverà Dei gladio armatus multiplicem serpentem quæstionis huius mirâ vivacitate concidisti. Et ego gratias ago Deo: quia de quo vehementer angebar, sufficienter mihi satisfactum esse conspicio. GVITMVND. Nonne & illud audisti in quo vel maximè deridendo Catholicos, gloriatur? ROGER. Quidnam illud? GVITMVND. Christus, inquit, nunquam fuit seminatus, neque collectus in agris. Sed ista fuerunt seminata in agris & collecta: quomodo ergo possunt esse corpus Christi? ROGER. Hoc profectò argumentum vel nunquam audieram, vel mente excesserat: cui quid responderi congruè debeat, abs te consequenter exponi desidero. GVITMVND. Irridenda plane hæretici insana derisio. Quis est enim hominum, in cuius carnem manducata non mutentur ea quæ fuerunt seminata & collecta in agris? Quo fit ut om-

F nes homines, qui vescuntur his, quæ in agris seminata & collecta sunt, seminati & collecti in agris possint dici. Et sic falsum est, quod ait Berengarius, Christus nunquam seminatus est neque collectus in agris. Aut si propter hanc causam nullus homo seminatus vel collectus in agris creditur; quid ergo impossibile est, si in Christi corpus neque seminatum in agris, neque collectum, ea quæ in agris seminata & collecta sunt convertantur? Sed neque ea, quæ fuerunt in agris seminata & collecta, converti hic dicimus. Panem enim in carnem converti hic dicimus: panis verò nunquam in agris seminatur vel colligitur, sed grana ex quibus conficitur. Quod si ita est, falsum ergo & illud est, quod ait Berengarius, ista fuerunt seminata & collecta in agris. Rideatur igitur & in his, nec timeatur vanus irrisor: cum omnia ornamenta oppositionum eius velut aranearum telæ, conatu facili disrumpantur. ROGER. Recipienda di-

G gnissimè & toto corde amplectenda videntur mihi cuncta quæ dicis. GVITMVND. Hæc igitur sunt omnia in quantum adhuc audivimus, quibus tanquam rationibus Berengarius, & fautores sui contra Ecclesiam Dei hactenus cavillati sunt. Quibus arbitror sufficienter explosis, iam nunc ad ea quæ de scripturis Sanctorum Patrum sibi videntur sumere patrocinia veniamus. ROGER. Augustinus in libro de Doctrina Christianâ, cibum Dominicæ altaris signum & figuram, ut ipsi asserunt, nominat, dicens: *Hoc vero tempore posteaquam per resurrectionem Domini nostri manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum, quæ iam intelligimus operatione gravi oneratis sumus: sed quædam pauca pro multis, eademque factu facillima & intellectu augustissima, & observatione castissima, ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina. Sicuti est Baptismi Sacramentum, &*

Aug. de Doctrin. Christ. lib. 3. c. 9.

H *celebratio corporis & sanguinis Domini, quæ unusquisque cum percipit, quo referantur imbutus agnoscit: ut ea non carnali servitute, sed spirituali potiùs libertate veneretur. Vt autem literam sequi, & signa pro rebus quæ his significantur accipere, servilis infirmitatis est: ita inutiliter signa interpretari, malè vagantis erroris est.* Audisti igitur, inquiunt, quod Sacramenta, altaris signa dicit? Deinde infert: *Quæ unusquisque cum percipit, quo referantur imbutus agnoscit: ut ea non carnali servitute, sed spirituali potius libertate veneretur.* Audisti quia non carnali servitute, sed spirituali potius libertate veneranda esse ista dicit? Et quasi quæreres, quid est carnali servitute signa venerari: *Literam*, inquit, *sequi: & signa pro rebus quæ his significantur accipere, servilis infirmitatis est.*

Lib. 3. c. 16.

Item in sequentibus: Si autem flagitium aut facinus iubere, aut utilitatem & beneficentiam videtur vetare: figurata locutio est. *Nisi manducaveritis*, inquit, *carnem filii hominis & sanguinem biberitis, non habebitis*

Ioan. 6.

vitam

A *vitam in vobis*, facinus vel flagitium videtur iubere: figura ergo est præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. Audisti ergo, aiunt, figuram; Quid amplius requiris? Adde tamen quod apud omnes Ecclesiasticos autores, sed & in collectis Missarum quas (*Missarum collectæ.*) ubique Ecclesia celebrat, panis altaris, dicitur Sacramentum: quod est sacrum signum GVITMVND. O viri insipienter sapientes, nec Augustinum, nec cæteros autores sanctos, nec consueta Ecclesiæ verba intelligentes, aut certe malè pervertentes præclarâ diligentiâ. Nusquam etenim Augustinus in libro de Doctrina Christianâ cibum altaris Domini, signum vel figuram vocavit, sed celebrationem Dominici corporis signum dixit, quod idem & nos credimus. Nam quoties celebratio corporis & sanguinis Domini agitur, non equidem Christum iterum occidimus, sed mortem eius in ipsa, & per ipsam celebrationem memoramus: Estque ipsa celebratio, passionis Christi

B quædam commemoratio. Commemoratio autem passionis Christi, ipsam passionem significat. Celebratio igitur corporis & sanguinis Domini passionis Christi est signum. Et hoc est quod ait beatus Augustinus. *Hoc verò tempore, posteaquam per resurrectionem Domini nostri manifestissimum indicium nostra libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum quæ iam intelligimus operatione gravi onerati sumus, sed quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima & observatione castissima ipse Dominus & Apostolica tradit disciplina: sicuti est baptismi Sacramentum & celebratio corporis & sanguinis Domini.* Quod vero addidit, quia sequi literam, & signa pro rebus quæ his significantur accipere servilis infirmitatis est: de signis veteris testamenti, de quibus tunc loquebatur hoc dicit. Revera enim servile erat & infirmum secundum literam tantùm circuncidi, pecudes immo-

C lare, neomenias & sabbata celebrare, agnum, petram, & cætera huiusmodi quæ Christum significabant, pro Christo accipere. Quod si etiam de celebratione dominici corporis, quam signum vocavit, hoc Augustin. dixit, & nos ultro sequimur. Nam cum dicimus in celebratione Dominici corporis Christus immolatur, nemo carnaliter hæc secundum literam debet acci-

Rom.6. pere. *Christus enim semel mortuus, iam non moritur, mors ei ultra non dominabitur.* Sed dum passionem eius, missas celebrando memoramus, pro nobis olim mortuus designatur. Denique si quis dicat: Celebratio dominici corporis est Dominica passio, tanquam carnaliter sentiens à nobis repellitur. Non est enim celebratio ipsa Dominica passio: sed Dominicæ passionis iam peractæ significativa commemoratio. Vbi autem sequitur Augustinus dicens: Si autem flagitium aut facinus iubere, aut utilitatem & beneficentiam videtur vetare, figurata locutio est: *Nisi manducaveritis*

D *Ioan.6.* *carnem filij hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis*, facinus vel flagitium videtur iubere. Figura ergo est, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter in memoria recondendum, ut pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata sit. In qua re facinus vel flagitium videatur præcipere, ipse Augustinus in alio loco satis diligenter exponit. Non nostram opinionem in verbis

August. in Ps.98. Augustini sequamur: sed ipsum se diligentissimè exponentem audiamus. Exponens enim Psalmum nonagesimum octavum, sic dicit. Durum illis visum est quod ait: *Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam.* Acceperunt stultè, carnaliter illud cogitaverunt: & putaverunt quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, &

Tract.27. daturus illis & dixerunt, *durus est hic sermo.* Sed & super Evangelium secundum Ioannem, ubi hæc eadem verba copiosiùs tractavit, hoc ipsum flagitium vel facinus quod eum præcipere putabant, latissimâ expositione prosecutus est dicens: *Hoc vos scandalizat,* quia dixi carnem meam do vobis manducare, & sanguinem meum bibere? Hoc vos nempe scandalizat. E

Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius. Quid est hoc? Hic solvit quod illos moverat, hic aperuit unde fuerant scandalizati: hic planè si intelligerent. Illi enim putabant erogaturum corpus suum, ille autem dixit se ascensurum in cœlum utique integrum. *Cum videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius*, certè vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis, erogat corpus suum: certè vel tunc intelligetis, quia gratia eius non consumitur morsibus. Et iterum: Isti autem cito defecerunt, talia loquente Domino Iesu. Non crediderunt aliquid magnum dicentem, & verbis illis aliquam gratiam cooperientem: sed prout voluerunt ita intellexerunt, & more hominum, quia poterat Iesus aut hoc disponebat Iesus, carnem quia indutum erat verbum, veluti concisam distribuere credentibus in se. Et paulo post: Quid ergo? Non prodest quicquam caro? non prodest quicquam: sed quomodo illi intellexerunt. Carnem quip- F pe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo Spiritu vegetatur. Et iterum: *Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quicquam*, sicut illi intellexerunt carnem, non sicut ego do ad manducandum meam carnem. Certè ergo satis in his verbis declaravit Sanctus Augustinus quod flagitium vel facinus videbatur Dominus iubere: hoc videlicet, quod eis qui audiebant, durum visum est. Vnde & scandalizati sunt, quia & acceperunt, inquit, stultè & carnaliter. Sed quare stultè & carnaliter? Quia putaverunt, inquit, quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo & daturus illis: putaverunt quod gratia eius consumeretur morsibus, & carnem qua indutum erat verbum veluti concisam, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, distribueret credentibus, non sicut spiritu vegetatur. Hoc est ergo faci- G nus vel flagitium, quod, ut ait beatus Augustinus, videbatur Dominus iubere, non quia facinus aut flagitium iuberet iubendo manducari carnem suam, sed videtur (inquit) iubere, illis videlicet, qui putaverunt, quod hoc iubendo, necessario etiam se iuberet occidi, & membratim conscindi, atque ita demum carnem eius crudam vel coctam manducari. Proinde ergo figura est, inquit, in hac locutione. Hic iam obstrepit; hic iam ad gaudet fortassis umbraticus; Noli præpostere, umbratice, noli præcipitanter gloriari: cuius rei figura dicatur hic esse, patienter & diligenter adverte. Figura ergo est, ait Augustinus, præcipiens. Quid præcipiens? Quid figurans? Hoc enim figurat, quod præcipit, passioni Domini, inquit, communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata sit. Deo gratias. Quicquid igitur illud est, quod Augustinus hic figuram appellat (nam quid figuram dicat in his eius verbis cognosci non tam fa- H cile potest) non utique corporis Domini, sed crucifixionis eius & vulnerationis, hoc est, occisionis nostræque communicationis cum ea, id est, ut imitemur Christum & communicemus passioni eius compatiendo, manifestissimè figuram esse demonstrat. Paulo quoque Apostolo concordante, qui ait: *Quotiescunque panem hunc manducabitis, & calicem Domini bibetis* *1.Cor.11.* *mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Quod si quæramus quid hic figuram Augustinus dixerit, nihil utique tam congruè videtur occurrere, quam id quod paulò superius doctus idem iam dixerat, id est, celebratio ipsa corporis & sanguinis Domini. Quas ob res, stultè & insipientissimè Berengariani librum de Doctrina Christiana nobis obiiciunt, cum cibus altaris Domini nusquam ibi figura, nusquam ibi signum dicatur: & quicquid illud sit, quod signum ibi & figura dicitur, non utique signum & figura corporis & sanguinis Domini, sed passionis Domini & nostræ communicationis cum ea, certissimè demonstretur:

A [Qua modo Eucharistia figura.] Porro autem si ipsam Eucharistiam contentiose asserunt ab Ecclesiis vocari signum & figuram (vocatur enim Sacramentum, id est, sacrum signum) quid sibi quæso in hoc eunfetent, quid nobis oberunt? Nos quippe illam non veremur dicere figuram & Sacramentum. Hic fortasse respondebit umbraticus, quod & dicere solitus est: Si figura est, quomodo veritas? Si Sacramentum, quomodo veritas? O male cordati hominis insulsissima ratio. Non legisti in Evangelio [Luc. 2.] ipsum Christum signum appellari? dicente Simeone: *Ecce hic positus est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* Et in [Cant. 8.] Canticis Canticorum ipse ad sponsam suam dicit: *Pone me ut signaculum super cor tuum.* In Esaia quoque [Esa. 7.] legitur: *Erit radix Iesse, qui stat in signum populorum.* Quapropter si Christus, est & verus Christus est, & signum: nihil nos impedit, si hoc quod de altari Domini sumimus, cum sit verum Christi corpus, dicatur & signum. Sed cuius rei forsitan inquies nisi B Dominici corporis est signum? Et ego vicissim abs te requiro, cuius rei Christus est signum? Si mihi respondes, tu ipse quod interrogas solvis. Si illud mihi non respondes, nec me respondere hoc cogis. Ad instructionem tamen fidelium, de hac re sicut Dominus dederit aliqua dicam: Christus enim, quoniam seipsum pro nobis obtulit, factus est nobis signum redemptionis. Omne enim pretium translationis, eius rei cuius est pretium, signum est. Christus igitur quoniam quidem redemptor noster est, de morte ad vitam ipse nos transtulit: & quoniam ipse est & pretium nostrum, huius nobis translationis, id est, nostræ redemptionis est signum. Non absurdè ergo credimus, si simili quoque ratione cibum altaris Dominici, & propter virtutem divinitatis in eo plenissimè habitantis, nostræ salutis effectivum, & quoniam pretium nostrum est, eiusdem salutis nostræ credimus significativum. Christus denique inter Deum & homi- C [1. Tim. 2.] nes mediator, dum nobis semper velut arcus in nubibus, ex divina consistens & humanâ substantiâ, fulget in prædicatoribus, eúmque pater pro nobis interpellantem semper aspicit, inter Deum & homines signum est fœderis sempiterni, iuxta quod scriptum [Gen. 7.] est: *Ponam arcum meum in nubibus, & erit signum fœderis mei inter me & inter terram.* Huius quoque divini fœderis, huius tam saluberrimæ pacis, sacrosancta altaris oblatio, à nobis creditur signum. Sed & illud quod de virgine natus est Christus, nobis est signum, quod & nos de matre virgine in Christo renascimur, quam *despondit Apostolus uni viro virginem castam exhibere Christo*, quæ est Ecclesia. In Christo [1. Cor. 11] crescente profectum nostrum *donec occurramus om-* [Luc. 13.] *nes in virum perfectum*, præsignatum attendimus. Ipse [Eph. 4.] dæmonia eiicit, sanitates perficit, tertiâ die consummatur. Et nos primò quidem vitia expellimus, virtutes deinde nutrimus, tertiò perficimur. Et quid ampliùs referam, cum tota eius in hoc mundo carnalis con- D versatio, omnísque secundum carnem disputatio, nostræ vitæ Christianæ proponatur in signum? *Si enim dicimus nos in Christo manere, debemus sicut ipse ambula-* [1. Ioan. 2.] *vit & nos ambulare.* Vt tamen & de fine aliquid memorem, idem crucifixus, mortuus, sepultus & resurgens, ad patris dexteram demum ascendens: nonne iuxta [Luc. 9.] Apostolum hoc nobis designat, ut *quotidie* sicut ipse præcipit, *crucem nostram baiulemus*, quotidie huic mundo moriamur, *consepulti quoque* etiam non attendamus præsentia, sed sicut filij resurrectionis *ambulemus in nova vitâ*, ut post labores huius seculi conscendamus & nos ad cœlestia regna: Si enim, ait Aposto- [Coloss. 3.] lus *complantati fuerimus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus: hoc scientes, quod vetus homo noster simul crucifixus est cum illo, ut destruatur corpus* [Rom. 6.] *peccati: Et quicunque baptizati sumus in Christo Iesu: in mortem ipsius baptizati sumus, consepulti ei per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vita ambulemus.* Nam quod post hanc vitam bene ge- E stam cœlestia petamus, omnium Christianorum orthodoxorum testis est fides. *Scimus enim* iuxta beatum [2. Cor. 5.] Apostolum, *quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur: quod habitationem habemus ex* [Mat. 27] *Deo, domum non manufactam in cœlis.* In his igitur omnibus suæ sanctæ Ecclesiæ signum nobis Christus occurrit, quod in cruce pendens sanctissima suâ authoritate ipse confirmavit, dicens: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Vbi enim pater eum, aut quan- [Ioan. 8. Ioan. 11.] do dereliquit, cum ipse dixerit: *Non sum solus, quia pater mecum est.* Et iterum: *Pater scio quia semper me audis:* In se ergo Ecclesiam suam quondam in Adam derelictam sine dubio figurabat. Cúmque sicut nos beatus Apostolus Paulus doceat, *Ipse caput Ecclesiæ* [Coloss. 1.] *sit, & Ecclesia corpus eius:* ipsum suum proprium, quod de beata Virgine sumpserat corpus, corporis sui, quod est Ecclesia, signum est, & figura, & Sacramentum. Quod videlicet Ecclesiæ corpus ad instar capi- F tis sui, de Spiritu sancto & Ecclesiâ virgine corde nascitur: & ex omnibus gentibus, tanquam ex diversis membris in unum novum hominem congregatur. Omnia porro hæc, per id quod de altari Dominico sumitur, non incongruè credimus figurari. Nam ut inde facili compendio satisfaciam, neque tamen rationes altissimas divinorum mysteriorum passim prodam: de hoc certè universalis Ecclesia testis est, quia quotiescunque id sumimus, nos utique Christianos esse, id est, spiritualiter natos ostendimus. Consequenter [Virtus Eucharistiæ.] ergo & concrucifixos, & commortuos, & consepultos Domino nostro per baptismum in mortem, sed & consurrexisse nos declaramus. Per hanc quoque vitia expellimus, per hanc nos in nova vita confirmari confidimus: per hanc postmodum perfectos, ad regnum æternum nos ascensuros speramus. Iam vero quod unitatem corporis Ecclesiæ sacra figuret oblatio, non est necesse ut hoc probando laborem: Paulus enim id G sufficienter declarat Apostolus dicens: *Panis quem* [1. Cor. 10] *frangimus, & calix cui benedicimus, nonne participatio corporis & sanguinis Domini est? quia multi unum sumus in Christo.* Quod beatus Cyprianus intelligens [Cyprian. lib. 1. epist. 6.] in epistula ad Magnum quendam ita prosequitur: Denique unanimitate Christianos firmâ sibi atque inseparabili charitate connexos, ipsa etiam Dominica sacrificia declarant. Nam quando Dominus corpus suum panem vocat, de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum quem portabat indicat adunatum: Et quando sanguinem suum vinum appellat, de botris atque acinis plurimis expressum atque in unum coactum, gregem item nostrum significat, commixtione adunatæ multitudinis copulatum. Vnde & beatus Augustinus super Ioannem dicit: [Tract. 26] Hunc itaque cibum & potum, societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia. Et paulo post. Propterea quippe, sicut ante nos intellexerunt, ait, homines sancti Dei, Dominus noster IESVS-CHRISTVS, corpus & sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid redi- H guntur ex multis. Námque aliud unum ex multis granis conficitur: aliud unum ex multis acinis.

Aptissimè igitur & rationabiliter, sacra oblatio, cum aliorum multorum bonorum, tum etiam corporis Domini, id est, Ecclesiæ ex multis hominibus vel populis velut grania, inter duo testamenta, tanquam superiorem & inferiorem molam contritis, id est, humiliatis: per aquam baptismi, & ignem spiritûs sancti in unum collectæ atque compactæ, dicitur signum. Ipsius vero corporis quo divinitas salvatoris propriè induta est, apud quempiam authorum, aut nusquam, aut vix signum apertè dici reperies. Vbi sanè invenitur Eucharistia dici Sacramentum corporis Domini, aut constructionem verborum, sic resolvimus: Eucharistia est Sacramentum quod est corpus Domini, ut ipsa quidem sit verè corpus Domini: Sacramentum vero sit aliarum rerum, prædictorum videlicet bonorum,

sicut

A sicut solemus dicere: Deus est fons bonitatis, id est, fons qui est bonitas, & plenitudo divinitatis, id est, plenitudo quæ est divinitas, & multa huiusmodi alia. Aut certè intelligimus, quod ipsa quidem sit corpus Domini, ipsius videlicet verbi Dei proprium, & corporis Domini, quod est Ecclesia, sicut beatus Apostolus docuit, sacramentum. Quod si uspiam inveniretur etiam ipsius corporis quo verbum Dei indutum est (quod tamen nusquam aut vix clarè occurrit) sacramentum dici: quid nobis officeret, in quo fidem nostram labefactaret? Nunquid enim nullum sacramentum est, id cuius est sacramentum? Aut nulla figura est id cuius est figura? Quid ergo de filio Dei in epistola ad Hebræos Paulus dicit: *qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*, id est, patris? Nunquid non est filius id quod pater? Absit. Filius enim id omnino, quod pater, est: & nihil aliud quam id, B quod pater est. Falsum est igitur dicere, quod nulla figura sit id cuius est figura. Denique & Christus olim docens, miracula faciens, iustissimè inter homines vivens, manducans, bibens, dormiens, cæteràsque nostræ humanitatis proprietates in se ostendens: quid nobis aliud quam seipsum Deum hominémque designabat: Sed & nunc quoque pro nobis interpellans, hodiéque corpus suum cum cicatricibus vultui patris ostendens: se pro nobis natum, passum, ac resurrexisse, atque ad coelos ascendisse designat. Idem igitur Christus sui ipsius est factum signum, id est, sacramentum. Hæc eadem quoque divina nobis oblatio, sine fidei nostræ periculo signare potest. Cùm hæc igitur ita sint eadem nobis per omnia, quæ & Christus, Eucharistia nostra significare invenitur: Et quarum rerum illa, earundem & Christus sacramentum. Quæ cum ita sint nemo tamen idcirco dicit Christum umbram Christi, & non verum Christum esse: nec C corpus eius, quoniam corporis sui, quod est Ecclesia, & sui ipsius, ut nunc ostendimus, significativum est: umbraticum & non verum corpus existere. Nemo igitur dicat Eucharistiam nostram propter prædictas significantias umbram illius Dominici corporis, quod divinitas Salvatoris sibi propriè induit, & non ipsum verum & proprium salvatoris corpus existere: Nam si ob prædictas significantias ipsa non est verum Christi & proprium corpus: propter easdem significationes nec Christus erit verus Christus. Sed absit ab omnium mentibus hoc, ut quoniam tot tantorúmque bonorum nobis est sacramentum Christus, idcirco eius veritas ullatenus evacuetur. Absit ergo pariter ab omnium cordibus, ut Eucharistia nostra, quoniam nobis eadem bona significat, idcirco verum Christi & proprium corpus esse negetur. Quapropter satis, ut arbitror, abundéque monstratum est, quicquid ex prædicta beati Augustini scriptura, aut ex nominibus, sacramenti videlicet, & figuræ, & signi, quæ in usu tenet Ecclesia, adversarius obiicit, nostræ fidei D nihil obesse: verum quam pueriliter etiam in aliis desipiat, ex his patere. ROGERIVS. Constat equidem, satisque probatum est nunc abs te, quia sui ipsius Christus est signum: veruntamen id quomodo esse possit, desidero plenius declarari. GVITMVNDVS. Quid super hoc miraris: Res enim ita solennis est, ut neminem deceat dubitare. Quis enim hominum est (verbi causa) qui operans quidlibet, vel etiam solo suo motu spontaneo, non significet se viventem? Itaque fit, ut unus homo in substantia semper idem, secundum diversa opera seipsum significare possit. Ita ergo Christus substantialiter semper idem, tamen visibilia operans, seipsum significat invisibilia operantem. Sed & verbo & habitudine, seu specie corporis his quibus aliquando apparuit, significavit se propitium vel iratum. Ad hunc quoque modum sacri altaris oblatio, cum substantia corporis Christi veraciter sit: secundum visibilem speciem & visibilia mysteria, vel de ipso Domino, vel de eius Ecclesia, absque fidei nostræ periculo aliqua significare potest. ROGERIVS. Perge quo intenderas, nam de his insanissimum est E amplius dubitare. GVITMVNDVS. Illud sane Berengarium movere permaximè solet, quod in expositione supradicti nonagesimi octavi Psalmi beatus Psal. 98. Augustinus de verbis Domini ad discipulos ita dicit: Cum remansissent cum illo discipuli duodecim, instruxit illos, & ait illis: *Spiritus est qui vivificat, caro autem nihil prodest. Verba quæ loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Ioan. 6. Non hoc corpus, quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent. Si ergo, ait Berengarius, non hoc corpus, neque illum sanguinem, restat, ut quod de altari sumitur, umbra tantum sit corporis & sanguinis, & figura.

Quod si superiora Augustini verba in expositione eiusdem Psalmi, vel certè in expositione Evangelij ubi hæc eadem verba Domini tractantur, diligenter advertisset: nunquam ex his forsitan erroris huius calumniam perstruxisset. Sed infœlix homo, diu in peste F hæreticâ inveteratus suadente diabolo, cuius retibus pene inexplicabiliter implexus est, libentiùs omnes ingenij sui vires ad aucupandum unum verbum, quo malè intellecto propagatam stultitiam munire videatur, accommodat, quam divinarum scripturarum providentissimam vigilantiam contrà se validè reclamantem, vel tenuiter attendat. In eodem quippe Psalmo hæc prædixerat beatus Augustinus. Suscepit Christus de terra terram, quia caro de terra est: & de carne Mariæ carnem accepit, & in ipsa carne hîc ambulabit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Si ergo ipsam carnem, quam de carne Mariæ accepit, in qua hic ambulavit nobis manducandam ad salutem dedit, quomodo non hoc corpus, nisi quia ipsam carnem dat nobis manducandam in eadem substantiâ, non hoc autem corpus, id est, in eadem forma, ac si diceret: Corpus quidem meum, sicut au- G distis, dabo vobis, sed non secundum hoc, quod videtis, id est, non tale quale videtis, non in hac forma, non in hac specie quam videtis. Alioquin cur addidit, quod videtis, cum sufficeret dixisse non hoc: nisi quia hoc secundum essentiam, non hoc, secundum quod videtis? Denique ut hoc quod dicimus Augustinum sensisse cognoscas, recense attentiùs quid in eis qui scandalizati sunt in expositione huius Psalmi vel Evangelij culpaverat. Certè enim substantiam illam quam cernebant oculis, datum iri sibi ad manducandum putabant: non panem, non aliud quidpiam. Augustinus autem hoc stultè & carnaliter dicit eos accepisse.

Putaverunt enim, inquit, quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis. Putaverunt, quod gratia eius consumeretur morsibus, & carnem qua indutum erat verbum, non integram sicut ascendit in cœlum, sed veluti conci- H sam, vel quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, distribueret credentibus: non quomodo spiritu vegetatur, id est, non vivam. Nam si spiritu vegetatur, viva est. Quid ergo si putassent se accepturus carnem integram, non per particulas concisam, non mortuam, sed vivam, non sicut in macello venditur, sed vivam sicut spiritu vegetatur? nunquid errassent? Utique non errassent. Dum enim culpantur, non ideo, quia illam carnem, id est, eiusdem substantiæ se manducaturus putabant, sed hoc solo, quia non integram, non vivam: atque consequenter absque culpa fuissent, si eandem, id est, eiusdem substantiæ carnem se manducaturos putassent integram & vivam. Quòd si consequitur, imo quia consequitur: vide quam efficaciter Berengarij sententiam, omnémque umbraticorum errorem prorsus interimit. Quare si hoc modo, quo diximus, convenientissime prædicta Augustini verba nullâ circumstante parte scripturæ reclamante, imo totâ serie diligenter inspecta, & Evangelij expositione suadente, imo necessariò cogente, intelligi possunt: quid sibi in his præsidij Berenga-

rius

A rius contra nos collocat ? quæ, ut indulgentiùs loquar, etiamsi in ambiguo essent: non magis suæ parti, quam nostræ opitularentur. Nunc autem cum & ipsius scripturæ circumstantia, & tractatus Evangelij tam perspicua ratio, & universalis Ecclesiæ authoritas, nostro sese intellectui confirant: nihil hîc loci ulteriùs habens hæreticæ corruptionis infectio conticescat. Aut certè, si quo pacto nostram se confidit reprobare posse sententiam, aut suam ostendere meliorem: æquo animo audire parati sumus. Non enim quicquam subterfugere volumus, quod non diligenter auxiliante Christo discutiamus. Hoc idcirco dico, quoniam me audisse existimo, quod Berengarius de pronomine *hoc*, ad hunc modum ratiocinetur. *Hoc*, inquit, pronomen est, pronomina autem substantiam sine qualitatibus significant. Cùm igitur dicit, non hoc corpus, de substantia corporis, non de qualitatibus dicit. Hic exclamare compellor iuxta Prophetam & B Apostolum: *Vbi est literatus?* Vbi trutinator verborum? Vbi legis verba ponderans: *Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi.* Verè stultam dixerim hanc sapientiam. Nam iidem ipsi Grammatici, qui huiusmodi proprietatem partium orationis docuerunt, figuras etiam loquendi, quibus à sua proprietate partes orationis decentissime plerúmque deficiunt, tradiderunt, & mirificè laudaverunt. Quis denique est, qui quotidiano usu loquens, aut dictans reprehendatur, si ita dicat: non sum ego ille qui quondam fui, tu non es is vel ille qui solebas, cum eadem substantia sit, sed qualitates diversæ: sed & Dialectici, qui pernimium verba appendunt, quotidie res differre, & easdem esse non tantum secundum substantiam, sed etiam secundum qualitates & dicunt & legunt. Quòd si *ille* & *tu*, & *idem*, pronomina sunt, & non semper substantiam, sed etiam qualitates apud doctissimos etiam persæpe significant: cur & *hoc* pronomen non possit idem pati: An quia Berengario non habenti unde suam aliter muniat hæresim, id non placet: Placuit tamen summæ authoritatis quibusdam autoribus C Grammaticæ artis, non solum figuratè qualitates in pronominibus posse accipi, sed etiam *talis* & *qualis*, quæ propriæ qualitatis significativa sunt, inter pronomina numerari. Sed viderit ille peritissimus Grammaticus Donatus, qui, *qualis*, & *talis* pronomina esse voluit, quid dixerit. Ego enim de authoribus Grammaticæ artis indicare nunc opus non habeo: cum ipsa argumentatione adversarij commodissimè mihi uti possim, dicens: *Ipsa* pronomen est, Pronomina autem substantiam significant sine qualitatibus: Cum igitur Augustinus dicit: In ipsa carne ambulavit, & ipsam nobis manducandam ad salutem dedit, substantiam carnis Christi, non figuram nos manducare dicit. Idem, *hoc*, pronomen est. Cùm igitur idem Augustinus dixerit in sermone ad Neophytos, hoc accipite in pane, quod pependit in cruce, & hoc accipite in calice, quod effusum est de Christi latere: substantiam corporis & sanguinis Christi, non figuram nos manducare & bibere declaravit. Hæc igitur argumentatio D tua: O quisquis eâ niteris, si quidem infirma est: nobis adeo curanda non est. Si autem firma, plus nobis quam tibi prodest: cum eam tu nonnisi in uno loco habeas, nos vero in multis. Cúmque sibi Augustinus ita contrarius sit, aut non est iam recipiendus, aut in pluribus testimoniis magis, quam in uno credendus; faciliùs quippe in uno quam in pluribus vel ipse errare, vel codices eius ab aliquo falsatore corrumpi potuerunt. Elige igitur, quod placet, aut infirma est hæc tua ratiocinatio, & nihil conficit: aut firma & nobis plurimum proficit. Nam si infirma est, ubi dicitur, non hoc corpus, non de substantia dictum esse comprobat. Si autem firma, ubi dicitur, ipsam carnem nobis manducandam dedit, & hoc accipite, & cætera similia, de substantia intelligenda esse confirmat. Aut si forsitan dicas, ego sic illa pronomina resolvam: Ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, id est, ipsius carnis figuram: & hoc accipite in pane, id est, huius corporis figuram accipite in pane, & ad hunc modum cætera. Si hoc, inquam, dicas: & nos eodem modo tuum pronomen resolvimus, dicentes: Non hoc corpus, quod videtis dabo vobis, id est, non huius corporis figuram: non umbram, sed veritatem dabo vobis. Illas enim tuas resolutiones, talis resolutio sequitur. Si ergo resolvendi figuras in pronominibus contra nos suscipis, qua fronte easdem contra te recusare possis? Aut igitur eas adhibe, & tuas tibi umbras auferant: aut respue, & nobis plurimum conferunt. Nam si prædictas resolutiones pronominum contra nos proponis, quod nobis oppositas capitulum, contra te & umbras tuas manifestè convertis. Si autem respuis, & substantivam significantiam semper in pronominibus obstinatè requiris: Augustinum in multis aliis, ut dixi, huic uni capitulo adversantem, tibique & sibi contrarium aut F non recipimus, aut pluribus testimoniis magis credentes quam uni, concludimus quod optabamus, scilicet, quia substantivè non umbratice corpus Domini manducamus. Quaquaversum igitur fugias, ex his palam est, quia si doctorem præcipuum Augustinum, quo maximè nitebaris, diligenter advertis: huius erroris scilicet umbratici pestem absque ulla respiratione prorsus evertis. Proinde hac dissolutâ calumniâ, ad illud etiam quod de epistola sancti Augustini ad Bonifacium Berengarius obiicit, transeamus. Qua in re contentionis amore magis quam ratione aliquâ, laborare satis apertè videtur. Quod enim ait sanctus Augustinus. *Sicut sacramentum corporis Christi, secundum quendam modum corpus Christi est: & sacramentum sanguinis Christi, secundum quendam modum sanguis Christi est, ita sacramentum fidei, fides est*: non id de sacramentis nostri altaris est necesse intelligi. Generaliter enim de sacramentis dixerat. Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt, non haberent: omnino sacramenta non G essent. Ex hac enim similitudine plerumque iam sacramenta ipsarum rerum nomina accipiunt. Deinde à genere ad partem descendens, per simile id quod intenderat conclusit, dicens: *Sicut ergo secundum quendam modum sacramentum corporis Christi, est corpus Christi, &c.* quod libera facultate intelligere possumus dictum esse de manna, vel de pane & vino Melchisedech, vel de aliquo veterum sacrificiorum, quæ sacramenta corporis & sanguinis Christi fuerunt. Possunt enim quodammodo per figuram corporis & sanguinis Christi appellari, sicut petra vocatur Christus. Et ideo non satis attendit homo quid opponat. Nam & si ex abondanti de sacramentis quoque altaris nostri dictum id velimus accipere, fidelis & facilis intelligentia patet. Cùm enim sacramenta nostra sint substantivè corpus illud quod est filij Dei proprium, sunt quodammodo per figuram ipsum corpus Christi, cuius sacramenta sunt: id est, Ecclesia. Quod in expositione super Ioannem confirmat Augustinus his verbis: Hunc itaque cibum & potum societatem vult in- H telligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia. Huius rei sacramentum, id est, unitatis corporis & sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur, & de Dominica mensa sumitur. Idem in quodam sermone de sacramentis: Qui passus est, inquit, pro nobis, commendavit nobis in isto sacramento sanguinem suum & corpus, quod etiam fecit & nos ipsos. Nam & nos ipsius corpus facti sumus, & per misericordiam ipsius, quod accipimus, nos sumus: Ecce quomodo cibum & potum altaris dixit esse quodammodo societatem corporis, quod est Ecclesia. Non quod ipse cibus & potus sit ipsa societas, sed ipsius societatis sacramentum: & hoc quod accipimus, dixit quodammodo esse nos, quia nostri est sacramentum. Ita ergo corpus Christi proprium est quodammodo per figuram illud corpus Christi cuius est sacramentum,

Marginal notes: 1. Cor. 1. Esa. 29. — Talis, qualis pronomina. — August. in serm. ad Neophytos. — Berengarij obiectio. — Gen. 14. — 1. Cor. 10. — Tract. 26.

quod

A quod eſt Eccleſia. Nec mirum cum ipſe Dominus per Prophetam dicat: *Indumento iuſtitia circumdedis me,* Eſa.61. *quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Se dicit ſponſum, quis ipſe ſponſus eſt: ſe dicit ſponſam, quia ipſe eſt quodammodo illud corpus ſuum, quod eſt Eccleſia, coius ipſe eſt ſacramentum. Hanc intelligentiam nobis aptiſſime ſimilitudu ſecuta commendat. Sicut enim dicimus propeium corpus Domlui, alterius ſui corporis, quod eſt Eccleſia, ſacramentum: ſic baptiſmum viſibilem, alterius, inviſibilis, ſcilicet baptiſmi, cognoſcimus ſacramentum. Eſt námque baptiſmus exterior, aqua viſibilis, carnem abluens: Eſt baptiſmus interior, fides inviſibilis, animam ſimili modo purificans, teſte Act.15. beato Apoſtolo, qui ait: *Fide mundans corda eorum.* 1.Pet.3. Et iterum: *Sic & vos ſalvos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientia bona interrogatio in* B *Deum.* Proinde ſtis convenienter, & ſana fide intelligere poſſumus dixiſſe Auguſtinum, ſicut ſacramentum corporis Chriſti, id eſt, ſicut illod proprium filij Dei corpus, quod eſt ſacramentum corporis Chriſti, quæ eſt Eccleſia, ſecundum quendam modum corpus Chriſti eſt, illud ſcilicet cuius eſt ſacrsmentum, quod eſt Eccleſia. Ipſe enim ſponſus, ipſe ſecundum quendam modum & ſponſa: ita ſacramentum fidei, id eſt, exterior baptiſmus, pro co quod fidei ſignum eſt, ſecundum quendam modum fides eſt. Offendit adhuc Berengarium ſanctus Petrus de Domino, dicens: Act.3. *Quem oportet cœlum ſuſcipere uſque in tempora reſtitutionis omnium.* Si uſqoc in finem, ait Berengarius, cœlo ſuſcipi debet: nunquam de cœlo exit, ut in terris aliquando teneri poſſit. Nos credebamus Chriſtum in eœlo regnare: iſte vero ita incarcerari, ut etiamſi velit corporaliter uſque in finem miſeras non poſſit terras viſere. Et Auguſtinus in libr. de civitate Lib.22. ult.cap. Dei dicit, unumquenque ſanctorum ad tantam gloriam perventurum, ut ubiconqoc volet ſuus ſpiritus, C continuo ſit & corpus. Et Berengarius aſſerit, Chriſtum ad tantam impotentiam deveniſſe, ut qui de terra ſuum corpus elevavit ad cœlum, non poſſit illud uſqoc in finem vel ad horam reddere terris. O nimium cæca vanitas, & vana cæcitas: Quis enim quotidiano uſu loquens, dicere metuat: Tot menſibus, vel tot annis in civitate illa manſit ille, etiamſi quotidie ad opus ſuum de ambitu exeat civitatis? In Evangelio de Anna ſcriptum eſt, quis non diſcedebat de templo, cum tamen ſæpius illam corporalis neceſſitas avocaret. Quapropter ſi ad terras Chriſtum quotidie corporaliter deſcedere diceremus, beati Petri oppoſita nobis ſententia non obeſſet. Sed abſit hoc à Chriſtianorum prudentia, ut ſic dicamus Chriſtum in terris ſacrificari, vel manducari, ut neceſſariò interim deſerat cœlos. Ipſe námqoc in cœlis totus eſt, dum totum corpus eius verè manducatur in terris. Quòd non eſſe habendum incredibile ex virtute divinæ potentiæ, D & ex ſupradictis exemplis, ſcilicet vocis & animæ, ſatis facile comprobari poteſt. Quis vero riſum tenere iam valeat, audiens Berengarium ipſa Domini verba de ſacramentis interpretantem? Hoc, inquit, neceſſariò panis, eſt corpus meum, & hic calix neceſſariò vinum. O impudentiſſima ſtultitiá, & nimium patens, nec quid dicat, nec quorſum tendat aſpiciens. Hæretica & putida verborum cõfectationis interpretatio. Quæ eſt enim hîc neceſſitas, ut ſubaudiatur tam neceſſariò panis & vinum, cum poſſit econtra congrue dici: hoc, ſubaodis corpus iam non panis, eſt corpus meum: & hic ſubaodistur, potius, iam non vinum, eſt calix ſanguinia mei? Vel certè ſic: Hoc, ſubſudiatur hactenus panis, ex hoc iam eſt corpus meum, non panis: Et hic calix, ſubaudiatur, hactenus vinum, ex hoc iam eſt ſanguis meus, non vinum. Vel certe ſic abſque iſtis ſubanditionibus: Hoc enim pronomen non eſt ad ſupradicta relativum, ſed tantummodo demonſtrativum: Et ideò panis & vinum quæ ſupra in Evangelio nominata ſunt, nulla hîc neceſſitate ſubaodiuntur. Iam miſeret me illius, & erubeſco pro illo. Quis enim niſi ſe ipſe ita proderet, eius nominia virum tam pueriliter garrire, & tam frivolè deſipere, credere poſſet? Sed videamus per has tam neceſſarias ſubanditiones, tantus hic ratiocinator, quo pervenerit, quid confecerit, quid obtinuerit. Hoc, inquit, ut ſacramenta altaris panis dicstur, & vinum. Huccine igitur totus labor ille tendebat. Ad hoc ſolum ita te profudiſti, ut nec tuæ ſenectuti parceres, quin te pro diſpotatore egregio, calumnioſiſſimum cavillatorem; pro conſtructore perito, qualiumcumque pannicolorum ineriſſimum & ineptiſſimum aſſutorem demonſtrares? Quis enim id negat? Quis non id libenter fatetur, quod ſacramenta Dominicæ menſæ rectè panis & vinum vocantur, vel quia psnis & vinum priùs fuerunt, vel quia panis & vini ſimilitudinem ſubſtantialiter tranſmutata ſervant? Sic námque ſerpens, qui de virga factus eſt, virgs dicitur. Scriptum quippe eſt: *Devoravit virga Aaron virgas eorum*, id eſt, ſerpens qui de virgs Aaron factus fuerst, ſerpentes eorum. Sic homo quia inde factus eſt, ſæpe terrs, & pulvis, & lutum vocatur. Sic etiam propter ſimilitudinem dicit Apoſtolus: Petra erat Chriſtus. Et in Pſalm. canitur: *Ego ſum vermis & non homo:* cum ſubſtantialiter eſſet homo, ſolâ ſimilitudine vermis. Sic ultra numerum alia multa. Si igitur multæ res propter harum cauſarum alteram, rectè aliarum rerum longè diverſarum vocabulis nuncopantur: quanto magis ſacramenta noſtra propter utramque hanc cauſam, rectè pania & vinum dici poſſunt, rerum videlicet quæ fuerunt multam retinentia ſimilitudinem, com ſubſtantialiter propriè Dominici corporis & ſanguinis teneant veritatem?

Ism nunc illud quod Eccleſiſticæ orationis authoritate ſe cunficere Berengarius iactitat, videamus; Eccleſia, inquit, in Miſſa quadam ita orat: *Perficiant in nobis quæſumus Domine tua ſacramenta, quod continent: ut quod nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus.* Hic ergo oſtendit ſe non habere rerum veritatem, ſed ſpeciem. Hrus bone intellector, quarum inquam, rerum ſpeciem, non veritatem? Corporis inquies & ſanguinis Domini. Bene. Conſidera ergo diligenter, quod dicitur, ac mihi reſponde. Quid eſt, quod nunc ſpecie gerimus? Corpus inquies, Domini ſpecie, non ſubſtantivè manducamus. Adde ſequentia. Rerum veritate capiamus. Quid? In futuro ergo ſæcolo corpus & ſanguinem Domini verè & ſubſtantivè manducabimus? Hoc quippe oratur, ut id quod nunc ſpecie gerimus, quicquid illud ſit, illud idem in veritate capiamus. Quare ſi ſemper in hoc ſæculo corpus Chriſti ut tu deliras, ſpecie, id eſt, umbraticè comedimus: reſtat, ut illod in altero ſæculo ſubſtantivè comedamus. Quod ſi ſentire abſurdiſſimum eſt, quam ſtultiſſimè interpretaris orationem prædictam, iam nec teipſum latere puta. A capite igitur orationis quid velit ſcriptura dicere, diligentiſſime videamus. Perficiant in nobis quæſumus Domine tua ſacramenta, quod continent. Supra iam diximus, & beati Apoſtoli Pauli verbis approbavimus, quod divina ſacramenta unitatem corporis Chriſti, quæ eſt Eccleſia, deſignarent: & hoc eſt, quod ſignificando continent. Hoc igitur rogat Eccleſia dicens: Perficiant in nobis quæſumus Domine tua ſacramenta quod continent, id eſt, perficiant ut nos verè ſimus unum Chriſti corpus una Eccleſia, quod videlicet ſignificant: ut quod nunc, id eſt, dum manducamus corpus filij tui ſpecie gerimus, id eſt, figurâ tanti ſacramenti ſignificamus, hoc rerum veritate capiamus, id eſt, reverà unum Chriſti corpus & una Eccleſia ſimus. Iſte credo intellectus poſſibilis eſt, iſte & ſcripturæ eſt convenientiſſimus, & nobis utiliſſimus, hunc beatus Paulus Apoſtolus comprobat, hunc totius Eccleſiæ fides concordat: adverſarij porro væſaniam nullius authoritas munit, ſed Eccleſia tota ut venenum mortiferum fugit: Non eum ulla prorſus utilitas, non oratio ipſi commendat: ſed abſurditas intolerabilis: quæ illum

ſequitur

A fequitur, omnino recusat. Quis igitur pro bestiali, pro stultissimo, imo impossibili sensu, ullatenus debeat impediri: cum habeat rationabilem & congruentissimum intellectum, ac sapientibus omnibus amplectendum? Vtrum ergo iam hæc sufficere æstimas, an adhuc plura requiris? ROGERIVS. Mihi plane ad cumulum ista sufficiunt: miróque hæreticum suis obiectionibus prostratum, ac propriis retibus irretitum. GVITMVNDVS. Hæc quidem sunt, quæ ex libris beati Augustini vel ex nomine sacramenti seu ex oratione nunc discussa, Berengarium fidei nostræ obiicere solere comperimus. Si qua verò alia ex beato Augustino obiicit, in virtute Christi confidens dico, quia diligenter animadversa, aut pro nobis, aut non contra nos erunt. Proinde disputationis huius hic terminum faciamus: ea quæ restant alio initio, si voluerit Dominus, aggressuri.

B

LIBER III.

HActenus oratio ea, quibus adversarius & secundum rationes, & secundum scripturas contra Ecclesiam nitebatur, argumenta dissolvit. Quocirca hostium machinis, Deo auxiliante, copiose frustratis: etiam si nil amplius adderemus, sola tibi catholicæ fidei sufficere generalis consuetudo deberet. Illa enim sola firmissimè tenenda est fides, etiamsi valde impugnetur, quæ catholica est. Quicunque enim vult salvus esse, sicut sancti patres sanxerunt, & totus concinit mundus: necesse est ut teneat catholicam fidem. Quod si impugnata fortissimè retinenda est: quantò magis si omnia quæ sibi opponuntur expugnans, patet ipsa inexpugnabilis, nullatenus relinquenda est? Sed quoniam & valde multa ad roborandas adhuc partes nostras, & adversariorum diruendas, Deo iuvante addi possunt, & te sitienter ea desiderare certò scio: tuis orationibus Domino nobis favente, de sanctis scripturis adhuc aliqua proferemus, quibus & hostis lubricus pleniùs prosternatur, & nostræ partis robur invincibile per propria argumenta nostra amplius demonstretur. Ac primo quidem iuxta ordinem quæstionum, quod corpus Christi verum in substantia sua, non in vmbra Berengarianâ comedimus, approbemus; Deinde contra impanatores Dominici corporis vigilabit oratio.

Ecclesiæ quanta authoritas.

C

In principio ergo disputationis nostræ, quoniam ex Beato Augustino scandali pene totius videtur esse principium, quid nobilissimus idē Doctor de sacrificio Ecclesiæ in expositione tituli tricesimi tertij Psalmi sentiat, videamus. Tractans enim quomodo David in manibus suis ferebatur coram Abimelech, ait: Hoc verò fratres quomodo possit fieri in homine quis intelligat? Quis enim portatur manibus suis? Aliorum potest portari homo in manibus, suis nemo portatur? Quomodo intelligatur in ipso David secundum literam non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: *Hoc est corpus meum.* Ferebat enim illud corpus in manibus suis. O sententia lucidissima, ô sententia fidelissima, ô sententia verè beatissimo & excellentissimo doctore Augustino dignissima: A qua nulli est recedendum: Cui ab omnibus est reverendissimè concedendum. Quod in David inquit, & in aliis hominibus secundum literam non invenitur, in Christo invenitur. Quid illud? Ferebatur enim, inquit, Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: Hoc est corpus meum. Si secundum litteram, id est, sicut litera sonat, hoc in Christo invenitur: non igitur umbraticè, non figurativè, sed substantivè Christi corpus erat quod ferebatur. Si enim in Christo accipitur *hoc*, ut isti volunt, secundum figuram, non secundum corporis sui substantiam, quod ferebatur in manibus suis, quomodo id inveniatur in eo secundum literam? Nunquid secundum literam Christus est petra, & leo, & agnus, & serpens: cum sit hæc omnia secundum figuram? Minimè. Sed in Christo invenimus, inquit, quomodo intelligatur secundum literam? Aliter enim nullo modo construi potest oratio, quæ de Christo concedit quod de David negaverat. Non igitur vt isti volunt, secundum figuram, sed secundum substantiam. Diligenter quæso omnis prudens lector advertat, quam efficacissimè hinc omnia hæreticorum istorum sophismata excludantur.

August.

August. Psal. 33

D

E

Ponamus enim, si placet, quod adversarij hinc dicere possunt: vt quid sequatur clariùs elucescat. Cum enim ait: Ferebatur Christus in manibus suis, & deinde: Ferebat illud corpus in manibus suis. Si adversarij nostri hoc pro sua parte sic exponunt: Ferebatur Christus in manibus suis, id est, ferebatur umbra tantum vel figura Christi, non substantia in manibus suis: & ferebat illud corpus, id est, vmbram vel figuram illius corporis, non substantiam. Si hoc, inquam, ita exposuerit, hoc idem in David, hoc idem in omnibus fere hominibus invenire possumus. Quis enim fere hominum aliquam sui figuram, in qua non sit substantia sua (verbi gratia, vel statuam vel picturam) in manibus suis ferre non possit? Sed hoc, inquit, in ipso David non invenimus: & manibus suis nemo portatur. In Christo autem, ait, invenimus. Quoniam ergo dicit in Christo inveniri, quod in David, & in aliis hominibus, quomodo intelligatur non invenit: Facilè autem aliquam figuram sui, in qua nihil sit de substantia sua, manibus suis ferre & David & cæteri homines intelligi possunt restat manifestissimè, & absque vllo scrupulo sentiendum, quod non figuram tantum vel umbram, sicut adversarij nostri dicunt, sed substantiam sui corporis iuxta Augustinum ferebat Christus. Quid hic vmbratici respondebunt? Vbi in tanta luce lucifugæ nostri vmbram parabunt? Ecce Augustini manifestissima documenta recitantur: nihil in eis scrupulosum, nihil ambiguum. Aut de his se explicent, aut Augustinum nobis obiicere desistant: & sicut Augustinus testatur, veritatem Dominici corporis nobiscum credant. Sed forsitan hoc non adverterant scriptum. Si enim hoc fideliter attendissent: adhuc suam hæresim ex beato Augustino non traxissent. Nam quicquid ex eo pro se decerpunt: id attentè perspectum, sicut iam diximus, aut pro nobis, aut certè nihil contra nos facit. Hoc verò quod nunc protulimus, tam manifestissimè illos destruit, ut quo evadant, nullâ ratione invenire queant. Ita quippe scriptura perspicua, ita est omnino cautissima: ut istorum garrulitas nulla penitus tergiversandi argumenta reperiat. Nam ut virtutem eius quam brevissimè nunc ostendam, aut substantivè corpus Christi erat quod Christus ferebat de quo dicebat: Hoc est corpus meum, aut tantum figuratè. Sed tantum figuratè non possunt pati præmissa, quibus dicitur, quia in aliis non invenitur, quod in Christo invenitur. Alioquin inveniretur & in aliis. Omnis quippe homo figuram sui, in qua nihil de substantia sua est, ferre potest. Sed in aliis, inquit, non invenitur. Manibus enim, ait, suis nemo portatur. Non igitur figuratè tantùm, non umbraticè: quapropter substantivè corpus Christi erat quod ipse ferebat. Non satis exprimere possum, quantum in his beati Augustini verbis oblector, quantumque super horum miserabili cæcitate admiror. Ex his námque patenter ostenditur, quid voluerit idem vir beatissimus intelligi in expositione mox eiusdem tricesimi tertij Psalmi, ubi dicit: Nos ad eum accedamus, ut corpus & sanguinem eius accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati sunt: nos manducando crucifixum & bibendo illuminamur. Item alibi. Hoc accipite, inquit, in pane, quod pependit in cruce: & hoc accipite in calice, quod effusum est de Christi latere. Et in alio loco: Hoc biberunt, postea credentes, quod prius fuderant sævientes. Item in alio quod supra

F

G

H

iam diximus: Suſcepit Chriſtus de terra terram, quia caro de terra eſt: & de carne Mariæ carnem accepit, & in ipſa carne hîc ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit. Et multa alia in pluribus libris ſuis in hunc modum. Cum igitur beati Auguſtini ſcripta ut ſacroſanctum prorſus, & intemerabile iſti venerentur & teneant: quid eos aliud iam niſi fortè inolita diu cæcitas remorari poteſt quin nobiſcum credant?

Ambroſ.

Sed & tu doctor egregie, beatiſſime Ambroſi, ſpiritualis pater beati Auguſtini, quem idem vir ſanctiſſimus in libris ſuis, ſanctum & beatum nominat, cuius authoritatem (teſte Auguſtino) martyrum revelator Paulus Apoſtolus commendat: quem beatus Gregorius vir planè Apoſtolicus præ ſe gerit: cuius doctrinam recipiendam beatiſſimus Benedictus teſte S. Gregorio, ſanctorum Prophetarum ſpiritu plenus indicavit: cui totius Eccleſiæ Mediolanenſis gloria ſpecialiter atteſtatur, quem merito fidei totus orbis veneranter amplectitur (non enim tot & tanti teſtes ſi te in fide Catholica errare ſenſiſſent, tanto præconio te prædicaſſent.) Quid tu, inquam, de ſacramentis altaris ſentias explanato. Dixiſti certè in libro tuo de ſacramentis: Sicut verus Dei filius eſt Dominus noſter IESVS-CHRISTVS, non ſicut cæteri homines per gratiam, ſed quaſi filius per naturam, id eſt, ex ſubſtantia patris: ita vera eius caro eſt, quam ſumimus, & verus eius ſanguis eſt quem potamus. Teneo ergo te dixiſſe, quia vera eius caro eſt quam ſumimus, & verus eius ſanguis eſt quem potamus. Sed quatenus vera? Figuratè an ſubſtantivè? Doce per præpoſitam ſimilitudinem, cuiuſmodi intelligamus hanc veritatem. Sicut verus Dei filius eſt, Dominus noſter IESVS-CHRISTVS. Adhuc parum eſt. Poteſt enim ſicut cæteri homines iuſti filij Dei ſunt per gratiam, & ipſe ſecundum quod homo eſt, dici verus filius Dei per gratiam: licet ineffabiliter ampliorem & excellentiorem quam cæteri homines. Adde quod ſatis eſt. Non ſicut cæteri homines per gratiam, ſed quaſi filius per naturam, id eſt, ex ſubſtantia patris. Ita ergo dicis veram eius carnem quam ſumimus, & verum eius ſanguinem quem potamus. Quomodo vero ita? Id eſt, non ſicut cæteræ res, quæ propter aliquam gratiam ſignificationis, caro & ſanguis Chriſti poſſunt dici. (Sicut verbi cauſa, per gratiam figurationis caro & ſanguis Agni paſchalis in Ægypto immolati, caro & ſanguis Chriſti poſſunt appellari: Eodem quoque modo & manna & cætera quam plura ſimiliter.) Sed ſicut caro & ſanguis per naturam carnis & ſanguinis Chriſti. Aliter enim coaptari ſimilitudo non poteſt, niſi quod ibi negat hic negemus: quod ibi affirmat hic affirmemus. Quamobrem ſi hanc ſimilitudinem tam expreſſe poſitam ſequimur: id quod de altari ſumimus, Chriſti carnem & ſanguinem ſubſtantialiter confitemur. Si enim ſic eſſet dictum: Sicut verus Dei filius eſt Dominus noſter IESVS-CHRISTVS, ita vera eius caro eſt quam ſumimus, & verus eius ſanguis eſt quem potamus: poterat equidem adhuc (ut dictum eſt) in ambiguo eſſe ſententia. Nam Dominus noſter IESVS-CHRISTVS ſecundum id quod homo eſt, verus Dei filius eſt: ſed per gratiam, ut diximus, non ex ſubſtantia patris. Ac per hoc dici poſſet, ita vera eius caro eſt quam ſumimus, id eſt, per gratiam figurationis, non per ſubſtantiam carnis: & de ſanguine ſimiliter: Quod ſi doctor egregius ſenſiſſet, nihil amplius addidiſſet. Quid enim neceſſarium erat addere, quod huic ſenſui tam evidentiſſimè contrarium eſſet? Nunc verò tam diligentiſſimè addita determinatio dicentis: Non ſicut cæteri homines per gratiam, Et ne qua fortè hîc erroris nubecula remaneret ſubiungentis, Sed quaſi filius per naturam: Et ne hoc etiam obſcurum videretur, expreſſius exponentis, id eſt, ex ſubſtantia patris: His (inquam) omnibus tam diligentiſſimis determinationibus: ſubiungendo, ita vera eius caro eſt quam ſumimus, & verus eius ſanguis eſt quem potamus: omnes adverſariorum calumnioſas argumentationes excludit, & carnem Chriſti & ſanguinem ſubſtantivè eſſe, quod ſumimus & potamus, oſtendit. Quare ſi contra teipſum non diſputas ò beate Ambroſi ab hac fide non diſſentis. Si autem non diſſentis: te utique quam Berengarium ſanius eſt imitari.

Gervaſij, ſubces & Protaſij revelatio ſepulcrorum.

Lib. 6. Cap. 1.

In quod & Ar ... admiſiſſet.

Exo. 12.

Vidiſti planè quid nobiliſſimus doctor hoc in loco de ſacramentis altaris abſque ullo velamine ſentiat. Attende iam quam breviter quid etiam in alio loco eiuſdem libri dicat: Quid argumentis, inquit, utimur? Suis utamur exemplis, incarnationiſque exemplo aſtruamus myſterij veritatem. Liquet quod præter naturæ ordinem virgo generavit: & hoc quod conficimus corpus, ex virgine eſt. Quid quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cum præter naturam ſit ipſe Chriſtus partus ex virgine? Quid melius quæſo, quid apertius dictum quæris? Si enim ſacramenta altaris umbra tantum & figura Dominici corporis eſſent, quid hîc præter naturam fieret, cum petra non præter naturam, ſed potius propter naturam ſuæ ſtabilitatis, & agnus non præter naturam, ſed per ſuam naturam, id eſt, per innocentiam, & ſimiliter cætera Chriſtum figurent? Longum eſt ſi cuncta, quæ ex beato Ambroſio contra Berengarium poſſumus adhibere teſtimonia, diſſeramus. Iam ad alios authores tranſeundum eſt.

De myſteriis initiandis c. 9.

Sanctiſſimus Papa, Leo antiquiſſimus, omni Eccleſiæ Dei venerabilis, dixit in quodam ſermone: Sic ſacræ menſæ communicare debetis, ut nihil prorſus de veritate corporis Chriſti & ſanguinis ambigatis. Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur. Et fruſtra ab illis amen reſpondetur: a quibus contra id quod accipitur diſputatur.

Leo ſer. 6. de ieiunio ſeptimi menſis.

Beatus quoque Cyrillus cum ducentis Epiſcopis in Epheſina ſynodo, quam beatus Gregorius tanquam unum ex quatuor Evangeliis ſuſcipiendam aſſerit, ſic ait: Ad benedictiones myſticas accedimus, & ſanctificamur participes ſancti corporis & pretioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrum redemptoris effecti: non ut communem carnem percipientes, quod abſit: nec ut viri ſanctificati & verbo coniuncti ſecundum dignitatis unitatem, aut ſicut divinam poſſidentis habitationem: ſed verè vivificatricem, & ipſius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus exiſtens, *qus eidem propriæ carni unitus eſt, vivificatricem eam eſſe profeſſus eſt. Et ideo quamvis dicat, *Niſi manducaveritis carnem filij hominis*: non tamen eam ut hominis unius ex nobis exiſtimare debemus. Quomodo enim iuxta naturam ſuam vivificatrix eſſe poterit caro hominis? Sed profitemur verè propriam eius factam: qui propter nos filius hominis & factus eſt & vocatus. Et iterum: Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem eſſe & propriam ipſius verbi Dei patris, ſed velut alterius præter ipſum coniuncti eidem per dignitatem, aut quaſi divinam habentis habitationem ac non potius vivificatricem eſſe, quia facta eſt propria verbi vivificare valentis: anathema ſit. Sed ducentorum iſtorum Pontificum anathema, Berengarius non metuit qui ſuum proprium anathema quod ipſe ſacramento Romæ fecit proprio ore, & propoſuit & adiecit, tanquam proprium gladium furioſos incurrit.

Cyrillus.

* Quia.

Ioan. 6.

Beatus quoque Gregorius in homiliis ait: Quid namque ſit ſanguis agni, non iam audiendo, ſed bibendo didiciſtis. Qui ſanguis ſuper utrumque poſtem ponitur, quando non ſolum ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur. Idem in libro Dialogorum ultimo. Hæc namque ait, ſingulariter victima, ab æterno interitu animam ſalvat, quæ illam nobis unigeniti mortem per myſterium reparat, *Qui licet ſurgens à mortuis, iam non moritur, & mors illi ultra non dominabitur*: tamen in ſeipſo immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus ſumitur, cius caro in populi ſalutem partitur. Eius

Greg. homil. 22. in Evang. cap. 58.

Rom. 6.

A sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale pro nobis hoc sacrificium sit, quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti filij semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis horâ, ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo IESV CHRISTI mysterio Angelorum choros adesse: summis ima sociari, terrena cœlestibus iungi, vnum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri? Quapropter iam nunc sibi ponant vmbratici isti silentium, quibus tot tantique Authores incontradicibili authoritate resistunt. Considerent etiam atque etiam, quid in multis locis sanctus Hieronymus, quid Isidorus, quid Beda, sed & omnes Doctores præcipui, tam Græci, quam Latini, de corpore Domini doceant: atque errori suo, tot cedentes tantisque Doctoribus, finem ponant. Non enim omnia discutere propter tædium longi operis debemus: cum iis quæ discussimus rationabiliter contradici non possit.

Hilar. B Beatissimum tamen Hilarium Pictaviensem Pontificem, fidei pene suo tempore singularem columnam, sanctissimi Martini institutorem, a beato quoque Augustino, cæterisque posteris Doctoribus, nec non & ab omni Ecclesia Dei summâ devotione susceptum, ad medium volo deducere. Commodissimum namque reor fore vt quid etiam hic mirabilis disputator, de Eucharistia Domini in libro octavo de Trinitate sentiat, subtiliter attendamus. Contra Arrianos quippe disputans, vt substantialiter patrem esse in filio demonstraret: ipsum filium in nobis substantialiter esse per Eucharistiam probavit hoc modo. Eos nunc, inquit, qui inter patrem & filium voluntatis ingerunt vnitatem, interrogo vtrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis. Si enim verè verbum caro factum est, & verè nos verbum carnem factum cibo Dominico sumimus: quomodo non naturaliter manere in C nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes vnum sumus: quia & in Christo pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergo patrem naturaliter in Christo negabit, neget prius non naturaliter vel se in Christo, vel Christum sibi inesse: quia in Christo pater, & Christus in nobis vnum in his esse nos faciunt. Si verè igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo ille qui ex Maria natus fuit Christus est, nósque verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc vnum erimus, quia pater in eo est, & ille in nobis: quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas, perfectæ sit sacramentum unitatis? Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum: ne-D que per violentiam atque impudentem prædicationem cœlestium dictorum à sanitate alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas est. Quæ scripta sunt legamus, & quæ legerimus intelligamus: & tum perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in

Ioan. 6. nobis Christi veritate quæ dicimus: nisi ab eo didicimus, stultè atque impiè dicimus. Ipse enim ait: *Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo.* De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostrâ verè caro est, & verè sanguis est. & hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut & nos in Christo & Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat planè iis verum non esse, qui Christum Iesum verum esse Deum negant. Est ergo in nobis ipse per carnem, & sumus in eo dum secundùm * boc quod sumus ipse est.* Quam autem in eo per sacramentum cõmunicatæ carnis & sanguinis simus, ipse testatur, dicens: Et hic mundus iam me non videt, vos autem me videbitis, quoniam ego vivo, & vos

* hoc quod nos sumus in Deo est.
* Quo.
Ioan. 14.

vivetis. In illa die vos cognoscetis, quoniam ego in patre meo & vos in me, & ego in vobis. Si voluntatis E tantùm unitatem intelligi vellet: cur gradum quemdam atque ordinem consummandæ unitatis exposuit: nisi ut cum ille in patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem eius nativitatem, & ille rursum in nobis per sacramentorum eius inesse mysterium crederetur: ac si perfecta per mediatorem unitas doceretur, cum nobis in se manentibus ipse maneret in patre, & in patre manens, maneret in nobis: & ita ad unitatem patris proficeremus, cum qui in eo naturaliter inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente. * Quam autem naturalis in nobis hæc unitas sit, ipse attestatus est: *Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo.* Non enim quia * in eo erit, nisi in quo ipse fuerit: eius tantum ipse assumptam habens carnem, qui suam sumpserit. Perfectæ autem huius unitatis sacramentum superius iam docuerat, dicens: *Sicut me misit vivus pater, & ego vivo per patrem: & qui manducat meam carnem, & ipse vivit per me.* Vivit ergo per patrem: Et quomodo per patrem vivit, eodem modo nos per carnem eius vivimus. Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formam præsumitur: ut id de quo agitur secundum propositum exemplum assequatur. Hæc ergo vitæ nostræ causa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus: victuris nobis per eum ea conditione, qua vivit ille per patrem. Si ergo nos naturaliter secundùm carnem per eum vivimus, id est, naturam suæ carnis adepti: quomodo non naturaliter secundùm spiritum in se patrem habeat, cum vivat ipse per patrem? Hoc totum ex prædicto B. Hilarij libro seriatim hîc ideo interponere volui; ut perspecta attentiùs totius disputationis huius ratio, quid de veritate Dominici corporis, quod de altari sumimus, beatus sentiat Hilarius, invariabili certitudine nos perdoceat. Probat namque disputator mirabilis, quia pater naturaliter est in filio, id est, substantialiter. Aliter enim istud naturaliter non debet intelligi. Nam de substantiali unitate patris & filij tota contra Arrianos quæstio versabatur. Nec disputator peritissimus tantopere illud probaret, nisi in quæstione esset: Id autem per hoc probat: quia naturaliter, id est, substantialiter ipse filius est in nobis. Non enim & istud naturaliter alio modo intelligi debet. Nam si alio modo intelligeretur tota ipsa disputatio vacillaret. Quomodo enim nostra cum Christo unitas si substantialis non esset, patris & Christi unitatem substantialem probaret? cum sibi hinc magis Arriani argumentum è contra conficerent, eò quod sicut nostra cum Christo unitas, quæ ad probandam patris & filij unitatem affertur, substantialis non esset: ita inter patrem & filium consequenter intelligi oportere confirmarent, huius ipsius authoritate nitentes, qui ait: Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formam præsumitur: ut id de quo agitur, secundum propositum exemplum assequamur. Constat ergo & disputationis ratione & eiusdem viri authoritate cogente, quia *naturaliter* hic pro *substantialiter* est accipiendum. Ex hoc igitur disputator egregius huiusmodi conficit syllogismum: Si Christus in nobis est naturaliter, id est, substantialiter, non tantùm per concordiam voluntatis: & pater in Christo naturaliter, id est, substantialiter, non tantùm per concordiam voluntatis. Hanc propositionem assumptio comitatur, ab antecedenti hoc modo: Est autem Christus naturaliter, id est, substantialiter in nobis, non tantùm per concordiam voluntatis. Quam assumptionem mirabili peritiâ disputandi interrogando maluit ponere, tanquam responsionem interrogatione extorquens, cum ait: Eos nunc, qui inter patrem & filium voluntatis ingerunt unitatem interrogo utrumne per naturæ veritatem hodie CHRISTVS in nobis sit, an

F G H

* Quod. Ioan. 6.
* in se.

Hilariana regula.

Naturaliter pro substantialiter.

A per concordiam voluntatis? Deinde hujus assumptionis probatio: Si enim verè verbum caro factum est, & verè nos verbum carnem factum cibo Dominico sumimus: quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis (subauditur contentam sub sacramento) nobis communicandæ carnis admiscuit? Et cætera quæ sequuntur idipsum inculcant. Et quasi quæreres, quomodo scio quod verbum carnem factum cibo Dominico sumimus, vel quod naturam suæ carnis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? De veritate, inquit, carnis & sanguinis, non est relictus ambigendi locus. Quare autem non est relictus ambigendi locus, consequenter probat, dicens: Nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostrâ, verè caro est, & sanguis est. Quomodo & ipsius Domini professione & nostrâ fide verè caro est, & verè sanguis est: jam hic proximè præmonstraverat dicendo: B Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum: neque per violentiam atque impudentem prædicationem cœlestium dictorum a sanitate alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas est. Quæ scripta sunt legamus, & quæ legerimus intelligamus: & tum perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ discimus, nisi ab eo didicimus, stultè atque impiè discimus. *Ioan. 6.* Ipse enim ait: *Caro mea vere est esca, & sanguis meus vere est potus: Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo.* Hic sanè interrogare placet: Qui sunt qui in his rebus Dei, humano aut sæculi sensu loquuntur? Nonne illi, qui clausis interius luminibus, secundùm sensus exteriores huic sæculo congruos, de mysteriis cœlestibus ratiocinantur? Qui sunt, inquam, qui violenter extorquent impiam intelligentiam cœlestium dictorum? Illine, qui ea quæ scripta sunt, sicut jubet Hilarius, legunt, & sicut legunt simpliciter absque C planè ullâ adjectione suâ intelligunt: an illi qui vexantes scripturam quod illa sonat, respuunt, & figurationes quasdam ei pro arbitrio sui cordis imponunt? Illi certè non eam extorquent, non ei violenti sunt: qui simpliciter, sicut eam legunt, intelligunt. Illi igitur judicio beati Hilarij hæc verba Salvatoris perversè atque impiè intelligunt: qui simplici intellectu contempto, ad figuras, addendo quod sibi placet, ea trajiciunt. Ex his ergo verbis Dominicis cum probasset, quia nos verbum carnem factum verè cibo Dominico sumimus, ad assumptionem syllogismi sui revertitur, & quomodo hoc non tantùm concorditer, sed etiam substantialiter sit Christus in nobis exequitur, dicens: Et hæc accepta atque hausta id efficiunt ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est: Contingat planè iis verum non esse, qui D CHRISTUM IESUM verum esse Deum negant. Ad hoc ipsum cætera quoque referuntur, quæ usque ad conclusionem inferuntur. Deinde jam ad conclusionem fidenter accedit, assumptionem cum sua probatione satis artificiosè brevissimè repetendo, hoc modo: Si ergo nos naturaliter secundùm carnem per eum vivimus, id est, naturam suæ carnis adepti: quomodo non naturali secundùm spiritum in se patrem habeat, cum vivat ipse per patrem.

Hunc ergo beati Hilarij syllogismum umbratici nostri si valent evadant. Advertite enim, ô umbratici, quia per hunc cibum sumptum probat in nobis substantialiter esse Christum. Cum ergo hunc cibum sumimus, substantiam Christi sumimus: Quomodo enim per hoc quod nos verbum carnem factum cibo Dominico sumimus, probatur quia Christus in nobis substantialiter est: si in hoc cibo umbra tantùm Christi, & non substantia Christi est? Aut quomodo hæc accepta atque hausta id efficere possunt, ut Christus in nobis sit substantivè: si in eis ipsis non

E est nisi umbratice? Quomodo inquam, si nos verbum carnem factum cibo sumimus: per hoc consequens est, ut in nobis substantialiter maneat Christus? Quæ est hujus probationis necessitas? quæ consequentia? Nulla quippe necessitas est, nulla consequentia: ut ubi est alicuius rei figura, sit consequenter ejusdem rei substantia. Si enim cuivis diceretur: In hoc pariete est substantia tua, quia ibi est imago tua: nonne me diceret insanire? Sed nec quisquam omnino dixerit quando edebatur agnus legalis, ut ibi esset consequenter substantia Christi: cum ille agnus umbra esset & figura Christi. Quis verò *Num. 21. Ioan. 3.* audeat dicere, cum serpentem æneum Moyses in deserto suspenderet, quod ibi substantiam Christi suspenderet: cum substantiam Christi in ligno suspendendi serpens ille æneus figuraret? Quocirca si assumptio Hilarij, qua dicitur, quod substantialiter in nobis est Christus, per hoc rata esse monstratur, quod nos carnem & sanguinem Christi cibo Dominico sumimus, quæ accepta atque hausta id efficiunt, ut & F Christus in nobis, & nos naturaliter unum simus in Christo, naturam suæ carnis adepti. Nulla autem consequentia, ut ostendimus, assumptio illa per hoc probari potest, nisi in cibo Dominico sit verè substantia corporis & sanguinis Christi: manifestum est quoniam prudentissimus argumentator Hilarius, qui suam assumptionem per hoc confirmare voluit, substantiam corporis & sanguinis Domini nos in cibo Dominico sumere, non umbram & figuram tantùm, ut umbratici isti malè somniant, credidit. Ut autem vis totius disputationis quam brevissimè sub oculis reponatur: Aut umbraticè credidit beatissimus Hilarius nos comedere verbum carnem factum, aut substantivè. Sed si umbraticè credidisset, nunquam hoc disputator egregius ad probandum quod Christus in nobis substantialiter est, attulisset: cum nihil sibi, sed potiùs adversariis prodesset, neque hoc quod intendebat ullo modo exinde confici, sed potiùs è contrario, quod Christus in nobis non G sit substantialiter quam facillimè & ipse & quivis mediocriter eruditus cernere posset. Quoniam igitur vir eruditissimus ad probandum assumptionem suam id attulit: non umbraticè naturam carnis Christi nos comedere credidit. Credidit igitur substantivè.

Hujus sanè libri sancti Hilarij beatus Augustinus in suo libro de Trinitate cum magnâ veneratione mentionem facit: Unde palam est, quia disputationem hanc reprehensibilem non indicavit. Palam ergo & illud, quia ejusdem fidei fuit. Quapropter beatissimi & doctissimi viri Hilarij disputatio apud omnes fideles valeat. Umbraticorum stultissima garrulitas penitus obmutescat.

Non solùm prædictis authoritatibus sed & multis quoque miraculis evidentissimis, rationabiliter confutantur. Quod si miracula non recipiunt, hostes Eccle- *De miraculis.* siæ se declarant. Ecclesia enim miraculis quam maximè & propagata est & adulta. Quid denique est aliud H miracula cassare, nisi Ecclesiã quantum in se est auferre? Eisdem quippe artibus (ut ait quidam) quibus partũ est imperium, retinetur. Quapropter Ecclesiæ hostes se se, & non filios astruunt, si ejus miracula accipere nolunt. Quid autem stultius, quid vecordius, quam evacuare miracula: cum nulla omnino res sine miraculo fiat? Utinam isti vaniloqui, vel seipsos aliquid loqui dum impudenter jactitant talia, crederent: quoniam hoc ipsum quod loqui possunt, hoc ipsum etiam omnino quod sunt, non nisi ex divino miraculo est. Sed sunt qui miracula se non respuere quidem respondeant: libros verò in quibus ea loguntur, apocryphos asseverent. O iniqua licentia! Quos Ecclesia Dei in ædificationem sui per totum orbem tantis temporibus sub tantis Doctoribus legit, & legendos tradidit: hoc pauculi minùs docti & animales, nullo rationis intuitu, nisi tantùm quia non placent eis, apocryphos dicunt: & qui Paganorum

A libenter historias amplectuntur, Christianas historias, quas totus amplectitur mundus, cassare laborant. Sed & hoc ipso quod eis non placet, quod universali Ecclesiæ placuit, & obstinate respuunt quod libenter illa recepit, non pacificos eius filios, sed inimicos manifestos se probant. Quapropter qui se filios Ecclesiæ vel dici desiderant, libros quos illa recipit, non recusent. Qua ratione enim vitam beati Gregorij quilibet Christianus apocryphum dicat, quam attestante Româ editam, tot sanctissimi, doctissimique Romani pontifices nullo dissonante, hactenus probaverunt: eorúmque authoritatem secutæ tot Ecclesiæ, cuncto populo Christiano consonante, nunc usque susceperunt? In eadem sanè vita scriptum est, quod beatissimus idem Papa Gregorius, præsente populo Romano, cuidam matrifamilias, quum communicatura risisset, Dominici corporis portionem subtraxerit, quam in ara repositam communi

B mox prece ad Deum fusa, ad instruendam de veritate Dominicæ carnis matronæ, seu etiam populi fidem: coram omni populo in specie veræ carnis, quasi digiti auricularis ostenderit. Cúmque mulier iam fidelior, propter horrorem carnis communicare trepidaret, cunctis iterum Domini misericordiam pro illa suppliciter implorantibus, eandem ei particulam Papa in consueta panis specie repurrexerit.

Illud etiam miraculum, quod in vitis Patrum legitur licet Berengarius oderit, quia tamen opitulante Domino aliis proderit, vel tenuiter memoro: Ubi videlicet abbas Daniel narrat senem quendam de corpore Domini errorem simpliciter passum, cum Dominum pro dubitatione hac removenda, multis precibus exorasset, angelum Dei super aram, sacrificij horâ, vidisse puerum immolantem, sibique ad communionem accedenti, eiusdem pueri particulam porrigentem. Sed cum ille nimium exterritus sumere trepidaret: multis lachrymis speciem panis, fide iam

C solidatus, obtinuit. Sed quem movere in admirationem & laudem divinæ bonitatis non debeant magni

Basilius. patris nostri gesta Basilij: inter cuius manus Iudæus in medio frequentis latitans populi: sacrificij tempore partiri puerulum vidit, exclamavit, & propterea baptizatus est? Multa quoque huiusmodi alia & nostri temporis, & antiqui narrari possunt, à quibus supersedeo. Nam & catholicos breviter commonuisse de miraculis sufficit: & hæreticos plurimâ talium narratione prosequi fortasse non proficit. Gesta námque Sanctorum Patrum protervo ore dilacerant, nec ea quæ de his scripta sunt, vel dicuntur, diligunt, quibus se in credendo similes non novere. Sed quid mirum, si patrum historias Berengarius & sui despiciunt: qui Evangelio etiam contradicunt, dicentes nullatenus debere credi, quod ibi legitur, intrasse ad discipulos Dominum Iesum *ianuis clausis*? Ad hoc tamen hæc narrasse me contra eos proficit: quia quicquid exteriùs garriant, conscientia tamen eorum ad seipsam rediens concutitur & marcescit. Dumque attendimus quam favorabiliter ubique tanto tempore mundus ista susceperit, quæ fuerit hactenus catholica fides de corpore Domini, latere non potest. Tanti quippe temporis summè docti sanctique Pontifices, eruditi religiosique abbates, monachi, clerici, universusque populus Dei, si contraria rectæ fidei ista cognoverant, quare non damnaverunt? Quare non destruxerunt? Quare vel legi non prohibuerunt? Atqui ipsi ea legerunt, ipsi dilexerunt, ipsi ob ædificationem fidei legenda usque hodie tradiderunt: Omnes favêre; nemo auditus est, nemo lectus est refragatus. Non igitur contra fidem rectam esse sentiebant. Eandem igitur fidem de corpore Domini omnes tenebant. Aut ergo istis omnibus umbratici nostri correcti consentiant: aut istos omnes contra se testes irrefragabiles damnandi persentiant. Quapropter nullum amplius habens rationis confugium, tantáque nube testium pressa eorum stultitia, penitus obmutescat.

Ianuis clausis Christū intrasse negavit Berengarius ulē facit Oecolampadius & sui.

D

E Claudatur, inquam, silentio perpetualiter umbratica impietas: ubi tot præcipuis testibus; tam clarâ voce conclamantibus catholica patet veritas. Quis enim huiusmodi stultissimos planè & impiissimos dicere dubitet: qui non vereantur scripturas sacras ad nutum suum malè interpretando corrumpere, venerabiles atque eruditissimos tot authores nihili pendere; in ea re nunc conturbare Ecclesiam, in qua cum Arrianis immanissimis hostibus suis noscitur habuisse pacem: & in quo ipsa per os Hilarij sui contra eosdem Arrianos, veluti argumento ratissimo se potuit communire, id nunc cum omnium Christianorum summâ pernicie irrationabiliter cassum ire? Hæc interim contra umbraticos dicta sunt.

Nunc contra illos habenda est ratio, qui Ecclesiæ rationibus expugnati, iam quidem negare nequeunt substantiam corporis Christi cibo inesse Dominico, panem tamen & vinum per verba Salvatoris, in carnem eius & sanguinem verti nequaquam

Hæc cō tra Lutheranos.

F credentes, sed Christum pani & vino commiscentes, tanquam subtiliori ratione hæresim alteram condiderunt. Quos quidem alios dico quasi alio errore detentos: Non alius idem sunt. Nam primum quidem apud quos possunt, quantumcunque possunt, nihil de corpore & sanguine Domini substantialiter sacramentis inesse contendunt, sed inde (ut diximus) pulsi, confugere malunt ad hanc impietatem, quam synceram tenere cum aliis hominibus humiliter veritatem. Cuius vesaniæ causam proferunt hanc: Ut per panem & vinum, inquiunt, caro Christi comedi, & sanguis potari possit. Sed ut quid hanc causam? Quare enim per se sine corporis alterius adiumento caro Domini non possit comedi, & sanguis potari? Si enim carnis & sanguinis horrorem metuunt, cur non sufficit Ecclesiæ ratio per Sanctum Ambrosium in libro de sacramentis generaliter respondentis: rerum quidem substantias mutari, sed propter horrorem, priorem saporem, colorémque & cætera

Vide hic quomodo unus error sequatur alium, & quomodo ex Luthero prodierit, licet ille, ut omnia, improbè, Sacramentaria hæresis.

G quædam accidentia, ad sensus duntaxat pertinentia retineri? Si vero respondent id non posse fieri, ut in alio videlicet corpore color & sapor alius corporis teneatur: divinam possumus eis breviter obiectare potentiam. Cui si concedunt, finem faciant quæstioni. Sin autem derogant, audiant scriptum: *Quia omnia quæcunque voluit Dominus, fecit, in cælo & in terra:* & cætera multa, quæ iam in principio huius opusculi contra blasphemias istorum satis abundéque respondimus. Ut tamen & exemplis res clareat, dignentur attendere, quod de manna legitur, quoniam ad nutum comedentis quorumlibet in eo ciborum continuo sapor alternabat. Ut igitur altioris mysterij causas, divinique consilij profundiorem sapientiam, in quantum mihi exiguo scire conceditur sileam: sicut ibi consulebatur hominum carnalium voluptati, ita & hîc consulitur infirmorum necessitati: & qui tunc multorum corporum sapore mutato removebat fastidium, nunc unius corporis sapore retento, tollit horrorem. De colore quoque & cæteris huiusmodi accidentibus non est difficilis ratio, cum ipse Dominus se per diversas legatur species discipulis demonstrasse: & nunc eis solitum colorem ostendisse, nunc ad instar solis & nivis transfiguratum resplenduisse, nunc se exhibuisse tanquam peregrinum, nunc apparuisse velut hortulanum, aliquando speciem exhibuisse ministrantis, aliquando formam tenuisse docentis.

Ps. 113.

Sap. 6.

Mat. 27. Luc. 24. Ioan. 20.

H

Quod si ad illas causas refugiunt, quas in ore sæpe habere solent, quia videlicet nefas sit Christum dentibus atteri, nefas sit illum dentibus minui, has ut puto in principio huius operis sufficienter evacuavimus. Nam qui post resurrectionem manibus & labiis, (ut dictum est) potuit attrectari, & dentibus etiam potest. Eucharistiam vero, (si Christo quidem non placet, ut corpus suum sine aliquo ipsius incommodo dividatur, exemplo vocis & animæ, quæ totæ in

diversis

A diverſis locis eſſe poſſunt,) in comedendo negavimus minui: licet altiſſimi cauſa myſterij, quo & infidelibus tanta res clauderetur, & fidelibus utile exercitium præbeatur, id videatur fieri. Et ſicut iſti negare nequeunt: cum uno tempore mille Miſſæ locis diverſiſſimis celebrentur, & propter diverſos locos corpus Dominicum videri quaſi diviſum, & tamen nullatenus eſſe diviſum, nam cum in ſingulis Miſſis totum ſit, iam non eſſe unum: quare ſimiliter concedere non poſſunt, illud in uno ore propter exercitium fidei, & quaſi diviſum ſentiri, nullam tamen diviſionem pati? Vaniſſimè ergo nefas iſtud, attrectandi ſcilicet dentibus, vel minuendi corpus Domini metuunt, cum & ipſum corpus ſit attrectabile: & ſi iam ſine ſui incommodo dividi non poteſt, videri quaſi diminutum in iſto Sacramento poſſit, cum maneat indi- B viſibile. Quapropter cum & iſtæ cauſæ nihil valeant, nec alias ipſi afferant: quæ inſania eſt, ut Chriſtum, ut ita dixerim, ſuâ authoritate impanent & invinent? Et quidem Chriſtum incarnari humanæ redemptionis ratio expoſcebat, quod futurum Prophetæ prædixerunt, factum Chriſtus oſtendit, Apoſtoli prædicaverunt, mundus credidit. At impanari vel invinari Chriſtum nulla (ſicut oſtendimus) expetit ratio, nec Prophetæ prædixerunt, nec Chriſtus oſtendit, nec Apoſtoli prædicaverunt, nec mundus, exceptis his pauciſſimis hæreticis, credidit.

Vnde igitur eos malus error iſta perſuaſit? Totus mundus concinit: ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus. Nemo dicere audet: ita Deus & homo, & panis & vinum, unus eſt Chriſtus. Vnde igitur iſtis hæc nova companatio? Quare vel Apoſtolus non terruit eos, dicens: *Si quis annuntiaverit præter quam quod annuntiavimus vobis, anathema ſit?* Chriſtum enim iſti impanatum & invinatum annuntiant, ſed huiuſmodi Chriſtum Apoſtoli non annuntiaverunt. Anathema igitur iſti Apoſtolicâ authoritate incurrunt. C Beatus ſane Ambroſius in libro de ſacramentis de his copioſe diſſerens: non in pane & vino corpus & ſanguinem Domini latere, ſed panem & vinum in corpus & ſanguinem Domini commutari docuit, ita dicens: Si igitur tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu ut inciperent eſſe quæ non erant: quantò magis operatorius eſt, ut ſint quæ erant, & in aliud commutentur? Audis igitur quia in aliud commutantur. Et hoc diligenter nota, quia non dixit, ut ſint quod erant, ſed ut ea quæ erant (inquit) ſint, ſed aliud quam erant. Quod videtur ſentire, cum ſubiungit, & in aliud commutentur: tanquam ſuam comparationem explicaret, ſic: Si ſermo Domini Ieſu operatus eſt, ut inciperent eſſe quæ non erant, id eſt, ut eſſent res ex eo quod non erant, id eſt, ex nihilo: quanto magis operatorius eſt, ut ſint quæ erant, id eſt, ut ſint iſta, id eſt, corpus & ſanguis ex eis quæ erant non ex nihilo? Aliter enim comparatio iſta rectè intelligi non poteſt. Quæ igitur erant, id eſt, panis & vinum ſunt: ſed non ſunt quod erant, ſed in aliud commutata. Et hoc eſt quod ait, ut ſint quæ erant: & ita ſint, ut non in ſe ſint, ſed in aliud commutentur. D Hunc ſenſum in eodem libro idem doctor apertiſſimè oſtendit, dicens: Quantis igitur utimur exemplis ut probemus non hoc eſſe quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit, maioremque vim eſſe benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur. Si igitur non ſunt quod natura formavit; non ſunt quod erant, id eſt, non ſunt panis & vinum. Ex ſuperiori igitur ſententia, & ex iſta, clarè oſtenditur, quia quæ erant, ſunt, id eſt, non de nihilo fit hic corpus & ſanguis Chriſti, ſed de his quæ erant, non tamen ſunt id quod erant: quia non ſunt id quod natura formavit, id eſt, non ſunt panis & vinum: ſed in aliud commutantur: & ſunt id quod benedictio conſecravit, id eſt, corpus & ſanguis, quia benedictione ait, natura ipſa mutatur.

Gal. 1.

Ambroſius de myſterijs initiandis, c. 9.

E Et adhuc attende doctorem veritatis. Quod ſi tantum, inquit, valuit ſermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret: non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mutet elementorum? De totius mundi operibus legiſti: *Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt.* Sermo ergo Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat: non poteſt ea quæ ſunt in id mutare quod non erant? Non enim minus eſt novas rebus dare, quam mutare naturas. Item: Panis iſte, panis eſt ante verba Sacramentorum, ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit corpus Chriſti. Et iterum: Antequam conſecratur, panis eſt: ubi autem verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti. Denique audi dicentem: Accipite & edite ex eo omnes: *Hoc eſt enim corpus meum.* Et ante verba Chriſti calix eſt vini & aquæ plenus: ubi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo diſce quantis generibus potens eſt ſermo Chriſti F univerſa convertere. Deinde ipſe Dominus IESVS teſtificatur nobis, quod corpus ſuum & ſanguinem accipiamus: Nunquid debemus de eius fide & teſtificatione dubitare? Hæc beatus Ambroſius.

De myſterijs initiandis, c. 9. Reg. 18. Pſal. 14.

De Sacramentis, lib. 4. c. 5.

Sanctus autem Euſebius Emiſſenus, verè unica, inquit, & perfecta hoſtia fide æſtimanda non ſpecie, nec exteriori cenſenda viſu, ſed interiori affectu. Vnde cœleſtis confirmat authoritas: *quia caro mea vere eſt cibus & ſanguis meus vere eſt potus.* Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui author eſt muneris, ipſe etiam teſtis eſt veritatis. Nam inviſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui verbo ſuo ſecreta poteſtate convertit, ita dicens: *Accipite & edite, hoc eſt* enim *corpus meum.* Et ſanctificatione repetitâ. *Accipite, & bibite, hic eſt ſanguis meus* Ergo ſicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cælorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum: pari potentiâ in ſpiritualibus ſacramentis, ubi præcipit virtus, rei ſervit effectus. G Et ut ibi novum & impoſſibile non debeat videri, quod in Chriſti ſubſtantiam terrena & mortalia commutantur, teipſum qui iam in Chriſto regeneratus es, attende, & reliqua. Ecce quomodo Pater ſanctiſſimus doctorque præcipuus, verbis pauciſſimis hæreſim confutat utramque. Impanatores etenim deſtruit: dum nequaquam Chriſtum in pane & vino latere, ſed viſibiles creaturas, id eſt, panem & vinum, in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti converti: & iterum, terrena & mortalia in Chriſti ſubſtantiam commutari dicit. Vmbraticos quoque nihilominus diſſipat: dum hæc converti non in quamlibet creaturam, ſed in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti confirmat. Item ipſe: nec dubitet quiſquam, ait, primarias creaturas nutu potentiæ, præſentiâ maieſtatis, in Dominici corporis tranſire poſſe naturam. Et iterum: Quando benedicendæ verbis cœleſtibus creaturæ ſacris altaribus imponuntur: antequam invocatione ſummi nominis conſecrentur, ſubſtantia illic eſt panis & vini: Poſt verba autem Chriſti, corpus & ſanguis eſt Chriſti. H Quid eſt autem mirum, ſi ea quæ verbo potuit creare, verbo poſſit creata convertere? Imo iam minoris videtur eſſe miraculi, ſi id quod ex nihilo agnoſcitur, condidiſſe, iam conditum in melius valeat commutare. Quid apertius? Quid expreſſius? Hæc non habent populi, quia nihil unquam manifeſtius ab homine poteſt dici. In quodam miſſali Hiſpano, quod dicunt ſanctum dictaſſe Iſidorum, in hebdomada ante Paſcha, in quadam Miſſa ſic inveni: Totum hoc Domine, divinum eſt, totum pater de cœlo eſt: Demutatum in naturam filij tui, & corpus & ſanguis eſt. Non iam figura, ſed veritas, non creatura mortalis, ſed natura cœleſtis, edentibus vitam æternam, regnumque perpetuum collatura potantibus. Hos impanatores ſuos ipſe Dominus IESVS verbo oris ſui interficit, cum accipiens panem

Ioan. 6.

Iſidorus.

Impanatores ſuos Chriſtus confutat.

A panem gratiásque agens ac benedicens, ait: *Hoc est corpus meum.* Non ait: In hoc latet corpus meum. Nec dixit: In hoc vino est sanguis meus, sed dixit: *Hic est sanguis meus.* Vnde & Ecclesia Dei consequenter à se eosdem separat, cum in ipso Canone Missæ ex Apostolica traditione ita orat *Quam oblationem tu Deus, in omnibus quæsumus benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilémque facere digneris: ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filij tui Domini nostri* IESV-CHRISTI. Non hic oratur, vt in ea corpus & sanguis lateat, aut in eam corpus & sanguis adveniat, sed vt ipsa oblatio & corpus & sanguis fiat. hac oratione Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, & cæteri omnes Ecclesiastici authores istos vno ore percutiunt: & quicunque Missas celebrantes ipsi orationi totâ devotione consentiunt. Equidem ego de hac impanatione mecum etiam atque etiam retractans, non satis verbis exprimere possum quantum super istorum stultissimâ audaciâ, & insanissimâ præsumptione admiror pariter & indignor. Nam contra divinas

B authoritates, humanâ ratione incedere, id quidem insanum: sine ratione autem, id longe insanius. At verò & sine ratione, & contra rationem adversus Deum semper latrare, id prorsus supra quam dici possit insanissimum.

Nequiores impanatores nequissimis vmbraticis.

Isti enim nequiores nequissimis, fratres suos vmbraticos præ se iustificaverunt. Illi quippe iudicium sensuum transcendere non valentes, tanquam ex infirmitate errasse videri possunt. Hi vero neque ex sensibus, neque ex vlla ratione, neque scripturâ aliquâ causas erroris sui mutuantes, sola penitus superbia vesanire videntur, dum reclamante naturâ quam tantopere defensitare solent (quomodo enim in solido corpore panis, alterum corpus latere possit, videri non potest) reclamante inquam, naturâ, reclamantibus scripturis sacris, nullo sanctorum Patrum testimonio, nullo divino oraculo, nullo miraculo fulti, munitam vndique Catholicam pietatem, bestialiter obstinati, ob hoc tantùm oppugnare videntur, ne

C ab ea victi esse videantur. O infelices, quos pietas non vincit. O infelicissimos, qui dum subiici pietati renuunt, impietatis servi esse non erubescunt. Contra quorum manifestissimam stultitiam respondere indignissimum videretur: nisi quia ad cumulum perditionis suæ non eis mors propria sufficit, nisi etiam quoscunque possunt vilissimâ falsitate perditum eant.

Contra impanatores & vmbraticos.

Et hæc quidem specialiter contra istos. Deinceps verò vtrosque præfatos hæreticos communiter Deo propitio disputatio secutura percutiet. Quibus quam maximè in primis ad argumentũ videndæ falsitatis suæ ipsa hæresum scissura satis esse debuerat, quod nunc videlicet nihil carnis & sanguinis nisi tantùm vmbram & figuram, sacramentis Dei inesse, nunc verò substantiam carnis & sanguinis in eis latere contendunt.

Fides apostolica in affirmationẽ & negationẽ non scinditur.

Fides namque Apostolica quæ sola vera fides est, in affirmationem & negationem non scinditur. Apostolus namque dixit: *Vnus Dominus, una Fides, unum Baptisma.*

Ephes. 4.

D Apostolica igitur fides vna est tantùm. Istorum autem vana credulitas dum quod in vana opinione tenet, in altera non tenere convincitur: in affirmationem & negationem scissa, non est vna. Istorum ergo credulitas non est Apostolica fides, atque ideo neque vera fides. Quapropter Apostolicam fidem non habentes, ab Apostolica quoque Ecclesiâ seiuncti sunt: contingétque illis quod Salvator ait:

Luc. 11.

Omne regnum in seipsum divisum desolabitur. Berengariani quippe in seipsis diuisi sunt, vt ostendimus. Sed fortassis quis dicat: Non sunt ipsi regnum, quia pauci sunt. Ad quod respondeo: Si non sunt regnum, non sunt Ecclesia Christi.

Ecclesia Christi regnum Dei est.

Ecclesia enim Christi, regnum Dei est, in quo Deus, id est, ipse Christus regnat. Si autem sunt regnum, quia mentiri veritas non potest, cum in seipsos sint divisi, desolabuntur. De Catholica sanè Ecclesiâ Propheta prædixit:

Psal. 47

Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion: quod de no-

E stra Ecclesiâ videmus impletum. Berengariana verò portio, non fundatur exultatione vniversæ terræ: Neque enim eis vel vna civitatula, vel etiam vna villula concessit. Non sunt igitur mons Sion, id est, Ecclesia. Idem quoq; Propheta ait:

Psal. 95.

Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Vnde beatus Augustinus in expositione huius versiculi audet & dicit: Si omnis terra domus Dei, qui non hæret omni terræ, ruina est, non domus. Si Berengariani non hærent omni terræ: Non sunt igitur domus Dei, sed ruina. Esaïas de Ecclesia Christi dicit:

Esa. 54.

Lætare sterilis quæ non paris, exulta & lauda quæ non parturis, quia multi filij desertæ magis quam eius quæ habet virum. Illam quæ habebat tunc virum, Synagogam Iudæorum intelligendam docet Apostolus: sterilem verò Ecclesiam.

Galat. 4.

Quare si Berengariani Ecclesia Dei sunt, ostendant nobis multò plures filios suos per tam longa iam tempora, quam fuit Iudæorum. Quod non esse, omnibus patet. Item Esaïas de Ecclesia: *Reges*, inquit, *erunt nutritij tui.*

Esa. 49. Apoc. 21.

Et Ioannes in Apocalypsi: *Reges*, inquit, *terræ afferent gloriam suam in eam.* Sed quis Regum

F terræ, hanc Berengarianam stultitiam fovit? Quis Regum terræ in eam, gloriam suam attulit? Et quidem in Arrianam vesaniam Reges olim aliqui concesserunt: in Berengarianam autem nullus. Per Malachiam Deus dixit,

Malac. 1.

Ab ortu Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in gentibus dicit Dominus exercituum. Quamobrem si Dominus exercituum oblationem quæ in omni loco ab ortu Solis vsque ad occasum sacrificatur & offertur nomini suo, mundam dicit: cum præter hanc nulla possit esse oblatio munda, viderit Berengarius cum suis, quam sit oblatio eorum immunda, quæ non dico in omni loco, sed vix vt in aliquo loco esset obtinuit.

Danielis de Christi Ecclesia vaticinium.

Daniel Propheta cum vidisset lapidem de monte sine manibus abscissum, qui statuam in pedibus suis ferreis & fictilibus percussit atque comminuit: visionem hanc ita exposuit, vt à regno Dei quæ est Ecclesia, quatuor

G principalia regna mundi Chaldæorum videlicet, Medorum, atque Persarum, Græcorum quoque necnon & Romanorum, sicut exponente postmodum ipso eodem Prophetâ perspicuè declaratur, in diebus quarti imperij, id est, Romani, antequam ferreum esse desisteret; percutienda & comminuenda confirmaret, dicens:

Dan. 2.

In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius populo alteri non tradetur. Comminuet autem & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum: secundum quod vidisti, & quod de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit ferrum, & testam, & æs, & argentum, & aurum.

Ecclesia Christi Romanũ imperiũ olim cõtrivit.

Hoc sanè de nostra Ecclesiâ luce clariùs videmus. Ipsa enim Romanum imperium, cum adhuc ferreum esset, & cætera regna contrivit. Ipsa hodiéque quod nemo negare potest, in ipsa domo quondam Romani Imperatoris, domum obtinet Salvatoris. Inde enim ipsa per beatum Leonem Papam hæc Berengariana figmenta mox suo exortu damnavit.

Leo 9. Greg. 7.

H Deinde per hunc ipsum, qui nunc præest, D. Gregorium Papam tunc Archidiaconum eiusdem Romanæ sedis in Concilio Turonensi convicit: ipsúmque Berengarium, vt videbatur, correctum, ac propriæ manûs Sacramento satisfacientem, clementer suscepit. Reversúmque aliquanto post ad vomitum suum, agente sanctæ recordationis Nicolao Papa in generali Concilio Romæ iterum confutatur: atque eundem Berengarium coram ipsa venerabilis orbis terrarum conventu, in verba certa quæ suprà scripta sunt, & in multis habentur Ecclesiis iurare, prædictásque insanias proprio ore abiurare, ac libellos suos quos ad tuendas easdem blasphemias fecerat, propriis concremare coëgit. Berengarianam porrò plebeculam non dico quatuor principalia regna, sed nec vnum solum regnum aliquo vnquam tempore obtinuisse

monstrari

A monstrari potest. Aut si obtinuisse confingitur, iam nunc regnum eius populo alteri, id est, Catholico nostro traditum est. Noster enim populus, Romanum, cum omnibus regnis Christiano nomini subiectis, tenet imperium. Daniel autem dicit, quia regnum populi Dei, *populo alteri non tradetur, sed ipsum stabit in æternum.* Berengariani igitur non sunt illud regnum quod Deus cœli suscitaturus prædicitur. Quod si non pertinent ad regnum Dei cœli: consequitur ut sint de regno diaboli. Vides plane quomodo cunclamantibus Propheticis testimoniis nostra Ecclesia confirmatur, Berengariana verò portio utraque reprobatur. De quibus testimoniis beatus Augustinus in libro de civitate Dei ultimo contra quosdam Philosophos sic ait: Si propterea dicunt alio modo esse credenda, ne si dixerint vana esse conscripta, iniuriam faciant illi Deo, cui tam magnum perhibent testimonium: tantam prorsus ei vel etiam graviorem faciunt iniuriam, si aliter dicunt esse intelligenda, non sicut mundus credidit, quem crediturum ipse laudavit, ipse promisit, ipse complevit. Non itaque credentes quod mentiri possit, credant esse facturum, quod se facturum esse promisit: & sic credant sicut credidit mundus, quem crediturum esse prædixit, quem crediturum esse laudavit, quem crediturum esse promisit, quem credidisse iam ostendit. Si ergo vobis ô Berengariani B. Augustinus ita ut solet clarissimus est, iudicium eius sequimini, credite de corpore & sanguine Domini quod mundus credit, & sic credite sicut mundus credidit. Si enim aliud, aut idipsum aliter creditis, dicit vobis Augustinus vester, quod gravem Deo iniuriam facitis, quia creditis de Christo aliter quam sicut mundus credidit, quem crediturum esse Deus prædixit, laudavit, promisit, ostendit. Quod si fidem mundi Deus laudavit, vestra utique figmenta reprobavit. Non enim est nisi una fides laudabilis apud Deum. Vnde & vobis iure obveniet, quod idem sanctus Augustinus in eodem ultimo libro de civitate Dei dicit his verbis: Si rem, inquit, credibilem crediderunt, videant quam sint stolidi qui non credunt. Si autem res incredibilis est, unde toto terrarum orbe iam credita est? Quo circa beati Augustini iudicio vos stolidi estis, qui de corpore Christi quod in toto terrarum orbe creditur, credere recusatis. Item beatus Augustinus in quarto libro de baptismo contra Donatistas: Quod universa, inquit, tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est: non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur. Item in septimo eiusdem libro. Id autem ait, fiduciâ securæ vocis possumus asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri & salvatoris Iesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est. Quapropter fides quam de corpore & sanguine Domini semper Ecclesia universa tenuit, multis insuper conciliis generalibus roboravit, ex Apostolica authoritate tradita rectissimè creditur. Nam si illud quod semper Ecclesia tenuit nullis munitum conciliis Apostolicum est: quanto magis illud quod & semper tenuit, & multis est (ut dixi) conciliis generalibus confirmatum, ex Apostolica authoritate traditum esse credendum est? Sed panem & vinum altaris Domini in corpus & sanguinem Christi substantialiter commutari, (non sicut delirat Berengarius corporis & sanguinis Domini figuras tantum esse & umbras, aut intra se latentem Christum tegere) universalis Ecclesiæ consensione roboratum est. Securâ igitur voce gubernante Domino Deo nostro & Salvatore IESV CHRISTO, id à nobis asseri potest. Diligenter sanè si daretur locus, cum ipso Berengario discutere vellem, cum aliquos doceat nihil in cibo altaris Domini corporis & sanguinis Christi, nisi umbram tantùm & figuram haberi, aliquibus verò, tanquam subtiliùs quærentibus, satisfaciens, ipsum ibi corpus Christi esse, respondeat, sed impanatum latere: quid sibi in priore sententia displiceat, ut satisfacturus quærentibus transmigret ad alteram, aut quid in posteriore abhorreat, ut redeat ad priorem. Migrando enim ad secundam, priorem reprobat: redeundo ad priorem, alteram damnat. Quo fit ut utramque defensando, neutram teneat. Vnde consequitur, ut cum reliquas sententias omnes oderit, de his Dominicis Sacramentis quid debeat credere penitus nihil sciat. Exinde quoque id accidit quod certissimè novimus, quod Berengarius & sui, si ab eruditis Catholicis de sua fide discutiantur: id quod de corpore Domini tenent, aut territi denegant, aut si profitentur, defendere non valent. Sed negatores veræ fidei de Christo, sententia illa Christi terribilis excipit, qua dixit: *Qui me erubuerit & meos sermones: hunc filius hominis erubescet.* Et Paulus: *Si negaverimus*, inquit, *& ipse negabit nos.* At verò si profitentur & defendere nequeunt, si quidem veræ fidei defensores sunt, ubi est quod suis Christus pollicitus est dicens: *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarij vestri?* Si enim veram fidem isti defenderent, esset vel aliquis eorum cui adversarij omnes resistere non valerent. Non enim potest mentiri veritas quæ suis hoc promisit. Nullus autem horum inveniri potest, cui non possint resistere nostri Catholici: usque adeo ut hæresiarches Berengarius multoties revictus, etiam Sacramento propriæ manûs in generalibus conciliis vesanias istas abiurasse teneatur. Quamobrem palam est quia non sunt isti defensores veræ fidei: nec filij, sed adversarij Christi Ecclesiæ. Porro autem si isti sunt Ecclesia Christi, aut à Christo Ecclesia non cœpit, aut aliquo post tempore esse desiit. Notissimum namque est hoc tempore priusquam Berengarius insanisset, huiusmodi vesanias nunquam fuisse. Sed ex tempore Christi Ecclesia in Apostolis & Apostolorum discipulis fuit: sed neque postea unquam defuit. Mentiretur enim scriptura per Prophetas clamans: *Et regni eius non erit finis.* Mentiretur Gabriel Archangelus idipsum beatæ Mariæ dicens. Mentiretur & ipsa veritas quæ ait: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Sed absit hoc ut mentiri possit veritas vel in verbis propriis, vel in tantis testibus suis. Nunquam igitur post Christum, Ecclesia Christi esse cessavit. Non sunt igitur Ecclesia Christi, aut certè si se à Christo cœpisse, & huc usque perseverasse impudentissimè mentientes dicunt: ostendant iuxta Danielis vaticinium quatuor principalia regna mundi se contrivisse, ostendant se orbem terrarum implevisse, ostendant suum regnum alteri populo non cessisse. Quod eos non posse, omnibus satis abundeque perspicuum est, cum noster populus regna mundi possideat, & hos ipsos authoritate & ratione confringat. Quapropter Ecclesia nostra à Christo fundata non à Berengario, neque incœpta à Turonis vel Andegavis, sed sicut præcepit Christus, & Prophetæ prædixerunt: ab Hyerosolymis in æternum valeat, Berengariana vero vesania ad Ecclesiam Christi non pertinens, in æternum confusa conticescat.

Nunc sane illam etiam propositionem quam in prim libello tantopere probavimus, an conficere aliqui possit, videamus. Probavimus enim quoniam si Deu hanc mutationem panis & vini quam credimus, facere vult: facit. Nunc autem assumptum atque etiam sati probatum est, quia illam Deus facere vult. Nam Spiritus sanctus per sanctissimos authores quos templun eius fuisse constat, hoc (ut ostendimus) clarè perdocuit: veteris ac novi testamenti incontradicibilis au thoritas confirmavit, mundus universaliter credidit cuius solius fidem Deus ipse laudavit. Indubitanter igi tur quod evidentissimè necessarióque conficitur, con cludamus: scilicet, quia mutationem panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi Deus facit Quapropter sileant apud omnes prudentes insipientissi morum hominum nova irrationabilia, falsa, inutilis sima, vilissimáque commenta. Cedant, inquam, uni versa Ecclesiasticæ fidei. Illa enim non est recens, ill non est huius, aut illius hominis, sed totius orbis. Ill sola rationabilis, sola vera, sola rata, usquequaqu

Marginal notes: Cap. 25. — Vna fides. — Capit. 5. — Capit. 6. — Cap. 33. — Transsubstantiatio consensione universalis Ecclesiæ roborata est.

A munita, & invincibilis, utilissima, necessaria, iucundissima & honestissima comprobatur. Christi autem impanatio ubi in veteri aut in novo testamento legitur? Qua ratione, quibus argumentis, aut miraculis munitur? Quæ necessitas, quæ utilitas, quis honor Christum Dominum nostrum pro nihilo impanare, & invinare? At vero panem tantùm & vinum in figura & umbrâ Christi edere, quod isti credunt, & Christum in ipsa veritate substantiæ suæ manducare, quantum ad utilitatem & honorem & excellentiam nostram pertinet, quis vel dementissimus in aliquo momento conferre potest? Dum enim verbum Dei carnem factum cibo Dominico absque impanatione & invinatione substantivè, non umbratiè nos sumere credimus: dum ex virtute plenitudinis vitæ æternæ in eodem cibo manentis nos in æternum victuros speramus: quid hac fide, cum sit tot & tantis testimoniis approbata, verius, quid rationabilius excogitari potest? Quid hac inquam, fide utilius, quid magis necessarium, quid honorabilius: dum purum Christum, non umbraticum, neque impanatum pura ipsa suscipiens, utpote tantæ gloriæ munere dives, summo reverentiæ metu peccata magis abhorreat, summo desiderij ardore in omnem iustitiam amplius ferveat, tanquam Domini sui hostem studeat summopere quotidie fugere mundum: iámque de promissionibus eius pro tanto pignore certior, audentius atque ardentiùs revelatâ facie ipsum vitæ fontem votis omnibus gestiat apprehendere Deum?

B

Multa contra istos iam diximus, multa quoque adhuc dici possunt: sed piis mentibus (ut arbitror) ista sufficiunt. Quid enim amplius adversus istos quærerent, cum obiectationes eorum sive per rationes, sive per scripturas, nostræ fidei nihil obesse, imo vero ipsas easdem scripturas nobiscum magis esse satis lucidéque monstratum sit: cum istorum dementias & singulatim & communiter tam venerabilium authorum quam Propheticis & Evangelicis testimoniis teneant plenissimè destructas: nostram vero fidem usquequaque firmissimam, utilissimam, excellentissimam summéque necessariam, videant evidentissimè declaratam? At vero impiis quid sufficiet, si duriores saxis tot argumentorum malleis percussi cedere nolunt, si tenebrosiores inferno tantâ fortissimarum rationum luce collustrari non possunt, aut certè meretricum similes de sua turpitudine vel perspicuâ erubescere nesciunt? aut dæmonum simillimi cœptam semel væcordiam tantâ pertinaciâ diligunt, ut veritatem gratis odio habeant, & à falsitate vel manifestissimâ nunquam resipiscant? O miserrimos homines & immenso lachrymarum imbre lugendos, si tanta pervasit eos propagandæ famæ cupiditas, ut à blasphemiis propalatis nec clarissima veritas, nec summa ipsorum infamia, nec vitæ æternæ amor, nec æterna damnatio valeant revocare. Redite quæso, *Redite prævaricatores ad cor.* Quare moriemini gratis? Non talis hæc disputatio est, quæ utrobique valeat leviter compensari. Non hic, sicut in scholis, pro victoria, aut, sicut in iudiciis, pro quibuslibet terrenis commodis agitur: sed, sicut coram Deo, pro vita æterna atque cœlesti disputatur: falsam etenim partem sempiterna mors devorat, veram autem, vita æterna coronat. Quo circa iusto examine vestra & nostra perpendite, si quid dignum contra nos habetis, afferte: si non habetis, acquiescite. Quare moriemini gratis? Sed quid amplius istos prosequar? Iam disputationi huic ponendus est finis. Nam de duabus reliquis propositionibus sermo brevis habendus est. Non enim longam disputationem res flagitat.

C

D *Esa.46.* Alia est de rebus fidei alia de negotiis terrenis disputandi ratio.

Contra eos qui dicunt partem propter indignos immutabilem remanere.

EX his ergo una, panis & vini partem in carnem & sanguinem Domini transmutari confirmat: partem verò propter indignos immutabilem retineri.

E

Altera vero, totum quidem panem & vinum altaris in carnem & sanguinem Domini converti asserit: sed cum indigni ad communionem veniunt, in panem & vinum iterum reverti. Nam utriusque sententiæ assertores, nolunt ab indignis hominibus corpus & sanguinem Domini posse participari. His ergo cum sit error dispar: una tamen causa erroris est. Quem eisdem quoque muniunt argumentis, hoc modo: Christus ait, inquiunt; *Qui manducat meam carnem, & meum sanguinem bibit: in me manet & ego in eo.* Indigni autem non manent in Christo, nec Christus in eis. Non enim possunt *duobus dominis servire,* nec membra Christi simul esse & diaboli. Non igitur, aiunt, manducant carnem Christi, neque sanguinem bibunt. Idque etiam exemplo conantur astruere, quia videlicet in vitis Patrum cuidam seni visus sit angelus ad communionem sacram indignis accedentibus corpus Domini subtrahere, & loco eius carbonem dare. Si igitur, inquiunt, tales carnem & sanguinem Domini non sumunt: necesse est, id quod accipiunt, aut non fuisse mutatum, aut in naturam priorem esse reversum. Et hactenus quidem istorum ratio: cui auxiliante Domino nunc obviandum est. *Ioan.6.* *Matt.6.*

F

Ac de exemplo quidem primo notandum, quod nihil eis afferat: imo longè eorum opinioni repugnet. Si enim panis porrigendus indignis immutabilis remanet: quid sibi vult carbo datus eis & non panis? Quod si omnes carbone indigni pasti sunt, digni verò omnes carne & sanguine Domini: nihil igitur de pane non mutatum remansit. Aut si caro & sanguis mutabantur indignis accedentibus in carbonem, non igitur mutabantur in panem & vinum: Non enim carbo est panis neque vinum. Quapropter hoc exemplo, istorum (ut dixi) opinio magis destruitur quam astruatur: Nobis porro exemplum hoc in nullo adversari videtur. Potuit enim fieri sub oculis illius, ut caro & sanguis in ea quidem specie qua porrigebantur iustis, iniustis subtraherentur: & ad ostensionem iniquitatis eorum, ipsa eadem in specie carbonis porrigerentur. Aut certè (sicut iam superiùs dixi) non quidem, ut semper ita fiat: sed ut seni qui aderant peccatorum iniquitas per ipsum corrigenda panderetur, reverà caro & sanguis potuerunt per angelum subtrahi, carbo vero mox aliunde advectus dari. Vtro autem horum modo factum sit, sanâ fide nostra fieri potuit.

G

Nunc ad verba Domini quibus dicitur, *qui manducat meam carnem, & meum sanguinem bibit, in me manet & ego in eo*, accedamus. In quibus exponendis non nostram interpretationem, sed beati Augustini ex libro de verbis Domini ponimus. Ait enim non universaliter, sed cum modo quodam debere intelligi, quo videlicet modo: qui manducat carnem & bibit sanguinem Christi, in Christo manet, & Christus in eo. Is autem illo modo manducat, qui dignè manducat. *Qui enim manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit.* Quapropter si omnis qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit: necesse est intelligi, ut ille solus qui manducat alio modo, id est, dignè, in Christo maneat, & Christus in eo. Ad cuius comparationem ille qui indignè manducat, nec æstimandus est manducans, sed potiùs quantùm in ipso est conculcans. Manducat ergo & non manducat. Manducat corporaliter, sed non manducat spiritualiter: non eo sensu, non eis moribus, non ea charitate, ut dignè manducet. Similiter & illa verba Domini accipienda sunt, quibus dicit: *Qui peccaverit in spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Nam verba hæc nisi specialem quendam peccati modum sentiant, stare non possunt. Alioquin omnis qui peccat in filium, peccat in spiritum sanctum: Non enim filium quis offendere potest, quin offendat & spiritum sanctum. Sed *si quis contra filium,* inquit, Dominus, *verbum dixerit: remittetur ei.* Quare & in Spiritum Sanctum peccanti remittetur. *Serm.11.* *1.Cor.11* H *Mat.12.* Peccare in spiritum sanctum quid.

Qua

A

Qua ergo ratione hinc exhibetur, nisi quidam modus peccati in spiritum Sanctum specialis intelligatur tam magnus, ut ad eius comparationem cætera non dicantur in spiritum Sanctum? Talis & illa sententia: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Et illa: *Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Non enim omnes qui credunt & baptizati sunt, neque omnes qui invocant nomen Domini salvi erunt: sed soli illi qui cum bonis moribus credunt, & dignè invocant nomen Domini, salvi erunt. Permultæ quoque aliæ huiusmodi sententiæ in scripturis sacris reperiuntur, quæ nisi eum modo competenter intelligi non possunt. Ita igitur & illud de quo iste sermo inceptus est, intelligendum est: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem*, digne videlicet, *in me manet & ego in eo.* Nam quod indigni qui scilicet in Christo non manent, nec Christus in eis, eandem carnem manducent, & eundem sanguinem bibant: audi eundem beatum Augustinum in libro quinto de Baptismo contra Donatistas ita dicentem: Sicut Iudas, inquit, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum diabolo in se præbuit: sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit: aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis quibus dicebat Apostolus; *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Hæc Augustinus. Quare cum eandem carnem digni cum indignis, sed diversis mentibus comedant, & eundem sanguinem Domini bibant: cúmque Evangelica sententia qua dicitur; *Qui manducat meam carnem & meum sanguinem bibit; in me manet & ego in eo*, iuxta Apostolum & beatum Augustinum, ad similitudinem quoque multarum talium sententiarum competenter intellecta nihil istis afferat, * exemplum porro senis adiunctum totum illis potius auferat: cum & causa documenti huius nulla sit & argumenta cuncta deficiant: cesset hæc nova à Christianis hominibus prorsus inventio: ne si aliter doceant, Apostolicum illud anathema incurrant quo dicitur. *Si quis vobis annuntiaverit præterquam quod accepistis, anathema sit.* Quid enim si nemo indignus corpus Domini accipit, & idcirco portio panis, propter indignus videlicet, immutabilis remanet? Cum se nemo dignum audeat dicere, quia scriptum est; *Nescit homo utrum amore an odio sit dignus in vita suâ*, sed neque de alio audeat iudicare. scriptum est enim; *Ne laudes hominem in vita suâ, homo enim videt in facie, Deus autem in corde:* nemo utique confidenter audebit confiteri, corpus esse Domini, quod ipse vel totus etiam populus accipit. Quod si nemo id confidenter audebit confiteri, temerè ergo Sacerdos affirmat, hoc est corpus Christi: temerè populus, *amen*, respondet, hoc est, verum est: cum omnino quid hoc sit, nesciant, quoniam merita omnium tam sua quam cæterorum cuncti ignorant. Sed absit hoc ut totius Ecclesiæ religiosa confessio ullatenus sit reprehensibilis. Confidenter igitur credat & dicat unusquisque etiam si se fateatur indignum, Christi corpus esse quod accipit. Huc accedit, quod Sacerdos plerumque indignissimus missam celebrat, solúsque id quod consecratum est, totum sumit. Si vero id quod sumpturus erat indignissimus iste propter ipsum immutabile remansit: quoniam totum sumpturus erat, nihil de pane & vino in carnem & sanguinem Christi immutatum est. Si autem propter indignum Presbyterum nihil de pane & vino mutatum est: prævaluit igitur (quod absit) iniquitas Sacerdotis verbis Domini Salvatoris, falsa est etiam & fides Ecclesiæ, quæ & per bonos & per malos ministros verba Domini credit æqualiter operari. Sed absit à cunctis fidelibus hoc, ut iniquitas hominis verba salvatoris infirmare posse credatur. Absit ut Ecclesiæ fides falsa sit, quæ sola apud Deum laudabilis est, quæ & per bonos & malos ministros verba Christi æqualiter operatoria credit. Non igitur quod sumpturus erat indignissimus Presbyter, propter ipsum immutabile remansit. Cum ergo totum quod consecratum est sumat: carnem & sanguinem Christi Presbyter indignissimus comedit & bibit. Quòd si ita est, imo quia verè ita est: frustra dicitur, partem panis & vini immutabilem remanere propter indignos. Quamobrem sileatur huiusmodi semper humana suspicio: & id tantùm quod nobis commendatur in ipso canone Missæ teneamus. Nam illic ita scriptum est: *Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilémque facere digneris: ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filij tui:* Non hic dicitur, ut pars eius fiat corpus & sanguis. Nec Dominus noster IESVS-CHRISTVS, cum dixisset, *manducate ex hoc omnes*, addidit, pars enim eius est corpus meum: sed id tantum, *Hoc est enim corpus meum.*

Marginal notes (left column): Marc. ult. Ibid. — B — * Exemplum. — C — Gal. 1. — Eccl. 9. — D — Sive per bonos sive per malos ministros Christi verba æqualiter operantur.

Marginal notes (right column): E — Verba S. Canonis. — F

Illud sanè extremum, quis vel mediocriter eruditus solo auditu non perhorreat: quod videlicet caro & sanguis Domini propter indignos in panem revertantur & vinum: caro quippe & sanguis Domini incorruptibilis est. Quod autem incorruptibile est, nec corrumpitur, nec corrumpi potest. At essentiam suam perdere, & in panem corruptibilem ac vinum corruptibile reverti, ista quidem magna corruptio est: Igitur caro & sanguis Domini, in panem & vinum iam reverti non potest. Quapropter & hic error sepeliatur æterno silentio. Caveant verò utrique isti alienum ignem afferre circa divina altaria, ne moriantur coram Domino. Caveant etiam transgredi terminos patrum suorum, quos posuerunt sibi. *Multi* quippe *cibi*, ut Salomon ait, *in novalibus patrum: alij absque iudicio congregantur.* Huiusmodi vero doctrinarum cibi in novalibus patrum non possunt inveniri. Igitur absque iudicio congregantur.

Lev. 10. — Lev. 10. — Prov. 22. — Prov. 13. — G

ROGERIVS. In quantum perpendere valeo, omnia te ratione firmissimâ video prosecutum. GVITMVNDVS. Vt igitur ad quid totus sermo noster profecerit, breviter ostendamus, quoniam sacrificium nostrum nec umbra tantùm vel figura carnis & sanguinis Christi esse, nec Christum intra se impanatum tegere iuxta Berengarium potest, neque verò substantiam panis & vini ex parte mutari, & ex parte non mutatam permanere veritas patitur: Neque post mutationem in id quod fuerat reverti, aut in aliud quicquam mutari iam ultra fas est. Restat ut hæc tantum sit Deo iuvante mera & solida fides, ut totus ille panis & totum illud vinum altaris Dominici, ita per divinam consecrationem substantialiter, commutentur in carnem & sanguinem Christi: ut postea iam in æternum aliud nihil omnino, quam caro & sanguis Salvatoris Domini Dei nostri IESV CHRISTI esse possint. Cui pro tantâ charitate gratias referamus æternas: regnanti cum Deo Patre & Spiritu Sancto, per infinita secula seculorum. Amen.

H

EIVSDEM GVITMVNDI Archiepiscopi, de Sancta Trinitate, Christi humanitate corporísque ac sanguinis Domini nostri veritate, confessio.

QVOTIES Deum cogitare volumus, minùs utique volumus quam debeamus: nec tamen tantùm valemus, quantùm volumus: quantominus igitur quantùm debemus? Quòd si humanæ mentis cogitatio interior debitum suum quomodo solvat non invenit: ipse oris sermo exterior quid persolvit? Verum dilectissime frater Roberte, etsi pater noster in corde

nostra

A nostro sicut decet non agnoscit verbum suum: nos tamen quasi parvuli sub ubere vel balbutiendo ostendamus ei effectum nostrum. Quoniam itaque scriptum est; *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*; liquet omnino, quoniam quamvis in corde fides recta teneatur quæ iustificet, pernecessaria est tamen in ore confessio quæ nos salvet. Sed quid de Deo ille pronuntiabit, qui distortum aliquid, aut fortasse nihil adhuc inde cogitavit. Quorum alterum æternæ damnationis sacrilegium, alterum vero, si ille quicumque est iam ratione utitur, mortiferi somni est indicium. Vigiles ergo cor Christiani in fidei suæ cogitatione, ut si necesse fuerit, sciat aperire os in confessione. Hæc perpaucis prælibavimus, ut quam necessaris sit fidei scientia & confessio ostendentes, ad eiusdem
B fidei tractatum Domino adiuvante licentiùs veniremus.

De sacrosancta divinitatis unitate & Trinitate.

CRedo sacrosanctæ divinitatis æternam unitatem: credo in eadem unitate coæternam Trinitatem. Creator, enim omnium unus est Deus & trinus autem, quia Pater est, & Filius & Spiritus sanctus. Non dico quod idem ipse sit Pater, & Filius & Spiritus sanctus, sed dico quod idem ipsum est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Cum dico *ipse* ostendo personam quæ est Pater, Filius, vel Spiritus sanctus: cum vero dico *ipsum*, ostendo substantiam quæ est Deus: Creditur itaque per singulos alia persona, sed non creditur in tribus nisi una substantia.

Sumamus nunc aliquod exemplum inter nos, per quod aliquantulum valeamus ascendere super nos Videmus aliquem hominem filium genuisse; videmus eum
C patrem filij esse. Si igitur à me quæras quid sit ille pater qui genuit filium: respondeo, homo. Si quæras quid sit filius, respondeo homo. Cum dixi *homo*: substantiam Patris & Filij indicavi. Vides igitur quia eadem substantia est patris hominis, & filij hominis. Si enim diceretur, Pater homo, & filius equus: quis aliud quam monstrum, aut horrendum aliquid cogitare posset? Mox enim ut à me Patris & Filij diversas substantias audires: aut iocari, aut insanire potiùs quàm veritatem dicere me non dubitares. Sed si iterum quæras quis est ille: dico, pater illius est. Si quæras de filio, quis est ille: dico, filius illius est. Vides charissime quia in personis diversa nomina posui quæ sunt *Pater & Filius*: in substantia vero unum nomen ostendi, quod est *homo*. Quod in homine vides, hoc in multis creaturis videre potes. Si igitur in creaturis ut in una substantia sunt plures personæ, & in pluribus personis una substantia, natura postulat, & Deus hoc facit: quantò magis in Deo qui omnia creavit; Verumne creatori creaturam coæquamus? Absit. Quamvis enim in creaturis de patre dicam quia homo est, &
D de filio quia homo est, & ita Patris & Filij una substantia est: tamen iterum dico, quia Pater homo, & filius homo duo homines sunt. De Deo autem, valde aliter. Sic namque dico de patre, quia Deus est: & de Filio quia Deus est, & de Spiritu sancto quia Deus est: ut nulli tamen credere liceat quod tres Dij sunt. Iam nunc annuente eo de quo loquimur, de eadem Trinitate aliquid apertius loquamur. Creata consideremus, & in creaturis creatorem admirantes laudemus. Cœlum itaque terram, mare & quæ in eis sunt videmus: & hæc omnia creasse unum Deum corde retinemus, ore confitemur. Hæc tanta & tam multa, & tam admiranda ineffabili prorsus sapientia condidit: quam ipse non fecit, nec creavit, sed genuit. Quemadmodum enim in anima nostrâ videmus quoniam ipsa gignit consilium suum, & illud consilium quasi proles est animæ quod apud se habet, & per illud omnia exteriora operatur: ita Deus (quomodo Deum decet) sapientiam suam de seipso genuit, per quam omnia quæcunque sunt, ab eo facta sunt, & disponuntur. Hæc igitur est sapientia

Christus sapientia Patris, per quam omnia condidit.

Dei filius, Deus de Deo genitus: de quo patri Deo dicitur: *Omnia in sapientia fecisti.* Sed quid Deus per sapientiam suam faceret, si eandem sapientiam ipse non diligeret? Aut quid in illa diligeret, si & ipsa eum à quo genita est similiter non amaret? Constat igitur quia à Patre procedit amor ad filium, & à Filio procedit ad Patrem suum. Iste amor est Spiritus sanctus, qui ab utroque ita procedit, ut semper in utroque maneat: & ita semper in utroque manet, ut ab utroque semper procedat. Coæternus autem est patri filius, quia pater sine sapientia sua nunquam fuit: Coæternus Patri & Filio Spiritus sanctus, quia utrorumque unam substantiam ipse amor inseparabilis qui est eadem substantia, semper univit. Totum autem se sapit, pater & totum se diligit quicquid est: tanta est igitur sapientia sua, & tanta charitas quantus ipse est. Æqualis est ergo Patri Filius & Spiritus sanctus. Quod si de patris volumus substantia cogitare quid sit, prius de eius sapientia cogitemus quantum possumus, quid & ipsa sit. Ipsa enim est quæ dixit: *Nemo venit ad patrem nisi per me.* Et, *Qui videt me, videt & patrem meum.* In sapientia itaque nec latitudinem nec longitudinem, nec rotunditatem, nec ullam quantitatem, aut qualitatem videmus. Non in ea diversorum membrorum quemadmodum in corpore nostro distinctiones invenimus. Nihil igitur corporale, in sapientiæ essentia invenitur, sed totum est Spiritus, quicquid de ea rectè cogitatur. Errant igitur vehementer qui Deo Patri figuram hominis tribuunt, quia qualis est filius, talem utique Patrem & Spiritum sanctum, qui non credunt, desipiunt. Iste autem Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ubique est totus, unus Deus, ubique incircumscriptus, ubique indivisus. Quod ut aliquantulum intelligamus, diligentiùs attendamus. Ponamus itaque coram nobis aliquod minutissimum corpus, vel ipsam ungulam nostram, quæ præsto est aspiciamus, & in ipsa quomodo Deus totus sit videamus si possumus, si videre non possumus, credamus. Video in ungula mea quinque superiora, inferiora, dextra & sinistra, & media, hæc omnia per sapientiam suam Deus iam fecit: & modo etiam ut subsistant, disponit. Non est autem sapientiæ Dei pars dextro ungulæ lateri, & altera sinistro lateri, & alia superiori, atque alia inferiori ungulæ eiusdem præsens est parti, alia medietati: sed sicut tota omnia operatur, sic tota præsens est omnibus. Eius enim præsentia non localiter, sed potentialiter est æstimanda. Quæ quoniam eadem horâ & eodem momento quo ista facit, etiam cætera omnia prout sibi voluntas est disponit, præsentem se utique semper & simul & in omnibus ostendit. Quod de sapientia, id est, de filio vidimus, hoc de patre, hoc de spiritu sancto sentiamus: quia eos inseparabiles esse omnino necesse est, ut credamus. Ad imaginem Dei quæ est anima nostra redeamus, & in ipsa si possibile fuerit Trinitatem in unitate videamus. Anima nostra, spiritus utique non corpus est. Quæ habet in se & de se, id est, de substantia sua tria, intellectum, memoriam, voluntatem. Horum singula in omnibus sunt: quia intellectus intelligit seipsum, intelligit memoriam suam, intelligit voluntatem suam. Ecce intellectus in memoria, & in voluntate est. Memoria recolit seipsam, & intellectum suum, & voluntatem suam. Voluntas vult, id est, diligit seipsam & intellectum suum, & memoriam suam. Ita sunt in omnibus. Omnia vero sunt in singulis, quia eadem ratione, intellectus, memoria & voluntas, omnia simul in uno sunt. Et hæc non nisi una substantia sunt, quæ est anima. Dicamus igitur similiter de patre, & Filio, & Spiritu sancto. Pater vita est, Filius sapientia, Spiritus sanctus charitas Vita itaque vivit, & sapientia vivit & charitas vivit. Sapientia sapit, & vita sapit, & charitas sapit. Charitas diligit, & vita diligit, & sapientia diligit. Et hæc tria non nisi una substantia, quod est Deus.

Caveodum est tamen ne vel animam nostram Deo nostro æquare velimus: ne fortè dum eius similitudi-

nem

E Spiritus sanctus est amor Patris ad filium & filij in patrem.

F

Quid sit Dei sapientia investigat.
Ioan 14.

G

Trinitatis imago in anima nostra.

H

A

nem supra nos appetimus, ab hoc quod per eum sumus, decidamus. Sicut igitur in opere imaginem vidimus operantis: sic verum videamus quod factum est quantùm distet ab eo qui condidit. In anima quippe intellectus, memoria, & voluntas una substantia est, quæ mens vocatur: non tamen intellectus est memoria vel voluntas, neque memoria est intellectus, vel voluntas, neque voluntas memoria, vel intellectus. Aliud est enim in anima præteritorum meminisse, aliud præsentia intelligere: & aliud quod meminerit, & quod intellexerit, velle. Vnde intelligitur plus esse in anima tria hæc intelligere, meminisse, velle: quam solum velle, vel solum intelligere, vel solum meminisse. Intellectus enim intelligit sibi & memoriæ, & voluntati: memoria recolit sibi, & intellectui, & voluntati. Voluntas autem vult sibi, & memoriæ, & intellectui. In Deo autem qui omnino simplex est naturâ, non est aliud vivere, aliud scire, aliud diligere: nec plus tria hæc quam unum, nec unum minus quam tria credimus esse. Quod ita potest intelligi. Pater est vivens, Filius sapiens, Spiritus sanctus diligens. Et Pater vivens, sapiens, diligens. Et singulus quisque itidem. Quoniam vero Deus omnium simplex est naturâ, sic vivens, ut sit vita, sic sapiens, ut sit sapientia, sic diligens, ut sit dilectio, singulus quisque autem Deus, singulus quisque igitur vita sapientia & dilectio. In consequens autem est credere in simplici naturâ aliud esse vitam, aliud sapientiam, aliud dilectionem. Redigamus igitur hæc tria ad unum, & dicamus: Pater & Filius & Spiritus sanctus vita, vel sapientia, vel dilectio. Ergo manifestum est non plus esse tria quam unum, nec minus unum quam tria. Videndum est tamen ne confundamus personas. Ita enim est Pater sapientia vel dilectio ut tamen Filius sit sapientia Patris, & Spiritus sanctus dilectio Patris & Filij. Hic oritur quæstio difficilis. Si enim Pater sapiens, & Filius sapientia, quæritur utrum sit sapiens sapientiâ suâ, quæ est filius suus. Omnis enim sapiens, sapientiâ sapiens est. Ad quod ita respondetur, De hoc est sapientia, quod est essentia. Si igitur pater à filio suo sapiens est: à filio habet sapientiam. Ab ipso ergo & essentiam. Pater igitur à filio, non filius à patre. Atqui pater non est à filio, non igitur sapientiam habet à filio. Quod similiter disseritur de Spiritu sancto, qui dilectio est utrorumque. Credendum est ergo quia pater perfecta vita est, & sapientia, & dilectio à seipso: Et filius perfecta vita, & sapientia, & dilectio est à patre suo: & Spiritus sanctus hoc idem à Patre & Filio. Hanc trinam unitatem, & unam Trinitatem, Adam ante peccatum incorruptâ imagine Dei animâ suâ, lucide intellexit, quam lucem peccatum commissum obscuravit. Peccavit autem hominis anima voluntate: corpus opere. Vtrumque igitur mortuum est, quia ab utroque peccatum commissum est. Quoniam vero mortuus est homo per insipientiam, oportuit eum vivificari per sapientiam. Incarnata est igitur Dei sapientia, ut deleretur hominis insipientia. Sed insipientia hominis animam rationalem & corpus occidit: Dei vero sapientia, id est, filius & animam rationalem & corpus assumpsit. Et sicut ille sine peccato de immaculata terrâ factus est: ita iste sine peccato de incorrupta Virgine natus est: Assumpsit autem ita Deus hominem ut nec Deus in hominem mutaretur, nec homo absorberetur in Deum. Si enim Deus in hominem mutaretur, iam non esset Deus, sed homo solus: & ideo non adiuvaret.

B

C

An Pater sit sapiẽ suâ sapientiâ.

Homo qui per insipiẽtiam mortuus erat, per Christũ sapientiã vivificari debuit.

De humanitate Christi.

D

Cur Deus per mortem nos salvare voluerit.

Si vero homo absorberetur in Deum, iam non homo, sed Deus solus: & ideo mori non posset. Mori autem cum aliæ multæ rationes quibus nos redimeret suppeterent, voluit: ut & diabolum iustitiâ magis quam potentiâ vinceret. Iustum enim erat, ut qui hominem vicerat, ab homine vinceretur: & nobis quantâ charitate reducat nos, ostenderet. Hinc est quod de Spiritu sancto conceptus dicitur, quia Spiritus sanctus charitas est, & totum hoc mysterium charitas operata est. Factus itaque homo est cum Deo una persona: sed conservata est utrique propria substantia. Homo iste sine peccato vixit, ut vinceret diabolum, & dolores sustinuit, ut deleret hominis peccatum. Miracula fecit, quia Deus erat: mortuus est, quia homo erat. Seipsum mortuum suscitavit, ut Deus crederetur: in carne palpabili postea apparuit ne homo esse dubitaretur. Corpus quidem in cruce mortuum, in lapide sepeliri permisit, anima vero viva cum Deo permanens, in infernum, non ut pateretur, sed ut dominaretur, descendit, quæ liberatis inde quos dignos iudicaverat: cæteris vero dimissis, corpus suum tertiâ die resumpsit. Resuscitato autem corpore, cum discipulis, non continue, sed certis vicibus apparens, & etiam comedens, quadraginta diebus mansit. Quadragesimo die, videntibus illis cælos ascendit. Quod vero post resurrectionem comedit, non indigentia, sed argumentum manifestæ resurrectionis fuit. Regnat itaque Dominus noster IESVS-CHRISTVS in gloria Patris, venturus ad iudicium omnibus in manifestatione carnis: reprobos traditurus æternis tormentis: electis se ostensurus in perpetuis gaudiis, in quibus nos regnemus per ævum & cum ipso Domino IESV-CHRISTO, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

E

F

De Corpore & Sanguine Domini.

INterim autem dum ab eo in hoc mundo peregrinamur, corpore & sanguine eius in via pascimur: sicut Apostolis suis hoc mysterium in cœna ultimâ ante mortem suam tradidit, & nobis sequentibus frequentandum per eos mandavit. Adhibenda est ergo fides Dominicis verbis: quibus dicit, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Omni ergo execrata dubitatione, sicut credimus, quia unigenitus Deus, coæternus Deus Patri Filius verè in carne nostrâ natus, verè mortuus. verè resurrexit, verè in cœlum ascendit, verè sedet ad dexteram Patris sui: ita indubitanter credamus, quia corpus eius & sanguinem verum & integrum in altari post consecrationem manducamus. Verum, inquam, corpus Dominicum & integrum, quod & totum in Patris dexterâ sedens gloriatur, & totum de Sacerdotis manibus sumitur, & si per partes quasi frangatur, in unaquaque tamen parte, quamvis minutissimâ, totum & integrum habetis, & si eadem horâ, & eodem momento, mille Sacerdotes hoc mysterium operantur, in singulorum tamen manibus corpus Christi, totum & integrum consecratum, à singulis totum & integrum sumitur.

1. Cor. 5.

G

Ioan. 6.

Hic quæri potest, cur mysterium, vel Sacramentum, vel etiam figura hæc consecratio dicitur, si ipsa res & ipsa veritas est: & nihil aliud per hoc significatur. Ad quod ego respondeo, quia & mysterium est, quia aliquid mysticum portat: & sacramentum, quia sacrum aliquid intelligendum intra se occultat: & figura, quia excepto hoc, quod corporaliter agitur, spirituale aliud valde necessarium figurat. Mysticum enim & sacrum, & spirituale, per hoc mysterium figuratur: quoniam sicut nos omnes Christi corpus corporaliter sumimus, ita nos ipsi eius corpus spiritualiter vivendo effici debemus: non illud corpus, quod verbum Dei in persona sua assumpsit, & Dominicum dicitur, sed quod in scripturis sanctis Ecclesia vocatur, unde Paulus dicit: *Ipse est caput nostrum*, & nos membra eius. Hinc est enim, quod de pane & vino sacramentum istud conficitur. Panis enim ex multis granis unus efficitur, & vinum ex multis vinaciis in unum liquatur. Similiter & nos ex multis granis unum corpus efficimur, de corpore & sanguine Domini bene vivendo, & credendo catholicâ fide reficimur. Vnde & per Paulum dicitur: Vnus panis sumus omnes,

In singulis particulis hostiæ & in omnibus missis, totum & integrũ Christi corpus.

H

Christi corpus cur mysterium, sacramẽtum vel figura dicatur.

Cap. 10.

His

A His itaque & aliis si plures sunt significationibus conservatis, conservetur etiam fides, quia Domini corpus ipsum verum non qualitativè, sed substantialiter creditur, ut quod ipsa veritas omnino verum esse testatur, nostra fallacia falsum, aut imaginarium esse non opinetur. Hoc corpus si indignè sumitur, (indignè autem tunc sumitur, si in mortiferis peccaris maneat anima, & cum ipsis accipitur) omnino ibi iudicium manducatur & bibitur. Cum verò dignè in quantum potest humana fragilitas per gratiam Dei suscipitur, absque dubio per hoc sacramentum anima nostra vitam æternam consequitur: quæ verè nobis à Domino nostro Iesu Christo per eius corpus & sanguinem concedatur in perenni sæculo. Amen.



B

GVITMVNDI S. R. E. CARDINALIS, & Archiepiscopi Aversani; ad Guillielmum I. Anglorum Regem, oratio cum recusaret Episcopatum.

DE GVITMVNDO, & eius oratione; ex Orderici Vitalis, Ecclesiastica historia, lib. 5. cap. 17. cuius est hoc argumentum;

C

De Guitmundo Monacho, S. Leufredi, & eius ad regem Angliæ Guillelmum oratione pulcherrima.



VITMVNDVS Venerabilis Monachus cœnobij quod Crux Heltonis *dicitur: ubi gloriosus Confessor Christi Leufredus, tempore Hildeberti & Hilperici juniorum Regum, Domino feliciter 48. ministrasse annis, legitur; Regio iussu accersitus pontum transfretavit: & oblatum sibi, à Rege & Proceribus regni, onus Ecclesiastici regiminis omnino repudiavit. Erat enim ævo* D *maturus & religiosus ac scientiâ literarum eruditissimus, cuius ingenij præclarum specimen evidenter patet in* lib. de corpore & sanguine Domini contra Berengarium, *& in aliis opusculis ipsius. Hic itaque cum à Rege rogaretur, ut in Anglia secum moraretur & præstolaretur congruum tempus eum promovendi; secum subtiliter deliberavit, suique propositi votum aliud esse demonstrans, Regi respondit.*

MVLTÆ causæ me repellunt ab Ecclesiastico regimine, quas omnes singulatim nolo, nec decet exprimere. In primis infirmitates meas, quibus in corpore & anima incessanter premor, considero: quibus diligenter perspectis, divinum examen vehementer pertimesco, mœrens, quod in via Dei quotidie labor, & à veritate vacillo. Et dum meipsum salubriter moderari nequeo, qualiter aliorum vitam ad salutis viam dirigere valeo? Omnibus vigili mente perlustratis, non video qua lege digniter præesse valeam illorum cuneo, quorum extraneos mores, barbaramque locutionem nescio: quorum patres charósque parentes & amicos occidistis gladio, vel exhæredatos oppressistis exilio, vel carcere, vel indebito intolerabilique servitio. Scrutamini scripturas, & videte, si qua lege sancitur, ut Dominico gregi pastor ab inimicis electus violenter imponatur? Ecclesiastica electio priùs debet ab ipsis subiectis fidelibus cum sinceritate fieri: ac postmodum astipulatione Patrum & amicorum (si canonica est) reverenter confirmari. Alioquin cum charitate debet emendari. Quod bello & effusione multi cruoris truculenter rapuistis, qua ratione mihi, aliisque contemptoribus mundi, qui sponte pro Christo nudati sumus propriis, sine culpa impartiri potestis? Generalis omnium religiosorum lex est, à rapinis abstinere, & de præda (etiamsi offeratur) pro iustitiæ observantiâ nolle recipere. Dicit enim scriptura: *Immolans ex iniquo, oblatio est maculata.* Et paulo post: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Hæc & his similia divinæ legis præconia pernoctans expavesco, & totam Angliam, quasi amplissimam prædam, diiudico, ipsámque cum gazis suis, velut ignem ardentem contingere formido. Et quia Deus iubet, ut quisque proximum diligat: sicut seipsum, dicam vobis sine dolo id quod mihi cœlitus est indictum. Quod mihi utile reor, vobis quoque salutare arbitror. Ergo, quod amicabiliter loquar, non videatur amarum: sed tu strenuè Princeps & commilitones tui, qui grave tecum inierunt periculum, nostræ admonitionis benigno corde suscipite eloquium. Opera Dei cunctis diebus vitæ vestræ sagaciter considerate: & iudicia eius, quæ incomprehensibilia sunt, in omnibus operibus vestris timete: & sic vestram vitam æquâ lance moderari ad voluntatem Dei satagite, ut ipse arbiter æternus sit vobiscum in ultimo discrimine.

Non vos decipiant adulatores vana securitate, nec insolentes pro secundis eventibus præsentis vitæ, vos lethaliter obdormire suadeant in mundana prosperitate. Si vicistis Anglos in congressione, super hoc superbire nolite: sed spiritualis nequitiæ gravius ac periculosius certamen cautiùs agite: quod restat adhuc & imminet vobis quotidie. Mutationes regnorum frequenter factæ sunt in orbe terrarum: sicuti sparsim legimus multiplicium per campos scripturarum, quibus liberalium à Deo impertita est notitia literarum. Babylonij sub Nabuchodonosor rege, Iudæam & Ægyptum, & alia regna sibi plurima subegerunt, sed post septuaginta annos ipsi cum Balthasar Rege suo à Medis & Persis, quibus præerant Darius & Cyrus nepos eius, victi & subiugati sunt.

Deinde sub Alexandro magno Macedones post 230. annos Darium Regem Persarum cum multis legionibus devicerunt: & ipsi nihilominus post aliquot annos, Romanis per totum orbem phalanges suas destinantibus, cum Perseo Rege suo devicti sunt. Græci sub Agamemnone & Palamede Troiam obsederunt, & Priamum regem, Laomedontis filium, ac liberos eius, Hectorem & Troilum, Paridem & Deiphobum, Amphimachúmque trucidaverunt: & famosum Phrygiæ regnum post decennem obsidionem flammâ & ferro depopulati destruxerunt. Troianorum una pars sub Ænea duce regnum Italiæ obtinuit: alia pars cum Antenore per longum iter ac difficile, Daciam adiit, ibique sedem ponens, usque in hodiernum diem habitavit. Romani regnum Hierosolymorum, quod David, aliique potenter successores eius spoliis Allophilorum ditaverant, & subactis barbaris gentibus, quæ in circuitu erant, sublimaverant, sub Vespasiano & Tito subverterunt: & nobile templum post primæ ædificationis eius annos mille lxxxix. diruerunt, quando undecies centena millia Iudæorum ferro seu fame perierunt. Franci Gallis,

(right margin: E, F, G, H)

tempore Sunnonis Ducis, associati sunt, & Romanorum iugo de cervice suâ viriliter excusso, super eos regnare cœperunt. Angli Saxones, ducibus Hengist. & Horsa Britonibus (qui nunc Galli vocantur) imperium dolis & fortitudine iam fere sexcentis annis abstulerunt. Guinili, qui de Scandinavia insulâ forte ciecti sunt, regnante Alboino rege filio Audonis, partem Italiæ, quæ nunc Loogobardia dicitur, invaserunt, & Romanis diutius resistentes, nunc usque tenuerunt. Omnes hi, quos victoriâ surgentes recolui, paulo post miserè sobiacuerunt perniciei, parique cum victis contritione torti, irremediabiliter gemunt in cloacis Erebi. Normanni sub Pollone duce Neustriam Carolo simplici subtraxerunt, iamque 190. annis, contradicentibus Gallis, & cum bellico tumultu sæpe calumniantibus tenuerunt. Quid de Gepidis & Wandalis, Gothis & Turcis, Hunnis & Herulis: quid de aliis loquar Barbaris, quorum conatus ad nihil est aliud, nisi furari & rapere, & conculcatâ pace iugiter furere? Terram turbant, ædes concremant, orbem vexant, opes dissipant, homines iugulant, omnia fœdant & inquietant. His itaque signis mundi portenditur finis, sicut ipsius patenter edocemur voce veritatis: *Exurget gens contra gentem, & regnum adversus regnum, & erunt terræmotus magni per loca, & pestilentia & fames, terroresque de cælo, & signa magna erunt.*

Cladibus innumeris premitur sic iugiter orbis.

His & multis huiuscemodi rotatibus in rebus humanis solerter inspectis, non in se glorietur Victor de ruina comparis: qui nec ipse stabit, nisi quantùm iusserit dispositio conditoris. Conversionem locutionis meæ nunc ad te, ô rex faciam, quam tu (quæso tibi) benigniter haurias propter salutem æternam. Nullus patrum tuorum ante te regale stemma gessit, nec hæreditario iure tantùm decus tibi provenit, sed gratuitâ largitione omnipotentis Dei, & amicitiâ Eduardi consanguinei tui. Edgarus Aldinus, aliique complures ex linea regalis prosapiæ orti, secundum leges Hebræorum, aliarumque gentium propinquiores sunt hæredes diadematis Anglici. Illis nimirum remotis sors tibi cessit provectionis, sed Dei iudicium quantò occultius, tantò terribilius imminet tibi ad reddendam rationem commissæ villicationis. Hæc benigno ex corde sublimitati vestræ locutus sum, humiliter deposcens, ut mens vestra semper sit memor novissimorum: nec vos nimis implicet prosperitas præsentium, quam sequi solet intolerabilis dolor, & ingens luctus ac stridor dentium. Gratiæ Dei vos & amicos atque fideles vestros commendo, Normanniamque cum vestra licentiâ redire dispono, & opimam Angliæ prædam amatoribus mundi, quasi quisquilias, derelinquo. Liberam paupertatem Christi amo, quam Antonius & Benedictus amplexati sunt, magis quam divitias mundi, quas Crœsus & Sardanapalus nimis amaverunt: & postmodum miserè pereuntes, hostibus suis deseruerunt. Christus enim pastor bonus væ, divitibus huius mundi minatur, qui voluptatibus vanis & superfluis hîc perfruuntur. Pauperibus vero spiritu promittit beatitudinem in regno cœlorum, quam nobis det ipse, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

ADmiratus rex cum Proceribus suis Insignis Monachi constantiam, supplex ac devotus impendit ei decentem reverentiam: & competenter honoratum, iussit eum remeare in Neustriam: ibique, quo vellet, suam præstolari præsentiam. Auditum est passim, postquam Guitmundus ad septa monasterij sui remeavit, quod ipse monachalem pauperiem divitiis Episcoporum præposuerit: & quod obtentum Angliæ in præsentia regis & optimatum eius rapinam appellaverit: & quod omnes Episcopos, vel Abbates, qui nolentibus Anglis in Ecclesiis Angliæ prælati sunt, rapacitatis redarguit. Verba igitur eius per Angliam latè divulgata, sunt & subtiliter ventilata, multis displicuerunt: qui sequaces eius esse spernentes, contra eum ingenti livore exarserunt. Non multò post, defuncto Ioanne Rothomagensium Episcopo, Rex & alij plures, Guitmundum ad Archiepiscopatum elegerunt, sed æmuli eius, quos idem vituperaverat, ne Archipræsul fieret, quantùm potuerunt, impedierunt. In tanto verò nihil obiiciendum invenerunt, nisi quod filius esset presbyteri. Ille autem ab omni avaritia purgari volens, & inter exteros paupertate premi, quam inter suos dissensiones fovere malens, Odilonem, monasterij sui Abbatem reverentem adiit, & humiliter ab illo licentiam peregrinandi petiit & accepit. Porro illiteratus abbas metiri nesciebat quantus sapientiæ thesaurus in præfato doctore latebat. Ideo desiderabilem Philosophum de monasterio suo facilè dimisit: quem Gregorius VII. Papa venientem ad se, gaudens suscepit: Cardinalem S. R. E. præfecit: & Vrbanus Papa iam probatum in multis, metropolitanum Adversis urbis solenniter ordinavit. Hæc urbs tempore Leonis IX. Papæ, à Normannis, qui primo Apuliam incoluerunt, constructa est: & a Romanis, quia ab adversis sibi cœtibus ædificabatur, Adversis dicta est. Hæc utique divitiis opulenta, Cisalpinorum prompta strennitate bellicosa, hostibus metuenda, fidis clientibus sociisque colenda, Normannorum optione soli Papæ gratanter obedit: à quo Guitmundum sophistam mystici decoris pallio insignitet redimitum, Pontificem accepit. Præfatus Archipræsul Ecclesiam sibi commissam diu rexit, & Apostolicis privilegiis ab omni mortalium exactione liber plausit. Plebem studiose docuit, meritis & orationibus protexit, atque post multos agones in virtutum exercitiis ad Dominum perrexit.

F I N I S.



MICROLOGVS
DE ECCLESIASTICIS
observationibus opusculum ante annos quingentos conscriptum ab homine antiquitatis Ecclesiasticæ studiosissimo,

OPERA IACOBI PAMELII Brugensis, S. Theologiæ Licentiato in lucem primum editum, & iam secundo ad manuscripta exemplaria ab eodem recognitum.

IACOBVS PAMELIVS Brugensis Lectori candido S.

DVM totus sum in conquirendis undequaque libris Rabani Mauri Archiepiscopi Moguntini, viri citra dubitationem omnem eruditissimi ac in sacrarum literarum expositione versatiss. (quippe

A qui exactissimum in universa Biblia sacra commentarium è veterum Theologorũ monumentis collegerit) ad nos missus est è Bibliotheca Septem fontium, Rabani titulo Micrologus de Ecclesiasticis observationibus. Quem ubi primum inspexi, ac ex ipsis capitum titulis totius operis argumentum didici, mirum quantopere eo thesauro invento sim gavisus. præsertim quod spes certa effulgeret, posse me suo tam tãlem auctori librum illum adserere, quem alibi incerto auctore citatum reperissem, ut qui non ignorarem scripsisse Rabanum de divinis officiis. Verum dum paulo post penitius codicem introspicio, & mentionem in illo fieri video Gregorij Papæ Septimi, atque Episcoporum B Amalarij Trevirensis & Anselmi Lucensis, qui sæculis aliquot Rabano sunt posteriores; illius non esse, certo deprehendi. Neque tamen id me deterruit ab editione semel animo conceptâ; quin potius, quod tibi, Lector, gratum illum fore mihi persuaderem, è blattis ac tineis iam tandem aliquando eruendum suscepi: hoc ipso quoque munusculo litterario conciliare me posse ratus studiosorum animos, ut si quid penes se habeant Rabani, quo meum hoc institutum tam pium promovere queant, communicare non graventur: quod ut faciant, ad unum omnes etiam atque etiam rogo atque adeo obtestor.

Accessit & alia occasio, quæ me velis remisque (quod aiunt) in hanc impulit sententiam. Synodus novissima Tridentina Patres quosdam certo C numero delegit, qui ad evitandam illam (quam calumniantur nostri sæculi Aristarchi) rituum Ecclesiasticorum discrepantiam, Breviarium ac Missale componerent: quæ fuit numeris absoluta, toto Christiano orbi observanda auctoritate Apostolicâ proponerent. Hos quum non dubitarem ad ritum veterem Ecclesiæ Romanæ omnia redintegraturos, atque ad eam rem non parum conducere posse nostrum Micrologum, ego illum primo quoque tempore evulgandum censui, utpote è quo resarciri posse tantum non existimarem, quicquid à primæva illa Romani ordinis institutione variatum esset. Quam quidem ad rem cum multum etiam Amalarium, Walafridum, Strabum, ac Honorij Gemmam conferre, fatendum sit: tamen huius mihi auctoritas non negligenda, immo cæteris etiam esse præponenda videtur: propter eam, D quam longo harum rerum usu & non Amalarij tantum, qui inter hos facilè principem locum obtinet, verum longè etiam antiquiorum, quorum apud omnes sancta debet esse auctoritas, diligenti lectione sibi acquisivit rerum Ecclesiasticarum singularem peritiam.

Hi sunt, Magni Gregorij Sacramentarius & Antiphonarius, atque Hieronymi Lectionarius, quem Comitem inscripsit. Quos in divinis officiis constituendis sibi ob oculos semper posuit, & sicut ad cynosuram nautæ, ita ad hos semper sibi respiciendum esse putavit. Eos, cum ad Ecclesiastica officia rectè constituenda plurimum obtineant momenti, nos propediem in lucem proferemus, & Deo approbante, cum omnibus communicabimus. E quibus, mea quidem sententia, rectius pristinæ integritati omnia restitui possint, quam E è Missalibus aut Breviariis, quæ hodie circumferuntur: quæ quanquam Ordinis Romani nunc novi, nunc antiqui præ se titulum ferant, non per omnia tamen cum illo consentire, auctores citati, ac noster hic manifestum faciunt. Exemplis, quod dico, comprobari poterat, tum de Evangelio ad Dominicam Adventûs primam, ac Dominicarum vagantium intercalatione post Pentecosten, tum de observatâ ad amussim Evangeliorum cum Orationibus concordiâ, quam præscripsit Divus Gregorius.

Verum hoc loco iis supersedendum putavi, ne cuiquam prolixitate nimiâ molestus sim, aéve F Censoris mihi munus arrogare videar. Si quis eius rei sit curiosior, consulat vicesimum unum, tricesimum primum, quadragesimum primum, ac postrema duo Micrologi capita. Hoc unum dicere non verebor, minus novitatis ortum iri in cæteris per orbem Ecclesiis, si ritum illum veterem Romanum sequantur Patres, quam si recentiorem hunc nullâ sui parte immutatum retineant. Ad illum enim quam proximè accedunt omnes pene totius orbis Romanæ Ecclesiæ, ac nostra quoque Brugensis, nunc Cathedralis, iam inde vero ab annis septingentis Canonicorum collegio insignis.

Hunc vero non multis ab hinc sæculis, siqua historiæ habenda fides, è Sacello Pontificio mutuati sunt patres instituti Franciscani, ac postmodum soli fere Romani in usum receperunt. Testatum id G reliquit ante annos prope ducentos circa annum Domini M. CCC. LXXX. Radulphus de Rivo Tungrensis Decanus, in libro (quem penes me manuscriptum habeo) de Canonum observantiâ. Apud illum Propositionis vicesimæ secundæ hic est titulus: Ordo sanctæ Romanæ Ecclesiæ, non ex usu Fratrum Minorum, sed ex sacris Canonibus, scripturis authenticis, libris antiquis, generalique & proportionali locorum consuetudine, colligatur. Quod cum multis argumentis è re ipsa petitis, collatione rituum inter se factâ, sparsim toto opere asseruisset: hoc loco idipsum duplici ratione historicâ latè deducit, nos verò in summam contraximus. Harum prior, quod ipse Romæ didicisses, in Sacello Pontificio apud Lateranum, non tam plenè solere fieri officia Ecclesiastica, atque in aliis Collegiatis urbis Ecclesiis, immo id Capel- H lare officium (ita vocat) brevius fieri consuetum, ac sæpius à Pontificibus variatum, atque id esse, quod Fratres Minores observandum susceperunt, quippe cuius Ordinarium ipse Romæ viderit à tempore Innocentij Papæ collectum.

Altera, quod Nicolaus Papa tertius sub annum Domini M. CC. LXXVII. remotis à reliquis quoque urbis Ecclesiis libris antiquioribus, Breviaria ac libros Missales Ordinis Fratrum Minorum in usum introduxerit, ac per omnes urbis Ecclesias observari mandaverit, usque adeo, ut atate suâ Romæ libros omnes Radulphus novos repererit. Sed hæc extra scopum: illud verò ad institutum nostrum propiùs pertinet, quod habet ille. Aliæ autem mansiones, inquit, urbis Romanæ libros & officia sua habẽt è directo ab ipsis Ecclesiis Romanis

&

A *& non à Capella Papæ, sicut ex libris & tractatibus Amalarij, Walafridi, Micrologi, Gemmæ, & cæterorum de officio diuino scribentium, colligitur euidenter.*

Quæ verba eo libentius huc adduximus, quod Micrologi nostri argumentum paucis explicent, quem tanti fecit ille, vt præ reliquis, eius potissimum auctoritate nitatur, ac integras aliquando paginas in suum opus ex illo transcripsit: unde quædam etiam loca restituimus, ut hinc etiam innotescat, non à me primum, sed iam olim ab illo in pretio habitum Micrologum, nec mirum cuiquam videatur, quod sine auctoris nomine emittere illum in lucem non sim veritus, quippe quod
B *etiam id ætatis ignoratum sit à viro antiquitatis ipsius perscrutatore vigilantissimo.*

Ego vero, (vt ad illum nostra redeat oratio) quisquis tandem huius libri sit auctor, humilitatis ergo prætermisisse suum nomen arbitror, vti ab alijs multis factum reperimus. Nam quod quidam Bernoldo Constantiensi ascribant, ex conjectura est, eo quod Romanum Ordinem ab illo descriptum testetur Trithemius: nec temporis ratio satis conuenit. Ab alijs Ioannis Micrologus inscribitur, sed quis ille Ioannes fuerit, nescio. Vixisse autem constat Auctorem ætate Gregorij Septimi Pontificis, quem Romanæ sedi suo tempore præsedisse non obscure subindicat, quanquam iam defunctum, cum hæc scriberet, familiarem quoque fuisse se significat Anselmo Lucensi qui
C *fuit Gregorij Septimi cooperator indefessus, quorum vterque floruit, atque adeo & auctor noster, circa annum Domini millesimum octogesimum, ante annos prope quingentos: Qua ætate cum obseruata adhuc fuerit quibusdam in locis communio Eucharistiæ sub vtraque specie, non est quod miretur quisquam, si quid alicubi in Micrologo scriptum repereris de eius generis communione. Quanquam tamen satis colligi detur ex capite decimoseptimo, iam tum vsitatam fuisse Communionem infirmorum sub alterâ, panis nempe specie dumtaxat. Verum de his alias fortasse latiùs, uti etiam de Missis tum publicis tum priuatis, quas vtrasque agnoscit non uno in loco Micrologus.*

Quidquid præterea ille continet animaduersione dignum, ad marginem adnotatum reperies. Cæterum si quis me actum agere dicat in publi-
D *cando Micrologo, quem iam pridem viderit ab alijs editum; hoc illi respondeo, non nisi mera illa esse fragmenta, hunc vero nostrum 40. capitibus auctiorem: illa de Missa ritè celebrandâ duntaxat, nostrum de cæteris quoque totius anni officiis pertractare. Quare cum tibi, Lector, satisfactum abundè existimem, ne præfationis modum excedere videar, vela orationis contraham: tu quidquid, id est, æqui, quæso, boníque consulas. Certè si placere intellexero, etiam alios aliquos einsdem argumenti libellos non visos hactenus, propediem in lucem proferre est animus. Tu intereavale ac fruere.*

Ex Bellarmino, de Scriptor.

Micrologus, quem aliqui Ioannem Micrologum nominant, scripsit *librum de Ecclesiasticis obseruationibus*, qui extat cum aliis similibus Coloniæ, & Romæ excusis: vixit autem tempore Gregorij VII & Anselmi Episcopi Lucensis: nam cap. 17. sui operis dicit, Anselmum Lucensem Episcopum obseruasse in Missa celebrandâ ritum quendam Gregorij VII. & sibi atque aliis obseruandum commendasse, & cap. 14. dicit, suo tempore Gregorium VII. in Sede Apostolicâ sedisse.

Ex Magistro Sacri Palatij.

NOnnulli putant auctorem huius libri fuisse Guidonem Aretinum monachum S. Benedicti insignem musicum, qui notas illas musicas, ut, re, mi, fa, sol, la. Primus excogitavit, & librum de musicâ Micrologum nuncupatum ediderit, ad cuius finem ita peroravit, *explicit Micrologus Guidonis, suæ ætatis anno trigesimo quarto, Ioanne vigesimo Romanam gubernante Ecclesiam.* Hæc ille, de quo plura tomo 11. Annal. anno Domini 1022. & in apparatu sacro Posseuini; at cum scriptor huius Micrologi de obseruationibus Ecclesiasticis cap. 14. 17. 24. 25. 43. diserte asserat, se post tempora Sancti Gregorij septimi Romani Pontificis hunc commentarium elucubrasse, equidem Guido ille Aretinus, qui tempore Ioannis vigesimi, qui Benedicto octavo successit, trigesimum quartum agebat annum, si huius libri est auctor, oportuit ipsum plus quam nonagenarium hoc opus scripsisse: nam Ioannes vigesimus obiit anno Domini 1035. Sanctus Gregorius autem septimus 1085. secundum veriorem Annalium Chronologiam. Illud autem extra controversiam est, librum illum Micrologum ab Guidone de musica conscriptum ad Thedalebum Episcopum Aretinum longè diversum esse ab isto, quod hic ponitur, Micrologo. Cæterùm auctorem huius Micrologi tempore Sancti Gregorij septimi vixisse, idem capit. 14. affirmat his verbis: *Nam & illi Sedi Apostolicæ nostro tempore talem Gubernatorem, reverendæ inquam memoriæ Gregorium Papam imposuit, &c.*

Ex P. Theophilo Raynaudo S. I. in Erotematis de bonis & malis libris.

BERNONI Abbati Augiensi suppositus est liber *Micrologus*, is enim est libri titulus, non autem ut aliqui commenti sunt, cognomentum authoris, quem fingunt vocatum *Ioannem Micrologum*, eius ergo libri authorem, Claudius Expensus tractatu de missa publicâ & privatâ, qui habetur in calce operis ab eo conscripti de adoratione Eucharistiæ, ait fuisse Bernonem Augiensem, sub cuius nomine eum librum prodiisse ait Parisiis anno 1518. titulo libri, *de officio Missæ*, quem inter Bernonis opera numerat Trithemius. Non potest tamen verisimiliter Bernoni tribui Micrologus. Quandoquidem Berno libro de rebus ad Missæ officium pertinentibus, testatur se interfuisse coronationi Henrici primi per Benedictum octavum anno 1014. author autem Micrologi cap. 34. testatur se scribere post obitum Gregorij septimi, qui excessit è vivis anno 1085. atque ita oporteret fateri, Bernonem plus quam decrepitum, scriptioni Micrologi dedisse operam. Est qui scribat, authorem Micrologi fuisse Guidonem Abbatem S. Crucis Avellani, prope Aretium, qui cantum figuratum, & solemnes illas notas vt, re, mi, fa, sol, la, excogitavit. Nam Domnizo Presbyter, carmine de gestis Comitissæ Macthildis, agens de Thebaldo Aretino Episcopo sic canit,

A *Micrologum librum sibi dictat Guido, peritus Musicus & Monachus, necnon Eremita beandus.*

Hic tamen Micrologus longè diversus est ab eo opere *de Ecclesiasticis observationibus*, aut, *Officio Missæ*; Nam Cardinalis Baronius anno 1022. recitans præfationem eius ad prædictum Thebaldum, monstrat fuisse librum de musica, qui ibidem scriptus refertur anno ætatis Guidonis 34. sub Ioanne Romano Pontifice, nempe Ioanne XX. qui est sublatus è vivis anno 1033. Ex qua temporum collatione in idem prope incommodum revolvimur, in quod se conieciſſe vidimus, qui id opus adscripsere Bernoni. Nam si Guido tempore Ioannis XX. agebat ætatis annum 34. ut testatur vetus Codex Micrologi musici, (cui id opus adscriptum esse refert Baronius) author autem Micrologi de Ecclesiasticis observationibus, scripsit post Gregorium septimum, quem notavimus obiisse anno B 1085. necesse erit Guidonem plusquam nonagenarium scripsisse hoc opus de Ecclesiasticis observationibus. An in Guidone præcessit, quod sæculum proximum in Martino Navarro expertum est, ut scilicet 90. eoque amplius annos natus, adhuc scriptioni daret operam?

MICROLOGVS DE ECCLESIASTICIS observationibus.

Capita sequentis Opusculi.

CAPVT PRIMVM.

De introitu Missæ.

PResbyter, cum se parat ad Missam, iuxta Romanam consuetudinem decantat hos psalmos: *Quam dilecta, Benedixisti, Inclina Domine, Credidi*: Deinde, *ἀνέω ἐλέησον*, *Pater noster*, cum precibus & oratione pro peccatis: videlicet ut intus & exteriùs summo sacerdoti placere valeat: quem cum sacratissima oblatione sibi, omnibúsque Christianis placare desiderat. Paratus autem intrat ad altare, & facit confessionem: quia scriptum est, *Sapiens accusator est sui in principio*: & antiquæ legis sacerdotes primum pro se, deinde pro populo offerre soliti erant. Interim cantatur Antiphona ad Introitum, quæ ab Introitu sacerdotis ad altare hoc nomen meruit habere. Hanc ad Introitum dici, Cœlestinus Papa in ordine quadragesimus quintus instituit, cum usque ad eius tempora ante sacrificium Epistola tantum Pauli & Evangelium legeretur. Litaniæ quæ sequuntur, propter ipsa Græca verba, à Græcis assumptæ creduntur.

Psal. 83. 16. 85. 115.

G Cõfessio sacerdotis cur astituta. *Prov. 12. Hebr. 7. Levit. 16.* Sic etiã Amalarius è gestha lõnificã c. 5. lib. 3.

CAPVT II.

De Gloria in Excelsis, & Dominus vobiscum.

IN omni festo quod plenum habet officium, excepto intra Adventum Domini, & septuagesimam, & natali Innocentium, tam presbyter quam Episcopus, *Gloria in excelsis*, dicunt. Quod etiam nunquam post Meridiem legitur dicendum, nisi in Cœna Domini, ubi Chrisma conficitur, & in sabbatis Paschæ & Pentecostes. Deinde versus ad populum, dicit: *Dominus vobiscum*. Respondetur: *Et cum spiritu tuo*. Notandum ex his verbis, Plures esse debere respondentes, & unum salutantem. Sicut enim ineptè responderetur, *Et cum spiritu vestro*, cum unus esset salutator: sic incongruè salutatur per, *Dominus vobiscum*, cum unus tantum assit vel nullus. Hoc utique beatissimi patres Apostolici, Anacletus, qui à beato Petro quintus, & Soter in ordine decimustertius decretis suis firmavere, ut sacerdos semper vel tertius esset, dum Missas celebraret. Zacharias autem vir Apostolicus, in ordine nonagesimustertius, constituit, ne sacerdotes ad celebranda Missarum solennia cum baculo intrarent, nec velato capite altari adstarent. Sancti quoque patres in Aurelianensi Concilio, capitulo tertio, constituerunt, ut ad salutationes sacerdotis non solum clerici, & Deo dicati, sed & omnis plebs consona voce respondeat.

H Vide hoc de re plura supra apud Damianum in tractatu scripto, Dominus vobiscum. Tertius saltẽ esse debet sacerdos Missas celebrãs. Velato capite sacerdos altari adstare, prohibetur.

CAPVT

A

CAPVT III.

De prima in Miſſa oratione.

Sequitur oratio, quam Collectam dicunt, eo quod ſacerdos, qui legatione fungitur pro populo ad Dominum, omnium petitiones ea oratione colligat atque concludat. Illæ tamen orationes ſpecialius Collectæ vocari videntur, quæ apud Romanos ſuper collectam populi fiunt, dum colligitur, ut procedat de una Eccleſia in aliam, ad ſtationem faciendam: ut in capite Ieiunij illa oratio, *Concede quæſumus*, apud ſanctam Anaſtaſiam ſupra Collectam populi dicitur, qui ſtationem apud ſanctam Sabinam celebraturus eſt.

Cur Collecta quæ pro populo dicitur.

B

CAPVT IV.

De numero orationum in Miſſa.

Ivxta Romanum Ordinem non niſi unam orationem ante lectionem dicere debemus, ut Amalarius in prologo libri ſui de officiis, ſe ab ipſis Romanis didiciſſe fatetur. Hoc utique & inſtitutio officiorum exigere videtur, ut, ſicut ad unam Miſſam, unam tantum lectionem & Evangelium legimus, item unum introitum, immo unum officium cantamus, nihilominus & unam orationem dicamus. Sed hoc iam pauci obſervant; immo plures in tantum orationes multiplicant, ut auditores ſuos ſibi ingratos efficiant, & populum Dei potiùs avertant, quam ad ſacrificandum illiciant. Hoc autem ſapientioribus multum diſplicet, qui etſi aliquando antiquam traditionem, aliis morigerando, excedunt: in ipſa tamen ſuâ exceſſione modum tenere, & aliquam rationem attendere ſolent. Vnde & in Miſſa, etſi non ſemper una tantum oratione ſint contenti, ſeptenarium tamen numerum in orationibus raro excedunt: quem utique numerum nec Dominica oratio excedit, quæ cum ſolis ſeptem petitionibus omnia corpori & animæ neceſſaria comprehendit. Hoc autem ſummopere ſolent obſervare, ut in Miſſa aut unam, aut tres, aut quinque, aut ſeptem orationes dicant. Vnam propter Romanam traditionem: Tres, quia Dominus ante paſſionem ſuam ter oraſſe legitur: Quinque, propter quinquepartitam eius paſſionem, in cuius commemoratione hæc eadem celebramus officia: Septem, quia & Apoſtoli ſeptem petitiones Dominicæ orationis ad conſecrationem eorundem myſteriorum frequentaſſe leguntur. In nativitate tamen Domini ad Miſſam in mane, Romani orationem de ſancta Anaſtaſia adiiciunt: quia ſtationem in Eccleſia eiuſdem martyris ad eandem Miſſam agunt. Et nos quoque illos in illa adiectione imitamur, licet non eandem adiectionis occaſionem habere videamur. Rariſſimè quidem diligentiores officiorum obſervatores, alios in orationibus numeros admittunt, niſi & quos nos ſupra competenti myſterio inſignitos notavimus.

C — Septenarium numerum raro orationes excedit.

D

CAPVT V.

De Authenticis orationibus.

Alias quoque orationes, niſi antiquas & Gregorianas, difficillimè admittunt, utpote quas in antiquioribus & emendatioribus Sacramentariis maxime inveniunt. Nam octavum Africanæ provinciæ Concilium (cui Sanctus Auguſtinus, immo ducenti & quatuordecim Sancti Patres interfuerunt) capitulo duodecimo ita conſtituit: *Nulla preces, vel orationes, vel Miſſa, vel præfationes, vel commendationes, vel manûs impoſitiones dicantur, niſi in Concilio fuerint probatæ.* Item tertium Carthaginenſe Concilium (cui item Sanctus Auguſtinus interfuit) capitulo vigeſimotertio: *Nullus ad altare Patrem pro Filio, vel Filium pro patre nominet, ſed ſemper orationem ad Patrem dirigat, nec qualibet oratione utatur niſi probatâ.* Oratio quidem ad Patrem dirigenda eſt, iuxta Domini præceptum, qui diſcipulos ſuos ita inſtruxit, cum eum interrogarent, qualiter orare deberent: *Cum ſtabitis*, inquit, *ad orandum, dicite: Pater noſter, qui es in cœlis, &c.*

Vt approbatæ ſint orationes. Concil. Milevitanum Can. 12.

E — 3. Carth. Concil. Can. 23. Ad Patrẽ ſemper dirigẽda oratio. Marc. 11. Mat. 6.

CAPVT VI.

De concluſione orationum.

Concludimus autem orationes, *Per Dominum noſtrum*, videlicet Patrem orando per Filium, iuxta eiuſdem Filij præceptum, qui in Evangelio ita præcepit: *Vſque modo non petiſtis quicquam Patrem in nomine meo: petite, & accipietis.* Qui & effectum noſtris petitionibus, ſi per ipſum rogaverimus, promittit, dicens: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Vnde & orationes plurimas, vel pene omnes, ſatis congruè ita concludimus: *Per Dominum noſtrum.* Pauciſſimæ * enim inveniuntur, quæ pro competentiâ ſenſûs, aliâ concluſione finiantur. Vt illa, *Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut natus ſalvator*, &c. *Qui tecum vivit & regnat.* Item & illa: *Deus, cuius filius in alta cœlorum*, &c. *Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui tecum vivit*, &c. In qualibet autem concluſione commemorationem Sanctæ Trinitatis obſervare ſolemus, iuxta quod in emendatioribus Sacramentariis expreſſum invenimus. [Adeo enim Sancti Patres invocationem Sanctæ Trinitatis in orationibus ſive benedictionibus obſervabant, ut nec in ipſis ſacramentis aliquid ratum cenſerent, quorum confectioni invocatio Sanctæ Trinitatis defuiſſet, ut in ſacris Paulianiſtarum, quorum & baptiſmum ſive ordinationes in converſis iteranda cenſuerunt.] Sciendum autem, in illa uſitatâ concluſione, *Per Dominum noſtrum*, quod Romanus ordo & antiquiſſima exemplaria nomen Dei interponunt, ubi dicitur: *Qui tecum vivit & regnat Deus.* quod tamen moderni poſt nomen Spiritus ſancti ſubiungere ſolent. Et hæc utique conſuetudo etiam apud Romanos uſquequaque adeo invaluit, ut antiquæ traditionis executio iam non ſine ſcandalo locum habere poſſit: quod iuxta Apoſtolum & Evangelium in tam levibus cauſis ſummo ſtudio devitare debemus.

F — Ioan. 16. Ioan. 18. * autem. In qualibet concluſione obſervãda S. Trinitatis commemoratio. Concil. Nicen. Can. 19. & 6. Synodus Can. 97. Non omittẽdũ nomen, Deus.

G — Rom. 14. Mat. 8.

CAPVT VII.

Iterum de concluſione ſeu confirmatione orationum.

Secundum Romanam auctoritatem, nullam orationem, *Per eum qui venturus eſt*, concludimus, niſi ſit exorciſmus, in quo diabolus per divinum iudicium, ut à creatura Dei diſcedat, exorcizatur, ſive adiuratur. Nam in aliis orationibus, quas, *Per Dominum noſtrum*, concludimus, patrem, ut nobis per amorem filij ſui ſubveniat, imploramus. In exorciſmo autem diabolum per Dei iudicium, ut aufugiat, increpamus. Omnes autem adſtantes, iuxta antiquam Sanctorum Patrum traditionem, in ſignum confirmationis *Amen*, ſubiungere debent, ut communem orationem, quam ſacerdos pro omnibus Domino libavit, confirment. Vnde & in ipſa ſecretâ, *Per omnia ſæcula ſæculorum*, altius dicit, ut præmiſſa oratio, per *Amen* à populo poſſit confirmari.

***

Concluſio in exorciſmis.

H — Amen, orationũ confirmatio.

A

Capvt VIII.

De Epistola, ad Missam legenda.

Solis Sobdiaconibus inter inferiores gradur Romana auctoritas concedit, ut sacris vestibus indoti, Epistolam legant ad Missam. Quod tamen non ex eorum consecratione, sed potius ex Ecclesiastica concessione meruerunt obtinere. Vnde & rationabilius esse videtur, ut ipse Sacerdor sibi Epistolam legar, quam ut aliquem nondum ordinatum, sibi adsciscat ad legendum. Nam beatus Hormisda à sancto Petro quinquagesimus † tertius Papa, capitulo tertio, illum deponit, quicunque non ordinatus, officium ordinati usurpaverit, quod utique non ex consecratione, nec ea Ecclesiastica consuetudine unqoam promeruit. Canones etiam, alios nisi ad hoc ordinatos in Ecclesis legere, vel in † publico psallere, vel *Alleluia* dicere, vel alicubi exorcizare, in diversis Conciliis prohibuere. Nihil autem obstat, quin Sacerdos in Missa inferiorum ordinum officia, si necesse fuerit, expleat: quem & omnes inferiores obtinere constat, qui & in Missa sacris vestibus est indutus, sine quibus ad altare iuxta Romanum ministrare non debemus. Vnde & congruentiùs ipse sibi officium Subdiaconi repræsentat, quam quemlibet inordinatum, nec sacris vestibus indutum, hoc explere permittat.

† quartus.

† pulpito.

B

Capvt IX.

De Evangelio in qua parte sit legendum.

Diaconi quoque officium in Missa nihilominus & ipse convenientiùs caplebit, quam alius qui sacris vestibus non fuerit indutus. Nam etiam Diaconus tempore oblationis & lectionis, Alba indutus esse debet, iuxta quadragesimum primum Carthaginensis Concilij quarti capitulum, cui sanctus Augustinus, imò ducenti septem & decem sancti Patres interfuerunt. Iuxta decretum Anastasij Papæ, non sedetur † donec Evangelium legitur: quæ reverentia, ut aiunt, & Apostolicæ lectioni apud Græcos exhibetur. Diaconus cum legit Evangelium, iuxta Romanum ordinem in ambone vertitur ad Meridiem, ubi & masculi conveniunt: non ad Aquilonem, ubi fœminæ consistunt. Ad principalem enim sexum merito vertitur, cui, ut Apostolus instituit, infirmior sexus domi instituendus committitur. Quod autem Presbyteri ad legendum Evangelium, non se ad Meridiem vertunt, hoc ideo inolevisse credimus, quia nec ordo illis injunxit, ut in ambonem ad legendum, sicut Diacones, ascenderent, ubi necessario ad masculos potius, quam ad fœminas, se vertere deberent. Nam iuxta Ecclesiasticam consuetudinem ad altare legunt, ubi nulla diversitas auditorum approximat, quæ legentes magis in hanc partem, quam in aliam, converti exigat. Nusquam ibi fœminæ, sed soli Religiosi ad dexteram & ad sinistram permittuntur stare. Ad sinistrum verò cornu altaris habent librum, cum legunt Evangelium, vel cum sacrificant: ut in dextra parte sint expeditiores ad suscipiendas oblationes, sive ad conficienda altaris sacramenta. Vnde ad Aquilonem magis, quam ad Meridiem versi videntur, cum annuntiant Evangelium. Hinc * itaque illa usurpatio emersisse videtur, ut etiam Diacones in ambone, contra Romanum ordinem, se vertant ad Aquilonem, potiúsque se ad partem fœminarum, quam masculorum, vertere non vereantur. Quæ usurpatio iam adeo inolevit, ut apud plerosque quasi pro ordine teneatur. Sed quia certissimè contra ordinem est & inhonesta, à diligentioribus ordinis servatoribus meritò refutatur. Ordo quoque præcipit, ut, qui lecturus est Evangelium, crucem sibi faciat in fronte, videlicet iuxta Augustinum, in sede ipsius verecundiæ, ut eliminatâ omni verecundiâ, cum Apostolo non erubescat de Evangelio Christi qui se in fine de illo erubiturum prædixit, quicunque eum hic, vel verba eius coram hominibus erubuerit. Faciat etiam sibi in pectore crucem, ut aliqua suggestio diaboli eum impediat, qui puro corde Evangelium Dei annuntiare valeat. Presbyter cum legit Evangelium, Romano more planetam in dexterum levat humerum, ut expeditum se terrenis affectibus esse demonstret ad evangelizandum. Eadem quoque ratione & Diaconi, cum legunt, planetam tantum in sinistro humero ponere videntur. Item Romanus Ordo præcipit, ut incensum semper præcedat Evangelium, cum ad altare sive in ambonem portatur: non autem concedit, ut oblatio in altari thurificetur; quod & Amalarius in prologo libri sui de officiis, Romanus devitare fatetur: quamvis modo à pluribus, imò pene ab omnibus, usurpetur.

C

† dum, Græci ad epistolæ lectionē non sedent.

Ambonē vocat quod pulpitum prius dixit.

D

Fœminæ ad altare stare non permittuntur.

* utique.

E

In fronte cur fiat crucis signum, & cur in pectore. Rom. 1.

F

Capvt X.

De oblatione in altari componendâ.

Finito Evangelio, statim est offerendum, dum & offerenda canitur, quæ nomen de oblatione mutuavit. Nam ordine præpostero deinceps offertur, postquam in altari propositâ oblatione Sacerdos populum hortatur ad orandum. Sanctus Alexander Papa, quintus a beato Petro, constituit, ut panis tantùm & vinum aqua mixtum in sacrificio Domini offeratur, quia de latere Domini sanguis & aqua simul * profluxerunt; unde sanctus Cyprianus: In calice, inquit, Dominico aqua vino deesse non debet, ne populus, qui per aquam iuxta Apocalypsin significatur, à Christo separatus esse videatur. Ita autem iuxta Romanum ordinem in altari componenda sunt, ut oblatâ in corporali positâ, calix ad dextrum latus oblatæ ponatur, quasi sanguinem Domini suscepturus, quem de latere Dominico profluxisse credimus. Nam oblatam sive panem in verum Christi corpus, sicut & vinum in sanguinem Dominicum converti non dubitamus. Solent autem Presbyteri, dum sine ministris offerunt, depositâ oblatâ in altari patenam abscondere sub corporali, & fortasse ideo, quia iuxta ordinem Acolytus debet eam tenere involutam inter sacrificandum. Cooperitur quoque calix, non tam causa mysterij quam cautelæ, usque dum finito Canone dicitur: *Oremus, Præceptis salutaribus moniti.* Discooperitur tamen, dum legitur, ubi dicitur. *Accipiens & hunc præclarum calicem.* Et ibi: *Per ipsum, & cum ipso*, & hoc fortasse ideo, quia cautiùs levatur sine operimento, quam coopertus.

* profluxerunt. Cyprian. ep. 63. ad Cæcil. de sacram. calicis. Oblatam vocat hostiam. Oblatæ hīc ministra.

G

H

Capvt XI.

Quid super oblatione sit dicendum.

Compositâ autem oblatione in altari, dicit Sacerdos hanc orationem iuxta Gallicanum ordinem: *Veni sanctificator omnipotens, æterne Deus, benedic hoc sacrificium tuo nomini præparatum. Per Christum Dominum nostrum.* Deinde ante altare inclinatus, dicat hanc orationem, non ex aliquo ordine, sed ex Ecclesiastica consuetudine: *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, &c.* Quæ utique oratio à diligentioribus ordinis & comprobatæ consuetudinis observatoribus, tam pro defunctis, quam pro vivis sola frequentatur: qui etsi multoties plurimorum consuetudini cedant, superflua tamen summopere devitant. Romanus tamen Ordo nullam orationem instituit post offerendam ante secretam. Erectus autem Presbyter,

Præfatio Canonis.

populum

A Mysteriis Missæ angeli interesse creduntur. Hymnus Angelorum Sanctus. Sanctus. *Missam.

populum hortatur ad orandum, & ipse post finitam secretam, præfationem orditur in Canonem: in qua supernorum civium ordines merito connumerantur, quia eisdem mysteriis quæ ibi conficiuntur, iuxta attestationem sanctorum Patrum, interesse creduntur. Vnde & angelicus hymnus, id est, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, subsequitur, quem beatus Sixtus Papa in ordine octavus constituit, ut ante sacrificium diceretur. Hunc autem hymnum & ipse sacerdos cum aliis necessariò debet dicere, ne seipsum suâ prece videatur privasse, qui & suas voces & aliorum angelicis laudibus admitti deprecatus est in præfatione. Iuxta Romanum ordinem nunquam * Missam absque lumine celebramus: non utique ad depellendas tenebras, cum sit clara dies: sed potius in typum illius luminis, cuius sacramenta ibi conficimus, sine quo & in meridie palpabimus ut in nocte.

B

Capvt XII.

Quid auctum sit in Canone.

ORationem, quam Canonem, sive Actionem, propter regularem sacramentorum confectionem, Romano more appellamus, quis composuerit, apertè non legimus: nisi quod S. Gregorius quendam Scholasticum illam composuisse testatur. Multa tamen eidem Canoni à sanctis patribus inserta legimus: sicut à sancto Alexandrino Papâ in ordine quinto, ipsius Dominicæ passionis commemoratio interseri iubetur. Item sanctus Gregorius Papa primus. *Diésque nostros in tua pace disponas*: usque *Per Christum Dominum nostrum*: Et magnus Leo, *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*, in Canone addiderunt. * Item quoque Gregorius Dominicam orationem se Canoni adiecisse in registro suo asserit, ubi quibusdam inde murmurantibus, humili responsione satisfecit: inconveniens esse asserens, ut oratio quam Scholasticus composuit, super oblationem diceretur, & illa prætermitteretur, quam ipsi Apostoli ex institutione Dominicâ in confectione eorundem sacramentorum usitasse * crederentur. In solemnis quoque festivitatibus quædam Canoni in illo loco, ubi dicitur, *Communicantes*, vel, *Hanc igitur oblationem*, interponimus, quæ tamen ex antiquioribus & emendatioribus sacramentariis interponenda esse didicimus, videlicet in Nativitate Domini, in Epiphania, in Cœna, in Pascha, in Ascensione, in Pentecoste. [Huiusmodi interpositiones efficiunt, ut illud, Communicantes, apertiùs per se, quasi in Catholicâ communione manentes, intelligamus, quàm ad subsequentium sanctorum communionem ipsum referamus.] Nimis autem temerarium videtur, ut nos aliqua Canoni ad nostrum libitum adiiciamus, nisi quæ à Sanctis patribus adiecta, vel adiicienda esse cognovimus; præcipuè cum inter ipsos sanctos patres nulli aliquid adiecisse legantur, nisi qui & Apostolicâ auctoritate præditi, hoc facere potuerunt. Optimum ergo videtur, ut in hac causa terminos nostrorum patrum non excedamus, nec nos Apostolicæ auctoritatis reos efficiamus, si, quod soli Apostolicæ auctoritati * competit, Canonem nostris interpositionibus augmentare præsumamus.

D Greg. regist. lib. 7 ep. 63 ad Ioannē Syracusanum. * Idem.

* credebantur.

C

D

* convenit.

Capvt XIII.

Quid superfluum sit in Canone.

INterponere enim solent quidam ibi suas orationes ubi dicitur: *Memento Domine famulorum famularúmque*, & ante commemorationem defunctorum. Item post nomen Domini Papæ sive proprij episcopi, adiiciunt: *Et omnibus orthodoxis atque Catholica & Apostolica fidei cultoribus*, sed superfluo. Nam ordo statim in sequenti versu, ubi dicitur: *Memento Domine famulorum famularúmque*, nobis concedit, ut omnium vivorum commemoremus, quoscunque voluerimus. Item post pauca addunt: *Pro quibus tibi offerimus*, cum in antiquioribus & veracioribus sacramentariis, non nisi sub tertia persona offerentes * ibi reperiantur. Item ibi: *Vnde & memores Domine nos tui servi*, Nativitatem Domini commemorant, cum iuxta Apostolum in eiusmodi sacrificio, non Nativitatem Domini, sed mortem eius annuntiare debeamus. Vnde & Sanctus Ambrosius, in libris Sacramentorum: Quotiescunque, inquit, offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, ascensio Domini significatur. Quod & Sanctus Augustinus sua attestatione confirmat. Quapropter & nos ibi tantum * passionis, resurrectionis & ascensionis commemoramus. Hæc ergo omnia quæ nos adiectiva notavimus, ille proculdubio superflua & eradenda iudicabit, quicunque antiquiores & emendatiores sacramentarios diligenter inspexerit. Sciendum est autem, quod Romana auctoritas nomina vivorum fidelium internumerare permittit, ubi dicitur: *Memento Domine famulorum famularumque*. similiter & defunctorum, ubi iterum dicitur: *Memento etiam* & eorum nomina. Aliorum vero sanctorum nomina annumerare non debemus, nisi quos in Canone invenimus antiquitus descriptos, excepto post, Pater noster, in illa oratione, ubi iuxta ordinem * quantumlibet sanctorum nomina internumerare possumus. Et hoc etiam notandum, quod personæ prælatorum & subiectorum in Canone distinguuntur. Vbi enim Domini Apostolici sive Episcopi nostri nomen assumimus, de prælatis agere videmur. De subiectis vero statim in sequenti versu, ubi dicimus: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum*. Item illud, *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ*, de prælatis sonat. Nam quod sequitur, *Sed & cuncta familia tua*, subiectos videtur intimare. Item, *Unde & memores Domine nos servi tui*, de prælatis: & illud, *Sed & plebs tua sancta*, de subiectis agere non dubitatur.

E

* scripti.

Mors Christi non nativitas, in hoc sacrificio commemoratur.

* passionem, resurrectionē & ascensionem.

* quolibet.

F

Capvt XIV.

*De signis * super oblationem.*

DE signis autem quæ super oblationem à diversis diverse fiunt, nos ab Apostolica sede potissimum formam sumere decrevimus, unde totius Christianæ religionis ordinem & originem suscepimus: Nam & illi sedi nostro tempore talem Deus gubernatorem, reverendæ inquam memoriæ Gregorium Papam imposuit, qui sub decem suis antecessoribus, à puero Romæ nutritus & eruditus, omnes Apostolicas traditiones diligentissimè investigavit, & investigatas studiosissimè in actum referre curavit. Hunc ergo doctorem religione & auctoritate præcipuum, immo Apostolicam traditionem per ipsum in consecrandis mysteriis potissimum imitari decrevimus. Sicut nos ipsi per ipsum & per Episcopos qui eum imitati sunt, accepimus, imparem numerum semper in dispensatione signorum super oblationem observamus, videlicet unam crucem, vel tres, vel quinque faciendo, & hoc utique non sine certi causa mysterij. Nam in una & tribus, unum & trinum Deum intimamus. In quinque autem, quinquepartitam Domini passionem significamus. Meritò autem impar numerus in Ecclesiasticis officiis frequentatur, quia nunquam in duo æqualia unitate impediente dividitur, sicut unitas sanctæ Ecclesiæ nullatenus, eam in duo secari patitur. In primis ubi dicitur, *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia*, tres tantum cruces super panem & vinum communiter facimus, nec unquam panem à calice separamus in consignatione, nisi ubi separatim nominantur in Canone. Ita autem illa communiter signamus, ut erecta pars crucis, tantum

G

* quæ super oblatam fiunt.

Gregor. Papa VII.

H Signorū impar numerus semper observandus.

A

super panem: transversa, autem, super calicem protendatur. Nam erecta pars crucis, corpus Dominicum sustinuit: transversa autem, ipsius brachia distendit. Vnde & calix congrue sub * brachio eius collocatur, quasi de latere Dominico sanguinem Domini suscepturus. Cum dicimus, *Hanc igitur oblationem*, usque ad altare inclinamur: ad exemplar Christi, qui se humiliavit pro nobis usque ad mortem crucis. Erecti autem cum dicimus, *Benedictam, ascriptam, ratam*, tres cruces super utrumque simul facimus. Non enim hic sola oblata signanda est, ut quidam faciunt, sed utrumque signatur in oblatione. Nam sequitur: *ut nobis fiat corpus & sanguis*, subauditur, hæc oblatio. Et hoc cum dicitur, quarta crux super panem, & quinta super calicem separatim imponitur. Congruè autem prius tres tantùm cruces super utrumque * fecimus, licet quinque voces ad signa facienda æquipollentes haberemus, id est, *Benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem*, videlicet ut quinarium numerum non excederemus, & quintam crucem super calicem quasi quinti vulneris indicem, unde sanguis profluxit, competenter faceremus.

* Brachio. Inclinatio usque ad altare.

* Facimus.

B

Capvt XV.

De acceptione oblationis in manus.

DEinde panis in manus accipitur, & antequam reponatur in altare, benedicitur. Item & calix elevatus, ante depositionem benedicitur. Nam & ipse Dominus in Evangelio utrumque legitur benedixisse antequam dimitteret è manibus. Accepta enim in manibus benedixit, postea discipulis dedit. Item, ubi dicitur: *Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam*, tres cruces super utrumque simul facimus: quia & utrumque simul in eisdem verbis intelligimus. Quartam autem crucem super panem, & quintam super calicem separatim insigimus, iterum sanguinem Dominicum de latere Dominico profluentem, designantes.

Mat. 26

Quinque cruces post cõsecrationem.

C

Capvt XVI.

De Commemoratione Dominicæ Passionis.

NOtandum autem, per totum Canonem Dominicæ Passionis commemorationem potissimum agitari, iuxta Domini præceptum in Evangelio *Hæc, inquit, quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis*, Et illud Apostoli: *Quotiescunque hoc sumpseritis, mortem Domini annunciabitis.* Vnde & ipse sacerdos per totum Canonem in expansione manuum, non tam mentis devotionem, quam Christi extensionem in cruce designat, iuxta illud: *Expandi manus meas totâ die.* Non ergo digiti sunt contrahendi semper, ut quidam præ nimia cautelâ faciunt. Male enim cauti sumus, si Christum imitari summopere non studemus. Congruum ergo est, ut manus expandamus infra Canonem, hoc tamen observato, ne quid digitis tangamus præter Domini corpus. Notandum quoque in ipso Canone quinquies, per Christum Dominum nostrum, haberi: & in ipsa quinaria conclusione non incongruè quinariam Domini vulnerationem intimari. Presbyter autem manus rarò remittere solet, nisi cum necessario propositam oblationem benedicere debet. Presbyter & humiliationem Domini usque ad crucem ut prædiximus, nobis indicat: cum se usque ad altare inclinat, dicendo *Hanc ergo oblationem.* Statim enim in sequentibus narratio de Dominica Passione ordinatur, cuius typus usque ad *Supplices te rogamus*, observatur. Ibi videlicet sacerdos se iuxta altare inclinans, Christum in Cruce inclinato capite spiritum tradidisse significat.

Mat. 26. Luca 22. 1 Cor. 11. Expãsio manuum quid significet. Esa. 65.

D

Capvt XVII.

De commemoratione mortuorum, & reliquis observantiis, usque in finem Canonis.

E

POst mortem Christi in cruce, commemoratio mortuorum subsequitur, quia nec aliorum † mortuorum commemoratio agenda est, nisi qui in Christi morte redempti sunt, & in Christo hanc vitam finierunt. Cum autem sacerdos vocem exaltat, dicens: *Nobis quoque peccatoribus*, Centurionem illum designat, qui visa morte Christi vocem exaltavit, dicendo, *Verè filius Dei erat iste.* Tres vero cruces super corpus & sanguinem communiter facit, cum dicit: *Sanctificas, vivificas, benedicis*: in honorem sanctæ Trinitatis. Postea cum corpore Dominico quatuor cruces super calicem facimus, dicendo: Per ipsum & cum ipso & in ipso, & quintam in latere calicis, videlicet iterum vulnus Domini lateris significando. Vnde & calicem ex eodem latere cum oblatâ tangimus iuxta Romanum Ordinem. Multi tamen tres tantum cruces super calicem, & duas in latere eius faciunt: sed videtur incongruum, cum Christus nullum vulnus in latere habuerit * nisi unum. Sed reverendæ memoriæ Gregorius Papa fecit, ut prædiximus, quod beatus Anselmus Lucensis Episcopus ita ab eo se didicisse testatus est, & hoc ita semper observavit, nobisque itidem observandum firmissimè inculcavit. Cum dicimus, *Per omnia secula seculorum*, Corpus cum Calice levamus, & statim in altari deposita cooperimus: Quia & Ioseph corpus Dominicum de cruce levavit, & in sepulchro depositum, lapide cooperuit. Hucusque calix pro cautela coopertus videbatur, deinceps autem magis pro mysterio cooperitur, quia sicut Christus tres dies in sepulchro fuit coopertus: ita & nos corpus Domini & calicem cooperimus, usquedum tres articulos orationis compleamus, quippe præfationem Dominicæ orationis, & ipsam Dominicam orationem, & illam quæ sequitur, quæ embolis Dominicæ orationis nuncupatur. Iuxta Romanum Ordinem cum dicitur, *Et ab omni perturbatione securi*, accipit archidiaconus à subdiacono patenam nudam, quam acolytus tenuit involutam, osculatam dat uni ex diaconibus tenendam, ad confractionem in ea faciendam. Vnde sacerdos sine ministro sacrificans ad eundem locum eam de subcorporali absconditam resumit, & osculatam in altari deponit, ut hostiam in ea confringat. Cum autem dicit, *per Dominum nostrum*, rumpit hostiam ex dextro latere iuxta Ordinem, ad designandam Dominici lateris percussionem. Deinde maiorem partem in duo confringit, ut tres portiones de corpore Dominico efficere possit. Nam unam in calicem, faciendo crucem, mittere debet, cum dicit: *Pax Domini sit semper vobiscum*, ad designandum corporis & animæ coniunctionem in resurrectione Christi. Alteram vero ipse presbyter necessario sumit, ante calicis participationem, iuxta Dominicam institutionem. Tertiam autem communicaturis sive infirmis necessario dimittit, nec hoc utique sine certa causa mysterij. Tripliciter enim corpus Domini intelligitur: unum quod resurrexit à mortuis, quod significat particula in sanguinem missa: Aliud, quod adhuc vivit in terra, significatum per particulam à sacerdote consumptam: Tertium, quod iam requiescit in Christo quod & à tertia particula in altari servatâ aptè signatur, quam viaticum morientium appellare solemus.

***

† Defunctorum.

Exaltatio vocis. Mat. 27

F

Quinque cruces cum corpore dominico.

* Præter. Anselmus Lucensis.

Cur calix operiatur.

G

Patenæ usus.

H

Hostiæ divisio in tres partes.

A

Capvt XVIII.

De panis fractione & communicatione.

POſt immiſſionem autem panis in calicem, iuxta Romanum Ordinem, dicit Sacerdos ſub ſilentio: *Fiat commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis Domini noſtri* Iesv-Christi. Beatus Innocentius Papa in ordine quadrageſimus quintus conſtituit, pacem dari poſt confectionem ſacramentorum. Cum pacem damus, dicere ſolemus: *Pax tecum.* Reſponſio: *Et cum ſpiritu tuo.* Congruè autem pax datur ante communionem, quia iudicium ſibi manducat & bibit, quicunque non prius fratri ſuo repacificatus, communicare præſumpſerit. Sergius Papa in ordine octogeſimus ſextus conſtituit, ut in tempore confractionis Dominici corporis, *Agnus Dei* à clero & populo decantetur. Videlicet ut ille nobis propitietur, cuius corpus ibi confringi videmus & credimus. Factâ autem confractione, debent omnes communicare, interim cum & Antiphona cantatur, quæ de communione nomen mutuavit, cui & Pſalmus ſubiungendus eſt cum *Gloria Patri*, ſi neceſſe fuerit. Sciendum autem, eandem Antiphonam ſemper eundem Pſalmum cum Introitu habere, ſi non habet proprium ex quo ſumpta videatur. Orationem quam inclinati dicimus, antequam communicemus, non ex ordine, ſed ex religioſorum traditione habemus, ſcilicet hanc: *Domine* Iesv-Christe, *qui ex voluntate Patris.* Item & illud: *Corpus & ſanguis Domini noſtri* Iesv-Christi, quod dicimus, cum aliis Euchariſtiam diſtribuimus. Sunt & aliæ multæ orationes, quas quidem ad pacem & communionem privatam frequentant: ſed diligentiores antiquiorum traditionum obſervatores, nos in huiuſmodi privatis orationibus brevitati ſtudere docuerunt, potiuſque publicis precibus in officio Miſſæ occupari voluerunt. Nam beatus Innocentius Papa, ſcribens ſancto Auguſtino & Aurelio Epiſcopis, aſſerit quod nos plus communibus & publicis, quam ſingularibus & privatis orationibus, proficere poterimus.

Sergius Papa Agnus Dei cantari inſtituit.

B

C

Capvt XIX.

De vitanda intinctione.

NOn eſt autem authenticum, quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo diſtribuunt. Nam Ordo Romanus contradicit, quia & in Paraſceve vinum non conſecratum, cum Dominica oratione & Dominici corporis immiſſione † jubet conſecrare, ut populus plenè poſſit communicare. Quod utique ſuperfluò præciperet, ſi intinctum Dominicum à priori die corpus ſervaretur, & ita intinctum populo ad communicandum ſufficere videretur. Iulius quoque Papa, in ordine trigeſimus ſextus, Epiſcopis Ægypti ſcribens, huiuſmodi intinctionem penitus prohibet, & ſeorſum panem, & ſeorſum calicem, iuxta Dominicam inſtitutionem, ſumenda docet. Vnde & beatus † Gelaſius Papa in ordine * 51. ſcribens quibuſdam Epiſcopis, excommunicari illos præcepit, quicunque ſumpto corpore Dominico, à calicis participatione ſe abſtinerent. Nam & ipſe in eodem decreto aſſerit: Huiuſmodi ſacramentorum diviſio ſine grandi ſacrilegio provenire non poterit. Poſtquam omnes communicaverint, dicit Sacerdos hanc orationem ſub ſilentio, iuxta Romanum Ordinem: *Quod ore ſumpſimus.* Qua finita, ſequitur oratio ſive orationes poſt communionem dicendæ, quæ eodem numero & ordine orationibus ante lectionem, ſive pro ſecreta ante præfationem dictis, debent reſpondere. Quæ utique orationes, non pro his qui communicaturi ſunt, ſed qui iam communicaverunt, iuxta proprietatem ſui nominis agunt. Ergo & ante ipſas communicare non negligant, quicunque earundem orationum benedictione foveri deſiderant. His ita finitis, ſubſequitur, *Benedicamus Domino*: vel, *Ite Miſſa eſt*: ſi tamen aliquod feſtum fuerit, quod, *Gloria in excelſis*, habere debuerit. Reſpondent omnes: *Deo gratias*, iuxta Apoſtolum, pro collatis beneficiis gratias agentes.

D

† Ordo Romanus non conſecrare, ſed ſanctificare habet, & propriè ad item: nam vinum in Paraſceve non conſecratur, ſed ſanctificatur tactu corporis Domini.

† Intinctio prohibita à Iulio Pontifice.

* 49.

† Quæ ſit vera mens Ge-

E

laſij verborum, habes infra ſæculo 12. in Algero c. 8.

Orationes poſt communionem.

Capvt XX.

Repetitio à ſuperioribus Miſſæ.

VT autem à ſuperioribus aliquantulum repetamus, poſtquam Sacerdos reſurrectionem Domini per conjunctionem corporis & ſanguinis Domini denotaverit, ſubſequenter etiam pacem populo offerre debet, ſicut & Chriſtus poſt reſurrectionem diſcipulis ſuis pacem obtulit, dicens: *Pax vobis.* Fractio oblationis, illam nobis fractionem panis inſinuat, quam Dominus poſt reſurrectionem ſuam coram diſcipulis fecit. Communicatio populi, typum illius convivij gerit, quod non ſemel Dominus poſt reſurrectionem ſuam cum diſcipulis iniiſſe legitur. Hos etiam * poſt vltimum convivium ab eis diſceſſurus in cœlum, benedixit, ſicut & Sacerdos populum cum oratione poſt communionem benedicit, videlicet iam citò diſceſſurus ab eo: cui tamen prius, ut ipſe diſcedat, per, *Ite Miſſa eſt*, denuntiat, in figuram Angelorum: qui diſcipulis, diſcedente Domino ab eis, dixerunt: *Viri Galilæi, quid ſtatis adſpicientes in cœlum?* & reliqua. Quo audito, diſcipuli adorantes Dominum, reverſi ſunt in Hieruſalem cum gaudio magno: ſicut & populus, relatâ Deo gratiarum actione, ad propria cum gaudio revertitur.

F

Luc. 24.

* vltimo convivio.

Ite Miſſa eſt.

Act. 1.

G

Capvt XXI.

De benedictione poſt Miſſam.

PRius tamen ab Epiſcopo benedicitur, ſi adeſt: ſin autem, à Preſbytero qui Miſſas celebravit: Quamvis beatus Damaſus Papa hoc Preſbyteris non licere dicat, ubi de vanâ Chorepiſcoporum ſuperſtitione tractat, ſi tamen nos mendoſitas exemplaris non fefellit. Sed magnus Leo Papa, & beatus Gelaſius Papa, eius ſucceſſores, in Eccleſiaſticis officiis apprimè eruditi, in decretis ſuis, ubi diligentiſſimè, quid Preſbyteris liceat, quidve non liceat, deſcribunt: nullatenus illis benedictionem, niſi Epiſcopo præſente, interdicunt. Beatus quoque Hieronymus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Preſbyter, qui ſub beato Damaſo, & poſt ipſum uſque ad * ſextum ſucceſſorem eius, Eccleſiaſticis inſtitutis ſtudioſiſſimè invigilavit: Ipſe, inquam, Ruſtico Narbonenſi Epiſcopo de Eccleſiaſticis ordinibus ſcribens, Preſbyteros à benedictione ſuper populum non prohibendos eſſe aſſerit: Si, inquit, Preſbyter Chriſtum conſecrat, cum in altario Dei ſacramenta benedicit: benedicere populum non debet, qui Chriſtum meruit conſecrare? Et poſt pauca. Hoc in Eccleſiis * tuis Preſbyteri faciant, quod Romæ, ſive quod in Oriente, quod in Africa, quod in Hiſpania, quod in Britannia, quod in Gallia, quod in omnibus locis ubi humilitas perſeverat. Ex his ergo conijcere poſſumus, beatum Damaſum Papam huiuſmodi benedictionem Preſbyteris illicitam, aut penitus non dixiſſe, aut ſi dixit, Eccleſiaſticam tamen conſuetudinem in hoc prævaluiſſe, præcipue cum ipſius verba ita poſſint intelligi, ut Preſbyteros doceret, quod eis quaſi ex proprio officio uſurpare non liceret, * quod eis ab Epiſcopali auctoritate concedi poſſe non ignorarent. Sic

H

* Sixtum.

* ſuis.

* quod.

enim

A

enim confirmatio Neophytorum penitus separata est ab officio presbyterorum: quam tamen sanctus Gregorius Papa primus quibusdam presbyteris concessisse legitur, scribens Ianuario Calaritano Episcopo. Item & susceptionem pœnitentium, non ex sua consecratione, sed ex Episcoporum concessione, presbyteri habere meruerunt. Quod illum non latebit, quicunque ordinem consecrationis eorum, sive statuta sanctorum Patrum, diligenter inspexerit. Agathense quoque Concilium capitulo quadragesimo quarto benedictionem super populum Presbyteris prohibere videtur, sed hanc prohibitionem de Episcopali tantum benedictione factam interpretantur: quæ utique benedictio iuxta decimum octavum Toletani Concilij capitulum, & attestationem S. Augustini ad Paulinum Episcopum, ante communionem populo à solis Episcopis * debet impendi. Si quis vero hoc de hac ipsa benedictione, de qua agimus, dictum putaverit, sententia tamen provincialis Concilij tam generali Ecclesiasticæ consuetudini præiudicare non poterit. Ideo autem huiusmodi benedictio fortasse antiquitus presbyteris interdicta est: quia & ad Episcopale officium pertinere videbatur, & Ecclesiastico conventui nondum adeo necessaria reputabatur. Nam soli communicantes, confectioni sacramentorum antiquitus intererant: quibus & oratio post communionem, quæ pro solis communicantibus instituta est, pro benedictione potuit satisfacere. Apud modernos autem, cum iam populus communicare cessaret, nec tamen à divinis mysteriis se subtraheret: necessariò permissum est, ut à presbytero benediceretur, ne tam benedictione, quam communione privatus discedere videretur. Sive autem ea occasione, sive alia hoc presbyteris permitteretur ab Episcopis: adeo tamen in usum iam usquequaque devenit, ut nequaquam absque gravi scandalo à presbyteris in populo * intermitti possit, nisi fortè Apostolica sedes generaliter & synodaliter prohibere voluerit.

Hed, ex verbis Canonum, in cicse in mē eum Gratia nua item lo c. 44

** Solet*

B

Benedictio in locum communionis successit.

** Prætermitti.*

C

Capvt XXII.

Quid sacerdos agat post Missam?

Finitis omnibus osculatur * sacerdos altare, dicens: *Placeat tibi S. Trinitas.* Deinde sacris vestibus se exuens, cantat hymnum trium puerorum, iuxta quod patres in 4. Toletano Concilio decreverunt cap. 14. videlicet, ut examinationi subiaceret, quicunque sacerdos eundem hymnum post Missam dicere negligeret. Psalmum quoque, *Laudate Dominum in sanctis eius*, in gratiarum actionem subiungens, cum *Pater noster*, & versibus ad hoc competentibus, concludit eam cum oratione illa: *Deus qui tribus pueris.* Sciendum autem, iuxta decreta Pontificum, quod presbytero non licet coram Episcopo, nisi eo iubente, vel sacrificare, vel populum benedicere, vel salutare, vel exhortari. Vnde cum legit Evangelium coram Episcopo, benedictionem petit ab eo. Item cum vult sacrificare, * inclinat se Episcopo pro concessione, qui etiam cum populo inclinatur, pro ultimâ benedictione.

** Presbiter.*

Hymnus trium puerorum cantari iussus post Missam, concil. Tolet. 4.

Benedicere presbytero coram episcopo, nisi eo iubente, nō licet.

D

** Inclinat cum populo.*

Capvt XXIII.

Brevis descriptio celebrandæ Missæ.

Præparationes ad Missā

Presbyter cum se parat ad Missam, in primis cantat Psalmos: Quam dilecta, Benedixisti, Inclina, Credidi propter. Deinde Kyrie eleison, Pater noster, Et ne nos inducas, *Vers.* Ego dixi Domine. Convertere Domine, Fiat misericordia, Sacerdotes, Protector noster aspice. Domine exaudi. *Oratio.* Aufer à nobis Domine iniquitates nostras & peccata nostra, ut mereamur puris mentibus introire, *Alia:* Actiones nostras quæsumus Domine & adspirando præveni, & adiuvando prosequere, ut cuncta nostra operatio per te semper incipiat, & per te cœpta finiatur, Per Dominum nostrum, &c. *Paratus autem, venit ad altare, dicens:* Antiph. introibo ad altare Dei, Psalm. Iudica me Deus, & discerne. *Et facit confessionem.* Confiteor Deo omnipotenti, istis sanctis & omnibus sanctis & tibi frater, quia peccavi in cogitatione, in locutione, in opere, in pollutione mentis & corporis. Ideo precor te, ora pro me.

E

Confessio ante Missam.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, & confirmet te in omni opere bono, & perducat nos pariter Iesus Christus filius Dei vivi, in vitam æternam, Amen. Indulgentiam & remissionem omnium peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus, Amen,

Cum sacerdos accipit oblationem, dicit: Acceptabile sit omnipotenti Deo sacrificium nostrum. *Deinde calice in altari ad dexteram oblata deposito dicit:* Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, benedic hoc sacrificium tuo nomini præparatum, Per Christum, &c. *Et inclinatus ante altare, dicit:* Suscipe S. Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam passionis, resurrectionis, ascensionis Domini nostri Iesu Christi, & in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, S. Petri, & S. Pauli, & istorum atque omnium sanctorum tuorum, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, & illi pro nobis dignentur intercedere, quorum memoriam agimus in terris. Per Christum, &c. Deinde, *Orate.* Sequitur secreta.

Offertorium.

F

Canon iuxta Romanam auctoritatem est iste: Te igitur clementissime Pater, per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus & petimus, uti accepta habeas & benedicas, *hic signat sacerdos oblationem & calicem tribus vicibus, sub una cruce*, hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa nostro N. & antistite nostro.

Canon Missæ.

G

Commemoratio vivorum.

Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, *hic nomina vivorum memorentur, si voluerit, sed non Dominica*, & omnium circumadstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis atque incolumitatis suæ tibi reddunt vota sua æterno Deo vivo & vero. Communicantes & memoriam venerantes in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ genitricis Dei & Domini nostri Iesu Christi, sed & beatorum Apostolorum ac martyrum tuorum, Petri, Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Thaddæi, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chrysogoni, Ioannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, & omnium sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per Christum Dominum nostrum, *hic inclinatur usque ad altare, dicens:* Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripias, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. *Erectus autem, cum tribus crucibus benedicit:* Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem: acceptabilemque facere digneris. *hic separatim signat oblatam & calicem.* Vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi. Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, elevatis oculis in cœlum ad te Deum patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes: Hoc est enim corpus meum.

H

Inclinatio ad altare usque.

Consecratio.

A

Simili modo postquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, dedit discipulis suis, dicens: Accipite & bibite ex hoc omnes: HIC EST ENIM CALIX SANGVINIS MEI NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI, MYSTERIVM FIDEI, QVI PRO VOBIS ET PRO MVLTIS EFFVNDETVR IN REMISSIONEM PECCATORVM.

Commemoratio passionis dominicæ.

Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Vnde & memores nos Domine servi tui, sed & plebs tua sancta, Christi filij tui Domini Dei nostri tam beatæ Passionis, necnon & ab inferis resurrectionis, sed & in cœlum gloriosæ ascensionis, offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis: *Hic tres cruces super utrunque simul facit, & quartam super oblationem, & quintam super calicem.* Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ & calicem salutis perpetuæ. Super quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, veluti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. *Hic inclinat se iuxta altare, dicens:* Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectum divinæ majestatis tuæ. *Hic erigit se dicens:* Vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratiâ repleamur. Per Christum Dominum nostrum. *Hic duæ orationes dicuntur:* Memento etiam Domine & eorum nomina, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis: *& recitantur nomina.* Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij lucis & pacis ut indulgeas, deprecamur, Per Christum Dominum nostrum. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam & societatem donare digneris, cum tuis sanctis Apostolis & Martyribus, cum Ioanne, Stephano, Mathiâ, Barnabâ, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetuâ, Agathâ: Luciâ, Agnete, Cœciliâ, Anastasiâ, & cum omnibus Sanctis tuis, inter quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus largitor, admitte. Per Christum Dominum nostrum. Per quem hæc omnia Domine semper bona creas. *Hic tres cruces super utrumque simul facit.* Sanctificas, vivificas, benedicis, & præstas nobis. *Hic cum oblata quatuor cruces facit super calicem, & quintam in latere ipsius.* Per ipsum, & cum ipso, & in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritûs sancti, omnis honor & gloria. *Hic elevat oblatam cum calice, dicens:* Per omnia sæcula sæculorum, Responsio: Amen. *Et deponat oblatam, dicens:* Oremus. Præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati, audemus dicere: Pater noster, qui es in cœlis, *usque,* libera nos à malo. Libera nos Domine ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & futuris. Et intercedentibus beatâ & gloriosa semper Virgine Mariâ, & beatis Apostolis tuis Petro & Paulo atque Andrea. *Hic nominat quotquot Sanctos voluerit,* cum omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ tuæ adjuti, & à peccato simus semper liberi. *Hic patenam accipiat, & osculatam deponat,* & ab omni perturbatione securi. *Hic corpus super patenam in tria dividat, dicens:* Per Dominum nostrum IESVM-CHRISTVM, *usque,* per omnia sæcula sæculorum. *Respon.* Amen. *Hic etiam tertiam partem in calicem mittat, dicens:* Pax Domini sit semper vobiscum. *Respon.* Et cum spiritu tuo. *Et subiungit orationem istam:* Fiat commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri IESV-CHRISTI accipientibus nobis in vitam æternam. Amen. *Et osculato altari* *dat pacem adstanti, ita dicens:* Pax tecum. *Respon.* Et cum spiritu tuo: *Inclinatus autem dicit, antequam communicet:* Domine IESV-CHRISTE, qui voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem propriam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrosanctum corpus & sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, & fac me tuis inhærere mandatis, & a te nunquam in perpetuum separari. Qui cum Patre, &c. *Cum distribuit Eucharistiam, dicit:* Corpus & sanguis Domini nostri IESV CHRISTI proficiat tibi in vitam æternam. Amen. *Postquam omnes communicaverunt, dicit:* Quod ore sumpsimus, * mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. *Finitâ Missa, dicit:* Placeat tibi sancta Trinitas obsequium servitutis meæ, & præsta, ut hoc sacrificium, quod oculis tuæ majestatis ego indignè obtuli, mihi & omnibus, pro quibus illud obtuli, te miserante sit propitiabile, Per Christum, &c. *Exuens se vestibus sacris dicit. Psalm.* Benedicite omnia, Laudate Dominum in sanctis, Kyrie eleis o, Pater noster. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. Exultabunt sancti in gloria. Exultent iusti in conspectu. Non nobis Domine, non nobis. Domine exaudi orationem. Deus qui tribus pueris. Actiones nostras.

B

Commemoratio defunctorum.

C

D

Oratio Dominica Symbolis orat. Dominicæ.

Confractio corporis dominici.

Pacis datio.

E

Orationes ante communionem.

* pura mente.

F

Orationes post communionē ad Missæ finem.

CAPVT XXIV.

De Ieiunio vernali.

GRegorius Papa septimus cum Apostolicæ sedi præsideret, constituit, ut ieiunium quod dicitur Martij, in prima hebdomada Quadragesimæ omni anno celebretur, sicut & sancti Patres illud instituisse leguntur. Nam sanctus Gregorius Papa primus, tam in Sacramentario quam in Graduali libro, sive Antiphonario officia eiusdem Ieiunij primæ Quadragesimali hebdomadæ ascripsit. Item sanctus Hieronymus in libro Comitis, lectiones & Evangelia de eodem Ieiunio eidem hebdomadæ iniunxit. Ipsa etiam vacans Dominica, quam sanctus Gregorius in Quadragesima secundam esse voluit, evidentissimè insinuat, quod Ieiunium Martij nihilominus omni anno ipsam in prima hebdomadâ præcedere debeat. Non enim eadem Dominica proprie vacans diceretur, si non Sabbatum xii. lectionum è vestigio subsequeretur, quod proprium est omnium Dominicarum vacantium, quæ cum proprio careant officio, ex præcedenti hebdomada inofficiantur, si tamen necesse fuerit ut assumantur. Vnde & hæc Dominica, de qua agimus, ex quarta feriâ præcedenti Ieiunij officium mutuavit. Necessarium est ergo, ut illud illam præcedat, cum non aliunde, nisi ex eius præcessione eadem Dominica nomen & officium obtineat. Sed & Iunior Gregorius Papa, scribens de * ordinatione sancti Bonifacij Archiepiscopi ad Moguntiacenses, præcepit, ut ordinatio quæ Ieiunio Martij ascribitur, in ingressu Quadragesimæ cum eodem Ieiunio semper celebretur. Beatissimus quoque Leo Papa primus, in sermone de Ieiunio septimi mensis, vernum Ieiunium in Quadragesima, æstivum in Pentecoste, autumnale in septimo mense celebrandum esse denuntiavit. Item beatus Gelasius Papa in decretalibus suis capitulo 11. constituit, ut ordinationes Presbyterorum & Diaconorum, non nisi certis temporibus fiant, quippe in Ieiunio quarti & septimi & decimi mensis, id est, Ieiunij, Septembris, atque Decembris, necnon in Quadragesimalis initij ieiunio, quod procul dubio Martij intelligitur. Vidésne ergo quam apertè idem Ieiunium cum ordinatione suâ primæ Quadragesimali hebdomadæ ascribatur, cum tam signanter Quadragesimalis initij Ieiunium cognominetur? Hoc autem initium Quadragesimæ, non à capite Ieiunij, sed à subsequenti Dominica est computandum. Nam

Greg. Pap. l. sa... etiam ... tum ac Antipho... narium ... tabant ... ætate huius

G

Auctoris, brevi... etiā pr... dibit Deo f... vente. ... Hieron... quoque Comiti liber qu... infra c. 25. Le... ctionar vocat, ... cit eius... mentio... nē Ho... norius lib. 1. ca. 88. eg... quoque

H

... semper ... vidi, prope ... vocā ... tur. Ieiunium vernale observandum in Quadragesima ...

* ordin. S. Bonifac. Moguntin. Archiepiscop. 3. co... cio. to... pag. ...

quamvis

A

Errat. c. 13. ep. ad episc. per Lucaniam. Folei. Conc. 2.

quamvis à capite Ieiunij pro quodam complemento quadragesimalis abstinentiæ incipiamus: à subsequenti tamen Dominica iuxta assertionem sancti Ambrosij & sancti Gregorij & aliorum Sanctorum Patrum, Quadragesimam propriè exordiuntur. Nullum autem commoveat, quod tempore Henrici secundi Imperatoris, duodecim Episcopi Moguntiæ congregati, aliter de hoc ieiunio statuisse leguntur. Cùm enim apud ipsos non modica varietas de huiusmodi Ieiunijs accideret, eo quod antiquam sanctorum Patrum traditionem in hac re minùs attenderent, pro huiusmodi confusione corrigendâ hanc sibi regulam proposuerunt, ut deinceps in prima quartâ feriâ Martij, & in secundâ Iunij, & in tertiâ Septembris, omni anno ieiunarent. Sed hæc regula Apostolicæ auctoritati præiudicare, nec debet nec potest: præsertim cum evidentissimè statutis sanctorum Patrum videatur repugnare. Si enim prædictam regulam annuatim observamus, multoties non solum in Quadragesima, sed etiam ante Quadragesimam ieiunabimus. Cum & statuta Apostolicorum virorum, & institutio officiorum, ut prælibatum est, illud infra Quadragesimam, immo in prima Quadragesimæ septimanâ, semper celebrare decernant. Indubitanter ergo refutare debemus, quicquid tam evidenter Apostolicæ auctoritati contraire videmus, unde totius Christianæ religionis, & ordinis exordium & normam accepimus. Nec miretis hoc Ieiunium potius Martio, quam Februario ascribi, quamvis in Februario, cum ipsa Quadragesima nonnunquam occurrat. Semper enim idem Ieiunium, aut Kalendaria aliquando aut Lunationem Martij, aut utrumque simul incurrit: Februarij autem Kalendaria aliquando, Lunationem vero nunquam attingit. Ergo multo congruentius Martio ascribitur, quem nunquam relinquit, quam Februario, quem multoties penitus non attingit. Observatur sane hoc Ieiunium cum ipsa Quadragesima secundum Lunationem, sicut & Pascha. Vnde non incongruè ipsum Martio propter Lunationem ascribitur, quamvis in Februario occurrat. Sicut & Pascha Aprili semper ascribitur, quamvis sæpe in Martio contingat. Nec hoc utique probabili exemplo carebit, si sacrorum ordinum dispensatio nonnunquam fiat in Februario, dum hoc egerit quadragesimalis initij * præmutatio. (Nam Reverendissimi patres nostri, sanctitate & Apostolicâ auctoritate præcipui, videlicet, Simplicius, Gelasius, Symmachus, Felix, in Februario ordinationes fecisse leguntur) cum iam Sancta Romana Ecclesia, Ieiunia quatuor temporum in ordinatione observare decreverit, hocque aliis quoque Ecclesiis ita observandum promulgaverit. Ergo absque omni dubio observare debemus. Vnde tam certa præcepta & exempla Sanctorum Patrum Apostolica auctoritate præditorum sufficienter habemus, præsertim, cum & faciliùs observetur, quod provida antiquitas & auctoritas instituit, quam quod inconsiderata novitas & infirmitas adinvenit. Nulli enim dubium est, quin faciliùs sit omni anno idem Ieiunium Martij in eadem hebdomada cum eisdem officiis inconfusè celebrare, quam de hebdomada in hebdomadam non sine confusione officiorum, ut multi solent, illud annuatim mutare.

Apostolicæ auctoritati Concilium provinciale non potest præiudicare.

B

C

Cur ieiunium hoc Martio ascribatur.

* Ratio.

D

Caput XXV.

De Ieiunio æstivali.

Ieiunium æstivale.

GRegorius Papa septimus Apostolicæ sedi præsidens, constituit, ut æstivale Ieiunium infra octavam Pentecostes annuatim celebraretur. Quod quidem sapientioribus reverentia sedis Apostolicæ facilè persuasit: simplicioribus autem nonnulla dubitatio super huius statuti promulgatione remansit. Nam non parum à consuetudine eorum discrepat, quam à quibusdam scriptis non adeo authenticis mutuaverant, id est, à Moguntiacensi Concilio, tempore Henrici secundi Imperatoris facto, hoc enim hanc regulam Ieiuniis quatuor temporum præfixit, ut in prima quartâ feriâ Martij, in secundâ Iunij, in tertiâ Septembris, omni anno ieiunetur. Præterea & hoc attendunt, quod in quibusdam sacramentariis inveniunt, quod & in primo sabbato Martij, in secundo Iunij, in tertio Septembris, ieiunare debeamus. Illo etiam non minus observato, ut de uno sabbato xij. lectionum usque in aliud, iuxta Amalarium quatuordecim hebdomadæ computentur. Si igitur, inquiunt, iuxta statutum Domini Apostolici infra Pentecosten annuatim ieiunaveris, non semper secundam quartam feriam, vel secundum sabbatum Iunij observare poteris. Sed cur more Pharisæorum liquamus culicem, glutientes camelum? Cur, inquam, huiusmodi scripta prævaricari plus veremur, quam sedis Apostolicæ decretum, præsertim cum ob eorum adinvicem repugnantiam, se observare non permittant? Si enim iuxta Moguntiacense Concilium, in prima quartâ feriâ Martij, in secundâ Iunij, in tertiâ Septembris, omni anno ieiunatur: primum sabbatum Martij, secundum Iunij, tertium Septembris annuatim observare nequibis, nec iuxta Amalarium quatuordecim hebdomadas eisdem ieiuniis internumerare valebis: quod illum non latebit, quicunque diligenter interiacentes hebdomadas singulis annis dinumerabit. Nunquam sane huiusmodi regulæ simul observari poterunt, nisi eo anno, cum Kalendæ Septembris in tertiâ vel in quartâ feriâ occurrunt. Sed in hac causa Amalarius non adeo notandus est, qui non tam aliquam consuetudinem instituere, quam de instituta competentem aliquam figuram elicere consuevit. Cur autem ista replicamus, cum etiamsi prædictæ regulæ sibi annuatim convenirent, auctoritati tamen Sedis Apostolicæ nullatenus præiudicare possent, cui omnes per omnia absque omni hæsitatione debemus obedire, cui nunquam debitam exhibemus obedientiam, si eius statuta potius iudicare, quam implere curamus? Hoc est enim privilegium obedientiæ, de sententia sui præceptoris non iudicare, in iis duntaxat rebus, quas canonicis scripturis contraire non videmus, immo statim exequi quod iubetur. Nam quicumque facere noluerit, nisi quod priùs suâ ratione probaverit, esse faciendum, non tam præceptori suo, quam propriæ voluntatis arbitrio satisfecisse iudicabitur. Hanc ergo puram obedientiam cum omnibus spiritualibus nostris præceptoribus certissimè debeamus, maximè tamen Apostolicæ sedi ex intimo corde debemus quæ totius Christianæ religionis caput est & origo. Sed quia hæc ratio simplicioribus fortasse non sufficit, operæ pretium videtur de superiori statuto latiùs tractare, & quam * rationale, quam canonicum, quippe sanctis patribus quam consonum reperiatur, elucidare. Beatissimus Leo Papa I. in ordine quadragesimus vij. cuius auctoritate congregatum & confirmatum est sanctum Chalcedonense Concilium, in libro sermonum, quarti mensis ieiunium non nisi hebdomadâ Pentecostes celebrandum esse denuntiavit. Nec hoc tantùm in uno sermone, sed in pluribus, quos de Pentecoste in diversis annis fecisse legitur: quod illum subterfugere non poterit, quicumque eumdem librum diligenter perlegerit. Ibi enim evidentissimè docebitur, ex Apostolica traditione huius ieiunij observantiam descendere, nec * diversam sed continuam post diem Pentecostes celebrari debere. Sed ne aliquis eum hoc de quadragesimali ieiunio, quod post Pentecosten agitur, non de ieiunio quarti mensis, præcepisse putaret: subsequenter decernendo admonet, ut infra eandem hebdomadam quartâ & sextâ feriâ ieiunetur, & in sabbato apud Sanctum Petrum vigiliæ celebrentur, quem denuntiationis modum pene in omnibus suis sermonibus obtinuit, cum ieiunia quatuor temporum denuntiaret. Nam illa Quadragesima post Pentecosten, non omnibus ut hoc ieiunium, sed solis pœnitentibus observanda imponitur: Nec in hoc tantùm triduo infra Pentecosten, sed in omnibus triduis, vel etiam diebus sex hebdomadarum

Moguntinũ Provinciale cõcilium tempore Henrici secundi.

E

Can. 5. De quo etiam c. præced.

F

Auctoritas Sedis Apostolicæ.

G

* rationabile.

Quarti mensis ieiunium celebrandum in hebdomada Pentecostes.

H

* divisã, sed contiguã.

Quadragesima post Pentecosten.

costo

A custodiri iubetur. Præterea idem vir Apostolicus, in sermone de ieiunio septimi mensis: Ieiunium, inquit, vernum in Quadragesima, æstivum in Pentecoste, autumnale in septimo mense celebremus. Vbi evidentissimè indicavit ieiunium quarti mensis non nisi in hebdomada Pentecostes esse celebrandum. Si enim istud in Iunio mense, sicut autumnale in Septembri, semper ieiunandum decerneretur, non minus Iunium quam Septembrem nominare posset. Ergo iuxta sententiam huius Apostolici, sicut autumnale semper in Septembri, ita æstivum in Pentecoste semper debemus celebrare. Sanctus quoque Gregorius Papa primus, à quo omnia Ecclesiastica officia pene habemus, beato Leoni optimè concordat, qui & in Sacramentario, & in diurnali Antiphonario, eidem ieiunio nullas orationes vel cantus ascribit: nisi infra Pentecosten
B dicendos. Liber etiam Comitis sive Lectionarius, quem sanctus Hieronymus compaginavit, eidem ieiunio lectiones ad festivitatem Spiritûs sancti pertinentes attribuit. Sicut igitur ieiunium Decembris de adventu Domini, & ieiunium Martij de Quadragesima, sua mutuaverunt officia: sic etiam illorum mensium ieiunia nunquam alio tempore celebrantur, nisi eo ipso, unde & officium habere videntur. Denique ieiunium Martij, & ante statutum nostri Papæ Gregorij, cum aliquando ante Quadragesimam iuxta Moguntiacense Concilium eveniret, propter quadragesimale tamen officium usque ad Quadragesimam differebatur. Incongruum enim esset, ut eiusdem ieiunij lectiones specialiter Quadragesimam intimantes, & orationes super populum, extra Quadragesimam dicerentur. Eadem igitur ratione & æstivum ieiunium infra Pentecosten observamus competenter, propter officia de eadem solennitate mutuata. Qui enim illud extra Pentecosten observant, magnam officiorum confusionem faciunt: cum quadragesimales cantus & orationes, lectionibus de Pentecoste associent. Concordiam quippe officiorum Pentecostes dissipant, quam sancti Patres maximè in huiusmodi officiis obtinere studebant: & cum
C extra Pentecosten de hoc ieiunio nullum inveniant officium, ipsi sibi officia componere, imò confundere temerario ausu præsumunt. Non mireris autem, quod hoc ieiunium Iunio potius quam Maio adscriptum reperiri malunt, quamvis iuxta superiorem tractatum, & in Maio sæpius celebratur: Ipsa enim Pentecoste cum qua hoc ieiunium semper observatur in Maio sæpius quam in iunio celebratur, quæ tamen iuxta computationem Lunæ, Iunio semper ascribitur. Nam hoc festum, sicut & Pascha, non iuxta rationem mensium, sed Lunationum, annuatim observatur. Et illud quidem Aprili, hoc autem Iunio propter observationem Lunationum eorumdem mensium, semper adscribitur: quamvis eosdem menses multoties anticipent, sicut & ipsæ Lunationes. Eadem igitur ratione & hoc ieiunium Iunio ascribimus, quod & cum Pentecoste sub eadem Lunatione annuatim observare debemus. Hoc sane ieiunium semper Lunationem Iunij, sæpe etiam & Kalendaria eius observat, nunquam autem Lunationem Maij, nec semper Kalendaria eius attingit. Semper utique aut
D Kalendaria, aut Lunationem Iunij possidet. Maij autem sæpenumero nec Kalendaria, nec Lunationem obtinet. Quare & Iunio competentiùs attitulatur, quem nunquam dimittit, quam Maio, quem multoties omnino prætermittit. Has igitur rationes quicunque, deposito contentionis studio, fideliter considerare voluerit, proculdubio Dominum Apostolicum de ieiunio verno sive æstivo, non tam suum, quam sanctorum Patrum statutum instituisse iudicabit, & idem ipsum authenticis rationibus confirmatum, generaliter observandum esse non dubitabit.

***

Liber Comitis sive Lectionarius D. Hier.

Caput XXVI.

De Autumnali Ieiunio.

E IEiunium autumnale iuxta statuta sanctorum Patrum Leonis, Gelasij & reliquorum, in septimo mense debemus celebrare: quod tamen nec institutio officiorum nec suppositio vacantis Dominicæ, nec statuta sanctorum Patrum, alicui septimanæ tam specialiter, ut reliqua ieiunia, videntur assignasse. Est autem Ecclesiastica consuetudo, ut in tertio sabbato Septembris ieiunetur, quæ utique consuetudo & nobis debet sufficere, præsertim cum Apostolicis institutis nusquam videatur contraire.

Caput XXVII. F

De Hyemali Ieiunio.

IEiunium Hyemale, iuxta traditionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, semper in tertia hebdomada de Adventu Domini debet celebrari, sicut & sancti Patres instituerunt: qui eiusdem ieiunij officia eidem hebdomadæ indiderunt, & sequentem Dominicam vacantem vocaverunt, nec ad hoc ullo speciali statuto indigemus, in quo sanctorum vestigia non excedimus.

Caput XXVIII.

De officiis eorumdem Ieiuniorum.

DE annua transmutatione officiorum in vernali ieiunio, unde hactenus multum frustra laboravimus, non necesse est ut deinceps laboremus: cum iuxta antiquam institutionem, omnia huius ieiunij officia suo loco & ordine, sicut instituta sunt, observare debeamus. In æstivo autem ieiunio illum ordinem officiorum competenter annuatim observamus, quem & G maiores nostri in eodem ieiunio tenuerunt, cum illud infra Pentecosten aliquando observarent: Videlicet ut in quarta & sextâ feriâ cantetur & legatur, quod in eadem hebdomadâ eisdem feriis ascriptum reperitur. In sabbato autem cum officio quod ibi habetur, hæ lectiones legantur: Lectio, *Diligite iustitiam*, *Audi Iacob*, *Exultate*, *Effundam*: ad Missam, *Iustificati*: quæ utique omnes festivitati Spiritûs sancti optimè conveniunt. Evangelium, *Egressus Iesus*, sicut etiam in antiquis Breviariis ordinatum reperimus. Et hoc utique observandum est, ne in quarta feria vel sabbato quadragesimalia offertoria, id est, *Meditabar*, *Domine Deus salutis*, dicamus, sed in honorem Spiritûs sancti, *Alleluia* cum offertorium, *Emitte spiritum*, pro utroque cantemus. Nec Gradualia, sed, *Alleluia* prædictis lectionibus subiungere debemus: *Spiritus Domini*, *Paraclitus*, *Emitte*. * *Veni sancte Spiritus*. In autumnali autem ieiunio omnia, ut instituta sunt, observamus. In quarta feria Antiphona *Exultate*: Graduale, *Quis sicut*: Graduale, *Tribulationes*: Offertorium, *Meditabar*: Communio, *Comedite*. Cum lectionibus, *Ecce dies veniunt*, *Congregatus est*. Evangelium, *Respondens unus*. In sextâ feriâ Antiphona, *Lætetur cor*: Graduale, *Convertere*, Offertorium, *Benedic*: Communio, *Aufer à me*. Lectio. *Convertere*: Evangelium, *Rogabat Iesum*. Quæ omnia adinvicem magnam habent concordiam. In sabbato Antiphona, *Venite adoremus*: Offertorium, *Domine Deus salutis*: Communio, *Mense septimo*. Lectiones, *Decimo die*, *Quintodecimo*, *Domine Deus noster*, *Factum est*. Evangelium, *Arborem fici*: Gradualia vero eadem, quæ & in ieiunio vernali. Quæ etsi apud diversos diverse assumuntur, in quamplurimis tamen libris ita reperiuntur: *Protector*, *Propitius*, *Dirigatur*, *salvum fac populum*: Quæ & in

* Videtur deesse verbum, hoc enim *Alleluia* cantatur post IV. lectionē.

H

A autumnali ieiunio, ut in vernali ordinantur, nisi quod in autumnali Graduale, *Protector*: post Graduale, *Propitius* canitur. Et hoc utique concordia officiorum exigere videtur. Nam in vernali prima lectio, *Respice Domine de sanctuario, & benedic populo tuo*, optimè congruit Graduali, *Protector noster*, a quo & subsequens oratio initiatur, *Protector*. Secundæ autem lectioni Graduale, *Propitius*, non incongruè adaptatur. Nam quod in lectione de corporali liberatione populo Israel promittitur, hoc sancta Ecclesia in Graduali spiritualiter nobis adimpleri supplicat: ne gentes dæmonum nobis prævaleant, sicut nec gentes paganorum illis prævaluerunt. In autumnali autem Graduale, *Propitius*, præponitur, quia & hoc magis primæ lectioni convenit, quæ nobis diem propitiationis, & ut Deus nobis propitietur, præscribit. Secundæ verò lectioni Graduale, *Protector*, magis competit, qua filios Israel septem diebus sub protectione umbraculorum annuatim solennizare præcepit. B Tertium autem Graduale, *Dirigatur*, tertiæ lectioni in utroque ieiunio optimè congruit: quia & in vernali Ionathas, & in Septembri Michæas orationes suas ad Dominum pro populo Dei dirigunt. Similiter quartum Graduale quartæ lectioni competit * utrique. Nam in vernali, pro salute populi postulatur, quæ in autumnali promittitur populo: si tamen à veritate non discesserit. Satis ergo congruum videtur, ut & nos eorum librorum traditionem sequamur, qui eadem Gradualia vernali & autumnali ieiunio pariter ascribunt. Nam cum lectionibus utriusque ieiunij magnam habent concordiam, ut prælibavimus: quam potissimum in dispositione officiorum nos attendere sancti patres docuerunt. In hyemali ieiunio, quod in proximo Sabbato ante vigiliam Nativitatis Dominicæ semper est observandum, nihil in officiis variatur. Et notandum, omnes Apostolicos à Beato Petro usque ad Simplicium Papam, ordinationes tantùm in ieiunio Decembris celebrasse, ut in Romano Pontificali legitur. Vnde & istud ieiunium non immeritò plenius quam reliqua, suum habet officium. Nam reliqua aliunde nunc C ex toto, nunc ex magna parte per suas ferias inofficiantur. In omni ieiunio Quatuor Temporum, nisi infra Pentecosten, genua flectimus. In quarta quidem feriâ, ad priorem tantùm orationem sine salutatione prolatam. Nam secunda sine genuflexione cum salutatione profertur. Oratio autem in sexta feriâ cum salutatione & genuflexione recitatur. In Sabbato autem omnes orationes genuflexio sine salutatione præcedit, præter illam de camino, quæ salutationem sine genuflexione exigit. Ad illam nempe genua flectere prætermittimus, more trium puerorum, qui statuam adorare noluerunt cum Gentilibus. Ordo etiam præcipit, ut infra Hymnum eorumdem puerorum non sedeamus: ne, illis in camino laborantibus, nos inertiæ sessionis dediti esse videamur. Hoc autem Sabbatum quamvis sex lectiones tantùm habeat, dicitur tamen xij. lectionũ eo quod antiquitus eædem lectiones bis legebantur, Græcè videlicet & Latinè. Sciendum autem, S. Callistum Papam & martyrem, huiusmodi ieiunia quater in anno

D Epistola decretalis prima.

celebrari constituisse, quæ priùs ter tantùm in anno celebrata sunt. Sicut idem Apostolicus ad Benedictum Episcopum scribens, testatur.

CAPVT XXIX.

De vacantibus Dominicis.

QVatuor Dominicæ, quæ huiusmodi ieiunia proximè subsequuntur, in libro sacramentorum vacantes prætitulantur, eo quod propriis careant officiis. Vnde & ex præcedentibus quartis feriis ieiuniorum, Romano more inofficiantur, ut illæ duæ quæ vernale ieiunium subsequuntur, & hyemale. Illa autem post æstivale ieiunium, non cum quarta feriâ, sed multò convenientiùs cum officio Pentecostes suppletur, eo quod sit octava eius. Post ieiunium etiam autumnale, E quidam ex quarta feriâ, Dominicam sequentem inofficiant, ut paucitati Dominicalium officiorum in æstate hoc supplemento subveniant. Sed Romani huiusmodi penuriam repetitione Dominicalium officiorum supplent. Vnde & prædictam * compilationem ex quarta feriâ, quasi non necessariam, ibi prætermittere solent. Hæ autem Dominicæ antiquitus ab officio vacabant, quia celebratio ordinationum iuxta decreta sanctorum Patrum, tam serò fiebat in Sabbato, ut potiùs Dominicæ, quam Sabbato, ascriberetur. Nam beatissimus Leo Papa primus, usque in manè Dominicæ diei ordinationes ritè celebrari posse testatus est, continuato tamen Sabbati ieiunio: imò ipsas Leviticas ordinationes & sacerdotales nunquam, nisi in Dominica, iussit celebrari, Dioscoro scribens Episcopo: Consecrandis, inquit, nunquam benedictio detur, nisi in Dominica, quæ à Sabbati vespera F initiatur. Item beatus Gelasius Papa successor eius, omnibus Episcopis scribens, decrevit, ut in Sabbatis Quatuor Temporum ordinationes circa vesperam celebrarentur. Vnde & Romanus ordo in Quadragesima in Sabbato ordinationum orationem super populum interdicit, ad quam Antiqui non solùm capita, sed & genua flectebant, quod Nicæni canones in Dominica fieri penitus vetant. Sanctus quoque Gregorius dies ordinationum suis homiliis insignivit ut Dominicas. Videlicet hæc duo Evangelia: *Anno quinto decimo*, & *Arborem fici*, exponens ad populum. Item sanctus Leo Papa illud Evangelium, *Assumpsit* IESVS, de ieiunio vernali exposuit: quasi Dominicæ die satisfaciens, infra quam ipse semper ordinationes fieri constituit.

* compilationem.

Genuflexiones in Dominica prohibitæ.

CAPVT XXX.

De Adventu Domini.

AB Adventu Domini usque ad Nativitatem eius, *Te Deum laudamus*, *Gloria in excelsis Deo*, *Ite Missa est*, dimittimus: quia maior gloria novi Testa- G menti, quam veteris, cuius typum infra Adventum Domini observamus. * Aliquando etiam festiviùs Natale Domini suscipimus, si huiusmodi glorificationes aliquandiu suppressas quasi de novo illa die incipimus. Quidam infra Adventum Domini Casulis pro Dalmaticis utuntur. Quidam solito more vestiuntur, eo quod Missam ad tertiam & *Alleluia*, sicut & tota æstate dicunt. In nativitate tamen Apostolorum, sive dedicatione Ecclesiæ, prædictas glorificationes non omittimus. Hinc usque post octavam Pentecostes solitam mentionem sanctæ Crucis ad vesperam sive ad matutinas, & in feria sexta, & de sancta Trinitate Dominicis diebus reticere solemus. Nam quod quidam illo breuissimo spatio, quod purificationem sanctæ Mariæ & Septuagesimam aliquando distingit, mentionem sanctæ Crucis resumunt, non adeo congruum videtur, cum illo tempore de infantia Christi potius, quam passione cantetur atque legatur.

* Aliquando.

H

CAPVT XXXI.

De Evangelio, cum appropinquaret.

IN Dominica primâ de Adventu Domini, quidam legunt Evangelium, *Erunt signa*, eo quod sanctus Gregorius in libro Homiliarum illud in primis posuerit. Sed parum attendunt, quia idem Apostolicus in eodem libro huiusmodi ordinem non attendit, in quo plura Evangelia penitus non tetigit: insuper & quæ exposuit, multoties posteriora prioribus anteponere consuevit. Alij initium Marci Evangelistæ legunt, sed quia inusitatum est, pauci assentiuntur. Nos autem ex antiqua traditione, *Cum appropinquaret*, legimus, non utique sedi Apostolicæ,

si aliter insserit, prædicantes, sed interim auctoritatem sanctorum Patrum sectantes. Nam & sanctus Hieronymus in libro Comitis ita ordinavit, cuius libri ordinem & sanctus Gregorius diligentissimè observavit, sive dum lectionibus & Evangeliis Missales orationes in Sacramentario adaptaret, sive dum Antiphonas ex eisdem Evangeliis quam plurimis diebus in Antiphonario articularet. Ipsum quoque Evangelium, *Cum appropinquaret*, etsi de itinere Domini ad passionem agere historialiter videatur, non tamen istius adventùs omnino obliviscitur, cum pueri Hebræorum in laudem eius illud Psalmistæ in altum proclament: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Quod Auctor Antiphonarij de hoc adventu proculdubio intellexit, cum inde Responsorium in historiam Dominicæ Nativitatis * composuerit.

Psalm. 117. * composuit.

Capvt XXXII.

De Historia, Clama.

QVidam historiam, *Clama*, à quarta feriâ hyemalis ieiunij omni anno incipiunt, etiamsi adhuc duodecim dies usque ad Nativitatem Domini remaneant. Æstimant enim hanc historiam pro eodem ieiunio esse institutam, sed falluntur: Si enim Romana auctoritas illam ad hoc instituerat, ante Dominicam vacantem, id est, *Canite tuba*, hanc quoque sicut diurnalia eiusdem ieiunij officia collocaret. Nam hoc in omnibus huiusmodi ieiuniis observatur, vt officia eorum semper Dominicam vacantem præcedant, quæ etiam post ista semper observatur, iuxta statuta sanctorum Patrum, aut penitus prætermittitur. Nec utique aliqua Dominica vacans, propriè dicitur, nisi quæ huiusmodi ieiunij officia indivise sequitur, à quibus & ipsa inofficiatur, si necesse fuerit, ut observetur. Præterea si eadem historia pro ieiunio institutâ esset, superfluo secundam, tertiam, quartam, quintam feriam eodem modo, ut sextam, inofficiatas haberet, cum tamen nihil ad illas prædictum ieiunium pertineat. Patet ergo, hanc historiam non pro ieiunio, sed potius ad hoc esse institutam, ut proxima hebdomada ante Nativitatem Domini, sicut & ante Pascha, tantò plus in officiis * habeat, quantò vicinior Dominicæ solennitati existat. Nam & Antiphonarius hoc innuere videtur. qui historiam, *Canite tuba*, proximam Dominicam ante Nativitatem vocat, & hanc, id est, *Clama*, infra hebdomadam eiusdem Dominicæ canendam subsequenter * innuit, singulis feriis singulas matutinales laudes attribuens. Sunt autem ita descriptæ, ut eo anno observentur, cum Nativitas Domini in Dominicam, & vigilia in Sabbatum occurrit, quod & Antiphona, *Nolite timere*, in quarta feriâ præcedenti descripta, & Antiphona, *Expectetur*, de Cantico Sabbati vigiliæ ascripta, demonstrant. Vnde & ipsum Sabbatum speciali matutinali laude insigniri non necesse habuit. Nam omni anno, aut eiusdem vigiliæ officium obtinebit, aut alterius feriæ, quam eadem vigilia eo anno occupaverit. Illo non negligenter observato, ut Sabbatum semper de vigiliis ferialem Psalmum & Canticum Antiphona possideat.

* habeantur. * insinuat.

Capvt XXXIII.

De septem diebus ante Natale Domini.

SCiendum itaque est, quod prædicta officia non sunt ieiunij, sed Dominicæ, & quinque feriarum ac vigiliæ, unde & annuatim eadem officia ab octava die, quæ Nativitatem Domini præcedit, congruè incipimus, ut totam illam septimanam statutis officiis celebrem habeamus, nec tamen aliquem diem præter Sanctorum institutionem huic celebritati ex nostra parte applicemus. Et hoc quoque non otiose notandum, quia huius septimanæ officia, etsi specialiter pro ieiunio, ut probatum est, non sint instituta, numquam tamen illud omnino relinquunt, nisi eo anno, dum Nativitas Canonica occurrit. Tunc enim vigilia in Sabbato evenit, & hoc ieiunium extra hanc septimanam in præcedenti Sabbato celebrari compellit. Nam officium vigiliæ & ieiunij simul unâ die competenter nequeunt observari. In omnibus autem aliis annis, idem ieiunium aut ex integro, aut ex aliqua parte prædictæ septimanæ includitur, & per legitimas eius ferias celebratur. Vnde & Antiphonæ de Evangeliis huius ieiunij, quamvis cum ipso multoties anticipentur, meritò tamen in quarta & sextâ feriâ & Sabbato eiusdem septimanæ describuntur, quia easdem ferias idem ieiunium adeo frequentat, ut via uno anno illas ex integro derelinquat. Hoc quoque providendum, quod vigilia cum in Dominica evenerit, sex sibi responsoria de Dominicali historiâ cum Dominicalibus Psalmis assumat: tria verò ultima & matutinales laudes cum ferialibus Psalmis Sabbâto concedat. Ad Missam omnia de vigilia, sed festivè cum *alleluia, Veni Domine.*

Capvt XXXIV.

De Natali Domini.

IN Natali Domini finito nono responsorio, Evangelium, *Liber generationis*, legitur. Deinde, *Te Deum laudamus*, cum pulsatione signorum dicitur: sicque finitis nocturnalibus vigiliis, Missa, *Dominus dixit*, ante matutinales laudes, cum *Benedicamus Domino*, non cum *Ite Missa est*, completur: ne populo quasi licentiam abeundi infra matutinales laudes dedisse videamur, quas statim post Missam, iterum concrepantibus signis, incipere solemus.

Cur in Missa prima nō *Ito Missa est*. sed *Benedicamus Domino*, decantetur.

Capvt XXXV.

De secunda Vesperâ sancti Stephani.

OMnes authentici Antiphonarii secundam vesperam sancto Stephano concedunt ex integro; unde & reliquis festivitatibus per annum hoc exemplo secundam Vesperam ex toto concedimus, etiam si maior festivitas subsequatur. Non enim congruum est, ut Psalmos vespertinales tantummodo præcedenti festo, reliqua verò subsequenti tribuamus. Nam sancti Patres nullum nobis inde exemplum reliquerunt, qui potissimum nos concordiam officiorum singulari diligentiâ servare docuerunt. Summa tamen festivitas, si quando minorem subsequitur, secundam vesperam prioris festi ex toto sibi non incongruè vendicabit, ut octava Domini secundam vesperam sancti Silvestri. Vesperam quidem de quolibet festo uniformiter perficimus, deinde alterius festi, si necesse fuerit, post *Benedicamus Domino*, memoriam facimus, ut de sancto Stephano, & de sancto Ioanne observamus.

Capvt XXXVI.

De Innocentibus.

IN Nativitate Innocentium, *Gloria in excelsis*, & *Alleluia* secundum ordinem reticemus. Item, *Te Deum laudamus*, &, *Ite Missa est*, quæ cum *Gloria in excelsis*, Romano more solent admitti vel prætermitti. Hæc, inquam, omnia omittuntur, nisi Dominica fuerit. *Gloria Patri* vero numquam dimittimus, nisi de Passione Domini. Merito autem passio sanctorum Innocentium minus festivè quam aliorum sanctorum celebratur, quia licet martyrio coronati, nondum tamen ad gloriam, sed ad † infernalem pœnam discesserunt. Nam ante descensum

† In infernalem

A Chriſti ad inferos, nullus ſanctorum ad illam gloriam pervenit, ad quam Chriſtus antiquos ſanctos perduxit, & deinceps ſuos ſequaces perducere non deſinit. Sed quia ipſi in reſurrectione Dominicâ, cum reliquis ſanctis liberari & conglorificari meruerunt, convenientiſſimè & ipſi iuxta ordinem, ſolitam gloriam in officiis cum reliquis ſanctis obtinebunt, ſi natalis eorum uſque ad diem reſurrectionis, id eſt, Dominicam pervenerit. Octavam quoque eorum eodem modo, ut aliorum ſanctorum, celebramus, quia iam tranſacta die reſurrectionis, non dubitamus eos gloriari cum aliis ſanctis.

pœnam tue intellige, carcerem ſcilicet Patrum, ſeu ſinu Abrahæ, quo ante Chriſti mortem innocentes martyres deſcendebant, unde tamen Chriſti morte in cælis recepti ſunt.

B

Capvt XXXVII.

De officio, Dum medium ſilentium:

SI Nativitas Domini, vel aliqua ſubſequentium ſolennitatum in Dominica evenerit: officium, *Dum medium ſilentium*, poſt natalem Innocentium ad privatos dies congruè ſervatur: ſicut & in aliis Dominicis agimus, ſi aliquando celebrius in iis feſtum habuerimus, unde etiam idem officium Romano more repetimur, ſi quando ab Octava Domini uſque ad Epiphaniam, Dominica evenerit. Omnis enim Dominica à Nativitate Domini, uſque ad Epiphaniam, ex antiqua traditione illud obtinebit: quæ tamen celebriori feſto occupata non fuerit: nam cum hoc officium de Nativitate Domini agat, convenientiſſimè illis Dominicis adaptatur, quæ & reliqua officia de eadem ſolennitate ſolent obtinere. Non enim illi ſunt audiendi, qui hoc officium, eo quod de Nativitate agat, nunquam poſt octavam Domini dicendum exiſtimant: cum tamen ipſi vigiliam Epiphaniæ de Nativitate Domini ex integro inofficiare ſoleant & debeant. Ipſi quoque ſi Dominica in octava ſancti Stephani vel aliorum evenerit, Dominicam de octava inofficiant, dum tamen Eccleſiaſtica ſolennitas, non pro octava S. Stephani, ſed pro octava Domini agatur. Hoc autem S. Patres in diſpoſitione officiorum ſummopere procuraverunt, ut officium ſemper inſtanti celebritati concordaret: ne clerus aliud quam populus, in Eccleſiaſticis celebritatibus obſervaret. Præterea omnes Dominicæ ſolennitates ſibi invicem affines, hoc habent privilegium, ut obſervatio earum adinvicem continuetur: ut, Reſurrectionis uſque ad Aſcenſionem, & Aſcenſionis uſque ad Pentecoſten commemoramus, & omnes Dominicas iis ſolennitatibus interpoſitas de eiſdem inofficiamus. Sic quoque & nativitatis Dominicæ, uſque ad Epiphaniam memoriam agimus, niſi inquantum feſtis Sanctorum vel octavis eorum ſatisfacere cogimur. Eodem quoque modo infra hunc terminum occurrentes Dominicæ, officium de Nativitate poſſidebunt.

De Dominica celebrandum Officium, etiamſi in illa Octava ſancti Stephani aut aliorum eveniat.

C

Capvt XXXVIII.

De eodem officio in alia Dominica repetendo.

QVamvis autem duæ Dominicæ multoties eveniant eo tempore, nunquam tamen ambas Dominicali officio occupari feſta Sanctorum permittent, niſi eo tantum anno, dum vigilia Epiphaniæ in Dominica evenerit. Vnde & ſanctus Gregorius ſatis competenter unum Dominicale officium eo tempore ordinavit, eo quod & ibi una tantum Dominica, omni pene anno occurrat, quæ huiuſmodi officio indigeat. Nec hoc utique ſanctus Gregorius, vel poſt Epiphaniam, vel poſt Pentecoſten ſervare curavit, ut tot officia ſemper haberemus, quot Dominicæ poſſent evenire. Nam optime prævidit huiuſmodi inæqualitatem, repetitione officiorum facile emendari poſſe. Vnde & nos, cum vigilia Epiphaniæ in Dominica occurrit, prioris Dominicæ officium pleniter repetimus. Sic & in Dominicis poſt Epiphaniam & poſt Pentecoſten,

D

E quoties neceſſe fuerit, iuxta Romanam conſuetudinem facere debemus. Sicut enim hiſtorias Dominicarum, inquantum tempori ſufficit, repetimus, nihilominus & officia earum repetere poſſumus. Nam & Dominicale officium alij Dominicæ, quæ eiuſdem obſervantiæ eſt, non † competentius adhibebitur, quam ſingulis privatis diebus, qui Dominicarum officia dum recipiunt, ex feſtivis ferialia efficiunt: hoc tamen non tam ex Eccleſiaſtici conventûs neceſſitate, quam ex propria devotione uſquequaque uſitamus. Non ergo magis incongruum videatur, ſi idem officium in alia Dominica, ut Eccleſiaſtico conventui ſatiſfiat, repetatur.

† incompetentius.

Capvt XXXIX.

De octava Domini.

F IN octava Domini, iuxta Romanam auctoritatem, non officium, *Puer natus eſt*: ſed, *Vultum tuum*, ut in Graduali libro habetur, cum *Alleluia, Poſt partum virgo* cantamus, & orationem Gregorianam, *Deus qui ſalutis æternæ*: non illam, *Deus qui nos Natiuit.* dicimus. Et notandum, huius octavæ officium evidentiſſimè de ſancta Mariâ agere. Vnde & Romani ea die ad ſanctam Mariam ſtationem faciunt, nec immeritò: nuper enim, cum Nativitatem Domini celebraremus, nullum tam ſpeciale officium matri eius attribuere potuimus. Vnde non incongruè illam ſpecialiùs in octava Domini veneramur, ne ſolennitate Filij ſui expers eſſe videatur, quam tamen in eadem ſolennitate poſt Dominum maximè honorandam eſſe non dubitamus. Matutinales quoque laudes huius octavæ, de ſancta Mariâ agunt expreſſiſſimè. Vnde & illa reſponſoria de Nativitate Domini, quæ de ſancta Mariâ commemorant, huic diei congruè attitulantur, ne à Gregoriano eiuſdem diei officio diſcrepemus in aliquo. Aptè autem omnia in hunc modum ordinari poſſunt. Ad Veſperam Antiph. *Tecum principium*, cum reliquis. Reſponſorium *Congratulamini.* Hymnus, *A ſolis.* In Evangelio Antiph. *Magnum hæreditatis.* Invitatorium, *Chriſtus natus eſt.* Antiph. *Dominus dixit.* Antiph. *In ſole.* Antiph. *Elevamini.* Reſp. *Deſcendit.* Reſponſ. *O magnum.* Reſponſorium, *ſancta & immaculata.* Antiph. *Speciosus.* Antiph. *Rex omnis.* Antiphona, *ſuſcepimus.* Reſponſorium, *Beata & veneranda.* Reſponſorium, *Congratulamini.* Reſponſorium, *Continet in gremio.* Antiph. *Homo natus.* Antiph. *Exultabunt.* Antiph. *Natum fecit.* Reſponſorium, *Confirmatum eſt.* Reſponſorium, *Neſciens mater.* Reſponſorium, *Verbum caro.* Matutinales laudes, *O admirabile*, per ordinem. Eædem Antiphonæ, in ſecunda veſperâ ſuper Pſalmos de Nativitate Domini leguntur. In Evangelio Antiphona, *Qui de terra eſt.* In Dominica autem poſt Nativitatem Domini, ita ordinabitur: Invitatorium, *Chriſtus natus eſt.* Pſalmi Dominicales, cum tribus antiphonis de Nativitate Domini. Reſponſorium, *Deſcendit.* Reſponſorium, *Quem vidiſtis.* Reſponſ. *O magnum.* In 2. noct. Reſponſorium. *Continet in gremio.* Reſponſorium. *Confirmatum eſt*, Reſponſorium. *Hic qui advenit.* In tertio nocturno Reſponſorium, *Ecce Agnus Dei.* Reſponſ. *Benedictus.* Reſponſ. *O regem.* Matutinales laudes, *Quem vidiſtis.* In Evangelio: *Dum medium.* Notandum autem, in octava Domini nocturnalem cantum de ſancta Mariâ multum agere, quia & diurnale officium in honorem eius videtur inſtitutum. In Dominicali autem nocte, non tam de ſancta Mariâ, quam de Nativitate Domini agimus: quia & in diurnali officio ſpecialiter de Nativitate Domini commemoramus: Eſt autem traditio ſanctorum Patrum; ut in huiuſmodi feſtivitatibus officio Miſſæ, reliqua concordent officia.

Rationale divinorum.

G

H

A

CAPUT XL.

De Epiphania.

SI vigilia Epiphaniæ in Dominicam evenerit, in nocte, ut prædictum est, canimus. In die quoque officium, *Dum medium*, ut in priori Dominica, pleniter observamus. Si autem in alia die occurrit, idem quidem officium, sed cum lectione, *Scimus*: & Evangelio, *Defuncto Herode*, unde & communio, *Tolle puerum*, sumpta est, cantamus: quia hoc officium ante usum huius vigiliæ ibi cantabatur, utpote Dominicâ eiusdem hebdomadæ, sicut &, *Vocem iucunditatis*, canitur in vigilia Ascensionis, & assumitur Communio de eiusdem diei Evangelio. In Epiphania ad nocturnas, iuxta Romanum Ordinem, Invitatorium reticemus: ut à dolosa invitatione Herodis discrepemus: ab Antiphona *Afferte*, ea nocte incipitur. Antiphona, *Fluminis*, cum Psalmo in tertiam nocturnam differtur: quia maior laudatio, quam *Alleluia* sonat, sub gratia est, cuius typum tertia nocturna gerit, quam ante legem vel sub lege, quod præcedentes nocturnæ significant. Unde & omnes historiæ, quæ sibi *Alleluia*, vendicant, plus *Alleluia* in tertia nocturna frequentant. Si Epiphania in Dominicam evenerit, nihil in ea die de officio Dominicæ tangimus. Quod tamen infra Octavam eius ideo observare solemus, ut lectiones & Evangelia ferialia, quæ de baptismo Domini sonant, eo tempore recitentur, cum & festum de Baptismo Domini agitur.

B *Cur nocte Epiphaniæ Invitatorium nō dicatur. Vide eadem de re Guil. Durand.*

CAPUT XLI.

De Dominicis post Epiphaniam.

SI autem per interiacentes dies ab Epiphania usque in octavam eius, Dominica evenerit, necessario eo die Ecclesiastico conventui, cum Dominicali officio * satisfacimus, quem non pro Epiphania, sed pro Dominica convenisse scimus. Dominicales quoque Psalmi, cum cantu de Epiphania, sunt recitandi. Sic enim omnem Dominicam, Dominicis solennitatibus interpositam, nec tamen celebriori officio occupatam, de eisdem inofficiare solemus. Privatos quoque dies solennitatibus intervenientes, ita observamus, ut Invitatorium & unam Antiphonam, super ferialem Nocturnam: item Vers. Responsorium, & Matutinales laudes, & cætera, de festo dicamus. Iuxta Romanum enim ordinem ferialem nocturnam nunquam dimittimus, cum tria tantum Responsoria dicimus, nisi in hebdomada Paschæ & Pentecostes. Primæ ergo Dominicæ officium infra hanc octavam omni anno ritè observatur, etiam si propter pluralitatem hebdomadarum usque ad Septuagesimam, repetendum videatur: sicut & alia duo officia, *Omnis terra*, *Adorate*, cum multoties sex occurrant hebdomadæ, bis officiis inofficiendæ. Cum autem una tantùm Dominica inter Epiphaniam & Septuagesimam accidit, duo officia, nullo Ecclesiastico conventu fieri hoc exigente, in unam hebdomadam coniungere debebit, quicumque nullum eo anno ex statutis officiis prætermittere voluerit. Non ergo minus competenter idem officium aliquando in alia Dominica repetimus, cum nullum celebrius officium habuerimus, unde Ecclesiastico conventui rite satisfacere valeamus. Ipsi quoque privati dies Romano more officium prioris Dominicæ recipiunt, si non aliunde competenter inofficiari possint, tamen & aquæ benedictæ adspersionem, iuxta decretum sancti Alexandri Papæ, & *Credo in unum*, non dimittimus.

C ** Satisfacimus.*

D

Aquæ benedictæ adspersio.

***

E

CAPUT XLII.

De duobus festis in unum diem concurrentibus.

CUm duæ festivitates novem lectionum in unum diem concurrunt, quarum utraque plenum per se exigit officium, celebriorem ex integro observamus, alterius verò postea tantum memoriam agimus. Si autem utraque pleniter observanda videtur, aut in ipsa die ambabus singula officia persolvantur, iuxta quod & sanctus Gregorius in Sacramentario, & in Graduali libro aliquoties uni diei bina * ascripsit officia, aut una earum in sequentem diem differatur, sicut sanctus Gregorius Papa festum sancti Pauli, post festum sancti Petri voluit observare. Nam illam usurpationem, quæ ex duobus officiis in una die observandis, unum incompositè compingit, sanctorum Patrum auctoritas non admittit, (quæ semper nos in officiis concordiam custodire præmonuit) videlicet ut unam nocturnam de uno festo, reliquas de alio observemus. Eo enim pacto si utrique festo satisfacere niteremur, neutrum debitâ officiorum reverentiâ celebrasse convinceremur. Ut autem duorum festorum officia in uno die separatim compleantur, vel unum eorum in alium diem differatur: non tam generali totius Ecclesiæ observationi, quam privatæ religiosorum vacationi adiacere videtur, qui nullum de statis officiis prætermittere volunt.

** Ascribit.*

Festum commemorationis S. Pauli à D.Greg. institutū.

F

CAPUT XLIII.

De Martyribus Romanis Pontificibus.

GRregorius huius nominis Papa septimus, Apostolicæ sedi præsidens constituit, ut Sanctorum omnium Romanorum Pontificum & martyrum festivitates, solenniter ubique cum pleno officio celebrentur. Nam cum quælibet Ecclesia sui patroni, etiamsi Confessor fuerit, festum solenniter observet, quanto magis eorum, qui totius Ecclesiæ non tam patroni, quàm patres extiterunt, quam etiam usque ad martyrium verbis & exemplis instituere non destiterunt? Nota autem sanctum Gregorium Papam primum in Graduali libro de his martyribus sicut de confessoribus, Pontificialia instituisse officia, ut de sancto Marcello, Antiph. *Statuit*, & de S. Felice, Antiph. *Sacerdotes*, & hoc utique satis congruè, propter excellentiam dignitatis Apostolicæ. Hoc etiam attendendo, Maiores nostri de eisdem Sanctis confessorum officia ad cursum diei & noctis leguntur observasse, quæ & Pontificis dignitatem eodem modo insinuant, nec tamen in aliquo eorum martyrio præiudicant. Idem & de sancto Apollinare observandum esse Gradualis liber demonstrat. Et de iis quidem sanctis Hymnus, Invitatorium, Versus, *Gloria & honore*, *Posuisti Domine*, *Magna est gloria eius*, cantantur, ut de martyribus: reliqua vero per ordinem & de confessoribus. Quidam autem moderni, minus concordiam officiorum attendentes, de illis omnem cantum, ut de martyribus observant, præter ad Missam: asserentes congruum esse, ut nocte de martyrio eorum: ad Missam autem, de sacerdotali eorum dignitate agatur. Sed convenientior videtur superiorum observatio. Nam Missa in quolibet festo, reliqua solet informare officia.

G

H

CAPUT XLIV.

De octavis Sanctorum.

IUxta Romanam auctoritatem, nullorum Sanctorum octavas observare debemus, nisi unde certam aliquam traditionem à sanctis Patribus habemus. Eorum quoque quorum octavas celebramus, nullam quotidianam mentionem per interiacentes dies agimus, quia

A nullam auctoritatem inde habemus: exceptis de S. Maria, & de S. Petro, quorum memoriam & alio tempore non cessamus frequentare. In festo cuiuslibet sancti trium Responsoriorum, * Nocturnam non dimittimus: Sancto tamen Invitatorium, Responsorium & matutinales laudes, & alia usque ad finem Missæ concedimus: Reliqua de ferialibus. Nam iuxta Romanam consuetudinem, nullius sancti trium Responsoriorum mentionem facimus post Missam, sive illa canatur ad tertiam, sive ad sextam Imò cum ipsa Missa mentionem sancti finimus. In festo autem novem lectionum, omnia usque ad secundam vesperam de festo agimus.

* Nocturnas. De festis triū Responsoriorū, & novem lectionū.

Caput XLV.

De priori vesperâ Dominicali.

B Post octavam Epiphaniæ, sive privata dies sit, sive Dominica, leguntur Epistolæ Pauli usque ad Septuagesimam. Prior vespera cuiuslibet Dominicæ crastinam exigit orationem: quia capitulum ante Magnificat, sequenti ascribitur Dominicæ: sicut in Dominica de Adventu Domini, & Quadragesimæ, sive passionis Dominicæ comprobatur, quod & in aliis solennitatibus pene usquequaque frequentatur. Hoc utique & Responsoria & Antiphonæ indicant, quæ de crastina historiâ ad priorem vesperam solent anticipari. Aliquando tamen ultima Antiphona de Evangelio prioris Dominicæ, ad vesperam prædictam reservatur, ut in Dominicis post Epiphaniam & Pascha, quæ tamen adeo concordant, ut Antiphona præcedentis Dominicæ orationi subsequentis optimè conveniat.

Caput XLVI.

De Aqua adspersionis, Gloria in excelsis, Ite Missa est, & Credô.

C Alexander Papa V. à beato Petro, constituit, ut sal & aqua benediceretur ad conspergendum populum, & habitacula eorum: quod & nos in omni Dominica iuxta Canones sequimur, Symmachus Papa in ordine. 50. constituit, ut in Dominicis diebus & natalitiis Martyrum, hymnus, *Gloria in excelsis*, dicatur, quod & nos observamus in omni Dominica, & in festis novem lectionum, excepto infra adventum Domini, & à Septuagesima usque in Pascha, in iis tamen diebus natalia Apostolorum, & festa sanctæ Mariæ iuxta Romanam consuetudinem, *Gloria in excelsis*, recipiunt. Semper autem cum *Gloria in excelsis*, etiam, *Te Deum*, &, *Ite Missa est*, recitamus: nisi de Nativitate Domini in nocte, & in cœna Domini, & in vigilia Paschæ & Pentecostes. Congruè autem & in festivis diebus, Ite Missa est dicitur, quia tunc generalis conventus celebrari solet, qui per huiusmodi denuntiationem licentiam discedendi accipere solet. Ad quotidiana autem Missarum solennia, non generaliter ab omnibus, sed à religiosis convenitur, qui D plus spiritualibus negociis quam secularibus invigilant, qui & reliqua, dum licet, officia quotidie frequentant. Ergo convenienter illis post Missam, ut non statim discedant, sed ut Dominum benedicant, denuntiatur. Huic assertioni & Ecclesiastica consuetudo videtur adstipulari: quia cum, *Ite Missa est*, dicimus, ad populum vertimur, quem discedere iubemus: cum autem Benedicamus Domino, dicimus, non ad populum, sed ad altare, id est, ad Dominum vertimur nosque ipsos non ad discedendum, sed ad benedicendum Domino adhortamur. Sciendum tamen, quod *ite Missa est*, infra adventum Domini, & Septuagesimam, non recitetur: non quasi eo tempore nullus fiat conventus, qui sit demittendus, sed potius pro tristitia temporis insinuanda. Sic &, *Gloria in excelsis*, dimittitur. *Credo in unum*, iuxta Canones, in omni Dominica, & in omnibus Dominicis solennitatibus, item in festis E sanctæ Mariæ & Apostolorum, & sanctæ Crucis, & omnium Sanctorum, & dedicationis, debet cantari, nec immeritò: nam & de iis singulis in eodem symbolo aliqua reperitur commemoratio. Hoc quoque notandum, quod cum, *Gloria in excelsis*, semper Dalmaticæ & subdiaconalia resumuntur.

Caput XLVII.

De Septuagesima.

In Septuagesima Heptateuchum incipiunt. Unde & Alexander Papa secundus constituit, ut responsoria de eadem historiâ in eadem Dominica incipiantur, quæ & in sequenti Dominica repetantur, *Alleluia* etiam in sabbato ad vesperam iussit dimitti ante Septuagesimam. Ab hinc usque, in cœnam Domini, *Te Deum*, *Gloria in excelsis*, *Ite Missa est*, Item Dalmaticæ, & subdiaconalia antiquo more dimittuntur. F In bissextili anno Nativitatem sancti Matthiæ Apostoli colimus in illa die, quæ vigiliam eius proximè sequitur, non in alia, quæ propter bissextum eo anno in eodem Kalendario iteratur.

Annus bissextilis.

Caput XLVIII.

De festis infra Septuagesimam, vel Quinquagesimam occurrentibus.

Si Purificatio sanctæ Mariæ infra septuagesimam evenerit, nihil in ea iuxta Romanam consuetudinem præter *Alleluia* de solita glorificatione mutamus. Sergius Papa à beato Petro lxxxvj. constituit, ut diebus Annuntiationis Domini, & Dormitionis & Nativitatis sanctæ Mariæ, & sancti Simeonis, quod Græci *ὑπαντὴ* vocant, Litania exeat à sancto Adriano, & ad sanctam Mariam populus occurrat: *ὑπαντὴ* autem nuncupatur obviatio, quia venerabiles personæ Simeon & Anna eo die obviarunt Domino, dum præsentaretur G in templo. Item Cathedram sancti Petri etiam infra Septuagesimam, & Annuntiationem S. Mariæ infra Quadragesimam solennissimè cum Dalmaticis, & *Gloria in excelsis*, Romano more celebramus. Sciendum autem, quod Laodicense Concilium cap. 51. constituit, ut natalitia Martyrum in Quadragesima non celebrentur, sed eorum commemoratio fiat in diebus sabbatorum, vel Dominicorum. Quod hîc soli Martyres nominantur, hoc ideo, quia nondum apud antiquos memoria Confessorum adeo celebris fuit. Sancti quoque Patres in Toletano Concilio de Annuntiatione S. Mariæ constituerunt, ut de Quadragesima in 15. Kalendas Ianuarij transferretur, ubi annuatim solenniter & convenienter ante Natale Domini posset celebrari: ut puta cum omnia illius temporis officia de eadem resonent Annuntiatione, ut in Ambrosiana observatur Ecclesia. Sed, nos magis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ morem gerentes infra Quadragesimam, illam celebramus, sicut & aliorum quorundam Sanctorum. Synodaliter autem legitur statutum, ut eadem Annuntiatio, si in triduo ante Pascha occurrat, in sabbato H ante Palmas anticipetur: qui dies & proprio officio caret, & per totum annum venerationi S. Mariæ solet obsecundare; quæ anticipatio & omni necessaria videretur anno, dum eadem festivitas idem sabbatum subsequitur, eo quod duæ subsequentes septimanæ propriis officiis intantum sunt occupatæ, ut tantæ solennitati dignè nequeant deservire. Sed nos nihil in hac editione temere canonizatum deprehendimus. Cum autem festivitates novem lectionum in Quadragesima agimus, omnia de festo, die ac nocte, & Missam de ipso ad tertiam festivè dicimus. De Quadragesima vero post *Benedicamus*, Antiphonam ferialem cum precibus & oratione, & hoc ad matutinum & vesperum tantùm: Missam quoque de Quadragesima, ad Nonam cum genuflexione.

A

Capvt XLIX.

De capite Ieiunij.

IN capite ieiunij, Miſſam dicimus ad Nonam, & omnia facimus ut in Quadrageſima. Cum enim illi quatuor dies pro complemento Quadrageſimalis ieiunij recipiantur, neceſſariò quadrageſimalem obſervantiam obtinebunt, videlicet ut † tandem poſt veſperam ieiunium ſolvatur, ſicut in Canonibus præcipitur, quod tamen alio tempore ſtatim poſt Nonam ſolvitur, cum & Miſſa ad Sextam celebratur. In hoc enim Quadrageſimale ieiunium ab aliis differt diebus, quod in aliis poſt Nonam, in hoc autem poſt veſperam reficere debemus. Nec iuxta canones quadrageſimaliter ieiunare cenſemur, ſi ante veſperam reficimur. Ergo & in his quatuor diebus, ſimiliter ieiunare debemus, ſi cum iis Quadrageſimale ieiunium adimplere volumus. Vnde & Miſſa in iis diebus, non ad Sextam, ſed ad Nonam meritò celebratur. Eſt enim Eccleſiaſtica conſuetudo, ut ad Nonam reficiamur, cum ad Sextam Miſſam celebramus: ad veſperam autem, cum ad Nonam ſacrificamus, ut ergo & in iis diebus uſque ad veſperam ieiunemus, canonicum eſt, ut & Miſſam ad Nonam differamus. Sciendum autem, non ſolùm modernos, ut quidam putant, ſed & antiquos à capite ieiunij incepiſſe, cum & S. Gregorius ibi quadrageſimalia officia videatur initiaſſe. Sic enim in Gregorianis Sacramentariis ſive Gradualibus libris evidentiſſimè declaratur. Subſequens tamen Dominica propriè initium Quadrageſimæ dicitur: unde & xlij. dies uſque in Paſcha computantur, quibus cum ſex Dominicas ſubtrahimus, non niſi triginta ſex in abſtinentia obſervamus. Ergo à capite ieiunij neceſſario incipimus, ſi cum Domino ieiunium quadraginta dierum complere volumus. Exinde etiam orationem ſuper populum iuxta Gregorij inſtitutionem exordimur, quam nunquam dicimus, niſi cum & quadrageſimaliter ieiunare debemus.

† non niſi.

B

Initium Quadrageſimæ.

C

Capvt L.

De Quadrageſima.

IN Quadrageſimali dicitur præfatio, *Qui corporali ieiunio*, iuxta ſtatutum Pelagij Papæ non minus in Dominicis, quam in earum feriis. A Dominica tamen Palmarum, eo quod ibi Paſſiones legere incipimus, præfationem de Cruce dicimus uſque in Cœnam Domini, videlicet per illos quinque dies quinquepartitam Domini Paſſionem intimantes: ipſámque hebdomadam, quam ſancti Patres maiorem vocant, eadem præfatione adornantes: nam & convenientiſſimè eo tempore dicitur, cum de paſſione Domini tam ſpecialiter agitur. In prima hebdomada Quadrageſimæ celebrandum eſt ieiunium vernale, ſicut & ſancti Patres, Leo Magnus, Gelaſius, Gregorius Papa primus, & ſecundus & ſeptimus, conſtituiſſe leguntur. Tractum, *Domine non ſecundum*, quem in Quadrageſima frequentamus, non tam ex Romano Ordine, quam ex noſtra conſuetudine uſurpamus. Melchiades Papa à B. Petro 33. conſtituit, ut nullus in Dominica nec in quinta feria ieiunaret. Vnde ſanctus Gregorius in diſpoſitione officiorum quintam feriam infra Quadrageſimam, vacantem dimiſit, ut quia feſtiva erat, ſicut Dominica, etiam officio Dominicali honoraretur. Sed quia eadem feria ieiuniis poſtmodum applicata eſt, † ut reliquæ Gregorius Iunior ſtatuit eſſe ſolennem officiis undecunque collectis, & maximè ex æſtivalibus Dominicis, unde & Antiphonæ ex Dominicalibus Evangeliis quintis feriis adhuc aſcriptæ reperiuntur, ut ex Evangelio, *Homo quidam erat dives*: Et, *Ibat Ieſus*: Et in hebdomada quoque Pentecoſtes, quinta feria officio Dominicæ inofficiatur. Sabbata ante Quadrageſimam & ante Palmas Dominicarum ſuarum officia recipiunt: nec immerito, cum qualibet dies privati, de ſuis Dominicis ſoleant inofficiari. Ad omnes horas quadrageſimales genua flectimus. Item ad Miſſam, etiamſi ſalutatio præcedat orationem, niſi alia oratio ſine ſalutatione præceſſerit: tunc enim ad priorem tantùm genua flectimus; excepto, in quarta feriâ poſt Palmas, ubi ad utraſque iuxta Romanum ordinem genua flectimus.

D

† Greg. Iunior, ut reliquas ſtatuit.

E

Capvt LI.

De oratione ſuper populum.

ORationem ſuper populum in Quadrageſima, ideo frequentamus: quia cum maiorem conflictum in ieiuniis & orationibus contra ſpiritales nequitias ſumimus, neceſſario nos inſtantiùs Deo commendare debemus. Nam oratio poſt communionem, pro ſolis communicantibus ſolet orare. Populus autem etſi quotidie in Quadrageſima conveniat, non tamen quotidie, ut deberet, communicat. Ne ergo populus ita oratione ut communione careret, adiecta eſt oratio ſuper populum. In qua non de communicatione, ſed de populi protectione ſpecialiter oratur. In Dominicis tamen diebus non dicitur, quia genuflectio vitatur, quæ huic orationi à popolo antiquitus perſolvebatur, vel potius ideo, quia omnes iuxta atteſtationem ſancti Ambroſij, in Dominicis diebus communicare deberent, quibus & oratio poſt communionem pro benedictione ſufficere poſſet. Sciendum eſt autem, iuxta antiquos Patres, quod ſoli communicantes divinis myſteriis intereſſe conſueverunt, unde & ante oblationem iuxta Canones iubebantur exire Catechumeni & pœnitentes, † videlicet qui nondum ſe paraverunt ad communicandum. Hoc quoque ipſa ſacramentorum innuit confectio, in qua Sacerdos non pro ſola ſuâ oblatione & communicatione, ſed & aliorum rogat, & maximè in oratione poſt communionem, pro ſolis communicantibus orare videtur. Nec propriè communio dici poteſt, niſi pluries de eodem ſacrificio participent. Apud Græcos etiam, ut legitur, excommunicandus eſt, qui uſque ad tertiam Dominicam non communicaverit. Beatiſſimi quoque Patres noſtri Ambroſius & Auguſtinus, ad quotidianam nos hortantur communionem. Sed quia hoc modo nec ab omnibus Preſbyteris in Quadrageſima nedum à laïcis obſervatur, congrue adiecta eſt oratio ſuper populum, ut vel eo tempore ultima benedictione populus non careret, dum tamen communicare non ſoleret. Hinc quoque & illa conſuetudo apud modernos, quæ non fuit apud antiquos, inoleviſſe videtur, ut & in aliis temporibus, etiam Preſbyteri poſt finem Miſſæ benedicant, ne populum ita benedictione, ut communione, privatum diſcedere permittant.

F

† ut qui.

G

Capvt LII.

De diebus Dominicæ paſſionis.

A Dominica de paſſione Domini, non dicitur uſque in Paſcha, *Gloria Patri* ad Reſponſoria vel ad Introitus, vel ad Pſalmum *Venite*, ad quem etiam repetitio Invitatorij ſolet mutari, id eſt, ut ad primum verſum à medio, ad ſecundum autem à principio repetatur, & ſic uſque in finem alternetur. In Pſalmis ad tertiam nocturnam, legitur Homilia de Evangelio, *Cum appropinquaret*. Iuxta ordinem non dimittitur ſalutatio ad paſſiones, niſi in Paraſceve, † ubi & Sacerdotale officium reticetur, ſed, *Gloria tibi Domine*, non ſubiungimus. Sciendum autem, ſi quando infra paſſionem Domini de aliquo Sancto agimus, *Gloria Patri*, non omittimus. In feria ſecunda & tertia poſt Palmas, duæ lectiones leguntur continuatam ad Miſſam, ut in Nativitate Domini. Item in Sabbato poſt mediam

H

† à Sacerdote officium.

A

† ſingulas recipiunt.

Quadrageſimam, & in quartâ feriâ, poſt Palmas, duæ lectiones leguntur, & † ſingulæ accipiunt genuflexiones, nec immeritò: Nam & Apoſtolus in eadem die in Antiphona ad Introitum, Omnia cœleſtia & terreſtria & infernalia ad genuflexionem pro paſſione Domini hortatur, quæ in hac die conſilio Iudæorum facta legitur, quod enim in hac die Iudæi conſiliati ſunt, hoc in Paraſceve peractum eſt. Sicut ergo Paraſceve plus quam aliæ feriæ ſextæ in genuflexionibus celebria habetur: ſic & in hac quartâ feriâ plus quam in aliis, genuflectere meritò debemus. Cùm enim omnes quartas ferias pro paſſione Domini ſervemus, quis negat illam nobis maximè obſervandam, quæ nobis eandem ſpecialiùs paſſionem annuatim repræſentat? Iuxta Romanum quoque ordinem, eaſdem orationes cum genuflexionibus in quartâ feriâ dicere debemus, quas & in Paraſceve ante ſalutationem crucis ſancta Eccleſia ſolet obſervare. Præterea hæc hebdomada iuxta † Romanum Ordinem maior appellatur, eo quod ex ſanctiſſimo Dominicæ paſſionis ſacramento inſignior cæteris habeatur. Iure ergo eandem & lectionibus & genuflexionibus ſive in aliis obſervationibus celebriorem, quam aliàs habemus, Iuxta Romanum ordinem in cœna Domini in Paraſceve & Sabbato ſancto, ad matutinales laudes poſt *Benedictus*, ſub ſilentio dicendum, *Kyrie eleiſon* preces & orationes. In Cœna Domini, *Gloria Patri*, & *Gloria in excelſis* reticetur, niſi ubi Chriſma conſecratur: Diaconi tamen Dalmaticis, & Subdiaconi ſubdiaconalibus utuntur. In qua die ſub anathemate interdicitur, ne quis ſolvat Quadrageſimale ieiunium, ut Priſcillaniſtæ faciunt. Sic enim Sancti Patres noſtri in Laodicenſi & in Toletano Concilio conſtituiſſe leguntur. Hinc B. Leo in ſermone de Quadrageſima: Qui, inquit, in Quadrageſima unum diem prætermittit, totam Quadrageſimam violavit, præcipue † illam diem, quæ cum finis ſit quadrageſimæ, magis eſt obſervanda, quam alia, quia omnis laus in fine canitur quam maximè. In Paraſceve officium à lectione, non ab oratione, iuxta ordinem incipitur. Nam oratio finis eſſe ſolet potiùs officiorum, quam principium, ut in ipſa Miſſa patet, & in ſingularibus curſibus. In eadem die ante ſingulas orationes, præter illam de Iudæis, *Flectamus genua*, dicimus: ſtatimque, *Levate*: Poſtea orationem ſubiungimus, Romano more, ſicut & in aliis diebus continuamus.

B

† Romanam auctoritatem.

† illam præcipue diem.

C

Capvt LIII.

De Sabbato ſancto.

IN ſabbato ſancto Zoſimus Papa cereum magnum benedici conſtituit, qui & ante benedictionem illuminandus eſt, & in octavis Paſchæ populo diſtribuendus ad ſuffumigandum rebus eorum, quem Diaconus acceptâ benedictione ab aliquo ſacerdote debet benedicere. Duodecim lectiones iuxta Romanum Ordinem legendæ ſunt abſque titulis, ante baptiſmum. Poſt baptiſmum presbyteri demum poſſunt Miſſam, ſi neceſſe fuerit, privatim celebrare, quia iam renati ſunt, de quibus ſpecialiter in Miſſa agere debemus: nec poſtea à lectionibus, quas iam audivimus: ſed à Litania, incipere ſolemus.

D

Miſſa privata.

Capvt LIV.

De Paſchali obſervatione.

IVxta Romanam auctoritatem, Agnus in Paſcha benedicitur, non ad altare, ſed ad communem menſam. *Credo in unum*, & alia huiuſmodi, quotidie uſque in octavam dicimus, ut in die ſancto. Verſum Gradualis, *Benedictus qui venit*, in quintâ feriâ: *Lapidem*, in ſextâ feriâ congrue dicimus, in qua Dominus à Iudæis reprobatus eſt. In ſabbato infra octavas Paſchæ, Antiphona: *Cum eſſet ſerò*, ad veſperam cantatur, eo quod idem Evangelium apud antiquos uſque ad, *Thomas autem*, in eodem ſabbato legebatur, ſicut adhuc breviaria Evangeliorum teſtantur. Ad hanc veſperam feriales pſalmi dicuntur cum *Alleluia*, & in nocte Dominicâ nocturna & novem lectiones iuxta Romanum Ordinem. Et ſic deinceps feriales pſalmos ad veſperam & ad nocturnam cum *Alleluia* dicimus, niſi feſtum occurrat novem lectionum. Semper tamen ad matutinas, *Dominus regnavit*, recitamus. Sed quia quamplures, omnes dies hinc uſque in Octavam Pentecoſtes cum tribus pſalmis & lectionibus obſervare volunt, operæpretium videtur, ut ad auctoritatem ſedis Apoſtolicæ recurramus, & inde, quid nobis faciendum ſit, exploremus, unde totius Chriſtianæ religionis formam accepimus, Gregorius Papa in Apoſtolica ſede conſtitutus, † in hac cauſa tale ſtatutum promulgavit: A die, inquit, reſurrectionis, uſque in ſabbatum in albis, & à die Pentecoſtes uſque in ſabbatum einſdem hebdomadæ, tres pſalmos tantum ad nocturnas, tréſque lectiones antiquo more cantamus & legimus. Omnibus aliis diebus per totum annum, ſi feſtivitas eſt, novem pſalmos & novem lectiones & Reſponſ. dicimus: aliis autem diebus duodecim pſalmos & tres lectiones recitamus. In diebus Dominicis octodecim pſalmos, excepto die Paſchæ, & die Pentecoſtes, & novem lectiones dicimus. Hoc etiam uſquequaque iuxta Romanum Ordinem ita fieri ſtatuimus, ut ſupra notavimus. In octava Paſchæ hiſtoriam, *Dignus es Domine*, & Apocalypſin, iuxta ordinem incipimus.

E

† de hac.

F

Capvt LV.

De feſtis infra Paſchale tempus.

AB octava Paſchæ uſque in Pentecoſten, in feſtis trium Reſponſoriorum, unum *Alleluia* tantùm: Novem vero lectionum, duo *Alleluia* ad Miſſam cantamus, ſive de reſurrectione, ſive de alio feſto. Et cum duo *Alleluia* dicimus, non primum, ſed ſecundum repetimus. Præfationem quoque uſque in Aſcenſionem Domini, non omittimus, quia die & nocte Paſchale officium celebramus. Incongruum enim eſſet, ut ſola præfatio ferialiter, & omnia alia Paſchaliter obſervarentur. In nativitate tamen Apoſtolorum Philippi & Iacobi, præfationem de Apoſtolis dicimus: ſicut & de Cruce in Inventione ipſius. Hoc tempore nullius feſti vigiliam ieiunare vel obſervare iubemur, niſi Aſcenſionis & Pentecoſtes. Hoc quoque congrue in omnibus vigiliis obſervatur, ut Nona de futuro feſto peragatur, ſi tamen poſt Miſſam differtur, videlicet, ut poſtquam de feſto poſt Miſſam incipimus, nullam deinceps cum nona diſſonantiam officiorum faciamus: quam maximè Sancti Patres in diſpoſitione eorundem devitare ſtuduerunt. Sciendum autem quod Antiqui de ſanctis communiter in Paſchalibus cantare ſolebant, unde & adhuc de uno quæ ad plures pertinent, cantantur, ut *Alleluia*, *Gaudete*: & offertorium, *Confitebuntur*: & Reſponſorium, *In ſervis ſuis*. Et hoc ideo, quia univerſali reſurrectione, cuius typus eo tempore agitur, communis eſt lætitia & feſtivitas iuſtorum, Ideo etiam invenitur in Martyrologiis, ſive in ſacramentariis, feſtivitas ſanctorum Iacobi & Philippi, & omnium Apoſtolorum. Euſebius Papa à beato Petro 12. conſtituit, ut omnes Chriſtiani Inventionem Sanctæ Crucis V. Nonas Maij ſolenniter celebrarent. Vnde & nos illam cum pleno officio obſervare debemus, quod non incongrue ita ordinare poſſumus. Antiphona, *Helena*. Invitatorium, *Alleluia*, *Regem crucifixum*. In I. nocturno, Antiphona, *Adoramus*. Antiphona, *Adoramus*. Antiphona, *Tuam crucem*. Pſal. † *Domine Deus noſter*. *Conſerva me*. *Domine in virtute*. Verſ. *Omnis terra*. Reſponſorium, *Hoc ſignum crucis*. Reſponſorium,

G

H

† Domini eſt terra.

Agnus

A *Agnus Dei Christus.* Responsorium, *Ecce vicit leo.* In secundo nocturno. Antiphonæ, *Crucem sanctam. Per signum crucis, Nos autem.* Psalmi, *Domini est terra, Magnus Dominus, Iubilate.* Versus, *Dicite in nationibus Dominus regnavit à ligno.* Responsorium, *Dignus es Domine.* Responsorium, *Audivi.* Responsor. *Dulce lignum.* In tertio nocturno, Antiphona, *Salvator mundi.* Antiphona, *Salva nos.* Antiphona, *O magnum.* Psalmi, *Cantate,* prim. *Dominus regnavit exultet, Cantate,* secund. Vers. *Mihi autem absit gloriari.* Respons. *Bonum est confiteri Domino* Respons. *Dicant nunc.* Respons. *O crux benedicta.* Ad laudes matutinales, Antiphona: *Helena Constantini.* Antiphona. *Tunc precepit.* Antiph. *Helena sancta.* Antiphona, *Cúmque ascend.* Antiphona, *Orabat Iudas.* In Evangelio, Antiph. *Cum orasset Iudas.* De sancto autem Alexandro & sociis eius post *Benedicamus*, commemorare solemus. Exaltatio autem sanctæ crucis non adeo generaliter & solenniter celebratur, & hoc fortasse ideo, quia nullum inde tam speciale statutum, ut de inventione, reperitur.

B

Capvt LVI.

De Pascha annotino.

ROmani annotinum Pascha quasi anniversarium Pascha dicunt, quia antiquitus apud illos, qui in priori Pascha baptizati erant, in sequenti anno eadem die ad Ecclesiam convenere, suæque regenerationis anniversarium diem cum oblationibus solenniter celebraverunt. Cuius diei hoc erat officium, *Resurrexi*, per totum. Lectio, *vidi Ostium* Evang. *Erat homo ex Pharisæis*, cum orationibus ad hoc competentibus: quæ omnia apertissime de gratia regeneratorum agere videntur. Sed quamvis huiusmodi anniversarius à paucis uspiam observetur, authentici tamen libri ipsum observari debere innuunt. qui nobis lectionem & Evangelium sub titulo Paschæ annotini, annuatim præscribunt. Si enim quilibet suum natalem, quo ad æternam mortem natus est, observat: quanto magis illum
C observare deberet, quo ad æternam vitam regeneratus est?

Capvt LVII.

De Litaniis.

MAior Litania à beato Gregorio Papa primo, pro pestilentia ipsius temporis instituta est, qui & Ioanni Episcopo Ravennati scribens, diem Litaniæ, tempus cineris & cilicij appellat. Triduanæ autem Litaniæ ante Ascensionem Domini non Romanæ, sed Gallicanæ sunt: † quia illas sanctus Mammertus Viennensis Episcopus instituisse legitur: quas sancti Patres non equitando, non vestibus pretiosis utendo, sed in cinere & cilicio, sicut & maiorem Litaniam, observari statuerunt. In quarum ultima die, id est, in vigilia
D Ascensionis Domini, canitur officium, *Vocem iocunditatis.* Offertorium. *Viri Galilæi.* Communio. *Pater cum essem.*

† quas

Capvt LVIII.

De hebdomada Pentecostes.

IEiunium æstivale semper infra Pentecosten est celebrandum. Nam orationes & lectiones de eodem ieiunio, agunt de † spiritu sancto. Sicut ergo ieiunium vernale semper infra quadragesimam est celebrandum, eo quod quadragesimalia habeat officia: ita & istud infra festum Spiritûs sancti, unde habet officia, aptè celebratur. Sic enim Sancti Patres de utroque ieiunio constituisse leguntur. In ieiunio Pentecostes, genua non flectimus, iuxta Romanum Ordinem. Quidam etiam ad Missam ieiunij, nec *Gloria in excelsis* prætermittunt, sed incongruè, cum eadem Missa de tertia
E mutetur ad sextam. Sunt enim tres horæ in die, ex Dominica passione ad celebranda mysteria consecratæ, videlicet, Tertia, in qua linguis Iudæorum: Sexta, in qua manibus gentilium crucifixus est. Nona, in qua emisit spiritum. Inter quas horâ tertiâ in festivis diebus maximè observatur, ea fortasse ratione, quia inter reliquas passionis horas, tempori Dominicæ resurrectionis sive Nativitatis propinquior esse videatur. Sexta vero vel nona, ieiuniorum officiis deputantur. Excepto autem in Cœna Domini, in sabbato sancto Paschæ & Pentecostes, nunquam alicui Missæ, *Gloria in excelsis* ascribitur, nisi illi, quam & festivè ad tertiam celebrare debemus. Ergo non incongruè & Missis huius ieiunij, *Gloria in excelsis*, subtrahimus, quas non festivè ad Tertiam, sed ad Sextam observare solemus. Quidam autem satis aptè in hoc ieiunio duas Missas cantant, unam ad Tertiam solenniter, cum *Gloria in excelsis*, ut festo Spiritûs sancti satisfaciant: Alteram post Sextam pro ieiunio, sicut festo S. Thomæ, satisfaciunt in ieiunio hyemali, & festo Sancti Matthæi in ieiunio autumnali. Item Sancto
F Marco in Litania maiore, & annuntiationi Sanctæ Mariæ in quadragesima, videlicet ut prior Missa festo, secunda vero satisfaciat Ieiunio. Ad † quam etiam non gradualia, ut antiquitus, sed *Alleluia* cantamus.

† festo sancti Spiritus.

Horâ tertiâ, sextâ, et nonâ.

† quod

Capvt LIX.

De octavis Pentecostes.

SEquitur Dominica vacans, cui attitulatur lectio, *Vidi ostium*: orationem vero, id est, Deprecationem, ex quadragesima, & Evangelium de Pascha annotino mutuavit: officium autem de ipsa die Pentecostes, eo quod octava eius sit, competenter accipit. Ad nocturnam, novem lectiones iuxta Romanum ordinem dicimus, licet totidem responsoria de Spiritu sancto, in antiquis Antiphonariis non inveniamus.
G Et hoc fortasse ideo, quia Romani non singulis lectionibus singula semper subiungunt responsoria nam Tertium sive nonum multoties prætermittunt. Nos tamen prædictis novem lectionibus totidem Responsoria Alleluiata undecumque collecta, Gregoriano more subnectimus, id est, communiones pro Responsoriis accipientes, ut in aliquibus libris reperitur. In crastinum autem de libris Regum ad nocturnam legimus & canimus, & officium ad Missam: *Domine in tua*, nisi aliquod † celebrare festum habeamus. Ipsum etiam officium in sequenti Dominicâ Romano more possumus repetere, si tamen eo anno usque in adventum Domini plures hebdomadæ fuerint. Sin autem, officio: *Domine in tua*, solæ feriæ † sufficiant, sicut cuilibet Dominicali officio feriæ sufficiunt, cuius Dominicam aliquod celebrare officium occupaverit.

† festum celebrare debeamus.

† sufficiunt.

H

Capvt LX.

De officio Sanctæ Trinitatis.

QVidam autem officium de Sancta Trinitate, in octava Pentecostes instituunt, licet non sit Alleluiatum, quod & per totam subsequentem hebdomadam observandum putant, sed non est authenticum. Nam quidam Leodicensis Stephanus idem officium, sicut & historiam de inventione Sancti Stephani, composuisse asseritur, quæ utraque ab Apostolica sede respuuntur. Vnde piæ memoriæ Alexander Papa de † hac re inquisitus, respondit, iuxta Romanum Ordinem nullum diem specialiter ascribi debere solennitati Sanctæ Trinitatis sicut nec sanctæ unitatis, præcipuè cum in omni Dominica, immo quotidie, utriusque memoria celebretur. Sciendum autem quendam

† hoc inquisitus

† Alboinum

A † Alboinum magistrum Caroli Imp. rogatu sancti Bonifacij Archiepiscopi, ut aiunt, Missales orationes de Sancta Trinitate composuisse, & in secundâ feriâ de sapientia, In tertiâ de spiritu Sancto, In quartâ de charitate, In quintâ de Angelis, In sextâ de Cruce, In sabbato de Sancta Maria. Et hoc ideo, ut presbyteri illius temporis nuper ad fidem conversi nondum Ecclesiasticis officiis instructi, nondum etiam librorum copia præditi, vel aliquid haberent, cum quo officium suum qualibet die possent explere. Vnde & adhuc quidam easdem orationes quotidie, etiam cum † proprio abundent † officio, nolunt prætermittere. In singulis quoque hebdomadibus, sextâ feriâ de Cruce, & sabbato de sancta Maria pene usquequaque servatur: non tam ex auctoritate quam ex devotione. Sicut igitur huiusmodi observationes nulli magis hebdomadæ, quam alij, ascribuntur. Ita nihilominus & illa de Sancta Trinitate, Incongruum ergo videtur, unam

B Dominicam cum orationibus Albini, & cantu Stephani. De Sancta Trinitate celebrari: cum omnes Dominicæ authenticis abundent officiis, quæ non minus nobis intimant honorem sanctæ Trinitatis. Præfationem autem de sancta Trinitate, quam in diebus Dominicis frequentamus, non ex Albino, sed ex Romana auctoritate suscepimus. Nam hæc est una ex illis novem, quas solas Pelagius Papa antecessor Gregorij constituit observari. Fecit tamen idem Albinus in sancta Ecclesia non contemnendum opus, nam Gregorianas orationes in libris sacramentorum collegisse asseritur, paucis aliis adiectis, quas tamen sub obelo notandas esse indicavit. Deinde alias orationes sive præfationes, etsi non Gregorianas, Ecclesiasticæ tamen celebritati idoneas collegit, sicut prologus testatur, quem post Gregorianas orationes, in medio eiusdem libri, collocavit.

† Albinum. † pro. † officia.

C

Capvt LXI.

De concordia & ordine officiorum.

SCiendum autem, quod Sanctus Gregorius ita Ecclesiastica ordinavit officia, ut prima oratio in Missa, officio, lectioni & Evangelio semper concordet: sicut in omnibus solennitatibus deprehendi potest. Sed hanc concordiam in æstivalibus Dominicis illi maximè confundunt, qui vacantium Dominicarum orationes incongruè assumunt. Verbi gratia, ut illam orationem, *Deprecationem*, etsi in octava Pentecostes post ieiunium quatuor temporum legitimè ponatur, multoties tamen & inter Dominicas in tertio loco reperitur: & hoc ideo, quia & prædictum ieiunium in secunda hebdomada post Pentecosten aliquando, licet incongrue, celebretur. Qui ergo prædictam orationem tertio Dominicali officio applicaverit, concordiam officiorum usque in adventum Domini secundum ordinem disturbabit. Eodem modo & ille pecca-

D bit, si quis post ieiunium autumnale orationi vacantis Dominicæ, sive illi orationi, *Absolve*, quæ ieiunium præcedit, * aliquid ex Dominicalibus officiis adaptaverit. Iis ergo præmissis, ita Missales orationes singulis officiis seriatim copulentur, ut illa oratio, *Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantiâ pietatis*, illi Evangelio, *Duo homines*, societur, quæ ad invicem adeo concurdant, ut devotio Publicani in ipsa oratione exprimi videatur. Item illa secreta, *Deus qui legalium † differentia sacrificiorum*, semper iungenda est illis offertorio, *Sicut in holocausto*. Nam quamvis & aliæ huiusmodi orationes suis officiis indubitanter concurdent, in prædictis tamen evidentior concordia notatur: quam qui diligenter observaverit, nec antea, nec postea concordiam officiorum disturbabit, si per ordinem officiis orationes viritim sociare voluerit.

* aliquod † differentiam hostiarum

***

E

Capvt LXII.

De Dominicali officio non facile prætermittendo.

IVxta Romanam consuetudinem, in omni Dominica Ecclesiastico conventui cum officio * Dominicæ satisfacimus, nisi aliqua multum celebris festivitas in ipsa die occurrat, ut festum Ioannis Baptistæ, vel sancti Petri Apostoli: pro quibus non minus quam pro Dominica popolus solet congregari, quas & in aliis diebus solennissimè celebraremus. Item cum plures * sint Dominicæ quam officia, non ut quidam differimus, sed quoties necesse fuit, aliqua repetimus: illo duntaxat observato, ut ultimum officium in proxima tantum hebdomadâ ante adventum Domini cantetur.

F Est enim præparatio Domini adventûs, qui semper in quintâ Dominicâ ante Natale Domini debet initiari, videlicet ut sicut antiqui patres per quinque ætatum curricula, sive per quinque libros Moysis, de adventu Christi edocti sunt, nihilominus & nos per quinque Dominicas de adventu eius instruamur, ut iuxta Evangelium eiusdem diei, de quinque panibus, cum quinque millibus hominum, saturari mereamur.

* Dominical. * sunt.

Explicit μικρόλογος.



G

OLYMPIODORI, IN ECCLESIASTEN Salomonis, Enarratio, Zenobio, Acciaiolo, Florentino interprete.

EX SIXTI SENENSIS, Bibliothecæ Sanctæ, Libro IV.

O*Lympiodorus Monachus natione Græcus, Philosophus Peripateticæ scholæ, cuius extant preclari in Aristotelis Meteora Commentarij; scripsit Græce iuxta triplicem sensum, Enarrationem in Ecclesiasten, succinctam, eruditam, brevem & elegantem; quam Zenobius Acciaiolus Florentinus in Latinum transtulit: Eius initium est*; Rerum certam cognitionem.

H

EX P. PHIL. LABBE tomo 2. Dissertationum in Bellarminum.

IDem Sixtus Senensis duos ibidem Olympiodoros statuit: Primum Monachum natione Græcum, Peripateticæ Scholæ Philosophum, eique tribuit, tum præclaros in Aristotelis meteora Commentarios, tum elegantem iuxta triplicem sensum in Ecclesiasten Salomonis enarrationem. Alterum vero diaconum pariter Græcum, qui græce scripserit in totum librum Iob eruditissimos & elegantissimos iuxta literæ sensum Commentarios; quorum multa fragmenta extent Genuæ in cathena græca super Iob in Bibliotheca Saulia; opus vero integrum in Bibliotheca Vaticana servetur.

Hanc

A Hanc cathenam in Iob P. Comitolus S. I. latinitate primus donavit; tum Græce ac Latine simul ea quæ amplior Londini publicata est 1637. à Francisco Patricio Bibliothecario Regis Angliæ, qui eam Nicetæ Heracleensi Metropolitæ cathenarum plurium egregio consarcinatori tribuit ex duobus MSS. Codicibus Bodleianæ Bibliothecæ, & Olympiodoro eam ob rem à pluribus addictam innuit, quod in posterioribus præsertim capitibus reliqui Patres rariores occurrant, & ipse utramque paginam impleat Olympiodorus.

De eodem Olympiodoro & aliis eiusdem nominis Consule sacrum apparatum Posseuini.

PRÆFATIO.

B

3. Salomonis librorum argumentum.

RERUM certam cognitionem cum à Deo Salomon accepisset, qui fuit filius David non solum carnis progenie sed imitatione virtutis, triplici ipsas divisione partitus est: in Morales scilicet, ac Naturales: & eas quæ intellectu solo percipiuntur. Ac Morales quidem tradidit in Proverbiis: Naturales autem in Ecclesiastis Sententiis; Intelligibiles vero in Canticis canticorum. Est tamen invenire & in Ecclesiaste, Moralium interspersam doctrinam; & rerum Naturalium, in Proverbiis: cum tamen sua propria singulis discreta sint. Cantica vero Canticorum, totum prorsus ubique de intellectualibus disserit, spectátque ad allegoricum sensum: Sed & in Ecclesiaste ac in Proverbiis est item invenire quæ intellectualia sunt. Se vero ipsum Ecclesiasten; hoc est, Concionatorem, Salomon nominavit, tanquam cunctos mortales in Ecclesia cœtum vocans & in concordiam nectens, ac in communis Physicarum rerum speculationem tradens. Illud quoque sciendum est, sapientem hunc nostrum Ecclesiasten, modo è sua ipsius loqui persona, modo eius personam gerere qui ea quæ in Mundo sunt, attonitus admiretur. Atque hæc quidem ut in prævio quodam prospectu dicta à nobis sint: Primum vero caput, hæc ferme complectitur. Ecclesiastæ genus narrat & dignitatem, tam vero & civitatem ipsam in qua, Regia illi constituta erat. Decernit autem atque ostendit quæcumque in hoc Mundo sunt, vanitatem esse: non quod omnia damnet atque accuset, verum potius consilia hominum reprehendit qui in hoc Mundo spem suam collocasse videatur. Docet autem & de Solis ipsius motu; primo quidem Lectionis occursu, physicè loquens, cum tamen ad Theologicam allegoriam eius mens intentióque pertineat. Idem loquit & de Fluminibus, quæ in Mare prorumpunt neque illud complent. Hinc etiam docet in rebus quas creavit Deus, nihil esse recens ac novum; sed eas eum tueri locum quem ab Opifice Deo semel sortitæ sunt. Neque vero oculum expleri posse aspectu; neque penitus scire homines prima præteritorum, neque futurorum postrema; laboriosamque occupationem filiis hominum Deum dedisse: Agere autem homines quæcunque agant, nullâ quidem necessitate, electione autem spiritus: hoc est, propria libertatis: Quodque perversum est, donec in sua pravitate persistat concinnari corrigique non posse. Vt autem sermoni suo fidem autoritatémque conciliet, utpote qui omnia quæ in Mundo sunt vana esse affirmat, docet se sapientem & Regem divitémque fuisse, ut ita facilius in animos legentium irrepat, vanitatem cuncta appellans. Docet etiam in multitudine sapientiæ, multitudinem esse cognitionis; meminitque de Mundi huius lætitiâ: contenditque, si fieri possit, ut rationalis substantia quæ nobis inest, salvam fieri carnem.

C D E

CAPVT I.

F

VErba Ecclesiastæ filij David Regis Israel in Hierusalem: Vanitas vanitatum; & omnia vanitas. Verba. Cuncta scilicet hæc verba sapientis Ecclesiastæ erudientis nos aspernari vitæ huius vanitatem; auditorem convertunt atque hortantur ad verbum Fidei, quæ est in Christum Deum nostrum. *Ecclesiaste.* Tanquam in Ecclesia Dei, verba sapientiæ custodiantur; Ecclesiasten se Salomon nominavit. *Filij David.* Suum genus ac dignitatem refert Ecclesiastes ut ad personæ autoritatem animum convertentes, promptiores reddamur ad doctrinam suscipiendam. Quod autem spectat ad latentem sensum, ita intellige: *David*, interpretatur manu fortis; manu autem fortis est omnia continens Deus. Huius vero Filius Dominus noster IESVS-CHRISTVS, verus est Ecclesiastes qui ex omnibus gentibus populisque duobus unam sibi fecit Ecclesiam, quique regnat in vero Israel. *Israel* namque interpretatur, mens videns Deum in visione pacis regiam sedem habens, iuxta quod scriptum est: *Et factus est in pace locus eius*; Hierusalem siquidem pro visione pacis accipitur. Ipse igitur manifestè nos docet voluntatem hominum qui circa mundana versantur, vanitatem esse; quam & diffusius, vanitatum vanitatem appellat. *Quid habet homo amplius in omni labore suo quo laborat sub Sole?* Omnes quidem homines sub eodem Sole versamur: eorum verò qui laborant*, alij quidem vires intendunt suas ob ea quæ Solem supereminent, ut cœleste regnum in hæreditatem accipiant; alij verò ob ea laborant quæ sunt sub Sole, ut inanem scilicet gloriam, vel pecunias dignitatémve acquirant. Quid igitur (*inquit) homine homo amplius habet in eo labore quo laborat sub Sole; quando omnes relicta præsenti vita communem mortem subimus? *Generatio præterit & generatio advenit, terra autem in æternum stat.* Psal. 75.

G

Eorum quæ creata sunt, alía quidem durant absque successione, cum præsenti sæculo simul extantia, veluti Cœlum, Terra, Astra, & Sol: alia verò corrumpuntur ac pereunt, sed generis successione servantur; ut homines sunt, ut aves, ut pisces ac plantæ. Quid igitur homines laboratis circa terrena; quando ipsa terra sensu carens elementum, in longinquum tempus perdurat; vos autem secundum generationem peritis? Aut ita intellige: Terra quidem in æternum stat, accusatrix vestri effecta, in qua nefaria opera perpetrastis. Mystico autem sensu: *Generatio præterit*, Iudæorum scilicet, eiecta & repulsa: *Generatio* vero *advenit*; eorum scilicet qui in Christum crediderunt. Sacra vero Scriptura, terra nuncupatur; instar enim terræ, immobilis est, fructus gignit, omnibus patet, ac omnes accipit, veterique ac Novo Testamento suhnixa manet in sæculum, immobiles habens & iustorum promissiones, & quæ peccatoribus reposita declarantur supplicia. *Oritur Sol & in locum suum aspirat.* Certum Solis cursum dispositionémque ostendit, ut nos ad illius contemplationem attollat qui fabricatus est Solem. Movetur autem circulari motu ut nonnulli arguunt ex verbis Esdræ ita dicentis; *Magna est terra, & excelsum est cælum, & velox cursu est Sol, & vertitur in circulo cæli, & in una die ad locum suum revertitur.* 3. Esd. 4.

H

A *titur.* Quasi dicat: hic etiam Sol quamlibet magnus, ad Solem iustitiæ comparatus, vanitas est. Mystico autem sensu ita intellige. Oritur Sol in cordibus Fidelium diligens adhuc proficientes, ad ea quæ agenda sunt; sed & in ipsis occidit quando altitudines sententiarum inquirunt, atque ita maius desiderium cognitionis illis accendit. Aliter: Oritur Sol, unigenitum Dei Verbum è paterno sinu: occidit in novissimis diebus, ad occasum vitæ eius, carne assumptâ, suam quodammodo divinitatem occultans: Ipsis quidem fidelibus Deus immutabiliter factus homo cognoscebatur, ab Infidelibus autem simplex & verus esse homo putabatur. Oritur insuper ex Deipara Mariâ secundum carnem; occidit autem inferni ima descendens: Sed & rursus exoritur, à mortuis surgens. Quibuscumque autem modis hunc Solem considetes, omnes fideles trahit ad

B [Ioan. 12.] regnum cœlorum, verissimè testatus; Cùm autem exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum. *Ibi ipse oriens transit ad Notum, & flectitur ad Aquilonem.* Climata [Ventorũ Symbolica interpretatio.] explicat quæ Sol percurrit; Symbolicè autem contemplando, poteris Notum intelligere qui à calida Mundi regione spirat, pro insita hominibus rationali prudentiâ quæ nequaquam torpet, sed quia ignea fervénsque est. Aquilonem vero pro fortitudine; est enim ventus hic acer & expeditus. *Liben*, pro temperantia quæ infrigerat voluptates corporis & exsiccat: *Apelioten* vero seu Subsolanum, pro ipsa iustitia quæ per omnes commeat extenditúrque virtutes.

Omnes igitur animæ regiones illustrans, interno splendore radiat Sol iustitiæ. Aliter: Deus Verbum carne assumptâ, villas & civitates ad Notum constitutas ipse suis pedibus circuivit: per Apostolos autem, Boreales plagas. E gentibus itaque Ecclesiam congregans, omnia demum collustrans; omnes ad salutem convertit. *Lustrans in circuitu pergit Spiritus, & in circulos*

C *suos revertitur.* Literali quidem sensu; spiritum vocat Solem propter motus velocitatem: Nonnulli tamen è Gentilium opinione ita etiam exponunt, quoniam ij putant Solem anima præditum esse animal. Mystico autem sensu; Spiritus sanctus Apostolis infusus, circuire illos terras omnes faciebat; & Evangelium prædicare: sed & Apostolis induxit, ut converso itinere redeuntes, eos inviserent quos prius in doctrina fidei erudierant, ut in Actis Apostolorum planè invenies.

[Psal. 13] *Omnes Torrentes intrant Mare, & Mare non redundat.* Mos est divinæ Scripturæ, ut omnia pro plerisque accipiat, iuxta illud; *Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt:* neque enim Iusti neque Prophetæ declinaverunt. Est igitur admirari sapientiam Creatoris, quonam pacto hoc fiat ut plerisque fluviis Mare intrantibus, ipsum tamen in terminis suis consistat. Mysticè autem, flumina sunt Apostoli, iuxta quod scriptum est: *Et Tor-* [Psal. 35.] *rente voluptatis tuæ potabis eos.* Mare autem intelligitur [Ps. 103.] præsens vita, iuxta illud, *Hoc Mare magnum & spatiosum.* Evangelici itaque Apostolicique sermones in dulcorem mutant huius vitæ salsedinem: verum Mare hoc

D nequaquam impletur; neque enim omnium fides est. Moraliter autem, quasi proposito exemplo subinnuit eos homines qui inexplebilis avaritiæ morbo laborant; insatiabile namque illorum desiderium non expletur, quanquam more Torrentum undique ad illos divitiæ confluant.

[Amos 5. & 9.] *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Amos Propheta inquit: *Qui vocat aquas Maris & effundit eas super faciem terræ.* Videtur itaque hoc loco physicas adducere rationes: quod videlicet aqua Maris, a nobibus inde attracta, & in terram effusa faciat ipsos Torrentes. Inquit igitur: E Mari Torrentes fluviique exorti rursus in illud revertuntur. Mystico autem intellectu; ad locum unde Apostoli exierunt, illuc fecerunt ut Fideles converterentur: ad Deum videlicet, ut in lumine Domini postea ambularent. Aliter: Qui è virtute in vitium ac malitiam decidunt, Torrentium ac fluviorum, more ex alto quodam loco in præceps concavúmque ac terrestre delabuntur. Possunt tamen & cum ad ipsum iam vitæ terminum pervenerint,

E resipiscere, ad pœnitentiam redeuntes; & per conversionem reverti iterum in viam quæ perducit ad Paradisum onde homo primus eiectus fuit. *Cuncta rationes difficiles, non poterit homo eas explicare sermone.* Rationes quæ de certa rerum cognitione afferendæ sunt, magnam difficultatem habent eo quod non possunt homines quantumvis magnâ pollentes ingenij vi, rerum omnium absolutam consequi cognitionem. Aliter: Omnes rationes, tam quæ ad secularem quam quæ ad divinam sapientiam pertinent, non sine labore tradi possunt; [Rerum rationes nõ facile tradi posse.] sæculares tamen ac mundanæ scientiæ plerumque discentibus detrimentum adducunt. Scientia vero Dei ac divinus sermo semper est utilis; quem tamen non poterit homo pro dignitate explicare, licet alioquin prudens sit, nisi qui accepit donum doctrinæ sapientiæque sermonem. Aliter: Semper fere divini verbi doctores laborant, atque in angustia sunt, ac ple-

F rumque ab ipsa doctrina retrahuntur, cum frustra se videant operam insumere ac laborem solum locrari, ob auditorum inobedientiam ac desidiam. Prædicationis itaque officium deterret eos qui cum negligentia audiuntur. [Prædicationis officium magnitudine sua deterret prudentes.] Aliter: Oportet prius facere ac deinde alios docere. Labor est itaque non vulgaris atque exiguus sed valde periculosus, quemquam alios ea docere quæ prius ipse non fecerit. Quapropter homo perfectus ac prudens cum rei magnitudinem contemplatur, ab ipsa prædicatione resilit ac retrahitur. [Labor est valde periculosus, alios docere quæ prius nõ feceris.]

Non saturabitur oculus visu, neque auris auditu implebitur. Verba hæc secundum physicam rationem ita exponi possunt, videlicet: Neque oculus universam sensibilem creaturam Mundique machinam potest complecti, neque cuiusquam mens omnes capere rationes atque sermones qui de illa explicari possent: quia videlicet deest homo qui de iis loquatur ac do-

G ceat. Aliter: Oculi hominum cum valde agiles sint ac quodammodo lubrici, ad concupiscentiam proni sunt neque expleri possunt. Sed & qui pruritum aurium patiuntur, semper quidem res novas discere gestiunt & affectant; nunquam tamen curant ad veritatis notitiam pervenire: quapropter & divini verbi Præcones non laborant ut aures oculósque discentium modestos temperatósque efficiant. Aliter: audiendi sensus ac videndi, principales regiique sunt ac cæterorum sensuum maximè rationales: proprias namque operationes humanæ vitæ perutiles ac necessarias sine ulla satietate efficiunt. Gustus autem, Odoratus ac Tactus, citiùs fatigantur ac tædio afficiuntur. *Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? Ipsum quod faciendum est.* [Visus & Auditus, omnium sensuum maximè rationales sunt. Ibidem.] Creatarum rerum aliæ quidem æternæ sunt; id est, semel creatæ, successionem non habituræ; ut Sol, ut Luna, perpetuo durant. Aliæ vero per successionem conservantur, quæ videlicet sunt sub Sole ut animalia ipsa ac plantæ quæ generationi subiacent & corruptioni. De huiusmodi ergo Creaturis quas successio servat, habetur hic sermo, homo siquidem natus est olim fuitque ab initio, quo defuncto alius gene-

H ratur. Item & planta fuit, planta nascitur. *Et non est aliquid recens sub Sole: neque qui dicat ac loquatur, ecce hoc novum est, iam enim præcesserunt in sæculis quæ fuerunt ante nos.* Sæculum quandoque spatium vitæ humanæ significat, iuxta illud; *Non comedam carnem in sæculum*, id est, in tota vitâ meâ: Et alibi: *Erit tibi servus in sæculum.* [Sæculum pro humanæ vitæ spatio.] Quandoque autem perpetuum, temporariam durationem Mundi huius ab initio Creationis usque ad finem. Dicit ergo nihil esse novum in successionibus hominum, animalium ac plantarum. Aliter etiam: Qui probi officiosique fuerint in hac vitâ, in futuro sæculo coronantur, puniuntur autem scelesti. *Quid est igitur quod fuit? ipsum quod futurum est:* Quasi dicat: officiose quispiam vixit? præmia virtutis accipiet; scelestè alius vixit? sui flagitij pœnas dabit. Quæ igitur in futura vitâ & sæculo nobis advenient, præmia illorum erunt quæ in hac vitâ sæculoque præcesserint. *Non est primis memoria, sed nec eorum quidem qui postremò futuri*

sunt

A *sunt erit recordatio cum iis qui futuri sunt in novissimo.* Particularia singulorum hominum facta, quæ in tota vita gesserunt, sunt quodammodo infinita, vt eorum meminisse nequaquam possimus: sed neque sciamus ea quæ posteri ac venturi facient; hoc est, ignoramus quæ sigillatim cuncti homines ab initio Mundi fecerint. Neque enim cum illis in vita fuimus, sed neque eorum qui post nos futuri sunt cognitionem habemus. Vniversalia enim fortasse quodammodo possumus, particularia vero cuncta scire non possumus. Non est igitur primorum memoria: neque in novissimis futurorum. Aliter: Qui officiose vixerunt in hoc mundo, mox cœlestis regni præmium consequuti non habent in sensu memoriam laborum quos in præsenti vitâ pertulerunt: sed neque sensu animóque percipiunt damnatorum pœnam: non erit itaque ipsis memoria cum illis qui futuri sunt in novissimis: hoc est eorum qui tunc punientur: Non quod vlla oblivio animas occupatura sit: sed, quia ex præsenti voluptate, dolorum memoria cessabit, iuxta quod scriptum est: *In die bonorum, oblivio est malorum, ego Ecclesiastes fui Rex Isra l in Ierusalem.* Quia nos adhortatur sensibilia cuncta despicere: faciliùs autem consilio illius creditur qui ea contemnenda proponat quæ ipse possederit ac expertus fuerit: ideo suam nobis exposuit dignitatem vt cum attentione verba eius accipiamus: *Et dedi cor meum ad quærendum, & speculandum in sapientia de omnibus quæ sunt sub Sole.* Et cum Dei munere sapientiam accepissem, totam meam mentem dedi in consideratione rerum quæ sunt sub Sole. Adverte autem quod Ecclesiastes nō contemplatur inaccessibilia quæ sunt super cœlum, sed quæ sub Sole sunt: Inquit igitur, non humanâ intelligētiâ speculatus sum, sed vtens sapientiâ quæ mihi dono Dei tradita fuit. *Quoniam laboriosam distentionem dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.* Filios hominum vocat, qui ad hæc terrena & vana hiant attoniti, iuxta illud quod in Psalmo legitur: *Filij hominum vsquequo gravi corde?* Vidi igitur in sapientia quod laboriosam occupationem dedit Deus filiis hominum: ad magnam illorum vtilitatem factū est, quod in comparandis divitiis & in acquirenda inani gloriâ, ac etiam in iis quæ ventri ac gulæ gratificantur, summopere laborandum sit. Si enim labores & angustias tantas subimus ac patimur vt possideamus quæ vana sunt: quonam flagitij ac sceleris progrederemur, si hæc ipsa otiosis nobis vltrò advenirent? Vtiliter igitur data est hominibus hæc difficilis distentio vel occupatio. Si autem & ipsa virtus cum labore perficitur, & hoc item, homini pervtile est. Si enim quoquo te vertas, & circa bonum & circa malum laborare oportet: consequitur verò malum punitio, bonum autem fruitio voluptásque ineffabilis; sine vlla comparatione præoptandus est labor & occupatio circa bonum. Præsertim verò officiosus vir qui verè vacat virtuti, circa multa occupari non debet, iuxta illud Evangelij dictum: *Martha Martha sollicita es & turbaris erga plurima:* paucis verò est opus ac vnum est necessarium: Quo loco intelligit de præceptis: aut de Charitate, præcepta omnia continente. Vtiliter itaque data est hominibus laboriosa atque difficilis occupatio. *Vidi quæ fiunt cuncta sub Sole, & ecce omnia vanitas & afflictio spiritûs.* Quæcunque (inquit) faciunt homines non quæ operantur eorum bonorum gratiâ quæ sunt super Solem, atque cœlestium: sed eorum gratiâ quæ sunt sub Sole corruptibilium ac terrestrium omnia vidi quod vanitas sunt: præter hoc enim quod elabuntur ac evanescunt, etiam disponunt se homines ad supplicia post præsentem vitam futura: quandoquidem nullâ coacti necessitate hæc faciunt: sed præviâ electione certóque consilio. Spiritum verò, hoc loco, animam intelligit rationalem quæ liberi arbitrij potestate decorata est: *Quod depravatum est, adornari non poterit, neque quod deficit, poterit annumerari.* Si ex persona Ecclesiastæ verba hæc accipis, ita intellige. Qui pravè obliquatus est & in vitium cecidit; dum in perversitate sua perdurat, virtutem resumere non poterit: si autem à vitio recedat, tunc virtutem resumit iuxta illud: *Declina à malo, & fac bonum.* Sed neque is cui deficit gratia Dei; donec est in hoc defectu pœnitentiámque non subit, potest inter pios annumerari. Aliter: Fuerunt nonnulli qui dicerent casu fortuito Mundum factum esse, ac imperfectum existere; ad quos Salomon se convertit, dicens: Quidnam deprehenditur in hoc Mundo quod imperfectum sit atque perversum, vel ita vt emendari illud oporteat? Quid verò etiam deficit in vniverso Mundo, vt addendum annumerandúmque sit? Quod si verba hæc accipis ex illorum personâ qui perpendunt naturam hominum, & qui dicunt quosdam esse ita naturâ perversos vt emendari non possint; in multis redarguimus eorum stultam opinionem: Nullus enim naturâ est malus. Igitur & Matthæus de Teloneo ad Evangelistæ dignitatem vocatus est. Sed & plurima in hoc Mundo quæ ignaris videntur noxia & mala, vt serpentes, vt Leones, & his similia; hominibus conducunt ad salutaria pharmaca, & vt convertantur prudentioresque fiant animalium illorum exemplo & comparatione cum dicei sibi audiunt: *Vade ad formicam, ô piger:* nec non vt verecundiâ afficiantur, cum comparari illis se sentiunt, vt: *Comparatus est iumentis insipientibus.* Nihil est itaque in hoc mundo malum, sed omnia commoda & vtilia: *Vidit enim Deus* (inquit scriptura) *omnia quæcunque fecerat, & erant valde bona.* Ne igitur dicatis, o stulti, quod pravum est concinnari non poterit, nec quod deest annumerari. *Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, & apposui sapientiam super omnes qui fuerunt ante me in Ierusalem, & cor meum vidit multam sapientiam & cognitionem, parabolas & scientiam: Cognovi ego quod & hoc electio spiritus, quoniam in multitudine sapientiæ multitudo cognitionis: & qui addit cognitionem, addit dolorem.* Loqui aliquis dicitur in corde suo cum mentem ad cogitandum applicans, secum disputat & ratiocinatur. Collegi itaque (inquit) & subducta ratione apposuisse me vidi sapientiam super omnes qui me præcesserant natu. *Apposui* autem significat profectu magno auctam in eo fuisse sapientiam. Sapientia vero, est cognitio divinarum humanarúmque rerum & causarum quæ ad easdem res pertinent: cognitio vero, est speculatio de natura rerum. Et qui in hac quidem præditi sunt cognitione, seipsos erudiunt atque ab ignoratione vendicant; qui vero sermones sapientiæ discunt, alios quoque homines veritatem subinde edocent. Sapientiam verò & cognitionem non iam vanitatem esse dixit, sed spiritûs electionem, monens nos nequaquam Fati beneficio nasci aut fieri homines sapientes, sed sapientiæ desiderio ac labore; petitámque à Domino Deo sapientiam consequentes. Quod si quis adhuc scientiæ plus habere desiderat, addat (inquit) & studiosos labores. At etiam sic intellige qui adeptus scientiam cognitionémque, delinquit, longè amplius puniendus est: ideo *qui addit cognitionem addit & dolorem.* Cui autem sapientia sit amplior quam ipsa cognitio sive scientia, meritò (inquit) in multitudine sapientiæ contineri multam cognitionem.

Eorum quæ ipso possessi sunt damnatorum pœnam.

B

In die bonorum ne sis immemor malorum. Eccl. 11.

C

Psal. 4.

Dei sapientia est factum quod victores & vana, homini, labore constant

D

Liberi arbitrij potestas.

E

Psal. 36

Matt 9. Marc. 2. Luc 5.

F

Etiā quæ noxia videntur homini prosunt. Prov. 6. Psal. 48.

G

Sapientiæ definitio.

H

Capvt II.

D*Ixi in corde meo: Age iam periculum faciam in lætitia & in bonis, & ecce hoc quoque vanitas. Risui dixi circumitum, & dixi lætitia, quid ita hoc facis?* Mundana, inquit, mecum gaudia reputans, inspexi num quid haberent boni: & vidi demum quod lætari vel ob affluentiam divitiarum vel propter gloriam aut aliquid eorum quæ in Mundo sunt mera est vanitas Dixi autem huiusmodi lætitiæ (risum enim, hic, lætitiam intelligit) dixique huiusmodi gaudio; Circumvagare à me longiùs & absiste: Quid ita hoc facis? hoc est; quid me allicis vt huiusmodi rebus

A gaudeam? Etenim vanitas mera est ac nihil penitus aliud istis de rebus lætitia & voluptas. *Et consideravi si cor meum trahe et ut vinum carnem meam* Poculum quod bibentes haurimus, a conspectu nostro tollitur & evanescit. Consideravi itaque num in prosperitatibus mundanis voluptatibusque, humana mens esse possit ita virilis ac fortis ut absumere ac delere valeat quasi epotum vinum concupiscentias carnis. *Et cor meum processit in sapientia & polleas in lætitia, donec viderem quale bonum filiis hominum quod facient sub Sole in numero dierum vitæ ipsorum.* Ecclesiastes noster cum à Deo sapientiam accepisset vimque prudentiæ, sicut arenam Maris, acutissimâ mentis acie præditus; poterat quidem divinos tractare sermones ac magna loqui mysteria, quod ipsum sanè cernitur pulchrè efficere. Poterat autem & ingenij acumine, ad quæcunque libuisset

B commodè uti. Sicut enim aliquis acuto præditus visu, eadem oculorum vi, modo ad honesta & necessaria utitur modo & lascivè abutitur, nullâ quidem oculorum culpa & causa, sed effectu & intentione peccante: ita & is, cui Deus mentem sapientiâ exornavit, si quidem ut decet dono Dei utatur: res divinas commodè contemplatur: sin verò ad terrena deprimatur, clanguescit ac degenerat in Dei dono: optimè tamen ac perspicacissime terrena quoque percipit, ac intellectu consequitur: neque verò mentis acies, sed animi intentio prout bene vel malè Dei dono utitur, digna laude vel vituperatione censetur. Dedi igitur, inquit, cor meum (hoc est, mentem meam) & reputavi qualenam bonum esset in hominibus, & quidnam operari possunt dum in hoc Mundo sunt, ex quo perpetuam in hac vitâ lætitiam voluptatemque consequantur. Qualia itaque sunt humana facinora contemplatus, & rationali quadam sapientia usus: dedit seipsum ad ea peragenda quæ subinde enumerat. *Ma-*

C *gnificavi opus meum, ædificavi mihi domos, plantavi mihi vineas, feci mihi hortos & paradisos, & plantavi in eis lignum omnis fructus. Feci mihi piscinas aquarum ut rigarem ab eis sylvam producentem ligna. Magnificavi* inquit, *factum meum*: non opus Dei, sed meum ipsius: operibus enim Dei nullus quicquam potest adiicere. *Ædificavi mihi domos*: In Hebraico suo sermone commodam dictionem nactus, propriè ac perargutè locutus est: *Venustificavi mihi domum, Plantavi mihi vineas.* Regiâ potestate usus, divitiarumque copiâ, circa omne possessionum genus effusus sum. *Feci mihi hortos & pomaria.* Hortus est oleribus consitus, pomarium vero variis plantis atque arboribus: ideoque additur: *Et plantavi in ipsis lignum fructiferum, Feci mihi piscinas aquarum, ut ex ipsis irrigarem sylvam germinantem ligna.* Splendidè ac sumptuosè pomaria concinnavi, procerasque arbores quæ sponte quodammodo suâ in montibus enascuntur: ut palmas, salices, quercus ac piceas in pomariis suis consevit: ideoque meminit sylvæ stu-

D dio comparatæ: in qua irrigandâ, magnâ aquarum copiâ opus erat. *Possedi servos & ancillas, & vernæ nati sunt mihi.* Cum enim vernæ minus sufficerent in familiari ac domestico ministerio, venalitius quoque sibi servus comparavit. *Possedi quoque armenta & greges super omnes qui fuerunt ante me in Ierusalem* Superavi, inquit, omnes ante me Reges in armentis & gregibus vel in reliquis omnibus quæ superius enumeravit: potest enim ad illa quoque accommodari. *Congregavi mihi aurum & argentum.* Quia multi stabilem quidem possessionem habere solent, repositis tamen pecuniis destituti sunt; addit, & harum quoque fuisse copiam. *Et regum substantiam, & regionum.* Sed & regiones (inquit) & Reges habui stipendiarios ac tributa mihi solventes: & fructiferas regiones: hoc est, agros: regiones enim in sacra Scriptura, fertiles agri intelliguntur iuxta quod

Ioan. 4.

in Evangelio legitur: *Levate oculos vestros & videte regiones, quoniam albæ sunt ad messem.* Et hinc quoque, inquit, magnam habui rerum copiam. *Feci mihi cantores & cantatrices & in delicias filiis hominis.* Sed neque posthabui, inquit, ac neglexi demulcere cantibus aures

Filij Dei nō delectantur Musicis cātibus.

E meas: delectantur enim huiusmodi cantibus, non filij quidem Dei, sed filij hominum. *Propinatores & propinatrices.* Vel ut ex vario propinantium aspectu ac alternatâ mutatione, appetitum sibi ad pocula provocaret, vel tanquam valde mollis existens, ac mulierosi hominis ingenium exprimens. *Et magnificatus sum & apposui super omnes qui fuerunt ante me in Ierusalem. Sapientia quoque stabilis mihi fuit.* Adeo, inquit, exaltatus sum ut in nullo unquam consilio rationeque abberraverim. *Et omne quod appetiverunt oculi mei, non abstuli illis; neque prohibui cor meum ab omni lætitiâ.* Inquit igitur: Omnem oculi concupiscentiam & animæ appetitum circa voluptatem (quam & lætitiam vocat) ad executionem perduxi. *Quoniam cor meum lætatum est in omni labore meo.* Cunctis (inquit) studio ac electione susceptis laboribus,

F hanc cœpi portionem ac sortem quod illorum fruitionem consecutus sum, composque votorum factus sum. *Et inspexi ego omnia opera mea quæ fecerant manus meæ, & laborem quem laboravi ut facerem, & ecce omnia vanitas, & electio spiritus.* Hæc (inquit) omnia operatus, per activas factivasque facultates, inveni quod cuncta humana studia vanitas sunt, nihilque amplius lucro apponitur illis qui laborant circa omnia quæ videntur sub sole, eo quod omnes æque communem subeant mortem; divites simul ac pauperes. At qui laborant ob ea quæ sunt super Solem, supplantantes omnia quæ videntur, habent aliquid amplius iuxta Salvatoris sententiam dicentis: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant:* quasi dicat; careant pœnis, & fruantur promissa beatitudine. Notandum quoque quod qui student circa ea quæ vana sunt & sese voluptatibus tradunt, excusare non possunt (carentis ratione) fortunæ motum, neque Fati necessitatem: humanæ siquidem actiones proficiscuntur ab electione, & ab insitâ nobis liberâ potestate. *Et inspexi ego ut viderem sapientiam & circuitum & stultitiam, quoniam, quis est homo qui sequi possit consultationem quæcunque hæc operata est?* Cum nobis spectandam proposuerit avari hominis personam, circaque terrenas substantias occupati; nunc nos convertit ad sapientiam: & comparatione proposita, periculum facit quid inter se differant sapientia & voluptas: quam & errorem vocat atque circuitum; vel quod ad omnem ventum circumferantur bona ista terrena quæ materiam suggerunt lætitiæ ac voluptatis: vel ι, mutato in α, non μεταφορὰ legimus, sed περιφορά; hoc est insanam extasin mentisque excessum; Insanire enim videntur ac esse sui obliti qui in loco miseriæ & lachrymarum, lætandum sibi esse falso existimant. Inquit igitur: Quæramus an possit homo qui elegerit sibi secundum hanc stultitiam vivere, complere sua desideria: hoc enim significat, *sequi possit consultationem.* Mos autem invenit homines perquam raro fieri desiderij sui compotes: ea propter addidit, *Quis est homo?* quasi dicat rarus est valde. Neque enim quicunque ditescere appetit, penitus hoc consequitur, nec qui gloriæ cupidus est, voti protsus efficitur compos, & eadem ratione in cæteris sese habet: qui ve-

Ioan. 10.

Fortunæ & fati, excusare non potest homines voluptatibus: Libera potestas nobis insita.

G

Mera stultitia vel etiā insania est, rebus terrenis lætari.

H ro sapientiam adamarit, Deo duce feliciter ductus, sequitur penitus consultationem, hoc est, inveniet quod affectabat. Vel aliter: Attonitus erumpit in interrogationem, quisnam est (inquiens) homo qui possit respicere ac converti à desideriis suis & inspicere motus electionis suæ propositumque finem ut diiudicet utrum, sapienter vivat an stulte? Aliter; Elevatus, inquit, extra corpus, per sapientiam videns quod post exitum huius vitæ nemo potest redire ad vitam & iterum frui eisdem rebus quas, dum viveret, certo consilio coercebat (quis, enim, persæpe pro *nullus* accipitur) præposui sapientiam stultitiæ. *Et vidi quod amplius esset sapientia supra stultitiam, sicut amplius est luci quam tenebris.* Tenebræ ipsæ per privationem locis fiunt, ita ut lux quidem reverà existat; tenebræ vero nihil penitus sint. Ita (inquit) igitur est sapientia ad stultitiam: opera enim stultitiæ transeunt, perpetuam punitionem conciliantia suis

Tenebræ nihil sūt.

culcoribus,

A cultoribus, opera vero sapientiæ in perpetuum durant, æternâque cultores suos lætitiâ afficiunt. Quod autem inquit: *amplius sapientia super stultitiam*, non est per comparationem dictum: quæ enim sese mutuò tollunt ac destruunt (sicut sunt lux ipsa & tenebræ) invicem non comparantur. Huius generis est sapientia & stultitia. Non est itaque in genere malorum reponenda lætitia, sed ob affectionem eligentis. Addit illud, *amplius*, hoc est, sine ulla comparatione multo meliùs facit qui sapientiam præponit stultitiæ. *Oculi sapientis in capite ipsius, stultus autem in tenebris ambulat.* Caput eminens quædam est & suprema totius corporis pars, pedes verò infimi sunt, terrámque contingentes. Quando itaque præsidens intellectus purgatus fuerit, superna speculatur non quæ sunt super terram, ac tunc in capite oculos verè habet: quando verò mens ad terrena convertitur tunc in pedibus habere oculos videtur, circa limum terræ occupata. Aliter: Caput Ecclesiæ Christus est ad quem si sapiens dum ambulat,

B oculos intendit sicut & Christus perambulavit, oculos habet in capite: Stultus autem ambulat in tenebris, semper declinans in terram, tenebricosóque intellectu. *Et cognovi etiam ego quod occursus unus occurret omnibus ipsis. Et dixi ego in corde meo; sicut occurrit stulto, occurret etiam mihi: Et, ut quid sapiens factus sum?* Omnia secum meditans, sapiens noster Ecclesiastes, quæ adferre adversarij contra ipsum possent; è propria loquitur personâ. Cum igitur inveniat multa & varia quæ communia omnibus sunt quæ *occursus* appellat; qualia sunt ægrotare, benevalere, ditescere, paupertatem pati, & præcipue communem omnibus mortem, adversarij subiens personam, inquit: si hæc communia sunt stultis & sapientibus, quæ utilitas demum erit suscepisse labores officiosos, & sapientem fieri? Mox autem hoc refutato sermone, ostendit quale sit nobis à sapientibus lucrum. Ait ergo: *Tunc abun-*

C *danter loquutus sum in corde meo, quoniam stultus ex abundantia loquitur, quia & hoc vanitas.* Adductâ stulti illatione, tanquam ex illius personâ eandem nunc illationem per seipsum dissolvit, inquit enim: Et ego abundantiùs loquutus sum in corde meo, quod vana & superflua est talis cogitatio, & insanæ mentis est talia verba effundere. Stultus enim furore effervens quæ temere cogitavit, per os effundit: quoniam *stultus ex abundantia loquitur*; hoc est, supereffluente in ipso stultitiâ. Mox & causam docet redarguens illationem Stulti cum dicit: *Quoniam non est in memoria sapientis in sæculum.* Et si enim (inquit) quæ varia & differentia sunt in hac vita, stultis æque ac sapientibus communia sint; at in futuro tamen sæculo sapiens erit in memoria æternâ & immortalem habebit fruitionem, stulti vero memoria deletur, iuxta id quod est in Psalmo: *Periit memoria illorum cum sonitu*; hoc est, non sunt existimandi memoriâ digni. *Secundum quod advenientibus diebus omnia oblivioni tradita sunt.* In venturo, inquit, sæculo quæcunque nobis in hac vita oc-

D currerint; sive infirmitas, sive prospera valetudo, sive divitiæ, sive etiam paupertas, in oblivionem ibunt. Tum verò concludens solutionem, inquit: *Et quomodo moritur sapiens sicut & stultus?*

Quomodo, inquit, dicetis ô stulti quod propter communem omnibus mortem, nihil sapiens stulto plus habeat, quandoquidem sapientis memoria perpetua sit apud Deum, stulti verò nequaquam. Si enim quæ in hac vita occurrunt omnia sunt communia, tamen in futura vita unumquemque opera sua sequentur. *Et odio habui vitam, quoniam malum adversum me facinus quod factum est sub Sole, quoniam omnia vanitas & electio spiritus.* Propterea, inquit Sapiens, odio habui laboriosam vitam, & quem laboravi laborem meum, ob ea quæ sunt sub Sole: malum enim facinus, laboriosam vitam peccatorum hominum intelligit: Hic autem sapiens odit impuram & impolitam vitam, & mansuram in perpetuum quærit, & stulti subiens personam, inquit: Quoniam malum adversum me facinus quod factum est sub Sole: Sapiens enim non testatur se laborare ob ea quæ sunt sub Sole. Quanquam

E enim propter necessarios vitæ usus laboret etiam sapiens, non principalem operam consumit circa hæc mundana atque præsentia, sed laborat quod satis est ad necessaria vitæ, summum verò suum studium virtuti impendit, transeuntia hæc & temporaria contemptui ducens, studens autem ea sibi comparare quæ sunt futura æterna, quæque sunt ab oculis nostris procul remota.

Et odio habui omnem laborem meum quem laboro sub Sole; quoniam relinquam ipsum homini post me venturo. Et quis scit, sapiensne sit futurus an stultus, & si dominabitur in omni labore meo quem laboravi & in quo sollicitus fui sub Sole? & hoc etiam vanitas. Prorsus Sapiens noster laboriosam collectionem pecuniarum & possessionum, & huic impensum laborem, cum testatione odij, prudens dicit Dictum. Primum quidem quod huiusmodi rerum possessio perpetuo non durat apud

F habentem, sed ipse quidem vitam egreditur nihil secum portans, alter verò possidenda accipit quæ ipse labore multo comparavit. Alterum etiam memorabile verbum inquit, quod videlicet ignorat dives quali successor suus futurus sit vitâ: intemperatè ne ac luxuriose victurus, an prudenter ac sobriè divitias expensurus. Tertium notatu dignum est, quod licet demum temperatum ac prudentem successorem futurum sciamus, ignoramus, perpetuone sit futurus relictæ hæreditatis possessor, cum pecuniæ ad alios atque alios continue devolvantur, multis variisque casibus commutatæ. Inquit igitur: Licet concedamus prudentem fore hæredem qui parcè relictis utatur, hoc ipsum quoq; est vanitas. Quare autem hoc dicat, contemplandũ nobis reliquit, quoniam videlicet meliùs est nosipsos dum sumus in hac vita dispensare divitias nostras in pauperum ac egenorum necessitates, ut ita thesaurũ habeamus indeficien-

G tem in cœlis, quam alios in hæreditatem transmittere qualescumq; demum illos fore contingat: *Et conversus sum ut renuntiarẽ cordi meo in omni labore meo quem laboravi sub Sole.* Detestãs Ecclesiastes quæ superius dicta sunt, convertitur ad Evangelicã vitam quasi & ipse cũ Petro Apost. Salvatori dicat: *Ecce omnia reliquimus & secuti sumus te.* Matth. 17. Subinde autem prædictã indignationis causam resumit, quam contra tẽpora concepit. Ait ergo: *Quoniam est homo, quoniã labor ipsius in sapientia & sciẽtia & in fortitudine, & homo ei qui non laboravit in ipso dabit partem ipsius, & hoc etiam est vanitas, & magnum malum.* Quæ enim, inquit, utilitas homini in humana sapientia & prudentia & fortitudine laboranti, & malignè se gerenti, hoc est, suarum rerum partem aliis non ponenti, sed semper ampliùs suis bonis addẽti, quandoquidem alius qui nihil in ea substãtia laboravit, omnes suas divitias accipit? Est autem & intelligere: Conversus ego sum ut renuntiarem cordi meo in omni labore meo quem laboravi sub Sole, cogitans quod alius quidem divitias meas accipiet, ego verò curas laborémq; subie-

H cto. Interposita verò illa verba videlicet, *quoniam est homo, quoniam labor ipsius in sapientia & scientia & fortitudine*, hoc significant: Contempsi (inquit) laborare circa res vanas, rationibus colligens quod est alter labor dignus laude, qui stabiles congregat virtutũ divitias. Est autem huiusmodi labor quem laborat homo, ut acquirat sapientiam, scientiam, & fortitudinem. Hunc igitur laborem ego potiorem ducens, conversus sum ut renuntiarem cordi meo in omni labore quem laboravi sub Sole, hoc est, circa res vanas. *Quoniam fit homini omni labore suo electio cordis sui, pro eo quod ipse laborat sub Sole. Quoniam omnes dies eius in laboribus & in distentione animi sui, neque in nocte dormit cor suum, & hoc etiam vanitas est.* Advenit, inquit, homini labor quem laborat, sive bonus sit sive malus, ab electione consilij. Electio consilij. Quod si operam in virtutibus impendat, laudandus hic labor; sin verò circa vitium occupetur, omnes illius dies transeunt in plenitudine dolorum, iracundiæ, occupationis sollicitæ, ac vigiliarum: Hæc enim

Quæ se mutuò tollunt, non cõparantur invicem.

Oculos in capite habere, quid sit.

A

omnia consequuntur eos qui circa inane studium vitæ huius versantur, quare & hoc etiam vanitas est. *Et non est homini bonum nisi quod comedit & bibit, & ostendit animæ suæ bonum in labore suo. Et hoc etiam vidi ego quod est de manu Dei. Quis enim ex seipso bibit & comedit?* Quæ media, inquit, sunt & indifferentia, nec mala per se nec bona ab ipso Deo hominibus tribuuntur, qualia sunt divitiæ, bona valetudo, aurbocitas. Sumptâ igitur adversarij personâ, inquit Ecclesiastes: Quod si hæc dantur ab ipso Deo, hominibus; nihil ergo in hominibus invenitur boni, præter edendi bibendique voluptatem: Tum vero solvens obiectionem, inquit: *Quod homini bono, in conspectu suo dedit scientiam, sapientiam, & lætitiam; peccatori autem dedit occupationem addendi & congregandi, ut tradat ei qui est bonus in conspectu Dei; Quoniam & hoc vanitas est & electio spiritus.* Nolite, inquit, dicere (ô insani) quod transitoria & corruptibilis hæc cibariorum voluptas bona sit: homini enim bono Deus scientiam & sapientiam dedit, ut in iis lætetur in conspectu Dei; hoc est, custoditus & aspectus à divina providentiâ. Homini autem peccatori negotium dedit circa hæc sensibilia, ut laborans & congregans affligatur. Quod si in hoc laborandi studio & congregandi persistat, & hoc sane ipsum est vanitas & electio spiritus. Sciendum vero est, Deum hanc dedisse homini peccanti & congreganti occupationem, non ut peccet quidem ac congreget: sed magis ut contemplatione ac tædio vanitatis mundanæ, in cognitionem veniat laboriosæ huius vitæ, desiderétque immortalem ac iucundam vitam quæ in futuro sæculo sanctis in præmium danda est.

B

Cur peccatoribus varias curas obvenire sinat Deus.

Caput III.

Omnibus est tempus & occasio est omni rei quæ sub Sole est. Rerum aliæ quidem temporariæ sunt, aliæ verò æternæ quidem, & invisibiles sunt, supráque Solem constitutæ. Hic autem est sermo de iis quæ sunt sub Sole ac tempori subiiciuntur, quandoquidem & temporaliter esse cœperunt, suoque tempore, hoc est, opportuno fiunt. Et tempus quidem, spacium illud significat in quo fit aliquid: Occasionem vero dicimus, commodum tempus ac opportunum aliquid faciendi. Potest itaque & tempus esse occasio; sed occasio est rebus peragendis temporis opportunitas, & tamen tempus non est, sed illa quam nanciscimur. Cuncta quidem quæ fecit Deus, opportuno proveniunt tempore; ut æstas, autumnus, hyems ac ver: quæ vero homines facimus, laudabilia quidem sunt si fiant tempore opportuno; sin verò ante tempus fiant aut præter tempus, iure damnantur. Opportuno quis tempore suæ commiscetur uxori, cum appetit filios procreare; præter tempus verò, cum voluptatis & concupiscentiæ causa hoc facit. Qui æstate seminat, ante tempus seminat, qui etiam hyeme ad messem se accingit, præter tempus hoc ipsum aggreditur. Ex disciplina autem horum verborum docemur, omni in re defectus vitare atque excessus, eo quod res fermè omnes, hinc atque hinc assistentes ac propinquas enormitates habeant. Nam qui deficit à medio Fortitudinis statu, labitur in timiditatem; qui verò illum excesserit, audax efficitur. Potest itaque & alia significatione accipi tempus, pro ipsa mediocritatis norma; occasio autem, pro tempore opportuno: nam qui & ad normam & suo tempore, actiones omnes suas moderatur; hac veluti regula & Amussi utens, facile in omni virtute consummatus evadet. *Tempus gignendi & tempus moriendi.* Sæpe contrariarum rerum distincta sunt tempora, contingit tamen quandoque, & eodem tempore utraque fieri. Corporalis itaque nativitas & generatio aliud habet tempus, & aliud corporalis interitus; spiritualis verò nativitas, per lavacrum regenerationis, unum & idem tempus habet cum morte. Nam qui renascuntur in divino lavacro, consepulti sunt in Christo in Baptismate. Et corporaliter quidem

C

Occasio quid sit.

Opportunus matrimonius.

D

Enormitates re[?] ipsarũ fermé sunt communes. Virtutis regula.

nasci ac mori in nostra potestate non est; sed arbitrio Dei & generamur & morimur: spiritualis vero nativitas & interitus pendet à nobis, opus enim est cum divina operatione & gratiâ, nostrâ quoque electione, ut moriamur quidem peccato, nascamur autem iustitiæ. Sapienter autem ac notanter Ecclesiastes à nativitate cœpit & morte temporariæ huius vitæ nos admonens. Propterea enim & Moses (ut aiunt) primum quidem suum volumen Genesim inscripsit, Exodum vero secundum nominavit, ut in historia figuratè nobis hanc temporariam vitam describeret. *Tempus plantandi, & tempus evellendi quod plantatum est.* Præter literæ sensibilem ac manifestum intellectum, mysticè sic intellige. Sæpe quidem uno eodémque tempore plantat aliquis & evellit videlicet cum evellit *zizania quæ seminavit malus homo*, plantat autem sive serit legitima verbi semina, amputans vitium, inserens virtutem: Sæpe vero hoc facit alio tempore; ut cum Paulus abscindit fornicarium à communione Ecclesiæ; plantat vero eundem pœnitentiâ emendatum. *Tempus occidendi & tempus sanandi.* Occidendi quidem peccatum; sanandi verò animam cuique suam, pœnitentiæ medicinâ. Huiusmodi vero actio, suo semper & opportuno fit tempore, præsertim vero nunc dum sumus in præsenti vitâ & Testamento gratiæ, Paulo testante qui ait: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Corporalibus autem ita mysticum sensum accommodabis; Principi ac Domino tempus est perdendi homicidam, curandi vero ac fovendi eum qui bene de se meritus fuerit, minúsque etiam ac clementiùs corrigendi eum qui levius in se deliquerit. *Tempus destruendi, & tempus ædificandi.* Divina ædificatio dividitur in practicam theoricámque virtutem. Qui igitur officiose operatur & ex virtute, moralem domum practicámque ædificat: Qui verò spiritualia & invisibilia contemplatur, speculativam sibi construit domum; atque is quidem utcumque ædificat, domum non manufactam semper sibi parat in cœlis. Qui pœnitentiam facit, demolitur ac destruit anteactæ vitæ peccatum: Et bonum quidem nobis pulchrúmque est tolli procul à peccato, *superædificari* autem *super fundamentum Apostolorum. Tempus flendi & tempus ridendi.* Est tempus quoddam non secundum spacium temporis motúsque sumptum, sed à rebus ipsis. Nam qui non in profundo cordis, sed in superficie vultûs fleverit; audire poterit illud de se dici quod dictum est olim Ierusalem: *Voce suâ serò lamentata, & lachryma eius in maxillis eius.* Qui verò decenter lachrymas fuderit, & tactus dolore cordis intrinsecus pœnitentiam fecerit, exaudietur utique iuxta illud: *Planctum planxit Ierusalem, clamorem lachrymarum tuarum quando vidit misertus est tui.* Et est etiam in tempore spacium significante, lugere in hac vita ut in futura rideamus: Nam & ob peccata, ac ruinam discipulorum vel fratrum opportunè lugemus; de profectu verò illorum merito ridemus, & exultamus. *Tempus plangendi, & tempus saltandi.* Plangunt ac se percutiunt qui pœnitentiæ studeot; at verò saltant, qui præcincti sunt temperantiâ, excultíque prudentiâ, immoti fortitudine, perfecti iustitiâ. Saltavit itaque David in conspectu Domini, sed non temere. Ideo & Prophetæ facti velut pueri in plateia ac foro vitæ huius, propter immunitatem malitiæ infantilémque simplicitatem, dicebant Iudæis: *Luximus vobis & non planxistis*, hoc est, tristia vobis prædiximus, & pœnitentiam non egistis. Apostoli quoque ad eosdem dixerunt: *Tibia vobis cecinimus, & non saltastis*, hoc est, regnum cœlorum annuntiavimus, instar tibiæ sonoram vocem fundentes; neque tamen tripudium duxistis, neque præ lætitia doni huius saltastis. Hæc enim nos docet Evangelica Salvatoris parabola: *Tempus iaciendi lapides, & tempus colligendi.* Qui mortaliter peccavit sine proposito emendationis & pœnitentiæ, eiicitur è spirituali domo: qualis est lapis scabiosorum, de quo symbolicè & figuratè apud Mosen scribitur: qui verò peccat ut curari velit, colligitur per

E

Nostrâ electione opus est cũ operatione divina ut spiritualiter nascamur.

Genes. & Exod. nomen admonet nos huius vitæ mortalis.

Matth. 13.

1. *Cor.* 5.

P

1. *Cor* 6.

Virtus practica & theorica.

G

Ephes. 2.

Lachrymarum fructus.

Thren. 1.

Isa. 30. d.

H

2. *Reg.* 6.

1 *Par.* 15.

Matth. 11.

Luc. 7.

A pœnitentiam in ædificationem Apostolorum & Prophetarum. Omnis itaque qui saxeo est corde, ducitur foras; pretiosi vero lapides colliguntur. Deut. 22 Ioan. 8. Lege etiam cautum erat lapidari adulteram. Et magister quidem lapidibus cædit discipulos peccantes, hoc est, correctivis sermonibus: cum verò satis illos erudierit ac reprehenderit; cessat à correctivis sermonibus, colligitque quos iactasse visus fuerat lapides. Tempus uxorij amplexus. *Tempus amplectendi, & tempus longè fieri ab amplexibus.* Iuxta literam, tempus amplexandi propriam uxorem, quando tempus orationis non impediat, aliáve honesta necessitas. 1. Cor. 7. a Tempus est, inquam, licetne id nobis facere, vel propter filios procreandos, vel ut consulamus fragilitati atque innocentiæ nostræ; ne videlicet libidine succensos, callidus Hostis ad adulterium nos provocet: Tempus veru abstinendi à complexibus; vel propter orationes Deo fundendas, vel ut gravidæ uxori parcamus. Aliter: Tempus amplectendi erat in principio creati Orbis, ut multiplicantes impleremus terram; B nunc verò tempus absistendi à complexibus, quandoquidem extrema hora diei nos occupavit, & ad finem sæculorum Mundus festinat. Spiritualiter vero ac mystice ita intellige: Honora sapientiam ut te amplectatur; atque hic quidem amplexus semper est opportunus. Cùm verò in sacris Scripturis, lex per lævam manum significetur; per dextram vero Evangelica doctrina, ipsaque mens, nomine capitis innuatur; totius verò corporis appellatione intelligatur Ecclesia; merito canit Sponsa in Cantico Canticorum: Cant. 2. & 8. *Læva eius sub capite meo, & dextera ipsius amplexabitur me*, hoc est, ipsa quidem lex ad sapientiorum quorundam tantummodo pervenit intellectum, ipsúmque perficit, Evangelica verò doctrina, divino quodam complexu totam Ecclesiam comprehendit: Ab hoc quidem complexu, nullum unquam tempus est absistendi. Genes. 7. Cum tamen Arca iam fabricata esset, ac terris diluvia imminerent; tempus erat abesse procul à complexibus matrimonij; ideoque hinc C masculi, hinc vero fœminæ seorsum disiunctæ intrarunt in arcam: Postquam vero aquæ Diluvij iam Genes. 8. resederant; Noe cum uxore sua exivisse arcam narratur, tempus enim tunc erat coniugalis amplexus. Semper autem tempus est elongari à vitiis & peccato, agglutinari autem Deo illique perpetuò adhærere. *Tempus quærendi, & tempus perdendi.* Si literalem sonum ordinémque inspicias, videtur hæc sententia ordine præpostero esse accipienda; nemo enim quærit, nisi quod priùs perdidit. Mystico tamen sensu, nihil immutando lectionem, ita intelliges. Qui est in ignorantia constitutus, tempus tunc habet quærendi veritatem; qua inventâ tempus aliud sibi advenit, ut ignorantiæ perdat tenebras & relinquat. Aliter: Quærit aliquis animam suam quæ periit; eâ verò inventâ, ab errore resipiscens, debet quantùm ad priorem spectat iniquitatem perire prorsus ac mori: Ingruente verò martyrio, tempus est perdendi animam ut ipsam inveniamus. *Tempus custodiendi &* D *tempus abiiciendi.* Qui pecuniarum dispensator est, novit quo tempore pecunias vel apud se custodiat vel expendat. Mysticè autem, tempus est custodiendi sacram doctrinam, ne illam temere, quibuscumque nullo delectu habito profundamus. Tempus verò effundendi, cum dociles fuerint ac bene dispositi auditores: *Oportet* enim (inquit) *ubiicere argentum meum* Matt. 7. *trapezitis, non autem sanctu dare Canibus neque Suibus margaritas.* Aliter: Tempus est servandi Evangelica præcepta, idem quoque tempus est abiiciendi Legales umbras. 1. Cor. 5. *Tempus scindendi, & tempus suendi.* Qui Ecclesiæ hostes adversariósque conciliat, & ad unitatem Catholicæ fidei perducit; ille proculdubio consuere dicitur: qui verò fornicantem cum uxore patris sui ab Ecclesia eiicit, opportunè hic scindit. Aliter: Qui coram Domino per contritionem ac pœnitentiam cor suum discindit, seipsum assuit in Ecclesia primogenitorum Fidelium. *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Qui in

E silentio & sub Monasterij disciplina doctrinam sacram fuerit prædoctus cum authoritatem consequutus fuerit loquendi & prædicandi, tunc Dominus illi præbet opportuno tempore linguam eruditionis, ut cognoscat quando verbum proponi oporteat; atque ita fit, ut tempore suo nunc loquatur. Audituro enim populo dicitur in veteri Lege: *Audi Israel & tace:* Eccl. 32. a senior autem prudens, ita ad loquendum excitatur: *Loquere senex, tibi enim hoc convenit. Tempus amandi, & tempus odio prosequendi.*

Luc. 7. f. *Mulier quæ erat in civitate peccatrix*, magna cum dilectione Salvatoris pedes osculata, hoc est, semitas pietatis ac veræ fidei ingressa; magno se prorsus studio ab iniquitate avertit; ut iam utriusque rei atque effectûs, unum tempus idémque fuerit. Aliter: Semper quidem anima in amore versari debet, atque in odio: ut amet quidem secundum opera Sponsum suum, ac dicat: *Osculetur me ab osculis oris sui*, oderit autem F Cant. 1. inimicum hominem, hoc est, diabolum qui zizania seminat. *Tempus belli & tempus pacis.*

Matt. 13. e Eph. 6. b Qui bellum gerit *contra spiritales nequitias*, Pacem cum Deo habet. Et in hac quidem vita tempus est assiduè pugnandi contra Principatus & Potestates: qui vero palmam consequetur, deinde in futuro sæculo lætabitur in deliciis & in multitudine pacis. Eccl. 3. *Quid habet amplius homo in iis quæ laborat?* Postquam ea persecutus est quæ ad actionum tempora occasionésque pertinent; item redit ad personam hominis contemplandam, docétque laborantem circa res humanas nihil denique plus cæteris habiturum: quandoquidem & adversa & prospera omnibus ferme communia sint; præcipuè verò mortalis vitæ interitus. Solus itaque sapiens qui hæc cognoscit, amplius nonnihil cæteris hominibus assequutus fuerit. *Vide igitur occupationem quam dedit Deus filiis hominum ut occupentur in ea; omnia quæ fecit, bona sunt in tempore suo.* Iam superiùs dictum est quod filiis quidem hominum, hoc est, secundum passionem carnis viventibus; G sapientibus verò nequaquam, Deus occupationes & difficultates dedit, ut dum occupantur circa ea quæ media quadam ratione indifferenter se habent tam ad malum quam ad bonum, penitus ad alteram partem (hoc est, ad iniquitatis viam) non delabantur. Omnia igitur media & indifferentia bona sunt, modò suo tempore exerceantur, & ad necessarios usus, sicuti est agrum colere, opibus comparandis studere, bibere, & comedere, atque (ut semel dicatur) operandi bonum, tempus est; sicut, contra, semper tempus est à flagitiis abstinendi. Aliter: Tempus hîc appellat usum ipsarum rerum, hoc est, cum quis rebus utitur quantum naturæ Leges utráque permittunt. Ait itaque Ecclesiastes: Contemplatus ego hominum mores; quo pacto videlicet occupentur & convertantur ab iis quæ natura permittit, ad ea quæ sunt præter naturam: Hic (inquit) prudenter considerans, vidi quod naturâ quidem nihil est malum: sed H omnia quæ secundum naturam moventur ac fiunt, per Bona sũt quæ fiũt secundũ naturã. se bona sunt. Oculi enim boni sunt, qui sine prava intentione aliquid intuentur: sed cum occupantur & convertuntur à simplici operatione naturæ ad curiosa spectacula, non iam amplius boni sunt. Omnia igitur bona in tempore suo; hoc est, si secundum simplicem naturæ operationem, & iuxta quod decet usurpentur & fiant. *Et sæculum tradidit Deus in cordibus eorum, ut non inveniat homo opus quod fecit Deus ab initio usque in finem.*

Permisit, inquit, Deus sollicitos esse & occupari Sapientes Mundi huius, ne si assidue & tranquillo animo attendissent ad fabricam & structuram Mundi huius; perspectâ & cognitâ illius pulchritudine, visibilia hæc Deum esse vel deos arbitrarentur. In multiplici tamen occupatione non reliquit illos suâ providentiâ destitutos, sed humanæ naturæ communem mortis cogitationem adiunxit, ut scientes quod hic perpetuo futuri non sumus, æternæ vitæ curam

A habeamus. Aliter: Sæculum significat temporale spatium, complectiturque omnia quæ in ipso fuerint. Inquit ergo: Deus filiis hominum Sæculi præsentis dedit cognitionem: videlicet quod temporale initium habuit cœlum & terra & quæcumque conspicimus, & quod hæc ipsa tempore immutantur. Eorum vero quæ ante initium temporis fuerunt, quæque post hoc sæculum futura sunt certam & manifestam scientiam non habemus: ideoque nobis dicitur ab alia Scripturâ: *Altiora te ne quæsieris, & profundiora te ne scrutatus.*

Eccl. 3. 6.

Et cognovi quod non est bonum in ipsis, nisi lætari & facere bonum in vita suâ. Sapiens cognoscit quod naturâ bonum est: Naturâ autem bonus solus est Deus, qui omnia protulit ex sua ingenua bonitate. Qui tamen quantum in se est, quantúmque sua facultas patitur, bonum operatur erga Deum & proximum charitate servatâ, hic ineffabili & verâ lætatur lætitiâ. Cognovi igitur, inquit, quod nihil est boni in vita nisi hoc ipsum, bonum operari & in bona operatione lætari. *Et omnis homo qui comedit & bibit & videt bonum in omni labore suo: hoc donum Dei est.*

B Sapiens quidem novit quod bonum est: omnis autem homo, hoc est, vulgaris, & in multitudine mediâ sumptus; qui aberrat a cognitione veri boni, cum voluptate solâ bonum diffiniat & metiatur, comedere ac bibere bonum esse existimat. Et sanè manifestum, quod sensibilium rerum copia, Dei munere hominibus data est, non tamen ut concessis rebus abutamur; sed ut eas communicemus, in proximos, liberales: Deo gratias de acceptis muneribus. Commiscuit autem hoc loco personas, Ecclesiastes: eius scilicet qui verè sapiens, quod propriè bonum est cognoscit: & eius qui errore malo ductus, fallitur circa ipsius boni cognitionem. *Cognovi quod omnia quæcunque fecit Deus, ipsa erunt in sæculum, ad ea non est addere, & ab ipsis auferre non est, ut timeant faciem eius.* Rerum aliæ quidem visui sunt obnoxiæ, aliæ verò videri non possunt. Hic autem sermo habetur de visibilibus rebus: & harum quidem aliæ semper eodem

C modo perdurant (ut terra, cœlum, Sol, Luna) aliæ verò per successionem servantur in specie, ut homines, plantæ, & similia. Novi igitur (inquit) quod non est apponere ad ea quæ in Mundi constitutione Deus creavit, cum eiusmodi compositio perfecta sit & indeficiens: sed neque ab ea quicquam, ut supervacaneum, est auferre. Qui verò ad speculationem Mundi animum adiiciunt, rationésque singularum rerum (quantum in se est) consequuntur, timore Dei occupantur attonitique redduntur Authoris omnium sapientiam demirantes. In omni itaque hominum mente insitus est à natura Dei timor, vel legitima quædam ratio quæ ab ordine ac pulchritudine Vniversi, hominum corda convertit ad Creatoris sapientiam contemplandam. Sciendum vero est, hæc quæ videmus, esse veluti symbola quædam ac signa spiritualium rerum. Quare si finem spectes ob quem facta sunt, omni prorsus carent defectu. Nam sive quid eorum principaliter Deus produxit, sive quid in secun-

D das causas referendum est: non est in eis apponere quicquam nec demere. Omnia igitur bona & pulchra; perfecta omnia sunt, ac necessaria Dei opera. *Quod est factum, iam est, & quæ futura sunt, iam fuerunt, & Deus quæret eum qui persecutione, &c.* Si quid olim fuit nunc etiam est. Homo fuit homo & est: arbor fuit arbor, & etiam est: sed pari ratione fuerunt, & quæ futura sunt. Homines futuri sunt post nos, & iam priores illis fuerunt alij: *Deus* autem *quæret persecutione affectum:* hoc est, innocuum, *qui alij persecutionem non inferat:* & servabit eum. *Et etiam vidi sub Sole locum iudicij, ibi impium: & locum iusti, & ibi pium. Dixi ergo in corde meo, simul iustum & impium iudicabit Deus, quoniam suum tempus est omni operi.* Ab his sensibilibus ad spiritualia nos attollens, ait se prognosticè ac puro mentis intuitu contemplatum esse locum Iudicij, qui repositus est impiis sub Sole, quasi dicat infernum: Sed & locum iusti se vidisse commemorat. Addidit autem & ad *locum*

E *Iusti*, particulam illam videlicet, *sub Sole.* Quod si secundum litteram simpliciter accipiatur, nulli dubium quin in Paradiso, & in cœlis futuri sint Iusti. Sin autem ad utrumque inferas, *sub Sole:* ad Iustum videlicet atque ad impium: contemplatum fuisse intellige eos qui nunc ex hac vita decedunt, qui nondum ad regna pervenerunt cœlorum. Digna sanè inquisitu res est, ubinam sub Sole Iusti vita functi collocentur. Constat autem quod in Paradiso, cum dixerit Christus Latroni, *Hodie mecum eris in Paradiso:* sciendumque est quod litteralis Traditio Paradisum docet esse in terra. Nonnulli vero dixerunt quod Paradisus etiam est in inferno, id est, subterraneo loco: ad quam suam opinionem illud accommodant Evangelium: Dives Lazarum vidit; ipse tamen in inferiore demersus, cum Lazarus eminentiore esset in loco, ubi esset Abraham. Verum quomodocumque se habeant; illud proculdubio constat, tum ex præsenti Ecclesiastæ nostri loco tum ex omni sacra Scripturâ, futuros pios in prosperitate ac pace, iustos vero in suppliciis ac tormentis. Aliis autem placuit Paradisum esse in cœlis: bonus autem ac ingenuus Ecclesiastes historiæ sensum potius consectabitur. Tum verò secundum examinans ita infert. *Dixi intra meipsum: Nunquid cum impio damnatur & iustus?* Hæc sanè verba disquisitionem ambiguam habent: non absolutam affirmationem. Semel enim docuit alium esse locum Iusti, alium Impij; sed postea nos admonet & in metum adducit, cum Deus sit omnes homines iudicaturus, nostrásque res omnes diligenti examine discussurus. Inquit ergo: *Tempus erit omni rei & omni operi.* Hoc est, erit universalis Iudicij tempus. Mystico autem intellectu sic accipe: Vidi sub Iustitiæ Sole Dominum IESVM CHRISTVM: qui scilicet venturus est iudicare vivos & mortuos. Vidi inquam locum impij, à sinistris videlicet constitutum: & iusti item vidi locum qui est à dextris eius, & dixi in corde meo quod Deus omnes ad iudicium convocabit, pro dignitate unicuique distribuens; illud tempus definiens ac decernens in quo nostra omnis actio & operatio districto exa-

Luc. 23. Paradisus est in terra.

Luc. 23.

Paradisus ubi sit.

F

G mine perpendetur. *Ibi dixi in corde meo de sermone filiorum hominum, quod iudicabit illos Deus.* Simile est hoc illi quod in Evangeliis legitur: *Omne verbum otiosum quod loquentur homines, reddent de eo rationem in die iudicij.* Intellige autem cum hoc loco dicit sermonem; subintelligi & internum mentis verbum occultámque cogitationem; nam & de his quoque ratio à nobis diligens exigetur. *Et ut ostenderet quod ipsi iumenta sunt, & ut ostenderet occursus filiorum hominum, & occursus iumenti: occurrit enim æque his. Vt mors huius, ita & huius mors. Et spiritus est in cunctis, & nihil plus habuit homo quam iumentum.* Propterea, inquit, vidi & consideravi rationes iudicij quod exercetur sub Deo, ut ostendam hominibus; hoc est, ut homines doceam: nihil eos à iumentis differre secundùm corporis rationem vitámque illam quæ tota corpori vacat & indulget. Eundem namque aërem cum brutis

Matth. 12.

H animantibus homines respiramus, eundémque interitum subimus: & in his sanè rebus, homo, iumento amplius nihil habet. Iumentorum itaque brutalis vita quæ Veneri indulget, vanitas mera est. Monet autem nos per hæc, Ecclesiastes, ne corpori indulgeamus; sed animam quæ prædita est ratione, virtutibus excolamus: hac enim similes Angelis sumus, cum vis ipsa sentiendi nobis cum iumentis brutísque animalibus sit communis. *Omnia pergunt in unum locum quæ de terra facta sunt, & omnia in terram revertuntur. Et quis novit spiritum filiorum hominis, & si ipse ascendat sursum, & si spiritus iumenti descendat ipse deorsum in terram.* Manichæi, animas huc & illuc transferri asserentes, immortales quidem illas esse aiunt, sed omnia subire corpora tam hominum quam brutorum, reptilium quoque ac plantarum. Nos Christiani, quos divinæ Scripturæ meliora erudiunt, iumenta accepimus pro iis hominibus qui non utentes munere ratio-

Manichæi metempsycosis.

Iumenta mysticè qui sint.

nis,

A

nis, comparantur iumentis insipientibus: Homines autem, meritò illos esse cognoscimus qui distincti a bestiali ritu vivendi, secundum rationem se moderantur. Quis igitur scit num ij qui apud multos videntur prudentiores, in ipso Iudicij tempore digni censebuntur regno cœlorum, an potius ad Inferni barathrum demittentur? Quis item contra, illud scit, an qui carere quodammodo ratione videntur, occulto Dei iudicio ad superna tollentur? Quod enim rationalis anima sit immortalis, brutorum verò anima corpori immoriatur, cuivis planè manifestum est qui paulum modo rationis sit particeps. Aliter: Multis in locis Ecclesiastes, voluptuarij hominis personam subiens, convenientes susceptæ personæ sermones loquitur; quasi dicat: quis novit quæ futura sunt? *Edamus & bibamus, cras enim moriemur.* Explicans autem Apostolus

B

1. Cor. 15. Ibid.

qualia sint quæ ad præsentem vitam pertinent, inquit: *Si in hac vita, in Christo tantum* sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Vbique igitur Ecclesiastes per ænigmata nos erudiens, ad futuræ vitæ cogitationem transmittit. *Et vidi quod non est bonum, nisi cum lætabitur homo in operibus suis: Quis enim adducet illum, ut videat quæ post se futura sunt?* Si è persona voluptuarij hominis intelligantur hæc verba; ita intellige: Vidi (inquit) ego voluptati addictus, quod nihil sit boni in vita præter quam lætari in iis operibus & voluptatibus, & quod hæc portio est homini hæreditasque concessa. Quæ verba cum voluptuarius temere effuderit, docet subinde Ecclesiastes unde sit id quod huiusmodi cogitationes huic hominum generi innascantur, quia videlicet nemo illis potest (intellectum cæcum habentibus) ostendere quæ futura sunt eis, post illas quibus nunc fruuntur, voluptates; æterna scilicet tormenta suppliciaque gravissima. Sin autem verba eadem à persona Sapientis dicta intelligantur; altior quidam ac nobilior illis inerit sensus Non

C

Lætitia æterna, in altero sæculo, ex bonis operibus quæ hic gessimus.

est (inquit) homini bonum exceptâ illâ lætitiâ ac fœlicitate, quæ illum excipiet ex operibus quæ fecerit in hac vitâ. Actio enim ex qua lætitiam habere expectat, ipsa scilicet secundum virtutem; hæc erit portio eius & sors. Eum namque qui officiose non vixerit; non continget, vita perfunctum redire huc amplius, ut per pœnitentiam emendet quæ perperam gessit.

CAPVT IV.

ET converti ego me, & vidi calumnias quæ fiunt sub Sole: Et ecce fletus, calumnias patientium; & non est qui eos consoletur, neque potestas quæ liberet eos à manu calumniantium, & non est qui consoletur eos. Ad alia, me (inquit) examinanda converti: & contemplatus homines; vidi calumniatores iniustos, & qui calumniam patiebantur lugentes ex infirmitate, eo quod nullus pro illis contra calumniantes, vindictæ potentiam exerceret, atque ita eos consolaretur. Calumniatores autem sunt, alij quidem in pecuniis, alij verò in opinionibus Sectarum; sicut hæretici contra Fideles. Quin

D

Calumniatorum varia genera.

& ipse princeps auctorque malorum diabolus, cum apostaticis Potestatibus, assiduè calumnias texunt, mendaciaque moliuntur. *Et laudavi mortuos qui iam decesserunt, magis quam eos qui vivunt usque nunc. Et felicior mihi utrisque, qui nondum natus est nec vidit opus malum, quod patratur sub Sole.* Mortuos vivis putat beatiores. Quid ita? Nempe quia iustitiam laborum omnium desierunt, peccatores autem lassati sunt in peccatis; utiliter itaque utrisque mors communis advenit. Mystico autem sensu ita intellige: Qui peccato mortui sunt viventes in Christo, longe meliores sunt illis qui vivunt in peccato. Tum sequitur. *Et felix mihi super utrosque, qui nondum natus est neque novit laboriosam hanc vitam*, quam opus malum nominat. Ab iis autem verbis Ecclesiastæ, quidam adducti sunt ut dicerent animam præexistere ante corporis institutionem. Quomodo enim, inquit, vocari potest beatus ac felix, qui nihil sit? Quibus ita respondemus: Si quemadmodum ipsi dicitis anima in corpus hoc detruditur, ut tanquam in carcerem coniecta corripiatur & castigetur ob ea delicta quæ antequam subiret corpus, admisit; quomodo tunc felix esse poterat, cum peccaret, neque argueretur?

E

Animam non existere ante corpus.

Quem enim diligit Dominus, arguit, & castigat omnem filium quem suscipit. Si autem à Deo diligi bonum est, si etiam bonum est corripi; descendit autem anima in corpus ut corripiatur: ergo bona erit corporea hæc vita, & in corpore hoc felicior erit anima, illis quæ antequam subirent corpus, peccabant, neque dignæ habebantur correptione divinâ. Facile est itaque evertere illatam ab illis rationem. Neque enim anima, corporis constitutione prior existit: & Salomon, feliciorem vocat utrisque qui nondum natus fuerit, hoc est, qui in existentiam nullam venerit, nihilque fuerit; ut sermo hic cum Domini verbis prorsus conveniat: *Bonum ille erat si natus non fuisset homo ille.* Hac autem absolutâ quæstione, alia nos & quidem gravior quæstio suscipit: Si meliùs sit hominem non natum ipsum esse, quàm natum, ob malum igitur contigerit homini natum esse: Erit ergo malorum causa Deus qui hominem produxit in vitam: Quomodo itaque *vidit Deus cuncta quæ fecit, & ecce erant valde bona?* Cui quæstioni sic respondemus: quod cum duas hoc loco personas attulerit noster Ecclesiastes; alteram quidem, calumniam inferentis, alteram vero patientis; non simpliciter loquitur de calumniam patiente, sed lugentem illum inducit pro iis quæ iniustè patitur. Verba igitur hic expressa non prodeunt à persona sapientis aut fidelis hominis, sed eius qui in hoc Mundo pacem habere percupiat. Philosophus enim neque si iniustè quid patiatur lachrymas fundit, quin lætatur potius & exultat, sicut & Apostulus scribit: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* Cum itaque Ecclesiastes, duas huc loco personas induxerit, ad Philosophiæ normam nequaquam se moderantes, quarum altera est inferentis, altera verò calumniam patientis ac (præ dolore nimio & ignorantiâ rerum) lachrymas effundentis; subiunxit quod in comparatione horum duorum hominum carentium Philosophiâ, bonum sit in natura rerum non esse; quam sententiam bene facile posset experientia ac exemplo nobis veram ostendere. Si quis enim interrogaret sanctos Martyres, Apostolos, aut Prophetas; vel cunctos homines qui secundum virtutem vixerunt: Agite, nobis hoc dicite sancti viri; proposita vobis optione vel nascendi authore Deo, vel non nascendi, utram in partem propensiores fuissetis? Nonne illico responsuros putas: Gratias agimus Deo nostro qui secundum bonitatem suam nos fecit; quique nos in virtutis gymnasio voluit decertare, ut has nobis æternæ gloriæ coronas plecteret & imponeret? Satis itaque ostensum est, quod de peccatoribus & imperfectis hominibus loquitur Ecclesiastes: *Et vidi ego omnem laborem & omnem fortitudinem operis quod æmulatio est homini; hoc vanitas & electio spiritus.* Fortitudo & industria, digna vituperatione censetur cum quis vires suas circa vanitates intendit, & voti tamen compos efficitur. Zelus autem vituperabilis est, qui proximè vicinam habet invidiam. Vidi igitur, inquit, laborem hominum circa res vanas; & alios homines vidi illis invidere. Vt exempli gratia: iniustè aliquis divitias sibi comparat? ecce alij statim huic invidere incipiunt; vel ipsi, similes consequi divitias affectantes, idem & ipsi studium æmulantur. Huiusmodi igitur occupatio hominum, vanitas est; & ut sæpe iam diximus, electio spiritùs. *Stultus complicuit manus suas, & comedit carnes suas.* Manus homini datæ sunt, ut illis, opportuna sibi & convenientia operetur. Otiosus itaque cessans, manus clausas & complicatas tenens, cum subinde pœnitentiâ tangitur ac dolore distabescit, dicitur meritò carnes proprias devorare. Mystico autem sensu; qui

Heb. 12. Apoc. 3.

F

Mat. 26. Verum homini melius sit, natū an non natum esse. Genes. 1.

G

Hebr. 10.

H

Zelus vituperabilis.

A operationes suas non exercet in virtutibus, carnes devorat suas cum ipse sibi sit suppliciorum mediator & tormentorum Proxeneta. Aliter: complicare manus suas, significat complecti ob dilectionem, & salutando blandiri: Stultus itaque cum diligat turpes suas operationes & amplectatur; proprias devorat carnes, ipse sibi iustum supplicium parens. Ibid. Psal. 36 *Bona est plenitudo pugilli cum requie, super plenitudinem pugillorum duorum cum labore & electione spiritus. Melius est modicum iusto, super divitias peccatorum multas.* Mystico autem sensu, pugillus, est indeficiens fides quæ est in Dominum Iesum Christum. Duo autem pugilli intelligendi sunt, cum quia *duobus dominus servire* studet, *Deo scilicet & Mammona*; Matt. 6. 3. Reg. 18. & opprobria illa pati quæ Propheta commemorat; Vsquequo claudicabis in utrumque poplitem? Melius est ergo sine ulla controversia quod hic prius ponitur. Aliter: Pugillus unus est Vnitas ipsa quæ materiâ caret; pugilli duo materialia quæ dividi possunt. B Habetur præterea ipsa dualitas in Scripturis sacris immunda atque impura. Nam immunda animalia bina ingrediebantur in Arcam Noe, Gen. 7. & 8. Melius ergo est Vnitatem sequi, ac officiosam vitam ducere cum quiete, hoc est, sine inanis gloriæ fuco; quam occupari circa dualitatem, hoc est, res materiales. Aliter: Contemplari possumus hominem fuisse olim pugillum; cum videlicet Deus pulverem de terra accipiens ac veluti pugillo concludens, plasmavit hominem. Pugillus etiam fuit mulier; Gen. 2. à latere namque Adam, costam manu Deus apprehendens, Evam plasmavit. Melior ergo est cœlibatus, pugillis duobus; hoc est, dualitate & copulâ coniugali. Cœlibatus caret molestia. Quamvis enim coniugium damnandum non sit, cœlibatus certè est laudabilis & molestiâ carens. *Et conversus sum, & vidi vanitatem sub Sole.* In circuitum, inquit, movens oculos mentis meæ, nihil vidi eorum quæ huius Mundi gratiâ fiunt ab hominibus, quod non vanitas mera sit: Per hæc autem verba, intellige significari nequitias hominum Eccles. 4. C & peccata. *Est unus & non secundus, nec filius nec frater; nec est finis in omni labore eius, nec oculus eius impletur divitiis: & cui ego laboro, & fraudo animam meam bonis? hoc etiam vanitas est & occupatio mala.* Amplius, inquit, res humanas considerans vidi quosdam qui legitimos non habent hæredes, insatiabili affectu circa divitias occupari, oculum habentes inexhaustum & inexplebilem. Quod cum satis contemplatus sit, introducit inexplebilem. Quod cum satis contemplatus sit, introducit inexplebilem huius hominis personam ex avaritiæ pœnitentiâ ita loqui, *Et cui ego laboro & fraudo animam meam bonis?* Iuste ergo, & huic labori, vanitatem attribuit. Aliter: Mysticâ sic intellige: *Est unus.* Vnum, hoc loco accipit, qui seipsum tantummodo fovet ac diligit; qui ne habere quidem velit filios ac fratres. Nam qui desiderio illorum tenetur, quamvis naturâ nullos affines & consanguineos habeat, quia tamen secundum Dei præcepta charitatem sectatur; omnes homines quamvis D externos, esse sibi filiorum loco putat & fratrum, iuxta illud: Eccl. 4. b. *Esto orphanis tanquam pater & tanquam maritus matri eorum.* Hic itaque unus ac solus qui habere non curat filium neque fratrem, laboriosa quadam electione vivendi ac sollicitudine fraudat animam suam bonis, neque ad futura attendens neque in vita quicquam boni efficiens: Huic ergo & vanitas attribuitur. *Boni duo super unum, quibus est bonum precium in labore ipsorum,* Concordiam duorum in operibus bonis laudat, hæc namque precium consequitur Marc. 6. apud Deum. Itaque Salvator bene concordes Apostolos binos misit ante faciem suam. Luc. 10. Eos verò qui turrim superbiæ fabricantes in malo opere conveniebant, Gen. 11. dissipavit Deus atque dispersit. Mysticè autem sic accipe: Laudabilis est & apud Deum preciosa, duorum (hoc est, animæ corporisque) in bono concordia. Quomodo autem meliores sint duo quam unus exemplo nunc proposito plane intelliges. Si corpus quidem voluptatibus abstineat & temperanter se gerat, anima vero E ipsa inani gloria capiatur, irrita quodammodo vanaque redditur corporis temperantia: Rursusque si anima quidem humilitatem colat, libidinetur autem corpus; animæ vana est humilitas. Vna enim parte compositi hominis delinquente; aut animâ videlicet, aut corpore; necesse est & partem alteram comprehendi. *Bona itaque duorum copula & concordia, si conveniant ad preciosam virtutem; quoniam si cadant, unum eriget participem suum: Et væ uni si cadat, neque sit alter ad illi erigendum.* Qui bonis de rebus conveniunt, mutuum sibi auxilium præstant. Si enim accidat ut alter ea humana fragilitate omittat aliquid quod faciendum sit, alterius consilio emendabitur. Quod autem dicit, *si cadat*; non est accipiendum de ambobus eodem tempore, sed modo de hoc, modo de illo. *Et si dormierint duo, calor ipsis erit, unus autem quomodo calefiet?* Ex eo quod corpori F solet accidere, spiritualiter erudimur. Qui enim simul cubant & dormiunt, magis quam qui solus iaceat, calefiunt; ita etiam qui spiritualiter conveniunt & concordant: *Vbi enim fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, ibi & ego sum in medio ipsorum*, dicit Dominus; Mat. 18. qui videlicet sancti Spiritûs ignem caloremque Fidelibus suis gratificatur. *Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent adversus eum.* Iterum per ea quæ sensibiliter solent accidere, spiritualem nobis tradit doctrinam. Sicut enim duo concordi animo vel forum plateasque civitatis ambulantes, vel per desertas Eremi solitudines, tutiùs ac faciliùs repellunt irruentis contra se alterius impetum, ita & futurum intellige in spirituali pugnâ. Nam cum Ecclesiastes edocere nos velit, quæ ad corpus animamque pertineant, sicut etiam Paulus Apostolus fecit: quo loco & ipse trium quæ homini insunt rerum mentionem facit, cum ait, 1. Thes. 5. *Integer vester spiritus & anima conservetur*; tris nobis latenter contemplanda proposuit, videlicet quod si unus quispiam nobis insurgat; hoc est, superbia carnis; tunc anima spiritui amice coniuncta, carnem compescat ac frenet, ut spiritualibus animæ motibus subiiciatur, & pareat. G Sciendum namque est (quod ad hunc locum pertinet) hominem tribus ex rebus constare: Anima scilicet, corpore, ac spiritu; non quod secundum substantiæ vim, aliud sit spiritus, aliud anima (neque enim duo rationalia insunt homini,) sed quod ratione solà, ea seorsum considerantes, aliud esse spiritum dicamus, aliud animam. Vocamus enim spiritum, actum animæ ipsius dexteriorem, sublimioremque vim: qui spiritus est idem (puto) qui & intellectus sive ipsa mens, sicut in Esdræ libris accipi animadvertimus. Aut intellige: Spiritus & ipsum charisma spiritûs, quod animam lætificat & illustrat, divinâ nobis insufflatione transmissum. Itaque si impollutum servemus quod nobis inest ad imaginem Dei factum, integrum habemus charisma spirituale: Sin verò ad peccatorum semitas declinemus, donum sancti Spiritûs violamus in nobis. Ibidem. Hoc est (puto) quod Apostolus nos precatur manere integros sicut ab initio H fuimus, immaculatum habentes corpus & animam, purumque servantes charisma spiritale. 1. Cor. 12. Aliter quoque ita potest intelligi, Motus animæ triplex. Motus animæ dividuntur in rationabilem, irascibilem, & concupiscibilem. Si igitur tria hæc ex virtute officioque conveniant, tunc secundum rectam naturæ normam ira excandescit contra malas affectiones ac dæmones, concupiscentiæque ipsa vis potiora tantum desiderat; unde & Daniel vir concupiscentiarum vocabatur: Dan. 9. & 10. Rationalis autem pars omnia iuste moderatur, irascibilem vim concupiscibilemque compescens. Sin autem contra eveniat, ut præter Legem rationis, altera illarum virium, vel ira scilicet, vel appetitus, quod delectat persequatur: tunc duæ reliquæ partes concordi fœdere puritatem servantes (ut pura rationalis concupiscendique vis) iracundiam deprimunt ac sibi obedire cogunt; aut contra, iracundia rationi adiuncta, concupiscentiam sedat. Ita ergo fit ut

A concordes duo, tertium reluctantem redigant in servitutem. *Funiculus triplex non cito rumpetur.* Rursus Ecclesiastes, exemplo triplicis funiculi, ad spirituales nos evehit contemplationes, ac primum quidem charitatem nos docet, in concordiæ nexum nos vocans. Inquit ergo: Si anima, corpus, & spiritus in bonum conveniant, non facilè dissolvuntur ab hostis incursu. Aliter: Cum rationalis animæ vis, irascendi ac concupiscendi potentiæ, unitatis puritatem custodiunt; animam servant prorsus innoxiam. Aliter: Qui credunt in consubstantialem Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum sanctum; à resistentibus hæreticis & adversariis expugnari non possunt. *Bonus est puer pauper & sapiens, super Regem senem & stultum qui nescit providere in posterum, quod & è carcere vinculisque interdum quis egrediatur ad regnum: quodque in regno ipsius natus sit pauper.* Pueri ferme non eo digni sunt honore quo senes, neque ita pauperem veneramur ut Regem. Comparans igitur Ecclesiastes stultitiam cum sapientia; quantum hæc ipsa præstet, ostendit. Inquit enim, longè potiorem esse puerum & pauperem (modo sit sapiens) eo qui sit senex & ornatus regia potestate, sed stultus.

Trinitas consubstantialis.

B Amens enim non intelligit; sapientiam, è servili quandoque conditione, atque in vincula coniectum hominem, ad fastigium regium evehere. Cuius rei exempla sumi poterunt ex Ioseph quem Dei munere insita sapientia, & adolescentem & pretio coemptum & in carcerem detrusum, totius Ægypti gubernatorem constituit. Hæc eadem sapientia si Regi insideat, modestiam tueri docet ac frugalitatem; ita ut Regiâ dignitate quâ pollet, nequaquam extollatur, ac tumeat. Nam Dei gratiâ & sui cognitione, pauperem se esse intelligit, neque in regno neque in divitiarum copiâ, paupertatis humilitatem deponit; ut beatus & ipse sit quemadmodum & *pauperes spiritu.* Aliter senescens ac stultus, Hebræorum populus dici potest, cui iunior successit in Dei cognitionem populus ex Gentibus convocatus: verè sapiens ac redemptus à diabolica servitute, & per fidem Christi Salvatoris consequutus regale sacerdotium, spiritu quidem pauper sed Evangelicâ beatitudine decoratus. Exemplar autem ac dux huiusmodi pauperum est ipse Christus Salvator noster: qui sapientia quidem Patris Dei est, iuvenis autem si corporeæ genituræ tempus consideres.

Gen. 41.

Matt. 5.

C Idem quoque Rex dignitate divinâ, pauper factus propter nostram salutem, quanquam per se ditissimus. Evasit idem catenas mortis, & inferni carcerem fregit ac solvit: suo nos erudiens exemplo mediocritatem sectari, cum dicit: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Vidi cunctos viventes, qui ambulant sub Sole, cum adolescente secundo qui exurget pro eo. Non est terminus omni populo, omnibus, inquam, qui fuerunt ante eos: Et postremi non lætabuntur in eo: Sed & hoc vanitas & electio spiritûs.* Totus hic locus ad allegoricum intellectum mysticúmque pertinere putandus est, quandoquidem nullus est qui corporali intuitu cunctos possit videre homines qui ambulant sub Sole. Cum vero mysticum sensum alij alio referri contendant (nam adolescentem secundum, alij Christum Dominum volunt intelligi, alij autem Filium perditionis Antichristum) nos utramque prosequemur expositionem.

Mat. 11.

D Vidi, inquit, cunctos iuvenes qui ambulant sub hoc visibili Sole: hoc est, ipsos peccatores, cum adolescente secundo; hoc est, Antichristo qui exurget *pro ipso*: Domino videlicet nostro Iesu Christo. Non erat finis multitudinis peccatorum: eorum scilicet qui ab initio sæculi præcesserunt: Sed & postremi qui temporibus Antichristi scilicet in eum credent, non lætabuntur in eo: neque enim servare potest impietas, adhærentes sibi. Vt autem doceat hunc errorem Infidelitatis non necessitate, nec casu, sed electione liberæ voluntatis esse populis adventurum, adiunxit dicens: *Sed & hoc vanitas est & electio spiritûs.* Alites: Vidisse se, inquit, ambulantes sub iustitiæ Sole: omnes scilicet qui verè vivunt ex fide: cum adolescente secundo qui proculdubio est Salvator noster, homo de cœlo cælestis, qui nobis natus est ac surrexit pro adolescente primo Adam qui fuit homo *de terra terrenus.*

Electio liberæ voluntatis.

E Et infiniti erant, inquit, sub hoc Sole in anteriora progredientes: hoc est, secundum viventis fidei disciplinam, præteritæ quidem vitæ obliti tanquam mortui peccato, tendentes autem de virtute in virtutem, semper oculos mentis ad propositam vitæ æternæ gloriam dirigentes. Sed quinam sunt postremi ipsorum qui non delectabuntur in adolescente secundo Domino nostro Iesu Christo? Nimirum vel Iudæi sunt qui cum primi essent, facti sunt novissimi: vel qui in fine sæculi credent in Antichristum: vel generaliter omnes qui post primos officiose piéque viventes, ipsi cum sensus & voluptatis illecebras consectentur, merito postremi ac novissimi & habendi sunt & vocandi. Sed hos quoque novissimos ostendit electione propriæ voluntatis non gavisuros esse in adolescente secundo, ideoque tritum iam sibi verbum illud adduxit: *Sed & hoc vanitas & electio spiritûs.*

1. Cor. 15

Mat. 20.
Marc. 10

F Sciendum est autem (quod ad prædictorum narrationem pertinet) Adam hominem primum, adolescentem vocari sub intellectu eius temporis quo recens creatus adhuc in Paradiso voluptatis, vigore iuventutis suæ strenuus erat operando virtutes. Vocatus adolescens & Christus Salvator, propter magnum robur divinæ virtutis: Vocatur & Antichristus, qui iuvenili temeritate fervidus est in malo, robustúsque nequitiæ innovator. *Custodi pedem tuum cum ingrederis in domum Dei, propinquus esto ut audias.* Æquivocâ quadam ratione loquendi, exterioris hominis membra de interiore dicuntur, ut oculos putà, manus ac pedes & membra reliqua? Non tamen contra contingit, ut interioris hominis partes de exteriore dici consueverint. Dicuntur enim pennæ alæque de anima, iuxta illud: *Si dormiatis inter medios cleros, penna columba deargentata*: inquit ergo: Custodi animæ tuæ pedem in omni opere tuo cum incedis, ut in conspectum veniam domûs Dei, hoc est cœlestis Ierusalem. Qui vero custodit pedem animæ suæ, prope est ut audiat: hoc est, ut obediat verbo divinæ præceptionis, & proficiendo mandata Legis exequatur.

Psal. 67.

G Quod si de corporali pede dictum intelligas: custodi, inquit, totum corpus tuum (à parte enim totum significavit) ne instrumentis eisdem quibus in bono utimur, abutamur in malo: quasi dicat: Ne quæso pedibus eisdem quibus templum Dei frequentas, theatrales aditu ludos & obscœna spectacula. De aliis quoque humani corporis membris idem intellige faciendum. Et profectò qui impolluto pede subeunt Ecclesiam Dei, debent ab impiis locis & profanis se penitus, ut Deo contrariis, continere. *Super donum stultorum sacrificium tuum, quia ignorant quid faciant mali.* Quia stulti quoque nonnunquam munus offerunt Deo, ut qui ex inani gloriâ eleemosynam faciunt: sicut & Cain qui rectè quidem offerebat, male autem dividebat: ideo, tuum, inquit, sacrificium cum prudentia fiat & discretione. Insipientes enim non intelligunt, quoties malè offerunt, eo quod illorum zelus careat discretionis iudicio.

Genes. 4.

Zelus sine discretionis iudicio.

H Qui enim prudens ac sciens operatur bonum, pari quoque cognitione malum devitat. Qui vero prius illud ignorat, facilè & alterum ignorabit. Illud itaque quod ait: *quia ignorant quid faciant mali*: ita intellige: ignorantia occupantur, & tenebris obruguntur mentes. Propriè autem & distinctè locutus est cum dicit, *donum stultorum*: *sacrificium* vero prudentium tantummodo intellexit.

Capvt V.

Ne festines in ore tuo, neque properet cor tuum ad efferendum sermonem in conspectu Dei, quoniam Deus est in cælo superius, & tu inferius in terra. Promptam ad loquendum linguam comprimendam monet, tum vero quia è temerario ac prompto eorde ipsi lin-

gue

A quæ fatuæ, sententiæ quas efferat, suggeruntur: Vt fontem quoque ipsum ac caput obstruat insipientium verborum, inquit: *Ne properet cor tuum efferre verbum in conspectu Dei.* Quasi dicat: quia Deus ubique præsens omnia persiclicit etiam deprehendens occultas animæ cordisque cogitationes, quanquam per sermonis indicium non emergant, Deus enim qui in altissima cœlorum specula sedem habet, quæ in imo fiunt conspicit universa. Aliter: Ne temerè de divinis mysteriis verba profunde, neque utcunque omnia quæ in buccam veniunt: mortalis enim homo cum sis, ac gravi corpore circumseptus, & orbis infimus habitator, nequaquam potes invisibilis Dei substantiam supercœlestisque comprehendere. *Idcirco sint pauci sermones tui.* Ob omnes causas superius dictas, sint tui sermones non solum pauci numero, sed etiam diligenti examinatione perpensi. *Quoniam in multitudine tentationis advenit somnium, & vox stulti in multitudine sermonum.* Si more Proverbij, absolutè ac liberè hoc dictum putes nisi ita intellige.

Loquacitas fugienda.

B *Sicut qui per diem multis tentationibus curisque agitantur, per quietem subinde somnus conturbantur: ita & stultus in multiloquio peccans, sua ipsius voce arguitur.* Aliter: Sicut somnium, dormientem quempiam vel ad avaritiam vel ad libidinem tentans evolat & mox irritum evanescit, ut nihil eorum quæ facere videbatur certum esse contingat, ita & vox hominis stulti nihil utile commodúmque concludens, somnio videtur esse persimilis: quasi dicat, somnus comparatur, stulti hominis sermo. Sin autem velis Ecclesiastem quasi ratione confirmantem quæ superius attulit, hæc verba proferre: videlicet, quoniam advenit somnium in multitudine tentationis, & vox stulti in multitudine sermonum, ita accipies, ut quasi nos moneat dicens: Ne multiloquus esto ac nugax, neque stultitiam tibi insitam tuo profer sermone, quoniam multæ nugacibus adveniunt tentationes quæ ipsos non interdiu solum vigilantes conturbent, sed per quietem quoque dormientes exterreant.

C *Vota solvenda.* *Sicut vovisti votum Deo, ne moreris illud reddere, quoniam non est voluntas in stultis. Tu igitur quæcunque voveris, redde.* Votum est, cum quid Deo pollicemur nos reddituros. Vovemus autem Deo & pollicemur non pecunias modo, sed abstinentiam victûs, & castitatem, & quæ sunt generis eiusdem. Quia ergo stultos persæpe, pollicitorum pœnitentia subit ac dolor, nolentes vota persolvere: hortatur ut citò ac velociter quæ promisimus Deo reddamus. *Melius est te non vovere quam post votum promissa non reddere.* Malum est proculdubio ac detestabile si nihil unquam velis Deo tribuere, multo tamen est peius si pollicearis te Deo quid daturum, neque persolvas. Duobus igitur propositis malis, bonum dixit quod minus est malum. Alio quoque sensu intellige: Cave ne quid temerè promittas in conspectu Dei, quia simul ac reus voti factus fueris, multitudo te circumveniet tentationum quæ persolvere promissionem impediat, ita ut ne dormiens quidem sine molestia sis futurus. Vt exempli gratia; pecunias avarus quispiam vovit Deo se redditurum; mox autem non

D interdiu solum torquetur & avocatur, rationibus hinc inde subductis egestatem sibi ac pauperiem ante oculos ponens, sed (ut par est) dormiens quoque, eisdem imaginibus conturbatur ne vota Deo persolvat. Quanto autem supplicio torquendi sint qui contemnunt vota complere, docent nos in Actibus Apostolorum Ananias & Saphira, repentinâ morte sublati.

Act. 5. *Mulierū colloquium.* *Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam.* Lingua si nugax fuerit, corpus totum coinquinat; præsertim verò si cum mulieribus incautus sermo commisceatur, carnem stimulat ad peccandum. *Ne dixeris ignorantiam esse in conspectu Dei.* Cum effreni (inquit) lingua peccaveris, ad pœnitentiam redi, neque consuetam prætende excusationem quod imprudens nesciusque peccaveris.

Impij negant providētiam. Aliter: Qui in ipsa fece nequitiæ volutantur, ita providentiam Dei negant & aspernantur, ut dicant dedignari Deum curare ac scire quæ

E hic ab hominibus scelera committantur: At tu nequaquam hæc dixeris, nihil enim latet oculos Dei: *Ne forte irascatur Deus contra sermonem tuum, & destruat opera manuum tuarum.*

Temerariorum sermonū pœna. Ne (inquit) ore tuo ac linguâ peccaveris, ne & fructum bonorum operum tuorum amittas. Iratus enim Deus contra temerarios sermones, delet è libro vitæ si quid est quod piè videamur nobis, laudabilitérque fecisse. Aliter: Cave ne dicas, Deus ignorat quæ ab hominibus perpetrantur: Irascitur enim talia dicentibus, neque approbat opera illorum. Simplices quoque & tardioris ingenij peccatores, nihilominus è medio tollit vel paupertate eosdem plectit, illorum fortunas operáque corrumpens. *Quoniam in multitudine somniorum ac vanitatum, copiáque sermonum: Tu Deum time.* Tria simul valde similia comparavit; inania scilicet somniorum phantasmata, vanos hominum labores, & ineptam multiloquij loquacitatem.

F Somnij enim persimilia sunt nugacis hominis verba, neque sanè multum à somnus differunt irrita hominum studia. In multitudine igitur somniorum; hoc est, somniantium hominum frustráque laborantium, nec non verba plurima effundentium; irascitur Deus. Multitudinem autem hoc loco, non simpliciter multiloquium intellige, sed otiosi-loquium.

Otiosi-loquiū. Act. 20. Paulus enim loquens de regnô Dei, quamvis ad mediam usque noctem verba produceret, nullo tamen auditores afficiebat fastidio. Qui autem multa quidem verba profundat, rem verò ipsam de qua agitur minus facilem reddat, nihil ferme videtur loquutus fuisse. Sed & qui otiose ac præter rē loquitur, in verbo quoque uno nugax esse deprehenditur:

Nugacitas. Semel autem nobis cunctarum virtutum observantiam suggerens; *Tu*, inquit, *Deum time*; Timor enim omnia excedit. *Si calumniam pauperis & rapinam iudicij videris in provincia, ne mireris super hoc negotio, quoniam excelso excelsior est alius qui custodiam habet, & super ipsos alij quoque excelsi sunt, & superfluitas terræ.*

G Rapinam iudicij vocat, cum ditiores in provincia & civitate, largitionibus corrumpunt Iudices ad iniqua iudicia. Aliter: Etiam rapinam iudiciorum exercet qui causas nihil ad se pertinentes, violenter sibi vendicat & extorquet. Ait ergo: Quotienscunque videris, calumnia & largitionibus inopes à potentioribus premi, ne admireris; hoc est, ne ita ob hanc ipsam rem indigneris, ut fluitare Mundum sine ulla providentia suspiceris: Deus enim super omnes excelsus, omnia speculans, & observans quæ ab ipsis patrantur qui sibi videntur excelsi locupletes & gloriosi, reddet unicuique pro suorum operum dignitate.

Operum dignitas. Et super ipsos excelsi, hoc est, qui seipsos inaniter iactant & magnificaciunt, nihil aliud ferme censendi sunt, quam superfluitas terræ, hoc est, inutilis terræ globus & massa, iuxta illud:

Eccl. 10. *Quid superbis*, inquit, *terra & cinis?* *Super omnes autem Rex est Dominus agri elaborati.* Generali quadam conclusione utens Deus, inquit, instar viridarij Mundum sibi hunc excoluit & ornavit, & in eo dominatur ut Dominus agri cuius &

H assiduam providentiam gerit. Non itaque decet opinari Mundum carere gubernatione regnantis, ob eas quæ inter homines fiunt iniquitates: imo revocare in mentem oportet quod cum Mundus hic, ager nuncupetur iuxta Evangelicam parabolam; Deus hominem Mundi huius Regem dominúmque constituit, sicut scriptum est,

Mat. 13. Psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Admonet itaque nos hoc loco Ecclesiastes, dignitatis nostræ, ut debitam venerationem exhibentes Deo qui nos regiâ honestavit coronâ, piè officioseque vivamus. Aliter: Quandoquidem Deus universi huius Mundi est Dominus & possessor, veluti agri cuiusdam diligentiâ summâ elaborati, ideirco seduli caveamus ne demoliamur Vineam Domini Sabaoth,

Demolitio Vineæ Domini. aut iniquis actionibus, aut impiis dogmatis, aut perniciosis doctrinis. Omnibus enim præest, omnia speculatur agri Dominus & possessor elaborati. Aliter: Divina ipsa Scri-

ptura

A ptura est velut ager quidam ferax & odoratus, quasique Paradisus optimis arboribus consitus, habénsque thesaurum occultum. Par est autem ut qui hunc habere quærunt thesaurum, placere studeant Regi domino Agri huius, hoc est, Deo omnipotenti. Placebunt autem, si cunctis Mundi deliciis renuntiaverint; &, si neque Iudæorum more solum litteræ iacentis sensum consectentur; neque è cunctis etiam Scripturæ verbis allegorias & mysteria persequentur ita ut (tanquam inutilem posthabentes litteræ veritatem) plantas agri huius radicitus subruant & evellant; cum potius deceat fideliter quæ sunt scripta rimari, & duce Spiritu ligonibus terram versare. Ita nimirum Deo placebimus agri huius Domino, & spiritualem illi Paradisum reddemus excultum. *Qui pecuniam diligit, pecunia non explebitur, & qui amavit fructus in multitudine ipsius, & hoc etiam vanitas.* Huius scientiæ posterior particula ita construenda est: *Et*

B *qui amavit fructus*; hoc est, quicunque amavit, sibi ipsi non autem communis utilitatis gratiâ congerere fructus, quasi dicat: Qui laborat avaritiæ morbo sive pecuniam congerat sive fructus, nunquam expletur plura semper affectans, ut potiùs pecuniarum diei servus quam Dominus mereatur. *Multitudine bonorum multiplicati sunt qui comedunt ea. Et quæ virtus ac fortitudo possidenti bona? Principatus enim est illi ut videat oculis suis.* Symmachus interpres posteriorem particulam ita convertit. Quæ enim utilitas inest habenti ea bona, nisi ut tantummodo ea spectet oculis suis? Sensus autem hic est. Invenias qui summâ animi vi & corporis contentione flagitium aggrediatur, ut avarus solet, qui quacumque potest ratione pecunias cogit, eíque fortitudo hæc strenuitásque damnanda. Qui vero sic impudenter avari sunt, hoc sibi tanquam bonum summum proponunt, ut inter pocula patinásque versentur & ut spectaculo fruantur quas congessere pecuniarum. In *multitudine* ergo *bonorum*, hoc est, in affluentia pecuniarum quæ illis assiduè

C multiplicatur, gestiunt non secus ac si bonis illis pecuniísque vescantur. Et quæ illis demum resultat utilitas ex huiusmodi strenuitate atque virtute? solo námque intuitu principatum gerit in pecuniis avaritiâ tali correptus: quasi dicat; nullo alio usu Dominus est earum, præterquam quod appositas contemplatur. Aliter: Quibus legitimo honestatis iure opes atque divitiæ augescunt, multiplicantur etiam qui illis utantur. Qui enim verè cupiunt probitate sibi augeri, multis; hoc est, pauperibus; suas opes impertiunt. Vt itaque à tenacitate nos dehortetur, ad misericordiam verò convertat; quid prodest (inquit) impudenti avaro ac tenaci, sua turpis huiusmodi virilitas & fortitudo quæ oculorum solo intuitu pecuniis uti divites permittit? *Dulcis est somnus servi, sive parum comedat, sive multum; pleno autem divitiarum, non est qui sinat eum dormire.* Positâ comparatione ostendit felicius evenire

D homini servili conditione subiecto, quam ei qui liber cum sit, avaritiæ tamen est servus. Famulus enim securam vitam ducens, quocumque demum victu alatur, dulci somno reficitur. At qui pecuniis servit, herum habet importunum qui dormire eum non sinit: curam scilicet augendi lucri, anxietatibus plenam. Mysticè autem: Qui Deo famulantur, æquo animo ferunt atque lætantur de temporaria huius sæculi vitâ in æternam transferri; quam vitæ præsentis translationem, pulchrè atque appositè vocavit somnum. Avaros autem non somnus excipit, sed horribilis mors quæ non sinit eos quiescere sed æterno tradit supplicio: *Est infirmitas quam vidi sub Sole, divitias conservatas apud Dominum in perniciem suam, & pereunt divitiæ illæ in occupatione malâ.* Omnes iniquitatis species, morbi sunt ipsius animæ. Adeo verò gravis est & intensus avaritiæ morbus, ut *radix malorum omnium* meritò nominetur. Inquit ergo; vidi asservatas opes in perniciem possidentis: Aut enim peregrè proficiscens perdit avarus divitias, cum propter eas nonnun-

Scripturæ interpretandæ vera methodus.

Divitiarū nulla est. nisi quod spectantur, utilitas.

Contra avaros.

Mors est somnus.

1.Tim.6.

Incommoda ex divitiis.

E quam Grassatorum insidias Raptorumque patitur, aut si cætera evadat incommoda, vitâ demum excedens, pecuniis tunc privatur. Planéque intelligit se pro incertâ re atque instabili laborasse, ut quibus omnino cariturus erat, pecunias congregaret: hoc enim significat cum dicit, in occupatione malâ. Quia verò multi sub prætextu hæredum filiorum divitias cumulant: meritò subiungit: *Et genuit filium, & nihil est in manu eius: Sicut egressus de ventre matris suæ nudus revertetur, ut pergat sicut venit.* Et si avarus sub prætextu filiorum se excuset: tamen hunc monemus, ut nascentis sibi filioli manum inspiciat: Et cum invenerit illum sine pecuniis de ventre matris in hunc Mundum venisse, rursus inspiciat morientis manum: etenim inveniet eum sicut nudus & inanis pecuniarum venit è matris utero, ita & pauperem subire sinum telluris ex hac vitâ commigrantem. Meritò ergo sequitur: *Et nihil accipiet in labore suo ut veniat in manum ipsius: & hoc infirmitas mala. Sicut enim advê-*

F *nit, ita & abibit. Quid ergo est illi amplius? laborat enim in ventum, & omnes dies in tenebris, in luctu & tristitia multa, in infirmitate & ira.* Si itaque neque avarus ipse, neque illius filius quem hæredem sibi instituit, neque hominum prorsus aliquis potest secum moriens efferre sensibilium facultatum, nonne infelicis animæ morbus est avaritia? Quid itaque laboras in ventum, cum sint divitiæ prorsus instabiles, & aquatilis bullæ cum detumescit, persimiles. Sed & ipsa avaritia in tenebris elanguescit: hoc est, ignorantia & luctu. Avarus enim neque sui ipsius miseretur, cum parcè ac vix congestis utatur, sed etiam tristi insuper iracundiâ stimulatur, & levi occasione in contentionem surgit & excandescit, animi gravi ægritudine occupatus. Vide igitur quot avarum incommoda circumveniant; post quæ, defunctum vitâ, etiam tenebræ inferni suscipient repulsum à conspectu Dei, iuxta illius iram severissimè puniendum. *Ecce, vidi ego bonum: hoc est, ut comedat quis & bibat & videat bonum in omni la-*

G *bore suo quem laborat sub Sole, in numero dierum vitæ suæ quos dedit ei Deus. Divitias enim dedit, substantias & potestatem ut comedat ex eis, & accipiat partem suam & lætetur in labore suo: hoc est donum Dei: Non enim recordabitur multis diebus vitæ suæ, eo quod Deus occupet illum in lætitia cordis sui.* Avari personam miseriásque superiùs ostendit Ecclesiastes: Cúmque visus sit in eum graviter irruisse; nunc vicissim aliam aggreditur curandi rationem, ut non invehendo perterreat sed ut blandè ac sensim contrectando (si fieri possit) liberum metu & suspicionibus conciliet. Quia enim avarus sic malis affectionibus occupatur, ut simplicem virtutis exactæ medicinam ferre non possit multâ cum prudentiâ noster Ecclesiastes quæ iucunda homini contingunt in vita, breviter percurrendo præceptis suis admiscet, atque ita mox docet non oportere ventri omnia & gulæ luxuriosiùs indulgere, cum brevis hîc in sæculo nobis futura sit vita.

H Hortatur, itaque, aliud intendens, avarum; ut dum vivit suis utatur bonis, ita dissimulanter appositis voluptatibus adducere illum studens ab avaritiæ morbo. Inquit ergo: Bonum est tibi avare locuples comedere, bibere ac lætari, donec ea meditaris quæ sunt sub Sole: sed profectò decet etiam te id cogitare quod paucos ac numerabiles dies tibi ad vivendum dederit Deus: tempus enim vitæ tibi concessæ secretum est tibi in sortem, terminúsque descriptus. Cùm itaque divitias à Deo acceperis, facultatémque illis utendi: cogita non solum ut comedas & bibas, sed ut portionem tuam sortémque accipias. Vide autem quam sit admirabilis Ecclesiastæ nostri doctrina. Postquam enim blandè permulcendo, metum avaro suspicionémque imminuit, edendi scilicet ac bibendi voluptate propositâ: nunc sensim irrepit docens non esse hanc sortem hominis partémque propriam, ut esculentis scilicet poculentísque perfruatur. Monet ergo ut partem sibi decentiùs decretam accipiat: hoc est, hæreditatem

Contra curā divitiarū.

Avaritia morbus Animæ infelicis.

A

Hæreditas & pars heius sæculi perpetuo duratura. Eleemosyna, est donum Dei.

ac sortem quæ sit illi stabilis ac perpetuo duratura: Ea vero est, dispergere pauperibus opes suas, & de huiusmodi dispensatione solidam lætitiam capere. Hoc enim verè est donum Dei: in eleemosynis & charitate pauperum vitam operamque consumere. Tunc verò ut magis illi persuadeat partem hanc sibi propriam capere: hoc est, bene uti suis divitiis, ut ita stabiles illi fiant: revocat illi in memoriam brevitatem vitæ huius, quum dicit quod non multos recordabitur dies vitæ suæ. Huiusmodi autem hominis occupatio in pauperibus sublevandis, & acceptissima est Deo, & misericordis cor animamque lætificat. Et hæc quidem quæ docuimus, ab Ecclesiaste adducta nunc blandè avaros adhortando nunc contra severiùs increpando, satis fuerint ad ipsius litteræ ordinem sensumque explicandum: Qui verò diviniùs ac sublimiùs loquentem potest audire Ecclesiasten, quum meminerit ad se pertinere illud Evangelij dictum: *Qui habet aures audiendi, audiat*, idem profecto novit qui solus sit bonus: *unus enim bonus est*: Idem quoque novit, quod qui manducat carnem Filij hominis, & bibit eius sanguinem, futuræ felicitatis partem hic aliquam fruitionemque accepit. Bene igitur operam insumit suam, virtutesque exercet dum est sub Sole, hoc est, in præsenti vitâ: secum animo deputans quod Deus numerabiles posuerit dies suos, neque deceat ne unum quidem illorum pati vacuum ac sterilem præterire. Labor enim quem virtuti homo impendit, propriè dicendus est hominis esse pars, quæ sola nimirum efficiat ut pars nostra sit Deus, iuxta illud quod Pater Ecclesiastæ nostri canit in Psalmo: *Portio mea es Domine*. Et profecto hæ sont illæ divitiæ, de quibus ait Apostolus: *In omnibus divites facti estis in ipso, in omni cognitione & sapientia*. Nam qui hæc bona & spiritualia bibit & comedit, & in his lætitiam suam ponit: plane intelligit quod hæc charismata Dei sunt, avetque pervenire ad æternam vitam: Temporariam verò hanc, ut exigui spacij, despicit & contemnit. Accidit enim hoc omnibus qui Dei munere circa spiritualia occupantur, & ad ea contemplanda mentem attollunt, ut mundana hæc omnia parvipendant. Si qui verò putant divitias istas sensibilesque fortunas, summum esse hominis bonum: hi mihi paucis rogandi sunt, quid ita sit quod illas Deus æque cúctis hominibus non impartiat, quum tamen idem *personarum non sit acceptor*. Atqui cernimus quæ verè sunt bona, cunctis æque liberaliter effudisse: hoc est, liberum Arbitrium, dispositionemque ad exercendas obeundasque virtutes: Quapropter licet ad bene officioseque vivendum divitiæ adminiculo esse possint, & virtutes ipsas quandoque ut præmia consequantur: non absolutè tamen, neque suapte naturâ vel bonæ vel malæ dicendæ sunt & habendæ. Sed quum per se mediæ sint, ac susque deque accipiantur: facile transeunt & immutantur in habitum, bene illis maléve utentis.

B

Matt. 19. Mar. 10. Luc. 18. Ioan. 6.

Psalm. 118 d. 1. Cor. 1.

C

Occupati circa spiritualia, mundum negligunt. Act. 10. e. Liberum arbitrium Divitiæ aliquando sunt præmia virtutũ.

Capvt VI.

EST *& malum quod vidi sub Sole, & quidem frequens est apud homines; Vir cui dabit Deus divitias, substantiam & gloriam, & non est quod desit animæ suæ ex omnibus quæ concupiscet, nec tribuet ei potestatem Deus ut comedat ex eo; nam vir extraneus vorabit illud: & hoc quoque vanitas, & infirmitas mala.* Litteræ huius intellectus rectà fertur in avaros & nimiâ parcitate astrictos. Quod autem inquit; *Nec tribuet ei potestatem Deus ut comedat ex eo*; simile est illi quod ait Apostolus scribens ad Romanos; *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*: Non quod Deus ipse quemquam hominum cogat, avaritiam intemperantiamve sectari, sed quod ea permittat quæ homines electione liberæ voluntatis aggrediuntur, dum liberi Arbitrij naturam facultatemque conservant. Mystico autem sensu ita intelligendum: Sæpe accidit ut aliquis magnas sibi divitias in dicendi copiâ & in scientia Scripturarum compararit, aliarumque rerum cognitione: sed quia deinde fœditas morum, & verbis suis dissidet ac doctrinæ; hinc fit ut qui in libros illius traditionesque incidunt, magnam inde ipsi quidem utilitatem capiant, nihil vero ipse autor emolumenti perceperit, eo quod correspondentes verbis mores non habuerit. De huiusmodi viris intellexit Salvator, quum dixit; *Quicquid dixerint vobis, facite, secundum vero opera eorum nolite facere.* Aliter: Dives olim fuit populus Iudæorum, locupletatus Rege, Prophetis & Sacerdotio; qui tamen ex divitiis fructum non cœpit, morbo gravi correptus peccati in Salvatorem suum commissi, propterea venerunt externi, & bona eius comederunt; populus scilicet è Gentibus in Ecclesiam convocatus, de quo scriptum est: *Qui alienati erant à gubernatione Israel, & externi à testamento promissionis. Si genuerit quispiam centum liberos & vixerit multos annos, & multitudo magna fuerint dies annorum eius, & anima illius non impleatur bonis substantia sua & sepultura illi non fuerit: ego dixerim quod melior illo sit abortivus: In vanitate enim venit, & pergit ad tenebras, & in tenebris occultabitur nomen eius, non vidit Solem, neque cognovit: requies huic super hunc.* Quod ait: *si genuerit quispiam centum liberos*; per hyperbolem dictum intellige. Vtitur autem hoc loquendi modo Scriptura, quum à parvo declinat in immensum aliquod. Hyperbole enim est sermo veritatem excedens, ut aliquid expressiùs ante oculos ponat, sicut & Apostolus ait; *Adhuc per excessum vobis ostendo; Si linguis Angelorum loquar, & si habuero omnem scientiam, & cognovere cuncta mysteria, charitatem verò non habeam, nihil mihi prodest.* Atqui sine charitate habere illa quæ recensui, non est possibile: Sed quo pacto sit accipiendum quod dicit, ipse præveniens nos edocuit, quum dicit; *Per hyperbolem viam vobis ostendo.* Dicit ergo Ecclesiastes: Quamvis ergo fœcundus in numero centum filiorum quispiam fuerit, quod est impossibile: si verò etiam ad annosum vixerit senium: flagitiose autem neque secundum virtutem duxerit vitam, atque ita perditè ut defunctus ne sepulturâ quidem dignus censeatur (quandoquidem & hoc ipsum persæpe contingit) facile dixerim tali homine longe meliorem esse abortivum. Hic namque homo verè in vanitatem venit, & in tenebras pergit ignorantiâ vivens; & nomen ipsius in tenebris occultabitur, quum delendus sit è Libro viventium, neque dignus habendus sit iustitiæ Sole. Quare autem abortivi fœtus, aut mortui enascantur aut unum vivant diem alterumve; explicare hoc loco non est consilium; sed potius inscrutabili divinæ providentiæ relinquendum puto. Mysticè autem, quæ superiùs dicta sunt, sic intellige. Apostolus quidem & ipse erat Iudas Iscariothis, & doctrinæ suæ verbis multos genuit filios; sed quia subinde non impletus est bonis ut perseveraret in finem, sed conversus est ad iniquitatem repletusque est potius spiritu Satanæ: sepulturâ etiam caruit; hoc est, non immortuus fuit Salvatoris sepulturæ. Qui enim Christo consepulti sunt in baptismo mannisque Dei custodiunt in virtute viventes, hi profecto & cum Christo resurgunt. Talis itaque magister ac Doctor qui multos quidem genuerit suâ doctrinâ discipulos (hoc enim significat centenarius ille numerus) multumque ætatis edocendo contriverit; tali autem quam modo diximus sepulturâ dignus non habeatur eo quod mortuus peccato & sepultus non fuerit; pergit proculdubio ad tenebras, neque videbit iustitiæ Solem. Paulus vero Apostolus, qui de seipso dicit, *Novissimè autem omnium tanquam abortivo visus est mihi*: sepulturâ dignus est habitus; qui & *bonum certamen*, certavit cupiens *dissolvi, & esse cum Christo*. De illo autem qui male vixit, ut Ieremias scribit; *Sepultura Asini sepelietur*: hoc est, non habebitur dignus quiete hominum rationalium: cum passiones carnis consectatus, instar peccatorum vitam finierit. *Et si mille annorum vixerit cursum, bona non cognovit: Nonne ad locum unum omnia pergunt?* Etiamsi ad copiam

D

Rom. 1.

Liberi arbitrij natura.

E

Matt. 23.

Heb 3

F

Hyperbole quid sit. 1. Cor. 12. & 13 a.

Defunctus Sepultura indignus.

G

Iudas quomodo sepultura caruit.

Numerus centenarius.

H

1. Cor. 15. Phil. 1.

Iere. 22.

filiorum

A filiorum congestásque divitias, hoc cuiquam Dei munere accedat ot mille annorum spacio sit in vita, non tendat antem ad verum bonum; hoc est, ut secundùm virtutem laudabiliter vivat: quid sibi denique omnia illa proderunt? Etenim in eundem pariter pergit locum in quem abortivi pergunt, & qui acerbâ morte intercepti rapiuntur è vita: terra est enim hic quoque, & in terram ibit. *Omnis labor hominis in ore ipsius, sed anima eius non implebitur.* Quia superius de esculentis ac poculentis mentionem fecit, ne quis forte suspicari possit ipsum ventris & gulæ illecebras attulisse apertè nunc inquit: Et si homines ad indulgentiam ventris plurimos labores insumant, nihil tamen eorum quæ gulæ gratificantur, ipsius animæ parit saturitatem: sed inania penitus ac ieiuna persistit quum sibi conveniens alimentum, verbi scilicet ac virtutum, ex inertia hominum non accipiat. Aliter: Nequitia, imperfectum quid esse censetur. Anima ergo quæ huic annexa perdurat, semper aliquid profert flagitiosi: contumelias scilicet, iurgia, blasphemias, dolosa verba. B Neque propterea tamen expletur, eo quod nequitia (sicut dixi) imperfecta incompletáque sit. *Quid enim est amplius sapienti quam stulto? Quoniam novit Pater ambulare in conspectu vitæ.* Quid habet, inquit, ampliùs sapiens ab ipso stulto? quasi respondere deceat. Multum sane habet, atque omnibus modis: Stultus enim sese voluptatibus more pecudum mancipavit, sapiens verò pauper spiritu, iuxta Evangelij dictum, ambulat coram vita: hoc est, per virtutum semitas pergit, donec demum perveniat, ad ultimum appetibile: *Dissolvi enim cupit & esse cum Christo*, qui profecto est vita æterna. Aliter: Populus stultus & insipiens Iudæorum in ligno Vitam suspendit: Gentilis verò populus olim pauper & vacuus gratiarum Dei, ad Crucifixum accurrit: ita profectus in conspectum Vitæ salutaris, in Dominum IESVM-CHRISTVM fide locupletatus est. *Melius est prospicere oculis, quam ambulare iuxta voluptatem animæ suæ: Sed & hoc vanitas est, & electio spiritus*, inquit

1. Cor. 2.

C Apostolus: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritûs.* Est verò animalis homo, qui traditus appetitui sensitivo semitas rationis egreditur. Et in Evangelio scriptum est: *Si oculus tuus lucidus fuerit totum quoque corpus tuum lucidum erit*: hoc est, si rationalis animæ via, ipse scilicet intellectus, luce fuerit illustrata, appetitus sensitivi licentiam in ordinem suum rediget. Longè itaque melius est perspicaces habere oculos animæ ac rationis luce sancti Spiritûs illustratos, quam pergere iuxta voluntatem animæ: hoc est, animalis hominis ritu, qui in tenebris ambulat. Neque enim aliud iste homo censendus est quam vanitas & electio spiritûs, cùm certâ electione consilij, animalis homo effectus sit, ad vanitatésque commigrarit. Sed ex Evangelij verbis quæ nos ad huius loci comparationem attulimus suboriri dubitatio potest, quum illic vnius oculi tantùm, hic verò duorum mentio facta sit. D Dicimus autem ibi quidem intellectum vnius oculi appellatione signatum esse: hic verò spirituales operationes intellectûs, practicam scilicet ac speculativam, oculorum dualitate monstrari: quibus qui piè officioséque utatur, perspicacem sanè habebit oculorum intuitum. Est præterea & illud scitu dignissimum, maiorem hunc esse divinæ Scripturæ ut pro una tantùm potentiâ totam animam nobis quandoque proponat: ut à concupiscibili, quum dicit: *Et comedes vuas donec impleas animam*: hoc est, appetitum. Ab irascibili autem, quum dicit: *Anima benedicta tota est simplex, homo autem iracundus caret pudore.* Pro parte namque irascibili, ipsum totum, hoc est animam, protulit. Quum verò, inquit, animas nostras sanctificari ad obedientiam veritatis: quia rationalis tantùm potentia sanctificationis est capax, ad hanc unam vim sensuum intendens, totum ipsum (hoc est, animam) nominavit quandoque verò totum cum partibus suis, animæ appellatione vult intelligi;

Matt. 6. — Certa consilij electio. Matth. 6. — Animæ significationes variæ in Scripturis. Deut. 23. — Rom. 13.

ut quum dicit: *Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit.* E Hoc etiam loco ad rationalem adspiciens potentiam, quam dualitate oculorum expressit, longe melius esse ait homini spirituali quam animali. *Si quid fuit, iam vocatum est nomen eius: & est cognitum quod est homo, & non poterit iudicare cum eo qui sit fortis super eum, quoniam multa sunt verba augentia vanitatem.* Multi sunt, inquit, sermones vanitatem multiplicantes, qui impudenter efferuntur contra providentiam Dei. Sunt namque permulti qui inconsultiùs quærant: quare hunc Deus paupertate oppressit hominem, huic verò, contra, magnas opes diffudit! Cur hunc venustum esse voluit, hunc deformem! & quæ sunt huiusmodi curiosæ nugationes: quas ut è medio tollat Ecclesiastes, ait omnium rerum quæ factæ sunt rationes, cur ita factæ sint, repositas esse apud autorem Deum, qui fontæ est sapientiæ, ut non solum eas sciret esse futuras antequam fierent, sed earum quoque numina recondita haberet in præscientiæ suæ consiliis. Si quid enim Deus in generationem produxit, huius & rationem & nomen comprehensum habuit apud seipsum. Quum itaque multò ante præsciret quæ cuique homini utilia essent futura, ita F denique unumquemque produxit in vitam: quum (inquam) præsciret omnia hominis conditiones, quod mutabilis, quod mortalis, quod imbecillis erat futurus. Nullus itaque hominum ausit efferre verba contra illum qui novit omnia antequam fiant, & convenienti loco singula statuit iuxta sibi uni cognitas rationes. *Non enim poteris quiquam iudicare*; hoc est, contendere in iudicio, cum fortissimo omnium: vincet enim proculdubio fortis, iuxta quod David canit in Psalmis: *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas quum iudicaris.*

Varij vaniq; sermones contra providentiam. — Psalm. 50. Rom. 3.

CAPVT VII.

QVid est amplius homini? Quoniam quis novit quid sit homini bonum, aut quid futurum est sibi? Et in umbra ea fecit. Quis enim homini nuntiabit, quid post eum futurum sub Sole sit.* Nam officiosam hominis vitam, sed vanam stultámque carpit, cum dicit: *quid habet ampliùs homo* G qui circa vana & peritura occupatur? Dicésne hunc habere coniugem? Verum cui satis constat ob eandem ipsam coniugem doliturus necne sit, vel in adulterio deprehensam aut alias afferentem doloris causas? An pecunias habere hunc dices? Atqui pecuniæ, Iudam ad laqueum compulerunt. An verò potiùs vineam? Quasi non propter vineam sit Naboth, insidias mortémque perpessus. Quis enim homini nuntiabit, quid illi sit eventurum dunec est in hac vitâ? Præsens vero hæc autoritas nostri Ecclesiastæ, omnem funditus evertit divinandi superstitionem, vanásque Astrologorum nugas de hominum Genituris Nullus enim mortalium certam futurorum scientiam consequi potest. H Vt verò etiam concedamus homini cuncta ad votum in hac vitâ cessura esse, illo tamen calculo hunc urgebimus qui eum malè urat & torqueat; numerabiles scilicet positos esse suæ vitæ dies qui velut umbra transcurrant. Ex quo planè comprobatur, vivendum esse nobis secundum virtutem mentis oculos erigentibus ad futuram vitam mortis & umbrarum immunem, de qua nobis abundè per Prophetas, Apostolus & Redemptorem Mundi est traditum. Quæ enim ventura nobis in hoc Mundo sint, penitus ignoramus: quæ vero nobis reposita sint in futuro sæculo fide iam scimus, quod tormenta videlicet peccatores, æterna vera gloria, iustos accipiet. *Melius nomen bonum, oleo bono; & dies mortis, super diem nativitatis eius.* Symmachus, pro eo quod legimus, *super oleum bonum* transtulit, *super unguentum bene-olens.* In unguento autem, omnes hominum delicias significavit. Melius itaque est, inquit, ex officiosis actionibus laudabilis famæ fructum percipere, & exultare ob nomen

Coniugij dolores. — Matth. 27. Act. 1. 3. Reg. 21. Contra Genethliacos & Astrologos. Futurorũ nulla est scientia.

A

ſuum ſcriptum in cœlis, propter vivam bonorum operum fidem, quam fiui omnibus humanis delicius. Bonam etiam decernit eſſe tranſitûs vitæ huius diem, ſuper diem nativitatis. Natalitius enim dies in turbulentum vitæ huius pelagus nos inducit, ubi Draco latibulum ſuum poſuit; Tranſitûs vero dies, è ſtadio nos educit. Et ſi quidem peccator fuerit qui decedit, peccare ultra iam deſinit; qui verò fuerit iuſtus, vitâ perfruetur æternâ. Myſtice autem: Melius eſt habere nomen bonum: hoc eſt habere Chriſtum in portione ac ſorte propter fidei Chriſtianæ ſacramentum; & vocari eius cognomine Chriſtianum, quam ſine illius fide, in eleemoſynas facultates ſuas profundere. Multi namque Gentilium quia hoc carent nomine, ſine ulla utilitate ac fructu animæ ſuæ fortunas ſuas erogant indigentibus: Si tamen hoc fecerint, affectu miſericordiæ moti, ipſi quoque in cognomen hoc ſanctum aliquo pacto pervenient: ſicut & Cornelius ipſe venit Centurio. Bona eſt etiam interitûs dies, quia peccato mortui Chriſto conſepelimur, ſuper diem vulgaris huius ac Mundanæ nativitatis quo nos Adam pater primus in vitam progenuit. *Melius eſt ire ad domum luctûs quam ad domum convivij, propterea quod hic futurus eſt finis omnium hominum.* Luxuriæ maculas & deſidiæ, quas anima contrahit è conviviis, etiam ſanctus ille Iob quum ſecum tacitè reputaret, ſacrificia pro expiandis filiis offerebat; quanquam illi non malo conſilio, ſed tuendæ gratiæ cauſa convivia inter ſe (quaſi cognatorum Chariſtia) celebrarent: Funebris vero luctus longè utilior eſt convivio. In eo namque communem fragilitatis humanæ conditionem reputantes, & orbatis compatimur & errores proprios emendamus, ac in melius reſipiſcimus: Hoc enim ſignificat quod ſtatim ſubſequitur; *Et vivens affert bonum in mentem ſuam. Super riſum bona eſt ira: In triſtitia enim vultûs, cor & animus emendabitur.* Iraſci ſine peccato, bonum laudabileque cenſetur: ut cum quis vel contra dæmones, vel contra carnis paſſiones inſurgit & excandeſcit; huiuſmodi iram, hoc loco bonam appellat. Quæ autem non odio peccati, ſed appetitu vindictæ illatas ulciſcitur iniurias, hæc damnanda eſt ira. Melius itaque eſt hoc pacto iraſci, quam riſu lento diſſolui. Gravis enim vultus nec reſolutus, correctionis eſt index, & ad ſolidum virtutis gaudium animam parat. Aliter iraſci quodammodo dici poteſt, qui ſeverâ delinquentes corripit obiurgatione. Melius eſt ergo vel præceptori vel domino, ſubditos oratione gravi coercere; quam per riſum atque blanditias pati illorum mentes langueſcere: In vultûs enim auſteritate, quam hoc loco triſtitiam nominat, & ſibi melius conſulet & ſubditos in viam probitatis convertet. *Cor ſapientum in domo luctus, & cor ſtultorum in domo lætitiæ.* Vir ſapiens & funebri luctu ſecum animo deputans ſeſe natum de corruptibili carne, brevi ex hac vita migraturum; mortales cæteros qui eadem ſunt nati conditione, affectu pio proſequitur: Contemnit autem quæcunque ſuis oculis obverſantur ut caſui mortique ſubiecta. Stultus autem, cum mentis hebetudine, ſolida putet eſſe quæ ſunt in mundo neque illorum mutationem intelligat, propterea que futuri exitûs ſit ſecurus; deliciis effluit, voluptatibuſque indulget. Animadverte autem quod initio te admonui, ac ſæpe obiter repetivi; Eccleſiaſten noſtrum (non ingenuè quidem ex ſententia ſua loquentem, ſed ex perſona voluptuarij, quam nonnunquam ut ſibi commodum eſt aſſumit) ita de patinis poculiſque diſſerere, ut videri poſſit iis qui non intelligunt obliquum ſermonis ductum, velut Epicureus quidam, bonum hominis voluptate metiri. Sed animi ſui conſilium compluribus in locis plane oſtendit: tum proxime à nobis loco expoſito, ubi ait ſapientis mentem verſari in domo luctûs, ſtulti vero in domo lætitiæ. *Melius eſt audire correctiones ſapientis, ſuper virum audientem carmen ſtultorum.* Hoc namque effœminat animum, ſapientis vero correctio colligit & confirmat. *Quia ſicut vox*

Gentil. & Eleemoſynæ infructuoſæ

B

Act. 10.

Iob. 5.

C

Ira laudabilis.

Vultus gravis reſoluto & hilari melior.

Cômoda ex funebri luctu.

D

Obliquus ſermonis ductus Librum Eccleſiaſtes fecit videri Epicureum.

ſpinarum ſub olla, ita riſus ſtultorum. Ebulliens (inquit) riſus & cachinnatio, ſpinis videtur eſſe perſimilis, quæ ſub ollæ fundo ſtrepitantes conflagrant: Primo quidem quia ſicut ille fragor ardentium ſpinarum planè percipitur auditu, quamquam oculis non cernatur, ita & immodeſtus cachinni ſonus, ſtultos facilè prodit: Tum vero, inde à ſpinarum globo fumus attollitur; hic quoque caligo quædam mentis ex huiuſmodi riſu cognoſcitur: ibi ollam ſpinæ ſuccendunt; hîc, animam ſtulti riſus, peccati ſorde non carens, igni parat æterno: Sapiens enim vix tenui ac modeſto riſu vultum reſolvit. *Sed & hoc vanitas, quia calumnia vexat ſapientem & perdit cor vigoris eius.* Aliam vanitatis ſpeciem nobis ante oculos ponit. Quem vero hic ſapientem vocat? Si profecto accipiendum putes, qui cum ceciderit non collidetur in tentationibus, tunc ita intellige. Inſipientes eorde qui non ſunt Dei gratia confirmati, non ſolum in ſeipſis ſed in Dei providentiâ ſcandalum patiuntur, ita ut calumniis ac blaſphemiis abſtinere non poſſint, quod vel Deum intueri humana non putent, vel contemptu quodam humanarum rerum pati omnia temere immutari, cum ſæpe videant impios lætis exultare ſucceſſibus contra autem iuſtos graviter premi. Ad hoc pertinet illud quod in Pſalmis cecinit David: *pene effuſi ſunt greſſus mei, quia zelavi ſuper iniquos; pacem peccatorum videns.* Sentiſne quomodo animæ vires labefactæ ſint, & neſcio quid ineptire videatur? Sed quia perfectus erat ſapiens ac Spiritu Sancto plenus, ſtatim ſubdidit noviſſima ad quæ peccatores demum perveniant: *Facti ſunt in deſolationem, ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam.* Si verò ſapientem pro eo accipias qui nuper ſacrâ imbutus ſit doctrinâ: planè ſcito quod Neophyti huius hæreticorum contagia & calumniæ & diabolicæ tentationes & quæ modo retuli iuſtis impuſque contingere, facilè poterunt animæ vigorem infringere: Quod niſi maturè ad ſe rediens convaleſcat; huic quoque vanitatis ſarcina inſidebit. *Melior eſt finis orationis quam principium.* Orationis in qua agitur de virtute melior eſt finis principio: neque enim ſolum cœpiſſe pulchrum eſt, ſed multò magis rei cœptæ finem impoſuiſſe. *Melior eſt longanimis, eo qui ſpiritu eſt elatus.* Superiùs eſt à nobis dictum, quæ contraria ſint, in comparationem propriè dictam venire non poſſe. Non itaque comparativè ad amuſſim accipienda ſunt quæ nunc tradit Eccleſiaſtes: ſed diſcretis rationibus, ita vt ſe habent, reputanda. Inquit ergo ſapientem ac longanimem bonum eſſe: illi autem qui per ſuperbiam ſpiritus leviter efferatur, Deum reſiſtere. *Ne ſis velox in ſpiritu tuo iraſci, quoniam ira in ſinu ſtultorum requieſcet.* Ne ſis velox: id eſt, caveto ne malum iracundiæ concipias habitum, ita vt tranſeat in affectum cordis: ſed ſi oporteat fortaſſe ex enata occaſione nonnihil iraſci, cave (inquam) ne in paſſionem ac peccatum temere cadas: Ira enim quæ culpabilis eſt, habitat & quieſcit in ſtultorum mente ac capite, quod hoc loco ſinum vocavit tanquam iræ ſit receptaculum quoddam ſedéſque. Aliter quoque, *In ſinu*, accipies, quaſi dicat, ne ſtultorum more ac ratione carentium hominum iram in ſinu confove, neve illi blandiendo indulge atque adulare, quod profecto efficiunt qui procliviores ſunt ad vlciſcendum. *Ne dicas: quidnam factum eſt quod priores dies fuerunt præſentibus meliores? non enim ſapienter de hac ipſa re interrogaſti.* Quotidie ſic ſtulti homines loqui ſolent. Dicunt enim: Patrum noſtrorum temporibus illis priſcis, Deus hominibus modo per Angelos, modo per Prophetas ſolebat loqui: licebat antiquis Patribus uxores multas accipere, multas divitias poſſidere, quæ tamen nobis Evangelica Lex interdixit. Sunt præterea qui dicant: olim me Deus auxilio ſuæ gratiæ protegebat, nunc verò me penitus ſolum dereliquit, ideoque bona operari non poſſum: Hæc autem omnia ſunt inſipientium verba. Eſt

E

Riſus ſtulti & ſapientis non idê.

F

Pſal. 72.

Ibid.

Neophytus, animi fidelque vigorem, quæ rerum perturbent.

G

Habitus iracundiæ non concipiêdus.

H

Priſca tempora an meliora fuerint præſentibus.

&c

A & alios ita blaterantes audire. Tempestate nostrâ, Mundus hic malis hominibus est refertus: alij sunt boni dies, alij vero mali. Cæterum qui duce virtute suam moderatur vitam, de vita in vitam transit, ac de fide in fidem proficit operibus bonis: neque apud illum est aliqua dierum differentia, sed congruis rationibus novit evertere, quas paulò ante adduximus stultorum hominum quæstiones. *Bona est sapientia cum hereditate, & amplius est videntibus solem: quoniam sapientia est in umbra ipsius, sicut umbra argenti: Multa quoque cognitio sapientia vivificabit habentem se.* Ille cui per dona spiritûs datur sermo sapientiæ; habet procul dubio sapientiam cum hæreditate ac portione sancti scilicet Spiritûs. Hic etiam copiam magnam habet cognitionis in videndo hoc Sole quem luminare magnum vocamus: neque enim pulchritudine attonitus illum cultu latriæ veneratur ut Deum, neque

B in sola illius admiratione spectaculoque consistit; Sed ab hac solari luce, proportione quadam ducitur ad Authorem Solis contemplandum, atque divinâ superiori luce perfunditur: præstat enim sapientia, quæcumque præstat argentum sive pecunia: eripit à periculis, extruit civitates, protegit habentem accipitur enim *umbra* hoc loco, pro ipsa protectione. Habet autem hoc adhuc amplius sapientia, vivificantem scilicet cognitionem sive scientiam dum persuadet visibilia cuncta contemnere, solam verò suscipere vitam æternam. Aliter: Sapientia (inquit) cum hæreditate ac sorte, hoc est, fides cum operibus, amplius aliquid præstat habentibus se, quam aliis qui mortuam sine operibus Fidem habeant. Quid autem amplius præstat? Nempe Solem ipsum; ad Solem namque iustitiæ contuendum perveniunt, qui sunt præditi fide. Argentum vero in Scripturis, mystico sensu pro Eloquio ipso accipitur. Sicut igitur enarrativus & dilucidus sermo docet nos sapientiæ disci-

C plinas, sic & umbra sapientiæ, hoc est, practica virtus quæ introductio quædam est veluti umbra, perducit nos ad perfectam sapientiam, divinarum scilicet rerum contemplationem & intellectum: Huiusmodi vero sapientiæ possessio vitam nobis confert sempiternam. Per umbram itaque argenti, hoc est verborum enuntiationem quæ rerum quasi umbra quæpiam est, ad res ipsas & scientias pervenimus. Per sapientiæ vero umbram, hoc est, Practicam vitam quæ est veluti prævia introductio ad Theoricam, pervenimus ad contemplandam divinarum rerum sublimitatem. Ita vero literam componens: *Sapientia est in umbra ipsius*, id est, sublimis contemplatio mysteriorum, est in practica vitâ ipsius possidentis, ac per hoc qui priùs hanc habuerit umbram habebit & mox sapientiam. *Sicut umbra argenti*, scilicet se habet ad sapientiæ disciplinas, hoc est, sicut verba sunt prævia & inducunt ad sapientiæ disciplinas. *Vide opera Dei, quoniam quis poterit adornare quem Deus perverterit in die prosperitatis eius?* Fuere permulti qui videntes, enormitates rerum magnas contigere in vita

D mortalium, dum nolunt autorem malorum & iniustitiæ Deum asserere, egregiè se putarent illius partes tueri posse si in aliud blasphemiæ genus ac stultitiæ laberentur. Dicebant enim neque à Deo Mundum creatum esse, neque vllâ Dei providentiâ gubernari: Si enim curam gereret Deus humanarum rerum, cur inquiunt, non omnes æque divites statuisset? Curve non omnibus vegetam tribuisset ac prosperam corporis sanitatem? Hanc ut radicitus tollat opinionem noster Ecclesiastes, manifestè asserit esse Deum mundi autorem, nec posse quemquam porrigere quæ sint pravè obliquata, illo excepto: ut claudos, puta te vocare in sanitatem, & quæ sunt generis eiusdem. Quod si velis planè cognoscere omnia nobis in vtilitatem nostram Deum dispensare, adiice animum ad ea quæ protinus insequuntur, videlicet: *Vive in bono, & intuere in die mali. Intuere (inquam) hoc enim congruum. Huic fecit Deus de dissertatione, ut non*

Cultus latriæ.

Sapientiæ commoda.

[illegible] operibus [illegible]

Vita est introductio ad Theoricam.

Dei providentiâ.

E *inveniat homo post eum quicquam.* Vive, inquit, secundum, virtutem (hoc est enim, *vive in bono*) & observa cum tibi tentationes infortuniaque acciderint, ut videas congruè ac opportunè necne cuncta fecerit Deus. Hanc vero humanorum casuum rationem pulchrè nobis Deus occuluit, quam & dissertationis nomine significavit Ecclesiastes, quod de huiusmodi rerum causis soleant homines inter se multiplices dissertationes afferre. Pulchrè, inquam, Deus nobis illam occuluit, ne cognoscat homo quæ sibi sunt eventura. Congruè vero Deus atque appositè quod videtur nobis malum adducit, post id quod visum est nobis bonum: Contraque nonnunquam bona malis superinducit: ut exempli gratiâ: bene quis valet, & hoc fruitur bono vivens secundum virtutem, pauloque mox in adversam incidit valetudinem, vel

F de opulento Pauper efficitur. Et quid ita nobis hæc eventura non providemus: curve horum eventuum causas ignoramus? Nempe ad maiorem nostram commoditatem. Si enim quæ ventura nobis essent, homines præsciremus, nullus Dei nobis inesset metus, nulla religio. Hac autem perutili rerum ignoratione conclusi, cum ad singula pendeamus, & Deum pio colimus metu, & cognoscimus ab eo (& quidem solo) nobis malorum omnium finem futurum: Nullus quippe potest, illo excepto, quod perversum est in hominibus emendare. Consonum est itaque, quod esse videtur dissonum, & æquale est quod inæquale videtur. Vnde omnes eodem pacto communique futurorum ignoratione commoventur ad timorem Dei. Protinus vero subsequitur: *Omnia vidi in diebus vanitatis meæ.* Hæc (inquit) ut sapiens consideravi in *diebus vanitatis.* Vocat autem vanitatis dies, præsentem vitam: primo quidem, quia viventes homines plerique quod fas piumque est, minus sequuntur, tum vero etiam, quia fugit velut umbra, neque consistit. Ea propter, futuræ vitæ desiderio nos extimulans, inquit: *Noli esse iustus multùm, neque nimium sapias ne obstupescas: noli esse multum impius neque sis durus, ne moriaris in tempore non tuo.* Cum vir-

G tus ipsa in mediocri quadam norma consistat, vitia utrinque assident per exuberantiam & defectum. Inquit ergo: *Ne sis multùm iustus:* hoc est, ne exuperanti odio vitiorum: omnem abiicias erga delinquentes benevolentiam tanquam rigidus & inhumanus: sed neque sis nimium sapiens aut plura quam sit opus quærito, nequando obstupescas. Nimia sunt ac plura necessariis, quæcumque sunt extra limites sacræ doctrinæ. Inquit ergo: Quæcumque nostram ad vtilitatem divinus Sermo nobis voluit esse occulta, ne solliciti simus ea inquirendo. Hæc enim perscrutari, stupor est quidam phreneticæ mentis vitium. Sed neque circa dogmata opinionesque Sectarum multum commorando sis impius ac superstitiosus, studeto autem quæritare quod verum est curatoque ut salubri pœnitentiâ tuâ deleantur peccata. Nolique esse durus, hoc est, qui emolliri nesciat quique adversetur Spiritus sancti doctrinæ. Subinde autem generali

H quadam comprobatione concludit, *ne moriaris tempore non tuo.* Importuno tempore ac non suo decedit è vita, qui consummatus non fuerit in virtutibus, sed qui in peccatis moritur quibus convixit: Qui verò est virtutum plenitudinem consequutus sicut granum frumenti quod maturum est, cadit in tempore suo. *Bonum est te hoc tibi asciscere, hoc autem ne pollueris manum tuam, quoniam qui Deum timet egredietur omnia.* Cum proximè de vitio præceperit ac virtute, nunc appositè subinfertur quod *bonum est sibi hoc*, id est, virtutem comparare: bonum quoque suas quas hoc loco manus vocavit, impollutas vitij contagione servare. Tum verò & de timore Domini sancto qui nos sanctificat, facit mentionem cum dicit: *Deum timens omnia egredietur.* Cum enim suæ orationis actiones ex virtute moderetur, & profectibus assiduis augeatur evadet il-

Calamitates cur iustis eveniant.

Futurorũ ignoratio perutilis est hominib.

Præsens vita est vanitas.

Curiositas fugienda.

Durities quid sit.

læsus tentationum certamina. *Sententia auxiliabitur sapienti, super decem qui potestatem habent in civitate. Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum & qui non peccet.* Dominus noster IESVS-CHRISTVS qui est ipsa sapientia, ei qui in se crediderit, iam per fidei lumen sapienti effecto, auxiliatur multò validiùs quam decem præcepta Legis, quæ in civitate Iudæorum potentiam & authoritatem magnam habent. Vt enim quis decem servaret præcepta Legis, non tamen erat quin ex mortali fragilitate in peccatū aliquod laberetur, ipsa præterea Lex nullum iustificabat: noster vero Dominus IESVS-CHRISTVS nobis fuit iustitia, sanctificatio & redemptio. Aliter: Ipse homo parvus est Mundus, sed hoc loco civitas nominatur, quinque sensus habens in corpore, quinque in anima. Si itaque putet homo posse sibiipsi satis auxiliari per decem sensuum qui sibi sunt insiti, facultates, nisi Reipublicæ suæ curam gesserit Dei sapientia Christus noster, sciat se frustra omnem operam desumpturum: homo enim cum sit ex peccati carne progenitus, non peccare non poterit. *Cunctis sermonibus quos impij loquuntur ne adhibeas cor tuum, ne etiam tu audias servum tuum imprecantem tibi: Sæpe enim tibi iniquus erit, & descensibus quamplurimis affliget cor tuum, sicut & tu aliis imprecatus es.* Hoc loco nos admonet Ecclesiastes iniuriarum penitus oblivisci, nomine impiorum, convitiatores & iniurios demum omnes significans. Tum generali quadam comprobatione concludens, non oportere inquit, aurem accommodare contumeliis ac maledictis, ne, si tuus quidem servus tibi mali quid imprecetur (ita vt plerumque servi faciunt) irâ succenseas: credibile est enim vehementer illum tibi ac sæpe insidiari. Hoc enim significat quod dicit: *Et descensibus quamplurimis affligit cor tuum.* Aut aliter ita intellige: Convitium persæpe cum auditur, animam turbat. Si igitur quispiam in quemlibet convitiantem irâ succendatur, in multos cadit labiturque descensus, à sublimi sede rationis detractus in iracundiæ Passionem, atque ita tristi turbulentiâ implet cor suum. Cogita autem quod & tu frequenter aliis convitians fueris & imprecatus, atque ideo in melius resipiscens, induere maledictorum omnium & iniuriarum oblivionem. *Hæc omnia tentavi in sapientia. Dixi, sapiens efficiar, & ipsa procul elongata est à me multo magis quam erat. Est alta profunditas, quis inveniet eam?* Cum spiritualium rerum & sensibilium cognitionem attigisset Ecclesiastes, & ex parte aliqua sapientiæ magna mysteria prospexisset, contemplatus illius patentissimum pelagus, quod quantò vlterius quis processerit meritò illi maiora spacia relinquuntur, in eiusmodi voces erupit, quod & multo post videmus Apostolo Paulo contigisse cum ex admiratione proclamat: *O altitudo divitiarum scientiæ & sapientiæ Dei quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius. Circuivi ego & cor meum, ut cognoscerem & considerarem & quærerem sapientiam & rationem, ut cognoscerem impietatem stulti, & turbulentiam, & errorem: & invenio amariorem morte ipsam mulierem quæ laqueus est venatorius, & sagena ipsius. Bonum est vinculum ad manus ipsius. Qui est in conspectu Dei, educetur ab ea, qui autem peccator est, comprehendetur in ipsa.* Vir sapiens cum ad intelligendum aliquid, vires intendit, collecta mente omnia in circuitu rationibus lustrat, seipsum suásque facultates speculatur atque perpendit. Tum & obiectam rem, materiámque intelligendam optimè consulit, neque pravo animi iudicio à veritate aberrat. Neque item recta linea fertur ad sensibilia prospectanda, sed clausis sensuum fenestris ac recedens in suæ mentis penetralia deambulat in circuitu: ibi arcano reflexu in se rediens intellectus, sese speculatur ipsum, & quod intelligendum obiicitur. Hoc itaque pacto colligens meipsum (inquit Ecclesiastes) quæsivi scire quænam esset mundanarum rerum sapientia, & eiusdem ratio: sive illam intelligat rationem quæ positis calculis numerisque subducitur, vt in Arithmetica sit facultate, sive potiùs numeros Genethliacis observationibus servientes, aut simpliciter rationes omnes quæ per numeros colliguntur à studiosis Secularibus, gentilibúsque Philosophis. Quæsivi ergo scire quænam hæc sit multorum Sophistarum stultitia & turbatio, & inconstans error, mentísque circumductio, & inveni demum hanc ipsorum sapientiam persimilem esse adulteræ mulieri. Sicut enim illa blandis sermonibus ac dolosis iuvenes lactat, ita & hæc stultos venatur, irretitos syllogismorum laqueis & sagenis. Ac sicut illa molli contrectatione animam frangit; fractam, devincit, ita hæc mala eadem adducit titillanti orationis conceptu. Peccator itaque sine vlla controversia atque præsidio facile in illius captivitatem protrahitur, pius verò ac fidelis auxilio Dei suffultus, ab illius extrahitur laqueis. Asserit autem vel morte peiorem esse huiusmodi sapientiam, sive potius stultitiam dici oporteat: tantóque nostræ animæ damnosiorem esse, quantò peius est morti animam tradere (quod præstat hæc sapientia) quam eandem animam nexu corporis expedire, quod temporariæ mortis est munus. *Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes, sigillatim inspexi ut invenirem rationem quam quærebat & expectabat invenire anima mea, neque tamen inveni. Virum de mille unum inveni, & mulierem in his omnibus non inveni. Veruntamen hoc inveni, quod fecerit Deus hominem prorsus rectum, ipsi vero sibi homines, quæstiones multiplices rationésque compararint.* Totus hic locus sensu mystico ac morali exponendus est, ita videlicet. Cum inspicerem, inquit, vniversum genus muliebre, non sexu quidem corporeo, sed enervi ac fœminato ingenio muliebri, in nulla mulierum, rationem inveni quam quærebat anima mea, fortem scilicet virilémque rationem: huiusmodi namque rationem sapiens exigit ac regit. Neque vero solùm hoc mihi accidit in iis qui mollitie enervati, à viris ad fœminas desciverunt, sed quod graviùs multò est, cum ad illos quoque inspiciendos me transtulissem qui putabantur mulieres non esse, perquam rarum in his quoque inveni qui virili ingenio ac virtute verus esset vir dicique mereretur. Ex admiratione itaque cum mecum tacitus reputare cœpissem vnde hæc enormitas orta esset, inveni demum quod Deus omnes homines rectos protulerit carentéique pravitate, ipsi verò sua electione, in obliquas vivendi rationes commigrarint distractique sint, vt alius quidem libidinibus, alius avaritiæ serviat, alij passionibus aliis sint subiecti.

CAPVT VIII.

QVis novit sapientes? & quis novit verbi solutionem? Sapientia hominis illuminabit faciem eius, & impudens vultu suo panietur. Qui verè sapiens ipse non fuerit, neque discretionis donum fuerit Dei beneficio consequutus, non facile sapientem verum observet ab eo qui videatur sapiens & non sit. Ille autem quem Deus discretionis dono dignatus sit, noscit planè quid inter verum sapientem existimatumque intersit: hic etiam potest solvere quæstiones, ac sermonum vertices explicare, hic profectò habet animæ suæ faciem luce magnâ conspicuam, imbare scilicet divinæ sapientiæ illustratam. Qui verò nequaquam sapiens fuerit, effreni tamen vultus impudentiam præ se tulerit, hoc est qui contentiosis sermonibus captiunculisque sophisticis sese efferat, redargutus, impudentiæ pœnas dabit, odióque habebitur. *Os Regis custodi, & de verbo iuramenti Dei ne studeas à facie eius ambulare.* Bonum quidem censetur homini, vt terreno Regi ac mortali pareat subiectúsque sit: Bonum verò eidem est, si os Regis omniū Dei servarit & custodierit sicut & Scripturæ nobis custodire præcipiunt. Est autē os Regis Dei custodire, divina mysteria silentio occultare, neque indignis ac prophanis auditoribus explicare. Bonum quoque est

homini

Mundus est civitas.

Servis nō irascendum.

Roma. 11.

Numeri Genethliacorum observationum. Ars sophistica similis adulteræ.

Sophisticæ capiunculæ.

Iuramenta fugienda.

A homini præcepta legis, quæ suo Deus ore pronuntiavit, fideliter observare. Bonum item est cavere ne iurando per Deum, sacrosanctum illius nomen temerè ac leviter vsurpemus: neque etiam studeamus extra faciem Dei ambulare sed omnia nostra opera sic peragamus vt Deum vereamur tanquam præsentem iudicem & inspectorem. Aliter quoque ita verba hæc punctis distingues, videlicet: *Et de verbo iuramenti Dei nequaquam studueris*, & festinaveris, hoc est, Iuramenta ne frequenter ac temerè vsurpato, sed à facie ipsius scilicet iuramenti ambulato, hoc est, absiste longiùs ac discede, neque omnino sustine vt iuramentum in os tuum admittas. *Nec consistas in sermone malo, quia omne quod voluerit faciet. Tanquam Rex potestatem habens loquitur, & quisnam illi dicet, quid fecisti?* Simpliciter ac absolutè bonum est, nullo mali genere animam occupare; neque consistere in iis quæ quovis modo male locuti sumus aut opinati: quia tamen subsequentia verba, de præceptis (vt videre

B mox poteris) mentionem faciunt, ita intellige quæ modo exponenda proposui: videlicet, cum ille præceptorum Legem tulerit qui est omnium Rex & Dominus autoritatem habens, neque præterea liceat cuiquam intercedere ac reluctari, ne quæso vt pervicax contrariam tu Legem præceptis feras, rationem, curiosiùs perscrutando, quare hoc potiùs quam illud præceperit observandum. Qui enim sic loquutus fuerit, malignitatis crimine non carebit. Tu verò stans in timore ac fide, cura vt quæ præcepta tibi sunt se-

Cognitio duplex.

quaris. *Qui custodiet præceptum, nesciet verbum malum. Et tempus iudicij cognoscit cor sapientis, quoniam omni negocio & opportunitas temporis & iudicium.* Qui custodierit, inquit, Dei præceptum, nesciet verbum malum, hoc est opus malum non faciet: Est enim duplex cognitio: altera quidem generica, in pura mentis intelligentia & notitia, altera vero quæ in actione prodit atque emergit, iuxta quod scriptum

C est: *Cognovit Adam Evam uxorem suam*: Non quod prius illam nesciret, sed cum ad illius carnalem copulam accessisset, tunc illam dicitur exteriore quadam actionis notitiâ cognovisse. Qui ergo secundum hanc agendi cognitionem præcepta custodit, ignorat procul dubio malum, quia illud non operatur. Cæterùm secundùm priorem simplicem ac latentem in intellectu cognitionem, qui novit bonum novit protinus & quid sit malū, contráque bonum novit, qui non ignarus fuerit mali (contrariorum enim eadem est cognitio) non vsu quidem sed sciendi vi ac facul-

Contrariorum quomodo sit eadem cognitio.

tate. Inquit ergo: Cum sapiens vir omnia suo tempore ac discretione faciat disponátque in iudicio, novit affuturum vniversalis iudicij tempus in quo Deus iudex iustas iustitias iudicabit vnicuique pro dignitate. *Quoniam scientia hominis multa est super eum, quia non est qui futurum cognoscat. Quo enim pacto futurum sit, quis renuntiabit ei?* Immensa cum sit ipsa scientia, premit hominem atque obruit. Si enim voluerit omnia

D scire, vasta mole irruens super eum angit eius mentem ac suffocat. Sunt autem quædam necessaria ad salutem, à quorum cognitione homo nequaquam repellitur: vtpute hominem esse animal rationale, mortale cuius anima sit immortalis, esse bonis malísque paratas repensiones: & quæ demum ad eruditionem fidei spectant: Præterea verò creatum fuisse hominem ad imaginem Dei, suique officij esse, puram & immaculatam imaginem conservare. Quæ autem post ipsum futura sint, solum scire Deum, & eos duntaxat quibus idem

Iudicij extremi circumstantiæ nobis adhuc sunt incognitæ.

Deus voluerit nota facere, Quia verò Ecclesiastes hoc loco vltimi iudicij potissimum mentionem facit, ita & hæc omnia ad intellectum Iudicij accommodabis. Multa est scientia & immensa de rationibus & sermonibus Iudicij, neque est qui homini certas vnquam Iudicij rationes renuntiaverit, h. e. quo tempore aut vbi locorum, iudicium sit futurum, vel quo pacto Deus vniuscuiusque vitam morésque disquiret, aut quomodo qui horâ vndecimâ in vineam vene-

E runt pretium primæ retributionis accipiant: aut quo Dei iudicio approbantur boni quos ipsi fortasse malos esse censuimus: contra verò damnabiles Deo sunt qui nobis esse probi videbantur. Itaque propter omnia, noli esse sollicitus ac sapere plus quam oporteat, ne obstupescas vt superius idem Ecclesiastes te monuit. *Non est homo qui potestatem habeat cum spiritu, ut prohibere spiritum possit: neque est qui potestatem habeat in die mortis*, Spiritûs significatio late patet.

Spiritus significatio late patet.

Nam ipsa anima, spiritus nuncupatur, ipse quoque ventus & aër quem respiramus, & donum sancti Spiritûs hac appellatione significantur. Itaque secundùm prædicta omnia significata, nullus sanè est qui potestatem habeat super spiritum solo Deo excepto. Neque enim animare corpus, aut animâ cassum reddere neque ventum impellere, vt Notum puta vel Aquilonem, neq; infundere charisma Spiritûs aut revocare, neque item aërem vitiare temperatúmque efficere, alterius est cuiusquam quam solius Dei. *Non est itaque potestatem*

F *habens in spiritu, ut illum prohibere possit, neque est potestatem habens in die mortis. Non est emissio vel navigatio in die belli.* Verba hæc literaliter intellecta, hæc sonant. Bello civitatem ac provinciam occupante, non est commodum neque tutum classes educere ac navigare ad negocia externa. Mystico autem intellectu sic accipe: Quem Deus iusserit mori in bello, non est qui extinctum emittat seu revocet in hanc vitam. Aliter: Quando quis inceperit in iudicio conscientiæ, scelerum suorum bella sentire, nequaquam poterit huiusmodi preces effundere: Mitte me Domine in vitam vt pœnitentiam subeam peccatorum. Sed neque qui articulo mortis animam agit, potest precari: Da mihi quæso Domine vt pœnitentiæ causa modicum quid adhuc vivam. Nullus est itaque potestatem hanc habens in die mortis. *Neque impietas salvum faciet sibi subiectum.* Cum itaque non sit qui in die mortis potestatē habeat, neque sit in die belli tuta navigatio vel emissio, impietatem summo stu-

G dio evitemus. *Et omnia vidi ego.* Hæc se omnia vidisse affirmat Ecclesiastes, & cognovisse, vt tanquam conscio rerum omnium atque experto, fidem docibiles habeamus. *Et dedi mentem meam in omne opus quod factum est sub Sole, ut viderem quæcunque potenter operatus est homo in hominem, ut ipsum damno molestiáque afficeret. Et tunc vidi impios in sepulchra inductos, etiam de loco sancto.* Attentè, inquit, applicavi mentem meam vt viderem opera hominum, & quam multiplici ratione homo homini damnum inferat: quia vero persæpe homines scandalizantur, & † iniquam rem putant, eosdem esse impios qui & potentes fortunatique sint, ideo profundius (inquit) super hac re contemplatus sum, & vidi demum postremam impiorum ruinam, cum scilicet non tantùm corpore, sed anima moriantur. † Quod enim ait hoc loco, *in Sepulchra inductos*: in supplicia & tormenta intelligit. Eis verò qui in Sepulchra hæc inducantur, nihil potentia profuit, nihil quod habiti olim iusti sanctique fuerint, nihil quod in templo Dei sacra ministeria munetaque obiverint. Docet itaque nos, Ecclesiastes, nequaquam scandalizari, propterea quod in hominum vita enormem statuum diffidentiam conditionúmque cernamus, cum contra potius spectare debeamus ad eam quæ in futuro sæculo est retributionem. *Et processerunt & laudati sunt in civitate, quod ita effecissent.* Qui videbantur (inquit) esse pij ac sancti, cum tamen in impietate sua ambularent atque procederent; nihilominus laudem ab hominibus retulerunt, vel ignorantibus illorum impietatem, vel eisdem callide adulantibus. Nihil verò illis profuit aut simulatæ species pietatis, aut adulantium laus: In vanitatem namque abiit hoc totum negocium, quandoquidem in Sepulchra miseri corruerunt. Quod autem ait, *& hoc etiam vanitas*: posset à superioribus distingui sententiis, & ad insequentes versus aptè transmitti; vt videlicet legatur: *& hoc etiam vanitas. Quia enim*

† iniquè reputant,

† scilicet, eâ anima excidit à divina gratia, alioqui non interiit.

H

A *non est contradictio facientibus malum, citò, propterea impletum est cor filiorum hominum in ipsis, ut faciant malum.* Hoc est (inquit) quod vanitatem auxit & confirmavit, quia non sunt qui contradicant facientibus malum citò, neque qui eos coarguant: ut, *citò*, hic ad contradicentes referatur, significétque sedulò ac vehementer contradicant acrique reprehensione compescant: aut illud, *citò*, ad operantes malum referatur, quasi velociter ac studiosè peccantes. Inquit ergo: Quia mali non arguuntur sed potius laudibus & plausu efferuntur, idcirco impletum est & in malo habitu stabilitum cor filiorum hominum, ut studeant operari mala. Appositè autem dixit, *filiorum hominum*, filij enim Dei mala non operantur. *Qui peccavit, operatus est malum ex tunc, & à inventute sua.* Peccatum dolo ac fraude mala Diaboli invectum est in Orbem terrarum, ea propter Orationem dominicam concludimus orantes, *sed libera nos à malo*; hoc est, à Diabolo. Qui ergo peccat Diaboli iussum exequitur & voluntatem. Diabolus autem *ex tunc & à iuventute sua*, hoc est ab initio, dux fuit & autor peccati. Aliter: Non est, inquit, recens peccatum, sed pervetustum. Hinc est quod & Noe dicentem Deum audivit, consedisse iam & confirmatam fuisse hominum mentem, ut seduli essent in peccatis ac vehementer operarentur malum. Iuventutem hoc loco intellige, non quoad ætatem, sed similitudine quadam quoad temerarios mores, & ritu iuvenum à rationis semita leviter aberrantes: quos mores dici possunt habere Diaboli, autores peccati; & qui vestigia illorum sectantur scelesti peccatorésque homines. Aliter: Qui habitum peccati iam contraxit, & iam proposuit in mente sua peccare: & tunc peccare iam incipit ex quo voluntatis assensum præbuit, tametsi deinde propositum illud multo post in actum producat, aut etiam non producat quod cogitavit, retardatus fortasse non electione immutati consilij sed aliquo intercedente impedimento. Aliter: Qui peccat malúmque operatur, etsi nobis solummodo innotescat cum flagitium patrat, tamen apud latens præscientiæ divinæ iudicium, iampridem multóque antequam nobis peccator appareat reus esse cognoscebatur. *Et hoc ego novi, quod erit bonum timentibus Deum quomodocumque timeant à facie eius, & bonum non erit impio, & non prolongabit dies in umbra qui non timeat à facie Dei.* Postquam satis coarguit vanitatem Mundi huius, sanctum Domini timorem Ecclesiasticæ concioni conatur inserere. Cùm enim vivant in conspectu Dei, caveántque sibi in omni sua actione & cogitatu tanquam Deo iudice cuncta cernente; omnium bonorum operum & conceptuum Deus illis causa existit, contra verò, ipsi impio nullum est bonum. Quod autem ait *non prolongabit diem in umbra*; ita intellige: peccator diu non erit in vita, quoniam videlicet totum tempus vitæ suæ quantumvis longum sit, non reputavit esse umbram, sed sollicito studio sibi comparare studuit quæ fluxa & temporaria sunt, tanquam essent perpetuò duratura. Vel aliter ita intellige: Quamquam peccator in præsenti vita per patientiam Dei, protegi quodammodo defendique videatur potius quam puniri; paulò tamen post, æternis suppliciis transmittetur. *Est vanitas quæ facta est super terram. Sunt iusti qui quoniam pervenit ad eos tanquam opus iniustorum sunt iniusti: & sunt Iusti, quoniam pervenit ad eos tanquam opus iustorum: Hoc, etiam dixi quod est vanitas.* Nunc Ecclesiastes personam eius inducit, qui è scandalo labitur in errorem, aitque. Vidi iustos in hac vita ab iis malis correptos quæ potius impiis debebantur, ut puta, ægritudine, paupertate, vel alio difficili casu adveniente; Contráque (inquit) vidi quæ piis deberentur, ad impios pervenisse: idcirco talis insipiens tanquam contemptor factus divinæ providentiæ, *& hoc*, inquit, *vanitas est*. Sapiens autem vir, eventus rerum prospiciens & quæ singulis pro dignitate retribuuntur, planè novit atque intelligit Deum nequaquam

B Oratio Dominica. Matt. 5.

Genes. 7.

Electio immutati consilij

C

D

E frustra hæc permittere evenire, sed ut iusti maiori præmio coronentur, impij verò graviori pœnâ torqueantur. Notanter autem hic quoque vanitatem supra terram vidisse se ait: in cœlo siquidem nihil est vani. *Et laudavi cum lætitia, quod non est bonum homini sub Sole præter quam quod comedat & bibat, & lætetur: & hoc ipsum aderit sibi in labore ipsius omnibus diebus vitæ suæ quos sibi dedit Deus sub Sole, in quibus dedi cor meum ut cognoscerem sapientiam & viderem occupationem quæ facta est super terram: quoniam die ac nocte non est qui videat somnum oculis suis.* Si adhuc voluptuariam personam loqui existimes; hæc in voluptate ac usu sensibilium rerum gaudium hominis repositum ducit atque mentitur: Sin vero quis loquentem sibi proponat audire Ecclesiasten, statim percipiet quis sit verus cibus ac potus, quum fideles Christiani iam in præsenti vita arrabonem spiritus acceperimus. Quod autem ait, *Dedi cor meum ut cognoscerem sapientiam*, noster Ecclesiastes acutissimo lux mentis oculo contemplatus, intellexit ac vidit nullum hominem vacuum esse occupatione atque sollicitudine, nullúmque demum esse qui somnum, hoc est, quietem, videat sed ipsorum alij quidem officiose circa res divinas occupati versantur, alij verò inutiliter ac reprehensione dignissimi, circa perituras res student. Et iustus quidem hoc pactu non dat somnum oculis suis aut dormitationem, sed vigilat, quoniam sibi nox præcessit, dies autem appropinquavit. Vigilat ergo neque cadit in caliginem ignorantiæ, neque per diem (hoc est, tempus prosperitatis) neque per noctem; hoc est, tempus tentationum. Iniustus autem in perpetua iniquitate insequentem noctem diei coniungens dulcem oculis somnum non capit vel assiduè cogitans quonam pacto consequatur quæ concupiscit vel timens ne amittat quæ possidet: *Et vidi omnia opera Dei, quoniam non poterit homo invenire opus quod factum est sub Sole quantumcumque laboraverit homo ut quærat, & non inveniet: Et quæcunque dixerit sapiens se cognoscere, non poterit tamen invenire.* Recondita illa Dei cognitio per quem facta sunt omnia, soli Deo est nota. Nos autem mortales, quicquid vel scribimus vel loquimur vel de his rebus intelligere nos arbitramur, ex parte cognoscimus participatione quadam gratiæ eius illustrati. Nullus itaque, neque sæcularis scientiæ neque divinæ sapientiæ vel mediocriter consultus, vel quantum homini licet perfectè eruditus, poterit substantias rerum neque mensuram cœli, terræ ac Maris, aut quomodo hæc ipsa concreta coaluerint, quibusve adminiculis innixa consistant, intelligere. Quod si forte quisquam sapiens, videatur probabiles rationes afferre: ipsam tamen intimam veritatem invenire prorsus non poterit.

F

G

Caput IX.

H *Omnia hæc transmisi in cor meum, & cor meum hæc omnia vidit, quod sint iusti atque iniusti & opera ipsorum in manu Dei.* Dixit superiùs, quarum rerum cognitio sit abstrusa; ut nos averteret ab inutili ac vanâ perquirendi sollicitudine. Nunc autem proponit, qua in re satisfacere sibi possit sapientis intuitus & cognitio; quod videlicet iusti sapientésque homines, unà cum operibus suis sub umbra Dei & protectione suæ dextræ conquiescant. Neque enim permittit Deus, illos impetentium viribus devastari. Probi namque homines & officiosa opera proteguntur à Deo: at verò de impiis scriptum est: *Et ipsi de manu tua repulsi sunt.* (Psal. 87.) *Dilectionem & odium non est homo qui sciat omnia ante faciem eius, vanitas in omnibus.* Symmachus pro eo quod attulimus: *vanitas in omnibus*: ita exposuit: Omnia incerta sunt in conspectu ipsorum; hoc est nescit homo si quem nunc maximè odit, mutatis vicibus, amicum & beneficum sit experturus; contráque, an timendum sibi quandoque sit ab eo quem nunc amore prosequitur. Altiori autem

A

intellectu: Qui adhuc sapit quæ hominis sunt neque planè Dëo se tradidit, nescit discerin iudicio, quæ dilectione sunt digna, & quæ odio. Ardua enim virtus atque difficilis amore est digna, odio autem prosequenda voluptas quæ de sensibilibus provenit. Homo autem qui perverse aberrat in intellectu rerum, facilè sibi omnia quæ vana sunt, ante oculos ut bona proponit; deque iis iudicat non ut veritas habet, sed ut voluptas subdola subministrat. *Eventus unus iusto & impio, & bono & malo, mundo & immundo, sacrificanti & non sacrificanti: sicut bonus, sic, & peccator. sicut iurans, sic qui iusiurandum timet. Hoc malum est inter omnia quæ sunt sub Sole, quod videlicet & idem cunctis sit eventus.* Sæpe superius ostensum est, quod quæ media sunt susque deque habenda. per se nec bona nec mala, ut ægritudo, ut sanitas, ut divitiæ, ut paupertas, & quæ generis sunt eiusdem, iustis ac peccatoribus communia sunt atque æque cōtingunt, quatenus scilicet hic quoque animalia sunt morti subiecta. Quatenus autem rationales sunt, plurimum sane inter sese differunt: quandoquidem liberâ Electione consilij, alteri quidem quod pium fasque est operantur, alteri verò ad impietatem feruntur. Adverte autem quod iurantem posuerit inter peccatores Quod autem malum, vocaverit communionem illam æqualitatemque eventuum, ita intelligendum est, ut hæc verba proferantur è persona, pravè de rebus ipsis iudicante: quum propter æquales communesque casus, nihil opinetur ab impio iustum differre. Pariter enim vterque labores perpetitur, donec est sub Sole; cæterum post huius vitæ curriculum, vnicuique redditur pro dignitate. *Ipsum quoque cor filiorum hominis impletum est malitiâ, & circuitus in corde ipsorum, & posteriora ipsius ad mortuos. Quoniam quis communicat ad omnes viventes?* Cor filiorum hominis impletum est malitiâ: hoc & illuctu circuitu ambulant, neque desistunt vnquam homines fatigari donec ipsi quoque ad mortuos deveniāt: nullus est enim qui perpetuam & indecíduam habere possit cum viventibus societatem. Sed & ipsum, quicunque is demum sit omnibus, finis excipiet. Aliter: Filij hominis, hoc est, gregarij ac vulgares, videntes communi quadam sorte iustos iniustosque vexari, implentur iniquitate atque malitiâ, & ipsorum mens in flagitiosis laboribus circumfertur, donec pravis operibus mortui mereantur inter vitâ iam functos adnumerari, quum nullam habeant societatem cum iis qui vixerunt secundum virtutem, qui nunc propriè ac verè dicendi sunt, propterea quod ad repositam sibi æternam vitam pervenerunt.

Proborū & improborū quomodo sit eadem ratio.

B

Libera Electio consilij.

C

Est spes, quoniam melior est Canis vivens Leone mortuo.

Mendicus qui vivit secundum Deum, meliorem habet spem quam protervus & arrogans qui in peccato suo mortuus est. Aliter: Populus Gentilis veluti Canis immundus, quum per fidem in Ecclesiam venerit, iam regeneratus in Domino meliorem spem habet quam regius ille populus Iudæorum. *Viventes norunt se morituros esse, mortui verò penitus nihil cognoscunt.* Illi quorum intellectus humore vivido irrigatur, quum secum reputant temporarium vitæ curriculum, officiose vivunt, confirmati spe vitæ æternæ: Qui vero in peccato mortui sunt, ignorantiæ nebulâ occupati, vivunt sine oratione, pecorum more. *Neque est amplius illis pretium, quoniam defuit memoria ipsorum.* Quid enim pretij sit peccatoribus, quorum ne meminisse quidem dicitur, Deus? Novit enim Dominus eos solos qui sui sunt. Hoc verò ad Iudaicum populum referendum est. *Amor quoque ipsorum & odium & zelus iam perierunt.* Qui in peccatis mortui sunt, quorum è numero est populus Iudæorum neque charitatem erga Deum habent, neque odium erga iniquitatem, neque possunt dicere iuxta illud Phinees, *Zelans zelavi super Dominum. Neque habent partem in seculum, in omni opere quod sub Sole est.* Iudæorum populus, Terram promissionis quæ sibi sorte obtigit,

D

Damnati non habēt charitatem. Forte melius, Heliæ quòd de se illud dicit.

amiserunt; Civitatem quoque Ierusalem ac sacerdotij dignitatem, ita ut neque in præsenti vitâ partem suam habeant super terram, *Vade ergo & comede in lætitia panem tuum, & bibe in corde bono vinum tuum, quoniam approbavit Deus opera tua.* Literali sensu *in lætitia & corde bono* uti quis dicitur bonis sibi à Deo concessis, quum modeste utitur & ad naturæ necessitates: hic est enim proprius usus rationalis creaturæ: ea propter, inquit, *panem tuum comede.* Nam qui inexhaustâ cupidine, gulæ ventrique deserviunt, pecorum vitam potiùs consectantur. Mystico autem sensu; panis, & vinum rationalis creaturæ, sunt ipsæ virtutes ex quibus animæ nutriuntur. Aliter: *Verbum caro factum*; homines cohortatur ad mysticam suì Corporis participationem, quum propter nostram salutem carnem assumpserit: Approbat ergo hoc fieri, congaudetur mysteriis & ritibus Ecclesiæ. *In omni tempore candida sint vestimenta tua.* Hoc est, actiones & opera quæ virtutis normam sequuntur; necnon tradita nobis indumenta per Lavacri regenerationem, quæ proculdubio candida asservantur per omne tempus quo à peccatorum sordibus abstinemus. Candida quoque habere dicitur vestimenta, qui lavat *per singulas noctes lectum suum, & lachrymis* suis *stratum* suum rigat: ita sordes peccatorum per pœnitentiam tergens. *Et oleum tuo in capite non deficiat.* Literali sensu: mites ac perhumanos vult esse eos qui virtutes exercent: ne scilicet extenuent ac decolorent facies suas fictâ hypocrisis austeritate. Mystico autem intellectu, oleum duo hæc præstat, ut lumen scilicet tueatur, & defessa membra confirmet. Vtraque verò hæc, affert unctio sancti Spiritûs; mentem namque Fidelium illuminat & in solida tranquillitate constituit. Hanc verò unctionem proculdubio habebimus, nisi ipsi sancto Spiritui, molesti ingratique resistamus. Aliter: Nostrum caput Christus nuncupatur in Scripturis sanctis: qui sibi ipsi collatas accepturus est, quascunque pauperibus eleemosynas conferemus. Ne itaque desistamus caput hoc nostrum perungere oleo misericordiæ; hoc est, Christi pauperes & egenos misecordi affectu protegere. *Vitam cognosce cum uxore quam dilexisti omnibus diebus vitæ vanitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub Sole omnibus diebus vanitatis tuæ quoniam hæc pars tua in vita tua & in labore tuo quo tu laboras sub Sole.* Verba hæc si absolute accipias, ita mystice intellige: Cum uxore dilecta: hoc est, Ecclesia quæ sponsa est Christi: in hac siquidem invenietur vita æterna: Quod si ad uxorem mariti cuiusque referas; tunc literali sensu nos admonebit, ut iuxta monogamiæ legem, uxore unâ contenti simus: Coniugalis namque castitas & observantia, ipsa quoque nobis est æternæ vitæ conciliatrix. Vitam igitur cognosce, & vive cum uxore quam dilexisti: quasi dicar: Cave ne ab uxore decipiaris, sicut est Adam deceptus ab Eua uxore: tu verò contra stude, ut mutuæ societatis debiliorem partem (hoc est, mulierem) in melius ipse convertas: ad æternæ vitæ cognitionem. Mystico autem sensu; sapientia uxor nostra dicitur. cui si convivamus æternâ proculdubio vitâ perfruimur. *Quæcunque inveneris manus tua ut faciat, quantum potitur facultas tua operare; quoniam neque opus, neque ratio, neque cognitio, neque sapientia est in inferno quo tu perrecturus es.* Hortatur nos ut omni contentione ac studio practicas aggrediamur virtutes, non tamen supra facultatem elaborantes. Qui enim quod potest in his exercet, secundum congruam cognitionem vivit: & dignus invenitur scientiæ dono ac sapientiæ, quantum permittit Deus atque ad illius utilitatem impartitur. In inferno autem quum Practicæ operationes esse non possint, quas mediis sensibus exercemus: qui ibi propter patrata flagitia sunt sepolti, non valentes amplius Practicas obire virtutes: neque sapientes effici possunt neque aliter officiosi ac probi: ad id enim tantummodo delati sunt in Infernum ut æternis torqueantur suppliciis. *Verti me &*

E

1. Reg. 19. b. cum al equi Deus ipsemet simile quidpiā dicat de ipso Phinees, Num. 25. b.

Ne dum mystice, sed vere & realiter ipsū Christi corpus in Eucharistia participamus.

F

Psal. 6.

Oleum mystice quid.

G

Monogamia.

Gen. 3.

H

A *vidi sub Sole quia non esset levibus cursus, neque bellum potentibus, neque sapientibus panis, neque divitiæ prudentibus, neque scientibus gratia: quoniam tempus & casus continget omnibus ipsis neque novit homo tempus suum.* Verti me, inquit: hoc est, aliud contemplatus sum; quod vincere in cursu braviúmque accipere non sit eius ubicunque levis ac expediti ad currendum, neque omnium qui potentes sunt, egregios se ac invictos præstare in bello, neque ad prudentes sapientésque viros atque industrios, divitias devolui, sed neque eos qui multa noverunt, gratiam consequi: Casus enim omnibus communes contingunt hoc est, incerti rerum eventus. Nihilque est hominibus unquam satis, nihil undique perfectum, nihil æquale, omniaque fere dissimili fine terminantur. Transeunt enim omnia & immutantur inaccessis Dei iudiciis. Sed B neque homo, inquit novit tempus proprij finis, idcirco vigilare oportet, operarique virtutes. Mystico autem sensu, quicunque sunt virtute agiles atque expediti, quive potentes, qui sapientes, qui divites, sibi ipsis nequaquam debent confidere: contra verò dicere id debent, quod verè sapientes testantur: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam:* debéntque Deo ut autori referre. Vt enim ait Apostolus: *neque volentis est neque currentis sed miserentis Dei*, Bravium victoriámque referre. Nam neque gratiam habet quispiam, quod multa cognoscat, nisi ex Deo gratiam accipiat. neque scire potest advenientis sibi gratiæ tempus, nisi mente divino lumine illustretur. *Sicut pisces capiuntur in rete malo, & sicut aves in laqueo, ita illaqueantur filij hominis in tempore malo, quando repente irruit super eos.* Rete malum, est è multiplici vitio ac iniquitate contextum. Est siquidem & bonum rete, sagena scilicet, è C præceptis institutisque tum antiquis tum recentioribus Salvatoris nostri contexta. Homines ergo, qui fluitans & instabile huius vitæ pelagus sulcant, varias voluptatum illecebras consectantes, quasi carentes ratione pisciculi, malis retibus implicantur. Illi quoque qui opinione vana scientiæ superbiunt & efferuntur, quum sibi videantur excelsi esse atque aërambuli veluti volantes aves, Dæmonum laqueis facilè capiuntur, & incidunt in malum tempus infernalium suppliciorum, quum repentinus interitus illis adveniat. *Et hoc etiam vidi, sapientiam sub Sole: meo quidem iudicio magna est civitas parva, & in ipsa pauci viri, & veniet super eam rex magnus & circumdabit eam, & ædificabit munitiones magnas circa ipsam, & inveniet in ea virum pauperem sapientem, & servabit civitatem in sapientia sua, & homo non recordatus est viri illius pauperis. Et dixi ego: Bona est sapientia super potentiam: Et sapientia pauperis nihil facta est, & verba eius non sunt audita.* Locus hic ad personam scandalum patientis pertinet, qui tanquam secum loquens vidisse se dicit magnam sapientiam sub Sole, civitatem quampiam exiguam paucis inhabitatam homi- D nibus, quam quum obsideret rex magnus, servavit quidam civis, pauper quidem veruntamen sapiens, cuius solerti consilio victa fuerint arma obsidentis ingratos verò fuisse cives in pauperem illum. Solent enim plerúmque homines beneficiorum esse immemores, consiliaque pusillorum hominum, quamquam sint perutilia, parvifacere, quum tamen opulentis ac potentibus adulentur, eorúmque sermones laudibus in cœlum ferant. Sed ego, inquit sapiens, longè à vulgari opinione abhorrens, aliter dicam, sapientiam scilicet longè meliorem esse potentiâ. Atque hæc quidem ad literalem pertinent intellectum: Altiore autem mystico sensu ita intelliges. Parva civitas, est militans Deo, in terra, Ecclesia: parva, inquam, comparatione eius quæ triumphat in cœlis. Pauci in hac civitate sunt viri, sancti scilicet & electi Dei: magnus autem rex, iniquitatis caput, est Diabolus. Hic assidue hanc circuit civitatem, ut illius cives redigat in servitutem. Pauper autem sapiens in hac civitate, cuius consilio ipsa servatur, ipse est Christus Dominus Deus noster. E Dicit enim civibus suis sanctis, *Confidite, ego vici Mundum.* Luc. 18. Ac huius quidem pauperis verba, à stultis Gentilibus & perfidis Hebræis non audiuntur: sapiens vero Ecclesiastes intelligens in spiritu quod Deus non per solam divinitatis suæ potentiam & virtutem, sed sapientiæ societate utens verbumque caro factum, tyrannum Diabolum deiecturus esset, nullam sibi perfugij excusationem relinquens, ut sicut olim ipse antiquum vicerat hominem Adam, ita demum sub nomine fractus corrueret novus Adam. Propterea nunc afflatus spiritu; multò antè, hoc mysterium patefecit in hæc verba prorumpens. *Sapientia melior est quam potentia: verba sapientum audiuntur in quiete, plusquam clamor potentium in stultitia.* Locus hic non F est accipiendus quasi per comparationem dicatur; neque enim compararet sapientiam cum stultitia: Fit enim comparatio inter similia, non inter contraria. Inquit ergo: *Verba sapientum audiuntur in quiete:* hoc est, quum auditores iucundè accipiunt quæ dicuntur, fit requies quidem in mente ipsorum: clamor verò stultorum dignus est qui damnetur, licet illi potentiâ magnâ polleant, anima enim quæ stultitiâ repleta est, cum clamore & turbulentiâ sermones profert sine quiete, ordine, ac constantiâ. Aliter: Apostoli sapientiæ ministri, auditorum mentes quietas ab omni passione sedatasque reddebant; insipientium verò Iudæorum clamor quum iniustè clamarent: *Tolle, tolle, crucifige eum.* & Mar. 15. illos perdidit, & omnes qui huiusmodi acclamationibus assensus faciles præbuerunt. *Melior est sapientia quam bellica instrumenta.* Melius est consilium cuiuscunque prudentis: quam omne auxilium quod ab armis expectari possit, Mysticè autem ostendit potentiam Salvatoris nostri Iesu Christi, qui utique est sapien- G tia. Huius enim virtus: arma belli (hoc est, Diabolum Tartareasque phalanges) evertit, omnesque species eius iniquitatis ad debilitatem redegit. *Et peccatorum multa bona perdet.* Adam peccavit, & in omnem generis humani posteritatem, peccati labem mortemque transmisit: ipseque imaginem Dei ad quam factus fuerat violavit, & violatores sibi similes quam plurimos propagavit. Vnus quicunque is demum sit, dum sese peccati sorde commaculat & bona corrumpit quæ sibi ex acquisitis virtutibus insidebant, & multos etiam malo exemplo ad imitationem inducit.

Caput X.

Muscæ mortuæ.

Muscæ mortificantes putrefaciunt apparatum olei suavitatem. Apparatum oleum, est unguentum, sicut & Aquila interpretatus est: musca vero impurum animal quod putredines & ulcera insidendo exugit appetitque laceræ cutis scissuras. Mortificat autem & corrumpit oleum unguentarium Musca, cum se in illud temere proiicit; nam & ipsa immoritur, & olei vim extinguit. Iudæi ergo propriam vitam contem- H nentes, animæque salutem, vere sunt muscæ mortificantes, cum suave redolens verbum salvatoris Iesu Christi semper vitiare ac fœdare studuerint, semperque affectarint causas calumniarum arripere, quibus illum urgere possent. *Parum sapientia pretiosius est quam gloria magna stultitia.* Multi a sua stultitia gloriam & laudem retulerunt; utputa, qui dicendi facultate pollentes iniustum clientibus patrocinium præstant: qui ex opulentia clari amplique habentur, vel qui sæculari sapientiâ præditi circa inutiles quæstiones vitam consumunt: sed longo intervallo preciosior est habendus qui ianuas & initium sapientiæ quæ est secundum Deum, ingreditur, & in ea eruditur incipitque eam libare, omnem stultorum gloriam parvipendens. *Cor sapientis in dextrum ipsius: & cor stulti in sinistrum ipsius.* Cor hoc loco pro intellectu ac mente accipi decet. Materiale enim cor & carneum, omnibus in ea parte corporis situm est quam Thoracis craterem appellant. Sapientis itaque intellectus semper in dextras

Iudæi, Muscarũ similes.

Cordis situs in corpore humano.

vergit

A

vergit partes virtutis ac laudabiles, stulti autem mens, in sinistra fertur & in ea quæ facile culpari possint. *Sed & cum stultus in via ambulaverit, cumque cor ipsius retardetur ac desipiat, omnia sunt stultitia.* In hac vita quam verè viam dixeris, stultus perambulans, cum ad sinistra cor habeat, semper cessat ac posterior invenitur: in vacuum enim pergit, nequaquam sibi proposito supernæ vocationis bravio. In anteriora itaque sese non extendit nec properat ad finem, sed quamvis ad hæc ipsa pergere videatur, medio in cursu deficiet, omnia imperfectè & sine ratione cogitans & aggrediens. Quod si ipsam adeat viam iustificationum: vel (ut verius dicam) adire se simulet: hoc est, divinorum observantiam mandatorum: quia tamen illius mens flectitur ad sinistra, cessabit prorsus atque deficiet, ut neque quid præceptum sit intelligat, neque operetur iuxta Legislatoris voluntatem.

E

Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris quia curatio cessare faciet peccata magna. Spiritus potestatem habentis, est Diabolus princeps Mundi huius & dominus filiorum inobedientiæ, qui nullâ coacti necessitate sed electione liberæ voluntatis sese ultro subiecerunt illius dominationi atque tyrannidi. Inquit ergo: Si te ad supernæ patriæ beatitudinem cogitatione ac studiis erectum, irruens ex adverso Spiritus potestatem habentis, deturbare conetur ad inferiores semitas Mundi huius: omnes illi aditus præclude: omnes obstrue sensuum operationes, ut neque per aures, neque per linguam, neque aliunde admittatur. Primis namque affectionum sublatis principiis atque causis, nulli prorsus orientur affectus. Quòd si quid ad ipsa mentis penetralia, callidus hostis, venenum transfuderit: tu tamen in vestigio tuo consistens, locum stationémque ne deseras: ita ut temperantiâ munitus, procul libidines stupráque repellas, odiúmque coerceas charitate, stationésque singulas virtutum strenuè tuearis. Si enim cadas, ut negligentiùs resistens permittas insidere tibi ac requiescere super te spiritum potestatem habentis, multa & magna peccata super animam tuam facilè aggregabis.

Electio libera voluntatis. Sensuum operationes Dæmoni præcludendæ. Affectionum tollendæ principia. Sic & Apostolus Ephes. 4 nolite, inquit, locum dare Diabolo.

C

Aliter: Si animam tuam curaveris adhibita virtutum diligentia, plurima sedabis: talis est enim virtutum curatio, ut cohibere possit spiritum habentis potestatem, ne super te veniat & conculcet. *Est malum quod vidi sub Sole, quasi non spontaneum egressum sit à facie potentis. Stultus traditus est sublimitatibus magnis, & divites in humilitate collocabuntur.* Literali sensu, aliam se vidisse ait iniquitatem in humanis rebus; principes scilicet viros ac magistratus, invitos quidem quasi metu coactos maioris alicuius potestatis, eos qui stulti sunt gloriâ honestare; fortunas verò locupletum civium, populari factione addicere invitâ proscriptione: sæpè enim principes civitatis ac magistratus, regiis edictis contra voluntatem suam obedire coguntur. Mystico autem intellectu; sponte sua atque electione voluptatis viam semel ingressi homines, inviti mox facere plurima compellantur urgente eos Diabolo qui potestatem habet super *filios inobedientiæ*, ut tanquam iniquam detestentur & accusent iustissimam Dei providentiam, ita stultè interrogantes: Vt quid insipientes, in sublimes dignitatum gradus, conspicui efferuntur; contra verò qui honesto loco nati gentilitiis polleant opibus, in paupertatem diiiciuntur? Cùm itaque cæci mortales sponte primùm nostrâ volentes, hausto voluptatis poculo ebrietatem contraxerimus; tum surrepit ille callidus potestatem habens, subiicitque nobis quæ inviti faciamus, ebrietatis nebulâ occupati; cuius generis sunt, libidinibus pollui, rixari, percutere. Neque enim qui ebrij fiunt, talia se facturos cogitant; sed ebrij iam effecti, vel inviti compelluntur ad huiusmodi flagitia perpetranda: ita & voluptatis studio traditi, scandalizamur sæpè de inaccessis Dei iudiciis, ac contra divinam sapientiam, linguam temere exercemus.

D

Ephes. 2

Vidi servos in equis, & principes quasi servos ambulare super terram. Vitæ mutabilitatem & conversionem nobis contemplandam proponit; ut à mundanis rebus incertis, ad stabilem illam cœlestem beatitudinem nos convertat.

B

Qui fodit foveam, incidet in eam. Locus hic totus soli vacat mystico intellectui; aliter enim semper hoc non contingit, ut qui foveam fodit in eam cadat. Inquit ergo: Peccator suam animam prius excruciat: *qui* enim *diligit iniquitatem, odit animam suam*, & unusquisque ob ea quæ peccaverit, punietur. Ipse etiam Moses Legislator ita faciendum sanxit in homicidam, videlicet; *Facite illi eo pacto quo contra proximum suum malignatus est.* *Et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Sepes animæ, lex est divina, & metus, veráque legalium sensuum cognitio: Qui ergo Legem Dei contemnit, & divina prævaricatur mandata, qui falsa cognitione decidit in peccatum cuius opifex est ipse callidus Serpens; iste incautus ac divinâ cassus gratiâ; morsus Serpentis perpetietur.

Psal 10

Exo. 21. Sepes Animæ.

F

Qui extrahit lapides, dolebit & affligetur in eis. Qui sibi domum virtutibus extruit lapides congregat, ac bene ædificat: qui verò vel sacerdotia vanâ elatione demolitur, ac solvit quæ prius erant extructa, lapides aufert, angitúrque miser, dolet ac periclitatur. Aliter: Lapides sancti apud Prophetam Zachariam sancti homines sunt. Qui ergo huiusmodi lapides eximit; hoc est; persequitur sanctos atque interficit; labore affligitur; hoc est, perniciem sibi attrahit, sicut Herodes fecit qui Ioannem Baptistam gladio percussit.

Zach. 9. Mat. 14. Marc. 6. Luc. 9.

Ligna scindens periclitabitur in eis, si exciderit ferrum, & ipse faciem conturbatus est, & fortitudines corroborabit & superflua robusti sapientia. Per symbola & sensibilia, ad spiritualia nos perducit. Inquit ergo: Qui suâ fretus doctrinâ, veluti ferro quodam utens, scindere ac comminuere aggreditur divinas Scripturas, quasi ligna quædam bene olentia; si forte decidat & aberret ab intentione Spiritûs sancti neque secundum Legislatoris mentem rectè ac fideliter eas interpretetur sed à ratione procul exorbitet, in magno est periculo ne in perniciosas hæreses impingat: faciémque doctrinæ suæ confundit & animas eruditorum.

Hæreses nascuntur ex non fideli Scripturæ interpretatione.

G

Quod autem ait; *& fortitudines corroborabit*, hoc est, adversantes validiores efficiet: ex iis enim erroribus quos Interpres aliquis ac magister in doctrina verbi admiserit, validiores assumunt vires qui ex adverso loco disputantes cum illo contendunt. Qui verò fortis extiterit in opere & sermone, ita ut cum sapientia eloquatur; habet omnino multum, atque adeo omnino aliquid amplius quam cæteri, ut scilicet in scindendis lignis nequaquam periclitetur. Nam qui tantummodo potens fuerit in sermone, ac volubili præditus linguâ, sophisticis autem captiunculis abundet vacuus divina sapientia, excidente ferro periclitabitur in cædendis quæ superiùs diximus lignis.

Sophisticæ captiunculæ sine divina sapientia periculosæ.

Si mordeat Serpens in silentio, nihil est amplius excantanti.

H

Qui clam peccat, nec emissa voce palam de suo peccato gloriatur; sive is agendo perperam delinquat, sive in corde suo impium dogma hæreticúmque concipiat, poterit tamen in melius emendari cum nondum ad effrenem pervenerit impudentiam. Neque sanè nimium laborabit in eo revocando, quicunque salutari doctrinâ excantare aggrediatur virus inferni Serpentis. Aut ita intellige. Si peccati serpens mordeat in silentio, hoc est, ita ut peccator admissum scelus confiteri nolit: nullam poterit salutem præstare qui sanctâ excantatione curandum suscipiat sua peccata non confitentem.

Peccatorum confessio.

Verba oris sapientis gratia: & labia stulti demergent ipsum. Initium verborum oris sui stultitia, & ultimus error eius malus, & stultus multiplicabit verba. Paulus Apostolus cupiens eos quos in fide erudiebat sapientes esse, ita ad eos scribit: *Sermo vester penitus sit in gratia, sale conditus.* Sermo enim sapientis neque austerus est inhumanúsve, neque mollis & dissolutus; sed gratiâ multâ conditus, ita ut pariter

Col. 4.

cohibeat

A cohibeat neque sinat auditores diffluere: Labia vero stulti; hoc est verba; mortem illi perniciémque conciliant. Nam & suæ ipsius animæ noxius est stultus, & animas quoque auditorum corrumpit: Demensio enim de qua hic loquitur Ecclesiastes, ad æterna referenda est supplicia, iuxta illud: *Præcipita Domine, & divide linguas eorum.* Stultus vero cum insipienter loqui incipiat, circumfertur & errat in stultitia cordis sui finémque sortitur malum. Sed *& verba*, inquit, *stultus multiplicat*, hoc est, incassum blaterat & nugatur, sive multa loquatur sive pauca. Multitudo enim hoc loco, pro nugacitate ponitur: Nam qui nil boni loquitur, nihil utile: etiam in paucis verbis nugatur. Quod si quid tamen interdum videatur boni loquutus, cum deinde mores orationi non consonent; & hic quoque nugatur cum planè ignoret quid loquatur, quidve bene agendo comprobet & confirmet. Oportet enim eum qui bene dicat, priùs facere, ac deinde alios edocere. *Multiplicat* ergo *verba*: hoc

Psal. 54.

Nugatur etiam in paucis verbis.

B est, sive multa sive pauca loquatur, suo illo sermone importunus est ac molestus. *Nescit homo quid factum fuerit: & quid futurum sit post ipsum, quis renuntiabit ei? Labor stultorum affliget eos, nescit pergere in civitatem.* Et si multa iam novérimus quæ facta sunt ante nos, tradita nobis à sanctis Patribus perlegentes, qualia sunt; *In principio creavit Deus cælum & terram*, & permulta alia: licet etiam per fidem sciamus quæ sunt futura, ut de iustis puta atque iniustis quod resurgent, hi quidem in vitam illi verò in mortem pœnámque æternam, tamen omnia nequaquam scimus, sed quædam; *Ex parte* enim *cognoscimus*, inquit Paulus, *& ex parte prophetamus.* Quis autem nobis ea quæ post sunt renuntiabit? hoc est, futura: utputa, num filios genituri simus, an genitos iam liberos amissuri; nobisne in patria an apud exteros moriendum sit, exiguóne spacio an contra longinquo futuri simus in vita. Idcirco qui solliciti sunt hæc rescire, vel per auguria,

Gen. 1.

1. Cor. 13.

C vel per natalis diei observationem, vel per mendaces alias huiusmodi divinationes, & qui cætera demum scire affectant quorum habere certam cognitionem non possumus, in vanum laborant, inutilémque sibi desumunt operam; Hæc autem ferme cuncta stultis contingunt, propterea quod minimè norunt pergere in civitatem; hoc est, optimæ civitatis normam sibi ad vivendum proponere, neque persequi volunt Ecclesiæ simplicem fidem, pulchrámque pergere in civitatem, supercœlestem scilicet Ierusalem cuius opifex & autor est Deus. *Væ tibi civitas cuius rex iunior, & principes tui mane comedunt, Beata est terra cuius rex filius liberorum; & principes tui vescuntur tempore suo in fortitudine, & non confundentur.* Literalis quidem sensus, miseram censet civitatem cuius rex instabiles habet mores iuvenum ritu, & cuius principes dimissis publicis negotiis curísque civilibus prima irrumpente aurorâ poculis commessationibusque indulgent. Nam qui mero & crapulâ sese infarciunt, quique leves sunt & parum sibi constantes neque regno neque prin-

Stultis fere contingit futura scire velle.

Rex dignus quis sit.

D cipatibus aliis gerendis sunt apti. Beatam verò indicat regionem cuius rex sit filius liberorum patrum, hoc est, qui sit officiose ac liberaliter educatus, quique probæ educationis mores conservet, ut nihil penitus velit quod servile sit, quod illiberale quod turpe: & cuius regionis principes omni studio curant quæ ad commoda subditorum pertineant: modestè præterea suoque tempore vescuntur, non iis quæ ad ventris gulæ gratiam comparentur, sed quæ virile robur bonámque valetudinem pariant ac tueantur, hoc est quæ necessaria sint. Tales enim principes insitam pectoribus gerentes iustitiam, iustúmque iudicium iudicantes, nulla unquam ignominiâ confundentur. Mysticè autem sensu morali, anima rationalis est civitas, huiusque civitatis rex intellectus: qui si fuerit iuveniliter levis atque inconstans, motúsque suus quasi principes quosdam habuerit gulæ voluptatibus indulgentes, væ proculdubio adiunctum habebit: sin

Anima est civitas.

E vero rex intellectus sacris enutriatur Disciplinis, filius est liberorum & motus habet rationum, qui congruo tempore omnia exequuntur tam quæ ad corporis curam spectant quam quæ ad animæ faciunt mentísque solertiam. Quod si civitas hæc & provincia quam animam nuncupamus, ita vivat, ita se regat, bonísque profectibus roboretur, nullâ unquam turpi notâ ignominiáque fœdabitur. *In pigritudinibus humiliabitur contignatio, & in desideria manuum stillabit domus: in risu faciunt panem, & vinum lætificat viventes, & pecuniæ obediunt omnia.* In parabola nos erudit, hortans ne contemnamus operari bonum, ne spiritualis nostræ domûs, (hoc est, animæ) contignatio, id est, firmæ ac connexæ rationes humilientur & corruant, ita ut domus ipsa perstillet, desinentibus undique vitiis connubata atque ita si quas habeamus priùs virtutes ea desidia & inertiâ amittamus. Oportet ergo assiduè inspicere nostram hanc domum, neque solum ea respectare quæ bene hactenus gessimus, sed

F oculos ad contignationem: hoc est, ad supremum finem erigere. Nam qui segniùs sese habent ad capessendas virtutes, ad solam voluptatem oculos animúmque convertunt, occupantúrque circa id quod hominum quamplurimi, suave lætúmque opinantur, palámque iactant comparari pecunias oportere, cum argento dicant omnia subiecta. Aliter: Desides otiosique homines sinunt stillare domum suam, qui vero aguntur sanctis Ecclesiæ institutis, pane quodam mystico vinóque aluntur, cuius virtute confirmati, Dæmonis adversantis insidias facilè ridere possunt, scientes quod universi mundi machina argento subiecta sit, hoc est, Dei verbo propter nos incarnato, quod argenti appellatione sacra vocat Scriptura. Sciendum verò est quod nomine panis omne siccum alimentum solet eadem Scriptura designare, sicut & vinum vocat aut aquam, quod insitam humiditatem habet. Hoc signare voluit Moses, cum quadraginta diebus quibus legem accepit, *neque panem*, inquit, *comedi, neque bibi vinum*, hoc est, neque siccum neque humidum quicquam gustavi. *In conscientia tua Regi ne

Panis in scriptura significat sicci alimentum.

Exo. 34.

Deut. 9.

G impreceris, & in secreto cubiculi tui ne imprecetis diviti: Volucris enim cœli asportabit vocem tuam, & qui habet alas sermonem tuum renuntiabit.* Volucrem cœli, sunt qui putent esse animam ipsam, vel spiritum nobis insitum, habentem vero alas, aut Spiritum Sanctum qui apparuit in columbæ specie, quique omnia complet & omnia novit aut ipsos sanctos Angelos. Contra verò nonnulli, habentem alas, pro Diabolo accipiendum dicunt, volucres verò cœli, parentes Diaboli aëreas potestates. Secundum verò utramque expositionem ita intellige: *Ne regi, neve diviti imprecerus*, ac ne in penetralibus quidem: Tua námque maledicta excurrens fama defert ad illius aures, cui tu malum imprecatus fueris. Imprecari vero quempiam dicimus, cum malum aliquod vel sibi vel proximo advenire votis exposcit.

CAPVT XI.

H *Mitte panem tuum super faciem aquæ, quia in multitudine dierum invenies illum.* Scriptum est, *Frange esurienti panem tuum.* Cæterum panis appellatione, omne genus eleemosynæ designatur. Dicit ergo Ecclesiastes. Cum lachrymis & misericordi affectu, facito eleemosynam, huius enim fructus tecum permanebit in sæculum. Aliter: Aquas pro hominum conventiculis & congregatione solet appellare Scriptura iuxta illud, *Libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum.* Inquit ergo: O tu quisquis es divinæ Legis interpres ac doctor, alimentum verbi quod tibi gratia Spiritus sancti liberaliter dedit sine ulla intermissione pauperibus & egenis imparti, præmium ministerij huius relaturus, ut cum Deo Verbo vivas iunctus in sæcula. *Da partem ipsis septem, partem quoque dato & ipsis octo, quia ignoras quid futurum sit mali super terrā.*

Isa. 58.

Panis significat omne genus eleemosynæ.

Ps. 143.

Qui:

A Qui credit veteri Testamento, partem dedit ipsis septem, propter Sabbati cultum qui in Lege veteri continetur, quique nunc spirituali sanctificatione perficitur cum a peccatis desistimus ac requiescimus: Qui verò novum recipit Testamentum, partem suam dedit & ipsis octo, propter Dominicam Resurrectionem quam octavo celebramus die, hoc est, Sabbatum insequente, ut primo † quodam initio Resurrectionis Seculique futuri. Inquit ergo: Recipe Vetus ac Novum testamentum. Vel aliter: Nostræ huius vitæ tempus, septem dierum numero designatur: Inquit enim scriptura; *Requievit Deus die septimo ab omni opere quod patrarat.* Initium vero futuri sæculi, octava est dies cuius symbolum nobis est Dominica resurrectio. Quod ergo nos monet Ecclesiastes, hoc est: Modestè inquit, vive in præsenti sæculo & thesauriza tibi per operum bonorum executionem, quæ ad futuræ vitæ bonum pertineant, atque ita partem ipsis septem dato, & ipsis octo. Aliter: Septem dona

B Spiritûs numerat Esaias. Potest igitur Christianus populus apposita quadam collatione per septenarium numerum designari, cum septem spiritualibus Donis ditatus fuerit. Octonario autem numero designabitur populus Iudæorum, qui octavo die Circumcisionis accepit signum. Inquit ergo: confer eleemosynam in omnes homines. Quod autem inquit: *quia non cognoscis quid mali futurum sit super terram*, ad omnes potest accommodare expositiones quas modo attuli, ita videlicet: Recipe duo Testamenta, ut ignorantiæ pariter ac nequitiæ tenebras procul abs te repellas. Vel modestè age quæ ad huius pertinent vitæ officia cogitans assiduè & de futuro sæculo: neque enim nosti quam gravia reposita sunt tormenta iis qui neque septenariis partem suam dederunt neque octonariis. Vel eleemosynam omnibus confer in cordis tui simplicitate, neque enim nosti quis hominum verè indigeat, quisve simulata paupertate per avaritiam petat.

C *Si repleta fuerint nubes pluviâ, in terram effundunt: & si decidat lignum ad Austrum sive ad Boream, in loco ubi ceciderit ibi desidebit.* Prima quidem particula huius loci, literali sensu potest ad eleemosynam referri: quia sicut nubes iussu divino imbrem super omnes spargunt, ita convenit eleemosynam cunctis hominibus impartiri. Mystico autem & sublimiori sensu *Nubes* pro sanctis viris accipiuntur, quorum unus fuit Moses, qui dicit: *Expectetur ut pluuia eloquium meum.* Sancti ergo repleti divino verbo quale scilicet factum est ad Oseæ sanctósque alios, effundunt fœcundum imbrem non super solam Iudæam, sed & *in omnem terram* in quam *exivit sonus eorum.* Et hæc quidem de prima particula loci huius, quæ ad pluviam pertinet. Ligna vero in Scripturis sacris significant modò iustos viros, modò etiam peccatores: Auster autem accipitur pro illustri loco ac lucido, vel pro verissima illa luce quæ est Iesus Christus Dominus Deus noster; Contra verò Boreas pro caliginoso ac tenebrarum pleno accipitur loco, proque ipso Diabolo qui in tene-

D bris habitat. In quocunque igitur loco seu illustri seu tenebroso, hoc est, sive in turpi scelerum statione, sive in honestâ virtutum, deprehendatur homo cum moritur, in eo gradu atque ordine permanet in æternum. Nam vel requiescit in lumine fœlicitatis æternæ cum Iustis in Christo Domino, vel in tenebris cruciatur cum Iniquis & Principe mundi huius Diabolo. *Qui observat ventum non seminat, & qui considerat nubes non metet. Sicut non est qui sciat quæ via sit spiritûs, neque quomodo compingantur ossa in ventre prægnantis: ita non cognosces opera Dei, quodcunque facturus est.* Qui ventos observant, sationi minus incumbunt. Pleramque enim contingit ut qui hodie perflat ventus, crastinâ die sit quieturus, aut contra bacchaturus sit die crastinâ, qui hodie conquiescit: hodie si compluat, cras erit aër serenus. Non oportet ergo ventos observare, sed spe bonâ sationem facere, Deo confidentes authori bonorum omnium. Nam si

E præ observatione nubium ac ventorum differamus sationis tempus, irritam deinde messem experiemur. Sed etiam si maximè velimus, observare non possumus aëris qualitates, neque enim scimus viam ipsius spiritûs. Sapienter namque ac variè Deus humanis consulit rebus: neque aliter ignoramus Dei erga nos consilia & dispensationes, quam & ossa quæ compinguntur & gestantur in ventre prægnantis: Quis enim novit masculúsne ibi delitescat an fœmina? integrúmne gignatur, an parte aliqua corporis imperfectum? Quòd si ignoramus qualenam sit quod in utero genitricis compingitur, multò ignorabimus magis, quanam ratione offula illa quam Embryonem vocant, in corpus animalis coalescat & conformetur, quo etiam pacto ossa componantur, quove totius corporis sibi congruat harmonia: Inquit ergo: Tu quoque ne tantopere sis sollicitus curiose quærendo cui sis eleemosynam daturus, cui non daturus, ut puta, Fidelisne sit ille an Infidelis, Iustusne an Iniustus.

F Etenim si pendebis animo ista disquirens amittes sationis tempus, neque invenies in tempore messis quod metas. Sine ulla itaque dilatione temporis, in simplicitate cordis tui eleemosynam confer, neque enim scis an spiritus eum vivificet quem tu fortasse putas Iniustum, contráque illum à se repellat quem tu iustum existimas. *Manè semina semen tuum, & vesperè ne cesset manus tua, quia nescis magis ne proventurum sit hoc an illud: quod si utraque in idem tendant, bonum hoc erit.* Qui tenebras ignorantiæ ab intellectu suo procul expellit, cum sit in ipso principio virtutum, manè primo sationem facit, iuxta illud: *Donec dies est operamini.* Quod si hic ad finem permaneat officiosè vivens secundum virtutem, operatus dici potest usque ad vesperam, ita ut manum suam ab opere non remiserit neque cessarit. Inquit ergo: Virtutem aggressus, persevera usque ad finem, neque enim novisti quænam ex tuis bonis operibus placitura sint Iudici: illane quæ iuxta carceres peregisti, an

G ea quæ iam perductus ad metam. Quòd si utraque eodem pariter modo approbentur, bonitatis & perfectionis plena censebitur huiusmodi operario. Aut aliter ita intellige: Ab incunte pueritia operare virtutem, neque dixeris, nunc adolescentior cum sim fruar deliciis quas habet vita, postea verò cum ad senectutem pervenero, ad pœnitentiam me convertam, nequaquam enim nosti quid tibi eventurum sit, aut quando tibi aderit finis vitæ. Est itaque operæ pretium operari semper virtutem, summáque contentione ad hanc assequendam conari. Oportet etiam Deum sæpè precari, ut quæ ipsi operamur, eius sint maiestati placita & bonitati. *Dulce lumen, & bonum est oculis videre Solem. Si annis multis vixerit homo in omnibus his lætabitur opera tenebrarum, quoniam multa tenebræ erunt, & omne quod advenit vanitas.* Docet nos hoc loco Ecclesiastes quale sit illud *manè* quo nos hortatus est sationem facere, hoc est suave prorsus ac dulce oculis ipsius intellectûs. Manè inquam

H illud quod producit iustitiæ Sol, animas nostras interno splendore illustrans. Sicut qui Solem hunc sensibilem vident, per ipsius lumen visibilia intuentur, atque ita sensus ipsos variis officiis intendunt, qui vero Solem non vident, in tenebris desident otiosi eo quod non videant quæ Solis lumine illustrantur: ita pari ratione & qui intelligibilem contuentur Solem, lumen in mente sua recipiunt, per quod plane vident atque cognoscunt, quæ ad eiusdem Solis voluntatem sibi agenda sunt, quæve etiam dimittenda. Is autem qui ad divini verbi sententiam vivendum sibi constituat, tametsi multos annos versetur in vita hac quæ difficilis ferme ab omnibus existimatur, anima tamen suâ voluptate lætitiáque perfunditur, cum non solum complectatur animo & intelligat quæ agenda sibi sunt in practico vitæ cursu, verum etiam mente pacatissimâ contempletur pulcherrimas illas species quæ à materia seiunctæ, solo intellectu

percipiun

[Marginal notes: † Forte [illegible]. (beside "primo † quodam"); Gen. 2. (beside "Requievit Deus"); Eleemo[illegible] (beside C); Psal. 18. (beside "in omnem terram"); Eleemosynæ dandæ ratio. (beside "Tu quoque ne tantopere"); Pœnitentia in ætatem senilem non est reiicienda. (beside "Ab incunte pueritia")]

A percipiuntur. Speculatur autem hæc, lucidissimis iustitiæ Solis fulgoribus illustratus. Neque verò tantùm hæc ipsa contuetur, verùm reputat animo & tenebrarum dies qui in futuro sæculo sunt impios comprehensuri. Et cum meminerit dies illos perennes fore, peccatoresque ipsos post rerum omnium vanitatem venturos ad æterna supplicia, omni studio & contentione declinat à malo, bonumque operatur. *Lætare iuvenis in adolescentia tua & bonis fruatur cor tuum in diebus adolescentiæ tuæ & immaculatus deambula in semitis cordis tui, & in visione oculorum tuorum.* Cum dicit: *ambula immaculatus in semitis cordis tui*, planè ostendit quod ad spiritualem lætitiam hoc loco iuvenem cohortatur. Iuvenem verò intelligit, qui sit animo robustus ac fortis, & qui tutò possit atque intrepidè contra Diaboli colluctationes in campum descendere,

B exuere antiquum hominem ac induere, eum qui sit ad imaginem Dei factus. Hic autem qui ambulat immaculatus in semitis cordis sui, hoc est, animam in tuto loco constituens mentemque purificans, habet vnique & puros sui corporis sensus, redditurque aptissimus ad admirabiles pulchritudines contemplandas, lætitiam summam percipiens in spirituali adolescentia internaque mentis perspicua visione. Quia verò masculâ nomenclaturâ persæpe Scriptura vtitur in his locis in quibus fœminas æque ac viros ad virtutem hortatur, sciendum est quod à principaliori parte ac sexu orationem aggreditur, *mulieris* namque *caput est vir*: vna verò vtrique animæ est substantia, & vnum sumus omnes in Domino. cum fœminei sexus virilisque differentia ad corpus solum pertineat. Quare & si hoc loco adolescentem solum videas adhortationem accipere; sub huius tamen adhortationis lege fœminas putato æque ac viros ipsos comprehendi. Verba quoque Pauli Apostoli, quibus inquit: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, tam ad viros pertinere quam ad mulieres existimato.

C Et cognosce in his omnibus quod ducet te Deus in iudicio.

Eph. 5.

2. Cor. 11.

Capvt XII.

ET remove iram à corde tuo, & abducito malignitatem à carne tua, quoniam iuventus & amentia, vanitas. Et memento creatoris tui in diebus adolescentiæ tuæ, antequam venient dies afflictionis, & anni in quibus dicas, non est voluntas mea in eis. Hoc loco in memoriam nobis revocat divinum iudicium, loquiturque tanquam authoritatem habens *remove iram à corde tuo*, potest enim cum sis præditus ratione iracundiam frenare: Malignitatem vero carnis, accipit pro omni peccato. Nam & Apostolus, opera carnis peccata appellat. Præcipua vero malignitas carnis est ipsa libido. Passiones verò quas dicimus, sunt motus inconstantis animi ac iuvenilis. Animo autem iuvenili, amentia fere plerumque annexa est quæ nihil est aliud quam mera vanitas. Inquit ergo: Si velis exuere hunc iuvenilem animum, & petulantis superbiæ motum freno compescere, indelebilem Dei memoriam conservato. Dies

D autem adolescentiæ, præsentis vitæ dies significant: verè, stultitiæ dies si ad perfectionem comparantur futuræ vitæ. Si enim in præsenti vita memoriam Dei abieceris, incumbit tibi tempus punitionis, quod diem vocat afflictionis cum peccatores tunc puniendi sint, & tunc *dices non est voluntas mea in ipsis.* Nullus enim cum torquetur tormentis carere nollet. Qui ergo in hac vita non secutus Domini præcepta, sed suas cupiditates, ex amentia & animi imperfectione facit ea quæ vult, in tempore punitionis torquetur ita vt non vult. *Antequam obtenebrescat Sol & lumen & Luna & stella, revertantur retro nubes à pluvia, in die in qua commovebuntur custodes domus, & in obliquum depravati fuerint viri fortitudinis, & cessaverint molentes quoniam ad paucitatem redacta fuerunt, & obtenebrescent quæ aspiciunt per foramina: & occludent ianuas in platea in infirmitate vocis molentis:* Audivi

E quempiam qui verba loci huius putaret ad particularem vnius cuiusque interitum pertinere: alium, qui ad vniversalem Mundi consumptionem: alium item qui ad altiorem sensum referret, quæ omnia, paucis omnium vobis explicabo. Orationem convertit Ecclesiastes ad eum quem admonendum suscepit, aitque: Rationem habeto tuæ salutis, eamque curato diligenter, donec vti potes libero voluntatis arbitrio, integrumque tibi est ad virtutem accedere. Post hanc etenim vitam tibi accidet non sicuti vis, sed torqueberis sicuti non vis. Rationem itaque tui habeto ante obitûs diem, antequam scilicet tibi Sol obtenebrescat, & Luna & stellæ: huiuscemodi enim tenebræ vnicuique contingunt in extremo vitæ obitu. Tu itaque curato salutem tuam, priusquam in aquam terramque solvaris. Corpus enim hoc nostrum quod veluti nubes quædam videtur animæ superincumbere ac superpositum esse, defunctis

Liberum voluntatis Arbitrium.

F nobis, in similia elementa resoluitur, aquam [illegible]icet atque aerem. In ipso etiam mortis die, *domus*, hoc est animæ custodes commoventur, & in *obliquum* declinant ac remittuntur quæ prius rectæ ac intensæ fuerant rationis vires, quæ hoc loco viri fortitudinis nuncupantur: dolent enim ac conturbantur in ipso formidabili a corpore nostro exitu. Possunt & *custodes domûs* intelligi, corporis nostri materiales oculi ac sensibiles, qui in mortis articulo, contuendi vires extingui sentiunt. Tunc etiam *molentes* ociosi sunt, hoc est dentes ipsi ac molares qui inditos ori cibos molunt atque comminuunt, non quod prorsus numero pauci fiant, sed quia ad paucitatem virtutis officiique deveniant. Pupillæ quoque oculorum, quæ veluti per foramina quædam prospiciunt, tenebris obducuntur, cum meatus omnes & operationum viæ quibus vsi sumus in vita, penitus occluduntur: Incipit enim tunc homo tenui vocis filo ac infirmâ voce vix & ægre loqui cum in extremo respirat. Antequam te hæc mortis incom-

G moda comprehendant, cura ut in officio sis, operensque virtutem. Aliter, ad vniversalem Mundi finem ita hæc accomodare poteris. Sicuti per verbum Dei, creatura Mundi creata est, ita & divino iussu quandoque resolvetur. Cum enim ad sæculorum finem Mundus pervenerit, supervacuus erit vsus luminarium, tunc pluvia non opus erit quæ irriget terram, sed nubes quodammodo à pluvia retro convertentur, hoc est pluviam nullam dabunt, vel cum pluvia pariter soluentur, & evanescent cum neque nubium neque imbrium vsus aliquis sit futurus: vel tunc in aliud ministerium Domino Deo obedient, vehicula fortasse gestandis Sanctis effecta. Tunc & *custodes domûs commovebuntur*, hoc est sancti, fortitudinis viri hoc loco nuncupati, qui tunc in obliquum paulisper declinabunt & recedent propter Antichristum, non quod penitus rectitudinem iustitiæ remissuri sint aut casuri. Ipsi enim sunt custodes Ecclesiæ & mundi huius, quorum præsidio consistit & conservatur. Tunc & *molentes redigentur ad paucitatem*: *Molentes* pro ipsis Iudæis accipiendi sunt, qui tanquam in pistrino molentes, grave Legis

Nubium usus in futuro sæculo.

Sancti custodes Ecclesiæ.

H iugum laboriosumque pertrahunt. Redigentur ad paucitatem, quia præter paucos, cæteri omnes ad fidem Christi conversi erunt. *Tunc enim salvus erit omnis Israel*, hoc est, plurimi ex Israël. Tunc pauci illi ad fidem Christi non accesserint, qui nunc dici possunt modicum quid *per foramina* Literæ legalis aspicere cæcitate vltima caligabunt & tenebrescent, cum in ipso errore penitus fuerint confirmati, & viventes in obstinatione & contumacia ianuam salutis sibiipsis occluserint. Plateam vero sive forum, pro præsenti vita intellige. Illud autem patiuntur Iudæi quod superius dictum est, eo quod permanserint contumaces in infirmitate vocis molentis, hoc est, legalis Literæ. Gravis enim lex est atque etiam debilis & infirma cum iustificare neminem possit, sicut & Apostolus inquit: *Infirmitas enim Legis in qua infirmata est propter carnem*, & quæ sequuntur. *Et consurget ad vocem passerculi vel*

Rom. 11. d.

Rom. 8.

avicula

[A] [Matth. 24.] [1. Thes. 4.] [illegible] *avicula & humiliabuntur montes filiæ Cantici, & ab altitudine videbunt & stupere in via.* Hoc loco sapiens noster Ecclesiastes loquitur de extremo Iudicij die quando mortui consurgent in iussu & voce tubæ Archangeli. Iussu autem patris, hoc est, verbi quod carneum corpus assumpsit, qui propter solitariam suam in Cruce mansionem de seipso dixit per Prophetam David: *Factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Tunc humiliabuntur filiæ Cantici, hoc est animæ rationales mortalium hominum, quæ in deliciis & in voce Organi & cantûs suavitate, musicísque instrumentis oblectatæ nimirum fuerint. Aut animas intellige falsa docentium magistrorum ac mendacium Prophetarũ, quæ sonorâ volubilitate verborum quasi dulci quodã cantico, perniciosa voluptate occuparint aures & animam Auditorum. Sed & ipsæ Iudæorum animæ, quæ filiæ sunt Cantici Prophetarum, humiliabuntur, quoniam non audierant canentes Prophetas & vocantes eas ad fidem Christi, sicut cecinit Esaïas, [Isa. 5.] *Cantabo dilecto canticum dilecti*, & quæ sunt generis eiusdem. Omnes itaque prædictæ peccatorum animæ, sed [B] fortasse & iustorum animæ admirabuntur, & obstupescent quando adducentur in viam Iudicij, & videbunt ex alto venientem in nubibus Filium hominis in gloria Patris sui. *Florebit amygdalus, & pinguescet locusta, & dissipatur capparis.* Cum præsentem viam Salomon animo reputaret, in Cantico Canticorum inquit, *Hyems transiit*, tristitiam vitæ huius ac turbulentiam denotans: Ver autem nominavit futuram in splendore gloriæ, vitam iustorum, sequitur enim: *Flores visi sunt in terra nostra.* Idem ergo nunc sibi in mentem venit, atque ait: quod tunc in gloria resurrectionis *florebit amygdalus, pinguescet locusta, & aperietur capparis* (ita enim alius Interpres exposuit) hæc [Amigdala & homines comparatio.] autem omnia, Vere ipso perveniunt. Ait ergo, futuram vitam verno tempore esse maximè comparandam. Aliter: Qui agriculturæ sunt periti, aiunt ante cæteras arbores efflorere amygdalum, & reliquarum postrema folia exuere, ut videatur quodammodo frondibus vi- [C] tere perpetuis: Scimus autem nuces amygdalas triplices esse. Nam extrinsecus viridem corticem ligneæ testæ sive duriori putamini Impositum habent cui nucleus quem comedimus. Talis vero est homo è corpore, anima, spiritúque compositus. Inquit ergo: Tunc florebunt Iusti sicut amygdali, habentes in vi- [Num. 17. a.] gore & gloria, corpus, animam & Spiritum. Aliter: Virga Aaron quam germinasse credimus, nuces protulit, gerens figuram Salvatoris Domini IESV-CHRISTI [illegible] qui *virga* fuit egressus *è radice Iesse.* Ait ergo quod In futuro seculo sacer florebit sermo, dignis auditoribus perfectam tribuens doctrinam. Iustis igitur in gaudio constitutis, *locusta pinguescet*, hoc est peccatorum corporum corpora depascetur Infernus, ita ut pinguescere videatur. Locusta enim hoc loco supplicium [Exod. 10.] figurat & pœnam, quia & locustis Deus Ægyptios devastavit. In hoc itaque statu rebus constitutis, florentibus (inquam) iustis, peccatoribus autem traditis ad æternum supplicium, *dissipatur capparis & evanescit*, [D] quæ cum amarorem quendam & salsedinem habeat, anxietatem figurat sollicitudinémque peccati. Ipsum verò peccatum, privatio quædam cum sit neque reverà subsistat, in nihilum redigetur atque cessabit cum homines exacto iudicio amplius In hoc mundo peccaturi [Psalm. 119.] non sint. *Quoniam fuit homo in domum æternitatis suæ*, inquit Propheta David: *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est*, non perpetuam habitationem sed incolatum vocans præsentem vitam. Tunc ergo (inquit) commigrans homo è præsenti incolatu, in æternam suam domum, hoc est futurum sæculum, perveniet. *Et circumierunt in foro plangentes.* Tunc & qui fuerunt in hac vita peccatores, plorabunt & se percutient. Forum verò sive platea, præsens dicitur vita, propter crebras rerum vices ac mutationes: *Antequam evertatur funiculus argenti.* Orationem convertit ad Auditorem quem admonendum suscepit, aitque: Cura adolescens ut piis operibus tuaque probitate severum [E] venturum Iudicem tibi placabilem reddas atque demulceas, antequam per supremam Iudicis flammam deleantur huius mundi divitiæ, funiculúsque avaritiæ scindatur qui materiam præbet omnibus peccatis ad homines implicandos, *radix enim malorum omnium* [1. Tim. 6.] *avaritia* perhibetur. Antequam igitur excedas ab hac vita in qua viget dolosa pecunia & avaritiæ studium, dispone omnes operationes tuas ut securus Iudicij futuri egredi possis. *Et antequam conteratur flos auri.* Florem auri, pulchritudinem intellige vel arcam repositoriúmve in quo aurum repositum asservamus? Ait ergo: Antequam preciosa mundi huius supellex dispereat, accede ad virtutem. Aliter: Argentum plurimis in Scripturæ locis pro divino sermone accipitur, aurum vero pro Intellectu ac mente. Thecam verò auri, intelligimus nostrum cerebrum. Ita igitur verba hæc exponens: Antequam transeat tibi doctrina sacræ Scripturæ quæ, instar triplicis funiculi ac flagelli malas nostras affectiones vitiáque depellit, dum potes cerebrum tuum purgare, donécque es in vita, multam tui rationem ha- [F] [Resurrectio.] beto. *Et antequam conteratur hydria super fontem.* Hoc loco Ecclesiastes noster philosophatur de massa ac globo humani corporis. Ne quis enim putaret hoc corpus nostrum quod in morte resolvitur in nihilum, perpetuò abiturum esse; symbolicè nobis ostendit suam separabilem pereuntiam. Sicut enim hydria iuxta fontem attrita, aqua non perit nec evanescit, sed in fontem suum revertitur; rursúsque cum quis voluerit, aquam poterit haurire de fonte: ita & corpus quod in elementa resolvitur, in fontem suum (terram videlicet ipsam) redit paratum iterum in membra componi quando Author ille voluerit qui ab initio illud plasmavit. Aliter: Aqua hydriæ, in fonte non perit, sed ad suam plenitudinem integritatémque accedit in fonte ipso existentem. [1. Cor. 13. c.] *Quando* igitur *quod ex parte evacuatum fuerit*, iuxta Apostolum, *tunc veniet quod perfectum est.* Particularis itaque hæc nostra cognitio quæ nunc nobis inest, [G] tunc perfectionem suam accipiens, erit velut aqua hydriæ ad plenitudinem fontis deveniens, fonti parte tunc additâ qua fons prius carebat. *At antequam convolvatur rota super lacum.* Alius eandem sententiam verbis expressit. Convolvi enim rotam super lacum; est, rotam convolvendo infringi ac decidere In lacum sive cisternam unam cum aqua ipsa, quam figuli suo operi superinfundunt. Rotam enim hoc loco accipit cisternæ vel puteo appositam, qua figuli solent aquam exhaurire. Similiter autem hic quoque aquam intelligit in lacum deferri, sicut superius suum in fontem. [Vita humana rotæ similis.] Aliter: Rota accipitur pro nostra hac vita, ob ipsas revolutiones ac motus, iuxta illud, *vox tonitrui tui in* [Psal. 76.] *rota*: Inquit ergo, antequam rota huius vitæ nos secum præcipites devolvat in lacum, propriam curemus salutem. Lacus verò pro inferno accipitur iuxta quod alibi [Psalm. 87. a.] dicitur: *Salvasti me de lacu inferiori, & à descendentibus in lacum. Et antequam revertatur pulvis in terram* [Psalm. 1. a.] *sicut erat.* Corpus namque nostrum in affine sibi ele- [H] [Gen. 3.] mentum terram solvitur, iuxta illud: *Terra es, & in terram reverteris. Et spiritus revertatur ad Deum qui dedit illum.* Spiritus si cum animæ vocabulo cõiunctus legatur, potiorem animi vim, hoc est intellectum mentémque significat: Sin vero ita simpliciter & absolutè positum invenias sine vlla mentione animæ, sicut in hoc loco ponitur, pro anima ipsa positus intelligitur. Inquit ergo: Cum in terram corpus resolvitur, anima revertitur ad Deum redditura rationem rerum quas gessit in vita, Creatori suo. Neque enim de terra plasmata est anima nostra rationalis, sed talis existit qualem solus ille novit, qui eam creavit: Nostróque huic terreno corpori colligatur sicut etiam & à corpore educitur cum illi soli placuerit qui eam corpori colligavit. *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, omnia vanitas; & amplius, quod fuerit*

A *ipse Ecclesiastes sapiens, & docuerit hominem scientiam. Et auris investigabit elegantiam parabolarum.* Repetit hoc loco quem superius persæpe usurpavit sermonem, asseritque omnia, quæcunque sunt in mundo vanitatem esse, se vero ipsum, nonnihil amplius quam cæteros homines accepisse, hoc est, egregiæ ac singularis sapientiæ propriam possessionem: sola namque sapientia solius est sapientis possessio. Ait præterea se hanc sapientiæ possessionem sine invidia cæteris communicasse hominibus; tam videlicet ea tradentem quæ ad sensibilium rerum spectant cognitionem, quam ea quæ à materia seiuncta intellectu solo percipiuntur. Tum subinfert, quod qui purgatam habuerit aurem, qualem videlicet ille qui dicit: *Apposuit mihi aurem ut audirem*, poterit facilè investigare elegantias scientiarum quæ in proverbiis continentur. Aut aliter ita intellige: Qui habuerit elegantem aurem ornatam inauribus verbi divini, qualem habuit Rebecca quæ accepit inaures à puero seu servo

B
Genes. 24.

Abraham: hic poterit audire atque percipere quæ parabolicè traduntur. *Multum quæsivit Ecclesiastes ut inveniret sermones voluntatis, & scriptos rectitudinis sermones veritatis. Verba sapientum sicut stimuli boum, & sicut clavi igniti, quæ ex constitutionibus tradita sunt à pastore uno, & superfluum ex ipsis. Sermones voluntatis*, intelligit sermones conformes voluntati divinæ, quos quisque sequutus homo fuerit, percipiet gloriam vitæ ac fœlicitatis æternæ. Vel sermones intelligit mysteria continentes, de quibus ait Salvator in Psalmis David: *Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui*: Voluntas autem fuit Patris, ut unigenitus Filius eius humanam carnem assumeret. Voluntatis itaque divinæ sermones ipsiusque sapientiæ quæ & rectitudo & veritas iure optimo nuncupatur, quæsivi (inquit noster Ecclesiastes) ex iis monumentis quæ scripta Prophetæ nobis reliquerunt. Neque enim satis est tantummodo voluisse, nisi & multo quoque

Psal. 39.

C
Luc. 11.

studio perquiramus. *Qui* enim *quærit, invenit, & pulsanti aperietur.* Hæc igitur cum quæsisset Ecclesiastes, cognovit quod verba Prophetarum piéque de Deo sentientium Patrum sunt persimilia stimulis boum. Sicut enim stimuli, boves pungunt urgéntque aratro sulcum proscindere, ita & Theologorum verba excitant nos qui spe bonâ aramus, proscindere sulcum spiritualem, ut cum purgatus fuerit ager cordis nostri, pulchros in eo virtutis surculos conseramus. Similia quoque sunt clavis ignitis, atque candentibus qui altiùs ac faciliùs lignis infiguntur: ita enim & sapientum verba Theologorum, in penitissimos sinus intellectus, nostri altiùs figuntur. Hæc autem verba *tradita sunt* nobis *ex constitutionibus*: alia verò exemplaria habent *è compositionibus*. Constitutiones autem sive compositiones, intellige opera Dei quæ admirabili ac supremo ordine & harmoniâ disposita & constituta sunt: ex quibus proportione quadam ac similitudine ducimur in aliquam Dei opificis cognitionem. Poteris & constitutiones hoc loco accipere, pacta utriusque Testamenti: Veteris scilicet ac Novi. Vnde autem cognitio data est nobis ut & sensibilia speculatemur, & intelligeremus

D

quæ intellectualia sunt; Ex *uno* nempe *pastore*. Quis autem? qui scilicet & in cœlis & in terra rationales pascit creaturas, qui & dixit: *Ego sum pastor bonus*: Sequitur autem. *Et superfluum ex ipsis.* Quodnam superfluum ex harum scilicet rerum cognitione? Ampla enim & permagnifica cognoscimus; utputa, quod hæreditas nostra, vita æterna futura est: quod Bonus ille Pastor dignatus est noster fieri magister: & (quod denique in suprema fœlicitate locandum est) quod qui digni habiti sumus imperfectâ hac cognitione quæ est ex parte dum vivimus, ad perfectam deinde in futuro sæculo veniemus, pariter à sancta consubstantiali Trinitate illustrandi. *Fili, cave tibi à faciendis multis libris, quoniam non est finis, & meditatio multa, carnis labor.* Multi li-

Ioan. 10

Trinitas consubstantialis.

bri multique sermones qui non tendunt ad unum eundémque propositum finem, conturbant animam legentis atque confundunt. Quotiescunque vero de vera religione sermonem quis faciat, tametsi in longum spacium temporis illum protrahat (sicut Apostolus fecit, qui in schola, trinoctium de mysteriis Christi perdocuit) is neque tunc multa dicit neque molestus est & importunus, imò verò potius auditores satiare non potest. Talia etiam sunt sanctæ Scripturæ volumina quæ multis conscripta versibus, multa tamen nequaquam dicuntur, sed Lex Domini nuncupantur: quandoquidem unus in utroque Testamento legis est lator, libríque omnes sanctæ scripturæ in eundem finem scopúmque feruntur, sicut & nos Dominus docuit, qui verè magnus est Ecclesiastes, Patrísque sapientia, his maximè verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum, in his enim duobus Mandatis, tota Lex & Prophetæ pendent.* Vidésne igitur ut in sermone uno & verbo abbreviato, multiloqui libri & argumento si comprehendantur neque ideo multi sint? Quæ sunt itaque volumina, quæ nos dehortatur componere Ecclesiastes? Nempe Gentilium volumina & monumenta: qui scilicet alterius evertunt & impugnant sententias, sempérque inter se se gravissimum bellum gerunt. Nec non absterret nos ab hæreticorum libris invicem diffidentium recentibúsque Iudæorum voluminibus ac secundariis quæ infinita prope sunt fabulísque conferta. Dum enim scripturas novis quibusdam figuris interpretari student, in ridiculas fallas & genealogias conversi sunt traditionésque ediderunt à sententia Scriptoris longissimè aberrantes. Multa itaque meditatio quæ in huiusmodi conficiendis libris adhibetur, solum affert laborem carnis, affligit corpus sine ulla utilitate ac fructus Meditatio vero quam intendimus circa divinos Libros, in qua nos versari die noctúque sanctos David hortatur, cum dicit: *Et in lege eius meditabitur die ac nocte*: non labor est carnis, sed exultatio spiritûs. Quamvis enim in sudore, & *lachrymis* seminemus laborantes circa honestum, *in exultatione* tamen metemus inclytum virtutis fructum: *bonorum* siquidem *laborum gloriosus est fructus.* Advertendum est autem quod Filium suum vocat Ecclesiastes, quem admonendum suscepit: cavendum est igitur nobis, ut omni studio paternam hanc dignationem servemus: quod profectò faciemus si paterna mandata non transgrediamur. Quod verò ait, *non est finis*: intellige sine fine versari circa res vanas: vel quod res vanæ, propositum finem fructúmque illum non habent quem consequi possimus, illas, persequentes: vel quod infinita laborum est multitudo, qui per Orbem terrarum circumferuntur: *Audi supremum finem sermonis: Deum time, & mandata eius observa, quoniam hoc est omnis homo. Omne opus adducet Deus in iudicium, in omni quod omissum fuerit sive bonum sive malum.* Ego, inquit, tibi compendiosam & brevissimam salutis viam ostendo: *Deum time, & mandata eius observa.* Timorem vero intellige: non qui est valde imperfectorum quasique servilis: quo incipientes ac timidi introducuntur in virtutis ac pietatis viam. (Hic namque propter imminentes minas formidatáque supplicia, perturbatione non caret) sed intellige timorem Domini sanctum & sanctificantem, quem debemus ex charitate pióque affectu erga illum qui Leges tulit mandatáque servari sua instituit. Si enim carnem à fornicatione compescamus supplicij metu non charitate iubentis: quis dubitet quin sublato iudicij pœnarúmque terrore, in fœdas libidines prolapsuri simus, cum stupri desiderium in pectore habeamus? Quod & de cæteris flagitiis quæ Lege nobis prohibentur intelligendum est. Si verò non minarum metu atque supplicij, sed odio vitiorum peccare nolumus: sue charitate prosequentes Latorem legis, mandata eius servamus & cavemus,

E
Act. 20.
Matt. 22. & 22. Marc. 12.
F
Hæreticorum ...
G
Psal. 1. Psalm. 125.
Sap. 3.
H
Timor servilis introducit nos in virtutis viam.

sedul i

sedulì ne defloamus. Sancto enim timori adiuncta est operatio, sicut & qui operatur, idem etiam timet ne quod præceptum contemnat atque postbabeat. Timor hic itaque sanctus cum ab honestate proficiscatur, nostras sanctificat animas & charitati æquipollet. Qui verò timorem hunc habet & mandata Dei custodit, hic est sapiens omnis homo: hoc est, integer & undecunque perfectus. Hæc itaque (inquit) securus operare, certus quod omne opus humanum à liberi arbitrij facultate profectum adducet Deus in iudicium, rationem à nobis exigens eorum quæ gesserimus in vita, quæque etiam facere omiserimus, sive illa bona sint, sive etiam mala. Omittuntur autem persæpe multa, sedulò ac volentibus nobis: multáque rursus nobis invitis. Nam si cum possim bene quid facere, illud tamen sciens bonum esse omitto atque postbabeo: hæc voluntaria est omissio. Si verò per ignorantiam boni, omisi operari bonum quod poteram: hæc ipsa omissio præter voluntatem contingit. Accidit autem ut inviti quandoque bonum operemur: persæpe verò, scientes atque consultò: rursusve contrariâ ratione malum persæpe aggredimur conscij quid patremus, nostráque conscientiam contemnentes: hoc sanè ipsum voluntarium est peccatum. Quandoque verò per ignorantiam patramus aliquid quod Lege divina prohibetur ne fiat: quod sanè peccatum, præter nostram voluntatem contigisse putandum est. De huiusmodi verò peccatis & beatus David orabat dicens: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine*: hoc est, quæ per ignorantiam peccavi cum mala esse nescirem. Nos autem bene iam per Ecclesiasten edocti, timeamus Deum & illius mandata custodiamus omni nostrâ contentione ac studio, summa enim salutis nostræ in misericordiis Domini, ac benignitate Iudicis reposita est: cum quo, & per quem, Deo Patri est gloria, sanctóque Spiritui, & nunc & in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA SEV LIBER RABBI Samuelis Iudæi ad Rabbi Isaac Iudæum, de Prophetiis, veteris Testamenti, secundum translationem eorum; quibus lex Iudaica destruitur, Christianáque religio approbatur.

REVERENDISS. IN CHRISTO

P. FR. HVGONI

MAGISTRO ORDINIS Prædicatorum dignissimo, ac Sacrosanctæ paginæ professori, eius subditus frater Alphonsus Bonihominis Hispanus, promissam obedientiam promptam in omnibus ac devotam.



CVm ego propter parvitatem meam & insufficientiam non sim talis, qui vobis & pro vobis sciam vel possim aliquid magni facere, vel saltem assistere tantum in laboribus & curis vestris quas pro nostra omnium quiete & totius ordinis pace in curia sustinetis; ad solatium vestrum & aliquale sublevamen laboris, habens libellum antiquissimum, qui nuper casu fortuito devenit in manus nostras, & fuit antea tot temporibus occultatus, nova translatione de Arabico in latinum per me interpretatum vobis transmitto. Sciendum autem quod inter Iudæos multum gloriantur illi qui Arabicarum obtinent peritiam litterarum; tum quod illæ litteræ sunt in antiquorum Philosophorum Archivis Scientiis copiosæ; tum quod in eis ut pote paucis Iudæis & paucioribus Christianis, notis, scribunt confidentibus secreta sua quæ volunt aliis occultare. Qua etiam de causa, ut existimo, Iudæus iste scilicet cathecomenus author huius libri, non ipsum in Hebræo sermone sed in Arabico adnotavit. Sed oportet quod vel tardè vel citò occulta omnia revolentur iuxta sententiam Salvatoris. Ego vero in transferendo ipsum authoritates bibliæ ab isto Iudæo indoctas scripsi in locis suis in Arabico pariter & in latino; non prout in nostra habentur translatione secundum beatum Hieronymum; sed prout iste Iudæus scripsit quando composuit illud opus. Et hoc feci ne aliquis posset mihi imponere, quod ego in textu præsumpserim aliquid addere, vel diminuere, vel immutare: & super hoc erunt omnes qui sciunt Arabicum, testes mihi. Et hoc dico, quia Iudæus iste nostram translationem non sequitur, ut audietis in processu. Me autem (ut credo) oportuit ipsum exponere in latino prout ipse loquitur in Arabico, eius modum loquendi quantum est possibile & ordinem observando; aliàs non interpres eius sed corruptor libri sui meritò possem dici: Nec Iudæi si viderent ipsum librum in utraque lingua descriptum, tantum convincerentur per eum, si videant quod authoritates in latino ab hoc descriptæ Arabico discordarent. Sed cum solatio vestro Pater & Domine mi Magister, hic est finis alius quem intendo. Conservet vos ordini nostro Dominus IESVS-CHRISTVS per multa tempora in sua gratia & amore. Scriptum Parisiis per manum modici servi vestri Alphonsi in nomine Domini nostri misericordissimi, in quo speramus.

IN LIBRVM SVVM de Messia Adventu præterito, Rabbi Samuelis Præfatio.

Samuël Christianus, Isaac Israëlitæ S.

CONSERVET te Deus, ô frater & permanere te faciat, usque quo terminetur ista nostra captivitas, & congregetur ista nostra dispersio, & appropinquet spes nostra, & figat Deus beneplacitum suum super vitam nostram. Amen. Novi & expertus sum quod plenitudo scientiæ nostri temporis est in te, & in te spes nostra certificationis in dubiis legis & Prophetarum, cum tuis expositionibus gloriosis. Vnde ego particeps tuæ doctrinæ fieri desiderans, tibi expono † exitus cordis mei, super illis quæ legis sunt & Prophetarum, super quibus anxior cum timore. Quapropter recurro ad abundantem scientiam tuam & sapientiam, & mitto tibi libellum istum sperans per te, Deo volente, in veritate confirmari, ac in dubiis declarari.

† Æstus.

EX MAG. S. PALATII.

CVm Samuël iste dicat capit. 1. se scripsisse hanc epistolam post mille annos completos, & ultra, ab ultima Hierosolymorum per Titum devastatione, & ea clades secundum certiorem Chronologiam inciderit in annum Dom. 72. colligitur, Samuelem scripsisse circiter annum salutis 1100.

A. *Ex Bellarm. de Scriptor Ecclesiasticis.*

SAmuel Marrochianus ex Iudæo Christianus scripsit utilissimam *epistolam*, sive *librum de Adventu Messiæ* & de eis quæ Iudæi moderni negant, & ob quæ in Iudaismo perseverant, scripsit autem ut ipse testatur, post 1000. annos ab ultima eversione Ierosolymæ sub Tito Imp. id est, post annos 1075. a natali Domini.

RABBI SAMVELIS Marrochiani, de Adventu Messiæ, quem Iudæi temere expectant. *Liber.*

B

CAPVT I.

Quare Iudæi sint in ira Dei.

DEsiderio, Domine mi, certificari per te, & testimoniis legis & Prophetarum, & aliarum scripturarum, quare nos Iudæi generaliter percussi sumus à Deo in captivitate ista, in qua sumus, quæ potest vocari propriè ira Dei perpetua, quoniam non habet finem. Nam modo sunt mille anni completi & ultra quod per Titum sumus captivati. Nos scimus quod patres nostri adoraverunt idola, & occiderunt Prophetas, & legem Dei abiecerunt, & propter omnes istas transgressiones Deus non percussit eos captivitate, nisi per septuaginta annos in Babylonia, & C post tempus præfatum placatus est eis, & reduxit eos in terram suam. Et secundum Scripturam ira Dei fuit tunc temporis validissima super omnes iras, quas ante tempora illa commemorat Scriptura, & tamen, ut dictum est, pœna tantorum peccatorum non fuit nisi septuaginta annis. Et nunc, domine mi, ira Dei quæ in præsenti punit nos, non habet terminum, nec finem in Prophetis. Si voluerimus dicere quod ista præsens ira in qua sumus, sit adhuc illa ira propter quam fuit illa captivitas septuaginta annorum, quia tunc complete satisfactum est de peccatis prædictis per illos patres nostros, nos facimus Deum mendacem, quod absit, quoniam ipse Deus verus & gloriosus illi captivitati imposuit præfatum terminum per Prophetas, scilicet septuaginta annos. Vnde talis non est responsio, sed evasio, seu excusatio, nec esset coram intelligentibus proponenda. Et si dixerimus quod Deus in illa transmigratione misertus est uni parti generis nostri, & non alteri, & illos quorum misertus est reduxit ad reædificandum templum, ut dicit Propheta Hieremias, & quod nos sumus de illis D quorum non est misertus, tunc dicent nobis Christiani, quod Deus misertus est eorum, qui adoraverunt idola, & qui occiderunt Prophetas, ergo & nobis, quia nos non peccavimus. Item in patribus peccatoribus fuit pœna divinæ ultionis in certo termino, quare ergo nostra pœna esset sine termino, qui non peccavimus? Itaque longa est & sine termino pœna in qua sumus, modo iam sunt mille anni, nec in lege nec in Prophetis huius pœnæ terminum possumus invenire. Quare, Domine mi, cum Deus punierit patres nostros propter idololatriam, & propter interfectionem Prophetarum, & pœna & culpa sint notæ in Scriptura, cum Deus non punit bis idipsum, pro peccatis illis præteritis fuit pœna, scilicet captivitas septuaginta annorum. Et cum Deus non punit universaliter nisi propter universale peccatum, oporteret quod post illam captivitatem nos peccaverimus omnes coram Deo peccato maiori quam fuerit idololatria primorum parentum, & quam fuerit interE fectio Prophetarum, ex quo Deus pro illis peccatis punivit patres nostros septuaginta annis & non amplius, & nos punivit, iam sunt mille anni & ultra, & punit: dispersit nos per quatuor partes mundi. Tamen quicquid contingat, Dei sumus in omni eventu, quia nulla est excusatio super dicta. Responde.

CAPVT II.

Probat quod pro quodam gravi peccato in quo sunt, sint in hac dispersione, & arguitur contra eorum observantiam legis.

SVpposito igitur, Domine mi, quod sumus in peccato aliquo maximo, rogo nunc, quod certifices F me, si postquam Deus dispersit nos de Ierusalem, & misit in captivitatem istam longissimam seu perpetuam, propter illud peccatum, autoritate nostra & propria voluntate sine speciali mandato Dei, cur nos in captivitate ista non incepimus observare circuncisionem, & sabbatum, & alias ceremonias quas tenemus secundum legem Mosi. Nam nos cognoscimus, quod à tempore quo Titus destruxit civitatem sanctam, & templum combussit, & bibliothecas; & nos in captivitatem istam dispersit, & ex tunc cessarit inter nos vigere sacrificium, oblationes & holocausta, & Deus non promisit nobis postea per Prophetiam, nec per revelationem aliquam certam, quod nos deberemus redire aliquando in Ierusalem in statu pristinu, nec mandavit nobis postea quod observaremus, observantias prædictas. Videtur ergo sequi quod nos non à Deo, sed ab aliis qui erant in ira Dei observantias prædictas accepimus & tenemus. Et videtur quod iustè dicent nobis adversarij nostri: sicut vos observatis circuncisionem & Sabbatum & legitis in G synagogis libros Mosi & Prophetarum sine mandato Dei, quare non assumitis vobis similiter & sacrificium & non facitis vobis sacerdotem & regem & principem, & unctiones sanctas & incensum, & quare non ædificatis vobis altaria, & servatis ceremonias & omnia alia quæ sunt in lege contenta, si Sabbatum & circuncisionem, & plura alia quæ observatis secundum traditiones vestras sine mandato Dei propria voluntate, ex utraque parte curritis in offensam Dei? Et si hæc prædicta facitis contra voluntatem Dei, vel si dicitis quia voluntas Dei est, quod hæc servetis & bene placitum, quod tamen ostendere non potestis, quare non observatis supradicta alia, quorum multa facere potestis? Et si non permittunt vos facere Reges populi sub quibus iacetis: permittent tamen vos multa alia facere, sicut permiserunt circuncisionem & libros & synagogas, & alia quæ servatis. Et ad hæc, Domine mi, non est nobis in promptu responsio sufficiens, ut videtur. Sumus tamen Dei in omni eventu.

H

CAPVT III.

Quomodo omnis observantia legis Iudæorum non est acceptabilis Deo propter peccatum in quo sunt.

INvenimus, domine mi, Deum loquentem per os Zachariæ, & dicentem, ubi loquitur de illa prima captivitate brevi: Hæc dicit Dominus Deus sacerdotibus & populo terræ. Quando ieiunastis & plorastis in sexto & septimo toto tempore septuaginta annorum, intellexistis quod ieiunasetis ad me: aut ploraretis, ego tale ieiunium nolui à vobis. *Nostra autem translatio aliter se habet, sed ego scribere propono, sicut iacent in Arabico autoritates quas Samuel iste adducit, non sicut sunt in nostra Biblia,* Innuit Dominus, domine mi, in prædictis verbis quod dum nos Iudæi Zach. 7. Versio Arabica Bibliis singularis.

fuimus

A fuimus per septuaginta annos in dicta captivitate, fuimus sine lege, quia ieiunium non habuimus, neque habemus a lege sicut alias observantias, & similiter sumus sine circuncisione & sine Sabbato, & sine dubio omnia hæc non valent, dum ira Dei manet super populum suum. Illa verò prima ira Dei fuit brevis, quia sepuaginta annorum: ista quidem in qua nunc sumus, est longa iam mille annorum, & ultra, & non invenitur ei terminus in Prophetis, & timeo Domine mi, quod sicut Deus misit in captivitatem illam brevem patres nostros sine lege & sine observantiis, nec acceptavit ieiunia, nec observantias legis eorum, quousque fuit completum tempus pœnæ ipsorum, scilicet, septuaginta annorum, sic in ista captivitate ultima non acceptet opera, quæ fecimus secundùm observantias legis. Quare constat quod nos sumus in maiori peccato nunc, quam patres nostri fuerint in Babylonia: Vnde nos sumus in maiori ira Dei quam illi essent, & per consequens opera sunt ei minus placita, & nos sumus ei magis odiosi. Et
B patet quod illi propter mortem Prophetarum, & quia idola coluerunt fuerunt tantùm septuaginta annis in captivitate. Et nos propter magnum peccatum & maximum sumus captivi. Iam sunt mille anni, & ultra. Et hæc captivitas, Domine mi, sine dubio est
Dan. 9. illa, quam Deus per os Danielis Prophetæ vocat desolationem, cum dicit: Vsque ad consummationem & finem perseverabit desolatio, &c. Prima captivitas vocatur transmigratio. Quia post modicum tempus fuerunt reducti cum honore in Ierusalem. Sed hæc vocatur desolatio perpetua, in qua pro certo non miserebitur nostri, sicut non miserebatur patrum nostrorum in Babylonia, excepto quod consolabatur eos per Prophetas, qui promittebant illis liberationem, & erant omnes simul, nobis autem nihil promittitur, & insuper dispersit nos per universa regna mundi. Attamen quicquid contingat, Dei sumus in omni eventu.

Capvt IV.

C

Ostendit quod Iudæi sunt cæci.

Domine mi, valde mirabile est mihi de nobis. Speramus enim quotidie liberationem de captivitate ista, & semper de hoc loquimur, & semper loquimur de reductione nostra in Ierusalem, & ideo sumus cæci, vel deceptores simplicium. Nam constat quod post dispersionem nostram quæ facta est per Titum, non apparuit in nobis Propheta, qui nobis promitteret reductionem, nec etiam post captivitatem septuaginta annorum fuit Propheta, qui loqueretur de ista captivitate quæ non habet finem, nisi in fine mundi. Nec liberationem habet nisi per consummationem
Dan. 9. seculi, quia Daniel vocat desolationem sine fine. Vnde timeo, Domine mi, quod cum tanta captivitas non possit manere super totam gentem nostram à Deo, nisi propter maximum peccatum in Deum, quod maius est quam interfecisse Prophetas, & adorasse idola, pro-
D pter quæ peccata patres nostri fuerunt puniti. Quod sicut Deus non miseretur nostri in vita cum in eodem peccato perseveremus, sic etiam non miserebitur mortuis ex nobis. Attamen sumus Dei in omni eventu qui evenerit.

Capvt V.

Quod Iudæi decipiunt alios & seipsos.

Domine mi, videtur quod decipiamus alios & nosipsos, quia in libris legum & Prophetarum habemus Deum promittentem nostræ genti liberationem & congregationem de dispersione multipliciter. Sed bene advertenti omnes promissiones quas habuimus, vel fuerunt completæ ante captivitatem septuaginta annorum, & in ipsis septuaginta annis. Vel promissiones fuerunt propter peccata illorum, quibus
E promissiones factæ sunt totaliter impeditæ, sicut propono coram te, Domine mi, Exempli gratia: Ista pauca dicuntur in Ezechiele: Si feceritis iustitias meas, &
Ezech. 36. mandata mea servaveritis, congregabo vos de quatuor partibus mundi, & levabo vos, & adducam vos per mare, & reducam vos in domum sanctam vestram. Ecce quod id quod Dominus nobis promiterit per Ezechielem in prædictis verbis, & aliis locis libri eiusdem Prophetæ, iam completum est ante illam captivitatem septuaginta annorum. Vt omnes promissiones Domini tales maiores & minores, quæ in diversis locis sacrorum librorum continentur, completæ fuerunt antequam caderemus in istam ultimam captivitatem, quæ non habet finem, modo iam sumus in millesimo anno, & ultra, nec in aliquo libro Prophetarum eius terminum invenimus, nec ulla Dei promissio ubi agit de liberatione & congregatione, intelligitur de ista captivitate perpetua, sed de illis tribulationibus & dispersionibus, ante dictos septuaginta annos, nec postea congre-
F gatio de dispersione promissa est nobis. Vnde oportet quod post illos septuaginta annos commiserimus illud peccatum magnum, propter quod Deus sine termino punit nos, in quo peccato sumus & manemus omnes, aliter Deus misericordiam suam non continuisset in nobis irà tam longâ. Nam videmus per scripturas quod omnia peccata quæ commiserunt patres nostri ante septuaginta annos prædictæ captivitatis punita fuerunt, & de multis exempla hæc pauca induco. Peccaverunt patres nostri ante illos septuaginta annos qui exiverunt de Ægypto, & promissio eis facta, in eis locum non habuit, sed in peccatis suis in deserto mortui sunt. Peccavit enim Moses
Deut. 32. ad aquas contradictionis, & terram promissionis non
Num. 20. meruit. Peccavit ipse Aaron, & portavit pœnam.
1. Reg. 4. Heli Sacerdos peccavit, & ruptis cervicibus expiravit, & posteritas eius sacerdotio privata est, & tamen
Promissionis Dei expositio. Deus promiserat sacerdotium in æternum. Sed huiusmodi promissa intelliguntur semper, nisi propter peccata non mereantur accipere, ut patet in regno David, quod carnalis posteritas eius privata est regno.
G Sicut etiam Deus verus & gloriosus promisit Abrahæ & semini suo terram illam in æternum possidendam, & frequenter perdiderunt eam propter peccata sua, & frequenter restituit illis Dominus usque ad ultimam vicem quia perdiderunt. Iam sunt mille anni, & ultra, & iam non est spes recuperandi eam, quia manemus omnes in eodem peccato, propter quod terram nostram perdidimus. Et Domine mi, multum mirabile est, cum omnes concordemus quod oportet quod post captivitatem septuaginta annorum in Babylonia peccavimus contra Deum maximo peccato, & tamen nullus est qui dicat, quod id est peccatum propter quod incurrimus tanta mala. Et si aliquis nostrum cognoscat nostram causam: & peccatum propter quod incurrimus tanta mala, nullus tamen id aperit proximo suo, nec ipsemet qui cognoscit in suam convertit
H utilitatem, sed omnes iacemus prostrati. Et videmus manifestè quod in prædicta captivitate septuaginta annorum erat Deus cum Patribus nostris in Prophetis, id est, Hieremia & aliis Prophetis, & dedit eis Salathiel ducem & principes & Sacerdotes, cum quibus exiverunt de Babylone, peractâ pœnitentiâ, & placato Deo ædificaverunt Ierusalem, & templum & alias civitates, & effudit Deus super illos misericordias suas copiose. Et tamen in ista captivitate nullus Propheta nobiscum est, nec Deus, ut apparet. Igitur Domine, inquiram & non cessabo quærere quod peccatum id est tantum, propter quod sumus in hac captivitate mille annis, & ultra, nec habemus Prophetam, nec Regem, nec Sacerdotem, nec altare, nec sacrificium, nec unctionem, nec incensum, nec purificationem, imò facti sumus abominabiles toti mundo, sicut Deo, & contemptibiles; in solo corde tantùm

A nostro regnat superbia, quia nos ipsa præferimus toti mundo. Et quod super hoc sentio pandam tibi, Domine. Nec minus, quicquid evenit, nos Dei sumus.

Capvt VI.

Quod sit illud peccatum propter quod Iudæi sunt in hac captivitate.

Amos 2. Nota quod in Biblia nostra est conversa, hic habet transferam, & est ad propositum eius magis.

Nunc ergo, Domine paveo quod id peccatum propter quod sumus in hac desolatione, & in hac captivitate ista, sit illud peccatum super quod locutus est Deus per Prophetam Amos cum dicit sic: Super tribus sceleribus Iuda convertam vel transferam Israel, & super quarto non transferam eos, quoniam vendiderunt iustum pro argento. Et nos, Domine mi, secundum doctrinam nostram dicimus, quod iste iustus fuit Ioseph filius Iacob, qui fuit venditus à fratribus suis in Ægypto, & hoc tenerem ego, nisi quia sermo divinus ponit istud peccatum venditionis quartum in numero peccatorum seu scelerum Israel. B Ipsi etiam Christiani quibus sanctorum librorum studium videtur esse traditum à Deo respondent doctrinæ nostræ prædictæ & dicunt, quod primum in quatuor sceleribus Israel est venditio Ioseph à fratribus suis. Et secundum peccatum sive scelus, assignant adorationem vituli in Oreb. Et tertium scelus occisionem Prophetarum, propter quod fuimus captivati in Babylonia septuaginta annis. Et dicunt quod quartum scelus Israel fuit venditio iusti, scilicet I e s v, qui ad literam fuit venditus, post transmigrationem præfatam septuaginta annorum. Et si nos, Domine, volumus tenere præfatam doctrinam nostram, & respondere Christianis, oportet quod nos assignemus in Israel ante venditionem Ioseph varia scelera præcessisse, ut ipsa venditio Ioseph sit quartum scelus. Sed hæc non poterimus sustinere, quia testimonium libri Genesis est contra nos, qui venditionem Ioseph ponit primum scelus filiorum Israel. Amos 2. C Et Propheta Amos ponit expresse quartum scelus venditionem iusti, propter quod fuimus in captivitate, de qua loquitur Deus, committens quod non reducet nos ultra in terram promissionis, cum dicit: Et super quarto non transferam eos, quoniam vendiderunt iustum pro argento. Et manifeste apparet mihi quod nos super illo peccato quarto venditionis iusti, iuste sumus puniti, iam sunt mille anni, & ultra, in quo tempore nil proficimus inter gentes, nec est spes proficiendi ampliùs.

Capvt VII.

Quod iustus Iesus Christianorum Deus iniustè venditus.

Expavesco, Domine mi, & timeo quod iste Iesvs quem colunt Christiani sit ille iustus venditus pro D argento secundùm Amos Prophetam. Et timeo quod de ipso sunt hæc quæ mihi occurrunt testimonia Prophetarum, & illa eadem in doctrina sua valde apertè applicant Christiani. Esa. 5. Esa. 53. Esaïas Propheta dicit: Væ Genti peccatrici, filiis sceleratis, quoniam ipsi elongaverunt se à Deo, & blasphemaverunt sanctum eius, & inclinati sunt retrorsum. Item idem Propheta dicit: Quasi ovis ad occisionem ductus est qui non aperuit os suum. Ibid. Item dicit: Vir habens dolorem & sciens infirmitatem. Item: Fuit despectus & propter hoc non reputavimus eum, ipse enim oblatus est, quia ipse voluit. Ibid. Item: De angustia iudicij depositus est, generationem eius quis enarrabit? Item: Propter culpam populi mei transfixi eum, & dabit iniuriatores pro sepoltura & divites pro morte sua. Et timeo, Domine mi, quod iniuriatores fuerunt patres nostri, & divites, Pilatus & Herodes, & Anna Caïphas, sicut dicit Propheta David: Psal. 2. Consinrexerunt omnes Reges E terræ & maiores, & contra Deum & contra Christum eius. Reges scilicet prædicti: Maiores scilicet patres nostri. Et timeo Domine quod iste Iesvs sit ille commutatus & venditus pro argento, de quo loquitur Zacharias Propheta & Amos, & alij Prophetæ. De quo etiam loquitur Esaias Propheta: Deponet omnes iniquitates & orabit pro infidelibus. Timeo ego Domine mi, quod iste Iesvs sit ille iustus de quo dicit David: Psalm. 93. Delectati sunt in animam iusti & sanguinem innocentem condemnabunt, & propter hoc destruet eos Deus, & disperdet illos Dominus Deus noster. Et timeo, Domine mi, quod iste sit ille iustus, de quo loquitur Hieremias, cum dicit: Homo est, & quis est qui intelligit eum? Item Hieremias in Threnis: Thren. 4. Species vultûs nostri Christus Deus captus est pro peccatis nostris. Cui diximus: In umbra tua vivemus inter gentes. Timeo etiam, Domine mi, quod iste sit ille iustus de quo dixit Deus per os Zachariæ Prophetæ. Zach. 13. Dicetur enim in illa die: Quæ sunt istæ plagæ in palmis tuis. Et respondebit: Plagatus fui in medio domûs meæ inter illos qui dilexerunt me, & F levavit ensem pastor meus supra me. Idem: Aspicient ad me dicentia, & illum quem transfixerunt, & plangent super illum quasi planctum unigeniti. Timeo etiam Domine mi quod iste fuit iustus ille, de quo dicit Abacuc: Abac. 3. Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius, &c. Et concordat Evangelium Christianorum, Matth. 27. ubi narratur mors Iesv: & dicitur: Cum autem venissent ad Iesvm, invenerunt eum mortuum, & misit unus ex eis lanceam suam, & transfixit. Paveo, Domine mi, quod iste sit iustus de quo dicit Abacuc: Abac. 3. Egressus es Domine salvare populum tuum cum Christo tuo.

Capvt VIII.

Quomodo post occisionem facta est dispersio Iudæorum secundùm Danielem.

Expavesco, Domine mi, super his: Quis fuit iste iustus sine peccato, de quo loquitur Esaïas Pro- G pheta: Et quis sit ille iustus venditus pro argento, propter quod dicit Dominus per Amos Prophetam, ubi supra, quod in testimonium parti sceleris non transferet eos in terram promissionis ampliùs. Videtur etiam, Domine mi, quod completum est, quod scribit Daniel. Dan. 9. 9. capite, ubi dicit: postquam consummatæ fuerunt sexaginta duæ hebdomadæ, occidetur Christus, & tunc veniet populus cum principe venturo, & destruet civitatem, & domum comminuet, & condemnabunt eam, & auferetur sacrificium, & consummabitur destructio perpetua. Et non est dubium, Domine mi, quin destructio desolationis perpetuæ, sit captivitas ista in qua sumus, iam sunt mille anni. Et aperte dicit Deus per Prophetam, quod erit desolatio perpetua post occisionem Christi, H sicut est desolatio nostra postquam Iesvs fuit occisus, nec comminatus est Deus nobis perpetuam desolationem, nisi per occisionem Christi. Et si voluerimus dicere quod ante mortem Iesv fuimus in desolatione, ad hoc respondent nobis Christiani, quod ante mortem illam non fuit desolatio, nisi septuaginta annis, & post hoc fuimus apud Deum in gratia & honore. Certe Domine mi, ego non video evasionem contra Prophetiam istam, quia de facto isto probatur nobis quod postquam à reædificatione fuerunt completæ septuaginta duæ hebdomadæ supra annos, qui sunt anni C C C C. & X X X I I I. tunc fuit Iesvs occisus à patribus nostris, & postea venit dux, scilicet Titus & populus Romanus, & fecerunt nobis secundùm Prophetiam istam, hodie sunt mille anni & ultra. & nihilominus si in ira Dei sumus, & tamen, in ipso speramus. Et si dicamus quod Christus venturus est & nondum venit, & rehabebimus

A terram promissionis, & reædificabimus civitatem, &
habebimus gratiam Dei & honorem in terra nostra,
& ista dissolutio non perpetua. Respondebunt Chri-
stiani, quod adhuc ergo manet nobis occisio Christi
& adventus Titi & populi Romani, & desolatio peior
ista in qua iam fuimus per mille annos. Heu domine
non excusatio nec evasio consona.

Caput IX.

Quod duo sunt adventus Christi.

Duplex adventus Christi. TImeo, Domine mi, quod Christus iam venit, &
iam adimplevit primum adventum suum, quia in
scripturis nostris invenimus duplicem eius adventum.
Primus adventus Christi, describitur in Prophetis in
paupertate & humilitate. Secundus in gloria & ma-
B iestate. Et de utroque adventu proponam illa quæ
mihi occurrunt. De primo adventu dicit Deus per os
Zach. 9. Zachariæ: Lætare filia Sion, ecce præceptor tuus ve-
nit pauper, equitans asinum. Et in isto adventu de-
Esa. 53. scribit eum Esaias despectum. Daniel occisum, Za-
Zach. 9. charias & Amos venditum, & tamen iam fuerunt
completa, quæ in libello descripsi & describam,
Ibid. non reputavimus eum, id est, non cognovimus eum,
sicut dixit Esaias Propheta, sed despeximus eum &
prævaluimus contra eum. Sed gloria eius & maie-
stas erit manifesta in secundo eius adventu, quando
ignis & flamma præcedet eum & exardescet & in-
flammabit in circuitu inimicos eius. Sicut dicit Deus
Psal. 95. per os Prophetarum David & Esaiæ. Et timeo, Do-
mine mi, quod Christus non iudicabit aliter quam
cum igne ad mortem, quia nos interfecimus omnes
Prophetas, qui annuntiaverunt nobis de ipso. Deus
testificatur contra nos per os Heliæ Prophetæ quarto
libro Regum: Et sic interfecimus illum iustum pro-
C pter quem sumus in ira Dei sine fine. Attamen Dei
sumus.

Caput X.

De primo adventu Christi.

TImeo, Domine mi, Deus describit aptè duos ad-
Esa. 51. ventus Christi per os Esaiæ Prophetæ, cum di-
cit, Consurge, consurge, induere fortitudinem bra-
chium Domini. Bis dicens consurge, propter eius
duplicem adventum. Et sigillatim clarè primum Chri-
sti describit adventum quantum ad passionem & dete-
ctionem cap. quinquagesimo & quinquagesimo ter-
Esa. 53 tio per totum. Et specialiter cum dicit: Vidimus eum
& non erat aspectus & species, neque decor, &c.
Esa. 9. Primum eius adventum ponit Esaias, cum dicit: Par-
vulus natus est nobis. Et statim subiungit secundum
eius adventum, cum dicit: Et vocabitur fortissimus gi-
gas, potens, super thronum David sedebit, ut confir-
met illum ab initio usque in æternum. Zacharias au-
Zach. 9. tem Propheta describit eum pauperem & sedentem su-
per asinum. Et quid aliud est hoc, nisi quod Prophe-
D ta describit primum adventum in humilitate, & secun-
dum in potentia & maiestate? Sic enim describit eum
Dan. 7. Daniel circa medium, ubi dicit. Considerabam vel
aspiciebam in visione noctis, & ecce in nubibus cœ-
li quasi filius hominis veniebat, & usque ad anti-
quum dierum pervenit, & in conspectu eius obtule-
runt eum, & dedit eis potestatem & honorem & reg-
gnum, omnes populi, tribus ac linguæ adorabunt eum
& servient ei. Hebræus habet, tribus ac linguæ ho-
norabunt eum, & non deficiet potestas eius, quia
non auferetur, & regnum eius manebit in æternum.
Nostra autem translatio habet, tribus ac linguæ ser-
vient ei, potestas eius potestas æterna, quæ non aufere-
tur, & regnum eius quod non corrumpetur, aliàs, &
non deficiet potestas eius, aliàs potestas eius in æter-
num, & regnum eius manebit in æternum, aliàs, non
corrumpetur. Et manifestum est, Domine mi, quod in E
secundo adventu sedebit Christus ante antiquum die-
rum, qui est Deus ad iudicium, sicut sedit in primo ad-
ventu ante patres nostros Iudæos, ut iudicaretur. Et
istos duos adventus Messiæ, id est Christi, innuit Pro-
pheta David in Psalmo cum dicit: Quia venit, quo-
niam venit iudicare terram. Propter primum eius ad-
ventum qui fuit simplex, dicit, *quia venit*; propter se-
cundum verò quia erit cum potentia, dixit, *quoniam
venit iudicare terram*. De secundo eius adventu loqui-
tur Zacharias cum dicit: impriment vestigia pedes su- Zach. 14.
per montem olivarum, &c. Et nos Domine non dici-
mus quod Deus in essentia sua & natura habet pedes,
nec carnem, nec ista quæ corporis sunt, sed habere pe-
des convenit omni creaturæ corporeæ. Dicit etiam Da-
vid Propheta quod supra allegatum est, loquendo de Psal. 49.
secundo eius adventu. Ignis in conspectu eius exardes-
cet, & in circuitu eius inflammabit. Sed Domine non F
dicimus quod Deus sit circumscriptus quod aliquid
posset esse in circuitu eius, in quantum Deus sed au-
thoritates similes habent veritatem ad literam in illo
iusto quem Prophetæ describunt, nunc loquentes de
eius humilitate, nunc de eius maiestate, & de hoc lo-
quitur Malachias cum dicit: Ecce Dominus venit, & Malac. 3
quis poterit stare ante adventum eius? ipse enim quasi
ignis conflagrans & sedebit & liquefaciet argentum
& aurum. Ecce qualiter iustus ille qui fuit iudicatus,
veniet in secundo adventu. Et attende Domine mi,
qualiter describit eum ibidem Propheta in eodem ca- Ibid.
pite, cum dicit: Tunc ego veniam & intrabo in iudi-
cio ad eos, & ero testis verax super adulteris & malis
& periuris, & super illos qui defraudant mercedem
mercenarij, & qui spoliant pupillos & viduas, & op-
primunt peregrinum & pauperem. Et idem, Domine
mi, describit Ezechiel cum dicit 34. cap. ubi loquitur Ezec. 34
de pastoribus & ovibus, dicens: Ego separabo ab eis,
scilicet à iustis, transgressores & incredulos. Hæc non G
habet translatio nostra, sed in Arabico dicit sic: O
Domine mi, ecce quod in secundo adventu separabit
incredulos in medio iustorum, sicut etiam dicunt Mala-
chias & Ezechiel clarè. Et primo adventu nemo no-
strum cognovit eum, quia exiverat limites humanæ
naturæ. Sicut dicit Deus per os Esaiæ Prophetæ, & Esa. 53.
inter iniquos computatus est, & propter hoc non re-
putavimus eum. Et Hieremias dicit: Ipse est homo, &
quis scit eum? Et timeo, Domine mi, quod patres no-
stri in primo adventu Messiæ defecerunt, & errave-
runt, & propter hoc sumus in ista captivitate, quæ
non habet finem. Et tamen quicquid contingat, Dei
sumus, & in ipso speramus.

Caput XI.

De secundo adventu Christi cum potentia iudicaturi.

DOmine mi, paveo ne iste iustus Index sit ille qui
iudicaturus est cum potentia in adventu secundo,
& qui fuit salvator in adventu primo omnium qui
crediderunt in eum, quoniam Propheta David dicit Psal. 97.
de illo: Notum fecit Dominus salutare suum, & in H
conspectu gentium revelavit iustitiam suam. Adhuc
dicit Esaias: Haurietis aquas de piscinis salvatoris, Esa. 12.
quod dictum, secundum videre meum, intelligo de
baptismo. Nam in primo adventu salvavit per a- Iob. 19.
quam, & in secundo iudicabit per ignem. Et de isto
salvatore dicitur, Domine mi, scio quod Salvator
meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus
sum & in carne mea oculi mei videbunt Deum meum.
Attende, Domine mi, quod vocat iustum Salvato-
rem Deum, constat autem quod oculi carnis non vi-
debunt Deum. Ecce habemus secundum scripturas
quod salvator est ille Deus iustus, de quo est sermo,
& solus potest dici verus iustus, quoniam nullum pec-
catum fecit, secundum quod de illo Deus testificabitur

A *Esa.53.* per os Esaiæ Prophetæ : Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. Nec de Mose nec de aliquo Prophetarum dicitur quod sit salvator iustus & sine peccato, quia Moses peccavit, & omnes Prophetæ peccaverunt, sicut vos scitis, Domine mi. Et idcirco nullus eorum vocatur iustus in scriptura, sed illud nomen isti soli servatur. Et sine dubio, non salvantur, nisi hi, qui credunt primum adventum suum, & illi qui non credunt, non habent causam aliquam quod salventur in secundo adventu eius sed digni sunt morte, quia digni erant morte illi, qui non credebant Mosi, & non obediebant ei qui fuit peccator, quanto magis digni sunt igne illi qui non credunt, & blasphemant iustum & Dominum qui peccatum ne- *Esa.53.* scivit unquam ? Quicquid tamen eveniat, Dei sumus nos.

B

Capvt XII.

De Ascensione Christi.

Domine mi, nos invenimus in scripturis quod Christus exaltabitur de terra ad cœlum, & ego timeo quod illud sit completum in isto qui fuit interfectus à patribus nostris, & de ista exaltatione dicit Da- *Psal.32.* vid Propheta in Psalmo : O magnates aperite portas principatûs vestri, & elevamini portæ æternales, & *Ibid.* introibit princeps gloriæ. Et attende Domine, quod respondent illi. Quis est iste princeps gloriæ ? & ipse respondebit illis : Dominus virtutum, fortis in prælio. Et constat, Domine mi, quod iustus iste Dominus virtutum, non habuit prælium, nisi in primo ad- *Psal.49.* ventu suo, quia quando sedebit ad iudicandum ignis in circuitu eius exardescet & inflammabit in circui- C tu inimicos eius, & conflagrabit iustos per ignem quasi argentum ; & hoc ultimo eius adventu. Nullus autem præliabitur contra illum, nec locus erit pugnæ. Adhuc de iusti huius exaltatione dicit Esaias: *Esa.63* Quis est iste qui venit de Edom de terra, rubens vestimentis eius de Bosra, sicut ille formosus in stola, & respondet bis iustus iste : Ego qui loquor iustitiam, sum expugnator ad salvationem, & dicunt ei Angeli : O Domine quare rubrum est vestimentum tuum sicut calcantis torcular ? Respondet, dicens : Torcular calcavi solus, & non erat vir mecum. Vide Domine mi, quam proprie loquitur Esaias, & timeo quod huius iusti responsio non tangat nisi nos, cum dicit : Calcavi eos in ira mea, donec aspersus est sanguis eorum super indumenta mea, & inquinata sunt omnia vestimenta mea. Sed dies ultionis in corde meo, & annus tribulationis meæ venit. Quantum ergo sperare possumus in iusto isto, Domine mi, ubi scimus ipsum de nobis Angelis fuisse conquestum in cœlo, & notificavit eis quod ipse calcaverit torcular solus. Et quid aliud calcavit in ira sua, nisi nos qui post bellum quod habuit in primo adventu suo prostrati D sumus ab eo, & calcati, iam sunt mille anni, & adhuc restat dies ultionis in ultimo eius adventu, & annus retributionis in corde suo. Vtinam Domine mi, quando interfecimus Esaiam delevissemus istam authoritatem prædictam de prophetiis sua, quod nun- *Psal.32.* quam legeretur ab aliquo. Et ecce quod David vocat bellum, cum dicit : Dominus virtutum fortis in bello, hoc Esaias vocat torcular. Heu Domine mi, nos bibimus mustum illud, de quo etiam dicit Iacob *Gen.49* Patriarcha & Propheta, ut habetur in libro generationis creaturarum de Iuda : Lavavit stolam in sanguine, scilicet uvæ, sicut est factum in nobis in primo adventu Messiæ, sed quid faciemus in adventu eius ultimo, quando stabunt homines coram homine iudicante, & in circuitu erit ignis paratus ad devorandum illos, contra quos tulerit sententiam ? Tunc enim non erit tempus belli, nec iam in torculari calcabitur, quia iam tunc non erit locus nec tempus pœnitendi nec refugij, sed iustitia, ut sicut ipse iudicatus fuit sine peccato quod inveniretur in eo, sic ipse iudicabit peccatores. Dicit enim Deus in prophetia E Salomonis : Quando iustus recipiet iudicium, ubi erit impius & peccator ? Vnde si iustus vix salvabitur, quid erit tunc de impio ?

Capvt XIII.

Adhuc fortius probat corporalem Christi Ascensionem.

Valde timeo, Domine mi, quod hæc quæ dicta sunt testimonia Prophetarum de illo iusto, quod scilicet fuit venditus pro argento, ut dicit Amos Propheta. Quod calcavit torcular, ut dixit Esaias. Quod gessit bellum cum patribus nostris, sicut dicit David. Quod captus fuerit in peccatis nostris, sicut dixit Hieremias. Quod vulneratus fuerit in pal- F mis suis, sicut dixit Zach. Quod super eius vestem missæ sunt sortes, sicut dicit David. Quod ascendit *Psal.21.* in cœlum, sicut dixit idem Propheta & alij. Quod non conveniat Deo in essentia sive in natura divina, secundum quam nec resurgit, nec exaltatur, nec sedet, nec descendit. Ex his quæ dicta sunt sequitur necessariò, quod iam venerit ille iustus, cuius naturæ corporeæ hæc prædicta, & similia poterunt convenire. Si autem tibi videtur fortè durum credere, Domine mi, quod homo corporeus ascendit in cœlum, audi authoritates & exempla quæ mihi occurrunt de scripturis nostris. Et super hoc dicit David Propheta de illo : Ascendit Deus in altum & salvabit captivitatem, dedit dona hominibus. Dicit etiam in Psalmo 67. de *Psal.67.* ascensione eius : Iubilate Deo & glorificate nomen eius, iter facite, qui ascendit de partibus occidentis, G Dominus nomen illi. Adhuc, Domine mi, dixit David de illo in Psalmo quem tu habes in corde : Iubilate Deo qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem. Et de isto dixit Amos : Dominus est qui ædificavit in excelso sedem suam. Et de ipso dicit etiam David in Psalmo, ascendit Deus in iubilo & Dominus in voce tubæ. De ipso etiam dixit Aser Propheta cap. 2.* Vidi hominem descendentem de corde maris & pervenit usque ad cœlum. Et quia non habemus * istam prophetiam, obmisi multa scribere quæ allegat super *Aser Prophetia* hoc. Dicit etiam Moses in cantico : Levabo ad cœlum manum meam. Dicit etiam Esaias : Consurge, consurge brachium Domini. Et de isto etiam ait Anna mater Samuëlis : Dabit Dominus imperium regi suo & sublimabit Christum suum. David etiam dixit : Ascendit Dominus super pennas ventorum. Et hæ authoritates occurrunt mihi ad probandum exaltationem Christi corporalem usque ad cœlum. Et sunt plures aliæ quæ tu Domine bene scis. Nunc etiam exempla aliqua adducam de lege nostra, quia videtur etiam nobis multùm conveniens credere, quod in corpore ascendit in cœlum, hoc est propter conside- *Aggaeus Aser* rationem, nam in lege & in Prophetis invenimus, quod Deus verus & gloriosus assumpsit de terra, & elevavit plures sanctos viros patres nostros. Etsi de istis non dubitamus propter eorum sanctitatem & propter testimonium scripturæ, quare dubitamus de ascensione iusti in corpore & anima, cui magis scriptura perhibet quam illis testimonium sanctitatis ? Et quia du- H rius bellum secundum Prophetas sustinuit, & plures *1 Reg. 2.* captivationes mundi quam aliquis de prædictis. Et præ- *Psal.1.* terea, domine, sine exempli positione scis, quod Mathusalem & Henoch iusti, & Helias Propheta fuerunt assumpti à Deo de mundo isto in corporibus suis. De Mose etiam non est dubitandum, quin sit in cœlo in corpore & anima, ut dicitur Deut. 34. Dixit Deus ad Mosen : Ascende in montem nocte, & morere ibi, & ascendit in montem & mortuus est. Et nescivit homo sepulchrum eius usque in hodiernum diem. Et quid significat, quod sepulchrum eius est ignotum in terra, cum ipse fuit Propheta maior & sanctior aliis, nisi

quod

A

quod Deus retinuerit eum, & assumpsit eum in corpore & anima sicut alios iustos assumpsit, & elevavit ad locum ubi sunt? Nec nos debemus mirari supra hoc, quod aer iste levis & subtilis posset portare corpora tam grossa & ponderosa, quia nos scimus quod aqua quæ est in tantate similis aeri, quando placuit potentiæ omnipotenti, portavit corpora filiorum Israël in eorum exitu de Ægypto, & quando fuit acceptum sacrificium, ignis descendit de cœlo & elevavit & portavit corpora pecorum & boum quæ offerebantur Deo. Moses vero & Helias Prophetaverunt de illius iusti elevatione, ac alij Prophetæ. Vnde cum oportet nos esse credentes de elevatione corporeâ dictorum sanctorum, cur sumus increduli de elevatione istius iusti, & eum elevatum esse in cœlum, de quo tot sunt testimonia Prophetarum in scripturis, sicut dictum est, & posset induci, ut quia satis apparet quod Deus assumpsit prædictos sanctos, de quibus nullus dubitet, ut ad finem disponerentur corda hominum, & ut de ascensione sui iusti etiam non dubitarent. Est autem & alia causa quare & ipsi nostri dubitant, quia adventus eius primus fuit occultus, & modus insolitus, sicut dicit Esaias: Homo est & quis cognoscet eum? Idem Propheta etiam dicit: Virgo concipiet & pariet filium. Vbi advertendum est quod tacet de patre secundum carnem, & propter hoc quod alibi dicit: Non reputavimus eum. Et Hieremias dicit: Signum novum creavit Deus super terram. Mulier circundabit virum, &c. Dicit etiam Micheas: Propter hoc dabit eis Deus usque ad tempus in quo parturiens pariet. Et notandum quod non facit Propheta mentionem de marito istius parturientis, cum inquit, nativitatem istius iusti qui solum natus est præter solitum modum cætérumque carnalem, qui est ex viro & fœminâ, sicut de illo prædictum est per os Esaiæ cum dicit: Audite domus Iacob, Deus dabit vobis signum, virgo concipiet & pariet filium, &c. Omnes autem alij sancti qui dicti sunt, nati sunt de fœmina & viro carnaliter concepti in peccato, & omnes fuerunt peccatores, & ipse Moyses sanctior parentibus Prophetis peccavit, & confitetur per os suum se peccasse, de iusto autem isto dicitur per Esaiam: Qui nunquam peccavit, nec inventum est mendacium in ore eius, de aliis omnibus sanctis dicit Deus per os Iob: In omnibus sanctis suis non est inventus sine pravitate. Et Hieremias Propheta dicit: Corda hominum prava.

C

Psal.53. Esa.9. Esa.53. Hier.31. Mich.5. Esa.7. Esa.53. Iob 4. Hier.17.

Capvt XIV.

De cæcitate Iudæorum quod non credant Christum advenisse, nec intelligant.

Timeo, Domine mi, quod sit completum in nobis quod dixit Dominus per Esaiam Prophetam: Cecidit cæcitas super Israël quousque intravit plenitudo Gentium; & iterum dicit: Audientes audient & non intelligent, & videntes videbunt & non cognoscent, quia corda istius gentis sunt ingrossata. Et adhuc eodem capite: Excæca cor populi huius, & obtura aures eius, ne fortè addiscant, & convertantur ad me & sanem eos. Et dixit Esaias: Vsquequo Domine, & dixit: Quousque sint civitates desertæ, & maneat domus sine habitatore: Dixit etiam Daniël: Claude sermones & involue Prophetiam. Et Hieremias; Peccatum Iudæ scriptum est stilo ferreo in lapide adamantino, & extensum super latitudinem cordis eorum. Esaias capite primo: Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, populus autem meus non intellexit. Et iterum Hieremias. Milvus & hirundo & ciconia sciunt tempus adventûs sui, populus autem meus non cognovit me. Et hæc omnia, Domine mi, dicta sunt propter nos, quia non cognovimus adventum illius iusti Domini. Et de nobis dixit Dominus per Esaiam: Elongate foras gentem cæcam, & non habentem oculos, & surdam, & non habentem

Esa.59. Esa.6. Ibid. D *Dan.12. Hier.17. Esa.12. Hier.8. Esa.43.*

aures, ecce omnes congregati sunt. Et quid voluit dicere Propheta per hæc verba, nisi quod Deus nos repulit, quia non cognovimus tempus istius iusti citiùs. Et congregavit ad se in fide Gentes loco nostri. Super quod admiratus David dixit in Psalmo: Hæc est mutatio dexteræ excelsi. Nos tamen Dei sumus in casu isto nostro, & captivitate ista, quæ non habet finem, in qua sumus, iam sunt mille anni, & hoc tamen accidit ita male patribus nostris, qui adoraverunt idola, & occiderunt Prophetas & transgressi fuerunt legem ex toto.

E *Psal.76.*

Capvt XV.

Ostendit reprobationem Iudæorum propter eorum perfidiam, & electionem Gentium propter eorum fidem.

F

Timeo, domine mi, propter hoc quod quia non credimus in isto iusto, idcirco accidit nobis & completum est illud quod dixit Deus per os Esaiæ: Erit Prophetia tanquam verba libri clausi qui dabitur lectori, & dicetur, iste liber clausus est nescio quid est in eo, & tunc dabit nescienti litteras, non sum lector ego. Et quæ clausura libri maior est, domine, quam clausura qua clausit Deus corda nostra, iam sunt mille anni, & ultra, nec possumus cognoscere per prophetiam nobis traditam à Prophetis super adventum illius iusti, propter quod alibi dixit Deus per Prophetam: desolabitur Hierusalem, & corruet domus sancta. Dixit etiam: Terra nostra deserta, civitates nostræ succensæ igne, & remanebit Sion sicut tugurium in vinea dissipata, hoc est domine mi, & iam sunt mille anni, & ultra. Dixit etiam Esaias: Domine Deus exaltabo nomen tuum, quia posuisti civitatem in tumultum, & domum in confusionem, ut non sit usque in æternum. Et dixit: Conteret popolos contritione vasis figuli, in quo non remaneat pars ad portandum carbonem ignis, nec hauriendam guttam aquæ. Completum est etiam Domine mi, quod dixit Daniel: Postquam fuit occisus Christus, remanebit desolatio perpetua: in qua desolatione sumus, iam sunt mille anni & ultra. Dixit etiam Esaias: Relicta est in urbe solitudo, & sibilabit terra eorum sibilo usque in sempiternum. Dixit etiam Hieremias: Argentum reprobum vocate illos, quia Dominus proiecit eos. Dixit etiam Esaias: Ambulate in lumine ignis vestri, & flammis quas succendistis vobis, in quibus flammis nos sumus, iam mille anni sunt. Et dixit etiam Amos: Domus Israël cadet & non est qui erigat eam. Et videtur mihi, Domine mi, quod Deus induxit super nos ruinam istam, post adventum iusti huius, postquam propheta nullus surrexit in nobis, nec surget sicut Prophetatum est nobis, quia nos manemus in incredulitate non recipientes fidem illius, sed negantes. Dixit etiam Oseas: Cum accubuit mulier super terram & peperit, dixit Deus. Voca nomen eius sine misericordia, quia non miserebor populo huic. Et si Deus proiecit nos, & non miseretur nostri, ut experti sumus, iam sunt mille anni & ultra, quæ utilitas est nos habere legem, circumcisionem & Sabbatum? Dixit Esaias: Educ foras populum cæcum, sicut eduxit nos de terra nostra Deus verus, & gloriosus. Iam sunt mille anni & ultra. Dixit etiam idem: Vetus error abiit. Et quid est antiquum, nisi lex nostra, quæ recessit à nobis, Domine mi, cum rege, cum sacrificio, cum incenso, & cum altaribus? & quid peius nobis poterit evenire? & quid est quod nos expectamus? Nonne videmus quod dispersit nos per quatuor partes mundi in dispersionem, sicut dixerunt nobis Moses, Hieremias, & Esaias, & alij prophetæ. Et tamen nos Dei sumus, & ad ipsum recurrimus in omni eventu.

Esa.29. Esa.3. Ibid.1. Esa.3. G *Dan.9. Esa.24. Hier.9. Esa.50.* H *Osea.1. Esa.34. Esa.26.*

A

Capvt XVI.

Ostendit reprobationem Iudaeorum propter eorum perfidiam, & electionem Gentium propter eorum fidem.

Timeo, Domine mi, cum nos dicimus inter nos, & ego & tu etiam sumus filij Iacob & Israël, quia iam completum est illud quod dicit Deus per os Esaiæ (Esa. 65.) Interficiet te Deus ô Israël, & vocabit servos nomine alieno. Paveo quod de illis servis sumus, quibus debet imponi illud nomen, secundum quod Moses dixit Deuteronomij (Deu. 28.) vicesimo octavo: Erunt Gentes in capite, & populus incredulus in cauda sicut nos sumus, iam sunt mille anni & ultra. De illis etiam dixit Hieremias: Replebitur terra fide Dei, & redundabit sicut aqua maris, & de illis dixit Salomon: Domine Deus meus (3 Reg. 8) cum venerit alienigena ad domum sanctam tuam, & invocaverit nomen tuum benedictum, (B) exaudi eum Domine Deus meus, ut discat universa terra nomen tuum timere, sicut populus Israël. In quo ergo gloriabimur Domine mi, & quare contemnimus Gentes? ex quo Salomon Propheta fecit eas participes in timore Dei, & in domo sancta nobiscum, & forte nos indignos eiecit Deus de ista domo, & dedit eam istis, & de illis etiam dixit Moses: Hæc dicit Dominus Deus meus: Replebitur tota terra gloria Domini. Et de ipsis dixit David in Psal. Prævenient & convertentur ad Dominum universi fines terræ, & mille generationes. (Psa. 21.) De ipsis dixit etiam Esaias (Esa. 60.): O domus David sancta, venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, &c. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, & filij extranei ædificabunt muros & principes eorum servient tibi. Et qui sunt isti filij extranei Domine mi, qui venerunt ad domum Dei, nisi Gentes quæ serviebant idolis, quæ erant extranei à Deo, & ipsi principes & Reges eorum, de quibus (C) dixit Deus, quod ambulabunt in lumine domûs sanctæ, & nos erimus in tenebris extra illam & sumus, iam sunt mille anni. Dixit adhuc idem Propheta de illis: Ecce Gentem quam nesciebas, vocabis, & nationes quæ te non cognoverunt ad te venient. Et sicut de facto videmus, hodie sunt mille anni & ultra, quia Christus missus secundum legem nobis datam venit, & Gentes quæ legem non noverant, venerunt ad eum (Esa. 45.), & ipse dedit eis legem novam, puram, sanctam. Adhuc quadragesimo quinto capite (Ibid.): Concordaverunt, & Reges eorum congregati sunt in fide Dei. Et timeo Domine mi, de illis fuisse dictum eodem capite: Congregamini omnes & venite Gentes, quæ salvatæ estis per Deum ex gentibus. Et de populo dixit Esaias (Esa. 65.): Quæsierunt me & non interrogabant & invenerunt me qui non quærebant me. Et de ipsis dicit Hieremias: Congregabuntur omnes in nomine Domini, in domo sancta, & non ambulabunt in pravitate cordium (Hier. 16). (D) De ipsis idem propheta dixit: Ad te venient omnes Gentes ab extremis finibus terræ, & dicent: Non hæreditaverunt patres nostri nisi mendacium & iniquitatem. Et de ipsis dixit Sophonias (Soph. 3.): Datum est Gentibus ut loquerentur simul in nomine Domini, & servient ei humero uno, omnis homo de loco suo, & omnes insulæ Gentium. Et de illis dixit Zacharias (Zach. 2.): Lætare domus Sion: quia ego veniam ad te, & habitabo, in medio tui in illa die, & appropinquabunt Deo Gentes in multitudine sua. Dicit idem Propheta capite octavo (Zach. 8.): Hæc dicit Dominus Deus exercituum, venient Gentes multæ de locis multis, & dicet vir ad vicinum suum: Vadamus & quæramus Dominum Deum in bono. Et ista Domine mi, completa sunt nunc, & complentur in oculis nostris de plano, vides populos & linguas legere libros legis & Prophetarum (E) omnium, & Psalterium, dimissis idolis suis, nullus ex eis credit per manum Mosi nec Aaron, nec alicuius Prophetarum nostrorum, nec aliquid remanet de fide ab idolis ab illo tempore, quo crediderunt iusto illi, de quo dicit Abacuc (Abac. 3.): Egressus es Domine ad salutem populi tui, ad salutem cum Christo tuo.

Capvt XVII.

De vivificatione Gentium & interfectione Iudaeorum, prout etiam videbitur in capite sequenti.

Timeo, Domine mi, quod Deus victor & gloriosus vivificat illas Gentes per fidem & interficit nos incredulitate nostra, sicut ipse dicit per os Esaiæ Prophetæ (Esai. 65.): (F) Pro eo quod vocavi & non respondistis, hæc dicit Dominus Deus: Ecce servi mei comedent, & vos esurietis. Ecce servi mei bibent & vos sitietis. Ecce servi mei gaudebunt in exultatione cordis, & vos contristemini præ amaritudine cordis, & interficiet te Deus ô Israël, & vocabit servos nomine alio, in quo benedixit illis qui est benedictus super terram, Amen. Et nos videmus receptores istius nominis benedictos à Deo super faciem terræ, & nos dispersit, scilicet in captivitate per quatuor partes mundi. Hodie sunt mille anni. Et apparent expresse in nobis vestigia iræ Dei, non ad castigationem, sed ad destructionem, & illa est interfectio quam Deus comminatus est, quod interficiet Israël, & illæ Gentes vivæ, quas vocat servos. recipient nomen quod Deus promisit, sed non ante mortem nostri nominis primi secundum ordinem verborum Dei per Esaiam, & fames & sites quas patiemur, non est panis aut aquæ, sed cordium & animarum sterilitas, & fames verbi Dei, sicut Prophetæ declarant per os Amos, capite 8. (Amos 8.) Et tu Domine, scis hoc plenius quam ego. Veruntamen Dei sumus in omnibus quæ accidunt nobis.

G

Capvt XVIII.

Quomodo Gentes per fidem vivificata habent mundas observantias nova legis.

Timeo: Domine mi, quod Gentes istæ vivificatæ sunt, iam sunt mille anni postquam fuit mortuus Iesus in Ierusalem, quia nihil boni habuerant antequam crediderunt in Deum & in Christum & Apostolis, quoniam ipsi fortè erant illi pisces & illæ bestiæ, de quibus loquitur Abacuc Propheta, quæ non non habent ducem & ipsæ Gentes purificatæ per fidem habent ieiunia sua & observantias suas legis novæ, & habent cuncta illa quæ ad munditiam pertinent in lege antiqua contenta Iudæorum. Vides quod in omni lingua, & in omni loco in Oriente & Occidente Gentes sunt confitentes in nomine Domini, & non credunt in eum per Mosen, nec per aliquem Prophetarum, (H) quamvis sunt studiosi in lege & in libris omnium Prophetarum, sed Deus vocavit eos per discipulos iusti, qui egressus est cum Deo ad salutem eorum, sicut ipse Deus benedictus & gloriosus prædixit per os Abacuc Prophetæ (Abac. 3.). Et isti discipuli eius fuerunt filij nostri, de filiis Israël, qui alio nomine vocantur Apostoli. Valde enim timeo, Domine mi, quod isti sunt illi de quibus dixit Deus per os David in Psalmo (Psal. 18.): In omnem terram exivit sonus eorum, & in extremis finibus extensa verba eorum. Et verba Prophetæ expresse demonstrant nobis, quod de istis loquitur & non de nobis, cum dicit, non erit lingua, neque sermo qui non audiant voces eorum, & hoc non potest esse de lingua nostra Hebræa (Ibid.): quæ enim Gentes obediunt præceptis Mosi & Aaron? Quinimo ipsi interfecerunt Gentes & fugaverunt eas à se. Hæ autem

A Gentes sciunt hodie Mosen & Prophetas, & agnoscunt Deum & servant legem novam, sicut Apostoli docuerunt eos. Attamen Dei sumus.

CAPUT XIX.

De electione Apostolorum loco Prophetarum.

Zach. 13. TImeo, Domine mi, quod illud quod Zacharias Propheta dixit. Percutiam pastorem & dispergentur oves gregis, fuit completum, quando nos percussimus pastorem istorum puerorum & sanctorum Apostolorum, ex tunc nos oves dispersi sumus per universum orbem, & isti filij nostri, scilicet Apostoli, surrexerunt loco Prophetarum, quod apparet ex B hoc quod Deus post illos non misit nobis Prophetam, nec notificavit aliquid per visionem. Timeo, Domine mi, quod isti pueri sint Apostoli, de quibus dixit Deus per os Iohelis Prophetæ: Senes vestri somnia somniabunt, & pueri vestri visiones videbunt. Ioel. 2. Certissimè, Domine mi, senes sunt Prophetæ nostri, qui somniaverunt fidem Gentium, quam consequuti sunt illi pueri, scilicet Apostoli, & viderunt. Et de istis pueris dixit David Propheta: Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos, Deus non nominat filios in plurali, sed solum nominat eos Israël primogenitum in usu loquendi communi. Et in alio Psalmo nominat istos pueros filios cum dicit: Filij tui sicut plantæ novellæ. De Israel, Domine mi, dixit Deus per os Esaiæ: Vinea Dei exercituum fuit domus Israel, expectavi quod veniret cum uva, & venit cum spinis, propter hoc ego adducam qui destruet illam in conculcationem, & de illis prædictis filiis Dei qui vocantur Apostoli, Dixit Deus per os Esaiæ: Isa. 65. Non modo erubescet Iacob ne liquefiat facies eius: sed tunc quando videbit de filiis suis illos quos creaverunt manus meæ sanctificatos ante oculos suos. Et C si essent, Domine mi, filij isti sanctificati coram nobis secundum viam legis nostræ, non diceretur de nobis, quod essemus in erubescentia: propterea & dissoluerentur facies nostræ, imo haberemus gloriam & resplenderent facies nostræ, sed confusio facierum Iacob & desolatio est ista, quod isti filij quos Deus creavit manu suâ, scilicet Apostoli, sunt sanctificati coram nobis, & non secundum legem nostram. Propterea Deus dat intelligere, quod lex nostra non est lex ipsorum. Ezech. 18. Dixit etiam Deus per os Ezechielis: In illa die non dicent: Patres nostri comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt, sicut infidelitas Iudæorum non nocuit fidem Apostolorum, non nocebit, & propter hoc subditur: Vivo ego dicit Dominus, si erit ultra proverbium istud in Israel, quia nunquam aliquis de Apostolis postquam receperunt fidem redit ad fidem nostram, quare non sentiunt acerbitatem infidelitatis nostræ, sicut dentes nostri obstupescunt de peccato patrum nostrorum. Adhuc de istis filiis, Domine mi, qui sunt Apostoli dixit Deus, per os Esaiæ Prophetæ. A quo transmigrabo D nisi à populo meo. Filij autem qui erunt infideles, Deus erit salvator eorum in omnibus angustiis eorum, & vultus eius custodiet eos in charitate eius, & in clementia redemit eos, & propitius erit eis in longitudine dierum. Verissimum est, Domine mi, quod isti filij de quibus loquimur, semper manserunt firmi, nec Deus transmigravit ab eis ab illo tempore quo redemit eos ille iustus, magister eorum, sed transmigravit à nobis & fuit semper cum eis, & de illis etiam filiis qui sunt Apostoli, dixit sapiens Iesus filius Eccl. 3. Sirach in libro suo: Audite filij charissimi & operamini in salutem, quia honorat Deus patrem in filiis. Malac. 4. Et qualiter intelligi debeat honor ille, declarat Deus per os Malachiæ: Mittet Deus Eliam qui convertat corda patrum nostrorum ad filios. O Domine, si Deus debuisset convertere corda filiorum scilicet Apostolorum ad patres, cum debeat intelligi de fide, tunc isti filij scilicet Apostoli fuissent nobiscum in captivitate E ista quæ non habet finem, sicut & patres nostri & nos sumus. Sed ex quo Deus ordinavit quod debeant corda patrum ad filios converti, quid est quod expectamus, Domine mi, & quid præstolamur? Etsi noluerimus dicere quod alij filij debent esse præter Apostolos, de quibus intelligantur prædicta, illi erunt in captivitate sicut & nos, ex quo viam illius iusti non sunt sequuti, quem Apostoli firmiter sequuti sunt, & docuerunt sequendam & propter hoc habent honorem patrum in hoc, quod patres dicuntur ad illos converti. Cum ergo, Domine mi, filij nostri venerunt antequam nos ad fidem Dei, si corda nostra convertantur ad filios, corda eorum convertentur ad nos. Et sicut dicit Deus altissimus: Erunt populus unus, animus unus in Deo glorioso & victorioso, quia non debemos intelligere illam conversionem, nisi de infidelitate ad fidem & doctrinam illius iusti, qui est magister salutis eorum qui credunt in eo, & secundum quod dixit David de eo. Sopho. 3. F Ipse est cuius sacerdotium erit secundum ordinem Melchisedec in æternum, qui obtulit sacrificium panis & vini, & Melchisedech sacerdos Dei altissimi ante Aaron. Psa. 109. Gen. 14. Et attende Domine mi, quanta sit differentia inter sacrificium Aaron, & iusti istius Domini. Psa. 109. Dixit Dominus Domino meo, tu es sacerdos in æternum, non ad tempus sicut Aaron, qui mortuus fuit viginti centum annorum. Item sacrificium Aaron fuerunt carnes, & sacrificium illius iusti Domini fuit panis & vinum secundum ordinem Melchisedech. In quibus verbis Dominus per Prophetam ostendit manifestè, quoniam sacrificium Aaron finiretur, quando inciperet illud sacrificium in æternum, quod finiretur quando inciperet sacrificium in pane & vino æternaliter duraturum, cum Aaron non sit data æternitas in sacerdotio, sicuti sacerdoti Christo. De illis filiis dicit etiam Deus per os Prophetæ Mosi. Deuter. 32. Sanguinem filiorum ulciscetur & lavabit terram populi sui: Et nos Domine occidimus Prophetas, & non fecit vindictam de G eis, nisi per septuaginta annos: sed occidimus Apostolos & iustum magistrum eorum, & fecit Deus vindictam de filiis. Iam sunt mille anni & ultra. Et per mortem ipsorum lavit Deus terram populi sui, & non dixit terram filiorum Israel. De ipsis etiam filiis dixit David in Psalmo centesimo decimo sexto. Psa. 116. Sicut sagittæ in manu potentis ita filij fideles. Comparat enim Propheta illos filios fideles sagittis emissis de manu potentia, quia Deus omnipotens, misit eos ad duodecim partes mundi per quatuor mundi climata, fideles hos filios cum doctrina legis, Psalterij & Prophetarum. Mosen autem & Aaron non misit extra domum sanctam ad docendum, quia non ad Indiam, Romam, nec ad alia loca extra terram sanctam, misit eos annunciare doctrinam legis & Prophetarum, sed isti fideles filij sic proiecti vel missi per universum mundum, surrexerunt coram Deo loco nostri, postquam Deus occidit Israël & nomen nostrum quod bene innuit Filij excussorũ. Psal. 44. David in Psalmo cum dicit: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos filius reges & principes, H & per istos innovata est lex prima secundum ordinem Melchisedech, qui sacrificium Dei instituit in pane & vino, ex quibus communicavit Abraham amico Dei, Deus etiam per ministerium istorum mutavit sacrificium nostrum, sicut mutavit nomen nostrum & sicut mutavit legem carnalem nostram in legem spiritualem. Et si Deus dixisset nostro Mosi sicut dixit per os David, Messiæ sive Christo: Tu venies sacerdos in æternum secundum legem Mosi & Aaron, staret illa lex, sed dixit: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Melchisedech communicavit Abrahã. Psa. 109. Et amicus Dei communicavit de sacrificio panis & vini, & non de sacrificio carnium. Ad hoc bene sonat verbum Mosi, cum dixit. Comedetis vetustissima veterum, per quod intelligit sacrificium Melchisedech. Lev. 26. Et iterum: Et novis supervenientibus, id est, novæ legis

sacrificio

A

sacrificiu publicato, vetera, scilicet vestra sacrificia proiicietis. Nos tamen Dei sumus in omni adventu.

Capvt XX.

De reprobatione sacrificy Iudaeorum, & de electione sacramenti Christianorum.

Malac. 1

Timeo, Domine mi, quod Deus eiecit nos à se & sacrificium nostrum, & acceptavit sacrificium Gentium, sicut dixit per os Malachiæ: Non est mihi voluntas in vobis, dixit Dominus, neque accipiam sacrificium vestrum, quoniam ab ortu solis usque ad occasum eius magnum est nomen meum in Gentibus, quæ offerent in nomine meo sacrificium mundum, ergo apud Deum sacrificium Gentium est mundius, quam sacrificium nostrum. Et insuper quia Deus privavit nos omni sacrificio mundo, & alias docens Christianos, ut ipsi vitarent nos, ne contaminarentur, sicut nos vitavimus Gentes omni tempore quo sacrificium nostrum fuit mundum apud Deum & acceptum.

B

Psal. 49

Etiam in Domine mi, nosti quid dicat Deus in Psalm. de nostro sacrificio cum ait, per os David Prophetæ: Nunquid vidistis vos quod ego comedi carnes taurorum, & hircorum sanguinem biberem? Per quod manifestat Deus quod ipse condemnat carnium sacrificium. Et unde est nobis, Domine mi, quod nos detestamur in gentibus sacrificium panis & vini, quod statuit Deus, & in nullo reprobat, sicut reprobat sacrificium carnium, cum Salomon describat illud Aaron, dicens, iste scilicet Aaron extendit manus suas super altare, & obtulit sanguinem uvæ, & incensum Deo vivo, & obtulit sacrificium nostrum de granis terræ, sicut Melchisedech obtulit pro Abraham. Declarat Deus sacrificium gentium per Mosen. Levit. 21. Offeretis Deo sacrificium de levatis, de area, & de expressione uvæ, & benedicat vobis Deus & cunctis operibus manuum vestrarum. Scimus etiam nos, Domine mi, quod Deus mandavit in principio poni ante arcam fœderis Domini, panes & non carnes. Etiam Domine mi, cum Deus de hoc in Levitico præcepit Aaron per Mosen, dicens: Homo de semine Aaron sacerdotis qui habet maculam, non offerat sacrificium de panibus, nec aliud quodcumque sacrificium. Et in pluribus scripturæ locis Deus præcepit fieri sacrificium de pane & ex farina purissima acceptabit illud, & tale sacrificium est hodie Gentium, scilicet panis ex farina purissima. De sacrificio etiam panis fit mentio primo Regum 21. Cum David venit ad Abimelech principem sacerdotum Sylo, & petivit ab eo panes, qui respondit. Non sunt hic panes nisi panis oblatus, quem non convenit comedere pueris tuis, quia sanctus est. Et quod Gentes ponunt in sacrificio suo aquam, non debet nobis inconveniens videri, quia etiam in Scripturis sanctis invenimus de hoc exemplum, scilicet quod Deo fiebat sacrificium de aqua, & fuit Deo acceptum. Invenimus etiam. 2. Reg. 23. quod duo iuvenes hauserunt aquam de cisterna quæ erat ante portam Bethleem, & Propheta David obtulit illam Deo in sacrificium, ergo non est contra Scripturam, si gentes hodie ponant aquam in sacrificio, quod faciunt Deo. Nos etiam legimus quod Aaron fecit Deo sacrificium de pane & vino, & David de aqua, & ista tria sunt simul in uno sacrificio mundo (quamvis intellectus noster id penetrare nequeat) & non sicut carnes taurorum pinguium. Helias noster ut narratur Reg. 3. infudit aquam in sacrificium, & Deus misit ignem de cœlo, & acceptavit sacrificium cum aqua perfusum. Angelus in figura communicavit etiam Eliam in pane subcinericio & aqua, quando Elias ambulavit in fortitudine cibi super illud quod natura non potest concedere, quadraginta diebus usque ad montem Dei Oreb. Hoc etiam sacrificium vini cum aqua mixtum, pulcherrime & apte describit Salomon Propheta in libro Proverbiorum cap. 9. cum dicit: Sapientia altissima communicavit sacrificium suum, miscuit vinum suum & paravit mensam, tunc misit servos suos, dicens: Quis est parvulus, veniat ad me, & insipientes comedent panem meum, & bibent vinum meum temperatum aquâ. Quid Domine mi, mensa parata sapientiæ altissimi, nisi altare? Quid Domine panis & vinum mixtum, nisi sacrificium de pane & vino, & de aqua quod fit in altari? qui sunt insipientes vocati per servos sapientiæ, nisi Gentes quæ ignorabant Deum, vocatæ per Apostolos, & notabiliter dicit, panem suum & vinum suum, per id enim innuit hoc sacrificium gratum esse Deo, & quod ad istud convivium tam sublime, & tam spirituale non vocavit patres nostros, qui erant sapientes in lege, qui erant occupati in sacrificio legis, quod etiam carnale sacrificium non dimisit nobis, sed privavit nos illo. Iam sunt mille anni completi, quod nobis accidit propter illum iustum in quem peccavimus. Attamen Dei sumus.

C — Panes propositionis. Exo 25. Num. 21

D — Aqua in Missæ sacrificio.

3. Reg. 18

3. Reg. 19

E

Altare Christianorum

F

Capvt XXI.

Quod Deus refutavit ieiunia sublata & sacrificia Iudaeorum & Christianorum elegit.

Malac. 1

Valde timeo Domine mi, ab illo verbo, quod Deus fortis & gloriosus dixit per os Malachiæ cap. 1. ubi sic tangit de sacrificiu gentium, ab ortu solis usque ad occasum, gentes offerunt sacrificium nomini meo mundum. Ubi adverto quod sacrificium nostrum non fuit acceptum, nisi in uno loco solo, scilicet in domo sancta præcise. Ex quo autem loco sacrificij privavit nos Deus, scilicet terra promissionis, & ubique dispersit nos terrarum, iam sunt mille anni. Unde venit super nos, & completum est quod Deus dixit de nobis per similitudinem loquens per os Esaiæ, ubi ait: Completa est vindemia & non est de cætero collectio. Et illud Malachiæ: Non est mihi voluntas in vobis, & sacrificium non accipiam à vobis. Et illud Esaiæ cap. 1 Sabbata vestra, & festivitates, & sacrificium vestrum non recipiam, quia omnes vos estis in ira mea. Et illud Esaiæ completum est super nos: Quid mihi multitudo victimarum vestrarum, quid multiplicastis mihi sacrificium de arietibus & carnibus hircorum, ego autem contempsi sanguinem vitulorum, & arietum carnes & hircorum? Cum præsentaveritis ea coram me, & quis recipiet ea à vobis? non deturbetis lapides meos sanctos. Frustra, non offeretis ultra sacrificium, quoniam incensum vestrum, & sabbata vestra, & solennitates vestras non recipiam à vobis, quia odivit illa anima mea. Si elevatis manus vestras ad me, avertam vultum meum à vobis. Et si multiplicaveritis orationes vestras, non exaudiam, manus vestræ plenæ sunt sanguine. Et omne sacrificium vestrum sicut cadaver fœtidum. Et egressus atrij portæ exterioris, & ille qui mihi iugulaverit taurum, sicut qui decollaverit hominem, & ille qui obtulerit in sacrificium hircum, sicut qui obtulit canem, & qui obtulit vinum sicut qui offert sanguinem porci. Sed abominatio de sacrificiis apud Deum nihil aliud significat, nisi mutationem sacrificij nostri carnalis & grossi in sacrificium istius iusti Domini spirituale & subtile. Qui instituit offerre panem loco carnium & aquam mundam loco pinguedinis carnium. Et vinum purum, loco sanguinis. Et homo offertur spiritualiter & acceptabiliter Deo, non sicut animalia decollata per nos, quæ per Prophetam comparantur cadaveri putrido. Et quare non credimus, Domine, hæc quæ locutus est nobis Deus per Prophetam istum. Et quid describit tam evidenter de sacrificiis nostris. Dixit etiam Deus per Ieremiam cap. 7. Invitate proximos vestros ad sacrificia, & comedite cum eis carnes sacrificiorum vestrorum, quia in die qua eduxi patres vestros de Ægypto, non præcepi eis, nec verbum feci de sacrificiis, sed dixi.

G — Esa. 5. Malac. 1. Esa. 1.

Ibid.

Ibid. Ibid.

Esa. 66.

H

Sacrificium Christianorum.

Ierem. 7.

Audite

A Audite vocem meam & ero vobis Deus, & vos mihi populus, si ambulaveritis in omnibus quæ præcipio vobis, bene erit vobis. Et non audierunt, nec posuerunt aurem suam ad dictum meum, & tu Domine mi, es qui hoc nosti. Attamen Dei sumus in omnibus quæ evenerint nobis.

Capvt XXII.

Probat abiectionem Synagogæ, & electionem Ecclesiæ per verbum Domini ad Rebeccam.

Gen. 25. Primus liber legis. Timeo, Domine mi, quod de synagoga & Ecclesia intelligatur illud verbum quod scribitur 25. cap. primi libri legis, cum dicit Dominus Deus Rebeccæ uxori Isaac duæ Gentes sunt in utero tuo, & duo populi venient de utero tuo, & gens gentem superabit, & maior serviet minori. Domine mi, sola Rebecca fuit mater Iudæorum & Gentilium. Populus B maior & primogenitus fuit Synagoga, quæ magno fuit honore & scientiâ Dei dotatâ. Populus secundus genitus & minor apud Deum, fuerunt Gentes in infidelitate manentes, & in ignorantia sua. Si tamen Domine mi, Deus occidit Israel, prout describit Esaias, & tunc subversa est Synagoga, quæ fuerat maior, & servivit gentibus quæ fuerat minor, ut completur verbum quod Deus dixit Rebeccæ: Gens gentem superabit: Etiam de Ecclesia dixit Deus per os *Psalm. 44.* David, Psal. 44. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, distinctis coloribus adornata. Exponitur, Domine mi, quod Ecclesia Gentilium quæ vocatur regina diversitate linguarum omnium, quæ serviunt ei est adornata quasi colorum distinctione. Nam omnes linguæ in Ecclesia concordant in vera expositione legis Psalterij & libri omnium Prophetarum, Synagoga vero non habuit nisi unam linguam, & ornatum unum quasi uno colore, scilicet Hebræa.

Capvt XXIII.

C *Probat hoc idem per verba Malachiæ Proph.*

Malac. 1 Timeo etiam, Domine mi, de verbis inductis superius frequenter per Malachiam Prophetam dixit Deus Synagogæ: Non est mihi voluntas in sacrificiis vestris, quia ab ortu Solis usque ad occasum magnum est nomen meum inter gentes, quæ offerunt nomini meo sacrificium mundum. Sicut de natura sua munda sunt, aqua, vinum, & farina pura, de quibus factum est sacrificium & non indiget mundatione & lotione. Sed Synagoga indiget lavare carnes sacrificiorum, & purgare ventres animarum, quæ in sacrificio sacrificabuntur, & lavare locum de sanguine & pinguedine sacrificiorum, aliter esset horror tractare & videre. In sacrificio autem panis & vini & aquæ non apparet aliquid indecens aut turpe. Æstimo Domine mi, quod de isto sacrificio dixit *Prov. 17* Deus per Salomonem, Proverb. 17. Melior est buccella panis cum charitate, quam vitulus saginatus D cum inimicitia. Buccella amoris, Domine mi, pura est mansuetudo super mansuetudinem, & remissio mutua offensarum, & vitulus odij saginatus est oculus pro oculo, & occulta interfectio inimicorum. Ergo Domine mi, sacrificium Synagogæ est vitulus pinguis cum inimicitia & sacrificium Ecclesiæ buccella est panis cum charitate, de qua dicit Deus: Melior est, buccella panis, &c. Pulchrè etiam describit Deus Ecclesiam assimilando cervis per os Salomonis Proverb. 5. ubi ait: Cerva Deo charissima in æmulo suo, cuius ubera inebriept te in omni tempore & amor illius delectet te in æternum. Et Ecclesia est Deo dilecta cerva in æmulo suo uno, de quo & qua scribitur cerva charissima Deo in æmulo suo non habens parem in nobilitate & gratia. Tunc addit, Domine mi, E & dicit: Inebrient te ubera eius omni tempore, delectare in amore eius iugiter, quo significatur sacrificium Ecclesiæ omni tempore duraturum in æternum. Similat autem Deus illam matri lactanti filios, & in hoc quod dixit: Inebriabo te, denotat materiam sacramenti spiritualiter quantum ad vinum, & per ubera denotat in reliquis partibus sacramenti esse delectabile nutrimentum & sufficiens sacramentum quo sacrificio iam fruitur & delectatur Ecclesia. Iam mille anni sunt, à quo tempore privavit Synagogam sacrificio. Æmulus autem ille in quo Ecclesia est, tam grata Deo, est Christus Dominus & ubera eius dant vinum perpetuum, de quo provenit gaudium sempiternum. & non dicit quod dabit carnes & pinguedinem vel sanguinem quæ faciunt sacrificium laboriosum: Fuit autem Synagoga sicut mulier quæ habuit alium virum supple Deum, & perdidit illum & domum sanctam. Et ista Ecclesia fuit cerva in deserto sine marito, sed Deus vicem illius supplet. Unde ipse fortis & gloriosus dicit per Esaïam *Esa. 54.* Prophetam cap. 54. Puellæ sequestratæ meliores sunt F quam illæ quæ habent virum. Item ille Propheta *Id. 43.* cap. 43. Ego faciam dicit Dominus Deus, veniam & flamma ad potum populo meo electo, & tu Iacob non obedies, & tu Israel non audies. Sicut nos, Domine mi, sumus extra obedientiam, nec habemus aures nec oculos, quapropter captivitas nostra iam usque ad complementum mille annorum pervenit. Timeo Do- *Levit. 24.* mine mi, de lege nostra quæ furoris iram habet in promptu, & dicit oculum pro oculo, &c. Sed cerva illa æmulum habens unicum, dixit in Evangelio suo glorioso, Matth. 5. Qui te percusserit in unam *Matt. 5.* maxillam statue illi alteram. Loquitur David in *Psalm. 30.* Psalm. 30. Quam magna, & quam multa dulcedo tua Domine, quam abscondisti timentibus te, & complevisti eam sperantibus in te. Et est clarum, Domine mi, quod populus Synagogæ timuerunt pœnas legis, scilicet oculum pro oculo, quia erat in promptu executio. Sed populus Ecclesiæ sperans est in dulcedine Dei, qui percussi in faciem non repercutiunt. Quapropter paravit Deus, scilicet gentibus magnam multitudinem dulcedinis suæ, quam abscondit à Iudæis. Attamen, &c. G

Capvt XXIV.

Quod cantus Christianorum est Deo acceptus.

Paveo, Domine mi, quod dictum est de Apostolis illud Esaïæ: Manifestabunt sanctum Iacob, evangelizabunt Deum Israel, & accipient ignorantes scientiam, & musici scient leges. Apertè videmus Domine mi, quod iam sunt illi anni quod ignorantes musici, & docent legem nostram, & qui sunt ignorantes nisi gentiles, & qui sunt musici cantantes Psalterium nostrum, & Prophetas in Ecclesiis suis nisi Christiani? De quibus musicis, sive cantoribus dicit Deus per os David in Psal. 97. Cantate Domino *Psalm. 97.* canticum novum, quia mirabilia fecit. Et quid est canticum illud novum, Domine mi, nisi testamentum novum, & antiquum, nisi lex antiqua? Et H de istis etiam musicis dicit Deus per David Prophe- *Psalm. 134.* tam Psalm. 134. Cantate Domino omnis terra, psalmum dicite nomini eius. Et in eodem: Cantabunt tibi & psallent nomini tuo universæ familiæ Gentium. Et notanter dicit, universæ familiæ gentium & non Israël singulariter. De istis etiam musicis dicit Deus per os David Psalm. 88. Beatus populus qui scit cantilenam *Psalm. 88.* in lumine vultûs tui ambulabunt. De illis etiam Domine mi, scribitur in Psalm. 88. Cantabunt tibi gentes in domo Dei mei canticum. In loco isto ponit cantilenam antonomasticè. Etiam sunt mille anni quod nos Iudæi non cantavimus in domo sancta. De istis cantoribus dicit David: Cantabunt canticum in domo Dei in æternum. De nobis dicit in Psalm. 136. *Ps. 136.*

[A] Quomodo cantabunt canticum Dei in terra aliena? Et qualiter potest esse, Domine mi, quod speramus terram habere & numen? cum Deus dixit per Amos [Amos 5.] Prophetam cap. 5. Cecidit Israel, & non resurget, virgo Israel prostrata est, & non elevabitur. Idem [Amos 9.] Propheta cap. 9. & veniet tribolatio & non salvabitur qui effugerit ex eis, & si absconderint se in monte Carmeli inde præcipitabit eos manus mea, etiamsi descenderint in profundum maris, illuc mittam serpentes, & mordebunt eos, & si abierint in captivitatem coram inimicis suis: ibi mandabo gladium & occidet eos, & ponam oculum super eos in malum & non in bonum, quod fecit nobis Deus. Iam sunt mille anni completi, quod Canticum & Psalmum cantavimus, ex quo sic est. Attamen, &c.

Capvt XXV.

[B]

Quod Iudæi indebitè reprehendunt cantum Christianorum.

Domine mi, dixit Deus de cantu Christianorum [Psalm. 46.] per os David: Omnes gentes plaudite manibus, & cantate Deo voce laodis. Et alibi dicit: Iubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia. Introite in conspectu eius, dicas totum iubilate. Et Psal. 99. [Psalm. 99.] Cantate Domino omnis terra, & annuntiate de die in diem. Paveo Domine mi, ex quo Deus dixit per [Ier. 9] os Ieremiæ cap. 9. Docete filios vestros & filias vestras fletum & planctum, quoniam mors egressa est per portas vestras, ex quo Deus dixit de his filiis musicis per os David, Psalm. 148. Reges terræ & [Psalm. 148.] omnes populi, principes & omnes iudices terræ: iuvenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini. Et Psalm. 49. In sacrificio cantùs ho- [Psalm. 49.] norabit me, ac si apertè diceret, non in sacrificio carnium hircorum, sicut sacrificium nostrum. Et de his [C] Esaias Propheta: addiscentes scripturas, & totum Psalterium David, sic musicali arte notatum per sonum acutum & gravem. His omnibus consideratis videtur mihi, quod nos erramus in hoc, quod nos in suæ laodis sacrificio iudicamus, quod in Ecclesia Dei exhibent cantando, præsertim cum in lege Dei in hoc inveniamus præcepta & exempla David, qui [Cantus Christianorũ.] etiam dicit: Laudate eum in cithara & organo, & laudate eum in cimbalis magnis laudibus & omnis spiritus [Psalm. 150.] laudet Dominum Iesvm-Christvm. Exemplum etiam in 2. Reg. c. 6. vbi legitur quod David discooper- [2. Reg. 6.] to capite saltans, cum cithara ante arcam Domini, quem temeraria vxor sua Michol ausa est redarguere, cui ipse ait: O fatua nonne videbit me Dominus despectum psallentem? filij autem Israël sonabant buccinam, dum tradūcebant arcam. Sed quid sumus, Domine mi, irridentes solennitates ipsorum musicorum, nisi Michol fatua, & qui sunt isti canentes, nisi Christiani saltantes & exultantes Deo in humilitate sicut David, præsertim cum dicit Deus, omnis spiritus lau- [D] det Dominum, si dixisset omnis Israëlita præcise, tunc possemus aliis insultare. Hoc autem quod Esaïas dixit [Esa 40.] quod Gentes sunt in conspectu eius quasi nihil, est intelligendum de gentibus istis quæ fuerunt antequam haberent notitiam Dei per adventum iusti, quia tunc fuerunt pagani & idololatræ non de gentibus quæ invenerunt Dominum, quæ offerunt omni die sacrificium mundum in oriente & in occidente, sicut dicit per os [Malac. 1.] Malachiæ Prophetæ, vt iam superius est allegatum, & certe Domine mi, nos erramus. Attamen, &c.

Capvt XXVI.

Probat apostasiam Iudæorum à Deo.

Paveo, Domine, quod apostatavimus à Deo in primo adventu istius iusti, de quo introduximus au- [E] thoritates prædictas, & cui expresse conveniunt omnia quæ scripta sunt apud nos in libris legis & Prophetarum, propter quam apostasiam sicut Deus prætendit longitudinem dierum, & captivitatem istam nobis intulit, & si expectamus Salvatorem alium ab illo iusto, non prodest nobis. Signum est evidens quod pro peccato generali, quod est in nobis omnibus, quod peccatum cum perseverat in nobis, perseverabit ira super gentem nostram sine spe, & tamen expectamus aliquem alium, quæ expectatio non prodest nobis. Et si voluerimus dicere quod hæc captivitas non est generalis, & quod in aliqua parte mundi nos habemus Regem & Principem, cito poterimus secundùm legem nostram argui de mendacio, & convinci. Nam si nos Iudæi in aliqua parte mundi Regem & Principem haberemus, hoc esset de una sola tribu, scilicet Iuda, sed Deus definivit contra Iudam quod non esset super Iuda Rex ex illa in æternum. Vnde dixit Hieremias Propheta cap. 17. Peccatum [Hier. 17] Iudæ scriptum est, stilo ferreo in lapide adamantino, [F] insiliens super corda eorum, & id quod scriptum est stilo ferreo in lapide adamantino qualiter deleri expectamus, non delebitur in æternum præsertim cum Deus fortis, & gloriosus locutus est per os Esaïæ Pro- [Esa. 3.] phetæ cap. 3. dominator Dominus aufert ab Hierusalem & Iuda iudicem, Prophetam & Principem. De nobis etiam dicit Propheta Osee cap. 3. Erunt filij [Osa. 3.] Israel sine principe, & sine lege, sine sacrificio, sine [Theraph. Gen. 3.] ephod, sine altari, sine Teraphim. Nos scimus Domine mi, quod ab initio mundi fuerunt aliqui magni & sancti coram Deo, & in principio fuerunt longæ vitæ, sicut Mathusalem & Enoch, & cæteri, & nullum illorum extendit Deus vltra mille annos, & nos invenimus inter nos quod Messias sive Christus promissus nobis, fuit natus in Babylonia tempore captivitatis illius quæ fuit septuaginta annorum sed hoc tempus nostrum habet in ætate 1000. & 50. annos, quam fabulam & non prophetiam nullâ ratione possumus defendere, & tamen [G] dicimus & asserimus in Synagogis nostris, ubi nullus [Extranei extra synagogas.] commiscetur nobis extraneus. Sed audias doctrinam Christianorum publicam super Psalm. 86. Fundatam [Psalm. 86.] ad Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse qui est; fundavit eam. In verbis istis nominat Mariam dominam nomine civitatis, & dicit quod homo natus est in ea, & non dicit, talis Israelita vel talis ut intelligas quod filius Mariæ non fuit unquam in lumbis alicuius hominis. Et in secundo libro Regum ca- [2. Reg. 7.] pite septimo, hoc manifestè declarat, cum Deus dicit ad David. Quando compleveris dies tuos, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo progeniem tuam post te, quæ egredietur de utero tuo, & ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium: Sed nunquam fuisset possibile Domine mi, quod aliquis egrederetur de utero patris sui, sed hoc expresse ponit ad demonstrandum, quod Christus non foret concipiendus in muliere per semen decisum de lumbis viri, sicut cæteri homines, tam à David quam ab aliis descen- [H] dendo. Dicit etiam Deus per os David in Psal- [Psalm. 109.] mo 109. Ex utero ante luciferum genui te, ac si Deus fortis & gloriosus diceret de Christo suo, quod de voluntate sua, quod est Spiritus sanctus genuit eum, & non de semine dicendo, cum ponit ex utero, quia Christus natus ex utero sine virili semine præter cursum solitum naturæ, & hæc est vera doctrina Christianorum quæ non intrat in capitibus nostris, propter hoc evenit nobis illud quod evenit nobis. Describit etiam per eundem modum Christum nasciturum David [Psalm. 131.] Propheta cum dicit in Psal. 131. Iuravit Dominus veritatem, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Attamen Dei sumus.

***

Capvt

A

Caput XXVII.

Concludendo inducit aliqua dicta Saracenorum de Ieſu & Maria matre eius.

CErtè Domine mi , licet nobis non opponant Chriſtiani dicta Saracenorum præcipuè quæ traduntur in Alcorano & in expoſitionibus eius , ſcientes quod nos non reciperemus , ſicut nec ipſi recipiunt , tamen ad fatigationem noſtram eſſe & ad fortificationem credentium , ſi nobis opponerentur illa quæ dicuntur à Saracenis de Ieſu & de beata Maria matre eius. Omnes enim Saraceni dicunt quod ipſe fuit ille Meſſias quem prædixerunt venturum , & præponunt illum Mahometo eorum deo quantum ad genealogiam. Fatentur enim quod parentes Mahometi fuerunt idololatræ & pravi , ea ſemine Agar ancillæ. Et dicunt quod Meſſias fuit filius Iſaac & prophetarum & iuſtorum , & recta linea uſque ad beatam Mariam virginem matrem eius. De Maria vero dicitur ſic in Alcorano de familia Adamar , dixit Angelus Gabriël ad Mariam : O Maria , Deus te elegit & docuit gratiam , & præelegit ſuper omnes mulieres omnium ſæculorum , & poſuit te quaſi novum medium , dividens inter homines terrenos & Angelos Dei in paradiſo deliciarum. Dicunt etiam omnes Saraceni quod Chriſtus ſive Meſſias habuit à Deo poteſtatem faciendi miracula , ſanandi omnem languorem & infirmitatem , & eiiciendi dæmonia , & ſuſcitandi mortuos , & ſcivit omnia ſecreta cordium , & credunt omnia miracula Ieſum feciſſe , quæ Evangelium commemorat. Et hoc expreſſe teſtificatur Alcoranos ubi dicitur in capite prædicto , quod Meſſias ſcivit & ſcit omnia , & etiam ſecreta cordium. Vnde verba Mahometi fuerunt talia : Scivit Eiſe , id eſt , Ieſus omnem librum & omnem ſapientiam , & etiam totam legem Moſi. Et quid homines comedebant & bibebant in domibus ſuis , & quid reponebant in theſauris ſuis. Dicunt etiam de Chriſto ſive Meſſia , quod dum fuit in hoc mundo , contempſit divitias , & abiecit carnales delectationes nec habuit concubinas , quæ ſunt occaſio peccati , & cauſa inobedientiæ Item inducit in Alcorano illud verbum Evangelicum : Vulpes foveas habent , & volucres cœli nidos. Et hæc omnia licet ſint ſine autoritate à parte dicentium , ſunt tamen conformes , his quæ prophetæ dixerunt de Meſſia in primo adventu ſuo ut patet in prædictis. Dicunt etiam in Alcorano quod Eiſe , id eſt , Iesvs-Christvs eſt verbum Dei , & hoc ſcilicet eſſe verbum Dei , eſt Iesv-Christvs apud Saracenos quaſi nomen proprium , ita quod nullus alius homo vocatur in hoc nomine , niſi Iesvs quem vocant Arabice Eiſe. Dicuntur etiam in Alcorano ſic : Dixit Deus ad Eiſe : Ego ſum ſufficientia tua , ego levabo te uſque ad me , & purificabo te infidelibus. Conſidera ergo domine , quod gens Iudæorum propter captivitatem quam paſſi ſunt iam mille annis , ſunt enim pauciſſimi Iudæi comparatione aliarum nationum. Nam Saraceni multiplicati ſunt , & creſcunt quotidie. Fides autem Chriſti implevit totum mundum , nos verò ubique diſperſi ſumus à Deo noſtro , & ubique ſumus pauciſſimi , ſicut Ruben cui dixit pater : Non creſcas , &c. Nos autem non creſcimus , & illi creſcunt quibus inimici ſuper omnes gentes , & nil proficimus , teſtimonium multorum ſtat ſemper contra nos , ſcilicet , Chriſtianorum & Saracenorum , Alcoranus & Evangelium Chriſti , quibus nolumus credere , quamvis meo iudicio Alcoranos nihil valet cum manifeſtè contineat contra , ſicut ipſe noſti , & compoſitores eius , apparet evidanter quod utcunque ignoraverint Teſtamentum. Sed quid dicemus de Evangelio Chriſtianorum , ſuppoſito quod Chriſtus ſive Meſſias iam venerit , nihil enim continet contra Prophetas & legem noſtram , ſed eſt manifeſtatio omnium Prophetarum , & promiſſionis impletio , quæ in lege continentur ſumendo ſpiritualiter , prout continet doctrina Chriſtianorum. Nihilominus , Domine mi , ſuper his dubiis ad te recurro , maxime ſuper primis noſtris quæ habui à Prophetis , quia de Alcorani teſtimonio ſcio quod quaſi nihil reputabis , tu maxime qui Arabicum ſcis. Perfectè enim noſti , quia ipſe Mahometus qui dixit ſe Prophetam , nec ventura prædixit , & qui dixit ſe nuntium Dei , contra Deum eius ſcripturam docuit ut corruptus homo penitus ignorans.

[Margin: B Saracenorum fides. — C — Luc. 9. — D Eiſe. — Gen. 49. — Alcoranus.]

B

Explic. Epiſtola R. Samuël miſſa ad R. Iſ. ſub anno d. 1000. tranſlata de Arabico in Latinum per F. Alphonſum Bonhominis , ordinis Prædicatorum , ſub anno Domini 1339.

F

EPISTOLA DEODVINI Leodienſis Epiſcopi , de Corpore & Sanguine Domini , contra Brunonem Andegavenſem Epiſcopum , & Berengarium Turonenſem.

G

EX AVBERTI MIRÆI Bibliotheca Eccleſiaſtica nota in ſequentem Epiſtolam.

CONTRA Berengarium ſcripſerunt Adelmannus Brixienſis , Lanfrancus Cantuarienſis , Algerus Corbeienſis , Guitmundus Averſanus , & Deoduinus Leodienſis Epiſcopus : quorum opera in Bibliotheca veterum Patrum & alibi extant. His addi poterit Hugo Lingonenſis Epiſcopus , nondum editus quod ſciam. Cæterùm Deoduinus anno milleſimo quadrageſimo octavo Leodienſibus Epiſcopus datus , anno milleſimo ſeptuageſimo quinto vivere deſiit. Labitur autem Baronius in geſtis anni 1045. & alij , qui Deoduini Epiſtolam , contra Berengarium ſcriptam , attribuunt Durando Leodienſi Epiſcopo , quem anno milleſimo vigeſimo quinto , adeoque ante hæreſim à Berengario publicatam , obiiſſe conſtat. Error autem natus eſt ea littera D ſingulari , utriuſque nominis initiali. Cæpit autem ſpargere hæreſim ſuam Berengarius ſub annum Chriſti 1035.

H

Ex Bibliothec. Lud. Martelli Rothomag.

GLorioſiſſimo & invictiſſimo Regi Francorum , Henrico , Deoduinus Leodienſis Antiſtes , temporalis regni gubernationem ita moderari , ut in æternum cum Sanctis , ab omnipotente Deo , meritò debeat coronari. Fama ſupremos Galliæ fines prætergreſſa totam Germaniam pervaſit , tàmque omnium noſtrum replevit aures , qualiter Bruno Andegavenſis Epiſcopus , item Berengarius Turonenſis , antiquas hæreſes modernis temporibus introducendo , aſtruant , Corpus Domini non tam corpus eſſe quam umbram & figuram Corporis Domini : legitima coniugia deſtruant : & quantum in ipſis eſt , baptiſmum

[Margin: Bruno , Andegavenſis Antiſtes , hæreticus. Berengarij , Anabaptiſmus & alia Hæreſes.]

A parvulorum evertant. Quos ad revincendum ac publicè confutandum, eo zelo eoque fervore quo erga sanctam Ecclesiam divinâ inspiratione plurimum semper ardetis, aiunt, vos, Concilium advocasse, ubi tandem illud totius nobilissimi regni vestri (heu nimis turpe opprobrium) de medio auferatis, &, in æternum, si fieri potest, ab ipsa omnium memoria deleatis. O pia voluntas, &, verè Rege dignissima! quæ utinam effectum habere posset, ut in tanto sacrilegio convictos (quod certè facillimum est) absque ulla dilatione, debita ultio consequeretur! Sed desperamus id fieri posse, cum Brono existat Episcopus, Episcopum autem non oportet damnationis subire sententiam præter Apostolicam auctoritatem. Igitur omnes quicunque sumus filij sanctæ matris Ecclesiæ, in maximo dolore positi sumus.

Berengarij hæresis regi Gallia nimis turpe opprobrium.

Episcopū, præter Apostolicam auctoritatē, dānare non oportet.

B Nam plurimum veremur, si illis miserrimis & perditissimis viris audientia Sancti Concilij (sicut, ipsi de pœna securi, postulant) permittatur: cum de tanta præsumptione revictos, puniri minimè concedatur, gravissima scandala in omni populo Fidelium generari. Certè, quos videbunt impunitos, & nequaquam à sui gradus honore deiectos, eosdem putabunt ab omni Concilio aut vinci non potuisse, aut iustificatos esse: *eruntque* (ut ita dicam) *novissima, peiora prioribus.* Ergo maiestatem vestram omnes, exoratam vellemus, ut interim illorum impiam, sacrilegam, & nefariam assertionem audire contemneretis, donec acceptâ Romanæ Sedis audientiâ damnandi potestatem haberetis. Quanquam huiusmodi homines nequaquam oporteat audiri: neque tam est pro illis Concilium advocandum, quam de illorum supplicio exquirendum. Tunc quippe hæretici necessario audiendi fuerunt, quando & hæ ipsæ & huiusmodi quæstiones, utpote quæ nondum ad unguem discussæ fuissent, in dubium venire potuerunt, ut per congressum certaminis patesceret, utra pars astaret pro defensione veritatis.

Hæretici, ob potentiam, de pœna securi.

Gallici populi scandalū ob Hæreticos impunitos.

Mat. 12. 45.

Hæreticos ne audiat in Cōsilio, Rex Gallorum.

C Quod idem nunc profecto fieri non oportet, quia creberrimis Sanctorum Patrum Conciliis, tum etiam venerabilium Doctorum clarissimis sententiis ita omnia sunt eliquata, ut ne minimum quid resederit de omni fece dubitationis. Sed nos, ex multis, epistolari brevitate cogente, pauca exponemus, & primo ponemus exempla pertinentia ad Corpus & Sanguinem Domini. Ait itaque beatus Leo Papa: *sic sacra Mensa communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate Corporis & Sanguinis Christi ambigatis.* Item Sanctus Cyrillus: *non communem carnem*, inquit, *accipiemus, sed verè vivificationem, & ipsius Verbi propriam factam.* Ergo, si propria, quomodo umbra? Si propria, quomodo figura? Item Beatus Ambrosius: *Ne esset*, inquit, *veluti quidam horror cruoris sed maneret tamen gratia Redemptoris, ideo similitudinem accipis, sed vera naturæ gratiam, virtutémque consequeris.* Item ipse, in libro de Sacramentis: *quid hic* (ait) *quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine? Ante benedictionem, alia species nominatur, post consecrationem, Corpus efficitur.*

Hæretici non audiēdi, sed de illorū supplicio inquirēdum.

Hæretici quādo fuerunt audiēdi.

Hæretici, cur nunc nō sunt audiēdi.

D Item ipse, in eodem: *Vinum*, inquit, *& aqua in calicem mittitur, sed fit Sanguis, consecratione verbi cœlestis: pretiosum sanguinem bibis, ut nullus horror cruoris sit, & præmium tamen operetur redemptionis.* Et beatus Augustinus dicit ita: *in ipsa carne ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit.* Ergo, si ipsam, non umbram, non figuram, ut Bruno & Berengarius affirmant. Et in alio loco, idem ipse exponens qualiter dictum sit de David, *efferebatur manibus suis: quomodo* (inquit) *intelligatur in ipso David, non invenimus secundum literam, in Christo autem invenimus: ferebatur enim Christus in manibus suis quando commendans Corpus suum, ait*, hoc est corpus meum: *ferebatur enim illud corpus in manibus suis.* Corpus suum, dicit, non, sicut Bruno & Berengarius, umbram & figuram. Item Basilius: *O miraculum! Et Dei in nos benevolentia* (ait) *qui sursum sedet ad dexteram Patris, sacrificij tamen tempore, hominum manibus continetur traditurque lambere cupientibus eum.*

E Item Eusebius dicit: *verè unica perfecta hostia, fide existimanda non specie, nec exteriore censenda visu, sed interiore affectu.* Hilarius quoque idipsum testatur: *de veritate* (inquit) *carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus.* Plura præterea, exempla congerere possemus, nisi vitarem modum excedere. Nunc de Baptismo Parvulorum, ex libro D. Augustini de verbis Domini, pauca ponemus, ubi ille sic ait: *Parvulus ad verba aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur: Credis in Iesum Christum? Fit interrogatio: respondetur*; Credo: *pro non loquente, pro silente, pro flente; &, flendo, quodammodo, ut subveniatur, orante; respondetur.* Item ibi, *ubi* (inquit) *ponis Parvulos baptizatos? Profecto, in numerum credentium.* Rursus ipse: inter Credentes igitur baptizatos, parvulos numerabis, nec iudicare ullo modo aliter audebis, si non vis aperte esse hæreticus.

Eucharistiæ sacramētū, fide non specie æstimādum.

F De legitimo autem coniugio, cum novi & veteris testamenti multiplici auctoritate confirmetur, cumque non modo Christiani, verum Iudæi imo etiam Gentiles, legalium nuptiarum copulis fœderentur: unum duntaxat adversus Brunonem, & Berengarium, Toletani Concilij testimonium sufficere potest. Est igitur in constitutione eiusdem Concilij xvij. capitulum: *Si quis dixerit vel crediderit, coniugia hominum quæ secundum Legem Divinam licet habere, execrabilia esse, anathema sit.* Quamobrem Brunonem & Berengarium iam anathematizatos arbitramur. Quod si ita est; verè illis audientia Concilij deneganda est: & cum vestris nostrísque Episcopis (si vobis ita videtur) cum amico vestro, Imperatore; cum ipso Papa; quæ vindicta in illos statuatur, deliberandum. Est enim iustum, ut quorum manus sint contra omnes, omnium manus etiam contra ipsos excitentur.

Regi Gallorū deliberādum cū Summo Pōtifice, Principibus & Episcopis, quæ vindicta in hæreticos statuatur. Gen. 16.

G

F I N I S.

THEOPHILACTI
ARCHIEPISCOPI BULGARIÆ
EPISTOLÆ.

H A VINCENTIO MARINERIO, Valentino, de Græcis Latinæ nunc primum factæ.

EX TOMO II. DISSERTATIONUM P. Phil. Labbe S. I. in Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis.



HEOPHILACTUS, Acridæ in Bulgaria Archiepiscopus, in lectione operum Sancti Ioannis Chrysostomi versatissimus, non anno 860. ut Possevinus, Perronius Cardinalis & plerique alij, sed circiter annum 1071. vivebat tempore Summi Pontificis Alexandri secundi, & Romani

Diogenis

A Diogenis Græcorum Imperatoris, ut ex eius epistolis constat. Pervenisse quoque usque ad Pontificatum Gregorij VII. & imperium Nicephori Boroniatæ mihi exploratum est. Quo autem obierit anno, prorsus ignotum. De eodem nonnulla Sixtus Senensis, Possevinus, Baronius, Bellarminus, Miræus & alij.

Extant plura eius in sacros libros commentaria ex S. Ioannis Chrysostomi grandioribus voluminibus delibata, quæ passim reperiuntur & multoties fuerunt edita, nempe in quatuor Evangelia, in Acta Apostolorum, in Epistolas Pauli, & in quatuor ex minoribus Prophetis nempe Abacuc, Ionam, Nahum & Oseam, hic tantum eius Epistolæ numero 75. cum institutione Regia ad Constantinum Porphirogenitum repræsentantur. Vide Cardin. Baronium, tomo 11. anno 1071. & 1073. quibus locis observat Epistolas 59. eiusdem Theophilacti fuisse olim latinitate donatas ex Codice Vaticano à P. Iacobo Sirmundo B S. I. licet ab ipso non fuerint editæ; ubi etiam & alias affert quæ ab iis quas hic damus, sunt diversæ.

THEOPHILACTI.

Epistola I.

EGo quidem singulares illi gratias ago, qui me deformis ignominiâ calumniæ dilaceravit, Pansebaste mi opitulator. Quoniam ille, ut optatas tuæ amplitudinis literas susciperem, author mihi quidem fuit certissimus. Et hoc est, quod illa parœmiâ fertur, iræ scilicet, & bilis suum esse aliquando emolumentum. Quare ut literas manibus sumpsi meis, illud Danielis, in hac ego latâ periculorum fossa constitutus, & his quidem saturis & rabidis leonibus lætus protuli; Iam mei quidem Deus meminit. Quocirca C divinum me donum esse adeptum existimavi. Et non hoc pacto solum præclaras lætitiæ indui exuvias, quia mecum tu colloqueris, sed quia, ut ad te respondere possim plenam mihi facultatem obtulisti, osque aperuisti meum, quod antea, quodam veluti vinculo obstrictum immurmurans liberè loqui non poterat. Sed enim ego his impedimento sum, qui publica quasi manibus contrectant, & administrant. Ego etiam cum populo communi me esse iure facilè patior, qui etiam ita istum exhorrui Briareum, ut quidam cum astra aliquid portendunt, & indicant terrificum.

Omnes nam pariter studio prædantur eodem:

Et quod alicubi ipsi Deo, Abraham penitus interdixit, iustum, cum nefario, & impio simul evertit, & corrumpit, fortasse quia quæ peragunt, nullo sapientiæ, & iudicij spiritu exsequuntur, & illustrant. Si autem etiam aliis adversantem me obiecerim, non ita ego insano Margiten imitabor studio, ut æqualibus omnino obsistam:

D Hom. Iliad. vers. 130

Non etenim sapiens nimium, fortisque Lycurgus
Diu stetit.

Et quæ deinceps in ipso carmine sequuntur. Qui enim iuniores sunt, secum cohæreant, & ad tubur innectantur. Equidem videtur & hoc ita mihi evenisse, quasi furente dirâ hyemis procellâ, crebróque imbre, cuius instar, calumniarum mihi præcipites fluvij dilabuntur. Est enim nobiscum Dominus. Et nos effracta, & ingens aquarum pluvies obruere, & immergere nequaquam poterit; sed noster spiritus innoxius quidem, sævum torrentis gurgitem prætergredietur, & præcipuè his aquarum fluctibus abluemur, puréque lavabimur, & inde mundi apparebimus, & candidi, unde nos coinquinari spetavimus. Inter alia frater meus, ut necesse est, meam solertiam hanc, & subdolam versutiam, quam in paludis iura impendo, annuntiabit: & quomodo ego magnus quidam hoc pacto sim, & robore potens, & verbo E potentiæ cuncta perferens, qui omnibus præsertim despicatus sum, & omnium calumniis, & iniuriæ obnoxius, qui etiam quasi obturatis auribus torpeo, & penitus humili abiectus sum sede, & quasi obstrictis labris omnino conticesco, factúsque sum, quasi qui negligenter audit, & oscitanter obsequitur, omnis boni infeliciter expers. Dorsum vero meum urgentibus Isa. 50. flagris obieci, genas meas crebris ictibus obtuli. Et os ad obtrectandum, & calumniandum natum in me claudere ausus est nemo. Tuæ etenim erit altitudinis, sublimisque animi, illum, qui his confusis cornicum stridoribus, & variis Pharorum susurris præest, non suscipere, non audire, imo etiam in hoc, te, Deum imitari, omnia scilicet ut probo, & exacto iudicio & dicas, & facias. Qui omnia, antequam fiant cognoscit, & in hæc se demittens, *cuncta* inquit, *excutiam, cuncta prospiciam*. Ipse ergo te, sibi, quantum fieri F potest, similem, omni turpitudinis crimine seiunctum, omnique infortunij casu semotum conservet, atque tueatur.

DOM. MAGISTRO Ioanni.

Epistola II.

NEque mihi alti est otij requies. Etenim in nos, illorum, in quibus fuimus negotia, & rerum moles, quoniam illam nobis commiseram, usque in anxiam animi tristitiam irrepsit, quasi solum licuisset fieri, quod factum quidem non est. At equidem quia utrumque iam non est nostræ facultatis certè stultum est, & absurdum, quæ iam fieri non possunt indagare, & aggredi. Quare alterum solum nos conari decet. Inquam quidem, ut illo altero iam succusso, & eliso, te voluptati aliquantulum, & remissioni submittas. Sed si hoc, in illud aliud, studium, & amorem frangit, & frustratur, verè illorum potiùs eris, qui sibi nimis G indulgent, quam qui fratres diligunt, & qui ita eam legem sibi præscribunt, quæ proximum supra se ipsum amare, & colere constituit. Quasi legitimi amoris mensura nequaquam absolvi, & adimpleri possit, cum illi, ad æqualem, in nos ipsos, amorem, & studium, etiam in proximum aliquid ampliùs adiicitur. Et hæc ille à nobis exposcit, qui supra se ipsum, nos multâ prosequitur dilectione, hæcque illis manifestat, quibus ille usque ad necem, immanémque interitum obstrictus fuit, & obnoxius, ut nos faciliori vitæ modo ævum transigeremus. Deinceps qua ratione absurdum esse non iudicabitur, nos ab illo contineri, & separari, qui ita in nos fidem collocavit suam, ut ob illam in varia se pericula obiecerit: & nos tamen communi, & universorum Domino non fidere, & audacter, quod reliquum est nobis vitæ curriculum cum illo non absolvere, cum levior sit, Dei ope, cursus, nihilque asperum secum, & fleanusum, & obliquum conti- H neat. Ipse enim omnium nostri curam habet, qui & tunc propter illum, anxio, & solicito sese obtulit studio. Ipse quidem est, & non alius. Ipse pascit nos, nec ulla in re nos frustrabitur, nobisque deerit. Nonne enim Mose mortuo, Israel sine administratore, & Præfecto remansit? non & illum ut Ducem, & Imperatorem, typo Principis potentis habuerunt, & ut Magnatum ministrum, & comitem, & qui promissionis illius, in optatam & expetitam terram, qua Moses dignus non fuit, illis desiderium adimplevit? Nonne sublato in flammantes cœlos Eliâ, subitò Ellisæus duplici spiritu afflatus Propheta extitit? Credo equidem nobis in posterum, feliciori cuncta, quam antea, esse cessura eventu, ut discamus, non humanis cogitationibus, & conatibus, sed divinâ ope, & verbis potentiæ, vitam, quæ vix mente comprehendi possit, nos hic feliciter ducere, & hæc te, & alia plura

reputantem, & animo volventem tuo, meritò quidem supra omnem pusillanimitatem & formidinem gradi, omnésque abiectionis, & humilitatis rationes superare. Quæ omnia mihi, ut ex animi sententia evenerunt, supra omnem etiam, ille, calamitatis casum mihi perferre concessit. Hæc ita percipe, perhonorifice frater, neve altam tuæ cogitationis turrim, & tutam animæ sepem, stultorum tela furentia dirumpant, aut conterant, quibus, seipsos inani sæpe deludens studio, & nos hostiliter adoriuntur. Tu verò ut prudens, te ipsum firmans, & fundans, ad petram confugisti. Hæc autem petra Christus est. Spiritus equidem semper spirant, & flumina cœlesti aucta imbre effluunt. Ille igitur tibi maneat constans, & immotus, ita ut possis cum *Christo* gloriari, & dicere, *Anima nostra torrentem pertransivit.* Etiam & *anima nostra pertransivit aquam intolerabilem.* Deus autem ipse totius consolationis, Paracleti, & cum ipso æqualis spiritûs virtute afflante, te absolutissimè consoletur.

Ps. 123

DOM. NICOLAO Patriarchæ.

Epistola III.

NOn magis meritam, debitámque refero gratiam, quam consequor his literis, quas ad te mitto, sancte Domine. Has equidem efflagitavit à nobis, ad tuam sanctitatem, inclyte Frater, egregius Pelagonius, Episcopus, quasi quæ veluti hospitem illum ducerent in præcipuam tuarum virtutum domum, ad quam etiam ille iam præire speravit, & ardentibus eius, in tuum consortium, & familiaritatem desideriis, mediocrem tuo ipsius conspectu recreationem tribuere. Qui etiam ut illas suscepit, gratias retulit innumeras, & mirum in modum propemodum delectatus est, atque præsertim ipse nobis, quæ maioribus cupimus votis vel nullo gloriæ studio impendit. Quid enim mihi maius contingere potest, quam celerrimis literarum alis ad te avolare, etsi in hoc, quantum opto, mihi assequi non conceditur. Ipse equidem felix, qui tuum scandens montem, te facilè inspicit, & facie ad faciem divinam tecum pulchritudinem intuetur, & pene cœlestibus, sacráque mysteria sonantibus aures pascitur vocibus: quibus terrestres bestiæ, & ferina corpora, digna nullo modo esse censentur, quæ solum infera terræ pabula detondent, & cæco per terras cursu vagantur. Nos equidem decet, hoc veluti in speculo conspicere, & in ænigmate, & quodam dissito intervallo hæc audire. Hæc enim mihi literarum tuarum ad me congressus facilè impertitur. Nosti itaque quid facturus sis, nisi fortè in omnibus, tibi infelices, & infortunati sumus: fortasse verò nobis id iam impendatur in me spiritûs, & gratiæ tecum nudè aliquid posse meditari, & consequi. Preces ergo iam effunde, illas, quæ Deum flectere, & exorare facilè consueverunt. Quæ ita modo veluti coërcentur, ut parum absint quin quasi visibili quodam longè distent intervallo, & sepimento includantur, ne his qui te indigent, adsis. Hæ namque solæ, fortissimum nostrorum munimen scelerum, errorúmque murum expiare possunt & lustrare. Has itaque nobis largè impertire, & nulla adversa formidabimus, sive quæ nos improbos facere, sive quæ malis, & ærumnis nos semper afficere possint, ô sancte Pater, & Domine.

DOM. GREGORIO Taronitæ Præsidi.

Epistola IV.

TAcui, numne & semper tacebo? Conticui quidem, & plenum horum calamitosorum dierum oratorem, usque ad saturitatem deplevi, & irà ebrius, ut inquit Hieremias, in illà iacui veluti segni crapulæ sopore obtorpescens, ita ut ad omne verbum, & ad omnem sermonem nullum admoverim sensum. Nunc autem modico temporis spatio, iam quia cæcus vapor, quo squalidus somni torpor increbuit peracto, & soluto spiritu cessavit, & divini sermonis radiis, sacróque eius splendore iam turpis veterni gravitas evanuit, silentium pristinum depono. Quippe & ob aliam causam, tum quia tali ministro, & tabellario, perferendis, ad te, literis, utor. Sed iam tandem numne vales, qui & animo es invictus, & strenuo cordis robore cum nullo comparandus. Hoc quidem optimam corporis temperiem, illo verò spiritualium virium concinnam harmoniam, & compaginem manifestas. Qui etiam mentis ita polles lumine, ut nullà in re, ad opus manibus, tibi opus sit, & ad ea manus admoves, de quibus mẽs penitus desperat. Tu quidem solus humanæ naturæ potentià quadam quasi probatione defendis, nullà senescentium virium imbecillitate lassescere, neque ad virorum generationem languido, & effœto existere robore. Sed enim adhuc etiam vegetam, & floridam potentiæ vim tecum adferens, & pacis otio, & pariter horridis bellorum incursibus te parem omnino præbes, & quod vix vel in negotiis solertià, vel in præliis pugnaci pectore attingi potest, tu famæ, & admirationi habes. Aut, ut veriùs loquar, utrumvis ostendis in utroque victum. Certè autem mihi ubicumque exoptatus ades, quasi omnis boni receptaculum, qui omnibus modis summà ingenij dexteritate fulges. Iam equidem gentes constituis, & construis omnes, & virorum perficis conatus, & statuta, & alius cunctis efficeris Prometheus, benigno naturæ afflatu, & pacis, & tranquillitatis luto homines effingis. Aut cohortes constituis, aut earum ductores, & præfectos, edoces, & militum phalangas constituto dirigis ordine, & congressus tempus subindicas, & facile etiam Barbaris manifestas, inclytam Romanorum in bello disciplinam in te nullo modo extinctam labefactari. Te quidem ipso dignus es, & supra quod speramus, & petimus, tua gesta peragis. Si autem tuas nobis ostenderis literas auream verè nobis rerum culmen constitues. Te denique Dominus absque ulla improbitate, & ærumnà perpetuo servet.

DOMINO NICEPHORO Chartophylaci.

Epistola V.

NOn equidem ita parum elegans, aut omnino sordidus est, Sancte Domine, & Pater, neque ex dura quercu, aut ex picea tuus Theophylactus effictus est, & efformatus, ut inclytis sancti Gregorij virtutibus, & spiritûs gratiarum radiis non vincatur, non inflammetur, & ante hæc omnia, veneratione illà & severà gravitate, quæ illum vehementer exornat, non capiatur. Equidem & dulcibus huius viri Sirenibus sum devictus, & iucundum sermonis candorem, & concinnitatem sum admiratus, eiusque cum extrinsecus rerum conatus aggreditur, studium, & cum habitûs elegantiæ, & corporis ornatui curam habet. Quapropter nullà in re illius tamdiu unquam sum reluctatus petitionibus, & votis. Et semper paratus fui me totum eius subdere voluntati. Quid igitur est quod sum perpessus? Tu iam perpende, num magis circumspectus, & consultus fuerim, quam ignavus, & miser. Novit enim tua sanctitas quali vultu, quali spiritûs facie Gregorius subsistat, & quantùm in Ecclesiasticum ministerium, suà ipsius solertià, & ingenio indigeam, & ut minister, & socius fit mihi in sacris modulationibus, & ut chori magister in divinà psallentium concinnitate. Unum hoc igitur primum mihi munus concedatur, & donum, secundum verò quid fit, tu

potissimum

A potissimum nosti. Scilicet illos, qui monasteria, & alias Ecclesias, absque Antistitum liberâ licentiâ, & consilio deseruerint, non sine periculo posse suscipi. Quomodo igitur in Ecclesia mea hominem hunc, qui me in admirationem pariter, & dilectionem rapuit, potui continere, qui nec personali præsentiâ, qua constans ibi perseverare debebat, solutus fuit, neque Præfecti syngrapham attulit, quæ nobis plenam licentiam, & facultatem committeret. Non etenim novi, si aliquis ita est hominum, ut Episcoporum speculatores sunt, omnia confundentes, & turbantes. Tamdiu quidem regulas, & canonas circumspiciunt in angulis delitescentes, squalore, & situ cumulatè putridos, & detritos, aut cum in medium penitus sunt proiecti, superbo hos tunc pede & insano conculcant & evertunt. At vero cum Episcoporum, ad aliquod opus, B potentiam, & munus quæsiveris, tunc illos liberè dissolventes, & calamistratis crinium componentes cincinnis, & veluti deorum illos numero adscribentes, non aliter quam si summi spiritûs soboles essent, nobis penitus adversantur, & transgressionem, & licentiam amaro quodam insectantur studio. Ob hanc igitur causam, talem virum apud me non continui. Consilio autem meo illi præivi, ut quidem si opus esset, à potentioribus, & præstantioribus, aliquod suæ libertatis, & remissionis scriptum, præcipuè à Præside ultimum liberationis decretum impetraret. Etenim postquam ipsius scripto edidici, etiam ab his, qui ibi constanti morâ degunt, illum vel cum scripto non dimitti, penitus quid faciam non habeo. Cupio autem, neque id quantum mihi fas est dicere, hunc nostra in Ecclesia, cui præsum, aliquâ curâ prosequi, illique adiungere. At vero invidiæ timeo aculeos, & pessimas hominum consuetudines, qui tranquillum, & sedatum animum, improbo malorum flagello concutiunt, & devastant. Nisi tuæ sanctitati operæpretium videtur, ut ego sententiæ literas, quæ illum ad nos auferri præcipiant, & statuant, extraham, ut rationi consenta- C neum quidem iudicabitur.

Hic autem veniat iam ut hoc ad nos perferat, & libenti animo à nobis suscipietur. Si autem neque hoc æquitati esse consonum arbitraberis, sed tantum superiorum licentiam & authoritatem, ad huius dimissionem necessariam esse, extremo quidem conficiar mœrore, dum tali viro privabor. Et quod quidem rarum est Eunuchis morigeris, & simplicissimus, & hoc etiam inter alias contumelias, & incurias, quasi additamentum quoddam reputans, & perpendens, ad illum, qui cuncta tristia, perniciosa afferre potest, huiusque charam libertatem inducere, ut decens est, deferam. Cuius ope, ab huius sæculi ruinâ impendente, & casuum laqueis, tuis sanctis precibus custoditi, defendimur.

DOMINO GREGORIO
Camutero.

Epistola VI.

D A Page quidem diceres, ex urbe Achride nobis, & linguâ Archiepiscopi prolatæ literæ, antea certè non frequentes venerunt. Profectò nunc præceps literas mittendi causa urget. Non enim Archiepiscopi viro illi ignovit, circum quem varia Imperatoris negotiorum examina alto susurro semper immurmurant, & cui aliorum literæ, non minorem molestiam, & interturbationem inducunt, quam ad alios scribendi studium, & obligationem.

Vnde igitur hoc novum negotium, & importunum nobis extitit. Vnde? Ea tua, in omne bonum solertia, & dexteritate. Qui, quia tibi Deus, apud imperatorem multum posse concessit, non incassum, & absurdè, divino hoc uteris munere. Sed teipsum, dignum, qui maiora possis, & perficias manifestas il-

E lis, quibus, quod tunc tibi emissum est, ut Deo quidem dignum administrasti, atque talentis, quæ tibi cælitus sunt effusa, tuam strenuam industriam, & potentiæ facultatem mirè te, edoces exercere, ostendisque etiam quantum te deceat illud. Esto Princeps decem urbium. Quod à iusto Domino, & æquo gubernatore, dignis, & præstantibus viris dictum est, & commissum. Nam quod tuæ nunc est potentiæ, id totum nostro nunc Principi subdere, hoc quidem tantum est à ferreo hoc hominum genere, nostri temporis alienum, quantum aureo illi sæculo appropinquat, quod Hesiodus decantavit. Qui, quæ naturâ dissita sunt, & longè inter se discrepantia, novo quodam modo coniunxit, superbos scilicet morum fastus, & tenuem mediocritatem. Illos quidem ab improbis, & sceleratis omnino semovit, hanc vero iucundo quodam flumine probioribus effudit. Et illis demum in- F iustitiæ, & iniuriæ modum funditus abstulit, atque hoc probos omnes, & æquos in manifestiora commoda concitavit. Et omne quod attritum, & disiectum est mirè sanavit, & quidquid erat evulsum in se resarcit. Manifestè quidem ipsam urbem Achrida ita explicuit, & evolvit, vel quantum nulli esset invidiæ, & reprehensioni obnoxia. At igitur eiusmodi nobis moderatores, & Præsides constituit, qua ratione te ad maiorem, ex Deo, apud Imperatorem non provocabit potentiam, & ut maiorem urbium opitulatorem, & gentium etiam, propter hanc tuam in Principes electionem, & constitutionem summam, qua apud Imperatorem plurimum vales. Hoc quidem mihi linguam penitus dissolvit, & parum has benevolas aures, ad nostros sermones deflectere coëgit. Non enim oportere cognovi, tantum conspiciens bonum, atque ita peregrinum, quod propter te ad nos feliciter accedit, nec tuæ ingenii præstantiæ, & nobilitati, profusi, & concessi muneris manifestare notitiam, neque sermone aliquo educere, quantum opus simus consequuti. Equidem tum etiam alia, tum & ipse tuum ipsius iudicium G suscipis, & illud, quasi pulchram sobolem, ut pater, iucundè tibi adiungis. Et adhuc etiam maximè literis tuis alas celeres addes, ut ad ea, quæ fere eversa sunt velocissimus percurras, & ut illum, qui pulcher est, pulchriorem ostendas, & ut Nireum iam, & Achillem effingas. Si autem plus pudoris, & gravitatis severæ, aut Phœnici, aut Nestori, hic Achilles attribuere, à te fuerit persuasus, nulla quidem in re ille tantum Heroa ementietur. Tu autem iam omnino assignabia, quam vehementer, & immodicè, hi, qui nobis iam noti sunt, in te garriant, ut

— in sacros Iouis altis ungues.

Hesiodus.

DOMINO GREGORIO
Pacuriano, magni Dungarij genero.

Epistola VII.

H IGitur tibi audax ego videor, & nimiâ libertate effusus, Pansebaste, quoniam cum nondum te viderim, neque à te visus sim, statim me tibi monitorem constituo? Num me ob candidam simplicitatem nimis admiraris, quod opes meas, cum familiaribus meis communes habeam, & illas, quæ te magis decent, impertiar? Ego quidem secundum planè esse existimo, etsi quis primum esse aut censeat, aut constituat. Sed quidem ipse verè nullis flecteris exhortationibus, & monitis, & nullam vel rationis, vel colloquij quidem bonum nancisceris. Ego etenim inquam, quia hominum præfecturam nuper adeptus es, etiam animum tuum, bene affectum quidem oportere ubique ad omnia aptè conflari, & colligi, & pluribus oculis te omnia intueri, quam oculatus ille Argus bovem, eius fidei, & custodiæ commissam. In his autem hæc fabula id præcipue innuit, scilicet ne latenter ullum

Argus centum oculis.

A flagitium, facinúsque ullum, fonm ipsius typum in tuam ingenuam animam obsignet. Et in illa quidem iuventutis ardor, res quædam est nimis audax, & operi facilis nimis, & prona. Quando verò Imperij licentia, & potestas subest, tunc, ut dicunt, quasi districto ense obloquitur, & garrit. Sed tu sermonem tuum, rationisque vires, absolutas, & perfectas, & toi mensura ingentes, intra te ipsum includens, cuncta in maioris gloriæ materiam tibi parabis. Et iuventutis ferociam, & ardorem, acri potentiæ, & Imperij spiritu excutiens & deprimens, in operum egregios deflectes conatus, ardentem facem, & salutiferam his, qui pauperie immersi sunt, & obruti, erigens. Et te verò beatum iudico, quia nondum fere tui ipsius spectaculum, in huius vitæ theatrum obiecisti: ita quidem ipsum, in subditos, commodum, & utilitatem, ut facilem prætextum libertatis in magnom Imperatorem, & Dominatorem semper habes. Etenim probè B perpendat tua ingens nobilitatis magnanimitas, nihil ita Deo hominem posse commiscere, ut morum integritatem, atque humanitatis studium. Et hoc quidem mu um est nos nihil magnum, atque difficile poscere, sed aut solum ipsam naturam cognoscere, & affectus, & vires, quæ ab ipsa mirè exiguntur, & effluunt, postulare. Tu igitur mihi talem te proba, talique esto prædicatus nomine, & has potiùs divitias, & thesauros condes, quam ut alij varias talentorum myriadas, lacrymis, atque luctibus immixtas, & quæ ipsam oblivionem, quam in futurum tempos serum construunt, etiam nunc manifeste præferunt. Etenim te ipsum, quasi Deum, omnibus, qui benignitate, & humanitate indigeor, ita præstabis, & maximè his, qui privatim, & propriè sese Deo penitus noverunt. Ita enim maximè ostendes quantum illi inservire studueris. Quoniam & te multo etiam colit conatu, & tibi imminentia pericula prævidet, qui etiam multo C magis quam privatim, propriis famulis se gratum præbet, maximè salium animi affectom, & statutum in te præcipue manifestat. Sed iam omnem huius sermonis finem percipe. Invidiam in omnium oculos infiges, nec linguam calumniatorum obstreperam avertes, si nostrorum dierum legibus parueris. Iamque te bonitatis,& iustitiæ dator Deus, ab omni improbitate, & flagitio seiunctum custodiat.

OPHEOMACHO.

Epistola VIII.

QVid hoc est, etiam probus, & pulcher Ioannes in medium adductus est, ut cum Læstrigonibus, & Cyclopibus certamen ineat. Sic enim opera, quibus nomiois claritas, immortalisque paratur felicitas, hæc esse existimo. Sed iam quomodo alter astutus, & prudens Laërtis filius non apparebis, & vivam mentis Vlysses. aciem, quibusvis rerum fraudibus, variisque laboribus non oppones. Equidem Mercurius illud sacrum Moly tibi prorsus coosolit, & iam in omnibus se tibi D ducem mirificè præboit. Ne igitur sis sollicitus, sed hac huios potentiâ, hac sorte utere, & cum tuis sociis incolumis omnino evades, puppe illâ, mentis gubernaculo vectâ, & ingentibus illis, & egregiia, tuæ in Deum fiduciæ, opibus onustâ, quam in tuos subditos, ipsa tibi virtus gratulatur. Nunc etenim existima, te non aliter explorari, quam illos, qui in certamina Olympica proficiscuntur. Et utinam mihi contingat, amicum, & familiarem meum, Olympionicem esse audire. Confestim etenim in tuas laudes egregia concinnam epinicia, in quibus, nec inclytos Bacchylidas, & Simonidas, superiores mihi esse vix agnoscerem. Et fortasse ad Bæoti lyram, illa concinnarem, & pangerem, io quæ splendidior harmoniæ dulcedo, & argumenti elegantia prorsus affulget, & etiam in gravissimo cœtu audacter assurgens illa tibi decantabo.

NICETÆ SERRARVM Episcopi Doctori.

Epistola IX.

E ETiam tu, qui Evangelij veritatis interpres fueras, mendacio convictus es, aut aliquid aliud effecisti. Tua enim opera, non autem mendacia proponemus. Scilicet tuam rerum illam dispositionem absolutam quidem, & sapientissimam, quæ dulcibus laudibus, non aliter quam manibus, nostra puerilia pectora, & humi quidem devoluta, & fusa, ut tædio, & moroso tua opera effugiebant animo, eduxerat, & suavissimis, amabilis oris, osculis, & hilarissimo encomiorum concentu, tepentes oobis lachrymas detersit, luctusque asperos repulit. Ego quidem hac ratione opera enu- F trio, & alo. Neque enim te ita ementiri constituerim qui ad ipsam veritatem aliis dux ipse fueris, non magis, quam tenebris te involvi, qui aliis etiam face accensa prætocras. Neque ita nostra te multo aspernari ludibrio, qoasi illa quibus sunt constituta, penitus non videas. Tandem nec te talem existimabo, qui aliis auxiliari semper noveris, & ipso tu destituaris auxilio, & ut par est, in his, scilicet, quæ ab ipsa rationis potentiâ effluunt. Quippe cum hæc meritò reluctatur, & declinato effugit studio, perperam cuncta decerno. Aut in hoc solum improbi nobis nihil possunt vel iudicii evertere, & à veritatis scopo erroribus propulsare. Si autem aliquid profundius tibi meditaris, & propter hoc, multus in nostra encomia effunderis, uberrimam, & voluntariam dilectionis pluviam ab alto suscipiens æthere illud & in nos aliquantulum deriva, & explica, qui etiam altam Dei profunditatem, divino populo, sacro spiritûs flatu manifestas. Nisi quod præcipue ut horum dierum opera sunt, penitus aliena, & peregrina mihi illa videntur, quando, qoia G iniustitia, & scelera nimis aucto accrescunt cumulo, frigente, & pene extinctâ dilectione, nos mutuo rabido dente commordemus, & funditus devoramus. Atque etiam hoc mihi omnino difficile, & laboriosum videtur, non in laudatorem aliquem incidere, sed in maledicum modicum. Et ille nobis probus erit, non qui beneficia in nos contulerit, sed qui aliquid detrimenti, & noxæ nullo modo in nos deflexerit. Simpliciter quidem beatus est ille, non qui virtutis est divinus præstantiâ,sed qui vitiis, & scelere nihil secum dæmoniacum contraxit. Tu igitur sic te præsta, & felicitatis sic viam perage, & à malis penitus esto diversus. Hoc etenim decet quidem. Mei autem fratres, atque tui discipuli, hanc tuam mirificam honoris gravitatem amplectuntur,& colunt,& quod quodammodo diceres, te, ut tui legitimi deosculantur; & quidquid illis præceperis, se perficere, facilè tibi annuntiant. Atque hoc tandem nobis, & his deprecare, ut tentationes, quæ nos circumquaque distrahunt, penitus evellantur.

H

IO. OPHIOMACHO.

Epistola. X.

EGo quidem, hoc idem laboris in te sum perpessus ô pulcher Ioannes, quod lepores in ranas, ut fabulæ testantur. Nam reliquum omne tempus miserum, mei ipsius timorem, mollesque cordis desidias, semper deflevi, & propter has cava terræ penetralia mihi effodi dignum censui. Nunc quia te timidiorem inveni, cristas erigo, & ad te parum superbè gradiens, ut Salaminius ille Heros, cum fastu accedo. Quid igitur, ô vir admirabilis, ita, ad harum rerum conspectum exhortatus, cum nos harum strenuis fraudibus, dirisque calamitatibus obnoxij, etiam delectemur, ad quæ nos omnino imparari sumus nulloque

confilatis

A conflati, & effecti robore. Nosti quidem nostræ vitæ statum, & quo otio quibúsque incommodis nos deterat. Etenim solus libros redolet, & prisci moris statuta, quæ cum hoc novo vivendi modo, atque efficaci strenuæ solertiæ dolo, nihil mutuò inter se commune habent. Veruntamen pertuli, & constans permansi. Tu autem quo pacto effugis, & quasi improbus, & segnis miles in agmine, hæc post terga relinquis. Quare ad confusos curruum strepitus timuisti. Equi quidem nullum vectorem habent, nullo acri sessore superbiunt, nullo pugnaci milite horrent. Solum enim rapido cursu illa vehicula trahunt, nullis astricti habenis nullóque domiti magistro. Illorum motus tu siste, illis adversare, & statim à cursu cessabunt. Iámque blandienti sibilo in equos scandes, tuúsque equitatus sic erit incolumis. Nos equidem tibi Griphos, aut cœca retulimus ænigmata, & harum solutione rerum indiges? Aut te in labyrinthum adduxi, & tibi Ariadnæ filo opus est, ut probè ingressum, & exitum viæ calleas? Ego vero non id arbitror, nam

Bulgari. B ibi tu nosti, hos esse Bulgarorum conatus, hæc studia, quæ, qui Imperij sceptrum audacter ambit, quasi rigidi belli simulacra intuebitur. Deinde & illorum dominabitur, & hæc quidem omnia conservabit, & ipse, quantum in ipso erit, ut decet, etiam certum incolumitatis statum assequetur. Et hoc tantò magis, quantò sibi Deum opitulatorem habere conatus fuerit. Cui iusta opera magis cordi sunt, quam victimarum sanguis, ut Salomone docente didicimus. Quocirca & ipsi etiam placuisti, ô virorum mihi dilectissime, atque vtilissime, quasi te, ipse rationis cibus rectâ vivendi institutione, educaverit, & enutriverit, túque meas aures plenâ hilaritate perfuderis. Tuam verò propriam gloriam, quasi dilecti filij inclytam, Deúmque tibi iustum, semper habebis propitiatorem, & suam potentem manum, ad tuas ipsius preces inclinantem, téque ærumnis & casibus omnibus eripientem.

Prou. 21. 3. Psal. 50 Sacrificiũ Deo spiritus cõtribulatus.

C

DOMINO THEODVLO Metropolitano Thessalonicensi.

Epist. XI.

HOc solùm nobis consolationis est, Sanctissime frater, & Domine, his tam improbissimi sæculi diebus, vt scilicet mutuò possimus colloqui, & nostras preces, vt mutuum afflictorum & mærentium præsidium, in nostræ tristitiæ auxilium provocare. His autem præsentibus literis tuam egregiam sanctitatem blandè quidem compellamus; petimúsque vicissim vt tuum hoc summum adiumentum, quod tecum habes nostræ infirmitati, quasi cohorti tum debili, tum extremo laboranti periculo, veluti validissimum, & potentissimum opitulatorem emittas. Tuas inquam manus, quæ solùm compactæ, & firmatæ, sævum Amalec evertunt, & fundunt. Qui Dei famulis summo robo-

D re obsistit, & rectum itineris callem, æquámque virtutis viam dirè occludit. Nam omnia comprehendens compita, viarúmque meatus, Regale sacerdotium, quod potentissimum Domini est prædium, atque portio, deprimere funditus intendit. Non quidem ignoras quis hic sit, qui à principio iam fuit apostata, & excussa cervice superbos extulit fastus, totius scilicet mundi Tyrannos. Contra hunc quidem te vocamus, ô Dei homo, & vtinam iam eveniat nobis, & omnibus illius tyrannide pressis, & fusis, tuâ ope, planctuum, & mœroris finem posse aliquem invenire. Statim quidem ipse magno tuarum precum fungeris bono, non hac ratione solùm, quia, nunc communes nobis calamitatum perferens dolores, rursus etiam nobiscum nostro permisceberis gaudio, sed quia privatim multis tu ipse oblectus, & pervolutus tristitiæ spinis, indigebis & qui te illis eximat, & cum adfuerit, non parum tibi præbeat adiminiculi.

CÆSARI.

Epist. XII.

B DOmine mi Sancte, tuæ literæ, quæ læto consolationis rore perpetuo madent & stillanti effluunt solatij nimbo, quæ præcipuè nuper ad me perlatæ sunt, omnibus anxietatis, & timoris fluminibus pectus meum inundarunt, atque immerserunt, vt docuissent, te, corpore miserè, & malè fuisse affectum, & animam tuam terrificem mœroris, & tristitiæ Ceros absorbuisse, lamentabili illo interitu Sebastocratoris, qui citra controversiam, omnes, gestarum gloriâ conspicuus evincebat. Certè quidem statim illum perspexi verúsque apud Deum medicinæ, & salutis modum posse invenire, qui animæ pater est, & corporis conditor. Et hanc, vt filiam, suavibus lenociniis, & melleâ hilaritate, diris planctibus spoliavit. Et suam sobolem tandem firmabit, illi vltimum fulcra immittens potentissi-

F ma. Vtique in hunc oculos converti, simul anxietudinis, & tristitiæ flumen cessavit, retróque compulsum stetit. At vt in te magnanimum, & gravi mentis lumine splendentem conspexi, & congenitam animæ vim sum meditatus, protinus in arido mihi puppis constitit. Animo enim reputavi tuo, tuæ mentis magnitudinem infortunia quæque meliorum eventuum esse existimasse materiam, & miseros corporis luctos, memoriam quandam, vt quidem revera est, te merito ducere, atque ita te esse instructum, vt affirmares non omnia huic obsequi, cuius fluentem fluxum non possumus continere, etsi multum sapientiæ, & potentiæ robur toto conflaverimus conatu, ita vt hoc quidem enixe cogitemus, illa verò qualibet temorantia obstacula illi sedulò opponamus. Sed solùm impensius omne illi obiicere studium, ne totum dicam ministerium eorum, quæ nobiscum diviniora sunt, & in nos fortiùs dominantur, & quod constitorum est dominari

G prius eorum quæ ornatui nobis sunt, deinde eorum, quæ ipsum participant rationis usum, & quod nobis solùm stabile, & firmum habemus, & quasi ex interitûs experte, & nullo modo labili, & caduco constans, & immortale. At affinis tui Imperatoris mortem, (cuius sanctitatis virtutes omnes, & gratias, ego ipse potissimum sum expertus, unde planctu dignus, & perpetuo luctu mihi ille videtur, si alicui alteri etiam) illam inquam modo in expeditam animi promptitudinem accipies. Nam prorsus arbitrur te, iuxta parœmiæ sermonem, quo non minorem sapientiam habes, quam Regnum, operâ tuâ, in vitæ exitum, & ipsam tui corporis naturam disponere, atque parare. Et simpliciter quidem omne inconstans iudicium, quod solùm immobile, & stabile, quod in assiduo est motu, & lapsu volvit, veluti quosdam indices, & signa prævia futuri te esse existimare. Maxime autem nunc quasi quæ proxime præcurrant & vt propriùs loquar veluti iam facetu

H præferentem videas, illique pareas, quantum vel ipse, te nil tale sperantem adesse animadverterit, & ob hoc quidem magis paratum, & expeditum, ita vt nec tibi ipsi terrori, nec perturbationi esse potuerit. Ita & ego imperium tuum ratione certâ expendi & quàm sit eius magnitudo, sine vllo fuco, & arte simplex, quæ omnia, quæ amara sunt, & acerba, suavia sibi, & iucunda, & quæ deformia pulcherrima esse constituit. Ex illa autem ingenti inundatione, quæ multis, & rapidis anxietatis, & tristitiæ aquis accrevit, ne lutum quidem in anima mea relictum video. Nam veluti Sol omnia exsiccasti, & hoc solùm excogitasti in me quomodo videlicet ad omnes casus, dubiósque rerum eventus me constitueres. Quid enim, nonne omne iniucundum, & durum læto animo, vt est tui pectoris magnitudo, es suscepturus? Qui etiam sermones meos, etsi nihil habentes molestum, & acre omnium suavissimos esse voves. Atque fateris te, qui elegans aquila es, & sublimis, aspero cornicantis rostri strepitu demulceri, &

nostros

A nostros pisciculos, credis, cum meis sermonibus æquæ dulces effectos, appetitus sensos, qui ad omne aliud omnino demortui sunt, posse excitare. Tu autem quæ digna sunt tua sanctitate & loqueris, & excogitas. Te ipsum maximè extollis, & quibus aliquantulum te demittis, meam humilitatem penitus in sublime effers. Nos vero, neque sermonibus, neque operibus nihil delinimenti, & blanditiarum habentibus, nobis ipsi conscij sumus, nisi iam aliud nobis pisciculi instillaverint. Quorum hi quidem panes conditi sunt, hi verò panibus incocti. Et forte tibi hæc dissertatiuncula, & colloquium, quod hac Epistola nectoiucundum erit. Vel præcipuè tuo appetitui, & sensui, pisciculi valde fuerunt suaves, quasi munus, & sacrum beneficium Virginis, quæ vitæ datorem nobis in cur- B pore peperit. Hoc quidem reviviscere facient, & corporis vires, & robur erunt, illud in constantem efficacis operæ naturam adducentes. Quoniam & horum numerus, cuiusdam naturæ perfectioris symbolum est. Siquidem denarius summa est perfectio. Et ipsa quidem natura, ob obiectam materiam, quam in quatuor elementorum meditamur compagine, pentade constat, & quinaria esse fertur, & omne id est, ex quo, cuncta, quæ in nobis naturalia sunt, componuntur.

SEMNARVM EPISCOPO.

Epistola XIII.

EQuidem hoc cuperem, & multò quidem utilius esset, Vir sanctissime, si aliorum morte, & cædibus, qui infligendis plagis, & cladibus inhiant, in maiorem in nos humanitatem & mansuetudinem adi- C guntur. Nunc autem ita flagitiis nefariis, & sceleribus sunt indefessi, & effracti, ut ipsis plagis, quemadmodum ille Ægyptius ad mala sæviùs recrudescant & exasperentur. Et nondum hoc illis satis, ad strenuitatem est, si domesticorum, & proximorum cædibus, sed iam si suis ipsorum casibus. crescant, & quod dicunt etiam plures feras, postquam vulneribus variis effossæ fuerint, maximè nec sibi ipsis. parcentes, ad truculenta vulnera, animosiores insurgere, & ingruere compellunt, ac si quia mortem fuerint passuræ, ipsus adversarios pertimescerent. Si verò mihi concedis, quod (Herodes Antipater.) de Antipatro Herode historiæ referunt, facinus fuisse aggressum sevissimæ morti obnoxium, & certè illius feritate dignum. Nam cum omnes Iudæorum lectas cohortes congregasset, & in Regiam aulam invexisset, confestim omnes, quasi victimas, & sacrificia mactavit, ut, inquit, nulla Iudæorum domus, si à luctu quodammodo cessaret, in meam mortem, lætantes ederet plausos. Talia quidem hisce diebus, hos Herodianos, & hæc ferina corda reputare, & excogitare arbitror, & excitatos & compulsos irritari, & sævire, & etiam vel defunctos penitus, & terræ abditos sulcis, vitia, scelera, & immortale flagitium manifestare. Qui & quantò propiùs prævident divina accedere flagella D tanto plures vastare, & diripere conantur. Vt quam primum illa decesserint, neque proprium ipsorum interitum videant, neque hoc modo illudere, & irridere possint, sed & omnino illud confusionis truculentæ tempus continere illi, quos perpetuò ingemere, & diro mæroris tabo confici statuerunt. Si quidem quendam Dæmonum speras, aut hoc pacto persuasum, aut ipsa divinæ bonitatis administratione coactum, & deflexum, quam sibi constituerit cladem immutare, etiam sperare potes, hos nostros acerrimos tortores, severioribus variæ sapientiæ viribus, asperam posse vindictam mitigare. Si autem illud fieri non potest quomodo hoc posse effici pernoscam, non habeo. In his etenim omne flagitij genus, vitiique robur, ipso corporis habitu accrescens, iam naturæ vires suscipit. Quemadmodum ex eorum operibus intelligimus. Nisi quod nos fas est facere, quod nos decet. Quippe facilem operis exitum, & emendatos mores ab il- E lis semper precari. Etenim postquam Dominus Iudæ renes scrutatus fuit, & illum nulli obnoxium correctioni invenit, non tamen cessavit bonitatis suæ, & clementiæ munera illi emittere. Ne igitur tu etiam cessa in hos aliosque, quos infirmos noveris, orare, cunctosque in compensationis æquale munus, & opus deflectere, si quando supra spem totis manibus lapidem traiiceremus.

CITRI EPISCOPO.

Epistola XIV.

F VEre quidem hoc spirituali robore, & spiritualia, & terrena, & omnia, quæ sunt in omnibus Deus occupat. Te quidem ipsum circumspice, Augustissime Domine, hæc quidem quæ in nostram vilitatem, tenuemque naturam sunt emissa, etsi terrena sint, nescio quid secum spirituale, involucro quodam innuere videntur. Nam unguentum ex odoriferis rosarum guttulis instillatum, in duabus vitreis amphoris emissum, huius me compaginis, & ossium structuræ admonuit. Vt si corpus, & animam Diaphana, & perspicua quædam, ut vitrum, ille effecerit, hæc vasa effusi, & evacuati in nos unguenti constitueremus. Nosti autem omnino hanc quasi guttam, super terram stillantem, cuius quæ astricta est, & solida pars, suavi fragrans est odore. Est enim naturâ conservandi prædita. Et pars bonum spirans odorem, stipata est, & condensa. Non enim dissolui potest. Nam iugum quidem habet, sed commodum, & utile. Etiam & pondus habet, sed leue, & suave. Et porro in dulcem inducit thalamum, sed per angustum viæ callem. Et lætitiâ nos gestire iubet, sed trepidos nos G & pavidos constituit. Ligna vero illa odorifera, frustra ita & abs re, à tua spirituali scientia sunt emissa.

Sed nimis nos ipsi etiam desides essemus, & inepti, nisi hoc in loco aliquid spirituale comprehenderemus. Quatuor etenim cum hæc ligna sint, quid aliud, quam lignum, in quatuor dissectum partes manifestant, quod omnium nostrum salutem mire perfecit? In quo Paulus glorians, & nos qui *Christi sumus*, carnem, (*Gal.* 5. 24. *Rom.* 6. 6) cum humanis affectibus, & cupiditatum illecebris crucifigere suadet. Insigniter itaque nos edocuisti, decere quidem, cum omnibus, huius mundi voluptatibus, & incunditatibus nos ipsos crucifigi. Sed forte aliquis urbanè diceret. Hæc quæ missa sunt, in se ipsos verè sunt emissa. Nam iuxta numeri mysterium, ut dictum est, nos in hæc mundi pericula, & imminentia damna crucifigi docemur. Maxime autem cuncta summo Deo referre, & talium rerum contemplatione, in ipsius veram cognitionem venire, qui, & si aliis ignobilibus lignis, tamen ob fragrantem odorem, tantum honorem impendit. Et plura quidem quæ scribam, habui, scilicet, quæcunque perspexi te, ob ea, quæ iam missa sunt, meam humilitatem, & abiectam naturæ conditionem edocere. Sed quod H mihi emolumentum est, quæ utilitas, hæc mente evoluere, & nullis tamen exequi operibus. Tuis autem precibus & intelligere, & quod opus est, absoluere facilè consequat, & meam ipsius vitam, vitæ odorem habentem, non autem cæcæ mortis, vago gregi qui meis insistit vestigiis, qui in me oculos figit suos, exhibere. Quod præstare nunquam cessabis, qui in nus præcipue ad hæc semper es expetitus.

CAMATEROPVLO.

Epistola XV.

D*Efunctorum etsi immemorem Plutonis in antro:*
Veruntamen ego defunctum amicum debitâ

[A] gratiâ, inter eos, quos ipse reliquit, perpetuò prosequar. Nimirum terque quaterque beatum, & eximium [Psellus.] *Psellum:* qui citra controversiam linguæ suavitate primas tenuit. Huic equidem ut fas est, quas nemo enarrare posset, neque posset referre, debeo gratias. Multa enim edidici, ex tanti viri Musa utilitatem decerpens non vulgarem. At quia penitus non babeo, quo pacto huius suavitati gratum, & beneficum me præbeam, ut decet, ob tuam tamen in nos dilectionem, & integrum amorem, aliquam grati animi significationem ostendam. Qui enim nostras bas præsentes literas, tuis splendidissimis committit manibus, illius quidem nepos est, & acerbo fati nunc depressus casu, ultimis fere calamitatibus affligitur. Quomodo itaque cum hoc asperam, & tyrannicam fortunam reconciliabis. Nam nisi solùm conspiraveris, & Huic quidem illa [B] arridebit, totamque sa circumfundet, & alicubi huius sortem in suum ipsa sinum inducens, bona cuncta huic accipere indulgebit At ne existima, me aliter, quam hac pietate obstrictum, hæc ad te scribere. Etenim neque sermonis fructum perciperem, nec illo consilio tuo, quod in animæ meæ salutem impendisti, fungerer, nisi hæc ex intimo cordis sensu ad te scriberem. Huius enim adolescentis misereor, quasi iam pridem inter beatos illos conspicerem. Etiam & huius avi animam timeo, ne forte mei cordis asperitatem, & immitem incuset, duréque increpet mentem. Nequeo etenim dicere, quantum infaustos hædos, benignitate, & humanitate in iudicio superabit. Si etenim mihi per somniũ appareret, & linguam duodecim effluentem scatebris contrectaverit, etiam num existimas, me tanti timoris spectrum, horridumque simulachrum, & sine stupore, & tumultu sustinere? Si verò in alios [Psalm. 134. 21.] ipsum Deum insinuaret, & proponeret, iuxta Davidem, & si defunctum, magnæ tamen Hierusalem protectorem, & si secus quam eius dignitas postulabat, [C] vel siquidem & sine aliorum cædibus fuerit. Sed quid ad hæc quod de illius Gratiarum venustate, & fulgore credam, & ipsa æquitate & divino Dei numine, & dulci Pselli linguâ constrictus. Sed iam ab his me custodi, & defende fati necessitatibus, & hunc tibi submissum, & subditum, quadam in servitute constitue. Nam cum harum multæ tibi delatæ, & expositæ sint, facilius erit, si hoc non magis decuerit, hunc, tantis compressum cladibus, aliquo subsidio, & emolumento, à te cumulatum nobis restituere. Non enim quæ ad viam necessaria sunt, te, in arctum deducere, & in angustam rerum orbitam devoluere poterunt. Deus itaque te, & sceleris purum, & malæ fortunæ detractum casibus servet.

ANCYRÆ EPISCOPO.

Epistola. XVI.

Non equidem cum sapiens sis præses, in hos (ô [D] mores!) temporum lapsus, linguam vinculo cohibes, quæ etiam podagrâ linguas devincire, & constringere permittit. Ita quidem omnia in peius ferociunt. Sed non hoc etenim, neque sub hoc tempore innovatum est, neque ipse ita malè es affectus. Verum colloquia quæ in nos habes, omni religione solvit, quibus etiam cum fratre nostro familiariter uteris illumque impellis, miréque instruis in hac via, per quam in sacram philosophiam conscenditur. Hoc ita percipio, & omni, quod in nos habes colloquio, iucundius & suavius censeo. Quodammodo igitur assiduam cum adolescente familiaritatem, & colloquium conferes si est tibi curæ, nos crebrius summo afficere gaudio. Fruatur itaque ille communibus tuæ sapientiæ crateribus, & lautis sacrificiorum conviviis, cum reliquis, qui secum non absurdè lætitiâ desipiunt, comiter excipiatur. Volo autem hunc modo, & privatim his commissum sapientiæ, ab illo saltim hoc consequi, quo aliquod lucri habeat munus, ut vel etiam [E] aliqua sibi gratia referatur. Quoniam & matres, ut aliquem ex filiis seorsim singulari suscipiunt studio, mellitis illum deliciarum blandimentis fovent, dulcéque leniunt. Vis forsan, ut huius, quam loquor rei, rationem, & specimen præbeam? Quantum Theophilactus à te, reliquis, in amorem, & amicitiam prælatus est, & antepositus, tantas privatim fratri debes rependere gratias, tantúmque supra alios Theophilactum tibi charum habere. Alium & tibi rei ostendam modum. Qualem me volebas esse tuo Paulo, cum illum sapientiæ mysteria absoluto studio edocebam; talis tu meo Demetrio existe, qui philosophiæ studio, te docente, initiatus, & instructus est. Denique utinam læto salutis spiritu diu vivas, hominum mihi gratissime.

CERCYRÆ EPISCOPO.

Epistola XVII.

[F] Quodammodo diceres, nos iucundè, & hilari animo tuas literas suscepisse, Inclyte Domine. Etenim cuncta, illarum occasione, & opportunitate nobis pulchra, & suavia visa fuerunt, & maxime verò oratio. Oratio inquam, quæ tantæ est mentis, & sententiæ germen, tantæque linguæ soboles. Nam cum in summâ animi anxietudine versaret, pharmacum mihi illud, quo profundus oblivionis sopor inducitur, effudisti. Cumque aridâ arderem siti, dulci ex petra, liquore, in siccas, potiùs dulcedinem, fauces emisisti. Et quasi divini interpres Paracleti, meam animam doloribus aliquantulũ affectam, & fixam recreasti, & dulci consolatione evexisti. Nos enim supra quam dici potest, gravi conflictamur rerum mole, ita ut penitus nobis horrentia immineant bella, intus vero timores. Hostes etiam in nos superiores evadunt. Et amici, & propinqui ita in nos se habent, ut hi penitus nobis adversentur, & illi quam remotissimam humanitatis, & benignitatis opem nobis obiiciant. Sed enim [G] qui humiles, & abiectos consolatur, quique illis, qui lacero corde, & disrupto pectore atteruntur, medetur, nobis etiam solatio fuit, quibus & familiarem se præbuit. Et ros ille tuus divinitus stillans, medicamentum nobis salubre extitit. Gratia ergo sit misericordiarum Patri, & Deo totius consolationis, quoniam his tam infaustis, & pessimis diebus, & hoc tempore hostium irruptione ferociente, & infesto, tuam sanctitatem nobis paternâ dilectione cinctam, & ipsis *Iesu* visceribus quasi incoctam, & probatam indulsit Ne igitur elassescas, Dei homo, illam qua apud Dominum dives factus es, sapientiam in nos deflectere, & thesaurum illum egregium, quem in fictili, & luteo vase, hoc [2. Cor. 4. 7.] abiectæ humilitatis corpore habes, indigentibus largè suppeditare. Vt neque incursus hostiles, in quibus præcipuè Archiepiscopi muneris robur totum positum est, neque immensa potestas, forensque vis, à suis incruentibus fluminibus usque ad ultimos maris terminos protensa, me turpi deprimant ruinâ. Hoc enim satis, superque stipati sumus. At excessus huius, & copia, ex quo profluat iam didicimus. Illius vero [H] causa, ea est nobis impotentia, & infirmitas, ut facilè cohiberi, & cogi possit. Equidem curarum inundatio, & irruptio, & dura calamitatum invasio, & irrita consternatio animi, & nunquam infortunatis dierum malorum casibus mansuescere, hæc quidem mihi ossa, ipsasque medullas absumunt. Sic enim præcipitanter fugientibus leonem, ursus nobis occurrit, & in nos, qui hunc vel cursu vitare nitimur, & qui in tutæ domûs septum manus firmare studemus, lethifer anguis, ex foramine insidians erumpit. Qui maximè in me graviores infert dolores, malaque molitur. Sed hæc quidem & toto conatu respuere studeo, ut vel parum, cordis mei pondus levius reddam.

Sed tamen hac animo tandem sic † perfero forti. [† Homero frequens hemistich. Ps. 18. 1.]

Ori

A

Ori quidem meo custodiam & seras constituo, quasi adversum me peccaturem cunctarem, ne mihi penitus aut nomen, aut magni sacerdotij opus, vitiu, & probro verratur. Epistolæ enim modus, ut nosti, loquax est, nec se silentio ullo potuit continere, quoniam à sodalibus sacerdotibus, & Episcopis, qui populum iudicare, & dirigere videntur, in nostram afflictionem, & interitum, laquei, & inextricabilia retia intenduntur. Tu verò venerabilis pater, & Domine Deum precare, ut nos quidem, quæ inter falsos fratres, pericula pertimescimur, fugiamus, & ut illi ipsi, ex cæcis diaboli plagis, cui adscripti sunt, dilabantur, & ut omninu dlum pudeat in nos adversa quæque proiicere, & ut Deus prorsus, summis gloriæ laudibus celebretur, cuius gratia cœlestis tuo in spiritu fulgeat. Sancte, & divine domine.

B

MERMENTLARVM EPISCOPO.

Epistola XVIII.

Ad S. Scripturæ invitat post profanos scriptores lectionem.

S*Vm mortalis ego, cur me immortalibus æquas?*

Sed tibi quidem vel amiens, & mendacem te esse concedit. Qui interea ipsam veritatem claris Themidis responsis, & decretis, quorum tu es interpres & præses, semper exerces, & dores. Nos autem in acie belli, in qua constituti sumus, decet permanere, aut decuriones assignari, aut, ut tuum est beneficium, & gratia, triginta virorum Præfecti. Militum Tribunatus, & exercitus Præfecturæ decus, solum audimus. Tu igitur Longini iudicia ne mihi imponas, neque videaris ipse iuxta Longini sensum, aliquid decernere.

C

Tantùm enim nunc, nostrâ ipsorum potentiâ, nostrisque viribus inferiores sumus, quibus olim potentes, cunctisque fuimus longo præstantiores intervallo, quantùm tunc ipsa priscorum facultate, & opibus vincebamur. Neque enim hæ regiones iam me statuunt edocere, & ipsos libros furentes † Harpyæ subverterunt. Manus vero exactorum, non minus omnem lectionem detrahunt, quam illæ Phinei cibos deturbarunt. Ipsos itaque Peripateticos in Academiam traiice, & in variam Stoam, nobilémque eius pulchritudinem emitte. Tu vero per Ionica viridaria, luxurianti illude pede, & blandos borum Zephyros, emissis suscipe afflatibus. Decerpe etiam fragrantes Iliadis rosas, quæcunque tibi, ob earum dulcem odorem, fortè placuerint. Et Tragici quidem Theatri inspector asside, & Comicâ scurrilitate collude. Neque Bucolicam recusa fistulam, quæ strepitantes lapillis fontes, & mutuos frondentis pini susurros, & alia quæcunque diverso concinna cultu effingit.

† Harpyæ.

Homeri Ilias.

D

Nisi quidquid in hoc, amotis involvitur lusibus, tuis suavibus Musis respuendum videatur. Tu verò interea etiam & his omnibus, & multò his omnibus præstantiore partu illo, qui sacris tuum animum fulcit stabilimentis, te enutri. Qui olim de cœlo descendens illos, qui per malorum, & ærumnarum desertum gradiebantur, fovit, utráque recreavit iucundâ, & nunc etiam nutrire & potest, & refertur. At ne ad hæc, Mosaicas illas legum tabulas curiosiùs appone, sive quod extrinsece ibi referunt usurpans, sive quod intra se innuunt, pervestigans. Hoc denique nitere, ut Propheticas visiones mirabilésque illas imagines, quasi res, quæ fieri potuerint, attento mentis contempleris lumine, & rerum cognitione, & historiâ, quæ te, quasi manuducat in rerum antiquarum veram imitationem, vestigia certa in id fige. Etiam adhuc splendentem gratiæ solem intuere, & eius micantibus radiis, quoad liceat, fungere. *Gregorios* illos, *& Basilios* imitare, & beatum horum cœtum, divinúmque chorum insequere, & horum quidem omnium affluentibus bonis tibi lautè oblectantia convivia appara. Nobiscum vero precare: etenim nolle vocem in me ullam emittere probro verti. Sic penitus pessime id effeci. Tandem tuam exoptatam faciem videre studeo, & illum tuum dulcem, & mellitum audire sermonem, quem omnino ante omnia admiror, ô vir & opere, & ore mihi splendidissime.

Exod. 16 & 17.

Gregor. Nazian. & Nyssenus Basilius Magn.

E

A N E N I O.

Epistola XIX.

Morbi medela sermo blandiens sono:

Q*Vam suave munus advenis in tempore!*

Hæc Orestæ cum sint, ut nosti, charissime mihi anime, in te, parum hoc illudens carmine cuncta deflecto. Vis etiam ut & tibi illud Comici referam, scilicet, *Quam gaudeo, quam delector, quam gestio lætus exsilire.* Sed ad quid hoc pingui peccatorum oleo, meas literas inungo? Decet quidem illius solùm donis nitescere, quæ cælesti pulchra oleo pinguescens dixit: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo.* Quoniam me gaudij veste, & stola gloriæ, pro spiritu tristitiæ induit me. Etenim *saccum meum disrupit, & me lætitiâ circumdedit.* Quoniam *inimicos meos terga vertendo in fugam coniecit, & illos, qui me odio persequebantur, internecioni dedit.* Et nostram hanc humanam naturam, palam, illis, quos attrivit, & effregit mundi ærumna medentem emisit, & infirmos, & fragiles undique circumspectantem, & omnibus omnia in salutem obtendentem. Sed eia, euge, quoniam nobis † malorum expulsor exstitisti, quasi hæc cuncta nobis iam deplorata, & desperata fuerint. Etiam Lysias dixit, pessimam Principum conditionem in summum iam pervenisse fastigium. Et nunc quidem Castrorum metator cunctas miserorum opes diruit. Atque vectigalium redemptor nunc etiam nostram ipsam humum cribrat, & eventilat. In quibus tertius est, cui vel alter Pharao ipsa appellationis affinitate est simillimus. Nam autem novi, si his iam prædictis, quomodo aliquid esse possit tolerabilius. Sed nunc iam ab alto, vigili sunt requisiti speculatione, & prospecti. Et ipsa ratio ipsis præibit, dúxque erit, si ego mei ipsius, & suavissimi Nicolai nondum oblitus sum, exultabunt quidem, pro his diebus, in quibus abiecti, & depressi fuerunt, impendentibus malis, quæ diu noverant. Hoc quidem ipsis eveniet, & ego futurorum illis bonus prænuntius ero.

Eurip. in Orest.

F

Luc. 1. 46

Psal. 29. 12

Psal. 17. 41

† ἀλεξίκακος. averruncus.

Lysias Orator Græc.

G

MERMENTLARVM Episcopo.

Epistola XX.

H

H*Oc breve tempus, quo tacuisti, centum annorum spatium, scito, mihi videri fuisse.* Sic enim ego tuum amo sermonem, ô omnium mihi illustrissime, & tuæ præsentes literæ, ut splendidi solis mihi Phœnix existunt. Sed ô felicissime, ne mihi hunc Phœnicem, quod Ægyptiis rarum spectaculum est, illas esse existima: sed solem ipsum imitans, illum veluti quotidianis radiis, literis tuis illustra. Imo potius diem mihi longiorem emitte. Quippe noctem penitus mihi absconde. Non enim in diuturnas noctium moras, aliquid mihi causæ prætexe, aut tuam ipsius veritatem, iniquâ cohibe contumeliâ, dum & illis mihi satisfacere, & literis, quas ad me mittis, facile potes. Non enim magis illi Homerico Pæoni, in horrentia bella, quam tibi, in dulce eloquium, ingenij dexteritas inest. Qui suavius & pulchrius inelaborata, & tumultuaria opera promis, & spiras, quam qui multam olentes lucernam suas producunt lucubrationes,

Phœnix, avis.

Homer.

quas

A quas veluti calamistratis cincinni globolis perpoliunt, & eborneo discriminant pectine, & splendenti sapphiro illis inaures appendunt. Et tunc quidem apud ebrium, & insanum theatrum admirationi maximæ videntur.

Hom. Odyss. γ. v. 1.

Phœbus at occiduus pulchram subit axe paludem.

Et neque ipsum Orientem inspicimus. Si autem ad tuorum sermonum partus, tibi opus est, temporis, & eius circuitûs intervallo, veræ quidem raræ, & tardæ literæ, tibi temporia rationem babent. Quia vero aureas, sobrij tui oris valvas aperiẽs, vaticinaris *** inspicis quidem quo pacto meum candidum amorem inmeriâ afficias, qui ipsius sacræ Themidis es inspector. Sed iam tu ne in posterum talis esto. Tuos vero lætos & flantes Zephyros,

Iliad. ω. v. 658.

Ipse mihi miseros spiranti corde dolores.

emitte. Nosti quidem nostram imbecillitatem, & maxime qua nunc premimur, quando Dominus nobis tam clarius exoritur, qui terribili fervet flammâ, quique vehementem in nos æstum emittens, omnem illum humorem, quo vitæ halitus pessimé nutriebatur, penitus B consumpsit. Sed enim hoc quidem, quod solùm babui, Iambicis versibus expuli, multas interim Elegias totum per annum concinere coactus. Tu vero quia mala meditans, illis, qui nos nequaquam dimittunt, illucebis, nescio quidem an ob necessariarum rerum ambitum, quo nunc circumducimur, aut quia peccatorum horror, in ipsum Dei conspectum ascendit. Ne tamen desiste & alacrem illam promptitudinem, quam in nostræ animæ recreationem & regimen impendebas, semper exequere. Ita autem neque te ipsum blandi prætermittent Zephyri, quam prius bonus odor, vas aromatum multitudine refertum.

A NENIO.

Epistola XXI.

MEum mihi somnium enarras, virorum mihi desideratissime, me in media Bulgaria barbaros, & rusticos mores eredens imitari. Inspice enim quantum C ego rusticitatis, & feritatis craterem ebiberim, qui tot etiam annos ab ipsa sapientiæ regione, & sede discedo, & quantâ insipientiâ veluti ebriam contraxerim crapolam. Sed enim quis nobis concederet ex dulci sapientiæ cratere, è contra divino imbui falernu, & sacro insanire liquore, quem illa, apud Salomonem
Prov. 9. 5
immiscet, & cordatos, & prudentes illos iudicat, qui illo amentes usque persistunt. Quoties autem ad hanc & illud canticum dixi. *Ostende mihi vultum tuum*, tuámque vocem meis iniice auribus. At hæc ne quidem effugit, & abscondit, & maxime meos amores expongit, & vellicat. Ego autem perditè amans tantóque neglectus studio, huic vitæ, fabula fieri videor veluti Echus ille amator sive dæmon, sive Deus fuerit. Aut
Ovid. l. 3. Met. Fab. 5.
Tantalus ille dici timeo, qui omnium est sermone notus, semper quidem sitiens, & semper ab ipso potu de- D ceptus. Potiu vero illud Salomonis mihi dicere conce-
Eccl. 7. 24.
ditur: *Dixi, sapientiam requiram, at ipsa longius à me recedit, supra quam antea fuit.* Atque hæc dicens, nihil aliud quam meis ærumnis imminere sum visus. Quare medicamentum quoddam, multum meâ interest moliri, quasi nobis quidem in Bulgarorum terra assiduæ illæ sint, & diuturnæ. Iam enim rusticitas fere eodem mecum ubere nutritur, & iisdem mecum assidet Laribus. Tu vero ne ita impensius, ab his, qui te norunt, rogari velis, dissimulatione quadam semper involutus. Heri enim iam libros manibus reliqui, ut tibi adhuc sapientum dogmata ob oculos semper versentur. Cæterùm
Ioann. Chrys.
iam tibi librum Chrysostomicum emisimus. Fons equidem sapientiæ, & ipsa sapientia *Christus* sit, qui te erudiat, & te in banc viam quam peragis, impellat, & ducat, & ad suam Ipsius cognitionem, cum operibus edoceat.

CERCYRÆ EPISCOPO.

Epistola XXII.

E ET rursus nobis alta debet esse speculatiu, sublimis sensus, quia iterum mihi tuæ literæ emittuntur, Illustrissime Domine, quarum vis, & robur, sic meam invasit cogitationem, ut non ista tacita nix herbam, neque tumultuans imber gramen. Tua enim dissertatiu iucundâ me affecit dulcedine, quæ fraternitatis amore, & gratus, Venerisque salibus compacta mihi extitit. Te quidem quasi præsentem sum circumplexus, & veluti meum dominum, & patrem, dilectiunis ore sum deosculatus. Sed ô invide, quo pacto à nobis ita tam longo intervallo dissides, tamque remotis distas septis, ut seorsim utrumlibet stimules, & aut væ, tristésque luctus, uni sint sigillatim, rursúsque alteri insint: & ut ne infringi, & abscindi possit funiculus ille, qui apud nos valido est contextus nexu. Be- F nedictus Deus, benedictum Dei verbum, quod, quos longum separat spatium, verbo potentiæ, & literarum benevolentiâ, & charitate inter se iungi facit, sibique mutuò appropinquare, & callidas invidiæ argutias, cœco cogit obtundi mendacio. Si enim ad invicem nos nobis privamur, hoc, vultu fit, non corde. Verùm enim verò nos mutuo literarum ore colloquamur, & tantùm mœroris æstum alter alteri extinguat, sibique recreationi sit. Non aliter quam Echus officiom imitantes, & quas ob opprimentes nos, & vexantes conceperimus voces, reciprocu emittemus clamore. Echo. Nos quidem ipsos pariter attollemus, & communi sublevabimus ope, ut sermonem inter nos, nostro è pectore, gravi, & afflicto spiritu obruto, eructaverimus. Non itaque quandoquidem mihi, tui commemorationum poculum propinasti, & ego tibi vicissim eiusmodi potum G propino, quasi iam vitis penitus aruerit, & perierit, ex qua nobis tales potus exprimebantur. Nos autem
4. Reg. 18. & 19. 2. Paral. 32.
Sennacherib Assyrius elisit, quem Mesopotamia, asperum quidem & durum nobis emisit. Secundus verò tanto intervallo nobis, hoc molestior, & durior, quanto insanior & amentior fuit. Etenim stultitia, tum vero ad alia, tum ad scelera, & flagitia, suos ipsius alumnos crudelitate insignes, & nullo exorandos, & emolliendos voto, efficit, ita in nostra ipsorum viscera, & corda ipsi obsistunt. Si quidem illos, qui nobis demum insidiantur, nostra corda & viscera licet nuncupari, & in populum disiectum iam, & disruptum, vel brevi sermone iram effervescere, & excandescere fas est. Me enim devoravit, me membratim dissecuit, me intolerabili imbuit amaritudine, méque vel uno verbo spumanti bile inebriavit. Hic quidem sibi venerationi, & honori est, qui aut dixit aliquid contra Ecclesiam, aut fecit. Hic quidem ignobilis, & quovis non peius exigẽs, qui aut in nostro H versari cœtu visus est, aut Ecclesiam, in die quidem festo, est ingressus. Etenim & hunc ipsis Christianis denegavit, ut vel in communi omnium iure, quod ad ipsum pertineret, ipsi occultaretur. Ipse enim nec candidam Dei matrem adoratione dignam existima- B. Maria virgo. vit. Et quidem quasi sibi ipsi prospiciens, summam in nos animi elationem, & rigidum, & inexorabile pectus coniicere censuit. Sic enim mente penitus destitutus est. Et ut ego arbitror, hoc solùm, quod se ipso dignum est, semper perpetitur. & ibi pœnas luit, ubi ea peragit, quibus ut dicunt, vehementer insanivit.

Hom. Il. 9. v. 238.

Namque homines ullo nunquam dignetur honore
Neve Deum.

Sed totus in rabiem, quam subit, convertitur, seséque immergit. Ex quo, quomodo censes nos administrari posse, & constitui, qui hic semel omnes convenimus? Quidam verò solùm emittuntur, quidam veluti emergunt, & erumpunt, sed in omnes simpliciter

[A] ærumnæ durumque fati telum præceps ingruit. Nobis autem solus *Iesus* relictus est vt salus, & incolumitas opere, & nomine. Cum quo comprehensi, & coniuncti, omnibus aliis separatis, & effusis, quæcunque patimur, fecimus. Acclamavit autem nobis illud dulcissimum verbum. [Ioan. 16.33] *Confidite, ego vici mundum.* Post hæc etiam, & nunc pascens nos, [Psal. 22.2] *in loco pascuæ ibi me collocavit, & aquâ refectionis, & quietis educavit me.* Quid amplius? Quasi his contentus, qui iam ab initio hostis homicida est, in nos cominus vulneribus, sævisque ictibus directum spiculum exacuit. De quo antea cum tuæ sanctitati scriberem, iam dixi. Nam cum quendam vrbis Episcopum, hominem omnium malorum artificem, simulque ipsam officinam excitassem, te quidem fere cum defunctis in sepulchro constituit. [B] Illum autem homicidam (ô duram meorum malorum sortem!) effecit. Sed quæ mihi ab illo acciderunt, longiùs quidem quam pro otio fas mihi erat dicere, Tragico decantavi cothurno, & molestius, quam vt tua præsens hilaritas est, audire debueras, vt ne mœrorem mœrori adderes, eo quòd non minus erga illum, quam me fraternitatis tibi inest dilectio. Nam iuxta sapientem admonitionem, & consilium, malorum ille patrator est, qui mala tolerat. Quo circa tibi id miserabilius apparet, & hoc in loco, de hac re sermo molestissimus tibi, & mæstissimus videbitur. Iam itaque his sermonibus penitus supersedeo, vt ne dupliciter summum sacerdotium iniuriâ afficiam, & his rebus, quas perago, quæ nullo quidem sunt sermone dignæ, & his quas dico, quas etiam neque cogitare decet. Tibi enim opus est, hæc talia veluti conflare, & cogere, ne populi affectibus, & passionibus liberiorem, & latiorem viam consternamus. Et alius quidem fœdus cum fratre percutiet, & si ipse cuiusvis expers fœderis, & amicitiæ, & versicoloribus distinctus notis persistat. Stultè quidem agerem, si molestiam tecum, & tædium excuterem nisi iam quæ mœ- [C] roris, & tristitiæ causa sunt, tuæ venerationi vel obscurè manifestare nolentes, tam importunè illorum meminimus. Quamobrem mihi necessarium est viam ad Imperatorem carpere, & hoc idem illi dicere, perniciosam me rursus permeare Charybdim, & latam peragrare Ægyptum; iter quidem & difficile, & periculosum. Cave existimes me (ô Dei homo) hanc viam omnibus quas passus sum afflictionibus & angustiis victum esse arbitrari, aut omnium mearum difficultatum, & laborum, hanc solutionem quandam esse, aut refugium nec vinculum indissolubile esse censere. Et non solum hac ratione, quia Episcopus, his tam sceleratis diebus exercitui, invidiæ laqueos, & odij tela obiecit. Neque quia oportet quidem, nobis equas ter in anno parere (quale illud fabulæ Elysium edidicimus quando in pueritiæ cunabulis fuimus quod etiam & lusimus, quoniam alios fasciis involvimus) vt omnes illos, equos ascendere faceremus, quos nostro cætui, & familiaritati haberemus adscriptos. Et pari- [D] ter quia decet, nobis arva ipsa segetem auream emittere, & arbores, aureos fructus proiicere, qualia *Hesperidum mala*, [Adag.] poëtarum carminibus esse feruntur. At enim non hæc vel quilibet à nobis exigit. Et nisi ob tales dirorum hominum incursus, optatis delinimentis, & commodis illis inservimus, quasi sepulchrorum fossores maledicimur. Atque vtinam in illos, qui talia in nos probra emittunt, recidant. Non aut hæc sola, sed arduam & acclivem, in illa castra, viam nobis parant, aut angustam, aut arctam, sed neque bono finitam termino. Sed enim hoc mihi fragile, & caducum corpus, quod vt nosti, etiam ad omnem laborum occursum, maximè, qui in assidua viarum molestia conficitur, imbecillum est, & omnino languidum. Si autem & tu robur indueris, & omnem precum, & votorum, in nos, vim circumdederis, & accinxeris, omnia nobis facillima fient, Præsertim cum te Deus trepidantium consilium, & regimen efficiat, & nobis tuis Angelicis precibus, viam sternat facilem, lapsusque lapides ab illa longe proiiciat.

[E]

Eidem Epistola XXIII.

NIhil mihi molestiæ relictum est, quoniam omnium suavissimæ linguæ, & dulcissimæ mentis, vocem, & alloquium suscepi, & non quidem brevi temporis spatio manens, vt est altissimus aëris ictus, qui simul fere vt coit, dissolvitur, sed constanti persistens mihi, & obviam diuturnitate. Literis enim hoc ex tua magnanimitate, & celsitudine conflatum, in meam devenit humilitatem, quasi præsens mihi illud insonet, & quasi tuo perstrepat ore, quoties ego quidem velim, & volumen hoc explicuero. Quod quidem facile est posse consequi, illi, qui destinatis hisce rerum molestiis, gravibusque infortuniis agitatus, & concussus [F] est. At cum ad lectionem erumperem, & ad tua varia monumenta nihil aliud, quam illud oblivionis pharmacum mihi bibendum esse censui, aut, vt propriùs loquar, vt Colchorum terram, quâ nunc ipse frueris Colchidis Medeæ arte, senectus mihi penitus detrahitur, viridisque iuventus, flore mihi renovatur vivo. Inspicis quidem quantùm hisce communium infelicitatum temporibus ipse felici læter fortunâ, propter te, & tua prospera gesta casusque penitus felicissimos, qui cunctos priscorum hominum eventus longo superant intervallo. Ego quidem tempus illud, quo tuam iucundam vocem, & allocutionem mihi suscipere contigit, dexterum, divinumque mihi auspicium esse constituo. Ob hanc fortasse rationem, quoniam Aquila scitè & eleganter acclamat, felicique strepit rostro. Nam cum magnum peterem Achillium, quasi cum frequenti cœtu festum essem celebraturus, in via mihi tuæ literæ traditæ fuerunt. Tu verò ibi in illos, qui nos acerbo elidunt ictu amaram induis bilem? in illos inquam, qui insatiabilis cupiditatis ministri sunt, qui & Evangelicæ professionis hostes sunt [G] execrabiles, & Christiani agminis pernicies, & ipsa internecio. Hoc igitur telum, quod solum habes, in hos diris devotos, & execrandos valido emitte lacerto. Hi vero duri inferni latum vterum, qui omnium est receptaculum, & sedes angustam fere, & arctum manifestantes rebus bene gestis, partaque victoriâ temerè superbiunt. Hos quidem magnum illud Cetos *Iesu* subigens, sub proprium suæ manus robur submisit. Et plenam ipsorum gulam attingens, ingentes, tumidosque fastus contraxit, & turgidas, & elatas illorum cristas deiecit. Sive vt Zacchæi cupiditates, sive vt aliorum, apud Iudæos Principum omni fere salute, & cultu carentium compescuit. Ad quos, rigidos, & severos Romanos medicos emisit, qui & abscinderent, & comburerent. At verò tuus animus quasi rectam viam, & omni remotam culpâ à dextris te ipsum semper prospicit, vt aut ne pauperum causa, aut aliorum, qui tibi subiacent, concusso pectore agiteris, & maximè ob illos, qui te imagine repræsentat, vel si tamen illos & legitimè, & largè suscipis, & operibus amoris illecebras illis ostendis. [H] Ille inquam æreum arcum, tua brachia esse constituet, & te multo circumcinget robore, & tecum gentes, bella horrida moventes disperget, [Ps. 45.10] *arcum conterens & confringens arma, & scuta comburens igni*, tuæ alacritatis efficaciâ, & studio efferventi. At vt ad te, infestantium agmina appropinquent, & domini hostium castra construant, invalidi penitus ipsi & infirmi erunt. Etenim ipsi consiliis, & temerariis cogitationibus omnino concident suis, & ipsos duro persequeris impetu, & in servitutem rediges, & contundes, *& vt platearum lutum confringes illos* qui [Ps. 17.43] impuri, & athei Moameti spurcam plateam studio insectantur. [Mahometani.] Et hæc non solum tibi precor, sed futura esse spero. Non enim Deus iniustus est, quasi animæ puritatem, & generosam manuum operam, victoriæ coronâ, iure quidem debitâ vberrimè non insigniat. Ego quidem tibi iam hoc epinicium canam. *David decem millia percussit.* [1. Reg. 18.7] Omnium, qui nunc sunt, & mitissimus

&

& bellicosissimus. Qui & furentem cupiditatum vrsum, & ferocem animi vituperabilis leonem concussit. A quo & misericordiam nunquam separavit Dominus, qui iustitiam semper amavit, & æquitatem semper inspexit, semperque illum omni improbitate, omnique scelere seiunctum conservavit.

DOMINO ADRIANO MAGNO Domestico.

Epistola XXIV.

EQuidem etiam sum defunctus, Pensebaste mi opitulator, & inter eos fere, qui imo inferorum vagantur antro constitutus, à te nunc excitor, qui & hanc animulam meam mihi restituens, cuncta mea ossa colligis, & dissolutam mei corporis compaginem, congruente proportionum, & concinnitatis ratione construis, carnesque meas enotris, illasque cutis vestimento obtegis, vitæque mihi datot efficeris. Vis igitur vt huius obscuritatis mysticum integumentum detraham, & verum tibi sensum sermonis manifestem.

Cæcam humanæ vitæ confusionem, animo conspicio ægro, cupiditatem, & iniuriam sordidæ avaritiæ, & impudentiam, iunctas rerum moles, toto iam deposito pudore coinquinantem, & scorti more dirè prostituentem, & illos, qui Reipublicæ peragunt negotia, vastatores potius, quam collectores tributi esse, & pariter ab illis, divinas leges, & Imperatoria statuta, *Aranearũ tela.* aranearum propemodum telis paria haberi, & similia, quæ exilem, & debilem irretiunt muscam, & à susurranti vespa perrumpuntur, vt ad Solonem Anacharsis olim retulit. Sic etiam, & Christiani populi res ferri, & circumagi, quasi liber non esset, nec vitâ donatus, manifestissime video. Omnis enim salutis spes penitus fere est detracta, & propulsata. Quam si quis, animæ, calamitatibus variis compactæ & obrutæ, effusum flatum dixerit, non errabit. Omne quidem consilium evanuit, & ego fere defunctus iaceo, & exanimis, hac solum de causa, quod funditus desperem, malum posse aliquo modo corrigi. At illustrissimus tuus gener, & sacrum optimi consilij germen, & vt lilium in convallibus, ubi nunc malorum colluvio confluit, & vt rosa inter spinas, quæ omnes lacerant, & expungunt, verè vt spiritus à Deo afflatus est; qui nostris operibus, & afflictionibus probe astat. Certè vt peregrinum mihi spectaculum visum est. Silicet, vt flumen ab ipsa salsugine dulce effluens, & vt viator per cœnosas transiens semitas impollutus. Quæ omnia verò, tuarum esse præceptionum effectus prorsus exploravi. Hic autem vtilissimæ, & salutiferæ spei spiritus ad me rursus evolavit, & cuncta in me absoluta sunt, quæcunque horribilia ab Ezechiele, eaque terrifica visa fuisse feruntur. Iamque tibi modicas, & precibus, & encomiis mixtas debeo gratias, qui mihi animam restituisti, qui & mihi vitam generasti, aut tot tantasque gratias, si fas est dicere, quot imprecationes, sacræ religioni hostibus, nullâ correctione flectendis, animarumque omnino dirissimis corruptoribus, vitamque pernicie cæcâ infestantibus. Sed enim vt perpetimur, & vexamur, lilium prorsus est adolescentia, & rosa, quæ paruo temporis spatio bonum halat odorem: maxime autem Deo, ob beneficia in pauperes, boni odoris est. Sed suavius, ipsius operum exhalatione, & effluxu percipitur, quam illo Noë sacrificio, iam olim peracto. Deinde per vestrum aërem irrepsit, solam nobis memoriam relinquens tristissimam omnisque expertem consolationis. Qui enim in reliquum, miseris, & egenis, ita iam rerum, quæ supersunt, facultates colliget, illos certe ipso inopiæ poculo, ad vberrimum felicitatis ordinem inducet? Qui & orphanis, & desertis dabit, vel fere ipsi morti gratiam rependere, ob quam, invalidis, & infirmis parentibus privati, potentem ita tunc, & strenuum susceperunt. Cuius imperia vltimam divinæ bonitatis conditionem, in orbitatis miseræ terminum, & limitem obfirmabunt. Cuius oculi in iniuria affectus, & misere dilaceratos lachrymas instillãtes iniuriæ latores potius luctu acerbo prosequentur, quod se maioribus spoliaverint bonis, & imminuerint. Et hic in posterum festinabit, in vtrósque damna, & pericula funditus solvere; huic quidem maiora, illi verò minora dimittens. Pauper autem quem in maximis, & effusissimis rapinis iustum inveniet, & dives, in improbis pauperum moribus, & calumniis etiam communi patrocinio defendendum censebit. Et cohors etiam alti Numinis ministrorum, quem ministrum fortè inveniet, qui digna per tribus, & ordines non decernat, quod ab impiis maxime in pretio habetur. Qui in ipsumodum, quo Deum prosequuntur, multa in servos Dei ignobilitate, atque abiectione necessario præscriptum, ut excusationem comminiscuntur, illos indignè honorari, & coli, qui se ipsos veluti iustos extollunt, & elevant. Sed illum, qui omnes, ut se ipso meliores, & æquiores intuetur, & ab his, ipso sacræ vnctionis spiritu sanctificari, & adhuc ipsa divina, & sancta absolvi, & perfici posse sperat. Et omnes, qui hac sententiâ, & religione non teneantur, profanos quidem, & impuros, & omnis sanctificæ gratiæ inexpertes arbitretur. Hi enim, qui sanctum esse Sacerdotem existimant, etiam se ipsos ab hoc consecrari, & sanctificari cognoscunt. Impij, & nefarij postea sunt, qui nullo, virum consecratum, & sanctum, honore afficiunt, aut qui talem ipsum non existimant, nullius, Christi sanctificationis, & gratiæ participes ostenduntur. Nam qui sanctificatur, & consecratur, hic sanctitatis beneficio vi consecrationis, talis efficitur. Et hos verè decet, in Christianorum *Christiani.* cælum intromitti. Quis autem & nedum videre posse privabitur, tacitu rerum necessariarum fastigiu, impietatem, & infidelitatem ita percipi, & alte radices agere, quasi neque Bulgari obmurmurent, & adversentur. Hac autem re solum Pansebastus, quos sibi legitimè submissos habet, animi ægritudine afficit, quod non solum quæstu, & lucro orbatos dimitteret, sed quæ haberent penitus absumere, & amittere cogeret, & vt est in proverbio, thesaurum omnem in carbones resolutum invenire & ab illis præcipuè, qui deliciis, blandoque luxu frangi viderentur exustum. *Pro thesauro carbones, Prou.* Sed maximè verum dicere decet illum, non hos æg[illegible] affecisse, quod quid maius omni lucro excogitasset, & divitiarum possessionem, non autem amissionem, & interitum, ipsam bonum operum iovenilis proteruiæ esse præstantiam, & excellentiam. Nam hoc quidem boni serui est, paupertatem potius eligere, quæ maximè eius possessorem optimo famæ sensu, & divite æstimationis supellectile attollit, quam opes, quæ infausto nomine ad *Paupertas.* paupertatem redigere illum possint. Sed enim candido, optimoque Augusto fugiendus hic est Imperij locus, quasi totus sit improbitatis, & sceleris sedes, aut tabernaculum Cedar, aut ferrea quædam fornax. Et ob hanc causam ad nostram hanc felicitatis beatitudinem solummodo vt præceps quædam volucris percurrit. Hi vero, qui ipsius vtilitatis se obvolvunt deliciis, se deinceps luctu, & planctu deprimunt, quasi multò graviùs, & molestiùs quam antea rerum incommodis, & difficultatibus sese implicuerint. Nam malum, post boni experientiam, & sensum peius est. Tibi autem, & his, quasi sic docenti, & quasi ita edoctis, largiorem omnis boni influxum, & copiam illi à Domino deprecantur, quorum, ipse primus haberi non erubesco. Itaque Deus & vobis, & ipsis, & nobis, & his qui apud nos sunt, puram in bonu perfectionem, gloriam, & abundantiam impertiatur, & simpliciter omni nos improbitate, & vitio liberos conservet.

***

A

In Vatican. cod epist. est 61. apud B. 10. tom. XI. ad ann. 1073. *Matth. 23. 24. Mat. 7. 3.*

SEBASTO PACVRIANO.

Epistola XXV.

DOminus quidem transtulit peccatum tuum. Alioqui enim non tantùm fuit, quantum in oculis eius semper. Ego autem te ob hoc maxime admiror, & laudo Pansebaste fili, quod exiguos peccatorum culices, quasi ingentes camelos inmeris, contra atque à Domino Pharisæi probris, & reprehensionibus incessuntur. Festucam quoque, quæ in oculo tuo est, quasi gravissimam trabem reputas, quod magnum virtutis fundamentum cœleste verbum, quod apud nos nasci voluit, esse constituit. Siquidem principium salutis esse ipsam sui ipsius cognitionem credidimus. Atque ita conitce,

Si quod tu lumen mortalibus indere possis.

B

Neque te ab hoc virtutis statuto, mundana aliqua vis deturbabit, qua nos leviores quidem sursum, deorsumque devolvimur, atque deludimur. Et hoc constanter persuasum habe simpliciter pudore Christianos, quasi legem statuere, aliquem in hoc præferri, & anteponi, quod neminem iniuriâ, aut tristitiâ afficiat. Hoc enim ipsius naturæ est præceptum. Quam transcendere, & transgredi sedulus Evangelij discipulus præcepit. Nam lex, ab eo, quod iuxta naturam habet, in ipsam naturam, hominem inducit, & collocat. At vero Dei verbum supra ipsam naturæ sedem, illos, qui ipso firmati sunt, atque freti, facile evehit. Hoc enim est facinus. hæc est victoria, quæ ex amore, & communione ipsius cum ipsa natura exoritur. Verumtamen multarum ferarum natura, quæ in suum proprium genus rabie, & impetu feruntur, nunc hoc quasi magnam utilitatem, & commodum, ab illis maximè exigi edocet, qui utiliore sunt, & probiore naturæ animo. Hoc inquam, nemini molestiam, & tristitiam

C

appetere. Sed enim hoc à te muneris poscimus, ut omnibus bona effundas, cunctisque affatim consulas, similque omnibus persuadeas, communionem, & unitatem fidei, firmo amoris vinculo conservare ut sese mutuo devorare, & immordere, neque à natura, neque à fide cognoscant desumere. Ita enim in teipsum largé optimi Dei gratiam, & beneficia declinabis à quo & sceleri, & miseris subtractus casibus consenuetis.

GREGORIO PRÆSIDI Taronitæ.

Epistola XXVI.

In Baron. an. epist. est 61. velut Epinicii victoriæ de Persis ac Frācis.

ET vnde quidem, & quas tibi rependam gratias, Illustrissime in Domino fili, ac domine. Nam me omnium hominum verissimum ubique manifestas, & in me laudes, quibus te celebrare studeo, magis ornas ipse, & vertis, illásque ita decantas, non ut Sophisticas Rhetorum illecebras, sed ut lætantes iucundi spiritûs, his qui verè probi sunt, choreas & mollia tripudia, & ut carmina, & cantus, qui ab illo profluunt ore, quod virtutem solùm attollere didicit. Ecce igitur quod mihi nuper allatum est, quanti facient honore affectæ aures, veritatis amantes, & ab omni alienæ invidiâ. Vno enim trophæo & monumento, duarum nationum fastum superbáque supercilia detraxisti, & unà cum valida Perside vesaniæ turri, Franciæ amentiæ culmen subvertisti. Et novus t hinces nobis apparuisti, dum potenti tuo zelo duas gentes, apud Dominum impuras, & impias perfodisti. Quandoquidem enim Nesman qui tributa colligere consuevit, & ab aliis Græcanicis urbibus, quæ circa Pontum sunt, & intra Tanaim flumen, & paludem Mæotidem, & illam, quæ Colchis præsidet, & quæ Phasidi est contermina, sed ad illamque in minori Armenia, alto subiacet colli & ipsam totam Armeniam, tributi iure est moderatus, (Maryandynos enim & Galatas, & his finitimos Cappadocas prætermitto) iamque tributorum collectione, & cumulo pinguis factus & gravis, duri ensis tui acie legentes tributa manus abscindenda quomodo tributa ipse pendere debeat, postea didicit. Incursus etiam, & certamina cohibuit quæ prædonis mores audacter moveat, & insidiarum invasiones prorsus reiecit, quas ita Taronitis fecerat esse conspicuas, & notas magis quam est urbs, quæ in montis est sita cacumine. At vero in statarias pugnas se ipsum manibus aridis magis quam paleam, & imbellem commonstraverat, & urbes quidem iam decem millibus refertas, quas ipse vix ceperat, verbo citius ita fortunæ alea ipsi obvenit, ut in gravissimas illum clades coniecerit. Maximæ autem sacræ Dei lances, gravius tuarum virtutum flagellum in ipsum inclinarunt; non minus quam illud, quod ante tuum Imperium, in illos, qui cum ipso lascivè luxuriabantur, torquebatur.

D

Tom. XI. ann. eod. an 1075. & Nicol. Sebaste Pagat. in scripta, ut superior.

E

Vnde persuasum illi est, fabulosa non esse illa Romanorum iam olim celebrata trophæa. Imò potius ipsa veritate inferiora esse quæcunque de illis feruntur. In te autem ipsam veritatem conspicit: Quin potius dicam, tantùm te illis præstare dicit, quantùm ab imparibus, & inferioribus pugnia ad magna facinora erumpens cum illis te ipsum æquas. Ita potentissimum virum, ut te ad illum declinasti, in ultimam redegisti miseriam, & omnes illi, ad opera confregisti vires. Itaque ille te nec omnibus superiorem fieri patitur, sed quasi optimum te, & gestis celebrem admiratur: Tuúmque genus etiam dire execratur, sed ab illo genitos, & productos, felices prædicat. Et tibi orbitatem, & solertis industriæ inopiam capetit, ita ut in te totum tuum genus penitus deleatur, & pereat. At sibi tantorum filiorum generationes exoptat & desiderat, atque nunc primum sentit eò infelicitatis se devenisse, tuis feliciter rebus gestis commotũ;ut plus doleat, quo se pluribus orbatum intuetur. Et hoc unum solum solatio est, se talia à Romanorum generosissimo fuisse perpessum. Vehementer enim gloriari solent verti solâ victorum magnanimitate, & præstantiâ. Et quidem Homer. si adesset in nos nunc diceret:

Trophæa Rom.

F

G

Fugerat ante potens, sequitur sed fortior illum.

Hom. Il. 22. v. 158

Felicem & hic tibi spem sponde urbium pulcherrima *Neocæsarea*, non multo post tempore tuum liberatorem, & servatorem Gregorium habitura. Non enim à tuis Gregoriis beneficiis affici unquam cessasti. Et asperum præsentium malorum, & calamitatum senium deponens, verè *Neocæsarea* videberis. Habes enim ad hoc quasi obsides, & pignora vicinos tibi, & proximos. Exspecta porro tuum pulcherrimum sponsum qui in tua victoria coniungetur & coronâ pretiosissimis gēmis intextâ exornabitur. *Christus* enim Taronitæ trophæa egregiáque monumenta erigit. Sed iam impiissimus Turcus per te ad ima ruit, & iam inclinatus vergit, & solùm quæ ante pedes habet prospicit. Qui quidem ubicunque nuper versatiles oculorum pupillas circumagens terram pariter, & mare delere cogitabat. Nunc autem oratores, qui pacem sibi componant, & concilient, quasi propriæ salutis subsidia se convertit & manus non ut fulminantes distringant enses, sed ad fœdera extendens, & sonantem dimittens arcum, pacis caduceum apprehendit: & amicum stabilem, & tutum habere appetit, quem hostem cum habebat, invenit inexpugnabilem. At vero Francus, cervice ferreus, nunc tepidâ cerâ mollior existit, & multo te pectore adorat, & per te potentissimum nostrum Imperatorem summopere veretur, & colit. Quid † non est futurum, cum illum tibi supplici veneratione videas tua ad genua obvolutum? qui antea adoratione hac ferociebat & illum, qui alios, infractis laqueis obstringebat, Taronitarum voluntati, & statutis coactum obsequi, atque ita ab his Tyrannicâ oppressum vi, ut saltim suam ipsius libertatem, Imperatorum gratiâ demereatur. Qui & in hanc iam olim strenuè incubuit & studium hoc omni conatu, & pectore conflaverat, ut servum sibi

Neocæs. Gregor. Thauma. Episcop. Neocæs.

Turca.

H

Francus mollior cerâ.

† Sequētia in Baron. desunt ad an. 1073. in extremo.

pretio

A pretio emeret, qui totius Orientis constitutus esset liberator, & ita his longis somniorum spectris vagabatur deceptus, quasi neque secundas ab Imperatore partes sustineret, sed te solum, ut huius sum conatus authorem felicissimum. Nam tuis potentibus manibus Turcus constrictus, atque depressus inducias etiam invitus paciscitur, tum aliis conditionibus tum hac præcipue, ut Francum, nostro ipsorum Imperatori potentissimo esset traditurus. Propter hæc quidem aliquomodo tibi gratias debeo. Non enim solum quia me veridicum a te esse demonstratum, prædictum est, sed quia communiter, omnibus perfungor gaudiis. Omnes quidem quotquot *Christi* nomen ferunt, & Romano Imperio optima precantur, & toto corde moliuntur tibi etiam innumeras gratias se debere fatentur. Nam de nostro optimo Imperatore quid oportet dicere, quam digne tuam hanc nobilitatem, tuáque prudentia consilia sit compensaturus: qui te omnibus
B semper anteponit. At quis Imperatorum, in ferendo iudicio, hoc feliciot & ingeniosior extitit? Hic enim maximè rebus, summâ prudentiâ, & efficaci præsidij indigentibus facultate, te ipsum committit, quasi peritissimum, & artificiosissimum Medicum desperatis iam morbis te opponens, & quasi gubernatorem, æstuantibus fluctibus obiiciens. Sed enim epistolæ opus, & lex, frænum est planè us Rhetoricum cohibens, nec concedit inclytis gestis, longiorem obiicere orationem. Quo quidem & ego animi alacritatem, & studium, ad plura dicenda, veluti quadam catena retraho. Et quasi mihi semper ad dicendum parato adesset, cursus tibi oratorios, & disertos percurri, tuo celeri virtutum curru. Non enim vel quantum fas est dicere, tardiores, & posteriores. Hic namque tecum quasi alis dimotus impellitur. Qui enim ad nos satis idoneos quidem accedit, & si non satis fortasse dignos, qui in theatro, ob narrationem explodamur prorsus, & exsibilemur. His dictis iam finem faciam. Tu verò
Ps. 120. 1 in montes oculos tuos attolle, unde venit auxilium ti-
C bi, & iterum, atque iterum veniet. At hos ad ima deprime, & submitte, nec in te ipsum illos convertas. Nam non hæc humanarum sunt virium, aut omne hoc solum, ut plurimum divinæ est gratiæ. Tu vero in Deo potentiam tuam collocas, qui inimicus potenter conterit. Hanc quidem in ipso affirmabis, & maiorem verè desumes æquus, & bonus, gratiam impendenti effectus. Et talis quidem existes, si in te ipsum, ob virtutem, & bonitatem, illius imaginem exprimis, quæ in pauperes, & in divites effusa est, & in hos, qui diviniori, vel communiori degunt vitâ, sive qui divinis, & humanitatis legibus ut quisque illa indiguerit, se obstrinxerit. Propter quam & à malo, & ab imminentibus periculis custodiaris, ita ut neque malis affectus sis, neque sceleri obnoxius.

MICHAELI CHALCEDONIS Episcopo.

D

Epistola XXVII.

SOlas quidem Ecclesiarum opes ereptas fuisse, Inclyte frater, & Domine, ægrè sanè tulimus. Nisi quod hæc molestia nobis utrinque levis, ac tolerabilis fuit, cum planè videamus, quæ spiritualiora sunt, soluta, & eversa omnino non esse. Vnde & nos, veluti in maximis, hac consolatione nimis erigimur. Nunc autem quia hæc omnia nobis disiecta, & soluta fere ruunt, omne solatium nos prorsus relinquit. Quando enim divini, & sacri canones nihil aliud multitudini præceperunt, quam ut quisque, nullo rerum novarum studio, terminos sibi præscriptos conservet, & ne humanarum divitiarum fastus, superbámque insolentiam, Spiritus opibus admisceat. Quidam vero prædicare, & evulgare his, & aliis didicerunt, ut & illi, quos fortè deceptione, & errore la-
E bi viderint, corrigerentur. Quidam autem maximè hos canones, in suam imperitiam, & inobedientiam penitus enutriunt, & grandi quodam multiplicant cumulo. Qui & in alios fines compulsi, & immissi, omnia, & divina, & humana iura confundunt. Non equidem novi, quam aliam consolationem simus habituri, quam solam iam peracti mali, & infortunij correctionem. In quam, & in nostrum zelum & studium, non parum nobis perfectionis, persuasi allaturi, & emolumenti, tuæ obiiciemus sanctitati hoc Cittaba, quod Cittaba. præter canones est exortum, & constitutum. Sed ut ne rideas propter Barbarum nomen. Est quidam loci terminus, à nostro Archiepiscopatu diversus in quo cum quidam Monachus templum, & sacrarium construeret, à nobis impeditus est, eo quod præter nostram sententiam, & consilium opus inceperit, & neque sacris canonibus, neque Reipublicæ legibus nota, & consona molitus fuerit. Qui Patriarchico iure, cru- F
cem in illo loco affigens dixit, se ita opus illud inchoasse. Ille autem à nobis nihilominus excommunicationis Excommunicatio. vinculis est alligatus, atque in illum, quæ canones, ut nosti, definiunt, & decernunt protrusimus. Nos autem opus illud, non minimi facientes ad scriniorum Præfectum dominum Petrum, de hac re scripsimus, quantum vel epistolæ modus permisit. Atque etiam ad te, qui Deum diligis, & ob hoc, canonum observas leges, scribimus, ut etiamsi ipse de hac re, cum hoc viro sermonem inieris, qui quidem nihilominus tamen quæ canones statuunt optimè percepit, & quæ pœna, his proposita, qui hæc præterire, & dissolvere nituntur. Cæterùm non novi quomodo his non reclamanti, nec obsistenti hæc accidant, à quibus omnis ordo, & Ecclesiarum pax repellitur, & ipse Christi sanguis, ut omnia pace conderet effusus, irritus quidem pæne ostenditur. Quæ enim inter Bulgaros participatio, & communio cum Constantinopolitano Patriarcha, qui neque suffragia iusta in ipsam, aut vota habet, quæ Archiepiscopum, quasi sibi proprium caput respiciant, neque aliud privilegium circa ipsam contineat. Propter quem Monachorum delicta, & errores ipsius sen- G
tentia, & constitutione, & observari possint, & capi, & iusta corrigi æquitate, ob illum, qui aliorum Monachorum, qui ipsi parent, opera & studia subigit & quadam veluti emendatione reficit, quem Exarchum nuncupamus. Et qualis Cronion, ita olet *Becceselenus*, ut illud † Comici in Tragicis affectibus dicam. Qui Constantinopolitani Exarchi præsentiam in Bulgarus mediocriter feret, & illo non ut adultero utetur, plenum zelo animum, quod inquit Salomon, manifestans. Equidem non arbitror, quis alius ad ipsam huius rei commemorationem, flagitium hoc non ægre ferret, præsertim cum religio circum nos obambulet, & ipsi canones, nostro vivendi Instituto semper afflare videantur. Si vero hæ nostræ literæ, & tuus sermo rerum hunc conatum perfecerint, gratia sit modestiæ, & pacis Deo: gratia etiam & vestræ dilectioni, & charitati, cuius & hic, & ipse Deus dicitur, & creditur. Si autem ad hæc, qui, quæ male evenerunt corrigere possunt, veluti surdi sileat, necesse erit commune proclamare auxilium, & ad populum, hunc nostrum evulgare dolorem. Si verò aliqui inventi fuerint, qui huic rei mederi, & velint, & possint, verumtamen tu tranquillitatem, & tutum pacis statum nobis precare. Non enim neque nos ipsi molestia ulla affici, neque aliis negotium facessere optavimus. Quod quidem nunc tuis nobis precibus, ô Sanctissime Domine, facile contingat.

Exarchus. Aristoph. in Nubibus: καὶ κρόνιον ὄζων καὶ βεκκεσέληνε. Pr. 6. 34.

H

DOMINO NICETÆ Chartophylaci.

Epistola XXVIII.

CVm ad nos fama de vestris rebus pervolasset, Sancte pater, & domine, non mediocriter nostram

imbecillitatem commovit, atque concussit. Si enim nos nostra soliditate, & firmitate, quasi potenti petrâ securè firmati essemus, nihil sufficeret quidem & in nos vel parum excutere motum. Nisi iam hæc vos in fundamentum, quo firmiores, & tutiores insidere possimus, constituitis. Sed enim nos præsentibus rerum casibus agitamur, & volvimur, instabiliorem, & ruinæ proclivem structuram omnino molientes. Fuit ergo rumor, improbos, & facinorosos homines, patri mendacij inservientes, altæ Imperatorum maiestati, de vobis dignos ipsis sermones emisisse, & continuò in ipsorum cordibus fætidum cœnum petrimescentes, teterrimum exhalare odorem, ita ut nunc & ipsos Imperatores iniucundo afficiant halitu, qui in nos aliquando grati, & suaves perstiterunt, vt vero, & bono Christi odore suffusi. Digne quidem censeo de tua egregia sanctitate aliquid mihi patefieri, si iuxta hunc rumorem, & famam cuncta eveniant. At magis supervacanea, & maximè hæc tumultuantia esse, famam, & rumorem novi proferre, quam ipsi calumniantium sunt sermones. Mihi quidem id necesse est, non quod de tuo timeam honore, & dignitate, sed quod meam miseræ sortis horrescam ærumnam, qui nunc his afflictionum diebus cum omnibus fere Christianis, dulcem tui sermonis rorem combibens, te medicamentum, & solatium constituo, post primum illum communem Consolatorem. Sed enim illi, qui contra te odium pro dilectione parant, & tuam bonitatem, & virtutem calumniis profundunt, impensè diris erunt afflicti cladibus. Veritatis autem Dominus emendationi, & integritati sit illis. Tu autem nobis, & aliis serveris, & vt lumen, & alimentum, & te, ut quisque indiguerit, perfungemur.

NICETÆ DISCIPVLO
Chalcedonis Episcopi Diacono.

Epistola XXIX.

ANtilochum nosti, Fili sanctissime, ob Nestorem patrem multa subiisse pericula, quando ob illius pugnam, & victoriam, Æthiopis hastam ipse suscepit. Ego autem te, non ad pericula, tuus pater, advoco, sed ad securum, & periculi expers ministerium. Fortasse igitur præ timore concides, & hoc ita facilè auxilium mihi interdices. Sed ita etiam vel probro vertes dolores, & cruciatus sermonis, & colloquij mei, etiam & ipsum partum, & ipsam, vt ita dicam, obstetricationem, & nutrimentum illud, quale cum lacte, vel iam validioribus cibis, tibi collatum fuit. Verumtamen hoc non ita erit, sed neque quod existimas. Quod igitur est auxilium, quod dulcis, & blanda oratio, veluti quidam exactor, à te exigit? Ad sanctam Authentriam, sanctæ dominæ matrem literæ à me delatæ sunt, quam non illa magis nobis, quam ipsi, ô amice, peperit. Postulant quidem, ut hæc sacris legibus, & canonibus, à Pansebasto ipsius filio Protostratore divexatis, & repulsis opituletur, & maximè etiam, vt illi ipsi opprimenti illas, & elidenti auxilio fit. Quibus est nihil gravius, nihilque durius quam premi, & coërceri. Opus enim divinum sunt. Et illius auspicium, & interpretatio illis est, cuius potentiam in impotentia perfici existimas. Illi enim multa, & gravia instant pericula, & tot, & quanta illis qui Dei solvunt præcepta, & statuta imminuunt. Aut illa quidem quasi Dei filio opem ferre studet, cuius leges, & decreta deteruntur, & abolentur, aut, vt proprium filium contumeliâ hac, & iniuriâ ipsum liberet, quod damna & flagitia in illos moliatur, penitus quidem maxima lucratur. Quare has literas, iustum censemus, vt Dei servæ, & famulæ, & communi nostræ dominæ exponas, & manifestes. Quoniam autem ad Pansebastum Protostratorem de hoc ipso argumento iam scripsi, etiam & has literas me ad hunc misisse, ipsi innotescat, ut si forsan illi ipsas mitti contigerit. Quocirca etiam à sanctissima muliere, in illis, ad ipsam literis, hoc ministerij statutum omni pondere, & molestiâ liberum, & quod ad patrem, qui verè filij potentiæ parcit, pertinet, efflagitamus. Et hoc mihi peragi, & condonari peto, & omne tandem debitum officium facile absolvo. At tu & maiora, & meliora potes. Nos autem & quæ parua, & quæ facilia sunt, tentare in nos omnino desistimus, ne vel quid minimum tumultûs & perturbationis, aut in alios, aut in nos commoveamus.

DOMINO ADRIANO MAGNO
Domestico Imperatoris fratri.

Epistola XXX.

QVis ego sum, Domine mi, Domine inquam, quia vsque adeo dilexisti me, vt possim nunc tecum quæ David cum Deo, loqui. Ad quid mihi tantum imposuisti onus, qui omnes vires, quibus pondera sustinere possem, effractas, & penitus dirutas habeo. Hoc enim sublimes possunt columnæ, quæ ex adverso latum cælum sustinent, ad quas Atlantis opus est robore. Me quidem densas Prophetici libri nubes cogere iubes & nudum, & apertum solem manifestare. Quis etenim mihi impendentes rerum nubes flatu expellet, quas crebtæ calumniarum exhalationes, crassas, & obscuras nutrierunt, & in solem, in nos ardentem, & accensum explicarunt. Quis quidem hic est sol, qui vero pulcher est tanquam sponsus, & procerus & magnus quasi Gigas, & omnia calore, & foventibus radiis ad vitam educit, cunctisque præstantior est. Oportet enim has nubes penitus liquefacere, & dispergere, quasi ille, si densæ exoriantur, nequaquam insplendescat. Hic quidem nubium cœtu, & agmine obscuratur. Fortè verò vt ratio postulat, & ut pluribus videtur, præter rationem, & modum. Nondum enim primis expulsis nubibus, sereno fungimur coelo.

— Et calo nox decidit alto:
Nam Notus, atque Eurus Zephyrusque per athera perflant.

Odyss. 1. v. 294.

Quod quidem plures, & amariores timoris, & tristitiæ cuspides exacuit, & conflat in me, quando ab alto noctem, & umbras habeo, vnde lumen speravi. Sed enim me obscuritati nubes cogere, & orationis solem obumbrare, heri, & nuper iniusti, in me insurgentes, testantur, quos potentissimus noster Imperator, & tuus optatissimus frater, mendacium sedulò indagans, suis temerariis fecit consiliis cadere quasi ipsa iniquitas tunc se ipsam fefellerit, omninoque frostraverit. Hi quidem nunc rursus ipsum adeuntes, atque eadem, de illis ipsis rebus, referentes, tantum roboris sunt nacti, vt candidos illos calculos, & suffragia, quæ nobis, iustis quidem condonaverat nunc illum persuadent vt inconfusam, & indigestam, illam eiiciat molem, & nigra, & multo plena odio educat. Et hæc iuxta illud verè Regium iudicium, vt Penelopes textum ostentet, interdiu veritatis contexta stamine, noctu vero mendacij illa resolvat, & disiiciat pectine. Et hoc gravissimum censetur, nos ita indictâ causâ damnari. Vt enim id intellexi, vt dimissus ad nos scriba, totam hanc Ecclesiæ Achridis regionem relinqueret, decretum est. Locus hic est, ad quem huius conventionis literæ pervénerunt, Ecclesiæ quidem inquam, pro erronum, & sceleratorum loco, quæ cum illis dominaretur, publicis tandem cessit incursibus, & hoc quadam solum habitandi servitute suscepit. Quæ res omnium est maximè necessaria. Et verè antea sententia, & sermo, qui illam conventionem, & conspirationem constituerat videbatur, & Imperatoris minis obsignatus fuit. Quum enim Cercopes hi cum Hercule contendebant, in quem horum existimas me toto spiritu intentum esse & pro-

Penelopes tela.

Achridis regio.

Cercopea.

clivem.

A

clivem. Quomodo enim non iuxta divinum Hieremiam asper in præcordiis dolor insidebit, & ipsi sensus tumultuanti undique furore, & veluti bacchanti non ferentur. Superbus enim fastus, & insolens, subitâ animi egressione tumens, & insperato assurgens incursu, & maximè ut rationi adversarium contigit (ut inclytus ait Thucydides) cuncta coërcet, & in servitutem redigit.

Thucyd. lib. VI.

Ego autem hesternis calumniis, & si non firmiter erectus sum, verum tamen, quia hoc solum in Regiis auribus quasi in fertili, & effosa terrâ, seminarunt, quasi quoddam venenum, & mortiferum aconitum, aut aliquod aliud lethale germen, ita tamen illis miserè confectus decidi, & toto flexus tacui pectore, ac si humi consternerer & in uno deprimerer solo, nullâ honoris sublatione fretus, nec erectione dignus, & veluti diris servorum penitus concuterer ictibus. O Rex Regum Christe, qui nullo obstrictus scelere, flagris fuisti contusus: & miti, & blando pectore, hominis servi flagello concuti pertulisti. Quem enim existimas in nos, manus sævè iniici metuere, cum planè videat delatores, & adversarios ita

B

permitti, ut Heroas & Semideos, ut dicunt, inter vagantes multos, & petulanter, & temulentè cuncta deferre, & intrudere, & audacter loqui. Hæc & alia Augustissimorum Imperatorum opera, contra Archiepiscopum machinantes, & flagitij opinionem omnino effugere, postea in illum malè obstrepentes. In me autem illud Davidicum mirè impletum: *Adversum me loquebantur qui sedebant in portis, & in me psallebant, qui bibebant vinum.*

Ps. 68. 13

Omnino itaque me ferent, aut illos redarguentem, aut obiurgantem, aut verbis inflectentem sive illi ex populi sunt catervâ, sive ex Ecclesiastica sodalitate & consortio. Qui verò iam in meliorem redacti mentem, non prius, primis acti reprehensionibus opus suum absolvunt, ob quas tamen illi, qui crimini obnoxij sunt, duriori perciti ferocia, *sermonibus odij circumdederunt me, & persequuti sunt me gratis.*

Ps. 108. 3

Et inter omnes, non quasi pœnas non luerint, sed quasi quodam victoriæ trophæo evecti, ita sceleribus & vitiis illustres esse student, & nusquam illis ullus inest metus. Persistunt itaque velut sæculi huius pecodes, vitámque ipsorum inter probos, & æquos

C

Iob. 36. 14.

Cū Hydra Lernæa Herculis labor.

peragunt. Est enim nunc consentaneum illud patientissimi Iobi adducere, & proferre. Ego equidem illam Lernæam Hydram, moveram, suis ipsius dissectis dupliciter membris, difficilem, & gravem generoso Herculi pugnam intulisse, cum solum in illam ipse ensem distringeret, ita ut fere in summum Heros periculum vocaretur, Aut extremum fuisse Heroico viro certamen, nisi potentissimus Iolaus accensa face illi se socium iungens, abscissa combussisset membra. Quid ergo hæc fabula innuit? Mihi quidem videtur, in scelera, & vitia (hæc enim est hydra) non levi ictu, & concussu, decere uti. Nam improbos potius, quos ita castigamus efficimus, cum præsertim existiment veluti per ludibrium illis supplicium immitti. Vnde propter hanc causam, in posterum, manifestiùs, & copiosiùs in effrænem scelerum libertatem erumpunt. Nam sceleratis, & pessimis vitis tunc acrior innascitur audacia, quum molliore pœnâ tentantur, quam severiorem, & duriorem invenire speraverant. Non equidem

D

solum vitiorum tubi, & canales præscindendi sunt, sed ipsas venas, & fontes, per quos sanguis ille effluit, quæ hæc ferina capita nutrit, & procreat, exsiccare decet, & obstringere. Si autem non ita simpliciter malorum propugnacula evertuntur tunc illud parœmiæ fiet: *Lerna malorum.*

Lerna malorū Adagia.

Quare equidem iam illatis, in me, iniuriis, me, meum cor penitus defecit, penitúsque deseruit. Videlicet fervens spiritûs ardor, quoad omnem morum improbitatem usus fueram, ipsámque linguam, verè flammantium, & comburentium linguarum decipulam esse manifestavi. Si autem flagella, & plagas, ut perscriptum modo decretum iubet, susciperem, quod, ut dicunt, gravius locum ipsis Imperatoris manibus vibrat, quodque illud Esaiæ, dirè

Esa. 61. 5

præcipit, ut nostris, alienissimo, & remotissimo animo utamur: hoc quidem erit, quod nos penitus execrentur, & minis in nos insurgant, quia illos in portis, & palam reprehendimus, quasi qui divinum, & sanctum sermonem nefariè neglectui ducant.

E

Sed enim hoc in locu mihi Baruch adsit, lamentanti Hieremiæ subscribens, & in posterum celebrata infortunia, & calamitates observans.

Baruch Hieremiæ Threnis adhæret.

Deinde cum tot sint rerum maculæ, & ita nos funditus coinquinent, existimas, divina inspiracula, divináque appariciones mentis posse speculum suscipere, quibus & ipsum oculorum lumen mecum nullo modo persistit. Hoc enim decentius est, & rationi consentaneum. Veruntamen in Deo, & in illo, qui ex ipso, & per ipsum regnat, & in summa vestræ amplitudinis bonitate, & virtute, quam in nos reflectitis, confidimus, nostram spem, nullo esse ruituram dedecore, neque pauperum tolerantiam, constantémque animum, in finem esse defecturum, neque scientiæ, malitiam, & vitium, viribus, & conamine antecellere. Si quid decet, scientiæ hoc

F

planè ostendenti obsequi. Atque etiam ita faciliores effecti, & expeditiores, quidquid nobis illa præceperit, opere adimplebimus, nostrique gustus sensum, vobis, ut qui solertiùs & acutiùs indicatis, emittemus. Et si fragrantis florum odore vini gustus forte videatur etiam & illius palmitis germen, cuius pater cœlestis agricola est, & reliquas illius uvas exprimemus. Si autem acetum gustum acriter affecerit, quali Christus à crucifigentibus illuditur, dum extra vineam occiditur, & præter ipsum scripturarum decretum, frustra quidem laborem impendere videbimur. Hoc itaque nostræ præsentis infirmitatis tua humanitas, & benignitas sufferat, donec brevi aliquo sublevaris solamine, nostræ languidæ manus, & fere luxata, & soluta genua convalescunt, & Christus, qui omnis potestas est, nos, robore firmat, quique omni infirmitate, & spiritûs, & corporis nimirum, & vitij, & vitæ offensionum perpetuò est superior.

Luc. 23. 37.

BRYENNIO CONSOCERO Imperatoris.

G

Epistola XXXI.

VT primum suavissimum tuæ bonitatis mel degustavi, Illustrissime Domine, in ipsis cordis mei labris, huius iucunditatis succus permansit. Cúmque ingentes tantæ dulcedinis haustus percipio, nihil est quod me, tuæ maiestatis altitudinem meminisse non faciat. Quippe semper tecum disserere desidero. At quia non habeo, cum perditè amem, unde hoc desiderium irrigem, me loci intervallum, ne, tam dulci madescam rore, iniquè afficit. Literis autem hoc ingeniosè comminiscor. Quocirca semper tecum sum, & quæ decent, tecum loquor. Vale igitur & corpore, & animo, & bonum, & felix rerum tuarum iter absolve, ut tibi omnino perpetuus felicitatis typus affulgeat, & de te ego audiam, quæcunque Deo grata sunt, & tibi utilia, & nobis ex voto educta. Scilicet, sacerdotum honores ut parentum te ducere, & populi requiem & tutum ex dura peregrinatione adventum, quasi liberatoris, & redemptoris advenientis; Barbaricarum vero

H

regionum effractas servitutes, clementiam clementiâ potius, quam hasta prosequentium, te etiam existimare. Illa etenim est, quæ maximè ad fugam nos compellit. Benevolentia equidem, & bonitas solius est dilectionis, & charitatis securum tutamentum, quasi inanibus servatum, & custoditum armatis. Hæc & bonum plurima, ad nos fama evehet, & nos itidem altè personante ore prædicabimus, tuis felicissimis gestis delectantes, & cum illis, qui ad hæc bene affecti sunt, quasi plenos hilaritatis fluvios ebibentes. Vt in hoc saltim, felicem hanc consequamur fortunam, ut vicini nos beatiores, & feliciores conspiciant, vel invidiâ oculos illis

A

penitus extinguamus, quasi nostra nimis duræ sint illis amaritudini. Si autem hæc pernoscere cupis propter tuam in nos benevolentiam, qui ad te literas perfert, quæ ad scribendum me compellunt, facile enarrabit. Nam cum noster sit, & propter hoc nobis adsit, ut primum hæc, quæ ad te enunciata sunt, audivit, communi nobiscum spiritu percepit & bene memoriæ, quæ audivit, mandavit, ut si illa referre, & eloqui coactus fuerit, linguam, Magistri casibus, & eventibus magistram, & peritam verè ostendat. Sed enim nos flagris à patre oppressi ab illo consolationem expectabimus, quoniam *pater omnis consolationis* dicitur. Tu autem cum à teipso longe effugies mala, quæ tibi imminent non conspicies, & *flagellum, domui tuæ non appropinquabit*, sed omni tutus scelere, & oppressione custodieris.

1. Cor. 1 v. 3.

Psalm. 90 10.

TRIADITZÆ EPISCOPO.

Epistola XXXII.

B

TVas literas suscepi, inclyte frater, in quibus te nobis benevolum, & pronum constituis & nos in te collocasse beneficia, & patre, & matre & reliquis meliores esse fateris. Dign utique iam indicasti vinculo illo te solui, quod coeunte nobiscum fraternitate, impositum fuit. Quasi tu iam non mihi obvius occurras, neque hæc quæ in nos accersita sunt, nec interim sævam tantæ necessitatis administrationem, & emissionem omnino prohibeas. Ob hanc autem tuam æquanimitatis, & candoris simulationem, graviter, & vehementer opprimimur. Quoniam ita in medio nostri ipsa veritas tota perit, & dolus malus tuæ variegato indumento hypocriseos in nostrum theatrum liberè prodit, & scenicè ludit, quæ horrore digna potius indicantur. Pacem quidem cum consanguineis loqueris, & mala in corde moliris. Quis enim non videt, quomodo tuum istud decus, in magnam urbem ingressum, mille calumniarum artes effinxisse, his, quos nobis, in literis, beneficos, & opitulatores descripsi, & nullum fere vel ætate maximum, vel minimum relictum fuisse, qui acerbâ tuæ linguæ, in nos maledicentiâ, aures non suas occluserit, surdásque effecerit. Cuius rei non pauci, & multa digni fide testes existunt. Sed tamen hæc, & quovis sunt longiora sermone, & pro tẽpore ingẽti sunt commiseratione enarranda & Tragice fere lugenda, à nobis præcipuè, qui hinc, non multùm, apostasiæ tempora distare perpendimus, & qui tanti infortunij minas in nos nullo modo cunctari percipimus. Quocirca in Deum solum, qui hæc omnia vincere potest, & cessare cogere, oculos nostros attollimus & in sublimes eius iustitiæ montes, unde nobis auxilium veniet. Hic enim & his, quæ fecit, & his, quæ loquutus fuit, nos gratos esse omnino edocuit. Sed quid inquam gratos? Etiam & his, qui in nos mala inferunt, bonorum nos docuit esse duces, atque ministros. Ipse quidem vel obliqua, vel tortuosa corriget, aut quæ inemendata, & incorrecta viderit radicitus confringet. Quemadmodum eius ab alto lex fusa præcipit. Cæterùm quidem in nos iam nunc, novè tamen, & præter morem, abiectum, & humilem te ipsum ostendisti. At reliquam tuam amplitudinem, ut *Christi* discipuli, etsi indigni amplexi sumus. *Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. Tradebatur autem iniuste iudicanti.* Et exiguam Petri sermonis cognoscens tenuitatem, cum septies scelera peccatorum, iustum censeret dimitti, ipse septuagies septies munificè quidem, & liberaliter, quia in misericordia dives est, condonari, & remitti præcepit. Suscepimus igitur, ut diximus, tuam eximiæ amplitudinis benevolentiam certè quidem gravi cum sis morbo præpeditus, ut scribis, & ipsum mortis periculum propenso tibi iam decidat casu. Tu verò iam quod ad nos pertineat, sancto afflatus spiritu cognosce, & omne sacerdotale opus laxè quidem, & effuse perfice. Verumtamen iam à pluribus fratribus, arctum tibi vinculum iniectum est, quemadmodum literæ ad te missæ significabant. Hæc quidem etiam ad Pelagonium, & ad Strombitzæ, & Malesobæ Episcopos, scripsi, ad quos famulus tuus viam detorquet. Novi etenim illis tuam amplitudinem, tuum hunc animi splendorem, non contemnendam videri. Ipsique vinculum hoc, quod in te intulerunt, dissolvent uno, eodémque in te ipsum spiritu perculsi. Ad aliquos etiam scribimus, à quibus omnino edisces, quid illis prorsus immineat. Quod autem nostrum est, ut diximus, iam funditus persolutum est. Tu in posterum pro nobis preces effunde, & illos, qui te diligunt bono prosequere animo, nullísque imprecationibus, & diris devove. Et tandem erubesce ultra illud Evangelici præcepti prægredi, quod persequentibus benedicere, nec illis imprecari iubet.

Temporis iniquitas.

Ps. 57. 3

C

D

1. Pet. 2, 23.

Matt. 18. 22.

E

Matth. 5. 12.

DOMINO IOANNI Grammatico Palæologi.

Epistola XXXIII.

F

ERgo & ipse iam multorum literis credes, veneran de frater, & Domine, & has præsentes literas, quas ad te, necessitatis tempore misi, præterire audebis, & despicere? Non equidem antea perscriptæ fuerunt, quoniam scilicet necessitas ulla non aderat, quæ auxilium exposceret & evocaret. Aut quasi rationis lacte nutritus, & iudicio cuncta submittens, illos qui suo tempore morbi medelam avidè inquirunt, & efflagitant minimè reprehendes, superfluum indicantes medico tunc negotium facessere, si quando salubri corpore existunt, illum ad se accersunt. Ita quidem existimo, & maximè id sine periculo credo, nisi iam ego tuæ constantiæ & stabilitatis penitus sum oblitus. Sed quia huius rei ita se mea fert sententia, iam tandẽ Epistolam, eiúsque fundamentum, & materiam percipe. Est locus à nostra Ecclesia diversus, hic circum Bardarion adiacet, & immanibus tributorum exactoribus, in nostram perniciem prævius est, & paratus, & maximè lasitæ, insanabili habendi cupiditate corrupto. Hic quidem *neque Deum, neque viros honoris cultu prosequi novit.* Illum enim horrenda induit rabies. Hic demũ improbissimis vicinis nostris, quos meliùs captantes sagenas, & avida retia, & omnino ferinos ungues quis appellabit, ad id, quod eius dira, & perniciosa voluntas fertur, utens, omnes fere huius regionis opes subripuit, méque præsertim totũ devoravit, totúmque dissecuit: veluti qui ira excandescens gravi, sub ratione, nullum rationis vestigium retinet. Quia verò, ut cognovimus Pansebasti Domini nostri filio huius regionis, quæ est circum Bardarium, Imperium nunc substitutum est, ad nostrum communem Dominum scripsi, ut nobis opitulari assuescat, & quæ nobis utiliora sunt, suo exoptato filio proponat. Benignè autem, & clementer in nos se geret, si inter alia, nullo nos affectos damno in hac regione servaverit. Et hoc quidem nobis, maximè vero Deo gratum erit, scilicet. Scribas in regionem hanc nullos emittere. Hoc enim inhumanissimi vectigalium exactores, nobis obsequium præstiterunt, & gratiam. Equidem hoc patroni, & Domini nostri beneficium, in his ad eum literis vehementer petimus, etiam & scribimus ad te, ut qui illi ipsi administras, illíque ades quæ charitatem, & dilectionem decent exequaris, & ut ipsi charitatis Deo hoc offeras sacrificium, ut has nostras literas Pansebasto plane patefacias, illúmque perpetuò stimula ut ad illum finem tendat, quem literæ, sibi constitui, quærunt, & postulant, si utile hoc & commodum tibi videtur, ô frater admirabilis: Sed quid agam: In factum, & necessitatem artius contendere non possum, quam divina prole robustiorem, parœmia quidem prædicavit. Substitue igitur hoc certamen, & nobis potentissimus Hercules

Bardariõ

G

Homer. est. Iliad. 9. v. 239.

H

Adag. vide necess. strate ne Dij quidem resist. Hercules prædonũ domitor.

lactronum,

A Pſ. 50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.

latronum, & prædonum domitor & occiſor eſto. Ego enim veritatis prædones, hos ſcribas appello. Tandem Deus, cui, & vt Evangelium præcipit & ratio, ſacrificaſti, te ſceleris purum, & vitæ integrum tueatur.

DOMINO ADRIANO Fratri Imperatoris.

Epiſtola XXXIV.

SAncte Domine, ob has literas, quas nuper ad tuam Maieſtatem miſi, denſiſſimarum nubium tenebricoſum in me agonem, tragica quadam exageratione concitarunt. Ad quem, quia nullis ſum viribus, lacrymis propemodum hanc Epiſtolam exaravi.

B

Nunc autem quia crebrum eius grandinis imbrem, cuncta, quæ mea ſunt, miſerè perfringere, & evaſtare intueor, quomodo digne hanc calamitatem defleam equidem neſcio. Etiam & ipſa linguæ via mihi diſrupta eſt, & abſciſſa, & ita imbecillis eſt, & robore deſtituta omni, vt ſolum inſenſiſſimis ictibus, vt ſeupus pateat, præter hoc ſolum, quippe, quod loqui poſſum. Quoniam penitus à mendacio ipſa veritas ſuperatur, & turpis calumnia, contra ius, ſtemmate præcincta claro, purpureo in curru inſidens, ſplendenti pompâ incedit.

1. Cor. 11. 3.

Propter quod inter nos multi ſunt infirmi, & invalidi, & dormiunt multi. Me enim, ô terra, ô Sol, me inquam duobus illuſum Bulgaris, hæc præſentis vitæ ſcena manifeſtat. At vero Oedipus alicubi ſua inclyta denuntiet ænigmata. Sed enim hi, qui, candidæ veritatis & diſcipulus, & amator, & opitulator ipſi iam fer opem, vt oportet, periclitanti. Erit enim certum ſubſidium, ſi pro hac benevolus aſſurgens, in aures Imperatoris & fratris tui, libere loqueris. Durum enim eſt, durum inquam mortuos † canes, vivo leoni

C † Proverb. ſeu Adagiale. Iud. 16.

antecellere, & præferri. Qui divinis, & regiis coërcetur vinculis, & veluti arcto capiſtro validos rugitus excutit, quibus ſolis timorem in omnes incutere poteſt. Durum etiam eſt fortem Sampſonem acutâ calumniæ novaculâ abradi, & deinceps tradi alienigenis, qui oculos eius truculenter confodiant (quibus cœleſtia intuebantur) ita vt cogatur molere ea, quibus impij illi nutriebantur, & perpetuis gyris in eadem circumagi, & libero inceſſu cohiberi. Non enim mihi via eſt, & facultas, qua, ultra hæc dicere poſſim, ita vero & nuda rerum geſtarum memoria confundor. Si autem Imperatoris æquitas, ob potentiſſimum tuum, pro nobis ſermonem, illos, qui in nos audaci, & ferino pectore inſurgunt, paulum iniuriæ habenas remittere iubet, confeſtim, qui potentiæ comam præfecti fuimus, repullulantibus iterum crinibus obtegemur. Et iniuriæ ſedem & domum, in alienigenas, qui in nos turpi luxuriabantur ſtudio, evellentes, longum quidem certamen finiturus. Ipſi etiam vel cum pudore mortem trucem effugiemus.

D

Pro quibus te iuſtus Deus, quique in ſumma montium faſtigia iram ſuam convertit, omni criminis labe, & minacis mali affectu conſervet ſolutum.

CHARTOPHYLACI.

Epiſtola XXXV.

FRatrem meum ad te mitti, & mediâ hyeme longam, & difficilem viam conficere, certum noſtræ neceſſitatis, & ærumnæ ſignum tibi hoc fiat, ſancte Pater, & Domine.

Adag. Pſ. 119. 5

Ad quam nos ſolos decet tuarum precum auxilium impenſe efflagitare, quaſi reliqua omnia, nobis, ficulneam, ut dicunt præbeant opem. Ita quidem potentiſſima permixti fuimus fortuna, vt in me multæ calamitates, & mœrores graviſſimi ingruerent, ex quo in tabernaculis Cedar habitavi. At vero quæ mihi nunc eveniunt, tantum immenſæ amaritudinis acerbitate, & exceſſu illa ſuperant, quantum illa, oblectantium animam deprimunt.

E

Et nunc ſiquidem efficaciter cognovi, illum, ſcilicet, & qui à Deo receſſit, & qui ſuperbienti ferociâ ſibi fidit, eo quod Eccleſias obſtrictas, & penitus compulſas reliquerint, veluti ſordidos quidem, & puſillanimes fuiſſe, vt deſertis illis, atque everſis, ſacra omnia, & cæleſtia opera illudi, & ad ima ruere poſſent. Veruntamen his propter extinctam fidem, auxilium penitus dubitantibus, qui & in medio pelago veluti obruti, & immerſi videntur, portum, qui intra ipſoſmet eſt ipſis oſtende. Nos verò intra rationis limites conſtituimur, & verè Regnum cælorum, nobiſcum habentes invenimur.

Luc. 17. 21. Marc. 4. 39.

Equidem omni conatu, illi, qui, æſtuantes fluctuum impetus in nos excitat, indica, fruſtra turgentes vndatum maris illum attollere globos. Cum præcipue nobis adſit ille, qui tuis precibus illis imperat, & ait, *Tace, obmuteſce*, & in ſe ipſos, fluctus tui contuſi comminuentur.

F

DOCTORI MAGNÆ Eccleſiæ.

Epiſtola XXXVI.

SI me quidem conflagrantem conſpexiſti, Inclyte in Domino fili, tu verò manibus habens hydriam, nunquid tandem in flammantia illam pectora effudiſti, aut præteriſti ſuperbè, aut immanibus me oculis inſpectaſti. Non autem hoc ſecundum eſſe arbitror. Sive autem aliquid aliud, hæc præſentia nobis pericula eſſe exiſtimas, quam & flammæ, & accenſis carbonibus peiora. Non tu id quidem ſaltem nunc autem fer opem quoniam ad ipſos aſſides fontes. Si autem ſermones tenebris obvolutos ad te profero, & obſcura ænigmata, ſtatim quidem vel nihil diſſentaneum, & abſurdum faciens redarguar, præſertim cum illi loquar, qui talia diſſolvere, & talia evertere aſſuevit.

G

Niſi ſi quid intellectu difficile, ex his, quæ dicta ſunt, audiveris, interroga diſcipulum tuum, meumque fratrem, & noſtrarum calamitatum & cladium certum doctorem invenies. Quas quidem Dominus, veſtris, in nos precibus, veſtriſque votis diſpergat, & ſuperet, qui in omnibus noſtræ imbecillitatis curam gerit.

GREGORIO, PRÆSIDI Taronitæ.

Epiſtola XXXVII.

IN medio duplicis calamitatis anxij animi comprehenſus, Illuſtriſſime in Domino fili, & Domine, ignoro prorſus, ad quam præcipue me convertam. Cum enim te ex Colchide egreſſum fuiſſe audivi, & voluptate, & triſtitiâ diviſim actus exilui. Hac quidem, quia te viciniorem habemus, & urbs hæc Regia te vtitur, quemadmodum ex horrida tuæ abſentiæ hyeme, vernantibus tuæ præſentiæ floribus hilareſcens.

H

Et Imperator, qui omnium in omnibus eſt potentiſſimus, vigilem te cuſtodem habet, cui cogitationum, & curarum ſuarum molem communiter diviſit, teque ſibi legitimum effecit conſiliarium. Illa autem, quia neque clypei loco maximè verò quia neque in equo obdormiſcet, ſed laxè in ſtragula fuſus inclinabitur, pedeſque liberè extendet, & ſomnos dulci perſoluet conflatos ſopore, neque ſpectris, & portentis iam Taronites turbatus effugiet. Ponti autem vrbes nunc verè malorum Oceanum habebunt, & poſt tranquillam illam, ſerenitatem, qua tecum, & propter te vſæ fuerunt, ſævus ille procellæ turbo, qui ante te, cum illis, omnes invaſerat, ferventem periculorum æſtum irrequietis attollet flatibus. Quod quidem miſeris moleſtius eſt & gravius, quia ſumma eſt infelicitas. Nam

A felicitas, quæ in seipsam abrupta, & abscissa redit, horridior, & tristior advenit, quemadmodum frigoris asper horror, post calidam æstatis auram. O miserorum omnium miserrimi, quos, bonorum abundantia, & affluentia, qua fuerant perfuncti, in infortunia, & infelicitatis cacessum circumstat, quique iucundo tui veris temperamento germina eduxerunt florida, deinde confertim, & subito sicco exarescunt solo, & in pristinum calamitatum statum redeunt, ut fuit, quando in illos, nullum tu Imperium exercebas. Nunc autem hoc abundantiùs secum habent, ut scilicet, sensus creberrimis cladibus atterant, & omni utilitatis, & commodi spe destituantur. Nam quem alium in posterum invenire posse sperabunt, qui ita civilibus præsideat negotiis, ut vel hostium fere nomen penitus ignoretur, qui ipsis hostibus ita inclytè & Heroicè commodus, & decens existat, ut neque in urbem simpliciter, cum oculos curamque convertet, adversarios sibi, & reluctantes, in paupertatem redigat, subB ditos verò divitiis semper afficiat. Qui & milites, in bellum veluti alis ferri velocissimis coget & opulentos, & opibus onustos redire, & immobiles. Illud enim spei, & alacritatis ipsa celeritas præstat, hoc verò quasi quadam spoliorum abundantiâ, & copiâ Ecclesiæ opes quiescent: & filium, qui illam iam senescentem alat, illæ habebunt, qui benedictionibus, & gratia se firmari credat, & corporis viribus, & dotibus sese fulcire, & protegere studeat, cuius & prudentia ipsos deserti, Monachos concutiat, quasi corporis integritate, & puritate tantum superatos, & victos, quantum & in hac, purificantem ignem vident vim suam denegare. Sed enim fere quidem ingens affectus me tragico fecit insultare gressu. Illis vero C hæc ipsa propter fraternum amorem satis, supérque consecrantur. Tu vero, quia optantibus appropinquasti, & omnes, quantùm decet, te persinuntur, & ego quidem, ut si quis alius, dignus etiam sum, qui tuo præclaro fungar aspectu. At nequaquam mihi, iuxta ea quæ iam intercepi, harum literarum gratiæ mensuram repende, & iniice, neque uberrimos lætitiæ amnes, guttatim in nos effunde, sed pleno fluminis alveo, hanc meam humilitatem & mediocritatem inunda. Atque etiam ostende mihi, qui ægrè & perditè te amo, quæ frequentiùs, in te scaturiunt. Non enim iam in posterum, Pontum ipsum, immensúmque ad viam intervallum, in culpam, & excusationem adduces. Equidem semper iam quæ tibi iucundiora eveniunt, & commodiora sunt, nuntio ad me deferes securo, ut ita meam linguam qui adeo dives sum detrimentis, & damnis, calumniantium illatis acerbitate, penitus refrigeres & recrees. Qui & ob hanc caussam, hac aliâ inextinguibili flammâ diros cruciatûs dolores perpetior. Equidem quando ita tua semper audio, sicut pluviam prorsus, ut combusta, & arida terra suscipio. Audio etenim semper Theodosium, hæc D mihi enarrantem linguâ & beneficâ & benevolâ, sed dignâ operum existimatione depressa. Qui nobis semper adest, maxima quæque largè effundens, quibus & tui ingenij dexteritatem, & industriam nimis celebrat. Quam & adhuc dulci Dominus afficiens, & accumulans gratiâ, te omnibus virtutibus, & quæ spiritûs sunt, & quæ corporis splendidissimum ostendit, atque omni sceleris contagio, & infelici casu, te undique custodit superiorem.

NICOL. CALLICLI, Archiatro.

Epistola XXXVIII.

SIc quidem mutuo odio habemur, ut nec ullo compellemur sermone? Verumtamen ego quia nullo te prosequor odio, iam alloquor. Vales igitur, & ex arte Medicinæ, quæ humanitatis studio consistit, & ex E Regio tuo munere commoda tibi vindicas summa. Quæ utraque, quanta sunt, sunt utilissima. Longè autem ab adversis totus esto, & custoditus, ut hoc pacto ad illud saltim propius accedas, & ab ingenti fulmine, te illius penitus inexpertem tueteris. Sed cum amicos tuæ felicitatis fac participes, nec solus grandia suscipiens commoda, tibi habe. Impertieris hæc autem, si fratrem meum beneficio afficis, in his, in quibus te indiget, ut illi expedit. Quem cum videas, hac occasione, in tantam viam profusum, necessitatis magnitudinem facilè perpendes, qua pressus modo ire funditus compellitur. Nobis itaque totam tuæ potentiæ vim obiice, ita etenim te & maiora posse deprecabimur.

Eidem Epist. XXXIX.

F TV verò Alcmæonem illum nosti, propter horrendam, in matrem, cædem, in nullis terræ partibus dignum consistere iudicari: in me tamen oculos vertens tuos, dicam illius infelicitatis miseriam, & calamitatem conspicies. Nam me dirus ille carnifex, qui hominum tranquillitati obstrepit, & ex horum calamitatibus, fructus sibi ingentes adscribit, ex Achridis solo miserrime depulit. Deinde cum me Pelagoniam petere persensit, neque illam me pedibus terere dignatur, neque ullo me æquitatis iure tueri intendit, quoniam cum publicus administrator sit, carnifex fiat. Sed quid hæc gravibus ad te lamentis conqueror? Vt scilicet hunc meum errorem ipse sistas. Certè tamen tuus ille bonitatis fluvius, non est minor illo Acheloi, qui novam terram misero Alcmæoni substituit. Si au- G tem modum quæris quo consistere, & commorari possimus, te, illum frater meus edocebit, quem hac de causa ad te mittimus, ut nostræ calamitatis finem, & terminum inveniat, aliarum vero ærumnarum, ut ab aliis at huius mei dedecoris, ut à tua facili ingenij industriâ, ultimam metam defigat. Quemadmodum & mihi, & huic meo morbo te medicum illum Pæonem ostenderis.

Hom. in Odyss. lib.15. ver 248. & Pausanias in Arcadicis.

† AMYRNÆO SVMMO Philosopho.

† Fort. Smyrnæo Epist. 57. & 59

Epistola XL.

SI quidem Tragicos audire casus desideras, ô Philosophorum, qui Christiani sunt, & Christianorum qui philosophi sunt, maxime, meas, ad vestram amicitiam pete literas. Nihil enim aliud quam anxij suspiria cordis, tristésque planctus hæ tibi referent. Quoniam his diebus nobis solum horum materia abunde suppetit. Si vero tibi Tragædiarum satis est, & è propinquo largè illis frueris non equidem necesse erit è Bulgaria illas impetrare. Neque literas à me exige, H quæ tibi mea infortunia manifestent. Non enim, non inquam, aliena scribere nobis vel volentibus vacat. Sed sponte scribente calamo, ipsa calamitatum exarabit enuntiatio. Atque ita & simul scribimus & calamitates, tristésque casus scribimus. Etenim ipse facilius etiam talibus affectus eris eventibus, ne cuncta, qui virtutem elidunt, felicis consequerentur. Quibus iam Dominus non propter opera iustitiæ, quæ fecimus nos, sed propter suam immensam bonitatem, nostram imbecillitatem detraxit.

PANHYPERSEBASTO Bryennio.

Epistola XLI.

HVc adeste, audite, omnes, qui timetis Deum, & quæcumque animæ meæ verè Panhypersebastus

A stus intulit nobis manifestè enarrabo: Iamque & qui nulla illum formidine veremini. Vos quidem quasi communi gaudentes hilaritate, proceditis, & in illum solum oculos defigitis, in quo nos audaci, & tuto confidentes spiritu, nunquam decepti fuimus, nec elapsi. Et hic quidem omnino optimus, nihil eorum præterit, quibus in nos ingentia possit efficacissimè emittere beneficia. Nam me, cùm fere iam inter eos, qui ad sepulchra efferuntur, annumeratus essem, atque horrentibus honoris tenebris comprehensus, in lætæ vitæ lumen revocavit, atque constituit, & syderum Regem solem, in me, ad fovendam vitam splendidiorem, & calidiorem circumiecit. Neque improbitati, & vitio permisit, ut caput contra veritatem attolleret, superbiáque coronâ præcingeret, etiam si minaciter os suum aperiat, & multo incumbat conatu, diréque superbiat, nostras opes, veluti relicta ova confringere intendens. Hæc enim, quia auxiliatores sibi,

B Ps 31.5. illos, & opitulatores habet, ausus est excogitare, *qui dixerunt linguam nostram, extollamus, labia nostra, à nobis sunt, quis noster Dominus est?* Et venenum aspidum in nos conspuentes, præclarissimam, & mitissimam Imperatoriam animam lethiferâ amaritudine infecerunt, & quidquid Ecclesia nostra continebat ingenti internecione deleverunt. Et omnium quidem harum rerum causa, vectigalium exactorum insatiabilis cupiditas, & corrupta consuetudo fuit. Qui nostræ linguæ gladium, ipsorum iniustitiæ nervos præscindentem, nullo tolerantes modo, & *laborem conceperunt,* Ps 7.15. *& pepererunt iniquitatem.* Et hoc quidem in ipso potentissimi nostri Imperatoris conspectu, in nostrum contemptum, & abiectionem sunt aggressi, & rebus, quæ nunquam fuerunt, fictam verborum contulerunt vitam, & fœdum mendacium, pulchro pompæ apparatu exornarunt, & in nos invictam vim per petuò testantes, etiam illos fabulæ centimanos & centum horridos capitibus Briareos, & Typhœos, meras esse nugas nobis persuadentes, quasi ita nostram in lo-

C quendo libertatem, comprimere possent, & cohibere. Cuius acerbitas & amaritudo illorum corda invadens illos frigido cogit horrore conteri, & manus metu contrahere. Qui inde obiter obtecto personâ vultu, ipsam calumniam, & maledicentiam in cœlum usque efferunt, qui solum sunt flammanti Tartaro digni. Et Lazarum quidem, qui cum Ecclesiæ esset colonus, & se nimis libertati dedere cogitaret, è cervicibus habitationis iugum desideravit excutere. Hunc inquam contra nos audaci armarunt pectore, & quot, & qualia diceret, illum edocentes, etiam ipsas Imperatoris aures impleverunt, & illius animum, qui tunc nobis candidus erat, atro conspurcarunt facinore. Semel igitur hic Lazarus cum vidisset sibi, sua propria figmenta, præcipiti decurrere flumine, & nobis, veritatis opera coacta, quasi reciproco reflecti amne, non

D Bulgarorũ indoles. tulit, quin suâ terricâ naturâ contra nos dirius uteretur. Est enim Bulgarorum natura omnis sceleris, omnísque mali nutrix. Qui vero, cum sibi non satis esset, si commilitones, & pugnaces Achridiotas in bel- Achridiotæ. lum contra nos excitaret, alias Bulgariæ regiones circumiit, & nimis sollicito indagavit studio, si fortè aliquis contra nos esset, qui aut ob conditionem, aut dogmata esset condemnatus, vel quia multinubus, vel quia contra iuris leges nuptias fuisset molitus, Ecclesiasticis esset obstrictus vinculis. At demum cum multos huiusmodi invenisset, cunctos contra nos, quasi Achridiotæ essent, arma compulit, & nobis ex ipsa aratione, & vinearum cultu illos eripuit, ægrè animarum morbo laborantes. Et quos in urbe invenit, alias ob causas damnatos, ut in ipsum Imperatorem alta voce conclamarent, persuasit, ita ut nomen nostrum probris, & maledictis contemnerent. Novit enim me capitis periculo petens, ut si solum voces attolleret, se contra Archiepiscopum, etiam ipsum Imperatorem esse evocaturum, quibus quidem meus honor sordido penitus fœdaretur dedecore, aut, ut quæ

E spiritus sunt, loquar, quasi in busto collocatur. Nuper autem à me quasi se totum comburi, & absumi affirmavit, & neutiquam vel à quovis accensus est, & afflictus; nec habuit quod amplius everteret, nam cum se veluti nihil proficere, & agere videret, sed solum quasi quadam id curiositate suscepisse, etiam & ad exactorum artem, & modum hæc effecit constari, & contra canes, mensæ asseclas exitiales, & vastatores impios, in unum solum vidit confluere, ut si fortè illi, ipsi latranti quidem prius, tandem altissimo vociferanti latratu, ut socij super iniicerentur: Est vero ipsa Carcinade inermior, ac nudior. At si hic quodammodo absumptus est, & combustus, nihil hoc ad Parœmia. me attinet, non magis quam ea, quæ in Libia, ad Indos, qui Nissam incolunt, peraguntur. Equidem Achridem reliquit, quia inquit, ut grave illud & intolerabile se perpeti incommodum, nulloque illud posse modo sustinere, & ita ut tristi depressus morbo ite-

F rum iter ad Pelagoniam deflexit. Deinde quid non diceret eorum, quæ nulli nota sunt, etiam eius authoritate interceptâ fidem exigeret, qui ita in eundem locum, cum illis, qui secum, sibi similia perpetrant, proficiscitur. At Imperatorem, quia talis homo est, qui vino arcana, quæque pectore condit, nec facilè mendaciis fidem præstat, tamen ille sceleratus, & nefarius detorsit, & ad sua facinora emollivit. Quid verò ficto non prætexit animo, quid non multo deflevit lamento, & cuius fidei, & iureiurando pepercit, ut atrox efficeret, & educeret incendium, & ut persuaderet sibi talia ab Archiepiscopo fuisse substituta, ut mitem Præfecti benevolentiam conciliaret, quem penitus ille in vindictam depopulatus fuerat. Adhuc etiam & affirmavit vias omnes caseo fluere, & meos montes dulci scatere lacte, & talentorum (non quidem novi quot, vel quanta dixit) adquisitione multâ me ditissimum esse, & opulentum, & satrapicâ me degere affluentiâ effin-

G xit. Maximè autem me, cum amaritudine omnibus existere, & amplas illas Medorum ædes quas Archiepiscopi fuerant moliti, & quæ in Susis, & Ecbatanis sunt, cum his meis palatiis multo erectis fornice, & denso structis tegmine collatas, tuguria prorsus videri. At ego has domos dirutas, & ventis expositas, in quibus æstatem perago, quasi harum carnium, quæ in me adhuc apparent, caminum reficio & apparo. Quæ quidem omnia Dæmoniacæ mentis sunt figmenta, & portenta diræ linguæ, quæ solum conviciis effutire edidicit. Nam extra terram hanc, quam inani garrulitate hic est loquutus, inventus sum publicarum opum nihil habens, qui ego viribus, & potentia multus eram, & ipsis Aloadis æqualis, etiam & me iniuriose, & calumniose indagavit, & verbis me excussit acerbis. Ne ergo aliquis me indictâ causa condemnet, tributorum exactoris calumnias, in me certas, & exploratas inde detorquens. Sed ad quæcunque ille di-

H xerit, & ad Ecclesiasticæ substantiæ defensionem constans persistat. Quare iam maximè tuo imperio mihi opus est, nihil enim in hac re, novum à te peto, neque aliquid, quod divinæ, & sanctæ Imperatoris animæ præter morem fuerit, sed quod assiduo in omnibus ubicunque servat, hoc in me & observari efflagito, ut illius nefarij hostis, & ultoris iniusti ne verbis antevertar, & capiar. Si enim ex clericis, ad Præfectum, inquit, debere lucra, & quæstus devolvi, *non id curat* Adag. *Hippoclides.* Non enim hic ego ulli obnoxius sum. Primum quidem quia neque antea à nobis lucrum susceperunt aliquod, sed par unum unusquisque excutiens, & excusans quæ ultra hæc sunt Præsidi perfecerunt. Denique quia in omnia animalia, magis quam in hoc decimatione non servata persiti. Et hoc non rapinam alicubi. & furtum Præsidis, aliquis improbè, & iniquè iudicans, constituerit, sed potius absurdam, & inconsequentem animi sententiam Imperatoriâ munificentiâ præscriptam, qua cupiose sunt usi, qui illam adinvenerunt. Nunc autem cum hæc munificentia, & ambitio finem suum susceperit, &

notum

A notum augmenti cumulum, meritò quidem vltra præ-
scriptum legum modum & Præsidi cuncta adquirant,
& quetidam superbiæ fastum, & insolentiæ tumorem,
in ipsa exactione, & efflagitatione constituunt. Vlti-
mò, quod & lacrymis est dignum, quia neque popu-
lus, non seevatæ vnius paris exactionis: neque præ-
† ἐξκουσείας. scriptæ in animalia † excusationis particeps effectus
est. Sed cum iam ipsis à computatoribus maximè &
scribis, paria, & animalia præfinita & perscripta (vt
dicam aliquid ridiculum) apposita fuerint, non solum
restituere sunt coacti ea in quibus condemnati sunt, vt
re infectâ manerent, sed iterum, atque iterum restitue-
re. Hoc equidem in aliarum rerum summam etiam ini-
quissimè sum perpessus. Etenim & super molarum pro-
ventus, dupliciter clerici, quam laici sua pependerunt
tributa, & super ea, quæ Bulgari sua lingua *strugas*.
Græci vero *διώρυχας* scilicet *effossos lacus, & paludes*,
B in quibus piscium captura, & venatio paratur, appel-
lant, etiam multo pluries, quam tota communis multi-
tudo mulctati sunt. Et hæc pius ille, vt probatus vir suis
machinatus est artibus, quasi ita quæ clerici lucra im-
penderent, in Præsidis invecta commodum, amplifica-
rentur, & crescerent. Atque ego ideo ingentibus essem
affectus calumniis, quasi tantum detrimentum in meum
opitulatorem, & munificum converterem vt ingratus,
& insatiabili obrutus cupiditate. Hæc etiam dico de
tributis, quæ ab Ecclesiasticis hominibus extorsit. Ete-
nim hi iniustissimè sunt ab exactoribus afflicti, cum
Monachi essent, & consecrati eunuchi. Etiam & laici
quidam, quos non plures quam quinque esse arbitror,
qui nihil Præsidis possident, hi quomodo dignè cogi
possunt, vt tributa pendant. Non enim, non inquam,
Imperator hoc efficere potest. At me ipsum, qui ita
sum hac honoris cohonestatus magnitudine, mulctæ
alia pœna invasit, quasi hunc nihil meæ dignitatis
C præstantia pudefaceret. Ita quidem super iam pridem
detracta molarum fœnora, omnia exegit, & in ea quæ
constituta fuerunt & imposita, nos duplo magis, quam
Piscinæ. Bulgaros, divexavit. Et ob quendam palustrem lo-
cum, cuius piscium erat magna inopia, & venatiu ra-
rior, ex tredecim, octo deponere, & tribuere coëgit
illum, qui non pluris ibi pisces, quam vnius dioboli
pretio dignos suscepisset, & interea etiam vt alij, in
similibus locis, vnum diobolum pro quovis pisce obii-
ceret. Cumque etiam Ecclesia Imperatoris licentiâ, &
munere, ab erogandis piscibus, tam crassioribus, &
pinguibus, quam minutulis, immunis, & libera exti-
tisset, iam prædicti, viri, ut decimationem illa exsol-
veret, coegerunt, præcipue ex paucis animalibus, quæ
habui, vt in breve illis solatium, victumque donarem.
Adag. At non amplius iam progrediar, ne illa paræmia *Ara-
bicus tibicen*, dicar. Ille autem quam nuper vestra im-
mensa bonitas, nobis constitutionem, & statutum ad-
scripserat, prorsus in omnibus inutile & irritum effe-
cit. Etenim in hac regione mille modis ipsos incolas
reformidat, quasi ipsorum cuivis, tributa, viribus, &
facultate maiora, constitueret, si Archiepiscopalem po-
D tentiam rursus, & Dominum ipsum deturbaret. Et hac
alia se sceleris improbitate contaminat, cum perpetuo
efficiat ne Ecclesiæ, illi, qui in hac regione præstan-
tiores, & opulentiores sunt, traditi, & adscripti inno-
tescant. In quos Imperatorum statutum præsertim de-
bebat perfici, & toto absolvi nixu. Nam cum nos im-
pensius hoc inscribere niteremur, vt iuxta quas quis-
que divitias haberet, ita nobis singuli munera suppedi-
tarent, ipse rustico, & agresti in nos insurrexit animo,
& in solam nostram dignitatem iniurioso, & contume-
lioso incessit impetu, atque inquit, etiam ex primo
quoque tributum, quasi ex septimo, ab Ecclesia, tem-
pore tributa solvendi, vectigalia repetam, atque iuviri
tanta pensabitis, qui enim meæ voluntati, meoque sta-
tuto obsistet? Qui me iudicio convincet si illum, qui
tali est dignus pœnâ, multo maiori punio? Etenim sa-
Iud. th. 9. 4. pientissimam Iudith, soli Deo hoc cecinisse cognovi:
Dixisti, & facta sunt: excogitasti, & ecce extiterunt.
Qui equidem se ipsum tantæ beatitudinis facit parti- E
cipem. Quis, qualis, quantus, quamque ingens? In-
fra hunc ipsum multo putredinem tabo substernent.
Adhuc etiam ille & hæc substituit in accolas, Eccle-
siæ subditos, quos ipsos iniquissimè rescribens, nume-
ro adauxit, non ob aliam causam, quam vt non solo
paci, Ecclesiæ concederet. Et aliis etiam omnibus sum-
mis se opponere minatur. Quod Pregionis conditio,
& status manifeste fieri in rerum traditione penitus
prohibet. Et hoc ille agreditur, quasi ego acerbo in
hæc affectus animo, in huius regionis consolationem,
& recreationem inertior, & tardior fiam. Et interea,
Lazarus amicorum ipsius gratissimus, in nos om-
nes dominabitur. Etiam & in ipsa terræ deditione, Lazarus: de quo & epist. 41.
tunc mensuræ spatium rescecat, & detruncat, & in ipsa
numeratione ineptè se gerit. Vbi enim ipsi Geome-
tricas nosse rationes datum est? Et ego quidem arenæ
numerum, & pluviæ guttas facillimo describam cal- F
culo? Et omni modo, & loco, & causa & tempore,
& opere, & personâ, damna quidem & pericula, hic
iniustissimus mihi machinatur, & probra in me inferre
molitur ob illa quibus maximè novit, propria mea
cogitata rectiùs & feliciùs dirigi. Ad quæ omnia de-
fensionis, & excusationis locum mihi dari omnino de-
precor, vt iam dictum est, & vt huius sermones impu-
ri, ne vt oracula desumantur. Solutis etenim vmbris,
disiectisque tenebris, candida veritas, ipsum Leonis
vultum circunducet, & Simiam deformem subsiden-
tem demonstrabit. Equidem omnibus peto votis, vt
absque vllo impedimento, hinc, exitus liber, facilis-
que redemptio mihi constituatur. Non etenim hoc
remisso animo, & languenti spiritu appeto. Nam non
hæc mearum virium tenuitas, duri est scopuli robur.
Vnde autem animâ hac meâ ante tempus spoliatus
fuissem, qui nihil, neque Deum, neque Imperatorem
vestrum, pro virili, ut arbitror, iniquo animo, & ef-
fracto sum prosequutus.

G

DOMINO IOANNI Peribleptено.

Epistola XLII.

QVid equidem non sum dimissurus illi, qui ita sce-
lus suum cognovit? & ita illud odio prosequitur
ingenti, vt semetipsum suis condemnarit verbis, il-
lud demum palam proiicere non desistat. Etenim si ve-
rum dicere oportet, hoc, dimittere, & absolvere re-
vera non erit, nam crimen, & culpa non præcessit,
sed hoc tuæ probitati & candori facile impenderim, cu-
ius causa tuipsius accusator in tuis primis sermonibus
extitisti. Nam ego tuum illud prolixissimum silen-
tium, non tibi in crimen obiiciam, sed meorum pec-
catorum debitam esse manifestationem existimabo. Pro-
pter quæ & amici, & affines, hi quidem contra me Iob. 19. 14
insurrexerunt, & hæc divini Iob verba dixi *dereliquer-* H
*runt me consanguinei mei: & noti mei, mei etiam nomi-
nis sunt obliti.* Dominus autem ita in me conversus
est, gravem equidem in me iram exercuit. Sed enim quia
dulces, tui compellantis, & gratioris valuas in me ex-
plicuisti, non iam illas, vel negligenter mihi occludes,
aut nunc vel iustiùs, vel faciliùs de crimine expostula-
beris, non quidem ob solam opinionis suspicionem,
quam literis veniam exposcentibus conferebas. Etenim
nosti quanta tibi mulctæ pœna, ob durum nequinæ fla-
gitium iam impenderit. Nisi fortasse brevem tuarum
interrogationum explicatione, distinctasque punctis
earum notas audire curaveris, quibus vos; qui Latino- Latinæ literæ.
rum literis, & scientiâ, graviter estis exculti, nos qui-
dem agrestiores, & imperitiores sæpe compellitis. Non
equidem solum, quia te ad nos scribere, nobis nuntia-
tum est, cum tandem non scripseris, ideo id tibi vitio,
& probro verterat, sed quia non ignoras, non siqui-
dem amicorum colloquio, dulcique sermone indigere,

A non minus quam qui insanabili gravantur, & detenantur morbo Æsculapio quodam, & Pæone. Non enim mihi illa quæ apud nos sunt, pharmaca refer. Nam neque apud memetipsum, si horum plenas haberem pyxides, læto, hoc commodum animo commiscerer. Et sive miscens, sive inungens, sive composita quid affingens materia, morbo obsistam, & repugnabo. Non etenim, non inquam, corporis medicos, sibi ipsis asperas sui morbi vires detrahentes invenimus, sed hoc ipsum facere, quod oculi facere solent. Qui cum alios videant, vt se ipsos tandem videre possint, aliis indigent. Igitur crebris, vt decet, ad me scribens, ardentes meæ febris æstus refrigera, & varios pharmacorum substitue modos, & omnino mihi opitulare laboranti. Ita etenim & rationi grata, & consentanea perficies, cui te ipsum totum subdidisti. Et tibi etiam obsequi illos invenies, quos multo te prosequi honore iactas, & tuo pariter subsidij dignaris solatio, si verò multo, & immenso, hoc erit, quia tanto hi digni sunt, si autem parvo, & exiguo, quia B talia nunquam negligunt, & eiiciunt, qui verè bis digni censentur.

DOMINO ADRIANO fratri Imperatoris.

Epistola XLIII.

EQuidem tua Majestas, cui nulla par, me incredibili sublevavit ope, & caro mea fere reviviscenti virtute potentiâ, & gratia in illum repullularunt, qui animam tuam mirificis afficit, & prædicat gratiis, quasi huius misericordia ante ipsam existat veritatem, illique præeat, quibus omnes divinæ viæ circumscribi, & concludi edidicimus. Vnde mihi spiritus veluti aranea contabuit. Et *vita* quidem, iuxta illud divini Iob, *sermone ipso est velocior*, & iuxta illud Osee, *consolatio ex ipsis oculis effugit*. Quoniam huius hilaris vitæ filij, & propter hoc quidem interitus, & pernicies, nullo sunt paterno affecti amore, nulloque amicitiæ fœdere astricti, omnisque expertes sunt concinnitatis. Pulchrum etenim est hos ipsos Pauli verbis, & spiritu compellari. Direxerunt equidem omnia verba tormenti dolosæ linguæ procella, & inundatione. Attentasti vero ut arcum illorum acerbum & amarum opus, ut quod in simplicissimis, & levissimis culpâ, & reprehensione caret, ferirer. Verum enimverò sagittam illi quidem direxerunt, & in ingentem meorum vulnerum dolorem sese pararunt. *Tu autem suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me*; sed tamen quasi universam corporis † armaturam, hunc tuum ardentem zelum protulisti, & confractionem dispulisti cum robore: quod divinus Amos dixit, & ærumnam omnem, & molestiam, in calumniæ præsidium convertisti, quod vlterius, malorum & fraudium ars, à fundamentis construxit. Quorum Medenus vt artifex, & architectus primum adductus, graves, & nullâ mobiles D sede lapides, ibi iniecit, dicta, indictaque contra nos, adferens, & in Imperatoris aures illa effundens. Superædificarunt autem, & vsque in cœlum erexerunt cuncta, quæ in vrbe Achride peracta sunt, qui ab illius partibus erant, ita vt ipsum solum suffodientes, diruerent. Quibus vsque ad convitia, & reprehensionem ego persisto. Qui ita omnibus nimis supervacaneus, & curiosus videor, atque ab illorum consortio, & viâ, quasi à fœdissimis sordibus semper abstineo. Quibus cum aspicior, molestus est meus aspectus. Quocirca consilium inierunt, vt me, de bonoris grado detruderent, & calumniæ siti efferati, ad potentissimum nostrum Imperatorem, & optatissimum fratrem tuum ipsi evolarunt & me quasi multis insuperabilem vitiis, & magnâ fretum potentiâ, calumniis apud illum obruerunt. Et tantis, tantisque lucri proventibus, in pinguem divitiarum substantiam me dilatatum criminabantur, & magno in viatores impetu me ingruere. E Et hoc omni sunt robore machinati, vt me ab hac, cum ipso, loquendi libertate funditus deturbarent, qua quidem quasi è superiori loco constitutus, in illos contendebam potentior, illosque à suis temerariis consiliis, atque audacibus cogitationibus cogebam excidere, & quasi efficacibus, & potentibus manibus, ipsis rationis viribus vtebar. Et hoc quidem multis modis, iuxta rei familiaris administrationis indicium. At vero Lazaro (hunc autem probè nosti, sed cui ob iniqua opera, quæ in me dolose molitus est, est ignotus? Qui, vt ille improbissimus, qui ignobili ortus stirpe, illustris insigni fieri voluit nomine, præclarum Dianæ Ephesiæ templum crepantibus flammarum globis comburens:) Hoc igitur Lazaro veluti ministro, & satellite vtentes, quidquid illorum voluntati erat absolutum, illius instrumento perficiebant. Qui etiam inter alia

Est fuco similis, cauda qui iram occulit altam.

Et in hoc satis copiosa abundat facultate, vt cum tributorum exactoribus ad lucrum societatem ineat, illosque adulanti studio prosequebatur, & ab illis indu- F menta, sua ipsius arte mundiora, & liberiora, aliaque huiusmodi industriæ commoda suscipiat. Probra vero quæ in me petulanter coniicit, sibi cibum & luxum censet. Cumque perspicue intelligat, cuncta mihi maxime esse tolerabilia, nisi probris nomen proscindi meum, nihilominus tamen acutum suæ linguæ gladium, in id quod mihi magis præcipuum est vehementer distringit. Et Imperatoris auribus sed (ô, quomodo hoc dicam?) fœtidissimum suæ animæ lotum degustans, cœnosa illum implet spurcitiâ qui bonitatis, & virtutis est iucundissimus dulcedine. Et misericordiam, quam multam in nos concoquebat, ditâ illum nauseâ fecit evomere. At modo apertè asseverat, visto à me disiectum esse incendio: & nequaquam vel quovis modo incendij flammas supponere potuit, neque simpliciter habuit, quam igni materiam ministraret, aut quod damnum inferret, non aliter, quam fuci, favum mellis subvertentes. Sed cum Achridem non incolebam, hinc, G inquit ipse, me incendium struxisse. Pariter ipsum crimen affirmavit, & quod videri non poterat, omnium oculis obiecit vultuque figuravit, & largis lacrymarum rivulis, & crebris in terram iactibus, & miseris planctùs suspiriis, & aliis ad id commentitiis, & conductis Bulgaris. totum id prodidit, & cuncta se horribilia perpessum fuisse, deflevit, eo quod in præsidem benevolentiam conciliaret, & gratiam, & similiter in Archiepiscopum, tyrannicum prælium excitarem, ita vt ad commiserationis & doloris vltimum fastigium Imperatorem invexerit. Hæc itaque exactorum dux, & Dominus, qui in nos dominatur, ipsi exactori permisit. Cuncta igitur nostra ita agitantur, ita convolvuntur, iamque dum hic monstrosa in nos consilia moliuntur, dumque quæ in excogitata sunt, vt legitima maximè fovet, & alit, & crebro aggreditur conatu: dúmque etiam nocivum Zizaniæ semen in Ecclesiasticæ æquitatis puritatem conspergit dúmque omnes colligit fructus, non in trigesimum atque sexagesimum fœnus. (Non enim nos H ita neque felices sumus, neque illius terra ita tenuis, & sterilis) sed in centesimum alicubi, & inde plura. Hæc omnia quidem in nos excitavit ille pius & religiosus vir, huius invasionis, & impetùs præmia, exoptatum illis mel, quasi subiacentium tributorum sublevationem, & auxilium promittens. Quid non demum exactor iste perfecit? cum facultatem haberet, vt hunc vehementer deprimeret, illum attolleret. Etenim tantam vim ab ipso Imperatoris pectore consequi facilè potuit Pharisæorum fermento confusus, & omnium præstatione auctus, cui seipsum totum liberè immiscuit, qui nihil synceritatis, & veritatis infermentatum secum continebat. Et in his omnibus ipsius animus nulla est conversus eloquentia, ita vt vel ipsum Esaiam sanctum appellaret, sed etiam adhuc illius manus in sublime

Ps. 89. Iob 7. Vventus est vita mea. C Os. 13. 14. Consolatio abscondita est ab oculis meis. Rom. 3. 13. Ps. 13. 3. Ps. 63. 4.

† πανοπλίαν. Amos 4. v. 2.

Lazarus Theophilacti adversarius, sup. ep. 41. Herostr. Dianæ incendit templum.

Hunc ἀνατρέχει τοῦ σπόρου τῶν [illegible] Auth.

Matt. 13.

A evecta est. Qui etiam & nunc rursus Lazarum mittens, cum quibusdam familiæ sociis, ab hac regione discedere cogitat, quos, quod deceat illos loqui, exactè edocuit, & Imperatoris statuta, circa huius regionis lucra ut in Ecclesiæ commodum irrita essent, & invalida conatus est perficere, nostrumque auxilium nobis, ut inane, & inutile accideret, studuit. Maximè autem Imperatorem mendaciis flectere tentat, ad ea, quæ ea suo proprio corde loquitur, scilicet conventionis pacta, & statuta stirpitus diruit, & aureum illud decretum in illa sancitum, quasi aranearum telam haberi. Qui & conspirationem conflat, & cuniculos agit, & celandi, & fallendi laqueos enarrat, & explicat. Dic iam igitur, quis huius vultum intuebitur? Etenim omnino nobis, quasi alterius opinionis, & sectæ abutitur. B Deinde non quidem grave erit, si hic indomitus manet, & in suo scelere insuperabilis, & adamante durior, & vestra benignitas, & humanitas, cum se ad exercenda bona dedexerit, deficit, aut fatiscit. Et mundi Princeps, ipso, qui est omnipotens, & summus, plus habens invenietur. Equidem ita existimo. Non enim spiritus iste tuus vitij, malique osor, huius hominis, in nos tumultuantes perturbationes crudosque affectus, molestè ferens, efficit, ut noster Imperator potentissimus, & invictissimus altam ipsius vafritiem, & recondita consilia in memoriam revocaret suam, propter quæ nostram ærumnarum miseriam proprio condemnabit suffragio, eo quod exactorem anticipatâ occupaverimus industriâ, verum etiam alteram aurium nobis incorruptam, & puram observabit. Quod quendam Græcorum Imperatorem ita fecisse celebramr. Etenim nos totius bonitatis duce, & ministro Evangelio edocti sumus, non legem vestram hominem iudicare, nisi illum prius audierit, & quod fecit cognoverit; neque C ea, quæ absolvit constantibus comprobata decretis, nullique fraudi, & deceptioni obnoxius, in eos, quos condemnaverit, proferre. Deus quidem, qui iniuriâ afflictos, potentiori manu custodit, & confestim, vel ut æquali, & digno bona opera compenset munere, vel ut beneficia in probos conferat, mercedem, & præmia, quæ ob nostram libertatem & redemptionem statim tibi in posterum absolutissima servabit, & perfectissima: Idemque te nunc ab omni corporis incommodo, & animæ labe custoditum servet.

[illegible]

PANTECHNÆ, Imperatoris Medico.

Epistola XLIV.

GRatia maxima sit Verbo, quia tales nobis filios peperit, qui eius ipsius typum, miramque imaginem ad unguem referunt, qualis ipse mihi inventus es, dilectissime. Præcipue in hisce diebus infelicissimis, & ita pessimis, quæ horrenda nobis monstra D educunt, qualia Empedocles bove genita ora fuisse scribit. Tu quidem pro nobis in discrimen, summumque certamen, summâ quoque alacritate prodis, & magno cum decore rationalis obstetricationis, & nutritionis mutuam compensationem, in medium profers, & si mihi demum in auxilio non fueris.

Empedocles.

Ipse canes pellam invectos trucis impete fati,

Qui me auidè devorarunt, meque in partes totum diviserunt, non aliter quam Actæonem illi qui seipsos nutrierunt. Hæc equidem in dusos illorum latratus modo tumultuantes scribimus, ut fortè ipse Imperator illa audiat: fortasse quidem has perleget literas. Dei etenim erit, qui totius veritatis pater est, Imperatoris ad hæc, mentem, & cogitationem suo lumine conspergere, & obfusas mendacij tenebras excutere, & prævisa negotia quidem, & opera constituere. Ita enim vel qui in exiguis peccat conteretur, & iustus æquo procedet studio. At nunc verò ut illorum manus ita efficax est, ut quidquid voluerit,

Homer. Iliad. lib. v. 548. Actæon à canibus suis dilaceratus.

E & sibi præceperint, exigant, & exsequantur. Periculum est etiam ne ipse iustus pervertatur, & ipsa ediscat, & animadvertat crimina, cum sceleratorum flagra multis illata ictibus, in ipsius sortem, & substantiam missa, & contacta fuerint. Hæc equidem illi sunt enarranda, cuius iustitiæ, & humanitati fidimus. Iustitiæ quidem quoniam nihil nobis ipsis, commisimus eorum, propter quæ male audimus; humanitati verò, quia illum suis ipsius legibus alligatum dimittimus, & aliis nostris iniquitatibus delinitum. Ipsis verò nunc linguæ utere telis, quæ ab ipso Verbo, suo tempore propellenda, & agitanda suscipis. Hæc itaque tum in Æthiopas eiice, qui meus es Antilochus, tuo ipso Nestore præstantior.

F

DOMINO IOANNI Philosopho.

Epistola XLV.

NOn equidem ego nunc frustra, meum, sed potius Dei, Ioannem omnibus philosophis anteposui. Qui tantùm abfuit, quin horum unus existeret, qui nunc philosophi nomen sibi arrogarter vindicant, nisi saltem ipsis operibus, quantùm ab illis recederet, facile patefaceret, & duplici id rationis iure, vel totis nisibus observaret. In illis enim nihil ita studiose excultum conspicimus, quam fraternum odium, & ex hoc omnino, in summi Dei odium, progressum. Huic verò Dei religionis, & amoris speculum, ipsum fraternum amorem, & dilectionem ante oculos obiecit. At verò nos iam multo ab hinc tempore neque vidisti, neque in rebus necessariis favisti nobis, postquam multis actos calamitatibus, & cum calumniantium periculis, & detrimentis variis depugnantes nos inspectasti. Quæ quidem multorum, & G fortium etiam nervosa genua, viresque dissolverunt, & adhuc etiam disiicient. Est enim horum robur potentissimum, vis incredibilis. Prima enim laude, & loco digna esse existimantur. Ipse autem, quia multa quidem perpessus est, ad eos, qui infortunij damna, tristesque clades evertere poterant, in harum auxilium, omne studium, omnemque curam collocavit, & pro hac nostra laborum miseriâ patrocinium suscepit, & omne id, quod illum decebat aggredi, mirè perfecit. Non enim solum scientiæ suæ vestigia in hoc reliquit, cuius, scilicet philosophiæ, ultimum iam scanderat fastigium, sed sermonibus vires suas acuit, quibus duram prementium invasionem æquo animo posset ferre. Sermonibus inquam, cuius? qui non ipso fumo dulciores sint? Cuius? qui & ipsa Geometricâ ratione ad persuadendum, & ad dandam fidem non sint exactiores, & callidiores? Non enim ipsi, nedum quidem sapientem parem posse, dabitur, inveniri, qui ita H opere, & sermone ad amussim sit absolutus. Etenim ipse æthereus, & cœlestis, alas Aquilæ præcinctus avolasti. Qui quidem ipse Aquila es, ita etenim arbitror, sed sit melior sermo, Rex es omnium, qui in altum celeri tolli possunt volatu. Quos & ipse audies unum, aut duos veritatis hostes, qui in nos conviciis asperè insurgunt, & veluti è tenebricosis nebulis, & densis mendacij umbris, in me sagittam intendunt, profligare, ipseque omnem in animo tuo conatum, contra ipsos impones. Nec linguam rationi, & Deo impendere lassesces, qui veritatis est verus protector, magnusque expugnator. Sed enim cautus, & mitis esto miles, & districtum gladium, ad latus tuum præcinge altamque facundiam, quæ rationalis potentiæ, & veros cogitationis astringat fasces, atque ita ipsos hostes expugne. Nobis autem puram illam, & utrinque constantem benevolentiam invictissimorum Imperatorum assidue exhibe. A domino autem iustam retributionem assumes, qui bonis bona largè profundit.

A quo

A quo etiam in omni bonitatis, & virtutis, & iustitiæ, & veritatis munimine obtectus custodiare, quibus ipse Spiritus sanctus ad æternæ vitæ maturitatem excoquitur.

DOMINO IOANNI Peribleptenο.

Epistola XLVI.

OBliquum quidem & incurvum lignum, O bone Ioannes, nequaquam rectum, nimirum & nulla ex parte melius, quoniam nec peius illud mihi confeci, hic enim inimicus ipse est, & non alius. Maximè autem contra feras est, quæ quo maiori destituuntur vitæ commodo, sævius in feritatem excandescunt, & ubi furorem induunt, crudeliùs animis agitantur. Et manifestè quidem sceleratus homo, cum infert dirum alicui mortis exitium dæmoniacâ tunc accenditur bile. Igitur illam potentiam solum licet explorare, & invocare, quæ dæmonum vim propellere, & deturbare potest. Illa enim huius legionem incusans & puniens, nobis viaturibus, ut absque ullo metu, stratam huius vitæ viam absolvamus concedet. Nisi autem & in porcos, huius asperum iugum, & pondus deflecteret, etiam & Bolgaros, quibus ipse præest in indignissimũ præcipitium, & scopulosos compelleret saltus, certe non absque ullo gressus offendiculo nobis propriam viam transigeremus, nec ad Deum nostra dirigeremus vestigia; A quo ipse in omne bonum quasi viæ duce, feraris, ipsos dæmonis laqueos saltu præteriens, viribúsque superans.

EIVS DISCIPVLO PANTECHNÆ, Domino Michaëli Medico.

Epistola XLVII.

IGnoro prorsus utrum tecum congaudeam, Fili mi Domine Michaël, aut tristi afficiar dolore, eo quod summam Imperatoris Aulam firmo ingressus socris pede. Nam multarum rerum gestarum gloria, primum nobis locum concedit, at rerum agendarum veritas, secundum, quod minimè verò debuerat. Sed enim quoniam quod iam factum est, non fuisse factum non potest, & illud dissolvere, & omittere non licet, prudenti nunc opus est solertiâ, ut quod effectum est, summâ ingenij dexteritate exequaris. Iam quidem & hoc ita continget, si omnibus, in obsequium inhæremus, quasi inter Scorpiones habitantes, & cum illis, qui verè aut in sublimiori sunt sede constituti, aut esse quidem existimantur, abiecti, & humiles submittimur. Dura quidem res est, & gravis, anticipata opinio, & quæ summâ cum difficultate loco suo moveri potest. Vt vos quidem dixistis, & maximè si in improbo viro, & fallaciis polluto latentibus, enutritur, & frequens persistit. Tu vero intellige, quoniam loquor.

Hostes Tyrannus subderis vincto pede.
Non Rex profuerit, vel summi sceptra Tonantis.

Hæc equidem hactenus. Tu vero ne, cum de hac te periculum facies, indigoo torqueberis affectu. Sed enim temetipsum occultanti obtege, ut decet, umbrâ, & usque ad ultimum te gradum demitte, & omnibus mitis esto, & tranquillo, & sereno pectore, & plenâ honoris aurâ omnibus colloquere. Et tuum studium, tuámque curam, & sedulitatem, quasi inermibus, & imbecillia ortam manibus manifesta. Et DEVS quidem claro te obfundet lumine, si quid benè ego conicio, & ut certis id educitur signis. Tibi denique lingua benedictis, & laudum perstrepat halitu, & Dominus omni te rerum incommodo priuatum, & crimine nudum custodiet.

Hom. Iliad. α v. 18. τίμημα legitur, non σέμμα.

BVLGARIS QVOS ILLE Instruxit.

Epistola XLVIII.

T*Abescit in me anima mea* ardenti desiderio, quo in Dei tabernacula flagro. Et ob hanc causam velocibus me pennis accinxi, ut si possem illa ingredi, & his frui, quæ summopere exopto. Sed enim languidos lumbo meos videor exclamentes audire. Mane, O miser, in tuo constratus lecto, & uos, qui ex me estis, & meis, & his, qui mei non sunt, quasi ex meo ore annuntiate, sustinete exiguo tempore meam infirmitatem, & morbum, qui me depressimo, & demissum, non multo ab hinc intervallo in hæc inferiora coget, vos vero hoc agitatos gravamine, etiam illo facilè liberabit. At ne mali potentiâ, & vi, ut citius deponamini utentes, à vestri consilij, & voluntatis scopo aberrate. Hoc enim non decens, non opportunum est. Neque malos videri, & improbos, nobis adquirite, nam hoc turpe est, & absurdum. Et hoc etiam alio est molestiæ pondere intolerabilius, & gravius, his præcipuè, qui magno optimi Christi nomine, cohonestantur, à quo videntur & efformati esse, & rursus efformari.

Thren. 3. 20.

DOMINO IOANNI Attaliotæ.

Epistola XLIX.

EXistimo te innumeras mihi debere gratias, Illustrissime in Domino fili, quoniam te, cum adhuc primam teneræ ætatis ageres vitam, in ipsas Musarum adduxi gratias, teque servavi incolumem, etiam pavi. Et hoc quidem debitum nequaquam ipse negabis, nisi te ipsum alienum à Musis omnino ostenderis. Quocirca quia id facile confiteris, omne hoc discute, & dissolve officium, efficiens ut sacratissimus Metropolitanus Sides compensationem hanc, & emolumentum accipiat. Hic enim ita mihi coniunctus est, mecúmque unitus, ut non alius à me videatur, sed idem quod ego sum. Itaque totam hanc potentiam, & facultatem quam tibi, ut tu beneficiis alios prosequereris, optimus Deus est elargitus, omnem mihi admove, in me deflecte: ut hunc Dei servum, & ministrum, in omnibus semper bonum, multo beneficij munere sublevare possimus. Verè quidem, optime fili, ita laborum, quos in te contuli, fructum, & utilitatem capiam, & ita nutritionis præmia, à te accipiam: Atque literis tuis me edoce, quot, & quantis tui auxilij donis perfungatur: Teque precibus suis ad summam evehet benedictionem, quæ si non aliud, saltem paternæ sunt, quæ filiorum domus, & sedem sacris firmare fundamentis possunt. Qui hoc ita exactè exhibens, facilè veri sermonis verum patrem, te sine † crimine, & sine discrimine servantem inveniam.

† ἀνέγκλητον κακώσεως καὶ κακύνσεως.

BRYENNIO DVCI Dyrrachij.

Epistola L.

ET si exiguum, & minimum illud ad summam tuæ Maiestatis altitudinem, pisciculorum munus, ipsa Verbi Mater emittit, equidem ænigmaticum quid, & symbolicum, & multis rebus præstantius, & sublimius secum adfert. Oportet enim ut quæ Verbum peperit, quod omnia sapientiæ viribus undique præstat, nullâ in te imprudentiæ sit, & ignorantiæ involuta tenebris. Illa verò quæ ad te missa sunt, præviam ad virtutem constitutionem & viam patefaciunt.

A Ea qua, & in qua, quidquid anima humoris habet, & quidquid in his aquis, quæ sub cœlo sunt, conteritur, in quibus ipse Lebiathan Principis imperio horrescere cognoscitur, homo rationis, quæ se ipsam circumducit, quæque se vndequaque circumit extraxisti. Quod salsis, in vndis condiens & quod in nobismetipsis nos habere iam decretum, & constitutum est, liquefecisti, & salis conditurâ macerasti, & aridum, & leuissimum ostendisti. Horum equidem numerus, perfectionis, quæ in bonis est, est symbolum, cum germen sit denarij, omnium numerorum & perfectissimum, & extremum. Sed enim ita quidem viues, & tantam semper vitam deges, in solum Deum oculos defigens, qui ab alto in nostram hanc infirmam humilitatem descendit, & rursos in sublime ætheris cacumen evolavit, vt illos, quos secum sustulit, attraheret, vt pollicitus ipse fuerat. Fere enim nihil mundi Principis curam gesit, & multam etiam illius miseriam, & paupertatem cognoscit, etsi regnum se habere superba iactet ceruice, & se cuncta daturum promittat, si illum verâ adoratione prosequantur. Et quidem ipse totus hilaris, & lætus totius boni datos & extitis, & effectus fuit. Sed non quidem ministratorio Dei ordini, atque cohorti. In qua carnalia serens, spiritualia metes, vt Diuinus Apostolus est loquutus. Etiam & Deum, in domum tuam intromittas, qui à latere tecum constantî percurset gressu, teque secum sustinebit. A quo demum & corporis periculo, & animæ sordibus liberesis.

Denarij perfectio.

B (margin, beside "di Principis curam gesit")

1.Cor. 11.9.

Epistola LI.

LOngiorem ad tuam dilectionem epistolam scribere, Illustrissime frater, & domine, hanc præsentis temporis occasionem, & angustiam neqoaquam mibi permittere, non asperè quidem, nec cum difficultate, his breuissimis literis cognosces. Verum enimuero has, vt multo versuum ordine conscriptas, & nullibi C amici animam delectantem, irridebis. Quomodo igitur vales, qui & salutis frui munere, & nullo dolore affici & corpore, & animâ dignus es. Quippe barum literarum tumultuantes susurrus, non aliter quam fucorum examina, ægro animo feres, qui mel omne, pacificæ, iuxta animi sententiam vitæ, tibi furantur, & eripiunt, & hoc quidem nequaquam condiunt, etsi insuavi murmuris bombo circumstrepant. Obseruas quidem dulcissimum tui ipsius thesaurum, quod nec tibi eripi possit omnino, neque à quoquam diminui. Sic etiam & quæ nostra sunt, esse precamur, & cupimus. Attamen hæc calamitatum esse, & cladium domicilium, & agrum, pro comperto babe. Quas nostra crimina homi repentia, in cumulum aggerunt, hoc truculento, exactore, quasi ministro vtentia. At magnus pastor Christus nos non levi spe pascit. A quo, qui per pascua educitur, nullis vnquam priuabitur bonis, & super requiei gramina viridantia, & in aquæ vivæ scatebras declinabitur. A quo ipse D à luporum incursu, qui invisibiliter nobis in occursum obiiciuntur, semper seueris incolumis.

DOMINÆ, QVÆ IPSI Ægrotanti prospexit.

Epistola LII.

REnovas semper operibus tuis ipsam Dei inter homines conuersationem, atque pariter ostendis, in te quidem, illum, humano more agentem; & in illo autem tuam humanitatem quasi ipso Dei integumento sacratam. Tu autem omnibus ad pietatem occurris, & me revera inuisere animo reputas tuo, & tuæ bonitatis commodo, & vtilitate quasi inebriari, & obruere. Iamque & me, qui tuus semper fui, nunc præsertim fere mortuum, reviuiscere fecisti, & ipsa resuscitasti. Pro quibus & quid maius tibi deprecari potero, & expetere, quam ne quidem in te ipsa hoc diuinum mysterium vnquam ostendere cesses, vt sit tibi hoc ipsum & † felix palma, & eximium præmium. E

† [illegible]

MACREMBOLITÆ Prespæ Principi.

Epistola LIII.

NOndum equidem nos illo gravi morbi decubitu liberati, & soluti sumus, Illustrissime in Domino fili, & tamen sacra canonum vox, sacram nobis synodum imperavit. Vox quidem omnino Christi, à lecto enim resuscitat, & ad liberum motum, & deambulationem vires impendit, ipsumque tollere grabatum permittit. Tu autem nos suscipe, vt F tecum illi apparere apud Prespam, qui talia mirabiliter operatur, possimus. Hic enim noster conuentus erit, nos inquam suscipe iam viribus aliquantulum obvolutos, & restitutis membris, nobis ipsis inhærentes, & tuis, quasi filij, appositis muneribus oblectantes. Sed tamen vide ne, si illum, qui colligendis Ecclesiasticis commodis, & fructibus præfectus est, re infecta relinquitis, ipsas cicadas, quasi diei festi gesta cantu obstrepentes, prorsus ostendatis. Etenim in ipso saturorum, & ebriorum æstu, nos esurie, & fame premimur. Cæterum quas terræ caveas aditis, vt sæva illorum sermonibus effugias spicula, quibus & ipse quidem nondum vel hodie te ipsum obiicere, & præbere auderes, qui verè non nisi rationis insistis vestigiis. Alij vero, qui iam illa experti sunt, venenatâ amaritudine esse infecta annuntiant, quos etiam adhuc si vt in illa incidant, ita deseris, & relinquis, quasi dignos illis & ad illa assuetos, ipse, ob hoc, quasi floribus conspersus, & exornatus existes. Hoc enim tibi iam & G congenitum est, & quadam tecum coaluit naturâ.

MAGISTRO LIBELLORVM supplicum.

Epistola LIV.

TV quidem in nos, quod in Orestem Mycenæi, studiose confers, & nos ita odio prosequeris, vt nec compellatione dignos censeas. Ego autem ita me contineo, ne quid in te insuetum aut cogitem, aut proferam, vt etiam de acclamatione interpellem, & quæ passim feruntur in te lepida quadam vrbanitate effutiam, quæ hæc quidem sunt, breuia, sed talia, quæ veluti quædam oracula potius, aut communia, & evulgata dicta possint iudicari.

In te æstum ingentem, & fornacem accensam scommata, & conuicia superiniiciunt, & construnna, H quæ tibi ob scurriliem obtenduntur. Sed ipse non solum sarmentulum, facilemque stuppam largè ei administras, neque pingues piceæ lacrymas, sed tibi peregrina, & extera adducitus Naphtha, & hac totum caminum irrigas, & conspergis, ita flammam in maius sublatam, & crepantem intueri exoptas. Si quidem Tornicium, studio, quod bello obtulerat, omnino absolveris, quem ego meæ sororis virum habeo, totum quidem Nilum excitans tunc flammis obiecisti. Si verò id tennesis, etiam totum mirabilia Naphtæ fontem, ad te, ex Babyloniis collibus detorsisti. Nunquid obscuro verborum involucro vsus sum? Aut nihil quidem tibi Oedipode opus erit? Ita enim arbitror. Nam non solum in alia ingeniosus, & perspicax es, verum etiam tua potius intelligis, quam aliena. Sed enim alijs ereptus malis, sceleribus iam

teneris,

A teneris, & ab horrendâ ſaltim ſegnitiei ferâ ſervaris. Aut etenim ſponte, quod non credo: aut violenter ab hac captus es. Semper autem te ab honore in honorem eſſe evectum certi ad me deferant nuntij.

DOMINO NICETÆ Medico Imperatoris.

Epiſtola LV.

MVlta quidem ſunt, quæ me cogunt, vt ad noſtra tabernacula me conferam, quæ, vt novus Iſraël, iſtud in deſertum veſtrum circumducti, conſtruxiſtis. Sed tamen duo flumina vndantia, meos ad illa greſſus omnino arcent. Primum eſt ſatis notum atque B commune, ſcilicet capitis anfractus frigido adimplere rheumate catarrhos, & tuſſes crebrò excitat, & variis pectora morbis fore direpturum, non abſurdè timorem mihi incutit. Quid enim mihi non eveniet, ſi ſub dio tempus omne contero, vbi in caveis, & ſub tegmine ſpecus iacens deliteſco? Aliud autem eſt, vicini fluminis gurges, quem vetus Græcia † *Axion*, nova verò, & Barbara, † *Bardarion* appellat. Hic enim multis montium ex liquatâ nive, fluentis tumidus, ita turget, vt neque pedeſter, ac ne equo vectus quidem illum vadare nemo pertranſiréque poſſit. Neque enim ponte eſt inſtratus, quia ad id, vectigalia, & tributa exacta male fluminis ſunt. Scaphulâ ſolum, vnius cubiti compacta altitudine, permeabile eſt. Hæc autem Scaphula, tertium flumini à me nomen conſtituit, & digniſſimè hoc *Acherontem* appello, quod inferorum vaſtam paludem † Poetæ influere fabulantur. Et omnes etiam aiunt, C qui per illud navigant, ſolum digiti craſſitudine vnius, à mortuis diſterminari, & dividi, & hoc eſſe illis maius, latiuſque tutamenti intervallum, atque munimen. Qui vero illam ſcaphulam audaci pectore ſcandunt, ad vitam, ſolum quaſi araneæ filo, vt muro obſepiuntur, atque vallantur. Quare, ob hæc, fratrem meum, ad te mittó, Cui, vt te adeat, nullum horum fluminum obeſt, nihil iter eius impedit. Nam hoc nequaquam illius animum turbat, nec illi negotium faceſſit: illud verò nec vllo metu exhorret, ſed multi deſiderij alis ad vos celerrimè advolat, qui neque *Scapham*; *Scapham dicere*: Et inclamare, præ animi ardore, & deſiderio patitur. Quemadmodum nos priſcâ ruſticitate agreſtes, & timidi, & qui nondum horum temporum ſapientiam ſophiſticamque calliditatem deguſtavimus. Sed iam ille vt onerariam navem, mille ferundis hominibus aptam, illam eſſe exiſtimat, & audentiùs navigat, quam cum per terram graditur. Hunc ergo tibi è meis ædibus, ad tuas miſi. Ita enim ego exiſtimo. Hæc quæ me circundant, omnem meæ præſentiæ vtilitatem tibi planè adimplebunt, & illa pro memetipſo, tuam dilectionem, & tui ſpiritûs aſſequentur ſapientiam. Propter quam ego Tireſiam apud inferos exiſtentem inclamans comperi:

D

Ille ſapit ſolus, reliqui volitant velut umbra,
† *In prato Nexa tenebrarum horrore vagantes.*

Hoc enim mihi, vt quæ multis beata ſunt, & felicia puto. Iamque ille, per te, à ſapiente & optimo Deo, omni ſcelere, & omni malo liber, ſervetur.

Fort. Amnon, quod post Eumenos pſcos dictus. † Bardarion. Vide Gloſſarium Græco barbarũ Ioan. Meurſij. Scapha Charontis. Acheronta. † ἀορνο... ΰδωρ.

Iuvenal. Sat. XII. v. 58. de quovis ſavulo. Digitis à morte remotus quatuor, aut ſeptem, &c. Vt, à filo pendere, Proverbio dictum. Adagiũ aſcriptum de ruſtica ſimplicitate.

Tireſias vates. Homer. Odyſſ. κ. v 495. † Non eſſe Homeri arbitror, ſed alterius Poëtæ, vel Theophylacti.

DOMINO NICOLAO Callicli Archiatro.

Epiſtola LVI.

TV quidem efficaces, & potentes antidotos, in obiectos mihi morbos, & non avarè, & parcè, in E pyxidibus effundis, & illam tibi à Deo datam panaceam, & vt ſummatim dicam, quæ ex carnibus viperinis conflata eſt. At vero Theſſalonicæ has pyxides, mihi impleri ſpero, in Eccleſiis autem (hæ quidem regiones quædam ſunt, & ſedes, noſtri Archiepiſcopatûs) effundi penitus & evacuri. Vtrinque vero paralyſis, & nervorum remiſſio quædam, & laxatio mihi ineſt. Equidem iam non fruſtra meum te Æſculapium, in tantum rerum tumultum, & perturbationem evocabo. Hoc enim non incaſſum erit. Illud autem proſpice, ne quis fortè dicat, me gryphos, & ænigmata texentem, irritâ oratione & redundanti blaterare. Neceſſe enim eſt indigentiam manifeſtiùs exprimere. Hoc ego quidem efficiam, tu verò diſce. Parvulæ nobis ædes ſunt, in quibus pene diſſolvimur, & quæ nobis lucru ſunt, & vtilitati, in illis cuncta deponimus. Has, quidam ex Panſebaſti domini noſtri familia occupare, & implere F aggrediuntur. Tu quidem tantum detrimentum, & invaſionem prius cohibe. Nam grave, & durum eſt, ſi in noſtris ædibus alij conquieſcunt, & otio fruuntur, & nos alienas ianuas cogimur circumire, & inviſere. Hæc autem regio, quæ Eccleſiæ appellatur, niſi prædâ, & periculo ſit immunis, ſcito quidem illam facilè omnino depleri, & everti. Ipſe etiam & hanc miſeram cladem compeſce. Modus autem, quo expeditius id efficere poteris, hic eſt. Nequaquam de hac regione vel quid minimum, aut maius aliquando dices. Quando autem noſtri, qui hæc habitant loca, ſive quia periculo imminenti proximi ſunt, ſive quaſi iam damno affecti, ad te accedere nitentur, tunc nulli rei parce, ſive verbis pro nobis loquens ſive operibus. Dixi quidem tibi, quæ nobis inſtant pericula, tu pariter mihi concede, vt ad alios dicere poſſim, illa tua conſilia, quæ circa hæc, ipſa quidem ſunt non te indigna. Quæ ratio, quæ te componit, & inſtruit, firma, & ſecura G mihi conſtruit. Frater verò meus te ſalutat, ſed ex Tænaro, ex quo ad inferos via ducitur, quadam morbi putredine quaſi manu ductus. Ad quod ego à Deo ſummè felicem ſucceſſum, & progreſſum expoſco.

Ex Tænaro via ad inferos credita. Pompon. Mela.

Eidem Epiſtola LVII.

INiurius ego tibi, & moleſtus coactor videbor, ſi ſemper à te aliquid accipere exiſtimavero. Heſterna die verò, ſodalibus noſtris, qui ibi ſunt aliquod concederes commodum, ſedulò efflagitavi, & quidem aſſequutus fui. Non enim inter petras, ſemina edidici ſpargere. At rurſus tuis arvis, ingenti pinguibus gleba, moleſtiam me exhibentem obiicio, atque aliam poſtulationis cauſam, & rationem facilè profero.

Hæc quidem eſt, vt libros ſcilicet Galeni nobis commodari permittas, nec hoc, in opus medicum, quaſi fœnori commiſſum expoſco. Nam non ego ad opera huius artis integram ſum nactus & tempeſtivam cognitionem, quantum ad eius dogmatum ſcientiam, & artificium. Sive igitur ſingulari hos codice habes, ſive quæ in Hippocratem commentaria, & expoſitiones deſcripſit, ſcito hæc nos à te ſtudioſe, quaſi vtiliſſimos fructus velle colligere. Vt quippe neque ſublimis aliqua, & volucris cogitatio, neque quædam dura cautes neque immobilis, aut inflexilis Spiritûs pervicacia, H & aſperitas, neque aliquæ obiecti prætextûs ſpinæ, ipſas artificum operum curas, in librorum interpretamenta, & enarrationes emittentes, laborem, quem in ipſa ſemina contuli, nobis fruſtrentur, irritumque & vanum evertant. Sed iam vt optima, & ſubacta terra, in trigeſimum, & ſexageſimum, mihi fructus emitte. Si autem ſedulam animi curam, & ſtudium, in Hippocratis, & Platonis dogmata ſuſceperimus, etiam in centeſimum te fructus maximos allaturum conſtituemus. Qui autem fructum meum ad te defert, ab ornatiſſimo Smyrnæo tuæ dilectioni illum ſiſtet: Quam & ipſius dilectionis pater, & charitatis, nullis implicitam dolis, ſed ſynceram, & candidam ſemper conſervet.

Galenus Med.

Smyrnæus, philoſophus. Epiſt. 59.

A

CVRI EPISCOPO.

Epistola LVIII.

ITa mihi optimè prospicè, sanctissime frater, & domine, & nihil mihi curæ erunt paleæ, qui triticum quidem habeo. Hæc enim hisce in locis mansio interim mibi bene, & iuxta rationis leges videbatur administrari. Insurgunt etenim modò miseri quidam, & infelices hominum sensus, & cogitationes, & mihi in melius cedet urbem adire, & ibi hoc meum corpusculum, aliqua medicinæ curà solari, & hos, qui mecum sunt, à tantorum æstuum, qui bic fervent, experientiâ, & periculo longiùs repellere, quorum nec bonum ullum hic nunc consequuntur, & maximè frater meus, quem ut reliquas consolationis, &

B

recreationis meæ scintillas babeo. Qui ab illo aëre Achridis semotus, & quia in illa, vini est tenuissimi, & delicatissimi multa inopia, & aliis salubribus destitutus alimentis, ægro, & depresso prosternitur corpore, & nibil non cum periculo, & labore summo peragit. Demum in extremum cibi fastidium devenit, & magnos capitis dolores propugnat, & ventris, succi redundantiâ tumentis pondere circumdatur. Cui nihil aliud quam ut præsecetur, & abscindatur morbi occasio, & remedium concedit. At vero oxisachari utimur, & hoc quidem parce, & si aliis nii etiam possum. Sed enim hic, ad omnem medicinalem cibum monet, seseque ægro fert animo. Quocirca semper planctibus vexor, & contractis superci-

C

liis, mæroris gravem præfero nubem, O inclyte Dei homo. Et hanc, his in locis perseverantiam, diuturnámque babitationem præcipuam causam esse arbitior. Illámque breviorem potiùs quam iustiorem debere esse existimo. Si enim nos tanto mæstitiæ amne obrui à Deo decretum est, equidem ubi sumus, assiduo tristitiæ iacuimos labore. Veruntamen ipse Deum propitio pectore flecte. Novit enim iniquitatem transgredi, & superare, & crimina in mari immergere. Quòd quidem mare Michæas novit sive sacri baptismatis, sive pœnitentiæ, sive ipsius misericordiarum esse. Quod etiam & aliis ipsius muneribus, & donis, incolumitati, & saluti cunctis esse concessit. Hoc itaque tu nobis effunde, & nos ab infirmo corporis affectu liberabis, quidquid in nobis & spiritualis, & corporalis est morbi, & Ægyptiam referens servitutem, & hostile iugum, in profundum immergens, & contundens. Ne igitur cunctanti tardus sis animo, sed ipsos cœli vectes aperto discute ostio.

Mich. 7. 12 & 19

D

PRÆSIDI, ET PROXIMO Pantechnæ.

Epistola LIX.

TV quidem mihi tumultûs, & perturbationis causa es. Nam cum quidam, quidquid in me est, id totum omni ex parte felix, bonúmque esse persentirent, non cessarunt meam bane tranquillitatem, & ad res peragendas ignaviam veluti qui ianuam pulsant, concutere, ita ut ad te hæc iam excitata, & dimota illos deferret. Ego autem cum quippe tardus, & segnis sim, statim te tanta posse, quanta plures arbitrantur planè non credidi. Nequeo enim obsequium istis præstare, at verò si vim inferunt, paulatim cedo, illisque literas ad tuam egregiam nobilitatem polliceor. Vnde & has præsentes meæ humilitatis literas ad te detulit, qui Smyrnæi, summi in Philosophia Viri, & omni ingenij acumine magni, consanguineum se esse asserit. Si verò tibi locus, & occasio est, qua hunc hominem aliquo prosequi beneficio possis, honor, &

Smyrnæus Philosophus. Sup. ep. 57.

E

gloria sit illi, qui hoc tibi posse concedit; Si autem nulla est, etiam & illi gloria sit. At in te saltem nulla causa huius erit, qui omnibus semper bona cupis, sed facultatem, & potentiam tuæ voluntati certè disparem habes.

Epistola LX.

QVo nobis sit salus in statu scire cupimus, Illustrissime in Domino fili: non quia nobis suave sit futurum hoc tantùm scire. Novimus enim id vobis bene cupientes, & si enim non bene affecti, saltim tamen medioeri depressi iustitiâ, si quæ à nobis suscepta sunt, medioeria aliquo modo esse possunt. At si ipse nostrarum rerum statum pernoscere optas, tuas ipsius res tibi in canonem, & regulam proponam, in quas cum intueberis, fortè, quomodo nos habeamur, non ignorabis. Si enim tua in mediis versantur malis, etiam nostra in supremo malorum fastigio esse collo-

F

cata cognoscito. Si quidem etiam & tua summo infortunij vertice obvolvuntur; scito quidem & nostra caput inter nubila condere, cælóque firmari. Sed enim vis ut tibi regulam pingam. Sub superciliis æstimationis iacemus, qua verò parte vergunt nutúque quodam propendent, hac etiam & nos inclinati, & depressi ferimur, at ubi nutant, Dominus, qui semper nobis se comitem scit offerre, non servavit nos, non defendit. Qui ut his, qui apud inferos arcto servitutis iugo teruntur, redemptionem, & liberationem enuntiat, sic & te ipsum omni rerum tædio, & difficultate tutabitur.

G

Eidem Epist. LXI.

VT nostrarum rerum cognoscas eventus, abunde tibi frater meus suppeditabit, Illustrissime in Domino fili, si tamdiu indigneris, qui te de hac re certiorem faciat. Sed enim ipse hæc aliis nequaquam communia, & nota facies, ut iam olim hæc cuncta esse perspexeras, nisi hæc aliquis ita nunc fortè dixerit.

Equidem hæc omnia, qualia qualia sunt, iam cognovisti; at verò quanta hæc sint, prorsus ignoras. Hoc enim neque te decet ignorare, qui probe omnia nosti, quomodo scilicet in maiorem infortunij, & malorum statum iam cuncta accrescant, & attollantur. Quemadmodum ego cum meis tua perpendo, & compono. In omnibus tamen opitulatorem Dominum invoco, à quo & prosperâ evectus fortunâ, & nullo præpeditus crimine custodiare.

Eidem Epistola LXII.

H

Laconismus.

NE mireris si tecum Laconica utor brevitate. Si enim miraris, tabellarium interroga, & totam huius Laconismi causam edisces, qui vere ille ipse est, qui, ut modò quasi alis præceps & celer, se nobis ad iter accingere manifestavit, has literas à me poposcit. Sed num mihi quidem vales, & bono, hilarique animo es, neque tristitiæ morbus te invasit, neque ullis unquam tibi opus est, pharmacis mei, etsi talia illa sint, qualis lingua tua charitatis, & dilectionis esse pharmaca celebravit.

INCLYTO DOMINO Constantino Ducæ.

Epistola LXIII.

SIquidem corporis robur, & felix temporis opportunitas, Pansebaste Domine & maxime opitulator, meæ humilitati iter capere concederent, celerrimè quidem, ut te circumspicerem, percurrerem, & debitâ te adoratione prosequerer. Mihi autem nunc facultas

A non datur ab his, quæ antea dixi, & quia, nec viam, qua domum repetam, statuunt, ideo his præsentibus literis, quasi medio quodam, ut ad tua genua provoluar, nunc utor.

Verè quidem salutationem, & adorationem hanc, his literis persentiens, quasi ipse meo, illam, corpore tibi impenderim, tibique ego unus adduxerim, illámque tibi præsens obtulerim. Hanc igitur te accepisse facilè credo: maximè autem nunc prono illam suscipis pectore, & grata me vultu, ut de more habes, intueris. Etiam si qua in posterum, te indigeam, sciscitaris. Igitur meam tibi inopiam patefaciam, aut erubescerem sane, & pudore delitescerem, si te, qui † Bardarij rebus praees, & Præfectus es, etiam cum ipse, in Bardario loca, sedémque habeam, ad auxilium te humaniorem, & benigniorem excitarem. Qui præsertim alios, ut meæ opitularentur indigentiæ, & imbecillitati, quibus ad id facultas, & potestas inerat, ut intercessor commovisti. Hoc etenim ipsa æquitas postulat.

† Vide sup. Ep. 55.

B Verumtamen & illis, qui velocissimo ad id percurrunt pede; monitis, & cohortationibus, alas indere consuevimus. Et ego etiam, ut meos socios, veluti servos tuos, & famulos dignè suscipias, & honoribus ornes, iterum, atque iterum tibi, qui tanto beneficio proclivi te pectore intendis, quasi quoddam alarum remigium obiicio. Verè quidem omnibus ostende, te, quasi paternam habere substantiam, & sortem, ipsum, in Archiepiscopum, affectum, utilésque conatus. Hos autem multo te copiosiores præstiti, ut tibi Deus, cui grata erunt, quæcunque erunt, at mihi etiam abundantius paternæ gloriæ cumulum, in præmium indulgeat, téque omnibus bonis felicissimum, atque beatum prædicet, & absque ullo noxæ periculo, & sceleris maculâ custodiat.

Eidem Epistola LXIV.

C ETsi paucos ad te pisciculos, & non ut tuam amplitudinem decebat, misimus, Pansebaste domine & maxime opitulator: Nihilominus tamen non dubito te, quia multo cuncta discernere scis iudicio, & magna in Deum religione, & pietate polles, & in utroque paternos ad unguem, imitaris mores; facilè animo, ob hoc reputare tuo, nullam nobis ex hac nostra palude, facultatem, & copiam esse concessam, & hæc, quæ mitto, & si parva, quasi benedictionem quandam, & gratam eleemosynam dominæ nostræ Dei matris suscipere. Omnem autem benedictionem, quanta quidem fuerit, ipsa est consutatum. Quapropter hac fiduciâ freti, hæc nostræ inopiæ, ad te munera decrevimus: Et si quæ apud te sunt Archiepiscopus benè perspexerit, tamen id te iucundo suscepisse animo profiteberis. Si vero è contra id fuerit, nostris hoc imputabo peccatis. Veruntamen primum

D esse futurum non dubito, & veluti benedictiones hæc, Dei Sponsæ, quæ nullum unquam experta est thalamum, tibi grata fore: quæ tibi omni vitæ spatio speculatrix, & custos præsit, & te omni detrahat sceleri, & calamitati.

MAGISTRO DOMINO
Ioanni Pantechnæ.

Epistola LXV.

Psal. 115. 12. E*Cquid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi.* Eduxit enim me per uda maris vada, ut non ita per sicca terræ iugera tutiùs. Delabenti enim procellæ imperavit, & velut cessantem tranquillitatis auram constituit. Me à diuturno languentis morbi squallore custodivit, & præcinxit me potentiâ, & robore, ita ut etiam posteris hæc sint æmulationi, & contentioni. Ut illis lego contigisse circa

E Ezechiam, & hos, qui fluvium Chobar incolunt, qui magnorum inspector fuit, & contemplator, Iezechielem fuisse vaticinatum. Quando scilicet vitæ spiritum, & regenerationis virtutem mortuis ossibus renovavit. Ne illa etiam mei Ioannis repetam, Petri socrum, & Reguli filium, & hydropicum, & paralyticum, ex ardenti febris æstu, in hilarem vitæ recreationem eductos, ex morbo restitutos ad vires, & ex membrorum solutione, & remissione, aptâ & firmâ compagine compositos.

Ezech. Ezech. Proph. cap. 1. 3. 10. & 43. & cap. 37.

Gratia igitur sit illi, qui gratis nos vitæ & saluti reddidit, & non, ut nostrorum est scelerum iniquitas, nobiscum se gessit, sed ipsa crimina despexit, & culparum reatus præterit. Mihi enim, Illustrissime Domine, cum navem conscenderem, dies quidem illuxit, in quo constantem viæ cursum sperabam, & certè acerbus præter omnem spem contigit casus. Nam me nausea, &, spumanti ad os salivâ, repletio, & qui inde sequitur vomitus, & omnis egestus, & eductus humor, crudo, & malè consistenti fusus liquore, & tandem multa bilis portio me invasit.

F Cúmque parum horum cessaret gravamen, ecce iterum eadem supervenirunt, nisi quod bilis tunc copiosior fuit, & in ipso exitu multo acerbiori, & acriori humoris vi me depressit, existimabam enim certam quartanæ febris significationem, ut assueram me subire, quæ quidem, & humore, & bile, omnis effusa fuit, & ut sputum eiecta. Atque ita metum, formidolosus, sine metu coërcui. Rursus itaque dies abeundi advenit, & ego miser cuncta, ægrà spe exhorrescebam & Deus ipse fuit, qui mihi astitit, & non alius: & omne malum, fatique telum evanuit, nec eius locus amplius inventus est. Etiam Thessalonicæ tibi incolumis me sisto, & qui gravi morbo incussus fui, remissus penitus adsum illo, & solutus.

Et hoc quidem illud fuit, quod doctum Adagium evulgat, esse scilicet suum bilis emolumentum. Etiam

G alicubi his iam elapsis temporibus, tecum iocose vel cantos effutiam. Quoniam ingens fluctuum æstus iam serenum aëris statum quasi grato laxat decursu, & tumultuosa perturbatio pacem. Et corpus vitiis stomachi effusis iam robustius redditur, fortiúsque invalescit. Sed hæc quidem hactenus.

Bilis emolumentum, & Bilis in naribus Prover. in Theocrito.

Cuncta autem in quibus Achris versatur, plena horrent metu, & ipsa pariter Mocri regio. Est quidem Mocrus, Achridis pars, quæ à servo, & apostatâ, variis in prædam incursibus vexatur. Et Bagora Mons est, & ipse immensus, & inter Bulgaricos, & Dyrrhachicos montes interiectus assurgit, qui à Tyranno armis custoditur, & asservatur, &, ut summatim dicam, omni in loco malorum, & periculorum pessime circundatur impetu. Sed enim nos in Deo spem, & fiduciam ponimus, & potentissimis Imperatoris cohortibus innitimur. Quoniam sub hac immani lacerta, ipsis egregiorum Imperatoris facinorum radiis accensus

Ita, cod fortitudinis Aristot. in Ethicis. Mocrus, Pars Achridis. Bagora Mons Bulgariæ.

H fuit, & propter hoc, caput suum allidet, & contundet, nec erit, ubi erit, ulla latebra. Etenim Pansebastus, & militiæ Princeps Dominus Michael, ab Imperatore missus est, sub quo selecta virorum corpora cogere, & in hunc sceleratum se prælio opponere statuit. Agmina quidem recenset, & huic cuncta obiicit, & in regionem huius erumpit, & etiam nobis auxiliator, & fortior Deus in opem advenier, nec morabitur quidem. Et ut servus Ieroboam sub Salomonis tempore, hic, apostasiæ incumbens, nihil eorum, quæ pessimè conari intendebat, amplius perficere poterit. Hic autem Imperium ambit, ô terra, ô Sol, & ô Imperij ignobilitas, ô altitudo sceptri, atque maiestas, omnibus sine comparatione maior, neque hic Imperatori obsequi, illiusque esse servos dignus videbitur iugo. Ego autem ut primum Thessalonicam sum ingressus, simul ac alicubi ipsum Dædalon inveni, alas mihi ipsi optavi, locáque volatu inquisivi, & apud Achridem penitus cessavi. Verumtamen neque

A Dædalum habui, neque amicum, cui meam egestatem committere possem. Tandem equos mercede conducens, ecce iam proficiscor.

EPISCOPO CITRI.

Epistola LXVI.

DE MORTE FRATRIS.

ET fieri equidem poterit, ut illum tu non ames, qui ad te scribit; illúmque qui ad te non scribit, tenerrimo prosequaris amore, Inclyte frater, & domine. Hoc vero Pharisæorum fermentum refert,
B quod esse hypocrisin didicimus. Illud quidem de negotiis impeditum, & occupationibus distractum verè indicat, quas nobis quidem mollioribus, & languidioribus, huius vitæ magna vis, & urgens necessitas, quæ semper contra nos est, assiduo inijcit. Cave igitur ad me non scribere, æquum esse censeas, sed maius ipsum dilectionis bonum consequens, minoris curæ, quam par est dignum existima, quod minimum est, & potentem tuarum precum manum his extende, qui ubique vasto periculorum gurgite fere demerguntur.

Etenim iam quasi aliarum calamitatum gravia pondera, duráque moles, animæ meæ imbecillitati non satis esset, acerba fratris mei mors mihi accrevit, fratris inquam, qui ex solo meo pendebat spiritu, quique in omnibus verè mihi prælatus, & antepositus erat, ut in ipsum ignem, ut dicunt, & contra quæcunque tela, & enses, pro me, se, obiiciebat, ut ego in otio, & vitæ hilaris tranquillitate degerem. Quo denique privatus, quanto destituar auxilio, nullis exprimere verbis potero. Huius igitur maiorem, & potiorem partem, utinam tuæ divinæ preces, Illustrissime, mihi substituant, semper plurima, quæ solent, subsidia in me declinantes, & fortè brevi temporis spatio, illa mihi mit-
C tent. Nam æque cum fratre meo, ob eius discessum, quasi ferventi vi dissicimur. Etenim corporis subterlabentis undique languorem persentimus, nosque iam persuadentis, quid illi innatus defluxus, & squalor, ad efficaces operum actiones præstet. Nisi tamen maxime auxilij, quod dixi, penuriâ penitus laborabimus, illóque nobis opus fuerit, ne multæ nobiscum, eadémque neque magna viæ insidiator, & præses inveniat, ex quo signo eos, qui me comitantur, in suas partes statim subscribit. Sed iam solum servi illius domini inveniamur, cui nulla culpa, nullum probrum vel labem obiicere quis potest: In quo hic prædonum princeps nihil omnino invenit. Et sub cuius visibus ad hanc nostram profectionem, & peregrinationem inoffensu pede ducemur, quasi patris dextera, quoscunque quos vicissim trahere voluerit, & ad se allicere, velut correctionis fuste percuteret.

D

EPISCOPO DEBRÆ.

Epistola LXVII.

Rursum de fratris morte.

MEus quidem probissimus frater, Illustrissime Episcope, à Domino susceptus, verè in ipsa eius assumptione sedes beatitudinis est consequutus æternas. Nos autem in hac tristitiæ, & lacrymarum regione relinquimur, in his caliginis, densæque obscuritatis tabernaculis, in his horridis flentium, & lamentantium convallibus, omnibus tristitiæ, & mœroris huius, calamitatum, & infortunij regionis flatibus tumultuantibus expositi. Fratrem quidem uberi planctu deflemus, quantum vel ipsa natura postulare
E videtur, & ipse vetus Adam. At statim, in novum, totius instauratorem naturæ, Verbum, secundum scilicet Adam, & primum Deum prospicimus, qui nobis planctus leges præfinivit. Cui & fidimus, se (quia fratrem, qui nobis natus fuerat, ipse suscepit) non in reliquum inopes, & quocunque auxilio destitutos nos dimissurum, sed modis, quos ipse novit, egenis nobis, & infirmis, vires omnino esse elargiturum. Qui & prius, in laboribus, quos propter fratrem susceperam, nos robore confirmaverat. At ipse etiam pro nobis, hoc idem ab ipso efflagita. Insuper & hoc ipse iugi require studio, ut in sortem, & provinciam, quæ tibi evenit, citissimè percurras, illámque exequaris, & oves tui gregis, quem regere aggressus es, æquo mentis intuitu speculeris.

F

CONSTANTINO Berrhœæ Duci.

Epistola LXVIII.

DE EADEM.

VT vidi fratrem meum ingenti diffusum lætitia, quando à nobis discessit, & ipsum lætantis animæ gaudium vultu significantem splendidu, certè insueto spectaculu incredibilis me rapuit admiratio, & quodam temporis intervallo, meum ipsius stuporem in me ipso emollivi, & incoxi. At postquam totam iam meæ mentis, rationisque vim obtinui, quæ causa fuerit tanti splendoris, & hilaritatis, fratrem meum interrogavi, meque ita admiratum fuisse, illi omnino detexi. Qui vero magis se admirari dixit, quod tanto me stupore perculerim. Non enim vides, inquit, me illum, qui omni est veneratione dignus, visurum sperare, & hanc spem uberrimos lætitiæ fontes, intra cordis latebras mirum in modum aperuisse, quorum venæ ad ipsam us-
G que faciem exsiliunt, & saltitant.

Tunc ego hæc audiens labia mea tacitè momordi, & parum caput meum deflexi, quasi qui aliquid altè comminiscuntur: Deinde fratrem meum amplexatus sum, illúmque beatum fore prædixi, quia tali erat spectaculo fruiturus. Vnde tibi dulci morum ambrosia divinas epulas, & convivia apparabit, sacróque nectaris latice te replebit. Ita omnes ad te ipsum, illâ verè aureâ bonitatis, & virtutis catena dulciter attrahis. Ne igitur cessa illa nos semper circumnectere, ut & plures ad te ducere possis. Nam te accersere, & compellere ne nos illa solvas, & liberes, neque tuæ naturæ magnanimitas, id percipi patietur, cum in te hæc & multas & nobiles magnorum gestorum spes nos concipere cogat.

NICEPHORO Chartophylaci.

H *Epistola LXIX.*

QVia infirma corpus meum languet valetudine, sanctissime Domine, non immerito hæ literæ breviores erant, vel quantum poterant, tuarum divinarum precum solum auxilia poscere. Quæ petentibus vel nunc maximè effunde, qui ut semper nobis omnia bona appetis, & summis votis deprecaris.

PALÆOLOGO.

Epistola LXX.

TVis maximis beneficiis, Pansebaste Domine, mediocrem iam nacti sumus voluptatis requiem.

A Achris al. Acru in Bulgaria op.

cum his paucissimis, qui in Acbridis Ecclesia relicti sunt. Speramus te planè posse perficere, ut ob nostram infirmitatem & inopiam exactorem nostrum, tuæ potentiæ delinimentis demulceas. Vnde quidem non cessabimus, quidquid nostrum erit, tuæ virtuti, & nobilitati largè offerre.

Deum quidem assiduè precabimur tanquam ipsius Sacerdotes, & ministri. In homines vero, plenam gratiarum actionem, & iucundam benedictionis & laudum significationem ostendemus. Etsi tibi laudum celebritas, & benedicendi existimatio parva quidem, & exigua futura videbitur, ut sunt infirmi hominum sensus, & languida opinio, quam solus orationis sonus perstrepit, & peragit. Ne tamen hoc nostrum defectum planctu nobis sublevare, & blando reficere numine desiste, mirabilia illa, quæ tu soles in nos opera diffundens.

B

Ita enim ego illa, quæ in nostræ Ecclesiæ commodum moliris, in templo suspendere nitor, quæ exactorum exploratores, cum oculis lustrent suis, suum etiam effringant impetum, animique obtundant furorem. Nisi enim hic summus nobis opitulator extiteris, nihil quidem impedimento fuisset, quin ab his venenatis anguibus raperemur, quos hoc desertum, multos nutrit, ob illorum nostrum discessum frequenti stipatos cœtu, & lethali vivos aculeo, quem nostra crimina tandem coegerunt. Ita enim tibi & iustus iudex, & præmiorum præses plures frondentes coronas, in die retributionis largietur, & nectet. Teque interim omni mali laqueo, & iniquæ fortunæ acerbitate solutum servabit.

Ad hunc Gregor. Epist. alia exstat epist. Luctus incendi Ecclesia Bulgar. apud Baron. ad an. 1073.

GREGORIO CAMATERO Logothetæ.

Epistola LXXI.

C

OMnium ergo quotquot sunt felicissimus quidem nunc & beatissimus sum, si in te & fratris, & barum literarum præsentiâ aliquod vel nomen beneficij contuli, qui duobus es præcipuè felicitatum, & dignitatum gradibus evectus. Etenim nos etiam cum de paruulo quovis, ut ait Dominus, bene meriti sumus, quæ nec mente comprehendi, nec verbis dici potest, compensationem, & munera speramus. Si autem tantos Viros meritis prosequimur beneficiis, quantum te ipsum Logothetæ dignitas, & amplitudo constituit, qua iam pridem vel cum ipso Imperatore æquali sede assurgis: & quantum etiam magni Secretarij officium te summum sublevat, quo illius partes agis, qui semper Imperatorum & animi consilia, & arcana quæque negotia scriptis mandant; & maximè nunc quantùm est sapientior Imperator, & solertior, qui etiam suó arbitrio, suóque ingenio, non solùm alia gravissima, sed magnarum rerum rationes exigit, & pertractat, propè, qui numeres, quæ magnitudo præmiorum, & munerum me manet! quorum iam vel certa quasi pignora habeo. Et nisi noverim te aliqua his literis, molestiâ afficere, qui satis, supérque multo literarum

D

pondere es depressus & quasi laceratus, quas quidem graves, & acerbas animi tui esse ægritudines manifestas, dum in alium certè usum Stagiritæ literas, & scientiam vertis, verè quidem omnia hæc beneficiorum pignora sigillatim tibi annumerarem. Nunc autem unius solùm tibi meminisse sat erit. Obsecutus sum Bardariotis, ut Pansebastum Protostratoris filium, tum aliis in rebus, tum præcipuè in disponendis rationum calculis, patrem undique, quasi vivâ imagine referentem (qui verè totus meus amor est) omnino dimitterem. Quos ille eo honore, & studio dignè coluit, quod in ipsos largè obiecerat. Neque nos, qui esse inter illos tale quid merito existimavimus, sub eius constitutos manibus & potentiâ, suæ amplitudinis, & magnanimitatis expertes relinquet. Sed his fruemur quorum magnitudinem, nulla delebit oblivio. Paruum tibi quidem hoc pignus videbitur, & lucrosissimi, & commodissimi studij, & conatûs summa. Ego tamen hoc vix capere, & comprehendere possum. Tantum illud est, ut mea parvitate, & angusto pectore diffusius sit, & extensius.

E

Itaque cum maximo mihi lucro sint, ob ea, quæ in te confero beneficia, iam hinc alacriùs, & iucundiùs de altero benè mereri conabor. Tibique meum Cyclopem notum faciam, & hoc est, quod tuis literis integerrimis, ipsóque unione pretiosioribus, à me postularant. Est igitur hic, qui devorandis hominibus intentus, unum mihi semper oculum manifestat, nequaquam in mea solùm pericula, & in mearum rerum noxam privatim directum, etsi in maiorem cogitationis colligatur curam, & in simplicius vitæ adducatur statutum. Quamvis & lepido in illum utar ioco, si ad ipsum vel pleno navigio vinum Pramnium adferam.

F

Vini Pramnij meminit Hom. Il. λ. v. 638. & Odyss. κ. v. 235.

Quod mihi odorifera vitis dedit unica proles.

Quod & in hoc veluti corporis otriculo, adhuc mihi perseverantem rationis facem comitatur, veluti pharmacum omnem mœrorem, & tristitiam evertens. Ille autem unicum in me convertit oculum, unius tantùm indicem propositi, & statuti. Et ego quasi religioni studens, & pietati, in hæc ipsa curam gero, cuncta circumspiciens, & attentè considerans. Vide igitur in, quis in me huiusmodi se habet, utque illum inveneris, meum Polyphemum cognosces. Vides, solummodo verò digitum tibi manifestavi, in horum omnium caput, si frustra magnum meæ Virginis auxilium imploro, & sacrum illum agnum, qui in liberationis, & redemptionis arbore dire alligatus fuit. Timeo enim ne me hospitio susceptum apprehendat, ut ille gloriatur. Ergo me ita affectum, utilissimo cumulasti beneficio, cum iniuriæ crimine me penitus dissolvisti. Hoc etenim illud est; non calcasti iacentem, neque mortuum Hectorem verberibus concussisti. Et hoc tibi utilitatis habens assiduus es etiam ipsi Imperatori, cuius nobilitatis, & virtutis, vel ipsi hostes sunt testes. Quocirca & Deus tibi benignitatis ingentia dona impertitur, dum suavem Theodorum, & verè aureum Chryselium, in animæ tuæ Duces, & solatium tibi indulget, qui ex duobus totius mundi operibus, quibus nullum aliud æquari potest, egregium sibi cognomen vendicavit, qui & fugiens nostrum hoc verè laboriosum cognomentum, omni vacuus labore evasit. Profectò hic quomodo tantas artes tibi ita paravit, & instruit, si naturam habet succumbentem penitus, & labantem. Quomodo verò militarem peritiam, & Geometricam structuram in idem ipsum coniunxit. Et quæ iam olim conclusio vallata ambitu, altis erant septa mœnibus contexuit, post Architam, post Philolaum, post Ælium Adrianum, & post Iulianum, qui à nobis defectu excidit misero. Ipsum equidem Arithmeticum noveram, ex quo Bardariotas administravit. Qui & totum noctium dimidium numeris incumbebat. Quædam enim Arithmetica speculatio, & meditatio, illi, iucundum præripiebat somnum, deinde nec ipso somno se immergebat.

B. Virgo Maria Christus.

G

Theod. & Chrysel.

Archit. Philol. Æl Adr. & Iul. Impp. Arithm.

H

Verum enimvero ipse sermonem hunc verè attexere poterat: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Et semper quidem accuratè cuncta discutiebat, & quomodo unitas in partes dividi possit. Vnde & imperitos & stultos illos appellabat, qui mensura unitatem carere, & divisione affirmabant. Hic etiam & cubos mirè callebat, & cubi cubos, & illorum imperitis illos solerter interpretabatur. Geometram vero nequaquam illum noveram.

Cant. 5. v. 2.

Ipsa quidem ratio ab ipso postulabat, ut terram crebro metiretur, quia semper ferè prolabebatur. Siquidem & Musicus extitit, & æquè quidem, nam Arithmetica facultas cum Harmonica affinitate est quadam coniuncta, quoniam præfinitæ quantitati utræque inserviunt. Extitit etenim: Verum primum illa aggressus

Musica affinis arithm.

A est instrumenta, quæ per æreas fistulas, ducto flatu concinnos agitant sonitus. Et hæc quidem edidicit, ad concinnitatem, & numerum remittere, & distendere, quasi modo illas flatu complens & modo spiritu evacuans. Deinceps ipsos divisos ad sonum canonas, vtrinque contrectat. Et simpliciter alia exercet organa quæ vel tenui spiritûs ducunme halim, vel quæ fidibus extenduntur, & dulci distrahuntur nervîâ. Tunc etiam & in inclytam, multóque celebratam hymno sphæræ cœlestis scientiam, sive Astrologiam, quodam quasi ingenito impetu ferebatur, non quia solùm illius soror est, & germana, nam Geometriæ (Geometria.) materia vtrisque quantitatem adscribit. Sed quia conatu multo sphæram, quæ cum illa homonyma est, sibi serutari paravit. Hanc & nobis eques, exactè patefecit. Etiam & sortes, fortunæque eventus, mulieribus indicavit, non triviali iactantiâ, & errore, vt quidam Vates circolatores per compita vagantes, sed in ipsa eius officina, vt gravi ita cultu, & decore ipsas B disciplinas celebraret, ibi etiam veluti quædam edens oracula.

Neque etiam illum aliquis latuit thesaurus, vel quacunque in terræ parte defodi deberet, qui illum, thesaurorum cupia posset exsaturare, iuxta illum Sophistam Herodem, Attici filium. (Herodes Attici F. Sophista.) At cum operæ pretium fuit, vt hic, alicui, multa scientiarum studia, quæ ad unguem pernoscebat, manifesto exprimeret sermone, certè nunquam ille vertentem, & insequentem astrorum motum ignoravit, nec horoscopi Dominum, nec (Astrologia.) Dominum domûs Lunæ, ex quibus fortè, illi, mille infortunij casus oriri poterant; vnde hæc ediscens, anni Scansilis difficilem, & periculosum gradum facilè (Ann. climacter.) declinat; illúdque longius repellit, & excutit, quod illi varia poterat ingerere incommoda. In quo & alium Ptolemæum habere poterimus, & alium, si voleris, Aratum. (Ptolem. Aratus. Leges de Chald. Genethl.) Et maximè nunc, quum scientiæ vtilitas, & ingens opus, Legibus quasi quibusdam propulsatur. Observavit itaque & splendentis rotæ C Solis, & alatum impellentis currum velocissimas aurigationes, & mirum aurigantis Phœbi regimen edidicit. Atque ita erit non magis cognomento, quàm ipso nomine Chryselius.

Etsi vero ab illo quis exigit, vt hæc planè manifestet, etiam currui adiunget mulam, quæ cum illis coætanea fuit, quæ Priamum in Achillis tentoria eduxerunt, quæ ita effugit, vt Harpyia, quæ nullo est carnis pondere gravi pressa, sed summâ est levitate celeris, & corpus, in orbem obtensa, proiicit, & maximè si metam cursus hordei acervum constituitis, quem vt novum, & expectatum sibi spectaculum conspexerit. Et alicubi eius ipse venter, in altum oris rictum, dentésque conscendit, & si fortè, vehementem efflat spiritum ipsum in sublime attollit. Et hunc scilicet ipsum aurigam, vt illa leviorem, & tenuiorem, nisi pondus in se aliquod ad trutinam, vt assuevit, subiunxerit, extra sedem propellit.

Si igitur te studium aliquod, & cura commovet videndi hunc probatissimum, & peritissimum aurigam, & D feram illam venationem, quam populi, quibus à colore, cognomentum inditum est, summa contentionis pugna domat, illámque ab omnibus equorum studio, & amore actis celebrem famam, nequaquam talem habe naturam, nec in tam angustu nostræ Macedoniæ loco consiste, sed te in Larissam prorumpe. Nam Thessalia, hac est multò accommodatior, & ipsa planities Pharsalia. In quarum lato, & diffuso campo, modò has artes, & scientias ostendet, modò illas vt ediscat, adiutore, & socio nobili vtetur. At vero si ad nos progreditur neque aliis, neque ipsâ Geometriâ, ad honoris studium excitabitur. Nam harum vel ipsum specimen, vultúmque exhorreo. Huius quidem apud me, ne locus quidem vllus est. Omnes enim illis, superioris seculi inundantibus cataclysmis pænè nobis submersæ sunt, & altè obrutæ. Vnam igitur vtilem ferens artem ad me accedet, si quidem cantandi peritiam, & ducendi choros lætantem callet industriam, cum hæc etiam E pars sit, & species Harmoniæ & nequaquam ab omnibus omnino studiosè exculta, quia ne ab his quidem qui nobiscum sunt. Aut vel huc non accedat, nisi velox ad Ecclesiasticum morem, variè, & præstantius concinat, aut vel chori Magister futurus, vel solo digiti ductu ipsam artem edoceat, aut diversis aliorum cantuum modis, & dulci stridulæ vocis modulatione. Prius itaque ipse hoc mihi explora, vt si tibi hoc, artificem notum fecerit, illéque à te præstantissimus indicatus fuerit. Neque vero ita statim ad Acherusiam paludem, hanc scilicet meam Lychnidon, ita fidenó animo, viam ingrediatur, nisi prius cum Demetrio fratre meo, cantuum mercedem, & præmia composuerit. Quæ erunt milij, aut melampyri mercatorius semimedimnus. Nam tantùm & qui cantat, & qui audit ille quidem recipere meretur; hic vero facilis, & promptus debet elargiri. Vides igitur ad quam circumspectæ gravitatis sedem, & senectutis religionem pervenerim, vt & tibi gratificari non dubitem, & cum F dulcissimo Theodoro, veluti luxurianti insultemus pectore. Quoniam vterque animæ ductoribus indigemus: ego quidem propter omnes meæ fortunæ lapsus; hi verò propter absentiam, quæ quidem te acerbo quodã pungit luctu. Quæ vt ipse dices, lõgiori persistit morâ. Ad quam quidem non te ægrum neque difficilem præbe. Cum cognoscas, vt si quis alius, communem nobis allaturam esse vtilitatem, & Imperatoris nostri anxium curæ studium ostensuram, nimiam laborum tolerantiam. Qui vt infensos hostes cominus terrore agitet truculento, illius Vrbis, & illorum Regnorum delicias, aliáque suavia oblectamenta penitus negligit. Agrestibus infestatur, & deprimitur iniuriis, & duro frigori, & tepentibus Solis radiis subiectus iacet, & adversa horarum spatia cum amicissimis sociis, ad serenam cœli plagam assiduo transigit. Simulque regiones omnes, quibus ipse præsuit, ingenti Majestate, at verè Imperatorio iubare constituit. Et non solùm aliorum est Præfectus, & Princeps, sed Ec- G clesiasticæ dignitatis summa cum excellentia moderator. Hæc quidem & alia mille longæ vestræ absentiæ dona & agri, & Vrbes, sibi, in summum vtilitatis munus vindicant: quia nullibi querulus es, & contentiosus, sed humanus, & fratrum amator. At non s[illegible]um ardous, & difficiles nos ob hunc discessum, & absentiam senties, sed maximè illam finiri deprecaberis, vt saltim pluribus, & maioribus tandem afficiamur beneficiis.

ASSESSORI Pantechnæ.

Epistola LXXII.

IAm tandem colophonem imposuisti, Illustrissime in Domino fili, ærumnis, dirisque calamitatibus, quæ me sævè circumdederant. Atque ego etiam iam dicere cesso, me illis premi, & astringi. H Qui etiam vtilissimum mihi pharmacum salobribus literarum plantis apparavi, & condidi. Hoc etiam, quia tibi condocere video, vt primum occasionem nactus fuero, ad te mittam. Nunc autem quia ad hoc tantum lumen has tibi literulas construo, nulla mihi facultas fuit, vt ex pyxide, hoc pharmacum assumerem, quia non ita simpliciter dissoluta, & remissa est neque omnibus ita exposita, sed quia curiosiori manu, vt aperiatur, indiget. Verumtamen quantum modo tibi perficere, & conati debeo, ita erit, quemadmodum post horridos hyemis fluxus, dulce omnino, & blandum ver, & quæcunque veris sunt, prorsus adveniunt. Equidem Phœnix Solis filia postquam in cineres resoluta, & redacta fuit, denuo felix resurgit, vt nihil aut (Phœnix avis unica.) magis divinum, aut magis nostrum ad te loquar.

DOMINO

A

DOMINO MICHAELI Pantechnæ Medico Imperatoris.

Epistola LXXIII.

VOs quidem, semper nos quadam spei suspensos vi concutitis, quasi ad iter accincti, méque invisere studentes, semper autem me decipitis. Ita quidem vos qui per alta, vestigia figitis, actisque volatu ferimini, nos quidem humi repentes, & per ima gressus locantes, negligitis. Sed enim iam serò istud veluti glutinis ligamen, cæcósque nodos, quibus ibi morari diutius cohibemini, proiicientes, nostrum omne solatium, & vitæ futurum præsidium obiicitis. Illa verò dura terriculamenta, quæ in nos obtendistis, puerorum sunt spectra, & larvæ, scilicet mendicorum quorundam, & egenorum Episcoporum. At totius Bulgariæ Archiepiscopus, quem vel quotquot, in B illum oculos convertunt, illúmque planè audiunt, etiam totos dies, aureos nummos numerare, & quasi mensuræ complementis arbitrantur accumulare, vestram rursus præsentiam, quasi mendici cuiusdam etiam existimabit, qui solerti quodam ambitu solum circumit.

Inquirens offam, haud tripodas, sed acute lebetas.

Qui vel si quid parvum susceperit, illud sibi in auxilium satis esse censet. Solus tu veni, & domestici tui soli. Illi verò, qui apud Blachernitem occulti degunt, te multis sublevare putabunt divitiis, vel si unum alium tibi obtrudant. Dominus itaque te omnis fortunæ iniquæ victorem custodiat.

Eidem Epistola LXXIV.

C

GAudeo quidem, quia à te literas non suscipio. Quoniam certo quasi quodam signo, te occupationibus obrui facilè conicio: quibus non parvi sit emolumenti lucrum. Si equidem scopi ita attingo metam, nec longè ab illo mea spicula torqueo. Proculdubio habeo, ob ea quæ tu moliris, inter meæ tristitiæ, & mæroris causas, ingens solatium. Si autem ut tua sunt, adversus mihi fortunæ obvenit casus, equidem nobis adversarius, utrinque tela sua vibrans imminet: Cui solus Deus potentissimus, & optimus demum obsistet. Qui te ab illius dolis, & multo fraudium laqueo semper tuetur.

Eidem Epistola LXXV.

D

CVm multa desiderij siti flagrarem, ut perspicuè, at apertè, quæ tibi contingunt, ediscerem, Illustrissime in Domino fili, tu obscuras, & quodam veluti turbidas cœno mihi guttas emisisti quibus me ea siti nullo modo levare possum. Igitur ad me manifestiùs scribe, quibus forsan sis distractus negotiis, & si ea sint digna spe, qua nos nutrimur.

FINIS.

INDEX EORVM, AD QVOS HÆ SCRIPTÆ EPISTOLÆ.

FINIS.

S. PATRIS NOSTRI THEOPHYLACTI ARCHIEPISCOPI BVLGARIÆ INSTITVTIO REGIA AD PORPHYROGENITVM CONSTANTINVM.

H *Ex Bibliothecâ Medicea Magni Ducis Hetruriæ.*

Interprete PETRO POSSINO, Societatis IESV.

PARS PRIOR PANEGYRICA.

DONVM Tibi ego quoque, Princeps carissime, hoc affero: donum accommodatione ad res rationésque tuas aptissimâ dignissimum, quod & ego dem hilaris, & Tu serenus accipias. Cap. I Dignitas & pretiũ operis.

quippe

A

quippe haud paulò præstantius quam illa cætera temporis aut invidiæ dente absumenda, & plerumque vel profutura furibus; vel armatæ audaciâ cupiditati latronum opimæ rapinæ gaudium latura. Et istorum quidem tibi copia redundat ex collatione legitimâ eorum qui tuo imperio subiecti annuum Maj statis tuæ tributum pendunt; aurum quidam afferunt, alij argentum, sive alia eius generis sui usu in corruptionem abeuntia, ut divinus Apostolus loquitur. Cæterùm doctrinam utilem sermonémque sapientem satis convenit & auro pretiosiorem, & splendidiorem argento, & possessione omnino quavis stabiliorem haberi oportere. Atque illi qui hæc exhibent, pro nostrâ subditorum contumaci erga Principes & plurimum vituperabili tenacitate, malignè invitéque suppeditant. At sapientia pro libero & liberali nulliúsque patiente servilis necessitatis ingenio, quidquid ex se gignit ac confert beneficâ profusione citra vim ullam excipientibus largitur.

Ad Coloss. 2.

B

Cap. 2. Offi. ù Magistri Principis.

Hvivs ego ex peculio hoc tibi utilis allocutionis munusculum irrequisitus hodiè ac voluntarius ecce affero Magister tuus. Quo nomine non dissimulo gloriati me, efferrique ac crescere, tolerabili opinor, certè non de nihilo conceptâ superbiâ, quòd Præceptor ac Moderator Principis appeller. Cuius quidem tibi officij auctoritate ac fide polliceor iam hinc ac denuntio, quod credere tanquam à Magistro traditum debeas, flumina felicitatis in tuam vitam plenis alveis confluxura, si verba mea in cor tuum ut pluvia descenderint: quemadmodum fieri est consequens, ex quo voluntaria oris mei beneplacita te habere declarasti. Non enim Imperatorem te meum adulatione ambiam; aut mulcebo aures tuas verbis fallacibus & artem sophisticam præferentibus; nec fides meas ad Lydium, mollem illum ac muliebriter blandum aptabo modum: verum ad contentiorem alterum & virilem Dorium. Sane enimvero si aliter facerem, deficerem nimium ab instituto susceptæ vitæ, professionique ipse meæ atque ordini facerem iniuriam; non minus quam naturæ indolique tuæ. Quæ profectò vim habet ac materiam bonis generosisque gignendis fructibus idoneam; modo Regiæ Institutionis congruum in eam iaciatur semen.

Deut. 32. 2.

Psal. 118. 108.

C

Cap. 3 Constantinus à Patria felix.

Qvid enim non tibi ad vitæ optimæ cúmque omni laude coniunctæ susceptionem velificatur? Cui primùm quidem Patria contigit urbs Regnatrix, omnium maxima pulcherrimáque urbium; cuius in cœlo atque temperie, ne Momus quidem invenerit quod reprehendat, aut requirat quidquam. Adeò cum ad utilitates tum ad voluptates, aëris ac tempestatum exactè dimensa natura rationque est. Non hic indomitus velut rebellans insultibus exurgit hyems. Non præscriptos transiliens terminos, illâ in Scythiæ montibus ac sylvis usitatâ sibi ferociâ grassatur in nos quoque, usque ad congelandum in venis animantium sanguinem, & fluvios glacialium compedum iniectione sistendos. Non æstas immodicis ardoribus vires exhaurit vigorémque solvit corporum, neque horum ad statum robúrque labefactandum rabiosam & vi maleficâ formidabilem concitat caniculam. Verùm hyems quidem tantùm afflat frigidioris auræ quantùm opus modo est ad colligendos in nobis diffluentes spiritus, ipsámque elementorum sese per tepores relaxantem connexionem renodandam ne penitus soluta dissipetur. Æstas autem in eum duntaxat modum atque usum effervescit, ut superfluitatibus excoquendis difflandísque corporum, salubri ea vitalique vapore confoveat. Porrò tempestates reliquæ harum lineamenta, velut sororum, referunt, pari temperamenti proportione conformatæ. Enimvero autumnum mihi vide fructúsque illos felicium plantarum, quibus ad delicias fruimur beatæ inquilini civitatis, ut magnitudine præcellenti eam exhibent speciem, quæ ad eos citra gustûs suavitatem meritò commendandos valere possit. Rursùm tam delicati salivâ saporis palatum imbuunt libantium, ut si moles & species deesset, abundè is defectus dote succi mitissimi compensaretur. Nunc cunctis unà confluentibus laudibus, & eos qui alibi magni nascuntur exquisitâ saporis dulcedine superant, & si qui uspiam succi præcipui feruntur, nostri & in hoc pares, mole certè ac magnitudine præcellant. Quòd si qui utroque isto à capite laudentur, ij tamen inferiores nostris eo sunt nomine, quòd hos urbs regia produxit.

D

E

Hæc tibi corpus efformavit ad omnem usum habile, ac quasi volucre: vividísque micanti motibus animæ ministrum subdidit nullo molis impedimento tardaturum velocitatem illam vigoris ignei. Nempe non id tibi grave, non lentum, aut ægrè mobile multísque vix excitandum stimulis; non idem rursus ultra decori rationem usúsve modum petulcum & saltitans, effrænísque levitate instabile contigit: sed quod extremi utriusque infamiâ vitatâ meditullium virtuti sacrum quâdam maturæ strenuitatis moderatione insidens obtinet. Ergo ubi insilire in equum & decurrere ludicrum, anhelâ contentione perplexis flexibus; ubi torquere sudem, ac rude battuere; ubi hastam incitatione huc & huc martiâ, & scitâ rotatione raptim obvertere, sicque bellicos illos agitare thiasos res & tempus poscit, tum sanè velocissimo uteris corpore. In venationibus quoque cum effusâ equitatione comites antevolas, cum iactûs occupas collimantium, & transverberas manu coram bestiam, quam ne aspicere quidem mortuam ætate puer tuâ sustineret alius. Quid iam dicam arcu sagittas iacere te ex equo volante rapidissimis cursibus, & vel sic in scopum rectissimè iacere? Hæc qualia quantáque agilitatis documenta maxime! quibus si adiungatur decora maiestas incessûs tui, grata concinnitas sedatæ vocis, circumspectissima in omnibus & philosophicam haud dubiè gravitatem præferens agendi ratio, sine ullâ circumactione præcipiti, & vel primâ eruptione impetûs minùs sani, profectò palam erit aptissimè commixtam in tui concretione corporis, & libratis exactissimè momentis attemperatam peculiari velut quadam attentione summi numinis, elementorum fuisse naturam.

Cap. 4. Dotes corporis eximie Constantini.

F

G

Cap. 5. Ingenii & memoria.

Qvid iam ingenium, & miræ capacitati discendi, solertiæ pervidendi momento quidlibet, fidam additam memoriæ custodiam prædicem? Hæc, inquam, quorum rarissimè coeuntium beato confluxu felix es, bona, quo loco ponam? Quæ quidem inesse tibi oculatum expertus, nec recusabile opinor aut suspectum dicam testimonium, consonâ suffragatione roboratum lectissimi consessûs, cui experimenta tuæ mirabilis in hoc genere indolis coram usurpare præsentibus sensibus vix aliter credibilia licuit cum tu sæpius videlicet recitatâ è libro actione sententiáve memorabili cuiuspiam veterum, præcurreres me Magistrum discipulus, nec expectatâ enarratione meâ, facinoris aut apophthegmatis vim intimam volatu mentis prævertens raperes, utique non statim amittendam: sed thesauris memoriæ committendam ad fidem æternæ possessionis. Multos scimus ad perdiscendum celeres, qui ferè velociùs dediscant citò percepta. Rimosis animis simul influit, simul effluit, veri notitia; nec diuturniora sui vestigia doctrina pervolans imprimit, quam quis otiosus in aqua scriptor irrita in fluxo vibratione calami, liquorem pingeret. Tua vero natura rerum distantium rarâ consociatione mirabilis celeritati perceptionis, perennitatem recordationis adiungit; cerâ quávis ad appressi exceptionem sigilli mollior; rursum quacunque lamina rigidior ad diuturnitatem servandæ figuræ quam semel expresserit.

H

Cap. 6. Avus Pater.

At enim ita ego tuis propriis celebrandis immoror dotibus, quasi quæ prædicem maiorum tuorum decora desint. Atqui & præclara sunt & mihi notissima ornamenta omnis generis in eorum vitâ rebúsque gestis

elucentia

A elucentia quorum è sanguine te Deus stirpis nobilissimæ generosissimum produxit surculum. Non tu, inquam, Beate Puer, & præ cunctis mihi Principibus desideratissime, naturam quidem talem nactus ea qualem obiter oratio modo designabat mea, iis autem parentibus natus es quorum tibi sordes aut tenuitas pudorem afferant. Cogitemque, ut sic dicam, faciant honoris vultum; cuius oculorum (quod habet parœmia) velut astrorum, alterum luceat, alterum occubuerit: ingeniique ac deformi umbrâ virtutis præfulgentis quasi luminibus obscuri generis humilitas obstruat. Verum tibi regalis iam ab Avo & Patre, institiæque præcipuâ laude celebris prosapia est. Nemo tuum hodieque Avum non eo nomine beatum celebrat, quod rectitudine in iudiciis indeclinabili, iurisque & æqui constantissimâ custodiâ, magis quam principatûs apice studuerit eminere divinissimo vero Patri tuo quæ virtutis species animum non expinxerat? aut cuinam is B alteri vel in humanitatis studiis primas, vel in sacræ doctrinæ accuratâ exquisitione concessit? cui totum imperium nihil fuit aliud nisi libri, & dissertationes doctorum hominum: & aut proferre ipsum ex sese, aut ab alio audire quiddam ex antiquitate scitu dignum.

Cap. 7. Matris nobilitas & religio.

De Matre deinceps tuâ dicere paranti optandam mihi video, simul fluidè liquidam suaviterque fusam Herodoti copiam, simul nervosè strictam, & stipatis densatam sensibus dictionem Aristidis: harum enim rerum coniuncto auxilio duarum fortasse assequerer, ut eorum quæ tale argumentum varia & dictu dignissima suggerit, nihil præterirem. Principiò ita conspicuum Augustæ parentis tuæ genus est, ut non Patrem modo Avum Proavumque ciere nobilissimos & latè illustres queat; sed Reges etiam innumerabiles in Maiorum serie suorum rarâ felicitate censeat. Verum eadem generositatem habet ab indole ac virtutibus animi maiorem: cui è mentione gentilia decoris putare ornamentum posse accedere, non aliud nempe fuerit quam margaritæ commendationem ac pretium à concha atque ab C ostrei testâ petere. Enimvero quid attinet magnopere in ea iactare dignitatem originémque regiam, quæ cuncta, sicut ait Apostolus, arbitrata ut stercora Christum lucri facere solum optavit: cuius & opem in discrimine præsentem experta, eam tali gratiæ vicem reddidit, ut vitam eius illam absconditam affectaret colerétque studio ac devotione mentis intimâ, cui vitæ ulteram corporeæ recenti beneficio assertam se debere sentiebat. Atque hac instincta religione Puella regia sic à regni apice, quem velut barathrum aversabatur, ad humilitatis Christianæ celsissimum ac verè cœleste fastigium contendit, ut mutationem tantam miranti, mirabilior occurreret mutationis celeritas eiusdem: porro impetum istum ipsum conversionis velocissimæ admirabilitate præcelleret vitæ in religiosis septis post eam institutæ summa perfectio. Scio commune plurimarum & quotidianum esse facinus ad vitam monasticam transitum. Verùm hoc pleræque molliùs, atque, ut sic dicam, muliebriùs mulieres defunguntur. At festinatione tam calidâ, studioque sic flagranti ad Spiritûs paupertatem è maximis evolare divitiis, nostræ vi- D delicet Mariæ laude hac præcipuâ felicis propria virtus est & singularis gloria. Imo, si fateri quod res est volumus, fit plerumque ut aliæ quæ sacrum habitum induunt fœminæ, plurimis undique ad eam professionem necessitatibus compellantur; nec nisi stimulis adigentibus iugum istud invitæ subeant. Porrò nec fides nec constantia ei cœpto inesse potest unde voluntas arbitriúmque abfuerit. Hæc autem in eo præ cæteris admirationem ciet, quod nullo laborans incommodo, salvis rebus, integro statu, nemine, præter Christi amorem, cogente, è complexu se se avulserit fortunæ blandientis, post Christum in odorem unguentorum eius cucurrerit, & in umbra illius quem desideraverat sederit. Quocirca si tenues etiam mirari virgunculas solemus in re non copiosa natas, quin & à cunis primisque panniculis in pauperiei velut sinu miserè nutritas,

Phil. 3, 8.
Cant. 1, 3.
Cant. 2, 3.

quas adultas ultrò adspirare ad duritiem vitæ monasticæ cernimus: qua quæso admiratione, quibúsve laudibus excipere nos par est Dominam Mariam, mollitiem Augustorum natalium, regiique victûs ac cultûs delicias affluentes, vita tristi & austerâ ultrò mutare sustinentem; quietique opulentæ, ærumnosam operam, tunicis mollissimis, ciliciniam asperitatem; vestibus florentissimi coloris, pullos & lugubres centones; mensis denique ac cibis palatinis, monasticam frugalitatem, imo famem ac ieiunium præferre ausam. Ut dicere cum regio Propheta Domino posset: ***Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.*** Ps. 16, 4.

Cap. 8. Eiusdem misericordia.

Verum his immorantem me iamdudum increpat impatiens quispiam, quòd ab humanitate misericordiáque, rebus adeò in Mariæ Augustæ vitâ eminentibus, celebrandis, eius laudator cessem tamdiu. Ac sentiebat ipsa oratio eò se pridem vocari officii suscepti conscientiâ: cunctabatur autem metu quodam & sui diffidentiâ; ne temerè in tam vastum æquor inermem cimbulam abripi sineret. Cuius enim sanè facultatis fuerit pro meritò exequi quam in multorum e iugulis stringentes famis laqueos fregeris? quot miserorum nuditatẽ veste datâ foveris? quot parentes amissis mœrentes pignoribus allocutione levaveris? quot pupillis patrũ mortes atque orbitatis malum consolando minueris? quot modo extinctis consternatas viris officio & alloquio mulieres recreaveris? O te istâ ter felicem benignitatis infinitæ conscientiâ! cuius ad gloriam & illud quoque cumulandum est Isaiæ voce prædicatum à te non neglectum facinus heroïcæ in hoc genere virtutis, quo vitas sub necis ipso ictu positas à fato præsenti redemisti; imminentémque cervicibus repellens gladium affusas iam oculis desperatorum certæ mortis tenebras, Sol velut quidam misericordiæ radiis opportunissimis liberalis gratiæ dispulisti.

Isa. 23, 8. & 19. 42, 7. 61, 5.

Cap. 9. Liberalitas non ambitiosa.

Tu verò quamquam lucem istam beneficentiæ, studio vitandæ gloriæ clam largiens, obscurare sis conata, nec latere ipsa tamen, ac ne istos quidem in admirationis auram publicæ trans omnem modestiæ obtentum erumpentes opprimere fulgores nocturnarum largitionum potuisti. quarum emicante per tenebras luce Pater haud dubiè cœlestis glorificatur, ut habet Evangelium: cuius Tu ex præscripto dexteræ tuæ opus sinistram adversæ partis nescire iubes. Nam liberalitatem quidem latè spargere opus ego dexteræ appellaverim: cavere autem ostentationem in dando, nec beneficium tubâ promulgare, id verò esse arbitror bonam operationem a lævæ partis (nempe vanæ gloriæ in gehennam provolventis) maligno quodam fascino protegere. Sic ego illam sententiam interpretor: *nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.*

Matt. 6, 18.
Mat. 6, 3.

Cap. 10. In ambitiosè munificos.

Verum enimvero quis non sentit quid in hoc genere nostra hæc ætas, & usus, nescio unde, aut quâ ratione hodiè prævalens innovaverit, contra ista exẽpla præscriptaque. Equidẽ quorsum id spectet vereor: optoque (utinam ne frustra) faustum ut in finem publicéque utilẽ desinat. Cæterùm hoc scio: causam inde offensionis plurimis oboriri. Excitata olim domicilia receptui cultuique animarum suæ alienæque saluti studentium, quæ tẽporis passa dentem longíque ævi debilitata vitio, auxiliatrices ad sui restaurationem implorant manus, negliguntur, & solvi ac fatiscere senio sinuntur. Eriguntur autem de integro novi operis recentisque designationis ædificia, Fundatorum nominibus appellata. Parísque honoris illecebrâ tracti iam plures certatim in similia cœpta sumptũ opémque ostentant, ambitiosa patrocinia, titulósque ad decus durabiles, quippe cum vulgari æternorum operum nomenclatione coniunctos, non malè sese vel magnâ pecuniâ empturos rati. Mihi verò isti non minus inconsultè videntur agere quam si quis filium ægrotantẽ habens, eius curâ neglectâ novâ uxorẽ quæreret, ex quâ susciperet aliam prolem; cum laborantis filii nec ingeniũ, nec indolem accusare posset. Heu! tu homo imprudens & aliquantò graviori, minusque medicabili quam tuus filius morbo æger, filium habens domi adultũ, bonę

A spei, probis moribus, valetudine non difficili iacentem, hunc modicâ diligentiâ curabilem negligis, & stulto præsentis commodi contemptui desiderium nihilò sanius prætexis gignendæ educandæque novæ sobolis, animúmque in curas, rem in sumptus immodicos inutilesque proiicis, dum uxore conquirendâ nuptiisque apparendis longam spem inchoare mavis, quam partis atque in sinu positis bonis frui.

Cap. 11. Largitiones Matris Augustæ. Psal. 48. 12. 1. Cor. 3. 11.

Non his ambitionis inconsultæ laqueis capi se irretirique tua Mater, ô Imperator, passa est. Verum omnes humanas cogitationes respuens, & *vocari nomina sua in terris suis* terrena sapientibus relinquendum censens, templum se ipsa struxit ornavitque, secuta delinationem Architecti Pauli, quippe fundamento usa Christo, cui argentum & lapides pretiosos ministerio pauperum inædificavit. Multa præterea egentioribus civium misericorditer distribuit; multis item donativis monasticus utriusque sexûs recreavit cœtus, qui duce Christo adversus Principem huius sæculi professam militiam viriliter tolerant, expedito etiam ultra continentem, cursu quodam effusissimæ liberalitatis, usque in oppositas nostris littoribus insulas, quibus semente misericordiæ largè iniectâ spem non mendacem commendasti lætissimarum frugum, quas olim in exultatione non deficiens metes, ut illud tibi è Prophetâ sumptum non vanæ gratulationis usurpare verbum liceat: *renovamini ad me Insulæ & quasi festo induta cultu ostentate vos mihi sospitatrici altricique vestræ.* Omitto quotidianam hospitalitatem, quâ quémvis ad te divertentem, nec curæ parcens, nec sumptui, planè ut Dei Angelum, ut Christum ipsum excipis, benignitate prolixissimâ, hilaritate liberalitatem cumulante simul & commendante. Quis autem omnia narrando complecti possit? imo quis id quidem suscipere ausit, ut se ridendum non propinet? siquidem faciliùs numeraverit quispiam quoties in die reciproces spiritum, quam quoties misericordiam exerceas. Nec enim tibi frequens aut familiare minus est misereri quam spirare.

Gal. 6. 10. Isa. 42. 1. iuxta sept.

C

Cap. 12. Studium & eruditio.

Iam mansuetudo eiusdem quanta? studium quidem certè doctrinarum fidem ac suspicionem hominum excedit. Quis quantumvis spissus prolixus & verbosus liber infinitam huius diligentiam effugit? quæ traditio aut narratio vivo sermone. Patrumque ad Filios transmissione propagatâ, non illi audita, comprehensa, comperta est? Nec ordo ac vices alternæ studio desunt. Interdum enim hanc reperias perfectioris meditationi doctrinæ intentam, & exquisitione dogmatum, velut cibo solido pascentem animam. Nonnumquam rursus à divinis ad humaniora descendentem, oblectantemque se velut carpendis floribus vernantis prati: receptam tamen ad cœlestia tam crebro, ut brevi ac verè dici queat *meditari eam in lege Dei die ac nocte.* Decumbentem inquam stantemque, ambulantem iuxta ac sedentem, unum ubique perpetuò agere, unam animo volvere considerationem ac memoriam sacrorum oraculorum; quæ cordis velut quibusdam laminis triplici exemplo sculpta circumfert; aliè perceptis attentissimâ lectione iis omnibus quæ vel David, vel Moyses, vel Salomon scripto edita nobis reliquere.

Psal. 1.

D

Cap. 13. Cura filiis instituendis. 1. Tim. 11. 5.

Quid his addam præterea? Honesta & commendabilis res est susceptio institutioque liberorum. Deo quoque grata ipsi, ac matri ad salutem sufficiens, si quid Paulo credimus, matres salvari per filiorum exactam educationem promittenti. Quæ vero umquam Mater sanctius severiusque lubricam & ancipitem filij ætatem excoluit? quæ plures nato moderatores ac Magistros imposuit? quorum alij os fingerent, linguamque formarent pueri, alij subigerent disciplinarum præceptis animum, Historiæ alij notitiam rodi adducerent. Omnes omnia quæ simul absolvere institutionem perfectam possunt, in adolescentulum conferrent. Erubescis tuis laudibus pulcra & perfecta columba Domini: eò videlicet laude dignior. Laudandus siquidem non est qui laudari ultrò expetens vituperabilis se reum arrogantiæ peragit, qui verò se in modestiam contrahit hoc maximè se commendabilem declarat, non dubio edito veræ Philosophiæ, hoc est virtutis non fucatæ documento.

E

PARS ALTERA

Parænetica.

Cap. 1. Præcepta Dei dona abusu irrita fieri.

Audis Imperator, neque enim illa frustra recitata sunt à me, & ut inania canerem, quod dici solet; sed ut tibi ostenderem, quot bonis è divino Numine ornatus sis: quamque tibi sit facile his instrumentis parandæ virtutis adiuto, omnes qui umquam ante te fuerunt Imperatores antecellere. Enimverò quis te fortunatior uno fuerit, modo his tantis tamque præclaris inducas in animum colophonem addere virtutis tuæ? quis è contrario miserior si tam excellentia Dei dona pudendis deinde ac vituperabilibus actis corruperis?

F

Cap. 2. Hunc nisi dignus est dedecus.

Ne enim arbitreris principatum tibi ad gloriam profecturum, nisi dignos Imperio mores ostenderis, nam isto modo furiosus ille Cambyses, & effeminatus Sardanapalus; Aristidem & Epaminondam splendore præcellerent. Imò tantò magis rideberis, dignitatem regiam vitæ improbitate maculans, quantò istud tuum vitium illustriori editum loco longiùs aberit à commoditate latendi. Privati siquidem cupiditatibus obsequentis spretâ ratione, legésque virtutis intemperanti furore calcantis, ignorabilis etiam vicinis nequitia est. Propterea quod quæ à cive vulgaris sortis in vitâ peccantur non ferè in notitiam emanant vulgi, domesticis clausa septis ac latebris. Principum contra ea sors est, ut ne primâ quidem ac tacitâ designatum cogitatione facinus ipsorum, sese à vulgi meri notitiâ possit.

G

Cap. 3. Virtutibus non vestitu commendari Regem.

Nec porrò tibi persuadeas auro textas istas & purpurâ, palmatasque vestras tunicas ac togas fulgore solo flexuras ad venerationem tui bellicosos & torvû tuentes leoninisque feroces animis viros, nisi te quoque loricatum manu comminus rem gerere ipsum, & stragem in præliis dare viderint. Non enim conturbatur aspectu Barbarus compti nuptialiter adversarij; at aureis insignem ornamentis ut puerulum irridet, imbecillemque ac ineptum reputans, pugni unum impulsum, aut etiam talitrum, ad cædem eius suffecturum meritò confidit.

Cap. 4. Voluptas Regi vincula.

Quid si verò te pellaces voluptatum præstigiæ subegerint, egregium te tum nobis Imperatorem! dignúmque in primis qui regnet in alios, cum se ipse illiberalissimis voluptatibus probrosissimâ servituti mancipaverit. Talis sanè Princeps quâ fronte aliis præcipiet, ne cupiditates suas antiquiores legibus habeant; exemplo enim nimirum eos ad id invitavit suo. Eos igitur quomodo idem ipse Dux præire ad honestatem poterit, post séque audituros vocare, qui tam malè Bonis ad officium vocantibus obtemperet monitoribus?

H

Cap. 5. Labores Regi honesti & utiles.

Exterminanda igitur tibi est, & omni ope, vel igni etiam ac ferro, exscindenda pessima bellua voluptas; cuius in deiectæ locum substituendi labores sunt, qui corpora Imperatorum exercent, & contra hostes firma validáque nutriunt. Hi & iuvenibus ætatis florem non sinunt marcescere, & provectis ætate senectutis gravitatem levant, necessitudine velut quadam ipsos ac familiaritate complexi, quòd ipsorum quodammodo æquales, nutriti cum ipsis una simul adoleverint.

Cap. 6. De bonis & malis regiminis formis.

Verum adesdum, & accipe Regni formam quam potest fieri brevissimè collectam. Tres sunt in universum rerumpublicarum status, quarum Monarchia quidem propriom obtinet regni vocabulum, vulgari quoque adiuncto legitima vocata: fundamentum stabile ac firmum quoddam populo ac publicæ tran-

A quillitati præbens, iuxta vim peculiarem Græci nominis quo regnum designatur. Altera est quæ multorum consensu magnatum bonum publicum maximè spectantium conflatur, Aristocratiæ verbo appellari vulgò solita. Tertia denique Populi concursum & conspirationem universi ad gubernationem concordem civitatis Democratiæ vocabulo exprimit. Porrò hisce tribus bonis aliæ ex adverso respondent totidem ab æqui orbitâ per vim iniuriámque declinantes. Monarchia siquidem insidiantē sibi tyrannidem patitur. Aristocratia vero infestam habet Oligocratiam, hoc est, coitionem factiosam paucorum opulentorum, specie probitatis & boni communis potentiam & arbitrium rei summæ ad privatum commodũ affectantium. Postremò Democratiam è diametro respicit Ochlocratia, sic appellari potest confusæ multitudinis temerarius cõfluxus, legitimæ rationis ordinisq; planè omnis expers. Posteriores duas species regiminis cum aliis contra ipsas comparatis, mentione attigisse solâ satis sit, nihil enim ad rem nostram faciunt.

B Cap. 7. Primus tyrannidis [illegible]

Tyrannidis verò & regni characteres exequar, quos audias velim annotésque. Primùm omnium tyrannus per vim in Imperium irrumpit, nec suffragio aut consensu civium delatas principatûs habenas sumit; sed rapit atque extorquet, cæde ac crudelitate latè grassans. Hæc innominata Magistratus auspicia nanciscitur; sic à primo vestigio ingressúque regni, civili respersus sanguine, cruentisque signatus maculis.

Cap. 8. Secundus [illegible] character crudelis & contumeliosa grassatio in subditos.

Inde ubi Regiam introierit, quæ iam in illis adytis mysteria celebrabit? se quidem ipsum ingurgitabit voluptatibus obscœnissimis: miseris verò subditis ærumnarum doloriúmque ac calamitatum omne genus architectabitur, nemini fidens, neminem carum habens, omnes æque hostium loco ducens: Bonos quidem, quod sibi dissimilibus se non dubitet exosum: Malos verò quod ipse improbitate provectus pati, eadem appetat, & rivales cupiditatum suarum non ferat: metuens præterea ne quis existat in malitia simili potentior, qui regnum ipsi conetur extorquere. Papaverum C igitur ac spicarum summa semper capita decutit; attenuátque studiosè ditiores quosque, atque emergentes premit, lugendi causas gemendique semper accumulans, ne in copiâ rerum otium fortè nactus circumspicere se quispiam, & ubi sui fiduciâ intumuerit, rebus quoque studere audeat novis. Iam leges pro arbitrio ludibundus, ut talos aut calculos, versat mutátque, vel avaritiæ, vel libidini, vel simili cupiditati propriæ serviens. Et exercitum quidem iustum ac disciplinæ patientem in verum usum reipublicæ ne cogere quidem aut alere novit satis autem ducit robustos circum se habere satellites, quibus largè pastis, & saginatis prædâ publicâ, paratis ad omne scelus administris utitur; pro stipendio ipsis effusissimam in omnes donans cædendi, violandi, orbandi, quidvis manu, gladio, invadendi perpetrandique licentiam.

Cap. 9. Miseria populi tyrannide oppressi.

Tali ergo dominante Principe Agricolæ quidem non alios culturæ fructus quam lacrymas metit: qui miserrimus ubi continuatis totos dies laboribus eduxit segetes usque in spem proximam, videt ecce D tyrannico velut quodam turbine messem abripi; próque uvâ, quæ in excultis annuâ curâ vitibus longo eius sudore maturuerat, solos sibi relictos doloris tribulos præcordia eius ac cor ipsum convulnerantes sensu acerbissimo violentæ rapinæ, velut spinarum acerrimis aculeis. Nec miseriarum hæc summa: nam à præclari Principis Emissariis nudato iterum hostium malè custodito limite irrumpentium experiunda sævitia est. Hæc rusticus. Quid nauta? nisi ventos ac fluctus diris devovet, quod sese iamdiu non demerserunt: adeò concitatiora maria quàm procellásque diriores in portu infelix atque in littore patitur. Cives denique oppressæ tali monstro civitatis incolæ eò intolerabiliùs continentiusque vexantur, quò ii istius Minotauri viciniâ opportuniores ad quotidianas iniurias sunt, velut ad cibum famelicæ ac sanguinariæ obiecti belluæ.

Itaque huius quidem repentè pecunia tollitur, résque diripitur alterius filia sanctissimâ eatenus custodiâ virginei thalami servata, illinc ad contumeliam rapitur. Deploratissimo Patre nuptiale gaudium & festos cantus speratorum aliquando sponsalium filiæ in questus inconsolabiles mutante: ac pro lacrymis lætitiæ quas illi dulcissimas provocaturus erat Hymenæus natæ, fletus vi doloris acerbissimi expressos coacto fundere. Quid illi cuius uxor à valentibus satellitibus in tyranni cubile abducitur, quam acuto desperatissimi furoris cue telo transfigitur? Atqui si mutierit; si verbum liberum miserit, pœnas præsentes intempestivæ libertatis sicariorum statim operâ immissorum adacto in viscera ferro crudelissimè confossus luet. Quamquam ista non pœna, sed consolatio unica infelicissimis superest, quòd talibus spectaculis gladij beneficio subtrahuntur.

F Cap. 10. Tyranni timores anxij & perpetuũ tormentum.

Sic per urbem grassatur cruenta hæc fera, quid domi autem? nec coniugem libenter nec liberos aspicit, unus necessitudinis dulcedinem nullius sentiens: etiam ab ipsâ dum in sinu cubat suo sibi coniuge tremens metuit: somnúmque exhorret, suspectans, ne is commissum ipsi tyranni caput sorori suæ morti consignet ac tradat. Iam cum vulgò cunctis exporrigant frontem epulæ, curísque inducias remissione hilari faciant, huic conflictationis inquietissimæ tempus istud est, ad omnem anxiè morsum atque haustum exhorrescenti ne submixtum alimento venenum fuerit, ne toxicum clam vino infusum bibentem fallat. Ac ne stipatoribus quidem supra modum infelix, fidit: suos, inquam, costodes ipsos ac satellites eò suspectiores habet quò propiùs suis lateribus ferrum gestant: mala enim conscientia quid se dignum sit sentiens perniciem à præsidiis timet propriis: secúmque reputat, foris quidem si motus existat, habere hos sese domesticos, quos armet contra: ipsis porrò in eundem se insurgentibus, qui alij suppetunt quos opponat? Quæ tam misera trepidatio digna sane merces est tyrannici fastûs G istius atque perfidiæ: ut mulctare tyrannum pro eo ac meretur cupienti, quærendus tortor non sit alius: cum se in hos cruciabiles æstus ærumnosissimarum formidinum ultrò infelix ipse coniiciat.

Cap. 11. Iusti Regis ingressus pacatus & lætus subditis.

Visiati tyranni effigiem, ut abominanda & execrabilis est: intuere deinceps formam iusti Principis, ut suavis, ut blanda, ut cunctorum ad se amores conctis gratiarum illiciis rapiens; nec minus iucundam offerens animis speciem, quam tuus (si dicere finis) tuus, inquam, hâc ætate, hoc gratiæ flore vultus státúsque pulcherrimus oculis obiicit: quæ & eadem, si volueris, olim imperantis tui effigies fuerit. Ac quamquam videri poteram veri iustique regiminis iam informasse ideam cum tyrannum pinxi, cuius specti tristibus illætabilibúsque lineamentis, qui contraria omnia cogitaverit, is in effigiem boni Principis necessariò incurret. Superaddam hic tamen velut ad absolvendam picturam, aliquos adhuc colores. Primùm omnium vide hunc mihi verum Regem aditum ipsum, ac quasi valvas imperij longè alio quam tyrannus fœdat fuco colorantem: non enim per vim ac cædem irrumpit in solium; nec illam, insigne mox futuram potestatis, cruore civium inficit purpuram: sed gratia H studiísque multitudinis & concursu libero moderatoque in commune consulentis populi, regni apicem virtutis privatæ præmium accipit; nemine non æquissimum censente præstantiori ei excipi extráq; sortem deferri, qui omnibus præstet. Ergo vt apes naturalibus præsignem notis non tã eligunt quam agnoscunt Principem: ita hunc populus non nisi domesticæ laudis prærogativâ velut quadam, morúmq; sanctorum commendatione designatum, suffragiis ornat & evehit lætus ac gratulans liberrimis. Talis huic ingressus in principatum ac quasi vestibulum regni est: vt renidens, vt blandè pellax, vt nihil inauspicatum aut triste offerens. Procedamus ergo sanè vlterius, intróque progressi regnum ipsum spectemus cominus.

A Cap. 12. Necessaria & verus Principi religio excelsa.

PRINCIPIO sui nominis officium impleturus Rex, gnarus ut domus ac navis, ita regni quoque basim ac fundum esse firmum solidumque oportere; religionem imperio fundamentum ponit; sic divino se mancipans addicensque cultui, ut ne Sacerdotes quidem ac sacrorum Antistites pietate in Deum vera sibi præstare patiatur: adeo verbo semper atque opere religiosus, ubique istud officium tuetur, & illud omnia intuens omniaque audiens nusquam non spectat præsens numen. Deum porro amans non deerit, quin & sit & agnoscatur Deo carus. Nam utique numquam sine quæstuoso reditu gratiæ reciprocæ Deus amabitur: qui omnium inde necessitudinum affectus inducet, officiáque reddet diligenti se Principi; Partem se illius & fratrem ferens; militem quin etiam & socium, ita in bello fortem illi ac felicem navabit operam profligandis hostibus, trophæisq; statuendis: ita idem in Pace politicæ tranquillitatis statum inoffensúmq; rerum cursum efficaci providentiâ fortunare perget. Quis hoc igitur B beatior, qui Deo cordi sit? quis isto magis invictus in præliis? Quæ securior otiiq; fœcundior conventio Pacis, hác tanti adiutoris tam certâ fiduciâ? Enimverò nec iactabunda nec falsa divinatio sit, si quis tali Principi orbem universum subiiciendum auguretur: cum enim totius utique orbis Dominus Deus sit: porrò inter nos conveniat Deo hunc amicum esse: quam illud certum est vulgi ore celebratum, *Amicorum communia esse omnia*, tam exploratum haberi debet Principis Deum amantis imperio, nullam mundi quamlibet latè patentis partem esse subtrahendam.

Cap. 13. Principi necessarii amici fideles.

QUOMODO autem tantæ ac tam variæ solus procurationi sufficiet? qui poterit unus universis ita præesse ut nemini ac nusquã desit? quâ ratione, inquam, (quod omnia gubernantis officium est) quæ ubicumque fiunt curam intuiturus, assequetur & spectabit præsens? & hoc quidem probabit, illud reprehendet, aliud corriget? His tam multis tam diversis quo pacto unus sufficere regendis & administrandis queat, si discere vis, sic accipe. Paratus præstò est Bono principi currus volucris C quoquo versum celerrimè mobilis fidorum amicorum, cuius beneficio immotus ipse cuncta, unus idémque multiplex, adeat, inspiciat, curet, gerat: quoniam quæcumque per fideles agit administros, per se ipse censetur agere.

Cap. 14. Amicitiam esse Principũ bonum, quo caret Tyrannus.

HIC quando in Amicorum mentionem incidi, utar occasione docendi te super hoc argumento pleniùs. Res enim est magna in primis ac planè tanta, ut cum in regno pleráque ampla magnificáq; sint, nihil tamen ad mentionẽ auspicatius, ad rem usúmq; præstabilius fingi possit Amico vero probatóque. Nec temerè est quod Regi bonum istud adiudico; Tyrannus eius expers omnino est, quippe qui metu se ac formidine succinctum ostentare amet; & minis sese plagisq; ac cædibus, velut muris ferreis aut adamantinis omni ex parte communiat: cuiusmodi ei propugnaculũ tu ne invideas censeo, verũ affectibus te amicorũ, concordiæq; impenetrabili textu, munimenti genere longè omniũ firmissimo circũda. Sic porrò habe: nihil esse infirmius eo, quicũque D est, homine quẽ oderunt omnes, utcumque ille ferreis Prætorianorũ cohortibus custodiatur assiduè. Veneratur illũ quidem ac pronus salutat civis, mirariq; videtur, ac celebrat, vota palam faciens quibus multos ei annos felicis imperij optare se precaríque à Deo simulat. Sed (quod habet verbũ vetus) iurante linguâ iniurata mens manet: nec gratia cõpositi ad adulationem oris ultra labiorũ renidentiã, usq; ad animi serenandã intemperiem proficit. Ergo nunc quidem oppressâ metu loquendi libertate, quo ardet flagrantissimo, dissimulare odiũ cogitur: at idẽ olim captato tẽpore non verbis, sed factis id exprimet, & eius ipsius adorati Principis cui nũc blanditur obnoxius, cruda ferens intestina gustabit.

Cap. 15. Veri Amici erga Principẽ officia.

NON sic verus Amicus Principis, is enim fideli penitus benevolentiâ instinctus, noctẽ ultrò diémque de eò cogitat, eum curat; laboribus eius, solicitudinibusque participat. Non id spectans ille quidem, ut quam E maximum potentiæ suæ fructum tranquillâ fruitione voluptatum Imperans capiat: verum id agens, ut imperium quam firmissimè constitutum illi sit, non dubitat molestiâ illum interdum aliquâ pungere, ut eum postmodum delectet uberius. Verbis, inquam, eum aliquando minus iucundis affabitur, ut successo rerum, qui ex monitis austerioribus sæpe prosperrimus existit, gaudium ei conficiat liquidissimum. Ergo hic nequaquam se ad Regis voluntates serviliter flectet; neque umbræ modo motus omnes annuentis, abnuentisque, pariter assentans nutibus ac renutibus totidem exprimet: sed verus severusque nihil obiter transigens, cuncta sigillatim suis momentis librans, sic se geret placidè, ut qui propter eximiam benevolentiam res spésque amati Principis sibi proprias fecerit.

Cap. 16. Adulatores Principi cavendi.

VICISSIM autem Princeps non Censoris odiosi, F sed iucundi monitoris hunc habebit loco: iram autem colliget effundétque omnem in adulantes. Hos supercilij attractione, hos severâ minacitate vultûs, oculique fastidio, hos verborum acerbitate submoveat tum maximè cum blandissimè adrepere conantur. Verè enim nihil aliud id genus homines nisi mellitum venenum offerunt: & osculantur illi quidem; at simul mordent: mulcent, sed eodem modo dilaniant: mel denique instillant, sed quod haustum venisq; conceptum felle quovis amariùs ac perniciosiùs sumentem afficit. His ne aulæ quidem suæ fores patere sinet bonus Princeps, multò autem minus aures proprias: quas potius sapientum sermonibus, velut cerâ quadam Vlyssicâ, præoccupabit atque præmuniet, ut sine sensu & noxa malesuadas istarum sirenum cantus queat prætervehi.

Cap. 17. Amici parentes audiendi.

PORRO Amicis seipsum præbebit velut peritis Medicis ad quamvis paratum sectionem ustionémve, curandis suis reique publicæ malis utilem, neque se ultro solum offerentes excipiet; at quemcumque sapientiorem se ipso sciet, ultro invitabit accersétque in aulam: atque adeo multos ex angulis abripiet ad greges puerorum elementaria præcepta susurrantes, quibus operam dans, séque supponens, corrivabit in G suum animum salutares ex limpidis illorum fontibus, virtutis & sapientiæ liquores.

Cap. 18. Quomodo probandi.

IAM ex hoc Amicorum genere deliget quos regendis urbibus præficiat: ubi peritiæ industriæque ipsorum ad eam administrationem præclarè fungendam experimentum ante idoneum ceperit. Quæres forte, quis sit experimenti huius capiendi modus? Fac paulò attentiorem advertas animum, lapidem mox à me accipies Lydium, cuius ab indicio veracissimo nullos aurei coloris fucus sequioris materiæ metallum proteget. Experimentum hoc capere volenti tria consideranda sunt: Homo, domus, civitas. Primùm, inquam, observa Hominem ut se erga se gerat. Ecquid cupiditates & irrationabilis partis efferos motus rationi, ut par est, subiectos habeat: an sese efferre dominaríque permittat. Hoc satis explorato ad gubernationem domûs fac gradum; in quâ si H tibi satisfecerit, tum demum licebit civitatis ei gubernacula credere. Qui enim moderari sibi nescit ipsi, quomodo is familiam rectè constituat? Aut qui domum sapienter suam non rexerit, quomodo sperari de illo poterit, urbi eum rectè præfuturum. Hanc Regulam securæ magistratuum lectionis nunquam defecturam habe; iuxtáque illam quos in minoribus probaveris maioribus deinde impone Provinciis. Nam, ut ex Evangelio discimus: *Qui in modico fidelis est, & in magno fidelis erit*: uti neque illi Ecclesiam committit Apostolus qui specimen industriæ non edidit in gubernatione propriæ domûs.

Cap. 19. Favoris Regum perspectissima via est ad studia subditorũ provocanda.

QUOD si eiusmodi Præfecti ac Magistratus fuerint, non leve felicitatis augmentum reipublicæ citò adiicient: quippe quam sibi similibus multis efficacis exempli fœcundâ vi reddendis, magno bonorum virorum

A numero beabunt. Id enim iam ferè sic fieri solere animadvertimus, ut genus quodcumque hominum ij qui Rempublicam moderantur universam earum sibi esse præ se tulerint, id continuò accessu studióque plurimorum celebretur in dies, efficiatúrque numerosius, sive ars ea est, sive disciplina, professio, aut secta. Delectetur, exempli causâ, Imperator studiis artibúsque Rhetorum: greges statim undique affluent, & veluti nubes depluent, sophistarum, declamantiúmque vocibus, Palatium personabit. Sin teneri Philosophiâ videbitur, & Mathematicis delectari, obsidebunt ostium Aulæ pleni Platonis homines; & ne Ianitoribus quidem Archimedes, Euclides, Hypsicles ignoti fuerint. Idem equorum amorem ostenderit, equis ecce vel insularibus vel Italis undecúmque mox gregatim affluentibus capiendis vix ulla satis regiarum ædium atria pateant.

B

Cap. 20. Indignè & non. scelerator apud Principé gratiosos esse.

Qvæ igitur in Aulâ bonorum hominum raritas erit, si eos, nec nosse, nec ubi sint scire, nec venientibus congressûs conspectusque sui facere copiam Princeps curaverit? loco autem istorum perditissima capita, notissimas officinas fraudum scelerúmque omnium habeat, adhibeat, dignitatibus ornet, donis cumulet? His civitates condonet totas ad nundinationes iniquorum quæstuum, ad prædarum rapinarúmque sordidissimas pactiones. Denique istis cives, velut miseras victimas, conscindendos excarnificandósque permittat, eâ duntaxat lege, ut pro mercede concessæ licentiæ, pinguissima ipsi quæque servent, nihil sanè pensi habentis, si divina humanáque confundantur omnia, modo inde illi proveniat obolus. Talem suo appellare nomine cunctor equidem; at eum Persæ Canponem opinor dicerent, ut Darium illum. Quamquam hoc vocabulum illiberalis quidem, verum humanæ atque hospitalissimæ notionem professionis ferens, minus aptum est ad importunitatem designandam istius monstri, cui Latronis sanguinarij meliùs quadraverit appellatio. Aut, si ne hæc quidem sufficit, vocemus licet abominabilem ac perniciosissimam pestem quippe nihil dubitantem vel carnificinâ subditorum cruentum sibi lucrum conficere, miseriisque ac gemitu cunctorum uni sibi exprimere copias quibus per nequitiam & contumeliam ad ingurgitationem voluptatum abutatur.

C

Cap. 21. Reipublicæ utinam gubernatores assiduè laborandi.

Atqui rectum fuerat, non copiâ magnitudinéve voluptatum antecellere privatis Principem: sed curarum laborúmque gravium susceptione voluntariâ? Sanè, cum quod navi gubernator, hoc Reipublicæ Imperator sit. Gubernatoris porrò vides quam non feriata securáve sit functio: ut omnem in partem micat, ut se circumagit, ut aliis in suavem compositis somnum, atque altum stertentibus, ipse inconniventi acrimoniâ vigiliæ excubans obdorat. Quin ubi pervigilatis noctibus, tuto iam tempore diei, aliquid ad necessariam quietem lassis oculis indulserit, quam non altus illi supinusque somnus est: expergiscenti subinde illæ voces erumpunt: velum contrahe, laxa pedem, clavum circumage, at stridet cornu, at at prominentem scopulum effuge. Sic ferè ipse dormiens plus quam vigiles satagit. Ad hoc exemplum dedat se laboribus Princeps, nec voluptatum diversorium, verùm solicitudinum, se se adeptum in regno putet.

D

Cap. 22. Ut curanda res bellica.

Ac bella quidem per se gerat, ipse præsens omnibus cunctáque coram intuens. Non tamen ut non idoneis de causis sese obiectet periculo. Nec committat, ut militis mortem oppetere possit. quem Imperatoris eximij ritu, nonnisi erectis tropbæis plurimis serò tandem occumbere par fuerat.

Cap. 23. Exercitatio militaris in Pace frequentanda, honorandique veterani.

Porro in pace bellum meditetur, sese identidem ipsum præformans ad omnes partes militarium functionum, nullâ quamvis laboriosâ recusatâ. Simul autem secum milites quoque universos pariter exercens, spectare ac iudicare de re totâ iussis veteranis emeritis. Canities enim, quod dici solet,

Habet quod ævi quam iuventa saniust.

E

Differunt enim verò non parum senex & iuvenis. Ille quippe mens, hic manus est: alter altero indiget. Nec verò quidquam rem ita hodiè Romanam perdit, quam quod inter eos qui rebus præsunt nemo quisquam extet senex vegetus adhuc, & negotiis par, qui rugis ævo contractis, velut squallenti nucis cortice vescum intus & salubrem occultet fructum.

Cap. 24. Exercitatio corporis salubris Principi.

Hanc legem sibi Princeps dicat: nunquam vesci quin prius sudaverit. Id si faciet præter cæteros eius exercitationis fructus, etiam hoc consequetur ut corpore utatur valentiore; quippe exonerato superfluitatibus, quas sedentaria voluptariáque vita colligit. Mentis verò intelligentiâ multò experrectiori vigeat: quippe quam minus molti obducant soporéntque ex arvinâ pinguis alui spisse vaporantes fumi. Quis sic acri vigilem animo, sic prompto agilem corpore, principem non exhorrescat adversarium habere.

F

Cap. 25. Mimi & scurræ arcendi docti & prudétes [...] habendi.

Quomodo autem mimis & ludionibus dare operam talis poterit? aut quomodo non omnes in sui amorem rapiet, qui eum viderint, tum curas animi, tum contentiones corporis; tum actiones serias, tum exercitationes ludicras, ad sua ipsorum commoda conferentem? Si verò contrario se gerat modo; si scenicis & flagitiosis id genus capitibus regiæ fores pateant: si barathro dignos palatina domus & excipiat & penitissimè admittat, usque ad intimam consuetudinem Domini rerum humanarum, turpiter collusori cum scurris nequissimis & sacrilegos infames detestatione obrutos publicâ, non modo sodales & collocutores habituri; sed etiam autores consiliorum, quorum è sententiis deliberationes concludat, rémque gubernet publicam: interim dum viris cuivis imperio administrando, propter excellentem sapientiam, paribus, ubi se vel ad primum limen obtulerint, Ianitores repentè valuas in os obtrudent. Si, inquam, honoretur qui psittacum, quique lusciniam fractâ imitari voce quiuerit: spreti autem irrisique repellantur qui quæ decent hominem, vel potius quæ homines ad Deum evehant, loquuntur. Si probi & docti propter neglectum Principis, impasti ipsi densos pediculorum greges pascant. Si petulantia

G

quidem & lascivia & contumelia affluentibus bonorum bonorúmque præmiis felices florentésque volitent: virtus verò, inane iam nomen, situ & squallore cooperta, consenescere sinatur in angulis, quo loco futura sit tali regimine respublica facile intelligere quivis poterit, ut nos taceamus.

Cap. 26. Clementia Principi necessaria.

At Clementiæ Principis quem tandem præscribimus modum? volumus eam quoad licebit ei esse parem, quam Deus in homines exercet. Nunquam Princeps primâ & ultrò susceptâ voluntate, utetur gladio, sed necessitate adactus, postquam alia expertus omnia est. Id enim suadebit obversans illi ob oculos exemplum Regis cœlestis; cuius exempli si pondus apud ipsum esset minus quam ut imitationem sui traheret, iusto pudore obiiceret comparatione sui Regem hominem Rex apis. Regem quippe apum inter apes omnes unum sine aculeo natura finxit. Porrò quisquis ad

H

stringendum gladium facilis pronúsque est, carnifex is potius quam Rex dicatur; nec putetur à divini principatûs archetypo formam potestatis suæ ducere: sed furiarum immanium sanguinarios furores & humani sitim cruoris æmulari.

Cap. 27. Quo usus gladio & suppliciis utendum.

Ne verò, ne quæso criminetur orationem meam quispiam quasi exarmare coner maiestatem Regum & mucronem hebetare ac prorsus elidere dati eis à Deo gladij. Scio enim scio, Princeps maxime, rubris uti te calceis, indumentisque purpurei, hoc est ignei, coloris. Ignis porrò duplex quædam vis est; illuminat nimirum idem & urit: quibus symbolis vis benefica visque ultrix adumbratur Regum. Utere igitur sanè. non prohibeo,

A ſupplieiis; ſed parcius rariuſque: atque vt ignis plura illuſtrat quam conſumit, ſic tu quoque beneficam vim latius & continentius exerce; vte autem multò ſegnius. Hoc te docet illa quæ more maiorum ante Imperatorem præfertur lampas. Ea enim lucendi ſolum illie uſum habet? neque ad vrendum adhibetur: ita tu quantum in te eſt, tuæ naturæ impetu, propenſionéque voluntatis, latè fundendis in omnéſque ſpargendis beneficiis indulge vnicè.

Cap. 18. Præeminere ſubiectis virtute ac ſapientiâ Rex debet.

SVPER omnia hoc mihi obſerva, quod dicturus modo ſum. Aio eum qui Hominibus imperaturus ſit, virtute præcellere homines debere; ſiquidem vt ovibus paſcendis ductandiſque qui præficitur, ovis non eſt: nec boum armenta bovi regenda committuntur; ſed rationis participi capiti, & perſonæ haud paulò ſuperioris naturæ, ſic vtique & Principem tantum excellere ſupra ſubditos ius faſque eſt, quantum ſupra oves paſtor, ſupra boves bubulcus eminet.

B

Cap. 19. Operis clauſula & promiſſio alterius.

NON te obtundam infinitâ congerie præceptorum. Satius ſit enim in alteras tibi velut epulas ſervare cætera: quam hic ſatiro faſtidienda oggerere. Nec deerit quin iuvante Deo alteram tibi ſimilis opſonij menſam inſtruam, quâ ea exponam quæ hîc deſunt, ſi te modo viderim hæc avidè ac famelicè percepta ita etiam concoxiſſe, vt & habitior inde ſis, & ſtaturam (ſpiritualem utique non corpoream) altiori dignitate ſubſtruxeris.

Cap. 30. Promittitur Conſtantino divinus favor ſi & huic Parænesi & Matris præceptis obtemperet.

HONORANT te literæ, Honora & tu literas, traditis tibi per eas præceptis obtemperans; Sanctæ quoque Matri tuæ fac te obedientem præbeas ſemper. Nam ſi eius habenis duci te facilem docilémque permiſeris Deum Comitem fortunatoremque capturum, tum gerendi regni autorem adiutoremque habebis maximum. Hæc omnino tibi dabit Matris virtus & Benedictio in caput deſcendens, ac domum tibi tum regiam, tum ſpiritalem fundatiſſimâ firmitate conſtruens.

C

FINIS.

SERMO IOANNIS Calecæ Patriarchæ Conſtantinopolitanj, Dominica ante exaltationem S. Crucis.

Ioan. 3.

DOMINI pronuntiatum eſt, *nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo; filius hominis qui eſt in cœlo.* Et prius quidem in veteri teſtamento, Deus diverſas ob cauſas deſcendiſſe & aſcendiſſe dicitur; *Vt, deſcendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non ita eſt, ut ſciam.* Aſcendit autem Deus, poſtquam ceſſavit loqui cum Abraham; & plura huius generis Nunc in Evangelio ait Dominus, *nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo;* Cuius hæc eſt ſententia; nullum Angelum, nullumque hominem aſcendiſſe in illud cœlum, quod eſt ſupra cœlos, niſi illum ſolum, qui inde deſcendit per ineffabilem diſpenſationem, & immenſam miſericordiam, ut genus humanum ex ſervitute diaboli, ex maledictione & à peccati iugo exſolueret.

D Gen. 18.

Ioan. 3.

Gen. 28.

Quamvis autem Angeli quoque per ſcalam Iacob aſcendere & deſcendere viſi ſunt, attamen viſio illa non pertinet ad hoc ſublime cœlum, ſed ad aliud inferius. Nam in illod cœlum ſupra cœlos nemo aſcendit, niſi ſolus Dei filius, quandoquidem ille ſolus inde deſcendit, filius hominis per diſpenſationem factus & appellatus. Inquit enim, *cœlum cœli Domino.* Quod vero Elias, Paulus, & ſi qui alij in cœlum ſublati feruntur, non refert: non enim ad illud cœlum, de quo Dominus loquitur, provecti ſunt; & quò aſcenderunt, voluntate & nutu Dei aſcenderunt non virtute propriâ. Solummodo Dominus propriâ poteſtate aſcendit in cœlum, & deſcendit in terram inſitâ ſibi vi & potentiâ; nullius alterius operâ ad aſcenſum egens.

E

Pſ. 113. 4 Reg. 2. 2. Cor. 12.

Porro filius hominis ſecundum naturam humanam appellatur, & cum Dominus ſæpe à natura divina, ſæpe ab humana ſibi nomen indere ſoleat; non abs re dixit, *qui eſt in cœlo*, hoc eſt, qui ſecundum divinitatem eſt in cœlo, ex cœlo deſcendens Salvator noſter, cœlum non derelinquebat; & in cœlo degens à terra non aberat, ubique enim erat, cum incircumſcripta ſit divinitas. Deſcendit igitur ex cœlis, * non qui ex ſemine David, ſed temporis expers Dei verbum, quod iam ante ſæcula erat: & propter vnionem cum genere humano, *filius hominis* appellari voluit: & cum filium hominis audimus, ne arbitremur, carnem eius ex cœlo deſcendiſſe. Sed cum Chriſtus ſit vna hypoſtaſis, ſeu perſona duabus naturis conſtans, fit, vt nomina hominis etiam de Verbo enuntientur, & vice verſa, attributa Verbi homini quoque tribuantur. Appellatur ergo & hoc loco filius hominis, quia vtriuſque naturæ, humanæ ſcilicet & divinæ, vna eademque eſt hypoſtaſis ſeu perſona, non quod filius hominis de cœlo deſcenderit, (nempe ſecundum humanam naturam) ſed quod qui deſcendit filius Dei, ipſe aſcendit filius hominis factus: caro enim poſt reſurrectionem impatibilis & immortalis effecta, propter communionem & unionem cum Verbo, in quo abſque divulſione & diviſione ineſt; eandem ſedem accepit.

Ioan. 3.

F

* id eſt, non ſecundum humanã naturam.

Quapropter Paulus ait: *Qui deſcendit ipſe eſt, qui & aſcendit ſuper omnes cœlos, ut impleret omnia;* nam divinitate etiam antea cuncta complebat; utpote tanquam ubique præſens & omnia penetrans. Poſtea vero propter ſalutem noſtram, cum in cœlis verſaretur, in terram deſcendit, carnem aſſumpturus; qui ſponte exaltatus eſt in Cruce: & mortuus carne, deſcendit ad inferos, & reſurgens aſſumptus eſt in gloria, & aſcendit ſuper omnes cœlos, *ut impleret omnia;* & in carne dominationis ſuæ, & virtutis ſeu potentiæ ipſe unus eſt ex ſancta Trinitate, conſubſtantialis filius & Verbum Dei, æqualis Patri & Spiritui ſancto, homo factus, in duabus perfectis naturis ac operationibus, qui etiam corpore patri aſſidet, & iterum venturus eſt cum gloria, (quo pacto etiam aſcendit) iudicare univerſam terram, & *reddere unicuique ſecundum opera ſua, & regni eius non erit finis.*

Epheſ. 4.

G

Ibid.

Rom. 2.

Ne vero, quando audimus eum *deſcendiſſe*, in eam perſuaſionem veniamus quaſi iam non ſit ampliùs in cœlo, utpote qui deſcenderit; illico adiecit: *Qui eſt in cœlo*: ne, inquit, cum me deſcendiſſe auditis, arbitremini me non eſſe ampliùs in cœlo; quia & hic præſens ſum corpore, & ibi cum patre in eodem throno ſedeo divinitate. Nam cum ſit Dominus omnium, ſuperna non deſeruit, & ad nos advenit, ut omnia undequaque & ubique ſalvaret.

H

Et quemadmodum Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ſic exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. His verbis præſignificavit Dominus & Salvator noſter ſuam Crucifixionem, oſtendens, ſe huius præſcium eſſe, ſeque volentem ac lubentem propter humanam ſalutem ad paſſionem tendere. Non dicit autem apertè & diſertè, ſe cruci affixum iri, ſed ſerpentis priſcæ illius hiſtoriæ, meminit: ſimul nos erudiens vetera novis eſſe cognata & conſona: unumque Veteris ac novi teſtamenti legiſlatorem agnoſci debere.

Ioan. 3.

Illod

A Illud insuper docet : si Iudæi imaginem æream serpentis intuentes corporalem hanc & mortalem mortem devitarunt, quanto magis nos nostros oculos ad crucifixum Dominum gloriæ vertentes, & in ipsum credentes, æternam animæ mortem declinabimus? Et serpentis quidem Historia in libro Numerorum percensetur : & est talis.

Murmuraverant Iudæi in deserto, quod nec panis, Num. 21 nec aqua suppeteret. *Nauseat anima nostra*, aiebant, *super hoc cibo levissimo*, nempe super manna. Et misit Dominus in populum serpentes, qui eis mortem inferebant, mordebántque populum; quo malo plurimi ex Israëlitis interiere qui ad Moysen accurrentes clamabant : peccavimus oblocutionibus nostris contra Dominum & te : supplica pro nobis Deo, & auferat à nobis serpentes. Oravit Moyses : ad quem Dominus. Ibid. *Fac tibi serpentem, & pone illum sublimem in signo*, quem, qui ictus à serpente aspexerit, vivet. Attendite diligenter fratres mei, & cum veritate typum compa- B rate. Ibi serpentis similitudo erat : nam bestiæ imaginem habebat : veneno autem carebat. Ita & hic ho- Rom. 8. mo est Dominus, sed à peccati veneno liber : in *similitudine carnis peccati venit*; hoc est, in specie carnis peccato subiacentis, sed non erat caro peccati : & tunc quidem à corporali & temporali morte intuentes liberabantur, at nos spiritualem & æternam animæ mortem effugimus : tunc morsibus serpentinis medebatur suspensus serpens : at iam ab intelligibili Dracone mortiferas nobis inflictas plagas curat Christus in Cruce exaltatus. Ibi sanabatur, qui corporeis oculis serpentem aspiciebat. At hic ab omnibus peccatis eripitur : qui oculis sub intelligentiam cadentibus utitur. Ibi æs in figuram serpentis effigiatum erat : hic corpus Dominicum à Spiritu sancto formatum. Ibi mordebat serpens, & serpens medebatur. Ita & in præsenti mors perdidit, & mors servavit. At mordens & ille perdens anguis venenum habebat. Æreus autem, & qui servabat, veneni purus erat. Hic iterum eandem similitudinem observa : Nam mors, quæ C Adamum perdidit, peccatum habebat, quemadmodum serpens venenum. At mors Domini ab omni peccato libera fuit, sicuti æreus serpens à veneno immunis Ioan. 3. erat. Propterea per similitudinem dixit : *Quemadmodum Moyses exaltavit serpentem* : & reliqua, sicut enim ille exaltavit serpentem, vt qui in ipsum intenderent, vitam haberent : ita & Christus exaltatus est, vt qui in ipsum intenderent, nimirum credentes, vitam æternam obtinerent. Ibi quidem serpens visebatur, ob serpentinos morsus. At hic homo est, ob homi- Rom. 5. nes letali morsu sauciatos. Ibi plaga per serpentem illata, per serpentem quoque curata est. Hic verò, 1. Pet. 2. quoniam mors per hominem intravit in mundum, per hominem etiam vita nobis data est : nam peccatum non fecit Dominus : *Nec inventus est dolus in ore eius*.

Exaltari oportet filium hominis : Cum *exaltationem* audimus suspensionem in Cruce animo concipiamus : D Nam in alto pependit Salvator noster, ut & aërem sanctificaret : qui terram sanctificaverat, in illa & per illam ambulando. Quin & verbum *glorificari* perpendere oportet. Crux enim verè Christi *exaltatio & gloria* fuit : nam in qua Dominus videbatur damnatus, in ea bonus mundi principem damnavit. Et hoc Colos. 2. est, quod Paulus docet : *Exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter triumphans illos in semetipso*. Nimirum, quod dico einsmodi est. Adamus meritò mortuus est, peccaverat enim. Ergo usque ad Domini crucifixionem, mors dominationem in homines exercuit. Postquam vero Dominus ab omni culpa liber fuit; nil in eum iuris Diabolo relictum est, ut eum neci daret. Quocirca cum iniuste peremptus fuerit, mortem à qua morti datus fuerat, devicit; & hac ratione Adamum à morte, quæ ei, tanquam peccatori, iuste illata fuerat, liberavit.

Et ut res clarior evadat, exemplo declarabitur. Sit violentus quispiam tyrannus, qui omnes, suas in E manus delapsos innumeris malis afficiat : hic si comprehensum Regem, aut Regis filium iniustè interficiat; fieri potest, ut mors illius etiam aliis oppressis opem ac subsidium ferat. Iterum, sit fœnerator quispiam, fœnus reposcens, debitores verberet ac in vincula detrudat : Deinde eadem animi impotentiâ eum, qui nihil debet, iisdem pœnis mulctet ac in carcerem compingat : hic certè pœnas dabit eorum, quæ in alios admisit. Interficiet enim illum, tanquam iniustè punitus, inque carcerem coniectus. Hoc & in Christo evenit. Nam eorum malorum, quibus nos Diabolus punivit, pœnas luit, quando Christum aggredi non formidavit. Prostratus enim, deiectus & Cruce Christi captus est.

Duo erant, quibus genus humanum tenebatur, vo- Matt. 4. luptas ac tristitia : His duabus Dominum aggressos, immotum invictúmque reperit. Et primum quidem in monte voluptatis illecebrâ eum tentavit : sed cum incassum hanc machinam adhiberi cerneret, ad tristi- F tiam longè validiorem balistam, se convertit : ut vel Matt. 26 hac ratione de Christo victoriam referret. Eum in finem omnes à Diabolo contra Christum concitati Matt. 27 sunt, discipuli, ut negarent : Milites ut illuderent : Ibid. prætereuntes, ut blasphemarent. Iudæósque universim impulit, ut calumniis eum incesserent, & tanquam maleficum condemnarent, mortique adiudicarent. Verùm hic quoque invictum ac immutabilem reperit. Neque enim potuit tristitia & dolor Christo in Cruce persuadere, ut odio haberet eos, à quibus crucifigebatur, sed dilexit eos, preces pro illis fundens, *Ne statuas illis*, pater, *hoc peccatum*. Videte quomodo vicerit Christus in eo ipso, quo videbatur Luc. 23. esse victus.

In hunc igitur modum Christo crux facta est exaltatio & gloria : Nam Diabolum, & mortem, & maledictionem, & peccatum, in captivitatem abduxit; & nos, qui sub Diaboli, mortis, maledictionis & peccati iugo tenebamur, in viam vitæ ac salutis reduxit, & divinorum mysteriorum participes ef- G fecit, & spiritualia charismata nobis fruenda concessit.

Hæc scientes, charissimi, *humiliemur, & nos sub* 1. Pet. 5. *potenti manu Dei, nam omnis, qui se humiliat, exaltabitur* : Et illos, qui submissa sunt mente, ad gloriam excitabit Dominus : Beatum vero illum hominem, qui vitam vivit sublimem, sed animum gerit humilem. Igitur *ne alta sapiamus*, sed nos ipsos hu- Rom. 12. & 12. miliemus. Imitemur Christum Dominum, Redemptorem & Salvatorem; huius Cruce in humerus sublatâ carnales motiones ac appetitiones mortificemus, *configurati morti eius*, ut & nos cum S. Paulo dicere Phil. 3. queamus : *Vivimus non iam nos, vivit verò Christus* Gal. 2. *in nobis*. Et, *Nobis autem absit gloriari, nisi in* Gal. 6. *Cruce Domini nostri* IESV CHRISTI. Abnegemus nosmetipsos, & nihil Christo anteponamus, non divitias, non delicias, non gloriam, non corporalem voluptatem, non ipsam vitam, verùm & hanc con- H temnamus, & omnia Dei mandata promptè exequamur. Habemus enim & nos asperos persecutores visibiles & invisibiles hostes ac adversarios, qui nos in singulos dies tentant & exagitant, turbant & perturbant, & ab observatione divinorum mandatorum retrahunt. Ne igitur effœminemur, neque de repugnandi alacritate quidquam remittamus, sed virili atque generoso animo resistamus, & cum hostibus congrediamur, ut indeterminatæ iisdem gloriæ & immortalium bonorum participes efficiamur in Christo Iesu Domino nostro, cui gloria & potentia in sæcula sæculorum Amen.

* * *

A

ORATIO IOANNIS Xiphilini Patriarchæ Constantinopolitani in tertiam ieiuniorum hebdomadem, seu in Crucis adorationem.

N O T A.

IOANNES illo nomine septimus, cognomento Xiphilinus, Patriarcha Constantinopolitanus, temporibus Imperatoris Constantini XII. Ducæ vixit, & 1078. obiit. De quo sic Glycas parte 3. annalium: *Constantino Patriarchâ mortuo, Ioannes Xiphilinus Monachus in eius locum suffectus est, vir omnino propter eloquentiam, doctrinam, prudentiam, virtutem admirandus. Trapezunte oriundus, vitam in Olympo religiosis exercitiis deditam agebat, unde ut pertractus est ad hanc dignitatem, tanquam inter alios eximius.* Xiphilinus historiam Dionis Nicæi in compendium redegit. Sunt tamen qui id ab nepote eius præstitum velint.

B

OLim virga Mosis Israelitico populo præeûtis, bifariam mare divisit, & viam inviam, equitabilem reddidit. Ac post eam in duas partes divisionem, effecit, ut fluxa aquarum natura immota maneret, & muri instar utrinque staret: at post Hebræorum transitum, denuo in unum, ut ante fuerat, colligeretur. Superciliosum Pharaonem una cum curribus, ducibúsque, & toto exercitu in profundum demersit: vastam, incultam & efferatam, solitudinem toti Israeli quasi mansuefecit, amaris, Matthæ fluentis in dulcia conversis. Neque verò hanc tantùm potabilem reddidit, sed & aliam aquam ex petra mirandum in modum large elicuit, & integri fluminis fontem effecit. Antè verò quam hæc gesta sunt, Ægyptum contumacem & inobsequentem castigavit; undas in sanguinem mutavit, vicissimque sanguinem in undas redegit; & sexcenta illa prodigia operata est. Quòd si illa, quæ typus tantummodo, & umbra fuit, tot tantorúmque miraculorum extitit effectrix: quid ipsa illa Dominica crux non efficiet, quando non per symbola & ænigmata adumbratur, sed coram cernitur, atque à nobis adoratur? An non spiritualem Pharaonem decemplici illâ involvet plagâ, ac demum cum exercitu suo submerget & obruet? An non ferax perturbationum pravarúmque affectionum mare, sicco pede transmeare dabit? An non solitudinem bonorum, præsentem scilicet vitam, excolet facillime? An non amaritudinem Matthæ, calamitatum, inquam, & tentationum, dulcem, & potabilem faciet? An non aquam ex petra, quæ Christus est, nobis manabit, quæ non modo sitim ex ingenita cupiditatum & illecebrarum flammâ nascentem depellat, verum etiam super mel & oleum delectet, recreet, & sanctificet corda nostra, neque ampliùs sitire patiatur. Qui enim *ex ea bibet, non sitiet in æternum.*

C

D

Quid porro attinet omnia percensere, quæ nobis bona per Crucem obtingunt? Deficiet enim tempus, ea sigillatim enarrantem. Hanc etiam divinissimi illi patres nostri, quod scirent piorum præsidium esse minimè dedecens, in media ieiuniorum hebdomade proponendam, & à fidelibus adorandam atque salutandam decreverunt, ut quæ iam præclare gesta essent, ab intemperantiæ oppugnatoribus, ea custodirent & conservarent; & ad futura eos incitarent atque adiuvarent. Quocirca nos quoque, cruce Domini adiutrice invocatâ, propositum certamen absolvere studeamus, crucifigendis motibus carnis, & mortificandis; illiusque præcepta sequi enitamur: quemadmodum etiam Evangelica exhortatio hodie legenda nos admonet.

E

Dixit Dominus discipulis suis: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Marc. 8.

Cum Dominus, & Deus, & Salvator noster IESVS CHRISTVS suis prædiceret discipulis, oportere omnino se & Iudæorum insultationes, furoréſque perferre, & crucifigi ab eis atque occidi: princeps Apostolorum, quod crucis mysterium ignoraret, ac proinde satius esse duceret, ut Christus non moreretur; reprehendit eum his verbis: *Propitius esto tibi Domine, non erit tibi hoc.* Hunc ergo ut corrigeret Dominus, & indicaret, non, si pateretur, sed si non pateretur, id verò indecens esse, castigavit dicens: *Vade post me Satana, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Illum ergo increpans, ait: An me pati dedecet? Atqui tu carnali animo sic censes: nam si divinitus illustratus sermonem meum audivisses, carnali cogitatione depositâ, cognovisses, id me vel maximè decere. Tu enim existimas passionem me indignam esse: ego vero tibi dico, ut non patiar, Diabolici esse consilij. Non enim contumeliose Petrum Dominus appellavit, sed quoniam eius incommoda, nostra facta sunt commoda: ut mors ipsius nobis vita facta est: ipsius ignominia, nobis gloria: idque ignorans Apostolus, restitit ex ignorantia voluntati Dei, ignorantia verò erat adversarij: idcirco ait: *Vade post me Satana:* pro illo: Sequere meum consilium, nec obsiste scopo meo.

F

Nomen *Satanas* adversarium significat. Tempus ergo hic & occasionem explicat, qua Petrus dixit: *Propitius esto tibi Domine: non erit tibi hoc:* & audivit: *Vade post me Satana.* Posteà verò reprehensione eâ non contentus, sed uberiùs demonstraturus eorum, quæ Petrus dixerat, absurditatem, & passionis lucrum, ait: Tu mihi dicis: Non erit tibi hoc. at ego tibi dico, non modò me prohibere, ac meam passionem indignè ferre, tibi noxium erit & perniciosum: sed neque tu salutem adipisci poteris, nisi & ipse ad patiendum paratus semper fueris. Ne enim passionem ipsi indignam arbitrarentur, non tantùm antecedentibus, sed etiam consequentibus verbis eos lucrum rei edocet. Ac per Ioannem quidem ait: *Nisi granum frumenti in terra moriatur, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* At vero hic plus dicit, & sermonem de mortis necessitate non solum ad se, sed etiam ad illos accommodat. Tantum enim, inquit, rei lucrum est, ut & vobis, nolle mori, malum: contra, paratos ad id esse, bonum sit.

G

Iam vero quæ arcana etiam sensa continet crux, per quam perficitur Dominicæ passionis nostra causa susceptæ mysterium: quis facile oratione explicet? Quid enim? An non erant infiniti modi ad mortem ducentes, quibus mors pro nobis oppeti potuisset? Verum ex omnibus iste delectus est ab eo ipso, qui sibi passionem pro potestate delegit. Neque enim dixit: Hæc & hæc patietur filius hominis: quomodo simpliciter & absolutè mortem prædicere potuisset: sed oportet, inquit, filium hominis crucifigi, docétque oportere passionem non aliter, quam per crucem peragi. Quid ergo hac de re dicemus? Solius magni Pauli est id declarare: qui in epistola ad Ephesios absconditum crucis mysterium ex parte innuit, dicens: *ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo & profunditas, & altitudo scire etiam supereminentem charitatem cognitionis Christi.* Non enim frustra divinus ille oculos figuram hanc quatuor prominentiis a media commissura distinctam designat, ut eius, quem illa significat, providentiam atque potentiam per omnia permeantem insinuet. Hac de causa suam quámque prominentiam vocabulo appellat. Profunditatem nominat, quæ à medio deorsum; altitudinem, quæ sursum; latitudinem & longitudinem, quæ H Ephes. 3.

ex

A ex transverso à commissura utroque protenditur. Quo illud mihi perspicue videtur indicare, nihil esse, quod divinâ vi, atque naturâ non contineatur omnino & conservetur, sive in cœlo, sive sub cœlo, sive sub terra sit, sive ad terminos mundi undique ex adverso protendatur.

Per altitudinem enim significat supera; per profunditatem, infera: per longitudinem & latitudinem, terminos seu regiones intermedias, quæ itidem ab omnium rerum conservatrice, potestate continentur. Quin etiam ex nostris de Deo cogitationibus idē planum fit. Suspice enim in cœlum, & subiectam ei profunditatem considera: intende animum ad obliqua, & extrema huius Universi, & cogita, quæ vis hæc contineat, quæ mundi sit coniunctio: ac videbis menti tuæ Christi figuram ultro imprimi, ab excelsis ad profundissima, atque ad extremos fines obliquè pertinen- B tem. Hanc figuram divinus etiam David cecinit, dicens: *Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? Si ascendero in cælum*, hæc est altitudo: *si descendero in infernum*; hæc est profunditas, *si sumpsero pennas meas diluculo*, quod est oriens, hæc est latitudo: *Et habitavero in extremis maris*, Occidente videlicet, hæc est longitudo. Ecce quomodo verbis illis depingit figuram Crucis? Tu es: inquit, qui extrema Universi semper animo complecteris. Quapropter etiam Apostolus docet, cum repleta fuerint omnia fide & cognitione: nomen, quod est super omne nomen, adoratum iri à cœlestibus, terrestribus, & infernis; adoratione Christi ad crucis formam distinctâ. Cœlestia enim in superiore crucis parte Dominum adorant; terrestria in media, inferna in inferiore. Non ergo terram moriendo subiit, sed in aerem ascendit per Crucem, ut inde quoque principem potestatis aëreæ persequeretur, & profligaret. Etenim cum in cruce pependit, aërem ex- C tensione manuum purgavit; terram sanguine & aqua, ex latere fusis.

Sed videamus etiam ad verbum Evangelica dicta. *Si quis vult venire post me* Vide quemadmodum neminem cogat. Neque enim dixit: Velitis, nolitis, oportet vos hoc pati: sed quomodo? Si quis vult, quasi diceret: Non vim affero, non cogo, sed suum cuique consilium voluntatemque liberam relinquo. Quam etiam ob rem ait: *Si quis vult.* Ad bona enim voco, non ad mala & odiosa; non ad castigationem & pœnam, ut etiam cogere oporteat: siquidem ipsa rei natura potia est attrahere. Quibus verbis vehementiùs allicit. Nam qui cogit, avertit sæpe eos quos cogit: at qui auditorem sui iuris esse sinit, magis attrahit. Ideo dixit: *Si quis vult*. Magna enim, inquit, sunt quæ vobis offero bona, ac talia, ut volentes libentesque ad se convertant. Neque enim, si quis aurum præberet, aut opulentum thesaurum proponeret, per vim accerseret. Quod si ad illa non per vim, multo magis ad cœlestia bona. Etenim nisi naturâ rei excitus accurretis, ne- D que qui accipias, dignus es: neque si acceperis probè cognosces acceptum. Hanc ob causam non cogit Christus, sed hortatur, quasi dicat: Si non censetis urationem illam meam infinitorum bonorum vobis causam fore, non vim affero, non cogo: sed si quis vult venire, eum voco.

Tantùm autem abest, ut affectus concitet, ut non modo discipulis aspera proponat, sed toti etiam orbi terrarum: Si quis vult, inquit, sive vir, sive fœmina, sive pauper, sive dives, sive princeps, sive subditus, hanc ingrediatur viam. Ubi igitur sunt qui liberum arbitrium evertere nituntur, & fatum introducere. Ecce enim hinc apertè vanitatis arguuntur: *Si quis vult*. Nam diabolus, quia nihil veri habet, ostia eorum, à quibus non recipitur, securi & ferro perfringit: at Salvator adeo mitis est, ut doceat: *Si quis vult venire post me*: &, *Qui vult meus esse discipulus.* Ad unumquemque venit, neque cogit: sed potiùs pulsat ac dicit: *Aperi mihi soror mea sponsa.* Ac si aperiant, ingreditur; sin cunctentur illi, & nolint, recedit. Et E per Esaiā dicit: *Si volueritis & audieritis me.* Prius enim velle oportet, ac tum audire, ut pro nostra parte liberi simus. Ibi enim ex eo, quod nolimus, fit ut non audiamus. Sic omnis beatitudo, & pœnæ dolorumque perpessio à nostra libera potestate proficiscitur. Si quis ergo, est in eum credere: quod autem ait, *Post me*, id mandatorum observationem significat. Hoc enim est verè sequi, non modo credere in ipsum, sed etiam pati pro ipso, cæteræque virtuti operam dare. Quod verò vitam suam Salvator, omnibus sibi obtemperaturis, crediturisque, velut optimæ vivendi normæ exemplar proposuerit; audi ipsum disertè & expresse id docentem: *Si quis enim*, inquit, *mihi ministrat, me sequatur*, non utique corpore, quod nemo posset, cum Dominum iam in cœlis esse noverimus, sed quam fieri potest, accuratissimâ vitæ morumque imitatione.

F *Abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Unum videtur dicere, cum tamen tria dicat, videlicet; *Abneget semetipsum*; *Tollat crucem suam*; &, *Sequatur me.* Ac priora quidem duo coniuncta sunt, tertium verò seorsim est positum. Discamus igitur prius, quid sit, *Seipsum abnegare*: nempe, liberaliter periculis se exponere, & certaminibus obiicere: nihil secum habere commune, sed perinde affici, ac si alius quispiam pateretur. Ut enim si neget alterum, sive eum flagris cædi videat, sive torqueri, sive ad mortem abduci, non auxiliatur, non opitulatur, non animum contrahit, non miseratione erga illum movetur, quippe omnino ab eo abalienatus: ita nos vult erga nos ipsos affici, cum patimur ut sive flagris cædamur, sive exagitemur, sive uramur, sive quidvis aliud patiamur, ne parcamus nobis ipsis. Tum enim magis ipsi nobis parcimus, cum propter Christum minimè parcimus. Nam & patres tum parcunt filiis, cum eos magistris tradunt, iubentque, ne ipsis, parcatur. Non autem dixit: Ille parcat sibi: sed vehementiùs, *Neget*, G hoc est, nihil secum commune habeat, sed obiiciat se certaminibus & periculis, nec secus afficiatur, quam si alius pateretur. Quo autem maiorem vim verbo adderet, non dixit; *Neget*, sed, *Abneget*; parvo cum additamento magnum rei incrementum insinuans: etenim hoc plus est, quam illud: negatio quippe sui est, perfecta præteritorum oblivio, & propriæ voluntatis remotio, desiderium moriendi in Christo, mortificatio membrorum, quæ sunt super terram, alacriter verò quodvis discrimen Christi causa adire, penitus non affici ad præsentem vitam, id iam est tollere crucem suam. Sed perfectio in eo est, ut affectum penitus exuamus, atque ad vitam ipsam mortisque condemnationem perinde animati simus, & ut erga nos ipsos non afficiamur.

Principium porro ducitur ab externa alienatione, ut possessionum, vanæ gloriæ, aut omnino desiderij rerum inutilium: quemadmodum nos etiam sancti docuerunt Domini discipuli, Iacobus & Ioannes, relicto patre, ipsoque navigio, omnibusque facultatibus. Matthæus autem ab ipso telonio surrexit, & Christum H secutus est, non solum lucris relictis, sed etiam contemptis periculis, quæ à magistratu imminebant, quod imperfectas telonij rationes reliquisset. Iam Paulo totus etiam mundus crucifixus erat, & ipse mundo. Aliâ ratione negat quis seipsum, quando vitam suam perperam & vitiose anteactam, condignâ mutatione obliterat. Ut qui intemperantiæ olim deditus erat, negat seipsum intemperantem, si temperantiam amplectatur: & qui iniustus erat olim, negat seipsum iniustum, si studeat iustitiæ. Et in summa cuiuslibet peccati fuga, negatio sui est, ducens post Christum. Ne quis autem existimaret usque ad contumelias, & plagas, & probra abnegandum se sibi, addidit: *Et tollat crucem suam*: ut indicaret, quatenus oporteret abnegare seipsum, nimirum usque ad mortem, eamque probrosissimam. Idcirco adiecit: *Tollat crucem suam.* Alia enim mors non esset ita mirabilis & probrosa, ut mors crucis. Neque enim tantum dicit, ut volupta-

tem

tem & gloriam contemnamus, sed etiam ut usque ad sanguinem resistamus, & usque ad contumeliosissimam mortem omnia generuse feramus, eáque re potius exultemus.

Considera deinde quemadmodum non dixerit Crucem absolutè, sed Crucem suam, id est, mortem quam debet, quamque oportet eum quotidie oppetere, more illius, qui ait: *Quotidie morior*. Aut etiam aliter Crucem portare nos iubet, hoc est, continenter vigilare animo, & virtutibus in alto stare, neque de cruce descendere: videlicet continere pravas affectiones, donec exscindat eas, & exterminet deinceps invictus. Crux enim est omnis peccati abolitio. Crucifige ergo teipsum secularibus negotiis ut ea non attingas. Nam etsi non imminet crux aut contumeliosa mors: affectionum tamen mortificatio imminet, & bellum adversus invisibilem inimicum & hostem, quem omnino vincere necesse est: ut & nostrûm unusquisque possit dicere: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Spiritualem mundum hic vocat mundanas concupiscentias, quas ex D. Pauli præcepto crucifigit, id est, mortificat, & imbecillas reddit, ne eum vincere possint; & peccatum in actionibus suis evitat. Quin etiam ipse illis crucifixus est, id est, non commotus importunitate earum. Ac videtur hæc oratio; Mihi mundus crucifixus est: libertatem peccatorum actionis significare: illa vero; Et ego mundo, vacuitatem affectionum animi.

Quia verò fieri potest, ut quis patiatur, nec tamen sequatur eum, ut cum quis non propter ipsum patitur. Etenim sæpe etiam malefici multa aspera perpetiuntur, & sepulchrorum effossores, & præstigiatores; ne quis tormenta sufficere putet, addit: *Sequatur me*: ut indicet, oportere sua causa sustinere acerba quævis, neque tantùm in malis perferendis adhibere fortitudinem, sed etiam temperantiam, æquitatem, omnémque sapientiam consectari. Significatur autem verbis illis; *Sequatur me*: in cæteram quoque virtutem incumbendum esse. Seipsum deinde abnegat, qui facultatibus, quibus pollet, dispersis, nuntium remittit omnibus carnis cogitationibus & sensibus, atque ita sublatâ cruce totum se ad cœlestia bona transfert, prorsúsque terrestribus abdicat. Tertiò etiam sequitur Christum, qui amore boni honestique hæc facit, non gloriæ alteriusque talis commodi gratiâ. Is enim verè sequitur Christum, cum eius vivendi rationem persequitur. Iter enim rectum quo Christi vestigiis insistimus, & viam sequentibus munit, & coronam conciliat: at verò obliquum illud, & in dexteram aut sinistram partem declinans, etsi ducere per Christi vestigia videtur, re tamen verâ fallit, omnémque operam perdit. Hæc locutus Salvator ad discipulos, quia vehemens eis, acrisque ea videbatur oratio: sequentibus verbis illos consolatur, & addit præmia sudores longè superantia. Subiicit ergo: *Qui enim voluerit animam suam salvam facere perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me & Evangelium, servabit eam.* Hæc bellum Ecclesiæ à persecutoribus imminens insinuant, & persecutiones, quas credentes in Christum, per omnem civitatem & regionem impendentes subituri erant.

Si quis ergo, inquit, tum pepercerit animæ suæ (hoc enim significat illud, *Salvam facere*) perdet eam in futuro ævo, hoc est, in perpetuas se pœnas præcipitabit. Perditio enim animæ est, non dissolutio in nihilum, sed perpetuum & nunquam finiendum supplicium. Quibus verbis ostendit, se non severitatem, sed magnam potiùs lenitatem ipsis exhibere, dum illa præcipit. Etenim qui parcit filio suo, perdit eum; qui non parcit, servat. Quod & sapiens quidam dixit: *Si corripueris filium tuum in virga, non morietur, sed animam eius à morte liberabis.* Et rursus: *Qui blanditur filio suo*, hoc est, miseretur; *obligabit vulnera eius.* Hoc & in exercitu contingit. Si namque Dux parcat militibus, eosque continenter manere intra castra iubeat: eos quoque, qui extra sunt, una cum illis perdit. Ne ergo & nobis id eveniat: Oportet, inquit, ad continuam mortem vos esse paratos. Qui enim amore temporalis vitæ animam suam à periculis meâ causa perferendis, & à morte subducit, ac servare contendit; eam haud dubiè perdit illâ perditione, quæ est ignis inextinguibilis, & vermis non dormiens; tenebrásque meretur exteriores. Quemadmodum contra qui eam periculis & morti exponit, atque ita perdit, optabili profectò perditione (perditionem enim animæ vocat separationem eius à corpore Christi gratiâ factam) necessario servat eam, atque ad vitam perducit meliorem. Vt enim in sensibilibus externísque bellis ille, qui ad necem paratus est, & magis celebratur, & minus lædi potest, & maiorem hostibus terrorem incutit, quanquam eum Rex suus, pro quo mortem oppetiit, postea nequeat resuscitare: ita & is qui Christi causa animam morti obiicit: ex alia verò parte etiam resurrectionis eam spes servabit. Oportet igitur nos superiores evadere omni tentatione, & prope ad Martyrium accedere, non ut vitæ finem sortiamur, quemadmodum cæteri, sed ut perfectum officium charitatis erga Deum præstemus, cum sciamus, eos qui Martyrum gesta æmulati fuerint, socios ac participes fore & gloriæ. Etenim contemptor vinculorum mortis, non perdit animam suam, sed potiùs servat eam: at qui eandem citra pericula mortémque vult servare, æternam ei perditionem parit.

Postquam vero dixisset: *Qui perdiderit animam suam*: quia diversis multisque modis multi sæpe animam perdunt, aut latrocinando, aut homicidiis perpetrandis, aut mortuorum sepulchris effodiendis, aut alio quopiam nefario facinore designando: ideo adiecit; *Propter me, & Evangelium.* Nam qui non propter Christum & Evangelium perdit animam suam, non servat eam. Si ergo servari animam beatum est, modo ad salutem in Deo referatur; oportet aliquam animæ perditionem esse bonam, & propter Christum. Videntur igitur inter se conferri posse hæc duo; Negare seipsum ad prædictum modum; &, Oportere unumquemque perdere animam suam. Perdat aliquis animam suam peccantem, ut hac perditâ, recipiat illam alteram rectè factis servandam. Aliter quoque reverà beatus fuerit, qui rebus omnibus laudabiliter moritur; sensibilibus, deponendo sensuum usum & fructum; intellectilibus, sensuum motione reprimenda. Laudabilis enim mors animi, est interior ab omnibus rebus abalienatio; quâ transactâ divinam gratiæ vitam mens suscipere solet, & pro rebus auctorem rerum. Postquam vero dixisset Dominus, eum, qui velit animam salvam facere, perditurum esse illam; qui autem perdiderit, servaturum: ibique salutem & perditionem, & hic perditionem ac salutem posuisset; ne quis existimaret, æqualem esse perditionem hanc & illam, ac salutem; sed sapienter disceret, tantùm inter hanc & illam salutem interesse, quantùm inter perditionem & salutem: ideirco subiicit.

Quid enim proderit homini, si totum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Vidisti quemadmodum temporalis animæ salus perditione deterior sit, quippe incurabilis, & quæ nihil, quo redimatur, reliquum faciat. Cùm enim quispiam ad præsentes vitæ delicias intentus, recusat pati, splendideque vivere studet: etsi divitias habeat, etsi copiam pecuniarum; quid inde utilitatis ad eum redit animâ perditâ? *Præterit enim figura mundi huius*, & umbrarum instar reclinatur, & divitum opes avolant. Non enim proderunt thesauri iniquis: iustitia autem liberat à morte. Totus mundus vanis eiusmodi hominibus plenissimus est (ut talem eis mentem iniicere necesse non sit) qui tentationibus quodammodo inebrientur, & inutilibus diffluant voluptatibus. Vnde iis, qui rectè vivere instituunt, superfluæ sunt illecebræ carnis, & sapere ea, quæ in mundo sunt, efficit, ut à rerum utilium ac necessariarum ipsa velut iamiâ aberrent: si quidem

verum

A verum est, sapientiam carnis, inimicam esse Deo, & eum qui sapit quæ mundi sunt, inimicum Dei constitui.

Superfluum ergo reverà est sapere quæ in mundo sunt. Ea propter dicit: Quid enim proderit homini, si mundum universum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? Ne enim mihi, inquit, dixeris, cum salvam fecisse animam tot tantisque evitatis periculis. Si námque una cum anima sua orbem quoque terrarum quis lucretur universum, quid emolumenti inde capiet, animâ perditâ, cum qua ne universus quidem mundus comparandus est. Neque enim pecuniâ licet salutem commutare, nam si id liceret, qui lucratus erat mundum, at animam perdiderat; dedisset tum cum flammis cruciaretur, & liberatus fuisset. Sed non licet hoc, non licet. Vt enim servis in deliciis luxúque viventibus, si dominus in extremis interea versetur malis, nihil lucri ex eo percipit, quod dominus sit:
B ita etiam si venter delicatè vivat & opiparè, sed anima futuram expectet perditionem, nihil ei prodest: ac maximè cùm non possis ullam pro ea commutationem dare. Neque enim alteram habes quam des animam. Pecuniis enim aut ædibus, aut mancipiis, aut aliâ quacunque re perditâ, potest quis alia illorum loco dare. Neque enim etsi quis rex orbis terrarum sit, omniúmque eius pecuniarum dominus: poterit unam redimere animam, licet omnes orbis pecunias pretij loco offerat: neque omnis mundi luxus & splendor exiguum aliquod solatium animæ poterit adhibere, cum æternùm torquebitur.

Sed adverte, quemadmodum non dixerit. Aut quam dat homo commutationem pro anima sua? sed; Quam dabit? Tum enim non habebit quod dat: nunc verò dat Pœnitentiam, Confessionem, gemitus, lachrymas, macerationem corporis, severiorem vivendi rationem. Cuius rei non nescius, dolosus hostis noster, semper mulcet nos vitæ suavitatibus, tempúsque paulatim procrastinando suffuratur: Mihi, inquit, diem da
C hodiernum, Deo crastinum; mihi tempus præsens; Deo, futurum: vt ita tardantes ad pœnitentiam & emendationem, superveniens abripiat mors, quando non est qui redimat, neque qui salvum faciat. Homo igitur non potest aliquam dare commutationem pro anima sua: Deus verò pro nostra salute dedit commutationem, pretiosum sanguinem filij sui. Quare hortor vt in omnibus cæteris missis, in animam omne studium conferamus. Nihil enim in nobis præstantius anima. Ergo etiam ex hoc loco obturemus os, & silentium imponamus Origenis assecclis asserentibus, animas in vitam ac pristinum statum restitutum iri post supplicia proportione peccatorum exsoluta. Audiant enim, non posse ibi commutationem pro anima dari. Ergo ne cruciari quidem tantùm possunt, quantùm merentur peccantes.

D Vt autem nos promptiores ad pericula sui causa adeunda redderet, perspicuè apponit mercedem, qua compensabuntur: ideirco infert. *Qui enim me erubuerit, & sermones meos in generatione istâ adulterâ & peccatrice; & filius hominis erubescet eum, cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis.* Absoluto sermone, quo docuit oportere nos imitatores sui esse, nec mortem fugere, nec parcere, vel animæ nostræ, vel vitæ, propter spem in eo sitam: opportune coniungit mysteria de secundo Adventu suo. Qui enim me, inquit, erubuerint, & sermones meos in præsenti vita, & qui sine rubore coram hominibus me confessi fuerint: iis omnino par pari referam, imò verò longe etiam plùs. Erubescam & ego eos, hoc est, verecundabor, cum venero in gloria Patris mei. Quid autem huic esse possit solatij? Cùm enim erubescit quospiam Iudex, tanquam quibus debeat obedientiæ mercedem, amorísque erga se præmia, & benevolentiæ coronam: nonne haud dubie dici potest, omnino illos in perpetuo honore futuros & gloria. Laudabuntur enim tales quando Christus dicet: *Venite benedicti Patris mei,*

Marc. 8.

possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. E

Adulteram vero illius temporis generationem appellavit, tanquam quæ reliquerit verum sponsum Christum, & aliis se substraverit, & impietatis susceperit semina. Eadem de causa peccatricem quoque illam vocavit. Vel potius Hebræorum generationem adulteram vocat & peccatricem. Quare etiam addit, Demonstrativum *Hanc*, utpote quæ impiam se præbuerit adversus Deum, honorémque ipsi debitum, tribuerit idolo Beelphegor, adoraveritque Astarten & Chamos, quod est Sidoniorum abominatio. Nec verò contentus fide mentis, sed oris quoque confessionem exigens, omnésque ad loquendi libertatem, charitatem, & affectum maiorem præparaturus, postquam dixisset: *Qui erubuerit me, & sermones meos:* adiecit, *In generatione hac adultera & peccatrice;* ut videlicet sine verecundia ipsum coram omnibus confiteremur. Quoniam enim, inquit, duplex est homo, duplex sit F & sanctificatio: anima sanctificetur per fidem, os per confessionem. Nam qui hoc didicit, non modo docebit liberè, sed omnia etiam alacriter feret, cordéque & ore confitebitur Christum. Quidam ergo in bonam partem interpretati sunt illud *Erubescere*, quemadmodum ante dixi: alij in contrariam; proinde sic illa verba explicarunt: Qui erubescit Christum, dedecori sibi ducens fidem eius, ac dicens: qui credam crucifixo? quique erubescit sermones eius, cavillans simplicem Evangelij stylum & humile dicendi genus: hunc erubescit etiam Dominus in secundo adventu suo servum suum nominare. Vt enim si quis paterfamilias habeat servum malum, erubescit eum appellare servum suum: sic & ego, inquit, erubescam illum appellare servum meum, qui me negat. Qui igitur meum Dominium negant, quósque meorum pudet sermonum, dignas impietatis pœnas pendent, cum audient in secundo & terribili adventu: *Nescio vos.*

Incutit eis quoque terrorem, quod dicit, se descendisse de cœlo non in vili abiectaque humilitate nostra, ut primum; sed in gloria Patris, stipatum An- G gelis. Ac nota quemadmodum dixerit: *In gloria*, in quali est & pater; ne discrimen aliquod suspiceris: sed ut indifferentiam, quam accuratissimè indicaret: In eadem illa veniet, inquit; ut unam eandémque intelligas esse gloriam Patris & Filij. Etenim tanquam Dei Filius, iudicaturus est omnia; ideò namque dixit: *Cum venerit in gloria Patris sui, cum Angelis Sanctis.* Filium porro hominis se appellat propter summam coniunctionem Deitatis & humanitatis. Cùm venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis. Magnum & admirabile quippiam profitetur: In gloria Deitatis, Filius hominis: in summa excellentia, natus ex muliere secundum carnem. Suos habet Angelos, qui in similitudine nostra factus est. Vbi autem dixerat, *Cum Angelis*, adiecit; *sanctis*, ad discrimen execrandorum dæmonum. Dicuntur quidem & hi, Angeli, ut qui H sæpe quæpiam hominibus nuntient: at prorsus non sancti, verùm execrandi, & impuri, & omnino profani. Iam hæc sine dubitatione esse futura, & Filium hominis venturum in gloria Patris sui cum Angelis sanctis, eosque, qui ipsum confessi sunt, itidem confessorum, amicósque & victores, & generosos milites appellaturum; illos autem alteros, quos dixi, negaturum: non modò verbis demonstrat, longâ spe discipulis suspensis, sed etiam iam inde in præsenti adhuc vita rem ad maiorem certitudinem ipsis eorum oculis subiecturum promittit.

Infert enim: *Amen quippe dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.* Postquam dixit Christus, quisnam ipsum bene sequi velit, nec declinare a recta via: atque iis, qui ipsum sine pudore Deum confitentur, immortale regnum pollicitus est: qui ipsum negant, eos se quoque negaturum asseveravit: quoniam adversa in præsenti vita, & velut in manibus erant: prospera verò in spe & exspectatione:

nempe

nempe salvam fieri animam eius, qui perdit illam; venturum ipsum in gloria Patris, daturum præmia: idcirco verisimile erat, fore, ut discipuli nondum acceptâ virtute ex alto, fortassis in humanam inciderent infirmitatem, ac tale quippiam cogitando apud se dicerent. Qui negabit quispiam seipsum? aut qui perditam animam suam, salvam faciet? Quod vero illorum, qui id fecerint, condignum erit præmium? Vt igitur à talibus eos averteret cogitationibus, & velut fingeret atque conformaret ad fortitudinem: promittit se etiam oculis eorum satisfacturum, ac monstraturum, quid tandem sit gloria illa, cum qua venturus est, vt id vel in hac vita facilè possent capere, neve suam, néve Domini mortem deinceps ægre ferrent. Quocirca etiam ait; *Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.*

Quod verò dicit, einsmodi est. Non longo abhinc tempore, certam vobis demonstrabo gloriam, in qua iusti erunt. Ac magis orationem confirmavit, solita confirmatione addita: *Amen dico vobis*: quod est, Vere dico vobis: *Sunt quidam*: quinam isti? Petrus & Iacobus & Ioannes. Hi enim assumpti fuerunt, vnaque ascenderunt in montem in transfiguratione Domini, quam etiam regnum Dei nominat, quod Deitas tum clarissimè eluceret, videreturque gloria, in qua & ipse videndus esset per illud tempus, quo illucescet mortalibus. Veniet enim in gloria Dei, & Patris, non in humilitate nostra. Neque verò ideo tantum regnum Dei nominat Transfigurationem, verum etiam quod figura sit futuræ gloriæ, quam consequentur, qui vitam ea dignam duxerint. Vt enim in hac fulsit Iesus mirificè: sic proportione tum iusti fulgebunt. Nomina tamen ea de causa non expressit, sed indefinitè dixit: *Sunt quidam*: ne quid humanum paterentur cæteri discipuli. Etenim vehementer cupivissent etiam reliqui sequi, exemplar gloriæ illius visuri, & tanquam despecti doluissent. Etsi enim modo quodam corporali discipulis in monte ostenderetur: magnum tamen res ea desiderium habuisset. At cur tandem prædicit? Vt vehementiore interea desidero inflammati, ita non dissipato animo interessent. *Sunt igitur*, inquit, *quidam*: Petrus & Iacobus & Ioannes, qui non prius morientur quam videant, in cuiusmodi gloria futuri sint, qui me confitentur, idque tempore Transfigurationis. In virtute eam venturam ait, id est, non in ænigmate, neque in vmbris & figuris per Angelos aut Archangelos significandam, sed in Verbo, cui par cum Patre potentia. Aut *in virtute*, hoc est, quantum virtus eorum capit. Aut quoniam maximæ profectò erat virtutis, hominibus corpore & carne vestitis, talem demonstrare gloriam & splendorem: idcirco dixit: *In virtute*. Aut etiam, quia suâ virtute eam demonstraturus erat, non alienâ, cum potestate, non quasi per participationem quandam: eam ob rem adiecit: *in virtute*.

Vt igitur confirmaret, sermonem suum non inani strepitu verborum & grandiloquentiâ, sed veritate subnixum; eosque talis gloriæ socios fore, quemadmodum promisisset: spectatores eos iam inde fecit. Iam vero: Videant, inquit, non, Participent: vt indicet hic eam tantum videri, non participari. Nam eius fruitio in altero Christi adventu dabitur. Rectè etiam dixit: *De hic stantibus*: ad Iudam alludens. Iudas quippe non stetit firmus: atque ad eundem retulit fortasse & illud: *Non gustabunt mortem*: ille enim mortem gustavit animæ. Considera præterea hoc quoque. Cum dixisset: *Qui vult animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit, is salvam faciet eam*: atque hac oratione regnum cœlorum significasset, & Gehennam. regnum quidem cœlorum visione declaravit, Gehennam vero non item. Quam ob causam? quoniam alij quidam erant rudiores, necessarium id erat. Quia verò probi bonique erant (idcirco enim & tres tantùm assumpsit, vt cæteris perfectiores) benignitate & spe præmiorum eos inducit potiusquam severitate & timore pœnarum. Neque verò hac vna de causa regnum demonstravit, verum etiam, quia hoc ipsum quoque magis decebat.

Atque hæc quidem simpliciùs referuntur ad ascensum trium discipulorum in montem cum Iesu solo, sex diebus post consecutum. Viso enim Iesu transfigurato, & Moyse atque Eliâ ceu satellitibus quibusdam, viderunt Christum in regno & gloria. Gerebant autem typum, Moyses quidem Legis, Elias vero Prophetarum, tres demum discipuli, Evangelicæ prædicationis, & fidei in Trinitatem. Quod si quid etiam altiùs dicendum est occasione Transfigurationis post sex dies futuræ, non frustra post sex dies perfecto numero vniversus mundus factus est. Qui omnes mundi res superat, solàque stabilia & æterna spectat: cum post sex dies à Iesu assumptum esse, significatur. Qui enim illa transcendit, videt Iesum, qui nemini ea inferioribus transfiguratur, transfiguratum ante se. Videtur enim Verbum diversas habere figuras pro cuiusque captu. Atque aliis quidem informe apparet, aliis speciosum pulchritudine. Nam qui non ascenderunt per sublimia opera, & per hæc altum sapientiæ montem superant: ij Verbum simpliciùs intelligunt, & secundum carnem cognoscunt. At verò perfecti, id ipsum in forma Dei per cognitionem suam contemplantur. Splendet deinde etiam facies sicut sol, filiis lucis, & diei, sol videlicet iustitiæ. Quin & vestimenta eius, illis, quos in montem excelsum duxit, apparent alba sicut lux; quæ sunt verba, & quas induit Evangeliorum literas; & ut opinor, Apostolorum quoque scripta.

Cum ergo videris quempiam, qui divinam Ioannis doctrinam accuratè pertractat, & omnem Evangeliorum orationem interpretatur, ne verearis dicere, huic facta esse vestimenta Domini alba sicut lux. Qui Iesum ita viderit, videbit Moysen, Legem scilicet; & Eliam, propheticum videlicet sermonem, Anagogico quodam sensu colloquentes cum Iesu. Ac de huiusmodi homine dicimus illud: Steterunt apud Verbum, qui firmati sunt animæ pedibus: quemadmodum Moyses audiens à Deo, *Tu autem hic sta mecum*: & qui dicunt: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem.* Et quoniam inter stantes est discrimen; qui melius stant, divinam Verbi inter homines peregrinati gloriam, & dignitatem eius videbunt: qui non modo non replebuntur morte, sed ne primoribus quidem labris gustabunt, panem vitæ comedentes, carnem Domini, inquam, & sanguinem eius bibentes. Gustant porro mortem, qui mediocriter peccant; implentur & quasi satiantur, qui omnia flagitiorum genera suscipiunt, atque hanc ob causam penitus divinâ excidunt vitâ, & ad inferorum barathra devolvuntur. Ac maius malum est, gustare mortem, quam videre, & si mors te sequatur, quam si eam gustes: omnium vero pessimum, devorari à morte.

Sin Mysticè hæc de re loqui velimus, vita Christus est; mors, diabolus: & vt mortem gustare licet, ita & videre & audire, & odorari & tangere. Etenim si manus Apostolorum attrectaverunt vitam: manus ergo Pseudoapostolorum & operariorum dolosorum, attrectaverunt mortem. Et si oves Christi, audiunt vocem eius: illæ oves audiunt vocem mortis, ad quos dicit. *Vos non estis ex ovibus meis.* De odoratu Apostolicum illud observavimus: *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco, in iis qui salvantur, & iis qui pereunt: his quidem odor mortis in mortem: illis verò odor vitæ in vitam.* Bonus enim odor Christi sunt in omni loco, homines qui in Christo sunt. De visione mortis illud in testimonium proferimus, quod dicit Dominus: Si *quis sermonem meum servabit, mortem non videbit in æternum.* Dicimus enim vitam esse Dominum nostrum Iesum Christum: inimicam vero horum, malam & sævam mortem; de qua scriptum est: *Novissima inimica destruetur mors.*

Hæc

Hæc ergo scientes, charissimi, abnegemus & nos nosmetipsos propter Dominum: nihil eo potius ducamus, non divitias, non luxum, non gloriam, non corporalem voluptatem, non ipsam vitam: sed ne ei quidem parcamus propter ipsum: sequamur Dominum nostrum, crucem eius in humeris ferentes, corporales motus sensusque mortificantes, & morti eius configuremur: ut possimus & nos cum Divo Paulo dicere: Vivimus non iam nos, vivit vero in nobis Christus. Et, Nobis autem absit gloriari in alio, nisi in Cruce Domini. Ne erubescamus sermones eius, & ipsum in præsenti vita, omnia eius mandata promptè perficiamus. Habemus & nos persecutorem acerrimum, inaspectabilem inimicum & hostem, qui nos quotidie ad Christi negationem provocat, & ea quæ ab ipso separant, ut faciamus, urget. Ne ergo effœminemur, neque cedamus eius colluctationibus, sed generose & virili cum animo ei resistamus, atque accingamur: ut & æternam gloriam consequamur, in Christo Iesu Domino nostro, cui gloria in sæcula. Amen.

BEATI SAMONÆ

Archiepiscopi Gazæ Disceptatio cum Achmed Saraceno, super veritate Corporis & Sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ.

EX MAGISTRO SACRI PALAT.

IOANNES *Garetius centenario* 11. *ait opinari quosdam Samonam vixisse circa annum Domini* 1072. *& in Indice libri de sacrificio Missæ ait hunc vixisse anno* 1050.

SEquebamur quodam tempore ambulantes viam quæ ducit Emesam, unà cum multis aliis: & consuetâ itineris confabulatione (quia consolationi est circa res varias) diversisque argumentorum generibus utentes, ultra quam oportebat, in † cœtu processeramus. Erat autem in comitatu Vir quidam sapiens & eloquens Saracenus genere, qui conversus ad narrationem quæ est de Sacramentis, interrogavit me, sic dicens: Quamobrem vos Sacerdotes, ô Episcope, Christianos deluditis, dicentes panem, qui ex farina confectus cernitur, in frusta dividendo, Corpus Christi esse, eumque peccatorum remissionem præbere sumentibus, & ut qui hoc ipsum præstare possit, etiã affirmatis? Igitur vel vos ipsos deluditis, vel eos, in quos habetis imperium. SAMONAS. Quidnam dicis, panem Corpus Christi non fieri? ACHMED. Indigeo, ut in utramque contradictionis partem respondeatur. SAMONAS. Numquid mater tua genuit te tam magnum? ACHMED. Nequaquam. SAMONAS. Quis te in hanc magnitudinem evexit? ACHMED. Per voluntatem Dei, alimentum. SAMONAS. Ergo panis tibi conversus est in corpus? ACHMED. Ita planè existimo. SAMONAS. At quo pacto panis tibi transmutatus est in corpus? ACHMED. Ignoro modum. SAMONAS. Cibus & potus per guttur in stomachum descendit, tanquam in ollam aliquam: stomacho autem hepar natura calidum adiacet, quæ causa est, ut cibus inibi coquatur, & eliquetur; quo facto, illud quod crassiorum est partium inferius descendit; at quod tenuiorum, superius emergit ac fluitat: hepar vero quia calidum est, molle ac laxum, idipsum ad se attrahit, & in sanguinem convertit; eóque postea per venas, velut per fistulas atque canales totum corpus irrigat, dividens alimentum, quod in ventriculo ac stomacho liquatum est, & in eodem sanguis effectum, singulis membris secundum membrorum naturam, commutatum: hoc est, ossibus os factum, medullis medullam, nervis nervum, oculis oculum, capillis capillum, pelli pellem, unguibus unguem, atque ita infantis in virum augmentum fit, pane ei in corpus mutato, & potu in sanguinem converso. ACHMED. Ita sane videtur. SAMONAS. Eodem etiam modo scias Sacramentum hoc nostrum peragi: ponit enim Sacerdos supra sanctam mensam, panem pariter & vinum, & invocatione sanctâ orat: Spiritus sanctus descendit, & in iis quæ proposita sunt, supervenit; & igne suæ divinitatis, panem & vinum in corpus & sanguinem Christi, μετα[illegible], id est, commutat, non minus quam hepar converrit alimentum in corpore alicuius hominis. An non concedes, id sanctissimum Dei Spiritum posse efficere, quod à tuo hepate efficitur? ACHMED. Concedo. SAMONAS. De hoc igitur corpore & sanguine nos participamus, ad comparandam remissionem peccatorum, & vitam æternam, quoniam Dominus noster dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Eis autem, quibus difficile est etiam ea quæ clara sunt, persuaderi, eò quod non videant hic quod congruat cum iis quæ corporaliter in operibus suis facere natura profitetur, (panis enim & vinum apparent:) item eis, qui dicunt, quomodo fieri potest, ut oratio, & divinæ potentiæ invocatio, quæ supra panem fit, ipsum in carnem vivam convertat; simplex ratio sufficit. Nos autem è contrario illos interrogabimus de modo generationis secundùm carnem, veluti quæ omnibus manifesta fit: quomodo † illud humidum quod infunditur ad procreationem animalis, in hominem convertatur? At nulla in hoc ratio est, quæ aliquo argumento persuasibile quippiam inveniat. Quid enim commune habet, si mutuò conferatur, hominis definitio, cum illa qualitate quæ conspicitur? Homo enim res quædam rationabilis & intelligibilis est; at illud in quadam humida qualitate duntaxat esse spectatur; & præter hoc, nihil aliud secundùm fines sensuum cogitatio apprehendit: verum ut idipsum humidum fiat homo, divina potentia est; quæ si non adesset, nec moveretur, nec etiam aliquid operaretur. Si igitur non quod † deiicitur facit hominem; sed divina potentia rem illam quæ cernitur, in naturam hominis vertit; extremæ imperitiæ esset, eos qui ibi tantam Dei potentiam confitentur, existimare hîc ipsam divinitatem ad implendam voluntatem suam, impotentem esse, atque deficere. ACHMED. Sed quid commune habet panis cum carne? SAMONAS. Dic & tu mihi, quid commune habet humidum illud cum imagine Dei? Verum quemadmodum ibi † admirabile ac præter opinionem non est, ut, volente Deo, humidum in honoratissimum animal transeat: ita etiam hîc simile quiddam credendum, nihil scilicet esse admirabile, si præsentiâ divinæ potentiæ, panis ad immortalitatem μεταποι[illegible], id est, transmutatur, & in corpus Christi convertitur. ACHMED. At verò Christus, quando hoc discipulis suis tradidit, neque ipse preces multas † effudit, neque ut vos ita diceretis, admonuit: cur igitur vos non eo modo facitis, sed multis precibus indigetis? SAMONAS. Christus quatenus Deus, Dominus erat tam sui ipsius corporis, quam animæ, quemadmodum ipse ait: *Quoniam potestatem habeo dandi animam meam, & iterum sumendi eam.* Cum igitur ipse naturâ esset Deus, divinâ suâ potentiâ & gratiâ statim tunc sanctificavit panem, dicens: *Hoc est corpus meum*, habens Patrem, &

Marginal notes:

† al. in sermone.

Nutritionis ratio.

Panis & vinũ in Christi corpus & sanguinem cõmutatur.

Ioan 6.

† al. quomodo ex humido illo quod ideo ut ex eo animal cõstituatur, deiicitur, fiat homo.

† al. quod infunditur.

† al. novũ & emendatũ non est, si volente Deo, &c.

† al. dixit.

Ioan 10.

Matth. 26.

A

& Spiritum sanctum in seipso; sicque panem efficit proprium corpus: non enim aliquo qui præstantior esset, & panem sanctificaret, indigebat; quippe cum quod, inferius esset, a superiore benedicatur: quamobrem cum minor Patre, & Spiritu sancto Christus non sit: propriâ potestate quæcumque volebat, faciebat. Qui verò penes nos est Sacerdos, quamvis figuram Christi gerat, homo tamen est omnimodo peccatis subditus, & obnoxius (nemo enim sine peccato est, ut ait divinum oraculum, etiamsi unius horæ esset vita ipsius, præter solum Deum) quapropter multis indiget precibus, primum pro ignorantiis propriis, deinde populi, ut dicit Paulus Apostolus. Quam ob causam omnis populus extra aditum manens, una cum Sacerdote laborat, & orat. Indiget † igitur Sacerdos Deo (veluti medius inter Deum & hominem astans Legatus) ne quid impedimento adventui sanctissimi Spiritûs sit: sed ut rursus demittat ubique præsentem divinum Sacrorum initiatorem ac principem, atque sanctificum Spiritum (per quem omnia tam quæ in cœlo, quam quæ in terra, Sancta dicuntur, & participatione sanctificæ eius gratiæ sanctificantur) ut perficiat in sacrificium propositum panem, & vinum: & ea commutet in illud ipsum Dominicum corpus & sanguinem Christi. Bene enim Patri complacuit, ut aiunt quæ penes nos sunt oracula, & filius habitaculum suscepit, & Virgo Deum hominem factum genuit, & Spiritus sanctus hoc cooperatus est: ipse enim ex Virgineo sanguine partem sumens, corporeum Christi templum extruxit: hinc autem ostendere ac declarare possumus Sanctam Trinitatem inseparabilem esse, æquipotentem, concordem, & omnipotentem, quamvis tribus distinguatur personis: & quod ubi una ex tribus personis est, aliæ quoque duæ, ut quæ naturâ indivisibiles sunt, pariter adsint, veluti cooperatrices, † suaque providentiâ omnem creaturam moderantes. A C H M E D. Rectè ea quæ explicari nequeunt, explicasti: sed quamobrem Christus credentibus in ipsum, corpus suum comedendum tradidit? S A M O N A S. Ineffabili profectò erga homines benignitate atque humanitate, & admirabili dispensatione hoc factum est: partim scilicet, ad effugandas adversarias potestates; partim ad conservationem animæ nostræ simul & corporis. Postquam enim impossibile erat nobis adhoc in corpore & in terra degentibus, usque ad consummationem mundi cum Christo versari atque convivere; ut cunctæ infirmitates nostræ in singulas horas sanarentur: propterea omnipotens ipse cum sit, ac multæ miserationis, magnæque erga homines benevolentiæ, voluit nos ab ipso non separari, sed tamquam filios cum ipso esse per participationem, & communionem huius panis, & vini, ac aquæ, veluti rerum (quæ nostræ naturæ magis consuetæ & familiares sint, ac minime exosæ) in corpus eius & sanguinem divinâ potentiâ secundum iussionem ipsius conversarum. Quod & in remissionem peccatorum, & in æternam vitam parandam, & in conservationem animæ & corporis iis qui in fide dignè suscipiunt, fit. Nisi enim manducaveritis (inquit) carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non † habetis vitam in vobis, propterea hoc nobis ita traditum, & servatur, & sine aliquo dubio creditur, quoad ipse venerit, secundum vocem Apostoli Pauli. A C H M E D. Hæccine igitur communio, & victima corporis & sanguinis Christi, quam Sacerdotes offerunt; utrumne corpus, & sanguis est Christi; an exemplar ipsius corporis, sicut victima hirci, quam offerunt Iudæi? S A M O N A S. Absit hoc, ut dicamus hanc sanctam communionem exemplar esse corporis Christi, vel panem nudum, aut figuram, vel imaginem: sed quod verè sumimus ipsum corpus deificatum Christi Dei nostri, qui carnem accepit, & natus est ex Sancta Dei genitrice, semperque virgine Mariâ: sic enim credimus, & sic confitemur

Ioh. 1. 5 / 1 Ioan. 1. — *Heb. 7.* — † Sacerdos igitur Deum Patrem orat. — B — *Math. 3. & 17.* — † *al.* & omnium rerum pariter & tam generis, &c. — C — Rationes, cur Christus corpus suum edendum tradiderit credentibus in ipsum. — D — *Ioan. 6.* — † *al.* non habebitis. — *1. Cor. 11.* — NOT.

secundum vocem ipsius Christi, quam ad discipulos in mystica illâ cœnâ, tradens eis vivificum panem, pronuntiabat, dicens: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Similiter & calicem tradens, dixit ipsis: *Hic est sanguis meus.* Non dixit: hoc est exemplar vel figura corporis & sanguinis mei. Et in aliis multis locis apertè Christus ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Igitur habentes Christi testimonium, quod verè eius corpus, & sanguis sit, de quo, accedentes nos fideles, participamus; quid amplius hæsitare, ac dubitare opus est: si Deum, & filium Dei ipsum esse credimus? Si enim ex nihilo mundum fecit, & eius sermo verus est, vivus, efficax, atque omnipotens; & omnia quæcumque voluit Dominus fecit, non potest panem in suum ipsius corpus μεταποιῆσαι, id est, transmutare, & vinum aquæ commixtum, in proprium sanguinem? Sicut dixit: *Germinet terra herbam virentem:* & usque in hodiernum diem, pluviam demittente ipso, terra herbam germinat, quippe quæ Dei auxilio protegitur, eiusque iusso id efficere cogitur. Sic etiam dixit Deus: *Hoc est corpus meum:* &, *Hic est sanguis meus.* &, *Hoc facite in meam commemorationem.* Et ita fit ex omnipotente eius iussione, ex aspiratione divinâ, & superventu Spiritûs sancti, usque ad secundum ipsius adventum. A C H M E D. Sed quamobrem C H R I S T U S sub specie panis, & vini, & aquæ, & non sub alia materia absconditum suum corpus & sanguinem sumendum ordinavit? S A M O N A S. Dixeram antea hoc, & iterum hic iam dicam: ex condescensione Dei, & ineffabili eius providentiâ erga nos item ut libertate ac gloria nos donaret, actum hoc fuit; ut scilicet; per naturæ consuetudinem, ad edendum & bibendum transiremus, atque ita ad ea quæ supra naturam sunt, sustolleremur, dico autem ad divina Sacramenta: nam inter omnes alios cibos, panis, similiter inter pocculenta, vinum & aqua primas partes tenent. His itaque, pani (inquam) & vino, ac aquæ quibus nos assueti sumus, coniungens D O M I N U S suam divinitatem, virtute ipsius verbi, qua, cuncta cum non essent, ut essent effecit, in proprium corpus suum & sanguinem ea convertit. Panis tamen, similiter & vinum sumitur, & apparet: hoc enim dispensationis modo, ac condescensionis munere, aufertur à nobis horror & timor, quibus afficeremur, si præcepisset nobis ut sumeremus carnem eius & sanguinem in propria specie: præter quod, etiam exteræ nationes reprehendissent nos, veluti carnivoros, dicentes, quod ferarum instar & sanguinem biberemus, & crudam carnem voraremus: quæ, quia sine fide sunt, solum duntaxat panem & vinum intuentur: sed fideles, corpus C H R I S T I & sanguinem † ex immaculato eius latere effusum. Quemadmodum etiam accidit in Lavacro baptismatis, ubi qui sunt infideles, solam aquam in piscina vident: fideles autem, aquam, ignem, & spiritum contemplantur. Cum verò illi quoque participes Baptismatis evadunt, tunc & ipsi à sensibilibus rebus confirmantur, ut & invisibilem credant regenerationem. Itaque si aliqua est in aqua gratia, non est ex natura aquæ, sed ex adventu atque præsentia Spiritus sancti. A C H M E D. Manifestum omnimodo est, quod bene declaras & exponis mysteria atque Sacramenta fidei Christianæ: attamen dubitare de hoc aliquis posset, quomodo cum unus sit D E U S, & unum etiam C H R I S T I corpus, in innumera corpora, & partes † dividatur: multine igitur secundum divisiones, C H R I S T I sunt, an unus? & si in qualibet parte unus, & idem salvus & integer sit? S A M O N A S. Ex sensibilibus, & à materia sumptis exemplis, ea quæ sine materia & supra naturam sunt, demonstramus. Audiat igitur quispiam hoc exemplum, & intelligat rationis, quæ in eo latet, vim

Matt. 26. / Marc. 14. / Luc. 22. / 1. Cor. 11. — Verbum Dei efficax. — *Genes. 1.* — F — *Matt. 26. / Marc. 14. / Luc. 22. / 1. Cor. 11.* — Cur sub specie panis, & vini, & non sub alia materia Christus corpus & sanguinem sumendum ordinavit. — G — Aquam intelligo nō seorsim, sed vino mixtam. — † *al.* ex ipsum qui ex incontaminato eius latere effusus. — H — † *al.* divisum scindatur.

atque

A

Exemplum a Speculo.

atque potentiam: Tenens aliquis speculum, quod terræ allisit, & in multa fragmenta comminuit; in singulis tamen fragmentis vmbram sui salvam & integram esse videre licebit: sicque cognoscat atque intelligat oportet ex huius vmbræ exemplo, CHRISTI carnem in vnoquoque fragmento ac frusto, quocumque tempore, quoties, & vbicumque frangitur, salvam & integram esse.

Exemplum a Voce.

Accipe rursus & aliud exemplum: Verbum, quod homo proferens eloquitur, & is qui loquitur ipsum intelligit & audit; & qui circumstant, audiunt: & licet multi sint qui audiant, non divisum tamen, sed integrum audiunt. Idem quoque modus in CHRISTI corpore ponendus: Sanctissimum enim CHRISTI corpus, à dextris Patris sedens, in seipso manet, totum scilicet, & integrum. † Sed & in Sacrificio consecratus atque oblatus panis, in verum CHRISTI corpus divinâ potentiâ transmutatus per superadventum sanctissimi Spiritûs, tametsi dividatur, salvum tamen & integrum in quolibet fragmento servatur: sicut etiam integer, & minimè divisus auditur sermo eius, qui ad omnes qui illum audiunt, loquitur. Sic per visibilia & sensibilia exempla, † eos qui difficiliùs sibi persuaderi patiuntur, & curiosi nimium sunt, ad perpetranda, cognoscendave Dei mysteria, quæ supra naturam, rationem, ac cogitationem, & supra nos ipsos, etiam sunt, deducimus. Quando igitur sanctificatus panis in partes scinditur, (qui sanctissimum CHRISTI corpus est) ne putes quod scindatur, divellatur, dividaturque immaculatum illud corpus, (immortale enim, incorruptibile, & inconsumptibile est) sed quod partitio illa, post sanctificationem sensibilium accidentium, tantummodo fit ad robur fidei, & ad comprobationem, quæ visibili signo fit, eorum, quæ nos manent, simulque ad pignus & subsidium vitæ æternæ. ACHMED. Verè mira, & præter opinionem, nec non supra naturam, mentem, & cogitationem humanam sunt ineffabilia Sacramenta Christianorum fidei, Pater Abba. Gratias porro tibi ago, quod apprimè demonstrasti nobis sententiam maximè planam, facilem, ac veram, ostendens CHRISTVM omnipotentem, hominum amatorem, & verum Deum esse, ex quo tempore mendacium quam longissimè à me submotum atque depulsum est, & procul imaginaria omnis opinio à me recessit. Sed procedamus nunc; sanctè enim in his philosophati sumus: nam deinceps, ex quo, vt video, inclinata iam dies est, parum ambulando videbimus.

B

C

D

MICHAELIS PSELLI

IN CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS PARAPHRASIS.

ANDREAS SCOTTVS ANTVERPIENSIS Societatis IESV.

PIO LECTORI.

PISCANTI escâ ad hamum adhibitâ, captura piscium moræ patientiâ interdum obvenit, venatori quoque feras investiganti sæpe succedit; ut eas in prædam vertat. Huic quidem laborum est cursusque solatium; illi vero tædium levat qualiscunque merces. Ad eundem modum mihi usu venisse gaudeo, dum sacras scrutor scripturas, & in Canticum Canticorum lucem subsidiúmque experto; quod sit iucundissimum Christi sponsi cum sponsa Ecclesiâ Epithalamium mysticum, carménque nuptiale; vel, si placet, animæ piæ cum Deo colloquium; vel denique, ut sanctis aliquot Patribus visum, Deiparæ Virginis encomium. Lectis igitur paulo accuratius, ad illustrandam scripturæ illam partem, homiliis X V. S. Gregorij Nysseni, Basilij magni fratris, dum meas excutio schedas è pulvere, incidit fortè in manus, qui penes me est calamo Græcè exaratus Michaël Psellus, versibus politicis ἀνεκδότοις, paraphrasi concisâ canticum explicans, & quidem ut observavi, magnam partem desumptâ à Nysseno; ut loca à nobis ad oram iam indicata ostendent. Cœpi itaque legere paulo attentius, placuitque ut illius temporis ferebat genius, elocutio rythmis apta: quod metrum eâ erat tempestate ævo sequiore usitatum. Latine itaque vertere meo usui institui, tandémque animum induxi, ad alios quoque, si foras daretur interpretatio, utilitatem promanare posse. Primum itaque caput Latine utcunque converteram, ac dialogismo sponsi & sponsæ, vel animæ, mirificè recreatus, perduxissem sanè σὺν Θεῷ ad exitum, si vita suppeditasset; nisi tum forte in P. Martinum Delrium societatis nostræ Theologum insignem incidissem, qui se Pselli quædam in Cantica legisse ἀπεσπασμένα mihi confirmavit in Theodoreti Cirensis Episcopi commentariis, ac trium Patrum, puta beatorum Gregorij Nysseni, Nili & Maximi. Nec mora, advolo in Bibliothecam satis lautè instructam: vidi, legique Pselli quædam συγγράμματα inspersa, eaque latine reddita a Francisco Zino Veronensi Canonico homine eruditissimo. Quare nihil amplius cunctandum ratus, ne actum, quod aiunt, agere viderer, ea potius quam mea describenda curavi. Perspicuè etenim ille multa de SS. Patribus latinâ pridem civitate donavit. A secundo igitur capite eius sum usus interpretatione, & hic repræsentandam putavi. Cæterum politicos versus (sic enim dictus opinor, quasi civiles ac populares rythmos) quindecim singulos constare syllabis observatum, ut cuiusque tamen versus pars prior integrâ dictione octavam syllabam absolvat, more Iambici dimetri. Fiuntque hic συναιρέσεις non rarò, &, contra atque Græci solent antiquitus, iota sæpe consonantis obtinet vicem. Hoc autem metri genere Constantinus Manasses Annales suos Bysantinos scripsit, Ioannes quoque Tzetzes historicas lusit Chiliadas, inspersis φλυαρίαις non paucis, vertitque idem πολιτικοῖς versibus id genus politicis Homeri Iliadem, quæ in antiquis adhuc Bibliothecis Italiæ cum blattis rixando delitescit. Sic & MICHAEL PSELLVS noster eodem metro in *Cantica* prolusit: quomodo & recentiores aliquot Heroico carmine hæc ipsa *Cantica Canticorum*, & vatis Regij *Psalmorum hymnos* illustrarunt. Hic *Psellus*, ut πολυΐστωρ erat, variè varia conscripsit, Poëtica, Mathematica, Philosophica, Medica atque adeo Theologica. Certè Iambicis de Virtutibus ac Vitiis Gnomas composuit, quæ cum Heraclidis Pontici Allegoriis Homericis hodie leguntur. De quatuor autem artibus Mathematicis quæ disertè ab eo conscripta exstant, ea Latine Xylander in Germania, & in Gallia Vinetus transscripsit. Aldus vero Manutius in Aristotelem περὶ ἑρμηνείας Commentarium typis olim Græcis evulgavit: latêntque eiusdem *Pselli* Peripatetici Philosophi plurima in eiusdem Aristotelis *Physicam*, *primámque Philosophiam* in Cæsaris Augusti Viennæ bibliothecâ. Hæc verò, ut diximus, è Gregorij Nysseni Homiliis X V. collecta in compendium Michael contraxit: ut hinc ad fontem se conferre pretium sit operæ Lectori futurum: quo etiam consilio ad oram adscripta Nysseni loca indicavimus. Inscripsit autem hoc opusculum *Nicephoro Botoniatæ* Constantinopol. Imperatori, ad annum Christi, opinor, M. LXXVIII. creato, quem στεφηφόρον, quasi coronatum, & diadema gestantem dicas, cum in libello sæpius tum principio, hisce versibus nominet:

E

F

G

H

A Εἰ ποίησε τ' φιλομαθὲς τὸ σὸν ὦ πορφύρε
Ἑρμηνευθῆναι γλίχεται τὴν ξένην καὶ ποικίλην
Τὴν τῶν ᾀσμάτων ᾄσματα ἐξήγησιν καὶ γνῶσιν.
Ἰδοὺ καὶ διανίσμαι ποιήσαντες αὐταρκέστερον
Καὶ τὰς ἐλπίδας θέμενος πρὸς τὴν ἀνωτάτην κτίσιν
Εἰς ἀπλουστέραν λέξιν καὶ κατημαξευμένην, &c.

Botoniata vero Nicephorus Michaelem Ducam Comnenum, cognomento etiam Parapinacium (teste Zonara Tom. III. Annalium) eiúsque coniugem Mariam Augustam, filiúmque Constantinum Porphyrogenitum in Blachernis captos, in Monasterium detrusos ablegavit: quem Michaelem Ducam Constantini Ducæ filium, de tribus Regiis liberis natu maximum *Psellus* noster bonas artes præceptor docuerat, eidémque dedicarat, qui Grecè etiamnum exstat, *De Trinitate, & Christi persona* libellum: & vsque eo literarum studiosum reddidit, vt Regni ac Reipub. curâ Eunuchis duobus commissa per alios gubernarit, & à Botoniata, post annos sex totidémque menses, regno sit exutus. Fallitur itaque sacræ Princeps historiæ, qui in Ecclesiasticis Annalibus & sibi & aliis persuasum cupit, floruisse *Psellum* nostrum Christi Anno D. CCCLIX. quo Constantinopoli Imperator Leo Philosophus fuit, quem & *Psellus* quidam (teste Ioanne Curopalatâ literis informavit. Verum quia ducenti amplius anni intersunt, hoc est sæcula duo, fieri non potest, vt idem sit *Psellus*, sed eiusdem nominis alter; vt itaque in Iunia gente Brutos; in Porcia Catones; in Mucia Scævulas; in Cornelia Gracchos variis claruisse etiam eloquentiâ temporibus accepimus; sic & verisimile fit duos *Psellos* ætatibus distinctos floruisse, cætera studiis ac nominibus pares: unde errandi, vt in nominum affinitate fieri amat, prona sit ansa obiecta. Quin & ab hoc nostro *Psello*, Simeonem Metaphrastem recens vita functum funebri illâ laudatione celebratum arbitror, quæ in Laur. Surij Fastis die XXVII. Novembris legitur, potius quam ab illo priore *Psello*, Leonis æquali, vt ille in Ecclesiasticis asserit Annalibus: propterea quod Martyrum complurium, qui post vitæ innocentiâ martyrióque claruerunt, certamina Tomis aliquot Metaphrastes collegerit: non, vt ille purgare conatur, adiecta ab aliis, sed ab hoc potius *Psello* in lucem evulgata. Et verò hæc de *Pselli* ætate indicasse suffecerit. Vtinam eruant posteri reliqua *Pselli* è tenebris, quæ adhuc iacent, commodo, vt equidem opto publico. Nunc sponsi sponsæque dialogismum Angelis internuntiis audiamus.

MICHAELIS PSELLI

IN CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS PARAPHRASIS

Politicis versibus, è Gregorio Nysseno: ad Nicephorum Botoniatem Imp. C P.

Interpretibus And. Schotto, S. I. Antuerp. & Francisco Zeno, Veronensi.

QVANDOQVIDEM *ingens discendi tuum studium, Imperator, explicari à me exoptas, atque enarrari reconditum illud, mirûque varium Cantici Canticorum opusculum en tibi dicta audiens, Imperator, ac spe fretus summus omnium Conditoris, morem gero. Sed & integram pæne* Canticorum *enarrationem damus simplicioribus tamen verbis, ac protritis. Sapientissimus enim propheta Salomon, David filius, ex ea qua sine Vria, tria hæc vivus conscripsit opuscula. Primum omnibus generale consilium Proverbia scripsit, quæ morum continent doctrinam, vitiorúmque castigationem, officij denique perpetua divináque præcepta. Deinde* Ecclesiastes *nominatur, vitæ hominis vanitatem mortales docens. Tertium verò opus, quod continenter subijcitur, hoc ipsum est* Canticum Canticorum, *valdè variè formam ostendens perfectionis animæ, aliàs sub specie venustâ sponsi & sponsæ. Clarè cum proponit Christum vti sponsum: Animam vicissim vt sponsam, sponsi sui captam amore, ac velut alis amoris subvolantem, & gratiis illius subnixam. Concinit etiam dicta quadam congruentia Ecclesia. Sed, cum Deo, interpretationem nunc aggrediar. Alloquitur enim sic sponsa Angelos, quos hic* Sionis filias *appellavit.*

CANTICORVM,

CAPVT I.

Nigra sum, sed formosa, filia Hierusalem: sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Angelos his verbis sponsa affatur, quæ ipsis erant verbis apponenda, non carminis legibus adstringenda. Audite, ait, verba mea filiæ cœlestis Hierusalem (sic triumphantis:) Et quidem simul & *pulchra* existo & *nigra. Nigra* quidem, vt tentorium *Cedar* appaream, quia transilivi inquam eius mandatum. *Cedar* enim Hebræis sonat obscurum, & densas tenebras: *Pulchra* vero sum vicissim, pœnitens facti: commortua Christo Iesu verè pacifico. Salomon enim meritò audit pacificus. Tu verò, ne stupore percellaris dicente sponsa, se & nigram esse & pulchram. Omnis enim anima ad virtutem processum faciens, ad lucem accedit, fugitque tenebras: sic lucida simul & munda evadit. Siquidem quantum ad virtutem laborando accedit, tantum à fraudulentis discedit tenebris, clariórque fit ac splendidior.

Vers. 4. Ex Hom. II. Greg. Nyssen. in Cantica.

5. *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol.* Cave igitur putes me ita conditâ, obscuram, fuscam, ac tenebrosam. Tota enim lucida sum facta ab opifice Deo: verum tentationum sol æstuans exsiccando ussit me, & valde aspectu suo me coloravit. Deinde quomodo à Iustitiæ Sole despecta sit, explicat.

Filij matris meæ pugnarunt contra me. Me, inquit, sponsa, oppugnarunt, ac transgredi demum coegerunt spiritus illi prævaricationis, Hos enim *filios* quoque *matris suæ* nominat, quandoquidem & Angeli à Deo conditi sunt. Itaque quæcunque vitæ vsibus fecit Deus, puta Angeli, homines, dæmones, imò & lapides, fratrum sunt loco Dei respectu habendi. Deus enim condidit universa. Iam verò belli formam explicabit.

Posuerunt me custodem in vineis: Vineam meam non custodivi. In paradiso, ait, formata, & collocata, ut præceptum illius servarem religiose, nec per nefas comederem ex arbore vetitâ: at, heu, lege non servata transilivi. Eum nunc casum apud Angelos deplorat. Progressa verò ulterius, tanquam respiciens, ingenti clamore conquirit vndique dilectum, ac sponsum.

6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Dic statim, age, dic mihi ubi moreris, ubi dormias, ô Verbum Patris, quem mediis gestans præcordiis adamo. *In meridie*, care sponse, ne cubes unquam, quando me iubes caste in meridie te expectare, te, inquam, lucem inaccessibilem, omni carentem vmbrâ: ubi pascis oves tuas, ô Dei Verbum, & verè lumine vultûs tui oblectas. Si

in

A in illo te loco prævertero, ibi consopita suaviter tecum obdormiscam. Metuens dehinc ne à semita aberret quæ recta ad illũ ducit, sponsum denuo sic compellat.

Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Ad ovium tuarum pascua admitte me. Vereor enim ne præter opinionem aberran·, declinem potius ad gregem pastúmque hœdorum, indéque discedam longiùs à pascuis ovium tuarum, & sinistrum sortiar locum, cum iudex humani generis sedebis. Hæc quidem ad sponsum inclamat virginitatem castè servans, ut nova nupta, quæ Christo citiùs commori exoptet. Tu quoque sponsa, ô anima, tecum ipsa velut argumentum revolve virgineam ter magni Pauli animam ineffabili modo in tertium cœlum rapti supernæ Hierusalem, hoc est, Angelorum chori. Sed quid amici sponsi respondeant nunc videamos. Sponsi enim thorum indicant Angeli, quos initio diximus *filias Ierusalem* nominari. Sic enim castam alloquuntur virginem.

B *Si ignoras, ô pulcherrima inter mulieres egrede-*
7 *re, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Quæ virginitatem servas intactam, ô anima fidelis ac pia, siquidem in ovium gregibus numerari exoptas, nosce teipsam, qualis re ipsa fueris, utque ad Dei sis imaginem condita. Omnem itaque mundi fallaciam fuge, & iterum atque iterum vestigia pastorum speculare. Quamobrem latam amplámque viam exsecrare atque evita: hœdorum enim propria est. Angustam contra laborisque plenam semitam insiste, & consectare, quia est ovium. Cave itaque ne in hœdorum fœtidorum viis aberres. Nunc reliquum pulsi sponsi auscultemus. Sponsam enim prior ipse sic [laudando] affatur.

Equa mea in curribus Pharaonis assimilavi te,
8 *amica mea.* Ipsam amoris vi stare loco more generosi equi nesciam, & ad se properare festinantem, ut conquiescat: sponsus animadvertens, equæ comparat aëripedi, id est, celerrimo per aerem cursu velut

C volanti. Adeo enim in virginem ait percelli hostes ac disrumpi, ut olim distraxit, ac fregit Pharaonitas equitatus mei robur in acie dispositus, hoc est, Angelorum invictus exercitus. Quod si quæras, qua de causa Angelorum ordinem equitatui simpliciter comparet Verbum, idémque sponsus. Omnis certè sagittâ pugnans cum adversario iaculum capit, nervos intendit, & hastam sumit. Pedestris quidem lanceâ pugnat hastatus. Quia vero aciei instructio apud Ægyptios, robur omne in equitibus posuit, idcirco *equitatui* comparat eam sermo Angelorum: robur hosti resistens. Et ne sponsam contumeliâ affici vel iniuriâ credas, quod *equitatui* assimiletur, audi quid deinceps sponsus de illa prædicet.

Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut
9 *monilia.* Etsi celerrimo te equitatui adæquavi, freno tamen ori imposito minimè indiges: pro quo freno in-

D sita tibi est pudicitia, quæ tuas valde pulchras exornat malas, in morem turturis pudicæ. turturis, inquam solivagæ. Cervix tua & collũ miræ est pulchritudinis auream gestans torquem. Hoc monile, iuxta Proverbium, quidnam hic *torquem* nominet, animo repete. Cum spõsæ ad sponsum scintillam, tum huius vicissim ad illam inflexionem denotat, ut hinc negotij exitus cognoscantur: quomodo verò ad eam se sponsus demittet Advocationi regiæ hic sponsam instruũt vestibus aureis, ut cũ sponsus in publicum cum ea prodibit, reperiat iam maximè paratam. Sponsi itaq; amici sic sponsam cõpellant.

10 *Similitudines auri faciemus tibi cum punctulis argenteis, dum Rex est in accubitu suo.* [Vulg.] *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Quandoquidem futurum est, ut Rex in te adeo amore ipsius incensa ac studiose quærente sedem figat, permitte, aiunt Angeli, te à nobis diligenter adornari: & tametsi non fulges adhuc auro virtutum, sponsa, sed pridem præ nigredine argento tantùm resplendens, inaurabimus

E tamen te similémque reddemus Cherubico & flammeo, ac venerando throno, cui descendens Rex se inclinet, ac discumbat. Quare expende hoc negotium, puta mirandam mutationem Virginis ac sponsæ, quæ inquam ex argentea aurea sit futura, ope Verbi ac sponsi, ut sponsæ suæ auxilium laturi, gratiámque per Dei Angelos dignè infusuri. Hoc enim Deo familiaribus consuetum, ut virgineam ad Christum festinantem Animam, ad illum identidem revocatam, circumstent, veluti custodes, Angeli illius auxiliantes, atque excitantes ad virtutis actionem, dum ad Dominum sistant latus. Verum enimvero progressi ulteriùs à throno, ac proficientem gratia Dei animam, quid ad illam sponsi familiares respondeant, nunc audiamus. His enim vocibus ad Angelos, atque internuntiis utitur.

Nardus mea dedit odorem suum. En animæ piæ in 11
virtutis studio progressionem? Ad desideratum veluti accedens sponsum, eius se pulchritudinem agnoscere

F testatur, sed sensu duntaxat, putà odoratui. Verum cur aliud, inquies, nullum nominat extra *nardum* unguentum? Nardo solum, ait, redolere sponsum. An quia *Nardus* inter unguenta primum obtinet locum? An quia, ut equidem sentio, divinius quiddam designat? Vt si quis in caduca hac vitâ magnos subeat agendo labores, nisi Christum in baptismate induerit, nihil hisce virtutibus vitæ æternæ consequatur. Vel hac etiam ratione *nardi* factam mentionem existimes. Vnguentarius enim dum apparat unguentum, si nardinum studet efficere, etsi multa alia commisceat, nisi & nardum demum adiiciat, frustra operam consumat, perdátq; oleum. Ad hæc Christus sponsus ad Simonis leprosi cœnam invitatus cum esset, adhibitum hoc legimus unguentum à peccatrice, & è nardo fuisse docentes narrat historia, sed quod sequitur audiamus. Sponsa etenim proficiendo præsens pergit divini Verbi familiares sic compellare. Subiicit enim post *nardi mentionem.* Luc. 7.

Fasciculus stactes [myrrha] filius sororis meæ: in 12
medio uberum meorum commorabitur. Mos hic virginum

G est cultui plus satis deditarum, non foris modo studere ornatui, ut amatores ad se celeriter alliciant, verum etiam intus potius in vestimentis odorifera circumferre. [Vt pastillos.] Quandoquidem etiam hæc Cantica fœminis usui sunt. Animam, inquit, & pudicam virginem, & masculo prudentem animo, sponsæque ritu nuptiis aptam, muliebri more ex decoro loqui condecet, licet arcanum sensum sermo in nucleo contineat. Hoc itaque ait apertè, quasi delicias faciens, ac pudibunda: Tametsi, inquit, odoris unguenta quædam gestent feminæ in vestibus, amori iuvenum conciliando: equidem pro odoriferis sponsum meas delicias intimis circumferam præcordiis, veluti fasciculum suavissimum fragrantium odorum de collo suspensum tenebo. Vel id potiùs obscurè significat: Etsi aliæ in hac vita animæ impeditæ & inquinatæ curis huius sæculi ac negotiis existant: ego tamen medullis ac visceribus infigam meis, ac veluti tabulis insculpam. Cordis enim sedes in medio est uberum. E verbis autem spon-

H sæ explicanda adhuc nonnulla, quæ pro virili conabor explanare. Ita enim Angelos eadem affatur sponsa.

Botrus Cypri sororis meæ filius mihi in vineis Engad- 13
di. O pulchram commutationem, & progressum sponsæ! Quæ enim paulò antè clarè equæ seu equitatui comparata nunc apertè cum officiis erga amicos valde profecisset, frugiferæ viti adæquatur. Pura enim quævis anima capta Domini Dei amore ac desiderio operum bonorum progressu, fit omnia omnibus. Femina quidem solum Cherubin, & thronus Regius, iam etiam fructibus vitis in atriis Domini fœcunda. Sic itaque purè loquitur sponsa: Talem agnosco sororis meæ filium, hoc est sponsum, quasi uvam, quæ nobis distillavit mustum immortalitatis. Non est quidem botrus maturus omnibus, virtuti deditis animalibus, verum identidem pro virtutis modulo

Ex hom. III Gre. Nyssen Cant.

A ac menſura iucunditatis ſpeciem ſubinde mutat. In aliis enim mentibus floret, in aliis nigreſcit, in aliis verò maturus fit: in aliis denique maturitate dulceſcit. Sponſa itaque florentem ferens vuam, oſtendit ſe ſummam nondum perfectionem veluti maturitatem eſſe aſſecutam. Deinde veluti exaggerans maturitatis venuſtatem: Ita mihi, inquit Chriſtus eſt & ſponſus, qualis botrus maturus eſt in vico Gaddi, vuis abundante; hodiéque inter cæteras ea regio omnibus vuæ fertilitate antecellit, & dulcedine vitium ſuperat. Hæc anima caſta atque integra ſic prolocuta cum eſſet, ſic ſponſus excipit.

14 *En pulcra & propinqua mea, en formoſa es: Oculi tui columba.* Vt qui aurum tractant, quos aurifabros nominant, cum rude aurum, aut adulterinum purgare ac longè purius ſplendidiuſque reddere ſatagunt, in fornaces ſæpenumero conijciunt: ad eundem nunc modum ſponſam hic Dei Vesbum, ut denigratam mundat, quam equæ vel equitatui prius aſſimilarat, oſtendens eam humi adhuc ſerpere, ad hanc virtutum ſublimitatem incitavit. Illa enim officiis erga amicos

Ex hom. 1 Greg. Nyſſ. in Cantic.

B exhibitis verè progreſſum faciens, igneus fit thronus Regis univerſorum. Dehinc virtutibus altiùs evecta atque iterum puro appropinquans ſponſo, valde ab eo hoc nomine laudatur: *Ecce*, ait, *pulcra es propinqua mea, & venuſta.* Pulcritudinis nempe ingeminans laudem, reperit identidem: *Ecce tu pulcra es, virgo.* Iucundis es etenim oculis columbæ prædita virgineis: quandoquidem, ab evagationibus avertiſti, & in me unum conditorem tuum conijciendo tranſtuliſti. Columbæ autem oculos commemorat, ut purum virginis obtutum ſignificet. Tam iucundos enim oculos habet, ut puriter aſpiciat pulcherrimum ſponſum. Laudata autem ipſa à ſponſo, ipſum viciſſim ita prædicat.

15 *Ecce pulcher es mi patruelis, & naturâ decorus.* Vt geminata iam laude illam laudarat ſponſus, ſic & ipſa mutuò prædicando repetit: *Pulcher es ſponſe mi, & formoſus. Propinquum* autem appellat Dominum, ſeu ſponſum, quod homo factus cum ſit, hominibus affi-

C nem ſe propinquumque redditum obſcurè ſignificet, ut planiùs infra demonſtrabit. Sponſa verò ſic laudata ſubiicit ſponſo hæc verba.

Lectus noſter umbroſus. [Vulg. *Lectulus noſter floridus eſt.* Acceſſiſti, ait, ad infirmum & imbecillem lectulum meum, tegens artificio quodam & obumbrans tremendum divinitatis ſplendorem. Niſi enim texiſſet iis, quos ſolus tu noſti, modis, divini forte luminis inbarepræſtricti extincti eſſemus. Quod ita planè evenit, dū Verbum celat divinitatem. Cum enim ſponſi amici ac paranymphi ſponſam, ut ſupra dictum eſt, ex argentea auream reddidiſſent. Regalem quoque lectum purpureum effeciſſent, Rex in eo accubuit. Quo nomine ſponſa veluti ſtupefacta in hæc vesba erumpit: *Veniſti ad lectum noſtrum umbroſum*, ut tibi placitum eſt. Sed reliquum Cantici perſequamur: ſic enim ſponſum

D affari ſponſa pergit.

16 *Trabes noſtra cedri, & laquearia noſtra Cupreſſi.* [Vulg. *Tigna domorum noſtrarum Cedrina, laquearia noſtra Cypreſſina.*] Quandoquidem nunc ad nos ſponſe ultro veniſti, non eſt cur amplius formidemus, aut validos cœli imbres, aut extra alveum ferentium virtutes, ac ne ferventis quidem Boreæ violentos adverſoſque impetus. Me enim, quam domicilium eſſe tuum voluiſti, in te, ſponſe mi, egregie exædificaſti, qui es ipſe lapis angularis, & vitæ petra. Quo fit, ut inducar ad credendum, tigna domus huius eſſe cedrina: & laquearia quoque noſtra è cupreſſi arbore. Quoniam verò *domûs* facta mentio eſt, de *tignis* fuit & *laquearibus* aliquid ſubiiciendum, in quibus Virtutes intellige, quibuſcum Verbum divinum adveniens illam communiit adverſum ventos, imbres, & flumina, id eſt, contra dæmonum tentationes. Tempus nunc eſt reliqua cognoſcere. Sic itaque denuo ad ſponſam velut igni ſuccenſa, loquitur.

Capvt II.

Franc. Zino *interprete.*

E *EGo autem flos campi: Lilium convallium.* O præclaram puræ virginis progreſſionem! Ecce enim te ipſam eum eximium totius campi, naturæ humanæ florem, tum divinum convallium lilium agnoviſti. Omnis enim profectò anima vitæ probitate, ac virtutibus florens, atque excellens, nec mundi ſollicitudinibus ullo modo ſuffocata, redolet. Cuius quidem rei teſtis eſt Chriſtus ac ſponſus, qui ſponſæ ſermonem, ut ordine invenies, ita confirmat. *Verſ.1.*

2 *Sicut lilium in medio ſpinarum, ſic propinqua mea in medio filiorum.* Rectè, inquit, de te locuta es ſponſa. Sic enim inter animas quæ curarum & ſollicitudinum ſpinis ſuffocantur, ut odorifera roſa floruiſti.

F Hanc autem *ſororem* Verbum ac ſponſus vocat, quoniam divinæ obtemperat voluntati. Eos enim in Evangeliis fratres, & propinquos & amicos appellat, qui patris ſui voluntati parent. *Matth. 12.49*

3 *Sicut pomum inter ligna ſylvæ, ita nepos meus inter filios. In umbra illius, &c.* Has laudes ſponſa cum audiviſſet, quibuſdam ipſa quoque ſponſum laudibus extollit. Dominum enim hiſce verbis alloquitur: *Sicut pomum inter ligna ſylvæ: ſic nepos meus inter filias.* Quemadmodum, inquit, inter omnes hominum animas, quas, ô Verbum ac ſponſe, filias appellaſti, ego ſola ſum tanquam lilium in germine: ſic etiam tu arcanâ ratione cœlos inclinans, & deſcendens ſuper terram in hanc vitam mortalem, & carnem noſtram aſſumens, in hac ſylua, te inter filios hominum conſpicuum præbuiſti: tanquam pomum ſuaviſſimum, & guſtu iucundiſſimum. Cur autem Verbum appellat *pomum*? Quia multiplici gratia hic fructus eſt præditus.

G Etenim ſi fortè à quopiam comprimatur, liquorem ſanguineum, & aqueum emittit, & proinde innuit fontes illos ſalutares, qui ex latere Verbi, & Salvatoris emanarunt. O puræ Virginis prudentiam admirabilem. Sapienter enim ipſum verè pomum dixit eſſe. Nam omnis profectò anima humana, licet virtutum præſtantiâ ad Angelos accedat, flos tantummodo & lilium convallium iudicatur, non alens agricolam (neque enim herba alit) ſed ſeipſam ſpeciei pulcritudine exornans. Etenim lucrum ex nobis non quærit agricola, ut quodam in loco ſponſum ſuum alloquens, oſtendit David: *Deus*, inquit, *meus es tu, quia bonorum meorum non eges.* At Chriſtus agricola ſponſuſque noſter, cum carnem noſtram induens, verè pomum evaſerit, tres noſtros, cóſque præcipuos ſenſus oblectat, viſum, odoratum, atque in primis, guſtum, Aſpectu enim ſane quam decorus eſt: quippe cum ſit omnium, qui in terra nati ſunt, ſpecioſiſſimus, reſpicientéſque ſe clariſſimos reddat. Olfactu autem periucundus: eſt enim unguento plenus, imò unguentum ipſum, quod deſcendit in barbam Aaron. Guſtatu verò quam ſuaviſſimus, guſtantibus enim ſe vitam tri- *Pſ.15.2.* *Pſ.44.3.* *Pſalm. 132.2.*

H buit immortalem. Nam qui digne manducat corpus eius, vt ipſe ait, vitam vere æternam poſſidebit. Ac de propoſito huius carminis, hactenus. Ad reliqua Canticorum explicanda pergamus. Sponſa de verbo divino: *Ioan.6.52.*

3 *In umbra*, inquit, *eius deſideravi, & ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.* Huius, inquit, admirabilis, vitaliſque pomi ſæpenumero umbram aſpicere concupivi, cum ardor tentationum me vehementer exureret. At ecce in ea iam conſidens oblector, & gaudeo, atque ardorem tentationum declino. Quandoquidem me in omnibus mandatis Domini meditantem verbum ac ſponſus meus dulciſſimus divinis ſuis obumbrans alis, procul avertit tentationum faces. Hæc cum veluti lætabunda protuliſſet, ad amicos ſponſi convertit ſermonem ſuum, hortatúrque illos, ut progrediantur, & ad formoſum ſponſum accurrant. Sed verba ipſius mihi ſunt expendenda.

A *Introducite me in cellam vinariam : ordinate in me*
4 *caritatem. Fulcite me unguentis : stipate me in pomis,*
quia amore sum vulnerata. Siti urgeor, inquit, ad spon-
sum meum, ad vitæ botrum illum maturum, atque di-
vinum, per crucis mortem dulcedine fluentem. Quam-
obrem in eius cellam me quoque introducite, ut potè
sponsi pulchritudinem conspicata, amoris ignem erga
illum adaugeam. Adhuc autem ad maiora contendo.
5 Hæc ad Angelos loquitur. *Fulcite me unguentis : sti-*
pate me in pomis. Quando, inquit, dilexit me abie-
ctam admirandus ille, & metuendus atque pulcherri-
mus sponsus, ad eius me caritatem, vos qui Verbi &
sponsi amici estis, incitate : qui prius mihi adhibuistis
aurum, nunc autem adhibete unguenta, quæ omnem
arceant foetorem peccati, ne amplius aberrem, aut rur-
sus è via declinem. Tu verò per amicorum unguenta,
Virtutes intellige. Sed pomis præterea flagitat ut con-
stipetur. Amicos enim alloquitur Anima, modò ut
sponsa, & virgo nuptialibus vestimentis exornata :
B modò ut lectus auro splendidus, modo ut divinum so-
lium. In una enim profectò eadémque anima purissi-
sima Christus, & sponsus nunc quiescit ; nunc ambu-
lat & sedet sæpissime. Quæ quidem omnia indicat
pomorum constipatio. Prorsus autem flagrat sponsa,
ac plane ardet desiderio sponsi, qui dicitur *pomum è*
silva, cupitque illum semper hæc sibi esse omnia, ci-
bum, deliciásque, & umbram, & stipationem, & te-
ctum : quemadmodum & ipsa erga illum hæc est uni-
versa : Sponsa *nimirum*, & sedes, & cubile, & domus.
Tum assiduæ flagitationis suæ causam Angelis expli-
cans ; *Ego enim*, inquit, *amore sum sauciata.* Ego ve-
stram opem imploro. Totam domum meam pomis
constipari cupio. Quoniam sagittâ amoris istius con-
fixa sum. Per amorem intellige Patrem, qui nullum
habet principium : Per sagittam verè electam Verbum
ac sponsum. Hanc enim in eos, qui salvantur, conii-
re consuevit. Hic rursus sponsa subiicit quædam ver-
C ba, quemadmodum ordine reperies. Sunt autem hæc.
6 *Læva eius sub capite meo ; & dextera illius amplexa-*
bitur me. Varietas hæc in res incorporeas cadit. Ecce
enim, quæ paulo ante mirabili sagitta saucia erat,
nunc sagitta fit in manibus iaculantis. Id quod ani-
mæ contigit Pauli vulneratæ. Siquidem & ille ex in-
fideli factus fidelis à Christo verbo & Salvatore, con-
festim veluti sagitta missus est à divino spiritu in gen
tes remotas, atque in errore demersas, ut prædicatio-
nis & doctrinæ verbo animas aberrantes in viam vitæ
reduceret. Hæc mea quidem sententia, Stephephore Im-
perator ita se habet. Te verò minime moveat, quod cu-
ius sinistra sub capite spōsæ sit, ut ipsa ait, eius dextera
illam amplectatur. Quandoquidem ad similitudinem
volantis sagittæ emissa fuisse dicta est. Verum tempus
est, ut quæ sequuntur in Canticis audiamus. Rursus
enim Angelos obsecrat, & obtestatur.
7 *Adiuravi vos, filiæ Hierusalem per potentias & for-*
D *titudines agri ut suscitetis, & excitetis caritatem, donec*
voluerit. Ager tibi sit mundus : Huius fortitudo po-
testas Domini, Verbi, ac sponsi. Vos inquit, qui
sponsi nuptiarum ministri estis atque amici, assiduis
flagitationibus omissis, iureiurando precor ex animo,
atque obtestor, ne prius me decorare desistatis, quam
partibus, ac numeris omnibus ornatam, atque expoli-
tam moribus reddideritis, & sponsi voluntas expleta
fuerit, cuius quidem hæc est voluntas unica, ut homi-
nes pervelit omnes salvos fieri, meque planè mundam,
ac divino splendore illustrem esse. Sed orationis se-
riem contemplari pergamus.
8 *Vox nepotis mei.* Tantum abest, ut divinitas com-
Ex Homil. V. Gregor. Nysseni in Cantica. prehendi queat : ut licet virtutibus sit quispiam om-
nibus exornatus, rectísque vivendi rationibus subli-
mis tollatur in coelum, ac propter ea se proxime ad
Deum putet accedere, ab eius tamen natura is distare
se sciat quam longissimè. Ecce enim sponsa, quæ pro-
ficiendo, ad eam sublimitatem progressa est, ut pro-
ximè ad sponsum videretur accessisse, divinitatis essen-
tiam haud percepit omnino : Tu per *vocem sponsi* ora- E
cula Prophetarum accipe, quæ arcanam Verbi Incar-
nationem prodiderunt. Quid autem deinceps dicat,
est attendendum.
Ecce hic venit saliens in montibus, transiliens colles.
Cum antea sponsi vocem audire se dixisset, iam, in-
quit, *hic venit saliens super montes.* Scitè pura virgo
philosophatur. Nam verbum Dei antequam descen-
deret in terram, præmisit Prophetas, qui adventum
suum, & divinam Incarnationem prænuntiarent. Mox
& ipse de coelo profectus est. Hæc igitur verba Can-
ticorum innuunt divini Verbi Incarnationem, per
quam animas in tenebris considentes liberavit, iussu
solo fugatis dæmonibus universis, quos *montes* appel-
lat, ac deinde *colles* vocat. Christus enim edens mira-
cula, atque integras dæmonum legiones eiiciens verbo
solo, cunctos simul tum maiores, tum minores in tar-
tarum detrusit. Quid statim sponsa dicere pergat, ex-
pendamus. F
Similis est nepos meus capreæ, hinnulove cervorum in 9
montibus Bethel. Hæc prope simile quiddam signi-
ficant iis, quæ dicta sunt. Declarant enim Verbum
ac sponsum expulisse dæmones, atque in tartarum de-
trusisse. Sponsum autem hinnulo cervorum comparat
Virgo, ita dæmones profligantem, ut hinnulus ser-
pentes destruit. Hinnulus hic in montibus foveas ha-
bet. Mons enim *Bethel* coeleste indicat domicilium.
Caprea vero allegorice *videntem* significat, nam ipse
omnium corda intuetur.
Ecce hic stetit post parietem nostrum respiciens per fe- 9
nestras, prospiciens per retia. Ecce, inquit, Verbum
& sponsus venit demigrans ex Bethel è superna domo.
Nondum autem sub tectum introivit : sed foris stans
post parietem, per fenestras vult introspicere. Tu au-
tem mihi per *parietem* legem antiquam intellige, um-
bram & errores hominibus iniicientem ; per *fenestras* *Heb. 1. 1.*
vero, & retia, oracula Prophetarum. Nam ante di-
vini Verbi Incarnationem multifariam multísque mo-
dis locutus est. Sed quid sponsa deinde dicat, conside-
remus. G
Respondet nepos meus, & dicit mihi : Surge, veni, 10
propinqua mea, formosa mea, columba mea. Quoniam,
inquit, venit Verbum & sponsus, qui Prophetis tan-
quam fenestris quibusdam, usus est, hoc primum dixit
introspiciens : Surge de lapsu erroris, & tenebris, &
ad me pariter accede, & mihi propinqua efficere. Hæc,
inquit, præter alia mihi dixit.
Ecce hyems transiit imber abiit, recessit sibi : 11
Flores apparuerunt in terra : Tempus putationis ad- 12
venit. Quoniam, inquit, omnium dæmonum, à qui-
bus humana natura congelatur, & pigra atque iners
prorsus ad rectè agendum redditur, profligavit : atque
ideo hyems charitatis abscessit, & gravis imber omnis
abiit, & defluxit : & incundum veritatis exortum est
ver : florere coepit tellus, natura nempe humana. *Tem-*
pus putationis iam venit ! Legendi sunt flores, si vis
corollas ex floribus contexere. Hominum enim natu- H
ram, quam *terram* appellavit, idolis & fraudi cervicem
inclinans, nullam virtutum speciem præbuit : (id enim
flos significat) acerbissimâ ac vehementissimâ hyeme
deceptionis in glaciem redacta, ac propemodum per-
dita. Quis enim se in tantis errorum tenebris, pieta-
tis professionem tueri, modestiam servare, temperan-
tiam amplecti, osculari iustitiam unquam sperasset ? At
iam flores apparuerunt in terra nostra. Surge igitur,
& coronas tibi ex virtutibus texe. Ac florum testis
minime reiiciendus est ille præcursor gratiæ, *Poeniten-* *Mat. 3. 2.*
tiam, inquiens, *agite* : qui multos ex Hebræis baptiza-
vit cum videret eos florentes in confessione. Huc enim
spectant ea verba Canticorum. *Vox turturis audita*
est in terra nostra. Vox enim clamantis fuit præcursor
iste, qui passim, turturi, dexteræ comparatur.
Ficus protulit grossos suos ; vineæ florent : dederunt 13
odorem. Eundem hæc forte sensum habent cum supe-
rioribus. *Ficum* enim rursus intellige naturam huma-

A nam : *gressos* inferiores virtutes : *vites florentes*, animas, quæ in recta vivendi ratione ac viâ progredi iam cœperunt.

Surge, veni propinqua mea, formosa mea, columba mea. Huiusce sermonis significationes sæpe diximus: verba quæ deinceps sequuntur interpretemur. O virgo, inquit, anima purissima, surge de lapsu, & huc veni, alacriter tamen & nulla coacta necessitate, sed volens ac lubens, Non invita, inquam, sed vltro veni. Sic enim omnino ad me accedes, petram vtique Christum vitæ sempiternæ. A propugnaculo, à veteri lege, quæ petræ coniuncta est, transcendens Venit enim verè, hoc est appropinquat ad petræ propugnaculum. Et disce etiam modum. Propugnaculum autem sanè dicitur antiqua lex : petra vero solida novum testamentum. Ac quamvis videantur inter se distare lex Mosaïca, & Evangelium, virtute tamen consonant, atque inter se congruunt. Quid enim his præceptis potest esse coniunctius ? Antiqua lex vetat adulterium : Evangelium amputat cupiditatem. Illa vt à cæde abstineas, iubet : hoc prohibet ne prorsus irascaris. Quod si quæris, & oves, & Sabbatha, & pascha : quæ illic secundum carnem ; hic secundum spiritum, si attenderis, invenies. Lapis enim spiritalis, non autem terrenus, est paries. Sed quæ sequuntur verba iam audiamus. Sponsa enim respondet sponso.

1.Cor.10. 4.

B *Mat. 5. vers. 28.*

14 *Ostende mihi faciem tuam ; sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Ne mecum amplius, ô sponse formose, per libros quosdam propheticos & legales, colloquare : sed tanquam mihi videre te liceat, & vocem tuam audire ; *sonet vox tua in auribus meis : ostende mihi faciem tuam.* Nam si vox tua nobis iucundissima fuit atque dulcissima, si vultus tuus pulcherrimus visus est, & maximè decorus, cum vox tua per Prophetas insonaret ; & formam tuam tanquam in speculo cerneremus : quantanam erit præsentiæ tuæ pulchritudo ? quanta vocis ipsius dulcedo, quæ sine ullo medio exaudietur ? Sponsæ preces audivit sponsus, qui ut se ipsum coram magis conspicuum præbeat, venatores ad prædam excitat, dicens :

C

15 *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas : & vinea nostra florent.* O imperium verbi terribile ac formidandum ! ô virtutem omnipotentem ! ô robur incredibile ! Venatoribus enim præcepit, ut vulpeculas quasdam parvulas captu difficillimas pervestigent, comprehendant, superent, vinciant. Totam nimirum desertricem dæmonum potestatem : draconem illum maximum : illum rebellem naturâ, qui non aliter in nos, quam leo in greges desævit, mundi principem sathanam, principem tenebrarum, infernum tenebrosas fauces suas aperientem, habentem ac ferentem mortis imperium, qui se passeris nidum, orbem scilicet universum, tanquam ova putrida atque abiecta cepisse, & diripuisse gloriatur, qui terræ montes & mare eversurum, & in nubibus sedem collocaturum se iactitat : cuius quidem latera sunt ænea, & dorsum ferreum, viscera autem, smyrites lapis: serpentem ipsum gravem, illum senem, ingentem illum, & totam eius hostilem manum, viros verò potentiæ tanquam *vulpeculas parvas* & naturâ fraudulentas appellat. Comprehendite, inquit, mihi *parvas vulpes*, quæ animas humanas demoliuntur. Has enim solas *vineas* vocat. Sed videamos quid etiam dicat sponsa, & virgo.

D

16 *Nepos meus mihi & ego illi.* Verùm amorose deinceps sponso loquitur. *Qui pasceris inter lilia. Donec aspiret dies, & inclinentur umbra. Revertere. Similis esto tu nepos mi, caprea hinnulove cervorum super montes convallium.* O pulcherrime pastor ovium, quæ mente sunt præditæ ; inquit sponsa ad ipsum Verbum ac sponsum, qui oves tuas virtutibus, ut liliis, pascis, rursus te capreæ aut cervorum hinnulo similem præbe, ut paulo ante super vallium montes saliebas : atque omnem potentiam adversantem everte, & colles nimis elatos exæqua. Sic enim cursibus tuis omnis vallis implebitur ; & omnis malitiæ collis humiliabitur, & omnes impietatis umbræ discutientur ; & dies salutis mortalibus aspirabit. E

CAPVT III.

Vers. 1. Ex Homil. VI. Gregor. Nysseni in Cantica.

IN lectulo meo quæsivi per noctem, quem diligit anima mea : Quæsivi & non inveni. Vocavi eum & non audivit me. Tua profecto natura, Christe, comprehendi nequit. Ego in lectulo progressionis meæ, qua valde profeceram, me conquieturam speraram, utpote quæ iam ad perfectionis fastigium pervenissem, sed posteaquam ad divinorum mysteriorum noctem accessi, ardenti studio Verbum & sponsum quærens, illic eum nullo modo conspicuum inveni. Cúmque rursus illum vocassem, non respondit mihi. Quam verè sponsa sollicitudinem exaggerat suam. Nulla enim anima licet ad angelorum perfectionem accedat, & ad rerum penitus arcanarum cognitionem perveniat, se divinam essentiam inspecturam speret. Quando igitur sponsum quem quæsiverat non invenit, audiamus, quid ipsa velit. Sic enim ait. F

2 *Surgam iam & circuibo in civitate, in foris & plateis : & quæram quem diligit anima mea. Quæsivi eum, & non inveni : vocavi eum, & non audivit me.* Exurgam, inquit, & perquiram illum. Naturam, quæ mundo continetur, universam pervestigabo. Hanc civitatem appellat hoc loco, quemadmodum & per plateas intelligit cœtus Angelorum. Ad illius igitur, inquit, investigationem me contuli. Atque hoc proposito & consilio naturas Angelorum omnes magno labore exploravi, sperans me illum in Angelis assecuturam. Verùm cum ipsum inter Angelos perscrutarer, ut quis, qualisque esset, unde principium haberet, & quo fine concluderetur, intelligerem, custodes supernæ civitatis Sion me pervagantem atque inquirentem conspexerunt. Sic enim narrationem persequitur suam. G

3 *Invenerunt me custodes, qui obeunt civitatem.* Tum, inquit percontata sum illos. *Num, quem diligit anima mea, vidistis ?* Sperabam enim profecto Verbum & sponsum meum, in Angelis saltem intelligi & comprehendi posse. Verum cum & hos animadverterem nihil scire ; ab eis hæsitans, inquit, recessi. Ab angelis autem haud ita procul concesseram. *Cum inveni quem diligit anima mea.* Vt paululum, inquit, ab Angelis pertransij, per fidem intelligens, Christum omnipotentem & Verbum, Deum atque hominem nullâ ratione comprehendi posse, inveni ipsum in iis, quæ ingenij rationisque vim atque intelligentiam omnem superant. Divina enim Verbi, ac sponsi natura eò tantum, quo non posse comprehendi cognoscitur, fit comprehensibilis. H

4 *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum illius, quæ me concepit.* Quoniam incomprehensum, inquit illum inveni, intus eum tenui, & in medio cordis, Patrique coæternum esse cognovi. Nos enim domus, & templa, & cubicula sumus Spiritûs sancti, ut Paulus ait, qui & genuit nos, & nutrit, quemadmodum ipse novit. Sed præstantiorem sponsa progressionem assecuta, rursus amicos urget hisce verbis.

5 *Adiuravi vos filia Hierusalem per virtutes & fortitudines agri, ut suscitetis, & excitetis charitatem, donec voluerit.* Hæc iam explanavimus : quare pergamus ad reliqua.

6 *Qua est ista quæ ascendit de deserto, quasi virgula fumi redolens myrrham, & thus ex universis pulveribus unguentarii ?* Hæc amici inter se colloquuntur: quæ quidem eò spectant, quod cum antea sponsa virtutibus his, nempe Fide, Mansuetudine Iustitiâ, decorata fuerit ;

A mox autem ad alios virtutum habitus ascenderit, ieiu-
nij nimirum, Vigiliæ, Orationis perpetuæ, atque
asperæ humi dormitionis: sponsæ profectu stupentes,
& tanquam ignari, de illa inter se conquirentes; *Qua-
nam est*, inquiunt, *ista quæ de solitudine in cælos ascen-
dit, veluti virgula fumi, odorem redolens myrrhæ, &
thuris eximij?* Omnis enim anima quæ studet esse thus
& iucundus odor Regi universorum, necesse est, ut
prius mortificet omnia membra sua, atque ita myrrha
fiat cum Christo commortua; alioqui thus Domini
fieri nunquam poterit.

7 *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex
8 fortissimis Israel. Omnes tenentes gladios, & ad bella do-
ctissimi. Uniuscuiusque ensis super femur suum à timore in
noctibus.* Hæc amici ad virginem dicunt, lectuli spon-
si pulchritudinem explicantes, quo magis succendant
sponsæ desiderium. Tu vero mihi ad horum expo-
sitionem diligenter attende. *Lectulus Salomonis* est
eorum, qui salvantur locus: sexaginta autem fortes
B qui illum ambiunt, sunt illi ipsi profecto, qui salvati
sunt. *Sexaginta* vero dicuntur quicunque divinâ gra-
tiâ verè præstantes, dæmonum, qui per noctes homi-
nes oppugnant, agmina formidine repleverunt.
Quemadmodum gladio vir accinctus, imbelles homi-
nes, & in prælio minus exercitatos perterrefacit. Illi
enim signo Crucis, tanquam gladio ancipiti armati,
adversus principatus, & contra mundi & tenebrarum
principem satanam constiterunt. Hæc quidem à nobis
pro viribus dicta sunt. Quod si orationis series haud
ita continua videatur, ne admireris ô Princeps, neve
commovearis. Sic enim pleráque sunt scripta Pro-
phetica.

9 *Ferculum fecit sibi Rex Salomon, &c.* Sermo propo-
situs Cantici Canticorum sapientissime Ecclesiam ex
Gentibus collectam innuit. Rex enim Salomon, id est,
sponsus, qui est gentium olim reiectarum. Libanus
etiam est, venerandus & sanctus, de quo Psalmorum
conditor David meminit, *Iustus*, inquiens, *ut palma
florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Est au-
tem rursum Libanus repudiatus in omnibus, cuius
quidem optat David cedros confringi. Per columnas
& bases tu mihi Apostolos & Prophetas intellige, qui
Christi Ecclesiam sustinuerunt, & charitatem auxe-
runt, humanarumque animarum, quæ reiectæ erant,
C salutis fuerunt studiosissimi. Hæc igitur sponsa de se
ipsa locuta est. Deinde omnes hominum animas ad-
hortatur ut à mundi scandalis, & perturbationibus dis-
cedant, & sponsum cum ipsis coniunctum spectent.
Sic enim sponsa præ lætitia illas alloquitur.

Ex Homil. VII. Gregor. Nysseni in Canticum.

Psal. 91.

11 *Egredimini & videte, O filiæ Sion.* Inquit sponsa,
quoniam ego, quæ prius invisa fueram nunc facta sum
iucundissimum sponsi ferculum: cupio vos item uni-
versas ex hac vita fugere, & puris oculis sponsum dia-
demate ex puris lapidibus contexto redimitum contem-
plari, qui à matre sua ita coronatur me hodie sibi de-
sponsavit: mater vero illius, patris charitas fuit.

CAPUT IV.

ECce pulchra es propinqua mea: Ecce pulchra es.
Oculi tui columbæ præter silentium tuum. His spon-
sæ verbis auditis sponsus in eius pulchritudinis laudes
D excitatur. *Ecce*, inquiens, *pulchra es propinqua mea.*
Pulchra profecto es, inquit, propinqua mea, cum ho-
minum cunctorum animas salutem assequi cupias.
Deinde cum vellet singulas eius partes laudare, ad ip-
sam Ecclesiam nimirum loquens, *Oculi*, inquit, *tui co-
lumbæ.* Quemadmodum in hominis corpore multæ
sunt partes, ut pedes, & manus, & ubera, & pectus, &
venter: sic etiam sunt in sancto divinæ Ecclesiæ cor-
pore, cuius caput est Christus, qui & sponsæ, ab ocu-
lis cœpit coronam contexere. Tu *Ecclesiæ sanctæ ocu-
los* intellige scripta Prophetarum acutissime intuen-
tium. Cùm autem vellet interiores eius oculos collau-
dare, hæc etiam protulit verba, ut in ipsa serie reperies.

Præter silentium tuum. Oculos, inquit, tuos exte- E
riores commendavi, interiorum enim laudes nulla asse-
qui potest oratio.

1 *Capilli tui sunt sicut greges caprarum, quæ relevata
sunt de Galaad.* Hæc tanquam cum muliere cum spon-
sa loquitur. Quod si vis altius rem indagare, *Coma
sponsæ* Virginis, hoc est divinæ Ecclesiæ ornamenta ex
Gentium grege est multitudo.

2 *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt ex
lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter
eas.* Dentes mihi intelligito divinos Doctores sacro-
sanctam nobis Scripturam interpretantes, qui detonsis
reiectisque carnis sollicitudinibus, & conscientiæ la-
vacro mundati, tum animæ, tum corporis puritatem
quasi gemellos fœtus habere dicuntur.

3 *Sicut funiculus coccineus labia tua, & eloquium tuum
decorum.* Sponsæ labia rursus commendat. Tu vero
per *funiculum* silentij dotem accipe: per *eloquium* verò
decorum, divinam prædicationem. Tum gratiâ taci- F
turnitatis sic, inquit, excellis, ut nihil superfluum, ni-
hil absurdum excidat è labiis tuis. Si quid enim ali-
quando vis loqui, quæ ad fidei promulgationem do-
ctrinámque pertinent, loqueris. *Ecce pulchra es pro-
pinqua mea, ecce pulchra es.* Geminam hic quoque
protulit laudem pulchritudinis. Genis enim vultûs eius
à purpureo modestiæ decore collaudatis, animæ quo-
que commendat pulchritudinem, ut taceam, inquiens,
silentij decus animæ tuæ. Hæc enim extrinsecus qui-
dem iucundum spectaculum præbent, intus autem præ-
stantiam continent singularem.

4 *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est in
Thalphioth.* Et hæc muliebri more cum sponsa loqui-
tur. Cum enim vellet collum eius vehementer lauda-
re, turri illud celsissimæ comparavit, quæ à divino Da-
vide in Thalphioth fuerat exædificata ad cunctorum om-
nium defensionem, cum externis bellis finem impo-
suisset. Tu verò mihi, Imperator, sanctæ Ecclesiæ
collum, magnum Paulum intellige, qui caput omnium
Christum gestavit, & si quos alios illi similes didici-
sti. Ex his enim suspensi sunt ordines corporis exper-
tium, quos hic *mille clypeos* vocat. Neque verò cur
mille dixerit, quæras. Solet enim Scriptura eo voca-
bulo frequenter uti. Sicut, *lex oris tui super millia au-
ri, & argenti.* Et alibi; *millia*, inquit, *lætantium.*

Psal. 118.
Psal. 67.

5 *Duo ubera tua, sunt duo hinnuli capreæ gemelli, qui
pascuntur inter lilia.* Et hæc convenienter ad mulieris G
decorem extrinsecùs dictum est. Intrinsecùs venera-
bilem continet expositionem, & gratiam. Gemina
enim divina Ecclesiæ ubera intellige sanguinem, &
aquam illam sanctam Verbi & Salvatoris, ex quibus
animæ fidelium salutem hauriunt.

6 *Donec aspiret dies, & moveantur umbræ, vadam mi-
hi ipsi ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* In his
innuit cruciatus & mortem Salvatoris. Hos enim tu
per *myrrhæ montem* intellige. At per collem thuris in-
tellige gloriam ipsius, qua pater desuper eum, & so-
lum illustravit. Totum hoc igitur, quod loquitur Vir-
gini, factum est. Age tu mecum, qui cruci affixus
sum, crucifigere, ut magnâ item à Patre gloriâ mecum
afficiare. Sponte enim volo ego sane mortem oppete-
re, ut fidelibus diem salutis aspirem, & umbras discu-
tiam impietatis. *Mihi*, inquam, *ipsi vadam*, hoc est,
volens & libens. Verùm quia scit ipsam secum esse H
crucifixam, & omnibus præceptis suis obtemperasse,
rursus eam commendat his verbis.

8 *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano. Venies,
& transibis a principio fidei, & à capite Sanir, &
Hermon.* Tum ad maiorem hanc gloriam invitat. *Ve-
ni de Libano sponsa* Age, de Libano venies. Quan-
do, inquit, venisti ad myrrhæ montem, & ad collem
thuris mecum conscendisti: hoc est, mecum passa es,
& simul gloriam accepisti, age, de Libano ad subli-
miora quædam perfectionis loca celeriter ascende.
Nec mecum desinas progredi longiùs, declinatis par-
dorum leonumque cubilibus. Hoc autem te ipsa &

Ex Gregor. Nysseni Homilia VIII. in Cantica.

A factis cum eſſet expletum, & ſponſa cum Chriſto puro ſponſo ſimul exaltata eſſet, amici progreſſione Virginis obſtupefacti, ſic eam canentes ſunt allocuti.

9 *Vulneraſti cor noſtrum ſoror noſtra ſponſa.* De Deo nos quiddam amplius docuiſti, dum oculum animæ tuæ, ô ſponſa, ardenter in Verbo & ſponſo defixum, dúmque animæ collum leni Chriſti iugo ſubditum contuemur. Vere cor noſtrum, inquiunt, excitaſti poſteaquam ex te didicimus Verbi incarnationem. Atque ad hunc quidem modum amici virginem collaudarunt.

10 *Quam pulchra facta ſunt mamma tua, ſoror mea, ſponſa. Quam pulchra facta ſunt ubera tua à vino.* Hic rurſum laudat divinæ Eccleſiæ uberum, hoc eſt diſciplinarum incrementum. Cum enim, ut mater liberorum amantiſſima, eos, populum ſcilicet ex Gentibus enutritum, ad divinæ ætatis menſuram videat perveniſſe, nec amplius in Sanctâ fide balbutire, aut hæ-
B ſitare, pro lacte vinum effundit quotidie, altiora illis ſuggerens inſtituta. Prius enim ut rudiores docebat eos, & Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum Deum unum adorarent. Quod quidem erat veluti doctrinæ lac. Nunc autem monet, ut Modeſtiam, Caſtitatem, Temperantiam amplectantur, ut Iuſtitiam diligant. Quæ quidem ſunt veluti doctrinæ vinum.

Ex hom. IX. Greg. Nyſſen. Cantic.

Et odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata. Quem enim ex te veſtimentorum amictum gero, ex iis, inquam ſacrificiis quæ mihi ex te offeruntur, illud arbitror omnibus aromatibus præſtare.

11 *Favum deſtillant labia tua, ſponſa.* Doctrina enim, qua nutrit filios tuos, favo & melle dulcior eſt.

Mel & lac ſub lingua tua. Neque enim eadem omnes ratione alis, ſed pro ſua quemque naturâ atque ætate. Nam imbecilliores lacte paſcis, melle autem perfectiores.

Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris. Cum
C Eccleſiæ veſtimentorum odorem ſuperius cunctis aromatibus antepoſuerit, nunc thuri ſimilem & parem eſſe pronuntiat. Thus autem eſt omnium aromatum præſtantiſſimum.

12 *Hortus concluſus ſoror mea, ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.* Variis ſponſam laudibus ſponſus extollit. *Hortus enim es,* inquit, *ô ſponſa, concluſus.* Arborum omnium in te ipſa continens decus, & oleam fructiferam, & dulcem ficum. *Fons* item, inquit, *es ſignatus.* Neque enim aquas temere profundis tuas, ſed fideles ſalutis ſitientes, potas

13 *Emiſſiones tua paradiſus malorum punicorum cum fructibus nucum.* His verbis ea ſponſus complectitur omnia, quæ ad fidei noſtræ integerrimæ doctrinam ſpectant, cuius timorem, decorem, fragrantiam, divinitatem os Eccleſiæ nunquam non prædicat. *Emiſſiones* enim, inquit, *tua paradiſus exiſtunt malorum punicorum*; & omni gratia ſunt plenæ. *Fons hortorum*: nam latices tuos haud fruſtra ſpargis, ſed divinas plantas, fideles nimirum, rigas.

D
14 *Puteus aqua viventis, qua fluit impetu de Libano.* Adeo, inquit, virtutibus inſignis effecta es, ut idem quod ego cognomen ſis conſecuta. Ego enim omnino *viventis aqua ſum puteus,* qui de cœlo *ſicut pluuia in vellus*, tanquam ex alto, & mirabili monte Libano deſcendi.

Ioan 4. 14. Pſal. 71.

15 *Surge Aquilo, & veni Auſter, & perfla hortum meum.* Poſteàquam Eccleſia poteſtatem accepit omnino, ut hortus illius nominata, plantarum omnium decus in ſe continens, & peſſimum Aquilonis flatum, glacie florum pulchritudinem extinguentem expelleret: Auſtrum autem ſaluberrimum acciret, qui ſpirans in Sion Apoſtolis olim verborum fluxus inſtillavit: ſanctiſſimum illum Spiritum vocat qui in hortum ſuum ſalutis auras infundat, ut omnes filij ſui fructum ferant, & Chriſtum Verbum ac ſponſum lætitiâ afficiant. Cum igitur, quod inſſerat, re ipſa perfectum eſſet, Aquilonémque ſilentem Virgo perſpiceret po-

Ex hom. X. in Cant. Greg. Nyſſen.

E ſuiſſe, pulcherrimúmque omnino & divinum Auſtrum perflare, filios omnes ſuos fructiferos oſtendentem: admirabilem ſponſum ſuum obſecrat, ut in hortum ſuum fertilem celeriter deſcendat, arborúmque ſuarum fructus carpat: hoc eſt, ut bonis filiorum ſuorum operibus oblectetur. Niſi enim ad nos humiles & abiectos ita deſcendat, *manſuetos ſuſcipiens*, ut inquit David, fieri nullo modo poteſt, ut nos in cœlum conſcendamus. His ſponſa precibus ſponſum advocavit. At ille, qui implet univerſa, quique adeſt vbique, & & dicit: *Ecce adſum*, invocantibus, antequam ſponſa ſupplicationem expleret illam exaudiens, deſcendit in hortum eius, ut ipſa voluit, & fructus arborum ipſius decerpſit. Sic enim ſponſam alloquitur.

Pſalm. 146.

CAPVT V.

1 *VEni in hortum meum, ſoror mea, ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi panem meum cum melle meo: bibi vinum meum cũ lacte meo.* Deſcendi ego quidem, inquit, in hortum tuum, virgo, & pulchris fructibus tuis cupiditatem meam prorſus explevi, atque ex ardenti filiorum tuorum fide ac pœnitentiâ magnam lætitiam percepi Totum autem hoc factum eſt, meſſis myrrhæ, eſus mellis, & lactis potus. Hæc cum dixiſſet Chriſtus, & ſponſus, ut pro mellito convivio quaſi gratiam aliquam referret, ipſis Virginis filiis dat corpus ſuum. Sic enim illos, ſed dignos tantùm, quos & propinquos ſuos ita eſſe dixit, alloquitur. F

Comedite propinqui mei, & bibite, & inebriamini fratres mei. Quicunque eſtis, inquit, operibus fratres mei, corpus meum comedite, & ſanguinem bibite meum. Deinde inebriamini, inquit, præ lætitiâ, & propter ebrietatem ſtupore perculſi, omnino mundi ſollicitudinem obliviſcimini.

Ego dormio, & cor meum vigilat. Cum purus Dominus, & ſponſus ſe ſponte morti pro nobis obiecisse demonſtraſſet, carnémque non autem divinitatem omnia perpeſſam eſſe, hæc etiam ad illos, quos propinquos vocavit, loquitur: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Licet, inquit, carne, quam aſſumpſi, mortem pertulerim, nihil tamen omnino Divinitas paſſa eſt. G

Aperi mihi, inquit, *ſoror mea, propinqua mea, columba mea, perfecta mea. Quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctis.* Per *noctem* quidem ſignificat Iudæorum impetum, quo illum nocte adorti ſunt: per rorem autem, & guttas trium dierum mortem, quam *cincinni capitis*, & non ipſe ſuſcepit. Quoniam igitur, inquit, pro te mortem ſuſtinui, & propter te hæc incommoda paſſus ſum, *aperi mihi, & ſuſcipe me.* Diligo enim pulchritudinem tuam, & in virtute perfectionem. Quamobrem & ſororem meam, & propinquam meam, & columbam meam, & perfectam meam te nomino. *Perfectam* quidem quoniam lege perſcriptam tibi à me perfectionem præſtas. Ego enim dixi: *Perfecti eſtote, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Et rurſum: *Si vis perfectus eſſe, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis, & tollens crucem tuam ſequere me. Columbam* voco, quia ſpiritalis effecta es, & veterem hominem exuiſti cum vitiis & cupiditatibus, & ſpiritaliter potes intueri. *Propinquam* meam appello, quia per veſtigia mea incedis, & ad me appropinquare concupiſcis. Ego enim dixi: *Appropinquate mihi, & appropinquabo vobis.* *Sororem* denique dico, non ſolùm propter naturæ, quam ſuſcepi, neceſſitudinem, verum etiam propter pietatis coniunctionem. Sed ſponſæ Cantica rurſus audiamus. 2

H Matt. 5. Matth. 19.

Iac. 4. 8.

Vox nepotis mei pulſat ad oſtium: Aperi mihi ſoror mea. Inquit ſponſus meus media de nocte veniens. Cordis oſtium mihi, inquit, patefacito, ut in te manſionem faciam cum Patre meo. Virtutibus enim mihi profecto propinqua facta es. Quod ſi aperueris mihi,

Ex hom. X I Greg. Nyſſ. in Cant. Ioan 14. 23.

dabo

A dabo tibi manus magnum rorem capitis mei, & cincinnorum guttas: hoc est, largiar tibi curandorum hominum facultatem. Ros enim meus est hominum medicina.

3 *Exspoliavi me tunica mea, quomodo induam illam?* Ego, inquit, iam pridem fores aperui tibi. Transgressionis enim crassitudinem exui, nec sententiam unquam mutabo, ut eam iterum induam. Terrenas abstersi sordes pedibus meis, eósque in salutis semitas direxi, ne ullo unquam tempore me retro convertam, ut inquinem illos. Hæc sponsæ verba sponsus cum audisset in interiore veluti eius tabernaculo voluit habitare, sed illum, ut qui comprehendi non potest, minimè capiebat. Hoc enim manu sponsi, eáque solâ replebatur, ut ex ipsius sponsæ cantu possumus intelligere.

4 *Nepos meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.* Etsi, inquit, totum ostium aperui, ut Christum Verbum & sponsum meum B susciperem, tamen vix manus eius, eáque sola immissa est. Itaque magnitudinem ipsius maximè sum admirata. Præclarè pura virgo philosophatur. Hominum enim natura minor est, quam ut divinam admirandi Verbi naturam opinione, aut scientiâ, queat universam comprehendere.

Ex hom. XII Greg. Nyssen. in Cant.

5 *Surrexi, ut aperirem nepoti meo. Manus mea stillaverunt myrrham digiti mei myrrham plenam in manu pessuli.* Ego, ut sponsum, inquit, exciperem, aperui. At ille penetralibus meis capi non poterat. Surrexi ad laboriosum, & magis divinum ordinem, ut quem antea capere non potueram, laboribus multis, & carnis mortificatione, latiorem cogitationis portam patefaciens, sponsum comprehenderem. Vnde manus meæ, inquit, cum digitis connitentes myrrham distillarunt usque ad pessulum. Quinetiam pessulis omnibus reductis fores aperui; id est, carnis meæ membris mortificatis, animæ sensus omnes patefeci.

6 *Pandi fores nepoti meo. At ille declinaverat, atque transierat.* Quomvis fores meas patefecerim universas, non tamen Verbum & sponsum potui comprehendere.

Anima mea egressa est ut nepos locutus est meus. Sustuli mentem meam, inquit, ad cœlum, ut de dilecto C meo, aliquid intelligerem. At ille cœlo erat sublimior multo. Sic enim deinceps loquitur sponsa, & virgo.

6 *Quæsivi & non inveni illum, vocavi & non respondit mihi.* Ecquonam modo inveniri, comprehendique poterit is, qui nihil est eorum, quæ cognitione percipiuntur, non species, non figura, non locus, non quantitas.

7 *Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem: percusserunt me, vulneraverunt me.* O pulcherrimam virginis progressionem! Ecce enim ad Angelos usque progressa est. Hi námque sunt cœlestis civitatis custodes. Invenerunt enim me Verbum inquirentem, & verbis deterruerunt ac vulnerarunt. Dixerunt enim, id nullâ ratione fieri posse, ut incomprehensi comprehensio reperiatur.

D *Abstulerunt pallium mihi custodes murorum.* Velum, inquit, abstulerunt ab oculis meis, ut clariùs sponsum intuerer, qui ne ab Angelis quidem potest omnibus comprehendi. Quamobrem incertior discedens omnino, custodes, id est, Angelos etiam aversatur, quod ne ab illis quidem ingens sponsi desiderium queat imminui.

Ex hom. XIII. Gregor. Nysseni in Cant.

8 *Adiuro vos filiæ Hierusalem per potentias & fortitudines agri: Si inveneritis nepotem meum, nuntiate illi me charitate esse vulneratam. Adiuro*, inquit, *vos per agri potentiam*, id est, per divinæ charitatis vim, ut sponso desiderium meum indicetis. His quidem verbis sponsa Angelos obtestatur. At de sponsi inventione desperant etiam Angelorum chori.

9 *Cuiusmodi est*, inquiunt, *nepos tuus?* Quibus tibi insignitur notis? Vt ignaros doce nos omnia diligenter.

E *Candidus, & rubicundus, electus ex decem millibus.* 10
Ille est, inquit, verè nepos meus, qui in cruce ex immaculato latere hastâ vulnerato hominibus sanguinem & aquam mirabiliter effudit. Qui solus inter omnes ex virgine sine dolore natus est homo.

Caput eius sicut aurum Cephaz. Qui ab omni, inquit, integer, ac purus est peccati labe. *Coma eius sicut elatæ, nigræ quasi corvi.* Ornatus, inquit, comarum eius, sunt *Petrus & Paulus*, qui antea nigri, tenebrosique fuerant, & quisquis ex Gentibus baptizatus est, & ad illum accessit. 11

Oculi eius sicut columbæ super plenitudines aquarum lotæ. Illius oculi sunt Prophetæ prudentiâ simplices, & moribus admirandi. Super plenitudines, inquit, aquarum lotæ, id est, omnibus virtutibus exornati. 12

In lacte considentes, super plenitudines aquarum. Non gloriose virtutem ostentantes, sed admodum tranquillè eam excolentes.

Genæ illius, sicut phiala aromatis ferentes pigmentaria. 13
F *Labia eius lilia distillantia myrrham plenam.* Totum autem indicant hæc verba Chrysostomum, & reliquos Doctores illius æquales, Maximum, Basilium, eximium Gregorium, quorum è labris doctrinæ sermones melle dulciores emanarunt, quos qui degustans multâ implentur myrrhâ, id est, laboribus mortificant membra super terram, & simul cum Christo crucifiguntur, atque exaltantur.

Ex hom. XIV. Gregor. Nysseni in Cant. Doctores Ecclesiæ.

Manus illius tornatiles, plena tharsis. Venter eius pixis exigua, eburnea, super lapide sapphiro. Crura illius columnæ marmoreæ, fundatæ super bases aureas. 14 15
Hæc virgo pura, & sponsa custodibus, hoc est, Angelis sponsi sui pulchritudinem significans, enarravit. Tu autem mihi omnia dicta per Translationem intellige. Quoniam enim Christus solus caput est omnium: corpus autem ipsius divina est Ecclesia: membra autem corporis Sanctos esse dicimus, alium quidem collum, alium autem pedes, per *manus* eius tornatiles venerandos Apostolos accipe: divinos sacerdotum principes, fideles divinæ gratiæ dispensatores, qui seipsos omnem malitiam amputantes expoliverunt. Quamobrem spe bonorum repleti sunt. Eius iam *ventrem ac pyxidem* agnosce omnium virtute præstantium animas & corda, in quibus Dei Verbum insculptum est, qui mentes sensúsque suos ad cœlorum Regem erectos habent. Id enim *sapphirus* significat, qui solus lapis cœli speciem ac colorem obtinet. Per huius crura *Petrum* intellige Apostolorum Principem. In hoc enim Dominus in Evangeliis se Ecclesiam suam ædificaturum promisit. G

Matt. 16. 18.

15 *Species eius ut Libanus, electus ut Cedri:* Sponsi speciem verè maximam, & terribilem, admirandamque, ac divinam ex pulchra Libani altitudine coniicito.

16 *Guttur illius dulcedo, & totus desiderabilis.* Guttur eius divus ille Præcursor fuit, qui Verbi & sponsi vox dicitur. Hæc custodibus sponsa cum respondisset, illi rursus eam interrogant accuratiùs.

17 *Quo abiit nepos tuus, ô pulchra inter mulieres? Quo respexit nepos tuus, & quæremus eum tecum.* Qualis H iste sit, iam intelleximus. Nunc avemus illud etiam scire, quo descenderit. Nondum enim cognitam habent Verbi incarnationem, quam ineffabili ratione in terram descendens induit. Cuius quidem Incarnationis mysterium ne Angelis quidem ante Verbi ascensionem ad Patrem, fuisse exploratum, ex summo Prophetarum Davide cognosces. Cum enim Angelorum Christo ministrantium Ordines quando assumptus est, valde supplicarent ac dicerent: *Tollite portas principes vestras & introibit Christus rex gloriæ:* illi dispensationis, inquit, arcanum non intelligentes, ut hæsitantes responderunt. *Quis est iste rex gloriæ?* Ac sponsæ quidem custodes ita dixerunt?
Illa vero respondet
Angelis ipsis.

Ex hom. XV. Gregor. Nysseni in Cant.

Psal. 23.

CAPVT VI.

A
1 N*Epos, meus descendit in hortum suum ad phialas*
aromatis, ut pascat in hortis, & colligat lilia. At-
canâ, inquit, ille ratione descendat, sicut imber su-
per lanam, sicut ros in vellus, in vterum puræ at-
que immaculatæ Virginis vt in aromatum divino-
rum phialam mundam. Vnde sine semine progre-
diens, eo quidem modo, qui illi soli est cognitus,
in animas hominum puras influxit. Has enim tu,
Rex, *phialas aromatum* intellige. *Hortum* autem
hunc mundum, in quem descendit Christus, vt fide-
les sanctis pasceret eloquiis. Divina enim eloquia vo-
cantur *lilia*.

B
2 *Ego nepoti meo, & nepos meus mihi.* Verum, quo
planius, inquit, vos doceam, ille mibi prorsus est
similis. Ad similitudinem enim suam me prius ipse
formavit. Post autem graviter collisam renovavit, for-
mam meam ex Virgine suscipiens. Sic igitur Ange-
los sponsa est allocuta. Hæc cum Angelis sponsa lo-
quebatur, cum humanissimus Dominus & sponsus,
eam clamantem, & anxiam, ac vehementiùs sollici-
tam in se indagando conspicatus, rursus ad laudes
eius se convertit inuisibiliter.

3 *Pulchra es*, inquiens, *propinqua mea sicut bona vo*
luntas; decora sicut Hierusalem, terror sicut acies or-
dinata. Pulchra, inquit, facta es, & macula non
est in te meritò bonæ voluntati meæ comparata. Nam
tu quoque vis omnes homines salvos fieri. Præcla-
rè etiam assimilata es ipsi Hierusalem, in qua cum
patre meo requievi. Quamobrem & terrorem obii-
nes, & formidabilis es, vt Angelorum meorum acies
ordinatæ. Mihi, inquit, locutus est venerandus spon-
sus meus.

4 *Averte oculos tuos à me.* Iam coniice in me ocu-
C los tuos. Lux enim oculorum tuorum avolare me fe-
Psal. 144. vers. 19. cit, & omnia mundi negotia despexit. Sed qui vo-
luntatem diligentium se facit, confestim divinos
oculos suos in sponsam coniecit, vidensque eam
virtutibus exornatam, cœpit illam his verbis collau-
dare.

Capilli tui sicut greges caprarum, quæ apparuerunt
5 *de Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ*
ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, &
sterilis non est in eis. Sicut funiculus coccineus labia tua
& eloquium tuum decorum. Sicut cortex mali puni-
6 *ci gena tua, præter silentium tuum.* His sponsam lau-
dibus ad mulierum mores, & nuptiarum amores aptis-
simis sponsus extulit. Sed harum tu omnium expla-
nationem, Stephephore Imperator, superius à no-
bis accepisti. Quare iam Canticorum finem audia-
mus.

Imo restant adhuc duo capita cū dimidio, sed illa Psellus non explicuit.

Sexaginta sunt reginæ. & octoginta concubinæ, & ado-
lescentulæ, quarum non est numerus. Vna est colum-
ba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa est
genetrici suæ. Viderunt illam filiæ, & beatissimam
prædicabunt eam, Reginæ & concubinæ laudabunt eam.
Sapientissimus ille Salomon, mirabilis ille Propheta
tanquam in speculo Propheticis oculis, animarum,
D quæ salutem assequuntur, mores & virtutes, imo ut
I. verè dicam, ordines ac gradus aspexit. Tres enim,
ut mihi persuasi, sunt ordines qui salvantur. Aut
enim sunt filij, aut mercenarij, aut servi. Qui enim
à teneris unguiculis ex toto corde Deum rerum om-
nium auctorem optimum diligunt, & amore ipsius
mundum & quæ in mundo sunt, contemnentes, Chri-
sto Verbo & sponso coniunguntur, divinâ gratiâ fi-
II. liorum ordinem obtinent. Qui autem regni cœlestis
cupiditate adducti, ut eo potiantur, Christo dili-
genter inserviunt, in Mercenariorum loco consti-
III. tuuntur. At qui peccatis omnibus obruti, ut ego
infelix, cruciatuum, & suppliciorum formidine re-
sipiscunt, & pœnitentiam agunt, (quorum in E
numero vtinam ipse quoque sim per gratiam tuam,
ô Christe, Verbum, Salvator) in servorum qui ta-
men salvi sunt, ordine collocantur. Has classes at-
que hos ordines Salomon ille prospiciens, & divi-
no afflatus spiritu, tantò antè cernens, Verbi spon-
si potissimi Incarnationem, & quæ ipsum sine semine
genuit sanctissimam Dei genitricem Mariam, illam
immaculatissimam, quam omnibus, omnes omnium
hominum generationes, vocibus nunquam cessanti-
bus beatissimam prædicant, quæ totius mundi pe-
perit salvatorem. Tu verò Princeps, Stephephore,
cum *sexaginta Reginas* audis, eos intellige, qui sexa- F
genarium traditum numerum talentorum decem se-
xies bonis operibus multiplicantes divinâ gratiâ fi-
liorum locum sunt assecuti. *Concubinas* autem eos esse
cogita, qui talentum sibi à Domino assignatum, la-
boribus salutiferis octies multiplicantes Verbi & spon-
si facti sunt mercenarij. Innumerabiles vero *adole-*
scentulas agnosce peccatores illos, qui præ nimia iner-
tia talentum à Domino acceptum in terra defode-
runt illi quidem, sed tamen salutem obtinuerunt. In-
ter tot animas omnium hominum, qui salvantur, ut
electa columba est una illa sola quæ Christum genuit
virgo mater puella Maria, quæ puritate perfectâ Che-
rubin & Seraphin antecellit.

PERORATIO.

Mandata tua, rex, explicavimus, Ecce enim
Canticorum Canticum ad umbilicum pervenit. Quod si
Princeps optime idemque sapientissime, quæras, quid-
nam in summa ex huius Prophetici voluminis pu- G
ritate colligatur; mortalium naturam olim prola-
psam, & errabundam, Verbum, à quo fuerant con-
dita, perquisivit, inventamque atque humeris suis
impositam Dominus in cœlum sustulit, Patrique ob-
tulit, atque Angelis sublimiorem declaravit. Quod
spiritu Prophetico prospiciens Salomon, rem va-
rio, & multiplici carmine est prosecutus. Nos ve-
rò iussa tua, Stephephore, capessere cupientes, ut
imperio subiecti tuo, idem argumentum pro virili
nostra *Civilibus versibus* exposuimus. Quod si for-
tè à veritatis tramite alicubi deflexerimus, id mi-
rum aut novum nemini videri debet. Nostrum
enim erat provinciam hanc non attingere. Cum
enim hic liber spiritu totus refertus sit, non H
debet, nisi ab iis, qui eodem pleni
sunt spiritu tractari, verum
quando id ausi sumus Deus
omnipotens Christus
mihi det veniam.
* * *

FINIS.

EIVSDEM

A

EIVSDEM MICHAELIS PSELLI DIALOGVS,

de Dæmonum energia seu operatione, contra Manetem & Euchitas, seu Euthusiastas, ex Græco sermone recens in Latinum transfusus per Petr. Morellum Turonensem,

B

EX BIBLIOTH. C. V. D. IOAN. Sanctandreani.

DIALOGI PERSONÆ,

Timotheus & Thrax.

CAPVT I.

De Euchitis & Euthusiastis. Hæreticorum dogmatum cognitionem ptis non minus prodesse, quam pharmacorum lethalium medicis.



IMOTH. Longum iam, ô Thrax, tempus interfluxit, ex quo Byzantium non venisti. *Thrax*, Longum, ô Timothee, Biennium enim, & vltra, hinc peregre abfui. *Timoth.* Vbinam verò, quibusque de causis, tamdiu abfuisti? *Thrax.* Prolixiora, quam quæ huic tempori conveniant, dicendi argumenta postulas. Necesse enim est, vt Alcini apologo vtar, si dicenda sint, quæcunque subij, quæcunque passus sum in hominum impiorum consortio, Euchitas eos multi & Euthusiastas appellant. Nunquam verò & ipse de iis quippiam fando audisti? *Timoth.* Audio quidem nescio quos impios homines, & meritò execrandos in medio sacri nostri commatis, vt Comice loquar, hoc est ordinis sacro designati charactere, versari. Eorum autem dogmata, mores, leges, opera, & sermones, à nemine adhuc mihi discere contigit: Proinde te rogo, vt ea quæ nosti apertissimâ mihi narratione percurras. Si quid homini sodali, addo etiam amico, gratificati velis. *Thrax.* Missa isthæc facito, chare Timothee. Necesse est enim, vt capiti vltro mihi vertiginem accersam, si & dogmata absurda, & diabolica opera narrare occipiam, tuque lucri ex iis nihil omnino reportes. Si enim oratio, vt Simonidi placet, rerum imago est, vt sit ea vtilis, quæ de rebus vtilibus instituitur, quæ verò de iis, quæ secus se habent, non bona censeatur, quidnam tibi prodetit, cum sermones impios delineavero? *Tim.* Certè multum proderit, ô Thrax. Si quidem & Medicis lethalia nosse pharmaca non inutile sit; ne quis ea contrectans in periculum incurrat: vt taceam eorum quoque nonnulla non inutilia esse. Itaque te duorum alterum consequemur: Aut enim ex huiusmodi disquisitione & investigatione boni quippiam reportabimus, aut si quid ei lethale insit, & noxium, ab eo cavebimus. *Thrax.* Age verò, audies quidem vera, vt poëta inquit, at minimè iucunda. Quod si obscœniorum quorundam mentionem dicendo faciam, ne succenseas: neque me, qui talia tibi referam, sed eos ipsos qui agunt, incuses.

C — *Locus à D. Billio illustratus.*

D

E

CAPVT II.

De duobus Manichæorum, & tribus Euchitarum principiis.

EXecrandu huic dogmati, seu hæresi, væsanus ille Manes ansam præbuit. Inde enim ipsis Euchitis, tanquam ex fœculento quopiam fonte, principiorum multitudo profluxit. Atque sacer quidem ille, intestabilisque Manes duo eorum quæ sunt principia commentus est, Deoque Deum; bonorum creatori, malorum opificem; bono cœlestium principi, nequitiæ terrestrium principem nequiter opposuit. Hi verò cacodæmones, seu malo genio perciti Euchitæ, tertium etiam aliud principium addiderunt. Pater enim ipsis, duoque filij, antiquiora sunt & recentiora principia. Quorum patri quidem, supra mundana sola, filiorum autem iuniori cœlestia, alteri denique seniori, eorum quæ sunt in mundo imperium tribuunt. Quod quidem delirium nihil à Græca illa mythologia differt, τρίχθα δὲ πάντα δέδασται. Hoc est, Triplici sunt omnia sorte dirempta. Iam verò, patri hoc fundamento iacto, corrupti mentibus homines, hac quidem in parte inter se consentiunt, in ea verò quæ consequitur, trifariam sententiis differuntur. Eorum enim alij vtrique filio cultum divinum deferunt. Quamvis enim dissidere nunc alterum ab altero dicant, ambos tamen adorandos asserunt, quippe qui ab uno patre procedentes olim sint in gratiam rediturі. Alij autem alterum illum venerantur, tanquam melioris & supra mundanæ regionis moderatorem. Seniorem interim bonore suo nequaquam dedignantes: ita tamen vt ab ipso sibi caveant, tanquam eo, qui nocere possit. Cæterùm qui maximâ inter eos impietate laborant, cœlestis illius cultu se prorsus abdicant, terrestrémque solum *Satanaki* pectorum suorum penetralibus induunt: quem insignioribus nominibus venerantes, Primogenitum eum, qui à Patre alienus est, appellant, plantarum omnium, animalium, & cæterorum compositorum corporum creatorem, eum qui corruptionis perniciei autor est: quem ut maiore etiam honore cultuque prosequantur, Dij boni, quot contumeliis cœlestem illum lacessunt! quem invidum esse fratri dicunt: quippe qui nefando eum odio prosequatur, à quo terrestria rectè administrentur: qui etiam invidiæ fastu elatus terræmotum, grandinem, & famem inducat. Proinde cum alia ipsi imprecantur, tum & execrandum illud anathema.

F

Locus à D. Billio illustratus.

G

CAPVT III.

Quare Satanaki *Dei filius ab Euchitis dicatur, Hæresum origo à Satana. Quam cæci mentéque capti sint hæretici, qui dæmonis illusiones non deprehendant.*

TImoth. Quibus rationibus, ô Thrax, adducuntur Euchitæ, ut Satanaki filium Dei esse credant & dicant, propheticis divinisque oraculis unum ubique filium astruentibus? sanctóque illo, qui supra pectus domini recubuit, in sacris Evangelius clamante de Deo & verbo, *Gloriam quasi unigeniti à patre.* Vnde igitur in tantum errorem impegerunt? *Thrax.* Vndenam, ô Timothee, nisi quia mendacij princeps hæc ex seipso confingens, væcordium illorum mentes fascinat? Qui enim thronum se nubibus impositurum gloriatur, altissimoque similem futurum prædicat, eáque de causa deiectus est in tenebras, is ipse illis apparens, seipsum primogenitum Dei esse ait, atque terrestrium omnium creatorem, qui pro animi arbitrio quæ in mundo sunt omnia susque déque ferat: atque hoc pacto in uniuscuiusque cogitationem penetrans fucum

H

A dementibus facit, qui cum arrogantiæ mendaciique authorem esse sibi persuadere, atque vana omnia insolentiùs efferentem ludibrio habere deberent, non ita faciunt, sed in omnibus ei fidem habent, aguntúrque naribus tanquam boves: atqui poterant eum non ita multò post mendacij convincere. Si enim ab eo petiissent, vt iactabunda † illa promissionum lenocinia factis exhiberet, nihil aliud eum esse deprehendissent, quam asinum Cumanum leonis pelle amictum, quem rugire conantem ruditus coarguisset. Nunc autem velut oculis capti, auditúque privati, nec sanè mentis compotes, nec eorum quæ sunt cognatione adducti, vnum esse creatorem vident, nec idipsum attestantes scripturas audiunt, nec ad rationis examen explorant, si duo eorum quæ sunt diversi creatores essent, haud vnum fore ordinem illum, coniunctionemque, quibus omnia colligantur atque connectuntur. B Atqui asini quidem & boves, attestante Propheta, nec præsepe, nec dominum suum ignorant, hi autem domino suo longum valere iusso, eum sibi Deum elegerunt, qui creaturarum omnium abiectissimus & despicatissimus est, seque adeo ipsos pytaustæ, vt proverbio fertur, in ignem præcipitant, qui iam olim & ipsi, & coapostatis, hoc est defectionis eius consortibus, præparatus est.

† D Bil lius testi tuit μεγαλο-ρήμω, id est ia-ctabun das pro μεγαλορή-μων.

Capvt IV.

De spurcissimis Euchitarum cæremoniis, qui sacrorum initio cibos & pocula oleto & stercore perlita degustant.

Tim. Quid autem ex eo percipiunt lucri, quod abiurato cultu divino à patribus accepto, certam in perniciem ruunt? *Thr.* Certe non quid inde lucri percipiant, ignoro, nullum tamen eos percipere arbitror. Aurum enim, possessiones, & gloriolam, vt se datura dæmonia pollicentur, dare certè non possunt, quæ nihil possideant. C Initiatis autem phantasmata, igneósque fulgores, sæpe obtrudunt. *Θεοπτίας*, hoc est Dei visiones, impij vocant, quas qui spectare velint, heu, quot turpia ipsis, quotque infanda & execrabilia designant! Nam quodcumque legitimum prædicandumque dogma, faciendumve opus esse censemus, antiquantes illi & abolentes, insaniunt, imo naturales quoque leges antiquant. Atque huiusmodi contumelias literarum monumentis commendare, vnius fortasse Archilochi fuerit, hominis impuri ac petulantis. Quin & illum existimo, si adesset, memoriâ nequaquam orgia illa dignaturum esse, quippe quæ execranda detestandaque sint, nec vllâ in regione, seu Græcâ, seu Barbarâ, celebrentur. Vbi enim, & quando, & à quo auditum est vllo vnquam tempore, humidum aut siccum excrementum ab homine, venerando illo & sacro animali, degustari? quod ne rabidas quidem feras facturas esse puto, at hoc tamen execrandi illi sacrorum suorum initio faciunt. *Timo.* Quanam de causa, mi Thrax? *Thra.* Arcanum quidem sacrum, ô amice, ij noverint, qui eo initiantur, certè mihi quamlibet sciscitanti D nihil aliud responderunt, quam excrementa degustantibus benevola tandem & affabilia fieri dæmonia. Et hac quidem in parte mihi neutiquam mentiri videntur, quamvis alias veri nihil effari soleant. Siquidem nulla res est quæ spiritus adversarius æque delectat, atque si homo, cui invident, quia divinâ imagine sit insignitus, eo contumeliæ prolabatur. Hic ergo est dementiæ illorum effectus, qui communis est non solum hæreseos antistitibus, quos Apostolos appellant, sed etiam Euchitis & Gnosticis. Mysticum porro seu arcanum illorum sacrificium, ô Deus verbum malorum averruncator, quisnam verbis assequatur? Me certè, per sanctum pudorem tuum, me illa affari pudet, quæ procul dubio libens reticuero. Quia vero me precibus tuis, ô Timothee, prævertisti, & illa ut edissererem obti- E nuisti, modestè dicam, turpibus longum valere iussis, ne videar etiam, tanquam è proscenio Tragœdiam agere.

Capvt V.

Mystici Euchitarum sive potius execrandi sacrificij explicatio, quod cineribus & sanguine infantis ex incestu concepti & à se occisi constat.

Vesperi enim luminibus accensis, quo tempore salutarem domini celebramus passionem, puellis, quas sacrilegis sacris suis initiaverunt, in domum præscriptam deductis, luminibusque restinctis, ne lucem F execrandi, quod designant, flagitij testem habeant, cum puellis libidinose volutantur, in quamcunque tandem, seu sororem, seu propriam filiam quilibet inciderit. Siquidem & in hac re se dæmonibus rem gratam facere arbitrantur, si leges divinas transgressi fuerint, in quibus cautum est, ne nuptiæ cum sanguine cognato contrahantur. Et hoc quidem sacro tunc peracto, domum dimittuntur. Novem autem mensium decurso spatio, instanteque tempore, vt infandi fœtûs ex infando semine procreati nascantur, eumdem in locum denuo conveniunt, quartoque post partum die infœlices à matribus infantes depellunt, eorumque carunculis novaculâ circumscarificatis & incisis defluentem sanguinem phialis excipiunt, ipsos autem adhuc spirantes in pyram coniectos exurunt, cum postea eorum cinerem cum sanguine phialis contento miscent, pharmacumque abominandum conponunt, quo cibos & pocula inficiunt, quemadmodum ij qui melicrato venenum inspargunt. Et hæc est ipsorum communio, atque cæterorum, qui delitescens virus ignorant. *Tim.* Quid hac execrandâ corruptione tandem sibi volunt? *Thr.* Eius intermedio sibi persuadent, mi Timothee, divina illa nostris animis impressa symbola depelli atque aboleri. G Illa enim animis nostris non aliter inhærentia, quam sigillum aliquod regium in ædibus, dæmones timent & aversantur. Itaque vt dæmones in eorum animis conversari queant, væcordes illi symbola divina spurcitiis huiusmodi exagitant, talia talibus compensantes, nec se solos hoc scelere contaminare volunt, sed vt alios etiam eandem in fraudem pelliciant, pios quoque viros tentant abominandi epulones, eosque tam mirorum cibariorum apparatu clam, quidam quasi Tantali, convivio Pelopeo excipiunt.

Capvt VI.

Querela, De bonarum literarum bonorumque morum studio, Hæreticorum Antichristi præcursorum strophis & seditionibus ubique gentium profligato.

Tim. Papæ, hoc illud est, mi Thrax, quod mihi pridem paternus avus prædixit. Cum enim aliquando graviter & iniquo animo ferrem, quod cum alia bonorum virorum ornamenta, tum vero maximè liberalium disciplinarum studia pessum irent, H cum percontatus sum, numnam pristinis illis bonis accessio vlla fieri denuo posset. At ille iam senio gravis, & futurorum pleraque animo præsentiscere gnarus, sensim capitis hoios comam demulcens, & ab imo pectore suspirans, O chare fili, ô puer, inquit, censen vero fore, vt disciplinis liberalibus, aut cuivis alij virtuti, vlla vnquam fiat accessio? Tempus iam instat, cum homines vitam vel brutis animantibus deteriorem agent. Antichristi enim regnum iam pro foribus est. Cuius adventum necesse est mala præcurrere, absordas, inquam, hæreses, exlegesque actiones, nihilo Bachanalibus Orgiis illis meliores, quæque adeo Græcorum

Tragici

Tragici poëtæ in theatra invexerunt, Saturnus, vel Thyestes, vel Tantalus, filiorum se sanguine commaculantes, Oedipus nefando cum matre concubitu se commiscens, & Cinyras cum filia, ea, inquam, malorum omnium gravissima, in nostram quoque Rempublicam obreptura sunt. Sed attendito, tibique caveto, fili. Scias enim, scias, inquam, futurum, vt plerique non tantum ex indocta illâ & imperitâ populi fæce, verumetiam ex doctorum grege præcipites ea in mala ferantur. Hæc ille, vt è re nata constat, divino afflatus numine vaticiniatus est. Ego vero iam inde vsque ad hæc tempora sermones illius memoriâ repetens, te nunc talia dicentem subinde admiror. *Thra.* Est etiam mehercule, quod admireris, Timothee. Cum enim multæ perabsurdæ gentes apud Hyperboreos, multæ item circa Lybiam & Syrtim ab Historiographis esse memorentur, huiusmodi certè absurditatis flagitium nullum apud ipsos commissum, neque apud Celta audies, neque si vlla gens alia Britanniæ proxima exlex & effera sit.

CAPVT VII.

Corpora, Dæmonibus nihilo secius atque Angelis ipsis cælestibus esse, hominibusque apparere.

Tim. Certe dolendum est, mi Thrax, quod huiusmodi piaculum in hunc nostrum orbem irrepserit. At verò suis eos hæresibus intabescere, malosque male perdi sinito. Me autem scrupulus nescio quis de dæmonibus multus ante annos subortus dubium discruciat, cum aliis de rebus, tum verò, An cacodæmonibus illis, malove genio percitis Euchitis videndos se dæmones exhibeant? *Thra.* Atqui, ô bone vir, eo illorum omnium studium, conciliabulum, sacrificium, cultusque divinus tendit, nihilque non spurcitiæ ab ipsis perpetratur, quo huiusmodi præsentiæ dæmonum compotes evadant. *Tim.* Qui vero, cum incorporei sint, exterioribus oculis apparent? *Thr.* At, heus tu, dæmones incorporei non sunt, imo corporei, & circa corpora versantur, quod quidem vel ab ipsis venerandis patribus, religionis nostræ antistitibus, ediscere possumus, si modo quis ea quæ illis excutiendis necessaria sunt sedulo exequatur. Audire verò multos quoque licet, qui eos sibi cum corporibus apparuisse dicant. Quin & divinus ille Basilius rerum quæ sub aspectum non cadunt, & nobis incognitæ sunt, inspector, non dæmonibus solis, at intemeratis etiam Angelis, inesse corpora contendit, quasi tenues quosdam aëreos defæcatosque spiritus, & in dictorum suorum confirmationem Davidem illum Prophetarum omnium celeberrimum testem citat, cuius hæc verba sunt. *Qui facit Angelos spiritus, & ministros flammeos.* Quod ita se habeat necesse est. Ministris enim & in suam ablegatis provinciam spiritibus, vt D. Paulus asserit, corpore quopiam opus est, vt moveantur, & quiescant, atque adeo appareant. Nec enim fieri hæc alio modo possunt, at cuiusdam corporis intermedio ita fiunt. *Tim.* Qui fit ergo, vt plerisque scripturæ locis tanquam incorporei celebrentur? *Thra.* Et nostri & externi, atque adeo à nostra religione remotissimi & antiquissimi quique corpora illa, quæ crassiora sunt, corporea dicere solent, quod autem perexiguum est & pertenue, nec sub aspectum cadit, nec tactui exponitur, id incorporeum non solùm religionis nostræ, verum etiam externæ superstitionis antistites appellandum censent.

* * *

CAPVT VIII.

De Angelici corporis à dæmoniaco, splendorisque à solari differentiâ & discrimine.

Tim. Age verò, num nam corpus illud, quod Angelis innatum est, idem & dæmones habent? *Thra.* Apage, alterum sane ab altero permultum differt. Angelicum enim, quia extraneos nescio quos splendores emittit & eiaculatur, ideirco exteriores oculos fulgore suo præstringit, nec ab iis ferri tollerative potest. Dæmoniacum vero, an huiusmodi quondam fuerit, affirmare non ausim, fuisse tamen videtur. Cum enim qui lapsus est luciferum vocet Esaias, nunc vero tenebricosum nescio quid & obscurum est, atque visu tristificum, vtpote cognato lumine orbatum. Atque Angelicum quidem omni prorsus materiâ vacat, quo fit etiam, vt semper solidum, penetrabile, atque permeabile sit, ipsoque solari radio impatibilius. Hunc enim transparentia seu pellucida corpora permeantem ea refringunt, quæ terrena & opaca sunt, ita vt ictum quidem luminis ferant, quippe qui materiæ non sit expers, at Angelico corpori huiusmodi corporum nullum obsistit, quippe cui nihil adversetur, consentaneumve sit. Dæmoniaca vero corpora, quemlibet visum præ tenuitate subterfugiant, materiæ tamen nonnihil habent, patibiliaque quodammodo sunt eaque cum primis, quæ subterraneos specus subeunt. Ea enim illorum est constitutio, vt contactibus exponantur obnoxiave sint, percussa ingemant, & flammis admota vrantur, vt eorum, quorum nonnulla sui vestigium cinerem relinquant, quod & in Italiæ finitimis locis accidere aiunt. *Tim.* Senesco, vt in proverbio est, mi Thrax, semper nova quæpiam addiscens, vt etiamnum dæmonas quosdam esse corporeos & passioni obnoxios. *Thr.* Novi nihil est, mi Timothee, si cum simus homines, vt ait ille, multa ignoremus. Nam perbellè nobiscum agatur, si vnà cum senectute mens nobis accrescat & adaugeatur. Porro sic tibi persuadeas velim, hæc neutiquam à me, veluti commentitiis quibusdam rhapsodiis conficta esse, vt Cretensibus aut Phœnicibus moris est: scilicet hæc me vel Servatoris ipsius verba docuerunt, quæ dæmonas igne puniendos asserunt, quem quo modo patiantur, si corpore careant? Fieri enim nullatenus potest, vt quod corporis expers est, id à corpore detrimenti quicquam patiatur. Necesse est ergo, ut ipsi corporibus pœnas luant, quippe qui passioni sint obnoxij. Possum verò multa in medium proponere ab iis audita, qui se præsentibus eorum obtutibus obiecerunt. Nihil dum enim tale quicquam à me visum est, atque vtinam à me hoc absit, vt terrificos dæmonum vultus conspiciam.

CAPVT IX.

Dæmonia lucifuga, aquea, & subterranea, tanquam materia affecta passioni obnoxia esse, spermaque emittere atque ali.

CÆterum cum Monacho quodam Mesopotamiæ incolâ collocutus sum, qui cum mystes & inspector, si quis alius, diabolicorum phasmatum, seu spectrorum fuisset, ea quidem tanquam vana & falsa flocci fecit & abiuravit, palinodiamque canens veris fidei nostræ placitis subscripsit, quæ quidem à me audita & percepta edidici studiose. Itaque multa ille dixit atque declaravit absurda & diabolica. Et cum ab eo aliquando sciscitarer. Numnam sint vlli dæmones passioni obnoxij? Maximè, inquit, quemadmodum

Locus à D.B. ho[…] restitutus.

A & sperma nonnulli eorum emittunt, & vermes quosdam spermate procreant. At incredibile est, inquam, excrementi quicquam dæmonibus inesse, vasave spermatica & vitalia. Vasa quidem eis, inquit ille, huiusmodi nulla insunt, superflui autem seu excrementi nescio quid emittunt, hoc mihi asserenti credito. At verò, inquam, cos more quoque nostro ali oportet. Marcus ad hæc: Aluntur, inquit, alij quidem inspiratione, ut spiritus arteriis nervisque contentus, alij humiditate, non tamen ore, ut solemus, excepta, sed spongiarum testaceorumque piscium more adiacentem quidem humorem extrinsecùs attrahentes, posteaque concretionem spermaticam excernentes. Hoc autem non omnia patiuntur, at ea solùm dæmoniorum genera, quæ materiæ affecta & obnoxia sunt, lucifugum, inquam, & aqueum, & quodcunque subterraneum est. B

Capvt X.

Aërem, Terram, Aquas, universum denique mundum dæmonibus scatere plenumque esse.

MVltane vero sunt, ô Marce subieci continuò, dæmoniorum genera? Multa, inquit ille, & formis corporibusque omnimoda: ita ut iis plenus sit aër, & qui supra nos est, & qui nobis circunfunditur; plena etiam terra, plenum mare, plena denique ima subterraneorum penetralium loca. At vero, ni molestum tibi sit, singula sunt enumeranda, inquam. Molestum inquit ille, fuerit, si quæ semel eieci, ea in memoriam revocem. Cæterum hoc quicquid est oneris, te præsertim iubente, minimè detrectandum est. His itaque dictis multa dæmonum genera percensuit, subiunctis etiam eorum nominibus, formis, & locis, in quibus versari solent. *Tim.* Quid autem obstat, ô C Thrax, quo minus & tu nobis illa edisseras? *Thra.* Singula, vir optime, quæ tunc ab illo dicta sunt, neque sigillatim, verbumve de verbo ediscere studui, neque nunc in mentem mihi veniunt. Quid enim lucri reportaturus inde fuissem, si mente captus nomina eorum infigere memoriæ voluissem, quove loco unumquodque genus eorum versetur, quibusnam in rebus inter eos conveniant, quibus denique discriminibus inter se differant. Proinde vana hæc territamenta libens mihi memoriâ effluere passus sum, at ex multis pauca quædam recordor, quorum quicquid à me sciscitaberis, id audies.

Capvt XI.

Sex esse summa dæmonum genera, eaque triangulo scaleno, ut cœlestia isopleuro, humanaque isosceli seu æquilatero analogice respondere.

D TImoth Atqui hoc ipsum à te primum discere velim, quotnam sint dæmonum ordines? *Thra.* Sex in universum ille genera dæmonum esse astruebat, an pro locis, in quibus versantur subdividens, ignoro, an verò, quia corporum amans universum dæmonum genus est, ideo senionem quoque corporeum & mundanum esse. Eo enim continentur corporeæ circunstantiæ, & ad eius amussim mundus constitutus est, tum deinde quia numerorum primus sit hic triangulus scalenus, sive obliquus. Isopleuri enim seu æquilateri trigoni divinum & cœleste genus esse, quod æquale sit, sibique constet, nec facile ad vitium moveatur. Isoscelis autem, seu indirecti, humanum, quippe quod universum iudicio delectuve aberret, at postmodum resipiscat, & ad meliora denuo promoveat. Obliqui denique dæmoniacum, tanquam inæquale, nec ullo prorsus modo ad id quod bonum est animum appellens. E Sive igitur hoc modo se rem habere censeret, sive item alio, sex ille genera enumeravit. Primumque adeo, quod vernaculo ille sermone, eoque barbaro, *Leliurium* nominabat, quod nomine [illegible] seu igneum denotatur. Hoc autem per aërem discurrit, qui supra nos est. Siquidem ex Lunæ adiacentibus locis, tanquam ex sacro profanum quippiam expulsum esse omne dæmoniorum genus. Secundum autem, quod per aerem nobis contiguum & proximum vagatur, idque à multis proprio nomine Aërium vocari. Tertium, Terrestre. Quartum Aqueum & Marinum. Quintum, Subterraneum. Vltimum denique Lucifugum, vixque sensu præditum. Cæterum omnia hæc dæmonum genera Dei odio flagrare, atque hominibus adversari. Ad hæc aliud alio, maloque, peius esse aiunt. F Siquidem Aqueum & subterraneum atque Lucifugum etiam extremè malefica & perniciosa sunt. Hæc enim non phantasmatis & illusionibus animas lædere dicebat, sed velut efferatissimas feras insilientia hominum internecionem accelerare. Aqueum quidem, navigantes suffocans. Subterraneum autem & lucifugum viscerum, si sinantur, penetralibus sese insinuantia, & in quoscunque homines inciderint, eos occupantia, suffocantia, comitialique morbo, & phrenesi exagitantia. Dæmonas autem Aerios & Terrestres arte versutiâque mentes hominum subire & fallere, atque ad absurdos quosvis affectus & exleges impellere.

Capvt XII.

De tentationibus, titillationibus, illecebrisque dæmonum: quibus ad se pellicere conantur homines, easque potissimum qui vitiorum in se fomites minimè restringunt.

G QVi verò, inquam, quidve facientes hæc operantur? an quia nobis imperant, & quo velint, tanquam mancipia circumagunt? Non quia nobis imperent, Marcus inquit, sed quia nos commonefaciant. Phantasticum enim seu imaginativum, quo præditi sumus, spiritum subeuntes, utpote spiritus & ipsi, nescio quos affectuum voluptatumque sermones insusurrant, non quod voces aërem ferientes & sonoras emittant, sed susurros quosdam, quibus verba sua suggerunt. At fieri nequit, inquam, ut verba sine voce proferant. Fieri, inquit ille, potest, si hoc apud te reputes, Ei nimirum, qui loquitur, si sit eminus, elatiore vociferatione opus esse, qui cominus in audientis aurem sensim quæ vult insusurrat. Quod si animæ quoque spiritum subire posset, nullo ei susurro esset opus, at sermo quicunque tandem adlubesceret, tacitâ quadam viâ sine ullo strepitu ad locum sibi destinatum perveniret: quod animis etiam egressis à corporibus inesse aiunt: si quidem & ipsi inter se citra strepitum colloquuntur. Eodem prorsus modo ipsi quoque dæmones nobiscum clam confabulantur, ita ut ne sentiamus H quidem undenam bellum nobis ingruat. Nec est quod super hac re quicquam addubites, si quid in aëre accidat animadvertas. Quemadmodum enim sole lucente hic varios colores & formas assumit, atque in corpora eorum capacia transmittit, ut in speculis videre est: sic etiam dæmonia figuras & colores & quascunque voluerint formas assumentia, eas in animalem spiritum nostrum traiiciunt, eoque pacto multa nobis negocia facessunt, dum consilia suggerunt, formas subindicant, voluptatum memoriam refricant, & affectuum idola simulacrave subinde nobis, tam vigilantibus, quam dormientibus excitant, imo etiam membra ventri subiecta titillationibus & illecebris demulcent, atque in væsanos & execrandos amores succendunt & inflammant, tumque maximè, si calores humidos, nobis à

A natura insitos, cooperatores habeant. Atque hunc quidem in modum dæmones hi, assumptâ Orci galeâ, hominum animas miro artificio, miraque versutiâ conturbant. Reliqua vero dæmonum genera insulsa, ne micam quidem salis habent, neque tumultuari norunt: molesta sunt tamen, & valde abominanda, Charunæique spiritus more lædunt. Quemadmodum enim fertur ille corrumpere quicquid admotum fuerit, sive sit quadrupes, sive homo, sive volucris, eodem prorsus modo terrifica quoque huiusmodi dæmonia grauibus damnis eos afficiunt, in quoscunque tandem inciderint, quippe quæ corporibus & animis noceant: habitúsque naturales evertant, nonnunquam etiam igne, aquâ, & præcipitio, non solum homines, verumetiam animalia nonnulla periment.

Caput XIII.

Quare Dæmones in bruta animalia non secus atque in B homines insiliant, obitérque de Subterranei dæmonij lucifugique, quod mutum & surdum dicitur, energiâ & exorcismo.

Tim. Quid autem eo sibi volunt, quod in bruta quoq; animantia irruant? Siquidem id apud Gergesam in porcos accidisse sacræ testantur literæ. Quia certè hominibus hostiliter adversantur, idcirco mirum non est, quod eis malefaciant: quanam verò ratione moveantur, ut in bruta etiam animantia impetum faciant? *Thr.* Marcus ad hæc ita respondebat. Dæmones, inquiens, non idcirco impetum in animalia nonnulla faciunt, quia ullo ea odio prosequantur, aut quia eis nocere velint, sed quia mirum in modum animali calore capiantur. Nam cum in profundissimis locis versentur, quæ frigida extremè siccáque sunt, fit ut multum frigiditatis inde sibi contrahant, qua quidem contracti atque afflicti, humidum & animalem calorem appetunt, quo C vt potiantur, in bruta quoque animalia insiliunt, & in balnea, concaváque loca penetrant. Ignis enim Solísque calorem, quia urit & exsiccat, aversantur, animalem verò tanquam humiditate temperatum, libenter amplexantur, maximéque hominum, congruum quidem illum & temperatum, in quos insuli dici non potest quantum tumultum excitent, poris nimirum, quibus spiritus animalis inhæret, oppletis, spiritúque, præ corporum, quibus præditi sunt, crassitudine, velut in angustias redacto, & compresso: ex quo fit, vt & corpora concutiantur, eorúmque præcipuæ facultates malè afficiantur, motúsque obtusiores fiant, & hebetiores. Quod si dæmon irruens èx Subterraneorum genere sit, hominem possessum concutit & distorquet, atque per eum loquitur, spiritu patientis utens, non secus atque proprio quodam instrumento. Si quis autem eorum, D qui Lucifugi dicuntur, clam irrepserit, relaxationem seu remissionem inducit, vocem reprimit, & eum quem invasit mortuo prorsus assimilem efficit. Hoc enim genus, tanquam dæmonum extremum, magis terrenum est, summéque frigidum & siccum: & quemcunque clam invaserit, omnem in eo facultatem naturalem hebetat, & obtundit. Quia vero rationis expers est, omníque intelligendi & perspiciendi vi & acumine caret, phantasiáque seu imaginatione rationis experte regitur, ut ea quæ ex animalibus efferatiora sunt, eo fit, ut increpationem minimè timeat, eáque de causa meritò à plerisque mutum & surdum appellatur. Nec fieri potest, vt eorum qui ab eo correpti sint, ullus alio modo liberetur, quam divinâ potentiâ, quæ oratione, atque ieiunio conciliatur.

* * *

Caput XIV. E

Contra Medicos, energias seu operationes dæmonum haudquaquam à corruptis humoribus procedere, vt lethargus solet, &c.

AT, ô Marce, inquam, alia quædam his diversa Medici nobis persuadere conantur, dum huiusmodi affectus à dæmonibus procedere dicunt, sed potius ab humoribus, articulis, & spiritibus malè affectis, verbi gratiâ, pharmacis & diætis, seu quibusdam vivendi legibus, non autem epodis seu incantationibus & expiationibus eos curare nituntur. Nec verò mirum est, Marcus ait, quod hæc dicant Medici, qui præter illa quæ sensu percipiuntur, nihil norunt, sed solis corporibus attendunt. Cæterùm hæc meritò à malè affectis humoribus procedere censeantur, F gravedines, lethargi, atræ biles, phrenenses seu delitia: quæ quidem curant illi & tollunt, vel exhauriendis evacuandísque humoribus, vel corporis vacui repletionibus. Enthusiasmos autem, insanias, & catochas seu spiritus immundos, quibus qui correptus est (Locus à D. Billio restitutus.) & detentus, nihil quicquam agere potest omnino, neque mente, neque sermone, neque phantasiâ seu imaginatione, neque sensu: at aliud quiddam est, quod eos movet & agitat, eáque loquitur, quæ ab eo qui correptus est ignorantur: idémque futurorum nonnihil interdum prædicit, quâ, quæso, ratione hoc loco motus materiâ vitiatos appellaverimus?

Caput XV.

Energumenos, seu à Dæmone possessos, solâ virtute divinâ curari probat, historiamque subiungit Euchitæ cuiusdam præstigiatoris, qui Elasone Constantinopolim captiuus abdu- G ctus est.

Tim. Age vero, mi Thrax, num & tu Marco talia dicenti stipularis? *Thr.* Quidni assentiar, Timothee, eorum præsertim memor, quæ de dæmoniacis divina perscripserunt Evangelia? eiúsque quod viro illi Corinthio Pauli iussu obtigit, multorum etiam & mirandorum, quæ de ipsis in Patrum libris legimus eorum denique, quæ ipse his oculis Elasone vidi, & his auribus audivi. Siquidem eo in oppido vir quidam nescio quo possessus dæmone, cum pleraque Phœbadum oracula reddentium more vaticinaretur, tum de me quoque non pauca prædixit. Cum enim aliquando multitudinem eorum, quos prophanis sacris suis initiaverat, in unum convocasset, sciatis, inquit, auditores, sciatis virum quendam adversum nos emittendum, qui religionem nostram persequetur, & cæremonias nostras abolebit. Is cum multos alios, tum me quoque ipsum in vinculis habiturus est. H Cæterum quamlibet ille totis viribus conatus fuerit, vt me vinctum hinc rectâ Byzantium abducat id tamen nunquam assequetur, quamvis subinde tentet, omnibusque nervis contendat. Hæc ille prædicebat, cum ego ne vicinos quidem Byzantio vicos prætervectus essem. Quin quo etiam sim ore quo vitæ instituto, quo denique habitu, obiter subindicabat. Et hæc plerique inde venientes mihi renuntiabant. Tandem vero, cum eum comprehendissem, sciscitabar ab eo, undénam prædicendi artem didicisset. Qui cum arcanum eliminare, aut mysteria divulgare noller, Laconicâ tamen necessitate pressus, verum tandem confessus est. Dixit enim se diabolicas artes ab Alyta (vel errone) quodam Afro didicisse. Is me, inquiens, noctu in montem abduxit,

A herbamque quandam degustare iussit, mihique mox in os inspuens, & oculos nescio quibus collyriis circumlinens, multitudinem dæmonum videndam exhibuit, ex quibus quendam veluti corvum involantem, & mihi per os in præcordia penetrantem sensi. Iam exinde in hodiernum usque diem futura prædicere mihi contigit, de quibuscunque rebus & quotiescunque agitanti me dæmoni collibuerit. Siquidem sub crucis passionisque dies, atque ipsam adeo nobis venerandam resurrectionem, nihil omnino mihi, quamlibet exoptanti suggerere vult. Hæc nobis ille commemoravit. Cum autem ei satellitum meorum quidam colaphum in os infregisset, Tu quidem, inquit, iam iam pro uno hoc ictu, pluribus afflictaberis. Tu verò (ad me conversus) magnas in cute calamitates excipies. Dæmonia enim tibi vehementer infensa sunt. Quorum cæremonias evertisti. Quo & molesta tibi graviaque pericula conflabunt, quæ subterfugere nunquam poteris. Nisi te vis quæpiam maior & dæmonibus superior, ab iis eximat. Hæc mihi scelestus B ille, tanquam Phœbas quæpiam ex tripode Delphico vaticinabatur. Siquidem quæ prædixit, ea facta & adimpleta sunt omnia, parúmque abfuit, quin periculis, quæ me plurima circumvallarunt, immortuus sim; à quibus me præter opinionem Servator eripuit. Quis igitur oraculum huiusmodi conspicatus, à dæmonibus, velut in organa musica insufflantibus, factum, omnia insaniæ genera, vitiatæ materiæ motus, non autem tragicos dæmonum affectus esse dicat?

Capvt XVI.

De Armenio quodam præstigiatore, qui dæmonem ferro à puerpera Græcâ, quæ sermone quem ignorabat Armenio C utebatur, abegit.

TIm. Mirum non est, ô Thrax, quod ita Medici sentiant, quotquot huiusmodi nihil viderunt. Nam & in eadem ipse sententiâ antea fui, usque ad eum diem, quo nescio quid haud dubiè portentosum & absurdum videre mihi contigit. Quod si tibi nunc edisseram, nihil rationi dissentaneum fecero. Nec ullo prorsus modo mentiar, vir ætatis iam provectæ, in qua monasticam hancce lucernam assumpserim. Frater mihi erat natu maior, quique uxorem duxerat, cætera quidem prudentem, quæ tamen mirâ cum difficultate pareret: atque omnigenis morbis subinde afflictaretur. Ipsa puerperio aliquando ægrota decumbens supra modum delirabat, vestémque discindens, barbarum nescio quem sermonem versatili lingua immurD murabat, nec qui tunc forte aderant, eius verba intelligere poterant. Omnes igitur hæsitabondi circumstabant, nec ullum succurrebat remedium, quo adversus desperatum morbum uterentur. At nonnullæ mulieres (siquidem sexus is ad excogitandum solers, & ad incidentia mala propulsanda sagacissimus est) peregrinum hominem adducunt, recalvastrum, senio confectum, cutéque rugatâ & exustâ nigerrimum. Qui nudo gladio districto, proximè lectum astans, iratus ægrotæ comminabatur, vernaculáque sibi lingua (Armenius enim erat) multis eam conviciis lacessebat. Mulier autem & ipsa eodem ei sermone respondebat, atque initio quidem audacmsculè loquebatur, & è cubili exorgens contentiosiùs responsitabat. Cùm autem Barbarus aphorcismos seu abiurationes subinde repeteret, utráque veluti bile percitus se percussorum comminaretur, tunc muliercula metu contracta succubuit, & submisse loquens mussitansque obdormiit. Nos autem obstupescebamus, non eo quia furore correpta esset, hoc enim ei subinde accidere videbamus, sed quia sermone Armenio loqueretur mulier, quæ ne in conspectum quidem Armeniorum venisset unquam, quæque præter thalamum & E culum sciret nihil. Quam cum ad se rediisset, interrogavi, quid rerum passa esset, & num quidnam ea quæ gesta fuerant subsecutum esset. Illa diabolicum phasma seu spectrum à se visum esse respondit, umbratile id quidem, & fœminæ assimile, passis & vento expositis capillis, quod in me impetum faceret, cuius & horrore terrefacta prona in cubile reciderit, nec eorum quæ postea facta sint quicquam omnino senserit.

Locus à D. Basilio illustratus.

Capvt XVII.

Triplex quæstio ex præcedente dæmonis energia. 1. An dæmonum alij mares, alij fœminæ sint. 2. An linguis omnibus loquantur. 3. An percuti queant, patiléque sint.

F ILla quidem hunc in modum locuta, & à morbo liberata est. Ego vero exinde nescio quo ambiguitatis vinculo constrictus addubito, quonam modo dæmonium fœminam exagitans & divexans muliebre videretur. Nec enim abs re dubium suboriri possit, numnam dæmonum alij mares, alij fœminæ sint, quemadmodum animalia terrestria mortique obnoxia. Itemque quonam modo sermone Armeniaco locutum sit. Nam multum in hoc etiam difficultatis inest, Numnam dæmonum alij Græcè, alij Chaldaicè, alij Persicè, Syriacéve loquantur. Quonam denique pacto ad Epodi seu Incantatoris comminationes metu contractum sit, strictúmque gladium extimuerit. Quid verò dæmon ab ense pati queat, qui nec feriri nec occidi possit? Hæc me dubia mirum in modum exagitant, atque conturbant. Aliquaque super his mihi conG solatione opus est, cui adferendæ tu præ cæteris idoneus mihi videris, qui veterum placita calleas, & plerásque omnes percurreris historias.

Capvt XVIII.

Quinam fiat, ut dæmon modo virili, modo fœmineâ formâ appareat, eiusdémque ut aeris & nubium colores sint varij.

THr. Vellem, equidem, Timothee, eorum quæ postulas rationes reddere. Cæterùm vereor, ne operam & oleum ambo perdere videamur. Tu quidem ea quæris, quæ nullus adhuc perscrutatus est: ego H verò ea edisserere conatus, quæ reticenda potiùs, & flocci facienda fuerant. Ad hæc non ignarus hæc multorum calumniæ vel in primis exposita. Verum enimvero quia mos, ut cum Antigono loquar, gerendus amicis est, neque solum in iis quæ facilia sunt, sed nonnunquam etiam in eorum nonnullis, quæ difficultatis aliquid habere videntur, conabor & ipse hoc te vinculo expedire, ea ruminans quæ Marco dicendi occasionem præbuerunt. Dicebat enim ille, nullum dæmoniorum genus masculum aut fœmineum ex sui naturâ esse. Siquidem huiusmodi affectus compositorum sunt corporum: atqui dæmonia simplicia sunt corpora, quæ cum ductilia sint & facilè huc atque illuc inflectantur, eo fit, ut omni figuræ suscipiendæ apta & accommoda sint. Quemadmodum enim nebulas videre est, nunc hominum, nunc ursorum, nunc etiam draconum, vel quorumlibet aliorum figuram referentes, ita dæmoniaca corpora. Iam vero nebulæ ab exterioribus flaminibus, seu ventis, impulsæ varias figuras exprimunt: at in dæmonibus, qui pro animi sui arbitrio in quæcunque voluerint, corpora transeunt, & nunc quidem in tumoris diminutionem contrahuntur, nunc verò contra in longitudinis augmentum extenduntur (ut in terræ visceribus, hoc est lumbricis, fieri

videmus,

A videmus, quorum natura sit mollis atque tractabilis) non magnitudo duntaxat immutatur, sed etiam figura & color, idque variis modis. Siquidem ad utraque hæc excipienda dæmoniacum corpus naturâ comparatum est. Quia enim facile cedit, idcirco in varias transformatur species: quia verò aereum est, eo fit ut colorum omne genus capax evadat, aeris in morem. At aer extrinsecùs undecunque coloratur, dæmonis autem corpus ab insita sibi phantasticâ illâ vi & energiâ, quæ colorum species in ipsu repræsentat. Quemadmodum enim qui ex nobis metu expalluerunt, postmodum rubore suffunduntur, anima nimirum hoc vel illo affecta modo, huiusmodi affectus in corpus extrudente, idem omnino dæmonibus etiam accidere indicandum est. Intrinsecus enim sua in corpora varias colorum species emittunt. Ex quo fit, ut eorum quisque, transformato in quamcunque voluerit figuram
B corpore, colorísque cuiuspiam specie in corporis superficiem inductâ, nunc quidem viri specie appareat, nunc in mulieris formam transmutetur, quin ut leo animetur, ut pardalis insiliat, ut aper irruat, & si quando ei placuerit, in utris figuram convertatur: quin ut catellus adblandiens non rarò apparuerit. Cumque in has omnes formas subinde transeat, earum tamen nullam perpetuam habet. Nec enim solida figura est, sed quod ab aëre, verbi gratiâ, & ab aqua contingere solet, sive colorem iis infundas, sive figuram delinees, statim effluit, atque diffunditur. Eodem prorsus modo dæmones etiam se habere constat. Siquidem & in iis color, figura, & quævis eorum quæ sunt forma euanescit.

Locus à D. Billio [illegible]

Caput XIX.

C *Quare dæmonium, quo vexantur puerperæ, formâ potissimum muliebri appareat.*

HÆc sunt; Timothee, quæ Marcus, probabiliter quidem, ut conicio, edisseruit. Iam te nullius posthac conturbet oratio, tanquam maris illud fœminæque discrimen dæmonibus insit. Hæc enim in illis duntaxat apparent, eorum autem nullum in iisdem perdurare, habitúmve contraxisse videtur. Proinde illud quoque dæmonium, à quo puerpera male vexata est, qualibet in formâ fœminæ apparuerit: ne tamen tale esse, atque ita se habere, sed solam muliercula figuram oculis exhibere puta. *Tim.* Qui vero fit, ô Thrax, ut hoc aliam & aliam figuram subinde non assumat, quemadmodum alij dæmones, sed semper idem videatur. Siquidem me à plerisque audire memini θηλύμορφον, hoc est, fœminiforme dæmonium puerperis omnibus apparere. *Thr.* Et huius, ô Timothee, causam non incredibilem Marcus afferebat. Aiebat enim non omnes dæmonas eiusdem potestatis & voluntatis esse participes, sed non parum discriminis inter eos hac etiam in re esse. Sunt enim qui ratione careant, ut inter animantia composita, mortíque
D obnoxia. Quia ut in his homo, cum sit facultate intellectûs & rationis participe præditus, ideo generaliorem imaginandi vim habet, quæ ad omnia fere sensibilia extenditur, tam ea quæ in cœlo, quam quæ circa terram, & in terra sunt. Equis autem & bobus, & cæteris id genus, specialior quædam inest imaginandi vis: quippe quæ ad eorum nonnulla extendatur, quæ imaginatione comprehenduntur, & compascua sibi animantia, præsepe, possessorésque suos cognoscat. Culices denique, muscæ & vermes eandem miras in angustias contractam, nec bene sibi cohærentem habent. Horum enim singula nec foramen norunt, ex quo egressa sunt, nec locum ad quem tendunt, quove divertendum sit, sed unica, illis est soláque alimenti imaginatio. Eodem prorsus modo dæmonum quoque longè latéque diffusa genera. Siquidem & in iis alij sunt ἐμπύριοι, seu ignei, alij aërij, variâ imaginatione præditi, quamcunque tandem in rerum speciem vim imaginatiuam extendant. * Subterranei verò & lucifugi è diverso se habent.* Inde fit, ut haud pluribus formis E
otantur, quippe qui nec pluribus phantasmatum generibus præditi sint, nec corpus agile versatiléve habeât. Aquei verò & terrestres ante dictorum intermedij, ut plures subinde formas induere nequeant, in iis certè quibus gaudent, perenniter perseverant. Quotquot enim humidis in locis vivunt, molliorèque victu utuntur, in aves illi & fœminas sese transformant. Inde fit, ut eos Græci, Naïadas, Nereïdas, & Dryadas genere fœminino appellent. Quotquot autem in locis aridis, seu tesquis inhospitis versantur, eis subarida quoque sunt corpora, cuiusmodi Onosceli, quasi dicas asininis cruribus dæmones, esse feruntur, & in viros sese transformant: nonnunquam etiam canibus & leonibus assimilantur, & cæteris id genus animantibus, quæ masculis moribus prædita sunt. Itaque nihil est, quod
F mireris dæmonium, quo vexantur puerperæ, formâ muliebri apparere, cum sit lascivum, & immundis humiditatibus gaudeat, quia formam induit, quæ grato, sibique arridenti vitæ instituto respondeat.

**Alteriscis inclusa addita videntur.*

Caput XX.

De vario dæmonum sermone, pro regionum, in quibus versantur, varietate.

QVid autem sibi velit, quod Armeniacum sermonem usurpaverit, quanquam id Marcus non explicuit (nec enim ab eo sciscitatus sum) perspicuum tamen hac ratione fiet, sermonem dæmonibus peculiarem inveniri nullum posse, sive Hebraïcum eum quis, sive Græcum, sive Syriacum, sive alium quemvis barbarum
G esse dixerit. Quid enim voce sit opus iis, qui citra vocem colloquuntur? ut antea quoque dixi. Quia vero inter Gentium Angelos aliis alij præfecti sunt, aliis alij assident, singuli singularum gentium linguis loquuntur. Qua etiam de causa eorum alij apud Græcos oracula versibus reddebant heroïcis. Alij autem apud Chaldæos sermone Chaldaïco evocabantur, quemadmodum & apud Ægyptios sermone Ægyptiaco τὰς προσεγγίσεις ἐπιτελεῖν, id est, eliciebantur, ut appropinquarent, & in simulachra sibi dicata ingrederentur. Eodem quoque modo, quæ sunt apud Armenios dæmonia, quamvis aliò se fortè contulerint, eorum tamen sermone, tanquam vernaculo, & ipsa utuntur.

Caput XXI.

Ferrum dæmonia cur extimescant, imprimísque τὰ ἔνυλα, hoc est, materiæ affecta, tanquam omnium maximè meticulosa.

TIm. Sit ita sanè, ô Thrax, iam cuinam passioni obnoxia, quæso, dæmonia sunt, ut comminationes & gladios pertimescant? Quid enim ab iis
H se passura putant, ut metu contrahantur, & loco cedant? *Thr.* Non tibi soli, Timothee, his de rebus addubitare contigit, sed ego etiam antea coram Marco addubitavi, qui dubitationi meæ remedium adferens, omnia quidem dæmoniorum genera mirè audacia & timida esse dicebat: in primis autem ea, quæ ἔνυλα, seu materiæ affecta sunt: siquidem Aeria, quibus plurima solertia inest, si quis increpuerit, increpantem discernere non norunt, nec alius ab eorum vexatione liberari potest, præterquam is, qui sanctitate vitæ Deum colat, tremendúmque Dei verbi nomen divinâ potentiâ fretus accinat. Hæc autem, nimirum materiæ affecta dæmonia, verita ne in abyssos, meatúsque subterraneos relegentur, sibique ab Angelis eo relegantibus timentia, cum quis

A illa eo relegatum iri comminatur, Angelorúmque nomina exprimit, quibus id provinciæ demandatum est, dici vix queat, quanto metu, quantáque perturbatione concutiantur. Ita enim animo percelluntur, ut ne comminantem quidem, quisnam sit ille discernere valeant. Sed sive anicula quæpiam, sive vetulus vetúsque homuncio comminationes huiusmodi expresserit, tunc tantus ea metus invadit, ut plerumque abscedant, ac si ea qui comminantur, iidem & internecioni dare possint; usque adeo timida sunt, nec quenquam discernere norunt. Proinde facillimè ab impuro illo incantatorum genere excrementitiis curantur; salivis, inquam, unguibus, & capillis. Quinetiam plumbo, cerà, tenuique revincta filo, execrandísque illis aphorcismis & abiurationibus tragicas affectiones & turbas excitant.

Capvt XXII.

B *De Goëtibus & eat. verè serióque dæmonum cultui addictis, déque Marci huius resipiscentiá, & ad fidem orthodoxam reditu.*

Tim. Cur ergo, si talia sint dæmonia, ea tu & plerique alij venerabamini, cum eorum potius imbecillitas despectui habenda esset? *Thr.* Marcus ad hæc. Non ego, inquit, neque alius quisquam, qui sanà sit mente præditus, dæmonum execrando cultui nos devovemus, imo verò incantatores & abominandi viri iis adblandiuntur. Ex nobis autem quotquot ab impiis ceremoniis abstinebamus, Aeria potissimum dæmonia colebamus, iis etiam sacra facientes precabamur, ne subterraneum quod dæmonium subreperet. Nam si quod huiusmodi fortè subrepsisset, quo nos perterrefaceret, saxis etiam impetebat. Solent enim subterranea dæmonia saxis etiam obvios impetere, iactibus mitè imbellibus, eáque de causa occursum eorum aversamur. *Tim.* Quid autem utilitatis ex Aë-C riorum cultu se percipere dicebat? *Thr.* Ne de iis quidem, vir strenue, boni quicquam asserebat. Si quidem vel ipsa sese fastum, imposturam, vanámque imaginationem insolentiùs esse iactant, utróque profitentur. Ab iis enim in eos, à quibus coluntur, ignei quidam fulgores descendunt (cuiusmodi sunt scintillarum, quæ διάττοντες à Græcis, stellæque candentes vulgo dicuntur) excursu subsultantes, quos quidem fulgores insani θεοπτίας, seu Dei apparitiones vocitare audent. Quibus nihil veri, nihil certi, nihil firmi sibique constantis continetur (quid enim lucis in tenebricosis dæmonibus?) sed quæ sint eorum ludicra cuiusmodi videntur in oculorum productionibus, aut in iis quæ miracula vulgò vocantur, quæ idcirco fiunt, ut videntibus illudatur. Quamvis autem hæc misellus ego longè antea deprehendissem, & ab hac religione desciscere meditarer, tamen in hodiernum usque diem præstigiis eorum irretitus atque detentus sum, atque adeo miserrimà ego morte occubuissem, nisi tu me ve-D ram in viam reduxisses. Tanquam fax in pharo, ad discutiendam * maris illum nocte caliginem affulgens. His dictis Marcus in tantas prorupit lachrymas, ut iis genæ utrinque diffluerent. Ego autem eum consolatus, lugere tibi postea licebit, inquam, nunc vero Liberalia festivo ritu celebranda sunt, agendæque Deo gratiæ, cuius beneficio anima tua & mens à perniciosis dæmonibus liberatæ sunt.

Capvt XXIII.

Quomodo dæmones percutiantur, déque dæmoniaci à solido corpore differentiá.

Timoth. Iam hoc tu mihi discendi percupido edissere, numnam dæmonum corpora percuti possint? *Thr.* Ita percutiuntur, quemadmodum Marcus astrue-E bat, ut etiam certo ictu in cutem inflicto indoleant. Qui verò fieri hoc potest, inquam, cum sint spiritus, non autem solida compositáque corpora, quibus sensus suus & peculiaris est? Ad hæc ille, Miror, inquit, hæc ignorari, Non os in quovis homine, neque nervum, id esse quod sentit, sed spiritum iis insitum. Proinde quantumvis prematur nervus, aut refrigeretur, aut aliud huiusmodi patiatur, dolorem ex spiritûs in spiritum immissione oboriri. Nec enim fieri posse, ut compositum corpus per se doleat, sed quia spiritûs particeps est: quandoquidem in frusta dissectum vel mortuum sensu prorsus caret, quia spiritu privatum, itidem & dæmonem, cum totus sit spiritus, ex sui naturá sensûs omnibus in membris suis particeps, immediatè videt & audit, affectionibus ex tactu conflatis obnoxius, dissectus indolet, solidorum corporum instar: hac ab illis ratione differens, quod cum cætera quæ dissecantur, vix, vel nullo potius modo consolidentur, dæmonium contra dissectum statim coit & red-F integratur: quemadmodum particulæ aëris, vel aquæ, solidi cuiuspiam corporis interiectu divisæ & discriminatæ coalescunt. Tametsi autem spiritus hic vel dicto citiùs in pristinam formam redeat, eo tamen momento dolet, quo dissectio fit. Proinde gladiorum mucrones timet & expavescit. Cuius quidem rei non ignari dæmonum abiuratores, qui nihil intactum relinquunt, ut eos amoliantur & aspellant, quocunque eos accedere velle præsentiscunt, ibi acus aut gladios cuspidibus erectis infigunt, aut alia quæpiam huiusmodi excogitant & comminiscuntur, dum vel ταῖς ἀντιπαθείαις, hoc est, contrariis affectionibus & qualitatibus eos effugant, vel ταῖς συμπαθείαις, id est, mutuis rerum cognationibus & consensibus alliciunt.

Hæc sunt, quæ de dæmonibus probabiliter, ut mihi quidem videtur, Marcus exposuit.

Capvt XXIV.

G *Ex variis προγνώσεως, hoc est, prænotionis modis, quinam dæmonibus competat, propriúsque sit.*

Timoth. Hocne tibi etiam, mi Thrax, edisseruit Marcus ille, Numnam πρόγνωσιν, hoc est, rerum prænotionem * habeant dæmones, an non? *Thr.* Prognosim quidem seu prænotionem * habere dixit, quæ tamen neque αἰτιώδης καὶ νοερὰ, hoc est, causalis & intellectualis, nec ἐπιστημονικὴ scientifica sit, sed στοχαστικὴ duntaxat, hoc est, coniecturalis. Proinde ut plurimum evanida & caduca. In primis autem prosylos, hoc est, materiæ affectos dæmonas tenui admodum exiguáque prognosi præditos esse: unde nimirum fiat, ut quam minimè vel quam rarissimè verè dicant. *Timoth.* Licetne tibi de eorum quoque prognosi pertractare? *Thr.* Libens quidem pertractarem, si dicendi occasio se mihi libera offerret. At nunc tempus est abeundi domum. Vides enim quemadmodum nobis circunfusus aër nubilus imbrem parturiat. Quase cautio nobis est, ne si diutius hic sub dio considemus, pluvia tandem perfundamur, & immadescamus. H *Timoth.* Vide verò etiam atque etiam, quid agas, charissime amice, qui suspensum sermonem nostrum, imperfectámque disputationem relinquas. *Thr.* Ne tibi, quæso, rerum dulcissime, grave molestúmve hoc sit, Deo enim iuvante, si unquam tecum una eundem in locum conveniamus, quicquid huicce disputationi nostræ deesse tibi videtur, id copiose ac liberaliter supra Syracusanorum decimas repensabimus. Nicolaiibus Decembribus 1572.

* * *

Asterisci inclusa addenda videntur.

DE MANICHÆIS & Cubricis, ex D. Niceta Choniate seu Colossense, lib. 4. Thesauri Orthodoxiæ, cap. 33. ex Bibliotheca eiusdem C. V. D. Ioann. à S. Andrea.

Hi quidem Acuanitæ tandem dicti sunt: quod Acua quodam è Mesopotamia oriundo impuræ huius execrandæque hæreseos doctore usi sunt. Manichæi vero & Cubrici iam olim denominati sunt, nimirum a Manete Persa, qui Cubricus antea vocabatur, sibique postea Manetis nomen indiderat. Cæterùm hac voce Manes Babyloniorum lingua vas, vel, ut quidam volunt, dialecticus designatur. Paracletum porro seipsum miser hic Manes vocabat, Christúmque solâ phantasiâ seu imaginatione aut fictione apparuisse passúmque esse dicebat. Insuper duo principia, bonum & malum introducebat. Positis enim duobus ingenitis & æternis, Deo scilicet & materia, Deum quidem lumen, materiam autem tenebras nominabat atque lumen quidem bonum, tenebras autem malum. Vetus testamentum, & eum, qui in illo locutus est una cum omnibus suis prophetis, blasphemus ille maledictis incessebat. Vt Sol, Luna, & Astra, non secus atque Dij adorarentur, autor erat. Animarum μετενσωματώσεις, hoc est, à corporibus in corpora migrationes docebat. Carnis resurrectionem inficiabatur. Herbas, arbores, aquam, & cætera omnia animam habere contendebat, atque innumera huiusmodi alia deliramenta proponebat. Tandem vero arrogantiæ spiritu elatus, dæmonúmque à quibus ferebatur, auxilio fretus, se Persarum Regis filium morbo laborantem, pristinæ sanitati restituturum pollicitus est, eique adeo cum pharmaca curando morbo accommoda applicuisset, ex continenti puer suis in manibus expiravit. Quocirca Rex ità percitus illum in carcerem coniecit: unde custodibus pecuniâ corruptis aufugit. Tandem verò comprehensus arundinibus excoriatus est: pellisque adeo eius paleis suffarcinata in Perside servabatur: Cæterùm in eiusdem honorem Manichæi super arundinibus sibi lectos insternunt.

Manichæorum Hæreseos Confutatio.

Apostolicam vocem, qua in hominis similitudine apparuisse, habitúque inventus ut homo fuisse Christus dicitur, Manichæi male detorquentes, hæresim suam constituerunt: soláque phantasiâ seu imaginatione Christum apparuisse, & passum esse dixerunt. Nos autem, qui populus sumus, quem Christus plantavit, ipsum in similitudine hominis fuisse, habitúque inventum, hoc sensu pie intelligere didicimus, ut & credimus, eum scilicet assumptâ naturâ nostrâ, nobis æqualem & similem apparuisse, ut qui servi formam accepisset, seu naturam hominis assumpsisset, nec eam quidem humanæ conditionis ritu, sed absque semine. Quod enim ex muliere processerit, humanum ipsique Christo proprium fuit. Quod verò ex virgine, id humanâ conditione præstantius, soliúsque Christi proprium extitit. Etsi enim humanâ formâ verè præditus esset, hoc tamen hominem superabat, quod homo simplex nudúsve non esset, at divinitati coniunctus. Alioqui similitudo, ut ita dicam, & habitus, atque ipsius adverbij, Vt homo, ambiguitas, incarnationis rationi velut officere videntur. Cæterùm Dominus haudquaquam similis homini, sed perfectus homo fuit, nec tanquam in proscenio fabulam acturus, corpus, incarnationisque dispensationem confingens, subdititiam hominis personam exterius assumpsit, nec tanquam umbræ, quæ colorum adminiculo parietibus appinguntur, habitum solum, nec item hominis naturam assumpsit, ita ut non proprie homo fuerit, sed ut homo apparuerit, (hæc enim Apostoli verba in superficie præ se ferunt, si qui profundum non perscrutentur) sed natura hominis ad suam ipsius substantiam applicata, eandem cum divinitate commixtam, ita conservavit, ut neque cum illa confunderetur, aut commutaretur. Similitudinem porro quodammodo duplicem esse didicimus, quarum altera rem mutationi obnoxiam continet, altera rem eandem conservat. Imagines enim, quæ à prototypo seu exemplari processerunt, si inter se conferantur, similes, si cum exemplari conferuntur, ut quæ mutationi sint obnoxiæ, quo nimirum & exemplaris & imaginis ratio diversa servetur: inter se verò, ut quæ nullo commutari modo queant, ut nimirum exemplaris quoque imagines permaneant. Divus itaque Apostolus Deum homini similem dicit, ratione substantiæ, quæ nulli mutationi obnoxia est. Sed & habitu eum inventum esse, ut hominem, addit. Porro habitus duplex intelligitur, nimirum fictitius & verus. Rectum enim hominis habitum esse dicimus, & hic est verus, sed habitum Socratis aut Platonis ab hoc vel illo eorum qui personas in proscenijs effingunt, assumptum seu ascitum esse dicimus, quemadmodum in fabulis agendis antea moris erat: atque hic fictus & falsus habitus est. Hoc itaque loco habitus veritatem præmonstrat, habitu enim Dominus inventus est homo, hoc est ipsa humanâ substantiâ, quæ tali habitu efformata erat. Nec enim solam hominis substantiam in hypostaseos propriæ substantiam convertit, forma autem seu habitu humano, quem assumpserat, diverso, nec qualem nos habemus, præditus præcessit, sed & substantia & habitu inventus est, ut homo. Cæterùm duo principia non esse, quorum alterum bonum, alterum malum sit, vt Manichæorum astruit impietas, hinc hauddubiè perspicuum fiet. Bonum & malum inter se contraria sunt, vicissimque se interimunt, neque simul consistere possunt, quemadmodum neque lux cum tenebris subsistere potest. Proinde horum unumquodque in parte vniversi futurum est, & primum quidem horum unumquodque non solum ab vniverso, sed etiam ab vniversi parte circumscribetur. Quis enim contrarijs, nimirum bono & malo locum dederit? nec enim quis vtrumque simul eadem è domo pedem efferre, atque inter se conciliari dixerit, quandoquidem ne malum quidem malum est, ex quo pax oritur, quodque tantopere à bono amatur, neque bonum vicissim bonum est, quod quidem malo benevolum se ostendit. Quod si quis alius horum cuique propriam sedem, qua commorari possint, assignet, ille certè solus erit Deus, qui simul & semel assumpsit ea, quæ inter se vel maximè repugnabant. Proinde duorum alterum in his eveniat necesse est, nimirum ut ea inter se conveniant, seseque mutuo ferant, vel vt medium aliquod intercedat, quo bonum à malo secernatur, sitque quasi septum quoddam transversum, quo alterum ab altero dirimatur. Atque ita non iam duo, sed tria erunt principia, quorum unum cætera velut in pace custodiat necesse est, quod quidem malum præstare nequit. Nam pacem custodire malum non est. Iam quod paci custodiendæ aptum est, id verò bellum movere pugnaréque non potest. Quo fit, vt vnum principium relinquatur, idque bonum, & ab omni vitio liberum. Quod si percontari velint, undenam malum oriatur (nec enim fieri vllo modo potest, vt à bono malum originem traxerit) malum certè nihil aliud, quam boni privationem esse dicimus, atque adeo perversionem eius, quod est naturæ consentaneum in id quod est contra naturam. Siquidem nullum malum naturæ consentaneum. Omnia enim quæcunque fecit Deus, valdè bona sunt, si ratio creationis eorum habeatur. Proinde si qualia creata

sunt

A sunt, talia maneant, valde bona sunt. At si vltro ab eo quod est naturæ consentaneum ad id deficiant, quod naturæ repugnat, iam malo accensentur. Natura igitur omnia rerum opifici subiiciuntur, & obediunt, cum vero creatura quæpiam rebellaverit, & creatori suo minus morigeram se præstiterit, sibi vitium vltro accersivit. Nam vitium neque substantia, neque substantiæ vlla proprietas est, sed accidens, seu spontanea quædam ex eo quod naturæ consentaneum est, ad id quod naturæ repugnat, inflexio, quod quidem peccatum est. Peccatum autem liberæ diaboli voluntatis inventum est. Cæterùm diabolus malus est, non quod talis creatus fuerit, Angelus enim lucidissimus & clarissimus à rerum omnium opifice Deo creatus est, atque libero præditus arbitrio, quia nimirum rationis particeps, sponte verò à virtute naturæ consentaneâ descivit, & ad vitij caliginem transfugit, procul à Deo remotus, qui solus bonus & vivificus est. Ab ipso enim quicquid bonum est, bene benignéque

B factum est: & quatenus ab illo procul diverterit, volontate (nam loco non item) ad malum defecit. Vanus itaque futilisque Manes est, qui tenebris digna proloquatur, cum tenebras & materiam æterna esse, nec secus atque Deus ingenita autumat, quamvis Mosem ita dicentem audiat. *In principio creavit*, quod ex nihilo cuncta creata sint. Quod etiam simul atque lux producta est, tenebræ secesserunt. Socrates enim Sophronisci, & Plato Aristonis filius, eorúmque successores, atque alij quam plurimi ea in sententia fuerint, ut omnia ex subiecta materia creata fuisse dicerent. Quæ quidem Deo coæterna dicentes, ipsi Deo causæ nomen imponunt, non tamen materiam ipsam in malis esse definiunt. Siquidem blasphemiæ maximæ loco ducunt, si quis Deum malorum creatorem esse dicat. Atque illi quidem aliquâ forte veniâ

C digni sunt, qui neque Propheticos sermones audiverint, neque divos Apostolos viæ duces habuerint, sed solis coniecturis rerum cognitionem consecuti sint. Hi verò quales, quæso, quamque impietate dignas pœnas luent, qui cum divinis fruerentur Evangeliis, ab eorum lumine ad tenebras, more noctuarum transfugerunt? Quia enim cuilibet arti inter homines materiâ subiectâ opus est, suspicati sunt vecordes illi, ne Deum quidem ipsum quicquam sine materia creare potuisse. Nec intellexerunt quantum inter se Deus & homo differant, fierique non posse, vt imago illa omnia consequatur, quibus archetypum seu exemplar nobilitatur. Hominem præterea tanquam imaginem, si quid creet, id ex iis creare, quæ in rerum natura sunt, Deum verò, & ex iis quæ sunt, & ex iis quæ non sunt: Id quod apertè scriptura sacra testatur.

Heb. 11. a / Rom. 4. c Apostolus enim ait. *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei*, vt ex invisibilibus visibilia fierent. Item, *Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.*

D Cæterùm Moses, qui de mundi origine conscripsit historiam, docuit quænam ex iis, quæ non erant, quænam etiam ex iis, quæ erant, creaverit, tanquam mundi opifex. Quodque adeo cœlum, terram, & cætera elementa, ex iis quæ non erant creaverit. Ait enim, *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Lunam itidem ex iis quæ non erant condidit. Dixit enim Deus, inquit Moses, *fiat lux, & facta est lux.* Firmamentum autem ex iis quæ iam creata erant, produxit. *Fiat* enim, inquit, *firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* Semina insuper, & plantas terrâ emergere iussit, quemadmodum ex variis quoque animantium generibus, ea ex aquis produxit, quæ in aere volant, & quæ in aquis versantur, quæque adeo amphibia seu nunc in aquis, nunc in terra degentia dicuntur, ex terra autem quadrupedes & reptilia, hominem vero ex iis quæ non erant creavit. Nec enim, quod impia Marcionis opinio astruit, anima eiusdem cum creatore substantiæ est, sed ex nihilo creata Quod autem vetus quoque Testamentum blasphemiis incessit, necnon eum, qui in illo locutus est, antiquat &

E abolet. Atque soli etiam, lunæ, & astris cultum divinum exhibet, herbásque, arbores frondibus altè comantes, & aquas perennes animatas esse contendit, aliáque huiusmodi absurda proponit, inde ostendit, quam vere Ἀπὸ τ̃ μανίας, hoc est, ab insania denominetur, ex qua cognomen etiam Manetis eum meritò adeptum esse existimo, ut sit Manes idem quod insanus. Verum enimvero sexagesimo quoque legum civilium libro cavetur. Ne quis Manichæis ex testamento, aut ab intestato succedat, sed bona eorum publico inferantur ærario. Cæterùm iterato baptizantur Manichæi, si qui ad inculpatam nostram fidem se recipiant. Eorum enim hæresis etiamnum grassatur, Cubricorúmque vici & prædiola circa Apolloniadem, sita sunt.

DE MASSALIANIS, seu Euchitis. F

Ex eodem D. Niceta Choniatis seu Colossensis libro.

MASSALIANI, ipsa notatione nominis Εὐχῖται, hoc est, Voventes seu Precantes significant. Docent enim, Nihil aliud ad effugandos dæmonas, animamque à pravis affectibus asserendam orationis perseverantiâ efficacius esse. Idem Euphemitæ quoque, Martyriani, & Sataniani dicuntur, Euphemitæ quidem, quia cæteris orando & benedicendo Deo exercitatiores esse videntur. Martyriani autem, quia ex suis nonnullos ab Orthodoxis necisos Martyribus accenserent. Sataniani denique, quia Satanam fortem existi- G
marent, eúmque venerarentur, ne mala in seipsis, ut aiebant, operaretur.

Articuli Hæreseos Massalianorum, ex eorum libris excerpti.

QVod Satanas enypostaticè seu re verâ homini cohabitet, eique in omnibus dominetur.

2 Quod Satanas & dæmones humanum animum possideant, humanáque adeo natura spirituum nequitiæ consors & socia sit.

3 Quod Satanas & Spiritus Sanctus homini cohabitent, quodque ne Apostoli quidem, à contraria energiâ, seu dæmonum potestate liberi essent.

4 Quod neque baptismus hominem perfectum reddat, neque divinorum mysteriorum perceptio animam expurget, sed sola quæ ab illis censetur oratio.

5 Quod homo etiam post baptismum peccato inquinatus sit, quodque baptismi beneficio non fiat, sed H
orationis, ut fidelis immortali vitâ illâ, divináque veste fruatur.

6 Quod Amplexanda sit Apathia seu passionum perturbationúmve carentia, quodque spiritûs communicatio sensu, & reapse percipienda sit.

7 Quod anima tali cœlestis huius sponsi consortio frui debeat, quali tum fruitur vxor, cum in mariti amplexibus iacet.

8 Quod qui spiritu aguntur, peccatum & gratiam, tam operatam, quam operantem, interiùs & exteriùs videant.

9 Quod revelatio sit, quæ sensu divináque hypostasi fiat, qualis est dogmatis seu hæreseos eorum revelatio.

10 Quod ignis vim procreandi habeat.

11 Quod anima, quæ Christum sensu & omni actione non habeat, reptilium venenatorúmque animalium, hoc est contrariæ omnis virtutis habitaculum sit.

12 Quod natura sit fons & origo malorum.

13 Quod Maria semen & Verbum conceperit.

14 Quod etiam ante transgressionem Adam cum Eva sine vlla passione aut affectione concumberet.

15 Quod

A 15 Quod duas animas homo possideat: alteram, quæ ceteris hominibus communis: alteram, quæ cœlestibus propria sit.

16 Quod fieri potest, ut homo sensu, hoc est reapse, & omni actione Spiritum sanctum suscipiat.

17 Quod precantibus crux in lumine apparere possit, quodque aliquando quidam vir præpotens deprehensus fuerit, cum altari astaret, eique tres panes oleo pisti appositi essent.

18 Quod Euchitæ aversentur quodcunque manibus sit opus, tanquam Christianos minimè deceat.

19 Partim etiam immanitatem & sævitiam in pauperes introducunt. Negant enim eos, qui mundo renuntiaverint, vel omnino quicquam boni agere voluerint, iis quicquam erogare oportere, qui publicè mendicant, aut derelictis viduis, aut iis qui varia pericula subierunt, aut corpore mutilati, aut morbo afflicti, aut creditorum sævitiam, aut prædonum vel barbarorum excursiones, aut alias id genus calamitates experti, rerum suarum iacturam fecerint, sed sibi ipsis, qui pau-**B** peres spiritu re verâ sint, omnia eroganda & suppeditanda esse aiunt.

19 His addunt Ecclesiarum & altarium contemptum, quasi eos qui pietatem profitentur, haudquaquam in Ecclesiasticis communionibus seu Missis perseverare deceat, iis precibus contentos, quas suis in oratoriis Deo fundunt.

20 Preces enim suas tanti ponderis esse dicunt, ut sibi & iis quos instituunt Spiritus sanctus apparere sensu deprehendatur.

21 Fabulantur etiam decere, ut qui salvi esse volunt, tamdiu orent, nihil aliud prorsus agentes, donec peccatum tanquam fumum, aut ignem, aut draconem, aut id genus aliam feram vi orationis abigi, & à se exire sensu percipiant: vicissimque Sancti spiritûs efficaciam sensu excipiant: manifestúmque eius introeuntis sensum animo deprehendant. Atque hanc demum veram Christianorum communionem esse dicunt.

C 22 Negant enim in Ecclesiæ baptismo, aut clericorum electionibus, eos qui baptizantur, aut eliguntur, Sancti Spiritûs participes esse, nisi suis ipsorum precibus studiosiùs communicaverint, ita ut cuivis etiam sine baptismo, Sancti spiritûs communicatio pateat, modo assiduè suis in cœtibus versari, quæque ibi dogmata traduntur, ediscere velit.

23 Vnde cum presbyteri quædam illis obiecissent, puta quod fide non sensu nos Spiritûs sancti participes effici confitemur, Illi suis precibus sensum quoque spiritûs sancti sibi obtingere responderunt.

24 Tanto autem arrogantiæ fastu efferuntur, ut eos qui secum Sancti Spiritûs sensum percipiunt, beatos prædicent, tanquam perfectos, ab omnique peccato liberatos, nec ei amplius obnoxios: eos etiam summo prosequantur amore, venerentúrque tanquam eos qui peccati legibus iam non sint obnoxij, sed in posterum otio, ciborum licentiâ, omni largitionis genere, deliciis, honoribúsque fruantur.

25 Quorum permulti apud eos huiusmodi testimo-**D** nium perfectionis adepti, inter externos (quos ne nomine quidem Christianorum dignantur) in varias obscœnitates, pecuniarum furta, & scortationes inciderunt.

26 Hæc & pleraque id genus alia portenta flagitiorum designant, ita ut nuptias etiam legitimas facillimè dissolvant, & eos qui à nuptiis divortia fecerunt, non secus atque sui ordinis monachos asciscunt, beatosque prædicant, atque adeo persuadent, ut parentibus & liberis (quos educare debuerant) posthabitis, ad se omnia comportent.

27 Servos à dominis fugientes libenter excipiunt.

28 Quicunque variis peccatis infames ad eos accedunt, absque vllo pœnitentiæ fructu, absque sacerdotali autoritate, absque gradibus, qui canonibus Ecclesiasticis præscripti sunt, illos ab omni peccato se dicto citius expiaturos promittunt: **E** si quis modo tristissimas eorum preces apud eos meditatus extemporaneus nequitiæ magister evaserit: ita ut nonnullos etiam antequam à peccatis absolverentur, ipsi ad clericorum electiones adducant, & ab Episcopis dolo persuasis manuum impositionem extorqueant, quos nimirum testimonio eorum inescant, qui apud eos monachi censentur. Id ut faciant, non eo adducuntur, quod clericorum gradus honorabiles iudicent, qui vel ipsos, quoties collubitum est, Episcopos contemptui habent, sed ut potentiam & autoritatem sibi comparent.

29 Nonnulli porro eorum ne mysteriorum quidem communioni se unquam interfuisse aiunt, nisi Sancti Spiritûs præsentiam, quæ illâ ipsa horâ fiebat, aperte sentirent.

30 Nec desunt ex illis, qui ad virilia execanda, & præcidenda, si qui modo velint, ea hortentur.

31 Separationes, Quæ vulgo degradationes, vel excommunicationes dicuntur, facilè contemnunt.

F 32 Audacter iurant & peierant.

33 Denique suam ipsorum hæresim tacite detestantur.

EVCHITARVM HÆRESEOS
Confutatio.

DEplorandi certè sunt Euchitæ, propter multiplicem illam hæresim, atque piorum precibus sublevandi: ut tandem aliquando à temeritatis veterno excitati, Deúmque cognoscentes, à stultia illis precibus abstineant, atque dogmatum suorum seu hæreseon fabulas longum valere iubentes pietatem perdiscant. Vera enim dementia est, si quis existimet enypostaticè seu re verâ Satanam & Spiritum sanctum homini inhabitare, cum præsertim Deus hominem ex anima & corpore composuerit, alienúmque à Satanæ ditione sub ipsa mundi primordia formaverit. Idem enim ipse cœlum quoque appendit & firmavit, qui hominum **G** generi spiraculum vitæ dedit. Iam si Satanas homini cohabitaret, eique coenypostatus seu re verâ insitus esset, dominaretur, nunquam à sanctis calcatus increpatúsve, tanquam vile mancipium, nec aliter quam misellus passerculus ludibrio habitus fuisset. Alias etiam fieri non potest, ut apud unum eundémque hominem duæ contrariæ facultates, sanctus, inquam, spiritus & Satanas, simul conveniant. Nec enim illorum concursus is est, qui accidere, aut vllo unquam tempore contingere possit. Ille enim Deus est ingenitus Angelorúmque creator, hic verò Apostatica maleficáque potentia, quæ procul ab illo propter insitam superbiam exulat, iratáque Domini verbum, tanquam fulgur, una cum eiusdem rebellionis consortibus potentiis è cœlo decidit. Divino porro baptismate, Christique mysteriorum perceptione, animam, vnam quidem illam, nec duplicis naturæ, ut Euchitæ nugantur, expurgari, hominémque perfectum reddi, ipsius Dei **H** verbis constat, quæ remissionem peccatorum, spiritualémque cœlitus regenerationem baptismum appellant. Divina quoque munera seu sacramenta, cibum esse novimus, qui nunquam absumatur & pereat, qui manna ipso longe melior sit. Hoc enim exeuntes ex Ægypto Hebræi in deserto comederunt, & mortui sunt, illa verò immortalitatem conferunt, multóque meliùs animam ab animalibus maculis ei inhærentibus expurgant, quam carbo ille, qui forcipe à Cherubin oblatus est Esaiæ. Vt uno verbo absolvam, nihil aliud illa sunt, quam copula quædam cum Christo, & vera vitæ causa. Christus enim in Evangeliis dixit. Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in illo. Item, Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Oratio autem cum virtutibus coniuncta, quæ ad piam vitam introducunt, gratiam spiritûs servat, quæ per lavacrum regenerationis, & participationem

corporis & sanguinis Christi eis qui digni sunt infunditur. Nec verò sola per se ad fidei fundamentum assumenda est, nec ad salutem peccantium quicquam confert. Quò enim referetur oratio, nisi pietas illam, Deique cognitio præcedat, quem quidem sensu, hypostasi, perspicuéque videre nemini adhuc contigit eorum, qui corporis ergastulo coercentur. Paucis certè eum usque expurgatis, tanquam in ænigmatibus & visionibus obscuris apparuisse constat. Quandoquidem Moses, cum petiisset, ut Deum videret, audivit: *Nemo videbit faciem meam & vivet*, unde dignus quoque habitus est, qui posteriorum aspectu frueretur. quæcunque tandem Dei posteriora sint, qui in columna nubis, caligine, ventique turbine Mosem & iustos eum secutos allocutus est. Idem etiam Deus unus est, qui una in divinitate, hypostaseonque seu personarum trinitate dignoscitur, quem in Patre, Filio & Spiritu adoramus. Atque Mosi quidem & Prophetis personarum trinitas obscurè retecta est, in ultimis verò temporibus, cum filius Dei nostram assumpsit corruptionem, ousios divini & æterni principij cognitio orbi terrarum clare innotuit. Dicere autem malum enypostatum esse, seu re verà consistere, quid aliud est, quam manifesta impietas eorum, qui bono Deo malam quandam potentiam opponi, unáque cum eo quasi ex adverso compatere, tanquam contrarium quid censent & profitentur, quod fieri nullo modo potest. Bonum enim & malum inter se aliud ab alio penitùs constat, quia nimirum sibi invicem irrequietè repugnant, & infirmius à firmiore corrumpitur. Quod si quis iusto ea æquilibrio ponderet, ea perpetuo inter se bello dimicare, atque ex consequentia mutuam sibi inferre perniciem deprehendet, cum alternis utraque vincant & vincantur. Qui enim cuncta in rerum natura produxit, pulchra & bona omnia creavit, ut qui pulcher bonúsque sit. Nec enim vita mortem generat, nec è tenebris lumen exoritur. Qui fieri ergo potest, ut malum à Deo minimè creatum, naturâ enypostaticâ seu substantiali præditum sit? Malum esse nemo certè inficias iverit. Illud autem viventem animatámque substantiam, aut naturam nequitiæ parentem esse negamus, sed affectionem in anima dicimus, quæ idcirco virtuti repugnet, quia à pulchro & bono lapsa sit, quæ quidem affectio ignavis innascitur, at non extrinsecus aut præter animi voluntatem. Alioqui neque legibus pœnæ in facinorosos decretæ, neque supplicia in eosdem à iudicibus illata fuerunt. Quod autem malum nec in rerum natura consistat, nec à Deo productum sit, nec eidem ex adverso repugnet, hinc perspicuum fiet. Ex honesti bonique transgressionibus malorum oritur: non secus atque secedente lumine tenebræ succedunt, atque ex boni declinatione seu fuga progressus ad malum nascitur. Cum enim virtutes singulæ vitium sibi proximum habeant, nisi inconcussæ illæ firmæque maneant, contrarium sibi vitium substituunt, quemadmodum corpus quod splendori Solis obtenditur, umbram. Verbi gratiâ, fortitudo, cum tanquam virtus mediocritas sit, contrarietates utrinque timiditatem, inquam, & audaciam tacitè substitutas habet. Quandiu ergo firma & constans, suóque digna nomine manet, timiditati & audaciæ nullus superest locus. Harum verò alterutrâ obrepente, illa obscuratur, & venerandum nomen amittit, atque adeo evanescit, vitiáque à se efformata substituit, ut aerem in nubibus hypostasi seu subsistentiâ propriâ carentem, atque in Sole parelium seu areolam ambientem videre est.

At verò, qui adeo malum dici potest, quod non ij designent, qui opus omne defugiunt, nullique alij rei vacant, nisi ut ea comminiscantur, quæ à vero prorsus aliena sunt? Cum enim statim à transgressione hominem Deus in labore & sudore panem sibi comparare iusserit, & Paulus apertè exclamet, *Qui non laborat ne manducet* etiam, hi opus peccatis accensuerunt. Iam si, ut hi volunt, orationi omnes sine intermissione vacarent, nec eorum quicquam curarent, quæ ad corporis constitutionem pertinent, fame prorsus enecti mortem omnium maximè conferendam obiissent. Sed dices, ô Euchita, te herbis & fructibus, sponte suo tempore enascentibus esse contentum: quid? cum illa colligis, nonne operaris? nonne à perpetuis illis precibus ad tempus supersedes? non secus atque quo per omnium liceat ori tuo esculenta suggerere, cantiones illas precésque tuas, in perniciem tuam à te cani solitas intermittis? Absit enim, ut eas Deo te canere dicam. Vt autem interim dum ab omni opere cessandum, orationique assiduè invigilandum esse doces, persuadeas iis, quos tuis initiasti mysteriis, ut in te solum, qui orationibus invigiles, spiritúque pauper existas, beneficentiam exerceant, nullíusque alius misereantur, Christum quoque testem allegas, qui citra delectum in unumquemque eleemosynæ bonum extendendum esse tradidit, vt hoc pacto patrem imitemur, qui in cœlis est, qui Solem suum oriri facit super terram quamcunque suo lustrat lumine, & pluit super iustos & iniustos. Nisi enim eius te misereat, qui saucius est ulceribúsve scatet, cum vestias, qui nudus oberrat, eum denique nutrias, qui fame contabescit, in quemnam, quæso, alium beneficus, Deo servies? an in te ipsum? atqui hoc misericordia non est, sed divitiarum conservatio, moréisque hominis mutuo nullum amore prosequentis: imò etiam privata quædam ingurgitatio, quam nemo non vitio vertat. Absit vero à nobis tanta inhumanitas, diabolica hæc doctrina, & à Christi præceptis aliena est. Quonam autem artificio interim dum orationi vacas, peccatum tuum fumi & ignis, sive etiam cruenti draconis instar tuo excedere corpore videbis? nullo prorsus, nisi dæmonum quos colis aliquis te solâ eo adigat imposturâ, ut præstigiis huiusmodi credas, cuius etiam dolis fit, ut mente captus precibus tuis plus ponderis, quam divino baptismati attribuas ad consequendam peccatorum remissionem, manuúmque impositionem, quæ sacerdotali excellentior sit, soláque divini spiritûs accessum suggerat qui certè baptismus à nobis orthodoxis initium & fundamentum fidei censetur, atque adeo causa, quæ divinum ad nos spiritum alliciat, ut confirmare possum ex manuum impositionibus, quæ in discipulis Christi post baptismum tam efficaces fuerunt, ut palam descenderet spiritus. Idem Virgini quoque Mariæ inhabitans præparavit eam & sanctificavit, non secus atque divinum templum, ut Dei verbum conciperet: atque ita nostræ salutis primitias operatus est, simul atque Virgini virtus altissimi, patre ita volente, obumbravit. Quod verò semen Virginis uterum cum verbo subiisse fabularis, id à nullo rerum divinarum interprete unquam accepimus: at tu figmenti huiusmodi solus author es, qui certe, tanquam malum & ingratum semen, vanisque sermonibus gaudens, emersisti. Iniquissimè porro naturam quoque divinam mutationi obnoxiam esse, atque idcirco, animis, qui ea digni sunt, commisceri dicitis. Atque rerum earum quæ creatæ sunt mutatio dicitur, quæ vel electione mutantur, ut Angeli & animæ: prout in bono proficiunt, & ad malum moventur, vel quia creatæ & mutationi obnoxiæ sunt, ut quicquid corrumpitur, qualia sunt, quæ in mundo cernuntur omnia. Deus autem neque creatus, neque mutationi obnoxius est: Quia enim essentiæ eius ratio iis contraria est, quæ generationi obnoxia sunt, ea de causa nec iis subiacet, quibus illa subiacere solent. Illa enim mobilia sunt, hic autem naturâ immobilis est: & supra motus à Philosophis descriptos, quantitatis, qualitatis, & loci expers, modis denique omnibus immutabilis.

Quam impium vero hoc quoque dicitis, quod humanam naturam Deus dæmonibus servire voluerit. Hinc enim Deum quoque malorum authorem esse inferri posset: At non ita se res habet, imò vero

hominem sui iuris, & à dæmonum consortio consuetudinéque alienum Deus efformavit. Dæmonas porro potestatem natura non solum in homines, sed ne in bruta quidem ipsa exercere posse, vel hinc patet, quod illi Christo imperante in porcos ingressi sint. Verum enimvero Paulus quoque sic ait. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes, & potestates, contra spiritualia nequitiæ, aëris huius.* Quasi nobis cum illo conferre pedem formidantibus animos addens, atque his verbis exacuens. *Accipite armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias adversarij diaboli.* Enumeratâ deinde ordine armatura, hæc quoque subinfert. *State succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Evangelij pacis. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Si quis hac armatura munitus fuerit, quæ telorum iactibus ita resistit, tantóque splendore resplendet, quis dæmon adversarius ei occurret, nec potius terga vertens, aufugiet? imprimis si talibus armis instructus orationem & ieiunium asciscat, orationem, inquam, non qualem vos curiosius exercetis, quæ re vera inutilis est, nec effugandis dæmoniis idonea. Qui enim fieri potest, ut qui infidelitate gestiat, nec baptismate sit expiatus, ieiunio & oratione dæmonas eiicere possit, quamlibet fame disrumpatur, aut orationis vi & ardore præfocetur? Quorum enim fides reproba & infirma est, eorundem opera quoque inutilia sunt. Quod si Deus, ut dicitis, naturam humanam dæmonum consortem ratione transgressionis esse voluit, qui fieri, quæso, potuit, ut Christus naturam humanam peccato usque adeo obnoxiam, dæmonibus usque adeo subiectam assumpserit, ita ut ipse quoque malignorum adversariorúmque spirituum contubernalis deprehenderetur? At hoc quidem maximè impium est, imo à dæmonibus ipsis inventum & excogitatum. Hominem certè, transgressionis ergo morti adiudicavit. Naturas autem corruptioni obnoxias morbi subsequuntur. Porro vel hoc pacto ea potestate præditus homo est, ut dæmonibus insultare, iéque ex illorum laqueis extricare possit, si modo Dei præcepta observare pergat, eiúsque mandatis obtemperare. Dæmonibus hoc quoque vicissim datum est, ut eum chamo & fræno, quibus nos à Deo distrahunt, aliquando nobis ob oculos proponant, aliquando clam suggerant, aliquando denique dolose simulent, tacitéque obtrudant, quæcunque à recto cursu in præcipitia trahunt. Papæ, Quantum delirastis etiam, cum ne verbi quidem mystas & comites à dæmonum potestate liberos fuisse dicitis. Eósne, ô ter execrandi, qui dæmonas eiiciebant? qui vel solis umbris infirmos curabant? qui dæmonas sæpe, non secus atque vilia mancipia increpabant? qui scorpios & serpentes, omnem denique inimici potentiam pedibus proterebant? O scelus, nullâ unquam veniâ dignum! O dictum ab omni ratione alienum, cuius authores digni sunt, qui pugnis conficiantur! Quemadmodum ij quoque qui dicunt ab eorum animâ, qui quod apathiam adepti sunt, hoc est perturbationis vacuitatem consecuti, perfecti apud vos habentur, tale consortium ex cœlestis sponsi præsentia percipi, quale fœmina ex mariti complexu percipere solet. O apertam dementiam, seu potius omnium maximè absurdam comparationem! si saltem ignorant se rebus divinis & castissimis contumeliam adferre, quod eas cum pathicis illecebris & titillationibus conferant, pruriliúmque cylindrorum fluxus effrenatâ suâ audaciâ iis coniunctionibus adaptent, quæ ab affectibus huiusmodi alienissimæ sunt. Si denique res divinas præ imperitia cum humanis comparent.

Ephes. 6

Nec vero à prædictorum blasphemia abhorret, quod dicitis animam eius, qui prius sit apathiam consecutus, in divinam transmutari naturam. Ita ut vestra illa decantatissima oratio etiam natura Deos proferre, eósque gregatim apud vos, ô ridiculi homines, quibusdam quasi stabulis simul includere norit: qui non solum Deorum gentilium multitudinem numero superent, sed etiam quia gradus eorum consistant in primis accubitibus primísque sedes in cœnis & cœtibus hominum. Ita ut hoc pacto rursum mortales evadant, nec iam ulla in admiratione sint, sed misericordiâ digni videantur, ob deificationem illam, quæ in ore est omni populo. Præterea fieri posse dicitis, ut homo qui apathiam vestram, sit adeptus, divini spiritûs hypostasin sensu & plenè percipiat. At hoc qui, quæso, fieri potest? quove fidei ante iacto fundamento? Nam nos etiam dicimus & credimus, quod iis qui ut expiari decet expiati sunt nescio quæ non dicam descensio hypostatica, sed præsentia patris, filij, & spiritûs obtingit. Prout dominus quoque dicit. *Ego & pater veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Et prout homo Dei capax esse potest. Porro non ea est creatæ naturæ vis, ut divinitatem intueri queat, prout natura se habet, quia nimirum immensa & infinita est. Quid superest? Græcorum certè sibilamenta redoletis, cum homini duas esse debere animas contenditis, quarum altera hominibus communis, altera verò cœlestis existat. Verùm enim verò nulla huic commento subtilitas inest. Illi enim alteram luminosam, alteram tenebrosam esse dicunt. Cæterùm ambas simul eidem homini non attribuunt, sed vicissim. Vos autem hoc quoque dicitis, quod auditoribus tædium adferat. Insufflavit enim, ut Moses ait, in homine spiritum viventem. Hæc iam una est anima. Christus item in Evangeliis inquit. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt.* Et Paulus in Troade, ubi de Eutychio illo differit, qui ex tertio cœnaculo deciderat: *Nolite timere, anima enim eius in eo est.* Sed nullus adhuc, aut inter Christianæ religionis homines, aut inter externos inventus est, qui δίψυχον, hoc est duplici animâ præditum hominem dixerit. Præter illa quæ à me adducta sunt fama circumfertur eunuchismum, seu virilium membrorum exsectionem apud vos illis haud accenseri, quæ procul ab hominum cœtibus aspellenda sunt. Vellem igitur, quamvis hoc voto natura humana mutiletur, & adulteretur, ut vestra synagoga ab iis omnibus excindi posset, quibus natura membrum illud attexit, atque ita generis successione privati pessum prorsus cum vestris omnibus hæresibus daremini.

***

FINIS.

A

SANCTI ANSHELMI LVCENSIS EPISCOPI,

CONTRA GVITBERTVM Antipapam,

B *PRO DEFENSIONE GREGORII VII. legitimi Pontificis Romani.*

LIBRI DVO

EX BIBLIOTHECA ECCLESIÆ Cathedralis Ratisbonensis,

PER HENRIC. CANIS.

EX TRITHEMIO, de Scriptoribus Ecclesiasticis.

C ANSHELMVS *Episcopus Lucensis, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & in sæcularibus litteris non infimè doctus, Gregorij Papæ VII. Cooperator indefessus & contra Guitbertum ei subordinatum ab Henrico defensor egregius, adeo ut omnia eius facta, dicta, vel scripta contra Henricum Imperatorem auctoritate Iuris & scripturarum defenderet, reliquit ingenij magni monumenta clarissima, quibus nomen suum ad posteritatis notitiam cum gloria transmisit. E quibus exstant. In Hieremiam Prophetam lib. 1. In Psalterium quoque lib. 1. contra Guitbertum Antipapam lib. 1. Et plures Epistola ad diversos, lib. 1. Claruit sub Henrico IV. Anno Domini* 1080. Hæc Trithemius. Eadem fere Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ. Verum autem libri isti aliquando D sint typis excusi, incompertum habeo. Nullum certè exemplar, quamvis studiose indagatum reperire potui. Quocirca licet editi fuissent, pro ineditis tamen ob raritatem meritò censeri possent.

ABBAS VRSPERGENSIS In Chronico.

Scripsit posthac Anshelmus Lucensis Episcopus, Epistolam ad eundem VVigbertum, in qua illum prævaricatorem ac superbum cognominat, inter alia subinferens, ut ergo de beato Gregorio patre nostro dicam quod de Cornelio scripsit beatus Cyprianus factus est Episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de Clericorum pene omnium, & ut verius dicam, omnino omnium testimonio, de plebis, quæ tunc aderat, suffragio, de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Alexandri locus, id est, cum E *locus Petri, & gradus Sacerdotalis cathedræ vacaret. Quo occupato, & de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensu ordinato, quisquis iam Episcopus voluerit fieri, foras fiat necesse est, nec habet Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem. Quisquis ille fuerit, licet multum de se iactans, sibi plurimum vendicans, profanus est, alienus est, foris est. Et cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus debet esse, factus est, iam non secundus ille, sed nullus est. Hac priori sententia* (adversariorum Gregorij septimi) *valde contraria scripsit Anshelmus Episcopus, vir literis apprime eruditus,* F *ingenio acutissimus, facundiâ præcipuus, & quod omnibus maius est, in Dei timore & sancta conversatione nominatissimus, adeo ut tam in vita, quam post mortem referatur miraculis clarus.* Hæc Vrspergensis.

Ad hanc Epistolam alludere vel respicere videtur ipse Anshelmus, cum initiò primi libri sic alloquitur Guitbertum. Scripsi tibi pauca cum molto dolore & sinceræ charitatis affectu, ut cognoscens errorem tuum redires ad cor, &c. Sed quia verba tua iniquitas & dolus, &c. audi interea, &c.

Ex Bellarm. de Script. Ecclesiasticis.

G SAnctus Anshelmus Mantuanus, Episcopus Lucensis ab Alexandro II. creatus, ac deinde, cum in Monasterium se abdidisset, à Gregorio VII. ad Episcopatum revocatus sanctitate, & miraculis clarus obiit Anno Domini 1086.

Scripsit *libros duos ex Patrum sententiis, pro Gregorij VII. decreto, & rebus gestis contra Henricum Imperatorem, & contra Guitbertum Antipapam*, qui extant apud Henricum Canisium tomo 6. antiquæ lectionis.

Scripsit quoque *in lamentationes Hieremiæ, & in Psalmos aliquot explicationem*: quæ duo posteriora opera utrum extent, ignoro, post obitum innumeris miraculis floruit: vide Annales Cardin. Baronij ad annum 1086. tomo 11.

*INCIPIT LIBER PRIMVS Sancti Anshelmi Lucensis Episcopi, contra * VVibertum & sequaces eius.*

H * Vuibertum.

PRoprivm est bonarum mentium ibi metuere culpam ubi non est, reproborum verò, se præferendo, alios de fatuis sensibus, alios de indignis meritis reprehendere. Redargui despiciunt, dum se redarguentibus, sapientiores suspicantur: ea quæ intelligunt, aliis libenter dicunt, ut plus illis tam subtilia, & iam utilia, & aliis ignota videantur scire. Cum habent intelligentiam, non seipsos sed semper alia, ut plus videantur scire, scrutantur, nec scrutantur sua facta, sed aliena investigant. Sed iusto omnipotentis Dei iudicio agitur, ut quia non habuerunt timorem Dei, & non proposuerunt Deum ante conspectum suum, & in lege eius noluerunt ambulare, divitias quas devoraverunt, evomant, & de ventre eorum extrahat eas Dominus. Et sicut dicit Apostolus, quia non probaverunt Deum habere in notitia, *tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Rom. 1. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugit fictum, & aufert se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Esa 66. *Super quem*, inquit: *requiescam, nisi super humilem* Prov. 3.

&

A *& mansuetum, & tementem verba mea?* Et alibi: *cum simplicibus sermocinatio mea.* Quo recedente, veternosus serpens tantum virus insipienti obscuratoque cordi infundit, & ita totum veneno mortiferæ deceptionis mancipatum sibi servum inebriat, vt amarum dulce, & dulce amarum sapiat, ut tenebras lucem, & lucem tenebras credat, bonum denique malum, & malum bonum asserat: sicque fit, vt ex duobus convenientibus immundis Spiritibus, plenitudo superbiæ firmata, dæmoniacis humanisque contagiis, desertam vacantemque domum, omnium vitiorum comitatu stipata, circa finem mundi occupet, occupatam possideat, possessam prostituat vt minor iam videatur in capite, & quasi per incrementa temporum in ætate perfecta profecisse. Diabolus enim dixit: *ponam sedem meam ad aquilonem, & ero similis altissimo*: De patre vero vel socio tuo dicit Apostolus: *Qui extollitur supra omne quod dicitur aut quod colitur Deus.* Esai.14. 2.Tes.2.

B Audi itaque sceleratissime omnium, qui sic mihi iam nominandus es, eo quod latrare non timuisti contra Dominum & Magistrum tuum: cognosce quæ propria sunt. Scripsi tibi pauca cum multo dolore & synceræ charitatis affectu, vt cognoscens errorem tuum redires ad cor, & pœnitentiam ageres delictorum tuorum. Sed quia verba tua iniquitas & dolus, & noluisti intelligere vt bene ageres, audi interea, Ezech.9 quæ Dominus contra te per Prophetam clamat; *Hæc dicit Dominus Deus. Ista est Hierusalem, in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terram: Et contempsit iudicia mea, ut plus esset impia quam gentes, & præcepta mea ultra quam terra quæ in circuitu eius sunt. Iudicia enim mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulaverunt. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & ipse ego faciam in medio tui iudicia in oculis gentium, & faciam in te quæ non feci, & quibus similia ultra non faciam propter omnes abominationes tuas. Ideo patres comedent suos filios in medio tui, &* C *filij comedent patres suos.* Hæc itaque cum videas tuis temporibus impleta, & veritas dicat: *faciam quæ nunquam in te feci, & quibus similia ultra non faciam*; quando quidem abominatio nova & inaudita tui temporis te & Dominum tuum. N. & per vos complices vestros novæ addicat maledictioni; tibi etiam necesse est, si vis salvus esse, inauditum iudicium ascribas: *Ista est mater Hierusalem*, & reliqua: Adultera siquidem quæ nunc est in parte tua, olim videbatur Hierusalem, sancta videlicet Ecclesia, filia Regis David Sed, prô dolor, corrupta est à fratre suo, & constuprata vsque ad verticem. Omnis decor eius recessit ab ea, facta est quasi vidua domina gentium, quia Rex Babylonis possidet eam. Cum enim Dominus dicat B. Pe- Mat 16 Ioan. 21 Cant.6. tro, *Tibi dabo claves regni cœlorum*, & *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, & *pasce oves meas*, & alibi, *Vna est columba mea*, quæcunque alterius iuris vsurpatione corrumpitur, non tam sponsa Christi, sed adultera, non libera, sed ancilla convincitur, sicut dicit beatus Ambrosius: Ambr. *Convenior à Comitibus, & Tribunis, vt per me Basilicæ fieret matura traditio. dicentibus Imperatorem iure suo iussisse, ut quæ in potestate eius* D *essent, omnia tradi debere? respondi. Si à me peteret quod meum est, id est, fundum meum, argentum meum, ius huiusmodi meum, me non refragaturum, quamquam omnia quæ mea sunt, pauperum sint, verum ea quæ divina sunt, Imperatoriæ potestati non esse subiecta*: Et paulo post: *Nec mihi fas est tradere, nec tibi Imperator accipere expedit. Domus privati nullo potest iure temerari, domum Dei existimas auferendam? Allegatur Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo: noli gravare te Imperator, ut putes te in ea quæ divina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus: Scriptum est enim: Quæ Cæsaris Cæsari, quæ Dei Deo. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius est commissum, non sacrorum. Iterum dicitur mihi mandasse Imperatorem. Debeo & ego unam Basilicam* E *habere. Respondeo: Non licet tibi ullam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera enim est quæ non est legitimo Christi coniugio copulata. Veteri iure à Sacerdotibus donata imperia non usurpata.*

Constat itaque quia Ecclesia hæc non est vera Ecclesia, sed adultera: cum sicut beatus Cyprianus dicit: Cyprian *Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ iungitur à promissis Ecclesiæ separatur; nec perveniet ad Christi præmia, qui reliquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est, habere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.*

Vnde & beatus Gelasius inter cætera dicit: Gelasius *Ad sacerdotes Deus voluit, quæ Ecclesiæ sunt, disponenda pertinere, non ad sæculi potestates, quæ si fideles sunt, Ecclesiæ suæ & sacerdotibus voluit esse subiectas. Non sibi vendicet Imperator alienum ius, & ministerium quod alij deputatum est.* Et paulo post: *Obsequi solere Principes Christianos Ecclesiæ decretis, non suam præponere potestatem.* F

Noli itaque dicere, quia vniversalis Ecclesiæ curam suscepimus. Quomodo enim tibi commissa est Ecclesia, quem constat non intrasse per ostium, quod Christus est sed aliunde ascendisse vt furem? Apostolica enim & vniversalis Ecclesia suum habebat pastorem. Vt enim de beato Gregorio patre nostro dicam, quæ de Cornelio scripsit Cyprianus, Cyprian *factus est Episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de Clericorum pene omnium, & ut verum dicam, omnino omnium testimonio, de plebis quæ tunc adfuit suffragio, de Sacerdotum antiquorum & virorum bonorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Alexandri locus, & cum locus Petri, vel gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret. Quo occupato & de Dei voluntate atque omnium nostrûm consensu ordinato, quisquis iam Episcopus fieri voluerit, foras fiat necesse est, nec habeat Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem. Quisquis ille fuerit licet de se multum iactans, & sibi plurimû vendicans, profanus est, alienus est, foris est, & cui post primum secundus esse non possit, quisquis post unum qui solus esse debet, factus est, non secundus ille: sed nullus est.* G

Hæc sunt iudicia Dei, quæ proiecistis, & præcepta in quibus ambulare noluistis, omnium gentium iniquitatem supergressi, cum in infernum viventes descendistis. Omnes itaque gentes in comparatione vestri sceleris iustificatas credimus, quia post donum acceptum sancti Spiritûs, virtutesque superventuri sæculi non solum sicut Deum glorificare noluistis, sed contra præcepta eius leges iniquas statuentes, omnem vobis aditum veniæ interclusistis, nisi ad vnitatem matris Ecclesiæ vnde præcisi estis redeatis, quæ sola ius ligandi & solvendi possidet. Dominus namque dicit: *gratis accepistis gratis date. Qui non intrat per ostium, non est pastor ovium. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlo.*

Rex autem tuus sine intermissione vendit Episcopatus suos, edicta proponens, vt nullus habeatur Episcopus, qui à Clero electus, vel à populo fuerit expetitus, nisi præcesserit honor regius, quasi ipse sit huius ostij ostiarius, de quo veritas dicit: *Huic ostiarius aperit.* Mat.10. Ioan.10. Mat.18.

Tu vero aliunde ascendisti, & non vocatus à Deo accessisti, noli vsurpare tibi tanti curam regiminis. Sicut enim iam dictum est, si Gregorius in Ecclesia fuit, qui apud te etiam constitit, & iudex à nullo condemnari potuit, manifestum est te ab Ecclesiæ radice præcisum aruisse, nihilque habere potestatis ac iuris. Sicut enim beatus Cyprianus dicit, scribens Magno Presbytero: Ioan.10. H Cyprian. *Ecclesia una est, quæ intus & foris esse non potest: Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit. Si verò apud Cornelium fuit, qui Fabiano Episcopo legitima ordinatione successit, Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest.* Et paulo post: *Invenimus in tali facinore non solum duces & authores, sed & participes pœnis destinari nisi se à communione malorum separaverint, præcipiente per Moysem Domino: Separamini à Tabernaculis hominum istorum durissimorum, & nolite tangere ab omnibus, quæ sunt eorum ne simul pereatis* Num.16.

A *in peccato eorum. Et qua comminatus Dominus per Moysen fuerat implevit. Vt quisque se à Chore & Dathan & Abiron non separasset, pœnas statim pro impia communione persolveret. Quo exemplo ostenditur & probatur obnoxios omnes culpa & pœna futuros qui se Schismaticis contra præpositos & Sacerdotes irreligiosa temeritate* Osea 9. *miscuerint, sicut etiam per Osea Prophetam Spiritus sanctus contestatur & dicit:* sacrificia eorum tãquam panis luctûs omnes qui manducant ea contaminantur: *docens scilicet & ostendens omnes omnino cum autoribus, supplicio coniungi, qui fuerint eorum peccato contaminati.*

His & aliis innumeris salutaribus præceptis admoniti detestamur non sacramenta Ecclesiæ, sicut tu mentiris, sed Schismaticus & sacrilegos quorum parricidalibus manibus, sese Sacramenta divina subtraxerunt, & cum Catholica matre nostra Ecclesia persequar inimicos eius, nec convertar donec deficiant. Sanctum quippe suum quod foris habetis, quod malo vestro ac- B cepistis, quia bono odore peristis, veneratur Ecclesia, sed vos persequitur, vt Sara ancillam, quæ tamen de semine Abrahæ concepit & peperit. Intellige itaque quomodo persequatur adhuc ancillam domina, vt docearis quæ sit persecutio beata, & scias quomodo nec pro iustitia Christianis iurgandum sit, cum competenter exponi tibi permiseris, vt addatur adversus Catho- Luc. 14. licos, & non redarguas Christum qui dicit: *compelli te intrare*, & alia multa, quæ in consequentibus posita audies.

Aug. Gal. 4. Dicit beatus Augustinus adversus Donatistas. *Si Ecclesia ipsa est quæ persecutionem patitur, non quæ facit, quærant ab Apostolo quam Ecclesiam significabat Sara, quando persecutionem faciebat ancilla. Liberam quippe matrem nostram cœlestem Ierusalem; idem verum Dei Ecclesiam in illa muliere dicit fuisse præfiguratam, quæ affligebat ancillam. Si autem melius discutiamus, magis illa persequebatur Saram superbiendo, quam illam Sara coercendo. Illa enim dominæ faciebat iniuriam, ista imponebat superbiæ disciplinam. Deinde quæro si boni & sancti viri nemini faciunt persecutionem, sed tantummodo* Psal. 17. *patiuntur, cuius putant in Psalmo vocem ubi legitur:* per- C sequar inimicos meos, &c. *Si ergo verum dicere vel agnoscere volumus, est persecutio iniusta quam faciunt impij Ecclesiæ Christi. Ista namque beata est quæ persecutionem patitur propter iniustitiam.* Item. *Quod autem dicunt, qui contra suas impietates leges iustas institui nolunt, non petisse à Regibus terræ Apostolos talia, non considerant aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat Imperator: qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo serviret, quando adhuc Propheticum complebatur:* Quare Psal. 2. fremuerunt gentes, *& reliqua. Nondum autem agebatur* Ibid. *quod paulo post in eodem Psalmo subditur:* Servite Domino in timore: *Quando enim reges serviunt Domino in timore, nisi ea quæ contra iussa Dei fiunt religiosa severi-* Act. 9. *tate prohibendo atque plectendo?* Idem alibi: *Vbi est quod isti clamare consueverunt? Cui vim Christus intulit? Quem coëgit? Ecce habent Paulum Apostolum. Agnoscant in eo prius cogentem Christum & postea docentem, prius ferientem, & postea consolantem.* Item: *Non mihi* D *placet, ut omnes habeant occidendi licentiam, nisi fortè sit miles, aut publicâ functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipse est, acceptâ legitimâ potestate, si eius congruit personæ. Qui vero repelluntur aliquo terrore, ne mala faciant, etiam* Mat. 5. *ipsis fortasse aliquid præstatur. Hinc autem dictum est, non resistamus malo, ne nos vindicta delectet quæ alieno malo animum pascit, non ut & correctionem hominum negligamus, unde nec reus mortis alienæ, qui cum sua possessioni muros circumduxerit, aliquis ex ipsorum casu percussus intereat: Neque enim reus est Christianus, si bos eius aliquem feriendo, vel equus calcitrando aliquem occidat, aut ideo non debent Christiani boves habere cornua, aut equus ungulas, aut dentes canis: At verò quomodo* Act. 23. *Apostolus Paulus sategit, ut in tribuni notitiam perferretur, insidias sibi à quibusdam perditis parari, & ob hoc deductores accepit armatos? Si in illa arma scelerati homines incidissent, Paulus in effusione sanguinis eorum suum crimen agnosceret? absit ut ea quæ propter bonum & licitum facimus aut habemus, si quid per hoc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur.* Item. E *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus, in Evangelio diceretur, ut abiicerent arma, seque militiæ omnino subtraherent. Dictum est autem eis:* Neminem concusseritis, neque calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium ve- Luc. 3. strum. *Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit.* Item ad Bonifacium: *Grave de pugna conquereris? dubites nolo, utile consilium tibi tuisque dabo: arripe manibus arma, oratio aures pulset auctoris quia quando pugnatur, Deus apertis cœlis spectat, & partem quam aspicit iustam defendit, & ibi dat palmam.* Item: *Noli existimare neminem Deo placere posse qui armis bellicis ministrat. In his erat sanctus David, cui Dominus tam magnum perhibuit testimo-* F *nium, in his etiam plurimi illius temporis viri: In his erat Centurio ille, qui Domino dixit:* Non sum dignus vt in- Mat. 8. tres sub tectum meum. *Hoc ergo primùm cogita, quando armaris ad pugnam, quia virtus etiam tua corporalis donum Dei est. Sic enim cogitabis de Dei dono non facere contra dominum: Esto ergo bellando pacificus, ut eos quos expugnas ad pacis utilitatem vincendo perducas.*

August. Idem Augustinus Donato Presbytero: *Displicet tibi quod traheris ad salutem cum tam multos nostrûm ad perniciem traxeris. Quid enim volumus nisi te comprehendi, & præsentari, & servari ne pereas?*

Pelag. Pontif. Pelagius Papa. *Non vos hominum vaniloquia retardent dicentium, quia persecutionem Ecclesia faciat, dum vel ea quæ committuntur reprimit, vel animarum salutem requirit: Errant huiusmodi rumoris fabulatores: non persequitur, nisi qui ad malum cogit. Qui vero malum vel iam factum punit, vel prohibet ne fiat, non persequitur iste, sed diligit. Nam si ut illi putant nemo nec reprimendus à malo, nec retrahendus ad bonum est, humanas ac divinas leges necesse est evacuari, & quæ & malis pœnam, & bonis præmia iustitiâ suadente constituunt. Malum autem schisma esse & per exteras etiam potestates huiusmodi* G *opprimi debere, & Canonica scripturæ authoritas, & paternarum nos regularum veritas docet* Item alibi: *Nec putetis alicuius esse peccati si huiusmodi homines comprimantur. Hoc enim & Divina gratia & mundanæ leges statuerunt, ut ab Ecclesiæ unitate divisi, à secularibus etiam potestatibus comprimantur, nec quidquam maius est, unde Deo sacrificium possitis offerre, quam si ed ordinetis, ut hi qui in suam & aliorum perniciem debacchantur, competenti debeant vigore compesci.*

Hierony mus. Hieronymus super Ezechielem libro tertio: *Qui malos percutit in eo quod mali sunt, & habet vasa interfectionis, minister est Domini.*

August. Deuteron. 19. Augustinus super Psalmum centesimum decimum octavum. *est iniusta misericordia, de qua in lege scriptum est, non misereberis eius & in libro Regum legis, quia Saul.* 1. Reg. 15 *propterea contraxit offensam, quia miseratus est Agag hostium Regem quem prohibebat sententia Divina servari. Ut si quis latronis filiis deprecantibus motus, & lacrymis* H *coniugis eius inflexus absolvendum putat, cui adhuc latrocinandi aspirat affectus, nonne innocentes tradet exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem.*

August. De deprædatione autem eorum qui ab Ecclesia præcisi sunt, respondeant patres nostri. Augustinus, *Quid-* Sapient. 10. *quid*, inquit: *à parte Donati* *possidebatur, Christiani* Prov. 13 *Imperatores legibus religiosis cum ipsis Ecclesiis ad Catholicam transferre iusserunt. Si autem consideremus quod scriptum est in libro Sapientiæ; ideo iusti tulerunt spolia impiorum: Item quod legitur in Proverbiis: thesaurizant autem iusti divitias impiorum: tunc videbimus non esse quærendum, qui habeant res hæreticorum, sed qui sint in societate iustorum.*

Gregor. Item, beatus Gregorius. Veloci magistro militum, inter cætera: *Nunc mihi visum est, ut aliquanti illic milites transmittantur, quos gloria tua admonere & hortari*

A *ut parati sint studeat, & occasione inventâ cum gloriosissimis filiis nostris Martio & Vitalio loquere, & quæcunque vobis Deo adiutore pro utilitate reipublicæ steterint, facite, & si hic vel ad Ravennates partes nec dicendum Aristulfum cognoveritis excurrere, vos à dorso eius sicut viros fortes condecet laborate.* Item Maurino & Vitaliano inter cætera: *Gloriosi filij estote soliciti, quia quantum comperi, hostem collectum hab. t, & in maritimis dicitur residere, ut si hunc cursum Deo sibi irato mittere voluerit, vos locum ipsius quantum Dominus adiuverit depradate.* Quibus diligenter perspectis, scies nos veritatem docere, non Pseudoprædicationibus dedocere, & te pro superbia in reprobum traditum sensum, sancto Patri nostro crimen imposuisse, & dicta Sanctorum Patrum, quæ in Epistola tua posuisti, non intellexisse.

Hæc & his similia prædicamus, & cum multo dolore cordis ab his necessitatibus nostris eripi laboramus, & ad Dominum Deum nostrum de ista tribulatione clamamus, ut vos humiliter sub manu B sua, diésque nostros in sua pace disponat. Cum multo siquidem dolore secat pius Medicus, ni secaret, moriturum, cum multis lachrymis ligat pater filium freneticum. Dans denique gloriam nomini Domini lætatur iustus cum videt vindictam, sed tamen animum eius semper cruciat pereuntium multa.

Verum quidem est quia nec pro iustitia ferrea arma corripi concessum est, sed propter se, quantum ad iustitiæ perfectionem, quantum spectat ad Domûs Dei decorem. Nec hoc quidem laudat Apostolus, quod contentiones sint inter sanctos, sed tamen di- 1.Cor.6. xit: *Contemptibiles qui sunt inter vos, constituite ad iudicandum*; & cum omnes vellet esse sicut seipsum, concedit tandem, ut propter incontinentiam unusquisque habeat suam uxorem, & ut vir uxori, & uxor viro debitum reddat.

Matt.5. Cum veritas ipsa in Evangelio præmisisset: *Nolite iurare omnino, & sit sermo vester. est, non.* Subdidit tamen dicens: *Quod amplius est, à malo est*, non enim C dixit, malum est, sed, *à malo*; ac si dixerit, si iurare necesse fuerit, & malo incredulitatis aliorum compulsi, Exod. 21. iurate, non sine causa, non propria voluntate. Hoc est quod Moyses pro temperamento vindictæ: *oculum*, inquit, *pro oculo, dentem pro dente*, ut clementiore hac via eriperet occidendi facultatem.

Utinam non esset colluctatio Catholicis adversus carnem & sanguinem, ut quieti viverent, & tantæ perfectionis essent, ut omnes palmam Martyrij desiderarent, & non essent quos vindicare minister Dei vindex in iram ei, qui male ageret, haberet, qui non sine causa gladium portat. Nos verò in nullius sanguine miscuimus, nec protegente Deo miscebimus, nec de perditione morientium exultamus. Vindicare propriam iniuriam omnes prohibemus, ut illum spectent Rom.12. iudicem, qui pollicetur, dicens: *Mihi vindictam, ego retribuam.* Defendere pupillum & viduam, armis etiam carnalibus, tueri sanctam Ecclesiam, non eos, D qui in causa sunt, sed nisi pro communi Republica sub quorum regimine sunt universalis Ecclesiæ cupimus. Pecuniam eorum & terram non concupiscimus, sed ut thesaurizent impiorum divitiæ iustis, & spolia impiorum tollant iusti, ea tamen intentione ut eas lucrari possint, & non solùm quæ illorum sunt, sed omnia etiam sua in charitate distribuant summopere satagimus & desideramus.

Non itaque adversum nos clamat sanguis Saxonum sed contra vos cum universo mundo, qui sceleris vestri tabe inhorruit. Clamat cœlum, clamat terra, clamat omnis Ecclesia iustorum, & quæ adhuc peregrinatur, & quæ iam cum Christo regnat, clamat Christus, clamat Pater pro Sponsa Filij sui, clamat Spiritus sanctus qui quotidie postulat pro ea gemitibus inenarrabilibus. Vos siquidem Ecclesiam laniatis & scinditis, qui partem vestram ab eius unitate præcidistis, eamque crudelius gladio Schismatis, quam idololatriæ scelere in E frusta concidistis, ut iam non cum granis palea, sed præcisa à vite in ignem proiiciantur sarmenta. Vos enim Ecclesiæ Catholicæ, quam invasistis per totum Regnum, quod quia intus cecidit, foris diu stare non poterit, membra distrahitis, & in servitutem redacta qua vile mancipium in vestrum dominium redigitis, & divini iuris libertatem vestro obsequio mancipatis, dicentes: omnia Imperatoris iuri esse subiecta, Episcopatus, Abbatias, omnes omnino Dei Ecclesias, cum Dominus dicat: *Ecclesiam meam columbam meam, oves* Matt.16 Cant.2. Ioan.21. Heb.5. *meas.* Paulus dicit: *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatus est à Deo tanquam Aaron*, in parte tua quis præficitur, nisi quem aut gratia exhausto fœnore, vel munus à manu, vel munus à lingua, vel munus ab obsequio attraxerit? Quis moribus, quis honestate, quis vitæ integritate eligitur? Persequendi sunt itaque lupi, vitandi sunt universi qui ad hoc, ut hæretici fiant, promoventur, qui lepram Giezi cum divitiis suis possi- F dent, & malà quæsita mercede, non tam patrimonium facultatum quam thesaurum criminum congregarunt.

Quia itaque nec gratis datis, nec gratis accepistis, & à mandatis Domini declinantes, maledicti estis, & quia non obeditis Apostolicis præceptis, formidamus commisceri vobis. Dicit namque beatus Ambrosius: Ambros. *Si qua est Ecclesia, quæ Apostolicæ veritatis fundamenta non possidet, nequam sibi labem possit ingerere, deserenda est. His enim legibus adulta, talibus est documentis exculta huiusmodi institutionibus est propagata. Qui his adversatur, qui ista dissimulat, qui hanc veritatis lucernam sub modio abscondit, non pastor Ecclesiæ sed inimicus existit, & de eius manibus pereuntium sanguinem Dominus requirit. Si ergo Christum causam perditionis eorum, ad quos missus est, & vocem eius non audierunt dicere non præsumus, nec Paulo audes ascribere stultitiam gentium & scandalum Iudæorum, à nostra quoque detractione lin-* G *guam compesce, qui compellimur dicere veritatem sicut per Prophetam Dominus comminatur: Sacerdos ingrediens & regrediens nisi sonitum dederit morietur: Item,* Exod.28 Ierem.48 *maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.*

Innocentius Papa: *Error, cui non resistitur approbatur, & veritas cum minimè defenditur opprimitur.* Item Innocentius. eiusdem: *negligere quippe cum possis deturbare perversos, nihil est aliud quam fovere, nec caret scrupulo Societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.*

Pius Papa: *quid prodest illum errore suo non pollui, qui consensum præstat erranti? sine dubio contra mandata dimicat, & qui consensum præstat erranti.* Pius Pap.

Clemens: *Certissimum est quod neque amicitia, neque propinquitas generis, neque Regni sublimitas, hominis debet esse pretiosior veritate.* Clem.

Fabianus: *Qui omnipotentem metuit Deum, nec contra Evangelium, nec contra Apostolos, vel contra Prophetias, aut Sanctorum Patrum instituta agere aliquid ullo modo consentit.* Fabian.

Leo: *Qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.* Leo.

Augustinus: *Quisquis metu alicuius potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem quam Deum.* August. H

Gregorius: *consentire videtur erranti, qui ad resecanda ut corrigi debeant, non occurrit.* Non igitur quod Gregor. propter bonum & licitum facimus, sicut superius dictum est, nobis, si quid mali inde acciderit imputabitur.

Quod autem dicis, quod universalis Ecclesiæ curam suscipimus licet inviti, nunquid vita comite ad tam immane facinus pertrahi debuisti, ut temerares thorum matris tuæ & patris tui? Et si violentiam sustinuisti, cur saltem iam adulter non resipiscis?

Quod autem obsecras per IESUM, ne nobilissimam fœminarum amplius circumveniam, deludam, & fallam, Deum testem invoco, nihil terrenum, nihilque carnalem in ea vel ab ea intentione concupisco, & fine

A intermiſſione oro vt ab hoc ſeculo nequam citò eripi merear, nimio affectus tædio. quia incolatum meum prolongari video, ſerviens die ac nocte in cuſtodiendo illam Deo meo, & ſanctæ matri meæ Eccleſiæ, cuius præcepto mihi commiſſa eſt, & ſpero quod multa mihi retributio per gratiam Dei in eius cuſtodia excreſcat, quæ non invanum ſua diſpergit, ſed indeficientem in cœlo theſaurizat ſibi theſaurum quem tinea non demolitur, ubi fures non offodiunt nec furantur, parata pro defenſione iuſtitiæ non ſolum terrena omnia diſtribuere, ſed vſque ad ſanguinem pro veſtra confuſione & reverentiâ ad ſanctæ Eccleſiæ gloriam & exaltationem certare, donec tradat Dominus inimicum ſuum in manu fœminæ.

Tu vero memento vnde excideris, & age pœnitentiam, ſi fortè remittat tibi Dominus, vt nos redditâ B pace Eccleſiæ voti noſtri mereamur fieri compotes. Depone Cidarim, aufer Coronam & induere lugubribus veſtibus, tantò humilior & abiectior omnibus effectus, quantò præ omnibus differentiùs ſuperbiæ extuliſti cornu. Dic Regi tuo vt cognoſcat à aliis omnibus generationibus inauditum facinus ſuum, qui duos iam adulteros matri ſuæ ingeſſit, & calamitates totius orbis, illam præcipue, de qua ſuperiùs diximus, tecum defleat, quæ novo ſceleri nova iuſto Dei iudicio ſucceſſit. Veni ad dolentem & pro te gementem matrem Eccleſiam, vt ipſa pro te offerat ſacrificium acceptum Domino. Sola enim eſt per quam ſacrificium libenter Dominus accipit, ſola quæ pro errantibus, fiducialiter intercedit, extra quam quicunque inventus fuerit, peribit regnante diluvio, extra quam quicunque agnum comederit, profanus eſt, de cuius carnibus, lex efferri foras, prohibet. In multis quidem eſtis ſecum, ſed in hoc nolite gaudere: Illud potiùs timete quod in eodem Pſalmo ſequitur: *Contaminaverunt teſtamentum eius.* Sicut non profuit Pilato & Herodi vinctus & flagellatus Chriſtus, ſic ad impietatem & perditionem veſtram magis officiunt C Sacramenta eius.

Exod. 1. Pſal. 54

Cum fiducia veni ad pinguedinem matris Eccleſiæ, à cuius vtero erraſti, vt coaleſcas ei. Potens enim eſt Deus iterum te inſerere, cui nihil eſt impoſſibile, & certè gaudebit in te, irruetque ſuper collum tuum, & prima ſtola induet, immolabitque vitulum ſaginatum pro filio prodigo. Omnipotens Deus qui vult neminem perire, qui ſupra maternum amorem diligit peccatores, illuminet cor tuum gratiæ ſuæ ſplendore & reducat ad viam ſalutis, vt cognoſcas quæ ſit voluntas eius beneplacens & perfecta.

Incipit Liber ſecundus.

OPITVLANTE Domini Dei noſtri clementiâ, qui nos & ſermones noſtros ſuo mirabili nutu regit, atque diſponit, accingimur reſpondere his qui D dicunt Regali poteſtati Chriſti Eccleſiam ſubiacere, vt ei pro ſuo libito vel prece, vel pretio, vel gratis liceat Paſtores imponere, eiuſque poſſeſſiones vel in ſua, vel in cuius libuerit iura transferre. Et ne diutius exordium protrahamus, in primis dicendum videtur, quo modo certum eſt, quod beatiſſimus Petrus Apoſtolus primus Eccleſiæ Pontifex, prius patriarchalibus ſedibus Orientis: poſtmodum vero primos miſit Pontifices civitatibus Occidentis. Ipſi enim hæc ordinatio maximè competebat, cui principaliter Chriſtus Dei Filius cœleſtis regni clavibus traditis ſuas oves paſcere miſerat, & pro cuius fide ne deficeret ſpecialiter oraverat, cuique fratres ſuos in eadem fide confirmare præceperat.

Sed & reliquos Apoſtolos, quos reliquis mundi partibus novimus prædicaſſe, ſingulis vrbibus, illarum partium quibus quiſque verbum Dei prædicavit, iiE dem Paſtores non dubitamus miſiſſe. Et quomodo Spiritu ſancto docente cognoverunt ſeculi Principes ad fidem venturos, & ſuccedentibus temporibus ſtimulante avaritia quoſdam eorum Dei Eccleſiam ſuæ ditioni velle ſubiicere, ſuæque auctoritate & libitu Paſtores eidem ſubrogare, inter reliquos Canones, quos pro religionis cautelâ, & Eccleſiaſticâ diſciplinâ ſtatuerant, eorum pravis conatibus hac conſtitutione obviaverunt, quæ ita ſe habet: *Si quis Epiſcopus ſecularibus poteſtatibus uſus, Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur & ſegregetur, omneſque qui illi communicant.* Conſtit. Apoſtol.

Hanc autem conſtitutionem, quæ eorum ſcribitur, ſi quis autenticam non eſſe contendet, ſanctæ ſeptimæ vniverſalis Synodi CCCL. Patrum, necnon & Antiochenæ Synodi, quibus authentica eſſe docetur, everſor, ac per hoc hæreticus iudicabitur: Nam & F Calixtus & Gregorius & quidam alij Romani Pontifices vt curioſo lectori notum eſt, eorumdem Apoſtolicorum Canonum auctoritate ſuas conſtitutiones firmaverunt. Stephanus verò Quartus & Ioannes Septimus vt ait Anaſtaſius in prologo ſeptimæ Synodi, quinquaginta capitula eorundem Canonum in pleniſſimum auctoritatis robur recipi cenſuerunt.

Porro eiſdem Apoſtolis decedentibus, Eccleſiæ vbique terrarum conſuetudinem ab eis traditam inviolabiliter ſervaverunt, vt decedente cuiuſlibet Eccleſiæ Pontifice, Clerus & populus eiuſdem communi deliberatione de ſuo vel alterius Eccleſiæ Clero ſibi Paſtorem præficerent. Et hæc tam ſancta tamque Deo grata conſuetudo tamdiu integra illibataque permanſit, quouſque fidelium multitudo Dei Eccleſias ampliſſimis poſſeſſionibus ditare cœpit. Tunc enim ambitionis Spiritu interveniente, alij ſuarum, alij etiam aliarum Eccleſiarum ceperunt Epiſcopatus ambire, & nefandi Simonis commercio ſuis fautoribus, etiam quam non habebant pecuniam promittere. Quod videntes Deo digniſſimi Romani Pontifices, qui Sacerdotij primatum in toto orbe tenebant, ſcilicet Bonifacius, Celeſtinus, Leo, Gela- G ſius, Symmachus, Hormiſda, Gregorius, alij, Simoniacam hæreſin prius à Petro damnatam, ex tunc & in æternum damnaverunt alij priſcam conſuetudinem decretalibus conſtitutionibus ita firmaverunt, vt ſtatuerent nullum ex alia Eccleſia alij Eccleſiæ præponi, niſi fortè qui ſuæ dignè præficeretur Eccleſiæ in eadem, quod ipſi vix poſſe contingere crediderunt, nullatenus poſſet inveniri.

Hanc itaque quam prædixi conſuetudinem ab Apoſtolis traditam nullatenus violare præſumpſerunt Chriſtianiſſimi Imperatores, Conſtantinus, Conſtans, Valentinianus, Theodoſius, Arcadius, Honorius, Carolus, Ludovicus & his imperio & religione conſimiles, qui vel à ſe vel ab aliis ædificatas Eccleſias ampliſſimis donis ditaverunt, & in Clero & rebus Eccleſiarum nullum ſibi dominium vel iudicium vendicare voluerunt, imo ne quis ſibi vendicaret, quidam eorum, vt in ſequentibus docebimus, legibus vetuerunt.

H At contra Zenon & Anaſtaſius Imperatores Eutychianiſtæ, hi leguntur prius ſanctam Dei Eccleſiam ſibi ſubdidiſſe, ita ut Catholicos Epiſcopos in exilio relegarent, & Apoſtolicâ traditione poſtpoſitâ ſibi conſentaneos in eorum ſedibus videlicet ſubrogarent. Nam ante horum tempora leguntur quidam hæretici Imperatores, Catholicos Epiſcopos multis modis vexaſſe, electioni verò & promotioni cuiuſlibet Pontificis nuſquam leguntur ſe immiſcuiſſe, ſiquidem ſub eiſdem Eutychianiſtis & Conſtantinopoli & in reliquiis vrbibus, legitur innumerabilis fidelium multitudo Cleri ſcilicet & populi extitiſſe, quod Pſeudoepiſcopos eorundem nullatenus voluerunt ſuſcipere, vt ex hoc apertè clareat, eundem Clerum & populum idcirco eoſdem Pſeudoepiſcopos reſpuiſſe, quia conſtabat eoſdem abſque ſui electione in Dei

contemptum,

A contemptum, & erroris augmentum à præfatis Principibus promotos fuisse.

Et ut exemplo quod dicimus astruamus: Anastasius S. Ecclesiæ Romanæ Bibliothecarius, in Chronica quam de Græco in Latinum sermonem transtulit, quamque ex vetustissimis Chronicis Græcorum compilaverunt quidam Græci Dei cultores, Theophanes scilicet & Georgius, quos idem in eiusdem libri præfatione miris laudibus attollit; in eadem inquam Chronica de Imperio Anastasij sic inter cætera scribit: *Vicesimo Imperij Anastasij anno Ioanne Alexandrino antistite heretico mortuo, Dioscorus iunior Prælatus est Episcopus Alexandriæ. Cum autem venisset Constantinopolim pro Alexandrinis apud Imperatorem intercessurus, propter occisionem filij Calliopij Augustalis, ab Orthodoxis publicè conuitiis appetebatur cum procederet, æstimantibus eum contra recta dogmata aduenisse, ergo cum ob homicidium intercessisset cum festinatione discessit. Causa vero cædis ista fuit: Cum idem Dioscorus manûs impositionem accepisset, recesserunt multitudines rusticorum dicentes, quia nisi secundum quod sanctorum Apostolorum canones continent fiat Episcopus, non recipietur. Principes verò inthronizauerunt eum. Dioscorus verò venit ad Sanctum Marcum, & vestimenta Clerici induerunt eum secundo & iterum consecrauerunt. Et ita veniens ad Sanctum Ioannem perfecit collectum. Cum autem esset illic Theodosius filius Calliopij Augustalis, & Achacius magister militum, turba turbata, cœperunt iniuriis afficere filium Augustalis, eo quod laudaret Imperatorem Anastasium. Cum verò iurgium motum fuisset, insilientes quidam à sede posuerunt filium Augustalis. & interemerunt eum: at verò Achacius magister militum, quotquot capere potuit, interfecit. Quod audiens Imperator, iratus est aduersus eos. Porro Dioscorus interueniens mitigauit eum.*

Anastas. Bibliothecarius.

B

Ecce qui primum Apostolicam traditionem de Pontificali promotione ausi sunt violare, ecce quibus primum autoribus seculi principes suos Pontifices nituntur Dei Ecclesiæ promovere: Et ut cœpta persequamur, secuti sunt horum exempla hæreticorum quidam Græcorum Imperatores, regni sui urbibus, suos Episcopos imponentes. Romanæ verò urbi Deo præstante meritis Apostolorum qui in ea viuunt & præsident in hoc pepercerunt, decretum tamen electionis futuri Pontificis à Clero & Senatu subscriptum priùs, quam idem consecraretur, sibi mitti statuerunt. Quod cum legatur eisdem Imperatoribus, sæpè directum fuisse, nusquam tamen legitur eosdem Romanorum electionem mutasse. Hoc autem quia Deo contrarium erat, ut Ecclesia Pontifice careret, usque dum qui decretum ferebat iret & rediret, penitus respuerunt sequentes Imperatores pietate religionéque præstantes. Sic enim legitur in Romano Pontificali: *Benedictus enim natione Romanus suscepit iussiones clementissimi Principis Constantini ad venerabilem Clerum, & populum Romanæ ciuitatis, per quas concessit, ut qui electus fuerit Pontifex è vestigio consecretur absque tarditate.*

C

Pontificale Romanorum.

Itaque qui aduertit alios Græcorum Imperatores ante consecrationem decretum sibi mitti voluisse, attendat eosdem Romanam electionem nunquam repetbasse, attendat etiam posteros eorundem, quia hoc contrarium Deo erat, penitus respuisse. Itaque percurramus Sanctorum Patrum decreta quæ de Pontificum promotione statuerunt, ut sciamus quid iuris Imperatoribus suorum vel quorumlibet temporum in eisdem servaverunt.

D

Leo Doctor eximius & primus Ecclesiæ Romanæ Pontifex, Anastasio Thessalonicensium Episcopo, qui vices Romani Pontificis super quadraginta Episcopos Illyrici & Græciæ habebat, sic inter cætera scribit: *De persona consecrandi Episcopi, & de Cleri plebisque consensu Metropolitanus fraternitati tuæ referat.* Et paulo post: *Metropolitano verò defuncto, cum in loco eius alius fuit subrogandus, comprouinciales Episcopi ad ciuitatem Metropolim conueniant, ut omnium Clericorum atque omnium ciuium voluntate discussa, ex Presbyteris eiusdem Ecclesiæ vel ex Diaconibus optimus deligatur. Cum ergo de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisque consensus concorditer postulauerit, ita ut si in aliam fortè personam partium se vota diuiserint, Metropolitani iudicio is alteri præponatur, qui maioribus & studiis iuuatur & meritis, tantum ut nullus inuitis & non petentibus, ordinetur, ne ciuitas Episcopum non optatum aut contemnat aut oderit, cui non licuerit habere quem voluit.* Item idem: *Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebe expetiti, nec à prouincialibus cum Metropolitani iudicio consecrati.*

Leo Papa.

E

Celestinus: *Nec emeritis in suis Ecclesiis peregrini & extranei, & qui ante ignorati sunt, ad exclusionem eorum, qui bene suorum merentur ciuium testimonium præponantur.* Item ibidem: *Nullus inuitis detur Episcopus, Cleri, plebis & ordinis consensus, & desiderium requiratur. Tunc alter de Ecclesia eligatur alterâ, si de ciuitatis ipsius Clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus, quod euenire non credimus, potuerit inueniri. Primum enim illi reprobandi sunt, qui ibi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis meritò præferantur. Habeat unusquisque fructum militiæ suæ in Ecclesia in qua suam per omnia officia transegit ætatem, in aliena stipendia minimè alter obrepat. Sit facultas cleris renitendi si se viderint prægrauari, & quos sibi ingeri ex transuerso cognouerint, non timeant refutare. Quod si non debitum præmium, vel liberum de eo, qui eos est recturus, debent habere iudicium.*

Celestinus.

F

Gregorius Gaudioso Episcopo inter cætera: *Et ideo fraternitas tua ad prædictam Ecclesiam ire properabit, & Clerum plebémque admonere festinet, ut remoto dissidio uno eodémque consensu talem præficiendum sibi expetant Sacerdotem, qui à venerandis Canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate electus, omnium subscriptionibus roboratus & dilectionis tuæ testimonio literarum ad nos sacrandus occurrat. Commonemus etiam ut nullum eligi permittatis de altera Ecclesiâ, nisi fortè inter Clericos ipsius ciuitatis nullus ad Episcopatum dignus, quod euenire non credimus, poterit inueniri, prouisurus ante omnia ne ad cuiuslibet conuersationis meritum lasciua persona aspirare præsumant, & tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras.*

Gregor.

G

Ex Concilio Niceno Patrum CCCX. & VIII. Cap. VI. *Per omnia autem manifestum est, quia si quis præter voluntatem & conscientiam Metropolitani Episcopi fuerit ordinatus, hunc Concilium magnum & sanctum censuit non debere esse Episcopum. Sanè, si communi omnium consensu rationabiliter probato secundum Ecclesiasticam regulam, duo vel tres animositate ducti per contentionem contradicunt, obtineat plurimorum Sacerdotum sententia.*

Concil. Nicen.

Ex VII. Synodo uniuersali habitâ à V. Patriarchis, cum CCCL. Patribus, sub Adriano primo Pontifice, cap. III. *Omnis electio Episcopi vel Presbyteri aut Diaconi à Principibus facta, irrita maneat, secundum regulam, quæ dicit: Si quis Episcopus secularibus potestatibus usus Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, & segregetur, omnésque qui illi communicant.*

Septima Synodus.

H

Et VIII. Synodo item uniuersali habita à V. Patriarchis cum Patribus CCXL. sub Nicolao primo Pontifice: *Promotiones & consecrationes Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione ac decreto Episcoporum fieri, hæc sancta & uniuersalis Synodus definiuit, & statuit, atque iure promulgauit, neminem Laicorum Principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni Patriarchæ vel Metropolitæ aut cuiuslibet Episcopi, ne videlicet inordinata hinc, & incongrua fiat confusio vel contentio, præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestatiuorum Laicorum habere conueniat, sed potius silere & attendere*

Octava Synodus.

A

sibi, quousque regulariter à collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri Pontificis. Si quis vero Laicorum ad concertandum & cooperandum invitatur ab Ecclesia, liceti huiusmodi cum reverentia, si forte voluerit se obtemperare asciscentibus, taliter enim dignum Pastorem sibi regulariter ad suam salutem Ecclesia promovet. Quisquis autem secularium Principum aut potentum, aut alterius dignitatis Laicus, adversus communem ac consonantem atque Canonicam electionem Ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat & consentiat, quod Ecclesia de electione atque ordinatione proprij Præsulis se velle monstraverit.

Concilium Antiochenum.

Item ex Concilio Antiocheno C X X I I. *Si quis Presbyter vel Diaconus per secularem dignitatem Ecclesiam Domini obtinuerit, deiiciatur, & ipse & ordinator à communione modis omnibus abscindatur, & sub anathemate sint, sicut Simon Magus à Petra.*

Synodus sub Symmacho.

Ex Synodo Symmachi Pontificis cum ducentis & octodecim Episcopis: *Non placuit Laicos ad statuendum aliquid in Ecclesia habere aliquam potestatem, cui subsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.* In eadem: *Defuncto Pontifice, si in unum totius inclinaverit Ecclesiastici ordinis electio, consecretur Episcopus. Si verò, ut fieri solet, studia cœperint esse diversa, convincat sententia plurimorum.*

B

Pontificale Romanum.

Ex Romano Pontificali. *Benedictus natione Romanus fecit constitutum in Ecclesia beati Petri Apostoli, in quo sederunt Episcopi septuaginta duo, Presbyteri Romani triginta tres, præsente Clero, sub anathemate, ut nullus Pontifice Romano vivente, aut Episcopo civitatis suæ, præsumat loqui aut sibi partem facere, nisi tertio die depositionis eius, adunato Clero & filiis Ecclesiæ, & tunc electio fiat.* Ex eodem. *Stephanus natione Siculus, congregatis Episcopis totius Tusciæ atque Campaniæ, considentibus pariter duodecim Episcopis Francorum & Romanis Presbyteris, in præsentia totius Cleri & populi Concilium fecit in Ecclesia Constantiniana, in quo damnavit Constantinum Neophytum invasorem sedis Apostolicæ, & allatis sacris Canonibus, eisque liquidò perscrutatis, prolata est sententia ab eodem Concilio sub anathematis interdicto, ut nullus unquam Laicorum neque ex alio ordine præsumat nisi per distinctos gradus ascendens Diaconus aut Presbyter factus fuerit Cardinalis, ad sacrum Pontificatus honorem promoveri.*

Concilium sub Leone IV.

Ex Concilio Leonis I V. Episcoporum L. cap. V. *Si quis Sacerdotibus, seu primatibus nobilibus, seu cætero Clero huius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ electionem Romani Pontificis contradicere præsumpserit, sicut in Concilio beati Stephani legitur statutum, anathema sit:* Item quod electio Pontificis non pertineat Laicis tantùm.

C

Concilium Laodicense.

Ex Concilio Laodicense cap. X I I. *Non est permittendum turbæ electiones eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium provehendi.*

Celestinus Papa.

Item ex decreto Celestini Pontificis: *Docendus est populus, & non sequendus, nósque si nesciunt eos quid liceat, quidve non liceat commonere, non consensum præbere debemus.*

Decursis itaque tot sanctorum patrum authoritatibus, Latinorum scilicet & Græcorum, patet nihil iuris Imperatoriæ potestati in Pontificum electione seu promotione ab eisdem attributum esse, imo ne qua laicalis potestas sibi quidquam in his vendicet, à quibusdam eorum sub anathemate, hoc est, separatione à Deo, inhibitum fuisse. Et certè sub præfatis Romanis Pontificibus, leguntur extitisse potentissimi Imperatores, non solum Orienti, sed etiam Occidenti imperantes, scilicet Valentinianos & Theodosius iuniores; Martianus, Mauritius & Phocas. Et cum præfatæ universales Synodi, id est, prima & septima à tot patribus agerentur Niceæ, Christianissimi Imperatores Constantinus magnus, & item Constantinus, & Hirene mater eius affuisse leguntur; sed & Basilio magno Imperatore magno petente & præsente legitur octava Synodus item universalis Constantinopoli celebrata fuisse. Itaque cum prima earum censeret non habendum quem-

D

E

quam Episcopum sine Concilio Metropolitani: Septima verò trium sacrorum ordinum electionem à Principibus prohiberet fieri: Octava vero sub anathemate interdiceret Pontificum electionem laicali potestati, nunquid qui præsentes aderant Imperatores questi sunt hoc ad sui contemptum fieri, ut nihil de Pontificum electione eorum quidem referretur potestati? Imò potiùs leguntur sanctorum patrum constitutiones amplexati fuisse, easque quidam eorum post quinque Patriarcharum subscriptiones suis quoque subscriptionibus, roborasse. Item, cum contingeret præfatos Romanorum Pontifices de Pontificum electione decernere, contigit suorum temporum Imperatores hoc ad sui Imperij iniuriam fieri questos fuisse? Non equidem.

Sunt autem quidam eorum contra quos scribimus, qui putant se quiddam magni in sui defensionem adinvenisse, cum introducunt Gregorium & Ambrosium à seculi principibus ad Pontificatum promotos fuisse. Quod quia frivolum, quiáque falsum sit, evidenti indicio clarebit, collatis eorum electionibus cum cap. V I I I. Synodi, quod supra scripsimus: Nam quamvis multorum annorum interstitio à se distent, tamen ita sibi concordare videntur, ut & Synodus & eorum electio vel promotio, uno eodémque Dei Spiritu acta fuisse, probentur. Sic enim in gestis eorum describitur vel scriptum habetur: *Gregorium licet totis viribus renitentem, Clerus, Senatúsque & populus Romanus sibi concorditer Pontificem sibi delegerunt. At ille cum decretum generalitatis evadere nequiret, consensurum se tandem aliquando simulavit, & Imperatori Mauritio, cuius filium ex lavacro sancto susceperat, latenter literas destinavit, adiurans, ne unquam assensum populis præberet, ut se huius honoris gloria sublimarent. Sed præfectus urbis Germanus nomine, eius nuntium anticipavit, comprehensumque ac diruptis Epistolis, consensum quem populus fecerat Imperatori direxit. At ille gratias agens Deo pro amicitia Diaconi, eo quod locum deferendi ei honoris ut cupierat reperisset, ipsum ordinari præcepit.*

F

Ex gestis Gregorij Papæ.

Item in gestis Ambrosij: *Cum populus magis magisque acclamaret:* Peccatum tuum super nos. *Cúmque ille videret suam intentionem nihil posse proficere, fugam paravit, egressúsque noctu medio civitatem cum Ticinum se pergere putaret, mane ad portam civitatis Mediolanensis quæ dicitur Romana, invenitur. Cúmque inventus custodiretur à populo missa relatione ad Imperatorem clementissimum Valentinianum, qui hoc summo gaudio accepit, quod iudices ad se directi ad Sacerdotium peterentur.*

Ex gestis Ambrosij Episcopi.

G

Ecce ex his & præfato capite patentissimè colligitur, iuxta priscam consuetudinem præfatos Pontifices electus fuisse. Sed quia nullatenus promoveri patiebantur, cum in alterius electione præfectus vice Romanorum, Mauritij; in alterius verò populus Valentiniani legitur auxilium expetisse, patet profectò iuxta cap. V I I I. Synodi, Ecclesiam seculares potestates in sui adiutorium invitasse, easque non imperio sed obedientia tunc usas fuisse. Quod quidem non videtur nobis fieri non licere, si contingat dignum quemlibet consensum in sui promotionem non præbere, regalem verò potestatem contingat in eadem diœcesi adesse, ut Valentinianus tunc in Mediolanensi legitur affuisse. Ut autem quæratur extra diœcesim, cum longo interstitio possit abesse, absurdissimum est, cum sanctissimorum Patrum legibus statutum sit ne intra tres Menses viduatam relinquant Ecclesiam à Pontifice.

H

Historia tripartita.

Quod verò in historia tripartita legitur, Valentinianus Imperat. dixisse Ambrosio: *Deus tibi commisit animas, ego corpora*; quam pessimè cohæreat præcedentibus, qui legit intelligat. Valdè enim contrarium videtur, & hoc eum dixisse, & ut à se Pontifex eligeretur, quod ibidem præmissum est, nullatenus consensisse. Hoc autem nihil nobis adversatur, cum beatus Gregorius eandem historiam mendosam & à Romana Ecclesia repudiatam affirmet.

Sunt

A Sont item qu obi... : Nicolaum iuniorem decreto Synodi constituisse, ut obeunte Apostolico Pontifice successor eligeretur, & electio eius Regi notificaretur. Facta verò electione, & ut prædictum est, Regi notificatâ, ita demum Pontifex consecraretur. Quod si admittendum est, ut ratione factum dicatur, obiicimus ad hoc confutandum, præfatum Regem & optimates eius se ea constitutione indignos fecisse, primum quia postea præfatum Nicolaum, Coloniensem Archiepiscopum pro suis excessibus corripuisse, graviter tulerunt, eiúsque huius gratiâ quantum in se erat à Papatu deposuerunt, & nomen eiusdem in Canone consecrationis nominari vetuerunt, ideóque decretum eius de iure irritum esse debebit, quia cum à toto orbe Papa haberetur iuxta eorundem sententiam eisdem Papa non fuit, quasi non ex Dei sed eorum tantùm penderet voluntate, quempiam quemlibet esse
B vel non esse; Romanus enim Pontifex, vt sapientes norunt, non modo deponi, sed etiam nullo Christiano iure à quolibet potest iudicari. Deinde, quia cum in eodem decreto cautum esset, ut Romæ Pontificis electio à Romano Clero & populo ageretur, & postea Regi notificaretur, ipsi præfatum decretum violantes, elegerunt quod eis non licebat, prius Cadalaum Parmensem, postea Wicbertum Ravennatem, induentes eos Apostolicis insignibus, vocantes Apostolicos Apostatas, Antichristi prædecessores. Præterea autem præfatus Wicbertus aut sui ut suæ parti favorem ascriberent, quædam in eodem decreto addendo, quædam mutando, ita illud reddiderunt à se dissidens, ut aut pauca aut nulla exemplaria sibi concordantia valeant inveniri. Quale autem decretum est, quod à se ita discrepare videtur, ut quid in eo potissimum credi debeat, ignoretur?

Sed ut tandem invincibili gladio feriamus, præfatus Nicolaus unus scilicet Patriarcha, cum quolibet Episcoporum Concilio, non potuit abrumpere, imo
C nec mutare, non obviantia fidei, præfata decreta sanctorum quinque Patriarcharum, scilicet Romani, Alexandrini, Antiocheni, Ierosolymitani, Constantinopolitani, & ut ex numero præfatis Synodis apposito colligi potest, sanctorum Patrum, numero CCL. & eo amplius, tot quidem leguntur præfatas constitutiones suis temporibus statuisse, in quibus non inveniuntur quidquam regiæ potestati in Pontificum electione seu promotione concessisse, imo ut prædictum est, consedentibus cum eis Christianissimis Imperatoribus & non contradicentibus, leguntur sub perpetuo anathemate vetuisse. Quòd si hoc vendicandum est ex Græcorum Imperatorum consuetudine, vel ex Ambrosiana vel ex Gregoriana electione, constat ut præmissum est, eosdem ipsos hoc veluti Deo adversum respuisse, eorundem verò Pontificum electionem & promotionem VII. Synodo quamvis præpostere recordasse.

Et quamvis decretum de quo agimus à præfatis Ec-
D clesiæ legibus penitus enervetur, videamus tamen adhuc quid de eo iterum Ecclesiæ & seculi leges censeant, vt penitus evacuetur. Ex Synodo Papæ Hilarij
Synodus Hilarij Papæ. Cap. IV. *Illud quod quisque commisit Episcopus illicitè aut à decessoribus invenit admissum. Si proprium vult vitare periculum, damnabit: Nam in se, quidquid in alio non resecabit, inveniet.*

Gelasius. Gelasius Crescomio, Ioanni & Messalæ Episcopis inter cætera: *Decessorum statuta sicut legitima & iusta, successorem custodire convenit, ita debet etiam malefacta corrigere.*

Pelag. Pelagius Armentario, magistro militum, inter cætera: *Posteaquam Ecclesia iura documentorum quoque intercedentium fuerint auctoritate firmata, nullatenus ab his discedendi liberam Pontifex vel si velit permittatur habere licentiam.*

Adrian. Adrianus Engelramno: *Constitutiones contra sancta decreta Romanorum Præsulum, nullius sint momenti.*

Gregor. Gregorius in Registro: *Imperiali constitutione aperte sancitum est, ut ea quæ contra leges fiunt, non solum* E *inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.*

Ex Romanis legibus: *Id tantùm de sacra responsione substantiam mutuetur, quod legum auxilia prosequuntur.* Item: *Generale præceptum beneficio speciali anteferendum est.* Et item: *Contra ius rescripta non valeant, quocunque modo fuerint impetrata. Quod enim publica iura præscribunt, magis sequi iudices debent.* Et infra: *Personalia rescripta quæ cum iure concordant, valeant more veterum, & negotia de quo loquitur nostra rescriptio finis lata sententia terminus censeatur. Speciale autem si quid legibus ac iuri importat iniuriam, abolitum extirpetur.* Item: *Illa sacra uniuscuiusque supplicantis desiderio concessa prævaleant, & effectui mancipentur, quæ cum iuris & legum ratione concordant: Ea vero quæ surreptione vel falsis precibus forsitan impetrantur, nullum supplicantibus ferant remedium.* Leges Rom.

His itaque decursis patet præfatum decretum nullius momenti esse, nec vnquam aliquid virium habuisse. Et hæc dicens non præiudico beatæ memoriæ F Papæ Nicolao, nec quidquam eius honori derogo, Patrum sententias Dei Spiritu conditas sequendo. Homo quippe fuit, eique ut contra fas ageret surripi potuit. Nec mirum hoc eidem contigisse, cum quidam ipsius decessor inveniatur quiddam decrevisse, & meliori usus consilio postea immutasse. Siquidem Bonifacius secundus legitur ex decreto constituisse, Vigilium Diaconum sibi in Pontificatu succedere. Quod quia Romano Clero visum est Canonibus adversari, præsente Clero ab eodem suppositum est igni, ante confessionem beati Petri Apostoli. Et certe præfatus Nicolaus divino metu concussus hoc idem fecisset, si tot Patrum sententias tunc in vnum collectas, vidisset, easque suo decreto tam concorditer adversari perpendisset.

Beatus quoque Augustinus librum retractationum composuit, in correctionem eorum quæ prius incautè descripsit, & ut idem quisque sapiens faciat, his verbis commonefacit; ait enim in proœmio eiusdem libri: August. G *Neque enim quisquam nisi impudens, ideóque mea errata reprehendendo me reprehendere audebit. Sed & si dicit non debuisse ea à me dici, quæ postea mihi etiam displicerent, verum dicit, & meum facit: verum quippe reprehensor est, quorum & ego sum: Sed sicut volet quisque accipiat hoc quod facio, me tamen Apostolicam sententiam etiam in hac re oportet intueri. Quæ dicit: Si nos ipsos iudicaremus, à Domino non iudicaremur.* 1.Cor.11.

Excommunicatio autem quæ in præfato decreto terribiliter profertur à Wicberto, aut à suis fautoribus, indita creditur, quoniam in antiquioribus eiusdem decreti exemplaribus, longè aliter habetur. Et hæc quidem veniet super eos, qui eam ibidem in sui favorem indiderunt, & super eos, qui eam timendam esse dicere præsumunt: Super illos quidem, vt incidant in foveam, quam foderunt, & ut apprehendat eos captio quam occultaverunt: Super hos autem, quoniam illic trepidaverunt timore vbi non esset timor, quoniam H Dominus in generatione iusta est. Nam si in generatione iusta est, in præfatis patribus fuit, & per eos locutus est, ideóque illorum maledictio sicut Dei pavenda est. De maledictione verò illorum qui eorundem Patrum decretis non obediunt, dicit idem Dominus per Prophetam: *Benedicam maledictionibus vestris.* Et item: *Maledicent illi, & tu benedices.* Et Salomon: *Sicut avis in contrarium volans, & passer quolibet vadens: sic maledictum frustra prolatum super eum veniet qui misit illud.* Hoc contra decretum cuius se Wicbertus auctoritate defendit, vt doceat se esse quod non est, nec vnquam esse poterit. Malac.1. Ps.108. Prov.26.

De numero verò annorum quibus hæc damnabilis consuetudo permansisse dicitur, vt seculi potestas pro suo libitu Pontifices promoveat, iure causari non potest. Nam de diversis consuetudinibus, illa potissimum sequenda est, quæ cum originem sumeret. Catholicus patres suorum priorum patrum vestigia sectantes ao-

thores

A thores habuit, sicut patres septimæ & octavæ synodi, secuti sunt statuta Sanctorum Patrum Romanorum Pontificum, & illi consuetudinem ab Apostolorum temporibus, per omnes Ecclesias observatam: Ea verò perversitas, quæ à seculi principibus superinducta est, non præiudicat eidem sanctæ consuetudini quantalibet temporum obtinuerit curricula. Alioqui Dominus Deus noster culpandus est, qui filios Israel longissimâ consuetudine sub servitute detétos, tum sub Pharaone, tum sub Cyro vel Dario liberavit, & humanum genus sub Diaboli servitute longâ consuetudine detentum, post quinque millia annorum curricula propria morte redemit. Præterea cum veteris & novi Testamenti legibus adulterium inhibitum sit, si qui Reges adulterium commiserint; nunquid eorum auctoritate posteri Reges adulterati sibi licitum putabunt? absit.

Et quidem certum est Regum contra leges commissa nullatenus sequenda esse, leges verò ab eisdem calcatas in suo statu manere debere. Hinc est B quod sancti Dei Martyres & Romani Pontifices in suis statutis inseruerunt, dicentes: *Non licet* Decreta Pontificum. *Imperatori vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra diuinitatis mandata præsumere. Iniustum enim iudicium & definitio, Regis metu vel iussu à Iudicibus ordinata, non valeant: nec quidquid contra Euangelica, vel Prophetica, aut Apostolica doctrina constitutionem, sive Sanctorum Patrum actum fuerit, stabit, & quod ab infidelibus & hæreticis factum erit, omnino cassabitur.*

Item Adrianus ad Engelrammum Episcopum capite quadragesimo octavo: *Item generali decreto constituimus ut execrandum anathema fiat, & veluti prævaricator Catholicæ fidei semper apud Deum reus existat,* Adrian. *quicunque Regum potentum deinceps Canonum censuram in quocunque crediderit vel permiserit violandam.* Item idem ad eundem: *Constitutiones contra sancta decreta Romanorum Præsulum, nullius sint momenti.*

Si autem omnis plantatio, quam Pater cœlestis non C plantavit, eradicabitur, & si, ut prædictum est, quod ab infidelibus & hæreticis actum fuerit, omnino cassabitur, nunquid hæc impietas Eutychianistarum Imperatorum cassari, & eradicari non debet? Certè quisquis Ecclesiasticus pro suo officio vehementer non accenditur, ut tanta pravitas à Dei domo radicitus evellatur, zelo eiusdem domûs Dei non comeditur, & apud Deum canis mutus latrare non valens reputatur. Quis enim non advertat hanc pestem seminarium esse Simoniacæ hæreseos, & totius Christianæ religionis lamentabilem destructionem? Nempe cum dignitas Episcopalis à Principe adipisci posse speratur, contemptis suis Episcopis ac Clericis Dei Ecclesia deseritur, & ab aliis quidem ingens pecunia aulicorum marsupiis infunditur, ut eorũdem suffragia ad tam nefariam promotionem mereantur, ab aliis infinitæ pecuniæ dispendio plus decennio in seculari curia deserviunt, æstus, pluviæ, frigora, & cætera incommoda patientissimè tolerantur; ab aliis autem D vel sui pastoris, vel cuius honorem ambiunt mors incessanter optatur, ab alio alij vehementer invidetur, dum quod sibi sperat ab eo surripi posse putatur, imò prô dolor in tantam Dei iniuriam interdum prosilitur, ut & servis & fornicariis dignitas ista præstetur. Tales quippe cum adepti fuerint, quod taliter expetierunt, peccantes seculi potestates, nullatenus præsumunt redarguere, quoniam ab illis se promotos fuisse meminerunt, imò ne redarguere præsumerent, promoti fuerunt. Et hi lac quidem & lanam accipiunt, sed perditissimè viventes omnium salutem negligunt. Sic quippe impletur quod scriptum est: *Ruina populi, Sacerdotes mali.* Et item: *Et erit sicut populus, ita & Sacerdos.* Isa. 24. Osee. 4. Sacerdotes quippe à populo non videntur distare, cum quisque certatim se popularibus actionibus studet implicare. Nam cum nemo Deo militans

E implicet se secularibus negotiis, quidam eorum non canonum, sed canum & accipitrum studia, & reliquos mundi luxus exercent: Quidam autem, quasi Deus laudet in Sacerdote quod reprehendit in divite, amiciuntur peregrinorum pellibus, & relictis suis cathedralibus Ecclesiis, assistunt Imperatoribus, cum Canones Spiritu Dei conditi prohibeant Pontifices palatia Regis adire, sed si qua suggerenda sunt per suos Diaconos potius intimare. Cumque iidem sacri Canones prohibeant sub interminatione, quemque Pontificem à sua cathedrali Ecclesia tribus Dominicis diebus abesse, alios quidem eorum vix ter aut quater in anno, & hos vix anno integro contingit easdem revisere. Et ut soli non peccent, sed fiant ut scriptum est, *laqueus ruinarum*, Isa. 45. dant exemplum Clericis suas itidem Ecclesias deserere, & sub spe Episcopandi Regum curiæ militare.

Sed obiicitur, Clericos ut divina officia Principibus exhibeant, eorundem inhabitare curiam oportere, F quasi non sit iustius apud Deum, & apud homines convenientius, quemque Episcopum in cuius diœcesi contingit Principem adesse, eidem idoneos & religiosos Clericos ad divina mysteria celebranda dirigere, & pro temporis diuturnitate, qua idem ibidem moratur, alios aliis iubere succedere.

His tantis cladibus quæ contingunt ex præfatis promotionibus, Gregorius VII. obviare cupiens, Romanâ Synodo quinquaginta Episcoporum considente, Presbyterorum & Abbatum multitudine, per omnia Sanctis præfatis Patribus consonantia decreta statuit, dicens: *Si quis deinceps Episcopatum vel Abbatiam de manu alicuius laica persona susceperit, nullatenus* Gregor. VII. *inter Episcopos habeatur, nec ulla ei ut Episcopo aut Abbati audientia concedatur, insuper ei gratiam beati Petri & introitum Ecclesiæ interdicimus, quousque locum quem sub crimine tam ambitionis quam inobedientiæ quod est scelus idololatriæ, cœpit, resipiscendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus & Ecclesiasticis dignitatibus, constituimus.* Item: *Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet secularium potestatum aut personarum investituram Episcopatuum, vel alicuius Ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, eiusdem sententiæ vinculo se astrictum esse sciat.* G

Et quoniam sanctorum authoritate monstratum est, Pontificum electionem seculari potestati non subiacere, libet adhuc Christianissimorum Imperatorum, quas hac de causa sanxerunt constitutiones ad medium deducere, ut pateat nobis, si quid iuris in eadem causa voluerunt vendicare. Hoc enim Carolus Carol. & Ludovic. Impp. & Ludovicus gloriosi Imperatores in primo libro Capitulorum suorum statuerunt, *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini Ecclesiastico præbemus, ut scilicet Episcopi per electionem Cleri & populi, secundùm statuta Canonum de propria diœcesi, remotâ personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum, & sapientiæ donum eligantur, ut verbo & exemplo sibi subiectis prodesse valeant.* Certe constitutio hæc tam consonantissima Sanctorum Patrum constitutionibus esse perpenditur, ut si vel à Nicæna vel qualibet etiam universalium Synodorum promulgaretur, non minus Spiritu Dei per H istorum ora, quam per eandem prolata crederetur. Hoc quippe docet hunc esse honorem, hanc esse libertatem sanctæ Ecclesiæ, Clerum scilicet eidem & populum sibimet Pontificem eligere debere, hoc in electione Canonum statuta servanda esse commemorat, hoc Simoniacam hæresim prohibendo impugnat, hoc vitæ meritum & sapientiam Pastoris electione quærendâ demonstrat, & quod mirum est, brevissimè videtur tangere, quod beatus Gregorius scribit de Pontifice, scilicet: *Ut quisquis perpendere debeat qualiter ad Pontificatum veniat, & rite veniens qualiter doceat, & rectè docens qualiter vivat.* Greg. P.

A Patet itaque sanctorum Romanorum Præsulum auctoritate & Patrum, sanctarum universalium Synodorum, septimæ atque octavæ, Pontificum electionem Cleri & populi cuiusque esse debere: patet quoque Christianissimos Imperatores, Constantinum, Constantem, Valentinianum, Theodosium, Arcadium, Honorium, Carolum, Ludovicum, cæterósque fide & religione præstantes, eandem consuetudinem ab Apostolorum temporibus observatam minimè violasse. Patet etiam item Christianissimos Imperatores Constantinum Magnum, & item Constantinum, & Eirenen, & Basilium, Carolum quoque & Ludovicum, præfatam electionem seculari potestati legibus abstulisse, quamquam si etiam eorundem sanctionibus hoc non prohiberetur, Patriarchalium sedium auctoritati non minus obandiretur, Pontificibus enim, non Imperatoribus, legitur Deus dixisse: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis, &c.* Item primo Pontifici, *Pasce oves meas.* Item Apostolis omnibus: *Euntes docete omnes gentes.* Patriarcharum enim tanta est auctoritas, ut omnimodis hæretiens comprobetur, quisquis eorundem Synodicis constitutionibus, obviare nititur. Quæcunque enim communiter statuerint sequenda, ab omni Ecclesia serventur, quæcunque docuerint respuenda, respuantur, nec unquam à quolibet, nisi fortè ab eisdem eorundem commune iudicium retractabitur. Firmamentum enim Christianæ fidei in eorum sedibus, per beatum Petrum sessorem earundem, ita Deus locavit, ut si unus ex tribus principalibus Patriarchis ceciderit, duo stent, quod si duo ceciderint, cum pro fide Petri ne deficiat à Christo oratum sit, unius scilicet Romani Patriarchæ fides in qua fratres suos confirmet, nunquam deficiat. Quod utique Christus Deus noster iam ostendere dignatus est, in universalibus Synodis, iam ab ipsius ascensione octies universaliter celebratis. Nam uno vel duobus à fide corruentibus, Romanus in eiusdem fidei fundamento licet pulsatus, licet concussus, tamen stetit immobilis. Cœlum enim & terra transibunt, verba autem eius non transibunt, qui dixit: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, &c.*

Matt. 18 / Ioan. 21. / Matt. 28 / B / C / Matt. 16

Caveant itaque seculi potestates sequi quod Eutychianitæ Imperatores adinvenerunt, ne quod absit cum eis pariter puniantur, quorum tam pravas actiones imitari maluerunt. Permittant sanctæ Dei Ecclesiæ uti suo iure, & honore, scilicet secundùm Sanctorum Patrum sanctiones Pontifices sibi deligere & promovere.

Et quoniam supra diximus, hanc pestem Simoniacæ hæreseos seminatium esse, operæpretium est adversus eiusdem hæresis Sacerdotes insurgere, & de eorum Sacerdotio & sacrificio Patrum sententias in medium adducere.

Synodus VII. In Epistola septimæ Synodi universalis, Adriano Papæ directâ, sic inter cætera legitur: *Eos qui per pecuniam manus imposuerunt vel imponunt. Petrus divinus Apostolus, cuius cathedram sortita est sanctitas vestra, tanquam Simonem Magum deponit. Tolerabilior enim est Macedonij, & eorum qui circa ipsum sunt sancti Spiritus impugnatorum impia hæresis. Illi enim creaturam, & servum Dei Patris & Filij Spiritum sanctum delirando fatentur. Isti suum Spiritum sanctum efficiunt servum: Omnis enim dominus qui habet, si vult vendit, sive servũ, sive aliquid eorum quæ possidet: Similiter & qui emit, dominus volens esse eius quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit, Ita & qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui sancto, æqualiter peccantes his qui blasphemaverunt, dicentes: in Beelzebub eiicere Christum dæmonia, atque ut verius dicamus, Iudæ comparantur proditori, qui Iudæis Dei occisoribus Christum vendidit. Cumque sanctus Spiritus, consubstantialis sit Christo, eius ipsi proditores erunt. Et procul dubio non est in eis gratia Spiritus sancti, id est Sacerdotij sanctitas. Nam qui non acceperunt non habent: Ait enim Petrus Simoni: Non est tibi pars neque sors in sermone isto, quoniam existimasti donum Dei pecuniâ possideri: Nam & vigesimus & octavus Canon Apostolorum, & actus eorundem, tertius & quartus liber Regum, alienum omnino à Sacerdotio pronunciant eum, qui aliquam dederit vel acceperit pecuniam in aliquo tempore, sive ante manûs impositionem, sive in manûs impositione, sive post manûs impositionem. Accipere enim est quandocunque accipere.* Item ex ultima Epistola eiusdem Synodi: *Omnis ergo Episcopus vel Presbyter, aut Diaconus convictus, quod per pecunias manûs impositionem dederit vel acceperit, & à Sacerdotio & gradu decidat. Fortassis autem dicunt aliqui, quia pœnitentiam agemus pro peccato, & Dominus ignoscet illud. Ita est, quia omnes agentes pœnitentiam Deus suscipit, & indulget per pœnitentiam peccata, quæ iam patrata sunt.* Et infra: *Sed quia secundùm Apostolum, irreprehensibilis debet Sacerdos esse, qui per pecunias quemquam consecrat, vel consecratus est, alienus est à Sacerdotio, sicut omnis Ecclesia scimus alumni ex Canonicis disciplinis eruditi.*

D / Luc. 11. / E / Act. 8

Item ex Epistola Paschalis Papæ Mediolanensibus missa: *Si quis obiecerit, non cõsecrationes, sed res ipsas quæ consecratione proveniunt, vendi, videtur quidem aliquid dicere, nihil autem penitus sapere. Nam cum corporalis Ecclesia Episcopus vel Abbas sine rebus corporalibus exterioribus in nullo proficiat: sicut nec anima sine corpore temporaliter vivit, quisquis eorum alterum vendit sine quo alterum habere non provenit, neutrum non venditum derelinquit. Quam tamen obiectionem sacer Chalcedonensis Canon penitus exterminat, cum procuratorem vel defensorem Ecclesiæ, vel quemquam Ecclesiæ subiectum, adeo per pecunias ordinari prohibeat, ut interventores quoque tanti sceleris, anathematis mucrone succidat.*

F / Paschal. Pap.

Quid plura? Si anathematizati & excommunicati, ut & verè hæretici, Simoniaci & Neophyti ab Ecclesia sunt separati, quis non videat quod huiusmodi Sacerdotum Missæ & orationes Deum ad iracundiam super populum provocent, quem talibus placari credebamus? Scriptum est enim: *Veri sacrificij locus extra Catholicam Ecclesiam non est.* Et item: *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem devita.* Quando ergo tales Episcopos vel Abbates, vel reliquos Clericos non devitamus, si eorum Missas audimus, vel cum eis oramus, cum illis excommunicationem subimus. Quos quidem Sacerdotes esse saltem credere, omnino errare est, cum Petrus Simoni dicat: *Pecunia tua tecum sit in perditione, quia existimasti donum Dei pecuniâ possideri.* Vbi cum *existimasti* dicitur, non pro eo quod fecerit, sed quia se posse facere credidit, condemnatur, cum minus sit existimare quam credere. In hoc ergo quod subiungitur, *non est tibi pars neque sors in sermone isto*, patenter ostenditur, quia nihil sacræ ordinationis in hac promotione percipitur.

G / Tit. 3. / Act. 8. / Ibid.

Item ex registro beati Gregorij ad Sigium, inter cætera: *Cur non perpenditur, cur non advertitur, quia benedictio illi in maledictionem vertitur, quia ad hoc ut hæreticus fiat promovetur!* Item, idem in eodem: *Grave omnino & ultra quam dici potest facinus est, sanctum Spiritum qui omnia redemit, venundari.*

H / Gregor.

Item Ambrosius in pastorali: *Nempe hoc est quod nimis doleo, quia Archiepiscopus cum per pecuniam aliquem Episcopum ordinaret specialiter, ordinavit leprosum.* Item ibidem: *Quod accepit pecunia fuit, quod dedit lepra fuit.* Item ibidem: *Aurum dans perdidisti, & sanctam gratiam non acquisisti.*

Ambros.

Hactenus de Simoniacorum sacerdotio, nunc de eorum sacrificio patrum sententias perscrutemur.

Cyprianus in Epistola ad Cornelium: *Existimat aliquis summa & magna, aut non sciente aut non permittente Deo in Ecclesia Dei fieri, & Sacerdotes, id est, Dei dispensatores non erunt de eius sententia ordinati, hoc est fidem non habere qua vivimus, hoc est Deo honorem non dare. Sed de eius sententia non ordinantur Sacerdotes*

Cypr.

qui

A *qui extra Ecclesiam sunt, sicut ipse Dominus in duodecim Prophetis ponit & dicit: sibimetipsis Regem constituerunt & non per me.* Et iterum: *Sacrificia eorum tanquam panis luctus. Omnes qui manducant ea contaminabuntur.* Et per Isaiam Spiritus sanctus clamat & dicit: *Væ vobis filii desertores, hæc dicit Dominus: habuistis consilium & non per me, & fecistis conventionem non per Spiritum meum, adiicere peccata super peccata.* Osea. 8. Osea. 9. Isaia. 30.

Hieronymus super duodecim Prophetas: *Odit Deus sacrificia hæreticorum, & à se proiicit, & quotiescuncunque sub nomine Domini fuerint congregati, detestabitur fætorem eorum, & claudit nares suas: Odisse autem & proiicere & non odorari, humanâ loquitur consuetudine, ut nos affectum Dei nostris sermonibus cognoscamus: Et si holocausta obtulerint, videantur ieiunare, dare eleemosynas, pudicitiam polliceri, quæ holocausta sunt vera, non ea suscipit Dominus: Non enim sacrificiorum magnitudinem, sed offerentium respicit voluntatem.* Hieronymus.

B

Pelagius Viatori & Pangratio inter cætera. *A schismaticorum sacrificiis potius autem sacrilegiis abstinere debetis.* Item in eadem Epistola: *Non est Christi corpus, quod schismaticus conficit: Nec enim divisum esse Christum poterit quisquam sine Apostoli reprehensione confingere. Unam ut sæpe dictum est, quæ Christi corpus est, esse constat Ecclesiam, quæ in duo vel plura dividi non potest. Similiter enim cum ab ea quisquam discesserit, esse desistit Ecclesia. Unum in Ierusalem templum est, idolis necesse est ut immolet, qui semetipsum diviserit.* Pelagius.

Gregorius in Registro: *Nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicatis hominibus est celebrata.* Gregor.

Hæc itaque tam patentia tamque manifesta sunt, ut dilucidari non egeant. Patentissimè namque Simoniacorum Sacerdotium & sacrificia irrita esse demonstrant, quamvis quidam scripserit, quod sicut in baptismate Simoniacorum, ita & in eorundem sacrificio virtus Spiritûs sancti cooperaretur, scilicet ut non eisdem sit verum & salutare sacrificium, sed his quibus exhibetur. Quod ex præmissis patrum sententiis apertissimè refellitur, & maximè ex eo quod dicitur: *sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui ea manducant contaminabuntur.* Non enim exhibitio baptismatis, & sacrificij Dominici corporis omnino simili sibi collatione conferri valent. Nam necessitate urgente omni baptizato conceditur baptizare, sub fidei interrogatione, & nomine Trinitatis, & trinâ mersione, quod utique concessum est propter eum qui periculo mortis urgetur, ne si tunc ad Sacerdotem cum non affuerit curator, subitò non valeat inveniri qui baptisma ministret. Solis autem Sacerdotibus licitum est Dominicum corpus conficere, quod quidem non baptizato ilico morituro necessarium non est. Baptisma enim præcedit Dominici corporis perceptionem, ideoque necessarium est, ut per quemlibet baptizetur antequam Dominicum corpus à morituro expetitur. Magis namque dolendum est quempiam absque baptismo humanis rebus excedere, quam baptizatum absque Eucharistiæ communione, quamvis sine utroque non salvetur, qui quidem utrumque posset sumere. Nam qui dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu non intrabit in regnum Dei,* idem dixit: *Nisi manducaveritis panem Filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* ideo autem dixit de potentia sumendi utrumque, quoniam parvulus modo natus modo renatus non valet carnem Dominicam manducare, licet sanguinem eiusdem possit vix ori infusum deglutire. Nam quod dicitur, *Nisi manducaveritis*, de his qui manducare possunt, accipiendum puto. Nemo enim dicit de eo qui manducare non potest, sed de eo qui potest. Osea. 9. C D Ioan. 3. Ioan. 6.

His ita decursis dicendum videtur hæresim Arrianorum & Sabellianorum & Macedonianorum & Fotinianorum atque omnem generalem hæresim à S. Dei Ecclesiæ impugnatione cessasse, & Deo pro eadem pugnante cessaturam, si qua deinceps existimatur oriri posse. Hæc verò, id est Simoniacorum hæresis, quæ in initio nascentis Ecclesiæ adversus eam statim arma corripuit, usque in finem sæculi pro ut sibi Diabolus vexilliferos & sequaces inveniet, & ad eiusdem probationem eandem impugnare non cessabit. *Oportet enim hæreses esse*, ut ait B. Apostolus, *ut qui probati sunt manifesti fiant.* Sed animadvertendum est, quod Christus Deus, qui suam Ecclesiam super fidei petram ædificandam promisit, primo omnium hæreticorum primum Apostolorum opposuit, videlicet ut sicut Ecclesia, id est credentium multitudo novit se fidem Petri semper debere sequi, sic in perpetuum meminerit eiusdem nefariæ hæresis virosa & mortifera consortia fugere, in cuius capite constat omnium Christianorum Principem maledictionis iaculum intorsisse. Hæc enim ita sint, quicunque pro suo posse ab huius pestis impugnatione cessaverit, cum Simone & eius sequacibus portionem habebit, dicente B. Gregorio: *Quisquis contra Simoniacorum hæresim & Neophytorum pro officij sui loco vehementer non assurit, cum eo se non dubitet habere portionem, qui primus hoc piaculare flagitium commisit.* E 1. Cor. 11. F Gregor.

Sciendum est autem quod aliud est hæreticum esse, aliud schismaticum, hæreticus siquidem est, qui Catholicæ Ecclesiæ fidem relinquit, & sui vel alterius erroris viam sequi diligit. Item iuxta beatum Isidorum, *Qui sacram Scripturam aliter interpretatur quam flagitat sensus Spiritûs sancti, per quem scripta est, licet ab Ecclesia non recesserit, hæreticus appellari potest.* Schismaticus vero est, qui quidem rectam se confiteri fidem simulat, sed sanctorum Patrum traditiones superbè contemnit, & se aliqua malevolentia ab unitate Ecclesiæ scindit. Isidorus.

Item iuxta sanctum Augustinum *Hæreticus est, qui non sequitur Catholicam veritatem. Schismaticus est qui non amplectitur Catholicam pacem.* August.

Item Papa Pelagius in suo Regesto introducit beatum Augustinum ita deficientem schisma in Epistola ad Valerianum Patricium, inter cætera: *Vide utrum schismatici non sint, qui se ab eminentissima & munifestissima auctoritate Apostolicarum sedium separaverunt.* G

Item idem Pelagius in Epistola ad Viatorem & Pangravium introducit Augustinum ita dicentem: *Qui adversum autoritatem illarum Ecclesiarum, quæ Apostolicas sedes & Epistolas accipere meruerunt, temere credit, immunissimum schismatis crimen à se propulsare non poterit.*

Hæc cum ita sint, ex his patet eos esse Ecclesiam qui Apostolicarum Ecclesiarum auctoritatem sequuntur, eos vero omnibus modis esse schismaticos, qui contra præscriptas auctoritates Apostolicarum sedium, & sanctorum Patrum plus Quam CC. Pontifices in Ecclesia Dei ordinare nituntur.

Schismaticus verò iuxta Antiochenum Concilium, *si permanserit turbas faciens & seditiones Ecclesiæ, per extraneas potestates tanquam seditiosus comprimendus est. Multa namque*, ut ait Augustinus: *etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectendis agenda sunt, quorum potius utilitati consulendum est quam voluntati. Nam in corripiendo filio quamlibet aspere, nunquam tamen amor paternus amittitur. Fit tamen quod nollet ut doleat, qui etiam invitus videtur dolere sanandus.* Concil. Antioch. August. H

Item Pelagius Valeriano patricio. *Non persequitur, nisi qui ad malum cogit. Qui vero malum vel factum iam punit, vel prohibet ne fiat, non persequitur iste, sed diligit. Nam si ut quidam putant, nemo nec reprimendus à malo, nec retrahendus ad bonum est, humanas ac divinas leges necesse est evacuari, quæ & malis pœnam & bonis præmia iustitiâ suadente constituunt. Malum autem schisma est etiam per extraneas potestates opprimendum.* Pelagius.

Itaque si, ut ex his patet, schismatici per extraneas

potestates sunt opprimendi, nunquid & Simoniaci ab eisdem non sunt opprimendi? Nunquid minus delinquunt? Imò magis. Nam si Christus Dei Filius & Spiritus eius & Patris per omnia æquales sunt, Iudæus & Simoniacus, qui utrumque vendunt, pares non erunt? Item cum ex præmissis auctoritatibus constet, Simoniacum Paraclitum emere, Iudæum vero liqueat Christum emisse, nunquid constabit eosdem malitià & merito pares habendos esse? Et quidem ita videtur.

Patet itaque Simoniacos veluti primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus respuendos, & si commoniti non resipuerint, etiam ab exteris potestatibus opprimendos. *Verendum quippe est*, ut ait Gregorius, *Quemque pro suo officio & loco contra eosdem vehementer non inardescere, eorúmque detestandæ errori totis nisibus, non obviare.* *Error namque*, ut ait Innocentius Papa, *Cui non resistitur, approbatur, & veritas cum minimè defensatur opprimitur.* Item idem: *Negligere quippe cum possis deturbare perversos, nihil est aliud quam fovere?*

Augustinus: *Quisquis metu cuiuslibet potestatis veritem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem quam Deum.*

Ambrosius: *Consentire est, non solum scienter mala fieri permittere, sed etiam malefacta non persequi.*

Gregorius: *Quæ non corrigis resecanda, committis.* Item in moralibus: *Plerumque quieti atque inconcussi relinquimur, si obviare pravis pro iustitia non curamus. Sed si ad æterna vitæ desiderium animus exarsit, si verum lumen iam intrinsecus respicit, si in se flamma sancti fervoris accendit, in quantum locus admittit, in quantum causa exigit, debemus pro defensione iustitiæ nosmetipsos obiicere, & perversis ad iniusta prorumpentibus etiam cum ab eis non quærimur obviare. Nam cum iustitiam quam nos amamus in aliis feriunt, nos nihilominus sua percussione confodiunt, etiamsi venerari videantur.*

Et quoniam à quibusdam eorum ignorantià, à quibusdam verò negligentià; ab aliquibus autem superbiæ contumacià delinquitur, optimum est ut primum leviùs mitiúsque cum eisdem & cum schismaticis agatur, & ut pro eis oretur, *nisi fortè*, sicut ait Apostolus: *Det illis Deus reprobum sensum, ut si resipiscant à laqueis Diaboli, à quibus alligati tenentur.* Quod si rationi non acquieverint, Simoniaci pariter & schismatici, ut incurabilia membra ab Ecclesiæ corpore abscindantur, & ut dictum est, ab exteris potestatibus opprimantur.

Sciendum est Augustinum de omnibus hæreticis & schismaticis ad quendam Petrum sic scripsisse: *Firmissimè tene & nullatenus dubites, omnem hæreticum & schismaticum quantumvis multas eleemosynas faciat, vel etiam pro Christo sanguinem fundat, cum Diabolo & Angelis eius æterno igni mancipandum, nisi ante finem vitæ huius Catholicæ incorporetur & reintegretur Ecclesiæ.*

Hactenus contra eos qui dicunt Dei Ecclesiam & Pontificum eius ordinationem Regiæ potestati subiacere, contráque Simoniacorum Sacerdotium & sacrificium satis dictum. Nunc restat de facultatibus Ecclesiæ dicere, quas iidem contendunt sub regia ditione manere.

LECTORI.

IN Manuscripto Codice, quo usi sumus subiiciebantur sequentes sententiæ, ab ipso, ut videtur Anshelmo ex variis auctoribus collectæ, quibus demonstrare studet Ecclesiæ facultates non esse in potestate Regis aut Cæsaris. Quo fit, ut ea quæ sequuntur aut sint altera pars secundi libri, aut totius operis liber tertius. Utrum tamen nihil desideretur, non iniurià ambigas.

ALBINUS IN LIBRO secundo super Matthæum.

INVENIT IESUS *in Templo vendentes boves & oves & columbas & nummularios sedentes, & cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de Templo, oves quoque & boves, & nummulariorum effudit æs, ac mensas subvertit.* Boves, oves, & columbæ ad hoc emebantur, ut offerrentur in Templo. Nummularij ad hoc sedebant ad mensas, ut inter emptores venditorésque hostiarum prompta esset pecuniæ taxatio. Videbantur ergo licitè vendi in Templo, quia ad hoc emebantur ut in eodem Templo offerrentur Domino. Sed nolens ipse Dominus aliquid in domo sua terrenæ negotiationis, ne eius quidem quæ honesta putaretur, exhiberi, dispulit negotiatores iniustos, & foras simul omnes cum his quæ negotiabantur eiecit. Quid ergo fratres mei, quid putamus faceret Dominus, si rixis dissidentes, si fabulis vacantes, si risu dissolutos, vel alio quolibet scelere reperiret irretitos, qui hostias quæ sibi immolarentur ementes in Templo vidit & eliminare festinavit.

Hæc propter illos diximus, qui Ecclesiam ingressi non solùm intentionem orandi negligunt, verum etiam ea pro quibus orare debuerant, augent, insuper & arguentes se pro huiusmodi stultitia convitiis odiisque, vel etiam detractionibus insequuntur, addentes videlicet peccata peccatis, & quasi funem longissimum sibi incautà eorum augmentatione texentes, nec timentes ex eo districti iudicis examinatione damnari. Nam bis quidem in sancto Evangelio legimus quod veniens in templo Dominus huiusmodi negotiatores eiecit, primum videlicet, id est, tertio ante passionem suam anno, sicut ex Ioannis Evangelistæ sequentibus scriptis agnoscimus, & ipso quo passus est anno, cum ante quinque dies Paschæ sedens asino Ierosolymam venisset. Sed hoc idem in templo iam sanctæ Ecclesiæ, examine quotidianæ visitationis agere, omnis qui recte sapit, intelligit.

Unde multùm tremenda sunt hæc dilectissimi, & digno expavescenda timore, sedulàque præcavendum industria, ne veniens improvisus, perversum quid in nobis unde eorum meritò flagellari ac de Ecclesia eiici debeamus, inveniat. Et maximè in illa quæ specialiter domus orationis vocatur, observandum, ne quid ineptum geramus, ne cum Corinthiis audiamus ab Apostolo: *Nunquid domos non habetis*, ad agenda vel loquenda temporalia: *Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Etiam à Propheta cum Iudæis, *dilectus meus in domo mea fecit scelera multa.*

Et quidem gaudendum est, quia ipsi sumus in baptismo templum Dei facti, testante Apostolo, qui ait: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*, ipsi civitas Regis magni de qua dicitur: *Fundamenta eius in montibus sanctis*, id est, fundamenta Ecclesiæ in soliditate fidei Apostolorum & Prophetarum. Sed nimis tremendum, quia præmisit Apostolus dicens: *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Et ipse Iudex iustus: *Disperdam*, inquit, *de civitate Domini omnes qui operantur iniquitatem.* Gaudete quia in nobis Paschæ solennitas agitur, cum de vitiis ad virtutes transire satagimus, Pascha quidem transitus dicitur. Gaudendum quia Dominus nostra pectora, civitatem videlicet suam invisere, quia idem Pascha nostræ bonæ actionis præsentia suæ pietatis illustrare dignatur, sed timendum satis ne nos in civitate sua aliud quam ipse diligit agentes inveniat, & ipse se nobis qualem non diligimus districtus redditor ostendat, ne nos in templo nummularios, ne venditores boum, ovium, columbarumve reperiens damnet.

A Boves quippe doctrinam vitæ cœlestis, oves opera mundana & pietatis columbæ Sanctum Spiritum designant, quia nimirum boum iuvamine solet ager exerceri: ager autem est Domini, cor cœlesti excultum doctrinâ, & suscipiendis verbi Dei præparatum rite sermonibus, oves innocenter sua velleta vestiendis hominibus præstant, Spiritus super Dominum in co- Philip. 1. lumbæ specie descendit. Vendunt autem boves, qui verbum Evangelij non divino amore, sed terreni quæstûs intuitu audientibus impendunt, quales reprehendit Apostolus, quia Christum annuntiarent *non sincerè*. Vendunt oves, qui humanæ gratiâ laudis opera Matt. 6. Matt. 10. pietatis exercent, de quibus Dominus ait: *Quia receperunt mercedem suam.* Vendunt columbas, qui acceptam Spiritûs gratiam non *gratis*, ut præceptum est, sed ob præmium dant, qui impositione qua Spiritus accipitur, etsi non ad quæstum pecuniæ, ad vulgi tamen favorem tribuunt, qui sacros Ordines non ad vitæ meritum, sed ad gratiam largiuntur. Nummos mutuo dant in templo qui non simulatè cœlestibus sed apertè terB renis rebus in Ecclesia deserviunt, sua quærentes, non quæ IESV-CHRISTI.

Verum huiusmodi operarios fraudulentos quæ merces maneat, ostendit Dominus, cum facto de funiculis flagello, omnes eiecit de templo: Eiciuntur autem de parte sortis sanctorum, qui inter sanctos positi, vel fictè bona, vel apertè faciunt opera mala. Oves quoque & boves eiecit, quia talium vitam pariter & doctrinam ostendit esse reprobam.

Funiculi quibus flagellando impios de templo expulit, incrementa sunt actionum malarum, de quibus materia damnandi reprobos districto iudici datur. Hinc Isa. 5. etenim dicit Isaias: *Væ qui trahitis iniquitatem in funi-* Prov. 5. *culis vanitatis.* Et in Proverbiis Salomon: *Iniquitates*, inquit, *sua capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Qui enim peccata peccatis pro quibus acrius damnetur accumulat, quasi funiculos quibus ligetur ac flagelletur paulatim augendo prolongat.

Nummulariorum quoque quos expulerat effudit æs, & mensas subvertit, quia damnatis in fine reprobis etiam ipsarum quas dilexere rerum tollet figuram, iuxta hoc C quod scriptum est, *& mundus transiet, & concupiscen-* 1. Ioan. 2. *tia eius.*

Ioan. 2. Et eis qui columbas vendebant dixit: *Auferte ista hinc, nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Venditionem columbarum de templo auferre præcipit, quia gratia Spiritûs gratis accipi, gratis dari debet. Unde Simon ille Magus, qui hanc pecuniâ emere Act. 8. voluit, ut maiore pretio venderet: audivit: *Pecunia tua tecum sit in perditione, non est tibi pars neque sors in sermone hoc.*

Notandum autem, quia non soli venditores columbarum sunt, & domum Dei faciunt domum negotiationis, qui sacros Ordines largiendo pretium pecuniæ vel laudis, vel etiam honoris inquirunt, verum hi quoque, qui gradum vel gratiam in Ecclesia spiritualem, quam Deo largiente percepere, non simplici intentione, sed cuiuslibet humanæ causa retributionis exer1. Pet. 4. cent, contra illud Apostoli Petri: *Qui loquitur quasi* D *sermones Dei, qui ministrat tanquam ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per* IESVM-CHRISTVM: Quicunque ergo tales sunt, si nolint veniente Domino de Ecclesia auferri, auferant ista de suis actibus, ne faciant domum Dei domum negotiationis.

In eodem.

Zelo domus Patris Salvator eiecit impios de templo.

ZElemus & nos fratres charissimi domum Dei, & quantum possumus, ne quid in ea pravum geratur, insistamus. Si viderimus fratrem, qui ad domum E Dei pertinet, superbiâ tumidum, si detractionibus assuetum, si ebrietati servientem, si luxuriâ enervatum, si iracundiâ turbidum, si alij cuiquam vitio substratum, studeamus in quantum facultas suppetit, castigare polluta, ac perversa corrigere, & si quid de talibus emendare nequimus, non sine acerrimo mentis sustinere dolore, & maximè in ipsa domo orationis, ubi corpus Domini consecratur, ubi Angelorum præsentia semper adesse non dubitatur, ne quid ineptum fiat, ne quid quod nostram fraternámve orationem impediat, totis viribus agamus.

In Ioannem.

Iesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra. Ioan. 8.

PEr inclinationem IESV, humilitas, per digitum qui articulorum compositione flexibilis est, subtilitas F discretionis exprimitur. Porrò per terram, cor humanum, quod vel actionum malarum vel bonarum solet reddere fructus, ostenditur. Postulatus ergo Dominus iudicare de peccatrice, non statim dat iudicium, sed prius se inclinans deorsum, digito scribit in terra, ac si demum, quam obnixe rogatus, iudicat, nos videlicet typicè instruens, ut cum quælibet proximorum errata conspicimus, non hæc antea reprehendendo iudicemus, quam ad conscientiam nostram humiliter reversi, digito eam discretionis solerter exsculpamus, & quid in ea conditori placeat, quidve displiceat, sedula examinatione dirimamus, iuxta illud Apostoli: *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in* Gal. 6. *aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.*

Cum autem perseverarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: *Qui vestrum sine peccato est, primus* Ioan. 8. *in illam lapidem mittat.* Quia hinc & ideo Domino Scribæ & Pharisæi tendebant laqueos insidiarum, putantes eum vel immisericordem futurum in iudicando G vel iniustum, prævidens ille dolos, quasi fila transit araneæ, & iudicium iustitiæ per omnia & mansuetudinem pietatis ostendens. Ecce temperantia miserandi: *Qui sine peccato est vestrum*, ecce iterum iustitia iudicandi, *primus in illam lapidem mittat.* Ac si dixisset: si Moyses mandavit vobis mulierem huiusmodi lapidare, videte, quia non hoc peccatores, sed iustos facere præcepit. Primo vos ipsi iustitiam legis implete, & sic innocentes manibus & mundo corde ad lapidandam ream concurrite, primo spiritualia legis edicta, fidem, misericordiam & charitatem perficite, & sic ad carnalia iudicanda, divertite.

Dato autem iudicio Dominus, iterum se inclinans deorsum in terra scribebat: Et quidem iuxta morem consuetudinis humanæ potest intelligi, quod ideo Dominus coram tentatoribus improbis inclinari & in terra scribere voluerit, ut alio vultum intendens, liberum daret eis exitum, quos suâ responsione perculsos citiùs H exituros, quam plura interrogaturos præviderat. Denique audientes, unus post unum exibant, incipientes à senioribus.

Sed figuratè nos admonet in eo, quod & ante datam & post datam sententiam inclinans scripsit in terra, ut & prius quam peccantem proximum corripiamus, & postquam debitæ castigationis illi ministerium reddiderimus, nos ipsos digna humilitatis investigatione perpendamus, ne fortè aut eisdem quæ in ipsis reprehendimus, aut aliis quibuslibet simus facinoribus irretiti, sicut forte fieri potuit, ut ipse qui homicidam reum mortis esse iudicaverit, ipse in se ipso per odium fraternæ mortis esse reus ante oculos conditoris inveniatur. Similiter qui fornicationis crimen in fratre accusat, in seipsum superbiæ facinus

non

A non videst. Ideo iubetur iudex alieni criminis digito discretionis in corde suo describere, ne forte in seipso reus inveniatur. Quid ergo nobis in huiusmodi periculis remedij, quid restat salutis, nisi ut cum peccantem conspicimus alium, mox inclinemur deorsum, id est, quam deiecti ex nostræ conditione fragilitatis simus, si non nos divina pietas sustentet, humiliter inspiciamus, digito scribamus in terra, id est, discrimine solerti pensemus, an cum beato Iob dicere possimus: (Iob 17.) *Neque enim reprehendit nos cor nostrum in omni vita nostra.*

Ex decretis Stephani Papæ & Martyris.

VEstimenta Ecclesiastica, quibus domino ministratur, & sacrata debent esse & honesta, quibus in alius usibus nemo debet frui, quam Ecclesiasticis & Deo dignis officiis, quia nec ab aliis debent contingi aut ferri, nisi à sacratis hominibus; ne ultio quæ Balthazar percussit, super hæc transgredientibus & B talia præsumentibus veniat divina, & corruere eos faciat ad ima. Hæc illis in partibus quibus moraris, & in omnibus, quibus potueris, cunctis nota facito, & observare Apostolicâ mandato auctoritate, quia & nostri nobisque commissi in sede Apostolica & universali Ecclesiâ omnes hæc observare nunc & futuris temporibus professi sunt.

Innocentius Papa Episcopis Apuliæ.

CAnones apud Nicæam constituti pœnitentes etiam ab infimis officiis clericorum excludunt.

Ex decretis Siricij Papæ.

ILlud nos quoque par fuit providere, ut sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post pœnitudinem ac reconciliationem C nulli unquam laïco liceat honorem clericatus adipisci, quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum instrumenta Sacramentorum suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.

Ex decretis Leonis Papæ primi.

NEc primum aut secundum aut tertium in Ecclesia gradum quisque laïcorum quibuslibet suffragiis fultus ascendat, priusquam ad hoc meritum per legitima augmenta perueniat. Quod enim nunc utcunque patimur esse veniale, inultum postmodum esse non poterit, si quisquam id quod omnino interdicimus usurpare præsumpserit, quia remissio peccati non dat licentiam peccandi, neque quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit amplius impune committi.

D *Ex Concilio Toletano XII.*

SI Diaconus aut Presbyter crimen capitale commiserit, ab officij honore depositus in Monasterium retrudatur, ibique tantummodo quamdiu vixerit, communionem sumat laicam.

Ex Canonibus Sylvestri Papæ.

NVllus Lector vel Acolytus vasa sancta audeat tangere, & nullus Subdiaconus rem iam consecratam à Presbytero alij porrigat, quia aliud est minister aliud assistens, nisi tantùm subportet quod ei Sacerdos imponat suo ore benedictum.

***

E *Ex eisdem.*

SI quis Clericatum promereri desiderat, hoc iustum est ut sit Ostiarius annum unum, Lector annos XX. Exorcista annos decem, Acolytus annos quinque, Subdiaconus annos quinque, Diaconus annos quinque. Et sic ad honorem Presbyterij accedat, & faciens in eo ordine annos sex, si fuerit omnium votiva gratia, non præmio, non invasione cupiditatis, nulli prorumpens gradum, sic ab omni Ecclesia eligatur consecrandus Episcopus, nullo de membris Ecclesiæ interdicente, & omni Ecclesia consentiente: *Et dixerunt Episcopi*, placet.

Innocentius Papa de temporibus morandis in Clero.

ITa sane, ut in eis tempora à maioribus constituta F serventur, ne citò quilibet Lector, citò Acolytus, citò Diaconus, citò Sacerdos fiat, quia in minoribus officiis si diu perdurent, & vita eorum pariter & obsequia comprobantur, ut ad Sacerdotium postea emensis stipendiorum metiis veniant, nec præripiant quod vita probata meretur.

Ex decretis Zosimi Papæ.

HÆc autem singulis gradibus, observanda sunt tempora, si ab infantia Ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter Lectores usque ad vicesimum ætatis annum continuatâ observatione perduret, si maior iam & grandævus accesserit, ita tamen ut post baptismum statim se divinæ militiæ desideret mancipari, sive inter Lectores, sive inter Exorcistas quinquennio teneatur, exinde Acolytus vel Subdiaconus quatuor annis, & sic ad benedictionem Diaconatûs si meretur accedat. In quo ordine quinque annis si inculpatè se gesserit, hærere debebit, exinde suffragantibus stipendiis per tot gradus datis propriæ fidei documentis, G Presbyterij Sacerdotium poterit promereri. De quo loco, si eum exactior ad bonos mores vita produxerit, summum Pontificatum sperare debebit, hac tamen lege servatâ, ut neque bigamus neque pœnitens ad hos gradus possit admitti, sane cum etiam defensores Ecclesiæ, qui ex laïcis fiunt, supradictâ observatione teneantur, si meruerint esse in ordine Clericatûs.

Sylvester in Synodo confirmante Nicænum Concilium, subscribentibus sibi CCLXXV. Episcopis.

COmmoneo autem omnes vestrûm consortes unanimiter de reditibus Ecclesiæ quatuor partes fieri, quota pars exigatur. Habeat autem Ecclesia unam H partem ad se relevandam, Pontifex unam, & aliam pauperes, vel peregrini, Presbyteri quartam & Diaconi cum residuo Clero, omnibus autem ipso Pontifice dispensante. Constituo etiam & hunc ordinem, ut si quis de Clero vel Presbyteris universorum locorum, quod commune est, transierit de hoc mundo, si neminem de sua generositate habeat consortem, quidquid paupertas eius habeat, conferat Ecclesiæ, & partes fiant, sicut supra dictum est.

Huic etiam Synodo Synodus Nicæna vicissim subscripsit, & eam approbavit, teste Leone Nono in Epistola ad Michaelem & Leonem Episcopos, ubi introducens primum caput huius Concilij, ita loquitur de Apostolicâ sede: *Illi nempe facitis præiudicium de quo nec vobis nec cuilibet mortalium licet facere iudicium, beatissimo & Apostolico Pontifici Sylvestro, divinitus decernente, spiritualique eius filio Constantino religiosissimo Augusto cum universa Synodo Nicænâ approbante ac subscribente, ut summa sedes à nemine iudicetur.*

Ex decreto Alexandri Papæ.

CVm Sacrorum Canonum autoritas quatuor ex rebus Ecclesia iubeat fieri portiones, quarum una pauperibus, altera fabricis Ecclesiarum sit impendenda, tertia Episcopo, quarta Clericis sit conferenda, sicut pauperibus & Ecclesiis singulæ partes sunt concedendæ, ita quoque reliquæ partes neque ab Episcopo vel Clero emendæ sunt vel vendendæ, sed eis pro Evangelij annuntiatione, & pro officij sui labore eodem modo conferendæ.

Ex decretis Gelasij Papæ.

QVatuor autem tam de reditu quam de oblatione fidelium prout cuiuslibet Ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenientes fieri portiones: Quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus sicut Sacerdotis intererit integram ministris Ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic Clerus ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea vero quæ Ecclesiasticis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat instauratio manifesta sanctorum, quia nefas est, si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum Præsul impendia his designata convertat. Ipsam nihilominus ascriptam pauperibus portionem quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus etiam videatur, tamen iuxta quod scriptum est: *Vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*; oportet etiam præsenti testificatione prædicari, & bonæ famæ præconiis non taceri. (Matt. 5.)

Ex Concilio Moguntino, cui præsedit Bonifacius Archiepiscopus & Martyr auctoritate Zachariæ Papæ. Cap. X.

ECclesiæ antiquitus constitutæ, nec decimâ, nec aliquâ possessione priventur, ita ut novis oratoriis tribuatur.

Ex eodem. Cap. XLI.

QVicunque beneficium Ecclesiasticum habent, ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas omnino adiuvent, & nonam decimam reddant.

Ex Concilio Aquilegiensi. Cap. III.

VT nulli Presbytero in alio loco baptisma liceat celebrare, nisi in eodem loco, ubi semper Baptisteria antiquitus fuerunt.

Ex eodem Concilio. Cap. III.

DEcimæ quæ à fideli populo dantur, in Ecclesiis Baptismalibus inferantur, & ipsi Presbyteri qui in easdem plebes ordinati sunt, cum omni sollicitudine curam habeant de Christianitatis causa populo sibi commisso, & populus suas decimas suis Presbyteris offerat, & Presbyteri dividant eas in quatuor partes, sicut antiqua patrum Regula continetur, unam sibi, unam Clericis, unam pauperibus, unam ad instaurationem seu luminaria vel incensum Ecclesiarum, & hoc statuimus, ut prædicti Presbyteri habeant iuxta suam Ecclesiam, aut infra suam cellam locum constitutum, ubi quarta, quam pauperibus dari docuimus inferatur.

***

Ex Regesto Leonis Papæ [illegible]

DE decimis iusto ordine non [illegible], sed maioribus, visum est, plebibus, tantum [illegible] sacro sancta dantur baptismata dari debere.

Gelasius Papa Maximo & Eusebio Episcopis.

LIcet Regulis contineatur antiquis, parochias unicuique Ecclesiæ pristinâ dispositione deputatas nullâ posse ratione convelli, ne per consuetudinem pessimam exempli mali temeritate crescente, ubique universalis confusio nasceretur, iam in decretis nostris ante non multum temporis destinatis, omnia iussimus, quæ taliter fuerant invasa, restitui. Sed quia temeritas pervadentium legem sibi putat posse generari, si sceleri suo pertinaciam retentionis adiungat, ea quæ inter fratrem & Coëpiscopum nostrum Constantinum Camiscanæ Ecclesiæ Sacerdotem, & directos ab Anconitano Pontifice decrevimus, per vos impleri cupimus. Tunc formam in cæteris cogitationibus quæ sit sequenda perscripsimus. Nullâ igitur præsumptione statum parochiarum qui perpetuæ ætatis firmitate duravit, patimur immutari, quia neque negligentia Pontificis, neque temporalis abiectio, quæ per incuriam fortè generatur, nec ignavia faciente consensus, nec surripiente supplicatione præceptio divellere potest semel diœcesim constitutam, ex qua semper ad regenerationem atque consignationem plebs devota consistit.

Idem Iustino Archidiacono & Fausto. De rebus Ecclesiæ in quatuor partes dividendis.

VObis & famæ vestræ consultum duximus, ut Pontificis vestri loco vobiscum ab eodem aliquis subrogetur, qui eius nomine pariter universa disponat, quatenus omnia prædia ad vestrum evocetis studium, ne cuiquam Clerico pro portione sua solum aliquod Ecclesiæ putetis esse deputandum, ne per incuriam negligentiámque minuatur, sed omnem pensionis summam ex omnibus prædiis rusticis urbanisque collectam ad Antistitem deferatis. Ex qua tamen collectione habeatur ratio, quod ad causas vel expensas accedentium necessitatum opus esse perspicitur, ut de medio sequestretur, & quartæ portiones vel fidelium oblationes de hac fiant modis omnibus pensione, ita ut unam sibi tollat Antistes, aliam Clericus pro suo iudicio & electione dispertiat, tertiam pauperibus sub omnium conscientia faciat erogari: Fabricis verò, quod competit ad ordinationem Pontificis erogatione vestrâ decernimus pendendum. Si quid fortè ab annua remanebit expensa, electo idoneo ab utraque parte custode condatur in thecis, ut si maior emerserit fabrica, sint subsidio, quæ diversi temporis diligentia potuerint custodiri, aut certè ematur possessio, quæ utilitates respiciat communes.

Ex Concilio Aureliano. Cap. VII.

OMnia quæ Deo offeruntur, consecrata habeantur, in vineis, terris, sylvis, utensilibus, vestimentis, pecoribus & reliquis possessionibus, ut quæ Ecclesiis, sine dubio Christo qui sponsus earum est, offeruntur.

De eadem re. Ex Concilio Rothomagensi. Cap. III.

OMnes decimæ terræ sive de pomis arborum, sive de frugibus, Domini sunt, & illi sanctificantur.

Boves

A Boves & oves & capræ, quæ sub pastoris virgâ transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum nec malum, nec altero commutabitur. Si quis mutaverit, & quod mutat, & quod mutatum est, sanctificabitur Domino, & non redimetur. Sed quia modo multi inveniuntur decimas dare nolentes, statuimus ut secundum Domini nostri præceptum admoneantur semel & tertiò: si non emendaverint, anathematis vinculo constringantur, usque ad satisfactionem & emendationem congruam.

Ex Concilio Gaballonensi. Cap. XVIII.

B Questi sunt præterea quidam fratres, quod essent aliqui Episcopi & Abbates, qui decimas non sinerent dare ad Ecclesias, ubi illi coloni Missas audiunt. Proinde decrevit sacer iste Conventus, ut Episcopi & Abbates de agris & vineis, quæ ad suum vel fratrum stipendium habent, decimas ad Ecclesias deferri faciant, familiæ verò ibi dent decimas suas, ubi infantes eorum baptizantur, & ubi per totum anni circulum Missas audiunt.

Ex Concilio Toletano. Cap. XXXVI.

De his autem quæ Altaribus offeruntur, quarta pars fideliter Episcopis deferatur: duæ Clericis, decimæ autem secundum quosdam singulis annis tertia pars, aut in tertio tota. Sed tamen nos sequentes Romanos, singulis annis quartam partem, aut in quarto totam Episcopi recipiant.

C

Ex Concilio Moguntiacensi. Cap. VIII.

Quatuor partes iuxta Canones fieri de fidelium oblationibus debent, ut una sit Episcopi, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta restaurationi Ecclesiarum servetur.

Ex Concilio Agrippinensi.

Item quod decima quæ à fidelibus datur, Dei census nuncupanda est, & ideo ex integro reddenda. Cuius tertia pars secundum Canonem Toletanum Episcoporum esse debet. Nos vero hac potestate uti nolumus, sed tantùm singulis annis quartam partem usu Romanorum Pontificum, & observantiâ sanctæ Ecclesiæ Romanæ de eadem habere volumus. Quod si quis contentiosus inde
D repertus fuerit, sive Clericus sive laicus ille sit, communione privabitur, & Synodali censura iudicabitur.

***

FINIS.

E



BEATI

LANFRANCI

CANTUARIENSIS

Archiepiscopi, & Angliæ Primatis Ordinis Sancti Benedicti.

F

OPERA OMNIA QUÆ reperiri potuerunt.

EVULGAVIT DOMNUS LUCAS Dacherius, Benedictinus Congregationis Sancti Mauri in Gallia.

AD LECTOREM.



Vro in hac Lanfranci editione præstitum sit, paucis non abs re erit aperire. Elucubrationes in Epistolas Beati Pauli, propter operis dignitatem, primum obtinent locum: SS. Ambrosium,
G & Augustinum continuò fermè, bis aut ter solummodò SS. Hieronymum, & Gregorium Magnum in medium profert, præfertque suæ sententiæ Auctor noster. Loca citavimus Beati Augustini, præter paucissima; Sancti verò Ambrosij nullatenus, quippe inter eius opera, ne verbum quidem citatorum a Beato Lanfranco, etsi diutiùs multúmque in illis adinveniendis desudaverimus, licuit invenire; sed maximè ab Epistola ad Romanos, ad Epistolam ad Galatas usque; siquidem in Epistolas ad Romanos, & ad Corinthios verba sub nomine D. Ambrosij producta, in commentario ipsi perperàm adscripto occurrêre nonnulla, haud equidem consequenter, sed una aut altera linea intra paginæ dimidium identidem desumpta videtur, nonnunquam duo aut tria verba: unde magna mihi suscipio est Beati Lanfranci ævo commentaria Sancti Ambrosij extitisse, quæ ad nostra tempora haudquaquam pervenerunt, vel latere alicubi: Ab hac coniectutâ minimè abhorret Antonius Possevinus
H in Apparatu Sacro de hisce Commentariis agens: *Iam verò*, inquit, *Commentarios in Epistolas Pauli non esse Ambrosij, hosce, qui dati sunt prælo, sed interisse, persuasum est ferè doctoribus.*

Agnovetis etiam in hoc eodem Lanfranci Commentatio quasdam sententias, quæ Ambrosij nomen præ se ferunt, reverà esse Augustini; videlicet in Epistol. ad Galatas, ad hæc verba capitis 3. (*Mediator autem*, &c.) *Si Filius Dei naturalis*, &c. Item ibidem (*Sed conclusit*) *Conclusio*, &c. Et ad caput 4. eiusdem Epistolæ (*Elementa*) *id est, temporibus servitutis*, &c. Extant hæc apud Augustinum lib. expositionis Epistolæ ad Galatas, ante medium. Et hæc obiicienda putavi, quatenus si qua id genus offenderis, Lector, colligas ea promiscuè & oscitanter à librario fuisse Beato Ambrosio assignata: omnia autem percurrere, atque ad amussim revocare, & locos ex utroque Doctore ab eodem Lanfranco mutuatos conferre, ingentis esset (ne dicam humanas propemodùm vires excedentis) & laboris forsitan vacui.

Caducæ, adeò erant literæ, ac minutissimæ

(coætaneâ tamen & non inelegant i manu exaratæ) vti visum fugerent aliquandò ; lituris insuper commentarius plerisque in locis contaminabatur, mendis non carebat, asteriscis, & obelis subobscuris marginulæ onerabantur. Obliqua multa & transversa inerant, ita quòd ordo textûs Epistolarum minimè servaretur, verùm quæ ex vno authore proferebantur in qualibet pagina verbi gratia S. Augustini continuò scripturæ ordine inverso, expendebantur : veruntamen cùm nullum aliud exemplar (licet diversis diversarum regionum viris doctis, & antiquariis, Anglis præsertim, Nonnannis, & Belgis scripsissem, ob idque plurimas Parisiis Bibliothecas lustrassem) suppeditari potuisset, omnem curam, omnem laborem, omne studium, omnem denique industriam adhibui, vt quàm castigatissimè commentarius iste, ad limam sæpius & incudem revocatis sententiis, ederetur.

Glossula quidem interlinearis in autographo extabat, sed cùm obscuritatem ingerere videretur (literam enim grammatice explanat subindè) interiectam, nimirum explicatiùs verba enodantem placuit evulgare ; ab Auctoris tamen & mente, & sensu verborum, non transversum, ut aiunt, unguem discessi; at quantum fas fuit, potuique divinare, germana Lanfranci verba descripsi, & vbi literas sensumve explicare non valerem, puncta interieci loco verborum ; vel sanè siquandò obscuriora attexuerim, in margine coniecturas adieci.

Loca divinæ Scripturæ cum vulgatis Bibliis, & sententias B. Augustini cum editione Antuerpiensi, omnium castigatissima, contulimus : quantum ad S. Ambrosium, conferre licuit nihil, propter rationes superiùs allatas.

Et quia B. Lanfrancus Glossulâ suâ continuò propè textum emendat, nos ea de re Glossulam, vbi simplex fuit correctio, subiecimus, & Vulgatam hanc ipsam sumus in nostra editione sequuti ; paucis saltem exceptis, quæ inconsultò irrepsere, exempli gratiâ, *Holocaustomata*, pro *holocautomata* : quamvis idem sonent.

Illo in Commentario duas potissimùm ob causas (meâ sententiâ) brevitati studuit Auctor ; altera est quoniam id tunc temporis, ac multò priùs, divinarum rerum commentatores Sacram Scripturam λακωνικῶς interpretabantur : altera verò, quia studij parùm, meditationis quamplurimùm divinis in scripturis intelligendis, vsu probè vir ille divinæ theoriæ scientissimus noverat insumendum.

Loca è Petri Lombardi lucubrationibus in Paulum descripta, ac initio Commentariorum à nobis attexta, aliud Opus in Epistolas Apostoli edidisse Lanfrancum, indigitare videntur ; vtpote quæ, præter dictio posteriora, minimè prostant in his Commentariis. Fortè aliud sepultum hactenus pulvere, blattis, tineisque depraedantibus excesum : Cùm verò vllus dubitationis meæ assertor nusquam occurrat, quod publicamus Commentarium nobis interim fuerit solatio.

Tractatum de Eucharistiæ Sacramento (repetitâ editione multoties evulgatum) primus eruit Franciscus Carreus, seu Quadratus, Beccensis Cœnobita: Sed verò cùm in illa Carrei editione, Berengarij professionem Pontifice Gregorio VII factam, & quædam præcedentia, & subsequentia verba animadvertissem, ab his videlicet, *Ad hæc Gregorij Septimi, &c.* ad illa : *Cùm autem sub Nicolao, &c.* adiecta fuisse ab evulgatore hacce coniecturâ movebat : haud enim me latebat B. Lanfrancum Epistolâ 3. ad Alexandrum Papam Tractatum suum de Corpore, & Sanguine Domini contra Berengarium, Cadomi Abbatis fungentem officio, elucubrasse professum, constabatque Gregorium non eadem tempestate, verùm plus tribus post annis fuisse creatum (cùm iam in Cantuariensi cathedra sederet Lanfrancus) ac proinde dictam professionem suo libello inserere haud potuisse videbatur.

Deinde collato Tractatu ad tria MS. Bibliothecarum Regiæ, Beccensis, & Petavianæ, necnon ad omnes, quæ occurrerunt, editiones, cùm eiuscemodi professionis ne vel minima syllaba legeretur, magis augebatur suspicio : Nihilo tamen seciùs additamenta esse quæ protulimus, non est cur affirmemus, quandoquidem adiecisse ea B. Lanfrancum, elaborasseque vt amplior, atque emendatior foret libellus, vero simillima est ratio ; quod & solent plerique auctores, sæpiusculè opera à se edita sub incudem revocare. Non hic immoror in commendando præconiis isto opere aureo, satis enim superque de eodem supra numerum tradidêre scriptores. Mendis, quibus scatebat, expurgavimus, distribuimusque in capita libellum, & citationibus (discussis priùs cum MS. vel editis codicibus) margines adornavimus.

Proximè sequuntur Decreta pro ordine sancti Benedicti semel duntaxat typis ab erudito æquè ac pio Benedictino Congregationis Anglicanæ Clemente Reynero mandata ; sed enim characteribus obliteratis, mendisque librariâ oscitantiâ passim referta ; quæ, prout facultas suppetiit (nullus enim codex MS. occurrit) correximus ; colis, cæsis, & punctis, plurima ex parte distinximus, nonnullàque capita (sua prolixitate importuniora) in sectiones varias divisimus. Enim verò, ut dicam quod sentio, gravitatem, stylique maiestatem B. Archiepiscopi non referunt ubique : (scio in hoc scribendi genere concinna verba non esse quærenda) eapropter suspicor multa inibi decreta à consarcinatore congesta fuisse : & reverà id demonstrare videntur, quæ capitis 2. sectione 2. habentur, ubi ille ipse citatur Lanfrancus: *Canent matutinas (Decretas Lanfranci) laudes.* Et cap. 8. Sect. 1. præscribitur, ut Cellerarius, quo die computorum rationem reddet, festivum prandium fratribus exhibeat ; quod planè virum sanctum summæ abstinentiæ addictum, ac Monachos sanctæ Regulæ observatores, qui in resarcienda disciplina monastica omnem operam navarent, dedeceret. Cæterum instaurationem vitæ solitariæ, quæ asservatur in Collegio Benedictino Cantabrigiæ, aliam minimè esse à Decretis, sivè ut vocant, Cæremoniis, fidem facit Seldenus ad Eadmeri historiam præfatione.

Ad Epistolas quod attinet adhibuimus ipsissimum exemplum, cuius meminit Cardinalis Baronius Annal. Ecclesiasticorum tomo 11. ad annum 1070. (illorum etenim nonnullas ad Sacram Historiam spectantes, eisdem annalibus intexuit) qui posteaquàm B. Lanfranci Epistolam Alexandro II. inscriptam retulit, ista profert : *Hucusque Epistola ad Alexandrum Pontificem, quam accepi una cum aliis ab amico coniunctissimo mihi Christianâ charitate Nicolao Fabro Parisiensi, &c.* Fabrum ex celebri bibliotheca Cottonianâ in Anglia accepisse testis mihi est idem qui supra Seldenus loco citato. Atque illud quidem apographum liberalissimè communicavit Doctissimus Sirmondus ; quo potissimùm in nostra hac usi sumus editione. Suppetias quoque attulit exemplum earumdem literarum (è monasterio, ni fallor, sancti Stephani Cadomensis) ab eruditissimo Ioanne le Prevost Rotomagensi Canonico transmissum. Vnam aut alteram ex vita B. Lanfranci, & Eadmeri historiâ excerpsi : trigesimam septimam (cuius initium duntaxat utrumque apographum continebat) integram misit idem le Prevost. Porrò complures alias scripsisse literas nemo qui non videat ; quippè cuius doctrina, virtus, prudentia, sanctitas per universam penè Europam insonuerat ; quique cùm à summis Pontificibus, tùm ab Episcopis, tùm etiam à Principibus, & aliis cuiuslibet conditionis hominibus consulebatur : at ne saltem unam ab eo exaratam, priusquàm infulas deferret, fas fuit reperire : obvolu-

A tæ fuerunt haud dubiè sub ruinis, dùm circiter ann. 1654. ditissima illa, atque omni veneratione digna ruit Beccensis bibliotheca (proh dolor! quanta pernicies viris literatis) ubi scilicet codices MS. curâ, & studio tàm B. Lanfranci, quam S. Anselmi elucubrati, & castigati, studiose asservabantur.

Subsequitur Epistolas Pericope orationis à Beato Lanfranco in Londoniensi Concilio dictæ. Hanc, opinor, Malmesburiensis ex illius Historia Ecclesiasticâ mutuavit. Posteriorem locum obtinet Libellus de celanda Confessione, quem verum illustrissimi nostri Archiepiscopi fœtum, vbi in manus primùm devenisset, mihi non probatum fatear oportet; quippe verborum sensus subobscurus, implicatæ sententiæ, opiniones nostro ævo non vulgares apparebant: vnde abhorrebat animus inter tanti viri opera id genus
B opusculi annumerare; qui tam laute, eleganter, & dilucidè suis in aliis scriptis eloquitur: verum propiùs verba cùm dispexissem, sensum observassem, expendissemque æqua lance sententias, non has singulares aut alienas à cæterorum Theologorum, immò verò in easdem cum suppares, tùm medios quotquot revolvi authores pedibus ire animadverti, quemadmodum suo loco assertum est. Haud inficior tamen quibusdam in locis sensum abstrusum, neque facili negotio posse explicari; quod amanuensium vitio, atque inscitiæ vertendum, cætera B. Lanfranci scripta percurrentem, qui non perspiciat, arbitror neminem.

Nec mirum, opinor, apud te fuerit, LECTOR, Magnum Lanfrancum, adeò multiplicis literaturæ, summæque doctrinæ locupletem ab universis propemodùm scriptoribus celebratum, paucissima sui ingenij ac peritiæ posteris consignasse monomenta: quippè qui tempus, operam, & studium in erudienda iu-
C ventute, in diversis auctoribus prælegendis, & Theologiâ edocendâ, confutandâque coram, & scriptis Berengarianâ hæresi, antequam Archiepiscopatûs munere donaretur: post verò in subeundo Primatûs onere ponderoso totum seipsum tradidit; atque in dirimendis Ecclesiæ controversiis, & pace promovenda, in corrigendis, & ad onguem elimandis tùm libris Sacris, tùm etiam Sanctorum Patrum Scriptis, quæ ignorantia Ecclesiasticorum, & Librariorum inscitia adulteraverant, immensos labores & sudores exantlavit.

Porro, candide Lector, conatibus nostris fave, votis obsequere; & Sicubi Magni illius Archiepiscopi commentarium in Psalmos, & historiam Ecclesiasticam, seu, ut aliis placet, vitam Guillelmi conquestoris, delitescere cognoveris, mihi literis significes rogo, obtestórque.

D

DE
BEATI LANFRANCI
SANCTITATE QVORVMDAM auctorum
TESTIMONIA.

OBs re visum est non futurum, si, quæ à coætaneis, suppartibus, recentioribúsve scriptoribus, necnon & Martyrologiis authoritates suppeditarentur pro Lanfranci sanctitate, hîc per modum sigilli apponerem.

E

ALEXANDER PAPA II.

In Privilegio Abbatiæ S. Stephani Cadomensis concesso supra pag. 27.

Vnde quia, charissime fili LANFRANCE Abbas, in tantum te excrevisse Religionem cognoscimus, ut non solum de propria salute studiosus existeres, verum etiam communem vitam eligentibus Monasterium construeres, ac formam religionis provideres, &c.

GVILLELMVS PICTAVIENSIS

F *De gestis Guillelmi Ducis pag. 198.*

Illi (*Lanfranco*) consulta animæ suæ, illi speculam quamdam, unde ordinibus Ecclesiasticis per omnem Normanniam consuleret, commisit (*Guillelmus*) Potuit nempe viri talis vigilans cura, cùm maximam authoritatem sapientiæ pariter ac SANCTITATIS prærogativâ comparavit, securitatem non parvam sollicitudini promittere.

EDINERVS,

Libro 1. Vitæ S. Anselmi post initium.

Normanniam adit (*Anselmus*) ibi quemdam LANFRANCVM virum videlicet valde bonum, præstanti religione ac sapientiâ verè nobilem videre, alloqui, & cohabitare volens. Excellentissima quidem fama illius circumquaque percrebuerat, & nobilissimos quosque clericorum ad eum de cunctis mundi partibus agebat, &c. G

OSBERNVS BECCENSIS MONACHVS

Scribens B. Anselmo ut suam inaugurationem acceleret, lib. 3. ep. 5. eiusdem Anselmi.

Recuperemus in te, quod in mortuo SANCTISSIMO PATRE LANFRANCO nos cum toto mundo perdidimus: quem mortuum semper dolebimus, quoad usque illum in te viderimus.

GVILLELMVS MALMESBVRIENSIS.

Lib. 3. de gest. Regum Anglo. in Guillelmo primo sub medium. H

Monasteria, Vnum in Anglia, alterum in Normannia construxit. Primùm Cadomi, ubi & LANFRANCVM Abbatem, post etiam Cantuariæ Archiepiscopum instituit; virum antiquis scienti, & religione comparandum, de quo serió dici potest: *Tertius è cælo cecidit Cato:* adeò cœlestis sapor pectus eius, & palatum infecerat, &c.

ORDERICVS VITALIS

Historia Ecclesiastica lib. 4.

Anno Dominicæ Incarnationis MLXX. LANFRANCVS Cadomensium primus Abbas DIVINITVS Angliis institutor datus est: & honestissimâ electione, ac fidelissimâ consecratione Cantuariensis Ecclesiæ Archipræsul IV. Kal Septembris inthronizatus est, &c. Præsentes & absentes totius Albionis incolæ tripudiarent, atque multùm læti Deo gratias agerent; si quan-

tùm boni cælitùs sibi tunc impartiretur, agnoscerent.

PETRVS DE NATALIBVS.

In Catalogo Sanctorum lib. 6. cap. 47.

LANFRANCVS relicto sæculo, & sæcularibus studiis, in prædicto monasterio habitum monachalem assumpsit; & humilem ac despectam vitam ducere cœpit: & cum esset omnium doctor, sapientiam suam humiliter occultabat, &c. Quievit in Christo quinto Nonas Julij.

IOANNES TRITHEMIVS ABBAS

De Viris illustribus ordinis Sancti Benedicti lib. 3. cap. 325.

Lanfrancus ex Abbate Cadomensis monasterij, Archiepiscopus Cantuariensis, vir doctissimus & valdè religiosus, non sine magnæ SANCTITATIS opinione habitus est, sicut in eius gestis scriptis invenitur. Claruit anno Domini MLX.

CÆSAR BARONIVS CARDINALIS

Annal. Ecclesiast. tom. 11. ad ann. 1070.

Hæc de ordinatione LANFRANCI celebris huius sæculi in Ecclesia Catholica luminis supra tantum candelabrum erecti, ut qui scientiâ egregiè polleret, & SANCTITATE VITÆ.

ARNOLDVS VVION

Ligni vitæ lib. 3. in Martyrologio.

QVINTO NONAS IVLII.

Cantuariæ in Anglia, SANCTI LANFRANCI Archiepiscopi, Summæ doctrinæ, & miraculorum gloriâ clarissimi.

APPENDIX AD MARTYROLOGIVM ROMANVM,

Sive Catalogus generalis Sanctorum, Vrbano VIII. Dicatus, auctore Philippo Ferrario.

QVINTO NONAS IVLII.

Cantuariæ in Anglia SANCTI LANFRANCI Episcopi. *Et infra in Notis.* Ex Martyrologio monast. Maurol. & Felic. Is ex Abbate Cadomensi in Normandia ob vitæ SANCTITATEM, & doctrinam factus est Episcopus 33. Cantuariensis Migravit è vita anno 1089.

MARTYROLOGIVM SANCTORVM ORD. D. BENEDICTI.

Ab Hugone Menardo digestum.

QVINTO NONAS IVLII.

Cantuariæ in Anglia, BEATI LANFRANCI Episcopi Summæ doctrinæ, & Sanctitatis viri.

VERSVS S. ANSELMI de prædecessore suo LANFRANCO.

ARCHIEPISCOPII non divitias nec honores,
LANFRANCVS subiit: sed curas atque laborum.
Natus in Italia, Papiensi de regione:
Civibus egregiis, & honesta conditione.
Monachus atque Prior Becci fuit, hinc Cadomensis
Abbas, post Præsul Primatus Cantuariensis.
Totius Anglorum fuit Ecclesiæ reparator:
Et Normannorum nihilominus auxiliator.
Huius doctrinam pars maxima senserat orbis;
Et commune fuit viduis solamen, & orbis,
Claudis, contractis, leprosis, dæmoniosis,
Surdis, & cæcis, nec non aliis vitiosis.
Post exhortamen non sprevit ferre iuvamen.
Sed dum vixit, erat spes omnibus atque levamen.
Et quamvis epula cum potu deliciosa;
Et vestis fuerant sibi molles, & pretiosa;
Ipse tamen tectus fuit asperitatis amictu;
Semper de vili vivens & paupere victu.
Verus iustitiæ, non falsus in ordine cultor:
Nequitiaque fuit rectissimus & pius ultor.
Asper in elatos, nulli pro munere supplex:
Innocuisque bonis & nullo tempore duplex.
Castus & incestis parcendo subveniebat:
Iustus & iniustos tolerando corripiebat.
Sic alios curans, pastoris opus faciebat.
Sic se conservans, Domino per cuncta placebat.
Hic vir tam Sapiens, & in hoc luctamine fortis:
Non potuit tandem laqueos evadere mortis.
O quantos miseri, tunc invenere dolores;
Et gens Anglorum, quantos amisit honores!
Quo gemitu clerus; quo fletu monachus erat!
Et quantus dolor est, quo sexus uterque laborat!
Si quis confidit totum se dicere posse;
Hunc ego confirmo, non totum dicere nosse.
Et qui LANFRANCO se videat æquiparandum,
Illum sæpe facit præsumptio vituperandum.
Sole sub undecimâ geminos subeunte dietâ;
Felicis vita sibi ponitur ultima meta.
Regum Rex æterne Deus, rerúmque creator;
Sis sibi perpetuus defensor & auxiliator.
Virgo Redemptoris mundi sanctissima mater,
Illum conserva, nè Spiritus atterat ater.
Omnes electi, precibus, meritisque iuvate,
LANFRANCVM vestris, & nobis consociate,
Vos quoque, qui vitam gratanter adhuc retinetis;
Et spem venturæ, donec superestis, habetis:
Hortor & admoneo, quod eidem subveniatis,
Vt quod feceritis, post mortem percipiatis.
Nam qui propter eum supplex, & sedulus orat:
Pro semet supplex, & sedulus ipse laborat. Amen.

A

EX BELLARMINO
de scriptoribus Ecclesiasticis.

LANfrancus Archiepiscopus Cantuariensis, vir sanctus & doctus in Concilio Romano sub Nicolao secundo Pontifice anno 1059. disputavit cum Berengario hæresiarcha, eúmque ita convicit, ut Berengarius librum suum in ignem iniecerit. Sed eo ad vomitum redeunte, scripsit idem Lanfrancus insignem librum de veritate corporis Domini in Eucharistia; qui liber extat. Dicitur etiam idem Lanfrancus scripsisse in Psalmos David, & in Epistolas Sancti Pauli.

B

BEATI LANFRANCI
PRIORIS BECCENSIS, DEIN PRIMI ABBATIS Sancti Stephani Cadomensis, ac tandem Archiepiscopi Cantuariensis,

IN OMNES D. PAVLI EPISTOLAS Commentary cum glossula intericcta.

C

PRODEVNT NVNC PRIMVM in lucem ex codice manu antiquâ exarato Monasterij S. Melanij Redonensis Congregationis Sancti Mauri.

INCIPIT † PRÆFATIO in omnes Epistolas Sancti Pauli.

† Hæc & sequēs Præfatio in codice MS. adscribitur D. Hieronymo.

Cur Paulus epistolas scripserit.

PRIMVM quæritur, quare post Evangelia, quæ supplementum legis sunt, & in quibus nobis exempla & præcepta vivendi plenissimè digesta sunt, voluerit Apostolus has Epistolas ad singulas Ecclesias destinare? Hâc autem causâ factum videtur, ut scilicet initia nascentis Ecclesiæ novis causis existentibus præveniret, & ut præsentia atque orientia resecaret vitia: & pòst futuras excluderet quæstiones,

D

exemplo Prophetarum, qui post editam legem Moysi, in qua omnia Dei mandata legebantur, nihilominus tamen doctrinâ suâ rediviva semper populi compressere peccata, & propter exemplum vivendi libros ad nostram etiam memoriam transmiserunt. Deinde quæritur: Cur non ampliùs quàm decem Epistolas ad Ecclesias scripserit? Decem sunt enim cum ea quæ dicitur ad Hebræos. Nam reliquæ quatuor ad discipulos specialiter sunt porrectæ. Vt ostenderet novum non discrepare à veteri Testamento, & se contra legem non facere Moysi? ad numerum primorum Decalogi mandatorum suas epistolas † destinavit, & quot ille præceptis à Pharaone instituit liberatos, totidem hic Epistolis à diaboli & idololatriæ servitute edocet acquisitos. Nam & duas tabulas lapideas, duorum testamentorum figuram habuisse, viri eruditissimi tradiderunt. Epistolam sanè quæ ad Hebræos scribitur, quidam Pauli non esse contendunt, eò quòd non sit eius nomine titulata, & propter sermonis stilique distantiam, sed aut Barnabæ iuxta Tertullianum, aut Lucæ iuxta quosdam, vel certè Clementis discipuli Apostolorum & Episcopi Romanæ Ecclesiæ post Apostolos ordinati. Quibus respondendum est: Si propterea Pauli non erit, quia eius non habet nomen, ergo nec alicuius erit quia nullius nomine titulatur. Quod si inconveniens absurdumque est, ipsius magis esse credenda est, quæ tanto doctrinæ suæ fulget eloquio. Sed quoniam apud Hebræorum Ecclesias quasi destructor legis falsâ suspicione habebatur, voluit tacito nomine de figuris legis & veritate Christi reddere rationem, ne odium nominis in fronte prætitulati, utilitatem excluderet lectionis. Non est sanè mirum, si eloquentior videatur in proprio, id est, Hebræo, quàm in peregrino, id est, in Græco, quo cæteræ Epistolæ sunt scriptæ sermone.

Cur non plures, paucioresve quàm decem?

† ordinavit

E

Tert lib. de pudicitia c.10 Eusch. lib.4. histor c.18 Epistola ad Hebræos quin Pauli sit. Non obstat tituli deficientia, vel stilus insolitus.

F

Movet etiam quosdam, quare Romanorum Epistola in primo sit posita, cùm eam non primò scriptam ratio manifestet. Nam hanc se proficiscentem Hierosolymam scripsisse testatur, cùm Corinthios & alios iam antè, ut ministerium quod secum portaturus erat, colligerent, literis adhortatus sit. Vnde & intelligi quidam volunt ita omnes epistolas ordinatas, ut prima poneretur, quamvis posterior fuerit destinata, ut per singulas epistolas gradibus ad perfectiora veniretur. Romanorum namque plerique tam rudes erant, ut non intelligerent Dei se gratiâ & non suis meritis esse salvatos, & ob hoc duo inter se populi confligerent. Idcirco illos indigere asserit corrigi, vitia Gentilitatis priora commemorans. Corinthiis autem iam dicit scientiæ gratiam esse concessam, & non tam omnes increpat, quàm cur peccantes non increpaverint, reprehendit, sicut ait: *Auditur inter vos fornicatio.* Et iterum: *Congregatis vobis cum meo spiritu tradere huiusmodi Sathanæ.* In secundâ verò laudantur: & ut magis ac magis proficiant, commonentur. Galatæ verò iam nullius criminis arguuntur, nisi huius tantùm quòd callidissimis pseudoapostolis crediderunt. Ephesij sane nullâ reprehensione, sed multâ laude sunt digni, quia fidem Apostolicam servaverunt. Philippenses etiam multò magis collaudantur, qui nec audire quidem falsos Apostolos voluerunt. Thessalonicenses nihilominus in duabus epistolis omni laude prosequitur, eò quòd non solùm fidem inconcussam servaverint veritatis, sed etiam in persecutione civium fuerint constantes inventi. Colossenses autem tales erant, ut cum ab Apostolo visi corporaliter non fuissent, hâc laude digni haberentur: *Et si corpore*, inquit, *absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens & videns ordinem vestrum.* De Hebræis verò quid dicendum est? quorum Thessalonicenses qui plurimùm laudati sunt, imitatores facti esse dicuntur. Sicut ipse ait: *Et vos fratres imitatores facti estis Ecclesiarum Dei quæ sunt in Iudea. Eadem enim passi estis & vos à contribulibus vestris, quæ & illi à Iudæis.* Apud ipsos quoque Hebræos eadem commemorat dicens: *Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.*

Cur epistola ad Romanos primū locū in epistolis habeat.

1.Cor.5. Ibid. b. G

Romani catechesi plus cæteris indigebāt. 1.Thes.1 c.

Col.2.a.

1.Thes.2 c. Heb.10.g

H

INCIPIT

A

INCIPIT PROLOGVS Specialis in Epiſtolam ad Romanos.

Vana quorũdã fidelium ex Iudæis gloriatio.

*R*OMANI *ſunt qui ex Iudæis & Gentibus crediderunt. Hi ſuperbâ contentione volebant ſe alterutrum ſuperponere. Nam Iudæi dicebant: Nos ſumus populus Dei, quos ab initio dilexit & fovit. Nos circuncisi ex genere Abraham, ſanctâ deſcendimus ex ſtirpe, & notus retrò apud Iudæam tantùm Deus. Nos de Ægypto ſignis Dei & virtutibus liberati, mare ſicca pertranſivimus pede, cum inimicos noſtros graviſſimi fluctus involverent. Nobis pluit manna dominus in deſerto, & quaſi filiis ſuis cæleſte pabulum miniſtravit. Nos die noctúque in columna nubis ignisque præceſſit, ut nobis in invio iter oſtenderet. Atque ut cætera eius circa nos immenſa beneficia taceamus, nos ſoli digni fuimus Dei legem accipere, vocem Dei loquentis audire, eiúſque cognoſcere voluntatem. In qua lege nobis promiſſus eſt Chriſtus, ad quos etiam ipſe ſe veniſſe teſtatus eſt, dicens:* Non veni niſi ad oves quæ perierunt domus Iſraël: *cùm vos canes potius quàm homines appellaverit. Æquùmne ergo eſt, ut idola hodie deſerentes, quibus ab initio deſerviſtis, nobis comparemini: & non potius proſelytorum in locum ex legis auctoritate & conſuetudine deputemini? Et hoc ipſum non merebamini: niſi quia larga ſemper Dei clementia voluit vos ad noſtram imitationem admittere.*

Pſ 75.a. — Exod. 14 c. — B — Ibi. 16.a — Ex. 13 d — Exod. 20 a. — Rom. 3.a — Matth. 15.c.

Alia ſimilis Gentiũ.

Gentes etiam è contrario reſpondebant: Quantò maiora erga vos Dei beneficia narraveritis, tantò maioris vos criminis reos eſſe monſtrabitis. Semper enim his omnibus extitiſtis ingrati. Nam ipſis pedibus, quibus aridum mare tranſiſtis, ludebatis ante idola quæ feciſtis: & in ipſo ore quo paulò antè ob necem adverſariorum domino cantaveratis: ſimulacra vobis fieri popoſciſtis: illis oculis, quibus venerandũ Deum in nube vel igne conſpicere ſolebatis, ſimulacra intuebamini. Manna quoque vobis faſtidio fuit, & ſemper in deſerto contra dominum murmuraſtis, ad Ægyptum, unde vos manu validâ eiecerat, redire cupientes. Quid plura? Ita patres veſtri crebrâ provocatione dominum irritaverunt, ut omnes in eremo morerentur, nec plus ex ſenioribus eorum quàm duo homines terram repromiſſionis intrarent. Sed quid antiqua replicamus, cum etiamſi illa minime feciſſetis, de hoc ſolo nemo vos dignos veniâ iudicaret, quòd dominum Chriſtum prophetarum ſemper vobis vocibus repromiſſum, non ſolùm ſuſcipere noluiſtis, ſed etiam morte peſſimâ peremiſtis? Quem nos ut cognovimus, ſtatim credidimus, cùm nobis de eo antea non fuerit prædicatum. Unde probatur, quòd idolis ſervivimus: non obſtinationi mentis, ſed ignorantiæ deputandum. Qui enim cognitum illicò ſequimur, olim utique ſequeremur ſi antea cognoviſſemus. Sic autem vos de generis nobilitate iactatis, quaſi non morum imitatio magis quàm carnalis nativitas filios vos faciat eſſe ſanctorum. Denique Eſau & Iſmaël cùm de ſtirpe ſint Abrahæ, minimè tamen in filiis reputantur.

C — Exod. 32 a. — Ibidẽ. — N 14 c.

D

Paulus cõciliator utroruq;.

His taliter altercantibus, Apoſtolus ſe medium interponens, ita partium dirimit quæſtiones, ut neutrum eorum ſua iuſtitia ſalutem meruiſſe confirmet: ambos verò populos & ſcienter & graviter deliquiſſe. Iudæos quidem, quod per prævaricationem legis Deum inhonoraverint: Gentes verò, quòd cùm cognitum de creatura creatorem, ut Deum debuerant venerari, gloriam eius in manufacta mutaverint ſimulacra. Utróſque etiam ſimiliter veniam conſecutos, æquales eſſe veriſſima ratione demonſtrat: & præſertim cùm in eadem lege prædictum ſit & Iudæos & Gentes ad Chriſti fidem vocandos eſſe oſtendat. Quamobrem viciſſim eos humilians, ad pacem & concordiam cohortatur.

E

BEATI LANFRANCI in Epiſtolas D. Pauli Commentariorum Meminit S. Anſelmus Lib. 1. Epiſt. 57. in fine, Scribens eidem Lanfranco.

*E*PISTOLAS *B. Pauli veſtro mandato libenter parentes vobis mittimus: ſed quoniam, quod in eodem codice de veſtro opere eſt, alibi non habemus, ſatis ſcire poteſtis quid vos aliquando factum ire deſideremus.*

F

PETRVS LOMBARDVS in Epiſtolam ad Hebræos Cap. 8. citat B. Lanfrancum.

*A*D *hæc verba* (ſi ergo eſſet ſuper terram, nec eſſet Sacerdos, &c.) *Quaſi dicat: Et quia omnis Sacerdos offert; ergo ſi eſſet aliquis ſuper terram, id eſt, ſi eſſet aliquis terrenus ſacerdos, qui poſſet mundare genus humanum nec eſſet aliquis ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech; cùm ſatis eſſent qui offerrent munus ſecundùm legem, id eſt, qui offerrent legalia. Sed quia illi mortales erant, & peccatores, & ideò mundare humanum genus non valentes, venit Chriſtus qui ſufficeret. Vel ita,* Si ergo, &c. *Quaſi dicat, & quia Chriſtus conſtituitur ad offerendum: ergo vel eſt terrenus, vel cæleſtis Sacerdos; ſed terrenus non, quia ſi eſſet ſuper terram id eſt: Si terrenus eſſet Pontifex ut Aaron, nec eſſet utique Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech; nec neceſſe foret.* Cùm eſſet, &c. *Sed Chriſtus eſt Sacerdos in æternum, non Aaron: Aaron enim quia mortuus eſt, non eſt Sacerdos: Chriſtus verò qui vivit, ſempiternus eſt ſacerdos, non talis, quales ſunt umbratile ſacerdotium gerentes. Vel ita:* Si ergo, &c. *Ratio hic oſtenditur cum Chriſtus ſe obtulerit: Quaſi dicat, neceſſe eſt Chriſtum aliquid offerre, ergo ſeipſum, & vere neceſſe eſt ut offerat: quia etſi eſſet ſuper terram, quod pro peccato totius mundi dignè poſſet offerri, non eſſet tamen Sacerdos offerre dignus.*

G

ITEM EODEM CAPITE Paulo poſt.

A*D hæc,* Cùm eſſent qui offerrent munera ſecundùm legem. *Reſtat ergo ut ipſe ſe offerat, & ſic introeat in interiora cæli.* Qui, &c. *eſſent qui offerrent munera, dico, quid tales deſerviunt, id eſt, plenè ſerviunt, Exemplari id eſt figuræ. Et, pro id eſt, Umbrâ cæleſtium myſteriorum. Cæleſtia dicit Eccleſiam, cuius pars in cælis regnant, pars ſecutura peregrinatur in terris. Exemplar autem, & umbras dicit figuras, quæ exemplar ſunt, & exemplum reſpectu diverſarum rerum.*

H

A E

EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI AD ROMANOS.

GLOSSVLA INTERIECTA B. LANFRANCI Explanata.

B F

CAPVT PRIMVM.



PAVLVS Servus Iesu Christi; 2. Vocatus Apostolus, 3. Segregatus in Evangelium Dei (*commendat Evangelium quasi repentinum*) quod promiserat per Prophetas suos, in Scripturis sanctis *prolatis* de Filio suo, qui factus ei *ad honorem suum* ex semine David *in eo quod* secundùm carnem : 4. 5. Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. 6. Secundùm Spiritum sanctificationis *Sanctificantem*, *probatus*. 7. Ex resurrectione mortuorum *morientium* IESV CHRISTI Domini nostri : (*commendato datore officy*, *commendat officium*) per quem accepimus gratiam *remissionem peccatorum*, & apostolatum ad obediendum *ut obediatur* fidei, in omnibus Gentibus *ex omni genere Gentium* pro nomine eius, *non merito*, *vel ad laudem nominis eius*, in quibus estis & vos vocati *ut sitis* IESV CHRISTI : omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, 8. Vocatis Sanctis. 9. Gratia *remissio peccatorum* vobis, & 10. 11. Pax à Deo, *reconciliatio apud Deum*, Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Primùm quidem gratias ago Deo meo 12. Per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo, *non tantum ore*, in Evangelio filij eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis : obsecrans si quomodo tandem aliquando (*ad effectum*) prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. *Causa veniendi*. (C) Desidero enim videre vos : (*Remotio suspicionis lucri*) ut aliquid, 13. impertiar vobis gratiæ spiritualis, *prædicationis*, *vel miraculorum*, 14. ad confirmandos vos, *iam enim crediderant*, id est, *desidero* simul consolari in vob · per eam quæ invicem est, 15. Fidem vestram atque meam, *per doctrinam fidei*, *quam communem habemus*. (G) Nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos (& 16. prohibitus sum *à Sathana*, *vel insidiatoribus* usque adhuc) ut aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in cæteris Gentibus, Græcis, ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum *prædicationis*: ita (quod in me) promptum est & in vobis, (*scilicet debitor sum*) qui Romæ estis Evangelizare. Non enim erubesco Evangelium. *Causa cur non erubescat ipsum Evangelium*. 17. Virtus enim Dei est, in salutem omni credenti, 18. Iudæo primùm, *quia primùm credidit*, & Græco. 19. 20. Iustitia *Evangelium* enim Dei in eo *credente* revelatur *revelans* ex fide in fidem, *in salutem ut vivat* : sicut scriptum est, 21. Iustus autem ex fide vivit. 22. Revelatur enim ira Dei de cœlo, (*iustitia revelatur in credente*; *nam ira in non credente*) super omnem impietatem & iniustitiam hominum (*Emphasis*) eorum, qui veritatem Dei, *quod verè dicitur de Deo*, in iniustitia detinent *attribuentes idolis* : quia quod 23. notum, *scibile*, est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. 24. (D) invisibilia enim ipsius, *Invisibilitas ipsius*, à creatura mundi, *Solem Lunam & alia*. Per ea quæ (H) facta sunt intellecta, *In intellectu*, conspiciuntur, 25. Sempiterna quoque, *scilicet*, eius virtus & divinitas *conspicitur* : ita ut sint inexcusabiles. Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, *se illis subiiciendo*, aut gratias egerunt : 26. sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum : 27. dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam *Dei cultum ad idola transtulerunt* incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis 28. corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tradidit *permisit* illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam : ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. 29. Qui commutaverunt 30. veritatem Dei in mendacium : & coluerunt, & servierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est, *qui non est idolum*, benedictus in sæcula. Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali usu fœminæ exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem quam oportuit erroris sui, in semetipsis, *ut illud peccatum* (*pœnam peccati*, recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia : tradi-

dit

A dit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, *rapina*, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, *clam* susurrones, *palam* detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus nonn obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cùm iustitiam Dei *priùs* cognovissent, 31. Non *postea* intellexerunt qooniam qui talia agunt, digni sunt *anima* morte, & 32. non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. E

COMMENTARIVS.

LANFRANCVS. Epistola hæc ponitur prima, propter honorem civitatis, in qua primatum totius Ecclesiæ voluit esse Deus.

Ex sermo. 4. Conversione S. Pauli c. 4 tom. 10.

1. AVGVSTINVS. (*Paulus Servus Christi Iesu.*) Erat Saül Rex pessimus, persecutor sancti servi Dei David, & ipse, si meministis, de tribu Beniamin. Inde iste Saulus ducto secum tramite sæviendi, sed in sævitia non permansurus. Postea si Saulus à Saüle: Paulus unde? Saulus a rege sævo. Cum superbus, cum sæviens, cum cædes anhelans. Paulus autem unde? Paulus quia modicus, Paulus humilitatis nomen est. Paulus postquam adductus est ad magistrum, qui ait: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Cùm Paulus Proconsul per eius militiam debellatâ superbiâ, sub leni iugo Christi missus esset, Regis magni Provincialis effectus: ipse quoque ex priore Saulo Paulus vocari amavit, ob tam magnum insigne victoriæ. B

Confess. l. 8 c. 8. Tom. 1.

2. LANFRANCVS (*Vocatus*) Vel ab hominibus, vel à Deo.

3. *Segregatus*) A cæteris Apostolis, sicut in actis Apostolorum dicit Spiritus sanctus: *Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Et Propheta Ieremias dicit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda novum Testamentum.* Ioel quoque: *Exultate filia Sion. & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ.*

C 4. (*Prædestinatus*) homines prædestinati sunt ut Filij Dei essent per gratiam. Hic autem Christus ut Filius Dei esset, in virtute divinitatis Dei quâ assumptus est: quæ virtus, Filius Dei est, id est Verbum Patris.

*De Præd. Sanctorum c. 15. tom. 7. al. * tamen.*

5 AVGVSTINVS. (*Qui prædestinatus est*) Prædestinatus est Christus; ut qui futurus erat secundùm carnem Filius David, esset * tunc Filius Dei in virtute, secundùm Spiritum sanctificationis; quia natus est de Spiritu sancto & Virgine MARIA.

6 LANFRANCVS (*secundùm Spiritum sanctificationis*) secundum quod placuit Spiritui omnia sanctificanti.

7. (*Ex resurrectione*) Per hoc evidentissimè probatum est, Christum Iesum verum Deum, & verè Dei Filium esse: quia multa corpora surrexerunt in eius resurrectione. Nisi enim verus Deus esset, tam magnum & inauditum miraculum facere non posset.

8. (*Vocatis*) id est, ad hoc vocati, ut sitis Sancti. Et sic in cæteris huiusmodi accipiendum est.

D 9. (*Gratia*) Remissio peccatorum.

10. (*Et pax*) Quâ reconciliamur Creatori. Vel observantia bonorum operum, per quam pax est inter Deum & hominem.

Lib. 1. Retract. cap. 24.

11. AVGVSTINVS. (*Gratia vobis & pax*) Gratia Dei est, quâ nobis donantur peccata; ut reconciliemur Deo. Pax autem Dei est, quâ reconciliamur Deo. Tamen sciamus utramque ad generalem Dei gratiam pertinere.

12. (*Per Iesum Christum.*) Per ipsum enim sunt gratæ Deo oblationes operum nostrorum.

13. (*Impertiar gratia*) Hæc est gratia spiritalis quam cupiebat ille impertire; ut eamdem fidem, quam Apostolus habebat in Christo, & ipsi haberent quam nondum perfectè crediderant.

14. (*Ad confirmandos*) Iam enim ab aliis Apostolis doctrinam Evangelij ex parte audierant.

15. (*Fidem vestram atque meam*) Id est per doctrinam fidei quam communiter habemus.

16. LANFRANCVS (*Et prohibitus sum*) Quasi aliquis diceret; si Deum rogas ut venias, si incessanter venire desideras; cur non venis? *Prohibitus sum*, inquit, *usque adhuc.*

17. (*Virtus enim*) Causa cur non erubescit Evangelium: videlicet, quia virtus Dei est omni credenti Evangelio; per quam & peccata remittuntur; & cum res exigit, miracula fiunt. F

18. (*Iudæo*) Per Iudæum & Græcum omnes gentes intelligere, à parte totum voluit.

*Quæst. Evang. lib. 2. quæst. 39. a. Lib. de Spirit. & litt. c. 11. tom. 3. al. * annuntiantium.*

19. AVGVSTINVS. (*Iustitia Dei revelatur in eo ex fide in fidem*) Ex fide verborum, in fidem rerum. Ex fide in qua ministratur Deo; in illam ubi fruatur Deo. • Ex fide *administrantiū; in fidem obedientium.

20. (LANFRANCVS. (*Iustitia.*) Alia causa cur non erubescat; quia in eo revelatur qualiter Deus iustos faciat credentes ex fide Veteris testamenti, quâ unus Deus credebatur, proficiente in fidem Novi Testamenti, quâ Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, unus & Trinus Deus creditur; ut ex fide annuntiantis proficiente in fidem credentis: vel ex fide verborum, in fidem rerum.

21. (*Iustus autem*) Hoc in Abacuc 2. cap. reperitur: *Iustus autem in fide sua vivit.* Hoc testimonium & alia plurima, quæ in contextu Epistolarum suarum Apostolus ponit, à translatione veritatis Hebraïcæ, qua nunc utimur. Ideo discordare videntur: quia aliquando auctoritates sunt à translatione septuaginta Interpretum. Aliquando non curans verba, tantummodo exequitur sententias. G

22. (*Revelatur*) Iustitia revelatur in credente; nam ira in non credente. Et est alia causa; prædicatores enim Evangelij revelant iram Dei venturam super omnes impios, id est, infideles; & super iniustos, id est, credentes & non facientes quæ credunt.

23. (*Quod notum est Dei*) Id est, de Deo nosci potest,

24. *Invisibilia enim*) Exponit modum quo manifestaverit eis, videlicet dans eis acutissimum ingenium.

25. (*Sempiterna quoque*) Hic quæ sint invisibilia ostendit; & est quoque complectiva coniunctio.

26. *Sed evanuerunt*) Id est cogitaverunt se cogitationem veram à se habere: unde factum est, ut cogitationem Dei perderent.

27. (*Dicentes enim*) Ostendit quomodo superiùs intellexerit, *Evanuerunt in cogitationibus suis.*

28. (*Corruptibilis*) Moris fuit Romanorum ab antiquis temporibus, adorare simulacra hominum; ut Romuli, Iovis & aliorum ferè innumerabilium, & maximè ab adventu Æneæ in Italiam. Volucrum autem & serpentium, & quadrupedum, ex quo Alexandria ab Augusto victa Romæ est subiugata. H

29. (*Qui commutaverunt*) Id est, priùs de Deo senserunt; falsa ex eo postea credere ceperunt.

30. (*Veritatem Dei*) Id est, quam de Deo habebant, falsò imputantes idolis, quod verè solius est Dei.

31. (*Non intellexerunt*) Id est, non solum de Deo falsa senserunt: sed etiam cognitionem bonarum ac malarum rerum amiserunt.

32. (AMBROS. (*Non solum qui faciunt ea, sed qui consentiunt facientibus*) Sunt quidam qui se reos non putant, si non operantur quæ mala sunt: assentiant autem facientibus. Assentire autem est, si cùm possit reprehendere, taceat: aut hæc audiens aduletur.

CAPVT SECVNDVM.

1.2. PRopter quod inexcusabilis es, ô homo omnis, qui iudicas *& facis.* In quo *crimine* enim (*consequens à genere, de potestatibus enim iudiciariis agitur*) iudicas alterum, teipsum *faciendo* condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. 3. Scimus enim quoniam iudicium Dei est 4. Secundùm veritatem in eos qui talia agunt. 5. Existimas autem hoc, ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? 6. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis, contemnis, *nolendo resipiscere*, ignoras quoniam benignitas Dei ad patientiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurisas *auges* tibi iram, in die iræ. 7. & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera eius: 8. Iis quidem qui secundùm patientiam boni operis, *qui patienter bonum opus perficiunt.* 9. Gloriam, *carnis commutationem* & honorem *quia filij Dei vocabuntur.* 10. & incorruptionem quærunt, vitam æternam *non laudem temporalem:* 11. Iis autem qui sunt *viuunt* 12. Ex contentione & qui non acquiescunt veritati, 13. credunt autem iniquitati: 14. ira & indignatio. Tribulatio & angustia *reddetur* in omnem animam hominis operantis malum, 15. 16. Iudæi primùm *maximè* & Græci: 17. gloria autem & honor & pax *à concupiscentiis* omni operanti bonum, *reddetur.* 18. Iudæo primùm, & Græco: 19 non enim est acceptio personarum apud Deum. 20. Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege *crimine præuaricata legis* peribunt: & quicumque in lege peccauerunt, 21. per legem *per præuaricationem damnabuntur*, iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, 22. sed factores legis *siue in lege, siue sine lege* iustificabuntur. *Responsio.* 23. Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem *scriptam* non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, XXIII. testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & 24. inter se. 25. inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus: in die, cùm iudicabit Deus occulta hominum, secundùm Euangelium meum, per Iesum Christum. Si autem 26. 27. tu Iudæus cognominaris, & requiescis *delectaris* in lege, & gloriatis in Deo, & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora, instructus 28. per legem, confidis te ipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem *legis* insipientium, magistrum infantium, habentem, 30. formam *exemplar* scientiæ & veritatis in lege. 31. Qui ergo alium doces teipsum non doces. 32. qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum: mœcharis: qui abominaris idola, 33. sacrilegium facis: *teipsum qui sacer esse debueras, diuino cultui subtrahendo:* qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras. 34. (Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est, *In Isaia 52. Ezec. 56.*) *Responsio.* Circumcisio quidem prodest, si legem obserues: si autem præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. *Non pluris est præputio Gentilium.* Si igitur præputium iustitias legis custodiat: nonne præputium illius 35. in circumcisionem reputabitur? *illius collatione damnaberis?* & iudicabit id quod ex natura est *naturaliter intelligitur* præputium, legem consummans, *perficiens* te, qui per litteram & circumcisionem *non obseruatam* præuaricator legis es? *Responsio.* Non enim qui in manifesto, Iudæus est: neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio: sed qui in abscondito, Iudæus est *laudandus est:* &, *sed qui habet hanc circumcisionem*, circumcisio cordis: *amputatio vitiorum* in Spiritu, non littera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est: *quia etiam homines nonnumquam vituperant.*

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Propter quod inexcusabilis es, ô homo, qui iudicas.* Inuectio in Rectores. Dicit enim: Cùm omnes facientes & consentientes sint perituri; etiam & hi qui alios iudicant, si eodem peccato tenentur impliciti.

2. AMBROS. *Propter quod inexcusabilis*) Ne forte qui consentit facientibus excusare se posse putaret; docet huiusmodi inexcusabilem fore.

3. LANFR. (*Scimus autem quoniam iudicium Dei est*) Auctoritate sua confirmat peccatores supradictorum scelerum, generaliter esse damnandos.

4. (*Secundùm veritatem*) Id est, secundùm iustitiam, sine acceptione personarum.

5. (*Existimas autem hoc ô homo omnis qui iudicas.*) Putare posset aliquis imperitus, quod tantò liberiùs peccare liceret, quantò diligentiùs alios à peccato compesceret.

6. AMBROS. (*An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis*) Hæc dicit, vt non iam se potest euasisse, si patitur illum diu peccantem.

7. (*Et reuelationis iusti iudicij Dei.*) Reuelabitur quod modo futurum negatur. Cum enim ostendit quod non esse creditur, reuelatur. His enim ostenditur, *quia negant quia credentibus manifestum est. al. * qui.

8. *Iis quidem secundùm patientiam boni operis*) Quibus dedit Deus fiduciam fidei, ne diu hic positi damnum incurrant promissæ vitæ.

9. (*Gloriam & honorem*) In præsenti enim vita, gloria, vel honor frequenter amittitur; quia corruptibilis est.

10. LANFR. (*Et incorruptionem quærunt*) Id est, si in intentione quærunt vitam æternam. Multi enim bona operantur propter fauorem hominum.

11. AMBROS. (*Iis autem qui ex contentione* Id est, qui Dei contemnunt patientiam, contendunt euacuare iudicium Dei.

12 LANFR. (*Ex contentione*) Ex cœtu contentioso, qui Christianam religionem esse inutilem contendunt.

13. AMBROS. (*Credunt autem iniquitati*) Iniquitas est negare quod Deus futurum esse * promisit. al * prædiam.

A

14.* [*Ira & indignatio.*] Vt spiritualem non corporalem pœnam intelligas.

15. [*Iudæi primum & Græci.*] Iudæum semper anteponit, ut aut coronetur primus, aut damnetur, quia diffidens peius tractandus est, quia Patribus, * promissum refutavit.

al. * donum.

16. LANFR. [*Iudæi.*] Vel Iudæos infideles, intelligit, qui maxime puniuntur si præcepta Dei non observant: Vel Græcos gentes, id est, infideles, à parte totum.

17. AMBROS. [*Gloria autem, & honor & pax.*] Vt honorem geminum habeant, quasi filij Dei. Gloria autem fit pro immutatione. Pax verò, eò quòd benè viventes, quieti erunt in futuro, nulla perturbatione commoti.

18. LANFR. [*Iudæo.*] Iudæi primùm operati sunt bonum, postea Græci.

19. [*Non enim est personarum, &c.*] Hoc ad superiora respicit, ubi ait: *Ira, &c.* Et *in omnem animam operantis malum.* Et paulò post: *Gloria, &c. omni operanti bonum.*

20. AMBROS. [*Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.*] Id est, sine iudicio. Qui enim non credit iam iudicatus est: nec ante tribunal Christi stabit, sed resurgens ducetur ad gehennam.

B

21. [*Per legem iudicabuntur.*] Peccatis eorum addetur peccatum prævaricationis.

22. AMBROS. [*Sed factores legis iustificabuntur.*] Credere in Christum quem lex promisit, hoc est, facere legem & opus legis scriptum in cordibus vestris, fides est.

Lib. de spi. & lit. c. 26 to. 3.

2. AVGVST. [*Cum enim gentes quæ legem non habent.*] Gentes quæ naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, profectò ad Evangelium pertinent, quibus lex in cordibus scripta est: Nec moveat, quòd naturaliter eos dixit quæ legis sunt facere, non Spiritu Dei, non gratiâ: hoc enim agit spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis. Vitium quippe contra naturā est, quod utiq; sanat gratia, proinde homines naturaliter quæ legis sunt, faciunt.

XXIII. AMBR. [*Testimonium reddente.*] In die iudicij, sola hominis conscientia sufficiet sibi ad testimonium, quia nemo tunc iudicabit, nisi quod verum erit.

C

24 AMBROS. [*Inter se cogitationibus accusantibus.*] Gentilis conscientia accusabitur, quia non sibi suasit verum esse, quod & virtutum testimoniis viderat confirmari, & multos sequi. Eundem excusabit, quia debere credere non putavit, neque tamen sine pœna erit. Vel hæreticum bona cogitatio, quando veram esse & Catholicam intellexit. Mala autem accusabit, quia ne emendatus videretur, superbiendo contradixit veritati.

E

25. [*Inuicem.*] Non dicit quòd eædem cogitationes accusent, & defendant, sed vicissim quædam accusent, quædam defendant contrà malignorum spirituum accusationem. Et attende ablativos pro genitivis more Græcorum, quia ablativis carent. Potest hoc modo audiri: Et conscientia cogitationum.

26. [*Tu autem Iudæus cognominaris.*] Non valdè magnum videri vult, si Iudæus credat, quippè cum sit instructus per legem. Periculosum autem valdè si non credat, ducem enim habet legem.

27. LANFR. [*Tu autem Iudæus cognominaris.*] Iudæos humiliare conatur; qui ea accepta lege superbiebant, & gentes quasi peccatrices despiciebant.

28. AMBROS. [*Per legem confidis te ducem cæcorum.*] Legis documentum est, erudire imperitos, & Deo subducere prophanos, & ab idololatria ad fidem revocare.

29. [*Occulta hominum.*] Occulta iudicabuntur. Publica per humilem confessionem non iudicabuntur.

F

30. LANFR. [*Formam scientiæ.*] Si quis velit scientiam, & veritatem habere, in te possit formam & exemplar aspicere.

31. AMBROS. [*Qui alium doces, te ipsum non doces.*] Hoc est: Tu qui Gentiles arguis, quod sine lege & Deo sint; teipsum non arguis, diffidens de Christo in lege promisso.

32. [*Qui prædicas non furandum, furaris.*] Facis quod prædicas fieri non debere, dum fidem Christi à lege per malam interpretationem surripis, & legem adulteras: cùm ablatâ veritate, mendacium ponis, & sacrilegus es, dum Christum, quem propheticus sermo significat, negas.

33. LANFR. [*Sacrilegium.*] Sacrilegium enim est culturam Dei auferre, & dæmonibus dare.

34. [*Nomen enim Dei per vos blasphematur.*] Credendum est aliquos ex Iudæis Christianos esse tales; non tamen omnes, ne sit contrarius sibiipsi in superioribus, ubi ait: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Non enim fides sine operibus laudanda est. Et in subsequentibus, eos cum cæteris plenos dilectione esse. Est autem scriptum in Ezechiele: Et ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomen sanctum meum, quod polluistis in gentibus.

G

35. [*In Circumcisionem.*] Id est, tantùm prodest sibi, qui Gentilis est, quantùm si Iudæus esset. Et iudicabit, id est, comparationem sui iudicabilem faciet & damnabilem.

CAPVT TERTIVM.

D

OBiectio. 1. Quid ergo amplius Iudæo est? aut quæ vtilitas circumcisionis? *Responsio.* Multum per omnem modum. 2. Primùm quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. *Responsio.* Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? 3. Numquid incredulitas illorum. III. fidem Dei *qui ex Iudæis quosdam prædixit credituros* evacuabit? Absit. Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax, sicut scriptum est. 4. 5. Vt iustificeris *verax appareas* in sermonibus tuis. 6. Et vincas cum iudicaris. *Obiectio ex persona malè intelligentium Psalmi versum* 7. Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui anfert iram? (*humanitùs intelligentem*). Absit. 8. Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum? 9. Si enim veritas Dei in meo mendacio abundabit in gloriam ipsius, quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor? 10. Et non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere.) 11. Faciamus mala, ut veniant bona, quorum damnatio iusta est. Quid ergo? 12. Præcellimus eos? Nequaquam. 13. 14. Causati enim sumus, Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est: quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulchrum patens est guttur eorum linguis suis dolosè agebant. Venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Veloces pedes eorum, ad effundendum sanguinem. Contritio & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt. Non est timor Dei ante oculos

H

eorum

A corum 15. Scimus autem quoniam 16. quæcunque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, lo- E
quitur: 17. vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operi-
bus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. 18. Per legem enim cognitio peccati.
Nunc autem sine lege iustitia Dei maoifestata est: testificata a lege & Prophetis. Iustitia
autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum: non
enim est distinctio: Omnes enim peccaverunt, & egent gluria Dei. Iustificati gratis
per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, 19. quem proposuit Deus
propitiatiunem, per fidem in sanguine ipsius, 20. 21. ad ostensiunem iustitiæ suæ, pro-
pter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ
eius in hoc tempore: ut sit ipse iustus, 22. & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Chri-
sti. Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? 23. factorum? Non, sed
24. per legem fidei. 25. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus le-
gis. Ao Iudæorum Deus tantùm? Nonne & Gentium? Imò & Gentium, quoniam qui-
dem unus est Deus, 26. qui iustificat 27. circumcisionem ex fide, 28. & præputium per
B fidem. 29. 30. Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus. F

COMMENTARIVS.

1 AMBROS. (*Quid ergo amplius est?*) Quoniam Iudæis incredulis nihil proficere testimonium generis ostendit; ne credentes malè tractasse videretur; docet multùm utile esse credentibus, quia filij Abrahæ sunt. Nam eis sunt credita eloquia Dei.

2. LANFR. (*Primum quidem*) Id est, quidam Iudæorum crediderunt Evangelium Christi, instructi, à prædicatoribus Novi Testamenti; verbum legis & Prophetarum, quod faciliùs factum est in illis, quàm in eis qui Veteris Testamenti penitus expertes erant.

151. LANFRANCVS. (*Fidem Dei evacuabit?*) Id est, efficit ut Deo non debeat credi, qui prædiximus Iudæos esse credituros. (Totum pro parte ponens.) Ieremias Propheta dicit: *In diebus salvabitur Iuda.* Et aliás: *Ego ero vobis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Et alia plurima.

C

3. AMBROS. (*Nunquid incredulitas illorum, &c.*) Nunquid perfidiâ eorum negabit reliquis credentibus vitam æternam, quam promisit Deus futuram per fidem Christi?

4. (*Vt iustificeris*) David peccavit in causa Vriæ, sciens quia promissio peccatoribus non prodest. Orat ut Deus, iudicium, quo iudicatur peccatoribus nihil dare, vincat; & se pœnitentem sanctificet: ut dans sibi quod iustis daturum se promisit, iustificetur in sermonibus suis.

5. LANFR. (*Vt iustificeris*) Probatio quòd Deus verax est: iustitia enim sermonum; est veritas.

6. (*Et vincas*) Ex abundantia hoc infertur; nihil ad superius argumentum pertinens. Vicit Christus homo Deus, cùm iudicatus est; quia propter ipsam humilitatem, *dedit ei Deus nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genuflectatur, &c.*

D

7. (*Si autem iniquitas*) Hoc ideo subinfert: quia dicens; *ut iustificeris in sermonibus tuis.* Visus est causam reddidisse, cur omnis homo esset mendax. Et vocat iniquitatem mendacium.

8. AMBROS. (*Alioquin quomodo iudicabit.*) Quia non erat iustum, ut iudicaret mundum, si peccata illius ipsi proficerent.

9 LANFRANC. (*Si enim veritas.*) Iterum hoc subinfert ex persona malè intelligentium.

10. (*Et non sicut*) Ordo, & sicut blasphemamur; & sicut aiunt quidam nos dicere, quid non faciamus mala, ut veniant bona, sicut, &c.

11. AMBROSIVS. (*Faciamus mala*) Hoc à perversis dicebatur, hoc Apostolos dicere; peccandum esse ut venirent bona: id est, ut Deus remittendo, bonus videretur.

12. LANFR. (*Præcellimus eos*) Id est, an nos Iudæi excellentiores & digniores sumus quam Gentiles?

13. (*Causati enim*) Quasi diceret, Qui pares præcellentiores esse non possumus. Nec hoc superiùs in hac Epistola dixit: sed credendum est, in sermone quem ad populum habebat eum dixisse.

14. AMBR. (*Causati enim sumus*) Id est, ostendimus, redditis causis superiùs, Iudæos & Græcos esse reos.

15. (*Scimus autem*) Hoc dicitur, quia Iudæis constrictis omnis mundus subditus sit Deo. Nulli enim dubium est, Paganos impietatibus obrutos.

16. LANFR. (*Quæcunque lex loquitur.*) Legem hic vocat Psalmos; sicut in Evangelio: *Nonne in lege vestra scriptum est: Ego dixi Dij estis.* Et est sensus; Superiores Psalmi versus ad vos pertinent etiam, ô Iudæi!

17. (*Vt omne os obstruatur.*) Hoc coniungitur superiori sententiæ, quia ait: *Causati enim sumus omnes sub peccato.*

18. AMBROS. (*Per legem enim*) Videmus veteres non ignorasse peccatum; cùm pincerna, & pistor Pharaonis causâ peccati in carcerem missi sunt. Sed lex ostendit apud Deum imputari peccatum, & futurum iudicium, quod priùs ignorabatur.

19 (*Quem proposuit Deus.*) Id est, in Christo disposuisse propitium futurum humano generi, si credat; & hoc in sanguine ipsius; quia morte illius liberati sumus. G

20. (*Ad ostensionem.*) Hoc est ut promissum palam faceret, quo nos a peccatis liberaret, sicut ante promiserat, qui diutissime sustentavit, ut nostro tempore ostenderet quod olim decreverat; & sit iustus, dans quod promisit iustificare se credentes in Christo.

21. LANFR. (*Ad ostensionem.*) Ad hoc Deus filium suum mundo prædicari fecit: ut ostenderet quod per fidem eius, iustificantur peccatores.

(*Propter remissionem præcedentium delictorum*) Ordo, præcedentium delictorum in sustentatione Dei. Patienter enim Deus sustinuit præcedentia delicta mundi, ut ostenderet qui vera iustificatio est in hoc tempore; id est, in fide Iesu Christi. Si enim omnes peccatores puniisset, non esset qui in hoc tempore iustificari posset.

22. (*Iustus & iustificans.*) Id est, Verax complens ea quæ promisit.

23. (*Factorum*) id est, an alia lex prolata est habens alias observationes: per quas, observationes tuæ adnihilentur. H

24. (*Per legem fidei*) Legem fidei vocat legem Christi; in quo asseritur salvari hominem per solam fidem: dum dicitur: *Qui crediderit, & baptisatus fuerit: salvus erit.*

25. AVGVST. (*Arbitramur enim.*) Cùm ergo dicit Apostolus arbitrari se hominem iustificari per fidem sine operibus legis, non hoc ait ut præceptâ ac professâ fide, opera iustitiæ contemnantur: sed ut sciat se quisque per fidem posse iustificari, etiamsi legis opera non præcesserint.

De fidè & oper. lib. c. 14. tom. 4.

26. (*Qui iustificat circumcisionem*) Non ad aliquam differentiam dictum est: tamquam aliud sit ex fide, aliud per fidem: sed ad varietatem locutionis. Alio quippe loco, cùm de Gentibus diceret, hoc est de præputio: *Prævidens*, inquit, *scriptura quia ex fide iustificat omnes gentes Deus.* Itemque cùm de circumcisione loqueretur

Lib. de Spiri. & lit. c. 29. tom. 3.

A (unde erat :) *Nos*, inquit, *natura Iudai, & non ex gentibus peccatores, scientes quia non iustificabitur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Christo Iesu credimus.* Ecce & præputium dixit iustificari ex fide, & circumcisionem per fidem.
27. LANFR. (*Circumcisionem ex fide,*) id est, ex fide, & per fidem.
28. (*Et præputium :*) Hinc probatur quòd Deus Iudæorum, sit Deus Gentium. *Ipse enim gentes iustificat.* Dei autem solios est iostificare.
29. (*Legem destruimus.*) Quia carnales obseruationes legis destruimos : an putandum est, nos prædicatores Evangelij etiam moralia præcepta destruere ? Quid ergo ? ordo, qoòd secundùm carnem, id est, quid carnaliom observationum. Probat quòd sine carnali observatione legis, iustificari potest homo per fidem. Abraham enim sine carnalibus observationibus iostificatus est. Scriptura testante : *Credidit Abraham Deo, &c.* E
30. AMBROS. (*Legem verò.*) Nun utique lex inaniter per fidem, sed adimpletur, quando quod futurum dixit fides, istod advenisse testatur,

CAPVT QVARTVM.

QVid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundùm carnem? 2. Si
enim Abraham ex operibus iustificatus est. 3. Habet gloriam, sed non apud Deum. 4.
Quid enim dicit Scriptura? 5. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad instiriam,
B 6. 7. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm F
debitum. 8. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium,
reputatur fides eius ad iustitiam secundùm propositum gratiæ Dei. Sicut & David dicit
beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus : Beati quorum remissæ
sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata : Beatus vir, cui non imputavit Do-
minus peccatum. Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantùm manet, an etiam in præpu-
tio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiam. Quomodo ergo tepntata
est? In circumcisione an in præputio? Non in circumcisione, sed in præpntio. 9. Et signum
accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio. 10. Vt sit pater om-
nium credentium per præputium, nt reputetur & illis ad iustitiam: & sit pater circumcisio-
nis, oon iis tantùm qui sunt in circumcisione, sed iis qui sectantur 11. vestigia fidei, qnæ
est in præputiu patris nostri Abrahæ. 12. Non enim per legem 13. promissio Abrahæ, aut
semiui eius, ut hæres esset mundi : sed per iustitiam fidei. Si enim qui ex lege, hæredes
sunt, exinanita est fides, abolita est promissio. 14. Lex enim iram operatur. 15. Vbi enim
non est lex, nec prævaricatio. Ideo ex fide ut secundùm gratiam firma sit promissio. 16.
omni semini, non ei qui ex lege est solùm, sed & ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est
omnium nostrum (sicut scriptum est, quia patrem multarum gentium posui te) ante Deũ,
C cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea quænon sunt tanquã eaquæ sunt; qui cõtra G
spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundùm quod dictum est ei: sic
erit semen tuum. Et non Infirmatus est fide, nec consideravit corpus snum emortuum,
cùm iam ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromissione
etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo : Plenissi-
mè sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere. Ideò & reputatum est illi ad
iustitiam. Non est autem scriptum tantùm propter ipsum, quia reputatum est illi ad iu-
stitiam : sed & propter oos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit IESVM-
CHRISTVM Dominum oostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, 17. &
resurrexit 18. propter iustificationem nostram.

COMMENTARIVS.

1 AMBROS. [*Quid ergo dicemus invenisse.*] Carnis dicit circumcisionem, quâ Abraham non invenit iostitiam, nec quæsivit.
2. LANFR. [*Si enim.*] Si, inquit, Abraham
D sine fide ex sola carnali observatione iustificatus creditur, iustificatio illa in sola opinione hominum est, non apud Deum.
3. [*Habet gloriam.*] Quia qoi fecit legem vivet in ea, id est, non morietur ot reus. Nec tamen apud Deum ex hoc habet meritum.
4. [*Quid enim scriptura.*] Quasi diceret : Audiamus quid super hoc scriptura testetur.
5 AMBROS. [*Credidit Abraham Deo.*] Credidit se habiturum semen, in quo benedicerentur Gentes.
6. [*Ei autem qui operatur*] Ei qui operatur opera legis, meritum non imputatur ad mercedem. Nam debitor est facere legem.
6. AVGVST. [*Ei qui operatur.*] Id est, qui de operibus præsumit, & meritò dicit sibi datam gratiam fidei. Hunc non imputat mercedem secundùm gratiam, sed secundùm debitum.
8. LANFR. [*Ei verò qui non operatur.*] De eo intelligendum est hoc, qui post acceptam fidem, statim moritur.
9. [*Et signum accepit.*] Quasi diceret : Cur ergo, si iustificatus erat, circumcisionem accepit ? Circumci-
sionem, inquit, accepit, non quia fieret, sed quia ostenderetur ea iustitia, quam sola fides contulerat illi. H
10. AMBROS. [*Vt sit pater circumcisionis.*] Hoc dicit ot sit pater circumcisionis cordis, non tantùm eorum qui sont ex eius origine, sed & eorum qui similiter credont ex gentibus.
11. LANFR. [*Vestigia fidei*] Ordo : Vestigia fidei patris nostri Abrahæ, quæ est in præputio, id est, quam habuit in præputio.
12. [*Non enim per legem.*] Quasi aliquis diceret. Cur dixisti vestigia fidei, & non dixisti vestigia legis ? Si enim ad inconveniens ducit adversam partem, non autem simul esse, solam legis observantiam hæreditatis esse causam & finem, aut solos Iudæos esse hæredes & gentes.
13. AMBR. [*Promissio Abraha.*] Christos qoi hæres est gentium, ut David canit : *Et dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ* Ipsi enim

morimur

A morimur & viuimus cum eo. Ideo ex fide. Sub lege promissio dari non potest aut ex fide, qua omnes purificati, fiunt digni dici filij.

14. LANFR. (*Lex enim iram operatur*) Causa cur per legem non sit promissio hæreditatis. Iram enim Dei ex præuaricatione non implentium potius operatur.

15. (*Vbi enim non est lex*) Ex hoc, inquit, videre potest, quia lex iram operatur. Quod vbi lex non est, nec præuaricatio, quæ est causa iræ?

16. (*Omni semini*) Id est, omni imitatori fidei; siue Iudæo, siue Gentili. Omnes enim possunt facile credere; non autem omnes legem implere. E

17. AMBROS. (*Et resurrexit propter*) Post resurrectionem enim acceptus Spiritus, ad cumulum nobis iustificationis prouenit.

18. LANFR. (*Propter iustificationem*) Id est, vt credentes eum resurrexisse iustificarentur. Et à parte tota fide designatur.

CAPVT QVINTVM.

1. IVstificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum: per quem & habemus accessum per fidem 2. in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur: Patientia autem probationem, probatio verò spem, 3. Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Vt quid enim Christus, F
B cum adhuc infirmi essemus, secundùm tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis; quoniam cùm adhuc peccatores essemus, 4. secundùm tempus Christus pro nobis. 5. mortuus est: multò igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius: multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Non solum autem: 6. sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. 7. Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. 8. vsque ad legem enim peccatum erat in mundo. 9. Peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset. Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen: etiam. 10. in eos qui non peccauerunt. 11. in similitudinem præuaricationis Adæ, 11. 12. 13. qui est forma futuri. 14. Sed 15. non sicut delictum, ita & donum: si enim vnius delicto multi mortui sunt: 16. Multò magis gratia Dei & donum 17. in gratia vnius hominis Iesu Christi 18. in plures abundauit. 19. Et non 20. Sicut per vnum peccatum, ita & donum: nam iudicium quidem ex vno in condemnationem: 21. gratia autem ex multis delictis, in iustificationem. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multò magis 22. abun-
C dantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes, 23. in vita regnabunt per vnum G
Iesum Christum. Igitur sicut vnius delictum, in omnes homines in condemnationem: sic & 24. per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ. *Ita misericordia Dei per vnius iustitiam in omnes homines processit.* 25. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & 26. per vnius obeditionem, iusti constituentur multi. 27. 28. Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, 29. superabundauit gratia: 30. vt sicut regnauit peccatum in mortem: ita 31. 32. & gratia regnet 33. per iustitiam in vitam æternam; per Iesum Christum Dominum nostrum.

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. (*Iustificati igitur*) Pacem habere cum Deo, fides facit, non lex. Hæc enim nos Deo reconciliauit.

2. (*In gratiam istam*) Priùs enim iacuimus: credentes autem erecti sumus

D 3. (*Spes autem non confundit*) Spes non confundit, dum stulti & hebetes à perfidis iudicantur: credentes quæ mundana carent ratione. Pignus enim caritatis habemus in nobis per Spiritum sanctum nobis.

4. (*Secundùm tempus*) Ad tempus enim mortuus est; quia tertia die resurrexit. Vel huic tempori mortuus est, vbi sol oritur & occidit. Excessit enim è corpore ad inferos (vbi tempus non est, vel ætas) pro salute animarũ.

5. LANFR (*Mortuus est*) Cùm adhuc temporalia diligeremus: nisi nobis spem bonam daret, quæ nos confunderet......

6. (*Sed & gloriamur*) Id est, sperantes nos habituros gloriam, quam habent Filij Dei.

7. (*Propterea sicut*) Pendet sententia vsque......legitur: sicut per vnius delictum, &c.

8. (*Vsque ad legem enim*) Peccatum quidem in his etiam qui legem acceperant, fuit: sed non tantùm, quantùm priùs: per legales enim obseruantias multi saluabantur.

9. (*Peccatum enim*) Aliter hîc peccatum intelligit, quàm superiùs. Peccatum enim hoc in loco, significat præuaricationem legis, quæ non imputabatur cùm lex non esset. H

10. AVGVST. (*In eos qui non peccauerunt*) Id est, qui nondum sua & propria voluntate, sicut ille, peccauerunt; sed ab illo origine peccatum traxerunt. De peccatorum meritis & remiss. deque Bap. paruul. lib. 1. c. 11. tom. 7.

11. LANFR. [*In similitudinem*] Id est, qui præuaricati sunt præcepta Dei, sicut Adam.

11. [*Qui est forma futuri*] Adam forma Christi fuit Quia sicut ille pater omnium secundum carnem: sic Christus pater fidelium secundùm fidem. Et sicut ex latere Adæ, formata est Eua; sic ex latere Christi profluxerunt Sacramenta, per quæ saluatur Ecclesia.

12. AVGVST. [*Qui est forma*] Quia in illo constructa est forma condemnationis futuris posteris, qui eius progenie crearentur. Ibidem.

13. AMBROS. [*Qui est forma futuri*] Decreuit enim Deus per vnum [Christum] emendare quod per vnum [Adam] peccatum est: sicut in Apocalypsi Ioannes inquit: *Agnus qui occisus est a constitutione mundi.*

14. [*Sed non sicut delictum*] Hoc dixit, quia formam vnius Christi dixit vnum Adam.

A 15. Lanfr. (*Sed non sicut delictum*) Ordo. Quasi diceret: Quamvis Adam forma fuit Christi, maiorem tamen vim habet donum Christi. Plus enim est vivificare, quàm occidere.

Ibidem. 16. August. (*Multò magis gratia*) Non magis multos, & multo plures homines. Neque enim plures iustificantur, quàm condemnantur. Adam quippe ea suo delicto reos genuit. Christus autem etiam quæ homines delicti propriæ voluntatis ad originale in quo * peccaverunt, addiderunt, gratiâ suâ solvit atque donavit. (al. * nati sunt.)

17. Lanfr. (*In gratia unius hominis*) In gratia, id est, propter gratiam. Gratiam autem hic vocat perfectionem virtutum, quam homo ille à verbo Patris assumptus, per gratiam Dei habuit.

18. (*In plures*) Plures dicit, non ad numerum, sed quia in vitiis plures. Adam enim per originale dedit mortem, Christus verò de actualibus & originalibus liberavit.

B Ibidem Cap. 13. 19. August. (*Et non sicut per unum*) Ab Adam, *in quo omnes peccavimus*, non omnia nostra peccata, sed tantùm originale traduximus. A Christo verò in quo omnes iustificamur, non illius tantùm originalis, sed etiam cæterorum, quæ ipsi addidimus, remissionem consequimur. Ideo non sicut per unum peccantem; ita & donum. Nam iudicium * quod ex uno delicto (si non remittatur) id est, originali, in condemnationem iam potest ducere. Gratia verò ex multis delictis remissis; hoc est, non solùm originali, verùm etiam omnibus cæteris, ad iustificationem perducit. (al. * quidem.)

20. Lanfr. (*Et non sicut*) Aliter. Etsi sicut peccatum, ita & donum: id est, utraque paria non sunt.

21. (*Gratia autem ex multis*) Ordo est. Gratia autem in iustificationem ex multis delictis.

Ibidem. 22. August. (*Abundantiam gratiæ*) Quid est autem abundantiam gratiæ & iustificationis (& iustitiæ) accipiunt, nisi quòd non eis tantùm peccatum, in quo omnes peccaverunt; Sed etiam quod addiderunt, gratia remissionis datur?

23. (*In vita regnabunt*) Et quid est, multò magis in vita regnabunt; cùm mortis regnum multò plures in æternam pœnam trahat? Nisi intelligamus eos * in ipsis in utroque dici, qui transeunt ab Adam ad Christum, id est, à morte ad vitam: quia in vita æterna sine fine regnabunt: magis quàm in eis mors temporaliter, & cum fine * regnabit. (E) (al. * eos ipsos.) (al. * regnavit.)

24. Lanfr. (*per unius iustitiam*) Per iustitiam & obedientiam Christi, vita omnium credentium iustificata est. Quia inde factus est hostia acceptabilis Deo pro peccatis omnium. Quia iustus & immaculatus sine peccato, & obediens fuit usque ad mortem.

25. (*Sicut enim*) Comprobatio & expositio superioris versus. Omnis enim inobedientia si tantùm mala est, delictū. Et omnia obedientia si tantùm bona est, iustitia.

26. (*Per unius obedientiam*) Per obedientiam Christi: iusti sunt multi, vel quia obedientia hostiam commendavit. Vel quia obedientia ad mortem Christum perduxit. Fides autem mortis eius, iustificavit. (F)

27. (*Lex autem subintravit*) Moris est divinarum literarum, ubi plures causæ sunt, unam tantùm sæpe enumerare: sicut in hoc loco: data est enim lex, ut prædestinati ad vitam per legales observantias salvarentur. Prædestinati autem ad mortem, per legis prævaricationem magis punirentur. Sed illius causæ hic tantum mentionem facit, per quam Iudæos ex accepta lege superbientes humiliare possit.

28. Ambros. (*Lex autem subintravit*) Apostolus ostendit quid provenerit, data lege; non quid lex fecerit.

29. Lanfr. (*Superabundabit gratia.*) Quasi diceret. O Iudæi! vos putatis quod Christus gentibus plus dimiserit: sed quibusdam vestrum plus dimisit, quos prævaricatores legis invenit.

30. (*Vt sicut regnavit*) Id est, prævaluit.

31. (*Ita & gratia regnet*) Id est, prævaleat.

32. Ambros. (*Gratia regnet.*) Regnat gratia per iustitiam; Si acceptâ remissione, iustitiam sequamur.

33. (*Per iustitiam*) Scilicet, Christi.

C G

CAPVT SEXTVM.

Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui 2. enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, 2. 3. in morte ipsius baptizati sumus? 4. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos 5. in novitate vitæ ambulemus. 6. 7. Si enim complantati facti sumus 8. similitudini mortis eius: 9. simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes, 10. quia vetus homo noster simul crucifixus est, 11. ut destruatur 12. corpus peccati, & vltrà non serviamus peccato. 13. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. 14. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo: scientes quòd Christus resurgens ex mortuis iam non moritur; mors illi vltrà non dominabitur. 15. Quòd enim mortuus est, peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. 16. Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Iesu Domino nostro. 17. 18. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius. Sed 19. neque exhibeatis membra vestra 20. arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma iustitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur: 21. 22. non enim sub lege estis, sed sub gratia. Quid ergo? Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis eius, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad iustitiam? Gratias autem Deo, quòd fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, 23. in quam traditi estis. Liberati autem à peccato, servi facti estis iustitiæ. 24. 25. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ: 26. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem, *scilicet implendam*: ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiæ, in sanctificationem, *id est, ut sanctificati sitis*. Cùm 27. enim servi essetis peccati, liberi, *id est, expertes* fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, *id est, fructus vestri operis est sanctificatio*, finem verò vitam æternam. 28. Stipendia enim peccati, mors. 29. 30. Gratia autem Dei, vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.

D H

COMMEN

A

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Qui enim mortui sumus peccato*) Scilicet, in baptismo. *In Christo Iesu.* Id est, in fide Christi Iesu.

2. (*In morte ipsius*) Id est, sicut ille mortuus est semel, & semper vivit: ita & nos semel peccato moriamur, & in bene factis semper vivamus.

3. AMBROS. (*In morte ipsius*) Cum baptizamur, commorimur Christo; hoc est in morte eius baptizari. Illic enim peccata moriuntur.

4. LANFR. (*Consepulti enim*) Designatio, quando, & cur in morte Christi baptizemur.

5. (*In novitate*) Id est, à vitiis resurgamus.

6. AMBROS. (*Si enim complantati*) Tunc nos felices dicit posse resurgere; Si similitudini mortis eius B fuerimus complantati: Id est, si in baptismo omnia vitia deponentes, in novam vitam translati, de cætero non peccemus.

7. LANFR. (*Si enim complantati*) Alia ratio cur in morte ipsius baptizemur: *Complantati*; id est, affixi, vel adhærentes.

8. (*Similitudini*) Id est, si semel peccato morimur: similem resurrectionem habituri sumus.

9. (*Simul & resurrectionis*) Subaudis, similitudini eius.

10. (*Quia vetus homo*) Id est, nos in eo quòd more veteris hominis peccamus.

11. (*Vt destruatur corpus peccati*) Id est, corpus nostrum in eo quod peccat.

12. (*Corpus peccato*) Omnia peccata simul appellat, *corpus peccati.*

1 . (*Qui enim mortuus est*) Ratio cur non serviendum sit peccato. Peccato enim iustificatio perit.

14. (*Si autem mortui sumus*) Id est, si vere Christus secundùm carnem mortuus est: nos peccatis omnibus C mortui sumus, *credimus, &c.*

15. LANFR. (*Quod enim mortuus est peccato*) Subaudis, humani generis delendo.

16. (*Ita & vos*) Pro itaque.

17. (*Non ergo regnet peccatum* (Id est, concupiscentia peccati.

18. AMBROS.) *Non ergo regnet*) Mortale corpus dicens, totum hominem signat: quia qui obediunt peccato mortales dicuntur. Anima enim quæ peccat, ipsa morietur; id est, totus homo.

19 (*Neque exhibeatis*) Non dicit corpora, sed membra. Membris enim ministratur, non toto corpore.

20. LANFR. (*Arma iniquitatis*) Id est, concupiscentiæ.

21. (*Non enim sub lege estis*) Euidenter ostendit, quòd concupiscentiæ peccatorum, maiorem vim habebant in Iudæis, quàm in Christianis. E

22. AVGVST. (*Non enim sub lege estis*) Non quia lex mala: sed quia illi sunt, quos reos facit iubendo, non adiuvando.

Lib. de Gr. & lib. arbit. cap. 12. tom. 7.

23. LANFR. (*In quam traditi estis*) Id est, in qua tradidistis vos Deo, in die conversionis vestræ.

24. (*Humanum dico*) Id est, vile quiddam vobis præcipio, quod vim humanitatis nostræ non excedit.

25. AMBROS. (*Humanum dico*) Dum infirmitatem carnis memorat; minus se significat exigere ab homine, quàm dignum est circa Dei culturam.

25. AVGVST. (*Humanum dico.*) Quia plus dicendum aliquid fuit, si iam illi * facere potuissent. Plus quippe servituris debetur iustitiæ, quam peccato. Nam pœnæ corporis, revocant ab opere peccati. Iustitia verò sic amanda est; vt ab eius operibus etiam pœnæ corporis, nos cohibere non debeant.

Ex Epist. ad Anast. 144. tom. 2. al * ferre. Ibidem.

26. (*Sicut enim exhibuistis*) Quid est, sicut illud, ita & hoc? Nisi quemadmodum ad peccandum, nullus * cogebat timor; sed ipsius libido, voluptásque peccati. Sic ad iustè vivendum, non vos supplicij metus urgeat; sed delectatio iustitiæ urgeat. F

27. LANFRANC. (*Cùm enim servi*) Ratio cur servire iustitiæ eos oporteat. Aut enim iustitiæ, aut peccato servire necesse est. Sed cum servitur peccato, abest iustitia. Acquiritur fructus, unde erubescitur. Quod est inconveniens. Iustitiæ igitur serviendum est.

28. (*Stipendia*) Causa cur liberati sint à peccato. Et cur servi facti Deo. Et est sensus: peccatum hoc stipendium, id est, hanc retributionem dat, mortem scilicet.

29. (*Gratia autem Dei*) Id est, virtus quæ per gratiam Dei datur, vita æterna est, id est, vitam æternam dat.

30. AMBROS. (*Gratia autem Dei*) Hoc rationibus his Apostolus demonstrare videtur. Aut est in Christo, aut in lege. Mortificata est enim lex per corpus Christi, ut illius sitis, qui à mortuis resurrexit. Nam in aliis legibus idem videtur. Moritur enim homo alicui legi, ut iam alij vivat. Nam quamdiu vivit priori, alij vivere non potest. Prior enim adhuc dominatur. Mulier enim vivens maritali lege viri sui, non potest vivere legi alterius viri. Alligata est enim viro suo. Nam si moriatur legi prioris viri: alterius potest vivere legi. Igitur vivens maritali legi (scilicet vivente viro) non potest alterius legi viri. Si enim tunc fuerit cum alio viro vocabitur adultera. G

CAPVT SEPTIMVM.

D AN 1. ignoratis fratres, (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit? Nam quæ sub viro est mulier; vivente viro, alligata est legi: Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri: ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Itaque, fratres mei, & vos 2. mortificati 3. estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. 4. Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus 5. à lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate Spiritûs, *id est, innovando spiritum fide, & operibus bonis*, & non in vetustate literæ, *id est, carnali observatione.* Quid ergo dicemus? lex peccatum est? *scilicet quia superius dixit à lege mortis, vel passiones peccatorum quæ per legem erant.* Absit. Sed 6. peccatum non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam, *scilicet esse peccatum*, nesciebam, *vel non eram expertus* nisi lex diceret: non concupisces. Occasione, *id est, opportunitate*, autem acceptâ, peccatum, *id est, fomes peccati*, per mandatum 7. operatum est in me omnem concupiscentiam. 8. Sine lege enim peccatum mortuum erat. 9. Ego autem vivebam sine lege aliquando. 10. Sed cùm venisset mandatum, peccatum revixit. 11. Ego autem mortuus sum, & inveni H

A est mihi mandatum, *id est* (*cognitio mandati*, quod erat ad vitam, *scilicet servati*, hoc esse ad mortem, *scilicet non servati* 11. Nam peccatum, *id est*, *fomes peccati*, *vel diabolus*, 13. occasiune acceptâ per mandatum, seduxit me, & per illud occidir. Itaque lex quidem sancta, & mandatum saoctum, & iustum, & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absir. Sed peccatum, ut appareat, *scilicet in opere*, *vel quia diabolus est*, peccatum, per bonum operatum est mihi mortem: ur fiar 14. 15. supra modum peccans peccatum, *id est*, *per prævaricationem peccati*, per mandatum. 16. Scimus enim, quia lex spiritualis est: *id est*, *spiritum nutriens*. Ego (*causa cur peccatum operatum sit in eo mortem*) autem carnalis sum, 17. venundatns sub peccato. 18. Quod enim operor, 19. non intelligo: 20. non enim, *expositio superioru versus*, quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. Si autem 21. quod nolo, illod facio: consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat, *inseparabiliter inhæret*, in me peccatum, *id est*, *concupiscentia peccati*. 22. Nam velle, adiacet mihi: perficere autem bonum, non inveniu. Non enim qood volo bonnm, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago E F

B 24. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, 25. sed quod habitat in me, peccatum. 26. Invenio igitur 27. legem, 28. volenri mihi facere bonum, (*causa cur dixerit volenti*,) quoniam mihi malum adiacet: 29. condelector enim legi Dei secnndùm interiorem hominem: video autem 30. aliam legem in membris meis, repugnantem 31. legi menris meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. 32. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse meote servio legi Dei; carne autem, legi peccati.

COMMENTARIVS.

LANFR. (*An ignoratis fratres.*) Probare videtut, quòd lex Iudæorum fidelibus non est observanda. Non est enim data nisi ad adventum Christi. Et est tesponsio. Quasi aliquis diceret. Cur dixisti in Christo Iesu, & non in observantia legis?

C 2. (*Mortificati estis legi*) Quasi diceret. Nihil debetis legi. Lex enim data est usque ad adventum Christi.

3. AMBROS. (*Mortificati estis legi*) Quoniam Salvator corpus suom diabolo crucifigere permisit. Idcircò per corpus Christi, salvos nos dicit factos.

4. LANFR. (*Cùm enim essemus in carne*) Quasi aliquis diceret. Cur dixisti, ut fructificemus Deo: quasi non fructificaremus, cùm legem carnaliter observaremus. Ita, inquit, cum essemus in carne, id est, in carnali observantia, &c.

5. (*A lege mortis*) Id est, quæ sine ulla miseratione, peccantes interfici iubebat. Vel, quæ passiones peccatorum, quæ mors animæ sunt, per prohibitionem augebat.

6. (*Peccatum non cognovi*) Id est, tantam vim concupiscentiæ antea non eram expertus; quantam postea; quòd cognovi esse prohibitum. Vel, nesciebam concupiscentiam esse peccatum.

7. AMBROS. (*Operatum est in me*) .... quæ & legem transcendit.

D 8. AVGVST. (*Sine lege enim*) Peccatum mortuum est; non intelligamos nisi tamquam non sit: latet, non apparet, penitus ignoratur, tamquam innescio quibus ignorantiæ tenebris sepultum.

Contra duas Epist. Pelag. ad Bonif. c. lib. 1. c. 9 tom. 7. Serm. 5 de verb. Apost. c. 7. & 8. & ibidem. Quæst. 83 lib q. 66 tom. 4.

9. AMBROS. (*Ego autem vivebam*) Sine timore securos, quod non esset Deus iudicaturus.

10. AVGVST. (*Sed cùm venisset*) Quid est, revixit peccatum; apparere cœpit, rebellare adversos me cœpit.

11. (*Ego autem mortuus*) Id est, prævaricator factos sum.

12. [*Nam peccatum*] Quòd autem ait, fefellit me peccatum, occasione acceptâ per mandatum: sive quia suasio delectationis ad peccatum vehementior est, cùm adest prohibitio: sive quia etiam siquid homo fecerit secundùm iussa legis, si adhuc non sit fides, quæ integra est, vult sibi retribuere, non Deo; & superbiendo plus peccat.

13. AMBROS. [*Occasione acceptâ*] Peccatum dicit diabolum, qui invidens homini, quem habebat provisum per legem exarsit: ut illi legem invertetet, qui ante legem quasi mortuus erat, quia ab illusione cessabat.

14. AVGVST. [*Supra modum peccant.*] Quia etiam & prævaricatio. Quando enim deliuquebat sine mandato minus erat. Quando deliquit per mandatum, excedit modum.

Beda in cap. 1. ad Rom.

15. LANFR. [*Supra modum*] Id est, valdè. Ordo. Vt peccatum, scilicet, auctum per peccatum fiat supra modum. Peccans, id est, peccans ei, locutionis modo, quo qualitas vocatur quale; eo quod faciat quale. G

16. [*Scimus enim*] Probatio quòd lex bonum est. Omne enim spirituale, id est, spiritum nutriens bonum est.

17. AVGVST. [*Venundatus*] Id est, peccans pretio temporalium voluptatum.

Lib. 83. quæst. 66. to. 4.

18. LANFR. [*Quod enim operor*] Probatio quòd venundatus est sub peccato. In tantùm enim peccatum dominatur, ut operetur quod non vult.

19. [*Non intelligo*] Acceptum non habeo; sicut in Psalmo. *Intellige clamorem meum.*

20. AVGVST. [*Non enim quod volo*] Id est, nolo concupiscere, & concupisco.

Lib. sec. de temp. Serm. 45. cap. 6.

21. LANFR. [*Quod nolo*] De concupiscentia hoc intelligendum est. Quasi diceret vellem cavere concupiscentiam, & non possum.

22. [*Scio enim*] Per ablationem unius contrarij, more suo probat alterum. Quia in religione Christiana, immediata sunt bonum & malum. Omnis enim homo secundùm religionem Christianam, aut bonus, aut malus est.

H 23. [*Nam velle adiacet*] Probatio quòd bonum non habitet in carne sua. Omne enim bonum, quod in homine est, aut bona voluntas, aut bona operatio. Sed velle, inquit, bonum non est in carne mea. Ex vicinitate enim animæ adiacet, id est, vitium sibi est. Perficere autem bonum, id est, operationem bonam non invenio in ea habitare. Non igitur bonum mihi, id est, carni meæ: non enim quod volo: quasi diceret, bonum non invenio habitare, sed malum quod ago.

24. AVGVST. [*Si autem quod nolo*] Ideo consentit legi, qood non volt.

Lib. contra duas Epist. Pelag. ad Bonif. q. 1. c. 10 tom. 7.

25. AMBROS. [*Sed quod inhabitat*] Ipsa enim peccati corruptio, per conditionem offensionis manet in corpore,

26. LANFR. [*Invenio ergo*] Concludit quod superiùs quærebatur: & probatum esse legem esse bonum, si tamen bonum velit.

27. (*Legem*)

A 27. (*Legem*) Ordo. Invenio legem bonam , mihi volenti facere bonum. Quasi diceret. Si bona ago, lex mihi bona est. Si verò mala , lex mihi mors est.

28. (*Volenti mihi*) Voluntas animæ est, quæ in Deo bonum vult facere, ut malum expellat ; quod sibi adiacet ex vicinitate carnis.

29. (*Condelector*) Hic apertè exponit , quæ superiùs multis modis obscurè dixit , & maximè superiorem versum.

30. (*Aliam legem*) Aliam legem hic vocat , hortamenta concupiscentiæ ; quæ quasi imperat homini peccare. E

31. (*Legi mentis meæ*) Mens iubet à malis discedere, & bona facere : & hæc est lex eius.

32. AVGVST. (*Infelix ego homo*) Sic sic liberaberis à corpore mortis huius ; ut mortale hoc induat immortalitatem : & corruptibile hoc induat incorruptionem. De verb 4pest. erm.6. ap 12. om.10.

CAPVT OCTAVVM.

NIhil ergo nunc , *id est , in hoc tempore gratia* , damnationis est iis, qui sunt in Christo
Iesu , *id est , in fide , & memoria eius* , qui non secundùm carnem ambulant. 1. 2. Lex
B enim Spiritus vitæ in Christo Iesu , *id est , in gratia Christi Iesu , & memoria eius* , libera
vit me à lege, *id est , sussione*, peccati & mortis. 3. Nam quod impossibile erat legi , in quo
infirmabatur per carnem : Dens Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati , 4. 5.
& de peccato damnavit peccatnm , *id est , vim concupiscentia* , in carne , *scilicet fidelium* , ut F
iustificatio legis impleretur in nobis , *id est , quia lex promittebat* , qui non secundùm carnem,
id est , carnales observantias , vel desideria carnis , ambulamus , sed secundùm spiritum , *id est,*
spiritualem intelligentiam , vel opera spiritus. 6. Qui enim secundùm carnem sunt , quæ carnis sunt , sapiunt : qui verò 7. secundùm spiritum sunt : quæ sunt spiritus sentiunt. (*ratio cur*
non ambulent secundùm carnem , sed secundum spiritum) Nam prudentia carnis , mors est :
prudentia autem spiritus , vita , & pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo : 8. Legi enim Dei non est subiecta : nec enim potest. Qui autem in carne sunt , Deo placere non
possunt. Vos autem in carne non estis , sed in spiritu : si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet , hic non est eius. Si autem Christus , *id est,*
Amor Christi in vobis est , 9. corpus , *id est , concupiscentia corporis , scilicet vestrum* , quidem
mortuum est propter peccatnm , *in se deletum* , spiritus verò vivit propter iustificationem.
Id est , propter opera iustitia qua exercet. Quod si spiritus eius , qui suscitavit Iesum à mor-
C tuis , habitat in vobis : qui suscitavit Iesum Christum à mortuis , vivificabit & mortalia corpora vestra , propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Ergo fcatres , *spiritui* debitores
sumus non carni , ut secundùm carnem vivamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis , vivetis. 10. Quicumque enim Spiritu
Dei aguntur , ij sunt Filij Dei. 11. Non enim accepistis , *sicut Iudai in monte Syna* , spiritum G
servitutis iterùm in timore , sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. 12. 13. in quo clamamus : Abba (Pater.) Ipse enim spiritus , testimonium reddit spiritui nostro , quòd sumus filij Dei. Si autem filij , & hæredes : 14. hæredes quidem Dei , cohæredes autem Christi : si tamen compatimur , *id est , adversa in Christo sustineamus sicut ipse pro nobis* , ut & conglorificemur. Existimo enim , quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram
gloriam , *scilicet obtinendam* , quæ revelabitur in nobis. 15. Nam expectatio creaturæ , revelationem Filiorum Dei expectat , 16. 17. vanitati enim creatura subiecta est , non volens,
18. sed propter eum , qui subiecit eam in spe : quia & ipsa creatura liberabitur à servitute
corruptionis , in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod 19. omnis creatura ingemiscit , *scilicet pro vanitate quàm patitur ; id est , cum magno conatu operatur id boni quod operatur* , & parturit usque adhuc. Non solùm autem illa , sed & nos ipsi primitias spiritus ha-
D bentes , *id est , qui primi spiritum sanctum accepimus* ; & ipsi intra nos gemimus , adoptionem
filiorum Dei expectantes , 20. redemptionem corporis nostri. 21. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem , quæ videtur , non est spes : nam quod videt quis , quid sperat ? Si autem
quod non videmus , speramus : per patientiam expectamus. 22. Similiter autem & spiritus H
adiuvat infirmitatem nostram : nam quid oremus sicut oportet , nescimus : 23. Sed ipse spiritus postulat , *id est , postulare nos facit* , pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem
scrutatur corda , *id est , Deus* , scit quid desideret , *id est , desiderare faciat* spiritus : quia secundùm Deum postulat pro sanctis , *id est , postulare facit sanctos.* Scimus autem quoniam
diligentibus Deum , 24. omnia cooperantur in bonum , *scilicet spiritus* , iis , qui secundùm
propositum , *id est , pradestinationem Dei* , vocati sunt sancti. 25. Nam quos præscivit , *scilicet Deus Pater* , & prædestinavit 26. conformes fieri imaginis filij sui , ut sit ipse , primogenitus in multis fratribus. Quos autem 27. 28. prædestinavit , hos & vocavit : & quos vocavit,
hos & iustificavit : quos autem iustificavit , illos 29. & glorificavit. 30. Quid ergo dicemus
ad hæc ? Si Deus pro nobis , quis contra nos ? 31. Qui etiam proprio filio suo non pepercit,
sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ?
Quis accusabit adversus electos Dei ? Deus qui iustificat , quis est qui condemnet ? Christus
Iesus , qui mortuus est , imò qui & resurrexit , qui est ad dexteram Dei , qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit à charitate Christi ? Tribulatio ? An angustia ? An

fames?

A fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius? 32. (Sicut scriptum est: 33. quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis.) Sed in his omnibus superamus, propter eum, 34. qui dilexit nos; certus sum enim, quia neque 35. mors, neque 36. vita, neque Angeli 37. neque principatus, *scilicet mali*; neque virtutes, *scilicet mala*, neque instantia, *scilicet bona, vel mala*, neque futura, *id est, bona, vel mala*, neque fortitudo, *id est, vis*, neque altitudo, *id est, promissio altitudinis*, neque profundum, *id est, comminatio humiliationis*, neque 38. creatura, *bona, vel mala*, alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est, *scilicet quam habemus per Christum*, in Christo Iesu Domino nostro. E

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. [*Lex enim spiritus*] Quia prius lex ab errore malo imbuit. Hæc autem cùm nec in corde peccare dicit debere, ita spiritus vocetur, ut totum faciat hominem spiritualem.

2. LANFR. [*Lex enim spiritus*] Causa cur non secundùm carnem ambulant. Memoria enim legis Dei quæ est Spiritus vitæ, per gratiam Iesu Christi, & per memoriam eius, liberabit eos à lege peccati & mortis. Id est, ne secundùm carnem ambulent. B

3. [*Nam quod impossibile*] Ratio cur dixerit in Christo Iesu. Quasi diceret: Impossibile erat legi per carnales observationes liberare a suasione peccati & mortis: sed misit Deus Filium suum in similitudinem humanæ carnis, quæ peccati concupiscentiis sæpe vexatur; ut memoria incarnationis eius, suasiones peccati à fidelium carne repelleret.

4. [*De peccato damnavit*] Peccatum hic vocat corpus Christi, quod fuit hostia pro peccato, sicut aliàs eum qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit.

5. AMBROS. [*De peccato*] Christus cùm à peccato, quod est Sathanas, crucifigitur peccavit in carne Salvatoris, quo peccato damnatus est, amisso dominio retentaroin animarum.

C 6. AVGVST. [*Qui enim secundùm carnem*] secundùm carnem ambulare, est carnalibus concupiscentiis consentire.

De verb. Apost. serm. 7. c. 9.

7. [*Secundùm spiritum*] Secundùm spiritum ambulare, est adiuvari in mente spiritu, & concupiscentiis carnis non obedire.

Ibidem.

8. [*Legi enim Dei*] Hoc oon potest, sed prudentia carnis non potest; vitium non potest, non natura. Quomodo si diceres: Claudicatio rectæ ambulationi non est subiecta. Neque enim potest, pes potest * , claudicatio non potest.

Ibidem. Cap. 10. * sed.

9. [*Corpus quidem*] Corpus nostrum comparatum illi quod futurum est, invenitur mortuum, quamvis adhuc habens animam.

Enarr. in Ps. 45. sub med. tom. 8.

10. LANFR. [*Quicumque enim*] Probatio quia facta carnis mortificantes vivant. Filij enim Dei sunt, quos vivere haud dubium est.

11. [*Non enim accepistis*] Probat eos qui Spiritu Dei aguntur, esse filios, Non enim, inquit, spiritus, quem accepistis, servos vos fecit. Omnes namque cultores Dei, in quocumque tempore, aut servi fuerunt, ut Iudæi; aut filij, ut Christiani. Vnde in Evangelio Dominus dicit: *Iam non dicam vos servos, sed amicos, &c.* D

12. AMBROS. [*In quo clamamus, Abba, Pater*] Ipse huic voci & animo, qon clamamus Abba, Pater, Spiritus Dei testimonium dat, dum manet in nobis hæredes.

De verb. Apost. serm. 13. cap. 14.

13. AVGVST. [*In quo clamamus, Abba, Pater*] Vtrumque voluit Apostolus dicere: quia videbat lapidem angularem, quem reprobaverunt; qui recipit utrumque parietem etiam de diverso * venientium. Hinc circumcisio; hinc præputium; inde Abba; inde Pater.

* al. venientem.

14. [*Hæredes quidem Dei*] Si quæratur, quomodo simus hæredes Dei: cum hæreditas morte decessoris firma teneatur. Respondetur: *Cum venerit quod perfectum est*; auferetur quod ex parte est. Ita nobis quodammodo moritur pater in ænigmate, & idem ipse fit hæreditas, cum facie ad faciem * possidetur.

Lib. 83. qu. 75. tom. 4.

* al. videtur.

15. LANFR. [*Nam expectatio*] Probat gloriam filiorum revelandam ab auctoritate totius Ecclesiæ, quam creaturam hic vocat, sicut aliàs: *Si qua nova creatura in Christo*. Et Iacob. *Vt simus initium aliquod creaturæ eius*. Quasi diceret Ecclesia Christi expectat revelari sibi gloriam filiorum Dei: Id est, societatem habere cum Angelis Dei. F

16. [*Vanitati enim*] Quasi quis diceret. Ecclesia quæ tantam expectationem habet, cur vana cogitat? Cur vana nonnunquam desiderat? Ad hoc respondet: non volens hoc patitur. Sed ita placuit Deo quia vanitati eam subiecit, dans ei spem quia quandoque liberabitur à servitute vanitatis & corruptionis; cùm data sibi fuerit libertas gloriæ quam Filij Dei habent.

17. AVGVST. [*Vanitati enim*] Homo quippe sponte peccavit, sed non sponte damnatus est. Peccatum itaque spontaneum fuit, contra præceptum facere veritatis. Peccati autem pœna, subiicit fallaciæ. Non * enim sponte vanitati creatura subiecta est.

Lib. 83. qu. 467.

* al. ergo. Ibidem.

18. [*Sed propter eum*] Propter eum qui subiecit eam in spe, id est, propter eius iustitiam, atque clementiam; qui nec impunitum peccatum * relinquit, neque insanabilem voluit esse peccantem.

* al. relinquit.

19. [*Omnis creatura*] In unoquoque homine omnis creatura intelligi potest; quia rationalis in illo est, quam Angeli habere creduntur. Sensualis cum bestiis. Vitalis privata sensu, cum arboribus. Nam in nobis sine sensu nostro fiunt corporis incrementa.

G Contra Priscill. & Orig. ad consult. Oros. c. 8. tom. 6.

20. LANFR. [*Redemptionem corporis*] Verè expectamus redemptionem corporis, quia speramus quod est: Vbi dicit per patientiam expectamus, speramus; quia spe salvi facti sumus: & hoc probat, quia quod non videmus, speramus; scilicet à Deo promissum: sed redemptio corporis est promissa. Probat, quod non videmus speramus: quia quod videmus non speramus. Et hoc probat, quia visio nostra non est spes. Et hoc probat, quia spes quæ videtur non est spes: quia nulla visio, spes est. Et hoc probat, qoia quod videt quis, qoid sperat? Quia nullus videns sperat. Vel ita: utrum expectemus redemptionem? Respondetur, verè: quia speramus quod spe salvi facti sumus. Ita explicat: si speramus, expectamus quod est: Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus [assumptio] sed speramus quod non videmus Et hoc probat, quia quod videtur non speratur quod est; spes autem quæ videtur, non est spes. Et hoc probat; nam nullus videns sperat quod est, nam quod videt quis, quid sperat? H

21. (*Spe enim*) Quasi aliquis diceret. Nonne qui Deo serviunt etiam in hac vita, à vanitate & corruptione liberantur? Huic obiectioni respondet Apostolus dicens: spem habemus, ut in æterna vita liberemur; sed nondum in hac vita liberati sumus.

22. (*Similiter*) Quasi diceret. Sicut spes roborat pusillanimitatem nostram; ita & spiritus adiuvat infirmitatem nostram; insinuans nobis quid facere debeamus.

23. AVOVST. (*Sed ipse spiritus postulat*) Sic dictum est gemitibus interpellat, ut intelligeremus, gemitibus

Lib. 1. contra Maxim. here ... tio. c. 6.

interpellare

A interpellare nos facit. Adest enim * nobis, & infundendo charitatem in nobis, facit interpellare nos gemitibus.

* al. robis.

24. LANFR. (*Omnia cooperantur*) Quasi diceret. Non solum orationis cooperator est Spiritus sanctus in his qui diligunt Deum: sed etiam bonorum quæ fiunt ab eis.

25. (*Nam quos*) Responsio cur dixerit propositum. Et est ordo. Nam quos præscivit conformes fieri imaginis filij sui; id est futuros imitatores vestigiorum IESV-CHRISTI; Et prædestinavit: Ita ut ipse primogenitus sit in multis fratribus; id est, principatum habens in collegio sanctorum.

Lib. de bono perseverant. cap. al. * præsentium.

26. AVGVST. (*Prædestinavit*) Hæc est prædestinatio sanctorum, * præsentia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei.

Lib. 22. de Civit. Dei, c. 15

27. (*Conformes fieri*) Potest secundùm hominem interiorem intelligi. Vnde nobis alio loco dicit: *Reformamini in novitate mentis vestræ.* Potest & sic accipi, ut nos illi efficiamur immortalitate conformes. Quod ad ipsam resurrectionem pertinet; secundùm quod primogenitus utique à mortuis est.

28. (*Prædestinavit*) Prædestinavit nos Deus, ante quam essemus. Vocavit autem, cum aversi essemus. Iustificavit, cum peccatores essemus. Glorificavit, cum mortales essemus. E

De verb. Apost. serm. 16. cap. 10

29. LANFR. (*Glorificavit*) Hoc nondum factum est, sed fiet in futura vita.

30. (*Quid ergo dicemus?*) Id est, quas dignas gratias referemus Deo, pro his tantis bonis?

31. (*Qui etiam filio*) Quasi dicat, non solum dat nobis Deus non timere adversarios: sed etiam dat nobis omnia, sicut illum dedit nobis.

32. (*An gladius*) Subaudis, nihil horum.

33. (*Sicut scriptum est*) Et hoc probat.

34. (*Propter eum*) Id est, propter eius amorem.

35. (*Mors*) Id est, comminatio mortis.

36. (*Vita*) Id est, promissio vitæ.

37. (*Angeli*) Scilicet, Mali.

38. AMBROS. (*Neque creatura*) Nec si arte & sublimitate astutiæ suæ, aliam fingat creaturam ad horam; sicut finxerunt Iannes & Mambres coram Pharaone. F

CAPVT NONVM.

1. VEritatem dico (*ne quis diceret deprimere se legem, quia inimicaret Iudæis.*) In Christo,
non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea 2. in Spiritu sancto:
quoniam tristitia mihi magna est, continuus dolor cordi meo. 3. Optabam enim ego ipse
anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem, qui
sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, *id est, qui adoptati sunt in filios*, & 4. gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorum patres, & ex
quibus, est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.
Amen. Non 5. 6. autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israël
sunt, *scilicet secundùm carnem*, ij sunt 7. Israëlitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, 8.
C omnes filij, *scilicet secundùm carnem*; 9. sed in Isaac vocabitur tibi semen, *scilicet hæreditatis*: id est, non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in
semine, *scilicet spirituali, id est, quales promisisti, sunt iusti videlicet.* Promissionis enim
verbum hoc est: secundùm hoc tempus *futuri anni, hac die* veniam, & erit Saræ filius. G
10. Non solùm autem illa: 11. 12. sed & (*hoc probat quia non omnes filij carnis, filij sunt
Dei*) Rebecca ex uno concubitu habens, Isaac Patris nostri. Cùm enim nondum nati
fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundùm electionem, *id est, gratiam*,
propositum Dei maneret, *propositum Dei fuit Iacob præferre Esau fratri suo.*) non ex operibus, sed ex vocante, *id est, ex gratia vocantis*, dictum est ei, quia maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. *Hoc testimonium est in Malachia Propheta, Cap. 1.* Quid ergo dicemus? 13. 14. Nunquid iniquitas apud Deum? Absit. 15. Moysi enim dicit, 16. miserebor, cuius misereor: & misericordiam præstabo,
cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, (*scilicet ut salvetur*) sed miserentis est Dei. Dicit enim 17. Scriptura Pharaoni: quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam: & ut annuntietur nomen meum in universa terra. *Conclusio
D utriusque quæstionis.* Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Dicis itaque mihi:
18. 19. quid adhuc quæritur? voluntati eius quis resistit? 20. O homo, tu quis es, qui
respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic? An
non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, H
aliud verò in contumeliam? 21. Quod si Deus volens ostendere (*scilicet in futuro sæculo*) iram,
& notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum,
ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Quos
& vocavit nos non solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus (*probat quia vocavit ex Gentibus:
sicut in Osee dicitur. cap. 1.*) Sicut in Osee dicit, 22. vocabo non plebem meam, plebem
meam: & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. 23. Et erit, in loco, ubi dictum est eis: non plebs mea vos: ibi vocabuntur Filij Dei
vivi.) *Probat quod ex Iudæis vocavit, quia testatur Isaias. c. 1.*) Isaias autem clamat pro Israël,
pro conversione Israël: 24. Si fuerit numerus filiorum Israël tanquam arena maris, 25. 26.
reliquiæ salvæ fient. 27. 28. Verbum (*vel verbum Christum breviatum: sicut illud, minuisti
eum paulò minus ab Angelis?*) enim consummans, & abbrevians, *id est, præcepta legis*, in
æquitate: quia verbum breviatum faciet, *scilicet subebit observari*, Dominus super terram: & sicut prædixit Isaias: 29. nisi Dominus Sabaoth reliquisset 30. nobis semen, sicut
Sodoma facti essemus, *id est, penitus periclitati*, & sicut Gomorrha similes fuissemus.

Quid

A Quid ergo dicemus: *Conclusio quod dicit ex Gentibus vocavit.* Quod Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam; iustitiam autem, quæ ex fide est. Israël verò sectando legem iustitiæ, *id est, carnales observationes, quæ per fidem iustificantur*, in legem iustitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, *scilicet putabant hominem iustificari*, sed quasi ex operibus: 31. offenderunt enim in lapidem offensionis, 23. sicut scriptum est: ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: & omnis, qui credit in eum, non confundetur. E

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Veritatem* (Quasi quis diceret. Qui quondam Ecclesiam Dei persequebaris, quomodo nunc ita loqueris? Incessanter, inquit, doleo quod fecerim.

B 2. (*In Spiritu sancto*) Id est, per Spiritum sanctum, quem in se habet, à quo sibi veritas inspiratur.

3 [*Optabam enim*] Exponit cur doleat, videlicet quo tempore persequebatur Ecclesiam Christi, optabat esse alienus à Christo: & hoc bono zelo fecisse indicat pro fratribus suis; quorum legem in prædicatione Evangelij destruere videbatur.

Ex lib. 12 cont. Faustum Manichæum cap. 3. in med. al.* præcipuè pertinere.

4. AVGVST. [*Et gloria*] Et quæ gloria eorum, nisi præcipuè illa, quia credita sunt illis eloquia Dei. Iam vero testamenta cur dixit ad Israelitas*, nisi quia & vetus testamentum illis est datum, & novum in vetere figuratum?

5. LANFR. [*Non autem quod exciderit*] Superiùs dixit quia promissa æternæ hæreditatis, facta sunt Iudæis. Sed quia Iudæi magna ex parte Christo non crediderunt, videbatur verbum Dei non esse completum. Ad hoc respondet: Non autem excidit verbum Dei. Verbum Dei excidere, vel excedere est, non implere promissa.

6. AVGVST. [*Nunquid exciderit verbum Dei*] Quoniam dixerat dolorem habere se cordis continuum, causa incredulitatis eorum; nunc consolabatur se, ... enim lege invenit, quia non omnes qui ex Israel, vel Abraham sunt credituri. Minuit ergo dolorem inveniens hoc olim prædictum. Quorum adoptio ad Galatas dicitur: *Cum venit plenitudo temporis: misit Deus filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus.*

C

7 LANFR. [*Israëlitæ*] Non omnes fuerunt Israëlitæ, qui fuerunt sub cultura Dei & observantia legis. Quidam enim transierunt in ritus Gentilium & culturam idolorum; sicut tempore Ieroboam maxima pars eorum. Hoc significante Deo, quod in adventu Christi quidam essent credituri; & maxima pars eorum in infidelitate remansuri.

8. [*Omnes filij*] Filios vocat liberos ex legali coniugio procreatos: sicut ad Hebræos: *Ergo adulterini & non filij estis.* Ij soli Patris hæredes sunt.

Lib 16 de Civit Dei c. 2

D 9. AVGVST. [*Sed in Isaac*] Exponens Apostolus quid sit; *In Isaac vocabitur semen.* Inquit; *Non filij sunt carnis, hi sunt Filij Dei. Sed filij promissionis deputantur in semine.* Ac per hoc filij promissionis, vt sint semen Abrahæ in Isaac, in Christum vocante gratia congregantur.

10. LANFR. [*Non solum autem*] Vel non solum illi sunt electi, alij reprobi: nam neque ex operibus patris, aut matris, quia ex vno concubitu sunt; & suis non, quia nondum aliquid fecerant, quia nati non erant.

al.* pertinent. Epist. 150 ad Sixtum Presbyt. sub fine tom 2. al.* gloriaretur. al. * . ô cipiẽdos. al.* ex eodem.

11. AVGVST. [*Sed & Rebecca*] Quo* pertinet ut adderet ex uno concubitu; nisi ut non solum de suis, neque de parentum meritis; sed nec de ipsius, id est, unius patris mutata forte in melius voluntate* gloriatur Iacob dicens ideo à creatore se dilectum, quia pater eius quando eum seminavit melioribus laudabilior moribus fuit. Ex uno, inquit, concubitu fuit unum tunc ad eos seminandos meritum patris, unum ad * concupiscendos matris meritum: ut cum * eodem patre, eadem matre, uno concubitu antequam aliquid egissent boni, aut mali, alterum Deus elegit, alterum odit, intelligat Iacob ex illa massa iniquitatis originalis: ubi fratrem cum quo habuit omnem causam, videt per iustitiam meruisse damnari, non nisi per gratiam se potuisse discerni.

12. LANFRANCVS [*Sed & Rebecca*] Ordo. Rebecca habens filios, ex uno concubitu Isaac. F

13. [*Nunquid iniquitas*] Iniquitatis videbatur esse, Esau non peccantem reprobasse. Neque tamen hanc magnam & arduam quæstionem solvit.

Ibidem paulo ante. * Itaque

14. AVGVST. [*Nunquid iniquitas*] Cum enim dixisset, absit ut sit iniquitas apud Deum:* Itaque ei dicemus: Vnde hoc ostendis, cum asseras non ex operibus, sed ex vocante dictum est; *maior serviet minori!* Moyses enim, inquit, dicit.

15. LANFRANC. [*Moysi enim*] Non respondet quæstioni; sed superiori sententiæ, quâ dictum est; *Iacob dilexi, &c.*

16. [*Miserentis*] In Iacob, inquit, potest videre, quia neque voluntas, neque vita salvat hominem, sed misericordia Dei, quâ bona voluntas, & bona opera inspirantur.

16. [*Miserebor, &c.*] Probat quia dilexit Iacob, quia omnes diligit secundùm propositum, id est, gratiam; nam dicit: *Miserebor, &c.*

17. [*Scriptura*] Quamdam tantùm vtilitatem ex induratione infidelium provenire ostendit: neque probat tamen, quod iniquitas non fuerit Esau reprobasse. G

Ibidem.

18. AVGVST. [*Quid adhuc queritur*] Hoc est enim dicere. Quid de nobis fit querela, quòd Deum offendimus malè vivendo; cum illius voluntati nemo possit ressistere, qui nos obduravit misericordiam non præstando.

19. LANFRAC. (*Quid adhuc queritur?*) Audito hoc verbo, *quem vult indurat*: interrogare poterat carnalis homo, & voluptatibus vivens; adversus Deum murmurans, & divinæ voluntati, non vitio suo deputans quod talis sit. Quid adhuc disputatur? Intellige quod sequitur. Nihil valet contra vitia labor meus, inutilis est industria mea. Talis ero qualem me Deus voluerit esse. Voluntati enim eius quis resistet?

Ibidem. al.* christiano ex fide.

20. AVGVST. (*O homo tu quis es*) Satis sit interim* ex Christiana fide adhuc viventi, & nondum cernenti quod perfectum est; sed ex parte scienti nosse vel credere; quòd neminem Deus liberet, nisi gratuita misericordia per Dominum nostrum Iesum Christum. Et neminem damnet, nisi æquissima veritate per eundem Dominum nostrum Iesum Christum. Cur autem potius illum, quam illum liberet, scrutetur qui potest iudiciorum eius tam magnum profundum, verumtamen caveat præcipitium. H

21. LANFR. (*Quod si Deus volens*) Causam reddit cur infideles obdurentur, videlicet, ut per patientiam tribulationis ab illis illatæ, fideles coronentur, tribuente Deo in futuro.

22. (*Vocabo non plebem*) Probatio quod vasa misericordiæ ex Gentibus vocaverit Deus. Gentes enim non plebs Dei ante fidem erant.

23. (*Et erit in loco*) Iudæi per multas nationes etiam ante adventum Christi sparsi erant: à quibus dicebatur sæpe Gentibus, quia plebs Dei non essent.

24. (*Si*

A 24. (*Si fueris*) Probatio quia vasa misericordiæ ex Iudæis à Deo vocata sunt, fuerit, inusitata translatione ita reperiatur. Si fuerit populus tuus Israël quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo consummatio abbreviata mandavit iustitiam; consommationem enim & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.

25. (*Reliquia*) Id est, viles pauci, qui de numero infidelium impiorum regnabunt.

26. AMBROS. (*Reliquiæ salvæ fient*) Recedentibus Iudæis à merito & promissione patrum, hi reliquiæ sunt, qui in fide persistunt.

27. (*Verbum enim*) Quoniam sublatis omnibus carnalibus legis observantiis; sola fides est posita ad salutem.

28. LANFR. (*Verbum enim*) Verbum consummans vocat dilectionem Dei, & proximi, per quam salvati sunt plures sine legalibus observationibus. E

29. AMBROS (*Nisi Dominus Sabaoth*) Salvatorem relictum nobis dicit ad suffragium vitæ quem ab initio Dominus nasci decrevit: quem idcirco semen dicit, quia per ipsum reparatum est genus humanum.

30. LANFR. (*Nobis semen*) Semen vocat Apostolos, & primitivam Ecclesiam.

31. (*Offenderunt*) Causa cur non pervenerunt in legem iustitiæ; & cur non credant hominem iustificari ex fide.

32. [*Sicut scriptum est*] Subaudis in quo sida æmulatio. Zelo bono nos æmulantur, si nesciunt quid faciunt, iustitiam Dei quæ per fidem Christi est.

F

B

CAPVT DECIMVM.

FRatres, voluntas (*quasi quod dico, non dico pro odio Iudaeorum, quia pro eis oro Deum*) qui-
dem cordis mei, & obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem. Testimonium enim
perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, *ideo obsecratio, quia æmulationem Dei ha-
bent;* sed non secundùm scientiam. Ignorantes enim iustitiam Dei, *quæ est per fidem Iesu
Christi*, 1. & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti: *probat quia Christo
non sunt subiecti. Quare non legi? quia Christus ad implementum legis est.* 2. 3. Finis enim le-
gis, Christus, ad iustitiam omni credenti. 4. Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam,
quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea. 5. Quæ autem ex fide est iustitia, sic di-
cit. 6. Nè dixeris in corde tuo: quis ascendet in cœlum? Id est, Christum deducere:
7. aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis revocare. Sed quid dicit
Scriptura? *Scilicet Moyses*, propè est, *id est, propè esse debet, dicis Moyses*, verbum in ore
tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus. *Ratio cur in ore non in corde
debeat esse verbum Dei.* Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo cre-
C dideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris, *quia omnis credens, confitens.* G
Corde enim creditur ad iustitiam: *scilicet servandam:* ore autem confessio fit ad salutem
scilicet consequendam. Dicit enim Scriptura: omnis, qui credit in illum, non confundetur.
Non enim est distinctio Iudæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, 8. dives in om-
nes, VIII. qui invocant illum. Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini,
salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent
ei, IX. quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? 9. 10. Quomo-
do verò prædicabunt, nisi mittantur? Sicut scriptum est: 11. quam speciosi pedes Evan-
gelizantium pacem, Evangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias
enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, 12. auditus au-
tem per verbum Christi. Sed dico, nunquid non audierunt? *Conclusio superiorum versuum
ubi dicit: quomodo credent ei, quem non audierunt, & quomodo audient sine prædicante?* Et
quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed di-
co: 13. nunquid Israël non cognovit? *Cognovit, quia Moyses, & Isaias dixerunt.* Primus
Moyses dicit. 14. 15. Ego ad æmulationem vos adducam in non Gentem: in Gentem in-
sipientem, in iram vos mittam. 16. Isaias autem audet, & dicit: inventus sum à non quæ-
rentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant. Ad Israël autem dicit: tota die
17. expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem. H

D

COMMENTARIVS.

1. LANFR. [*Et suam quærentes*] Quam putant esse per carnales observationes.

2. [*Finis enim legis*] Exponit quæ sit iustitia Dei: videlicet credere in Christum: in quem credere etiam legales observationes spiritualiter intellectæ suadebant. Et est sensus; intentio legis, ut iustitiam habeat homo, est; id est, fides Christi.

3. AMBROS. [*Finis legis*] Quoniam perfectionem legis habet, qui credit in Christo.

4. LANFR. [*Moyses enim*] Exponit legis iustitiam, per quam Iudæi sine fide Christi iustos se esse putabant.

5. [*Quæ autem ex fide est*] Ordo. Sic dixit Moyses iustitiam: quæ iustitia est ex fide.

6. [*Ne dixeris*] Cum audieris, inquit, prædicari Christum post resurrectionem suam ascendisse in cœlum: noli dicere in corde tuo mendacium est: quis enim ascendit in cœlum? Hæc enim tua infidelitas, quantum in te est, Christum de cœlo ad terram deducit.

7. [*Aut quis descendit*] Similiter cum audieris prædicari descendisse eum in infernum: ne dicas in corde tuo mendacium est: quis enim descendet in abyssum? Hæc enim infidelitas tua, quantum in te est, Christum ex mortuis revocat.

8. AMBR. [*Dives in omnes*] Non dixit credentibus, sed invocantibus: fide enim sola datur remissio, precibus datur quod promisit Deus toto corde vigilantibus.

VIII. LANFR. (*Qui invocant eum*] Huic invocationi adhibenda est fides: quia si non creditur, non invocabitur.

12. (*Quem non audierunt*) Et fidei adhibendus est auditus, & auditui prædicatio, & prædicationi missio.

9. AMBROS. (*Quomodo vero prædicabunt*) Nisi enim à Christo mittantur, nulla his signa virtutum perhibent testimonium.

10. LANFR. (*Quomodo vero prædicabunt*) Hic auctoritatem suam & aliorum Evangelium prædicantium commendat: ex eo quod sicut de Christo, ita & de his à Prophetis prædictum erat.

(*Sicut scriptum est*) Hoc totum commendatiu Evangelij est, ut ei credatur.

11. AMBROS. (*Quam speciosi pedes*) Pedes vocando, adventum designat Apostolorum circumeuntium mundum.

12 LANFR. (*Auditus autem*) Quasi diceret: Non ex omni auditu fit salubris fides; sed ex eo tantum, in quo auditur verbum Christi.

13. AMBROS. (*Nunquid Israel non cognovit?*) Hoc est, cognovit me? Quia arguerat eos incredulitatis, de omnibus videretur queri. Non negat Israel assecutum esse, quod illi promissum fuerat in lege, sed eum qui spiritu Israel est.

14. (*Ego ad æmulationem*) Æmulatio illis data est invidentiæ, dum vident Gentem quæ prius sine Deo fuit; Deum suum appellare, qui fuerat Iudæorum.

15. LANFR. (*Ego ad æmulationem*) Ad æmulationem dicuntur Iudæi, videntes gloriam & exaltationem Sanctæ Ecclesiæ; quæ ante fidem non gens Dei erat.

16. (*Isaias audet*) Isaias, inquit, pro Iudæis non dimisit, quin bonum Gentibus, quod futurum erat, & malum quod Iudæis futurum erat, prædiceret.

17. (*Expandi manus meas*) Vel manus in cruce extensas dicit; vel potius opera quæ inter Iudæos Dominus operatus est.

CAPVT VNDECIMVM.

DIco ergo: nunquid Deus repulit, *scilicet ex toto*, populum suum? Absit. Nam & ego Israëlita sum, ex semine Abraham, de tribu Benjamin: *& non repulit plebem suam:* non repulit Deus plebem suam, *scilicet creaturam*, quam præscivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura: *id est, ubi loquitur de Elia:* quemadmodum interpellat Deum adversum Israël? Domine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. *Est scriptum in tertio lib. Regum.* Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal? Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Quid ergo? Quod quærebat Israël, hoc non est consecutus: 1. electio autem consecuta est: cæteri verò excæcati sunt: sicut scriptum est: dedit illis Deus 2. spiritum compunctionis: oculos, ut non videant, & aures ut non audiant, usque in hodiernum diem. Et David dicit: fiat mensa eorum in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurva. Dico ergo: 3. nunquid sic offenderunt, ut caderent? Absit. Sed illorum delicto, salus est Gentibus, 4. ut illos æmulentur, 5. Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, & 6. 7. diminutio eorum divitiæ Gentium: 8. quantò magis plenitudo eorum? Vobis enim dico Gentibus: quandiu quidem ego sum Gentium Apostolus, 9. ministerium meum honorificabo, 10. si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, 11. & salvos faciam aliquos ex illis. 12. Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi: 13. quæ assumptio, nisi vita ex mortuis? Quod si 14. delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis 15. olivæ factus es, noli gloriari adversus ramos. 16. Quod si gloriaris: non tu radicem portas, sed radix te. Dices ergo: fracti sunt rami, ut ego inserar. Benè: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem, & severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excidêris. Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur: potens est enim Deus iterùm inserere illos. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es 17. in bonam olivam. Quantò magis ij, qui secundùm naturam inserentur suæ olivæ? Nolo enim vos ignorare fratres 18. mysterium hoc, 19. (ut non sitis vobis ipsis sapientes) *sibi sapientes essent, si Iudæis non amplius posse putarent*; quia cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israël salvus fieret, sicut scriptum est: 20. veniet ex Sion, 21. qui eripiat, & avertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à me, *scilicet complebitur*, testamentum: cum abstulero peccata eorum. 22. 23. 24. 25. secundùm Evangelium quidem, inimici propter vos: secundùm electionem autem, charissimi propter Patres, 26. 27. sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei. 28. Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum: ita & isti nunc crediderunt in vestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur. 29. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate: ut omnium misereatur. 30. O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi; & retribuetur ei? 31. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula. Amen.

COMMENTARIVS.

1. LANFR. [*Electio autem.*] Non ſecundùm merita.

2. [*Spiritum compunctionis.*] Malam compunctionem hic ſignificat, qua ſæpe fit, ut etiam bonum homini fit moleſtum.

3. [*Fiat menſa eorum in laqueum.*] In laqueum, & in cætera quæ ſequuntur, facta eſt Iudæis Scriptura ipſorum, quam malè intellexerunt. Scriptura autem menſam vocat, quia intelligentibus panis eſt animæ.

3. [*Nunquid ſic offenderunt.*] An, inquit, peccatum eorum, tantummodo operatum eſt caſum animæ eorum.

4. [*Vt illos æmulentur.*] Hoc ſæpe factum eſt, & plenius fiet in fine ſæculi, quando Iudæi Chriſtianos perſequentur in fide Chriſti. Poteſt etiam intelligi ut gentes Iudæos æmulentur, id eſt, ut credant, ſicut & ipſi credebant. Vel ut Dei æmulatione circa opera eorum mala moveantur.

5. [*Quod ſi delictum illorum.*] Delictum Iudæorum ditavit mundum, quia niſi ipſi Dominum crucifixiſſent; crux Chriſti, & reſurrectio, & aſcenſio eius prædicata & credita in mundo non eſſet.

6. AMBROS. [*Diminutio eorum.*] Diminutio vel amiſſio eorum eſt, damnum promiſſionis, per quod gentes lucratæ ſunt vitam æternam.

7. LANFR. [*Diminutio eorum.*] Diminutio Iudæorum vocat Apoſtolos, quia illis diſcedentibus ab infidelitate eorum, populus ille in ſua infidelitate perſiſtens, ex quadam parte manſit diminutus.

8. [*Quanto magis plenitudo.*] Plenitudo Iudæorum qui in fine mundi credituri ſunt: maximè ditavit gentes, quia exemplo eorum provocatæ convertentur ad Chriſtum.

9. AMBROS. [*Miniſterium meum.*] Miniſterium ſuum, quo Apoſtolus gentium eſt, honorificat; ſi & illos ad quos non eſt miſſus, lucretur ad vitam.

10. LANFR. [*Si quomodo ad æmulandum.*] Quaſi diceret: Iudæos quos prædicando ad Chriſtum convertere non poſſum; honore ſaltem quo vos honoro, ad credendum Chriſto invitare conabor.

11. [*Salvos faciam aliquos.*] Qui ad te de Iudæis, cùm Apoſtolus Gentium ſis? Volo honorare miniſterium meum, quod quidem honoraretur ſi Iudæi crederent, qui in lege ſapientes erant. Gentes autem quaſi ſtulti reputabantur & mobiles, quia tam citò credebant: quod illis non exprobraretur ſi Iudæi crederent, qui ſtabiles & ſapientes eſſe putabantur.

12. [*Si enim amiſſio.*] Repetitio ſuperioris ſententiæ: Quod enim ſuperiùs vocavit diminutionem, hic vocat amiſſionem.

13. [*Quæ aſſumptio.*] Aſſumptio Iudæorum cum ad fidem Chriſti in fine mundi aſſumpti fuerint, vita erit ex mortuis: Vel quia multos mortuos peccatis, exemplo illorum provocatos, invenit in fide Chriſti, quia paulò poſt certè erit reſurrectio mortuorum, id eſt, finis mundi.

14. [*Delibatio ſancta.*] Admonet Gentes ne ſuperbiant, & ne Iudæos deſpectu habeant, dicens: quia ſi Apoſtoli ſancti ſunt, certum eſt etiam quod in ipſo populo multi ſancti ſunt, & ſi nondum re, ſpe tamen & præſentia divina. Eſt autem delibatio parva ex aliqua re aſſumptio, ut ex pomis, vel ex cibo, vel ex potu.

15. [*Oliva.*] Olivam vocat populum Iudæorum. Radicem, fidem. Pinguedinem, bona opera.

16. [*Quod ſi gloriaris.*] Audi quid tibi dicam: Non tu radicem portas, ſed radix te. Id eſt, populus Iudæorum à te fidem non accepit, ſed tu ab eo.

17. AMBROS. [*In bonam olivam.*] Olivam, fidem per quam Abraham iuſtificatus eſt, accipiamus. Oleaſtrum verò, quia agreſtis eſt, & infructuoſa natura, perfidiam ſignificat.

18. LANFR. [*Myſterium hoc.*] Id eſt, ut non videamini vobiſmetipſis ſapientes.

20. [*Veniet ex Sion.*] Poſteriorem ſententiam probat ex auctoritate prophetica, & ſic omnis Iſraël ſalvus fieret.

21. [*Qui eripiat.*] Et hæc ereptio non ſecundùm corpus erit, ſed hoc teſtamentum, id eſt, quod teſtor eripiendo illos, erit auferendo peccata eorum. Vel quia dixerat ne quis putaret hoc ab alio fieri, dicit, quod teſtor à me factum erit.

22. [*Secundùm Evangelium.*] Propter Evangelium, inquit, quod prædico propter vos ſalvandos, inimici mihi ſunt Iudæi. Electi tamen eorum chariſſimi mihi propter patres, id eſt, Patriarchas & Prophetas, quorum fidem imitantur.

23. [*Secundùm Evangelium quidem inimici, &c.*] Ne quis diceret Iudæos in corde odio habuiſſe, foris autem verbis eis placere, & ita adulari, dicit, ſecundùm Evangelium, quod eſt contrarium.

24. AVGVST. [*Secundùm Evangelium.*] Quid eſt ſecundùm Evangelium quidem inimici propter vos. Niſi quod inimicitia qua occiderunt Chriſtum, Evangelio, ſicut videmus, ſine dubitatione profecit? Et hoc oſtendit ex Dei diſpoſitione veniſſe, *quam uti benè novit etiam malis, non ut *eis proſint vaſa iræ, ſed ut ipſo illis benè utente, proſint vaſis miſericordiæ.

De præd. ſanct. lib. 1. c. 16. to. 7.

al. *qui. al. *ei.

25. AMBROS. [*Secundùm Evangelium.*] Cauſa incredulitatis inimici ſunt Evangelij, ut error & delictum eorum, gentibus aperiret viam intrandi ad fidem.

26. [*Sine pœnitentia.*] Gratia in baptiſmate non quærit gemitum aut planctum.

27. LANFR. [*Sine pœnitentia.*] Ratio cur dixerit ſecundùm electionem: Quibus enim Deus fidem ſuam inſpirat, ſine præcedente pœnitentia eorum inſpirat, ſeu quos ad vitam æternam eligit, ſine mutatione ſui conſilij eligit.

28. [*Sicut enim aliquando.*] Sic iterum exponit myſterium; cur Iudæi ex parte cœcati ſunt. Ibid.

29. AMBROS. [*Concluſit enim Deus.*] Hoc eſt omnia concluſiſſe in incredulitate, ut tunc decretum donum à Deo veniret, quando omnes diffidentia laborarent, ut gratia muneris eſſet gratiſſima.

30. LANFR. [*O altitudo.*] Ne quis profundiora in ſuperioribus quæreretur, occurrit, dicens: *O altitudo, &c.*

31. AMBROS. [*Quoniam ex ipſo.*] Quia omnium creator Deus eſt. Ex ipſo ſunt omnia (Patre) & quia ipſe operatur per Filium, per ipſum ſunt omnia; & quoniam quæ ex Deo, per Deum ſunt, poſt renata in Spiritu ſancto ſunt, in ipſo ſunt omnia, quia Spiritus ſanctus de Deo eſt Patre.

CAPVT DVODECIMVM.

1. OBſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, 2. ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Et nolite conformari, *ſimiles fieri ſapientibus in rebus*, huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri: ut probetis 3. quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens,

A & perfecta. *Ideò dicit hoc, quia superius dixerat quasdam insolubiles quæstiones.* 4. Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos: non plus sapere quàm oportet sapere, 5. sed sapere ad sobrietatem: 6. & vnicuiq; sicut Deus divisit mensuram fidei. 7. Sicut enim in vno corpore multa mẽbra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Habentes autem donationem secundùm gratiam, quæ data est nobis: 8. differentes *secundùm rationem fidei, scilicet habemus differentes, & cætera eodem modo*; 9. Sive Prophetiam secundùm 10. rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive 11. qui docet in doctrina, 12. qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odientes, (*scilicet sitis*) malum *vel digressio fuit de hoc quod dicit, dico enim per gratiam*, adhærentes bono: charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes: 13. sollicitudine non pigri. 14. Spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, *id est, aliquid largientes*, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos: F
B benedicite, & nolite maledicere. Gaudere, *scilicet idipsum, id est, eandem rem*, cum gaudentibus, flere cum flentibus: idipsum invicem sentientes, *id est, volentes*: non alta sapientes *superbientes*, sed humilibus consentientes. 15. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos: 16. Nulli malum pro malo reddentes: 17. Providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. 18. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: non *subaudis sitis*, vosmetipsos defendentes charissimi, sed 19. date locum iræ: Scriptum est enim, mihi vindicta, *subaudis servate vindictam*, ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens 20. carbones ignis congeres super caput, *id est, mentem* eius. Noli vinci à malo, *id est, vitio*, sed vince in bono, *id est, virtute* malum.

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. [*Obsecro itaque vos.*] Post tractatum legis & fidei, Iudaïcum populum & Gentiles ad bonam vitam agendam hortatur.

C 2. [*Vt exhibeatis corpora vestra.*] Corpora enim subiecta peccatis, non viva habentur, sed mortua.

3. LANFR. [*Quæ sit voluntas Dei bona.*] Id est, faciens bonos, & benefacientes, & perfectos.

4. [*Dico enim.*] Per gratiam, inquit, quâ me Deus Apostolum vestrum fecit, omnibus præcipio, non plus investigare opera Dei, quam oportet.

5. [*Sed sapere.*] Sapere, id est, intelligere debetis secundùm differentias, donum Dei, quia omne donum Spiritus sancti differens est, quod est habentes donationes.

5. [*Et vnicuique.*] Ordo: Sic Deus divisit unicuique mensuram donorum suorum, quæ fides credentium promeretur.

7. [*Sicut enim.*] Exponit qualiter dona Dei divisa sunt fidelibus: videlicet, sicut diversa officia, diversis unius corporis partibus sunt distributa, ut humilitas in omnibus conservetur.

D 8. [*Differentes.*] Vel donationes differentes, vel nos differentes.

9. AMBROS. [*Sive Prophetiam.*] Prophetia pro modo fidei datur. Minister ad obsequium fraternitatis præbendum, in quantum credit, firmatur.

10. LANFR. [*Rationem fidei,*] Fides, & Prophetiam & cætera quæ sequuntur facit habere credentes. Nisi enim crederent, non haberent. Et in cæteris secundùm rationem fidei subintelligi debet. Et est sensus: Prophetiam habentes debemus esse singuli membra: sive habentes mysterium, debemus ministrando esse alter alterius membra, & cætera eodem modo.

G 11. AMBROS. [*Qui docet.*] Ad disciplinam cœlestem tradendam ex fide adiuvatur.

12. [*Qui exhortatur.*] Similiter qui exhortatur ad bonum: Similiter qui simpliciter largitur, & qui præest, iuxta fidem accipit vigilantiam, eo modo qui lætus misericordiam facit, secundùm fidem roboratur.

13. [*Sollicitudine non pigri.*] Hoc est quod dicit Ieremias: *Maledictus qui facit opera Domini negligenter.* Ideo subiecit.

14. [*Spiritu ferventes.*] Hoc est exercitio divini operis, aut legis, non sint tepidi.

15. LANFR. [*Nolite esse prudentes.*] Nolite, inquit, prudentiam vestram apud vosmetipsos tantum excedere, sed magis apud proximos.

16. [*Nulli malum.*] Malum vitium videlicet ut vindicet se.

17. AMBROS. [*Providentes bona.*] Providere bona est, futura ante oculos habere, ut ea gerantur quæ laudis, sive apud Deum sint, sive apud homines.

H 18. [*Si fieri potest.*] Quod si non fuerit amator pacis, tu tamen velis esse pacificus, quantum ad te pertinet. Si autem irreverens, & blasphemus quis sit, & pacem cum illo habere non possis, non, utique tibi adscribendum erit.

19. LANFR. [*Date locum iræ.*] Dat locum iræ, qui adversarium permittit facere quod vult.

20. [*Carbones ignis.*] Id est, fervorem charitatis, vel Spiritus sancti, ut tuo exemplo provocatus, & ipse bonum faciat.

CAPVT DECIMVM-TERTIVM.

OMnis anima potestatibus sublimioribus 1. subdita sit: (*hoc dixit ne superbirent, quia dixerat Filios Dei liberos esse,*) non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem

A autem resistunt, ipsi sibi damoationem acquirunt: nam Principes non sunt timori boni nperis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac; 2.& habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. 3. Dei enim minister est: 4. vindex in iram ei, qui malum agit. Ideóqne necessitate subditi estote, 5. non solùm propter iram, *scilicet vitandam*, sed etiam propter conscientiam, *scilicet vestram in bono seruandam, vel à mala liberandam.* Ideò enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt; 6. in hoc ipsum seruientes. Reddite ergn omnibus debita: cui tribntum,) *tributum vocabant, quia subditi domi soluebant, quæ ipsi subditi ad domos seniorum vehebant*) tributnm: cui vectigal, vectigal: cui timnrem, timorem: cui hnnorem, honorem. 7. Nemini quidquam debeatis: nisi, vt inuicem diligatis: *quemcumque diligitis, intelligite vos plus debere diligere:* qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam non adulterabis: non occîdes: non furaberis: non falsum testimonium dices: non concupisces: & si quod est aliud mandatnm, in hoc verbo instauratur: diliges proximũ tuum sicut teipsum. Dilectio proximi, *id est, qui diligit proximum*, malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. Et hoc scieotes tempus: quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, (*& quantò quisque propior est morti, tantò propior saluti*) quam cum credidimus. 8. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. 9. Abiiciamus ergn opera tenebrarum, 10. & induamur arma lncis. Sicut in die, honestè ambulemus; non in comessatiooibus, & ebrietatibns, non in cubilibus, & impudicitiis, non iu contentione, & æmulatione: sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis. E F B

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Subdita sit*) Subdi debet quia non debet resistere: Nam si resistat, Dei ordinationi resistit: potestas enim Dei ordinatio est; quia omne quod à Deo est, Dei ordinatio est, potestas autem à Deo est; non est enim potestas nisi à Deo.

Time: nam non sine causa gladium portat. Et hoc probat, quia cum causa; & hoc probat, Dei enim minister est. C

(*Itaque qui resistit potestati*) In his, scilicet, quæ ad potestatem pertinent, id est, tributis, vectigalibus, & cæteris huiusmodi.

2. (*Habebis laudem*) Laus habetur ex potestate, qualiscumque sit. Aut enim bona est, & bonum laudat: aut mala, & bonum persequitur; & sic per patientiam illatæ tribulationis, seruus Dei laudatur.

3. (*Dei enim*) Causa cur timeri oporteat.

(*Dei enim minister*) Alia causa cur qui resistunt, damnationem sibi acquirunt.

4. (*Vindex in iram*) Subaudis, in eum qui malè agit. Ideò enim à Deo ordinati sunt vel propter iram & conscientiam.

5. AMBROS. (*Non solum propter iram*) Id est; propter præsentem vltionem; sed propter futurum iudicium, vbi accusante conscientia punientur.

6. LANFR. (*In hoc ipsum*) Vt boni laudentur, mali puniantur. Potest & per parentes intelligi, *Ministri enim Dei sunt*: vt sit continuatio sensus, præstatis in hoc ipsum seruientes, scilicet, Deo placentes.

7. AVGVST. (*Nemini quicquam*) Charitatem tanto magis debemus, * quanto apprehenderimus, cuius nos perpetuos debitores ostendit Apostolus dicens; Nemini quicquam debeatis; nisi vt inuicem diligatis. G

Epist. 135. ad Severum Abbat. tom. 2. * al. quàto ampliu⁹ impẽdetimus.

8. AMBROS. (*Nox præcessit*) Noctem veterem hominem significat; hunc præteriisse dicit: diem autem appropinquasse; id est Christum; cuius lumine, veritas nobis apparuit.

9. (*Abyciamus ergo*) Id est; vitia carnis, quæ occulta sunt, & digna sunt tenebris.

10. (*Induamur*) Boni actus, arma lucis sunt; impugnantes opera tenebrarum.

CAPVT DECIMVM-QVARTVM.

D 1.5. INfirmnm (*quia erant quidam suillâ carne viventes, quidam non, modificat eos Apostolus, infirmum vocat, qui debere * cura edere non credebat*) antem in fide assnmite, non in disceptationibus cogitationum. Alins enim, *id est, iste perfectam fidem habet*, credit se manducare omnia: qni autem infirmus *scilicet in hac fide* est, olus manducet. *Id est, permittatur abstinere.* Is qui manducat *scilicet omnes cibos*, non manducantem nnn spernat: 3.& qui non manducat, *id est, abstinens*, manducantem non iudicet; *id est, malè existimet:* Deus enim illum assumpsit, *Id est, & manducantem, & abstinentem*: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? 4. Domino suo stat, aut cadit: stabit autem: potens est enim Deus statuere illum. Nam alius 5. iudicat diem inter diem: alius autem iudicat omnem diem: 6. Vnusquisque in suo sensu abundet. 7. Qni sapit diem Domino sapit, *id est, ad honorem Domini.* Et qui manducat, *id est, omnes cibos*, Domino, *id est, ad honorem Domini*, manducat: (*Domino manducat quia non sibi, neque enim vinum sibi bibit; neque etiam sibi moritur*) gratias enim agit Deò, *pro collatu abstinentia.* Et qui non manducat, Domino non manducat & gratias agit Den. Nemn eoim nostrnm sibi viuit, & nemo sibi moritur. 8. Siue enim vivimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur. Siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit: vt & mortuorum, & viuorum dominetur. Tu autem *scilicet abstinens* quid iudicas fratrem tnum? *scilicet manducantem.* Aut H

f.° Carnem.

A tu quare spernis fratrem tuum? v i i i. Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scri- E
ptum est enim: vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis
lingua confitebitur Deo. Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non
ergo amplius invicem iudicemus: sed hoc iudicate magis, i x. ne ponatis offendiculum
fratri, vel scandalum. 9. 10. Scio & confidu in Domino I e s v, quia nihil commune per
ipsum, 11. nisi ei qui existimat quid commune esse 12. illi commune est. x i i. Si enim
propter cibum, *scilicet quem sumis, vel à quo abstines*, frater tuus contristatur, iam non se-
cundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus
est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum N on est enim 13. regnum Dei, esca & potus,
sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto: qui enim in hoc servit Christo, placet
Deo, & probatus est hominibus. Itaque quæ pacis sunt, sectemur, & quæ ædificationis
sunt, in invicem custodiamus. 14. Noli propter escam destruere opus Dei, *id est, chari-
tatem*. 15. Omnia quidem sunt munda: sed malum est homini, qui 16. per offendicu-
lum manducat. Bonum est, 17. non manducare carnem, & non bibere vinum, neque
in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem habes? *scili-
cet omnibus vtendi*, penes temetipsum habe coram Deo. 18. Beatus, 19. qui non iudicat
B semetipsum, *id est, culpabilem facit* in eo quod probat. 20. Qui autem discernit, 21. Si man- F
ducaverit, 22. damnatus est: quia non ex fide, 23. omne autem, quod non est ex fide,
peccatum est.

COMMENTARIVS.

1 AMBROS. [*Infirmum autem.*] Ex Iudæis erant, qui Romanos ad fidem assumpserant. His videbatur carnem prohibitam edere non debere, quos ideo infirmos vocat. Aliis contra videbatur; quos hic disputantes Apostolus concordiæ consulens, revocat.

2. LANFR. [*Infirmum autem.*] Perfectæ fidei Christianorum est, nullum cibum immundum putare, quia omnia munda mundis. Quidam tamen in hac fide infirmi, à quibusdam cibis censebant abstinendum. Cuiusmodi hominem præcipit Apostolus non spernendum, sed cum charitate assumendum, ita ut nec in cogitationibus iudicaretur reus.

C — *De agone Christiano c. 27. to. 3.*

3. AVGVST. [*Qui non manducat.*] Dicitur iudicium pro damnatione, dicit Apostolus: *Qui non manducat, manducantem non iudicet.* Id est, non de illo malè existimet. Et Dominus dicit: *Nolite iudicare, ne iudicetur de vobis.*

4. LANFR. [*Domino suo stat.*] Id est, ad laudem sui Domini, & perfectam fidem habeat, & in fide infirmatur, bona enim intentione hoc agit.

5. [*Iudicat diem.*] Hoc est, quidam certis diebus, quidam omni die putant abstinendum.

6. [*Vnusquisque.*] Quasi diceret, qui putat omnibus utendum, cum gratiarum actione utatur. Et qui putat abstinendum, propter Deum abstineat.

7. [*Qui sapit.*] Id est, intelligit in abstinentia observandum diem.

De expos. in Ps. 144. to. 8.

8. AVGVST. [*Siue enim viuimus.*] Sicut magnitudinis Domini non est finis, sic tuæ laudis non erit finis. Non enim cum mortuus fueris in hac carne, desines laudare Deum. Vnde factum est ut eius sis & mortuus? quia pretio sui sanguinis te redemit & mortuus: quomodo perdit servum mortuum, cuius mors est pre-
D tium tuum? Ideo cum dixisset: *Siue viuimus, siue morimur, Domini sumus.* Vt ostenderet ipsum pretium. *Ad hoc enim,* inquit, *Christus mortuus est.*

VIII. LANFR. [*Omnes enim stabimus.*] Ne spernas, sed de te sis sollicitus; unusquisque enim pro se rationem reddet, quia omnes stabimus ante tribunal Christi.

IX. [*Ne ponatis offendiculum.*] Ne ponas offendiculum fratri, id est, ne contristes: nam si contristas, non ambulas secundum charitatem.

9. AMBROS. [*Scio & confido.*] Manifesta est Salvatoris beneficio omnia munda esse: qui de sub iugo legis eruens homines reddidit in statum pristinum libertatis.

10. LANFR. [*Scio & confido.*] Sententiam fert inter duos superiores dicens: Nullam creaturam per Christum factam esse communem, id est, immundam: Commune enim immundum vocabant Iudæi.

11. AMBROS. [*Nisi ei qui existimat.*] Id est, illi immundum est, qui putat non edendum: Et quia non hoc superstitione facit, sed timore suo, iudicio reservandum.

12. LANFR. [*Illi commune.*] Quasi diceret: Revera nihil est immundum, sed qui putat aliquid esse immundum, in sola eius opinione est immundum.

XII. [*Si enim propter cibum*] Non contristes: si enim contristas propter cibum, perdis cibo tuo illum: sed perdere non debes, nam Christus pro eo mortuus est, ergo non contristes, quod est non ergo blasphemetur bonum nostrum. Et ponit quod est consequens
contristare, quia ex contristare consequitur quod blas- G
phematur Christianitas.

13. [*Regnum Dei esca.*] Esca, vel potus sive sumptus non facit hominem habere regnum Dei, sed iustitia, & cætera.

14. AMBROS. [*Noli propter escam.*] Homo opus Dei est: & iterum opus Dei est dum reformatur per regenerationem.

15. [*Omnia quidem.*] Cum per naturam animalia munda sint: dubitantibus tamen fiunt immunda, & erit illi offendiculum, qui cum dubitat, comedit tamen.

16. LANFR. [*Per offendiculum.*] Hoc est, qui sua comestione non manducantem scandalizat.

17. [*Non manducare.*] Hoc est quod dicit, si impræsentiarum sit ille qui abstinet, & ita infirmus sit, ut patienter non possit cernere utentem creaturis Dei, eum qui fidem habet omnibus utendi; melius est fidem habenti ab eis abstinere, quam abstinendi molestiam sua perceptione ingerere.

18. AMBROS. [*Beatus qui non iudicat.*] Hunc beatum H
dicit, qui non aliud facit, quam sibi utile probat.

19. LANFR [*Qui non manducat,*] Non manduces coram fratribus, quia si non manducas, beatus es. Et hoc probat: nam omnis est beatus, qui non iudicat se, id est, culpabilem facit, quod est dum non manducat ne offendat.

20. [*Qui autem discernit.*] Qui autem discernit cibos, id est, qui putat alios mundos, & alios esse immundos, damnatus est, quia non ex fide. Fides enim nostra vult, ut homo id agat, quod intelligit benè esse agendum.

21. [*Si manducaverit, &c.*] Probat quod qui non iudicat se, id est, non manducat beatus est: nam omnis manducans damnatus, quod ita dicit: *Qui autem discernit, si manducaverit, &c.* Et sunt multa contraria,

non

A non indicat, & manducans, probat, & diſcernit; Id eſt, non probat comedendum beatus, & damnatus.
22. (*Omne autem quod non eſt ex fide*) Damnatus quia peccatum eſt quod facit: & hoc probat ita: *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*; Sed hoc non ex fide: ſed hæc aſſumptio præmiſſa eſt, ubi dicit *quia non ex fide*. E

CAPVT DECIMVM-QVINTVM.

DEbemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. 1. Vnuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem. Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt: improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me. 2. Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: ut per patientiam, & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus. Deus autem patientiæ & ſolatij, det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundùm Ieſum Chriſtum: ut unanimes, uno ore honorificetis Deum, & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Propter quod ſuſcipite invicem, 3. ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei. 4. Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas F
B promiſſiones Patrum. 5. 6. 7. Gentes autem (*probat quia ſuſcepit Gentes, vel honorare Deum Gentes, ab auctoritate Prophetarum*) ſuper miſericordia, *ſcilicet dico debere*, honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt: 8. propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit: 9. Lætamini Gentes cum plebe eius. Et iterum: laudate omnes Gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi. Et rurſus Iſaias ait: 10. erit radix Ieſſe, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt. Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo: ut abundetis in ſpe, & virtute Spiritus Sancti. Certus autem ſum, fratres mei, & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, 11. repleti omni ſcientia, ita ut poſſitis alterutrum monere. 12. Audaciùs autem ſcripſi vobis fratres ex parte, tanquam in memoriam, vos reducens: propter gratiam, quæ data eſt mihi à Deo, ut ſim miniſter Chriſti Ieſu in Gentibus: ſanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto. 13. 14. Habeo igitur gloriam in Chriſto Ieſu ad Deum. 15. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam Gentium, verbo, & factis: in virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti: ita ut ab Hieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleverim, *id eſt; plenè prædicaverim*, Evangelium Chriſti. Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem:
C ſed ſicut ſcriptum eſt: *in Iſaia. cap.* 52. quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt de eo, intelligent. Propter quod & impediebar plurimùm venire ad G
vos, & prohibitus ſum uſque adhuc. Nunc verò ulteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedentibus annis: cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quod præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi vobis primùm ex parte fruitus fuero. Nunc igitur proficiſcar in Hieruſalem miniſtrare, *id eſt, neceſſaria corporis afferre* ſanctis. Probaverunt enim Macedonia & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Hieruſalem. Placuit enim eis: & debitores ſunt eorum. (*Debitores ſunt in carnalibus, & hoc probat à maiori, quia ab eis ſpiritualia acceperant, quod eſt maius.*) Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles: *id eſt, ab Hieruſalem doctrina fidei, & benè vivendi, per Apoſtolos lata eſt ad Gentes:* debent & in carnalibus miniſtrare illis. Hoc igitur cùm conſummavero, & aſſignavero eis fructum hunc: per vos proficiſcar in Hiſpaniam. Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelij Chriſti veniam. Obſecro ergo vos, fratres, H
per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem Sancti Spiritus, ut adiuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus qui ſunt in Iudæa, & obſe-
D quij mei oblatio accepta fiat in Hieruſalem ſanctis, ut veniam ad vos in gaudio, per voluntatem Dei, & refrigeret vobiſcum. Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. (*Vnuſquiſque veſtrum*) Commonet ut charitati ſtudentes, proximis placeant ad id quod utile eſt. Hæc enim ædificatio.

2. LANFR. (*Quæcumque ſcripta ſunt*) Quaſi diceret aliquis. Quid vita Chriſti miniſtrari feciſſe ſibi circumciſionem, propter veritatem? quid prophetia de Deo? quid ad inſtitutionem morum noſtrorum? Ad hoc reſpondet. *Quæcumque ſcripta ſunt, &c.*

3. (*Sicut & Chriſtus, &c.*) Suſcepit vos, & Iudæos & Gentes probando: ſed monſtrat quomodo Chriſtus condeſcenderit nobis, quia circumciſus fuit; & nos condeſcendamus infirmis.

4. (*Dico enim*) Laus Iudæorum. Dicit enim Chriſtum miniſtrari feciſſe ſibi circumciſionem, propter veritatem Dei complendam, & promiſſiones ad patres factas. Promiſſum enim fuerat, quod ex Iudæorum ſemine ortorus eſſet: in quo benedicerentur omnes. Aliter. Miniſterium circumciſionis; id eſt, ad populum Iudæorum, ut veritas Dei & promiſſiones eius ad patres factæ complerentur. Quales ſunt: *Dabo vobis germen* (vel decorem) *Iuſtitiæ.* Et, *Prophetam vobis ſuſcitabit Deus, &c.*

5. (*Gentes autem*) Probat quia ſuſcepit Gentes, vel

A honorare Deum Gentes, ab auctoritate Indæorum.
6. Ambros. (*Gentes autem*) Quia enim his promissio nulla erat, quasi indigni, per solam misericordiam Dei ad salutem assumpti sunt.
7. Lanfranc. (*Gentes autem*) Laus gentium. Dicit enim, tantæ curæ fuisse Deo, ut ad salvandas eas, Prophetas suos prædiceret. His laudibus æquales eos inter se esse ostendit; ut alter præferre se alteri non præsumat.
8. (*Propterea confitebor*) Vox Christi qui in Gentibus confitetur Patri: quia per eius conversionem (vel prædicationem) conversæ sunt ad culturam unius Dei.
9. (*Lætamini Gentes*) In Isaia sic scriptum est. *Lætamini cum Ierusalem; & exultate in ea, omnes qui diligitis eam.*
10. (*Erit radix Iesse*) Ordo. Iesse erit radix, &c. Subaudis, *Ex hac radice erit, qui exurget regere Gentes.*
B x. (*Certus sum autem, &c.*) Benevolos illos reddit, quasi ego corripui vos, quin sciam vos invicem diligere; nec ideo admonui, quin sciam vos sapientes esse, sed officium meum est monere vos.

11. (*Repleti omni scientia*) Humilitas Apostoli. Dicit enim scripsisse eis, non quod ipsi indigerent. Repleti enim, ut ipse fatetur, omni scientia: sed officij sui necessitate coactum: quod Apostolus Gentium à Deo constitutus erat. E
12. [*Audacius autem*] Audaciæ videbatur esse, repletis omni scientia scribere.
13. Ambros. [*Habeo igitur gloriam*] Gloriam dicit se habere apud Deum per Christum. * Credentes enim in Christum, meritum sibi fecit apud populum; in tantum ut de se esse nihil dicat, quod non operatus sit Christus per illum, ut exhortationem eius virtus commendaret. al.* Credens.
14. Lanfr. [*Habeo igitur gloriam*] Quidquid, inquit, putent me * hominem esse, ego tamen scio me habere gloriam apud Deum in prædicatione Iesu Christi; quia propter honorem Dei, & salutem Gentium ago quod ago. f.* homines.
15. [*Non enim audeo*] Alia causa cur habeat gloriam apud Deum: quidquid enim loquitur, quidquid operatur Christus in eo, & per eum loquitur & operatur; ut Evangelio obediant. F

CAPVT DECIMVM-SEXTVM.

1. Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ; quæ est in Cenchris: ut eam suscipiatis in Domino dignè sanctis: & assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit: etenim ipsa quoque astitit multis, & mihi ipsi. Salutate Priscam, & Aquilam adiutores meos in Christo Iesu, (qui pro anima mea suas cervices supposuerunt: quibus non solus ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ Gentium) & domesticam Ecclesiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est Primitivus Asiæ in Christo. Salutate Mariam, quæ multùm laboravit in vobis. Salutate Andronicum, & Iuniam, cognatos & concaptivos meos: qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo. Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino. Salutate Vrbanum adiutorem nostrum in Christo Iesu, & Stachyn dilectum meum. Salutate Appellen probum in Christo. Salutate eos qui sunt ex Aristobuli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino. Salutate Triphænam, & Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persidem charissimam, quæ multùm laboravit in Domino. Salutate Rufum electum in Domino, 2. & matrem eius, & meam. Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum eis sunt, Fratres. Salutate Philologum, & Iuliam, Nereum, & sororem eius, & Olympiadem, & omnes, qui cum eis sunt, sanctos. Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi: Rogo autem vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones, & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; & declinate ab illis. Huiuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri: & per dulces sermones, & benedictiones, seducunt corda innocentium. 3. Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo. Deus autem pacis 4. conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater, cognati mei. 5. Saluto vos ego Tertius, qui scripsi Epistolam, in Domino. Salutat vos Caius hospes meus, & universa Ecclesia. Salutat vos Erastus Arcarius civitatis, & Quartus frater. Gratia Domini nostri Iesu Christi, cum omnibus vobis. Amen. 6. 7. Ei autem qui potens est vos confirmare iuxta Evangelium meum, & Prædicationem Iesu Christi, 8. secundùm revelationem 9. mysterij temporibus æternis taciti, (quod nunc patefactum est 10. per scripturas Prophetarum ¶ secundùm præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti, soli sapienti Deo 11. Per Iesum Christum, 12. cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

COMMENTARIVS.

1. Lanfr. (*Commendo autem vobis Phœben*) Ditissima & nobilissima mulier fuit: quæ Ecclesiam Dei, quæ apud locum, qui Cenchris dicitur, erat; suâ substantiâ sustentabat. Ea tunc temporis pro quodam negotio Romam profecta est. Per hanc fortasse, istam misit Epistolam.
2. (*Et matrem eius & meam*) Vel matrem suam cum matre illius præcipit salutandam. Vel unam eamdem fœminam matrem illius dicit, & suam, illius secundùm carnem, suam beneficio.
3. (*Vestra enim obedientia*) Causa cur roget eos; obedientes enim rogandi sunt, inobedientes increpandi.

4. (Conterat

A 4. (*Conterat Sathanam*) Sathanam sub pedibus Ecclesiæ Dominus contrivit, quia membra eius, quibus Ecclesiam persequebatur, ad fidem conversa, ipsi Ecclesiæ subiugavit.

5. (*Saluto vos*) Ordo. Saluto vos in Domino. Tertius iste notarius fuit Apostoli, qui hanc scripsit Epistolam.

6. AMAROS. (*Ei autem*) Ei qui potens est vos confirmare soli sapienti Deo gloria in sæcula sæculorum.

7. LANFR. (*Ei autem*) Id est. Qui potest vos ad tantam perfectionem ducere; quantam prædico, & quantam Christus prædicavit, & prædicandam instituit.

8. (*Secundum revelationem*) Id est. Vt ita credatis, sicuti mysterium Dei revelatum est: & ponit singulare pro plurali.

9. (*Mysterij*) Mysterium vocat incarnationem Iesu Christi, & cætera quæ æternis temporibus erant tacita. E Quamvis enim ex quadam parte antiquis patribus essent cognita, plenè tamen à nullo fuerant scita, quoad usque suo tempore per Iesum Christum fuerunt revelata.

10. (*Per Scripturas Prophetarum*) Scripturas Prophetarum revelavit Christus Apostolis suis; sicut in Evangelio legitur: *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, &c.*

11. AMAROS. (*Per Iesum*) Id est, per Iesum Christum; quia, ut alia taceam, ipse præcepit Gentes baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: ubi præcipuè commendata est huius individuæ gloria Trinitatis.

12. (*Cui honor*) Quod vero additum *cui*; ut diceret cui, cum sufficeret, si dictum esset, ei autem gloria, inusitatam nostræ linguæ indicat locutionem. non sensum quem requiramus, vel de quo ambigamus, insinuat. F

B

EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI AD CORINTHIOS PRIMA.

CVM GLOSSVLA INTERIECTA B. LANFRANCI.

ARGVMENTVM.

C CORINTHII *sunt Achaici, & hi similiter ab Apostolo audierunt verbum veritatis: & subversi sunt multifariè à falsis Apostolis: quidam à Philosophiæ verbosa eloquentiâ: alij sectâ legis Iudaicæ inducti sunt: Hos revocat Apostolus ad veram fidem, & Evangelicam sapientiam: scribens eis ab Epheso per Thimotheum discipulum suum.* G

CAPVT PRIMVM.

PAulus vocatus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Sosthenes frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, 1. sanctificatis, *habitatis*, in Christo Iesu, vocatis sanctis, *ut sancti sint*, 2. cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Iesu Christi, 3. in omni loco ipsorum, & nostro, *id est in Ecclesia in qua sunt omnia communia.* Gratia, *remissio peccatorum, vel observantia bonorum operum*, vobis & pax, *id est, reconciliatio apud Deum*, à
D Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. 4. Gratias ago Deo meo semper pro vobis H
in, *pro*, gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu: *in fide Christi*, 5. quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, *ut possitis prædicare*, & in omni scientia: *& sciatis quid sit prædicandum:* sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis 1 *quæ vobis de Christo testati sumus:* ita ut nihil vobis desit (*divites facti estis*) in ulla gratia, *in aliquo Spiritus sancti dono*, expectantibus 6. revelationem, *id est, visionem quæ fit post mortem, vel in die iudicij* Domini nostri Iesu Christi, qui & confirmabit vos usque in finem *vestrum, vel sæculi*, sine crimine, in die adventus (*scilicet, vel in obitu cuiusque, vel in iudicij die*) Domini nostri Iesu Christi. Fidelis Deus, *confirmabit, nam de promissis non est dubitandum:* per quem, *per cuius gratiam*, vocati estis in societatem, *ut sitis cohæredes Christi*, Filij eius Iesu Christi Domini nostri. Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi: ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, *eadem voluntate*, & in eadem sententiâ (*rogo ne sint in vobis schismata.*) Significatum est enim mihi de vobis fratres mei, ab iis qui sunt Chloës, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod 7. unusquisque vestrum (*alius hoc, alius illud*) dicit, Ego (*ecce contentiones*) quidem sum *Discipulus* Pauli: ego autem Apollo: ego verò 8. Cephæ:

Petri:)

A *Petri :*) *Cephas, caput; unde Acephali, id est sine capite,*) ego, autem Christi. 9. Divisus E
est *à servis suis* Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli
baptizati estis? Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi nisi Crispum, &
Caium: ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis. Baptizavi, autem (*quasi*
remeditatus) & Stephanæ domum. Cæterum, nescio si quem alium baptizaverim. Non
enim misit me Christus baptizare, sed Evangelizare: 10. 11. non 12. in sapientia verbi,
13. ut non evacuetur crux Christi. 14. Verbum, *id est, prædicatio,* enim crucis, pereun-
tibus quidem stultitia est: iis autem qui salui fiunt, id est, nobis, 15. Dei virtus est, *id*
est, dans virtutem credenti, per quam, cum res exigit, miracula fiunt. Scriptum est enim, (*non*
in sapientia verbi, quia Deus reprobat sapientiam verbi mundi, & hoc probat, quia scriptum est)
16. perdam sapientiam sapientium, (*causa cur in sapientia verbi non prædicaverit*) & pru-
dentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? *perditus est.* Vbi scriba? 17. Vbi conqui-
sitor, *Disputator mundana sapientia* huius sæculi? *Noluit Deus per sapientes mundi salvare cre-*
dentes: nam per stultos prædicatores, sæcularium literarum imperitos. 18. Nonne stultam fecit
B Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientia, *divino consilio,* non cogno- F
vit, *non est placitum ut cognosceret* mundus per sapientiam *mundanam* Deum: 19. Placuit
Deo per stultitiam prædicationis, *stultos prædicatores, id est, per imperitos sæcularium litera-*
rum prædicatores Salvos facere credentes. Quoniam & 20. 21. Iudæi signa petunt, *ut præ-*
dicatores miracula faciant 22. & Græci, *prædicatores ut dicant* sapientiam *syllogisticas proba-*
tiones, quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, 23. Iudæis quidem scan-
dalum, *quia regem suum crucifixisse dicuntur,* 24. Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vo-
catis, *prædestinatis ad vitam* Iudæis, atque Græcis, Christum Dei 25. 26. virtutem, &
Dei sapientiam: 27. 28. Quia 29. quod stultum (*incarnatio, passio*) *infidelibus* est Dei *ex Deo*
sapientius est hominibus: & 30. 31. quod infirmum est Dei, (*per fidem enim eorum peccata re-*
mittuntur, & dæmones expelluntur, quod homines nequeunt) fortiùs est hominibus. Videte enim vo-
cationem vestram, *id est, per quos vocati sitis,* fratres, quia non multi sapientes secundùm
carnem, *prædicaverunt vobis regnum Dei,* 32. non multi potentes, *scilicet prædicaverunt ver-*
bum Dei, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit, *probat quia stultos & infirmos*
elegit Deus: vt confundat, *erubescere faciat,* sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt
C confundat fortia: & ignobilia mundi, & 33. contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non G
sunt, *non esse videbantur,* vt ea quæ sunt, *esse videntur,* destrueret: vt non glorietur omnis
caro in conspectu eius. Ex ipso autem, *ex ipsius gratia* vos estis in Christo Iesu, *in fide Chri-*
sti Iesu, 34. qui factus, *incarnatus,* est nobis sapientia, *dans sapientiam,* à Deo, & iustitia,
iustitiam, & sanctificatio, *sanctificationem* & redemptio, *redemptionem*: ut quemadmodum
scriptum est: 35. 36. qui gloriatur, in Domino glorietur.

COMMENTARIVS.

1 AMBROS. (*Sanctificatis*) Ideo, quia regenerati in Christo, sanctificati sunt.

In expos. Psal. 51. tom 8. 2. AVGVST. (*omnibus qui invocant*) Isti qui propter secularia commoda; qui propter terrena bona; qui propter vitam præsentem, & terrenam felicitatem invocant * Dominum, non invocant Deum.

* al. Deū

3. LANFR. (*in omni loco*) Verba, inquit: & scientiam tenetis, sicut testimonium Christi; id est, incarnationis eius & passionis, & cæterorum, confir-

D matum est: & à vobis inter vos diversis veteris Testamenti auctoritatibus.

4. AMBROS. (*Gratias ago Deo meo*) Quamquam omnibus in Ecclesia scribat, ita significat; cum aliquando corripit, aliquando laudat; ut unusquisque cum legit, intelligat, quid pro se, quid adversum se, dicatur.

5. LANFR. (*Quod in omnibus divites*) Totum pro parte ponit. Non enim omnes in omnibus virtutibus divites erant. Quosdam enim in posterioribus redarguit.

6. (*Revelationem*) Id est, visionem, quæ fit post mortem, vel in die iudicij.

7. (*Vnusquisque vestrum*) Non unusquisque dicebat hæc quatuor: sed subaudiendum est: Alius dicit, ego quidem sum Pauli; alius autem, ego Apollo, &c. Sic enim ipsemet in sequentibus exposuit dicens; *Cum enim quis dicit, ego quidem sum Pauli: alius autem, ego Apollo, &c.*

8. AVGVST. (*Ego Cephæ*) Hi dividunt sibi Ecclesiam; & partes facere de unitate conantur.

9. AMBROSIVS. (*Divisus est Christus*) Divisum dicit Christum; quia gloriam eius hominibus partiti sunt.

10. (*Non in sapientia*) Imperiti electi sunt, ut doctrinæ veritas se commendaret, teste virtute; ne calliditate humanæ sapientiæ, acceptabilis videretur, non veritate.

11. (LANFRANC. (*Non in sapientia*) Sapientiam, ubi dialecticam dicit per quam crux, id est, mors Christi eam simpliciter intelligentibus evacuari videtur: quia Deus immortalis, Christus autem Deus; Christus igitur immortalis. Si autem immortalis; mori non potuit. Sic de partu Virginis, & quibusdam

H aliis Sacramentis, perspicaciter tamen intuentibus, dialectica sacramenta Dei non impugnat: sed cum res exigit, si rectissimè teneatur, astruit & confirmat.

12.) *In sapientia verbi*) Non syllogisticè probandu: quia sic potius posset improbari. Vel si syllogisticè convicti & crederent, non prodesset eis.

Ex lib. de nat. & grat. contra Pel. cap 7. tom. 7. 13. AVGVST. (*Vt non evacuetur*) Evacuatur autem si quo modo præter illius sacramentum, ad iustitiam, vitamque æternam perveniri posse dicatur

14. LANFR. (*Verbum enim*) Ratio cur non prædicet in sapientia verbi. Studiosi etenim ipsius artis, qui tamen Christianæ religionis expertes sunt, quos pereuntes vocat. Vel quia doctrina eorum in quibusdam perit. Vel quia in æternum perituri sunt: stultitiam deputant mortem Christi.

15. (*Virtus Dei est*) Id est, dans virtutem Dei credenti, per quam miracula, cum res exigit, fiunt.

16. (*Perdam sapientiam*) Alia ratio cur non prædicet in sapientia verbi: prophetia enim auctoritate reprobata est. Potest etiam responsio esse, quasi aliquis

A diceret : cur dicis percuntibus ? In Abdia hoc legitur : *Nunquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumea, & prudentiam de monte Esau ?*

17. (*Vbi scriba*) Verba Apostoli sunt. Scribæ sunt moralium & naturalium librorum auctores, & actuum secularium scriptores, id est, de ipsis artibus præcepta dantes. Conquisitores sunt argumentatores ex præceptis ipsorum artium aliquid approbantes. Sapiens generale utriusque vocabulum est. Hos adnihilatos esse perhibet : non quia doctrinas eorum omnifariam improbet : in multis enim sacris litteris concordant; sed quædam senserunt & scripserunt contraria Christianæ religioni, maximè de cultura unius Dei.

18. AVGVST. (*Nonne stultam*) Dicitur aliquando in scripturis sapientia pro astutia, abusione verbi, non proprietate.

Ex lib. de Past. cap. 22. tom 9

19. LANFR. (*Placuit per stultitiam, &c.*) Non in sapientia verbi prædico, Quod probat, quia per stultitiam placuit Deo salvos facere credentes : & hoc probat, quia sapientia mundi non placuit, quod est in Dei sapientia, non cognovit mundus per sapientiam Deum.

B

20. (*Iudæi*) Iudæi scandalizabantur; quia regem suum crucifixisse dicebantur.

21. AMBROS. (*Iudæi signa petunt*) Vnde dicunt, nos scimus quia Moysi locutus est Deus : cum maius sit Lazarum de monumento vivum exiisse.

22. (*Et Græci sapientiam*) Quia nolunt audire præter quam, quæ mundi ratione possibilia sunt.

23. *Iudæis quidem scandalum*) Scandalum est Iudæis, dum audiunt Christum Filium Dei se profitentem, & Sabbatum evocuantem.

24. (*Gentibus autem stultitiam*) Qui ea audiunt prædicare; quæ dum rationi humanæ non congruunt, insensata videntur, ut partus Virginis; & resurrectio mortuorum.

25. (*Virtutem & Dei sapientiam*) Virtus Dei est, quia per ipsum omnia fecit Deus Pater : sapientia, quia per ipsum cognitus est Deus.

C

Ex lib. 1. qu. Evã quæst. 14 tom. 4.

26. AVGVST. (*Virtutem Dei & sapientiam*) Deo Domino nostro dixerunt Iudæi : *Vnde sapientia hæc, & virtutes ?* Sapientia in bis quæ loquebatur. Virtutes in bis quæ operabatur. Ideo Apostolus dicit Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Virtutem retulit ad signa propter Iudæos. * Sapientiam autem, aut doctrinam ad Græcos, id est, Gentes.

* al. Sapientiam autem ad doctrinã propter Græcos.

Enarr. in Psal. 65. concion 1. tom. 8

27. (*Quia quod stultum est*) Quid enim tam simile imprudentiæ : quam cum haberet in potestate, unâ voce suos persecutores prosternere : pateretur se teneri, flagellari, conspui, colaphizari, spinis coronari, ligno affigi ? Imprudentiæ simile est, & stultum videtur.

28. LANFR. (*Quod stultum est*) Incarnatio & Passio Dei & hominis Iesu Christi, quæ huiusmodi sapientibus, stultitia videbantur; maiorem sapientiam continent, quam homines possint inquirere : & maiorem fortitudinem habent, quam homines possent habere. Per fidem enim eorum & peccata remittuntur, & dæmones expelluntur, & alia : eum resurgit, miracula fiunt.

E

29. (*Quod stultum est*) Probat Christum sapientiam esse, quia etiam in hoc sapientia est, quod videtur stultum de eo : & tanta sapientia, quòd nequeat comprehendi ab omnibus quod est sapientius hominibus. Post verò probat Christum virtutem esse, quia in hoc quod infirmum videtur de eo, in hoc virtus est : & tanta virtus, quod fortius est hominibus, id est, nequeat ab illis comprehendi : hoc stultum & infirmum, Incarnatio, & Passio Christi, quibus tanta sapientia & virtus est, ut evincatur diabolus, & redimatur humanum genus.

30. AMBROS. (*Quod infirmum est Dei*) Quia infirmitas Christi, magna victoria : vicit, cum victus videretur.

F

31. AVGVST. (*Et quod infirmum est*) Quid igitur facta est mulier in costa, tamquam fortis. Factus est Adam in carne tamquam infirmus ? Christus est & Ecclesia : illius infirmitas, nostra est fortitudo.

Ex tract. 15. in Ioann. tom 9.

32. LANFR. [*Non multi sapientes*] Fortasse propter se dicit hoc : quia solus inter alios Apostolos, scholarium litterarum peritus, terrenarum opum dives, Romanæ dignitatis parentelâ conspicuus fuit : sicut testatur ipse in Actibus Apostolorum. *Ego quidem homo sum Iudæus, à Tharso Ciliciæ non ignotæ civitatis municeps.* Et alibi interroganti tribuno utrum Romanus esset : respondit : *Etiam. Et tribunus : Ego multam summam huius civitatis consecutus sum. Et Paulus ait : Ego autem & natus sum.* Et aliàs eo rationem reddente, exclamavit Festus : *Insanis Paule : multa litteræ te ad insaniam convertunt.*

33. AVGVST. [*Contemptibilia*] Quæ non computantur.

G

Serm. 9. de tribus virgis, inter fragment. tom. 10.

34. [*Qui factus est nobis*] Elegit Deus quæ non sunt, id est, quæ non computantur.

[*Factus est nobis iustitia à Deo*] Sicut autem cum sit in seipso vita : etiam fit nobis vita, cum eius efficimur participes : ita cum in seipso sit iustitia, etiam nobis fit iustitia, cum ei cohærendo benè vivimus.

Epist. 120. ad Consen. tom 2.

35. [*Qui gloriatur*] Sic qui gloriatur, non nisi in Domino glorietur : cum cognoscit non suum, sed illius esse : non solum ut sit, verum etiam ut non nisi ab illo bene sibi sit, à quo habet ut sit.

Ex Genes. ad litt. lib. 11. ca. 8. tom. 3.

36. LANFR. [*Qui gloriatur in Domino glorietur*] Hoc testimonium in Ieremia ita legitur : *In hoc glorietur, qui gloriatur scire & nosse me : quia ego sum Dominus.*

D

CAPVT SECVNDVM.

H

ET ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non 1. in sublimitate sermonis, *cum syllogisticis probationibus*, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. 2. Non enim *probat quia stultos elegit; nam sc : quod est (& ego cum venissem, &c.)* iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Et ego *item probat quia infirmiores elegit, quia se, quod est (& ego in infirmitate, &c.)* in infirmitate, & timore *animæ*, & tremore *corporis* multo fui apud vos : & sermo meus, & prædicatio mea, non *fuit* in 3. persuasibilibus humanæ sapientiæ verbi, *dialecticis probationibus*, sed in ostensione spiritus, (*non dixi, nisi quod spiritus ostendebat mihi*) & virtutis, *miraculorum* : ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. (*& ne dicerent eum nescire, subdit*) Sapientiam autem loquimur inter perfectos : sapientiam verò non huius sæculi, 4. neque principum, *vel dæmonum* huius sæculi, qui destruuntur : 5. 6. sed loquimur *expenendo* Dei sapientiam 7. in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula *futura* in gloriam nostram, *id est, ut per eam glorificemur*, 8. quam 9. nemo principum huius sæculi cognovit : si enim cognovissent, 10. nun-

A quam Dominum gloriæ crucifixissent, *crucifigi instigassent.* Sed sicut scriptum est: E *hoc scilicet quia*, 11. quod oculus *carnis* non vidit, nec auris *carnalis* audiuit, nec in cor *carnale* hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum: nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum: 12. Spiritus enim, (*potest hoc Spiritus Dei? Respondet*) omnia scrutatur, *id est, scit, & scire facit*, etiam profunda Dei. Quis enim (*à simili. Quia Spiritus hominis scit quæ hominis sunt*) hominum scit quæ sunt hominis, *quia nullus alius*, nisi spiritus hominis qui in ipso est? ita (*à simili. Illatio.*) & quæ Dei sunt nemo cognouit, nisi Spiritus Dei. 13. 14 Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus (*conclusio principalis. Ergo nobis reuelauit*) quæ à Deo donata sunt nobis: quæ & loquimur 15. non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, *quam administrat*, 16. spiritualibus, *prout possunt capere*, spiritualia *pro mensura* comparantes. 17. 18. 19 Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: (*causa*) stultitia enim est illi, &, *ergo*, non potest intelligere: quia spiritualiter, *secundum interiorem hominem*, examinatur, *id est, damnatur*. 20. 21. Spiritualis autem iudicat *intelligit, & reprehendit* omnia? 22 & ipse à nemine iudicatur, *reprehenditur*. 23. Quis enim (*spiritualis,* B *inquit, homo à nemine reprehenditur, quia à nemine instruitur*) cognouit sensum, *Spiritum*, F Domini, 24. qui instruat eum? Nos autem sensum, *Spiritum*, Christi habemus.

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Non in sublimitate*) Sublimitatem sermonis vocat logicam, quia ipsa tota de artificiosa oratione est. Sapientiam vocat * quadruuium, & maximè libros Platonicos, speciem nomine generis designans.

* Quadriuio.

2. AVGVST. (*Non enim iudicaui me scire*) Eis loquebatur, qui capere altiora de Christi Deitate non poterant. Eis hoc solum se scire dicebat, quod eos per illum scire oportebat. Hoc inter illos, nesciebat, quod per illum scire non poterant.

De Trin. lib. ... c. 12. to. 3

3. LANFR.) *Persuasibilibus*) Rhetoricam tangit, in qua dantur præcepta appositè loqui ad persuasionem.

4. (*Neque principum*) Principes hic vocat egregios C Philosophos, à quibus, & per quos Philosophia inuenta est. Quo nomine in sæcularibus etiam litteris censentur, vt Cicero in topicis: *Vtriusque*, inquit, *princeps, vt mihi videtur, Aristoteles fuit.*

5. AVGVST. (*Sed loquimur*) Gratia ista Christiana (quia omnia Christo tradita sunt à Patre) omnes latuit sapientes huius mundi. Hanc Moyses vidit, Prophetæ viderunt. Sapientes illi magni, acuti disputatores omnino ignorauerunt: hoc est mysterium, quod absconditum fuit à sæculis in Deo.

Ex serm. de sect. in Eu. Ioan apud Bedam.

6. AMBROS. *Sed loquimur Dei sapientiam*) Abscondita est ergo sapientia Dei, dum non in verbis, sed in virtute est, non humana ratione possibilis, sed spiritus efficacia credibilis.

7. LANFR. (*In mysterio*) Exponendo mysteria veteris Testamenti; in quibus Christum figuratum fuisse asserimus.

8. AMBROS. *Quam nemo principum*) Principes huius seculi, non solum homines accipiendi sunt, sed & ij aduersæ quos nobis colluctatio est; qui sciebant esse Christum in lege promissum; mysterium tamen eius, D quo Filius Dei est, nesciebant.

9. LANFR. (*Nemo principum, &c.*) Probat quia nemo principum, quia scriptum est. Item quia non cognouerunt, quia hi qui diligunt eum tantum. Nam nos, quod est nobis autem reuelauit. Probat quia reuelauit, nam per Spiritum, &c. Et hoc probat, quia nos accepimus Spiritum, &c. quod est, sed Spiritum qui ex Deo est, &c. Et probat quia Spiritum Dei acceperit: quia non accepimus Spiritum huius mundi.

10. AVGVST. (*Nunquam Dominum gloriæ*) Ex forma serui crucifixus est: talis enim erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum. Quid tamen, propter quid, & * secundùm quid dicatur adiuuante Domino, prudens & diligens, & pius Lector intelligeret.

Ex lib. 1. de Trin. cap. 13. * quia.

11. LANFR. (*Quod oculus non vidit*) Probat quod superius dixit. *Nemo principum huius seculi cognouit.* Sapientiam enim Dei, id est, Dominum Christum, quæ diligentibus eum in præmium præparata est, nec oculus vidit, &c. Habet autem scriptum in Isaia sic: *Oculus non vidit, Deus, absque te quæ præparasti diligentibus te.*

12. AVGVST. (*Spiritus enim omnia scrutatur*) De Spiritu Dei dictum est; quòd omnia scrutatur, qui nouit omnia; sed quia tibi donatus est Spiritus, te scrutari fecit; & quod dono illius facis, ille facere dicitur.

Ex tract. in Ps. 32. tom. 8.

13. (*Nos autem non Spiritum*) Spiritus huius mundi, Spiritus est elationis; quem qui habent, superbi sunt, & ingrati Deo.

Ex tract. de nat. Matt. Massylitta. Serm. 42. de diuers. c. 8. to. 10

14. AMBROS. (*Nos autem non Spiritum*) Spiritus mundi est, per quem arripiuntur fanatici, qui sine Deo sunt; quem Pythonem appellant. Hic est qui per Sybillam locutus est.

G

15. LANFR. (*Non in doctis*) In doctis humanæ scientiæ verbis se loqui abnegat: Et tamen in scripturis eius tanta locorum disputationum subtilitas: tanta & tam subtilis beneuolentiæ captatio, cum res exigit, inuenitur: vt tanta, vel ea maior, in nullo scriptorum genere reperiatur. Vnde proculdubio credendum est, non eum regulas artium secularium in scribendo, vel loquendo cogitasse. Sed per doctrinam sancti Spiritus, à quo, & per quem est omnis vtilis peritia, talia & taliter dixisse, quæ per singula exponerem, nisi imperitorum talium doctrinarum murmur timeretur.

16. (*Spiritualia comparantes*) Id est, compensantes spiritualem doctrinam, secundùm quod capax est spiritualis auditor: quæ spiritualiter auditis, spiritualibus probatur.

17. AMBROS. [*Animalis homo*] Pecoribus enim similis, in terram sensum deprimit.

H

18. AVGVST. [*Animalis homo*] Qui viuit ex corpore, carnis homo vel animalis vocatur. Carnalis, quia carnalia sectatur. Animalis autem, quia fertur dissoluta lascivia suæ animæ, quam non regit spiritus, neque cohæret intra metas naturalis ordinis. Qui autem spiritu animam regit, vocatur spiritualis.

Ex lib. 83. quæst. 67 tom. 4.

19. LANFR. [*Animalis homo*] Quia animalis est, quia ipsa spiritualia improbat, & ideo laborare non potest, vt intelligat.

20. AVGVSTINVS. [*Spiritualis autem*] Omnia ergo iudicat, quia super omnia est, quando cum Deo est. Cum illo autem est, quando potissimè intelligit; & tota charitate quod intelligit, diligit.

Ex lib. de vera relig. c. 31. tom. 1.

21. LANFR. [*Spiritualis autem*] Spiritualis, inquit, intelligit & reprehendit omnia, quæ intelligenda & reprehendenda sunt: & ipse à nullo carnalium vel

reprehenditur

A reprehenditur vel intelligitur: In utraque significatione hoc verbum reperitur.

22. (*Et ipse à nemine*) A nemine spiritalis homo intelligitur; quia nemo intelligit, nō enim cognovit quis sensū Domini. A causa probat iterum, a nemine reprehenditur, quia nemo reprehendit; & hoc probat qoia non instruit. E

23. (*Quis enim cognovit*) Hoc refertur ad superiorem verbi significationem.

24. (*Qui instruat eum*) Hoc ad posteriorem. Qui enim reprehendit, scientiam instruendi habere debet.

CAPVT TERTIVM.

ET ego, Fratres, non potui vobis loqni quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus (*ratio cur non locutus sit eis spiritualia.*) Tamquam parvulis in Christo, lac, *minora pracepta*, vobis potum dedi, non escam : *non altiora* : nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim catnales estis. Cum eoim sit intet vos zelus, & contentio: nonne catnales estis, & secundùm hominem, *non secundùm Spiritum Dei*, Ambulatis? *humanitus vivitis. Exponit quomodo secundùm hominem ambulent.* 1. Cum enim quis dicat, ego quidem sum *Discipulus* Pauli : alius autem : 2. ego Apollo : nonne homines estis ? *humanitus agitis* ? Qnid igitnr est Apollo? Quid verò Paulus? Mini-
B strieius, cui credidistis, & unicuique *nostrum* sicut Dominus (*alij plus, alij minus*) dedit. Ego F
pradicando in fide plantavi, Apollo rigavit *baptizando* : sed Deus (*Paulus, inquit, & Apollo nihil sunt, quia Deus tantum, qui dat incrementum*) incrementum dedit. Itaque, *quia Deus tantùm*, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat : sed, qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt *in fide.* Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet, *diversam tamen habebunt mercedem* secundùm suū laborem, *pro meritarum suorum qualitate.* 3. Dei enim sumus adiutores, *pradicatores* : Dei agricultura *vos* estis, Dei ædificatio estis, *& ego.* Secundùm gratiam *Apostolatus* Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum, *fidem Christi*, posui: alius autem superædificat. Vnusquisque autem videat quomodo superædificet, *opera faciat.* 4. 5. Fundamētum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod *à me* positū est, quod est Christus Iesus, *Christi fides.* Si quis autem superædificat super *fidei* fundamētum hoc (*per haec tria bona opera*) aurum, argētum, lapides pretiosos, (*per ista minora peccata*) ligna, fœnū, stipulam: uniuscuiusq, opus manifestnm erit: Dies enim Domioi, *iudicij*, declarabit, quia io igne, *per ignē*, revelabitur: & uniuscuiusq; opus quale sit, ignis *purgatorius* probabit *hoc modo.* Si cuius opus mãserit, quod *fidem* superædificavit: mercedē accipiet. Si cuius opus arserit, detrimētum patietur: ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem. 8. 9. Nescitis (*ne sint in vobis schismata*) quia 1x. templum Dei estis,
C & *quia* Spiritus Dei habitat in vobis? Siquis autem templū Dei violaverit, disperdet illum Dens. G
Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. 10. Nemo (*putans hoc Deum negligere: vel non acquiescere verbis*) se seducat. Si quis videtur inter vos 11. sapiens esse in hoc sæculo, *in astutia huius saculi* stultus fiat, *stultum se esse intelligat*, ut sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum. *Id est, sapientiam suam deponat: debet autem deponere; omne enim stultum deponendum.* Scriptum est enim : *in Iob. cap.* 5. 12. Comprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterùm : Dominus novit 13. cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. Nemo itaque glorietur (*Quia Paulus, & Apollo nihil*) in hominibns, *Pradicatoribus, vel baptizatoribus* 14. 15. Omnia enim (*ratio cur non debeant gloriari in doctoribus: scilicet quia sunt ministri*) vestra sunt, sive Paulus, sive Cephas, 16. sive *hic* mundus, 17. sive vita, *doctorum, qua ad adificationem subditis esse debet*, sive mors, sive præsentia, futura : omnia enim vestra sunt : vos autem Christi : 18. Christus autem (*secundùm hominem*) Dei.

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Cum enim quis dicat*) Expositio zeli & contentionis.

2. AMAR. (*Ego plantavi*) Plantare est Evangelizare, & ad fidem trahere. Rigare veru baptizare solemnibus verbis.

111. (*Quid igitur est Apollo?*) Non debetis dicere, ego sum Pauli vel Apollo, sed Dei: Quia Apollo & Paulus nihil sunt Deo comparaō; sunt enim ministri eius, sicut unicuique Dominus dedit: enumerat autem partes ministerij,
D prædicandi scilicet & baptizandi.

3. LANFR. (*Dei enim sumus*) Ratio cur dixerit mercedem. Operarij enim, quos adiutores hic vocat, mercedem solent accipere.

Ex lib. de fide & oper. c. 16 tom. 4.

4. AVGVST. (*Fundamentum*) Fides gratiæ Christianæ id est, ea quæ per dilectionem operatur, posita in fundamento; neminem perire permittit. Super hoc fundamentum alius ædificat aurum, argentum, lapides pretiosos: is videlicet qui cogitat quæ Dei sunt, qoomodo placeat Deo Alius ædificat super idem fundamentum ligna, fœnum, stipulam: is videlicet qui cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori. *illius opus non exuritur, qui non ea dilexit, quorum amissione crucietur. Exuritur autem huios, quoniam sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. Sed quoniam * alterutrum conditione proposita, eis potius mallet carere, quā Christo, nec timore amittendi talia, deserit Christum : quamvis doleat cum amittit: salvus quidem est: sic tamen quasi per ignem.* Est ignis iste tentatio tribulationis, de quo scriptum est : *Vas figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.*

* Ex Ench. ad Laurent. c. 68. to. 3 al. * alterutra.

* Ibidē paulò ante.

5. LANFR. (*Fundamentum enim*) Quasi aliquis diceret. Cur dixisti tantùm superædificet: & non dixisti fundamētum ponat ? Absit, inquit, fundamentum enim aliud, &c.

6. AMAR. (*Si quis autem superadificet, &c.*) Tribus prioribus, bona, tribus sequentibus vana doctrina signatur. H

7. (*Quasi per ignem*) Ignis extremi iudicij tandiu durabit, quoosque purgati sint, qui salvandi erunt.

Ex tract. in ps. 122 al. * Pœciem.

8. AVGVST. (*Nescitis quia templum Dei.*) Omnes adhuc infirmi & secundùm fidem templum sunt Dei; & templum Dei erimus aliquando : & iam secundùm * spem. Quandiu sunt templum secundum fidem ? Quamdiu in ipsis Christus per fidem habitat.

1x. LANFR. (*Templum Dei estis*) Ergo ne perdatis templum Dei peccando, violare non debetis: si enim hoc facitis, disperdet vos Dominus : Nam omnem qui violat templum Dei, disperdet Dominus: vos autem peccando violatis: quod sic probat. Vos estis templum Dei, quia Spiritus Dei habitat in vobis: hoc est dicere, vos estis habitaculum Dei. Item omne sanctum est templum Dei, sed vos estis sanctum, ergo Dei templum ; vos autem ipsos dum peccatis, violatis : ergo templum Dei violatis.

9. AMAR. (*Nescitis quia templum Dei*) Hæc ideirco præ-

A misit, ut illos compungat; quia turpiter vivendo, corpora sua violando, corruperunt.

10. [*Nemo se seducat*] Id est, nemo proprio vel humano consilio putet se sibi prodesse. Ad superiora redit.

11. LANFR. [*Sapiens esse in hoc sæculo*] Id est, in astutia huius sæculi fiat, id est, stultum se intelligit, & sapientiam suam stultitiam deputat.

12. [*Comprehendam sapientes*] In Iob scriptum est ita: *Qui comprehendit sapientes in astutia eorum.* Omne quod illaqueat deponendum: astutia autem illaqueat [scriptum est enim comprehendam, &c.] ergo, &c.

13. [*Cogitationes sapientium*] Insitata translatione legitur, *cogitationes hominum.*

14. AMBR. [*Omnia enim vestra sunt*] vita præsens nobis concessa est, ut ad Dei gloriam eam transigamus. Mors, ut pro Christo mori velimus spe futuræ promissionis. Præsentia, ut sic præsentibus utamur, ne offendamus futura: ut ea credentes ipsis nos commendemus. E

15. LANFR. [*Omnia enim*] Quasi diceret de se, maioribus & excellentioribus rebus cuique gloriandum est: non de his quæ sua sunt.

16. [*Sive mundus*] Mundus enim propter utilitatem hominum factus est.

17. [*Sive vita*] Vita & mors doctorum ad ædificationem subditis esse debent. Possumus etiam per vitam homines sanctos, & Angelos intelligere. Per mortem diabolum & membra eius: qui dum consulunt, vel persequuntur, utilitati servorum Dei inserviunt.

18. AVGVST. (*Christus autem Dei*) Non tamquam dissimilis aut alterius naturæ; sed tamquam Patri Filius.

B F

CAPVT QVARTVM.

1. SIc nos *Apostolos* existimet (*non ut aliquid*) homo ut ministros Christi, *non ut Dominos* & 2. dispensatores mysteriorum Dei, *prædicationis, vel sacerdotij, & aliorum sacrorum ordinum.* 3. Hic iam quæritur (*horum verborum occasione arguendos*) inter *nos* dispensatores, 4. ut fidelis quis inveniatur. 5. Mihi autem pro minimo est, ut à vobis iudicer, *in ministeriis dispensandis reprehendar*, 6. aut ab humano die, *intellectu*: sed neque meipsum iudico, *in his quæ ad officium pertinent, reprehendo, quod facerem, si faciendum esset.* Nihil enim mihi *in mysteriis dispensandis* conscius sum: 7. sed non in hoc iustificatus sum: 8. qui autem iudicat me (*vos, inquit, non debetis iudicare, me quia Dominus solus*) Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare (*quia Dominus est iudicare*) quoad usque veniat Dominus, 9. qui & illuminabit abscondita tenebrarum, *occulta crimina iniquorum tenebrosorum*, & manifestabit consilia cordiũ: & tunc laus erit unicuique à Deo. 10. Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo, propter vos, *humiliandos: ut, videlicet*, in nobis discatis, ne 11. supra quàm scriptum est, *superiùs de nobis*, unus adversus alterum infletur pro alio. 12. 13. Quis enim te discernit? (*Dicit in doctoribus non esse gloriandum, quia ipsi nos à peccatis non discernunt; Deus enim tantùm*) *à peccatis separat, nisi Deus?* Quid autem habes, *quam gratiam habes*, quod, *quam* non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 15. Iam saturati estis, *terrenis*, iam divites facti estis: sine nobis regnatis: *terrenam potentiam habetis*: & 16. Utinam regnetis, *regnaretis, scilicet cælesti regno*, ut & nos vobiscum regnemus. Puto enim (*demonstratio qualiter sine Apostolis regnent*) quod Deus nos Apostolos 17. novissimos, *vilissimos apud mentes infidelium*, ostendit, 18. tamquam morti destinatos: 19. quia (*effectus*) spectaculum facti sumus *huic* mundo, & Angelis *malignis*, & hominibus. *Increpatio cum ironia* 20. nos stulti *videmur huic mundo* propter Christum, 21. vos autem prudentes *sæculo* in Christo: *sub fide Christi*; nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque *enim* in hanc horam, & (*effectus*) esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, *mutantes diversa loca propter nimiam persecutionem*, & laboramus, *non quærentes à vobis stipendium*, operantes manibus nostris. Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & 22. obsecramus: *obsecramus, vel ne blasphement, vel Deum ut ignoscat*: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema (*adiectio*) usque adhuc. 23. Non ut confundam vos, *verecundiam vobis inferam*, hæc *supra dicta* scribo: sed ut filios meos charissimos moneo. (*Cur filios vocavit.*) Nam si decem millia Pædagogorum, *monitorum*, habeatis in Christo *in doctrina Christi*, sed non multos patres. *Sed me solum.* Nam in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui, *sum pater vester in fide Christi.* Rogo ergo vos, *quia pater sum*, imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Ideò, *ut me imitemini*, misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas, *doctrinam meam*, quæ sunt in Christo Iesu, *in fide Christi*, sicut ubique in omni Ecclesia doceo. Tamquam non venturus sim ad vos, (*ostendit eos esse commonendos, quia inflati sunt*) sic inflati sunt quidam. Veniam autem ad vos citò, si Dominus voluerit, & cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. 24. Non enim in sermone est regnum Dei, *verbis solis non adquiritur regnum Dei*: sed in virtute. Quid vultis? In virga, *correctione*, veniam ad vos: an in charitate, & spiritu mansuetudinis?

C G

D H

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. (*Sic nos existimet homo*) Hic significat quia minus bene sentiebant de illo aliqui Corinthiorum.

2. LANFR. (*Dispensatores*) Apostoli dispensabant mysteria Dei; alios Episcopos, alios Presbyteros, alios in hunc modum ordinantes.

3. (*Hic iam quæritur*) Id est, occasione horum meorum verborum; quibus Apostolos dixi debere existimari ut dispensatores. Quærit aliquis, quis inter nos dispensator revera fidelis inveniatur; volens ordinationes nostras iudicare secundum merita nostra.

4. (*Ut fidelis*) *Ut*, pro revera. Sicut illud: *Et habitu inventus ut homo.*

5. (*Mihi autem*) Quasi diceret. Quid alij dispensatores super hoc sentiant nescio. Sed ego vituperationes vestras nihili pendo, sciens per nos, seu dignos seu indignos, opus suum Deum operari.

6. AMBR.

A

6. AMBR. (*Aut ab humano die*) Humanum diem dum dicit, significat divinum, in quo iudicaturus est Christus. 7. (*Sed non in hoc iustificatus sum*) Nunc humiliat se, & loquitur ut homo, qui possit culpam incurrere nesciens. 8. [*Qui autem iudicat me*] Rectè Domino Christo plurimum dedit; quia potest quod hominem latet, dum occulta iudicat manifestare.

Ex lib. ad Lau. cap. 110. tom. 3.

9. AVGVST. [*Qui & illuminabit*] Non enim scimus mortales, corda mortalium: tunc autem illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis; & tunc laus erit unicuique à Deo: quia id laudabitur & diligetur à proximo in proximo, quod ne lateat, ab ipso illuminabitur Deo.

10. LANFR. [*Hæc autem fratres.*] Id est, superiora humilitatis verba, quibus me plantasse, Apollo rigasse. Sed nec plantantem, nec rigantem aliquid esse dixi. Ideo prætermissis cæteris, in me & Apollo transtuli, ut humilitaté in nobis discatis habere.

11. [*Supra quam.*] Supra scriptum est nullo modo pro doctoribus esse superbiendum: quia ipsi doctores, ministri tantum sunt, nec aliquid esse existimantur ad comparationem eius, à quo & per quem incrementum datur.

12. [*Quis enim te discernit.*] Quasi diceret: Si à massa perditorum te doctor tuus discerneret, tolerabile forsitan esset, si pro eo superbires: nunc vero minime, sed per eum discernit te Deus.

B

Epist. 46. ad Valent. to. 2.

13. AVGVST. [*Quis enim te discernit.*] Quod ideo dicit, quia de massa illius perditionis, quæ facta est ex Adam, non discernit hominem, ut eum faciat vas in honorem, non in contumeliam, nisi Deus. Sed quoniam homo carnalis, & inaniter inflatus, cum audisset: *Quis enim te discernit?* Posset respondere, vel voce, vel cogitatione & dicere: Discernit me fides mea, discernit me oratio mea, discernit me iustitia mea: mox Apostolus occurrit cogitationibus eius, & dixit: *Quid enim habes, quod non accepisti?*

14. LANFR. [*Quid autem habes?* Aliud genus arrogantiæ, amovere conatur, videlicet ne homo superbiat propter aliquam gratiam, sibi collatam, putans eam se habere a se: ideo dicit, quid autem habes, &c. ac si dicat, si autem sis separatus à peccatis,

C

ideo non debes gloriari; in nullo enim quod aliunde acceperis, debes gloriari; separari à peccatis aliunde accepisti: nam quid habes quod non ab alio accepisti? nihil utique. Ergo, &c.

E

15. [*Iam saturati estis.*] De quibusdam Corinthiorum intelligendum est; qui post discessum Apostoli, cœperunt deliciis affluere, & terrenarum opum divites esse; sancti quoque Spiritus dona in terrenum lucrum convertere, de quibus dicit: Iam saturati, &c.

16. [*Vtinam regnetis.*] Scilicet cœlesti regno, vel ut vos ipsos bene regatis.

17. [*Novissimos.*] Apostolos suos novissimos, id est, vilissimos, apud mentes hominum infidelium esse voluit Christus: ut maiori in cœlesti gloria præmio coronétur.

18. [*Tamquam morti.*] Victorum tunc temporis moris erat, quosdam in expositione captos, morti destinare. Ad quod spectaculú cóveniebat hominú maxima multitudo.

Ex tract. in Ps. 38. to. 8.

19. AVGVST. [*Quia spectaculum facti sumus.*] Angelis laudantibus, hominibus vituperantibus; imò & Angelis laudantibus & vituperantibus.

20. LANFR. [*Nos stulti.*] Increpatio, vel ironia; non enim Apostoli stulti, & ipsi prudentes; se potius stulti, & Apostoli prudentes.

21. AMBROS. [*Vos autem prudentes.*] Qui prudens in Christo iudicatur à perfidis, non rectè asserit Christum. Marcion enim qui negat Dominum incarnatum, prudens est mundo, id est fortis & nobilis.

F

22. LANFR. [*Et obsecramus.*] Vel eos, ne blasphement; vel Deum, ut ignoscat eis.

Ex tract. in Ps. 77.

23. AVGVST. [*Non ut confundam vos.*] Dicit, *non ut confundam vos hæc scribo, sed ut charissimos moneo,* cum sciret utique à Domino dictum: *Ne vobis dicatis patrem in terra, unus est enim pater vester Deus.* Quod * ideo dictum est, ut hoc vocabulum honoris humani, de loquendi consuetudine tolleretur; sed ne gratia Dei, quâ in æternam vitam regeneramur naturæ, vel potestati, vel etiam sanctitati cuiusquam hominis tribueretur. Ideo cum diceret, *Ego genui vos:* * Post dixit, *In Christo, & per Euangelium*; ne ipsius putaretur esse, quod Dei est.

al. * non.

al. * prædixit.

24. LANFR. [*Non enim in sermone.*] Id est, verbis solis non acquiritur regnum Dei, sed in virtute & benefactis.

G

CAPVT QVINTVM.

OMninò auditur inter vos fornicatio: (*Ratio cur in virga dixerit*) & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, *communi conversatione* qui hoc *nefarium* opus fecit. Ego quidem absens corpore, (*debuissetis eam excommunicasse, quia ego absens eam iudicaui eum esse excommunicandam*) præsens autem spiritu, iam iudicavi ut præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine, *ad laudem*, Domini nostri IESV-CHRISTI, congregatis vobis & meo spiritu, *congregato vobiscum*, cum virtute Domini nostri IESV, t. 2. tradere *excommunicare*, *scilicet iudicaui*, huiusmodi, *illam*, Sathanæ, *maligno spiritui vexandam*, in interitum carnis, *carnalis voluptatis*, ut spiritus salvus sit (*si fortè eam moneat ipsa repulsa ab Ecclesia; & ad pœnitentiam reducantur*) in die *iudicij* Domini nostri IESV-CHRISTI. *Cum talem vobiscum retinentis*, non est bona gloriatio vestra, *à simili.* Nescitis, *dicit eam esse repellendum, quia si remaneret inter alios, ipse corrumperet intactos*) quia modicum fermentum totam massam corrumpit? *Ne vos intactos corrumpat*, expurgate *igitur* vetus fermentum, *veteris hominis peccatum*, ut sitis *benè vivendo* nova 3. conspersio, *pasta*, sicut estis azymi, *in baptismo mundati à peccatis.* (*Cur azymos dixerit*) etenim 4. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus, *quem edere debemus.* Itaque *eum* epulemur: non in fermento veteri, *in peccatis veteris hominis*, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: 6. 7. sed in azymis 8. sinceritatis, & veritatis. 9. Scripsi vobis in Epistola, (*quam eis ante istam miseras*) ne commisceamini fornicariis: non utique fornicariis huiusmodi, *Gentilibus idola colentibus*, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus: 10. 11. alioquin, *si enim hæc scripsissem*, debueratis *parentes præcepto meo* de hoc mundo, *communi conversatione*, exisse, *quia ubique sunt tales fornicarij.* Nunc autem scripsi vobis, (*ergo quia non illud, patet vobis me scripsisse ita ut sequitur*) 12. non commisceri, si is, qui frater nominatur *inter vos*, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum eiusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi

H

D

A (*de fornicariis mundi nihil dixi*) de iis qui foris, *extra Ecclesiam* sunt, iudicare? Nonne de iis, qui intus sunt, (*inutte scripsi de his qui intus sunt*) vos iudicatis? *à minori.* Nam eos, qui foris sunt, Deus *in Ecclesia* iudicabit, *non ego. igitur ne vos corrumpat*, auferte 13. malum *fratrem* ex vobis ipsis. E

COMMENTARIVS.

Ex serm. Domi. in mon. c. l. 1. 20 m. 4.

1. AVGVST. [*Tradere huiusmodi.*] Et si nolunt hic mortem intelligere, fortasse enim incertum est, quamlibet vindictam per Satanam factam, ab Apostolo fateantur. Quod non eam odio, sed amore fecisse, manifestat illud adiectum: *Vt anima salua sit.*

2. LANFR. [*Huiusmodi Satanæ.*] Hanc potestatem habuit, ut quotiescumque homini, accepta stultitia, amovere non posset: Diabolo eum ad vexandum tandiu traderet, quoadusque pœnitentiam profitens, a proposito malo desisteret.

3. [*Conspersio.*] Conspersio est farina & aqua, commixta simul sine fermento, similiter & azyma. Monet B igitur ne sint vivendo mundi à peccatis, sicut inundati in baptismo.

4. [*Etenim Pascha nostrum.*] Ratio cur nos mundos à peccato vivere oporteat: videlicet quia Christus immolatus est, quem epulari debemus. Et est ordo: Etenim Christus, qui est Pascha nostrum, est immolatus.

Expos. in Evang. Io. tract. 55. to. 9.

5. AVGVST. [*Etenim Pascha nostrum.*] Cuius sanguine illitis postibus nostris. Id est, cuius signo crucis signatis frontibus nostris, à perditione huius sæculi, tamquam a captivitate, vel interemptione Ægyptia liberamur: & agimus saluberrimum transitum; cum à Diabolo transimus ad Christum, & ab isto instabili sæculo, ad eius fundatissimum regnum. Ideo quippe ad Deum permanentem transimus, ne cum mundo transeunte transeamus.

Ex lib. 3. contra Faustum, c. 11. to. 6 al. Parte.

6. [*Sed in azymis.*] Azyma vero qui rectæ fidei Christiani sunt, non in fermento veteris * hoc est malitiæ: sed in ipsius fidei veritate, & sinceritate custodiunt. Non septem diebus, sed omni die, quod significatum est numero dierum septenario.

7. AMBROS. [*Sed in azymis.*] Sinceritas mundam vitam faciat. Veritas autem omnem fraudem excludat.

8. LANFR. [*Sinceritatis.*] Id est, in illam vicem, quâ Iudæi azymos panes manducare solebant; nos sinceritatem, & veritatem habemus.

9. [*Scripsi vobis.*] Epistolam quamdam, quæ modo non habetur nisi illis; in qua præcepit ne participationem haberent cum fornicariis, & cæteris de quibus dicit. Sed quia non distinxit de quibus fornicariis dixerit, Christianis, an Gentibus; putatum est a Corinthiis, de fornicariis Gentibus eum dixisse. Quam eorum perversam intelligentiam corrigit hic Apostolus. F

10. [*Alioquin.*] Id est, si præcepissem vobis Gentium participationem fugere; debueratis de mundana conversatione, in locum desertum exire, omnes enim fornicarij. avari, &c.

11. AMBROS. [*Alioquin.*] Id est, si commisceamini, melius erat vos mori.

12. LANFR. [*Non commisceri.*] Ordo: Non commisceri cum eiusmodi, nec cibum sumere: *Si is qui frater, &c.*

13. AVGVST. [*Auferte malum.*] Quod ait Apostolus, auferte malum ex vobis ipsis, ut ex seipso quisque auferat malum, non sic esse, intelligendum est: sed potius, ut homo malus auferatur ex hominibus bonis, quod fit per ecclesiasticam disciplinam; satis Græca lingua indicat; ubi sine ambiguitate scriptum est, ut intelligatur hunc malum, non hoc malum. Ex lib. 1. retract. c. 7. to. 7.

CAPVT SEXTVM.

C AVdet aliquis vestrum habens negotium, *causam*, adversus alterum, iudicari apud iniquos, *infideles*, & non apud sanctos? *fideles?* 1. An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis, *vestri exemplo*, iudicabitur mundus: indigni estis, qui de minimis iudiceris? *non utique.* 2. Nescitis quoniam Angelos, *Dæmones*, iudicabimus? Quantò magis sæcularia? *ironia.* Sæcularia igitur iudicia si habueritis: 3. 4. Contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. 5. Ad, *id est, propter* verecundiam vestram, *non ex sententia, sed stomachando in vos* dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre iudicio contendit: & hoc apud infideles? *scilicet agitur.* 6. Iam quidem omninò delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis, *quàm iudicio contendatis*, iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? 7. Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, *fraudem infertis:* & hoc fratribus, *facitis. Nolite fraudem facere, quia si facitis, iniqui estis; sed iniqui regnum Dei non possidebunt: quod probat apertè.* An nescitis quia D iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: *non credentes, quod dico:* neque fornicarij, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, *in seipsis*, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Et hæc *olim* quidam fuistis, *nec ideò dico ut nunc tales sitis:* sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, 8. in nomine Domini nostri Iesu-Christi, *in baptismo*, & in spiritu Dei nostri. Omnia, *non legali doctrina, sed libera potestate* mihi licent, sed non omnia expediunt: 9. omnia mihi licent, sed ego sub nullius *vitij* redigar potestate; *quasi diceret, non in parandis escis, & saturandis ventribus superfluum studium habere debetis, quia utique transitoria sunt.* Esca ventri, *scilicet paratur*, & venter *sustentatur* escis: 10. Deus autem & hunc, & has destruet: corpus autem non *debetur* fornicationi, sed *subdi debet* Domino, & Dominus *scilicet dabit æternitatē* corpori. Deus verò (*vel ressuscitabit ipsum; potuit enim ressuscitare Christum* & Dominum suscitavit: & nos suscitabit per virtutem suam. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo mēbra Christi, faciam H

membra

membra meretricis? *id est, ergo corpora nostra non dabuntur fornicationi, cum sint membra Christi.* Absit. 11. An nescitis quoniam qui 12. 13. adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne unâ. *A simili.* Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. *Ergo ne sitis unum cum meretrice.* Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: *id est, solam animam commaculat.* 14. 15. qui autem fornicatur, in corpus suum, *contra honorem sui corporis*, peccat. *Alia ratio cur fugienda sit fornicatio, scilicet quia templum sunt Spiritus Sancti.* An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est: quem habetis à Deo, & non estis vestri? *Quia servi Christi estis vel emptitij.* 16. Empti enim estis pretio magno, *sanguine Christi. Ergo*, 17. Glorificate, 18. & portate Deum, *dominica præcepta*, in corpore vestro.

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. (*An nescitis quoniam*) Indicabunt sancti hunc mundum; quia exemplo fidei eorum, perfidia mundi damnabitur.

In Ps. 36. conc. 9.

2. AVGVST. (*Nescitis quoniam Angelos*) Quos Angelos, nisi apostatas Angelos?

3. AMBROS. (*Contemptibiles*) Tamen intractabiles, & inconsideratos esse significavit: ut imperitos forte ex fratribus iudices eligerent.

4. LANFR. [*Contemptibiles*) Non imperando, sed exprobrando supponit causam, cur fideles propter discussionem causarum suarum ad infideles ire cogantur. Videlicet quia personas terrenarum legum ignaras, ad audiendas fidelium causas, constituebant. Et ita dictum est similiter in Evangelio: *Ite potius ad vendentes*, & in Virgilio, *Infere nunc, &c.*

Matt. 25 a. 9.

5. [*Ad verecundiam vestram*) Quasi diceret; Non impero, sed commemoro, ut verecundiam habeatis, quia facitis.

6. AVGVST. [*Iam quidem delictum est*) *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & iudicio tecum contendere, dimitte illi & pallium.* Et alio loco: *Et qui abstulerit*, inquit, *tua, noli repetere.* Prohibuit itaque suos de sæcularibus rebus cum aliis habere iudicium. Ex qua doctrina, Apostolus dicit esse delictum: tamen cum sinit fieri in Ecclesia talia iudicia inter fratres, fratribus iudicantibus, extra Ecclesiam verò terribiliter vetat; manifestum est quid secundùm veniam concedatur infirmis.

Matt. 5. f. 40. Luc. 6. d. 30. Enchir. ad Laur. c. 78. to. 3.

7. LANFR. (*Sed vos iniuriam facitis*) Quasi diceret: vos non estis tales, ut illatam iniuriam velitis ferre: sed potius vultis inferre.

8. (*In nomine Domini*) In baptismo dicit; ubi distinctè commemoratur, & subintelligitur in nomine Patris.

9. AMBROS. (*Omnia mihi licent*) Omnia sibi licere dicit, ea scilicet quæ coapostolis eius licuerunt. Hoc enim præmisit postea hanc causam acturus, sicut fecit & de illo qui incestum* amiserat. Denique statim ad superiorem sensum, re breviter interim cómédata, redit.

f.* cō misceat.

10. LANFR. (*Deus autem & hunc*) Quasi diceret. Non in parandis escis & scrutandis ventribus studere debetis, quia utraque transitoria sunt.

AMBROS. (*Et Dominus corpori*) Subauditur immortalitatem ressuscitato præstabit.

11. LANFR. (*An nescitis quia, &c.*) Non debetis fornicari cum meretricibus, quia efficitis unum corpus cum meretrice. Qui adhæret meretrici, unum corpus cum ea efficitur. Nam qui adhæret legitimæ uxori, fit unum: dicit enim Genesis: *Erunt*, scilicet vir & uxor, *duo in carne una.*

12. AMBROS. (*Qui adhæret*) Hoc dicit, qui contaminationi admiscetur, unum fit cum eo cui se admiscet. Fornicatio enim ambos unum facit: ut quomodo in natura, sic & in macula, unum sint.

13. AVGVST. (*Qui adhæret*) Accedente quidem * isto ad participationem naturæ veritatis & beatitudinis illius: non tamen crescente illo in natura, veritate & beatitudine sua.

Lib. 14. de Trin. c. 14. to. 3. al.* ipso

14. (*Qui autem fornicatur*) Quia nusquam sic totus homo corporis ipsius voluptati addicitur; & ineffabiliter, vel inevitabiliter afficitur; ut in comparatione huius tanti mali, cætera peccata extra corpus esse videantur, etiamsi per corpus exerceantur.

15. AMBROS. (*Qui autem fornicatur*] Totum corpus vir est & mulier; quia portio viri mulier est: & vir per id quod in portionem suam delinquit, in corpus suum peccat. Vel quia fornicari corporale delictum est, non enim fit sine desiderio carnis. Caro enim ibi habet motum proprium.

Ex fragm. 3. sub fin. tom. 10.

16. LANFR. (*Empti enim estis*) Probatio quod non sint sui. Nulli enim empti sunt sui: hi autem empti sunt; ergo, &c.

17. (*Glorificate & portate*) Illatio, quasi diceret: Quia empti estis, glorificate Deum in cordibus vestris; cuius servi facti estis.

18. AMBROS. (*Portate Deum in corpore vestro*) Portare Deum, est, in rebus bene gestis imaginem Dei ostendere.

CAPVT SEPTIMVM.

DE quibus autem scripsistis mihi *de habendis uxoribus, vel non habendis. Sic respondeo* Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem unusquisque suam 1. uxorem habeat, & unaquæque 2. suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro *debitum reddat. Et decet, nam* Mulier sui corporis, *sui sexus laxandi, vel continendi*, potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, *debitum non reddere*, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas *ducere in peiora* propter incontinentiam vestram, *si continere non potueritis.* Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium. Volo enim omnes vos esse, *quantùm in me est*, sicut meipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic. Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. Quod si non se continent, nubant. 3. Melius est enim nubere, quàm uri, *invitum continere: uri est, opus luxuria immoderatè in mente concupiscere, & exinde in carne ardere.* Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: 4. quod si discesserit, *scilicet interveniente legitima causa; non enim aliter licet*, manere innuptam,

A aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Nam cæteris ego dico, non Do-
minus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non B
dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habita-
te cum illa non dimittat virum: 5. 6. 7. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulie-
rem fidelem: *vel contigit aliquando sanctificatum fuisse virum infidelem per mulierem fidelem,*
& è converso: & sanctificata est mulier infidelis, *& nullam in eius contactione immundi-*
tiam patitur mulier: per virum fidelem: *id est, in viro fideli:* alioquin, *si non esset legale*
matrimonium, filij vestri immundi, *id est, degeneres, non legitimi* essent: 8. nunc au-
tem sancti, *non degeneres, id est, legitimi* sunt. 9. Quod si infidelis, *vir vel mulier*, di-
scedit, discedat: non enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi, *id est,*
non cogitur sequi infidelem: in pace autem vocavit nos Deus. *Quasi pacis autem debitores*
sumus, & ideò non debemus causa esse discordiæ. Alia ratio cur non sit quærendum divortium.
Vnde enim scis mulier, si virum salvum facies? Aut unde scis vir, si mulierem salvam
facies? Nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita
B ambulet, 10. & sicut in omnibus Ecclesiis doceo, *à simili.* Circumcisus aliquis voca-
tus est? non adducat præputium, *nolit esse præputiatus.* In præputio aliquis vocatus est? F
Non circumcidatur. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est: sed observatio *tan-*
tum mandatorum Dei. 11. 12. Vnusquisque *ergo quia circumcisus, & non*, in qua vo-
catione vocatus est in ea permaneat, *debet permanere.* Servus 13. vocatus est? Non sit
tibi curæ, sed & si potest *fuga; vel aliter inhoneste* fieri liber 14. magis utere *ipsa servitute.*
15. Qui enim in Domino, *ad fidem Christi*, vocatus est servus, 16. libertus est Domi-
ni: similiter qui liber vocatus est, servus est Christi. 17. Pretio empti estis, nolite fieri
18. servi hominum, *ita scilicet ut postponatis servitium Dei.* Vnusquisque *ergo quia servi,*
& liberi, in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat, *debet permanere*, apud Deum.
De coniugatis, inquit, præcepi, De virginibus autem, *sive viris, sive fœminis*, præceptum
Domini non habeo: consilium autem do, *misericorditer consulo*, 19. tamquam misericor-
diam *hanc* consecutus à Domino, ut sim fidelis, *ut credam in eum.* Existimo ergo, *au-*
tem, hoc *virginitatem*, bonum esse, 20. propter instantem necessitatem, quoniam est
bonum homini sic, *virginem*, esse 21. Alligatus es uxori? 22. Noli quærere solutionem.
C Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem: non peccasti.
Et si nupserit virgo, non peccavit: 23. tribulationem tamen *temporalem* carnis habebunt
hi qui sunt huiusmodi. 24. Ego autem vobis parco, *id est, vitam vestram misericorditer*
dispono. Hoc itaque (*suasio ad virginitatem*) dico, fratres: 25. tempus *enim* breve est: G
26. reliquum est, *consequitur*, ut & qui habent uxores, tamquam non habente sint: 27. &
qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui
emunt, tamquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur:
28. 29. præterit enim (*ratio cur ea quæ superiùs dicta sunt, quasi non sint, æstimanda sunt*)
figura huius mundi. Volo autem vos sine sollicitudine *sæculi* esse. Qui sine uxore
est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem, *enim*, cum
uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. *Ra-*
tio cur mulieres sine viro esse debeant. Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domi-
ni sunt; ut sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt
mundi, quomodo placeat viro. Porrò hoc ad utilitatem vestram dico: 30. non ut la-
queum vobis iniiciam, *non ut in peccata vos labi faciam, dum matrimonium dissuadeo*, 31.
sed ad id, quod honestum est, *moneo vos*, & quod facultatem præbeat sine impedi-
D mento Dominum obsecrandi, *id est serviendi.* 32. Si quis 33. autem turpem, *infa-*
mem, se videri existimat super virgine, *filiâ*, sua, quod sit superadulta, & ita oportet
fieri: *quia virgo castitatem servare non vult:* quod vult faciat, 34. *ergo vel pater, vel*
ipsa filia non peccat, si nubat. *Sic de isto, nam de alio aliter.* Nam qui statuit in cor- H
de suo firmus, non habens necessitatem *hanc ut filia nubat, qui continere noluerit;* po-
testatem autem habens suæ voluntatis, *ut virgo nubat, vel non*, & hoc iudicavit in
corde suo, *scilicet* servare virginem suam, benè facit. Igitur & qui matrimonio iun-
git virginem suam, benè facit: & qui non iungit, *benè; nam* melius facit. *Dissuasio*
à matrimonio. Mulier alligata est legi, *scilicet maritali*, quanto tempore vir eius vivit:
quod si dormierit *morte* vir eius, *liberata* est: cui vult nubat: tantùm in Domino, *lega-*
liter. Beatior autem erit si sic, *sine viro* permanserit, secundùm meum consilium. 35. pu-
to autem (*ut acquiescatur consilio illius*, quod & ego Spiritum Dei habeam.

COMMENTARIVS.

1. LANFRANCVS. [*Vxorem habeat*] Vxorem non dicit concubinam: ut ab sententiis excludantur, qui divinis authoritatibus uxores habere non possunt.

2. [*Suum virum*] Virum hic intelligit legalem maritum. Sicut in Evangelio: *Et hic quem habes, non est tuus vir.*

3. AMBROS. [*Melius est nubere*] Vri est desiderus agi & vinci: cum enim voluntas calori carnis consentit, uritur: nam desideria p[illegible]ti, & [illegible]on vinci illustris viri est.

4. LANFR.

A

4. LANFR. [*Quod si discesserit.*] Discedere non potest, excepta causa fornicationis, * non utique continenter ex consensu vivant.

f.* nisi.

5. [*Sanctificatus est vir.*] Id est mundus, & nullum ex eius coniunctione, mulier immunditiam patitur.

6. AVGVST. [*Sanctificatus est vir.*] Sanctificatus est enim, inquit, vir infidelis in uxore fideli: Et sanctificata est mulier infidelis in fratre fideli. Credo iam provenerat, ut nonnullæ fœminæ per viros fideles, & viri per uxores fideles, in fidem venirent. a Illud tamen sine dubitatione tenendum est, quæcumque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos, atque ad dimittenda peccata, nisi Christiana * vel Ecclesiasticâ institutione, & Sacramentis efficiantur fideles. Nam nec coniuges infideles, quamlibet sanctis & iustis coniugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ á regno Dei separatus, in damnationem venire compellit.

Ex serm. Dom. in monte l. 1. c. 16. & 4.
a Ex lib. de peccatorum meritis, & remiss. 3. ad Marcel. c. 12. to. 7
al.* &.

B

7. AMBROS. [*Sanctificatus est vir.*] Habere infideles beneficium bonæ voluntatis ostendit, quia * honorem nominis Christi non horrent. Signum sanctæ Crucis ad tuitionem & sanctificationem hospitij pertinet.

[*Alioquin filij vestri.*] Immundi essent filij eorum, si dimitterent volentes habitare secum, & aliis se copularent: essent enim adulteri, & filij eorum spurij.

8. LANFR [*Nunc autem sancti sunt.*] Id est, mundi. In * causam redit cur vir fidelis mulieris infidelis; aut mulier fidelis viri infidelis, divortium quærere non debeat.

f.* causâ reddit.

9. AVGVST. [*Quod si infidelis.*] Id est, si infidelis voluerit esse cum coniuge fideli. Hic agnoscat fidelis suam libertatem, ne ita subiectam putet servituti, ut ipsam dimittat fidem, nec coniugem infidelem.

Epist. 89. Hilar. ad q. 4. to. 2.

x. [*Si infidelis discedit, discedat.*] Non licet aliam ducere dimissa etiam infideli: sed utrum aliud dimissa, aliud discedente.

C

10. AMBROS. [*Et sicut in omnibus Ecclesiis.*] Hoc dicit, ut dum cæteros hoc doceri audiunt, * assequantur.

al.* id sequantur.

11. AVGVST. [*Vnusquisque in qua.*] Hoc enim ad eas consuetudines, vel conditiones * tulit, quæ nihil obsunt fidei, bonisque moribus. Non enim si etiam latro erat, quisque cum vocatus est, debet in latrocinio permanere.

In expos. ad Galat. to. 4.
al.* vitæ retulit.

12. LANFR. [*Vnusquisque in qua, &c.*] Vnusquisque, inquit, qua vocatione vocatus est ad fidem, debet ambulare: nam circumcisus, in circumcisione ad fidem vocatus est, non debet nolle circumcisus fuisse: sic & præputiatus: quia circumcisio vel præputium nihil valet ad beatitudinem promerendam. Valet enim solum observantia mandatorum Dei.

13. [*Servus vocatus es?*] Id est, per alias partes servus vocatus ad fidem, nolit fieri liber: est enim liber: Et Dei liber vocatus ad fidem, nolit fieri servus; est enim servus, quia Christi, nam eius est emptitius.

D

14. [*Magis utere.*] Servitute utendum imperat, quia quanto quis propter Deum despectior est in hoc sæculo; tanto magis exaltabitur in futuro.

15. [*Qui enim in Domino vocatus.*] Ratio cur non debeat esse curæ, si servus vocatus est.

16. [*Libertus est Domini.*] Id est, libertus Domini & servus Christi: sed honestius vocabulum servo tribuit, quia servi vocabulum est inhonestius.

17. AMBROS. [*Pretio empti estis.*] Servi hominum sunt, qui humanis se subiiciunt superstitionibus. Hoc dicit, quia in capite Epistolæ reprehendit, quod dicerent: *Ego sum Pauli, &c.*

18. [*Servi hominum.*] Ita scilicet ut postponatis servitium Dei.

E

19. LANFR. [*Tamquam misericordiam.*] Misericorditer, inquit, consulo; quia hanc misericordiam à Deo consecutus sum, videlicet ut in eum credam.

20. [*Propter instantem necessitatem.*] Instantem necessitatem vocat penuriam huius sæculi, quam frequenter patiuntur coniugati pro filiis & filiabus nutriendis, pro se invicem sustentandis, propter quam vitandam, bonum esse dicit homini, sine coniugio esse. Est quidem castitas servanda, propter vitam æternam; sed infirmis Doctoribus infirmam rationem prætendit.

21. [*Alligatus es uxori.*] Ne laudata castitate, uxorem aliquis vellet dimittere, hoc subiungit.

22. [*Noli quærere uxorem.*] Qui non habet uxorem, non debet quærere ut habeat: Nam qui habent tamquam non habentes esse debent. (A simili.) Qui flent tamquam non flentes esse debent. Sic de reliquis posset concludere: Ergo quia habens debet esse, quasi non habens; qui non habet quærere non debet: hoc est dicere æquipollenter: ergo volo vos esse sine uxore: nam volo vos esse sine sollicitudine sæculi. Quod probat, si quis sine uxore est (causa) sine sollicitudine est: tunc cum velim vos esse sine uxore, volo vos esse sine sollicitudine sæculi; sed qui est sine uxore, est sine sollicitudine; tantum enim est sollicitus quæ Domini sunt: nam est sollicitus quomodo placeat Deo.

F

23. AMBROS. [*Tribulationem carnis.*] Tribulationes sunt gemitus ventris, nutrimenta filiorum, & similia.

24. [*Ego autem vobis parco.*] Parcit, quoniam ad hæc provocat quæ tribulationes carnis & sollicitudines memoratas excludunt. Potest & sic videri parcere, cum permittit, & non contradicit volentibus quod onerosum ostendit.

25. *Tempus breve est.*] Quia finis in proximo est, dicit non debere ad generandum sollicitos esse; & qui flent, tamquam non flentes sint, scientes mox consolationem eorum futuram: & qui in præsenti gaudent, sciant mox luctum futurum.

G

26. LANFR. [*Reliquum est.*] Quia, inquit, tempus breve est, consequitur ut quidquid in hoc sæculo sive prosperum, sive adversum videtur esse, pro parvitate temporis potius videatur non esse.

27. AVGVST. [*Et qui flent.*] Quisquis autem sive manducat, sive bibit, sive aliquid agit, omnia in gloriam Dei fit.

In expos. Ps. 147. to. 8.

28. [*Præterit enim figura.*] Figura præterit, non natura. * Iudicatis quippe his qui scripti non sunt in libro vitæ, & in æternum ignem missis: tunc figura huius mundi, mundanorum ignium conflagratione, præteribit. Sic factum est mundanarum aquarum inundatione diluvium. Illâ, ut dixi, conflagratione, * mundanæ elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt.

Lib. 20. de civ. Dei, c. 14
Ibid. c. 16
al.* mundana.

29. LANFR. [*Præterit enim figura.*] Ratio cur ea quæ superius dicta sunt, quasi non sint, existimanda sunt. Omne enim quod præterit, cuiuscumque prolixitatis sit, æternitati comparatum, nihil est.

H

30. [*Non ut laqueum.*] Id est: Non ad hoc moneo castitatem diligere: ut hac occasione velim vos, propter incontinentiam in luxuriæ laqueum incidere.

31. AVGVST. [*Sed ad id quod honestum est.*] Cum ait: *Sed ad id quod honestum est.* Non matrimonium turpe esse ostendit; sed quod erat * honesto honestius, generalis honesti nomine commendavit.

Lib. de bono vidui. c. 5.
al.* honestum.

32. LANFR. [Si *quis autem, &c.*] Quia superius ad virginitatem suaserat, ne quis putaret peccatum * forte, si filiam continere nolentem viro traderet, dicit si ipsa continere nolit, non peccat si nubat. Habens autem filiam quam continere velit, cum ipse habeat potestatem quod ea nubat, vel non, si pater voluerit; si filiam virginem servet, bene facit.

f.* fore.

A 33. Lanfr. (*Turpem se videri existimat*) Id est, siquis virginem habet adultam, quæ castitatem servare nolit; & cotstor eius putat, quod infamiam turpitudinis incursurus sit; si castitatem servare coegerit; non peccat vel ipse, vel virgo; si nubat virgo.

Lib. de bono vi dui. c. 9. tom. 4

34. (Avgvst. (*Non peccat si nubat*) Quæ se non continet, nubat; quæ non cœpit, delibetet: qood aggressa est, perseveret. Nulla adversario detur occasio; nolla Christo sobtrahatut oblivio.

35. (*Puto autem quod ego*) Homines de his rebus, quas certas habent aliquando increpativè dobitant. Id est, verbom dubitationis * ponit, cum * cotde non dubitent. Velut si indigoeris servo tuo & dicas: Contemnis me? Considera fortitan Dominus tuus sum. Hinc & Apostolus ad quosdam contemnentes suos loqoens, ait: *Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeo.* Qui dicit poto, dobitare videtur. Sed ille increpabat, non dobitabat. Et ipse Dominos noster alio loco increpans infidelitatem futuram generis bumani: *Cum venerit*, inquit, *filius hominis, putas inveniet fidem in terra?* E

Expos. 17. in Evang. Ioan. al. * pervers. ad. tr. * m.

CAPVT OCTAVVM.

B 1. 2. DE iis aotem, quæ idolis sactificantur, scimus *quid fieri debeat*, qoia omnes scientiam babemus. 3. Scientia *sine charitate* inflat, charitas verò, *nam cum charitate* ædificat. 4. Si quis autem se existimat scire *à se* aliquid, *id est, est sciens sine charitate*, noodum cogoovit 5. quemadmodum opotteat eum scite. Si quis autem diligit Deum, bic cognitus est ab eo, *habet scientiam cum charitate, adificando alios.* De escis autem (*quod dimiserat repetit*) quæ idolis immolantur, *sic respondeo*, scimus quia nihil est idolum in mundo, *in mundi creatione*, & quod nullus est Deus nisi unus (*non est Deus, quia tantùm est unus Deus.*) 6. Nam etsi sunt, qui dicantur Dij, sive in cœlo: sive in terrâ (*sola antipophora infidelibus*) (si quidem sunt Dij multi, *ut* & Domioi multi:) nobis tamen unus Deus, Pater, 7. ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Iesus Christus, 8. per quem omnia, & nos per ipsum. 9. Sed non in omnibus est scientia, *fidelibus.* 10. 11. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, *putantes idolum esse aliquid*, quasi idolothytum manducant: & conscientia ipsotum, cum sit infirma, *quia concupiscentiæ cibi non potest resistere*, polluitur. *Non debemus edere idolothyta.* Esca autem nos non commendat Deo, *imò abominabiles facit.* 12. 13. Neque enim (*Probat quod offendiculum faciet*) si manducaverimus, 14. abundabimus, *proficuum habebimus*: neque si F non manducaverimus, deficiemus. 15. Videte autem, *licet*, *inquit*, *comedere*, *sed videte*, ne fortè hæc licentia vestra 16. offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia eius: com sit infirma, ædificabitur ad manducandom idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, *quia te, qui sciens es, videt hoc facere, sed non debet perire per te*, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, *comedendo idolothytum*, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. 17. Quapropter si esca scandalizat 17. fratrem meum: non manducabo 18. carnem in æternom, ne fratrem meum scandalizem.

C G

COMMENTARIVS.

1. AMbrosivs. (*De his autem*) Nunc scientiam locuturus, quæ sit scientia non statim dicit; sed in subiectis ostendit dicens: *quia nihil est idolum.*

2. Lanfr. (*De his autem*) Id est, omnes scimus quid debeat fieri de immolatitiis idolorum: sed sola scientia oon sofficit ad observandum quod rectum est: sed potius inflat, si desit charitas, quæ ædificat.

D

Exposit. in Evang. Ioa n. tract. 27

3. Avgvst. (*Scientia inflat*) Et quidem inflat sola sine charitate; ideo adiunxit: *charitas ædificat.* Adde ergo scientiæ charitatem; & utilis erit scientia, non per se, sed per charitatem.

4. Lanfr. (*Si quis autem*) Ostendit quid sit scientia sine charitate; videlicet, quam homo putat se habere à se.

5. (*Quemadmodum oporteat*) Oportet scire hominem, quidquid bonum habet, à Deo se habere.

In Ps. 94 tom 8.

6. Avgvst. (*Nam & si sunt qui dicantur*) Si ergo non nobis; quibus? Audi ex alio Psalmo: Quoniam omnes dij Gentiom dæmonia.

7. Ambros. (*Ex quo omnia*) Discrevit nos à cæteris, qui ex illo sunt; non tamen in illo sunt; dum adhuc oon credunt.

8. (*Per quem omnia*) Omoia ex Patre quidem; sed per Filium creata sunt, sed cum dicit, *& nos per ipsum*, reformatos nos per ipsum, per quem creati fuerامus, significat in Dei cognitione.

9. Lanfr. (*Sed non in omnibus*) Non omnes, inqoit, habent scientiam huius Dei: ideo putant idolis gobernari.

10. (*Quidam autem*) Quidam, inquit, & sciunt qoid idolum nihil est; & tamen scienter manducant idolo immolatom.

H 11. Ambros. (*Quidam autem*) De plebe enim aliqui cum veneratione adhuc simulacri, maoducabant de sacrificiis; quasi aliqua illic esset divinitas.

Lib. 10 Conf. cap. 31. tom. 1.

12. Avgvst. (*Neque enim si non manducaverimus*) Hoc est dicere, nec illa res me copiosum faciet: nec illa ærumnosum.

13. Lanfr. (*Nec enim &c.*) Quasi diceret aliquis. Fames me talem cibum comedere compellit. Absit: tam parua enim particula singulis distribuitur: ut nec illata satiet; nec ablata esurire compellat. Potest subaudire, deficiemus à bonis operibus: vel abundabimus in bonis operibus.

14. (*Abundabimus, &c.*) Non debetis comedere idolothyta, nam neque per hoc acquiretis commodom: qood est neque si manducaverimus, abundabimus, neque maius evadetis damnum. Quod probat io libro à contrario, ita: Nam si non mandocaverimus, periculum oon habebimus: quod æquipollenter dicit, deficiemus.

15. Ambrosivs. (*Videte autem*) Hoc est, Ne, qoia licere vobis edere carnem de sacrificio dicitis, per id qood nibil idolom esse scitis, offensionem generetis

fratribos,

A fratribus , qui neſciunt adhuc quia nihil eſt idolum.
16. (*Offendiculum fiat infirmis*] Probat quod offendiculum faciet , quia ædificavit ad manducandum, peribit autem frater , quod non debetis facere , ſcilicet eum perire : nam ſi facietis , in fratres peccatis. Item & percutientes eſtis conſcientiam ; quod non debetis : nam ita in Chriſtum peccatis : ergo non debetis comedere ; Quod eſt , *quapropter ſi eſca ſcandalizat, &c.* ponit ſe pro illis, dicens non manducabo ; quia eum ut Apoſtolum ſuum debeant imitari.

17. [*Quapropter ſi eſca ſcandalizat*) Licet , inquit, comedere idolothytum , non tamen debetis , quia offendiculum infimis fratribus pararetis : ad illud enim comedendum eos ædificaretis, & ita perirent, cum idolum aliquid eſſe putarent. E
18. Lanfr. [*Carnem in æternum*] Id eſt. Non ſolum ab aliis cibis , propter vitandum fratris ſcandalum abſtinerem : ſed & carnem , quæ ſuaviſſimus inter omnes cibus eſt, in æternum dimitterem.

CAPVT NONVM.

1. NOn ſum liber ? 2. Non ſum Apoſtolus ? Nonne Chriſtum Ieſum Dominum no-
ſtrum vidi ? Nonne 3. opus meum vos eſtis in Domino ? Etſi aliis non ſum Apo-
ſtolus , ſed tamen vobis ſum : nam ſignaculum *iudicium* , Apoſtolatus mei vos eſtis in Do- F
mino. Mea defenſio apud eos, qui me interrogant , (*an Apoſtolus ſim : vos ſcilicet , quibus*
prædicavi) hæc eſt. 4. Numquid (*à ſimili*) non habemus poteſtatem manducandi & bi-
B bendi ? Nunquid 5. non habemus poteſtatem mulierem ſororem , *Chriſtianam* , circumdu-
cendi , ſicut & cæteri Apoſtoli , *id eſt , Iudas , & Iacobus Priſcum* , & fratres Domini , & Ce-
phas ? Aut ego ſolus , & Barnabas , 6. non habemus poteſtatem hoc operandi ? *A ſimilibus*
oſtendit , quia ſtipendia ſumpſiſſe ſibi licuerit. Quis militat ſuis ſtipendiis unquam ? *nullus uſi-*
que. Quis plantat vineam , & de fructu eius non edit ? *nullus.* Quis paſcit gregem , & de
lacte gregis non manducat ? *Nemo.* Numquid ſecundùm hominem , *humanam conſuetudi-*
nem , vel me dico ? An & lex hæc non dicit ? Scriptum eſt enim in lege Moyſi : non alligabis
os bovi , *qui comedat de triturituris ſuis* , trituranti , *prædicatori.* Numquid de bobus , *in hoc*
præcepto, cura eſt Deo ? 7. An propter nos utique hoc dicit ? Nam propter nos ſcripta ſunt.
Quoniam debet in ſpe , *cum ſpe terreni ſtipendij* , qui arat , arare : & qui triturat , in ſpe
fructus percipiendi. Si nos (*id eſt , à minori*) vobis ſpiritualia *prædicando* ſeminavimus , G
magnum eſt (*ironia*) ſi nos carnalia veſtra , *ſtipendia* , metamus ? *Non utique. A ſimili.* Si
alij poteſtatis veſtræ , *Pſeudo-Apoſtoli*, participes ſunt , *ſi alij acceperunt à vobis ſecundùm quod*
potuiſtis dare , quare *ergo* non potius nos ? 8. Sed non uſi ſumus hac poteſtate : ſed omnia
ſuſtinemus , 9. ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti. *Fortaſſis enim Evangelium*
C *Chriſti minus libenter audirent , ſi ab eis aliquid acciperet.* Neſcitis (*idem à ſimili*) quoniam
qui in ſacrario *templi Iudæorum* operantur , quæ de ſacrario ſunt , *de ſacrificio ſcilicet* , edunt :
& qui altari deſerviunt , 10. cum altari participant ? Ita , *ergo ſimiliter* , & Dominus ordi-
navit iis , qui Evangelium annuntiant , de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum uſus
ſum. Non autem ſcripſi hæc , ut , *ut quid à vobis accipere velim* , ita fiant in me : 11. 12.
bonum eſt enim mihi magis mori , 13. quàm ut gloriam meam quis evacuet. Nam ſi evan-
gelizavero , *propter ſumptum* , XIII. non eſt mihi gloria : neceſſitas enim *ſumis* mihi incum-
bit : 14. væ 15. enim mihi eſt ſi non evangelizavero. Si enim volens *ſine ſumptu , id eſt , gra-*
tis hoc ago , mercedem habeo : *gloria eſt mihi.* Si autem invitus , *id eſt , pro ſtipendio* , di-
ſpenſatio mihi credita eſt. *Quam ſi invitus fecero , viderit ipſe quid de me agat.* Quæ eſt er-
go merces mea ? *In quo ergo merces conſiſtit eſt. In hoc ſcilicet* , Vt Evangelium prædicans,
ſine ſumptu , *ab auditoribus accepto* ; ponam Evangelium , ut non abutar poteſtate meâ in
Evangelio. Nam 16. cum liber eſſem ex omnibus , omnium me ſervum feci , *moribus om-*
nium concordans , ut plures lucriſacerem. 17. 18. Et factus ſum Iudæis tamquam Iudæus , ut H
Iudæos lucrarer , 19. 20. iis qui ſub lege ſunt , *Samaritanos dicit qui legi Moyſi , non Prophetis*
D *obaudiunt* , quaſi ſub lege eſſem (cum ipſe non eſſem ſub lege *Iudaicâ*) ut eos , qui ſub lege
erant , lucriſacerem : iis qui ſine lege erant , *Gentilibus* , tamquam ſine lege eſſem (cum
ſine lege Dei non eſſem , ſed in lege eſſem Chriſti) ut lucrifacerem eos , qui ſine lege erant.
21. 22. Factus ſum infirmis infirmus , *condeſcendendo illis* , ut infirmos lucrifacerem. Om-
nibus omnia factus ſum , ut omnes facerem ſalvos. Omnia autem , *ergo* , facio propter E-
vangelium , ut particeps eius , *id eſt , evangelica recompenſationis* , efficiar. 23. Neſcitis
quod ij 24. qui in ſtadio currunt , omnes quidem currunt , ſed unus accipit bravium ? Sic
currite ut comprehendatis. *Bravium prædicationis.* Omnis autem (*à ſimili*) qui in agone
contendit *quod ut comprehendatis , debetis abſtinere* ab omnibus *à nocivis* ſe abſtinet : (*à mino-*
ri) & illi quidem *abſtinent* ut corruptibilem coronam accipiant ; nos autem incorruptam.
Ego igitur ſic curro , *ut incorruptam coronam accipiam* , non quaſi in incertum : ſic pugno, non
quaſi aërem verberans, *id eſt, in vacuum :* 25. ſed caſtigo corpus meum , & in ſervitutem redi-
go : ne fortè cum aliis prædicaverim , ipſe reprobus efficiar.

COMMEN

A

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Non ſum liber?*) Et ſi, inquit, liceat vobis idolothyta edere, non tamen debetis, ſicut ego, etſi liceret, non tamen à vobis cum prædicarem ſtipendia accepi. Hoc Apoſtolum velle ſequentia declarant.

2. (*Non ſum Apoſtolus?*) Commendat auctoritatem ſuam; quia à ſe ſuperius argumentum ſumpſit.

3. (*Opus meum*) Per hoc, inquit, probatur, quia Apoſtolus & magiſter veſter ſum, quia vos Diſcipuli mei eſtis in fide Chriſti.

(*Mea defenſio*) Quidam dicebant eum non eſſe Apoſtolum; eo quod Dominum non vidiſſet, & nullam gentem ad Dominum conuertiſſet. Aduerſus calumniam eorum, hanc defenſionem opponebat, dicens ſe & Dominum vidiſſe, & Corinthios conuertiſſe.

B

Lib. de opere Mon. c. 4. & 5.

4. AVGVST. (*Nunquid non habemus*) Oſtendit ſibi licere quod cæteris Apoſtolis. Id eſt, vt non operetur manibus ſuis; ſed ex Euangelio viuat; ſicut Dominus eis conſtituit: quod in conſequentibus apertiſſimè demonſtrauit. Ad hoc enim fideles mulieres, habentes terrenam ſubſtantiam, ibant cum eis; & miniſtrabant eis de terrena ſubſtantia ſua; vt nullius indigerent horum, quæ ad neceſſitatem huius vitæ pertinent.

Ibid. c. 5.

5. (*Non habemus poteſtatem*) In Euangelio enim ſcriptum eſt: *Et factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per ciuitatem, & caſtella, prædicans & Euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus: Maria quæ vocatur Magdalene, de qua dæmonia ſeptem eiecerat Dominus Ieſus Chriſtus: Ioanna vxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna; & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.*

6. AMBROS. (*Non habemus*) Pro accipiendi, operandi, ait, vt honeſtiùs loqueretur.

C

7. LANFR. (*An propter nos, &c.*) Oſtendit hoc dictum eſſe de prædicatoribus: aut enim de illis aut de bobus, ſed de bobus non: non eſt cura Deo de his; ergo dictum eſt de prædicatoribus.

8. AVGVST. (*Sed non vſi ſumus*) Qua poteſtate dicit ſe non viſum, niſi quam habebat in eos à Domino acceptam; vt eorum carnalia meteret, ad victum huius vitæ, quæ in carne agitur.

9. LANFR. (*Ne quod offendiculum*) Id eſt, impedimentum. Fortaſſe enim Euangelium Chriſti, minus libenter, ſi ab eis aliquid acciperet.

10. (*Cum altari participantur*) Pars enim ſuper altare comburebatur; & pars miniſtris altaris in cibos ſeruabatur.

Lib. 2. de ſerm. Domini, in mõ c. cap. 16. al. * in iſtis, al. * illa.

11. AVGVST. (*Bonum eſt enim mihi*) Hoc dixit, quia iam ſtatuerat propter quoſdam occaſionem quærentes, manibus ſuis victum tranſigere. *Si enim Euangelizauero*, inquit, *non eſt mihi gloria.* Id eſt, ſi Euangelizauero * ita vt fiant in me; id eſt, ſi propterea Euangelizauero, vt * ad illam perueniam; & finem Euangelij in cibo, & potu, & veſtitu collocauero.

D

Sed quare non eſt ei gloria? Neceſſitas enim incumbit: id eſt, vt ideo Euangelizent, quia vnde viuam non habeo: aut vt adquiram temporalem fructum, de prædicatione æternorum. Si enim iam neceſſitas erit in Euangelio, non voluntas. *Væ enim*, inquit, *mihi, ſi non Euangelizauero.* Sed quomodo Euangelizare debet? ſcilicet vt in ipſo Euangelio, in regno Dei ponat mercedem. Ita enim poteſt, non coactus Euangelizare, ſed volens. *Si enim volens*, inquit, *hoc facio, mercedem habeo. Si autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt.* Id eſt, ſi coactus inopia earum rerum, quæ temporali vitæ ſunt neceſſariæ, prædico Euangelium, alij per me habebunt mercedem Euangelij; qui Euangelium, me prædicante, diligent.

12. LANFR. (*Bonum eſt enim mihi*) Ratio cur nolit ſtipendia dari ſibi. Peteret enim gratia ſua, quæ ex gratuita prædicatione procedit; quæ cum remunerata conuenire non poſſet.

E

XIII. (*Non eſt mihi gloria*) Gloria hæc à voluntate procedit, longe igitur à neceſſitate.

13. (*Quam vt gloriam meam, &c.*) Non ideo, inquit, Euangelizaui vt quid a vobis accipere velim. Nam ſi propter hoc Euangelizauero, non mihi gloria, id eſt, moriar æternaliter. Nam malum eſt mori temporaliter; ſed minus malum quam æternaliter mori: & hoc eſt quod dicit æquipollenter, Bonum eſt enim mihi magis mori.

14. (*Væ enim mihi eſt*) Exponit de qua neceſſitate dicat. Eſt enim alia neceſſitas, quæ in rerum immutabilitate conſiſtit.

15. (*Væ enim mihi eſt ſi, &c.*) Non eſt inquit mihi gloria, ſi propter ſumptum prædicem: quia propter neceſſitatem vitandam hoc facio, nam propter væ, id eſt, famis periculum vitandum. Probat vero in libro, quia ſi prædicet, famis periculum vitabit: væ enim, id eſt, famis periculum incurret, ſi non Euangelizauerit.

F

16. (*Cum liber eſſem*) Quaſi diceret. Qui maius fecit, id quod minus eſt, negligere non debeo. Maius enim ſeruum ſe omnibus facere, quam ſumptum ab auditoribus non accipere. Liberum autem ſe fuiſſe dicit ex omnibus; quia ſub nullius iugo, nulli quidquam debebat.

17. AVGVST. (*Et factus ſum Iudæus*) Id eſt, vt eo modo ſubueniret, & carnali Iudæo, vel Pagano; quomodo ſibi, ſi hoc eſſet, ſubueniri voluiſſet. Portans vtique eorum infirmitatem in compaſſionis ſimilitudine, non fallens in mendacij fictione. Lib. de opere Mon. cap. 11.

18. AMBROS. (*Et factus ſum Iudæus*) Quia propter ſcandalum illorum circumcidit Timotheum. & purificatus aſcendit templum, & conſentit legem & Prophetas eſſe à Deo, & de illis oſtendit Chriſtum hunc eſſe qui promiſſus eſt, vt aſſenſus eius haberet effectum.

19. (*Iis qui ſub lege*) Hi Samaritani noſcuntur. Legem enim ſolam accipiunt, id eſt, libros Moyſi, & ſunt ex ſanguine Perſarum, quos Rex Aſſyriorum, ſublatis filiis Iſraël, in captiuitatem poſuit, ad incolenda loca Samariæ.

G

20. (*Iis qui ſine lege*) Aſſerit enim illis, id eſt, Gentibus, iuxta Phyſicam rationem, mundum factum à Deo; & ab ipſo nos originem habere. Ita enim ait in Actibus Apoſtolorum: *Sic quidam ex vobis dixerunt, ipſius & genus ſumus.*

21. (*Factus ſum infirmus*) Id eſt, factus ſum infirmus propter infirmos; dum propter fratres à licitis abſtinet, ne illis ſcandalum generet.

22. AVGVST. (*Factus ſum infirmus*) Eo ipſo factus infirmos, quo poteſtate ſua vti voluit; tam miſericordi ſcilicet affectu inductus, vt cogitaret quemadmodum ſecum agi vellet; ſi & ipſe ita infirmaretur; vt poſſet de illis per quos ſibi Euangelium prædicaretur, ſi eos videret ſumptus accipere, quaſi mercimoniorum nundinas ſuſpicari.

H

23. LANFR. (*Neſcitis quod hi*) Monet eos non ita currere debere; ſicut qui in ſtadio currunt. Omnes enim currunt, ſed vnus accipit brauium. Fideles autem ſi benè cucurrerint, omnes coronabuntur.

24. (*Qui in ſtadio currunt*) Ego, inquit, factus omnia omnibus, ſic curro prædicando, vt comprehendam brauium Euangelij, & vos ſic currite vt comprehendatis, ſcitis enim quia omnes qui ita currunt, accipiunt.

25. (*Sed caſtigo corpus meum*) Exemplum ponit ne Chriſtiani propter ſolam fidem, niſi bene operentur, & à peccatis abſtineant, ſaluos ſe fore confidant.

CAPVT

A E

CAPVT DECIMVM.

1. NOlo enim vos ignorare fratres, 2. quoniam Patres nostri 3. omnes sub nube fue-
runt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse, *in Ducatu Moysi* baptizati
sunt in nube, & in mari: 4. & omnes eandem v. escam, *idem illorum cibus, qui noster,*
non specie, sed significatione Manna, spiritalem, *aliquid significantem*, manducavernnt, &
omnes eumdem potum spiritalem biberunt: 5. (bibebant autem, *de aqua qua profluens de*
petra consequebatur eos, de spiritali, 6. consequente, *comitante*, eos petrâ: Petra autem
erat Christus, *significans Christum*) 7. sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo:
nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus con-
cnpiscentes malorum, sicut & illi concupierunt. *Sicut enim illi periremus.* Neque idolo-
latræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: *in Exodo.* 32. Se-
dit populos manducare & bibere, & surrexerunt ludere, *coram idolo scilicet.* Neque for- F
B nicemur, *discedendo à cultu divino*, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, *cum filiabus Moa-*
bitarum, & ceciderunt nna die viginti tria millia, *& nos similiter.* Neque tentemus Chri-
stum; (*etenim periremus ut illi*) sicut quidam eorum tentaverunt, *Dicentes: nunquid &*
panem poterit dare; aut parare mensam populo suo? & à serpentibus perierunt. Neque
murmuraveritis, sicut quidam eorum, *propter aquam*, mnrmuraverunt, & perierunt ab
Angelo exterminatore. Hæc autem omnia *ideò dixi quia* in figura contingebant illis: scri-
pta sunt autem, *ergo*, ad correptionem nostram, in qnos fines sæculorum (*ultima atas,*
vel Christus) devenerunt. Itaque qni se existimat stare, (*quia illi peccantes ceciderunt, &*
nos licet baptizati) videat ne cadat. 8. 9. Tentatio vos non apprehendat, *ne ut illi perea-*
tis, nisi humana, *de cibo, potu, caterisque talibus:* 10. fidelis autem Deus est, qui non
patietur vos tentari supra id quod potestis *sustinere:* sed faciet etiam cum tentatione 11.
proventum, *subsidium*, ut possitis sustinere. 12. Propter quod, *quia ceciderunt ex ipsis vi* G
ginti tria millia, charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura: Vt prudentibus loquor *se-*
quentia, vos ipsi iudicate quod dico. 13. Calix benedictionis, cui *nos sacerdotes* benedici-
mns, nonne communicatio Sanguinis Christi est, *facit nos communicantes sanguini Christi?*
Et panis, quem frangimns, nonne participatio Corporis Domini est? 14. Quoniam *ut*
C nnus panis, *est ex multis*, unum corpus mnlti sumus, omnes qui de nno pane participa-
mns. 15. Videte Israël secundùm carnem: *alia similitudine probat comedentes idolothytum*
fieri participes dæmoniorum: nonne qui edunt hostias, 16. participes sunt altaris? Qnid er-
go? *per hoc quod dico tales fieri participes dæmoniorum.* Dico qnod idolis immolatnm sit ali-
quid? aut quod idolum sit aliquid? *non.* Sed *dico* quæ immolant Gentes, dæmoniis immo-
lant, & non Deo. Nolo antem vos socios, *comedendo idolothyta*, fieri dæmoniorum:
Causa cur idolothyta comedere non debeant: non potestis calicem Domini bibere, & calicem
dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. 17.
An æmulamnr Dominum? Numquid fortiores illo sumns? Omnia mihi licent, *potestate*
liberi arbitrij, sed non omnia expediunt, *prosunt.* Omnia mihi licent, sed non omnia
ædificant, *prosunt aliis.* Nemo quod suum est quærat, sed quod alterins. *Debemus autem*
quærere non solùm nostra, sed etiam fratrum commoda. Omne, (*quia superiùs dixerat licere*
idolothytum comedere: nunc verò probavit non debere. Determinat quid comedi debeat, quid non) H
quod in macello vænit, manducate, 18. nihil interrogantes propter conscientiam, (*an sit*
idolothytum an non; ut qui postea viderint vos comedentes, illud vos pro sancto habere non æsti-
ment) *Domini, inquit, omne quod in macello vanit: terra enim, & omnis plenitudo eius, sua*
est, ut ait Psalmista. 19. Domini est terra, & plenitudo eius. Si quis *ad cœnam* vocat vos
D infidelium, *non credentium*, & vultis ire: omne, quod vobis apponitur manducate, nihil
interrogantes (*si enim interrogares, & posteà sciens comederes, blasphemiam inspicientium in-*
curreres) propter conscientiam, *prabentis cœnam.* Si quis autem dixerit, hoc immola-
tum est idolis: nolite manducare, propter illum, qui indicavit, & propter conscien-
tiam: conscientiam antem dico non tuam, sed alterins, *hac inspicientis.* 20. 21. Vt quid
enim (*licet, inquit, tua libertati idolothytum comedere; non tamen pati alios te propter hoc ar-*
guere) libertas mea iudicatnr ab aliena conscientia? Si ego 22. 23. cum gratia participo,
quid blasphemor pro eo quod gratias ago? Sive ergo manducatis, (*quia cum blasphemia co-*
medere non debetis) sive bibitis, sive aliud quid facitis: 24. omnia in gloriam, *ad laudem,*
Dei facite, *facere debetis.* 25. Sine offensione, *id est, placentes*, estote *debetis esse* Iudæis,
26. & Gentibus, 27. & Ecclesiis Dei: sicut & ego per omnia omnibus placeo, nnn quæ-
rens quod mihi *tantùm* utile est, sed quod *est utile* multis, ut salui fiant.

A

COMMENTARIVS.

1. LANFRANC. [*Nolo enim vos, &c.*] Obiectio. Nullos baptizatus reprobabitur : quod probat per patres in Mari Robro baptizatos conformatione, qui, quia bene non operati sunt, in deserto perierunt.

2. [*Quoniam patres, &c.*] Exemplum hoc ponit, ne Christiani propter solam fidem, baptismum, & cætera Sacramenta, nisi benè operentur, etsi à peccatis abstineant, salvos se esse confidant.

(Lib. 12. contra Faustum cap. 29.) 3. AVGVST. [*Omnes sub nube*] Columna, quia rectus & firmus, & fulciens infirmitatem nostram. Per noctem lucens; per diem non lucens, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Rubet & mare rubrum. Baptismus utique sanguine Christi consecratus, hostes à tergo sequentes, moriuntur peccata præterita. Ducitur populus per desertum. Baptizati nondum omnes perfruentes patriâ promissa. Sed quod non vident sperando, & per patientiam expectando, tamquam in deserto sint.

B

4. LANFR. [*Omnes eamdem escam*] Id est, qualem rectores; talem & qui regebantur, videlicet manna.

v. [*Escam spiritalem*) Id est, spiritualem intelligentiam habentem, scilicet Corporis Christi.

(Qu. super vetus Test. super Num. lib. 4. qu. 35. tom. 4.) 5. AVGVST. [*Bibebant autem*] Significata est ergo, de Christo profluens gratia spiritualis, qua interior sitis irrigaretur. Sed quod virgâ * percutitur, crux Christi figuratur. Ligno enim accedente ad petram, gratia ista manavit. Et quod bis percutitur, evidentiùs significat crucem. Duo quippe ligna sunt crux. (adde. * petra.)

6. LANFR. (*Consequente eos*] Non reverà petra sequebatur caetcitom : sed aqua fluens de petra. Spiritualem autem eam vocat, quia spiritualem intelligentiam in se continebat Christum.

7. (*Sed non in pluribus*) Quasi diceret, Sacramenta erant eadem; sed vita diversa, atque ideo alij placuere, & alij non.

C

(Lib. 2. de Baptismo contra Donat. c. 5. tom. 7.) 8. AVGVST. (*Tentatio vos*) Homines enim sumus. Vnde aliud sapere, quam se res habet, humana tentatio est. Nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo melioribus, usque ad * præcipiendæ communionis, vel condendi Schismatis vel hæresis sacrilegium pervenire; diabolica præsumptio est. (al. * præcidendæ.)

9. LANFR. (*Tentatio vos*) Humana tentatio est, de cibo, de potu, de somno, & cæteris, quibus humana infirmitas carere non potest.

10. (*Fidelis autem*) Id est, faciet quod promisit. Promisit enim in multis scripturarum suarum locis, se fideles suos non deserturum.

11. (*Proventum*) Id est, cum tentatio venerit, faciet etiam provenire.

12. (*Propter quod Carissimi*) Id est, quia sola Sacramenta illos salvare non poterant. Et qui stat, videre debet ne cadat.

D

13. (*Calix benedictionis*) Summa totius sententiæ hæc est : quia Corpus Domini comedens, & sanguinem eius bibens, idolis immolata contingere & comedere non debet : nam idolorum particeps fieret : quod probat : Qui enim bibit calicem Domini, & comedit panem, id est, corpus eius, particeps est ipsius.

14. (*Quoniam unus panis*) Exponit modum & causam, quo & qua calix benedictionis, & panis qui frangitur, fiant accipienti caro & sanguis Christi. Per unitatem enim panis, & unitatem corporis, charitatem oportet intelligi : quæ si desit, iudicium sibi sumunt, qui sumunt. Typicè, dum unus panis, & unum corpus, Ecclesia dicitur Christi, pro te videlicet; quia sicut unus panis ex multis granis, & unum corpus membris componitur; sic Ecclesia Christi ex multis fidelibus, charitate connectente.

E

15. (*Videte Israel secundum carnem*) Similitudo est, ad intelligendum quod superius dictum est, *Carnem*, id est, carnalis legis præcepta servantem.

16. (*Participes sunt altaris*) Sic qui edunt carnem Christi, & sanguinem eius bibunt, participes eius sunt.

17. (*An æmulamur Dominum?*) Ad iracundiam provocamus, idolothyta comedentes : quod non decet, quia ipse nos puniret. Est enim nobis fortior; & nos non sumus fortiores, nec æquales.

F

18. (*Nihil interrogantes*] Quasi aliquis diceret. Si interrogaveritis, & vobis responsum fuerit, quod idolis sit immolatum, conscientia auditoris roborabitur ad credendum, quod aliquid sit idolum.

19. [*Domini est terra*] Causam reddit, cur dixerit superius, *omne quod in macellum venit, manduca.*

20. AMBROS. [*Vt quid enim libertas?*] Hoc dicit, quia cum ab idoli devotione, conscientia sit libera, quid opus est, ut putetur, quia venerationis causâ edat idolis immolata?

21. LANFRANCVS. [*Vt quid enim libertas*] Libertas Christianorum est; omnibus cibis cum gratiarum actione posse uti. Sed hæc libertas ab aliena conscientia iudicatura, reprehensibilis, & damnanda ostenditur; quando occasione ipsius libertatis, aliquid facimus, unde videntes nos, aliquid impium & sacrilegum, de nobis suspicari coguntur.

G

22. [*Si ego cum gratia*] Quasi diceret. Et si libertate Christianæ religionis, cum gratiarum actione participare possum etiam idolis immolata; sciens idolum nihil esse, & bonis creaturis Dei nihil mali ex illa immolatione accedere : & illis tantum esse peccatum, qui pro reverentia ipsius idoli comedunt idolo immolatum. Stultum enim est, pro ipsa gratiarum actione cadere in blasphemiam, & vituperationem imperitorum hominum putantium me idolum aliquid magnum existimare: quoniam me vident immolatitium cum gratiarum actione comedere.

23. AMBROS. [*Si ego cum gratia*] Si ego gratiæ Dei communico, quia in ipsius nomine edo; quid opus est hæc arbitrari aliquem, quia ego idolo devotus sim, dum non horreo quæ oblata sunt idolo?

24. [*Omnia in gloria Dei*] In gloria Dei aliquid fit, cum in actibus & conversatione Christiani, Deus laudatur.

25. [*Sine offensione*] Offensio Iudæis fit, cum idola, quæ illi abominantur, Christianos, qui legem & Prophetas accipiunt, vident non horrere.

H

26. [*Et Gentibus*] Græcis vero, id est, Gentilibus, hæc est offensio, si in eo in quo sunt, non solum non arguantur, sed & promptiores fiant, dum non vitant vota idolorum.

27. [*Ecclesiis Dei*] Ecclesiæ Dei fit offendiculum, quando quosdam ex numero suo videt his, quæ inimica sunt Deo, adhærere.

CAPVT VNDECIMVM.

ERgo quia quod vobis & multis utile est quæro, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi: 1. Laudo autem vos, fratres, (*ironia vel seriò ex parte*) quòd per omnia mei memores estis : & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Volo autem vos scire quod omnis viri 2. caput Christus est : caput autem mulieris, vir : caput verò Christi Deus. 3. 4. Omnis vir orans aut *futura* prophetans velato capite, 5. deturpat caput suum. Omnis

autem

A autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat suum: Vnum enim est, E
orare non velato capite, ac si decalveretur, (*ab anteriori, parte capillos ab invicem separat,*
cum caput non velatum habet.) Nam si non velatur mulier, tondeatur, *aut, inquit, velari*
debet aut tonderi; non autem hoc, illud igitur. Si verò turpe est mulieri tonderi, aut de-
calvari, velut caput. Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam 6. 7. imago &
gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. *Removet*, Non enim vir, *id est, Adam*, ex
muliere, *id est, Eva* est, sed mulier ex viro. (*à toto*,) *alia ratio quomodo mulier gloria est*
viri. Etenim non est creatus vir propter mulierem, (*removet*,) sed 8. mulier propter vi-
rum. Ideò debet mulier potestatem habere supra caput *suum*. 10. Propter Angelos, *præ-*
dicatores, vel Angelorum præsentiam. 11. Verumtamen neque vir sine muliere, neque mu-
lier sine viro, in Domino, *id est, in Domini operatione.* Nam sicut mulier de viro, ita &
hodie vir per mulierem: 12. omnia autem, *& vir, & mulier* ex Deo. Vos ipsi iudicate:
decet mulierem non velatam *capite* orare Deum? Nec ipsa natura, *naturalis ratio*, docet
vos *eam orare non velata*, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier ve-
rò si comam nutriat, gloria est illi; (*causa*) quoniam capilli pro velamine ei dati sunt? Si
quis autem videtur contentiosus esse: (*contra hæc, vel alia mea dicta dicemus; scilicet nos*
non habemus consuetum mulieres non velare caput) nos talem consuetudinem non habemus, F
B neque Ecclesia Dei. 13. Hoc autem præcipio; (*ut nemo sit contentiosus, vel ut nulli velent*
capita) non laudans quod non in melius, *id est, bonum*, sed in deterius, *id est, malum* conveni-
tis, *ad commemorationem Dominicæ cœnæ.* Primùm *enim dico quia* quidem convenientibus vo-
bis in Ecclesiam, audio scissuras inter vos, (*Pauli enim per se, Petri per se Discipuli cœnabant*
dedignantes alterutrum) esse & ex parte credo *esse scissuras.* Nam *Scriptura dicit* oportet &
hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. 14. 15. Convenientibus er-
go vobis in unum, iam non est Dominicam cœnam manducare, *non est enim communis, ut*
Dominica cœna fuit: 17. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit, *anticipat non expectans*
alios, ad manducandum. Et alius quidem *pauper* esurit, alius autem *dives* ebrius est. Nun-
quid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis,
(*satiùs enim esset domi comedere, quàm in Ecclesia ante horam cœnæ*) & confunditis eos, *vere-*
cundiam facitis eis qui non habent? Quid dicam vobis? 18. Laudo vos? In hoc non laudo;
quia non observatis ea quæ accepi à Domino de commendatione cœnæ. Ego enim accepi à Domi-
no quod & tradidi vobis: *scilicet ut cœna æqualiter distribueretur inter vos:* quoniam Domi-
nus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit. Ac-
cipite & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite, *id est,* G
hoc corpus consecratione facite in meam commemorationem, Similiter & calicem, postquam
cœnavit, dicens: 19. Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine: hoc faci-
te, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. *Exponit in quam Christi comme-*
C *morationem.* 20. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis
21. mortem Domini *iam factam* annuntiabitis, 22. donec veniat *Dominus ad iudicium.*
23. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè:
24. reus erit Corporis, & Sanguinis Domini. Probet autem, *probum faciat* seipsum ho-
mo: & sic *probatus* de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit in-
dignè, iudicium *damnationem* sibi manducat & bibit 25. non diiudicans corpus Domini,
non discernens corpus Domini à cæteris cibis veneratione singulari. Ideò, *quia indignè sumitur,*
inter vos multi infirmi, & imbecilles *sunt*, & dormiunt *moriuntur* multi. 26. Quòd si
nosmetipsos diiudicaremus, *intelligeremus, & pœniteremus*, non utique diiudicaremur,
damnaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, *punimur in hoc sæculo*, ut
non cum hoc mundo damnemur. Itaque fratres mei, *quoniam malum est unumquemque præ-*
sumere cœnam, cùm convenitis ad manducandum, invicem expectate. Si quis esurit, do-
mi manducet: ut non in iudicium conveniatis. Cætera autem, cùm venero, dispo-
nam. H

D
COMMENTARIVS.

1. AMBROS. (*Laudo vos*) Non hoc confirmat, sed succenset eis; quia cum esset Apostolus eorum, immemores erant traditionum eius.
2. (*Caput vero Christi*) Aliter caput viri Christus est, & aliter vir mulieris, & aliter Deus Christi. Deus Christi, quia ab ipso genitus est. Mulieris vir, quia ex eius costa, Dei virtute formata est. Christus viri, quia per ipsum creatus est.
3. [*Omnis vir orans*] Orare dicit deprecari: Prophetare, adventum Domini fore, voce Symboli post orationem effari.
4. LANFR. [*Omnis vir orans, &c.*] Transit ad hoc removendum quod apud Corinthios viri velato, & mulieres orabant in Ecclesia capite non velato: tamquam mulieres viris non debeant subdi. Quia illæ subdi debent, & viri non velato, & mulieres debent orare velato capite.
5. (*Deturpat caput suum*) Mulier, inquit, debet orare velato capite; aliter enim deturpat suum; par enim facit ac si decalvetur.
6. AVGVST. (*Imago & gloria est Dei*) Credo illud esse in natura humanæ mentis, mulierem cum viro suo, imaginem Dei esse, * imago sit tota illa substantia. Cum autem ad adiutorium distribuitur, quod ad eam solam attinet, non est imago Dei. Quod autem ad virum solum attinet, imago Dei est, tam plena atque integra, * ut in unum coniuncta muliere.

Lib. 12. de Trin. cap. 7. ad. * ut una.

al. * quæ.

A 7. LANFR. [*Imago Dei, &c.*] Vir principaliter ad imaginem Dei creatus est. Mulier è costa viri postea formata est; atque vir discoopertum caput debet habere.

8. [*Mulier.*] Est & mulier gloria Dei, à quo & ad quem glorificandum creata est, sed & secundo loco, principaliter enim vir.

9. AMBROS. [*Mulier potestatem habere, &c.*] Mulier in Ecclesia, propter reverentiam Episcopalem, non habeat caput liberum, sed velamine tectum: nec habeat potestatem loquendi, quia Episcopos personam Christi habet. Quasi ergo ante iudicem, sic ergo ante Episcopum, qui est vicarius Dei, propter reatus originem, subiecta debet videri.

10. LANFR. [*Propter Angelos.*] Angelos vocat prædicatores, qui in altiori loco consistebant, cum prædicarent: propter hos dicit mulieres velare caput suum, quia sparsis crinibus, facilius aspicientes, ad luxuriam irritarent.

B 11. [*Verumtamen.*] Quamvis primus homo non sit ex muliere, sed mulier ex ipso: in subsequenti tamen procreatione, non est hoc. Omnis enim vir postea procreatus est ex muliere, & mulier ex viro. In Domino autem procreari, id est, in creatione Domini in qua alter sine altero non creatur.

12. AMBROS. [*Omnia autem ex Deo.*] Vt neque mulier, subiectionis suæ causa contristaretur, neque vir exaltatus superbiret.

Lib. de opere Mon. c. 31. to. 3.

13. AVGVST. [*Hoc autem præcipio.*] Hoc autem præcipio, ut scilicet non differentis solertia requiratur, sed præcipientis auctoritas attendatur.

14. AMBROS. [*Convenientibus vobis.*] Hos notat, qui sic in Ecclesiam conveniebant, ut munera sua offerentes advenientibus Presbyteris, totum sibi, qui obtulerat, vindicaret. Dissensiones enim inter eos Pseudo-Apostoli seminaverant, ita ut oblationes suas zelarentur, cum una eadémque prece omnium benedicerentur, ut qui (ut assolet fieri) non obtulerant, aut unde offerrent non habebant, pudore correcti confunderentur, non sumentes partem.

C 15. LANFR. [*Convenientibus.*] Consuetudinem antea habebant certis temporibus ad Ecclesiam convenire; & prout cuique facultas erat, cibum & potum illuc deferre, & simul omnes, & pauperes & divites participare, & hoc vocabant Dominicam cœnam, quia in memoriam Dominicæ cœnæ, hoc fiebat. Verum hæc consuetudo depravata erat: divites enim suas cœnas anticipantes, comedebant. Pauperes vero parum habentes in conspectu eorum comedere erubescebant. Hoc redarguit Apostolus; & dicit melius esse illis, si apud domos suas manducent & bibant, quam in contemptum Ecclesiæ, & confusionem pauperum conveniant.

E

Epist. 118 ad Ianuar. c. 5. to. 2. Ibid. c. 6.

16. AVGVST. [*Dominicam cœnam.*] Ipsam acceptionem Eucharistiæ Dominicam cœnam vocat.

17. [*Vnusquisque.*] Neque enim quis post cibos Dominus dedit; propterea pransi aut cœnati fratres, ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent: aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit, * & commendat mensis suis ista miscere.

al. * emendat.

18. LANFR. [*Laudo vos.*] Non laudo vos in hoc quod non communiter sumitis: Nam rei estis corporis & sanguinis Domini, ea enim indignè sumitis. Si ipse panis & calix quem sumitis, est sanguis & corpus Christi, tunc indignè sumitis corpus & sanguinem Christi, atqui illud est: Nam Dominus dixit quando tradebatur, Ego enim accepi à Domino, & acceptum tradidi vobis.

F 19. [*Hic calix novum, &c.*] Ordo: Hic calix novo sanguine, est novum Testamentum: Id est, per meum sanguinem confirmatur novum Testamentum, quia testamentum in mortuis confirmatur. Vel per hunc habetis novam promissionem, id est, plenam remissionem peccatorum.

20. [*Quotiescumque.*] Exponit inquam Domini commemorationem, mortis videlicet.

21. [*Mortem Domini annuntiabitis.*] In Sacramento corporis Christi, mors eius annuntiatur; quia in memoriam mortis eius, quotidie à fidelibus celebratur.

22. [*Donec veniat.*] Ad iudicium veniat: ideo dicit, quia sacrificium hoc non mutabitur usque in finem sæculi, sicut Sacramenta Iudæorum mutata sunt.

23. [*Itaque quicumque.*] Hoc ex superiùs dictis Redemptoris verbis colligitur: *Hoc est corpus meum.* Et, *in meo sanguine.*

24. AMBROS. [*Reus erit corporis.*] Quid est reos esse, nisi pœnas mortis dare Domini?

25. LANFR. [*Non diiudicans corpus Domini.*] Id est, non intelligentes corpus Domini in damnationem sumi ab indignis.

G 26. AMBROS. [*Quod si nosmetipsos.*] Hoc dicit: quia si nosmetipsi errores nostros corrigeremus, non à Domino iudicaremur: & quia corripimur, tamen pro nobis est, ut timore ipso emendemur.

27. LANFR. [*Si quis esurit.*] Si quis, inquit, statutum, cogente fame, comedendi terminum, non potest expectare, domi suæ potius manducet, per horam * cœnandi accipiet.

De esse videtur * tempus.

CAPVT DVODECIMVM.

1. DE spiritualibus autem, *quæ superiùs dixi, vel potius quæ in sequenti dicam*, nolo vos ignorare fratres. Scitis quoniam cum Gentes essetis, *Gentiliter viventes essetis*, ad simulachra muta prout ducebamini, *ut placuit Sacerdotibus*, euntes *eratis, vel ibatis*. 2. Ideò, *quia Gentilitati obedistis*, notum vobis facio, (*quasi diceret: quia in Gentilitate etiam ad malum obedientes fuistis, credo quod in fide Christi ad bona magis obedientes eritis*) quod nemo in Spiritu, *per Spiritum* Dei loquens, dicit anathema Iesu, *Christum separatum à Patre, anathema Iesu dicere est, vel Deum non esse, vel ex Deo non esse ipsum putare*, 3. 4. Et nemo potest dicere, (*& credere*) Dominus Iesus, *Dominum Iesum esse*, nisi in Spiritu Sancto, *nisi per Spiritum sanctum.* H Divisiones verò gratiarum sunt, idem autem Spiritus, *diversa quidem sunt Spiritus sancti dona, sed spiritus idem. Monstrat in partibus, quoniam diversa quidem sunt chrismata, spiritus idem* D Et 5. divisiones *diversa opera*, ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem verò Deus, *Pater*, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur, *& tamen unicuique datur*, manifestatio, *manifesta gratia* spiritus, ad utilitatem *suam vel proximorum.* Alij quidem per *eumdem* spiritum datur 6. sermo sapientiæ *de divinis*; alij autem sermo scientiæ, *de humilitate Christi* secundùm eumdem spiritum: alteri fides, *ut sine hæsitatione confidat fieri quod precatur*, in eodem spiritu: alij gratia sanitatum, *curatio infirmorum* in unu spiritu: alij operatio virtutum, *ressuscitatio mortuorum*: alij Prophetia, 7. alij discretio spirituum, *ut sciat discernere quæ cogitationes à Deo, quæ mittantur à Diabolo*: alij gene-

A E

ra linguarum, 8. alij iuterpretatio sermonum. 1x. Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult, *hoc huic, illud illi, alij plus, alij minus.* 9. Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, 10. omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus, *id est, caput, & corpus, quæ est Ecclesia: Nos, inquit, membra Ecclesiæ unum sumus.* Etenim in uno spiritu omnes nos *ut simus* in unum corpus baptizati sumus, sive Iudæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi: & omnes in nno spiritu potati sumus. Nam & corpus non est unum membrum, sed multa. *Licet, inquit, simus unum corpus: non tamen omnes unum membrum; sicut est in corpore.* 11. Si dixerit pes; quoniam non sum manus, non sum de corpure: num ideò non est de corpore? *Etsi quidam in Ecclesia non sint prædicatores, non ideò non sunt de Ecclesia; sicut pes licet non sit manus, non ideò non est de corpore.* Et si dixerit auris: quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideò non est de corpore? Si 12. 13. totum corpus oculus; ubi auditus? Si totum auditus; ubi odoratus? *à simili.* Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, sicut voluit. 14. Quòd si essent omnia unum membrum, ubi corpus? *Ergo non sunt omnia corporis unum membrum, sed multa, ut suum sistat corpus; sin essent omnia unum membrum, non subsisteret corpus.*

B F

Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus, *humanum corpus dicit quod nequit esse, nisi multis membris constet.* Non potest autem (*per simile ostendit Ecclesiæ membra invicem esse necessaria, * ut non sint differentia*) 15. oculus dicere manui: opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus: non estis mihi necessarij. Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora, *viliora* esse, necessariora sunt: 16. & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, (*pudendas partes corporis dicit*) his honorem abundantiorem, *honore vestium*, circundamus 17. & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem *vestimentorum* habent. 18. Honesta autem nostra, *ut oculi, nares, aures*, nullius *honoris vestimentorum* egent: sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat abundantiorem tribuendo *vestimentorum* honorem, ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. 19. Vos autem estis corpus Christi, & 20. membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, 21. secundò Prophetas, 22. tertiò Doctores, *Episcopos*, deinde virtutes, *eos qui miracula faciunt*, exinde gratias curationum, *eos qui infirmos curant*, opitulationes, *quæ in diversis artibus, officiis, industriis considerantur.*

ut lices fint.

C G

23. Gubernationes, *minorum personarum Prælationes*, genera linguarum, *variis linguis loquentes* interpretationes sermonum. Numquid omnes Apostoli? *quosdam, inquit, posuit Apostolos, nam eum aliquot, non omnes posuit Apostolos, sic de reliquis.* Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores? Numquid omnes virtutes? Numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes interpretantur? 24. Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem (*quæ superiùs dixerim*) viam *ad beatitudinem* vobis demonstrabo.

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*De spiritualibus autem*) Carnalia, inquit, vobis innotui, id est, idolothyta non comedere, mulieres intectis capitibus non orare. Spiritualia quoque volo vobis intimare, quibus vos modo Christiani facti obedietis; quia cum Gentiliter viveretis, ad Sacerdotum nutus simulachris obedienter serviebatis: quod scitis.

2. (*Ideo notum vobis*) Quasi diceret, quia in Gentilitate etiam ad malum audientes fuistis; credo quod in fide Christi ad bona magis audientes sitis.

D

Expos. in Evang. Ioan. tract 74. tom. 9. adde * eum.

3. AVGVST. (*Nemo potest dicere*) Apostolica vox est. *Nemo dicit Dominus Iesus: nisi in Spiritu sancto.* Et quis Dominum Iesum, nisi qui * diligit, dicit: Si eo modo dicit, quo intelligi Apostolus voluit Multi enim voce dicunt, corde autem & factis negant.

4. AMBR. (*Nemo potest dicere*) Ne hominum favorem existimarent in regula Christiana; & propter hoc argui se minimè paterentur, sicut in simulachris ostendit nullum beneficium esse humanum in eo, cum dicitur Dominus Iesus; sed magis donum Dei, qui dignatus est mysterium suum hominibus declarare.

5. (*Divisiones ministrationum*) Non est divisa gratia per personas Patris, & Filii, & Spiritus sancti: sed indiscreta unitatis natura, & trium unum opus intelligitur.

Lib. 12. de Trin. c. 14. n. 1.

6. AVGVST. (*Sermo sapientiæ*) Invenio scriptum esse in Libro Iob, eodem sancto loquente: *Ecce pietas est sapientia: abstinere autem à malis scientia est.* In hac differentia intelligendum est ad contemplationem sapientiam; ad actionem scientiam, pertinere. Pietatem quippe hoc loco, posuit cultum Dei: quæ græcè dicitur Theosebia. Nam hoc verbum habet ista sententia in codicibus Græcis.

Θεοσέβεια.

7. (*Alij discretio*) Discretio sanè difficillima, cum malignus spiritus, quasi tranquillus agit: ac sine vexatione aliqua corporis assumpto humano spiritu dicit quod potest. Quando etiam vera dicit, & utilia prædicat, transfigurans se in Angelum: sicut scriptum est, velut Angelum lucis.

Lib. 12 de Genesi ad liter. c. 13 tom. 3.

H

8. LANFR. (*Alij interpretatio sermonum*) Sermones vocat, allegoricas prolationes, seu in dictionibus, seu in orationibus, quæ in Prophetis, & Evangelijs ubi ferè reperiuntur: quas qui interpretari sciunt, per gratiam sancti Spiritus, illam scientiam habent. Possumus per sermones, mysticas etiam visiones intelligere: quales apparuere Pharaoni & Nabuchodonosor. Vnde & Ioseph dicit, *eo quod fiat sermo Dei.* Et in Daniele legitur: *Dic somnium, & interpretationem eius indicabimus.* Et Rex ait: *Sermo recessit à me.* Quas interpretari utrique divino munere collatum est. Ait enim Ioseph: *Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni.* Et Daniel: *ostendisti mihi, quæ rogavimus te; quia sermonem regis aperuisti nobis.*

A 12. AMBROS. [*Hæc autem omnia.*] Quod superius trium personarum dicit, nunc per unum Spiritum sanctum * dirigi profitetur. Vt quia unius naturæ sunt, & quod unus operatur, operentur tres.

al.* agi.

9. LANFR. [*Sicut enim corpus unum est.*] A simili ostendit quidem unum esse spiritum, & eius dona esse multiplicia: sicut unum est corpus, membra habens multa. Ponit autem Christum, id est caput, & non corpus quæ est Ecclesia, pro spiritu quo illa sibi sunt cohærentia.

Enar. in Ps. 30. conc. 2. to. 8.

16. AVGVST. [*Omnia autem membra.*] Loquens de membris Christi, hoc est fidelibus, non ait, sic & membra Christi. Sed hoc totum quod dixit, Christum appellavit. Membra multa, unum corpus Christus: ergo simul omnes nos, cum capite nostro, Christus.

11. AMBROS. [*Si dixerit pes,*] Hoc est non posse eum, qui infimus videtur inter fratres, * negare esse de corpore, quia non sum potens.

al. * negari.

B 12. [*Si totum corpus oculus.*] Id est, si omnes essent unius operis; quomodo impleretur reliqua necessitas corporis, cum constet multis officiis opus esse, ad gubernacula corporis.

13. LANFR. [*Si totum corpus oculus.*] Nec debent, inquit, omnes in Ecclesia esse prædicatores: quia non decet totum corpus esse oculus, si enim hoc esset, iam non esset ipsum corpus, quia non esset auditus & cæteræ partes corporis.

14. AMBROS. [*Quod si essent omnia unum.*] Manifestum est, quia si omnes unius fuissent dignitatis, non dicerentur membra, neque corpus: * ideo quia variis membrorum officiis corpus gubernatur.

al.* ideoque.

15. [*Oculus dicere manui.*] Hoc est, non potest potior dicere inferiori, non mihi opus es.

16. [*Et quæ putamus.*] Despectis vel humilibus exhortatio necessaria est: per quam addatur illis honor, ut fiant utiles.

C 17. [*Et quæ inhonesta sunt.*] Nam solent succincti vesticula tetrica, pede nudo incedere. Cum ergo videantur contemptibiles, magis honori sunt, quia solent vitam habere mundiorem.

18. [*Honesta autem nostra.*] Fratribus, in quibus studium peritiæ, & conversationis viget, & honestatis; nihil est quod à nobis addatur.

E 19. LANFR. [*Vos autem estis.*] Coaptat similitudines, quas superius dicit de corpore, ad hoc quod dixit: *Corpus unum est, & membra multa.* Convenit hoc quod dicit: *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Ad hoc quod dixit: *Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque sicut voluit.* Convenit quod dixit: *Et quosdam quidem posuit in Ecclesia: primum Apostolos, secundò Prophetas, sicut Agabum, & duas filias Philippi: tertiò Doctores, &c.* Ad hoc quod dixit: *Si totum corpus esset oculus, ubi auditus?* Convenit hoc quod dixit: *Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ?* Quod sectari debet charitate, uti in fine Epistolæ, *si linguis, &c.* concordet sic: *sectamini* igitur *charitatem.* Omne quod melius est, & excellentius aliis, sectari debemus: Charitas autem excellentior est aliis donis Spiritus sancti, quod est *excellentiorem viam, &c.* Ergo, &c. Deinde ea sola sufficit ad beatitudinem, alia non sine illa. Quia neque loqui linguis, neque Prophetia, neque F scientia, neque fides, neque eleemosyna, neque martyrium sufficiunt ad beatitudinem, sine charitate: charitas autem sola sufficit. Et hoc est quod dicit: *Charitas patiens est, &c.* usque ad, *numquam excidit.* Nam & scientia, & prophetia evacuabuntur: omne enim imperfectum perfecto superveniente, evacuatur: atqui prophetia, & scientia sunt imperfecta, ergo evacuabuntur. Quod autem dicit: *cum essem parvulus*, probat omne imperfectum perfecto superveniente evacuari.

20. [*Membra de membro.*] Se vocat membrum à quo, id est, à cuius prædicatione Corinthij, qui erant membra Christi, processerunt, vel Christum, qui Ecclesiæ caput est.

21. [AMBR.] *Secundò Prophetas.*] Prophetas intelligimus, futura dicentes, & scripturas revelantes.

22. [*Tertiò Doctores.*] Doctores dicit, qui litteris & lectionibus pueros imbuebant.

23. [*Gubernationes.*] Sunt & gubernatores, qui spiritualibus gubernaculis documento sunt.

G 24. LANFRANC. [*Æmulamini charismata.*] Corinthij summopere desiderabant gratiam linguarum: sed hortatur eos Apostolus, ut meliora charismata desiderent, & maximè gratiam prophetandi.

CAPVT DECIMVM-TERTIVM.

SI linguis hominum loquar, & *etiam* Angelorum (*exaggeratio*,) charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, *non proficiens mihi*, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, *de loco ad locum*, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, *non eam fælicitas aliena contristat*, non agit perperam, 1. non inflatur, *quia non eam extollit sua fælicitas*, non est
D ambitiosa, *honoris, vel alienorum*, non quærit *etiam* quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate: congaudet autem veritati, *æquitati*: omnia suffert, *sufferenda*, 2. omnia credit, *credenda*, 3. omnia sperat, *speranda*, omnia sustinet, *sustinenda*. 4. 5. Charitas nunquam excidit, *id est, cadit, quia in hoc sæculo est, & in futuro erit: fides, spes, &c. in hoc sæculo tantum*, sive 6. prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. 7. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. 8. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. *Transsumptio ad minus, quia tamen pro similis sumus.* Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi, *abieci à me*, quæ erant parvuli. Videmus nunc, (*ad id quod dixit, ex parte prophetamus*) per speculum in ænigmate: 9. tunc autem facie, *vera*, ad faciem. Nunc (*ad id quod dixit, ex parte cognoscimus*) cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum, *tunc perfectè cognoscam Deum, sicut cognitus sum à Deo.* Nunc autem, *in hac vita tantùm* manent, fides, spes, charitas, tria hæc: 10. maior autem horum, *diuturnior, nam & in futuro*, est charitas. H

A

COMMENTARIVS.

De Genes. ad lit. l. 11. c. 5. sub med. De Spir. & lit. c. 32. to. 3.

1. AVGVST. [*Non inflatur*] Id est, non privata excellentia lætatur; merito ergo non inflatur.

2. [*Omnia credit*] Ipsa charitas, quæ omnia credit, non omni spiritui credit. Ac per hoc, omnia quidem credit, sed Deo. Quia non dictum est, omnibus credit.

3. [*Omnia sperat*] Nam ideo tolerat omnia in præsenti vita: quia credit omnia de futura vita. Et suffert omnia quæ hic immittuntur: quia sperat omnia, quæ ibi promittuntur. Merito ergo numquam cadit.

1. Ioan. 4. c. 16. Expos. in 1. Epist. Ioan. tr. 9. to. 9.

4. [*Charitas nunquam*] *Deus dilectio est; & qui manet*, inquit, *in dilectione, in Deo manet, & Deus in illo* manet. Sit ubi domus Dei, esto domus Dei. Mane in Deo, & maneat in te Deus. Manet in te Deus, ut te contineat: manes in Deo, ne cadas. Quia sic de ipsa charitate Apostolus dicit: *Charitas* numquam cadit. Quomodo cadit, quem continet Deus?

B

5. LANFR. [*Charitas nunquam excidit*) Id est, cadit: quia & in hoc sæculo est, & in futuro. Erit fides, & spes in hoc sæculo tantum.

6. (*Prophetia evacuabuntur*) In die iudicij & prophetia evacuabitur, & varietas linguarum cessabit, & scientia sive mundanarum rerum, sive ad quam dispositionem pervenitur, destruetur. E

7. [*Ex parte enim*] Quasi diceret: ideo prophetia evacuabitur, & scientia destruetur; quia ex parte sunt; omne autem quod ex parte est, imperfectum est: omne autem quod imperfectum est, evacuabitur.

8. AVGVST. [*Cum venerit quod perfectum*) Cum venerit quod perfectum est; quod ex parte est, destruetur; id est, non iam ea parte, sed ex toto erit: quia fidei & spei, iam res ipsa, non quæ credatur & speretur, sed quæ videatur, teneatúrque, succedet. Charitas autem quæ * his tribus maior est, non auferatur, sed * augeatur, & impleatur, contemplata quod credebat, & quod sperabat, indepta. De perfec. iustitiæ c. 8. tom. 7. al. * in his. al. * augebitur, & implebitur.

9. LANFR. (*Tunc autem cognoscam*) Tunc cognoscam perfectè Deum, sicut cognitus sum à Deo; id est, perfectè.

10. [*Maior autem horum est charitas*] Item ostendit meliorem esse charitatem, omnibus aliis donis: nam melior est fide spe & cæteris; est enim diuturnior; unde & à præcedentibus principalem concludit quæstionem dicens: Ergo quia melior est omnibus, *sectamini charitatem*. F

CAPVT DECIMVM-QVARTVM.

ERgo Sectamini, *studete ut habeatis* charitatem, æmulamini spiritalia: *desiderate spirituales gratias Spiritus Sancti*, magis autem, *quàm ut linguis loquamini*, ut prophetetis. Qui enim loquitur lingua, *scilicet auditoribus incognita*, non hominibus loquitur, (*simplex bonum, ipse enim solus intelligit*) sed Deo: nemo enim audit, *id est, intelligit*. 1. Spiritu autem 2. loquitur mysteria; nam qui prophetat, *sibi, &* hominibus loquitur ad ædificationem, (*duplex bonum*) & exhortationem, & consolationem. Qui loquitur linguâ, *aliis incognita*, semetipsum ædificat: *si tamen intelligat:* qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat. Volo autem omnes vos loqui linguis; (*non dico, inquit, quia nolim ut linguis loquamini, sed quia malo ut prophetetis, quod dupliciter prodest*) 3. magis autem prophetare. Nam maior est, *maioris dignitatis*, qui prophetat, quam qui loquitur linguis: nisi fortè interpretetur, *quid dixerit exponat*, ut Ecclesia ædificationem accipiat. Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis *vobis incognitis* loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar, *interpretetur*, aut 4. in revelatione, aut 5. in scientia, aut 6. in prophetia, aut in doctrina? Tamen (*expletivum, vel scilicet similitudinem proferam*) quæ sine anima sunt vocem *sonum* dantia, sive tibia, (*transsumptio ad simile*) sive cythara, nisi distinctionem sonituum dederint, (*non prosunt*) quomodo scietur, id quod canitur, aut quod cytharizatur? *nullatenus, à simili.*) Etenim si incertam vocem det tuba; quis parabit se ad bellum? *non prodest, nemo enim ad bellum per eam praparatur.* Ita (*à simili*) & vos per linguam, nisi *interpretando* manifestum sermonem dederitis; quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aëra; *in vanum, loquentes.* 7. Tam multa, ut puta genera linguarum sunt in hoc mundo: & nihil, *nullum genus lingua*, sine voce, *vocis proprietate*, est. Si ergo (*à simili*) nesciero virtutem, *intelligentiam* vocis, ero ei, cui loquor, barbarus: *non prodero ei cui loquor*, & qui loquitur, mihi barbarus. Sic & vos quoniam, *quandoquidem*, æmulatores estis spirituum, *spiritualium donorum*, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut *donis spiritualibus adeptis* abundetis. Et ideò, *quia quarenda sunt dona qua prosunt*, qui loquitur linguâ, 8. oret ut interpretetur. Nam si orem, *loquar*, linguâ, spiritus meus, *vox mea*, orat, *id est, ego nulli prosum*, mens autem mea sine fructu est, *id est, sine compunctione, quia non intelligo qua linguâ loquor.* 9. Quid ergo est? *Quandoquidem non prosum loquens lingua, non interpretans, esse debet quod sequitur scilicet*, Orabo spiritu, *id est, voce*, orabo & mente: *ut interpretari sciam*, Psallam spiritu, *id est, voce*, psallam & mente, *ut interpreter.* Cæterùm si benedixeris, *benedictionem feceris*, spiritu: *id est, sola voce, non intellectu* qui, *quibus*, supplet locum idiotæ *dicendo amen in fine orationis? acmo.* Quomodo dicet, amen, super, *per*, tuam benedictionem? Quoniam, *cum*, quid dicas, nescit: nam tu quidem benè *linguâ incognitâ* gratias agis, *agendo*, sed alter non ædificatur, *alteri non prodest.* Gratias ago Deo meo: quod omnium vestrum lingua loquor, *nec ideò, inquit, dico ut vobis invideam, nam Deo gratias omnium linguis loquor.* Sed *tamen*, in Ecclesia volo, *malo*, quinque verba sensu meo loqui, *ut intelligam, interpretari valeam:* ut & alios instruam: quàm decem millia verborum in lingua *incognita.* Fratres, 10. nolite pueri effici sensibus, *magis appetendo linguis, quod parum prodest, quàm prophetare, quod multùm,*

C G D H

A ſed malitia parvuli eſtote : ſenſibus autem perfecti eſtote, *non deſiderantes genera linguarum.* E 21. In lege ſcriptum eſt : Quoniam in aliis linguis, & labiis aliis loquar populo huic: & nec ſic exaudient me, dicit Dominus. 22. Itaque linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus : prophetiæ autem, non infidelibus, ſed fidelibus, *confert prophetare, & loqui linguis ; & ex collatione vtriuſque præfert prophetiam linguis.* Si ergo *autem*, conveniat universa Eccleſia in unum, & omnes linguis *incognitis* loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles : 24. nonne dicent quod *vos linguis incognitis loquentes* inſanitis ? *Et dicent vtique.* Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, *ſi negare vult quod dicitur ab eis*, convincitur ab omnibus, diiudicatur, *id eſt, cognoſcitur vita eius per prophetiam* ab omnibus : occulta *enim* cordis eius *per Prophetiam* manifeſta fiunt, & ita cadens, *ſe humilians*, in faciem adorabit Deum, pronuntians quod verè Deus in vobis ſit. Quid ergo eſt, fratres ? *ergo, fratres, cum tanta vtilitatis ſit prophetia, deſideranda eſt. Monet eos ad fraternam ædificationem.* Cùm *in Eccleſia* convenitis, *ſi.* 25. Vnuſquiſque veſtrum (*alius hoc, alius illud*) Pſalmum *hic* habet *ille* doctrinam habet, (*per gratiam Spiritus, hæc omnia illi dabantur*) Apocalypſin, *revelationem*, habet, linguam habet, interpretationem habet : omnia ad ædificationem *proximorum* fiant. 26. 27. Sive lingua *incognita* quis loquitur, ſecundùm duos, aut ut multùm tres, *cum duobus lo-*
B *quatur, aut tribus, non omnibus*, & per partes *ſemoti*, & unus *quod alter lingua loquitur incognita*, interpretetur. 28. Si autem non fuerit interpres, taceat in Eccleſia, *coram aliis.* 29. Sibi autem loquatur & Deo. Prophetæ autem duo, aut tres dicant, (*plebs dividebatur, & vni parti vnus Propheta, & alius alij loquebatur*) & cæteri diiudicent, *audiantur.* 30. Quod ſi alij revelatum fuerit ſedenti, prior taceat. Poteſtis enim *hoc modo* omnes per ſingulos prophetare ; vt omnes *prophetare* diſcant, & omnes exhortentur, *admoneantur* : & 31. Spiritus prophetarum prophetis ſubiecti ſunt *vel ſubiectus eſt* 32. Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis : ſicut & in omnibus Eccleſiis Sanctorum doceo. *Viri quidem prophetent, vt dictum.* Mulieres *autem* in Eccleſiis taceant : non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, *viris quod non eſſet, ſi prædicarent*, ſicut & 33. lex dicit. Si quid autem volunt diſcere, domi *non in Eccleſia* viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia. 34. An à vobis verbum Dei proceſſit ? *vt propter hoc noua incatis ?* Aut in vos ſolos pervenit ? Si quis videtur Propheta eſſe, 35. aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, (*hic euidenter oſtendit, difficilia eſſe verba ſuarum epiſtolarum, ad quas exponendas, Prophetas, & ſapientes inuitat*) quia Domini ſunt mandata. 36.
C Si quis autem *hæc & alia Dei mandata* ignorat, *vel negligit*, 37. ignorabitur. Itaque fratres æmulamini prophetare, *quia duplex bonum eſt* : & loqui linguis nolite prohibere. Omnia autem honeſtè, *vt viri loquantur, mulieres taceant*, & ſecundùm ordinem, *alter priùs, alter poſteriùs, non omnes ſimul loquantur*, fiant *in vobis, vel à vobis.* G

COMMENTARIVS.

1. [*SPiritus autem loquitur.*] Id eſt, intelligit, ſicut in Evangelio : *Qui habet aures audiendi audiat.* Id eſt, intelligat. Et in Apocalypſi : *Qui habet aurem, audiat.*

2. [*Loquitur.*] In ipſa incognita lingua, Spiritus ſanctus loquebatur myſteria, id eſt, allegorica verba, quæ nemo intelligebat, niſi qui gratiam interpretandi habebat.

3. [*Magis autem prophetare.*] Magis debetis appetere prophetare, quam loqui linguis : nam loqui lingua incognita ſibi & aliis, & loqui lingua cognita ſibi tantum ; tertiam ſpeciem loqui linguis ut alios docerent, non appetebant ipſi : primo unam ſpeciem loqui lingua incognita ſibi & aliis. Duplex bonum magis eſt appetendum, quam ſimplex : prophetare autem duplex bonum eſt : loqui vero lingua incognita ſibi & aliis, ſimplex ; quod eſt, qui enim loquitur lingua, ſimplex bonum eſt, quia Deo loquitur : Deo tantum, non enim hominibus, non enim intelligitur. Qui vero prophetat, duplex bonum facit, Deo enim loquitur, & hominibus. Et de alia ſpecie, quæ eſt, qui loquitur lingua, ſibi tantum cognita, eadem ſunt argumenta. (D)

4. [*In revelatione.*] Revelatio eſt, qua per Spiritum ſanctum, in quocunque tempore, aliquid ſubito indicatur.

5. [*In ſcientia.*] Scientia eſt cognitio ſtudio & induſtria comparata.

6. [*In prophetia.*] Prophetia de futuris tantum, doctrina genus omnium.

7. [*Tam multa vt puta.*] Quaſi diceret : Non eſt mirandum, ſi per linguam datur ſermo non manifeſtus, quia videlicet multa ſunt genera, & nihil illorum eſt, quod non habeat propriam & diſtinctam à cæteris vocem.

8. [*Oret vt interpretetur.*] Id eſt, intelligat ipſam linguam, & ſic exponat. Plerumque enim Spiritus loquebatur per os hominis extranea lingua, & tamen homo non intelligebat ipſam linguam, aut in ipſa lingua myſteria prolata.

9. [*Quid ergo ?*] Eſſe debet, ſi bene. Si vox loquens incognita lingua benedicat Deum, vel cibum, vel aliquid huiuſmodi; auditor idiota, id eſt, audiens & non intelligens, neſcit quando debeat reſpondere amen, aut Deo gratias : nec eſt qui ſuppleat locum reſponſionis eius ; id eſt, qui vice illius reſpondeat, cum omnes ignorent verba loquentis. (H)

10. [*Nolite pueri.*] Id eſt, nolite puerilia deſideria habere, non conſiderantes quid utilitatis habeant ea quæ deſideratis.

11. [*In lege enim.*] Legis nomine prophetiam deſignat. Eſt autem hoc teſtimonium in Iſaïa, his verbis: *In loquela enim labij, & lingua altera loquitur ad populum.* * *Cui dixit hoc : requieſcere laſſum, & hoc eſt meum refrigerium, & noluerunt audire.* (al. * Cui dixit: hæc eſt requies mea, reficite laſſum)

12. [*Quoniam in aliis.*] Item probat prophetiam, magis eſſe appetendam quam loqui linguis. Prophetia enim bonum eſt duplex: loqui vero lingua, ſimplex; iſtud namque tantum eſt ſignum credendi infidelibus, ſed & fidelibus ſignum eſt, ut bene operentur : & hoc præmiſſa legis auctoritate confirmat.

13. AMBROS. [*Itaque linguæ.*] Hoc eſt, in velamine linguæ incognitæ, obſcurati ſunt ſermones Dei, ne videantur à perfidis. Cum autem audiantur in-

cognitæ

A cognitæ linguæ, signum sit, quia propter perfidiam factum est; ne audientes intelligant. Vnde in Isaia: *Vade, & dic populo huic: aure audietis, & non intelligetis.*

14. (*Nonne dicent quod*) Manifestum est, si omnes diversis linguis loquantur, tumultus fit quidam* in cœtu populi, quasi frenesin* patientibus.

al. * incondeus al. * pudentia.

15. LANFR. (*Vnusquisque vestrum*) Sic legendum, & subaudiendum est. Vnusquisque vestrum, alius psalmum habet, alius doctrinam, & sic cætera habet; per gratiam sancti Spiritus hæc omnia illis dabantur.

16. AMBROS. (*Sine lingua*) Hoc est duo vel tres non plus linguis loquantur, sed singuli, non simul omnes, ne insanire videantur. Ideo autem vt multùm tres, ne si occuparent diem linguis loquentes interpretes eorum, non haberent prophetæ tempus differendi.

17. LANFR.) *Sine lingua*) Si lingua incognita aliquis loquitur vestrum: non loquatur in audientiam omnium, sed apud duos vel tres loquatur, & per partes;

B id est, intercisè, vt faciliùs possit intelligi, cum exponitur.

18. (*Si autem non fuerit interpres*) Hic apertè ostendit, quia sæpe loquebatur aliquis incognita lingua; quam, vel in qua, prolata mysteria, nec ipse intelligebat.

19.) *Sibi autem loquatur*) Id est, in corde suo loquatur Deum laudans vel deprecans.

20. (*Quod si alij*) Si dum duo vel tres Prophetæ loquuntur, alicui eorum qui sedent, & auscultant, aliquid reuelatum fuerit; prior Propheta qui loquebatur, taceat, & permittatur huic loqui.

21. (*Spiritus prophetarum*) Pluraliter dicit Spiritus, propter multitudinem Prophetarum: cum sit vnus Spiritus, qui replet eos extra voluntatem eorum, nec loqui, nec tacere compellit. Et est responsio quasi aliquis diceret: an prior Propheta potest tacere, cum

C vult, id est, an singuli possint prophetare, cum eis aliquid reuelatur.

E 22. (*Non enim dissensionis*) Dissensionis spiritus essent, si omnes quos repleret, loqui simul compelleret.

23. (*Lex dicit*) In Genesi dicit Deus ad mulierem: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tibi.*

24. (*An à vobis verbum*) Hic datur intelligi quædam, quæ superiùs redarguit Corinthios fecisse, atque ideo reprehendit eos dicens, non debere eos aliquid noniter inire, sed potius exemplis aliarum Ecclesiarum viuere: quia verbum Dei ab illis non processisset, tolerabile esset, si aliquid nouum fecissent.

25. AMBROS. (*Spiritualis cognoscat*) Hic tangit Apostolos falsos, qui non diuina, sed terrena docebant.

F 26. (*Si quis ignorat, ignorabitur*) Rectè, quia qui nescit Dei esse, quæ loquitur Apostolus, à Domino ignorabitur.

26. AVGVST. (*Si quis autem ignorat*) Nequaquam vt scribis, qui ignorat, ignorabitur. De hac re dicit Apostolus, tamquam ista pœna ille plectendus sit, qui non valet intelligentia sic discernere ineffabilem Trinitatis vnitatem, sicut discernitur in animo nostro memoria, intellectus, voluntas. Aliunde dicebat hoc Apostolus: lege, & videbis* ea quæ loquebatur, quæ fidem vel mores multorum ædificarent, non quæ vix ad paucorum, eamque exiguam, quantulacumque in hac vita, de re tanta esse potest, intelligentiam peruenirent. Id est, vt linguis prophetia proponeretur.

Epist. 102. ad E odiú, tom. 2.

al. * quod ea loquebatur. Ibidem.

27. (*Ignorabitur*) Multi in Christi cruce gloriantes, & ab eadem via non recedentes etiam quæ subtilissimè differuntur, ignorant, quia non perit vnus* de pusillis pro quibus mortuus est, ad eandem perueniunt æternitatem, veritatem, charitatem: id est, ad stabilem certam, plenamque felicitatem. Vbi manentibus, videntibus, amantibus, sint cuncta perpetua.

al. * ex illis.

G

CAPVT DECIMVM-QVINTVM.

1. NOtum autem vobis facio, Fratres, Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & (*effe-
ctus*) accepistis, in quo statis, per quod & saluamini, qua ratione prædicauerim vo-
bis, si tenetis, nisi frustra credidistis, *nisi ad mortem prædestinati estis*. Tradidi enim vobis in
primis, *Evangelium quod notum feci*, quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro pec-
catis nostris *non suis* secundùm scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die,
secundùm scripturas: & quia visus est Cephæ: & post hoc *Discipulis* vndecim: deinde
visus est plusquàm quingentis fratribus simul: (*de hac apparitione, & subsequenti nihil ab
Evangelistis dicitur*) ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt:
2. deinde visus est Iacobo: deinde Apostolis omnibus: nouissimè autem omnium
3. tamquam abortiuo, visus est & mihi (*quasi abortiuum se vocat, quia coactus est ad Deum
conuerti, sicut abortiuus cogitur nasci*) 4. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum
D dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum H
id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, *vt non fructificarem*, sed abundantiùs
(*à re probat*) illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum: siue enim,
autem, ego, siue illi: sic prædicauimus, *Christum mortuum resurrexisse*, & sic credidisti. Si
autem Christus *verè* prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in
vobis, quoniam resurrectio (*à genere*) mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuo-
rum non est: neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, 5. inanis est & fi-
des vestra. Inuenimur autem & falsi testes Dei: quoniã testimoniũ diximus aduersus Deũ,
quod suscitauerit Christum; quem non suscitauit, si mortui non resurgunt. *Responsio*. Nam
6. si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit,
7. vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo (*à simili*) & qui dor-
mierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, 8. mise-
rabiliores sumus omnibus hominibus. (*assumptio*) Nunc autem 9. Christus resurrexit à
mortuis primitiæ dormientium, *nam prius resurrexit*, quoniam quidem per hominem mors,
& per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut (*exponit*) in Adam omnes moriuntur, ita
& 10. in Christo omnes viuificabuntur. 11. Vnusquisque autem in suo ordine, primitiæ
Christus: deinde ij qui sunt Christi, (*resurrecturi sunt & alij, sed horum tantùm mentionem*

facit propter Christianam dignitatem) 12. qui in adveotu, *facto, vel faciendo*, eius crediderunt. 13. Deinde finis *erit*, 14. 15. 16. cum tradiderit regnum, *id est, in quibus regnavit*, Deo, & Patri, 17. 18. cum evacuaverit omnem principatum *dæmonum*, & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, 19. donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius 20. Novissima autem inimica destruetur *à Christo* mors: (*Ostendit Christum habere potentiam mortis destruendæ, dicens omnia esse sub eius potentiâ*) omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicat; *Psalmus octavus*: omnia subiecta sunt ei: sine dubio, præter eum, *patrem*, qui subiecit ei omnia. Cùm autem subiecta fuerint illi omnia: 21. tunc & ipse filius subiectus erit ei, *Patri secundùm humanitatem, vel Christo*, qui subiecit sibi omnia, 22. ut sit Deus omnia in omnibus, *ut sit Deus plenitudo omnis gaudij in singulis*. 23. Alioquin (*si mortui non resurgunt*) quid facient *quid erit his*, qui baptizantur 24. 25. pro mortuis, si omoinò mortui non resurgunt? 26. 27. Vt quid & baptizantur pro illis? *peccatis scilicet*. Vt quid & nos periclitamur omoi horâ? *exponit quomodo periclitetur*. Quotidie morior per vestram gloriam fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. 28. 29. Si (secundùm hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? *Ironia*. Manducemus, & bibamus, (*si mortui non resurgunt*) cras enim moriemur. 30. Nolite seduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala. Evigilate iusti, & nolite peccare: 31. ignorantiam enim Dei quidam habent, 32. ad reverentiam, *ad verecundiam*, vobis loquor. Sed dicet aliquis: quomodo resurgunt mortui? Qualiye corpore venient? (*à simili ostendit corpora hominum immortalia resurrectura, & incorruptibilia cum sepeliantur corruptibilia.*) Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi priùs moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est, semioas, sed nudum granum, ut putà tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult: 33. & unicuique seminum proprium corpus. (*Inductio*) 34. 35. Non omnis caro (*ostendit dignitates corporum resurgentium diversas fore, pro meritorum scilicet diversâ qualitate*) eadem caro: sed alia quidem hominum, (*à re probat*) alia verò pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. Et corpora cœlestia, *sol, luna*, & corpora terrestria, *scilicet sunt*: sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate: *differens, inquit, claritas stellarum, quia per eam differt stella à stella. Ab effectu*: sic & resurrectio mortuorum, *scilicet differt non solùm in claritate meritorum, sed etiam corporum*. 36. Seminatur in corruptiooe, *id est, moritur & sepelitur corruptibile*, surget in incorruptioue, *incorruptibile*. Seminatur io ignobilitate, *ignobile*, surget in gloria, *gloriosum*. Seminatur in iofirmitate, *infirmum*, surget in virtute, *forte* 37. 38. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. 39. 40. Si est corpus animale, est & spiritale: xl. sicut scriptum est, 41. factus est primus homo Adam in animam viventem, *vitalem*, 42. novissimus Adam in spiritum vivificantem. 43. Sed non priùs quod spiritale est, sed quod animale: deinde quod spiritale. Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cœlo, cœlestis. 44. Qualis terrenus, tales & terreni: *Adæ imitatores peccando*: & qualis cœlestis, tales & cœlestes, *Christi imitatores*. 45. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis, Hoc autem, *ut Christum imitemur*, dico, fratres, quia 46. 47. caro, & sanguis, *sui corporis appetitui viventes*, regnum Dei possidere non possunt: oeque corruptio, incorrnptelam possidebit. Ecce mysterium, *secretum, quod ante nesciebamus*, vobis dico: Omnes quidem resurgemus, 48. sed non omnes *in melius* immutabimur. *Quomodo*? In momento, in ictu oculi, 49. in novissima tuba *resurgemus*: canet enim tuba 50. & mortui resurgent incorrupti, *cum integritate membrorum*; & nos *iusti in melius* immutabimur, (*à parte.*) Oportet enim corruptibile hoc *meum corpus* induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet, *adimplebitur*, sermo, qui scriptus est, *in Osee* 13. 51. Absorpta est mors, *concupiscentia peccati*, in, *eum*, victoria. 52. Vbi est mors victoria tua? *Quam solebas habere in his, qui tibi obedierunt*. Vbi est mors stimulus tuus? *destructum est*. 53. 54. Stimulus autem mortis peccatum est: 55. virtus vero peccati, (*augmentum peccati, quia augetur peccatum per prævaricationem legis*) lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Itaque, Fratres mei dilecti, *quia incorruptibiles resurgemus*, stabiles *in fide* estote, & immobiles: abuodantes io opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino, *in fide Domini, vel in prædestinatione Domini.*

COMMENTARIVS.

Lib. cõt. Faust.

1. LANFR. [*Notum autem vobis, &c.*] Dubitantibus Corinthiis de resurrectione mortuorum, probat Apostolus multis argumentis eam revera esse futuram recolens quod illis prædicaverat: quibus evidenter apparet de resurrectione dubitandum non esse.

2. AVGVST. [*Novissimè autem*] Sed hic iam de cœlo, post non paruum tempus Ascensionis suæ.

3. AMBROS. [*Tamquam abortivo*] Apparuit illi primum de cœlo: post oranti in templo. Abortivum se vocat: quia extra tempus natus in Christo,

apostolatum

A apostolatum accepit; in coelo Domino recepto * in carne.

1.° cst.

4. (*Ego enim*] Humiliat se, & temporis causam in se ascribit.

5. (*Inanis est ergo*) Ad detrimentum eorum proficere asserit, si crediderint quod futurum non est; & pudoris est, ut aliquis profiteatur hoc credidisse, quod falsum est: & verecundiam illis incutit, & labores illorum dicit infructuosos, quod nemo utique de se patitur audire; ut videntes hoc esse contra se, revertantur ad fidem pristinam.

Lib. 2. de Doct. Chr. cap 31. tom. 3. al.° consequentur.

6. AVGVST. (*Si mortui*) Sunt veræ connexiones ratiocinationis; falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illius, cum quo agitur: quæ tamen ad hoc inferuntur a bono, & docto homine; ut in his erubescens ille, cuius errorem * consequitur, eumdem relinquat errorem; quia si in eodem manere voluerit; necesse etiam ut illa quæ damnat, tenere cogitur.

7. LANFR. (*Vana est fides*) Fidem dicit, qua credebant peccata sibi esse dimissa, per fidem resurrectionis B Christi. Quod non est, si Christus non resurrexit.

8. AMBROS. (*Miserabiliores sumus*) Increduli enim vel hac vita fruuntur.

9. LANFR. (*Christus resurrexit*) Probat Apostolus mortuos esse resurrecturos. Si, inquit, Christus resurrexit; & mortui resurgent. Sed Christus resurrexit, nam scripturæ dicunt. Item quia resurrexit, nam visus est, postquam resurrexit, Cephæ, & aliis. Idem iterum, resurrexit quia vos eum resurrexisse credidistis. Quasi dicerent: credidimus, sed non te prædicante: Quæ cura, inquit, sive ego, sive illi prædicassent, vos credidistis eum resurrexisse. Et hoc est quod dicit: sive enim ego, sive illi sic prædicamus, & sic credidistis. Item ipsum: Si Christus revera prædicatur quia resurrexit, tunc verè surrexit; & si resurrexit (à simili] resurrectio mortuorum est: quod si est, *quomodo quidam dicunt*, &c. & sic non debetis C dicere resurrectionem mortuorum non fore.

Contenderet quis. Non est, inquit, resurrectio mortuorum. Et Apostolus: Si non est resurrectio mortuorum, id est, si nullus mortuorum (à toto) surrexit, neque Christus, quem surrexisse credidistis. Et ex eodem sequitur, vanam esse Apostoli prædicationem, vanam esse eorum fidem. Et (si Christus non resurrexit] falsi testes Dei sumus; quod à scriptura sic probat: Quoniam, inquit, falsum testimonium diximus adversum Deum: Nam istud, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. Quare hoc dicis? Nam ita, inquit, in re est, quod si mortui non resurgunt, neque Christus, vana est fides nostra, id est, non sunt vobis remissa peccata: adhuc enim estis in peccatis vestris. Et si vos estis in peccatis, & qui ante vos fuerunt, in peccatis mortui sunt; & si in peccatis mortui sunt, utique perierunt. Principalis assumptio. Nunc autem Christus resurrexit, ergo non est vana prædicatio nostra, nec fides vestra. Et sic de omnibus concludendum.

D

Expos. in Evang. Ioan. tr. 1. 10 9.

10. AVGVST. (*In Christo omnes*) Omnes qui renati sunt per Christum.

11. LANFR. (*Vnusquisque in suo ordine*) In suo ordine dicit, vel quia Christus primus resurrexit, deinde resurrecturi sunt cæteri. Vel quia martyr, ut martyres; pastor, ut pastores, & cæteri in hunc modum. Et sic intelligitur in suo ordine, & in sua dignitate. Deinde hi resurrecturi, & alij; sed horum tantum mentionem facit, propter Christianam dignitatem.

12. [*Qui in adventu*) Qui credunt eum advenisse propter redimendos peccatores: & adventurum propter infideles iudicandos, & fideles remunerandos.

Lib 83. qu. q 69. tom. 4.

13. AVGVST. (*Deinde finis*) Ipse scilicet finis est, ut sit ipse Deus omnia in omnibus. Aliter enim dicitur finis, qui pertinet ad consummationem, aliter qui pertinet ad consumptionem: Et aliter enim tunica finitur texendo; & aliter cibus, comedendo Deus autem omnia in omnibus dicitur, ut nemo eorum qui ei cohærent, amet adversus eum suam propriam voluntatem; manifestumque sit omnibus, quod idem Apostolus alio loco dicit: *Quid autem habes, quod non accepisti?* E

Lib. 1. de Trin. c 9 & 10. t. 3

14. (*Cum tradiderit*) Ita dictum est, cum tradiderit regnum Deo & Patri: ac si diceretur. Tradet regnum Patri, Dominus Iesus Christus; non se inde separans, nec Patre, nec Spiritu sancto; quoniam perducere credentes ad contemplationem Dei, qui digni habebuntur, perduci ad fidem, ad spem: id est, ad ipsam visionem quo perducens ductus est, regnum tradere Deo & Patri.

15. AMBROS. (*Cum tradiderit*] Nemo dubitet filium regnaturum semper cum Patre, hoc est enim regnum tradere Deo & Patri, ostendere ipsum esse, ex quo omnis paternitas in coelo & in terra nominatur.

16. LANFR. [*Cum tradiderit*) Tradet Christus regnum; id est, in quos ipse regnavit, Deo in fine sæculi cum ostenderit Ecclesiam, sua & servorum suorum prædicatione ad Deum conversam. F

Ibid c. 8. al.° non.

17. AVGVST. [*Cum evacuaverit*) Id est, ut sit non necessaria dispensatio similitudinum per Angelicos Principatus.

18. LANFRANC. (*Cum evacuaverit*) Vel evacuabit Christus in fine sæculi, omnem dæmonum principatum & potestatem: quia ultra non habebunt potestatem tentandi, & in tentationem inducendi servos Dei.

19. (*Donec ponat omnes*) Ponet Christus omnes inimicos suos, ante diem iudicij sub pedibus suis: quia alios ad fidem convertet; alios inferni claustris tradet, non ultra sibi, vel servis contradicturos. Regnabit autem & postea, sed de hoc tempore ambiguum esse poterat.

G

*Lib 83. q. 69. * Ibid. paulo ante.*

20. (*Novissimè autem*) In novissimo die destruetur mors: quia nec homines ultra peccabunt; nec ulla corpora ultra morientur.

21. AVGVST. (*Tunc ipse filius*) Manifestum est ergo hoc secundùm susceptionem hominis dictum. * Cùm autem ei omnia subiecta fuerint, tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui sibi subiecit omnia; non quasi modo non ita sit, sed manifestum erit.

Lib. 22. de Civit. Dei c. 30 tom. 5.

22. (*Vt sit Deus omnia*) Quid enim aliud per Prophetam dixit: *Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs*; nisi ego ero, unde satientur? Ego ero, quæcumque ab hominibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona.

23. AMBROS. (*Alioquin quid facient*) Exemplo hoc, non factum illorum probat: sed fixam fidem in resurrectione ostendit.

24. LANF. (*Pro mortuis*) Pro mortuis dicit peccatis mortuo agentibus: sicut ad Hebræos: fundamentum poenitentiæ ab operibus mortuis. Dicit ergo, si non est resurrectio mortuorum, quid facient, qui per remissionem peccatorum suorum baptizantur in memoriam mortis & resurrectionis Christi, putantes quia & ipsi resurrecturi sint? Abnegaturi enim sunt baptismum, & mutaturi fidem, quod sacrilegum est. A quibusdam dicitur, & scriptum reperitur; fuisse quosdam imperitos, qui baptizarentur pro his, qui de hac vita sine baptismo commigrabantur: putantes quia talis eorum baptismus prodesse posset his, qui sine baptismo moriebantur: & ob hoc esse dictum: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* Sed non est credendum ab auctoritate stultorum, voluisse Apostolum probare, quod tantopere apud plurimos habebatur incertum. H

25. [*Pro mortuis*) Pro mortuis, id est, quasi mortuus. Baptismus enim figura est mortis. Nihil valet in baptismo figura mortis, & resurrectionis; nisi futura esset, post mortem, vera corporum resurrectio. Sed non est inanis in Ecclesia, constitutio talis

26. (*Vt quid & baptizantur*) Item probat idem. Si

inquit,

A inquit, mortui non resurgunt quid facient qui baptizantur pro mortuis? id est, nihil prodest baptisari, ut sit idem quod dicitur postea, si omnino mortui non resurgunt, vt quid baptizantur pro illis? vel ita: si nulli mortui resurgunt, nec baptisati mortui; & si baptisati mortui non resurgunt, vt quid baptisantur? Item si mortui non resurgunt, vt quid & nos periclitamur omni hora? id est, frustra patimur quotidie pericula in spe resurrectionis. Item si mortui non resurgunt quid mihi prodest, quod pugnaui contra bestias Ephesi quantum homo potest? nihil.

27. AMBROS. (*Vt quid & nos*) Dicendo & nos, discernit personas; ostendens non catholicos esse, qui pro mortuis baptizabantur.

28. (*Si secundum hominem*) Id est, secundùm humanum sensum; qui, vt caro iam resoluta, reformetur ad vitam, minimè credit.

B 29. LANFR. (*Si secundùm hominem*) Id est, secundùm quod homo ferre potest. *Ad bestias*, Id est, contra bestiales homines, Ephesi hæc.....................disputationum & verborum intelligenda est.

30. (*Nolite seduci*) Nolite acquiescere malis colloquiis persuadentium vobis resurrectionem non esse futuram; ipsa enim mala colloquia mores bonos corrumpent, quod ibidem à genere probatur.

31. (*Ignorantiam enim*) Quasi diceret. Moneo vos vigilare, & non peccare; ne imitemini eos qui ignorant Deum.

32. (*Ad reuerentiam*) Ad hoc, inquit, loquor vobis; vt verecundiam habeatis, & vitam vestram in melius corrigatis.

33 AMBROS. (*Et vnicuique seminum*) Exemplum melioratæ resurrectionis, non amissæ substantiæ.

34. (*Non omnis caro*) Quemadmodum ex vna impensa diversa animantium caro est; ita vnius carnis homines diversi erunt dignitate in resurrectione.

Epist. 146. ad Consen. C 35. AVGVST. (*Non omnis caro*) In his omnibus iste sensus est. Si genera carnis cum sint cuncta mortalia; differunt tamen inter se, pro diversitatibus animantium: & si corpora cum sint omnia visibilia, differunt tamen, pro diversitatibus locorum Vnde alia est cœlestium gloria, alia terrestrium: & si in locis sublimibus cum sint contra cœlestia, differunt etiam * ipsæ claritates luminum; non mirum est, quod in resurrectione mortuorum distabit gloria meritorum. (al. * ipsa claritatibus)

36. LANFR. (*Seminatur, &c.*) Nullum corruptibile incorruptelam possidebit; sed caro & sanguis, id est carnaliter viuentes sunt corruptibiles, & regnum Dei incorruptela: ergo isti non possidebunt illud.

37. AMBROS. (*Seminatur corpus animale*) Animale corpus est, dum cibis sustentatur, vt viuat. Spirituale, cum nibil horum indiget connexum in vitam.

38. LANFR. (*Seminatur corpus animale*) Essentia illa, quà humanum corpus viuificatur: ex qua sui parte viuificat, & terrena appetit, anima dicitur. Ex qua autem sui parte, ratione vtitur, & Deum diligit; rationalis appellatur. Hinc dicitur, seminatur in terra D corpus animale, id est, corruptibile, quod terrena appetebat, surget corpus spirituale, id est, voluntatem spiritus per omnia faciens; neque spiritui resistens.

Ibidem. 39. AVGVST. (*Si est corpus*) Intelligitur ergo corpus animale dici simile cæteris animalibus, propter mortis dissolutionem, & corruptionem, quæ quotidie cibo reficitur, & postea separata, animantis * compago dissoluitur. (al. * compage.)

40. LANFR. (*Si est corpus animale*) Cum dicitur corpus, frustra adderetur animale, nisi esset aliud corpus spirituale, ad cuius discrepantiam vocaretur animale.

xl.) *Sicut scriptum*) Deest assumptio, si est corpus animale, & hanc probat.

41.) *Factus primus homo*) Habuit primus homo animam vitalem, & spiritualem, id est, rationalem: E secundùm quam Adam, & qui ex eo orti sunt, victuri erant.

42. (*Nouissimus Adam*) Habuit nouissimus Adam, id est, Christus, animam vitalem & spiritualem: sed illius tantum partis mentionem facit: secundùm quam in se Christus, & imitatores eius, magis victuri erant. Nec hoc in Genesi scriptum reperitur, sed ab Apostolo, superiori sententiæ additur.

43. [*Sed non prius quod*) Id est, prius terrena appetentium, postea fuit corpus spiritaliter viuentium.

Ibidem. 44. AVGVST. (*Qualis terrenus*) Quid est, qualis terrenus, tales terreni; nisi mortales ex mortali? Et quid est qualis cœlestis; tales cœlestes; nisi immortales per * immortalitatem? (al. * immortalē.)

45. LANFR. (*Igitur sicut portauimus* (Id est, sicut exemplo Adæ, terrena dileximus, ita exemplo Christi, cœlestia diligamus.

F 46. (*Caro & sanguis*) Caro & sanguis est humanum & corruptibile corpus. Et est sensus, qui secundùm appetitum sui corporis vixerit, regnum Dei possidere non poterit.

Ibidem. 47. AVGVST. *Caro & sanguis*] Et ne quisquam putaret secundùm substantiam carnis hoc Apostolum diffinisse, aperuit quid diceret subiungendo, neque corruptio * incorruptelam possidebit. (al. * incorruptioné.)

Ibidem. 48. (*Sed non omnes immutabimur*) Hanc immutationem vtrum in melius, an in deterius intelligi voluerit, inferiora demonstrant.

49. AMBROS. (*In nouissima tuba*) Quia non semel cum illo pugnatum est, quia in Antichristo victus est: & hoc loco nouissimè adversus illum pugnabitur? vt iam mittatur in gehennam.

Ibidem. 50. AVGVST. (*Et mortui resurgent*) Quid sibi vult ergo distinctio: *Et mortui resurgent incorrupti; & nos immutabimur*: nisi quia omnes incorrupti resurgent? Sed ex his etiam iusti immutabuntur in illam incorruptelam; cui omnino nulla nocere possit corruptio: ac G per hoc, qui in * eam non commutabuntur, incorrupti quidem resurgent integritate membrorum; sed tamen corrumpendi dolore pœnarum. (al. * ea.)

51 LANFR. (*Absorpta est mors*) In fine sæculi absorpta erit mors & animæ, & corporis in victoria: quia victis in carne seruorum Dei concupiscentiis omnibus; nec ipsi, nec aliquid vltra morietur. Est autem hoc testimonium in vsitata translatione Osee, sic scriptum: *Ero mors tua, ô mors!* quod idem significat. Ipse enim vincit, qui fidelibus suis vincendi tribuit facultatem.

52. AMBROS. (*Vbi est mors victoria tua?*) Insultantis etenim verba sunt.

Lib. 3. de pec. merit. & remiss. c. 11 tom. 7. 53. AVGVST. (*Stimulus mortis*) Quo mors facta est, non quem mors fecit. Peccato enim morimur, non morte peccamus. Sic itaque dictum est: Aculeus mortis quomodo lignum vitæ; Non quod hominis * vitam faceret; sed quo vita hominis fieret. Et quomodo lignum scientiæ, per quod scientia fieret hominis; non quod per suam scientiam fecerit homo. (al. * vitam)

H 54. LANFR. (*Stimulus mortis*) Probat mortis stimulum esse destructum. Stimulus, inquit, mortis peccatum est; hoc autem destructum est. Probat, nam per victoriam est destructum, quam dedit nobis Deus per Dominum nostrum Iesum Christum (prius à pari: posterius à parte) Nonne per legem destructum est peccatum? * non lex fuit augmentum peccati, non destructio. (f. * nam)

Lib. de perfect. iust. hominis. c. 6. to. 7. 55. AVGVST (*Virtus vero peccati lex*) Quoniam lex prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat spiritus charitatem.

CAPVT

A E

CAPVT DECIMVM-SEXTVM.

1. DE collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam 2. Sabbathi *ita scilicet* vnusquisque vestrum apud se seponat, recondēs quod ei benè, *quantum sibi*, placuerit: vt non, cum venero, tunc collectæ fiant, *scilicet factæ sint*. Cùm autem præsens fuero, quos probaueritis per epistolas, *cum epistolis*, hus mittam perferre gratiam vestram, *gratis data à vobis*, *sanctis qui sunt* in Hierusalem. Quod si dignum fuerit, *tanta sit collectio*, vt & ego eam, mecum ibunt. Veniam autem ad vus, cum Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo. Apud vos autem forsitan manebo vel etiam hyemabo: vt vos me deducatis quocumque iero. Nolo modò in transitu, *transeundo*, videre; spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecosten. 3. Ostium enim mihi (*Ratio quare Ephesi * tantopere permansurus sit*) apertum est magnum, & euidens: & aduersarij multi, *qui nolentes credere conantur impedire*. Si autem venerit Timotheus, videte vt sine timore *à falsis fratribus* sit apud vos: opus enim Domini operatur, *prædicator est*, sicut & ego. Ne quis ergò illum spernat: *quia prædicator est*: deducite autem illum in pace, vt veniat ad me: expecto enim illum cum fratribus. De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multùm rogaui eum vt veniret ad vos cum fratribus: & vtique non fuit voluntas vt nunc veniret: veniet autem, cum ei vacuum fuerit. Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini: omnia vestra in charitate fiant. 4. Obsecro autem vos fratres, 5. nostis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam sunt primitiæ Achaiæ, *primi crediderunt*, & in ministerium sanctorum ordinauerunt seipsos: vt & vos subditi sitis eiusmodi, & omni cooperanti, & laboranti Gaudeo autem in præsentia, *id est, quia vobiscum sunt*, Stephanæ, & Fortunati: & Achaïci: quoniam id quud vobis deerat, ipsi suppleverunt: refecerunt enim & meum spiritum, & vestrum, *mihi ministrando prius, & nunc vos exhortando*. Cognoscite *imitamini*, ergo qui eiusmodi sunt. Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multùm, Aquila, *vir*, & Priscilla, *uxor*, cum domestica sua Ecclesia, *id est, familiâ*: apud quos & hospitor. Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in osculo sancto. Salutatio, mea manu Pauli. Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, 6. 7. sit anathema, *alienetur ab Ecclesia in adventu Domini*. 8. Maranatha. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Charitas mea, *id est, ut ego vos, ita vos invicem diligatis*, cum omnibus vobis in Christo Iesu, *non sæculi charitate*. Amen.

B F

* tanto tẽpore.

C G

COMMENTARIVS.

1. AVGVST. (*De collectis autem*) Apostolus Paulus potest videri de crastino cogitare, cum dicit: *De collectis autem in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ: ita & vos facite: secundùm unam Sabbati: unusquique vestrum apud se ponat, thesaurizans quod ei placuerit: ut non cum venero, tunc collecta fiant.* His & huiusmodi scripturarom locis satis apparet, Dominum nostrum non hoc improbare, si qois humano more, ista procuret: sed si quis propter ista Deo militet.

D H

2. LANFR. (*Per unam Sabbati*) Id est, per unam diem septimanæ, iobet colligi ea, quæ Ierosolymam sanctis mittebantur.

3. (*Ostium enim mihi*) Ratio cur tantopere Ephesi sit permansurus. Dicit enim ostium magnum esse apertum prædicationi suæ; per quod possit prædicando ad corda audientium intrare; & fidem Christianam persuadere.

4. (*Obsecro autem*) Obsecto autem, ut & vos fratres subditi sitis.

5. (*Nostis Stephanæ domum*) Hic cum Apostolo fuerat, & quibusdam Corinthiis, qui cum Apostolo erant, & ipsi Apostolo necessaria sæpe ministraverunt.

6. AMBROS. (*Sit anathema*) Quod interpretatur. Si qois Dominum Iesum Christom non amat, abscindatur.

7. AVGVST. (*Sit anathema Maranatha*) Simul Græco & Syro utitur verbo. *Si quis*, inquit, *non amat Dominum, sit anathema Maranatha.* Anathema græco sermone dixit, condemnatus. Maranatha definivit, donec veniat Dominos, vel redeat.

Epist. 178. ad Pasc. c. a.

8. HIERON. (*Maranatha*) Magis Syrum est, quam Hebræum: tametsi ex confinio utrarumque linguarum aliqoo, & Hebræum sonet: & interpretatur, Dominus noster venit. Vt sit sensus. Si quis non amat Dominum Iesom, anathema; & illo completo, deinceps inferatur: Dominus noster venit. Quod superfluè sit; adversum eum odiis pertinacibus contendere velle quem iam venisse constat.

EPISTOLA

A E

EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI AD CORINTHIOS SECVNDA.

CVM INTERIECTIS B. LANFRANCI GLOSSVLIS.

B F

ARGVMENTVM.

POST *actam à Corinthiis pœnitentiam, consolatoriam scribit eis Epistolam Apostolus à Troade, per Titum. Et collaudans eos, hortatur ad meliora: contristatos quidem eos, sed emendatos ostendens.*

CAPVT PRIMVM.

PAulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, *non hominis, vel non meritis*, & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis, qui sunt in universa Achaïa, Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, 1. pater misericordia-
C rum, *non unius tantum, sed plurium secundùm participantes*, & Deus totius consolatio- G
nis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: ut possimus & ipsi consolari *verbis, vel exemplo* eos, qui in omni pressura sunt: per exhortationem, (*ipse exhortatur nos, & per nos alios*, qua exhortamur & ipsi à Deo, *intus per spiritum. Responsio.* Quoniam sicut abundant (*consolatur tunc vos in omni tribulatione*) passiones Christi in nobis: *quas pro Christo patimur*: ita & per Christum abundat consolatio nostra. *Exhortatio.* Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione, *exemplo nostri, vel verbo facta*, & salute *æterna tribulamur*: sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur *nos intus à Spiritusancto*, 3. pro vestra exhortatione, *ut vos exhortemur*, & salute, *vestra*, 4. quæ, *scilicet salus, vel consolatio, vel exhortatio*, operatur tolerantiam *in vobis* earumdem Passionum, quas & nos patimur: 5. ut *ita, vel unde, vel ad hoc* spes nostra, *quòd speramus vos saluandos*, firma sit pro vobis: scientes quod sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis *æternæ, vel præmij æterni.* 6. 7. Non enim volumus ignorare vos fratres, de tribulatione nostra, (*Responsio. Passi enim sumus vehementem passionem: & hoc nolumus vos ignorare*) 8. quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, *humanam*, ita ut (*exprimit*) tæderet nos etiam vivere, *non speraremus vivere, sed mori.* Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis, (*conscientia nostra nobis tantùm mortem respondebat*) habuimus, *plagas mortis sperabam non evadere*, ut non simus
D fidentes, in nobis, sed in Deo, (*ita fidus eram de morte, ut quia non mortuus sum, non de-* H
beam amplius fidere in me, sed in Deo, qui me tam mortuum eripuit: quod ideò permisit Deus supra virtutem tribulari, & suo auxilio voluit iuvari, ut non simus confidentes in nobis) qui suscitat mortuos, (*emphasis, id est, exaggeratio*) qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet, adiuvantibus & vobis (*captio benevolentiæ, & sui humiliatio*) in oratione *facta* pro nobis: ut *scilicet* ex 9. multorum (*idem quod per multos*) personis *masculini sexus, & fœminini*, eius quæ in nobis est, *professionis, vel liberationis meæ*, donationis, *id est, christianitatis*, per multos gratiæ agantur pro nobis *Deo.* 10. 11. *Vos pro nobis orare debetis*; nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod (*ideò dignum est pro me gratias agi, nam in simplicitate, & sinceritate conversatus sum apud vos*) in simplicitate *non duplicitate* cordis, & sinceritate Dei, *à Deo habita*, & non 12. in sapientia carnali, *ut pseudo.* 13. Sed in gratia Dei, conversati sumus in hoc mundo; x i 12. abundantiùs autem ad, *apud*, vos. 14. Non enim alia scribimus vobis, quàm quæ legistis, & cognovistis, *in me fuisse.* 15. Spero autem quod usque in finem *vitæ meæ* cognoscetis, sicut & cognovistis nos *non plenè* (*homo enim videt*

in

A *in facie; Deus autem in corde*) Sed ex parte, *vel vita mea, vel non omnes.* *Ideò cognoscetis.* E
16 Quia gloria vestra sumus sicut & vos nostra, 17. in die Domini nostri Iesu Christi. 18.
Et hac confidentia, *quia vos gloria nostra, nos vestra*, volui priùs, *nuper*, venire ad vos,
ut secundùm gratiam haberetis: & per vos transire in Macedoniam, & iterùm à Ma-
cedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Iudæam. *Obiectio quia voluisti, nec veni-
sti, ergo levitate usus es: & quod non venisti, secundùm carnem, id est, pro lucro aliquo feci-
sti. Hoc removet. Responsio.* Cùm ergo hoc voluissem, *& non venissem*, numquid levi-
tate usus sum? 19. Aot quæ cogito, 20. secundùm carnem cogito, *more carnaliter vi-
ventium, qui pro terreno commodo promittunt, vel negant*, ut sit apud me est, & non? Fide-
lis autem Deus, *scilicet scit*, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est 21. in il-
lo est, & non: *mutabilitas, mendacium, sed est in illo est.* Dei enim Filius Iesus Chri-
stus: qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Sylvanum, & Timotheum,
22. non fuit est, & non, sed est in illo, *id est, veritas*, fuit. 23. 24. Quotquot enim
promissiones Dei sunt, in illo est: *vere completa sunt*: 25. ideò & 26. per ipsum, *dici-*
B *mus*, Amen Deo, 27. ad gloriam nostram. 28. Qui autem confirmat nos (*quod sermo* F
noster non est; est, & non; non ex nobis hoc, sed ex Deo, qui confirmat nos) vobiscum in
Christo, 29. & qui unxit nos, *spiritali unctione*, *est* Deus, qui & signavit nos, *ne viole-
mur ab hoste*, & 30. dedit pignus spiritus in cordibus nostris (*id est, arrham sui, vel æter-
næ hæreditatis*) Ego autem (*ad hoc quod superiùs dixit volui venire ad vos*) testem Deum in-
voco in, *contra*, animam meam, *si mentior*, quod (*confirmat non pro levitate, vel cupi-
ditate non venisse, sed quia quosdam eorum noluerit punire*) parcens vobis, *ne vos asperè cor-
rigerem, & contristarem*, non veni ultra, *iterùm*, Corinthum: 31. non quia 32. domi-
namur fidei vestræ, *non ideò dico parcens, ut quasi Domini cogamus vos ad fidem, quæ per dile-
ctionem operatur in nobis*, sed adiutores sumus gaudij vestri: *id est, correptionis vestræ: quò
gaudeatis vita æterna:* nam fide statis.

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. (*Deus totius consolationis*) A consolatione incepit, unde refrigerium dat eis, qui correptionis causa fuerant contristati; & patrem misericordiarum ait, propter diversa peccata, & ut cognosceretur per misericordiam reformare pœnitentes.

C

2. LANFR. (*Qui consolatur nos*) Per hoc iam ostendit consolatoriam esse Epistolam; vult enim omnibus consolari, & illis contristatis, & illi abiecto, qui uxorem patri abstulerat; & propter hoc dixit: *Pater misericordiarum & Deus totius, &c.*

3. (*Pro vestra exhortatione*) Quamdam causam tribulationis suæ supponit: ut videlicet Corinthij exemplo eius provocati exhortentur ad ferendum tribulationes: & sic salutem sempiternam consequantur.

4. (*Quæ operantur tolerantiam*) Spes salutis æternæ operatur tolerantiam; id est, patientiam in servis Dei; quia propter ipsam adversa tolerantur.

5. (*Et spes nostra*) Cum principalis causa tolerantiæ illorum, dicta sit salus æterna; aliam causam supponit, ut videlicet spes sua, quam pro his habebat, firma appareat.

D

6. AMBROS. (*Non enim volumus*) Ideo passiones perstitarum indicat; ut ostendat quæ mala, causâ salutis eorum patiebatur; ut non graviùs ferrent, si ab illo corriperentur, qui tam aspera pro illis tolerabat.

7. LANFR. (*Non enim volumus*) Exponit quod superiùs dixit; *Sive autem tribulamur.* Et quod posteriùs: *Sicut socij passionum, &c.*

8. [*Quæ facta est in Asia*] Non de ea Asia loquitur hic, quæ est totius mundi tertia pars: sed de quadam Provincia, quæ ipsius maioris Asiæ pars est; cius tamen nomine nuncupatur.

9. [*Multarum personis*] Causa cur adhuc eripiet, ut videlicet, ex multarum facierum personis, ad Deum propter eorum prædicationem conversis, gratiæ agantur Deo per eorum prædicationem, per multos habentes eam donationem fidei, quæ in ipsis est. Personas autem multarum facierum vocat, infantes, pueros, & cæteras ætates hominum utriusque sexus.

10. [*Nam gloria nostra*] Ratio cur eos adiuvare debeant, in orationibus; videlicet quia conscientia eorum testis sit, quod sincerè conversati sint inter eos.

G

11. AMBROSIVS, [*Nam gloria*] Ratio quamobrem de Deo non diffidebat. Quia in simplicitate conversabatur. Et hæc est gloria conscientiæ, simplicitas, & sinceritas.

12. LANFR. [*In sapientia*] Sapientia carnalis est, voluptates diligere, labores vitare.

13. [*Sed in gratia*] Id est, observantia bonorum operum; quæ per gratiam Dei datur.

XIII. AMBROS. [*Abundantius autem*] Quia cum ab aliis acceperit, ab his noluit; ne arguendi eos auctoritatem amitteret.

14. LANFR. [*Non enim alia scribimus*] Vel dicitur: in simplicitate dicis, tu in alia Epistola promisisti te venturum ad nos, & non venisti. Non sum, inquit, levis, quia quæ scripsi, & legistis in Epistolis meis, vos ita esse cognoscitis.

15. [*Spero autem*] Quasi diceret; in bono cognovistis nos, in principio: & in bono cognoscetis usque in finem.

H

16. AMBROSIVS, [*Quia gloria vestra*] Proficere * illis sperat; quia gloriabantur in eo, velut in patre clarissimo: unde & gloriam suam videri testatur in filios obaudientes; & tunc videri, quando prodest, id est, in die iudicij. — al.* illos

17. LANFRANC. [*In die Domini, &c.*] Sancti enim in præsenti de sua bona conscientia gloriantur, ut in psalmo: *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.*

18. [*Et hac confidentia*] Id est, propter hanc confidentiam, qua speramus per alterutrum glorificari.

19. AMBROSIVS, [*Aut quæ cogito*] Qui secundùm carnem cogitat, tunc ᵃ implet quod disponit: quando aut personis amplioribus defert, aut certè * litteris, aut apparatibus vincitur. Spiritualis autem tunc dispositum non implet; quando aliquid providentiùs pro salute animæ meditatur. — al. a non implet. al.* sucas

20. LANFR. (*Secundùm carnem*) Id est, more

carnaliter viventium; qui pro terreno commodo, facilè voluntatem suam mutant.

21. (*Ius est, & non*) Id est, prædicatio nostra, non docuit vos mentiri, & leviter mutare sententiam.

22. (*Non fuit, est, & non*) Quasi diceret, prædicatio nostra non docuit homines mentiri; quia magister noster, quem prædicamus vobis, non docuit nos de eadem re dicere, est, & non; id est, proferre mendacium. Sed est, tantum de re quæ est, & non est, similiter de re quæ non est.

23. *Quot enim*) Id est, meritò Christus veritatem docuit; quia Deus Pater promissiones suas in illo etiam id est, verè, complevit.

Epist. Pl.72.c.1

24. AVGVST. (*Quotquot enim*) Omnes promissiones Dei illo etiam, id est, in illo firmatæ: quia in illo impletum est, quidquid pro salute nostra prophetatum est.

25. AMBROS. (*Ideo & per ipsum*) Manifestum, quia in Deo veritas est, hoc est Amen manifestata per Christum.

26. LANFR. (*Per ipsum amen Deo*) Per Christum amen dicitur: quia Deus Pater, quidquid de eo promisit, in eo complevit.

27. (*Ad gloriam nostram*) Gloria Apostolorum fuit, veracem prædicare magistrum; & in quo promissiones Dei completæ sunt.

28. (*Qui autem confirmat*) Quasi diceret, quod in Christum creditis, non nostræ prædicationi imputare debetis; quia Deus est, cuius gratiâ in fide confirmamur: & ad serviendum sibi mente delectamur; quia etiam nos signo baptismatis, ab infidelibus separavit; & Spiritum sanctum, æternæ hæreditatis pignus in cordibus nostris dedit.

29. AMBROS. (*Qui unxit nos*) Id est, qui dedit regiam honorificentiam; ut dicit Petrus: quia sumus, inquit, genus regale per unctionem spiritalem.

30. (*Dedit pignus*) Si enim adhuc mortalibus spiritum suum dedit; dubium non est, quin iam immortalibus gloriam addat.

31. (*Non quia dominamur fidei vestræ*) Fides non necessitatis, sed voluntatis res est. Ideo dicit, non quia dominemur fidei vestræ. Dominatus enim necessitatem habet.

32. LANFR. (*Dominamur, &c.*) Diceret quis: parcens tunc vis nos cogere ad fidem. Non est, inquit, ita, *non dominamur fidei vestræ*, non cogimus vos ad fidem. Vel parcens dixit de quibusdam, qui fide non stabant; & ne stantes fide putarent hoc dictum de se, dicit, *non dominamur fidei vestræ*, id est, nolumus exercere dominium in illos, qui stant in fide, sed adiuvare vos in emendatione corrigendorum.

33. AMBROS. (*Adiutores gaudij vestri*) Sic in malo opere tristitia est: ita in emendatione gaudium: huius autem gaudij adiutor erat; dum volentibus emendare ammonitiones offerebat.

CAPVT SECVNDVM.

STatui autem hoc ipsum apud me *non venire*, ne iterùm in tristitia venirem ad vos. 1. Si enim ego contristo vos: & quis est qui me lætificet? nisi qui contristatur ex me? *suam per correptionem lætificet.* 2. 3. Et hoc ipsum, *quod ne vos contristarem non veni*, scripsi vobis, *ideò* ut non cùm venero, tristitiam *impœnitudinis vestræ* super tristitiam *peccati* habeam, de quibus, *id est, de vobis*, oportuerat me gaudere: *tamen* confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium vestrum est, *quia de vestra emendatione gaudebo.* Nam ex multa tribulatione, *tristitiâ*, & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas: non *ideò dico per multas* ut contristemini; sed ut sciatis, quam charitatem habeam abundantiùs in vobis. 4. Si quis autem *ut adulter* contristavit, non me *prorsus, vel tantùm* contristavit: sed ex parte, *id est, aliquantum, vel vos*, ut (*ideò dico, si quis vel ex parte dico me contristatum, ne vos contristemini*) non *peccato* onerem omnes vos, *vel ita, non ex toto me contristavit, sed ex parte, ut non onerem, id est, ne vos gravarem contristatione tanta.* Sufficit illi (*tamen iam eum debetis recipere, qui uxorem patris duxit*) qui eiusmodi est, *qui me, & vos contristavit*, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus: *à me, & à vobis, sufficit.* Ita ut è contrario 5. magis donetis, *peccatum donare debeatis*, & consolemini, *consolari magis quàm contristari.* 6. Ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur, *scilicet si abieceritis, ne cadat in desperationem*, qui eiusmodi est. Propter quod, *ne absorbeatur*, obsecro vos, ut *recipiendo eum* confirmetis in illum charitatem. *Suscipientes confirmate charitatem vestram.* Ideò enim & scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum *quod est, ut experiar vos, vel studium vestrum*, 7. an in omnibus *ut in expellendo prius, ita in reo recipiendo nunc* obedientes *mihi* sitis. *Ideò obedire debetis.* Cui autem, *enim*, aliquid donastis, *condonastis*: & ego *condonavi, sic & vos mihi faciatis*: nam & ego (*repetitio*) quod donavi, si quid donavi, propter vos, *debetis hoc propter me, quia ego propter vos feci similiter, agens hoc non pro me, sed* in persona Christi, 8. 9. ut non circumveniamur à Satana: *quia si donatis, & ego, non erit discordia inter vos*: non enim ignoramus cogitationes eius, *Sathana.* 10. Cùm venissem autem Troadem propter Evangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino: *introitus fidei, ut me in illos, id est, in eorum corda, vel illos in me prædicando intromitterem*: non habui requiem spiritui meo, quod non invenerim 11. Titum fratrem meum, *qui me iuvaret interpretando quod prædicarem*, sed 12. valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam. Deo autem gratias (*iterùm commendat se, ut verbum suum recipiatur*) qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & 13. odorem, *prædicationem*, notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, *non solum Troade, sed in omni loco, Macedonia*: (*Responsio*) quia Christi 14. 15. 16. bonus, *suavis*, odor sumus Deo, *in nobis est odor Christi, id est, prædicatio*: in iis, qui salui fiunt, & in iis qui pereunt: 17. àliis quidem odor mortis in mortem, *non ut odor, id est, prædicatio sit ex morte, sed illos, qui non credunt morti * deliberat*; aliis autem odor vitæ

f.* adiudicat.

instiia,

inj..tia, in vitam *aeternam*. Et ad hæc *prædicando* quis tam idoneus, *ficut nos Apostoli? nullus*. Non enim sumus sicut plurimi, *pseudo*, 18. 19. adulterantes verbum Dei: *legitimum sensum auferentes, & adulterinum ponentes, vel pro lucro terreno prædicantes*. Sed ex sinceritate, sed sicut, *scilicet accepimus* 20. ex Deo 20. coram Deo in Christo *quod placet Deo vel sacramentum est*, loquimur.

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Si enim ego contristo*) Si doctor corripiendo contristat discipulum, lætitia illius est, si discipulos ad pœnitentiam contristatur.

2. [*Et hoc ipsum*] Quod est contristans vos, non lætificet, nisi vos ipsi ad pœnitentiam contristemini.

3. AMBR. [*Et hoc ipsum*] Idcirco se dicit scripsisse, ut postea veniens non esset, unde contristaretur, sublatis vitiis.

4. LANFR. [*Si quis autem*] Si quis, inquit, prædicans contristavit me; non me tantummodo contristavit, sed vos ex parte, id est, quosdam ex vobis, ut non onerem vos omnes, & ideo dico vos ex parte contristatos, ut onus tristitiæ non imponam omnibus: non enim omnes iustitiam sincere diligitis. Potest & ita intelligi, non me contristavit ex toto, sed ex parte.

5. [*Magis donetis, &c.*] Satis comprobatur Apostolum non contristari pro fornicatore, qui patris uxorem duxerat, ex hoc quod modò subiungit, ut recipiatis & consoletur.

6. AMBR. [*Ne fortè abundantiore*] Id est, ne desperans de se daret animum ad mundum fruendum, quasi locum apud Deum iam non haberet.

7. [*An in omnibus*] Quantùm datur intelligi, obedientes hos factos in cæteris probat.

8. [*Vt non circumveniamur*] Dicit quia consolatio debet subsequi, ne Diabolus suggerat ei ut vel præsentibus fruatur, qui de spe futuri præmij deiectus est.

9. LANFR. [*Vt non circumveniamur*] Id est, ut non sit inter vos discordia.

10. [*Cum venissem autem, &c.*] Excusato se quod non venerit, narrat quod fecit, commendans se in eodem opere: ne vos contristarem non veni, *Cum autem venissem Troadem, &c.*

11. (*Titum fratrem*) Titus iste interpres Apostoli erat: & horum linguâ expressiùs loquebatur, quam Apostolus.

12. [*Vale faciens eis, &c.*] Ad hoc quod dixit parcens vobis non veni Corinthum, sed veni Troadem, ubi me libenter audiebant: hoc est ostium mihi apertum est; & sic hortatur ut & isti libenter accipiant, postquam hoc de illis audierunt.

13. AMBROS. [*Odorem notitiæ*] Prædicationem Christi, ideo dicit odorem, quia sicut res quædam, cum non videantur, per odorem cognoscuntur. Ita invisibilis Deus, per prædicationem Christi se voluit intelligi.

14. [*Bonus odor*] In lege, qui hostias bono voto offerebat, bonus odor Deo erat, & acceptabilis: ita & prædicationis piæ * vir, doctrinæ odorem præstat fragrantem Deo.

*al * vir-us. Lib. serm. ..ol. c. 15. ..3*

15. AVGVST. [*Christi bonus odor*] Bonus Christi odor est, prædicatio veritatis: quem odorem in vitam capit, qui Evangelio bonis moribus servit & congruit. Mortem incurrit, cuius ab his quæ benè loquitur, vita dissentit, quæ conditio etiam auditores obstringit, cum recta prædicatio, ab aliis per incredulitatem auditur in mortem: ab aliis per fidem suscipitur in salutem.

16. LANFR. [*Bonus odor*] Prædicatio quidem bona est in vtrisque; sed qui inobedientes sunt illis fit prædicatio odor mortis, id est, peccati, in mortem æternam.

17. AMBROS. [*Aliis odor mortis*] Incredulis prædicatio Christi odor mortis est. Audientes enim verbum Dei, sic accipiunt quasi pestem, ex qua oritur mors.

18. (*Adulterantes*) Id, pseudo-apostolos tangit, qui verba Dei per malam interpretationem adulterabant. Nam tollentes divinum sensum, humanum ponebant

19. LANFR. (*Adulterantes*] Adulter non quærit prolem, sed voluntatem corporis explere. Tales sunt qui pro terreno commodo verbum Dei prædicant, non quærentes filios spirituales generare.

20. [*Ex Deo*] Ex Deo, inquit, loquimur, quia ex Deo accipimus, quod prædicamus.

AMBROSIVS. [*Ex Deo*] Id est quomodo Deus dedit.

20. LANFR. [*Coram Deo*] Quia illi placere contendimus.

CAPVT TERTIVM.

1. INcipimus iterùm nosmetipsos commendare? Aut numquid egemus (sicut quidam) commentitiis Epistolis *missis ab aliis* ad vos, aut ex vobis? *ad alios missis*. 2. Epistola nostra vos, *fides vestra*, estis, 3. scripta in cordibus nostris, *memoriam vestri habens*, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus: (*Responsio*) manifestati vos quòd Epistola estis Christi, *id est, quorum fide, & vita glorificatur Christus*, ministrata à nobis *sicut nostra*, & scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi: *instituta, id est, confirmata*, non in tabulis lapideis, 4. sed in tabulis (*in mentibus*) cordis carnalibus, *sensibilibus, intelligibilibus*. Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum; *quod ministramus, vel quod vos estis Epistola nostra, & Christi*. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid, (*non ut per nos fidem verbis instruere possimus*) à nobis, *per nos*, quasi *principaliter* ex nobis, sed sufficientia nostra, *quod possumus*, ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros novi Testamenti; non littera, sed Spiritu, *non carnaliter intellecti, sed spiritualiter*: 5. 6. Litera enim occîdit, 7. Spiritus autem vivificat, *glorificat*. 8. Quod si ministratio mortis, *vetus testamentum mortificans*, literis deformata, *scripta*, in lapidibus, *tabulis*, fuit in gloria, *Moysi*, 9. ita ut (*exponit modum gloriæ Moysi*,) non possent intendere Filij Israël in faciem Moysi, propter gloriam, *præ nimia claritate*, vultus eius: quæ *gloria* evacuatur, *transit*: quomodo non magis ministratio spiritus, *spiritualis testamenti*, erit in gloria? *nobis Apostolis*. (*Responsio, vel probat à pari*.) Nam si ministratio

A E damnationis, *damnantis legis in* gloria est *Moysi*: multò magis abundat ministerium iustitiæ in gloria *Apostolis*. 10. Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, *id est, in Moyse nullius gloria est: quantùm ad excellentem gloriam, quæ est in Apostolorum prædicatione*, propter excellentem gloriam *Apostolorum*. Si enim (*repetitio, vel probatio à pari*) 11. quod evacuatur: (*ad hoc: nam si ministratio damnationis, &c.*) per gloriam est: multò magis quod manet, in gloria est, *ergo habebimus gloriam: (à minori) & cum habeamus spem in gloria, cum fiducia prædicamus, & hoc est:* Habentes igitur talem spem *gloriæ, ex Evangelio habenda*, multa fiducia utimur, *in Evangelio*: & non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, *non ponimus velamen super faciem nostram; id est; non habemus velata verba, sicut Moyses: quod significabatur in velamine*, ut non intenderent filij Israël in faciem, *velamen*, eius quod evacuatur, *aufertur in Christianis*: Sed *tamen adhuc* obtusi sunt sensus eorum, *id est, Iudæorum, qui adhuc non possunt intelligere.* Vsque in hodiernum enim diem, idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet *apud Iudæos* non revelatum *incredulis, quia credulis tantùm revelatur*, (quoniam in Christo, *Christi fide credentibus*, evacuatur) sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses,

B F velamen positum est super cor eorum, *Iudæorum.* Cùm autem conversus fuerit ad Dominum, *de cordibus eorum* auferetur *intelligentiæ* velamen. 12. Dominus autem, Spiritus est: 13. ubi autem Spiritus Domini, 14. ibi libertas, *id est, libera intelligentia.* 15.16. Nos verò omnes, (*Moyses velatus non poterat intelligi, sed nos: (commendat se)* revelata facie, *planis verbis, interioris hominis oculo*, 17. gloriam Domini, *æternam beatitudinem in novo Testamento promissam*, speculantes, *non temporalia ut pseudo-Iudas*, in eamdem *gloriæ illius (qua instituimus)* imaginem, *quæ erit ibi*, transformamur, *non fuscati intus*, 18 à claritate *fidei, vel cremeticis*, in claritatem, *vel de virtute in virtutem*, 19. tamquam à Domini Spiritu, *verè docti, vel transformati per Spiritum sanctum*,

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Incipimus iterum. &c.*) Non nos, inquit, commendamus; nulla enim commendatione indigemus, quia nec illa quæ fit vobis, nec quæ fit literis, quia per Epistolam (à pari.) Nam nec per Epistolam ad vos ab aliis missam. Per Epistolam nolumus

C commendari, quia vos estis Epistula nostra, quæ nos commendat, id est, fides vestra.

2. (*Epistola nostra*) Epistola, inquit, nostra vos estis; id est, fides nostra per eam laudatur, eo quod prædicatione nostra vos ad fidem convertimus.

3. (*In cordibus nostris*) Vos & fidem vestram oblivioni non tradidimus: sed in memoria nostra semper estis.

Lib. de spiritu & lit. c.17. t. 3. — 4. AVGVST. (*In tabulis cordis*) Carnales autem tabulas cordis dixit, non carnalis prudentiæ: sed tamquam viventis, sensumque habentis, in comparatione lapidis, qui sine sensu est.

Ibid. c.14 — 5. (*Litera enim occidit*) Attende & videas cum quicquam propter circumcisionem, vel sabbatum, vel quid aliud umbratilis sacramenti, ac non totum propter hoc dicat: quod littera prohibens, peccatum non * vivificat hominem; sed potius occîdit, augendo concupiscentiam, & iniquitatem prævaricatione cumulando; nisi liberet gratia per legem fidei, quæ est in Christu

al. * iustificat.

D Iesu.

6. LANFR. (*Litera occîdit*) Dupliciter potest hoc intelligi: vel quia sine misericordia peccantes occidi iubet dicens: si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur. Vel carnaliter observata, animam observantis occidunt.

7. (*Spiritus autem vivificat*) Id est, spiritualiter intellecta observantis animam vivificat.

8. (*Quod si ministratio*) Commendatio & laus novi Testamenti: dicitque, si ministratio veteris legis formata litteris, in tabulis lapideis, fuit Moysi in tantam gloriam, ut filij Israel faciem eius videre non possent, propter claritatem vultus eius, quæ tamen transitoria fuit; quomodo non magis ministratio novæ legis, erit Apostolis in gloriam sempiternam. Vetus autem lex, ministratio mortis dicitur, vel quia sine misericordia peccatores puniebat: vel quia post adventum Christi, ad literam observata, animæ mortem ministrat. Novum vero testamentum ministratio spiritus dicitur; vel quia per ipsum Spiritus sanctus observanti datur. vel quia in eo vetus lex spiritualiter intelligitur & servatur.

9. AVGVST. (*ita ut non possent filij Israël*) Quod non poterant filij Israël intendere in faciem eius, propter gloriam vultus eius, signum erat, quia in lege Christum intellecturi non erant; & ideo velamen inter faciem Moysi & illos, positum erat, ut non intenderent, sicut scriptum est: filij Israël usque in finem, &c. — Lib. 2. contra advers. legis & Prophet. c.7. to.6.

G

10. LANF. (*Nam nec glorificatum est*) Ordo, quod claruit, nec glorificatum est in hac parte, propter excellentem gloriam. Exponit gloriam prædicatorum novi testamenti. Dicit enim quod facies Moysi, quæ in legis veteris latione claruit, non potest dici glorificata, in consideratione istius partis, id est, si ad Apostolorum gloriam referatur; propter excellentem gloriam, quam habent, & habituri sunt.

11. (*Quod evacuatur*) Velamen veteris legis aufertur nunc; quia modo exponitur quicquid legales observationes significaverunt.

12. (*Dominus autem spiritus est*) Ordo. Spiritus sanctus est Dominus, & potest operari quod vult; ac per hoc quod quos vult illuminat: quos vult in tenebris ignorantiæ deserit.

13. (*Vbi autem Spiritus Domini*) Exponit causam, cur Iudæi liberè non possunt intelligere vetus Testamentum: & cur prædicatores novi Testamenti, ipsum liberè intelligant: videlicet quia illi Spiritum Dei non habent: hi autem habent. H

14. (*Ibi libertas*) Ab Israële converso auferetur velamen: libertas enim Dei erit in eo, quia Spiritus ibi erit, qui eam dabit: & hoc probat: Spiritus est Dominus: sed ubicumque est Dominus, ibi libertas: (à genere assump. & conclus.) sed in Israele converso erit, ergo in eo erit libertas.

15. (*Nos vero omnes revelata*) Nos, inquit, omnes Apostoli revelata facie, non cooperta, sicut Moyses, cælestem gloriam speculantes: ad ipsam enim est intentio nostra: quia nunc per speculum, & ænigma videmus in eamdem gloriam, quæ adhuc, non qualis est, apparet: sed quasi quædam imago videtur, fide & bonis operibus transformamur. In hoc enim contendimus, ut conformes eius fieri possimus, à

claritate

A claritate fidei perventura in claritatem spei.

16. AMBROS. [*Nos vero omnes reuelata.*] Per fidem speculantes, ad eamdem imaginem transformari speramus, id est, ut similes inveniamur, transacta hac vita, imaginis gloriæ Christi. Vnde Ioannes: *Scimus* inquit, *quia cum apparuerit, similes ei erimus.*

Lib. 15. de Trin. c. 8. to 3. al.* non.

17. AVGVST. [*Gloriam Domini speculantes.*] Hoc speculum si quæramus, profecto illud occurrit, quod in speculo nisi imago * cernitur. Hoc ergo facere conati sumus, ut per hanc imaginem, quod nos sumus; videremus utcumque à quo facti sumus, tamquam per speculum. Speculantes ergo dixit per speculum videntes, non de * speculo prospicientes. Quod vero ait in eamdem imaginem transformamur, utique imaginem Dei vult intelligi, eamdem dicens istam ipsam scilicet, id est, quam speculamur: quia eadem imago Dei est, & gloria Dei, sicuti alibi dicit: *Vir quidem non debet velare caput suum cum sit imago, & gloria Dei.* Transformamur ergo dixit, de forma in formam mutamur atque transimus.

al. * specula.

E

Ibidem.

[*A claritate in claritatem.*] Natura in rebus creatis excellentissima, cum à suo creatore iustificatur ab impietate, à deformi forma transformatur in formosam formam: est quippe & in ipsa impietate, quanto magis damnabile vitium, tanto certiùs natura laudabilis: & ob hoc addidit, de gloria in gloriam. De gloria creationis in gloriam iustificationis. Quamvis possit hoc & aliis modis intelligi, quod dictum est, de gloria in gloriam; de gloria fidei in gloriam spei. De gloria qua sumus Filij Dei, in gloriam quâ similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.

Ibidem. al. * gratia. * eam. al. * transformationis

[*Tamquam à Domini spiritu.*] Quod vero addidit: *tamquam à Domini spiritu*; ostendit * gratiam nobis conferri, * tamquam optabilis * confirmationis bonum.

CAPVT QVARTVM.

B

IDeò (*quia per spem transformamur, vel quia reuelata facie speculamur gloriam nobis promissam*) habentes hanc administrationem *prædicationis*: iuxta quod misericordiam consecuti sumus, *non per merita nostra, prædicando*, non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, *occulta peccata quæ dedecorant*, non ambulantes *ut pseudo*, in astutia, neque adulterantes verbum Dei, *legitimum sensum adimentes, vel pro terreno prædicantes*: sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum, *Ipsa manifestatio veritatis commendat nos ipsis hominibus*, coram Deo, *non solùm hominibus, sed etiam Deo. Responsio ad hoc quod dixit: Reuelata facie.* Quod si etiam opertum est *non solùm vetus lex, sed etiam* Evangelium nostrum; in iis, qui pereunt, est opertum: 1. in quibus Deus huius sæculi, *auctor omnium, vel Diabolus princeps huius sæculi*, excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelij gloriæ Christi, *per quod glorificatur Christus*, qui est imago Dei, *consimilis Patri Responsio.* 2. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed IESVM CHRISTVM Dominum nostrum: *scilicet esse*: nos autem, *non solùm eius, sed etiam* servos vestros per IESVM: quoniam Deus 3. qui dixit de tenebris lucem, *quoniam dixit fiat lux: vel qui de cælo fecit cælum* splendescere: 4. ipse 5. illuxit in cordibus nostris *quæ obscura erant*, 6. *id est, qui nobis innotuit ad hoc ut illuminatam scientiam claritatis Dei (ut Christi notitiam homines haberent) prædicando daremus*, ad, *dando*, illuminationem scientiæ claritatis Dei (*ut sciatur quanta sit claritas Patris per cognitionem Filij, quem prædicamus, quia notitia Patris fit cognitione Filij*) in facie, *in cognitione*, Christi Iesu. 7. *Quamuis tribulemur*; Habemus autem thesaurum istum, *id est, hanc claritatem*, in vasis fictilibus: ut sublimitas sit virtutis Dei (*si daretur hic thesaurus Angelis, dignitatem eorum suppetiisse diceretur: nunc verò sublimitas Dei tantùm consideratur,*) *si quid boni facimus, Deo ascribantur*, & non *gloriemur* ex nobis. 8. In omnibus *igitur* tribulationem patiemur, sed non *animo* angustiamur: aporiamur, *inopiam patimur, vel opprimimur.* (*Poros Gracè, dicit Latinè: aporos, id est pauper, inde aporiamur*) sed *à proposito* non destituimur: *fame* persecutionem patimur, sed non *à Deo* derelinquimur: deiicimur *corpore*, sed non perimus *animo*: semper mortificationem *pro* IESV in corpore nostro circumferentes, ut & vita *æterna* IESV manifestetur in corporibus nostris, *in futuro in carne nostra mortali facta immortali.* Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter IESVM: ut & vita IESV manifestetur in carne nostra mortali, *undique tribulatione compressi, parati ad mortem sumus pro nomine Christi, ut cum eo vivere possimus; & hoc est, semper enim, &c. Illustio ab authoritate, vel à contrario.* Ergo 9. mors in nobis operatur, 10. Vita autem (*quæ est causa vita nostra: vel eorum*) in vobis *operatur.* 11. Habentes autem (*Responsio. Licet mors in nobis operetur, non tacebimus, sed habentes eumdem spiritum fidei, de Deo loquimur* 12. eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum; & nos credimus propter quod & *de Deo* loquimur: *& addit aliam causam*) scientes quoniam qui suscitavit IESVM, & nos cum IESV suscitabit, & *in cælo* constituet vobiscum, (*beneuolentiæ causa addit vobiscum.*) 13. 14. 15. Omnia enim propter vos: ut gratia abundans *in fide*, per multos *credentes* in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei, *non ad contumeliam promerendam.* Propter quod (*quia suscitabit, constituit nos viuos: vel quia spiritum fidei habemus*) non deficimus: sed licet is, qui fortis est, noster homo corrumpatur, *affligatur*, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem, *& subdit cur non deficit.* Id enim, quod in præsenti est momentaneum, (*singula singulis: in præsenti, ad in sublimitatem*

F

C

G

D

H

momentaneum, ad æternam: leuis tribulatio ad pondus gloria,) & leue tribulationis nostræ *transitoria, & leuis tribulatio nostra*, supra modum, *supra humanam æstimationem*, in sublimitate æternum gloriæ pondus, *quod erit in futuro*, operatur in nobis: non contemplantibus, *non curantibus*, nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. *Reddit causam.* Quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.

COMMENTARIVS.

1. LANFR. [*In quibus Deus huius sæculi.*] Quasi diceret: Qui non solum invisibiles creaturas, sed etiam hoc invisibile sæculum regit, potest & ita construi, in quibus Deus excæcavit mentes fidelium huius sæculi; quia si de diabolo dictum est, Deus huius sæculi, sic intelligitur in Evangelio, *Princeps mundi huius.*

2. [*Non enim nos.*] Ostendit, quod non sint ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, & cur dixerit, *gloria Christi*, & non dixerit, Evangelij gloriæ nostræ.

3. [*Qui dixit de tenebris.*] Ratio cur prædiceret, videlicet scientiam prædicando dedit illis Deus.

4. AVGVST. [*Ipse illuxit.*] Vt nos illuminaret, & sic haberemus scientiam claritatis eius per filium qui est splendor Patris quo illuminamur.

5. AMBROS. [*Illuxit in cordibus.*] Illuminantur enim, ut cognitionem habeant gloriæ Dei per Christum.

Apud Beda in idem caput.

6. AVGVST. [*Ad illuminationem.*] Hæc est scientia Dei, quia scimus illum esse lumen, quo tenebræ nostræ illuminantur; & idipsum attende, quemadmodum inculcet.

7. LANFR. [*Habemus thesaurum.*] Thesaurum claritatis scientiæ Dei dicit Apostolos habere in terrenis corporibus; ut quando aliquid subtiliter agunt, virtuti Dei imputent, non sibi.

8. AMBROS. [*In omnibus tribulationem.*] Nunc ostendit, quia idonei erant prædicatores, qui passi tribulationem non angustiabantur, id est, non tantum opprimebantur, ut cederent. Aporiebantur, id est, inopiam patiebantur, & aderat pastor Deus. Deiiciebantur, id est, verberibus prosternebantur, nec mortificabantur.

9. [*Mors in nobis operatur.*] Dubium non est, quia in martyribus Christus occiditur. Vnde vita qua resurrexit à mortuis Christus, mortali carni eorum præstabitur.

10. [*Vita autem.*] Hoc dicit, quia pro salute eorum morti subiiciebatur, habens eundem spiritum, id est, communem cum illis, per quem fides firmatur, secundum quod scriptum est: *Credidi*, & quia credidit, audet prædicare hoc.

11. AVGVST. [*Habentes eundem Spiritum.*] Quid est, eundem spiritum, nisi quem iusti quoque habuerunt, qui ista dixerunt?

Contra Iulian. lib. 1. c. 11. 10.

12. LANFR. [*Eundem spiritum fidei*] Quasi quis dicat, cur patimini? Quia, inquit, de Deo loquimur. Cur ergo loquimini? Quia credimus in eum; omnes enim fideliter in eum credentes, loquuntur de eo: Scriptum est enim de David, quia propter hoc locutus est, quia credidit, quid inde? Nos, inquit, habemus spiritum fidei, quem habuit David.

13. [*Omnia propter vos.*] Exponit quomodo constituentur in cœlis, omnia enim propter vos, ut vestro exemplo gratia, id est, fides vestra abundet cum gratiarum actione, & sic constituamini in cœlis.

14. AMBROS. [*Omnia enim propter vos.*] Apostolus persecutiones & pericula pati non timuit, ut plures crederent; & abundans Dei donum, non per paucorum gratiarum actionem minueretur ad contumeliam Dei: sed multos proficiens afflueret per multorum gratiarum actionem, ad gloriam Dei.

15. LANFR. [*Omnia enim propter.*] Omnia enim propter vos instruendos patimur; ut gratia, id est, gratiarum actio, abundans actione gratiarum facta per multos, abundet in gloriam Dei: Quasi diceret, ad hoc patimur ut exemplum patientiæ à nobis discatis, & Deo gratias referatis, & multi alij vobiscum.

CAPVT QVINTVM.

Expositio superioris versus, vel probatio hoc modo. Scimus enim: *nam ingemiscimus*, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis, *id est, corpus in quo habitamus*, dissolvatur, quòd 1. 2. ædificationem, *immortale corpus*, ex Deo habemus, domum non *carnali* manu factam, *non temporalem*, sed æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiscimus, (*id est, nullam domum suspirantes, ut ibi essemus, ingemiscimus eo quod nolumus expoliari spiritualibus donis*, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes: *eandem enim carnem, qua nunc est, in resurrectione habituri sumus: sed super eam immortalitate, incorruptione vestiemur.* 3. Si tamen vestiti, *quod superinduemur*, & non nudi *bonis operibus* inveniamur. 4. *Repetit, vel probatio à pari.* Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, *corpore*, ingemiscimus gravati: eò quòd nolumus expoliari, sed supervestiri, *simul cum Adam*; ut absorbeatur, *id est, fiat immortale*, quod mortale est à vita. *Diceret: quis hoc poterit dare? Respondeo:* Qui autem efficit nos in hoc ipsum, *ut immortalitate superinduamur, in præsenti sperando*, Deus *est*, qui dedit nobis pignus spiritûs, *id est, arrham, quia efficiet.* Audentes igitur *sumus* semper, & scientes quoniam dum sumus in corpore, 5. peregrinamur à Domino, (per fidem enim ambulamus, & non per speciem: *id est, non per apertam visionem*) audemus autem *mori*, & bonam voluntatem (*& ne obiiciatur hoc audere, & hoc velle, quia non potest non esse: removet per hoc quod dicit, bonam voluntatem*) habemus magis 6. peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum. 7. Et ideò, *ut simus præsentes*, contendimus, sive absentes, *à conspectu hominum, vel à Deo quantùm in hoc mundo* sive præsentes *conspectui hominum, vel ante Deum*, placere illi. *Responsio.* Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, 8. ut referat, *rationem reddat, vel premium suscipiat*, unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive

malum.

A malum. Scientes ergo, *scilicet hoc*, timorem Domini hominibus suademus: Deo autem, *quia pro terreno lucro non fecimus*, manifesti sumus. Spero autem & in conscientiis vestris, *quia pro terreno lucro non prædicamus*, manifestos nos esse. (*Excusatio.*) Non iterùm, *ut possitis contra pseudo Apostolos gloriari super magisterio nostro*, ideò commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis, ut habeatis ad eos, *quod eis respondeatis*, qui in facie gloriantur, *quorum gaudium est præsentia tantùm hominum: vel quorum gloria est in tantùm extra*, & non in corde *benè agere*. 9. 10. Sive enim mente excedimus, (*id est, à Dei honore procedimus: vel arcana divinitatis prædicando*) Deo: *ad laudem Dei*. 11. Sive 12. sobrij sumus, vobis, *contemperantes condescendimus vobis mores vestros instruendo*. Charitas enim Christi urget nos: 13. æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt *consequitur quod omnes debent mori pro illo*: 14. & pro omnibus mortuus est Christus: ut, & (*à simili*) qui vivunt, iam non sibi vivant, *pro eo moriantur*, sed ei, *ad honorem eius*, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. 15. Itaque, *ergo, quia surrexit*, nos 16. F
ex hoc neminem, *non novimus secundùm carnem Christum mortalem, vel quia surrexit*. 17. Et si cognovimus (*Respond. iam non novimus tantùm hominem; etsi cognovimus opinione*) 18. secundùm carnem Christum, *mortalem primò*: sed nunc iam non novimus *mortalem, sed immortalem*. 19. Si qua ergo in Christo nova creatura: vetera, *id est, vitia* transierunt; *Si Christus novus est immortalis, ergo vetera transierunt in nobis*: (*Surrexit, ergo non debemus vivere secundùm carnem; ergo vetera transierunt: à pari, secundùm carnem, & vetera sunt paria*) ecce facta sunt omnia nova, *id est, quia facti sumus novi*. 20. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum: & dedit, *posteà commendavit*, nobis ministerium reconciliationis, *prædicationem ad alios, poterat tunc reconciliare mundum per Christum*. 21. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, *non eis repensans secundum merita*, & posuit in nobis verbum reconciliationis, *Prædicationem Evangely*. Pro Christo ergo, *vice Christi*, legatione fungimur, *quia dedit nobis prædicare*, tamquam, *id est, verè*, Deo exhortante per nos. 22. 23. Obsecramus, *quia legati Christi sumus*, pro Christo, *vice Christi*, reconciliamini Deo. 24. Eum, qui non noverat peccatum, 25. pro nobis 26. peccatum fecit: *vel hostiam pro peccato*: ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.

B

COMMENTARIVS.

C

Expos. Ps. 62. in enar. 1. p. tom. 8.

1. AVGVST. (*Ædificationem ex Deo*] Id est, immortalitatem præparatam nobis, qua induendi sumus in fine, cum resurrexerimus à mortuis. Et ait, *In quo nolumus expoliari; sed supervestiri: ut absorbeatur mortale à vita*, si fieri potest: sic vellemus fieri immortales, ut iam veniret ipsa immortalitas; & modò sicut sumus * invitaret nos; ut mortale hoc nostrum absorberetur, non per mortem corpus puniretur; ut in fine iterum reciperetur. Quamvis ergo à malis ad bona transeamus; tamen ipse transitus aliquantùm amarus est.

al. mutaret.*

2. AMBROS. [*Ædificationem*] Corpus immortale significat, cuius forma iam in cœlis est, in Domini corpore declarata.

3. [*Si tamen vestiti*] Id est, si exeuntes de corpore Christum induti fuerimus. In Christo enim baptizati, Christum induimus, * sive Spiritu sancto erimus digni super promissa cœlesti gratia.

al. quo cũ induti, sive Spiritu sancto dato nobis videbimus, erimus digni superindui promissa cœlesti gloria.*

4. [*Nam qui sumus in tabernaculo*] Dicit nos gravatos passionibus corporis, postulationes ad Deum dirigere, ne simus nudi Spiritu sancto. Tunc enim superindui gloria poterimus, si exuti corpore, non despoliati à Spiritu sancto fuerimus: ac sic absorbebitur mortale à vita, ne ultra possit mori, aut passionibus implicari: non enim dicendum est, absorberi à vita; quia ad hoc surgit ut pœnis * arguatur.

5. [*Peregrinamur à Deo*] Deus ubique est, sed quia sedes Dei in cœlis est, & illic semper videtur; ideo hic positi, ubi non videtur, peregrinari ab eo dicimur.

D

al. agatur.*

6. LANFR. (*Peregrinari a corpore*) Quia, inquit, non potest fieri, ut ad Deum eamus corpore, eligimus magis separari à corpore, & præsentes esse ad Deum.

7. AMBROS. (*Et ideo contendimus*] Id est, sive in hac vita positi, sive ante Tribunal Christi præsentes placeamus ei.

Ep. 107. Vitali

8. AVGVST. [*Ut referat unusquisque*] Omnes adstabimus ante Tribunal Christi; ut referat unusquisque secundùm ea quæ per corpus gessit; non secundùm ea, quæ si diutiùs viveret, gesturus foret, sive bonum, sive malum. Scimus etiam parvulos secundùm ea quæ per corpus gesserunt, recepturos vel bonum, vel malum. Gesserunt autem non per seipsos, sed per eos, qui pro illis respondentibus, & renuntiare diabolo dicuntur, & credere in Deum: Unde & in numero fidelium computantur, pertinentes ad sententiam Domini dicentis; *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.*

G

Cart. de orando pro incredulis. tom. 2.

Marci. 16. c. 16.

9. [*Sive enim mente excedimus*] Quid est mente excessimus? Ut illa videamus quæ non licet homini loqui. Quid est temperantes sumus vobis? *Non, inquit, iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum.*

Tract. 7. in Evãg. Ioan. tom. 9.

10. LANFR. [*Mente excedimus*] Mente excedere est, in divina contemplatione esse: & hoc dicit se propter Deum, non propter laudem hominum facere.

11. (*Sive sobrij sumus*) Sobrij erant Apostoli, cum ab illa altitudine cœlestis contemplationis discedebant ad ordinandam vitam subiectorum. Et hoc dicit se propter utilitatem subiectorum facere, non propter humanam gloriam.

12. [*Sobrij sumus*] Pro vobis, inquit, facimus, quia de vobis quasi commendando nos, loquimur. Omnia enim propter vos facimus, quia sive mente excedimus, id est, profunda divinitatis prædicamus; & hoc ad laudem Dei. Sive sobrij simus, id est, subditorum vitam intermissa contemplatione, divina, humana contemperantes ordinamus. H

13. (*Æstimantes hoc*) Existimamus, inquit, quia si Christus pro omnibus mortuus est, & omnes homines mori debent pro honore illius.

14. (*Et pro omnibus mortuus est Christus*) Ergo quia Christus mortuus est pro omnibus, neminem approbamus secundùm carnem viventem. Etsi cognovit priusquam in Christum crederet Apostolus, secundùm carnem novit eum, quia hominem tantum æstimabat.

A 15. [*Itaque vos*) Id est, quia Christus pro omnibus mortuus est, ut omnes pro honore illius moriantur. Ex hac consideratione neminem novimus, id est, approbamus secundùm carnem viventem, & sua quærentem, & non quæ Iesu Christi.

Lib. 22. contra Faust. c. 7 tom. 6. al. * nec dubabatur. 16. AVGVST. (*Et hoc neminem*) Itaque nos amodò neminen novimus secundùm carnem. Sed quia illorum secum vitam futuram, tamquam præsentem * meditabitor, qui resurgentes commutabontur. Amodò, inquit, neminem secundùm carnem novimus, id est, tam certam spem tenemus futuræ nostræ incorporationis & immortalitatis; ut amodò iam in ipsa notitia gaudeamus.

17. LANFR. (*Etsi novimus*) Priosquam in Christum crederet Apostolus, secundùm carnem cognoverat eum, quia tantummodò hominem æstimabat.

Ibid. aute. 18. AVGVST. [*Secundùm carnem*] Carnem námque hoc loco, non ipsam corporis nostri substantiam, quam Dominus post resurrectionem suam, carnem appellat, dicens: *Palpate & videte, quia spiritus carnem* B *& ossa non haber, sicut me videtis habere*: sed corruptionem mortalitatémque carnis vult intelligi, quæ tunc non erit in nobis, sicut iam in Christo non est.

Ibid. c. 8 19. [*Si qua ergo*) Omnis ergo nova creatura, id est, populus innovatur per fidem, ut habeat interim in spe, quod in re postea perficiatur. In Christo habet al. * iam * enim quod in se speras. Itaque vetera transierunt secundùm spem; quia modò iam non tempus veteris Testamenti, quo temporale & carnale regnum expectetur à Deo; & facta sunt omnia nova secundùm eamdem spem, ut regnum cœlorum, ubi nulla erit mors atque corruptio, promissum teneamus. E

20. AMBROS. (*Omnia autem ex Deo*) Quamvis nos Christus redemerit, omnia tamen ex Deo.

Enar. Ps. 68. circ. 2 tom. 8. 21. AVGVST. (*Quoniam quidem Deus*) Deus, inquit, erat in Christo mundum reconcilians sibi, quia *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: ut non solum Deus in illo esset; sed etiam ipse Deus esset.

Tract. 41 in Ioann. ante med. 22. (*Obsecramus pro Christo*) *Obsecramus*, inquit, *pro Christo*, id est, tamquam vos Christus obsecret: quid? reconciliamini Deo.

23. AMBRO. (*Obsecramus*) Ideo obsecrat, ne aliqua negligentia, medicinæ gratia effectu careat: quoniam adest tempus, quo morbis mortalibus medicina possit infundi.

Lib. 1. contra advers. legis & Proph. c. 14 to. 6. Lib. Enchir. ad Laur. c. 41. to. 3. 24. AVGVST. (*Eum qui non noverat*) Noverat enim per sapientiam, non noverat per experientiam.

25. (*Pro nobis peccatum fecit*) Hoc est, sacrificium pro peccatis, per quod reconciliari valeremus. Ipse est ergo peccatum, ut nos iustitia, nec nostra, sed Dei; nec in nobis, sed in Deo: sicut ipse fuit peccatum, non suum, sed nostrum; nec in se, sed in nobis constitutum. Similitudinem carnis peccati, in qua crucifixus est, demonstravit. Hæc est illa iustitia Dei: non qua ipse iustus est, sed qua nos ab eo facti. F

26. LANFR. [*Peccatum fecit*) Ordo. Deus Pater Christum peccatum, id est, hostiam pro peccato; ut nos efficeremur iustificati in ipso, id est, in fide Iesu Christi.

CAPVT SEXTVM.

1. ADiuvantes autem (*scilicet vos, vel Deum, ut in Primâ; Dei enim adiutores sumus*) exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, *Christum passum, & salvare paratum: vel remissionem peccatorum, quam in vacuum recipit, qui se posteà in bonis operibus non exercet.* 2. Ait enim: 3. tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adiuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. 4. Nemini dantes ullam offensionem, C *id est, exemplum pravitatis, quod videntes offendere possit*, ut non vituperetur ministerium nostrum; *Christiana Religio, doctrina Apostolorum*: sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, (*vel hortamur vos nemini dantes ullam offensionem vel prædicando, vel malè vivendo*) in multa patientia, (*habita scilicet in his, quæ sequuntur*) in tribulationibus, in necessitatibus, *penuria*, in angustiis, *compedibus, vel aliis vinculis*, in plagis, in carceribus, 5. in seditionibus, 6. in laboribus, *voluntariis, vel coactis*, in vigiliis, *similiter vel voluntariis, vel coactis*, in ieiuniis; *exhibeamus nos, inquam, Dei ministros*, in castitate, in scientia, *legis & Evangelij*, 7, in longanimitate, *in expectatione promissorum Dei, cum alacritate mentis*, in suavitate (*suavis erat, quia sicut arguebat, ita & blandiebatur*) in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, (*verbum veritatis ita eius doctrina, quia non aliud tradebat, quàm à Deo acceperat*) 8. in virtute Dei, 9. 10. 11. per arma iustitiæ 12. à dextris, & à sinistris, *in prosperis, & in adversis*; per gloriam, (*exponit à dextris, & à sinistris.*) & 13. ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam; 14. ut seductores, & veraces; sicut qui ignoti, *putamur non nosci à Deo*, & cogniti *Deo*: quasi morientes, & ecce vivimus: *id est, liberati*: ut castigati, *à Deo, vel ab hominibus*, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil ha- D bentes, & omnia *ideò* possidentes. 15. 16. Os nostrum patet ad vos, *id est, multa loquimur vobis*, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est, *vel in prædicando, vel in dando*. 17. 18. H Non angustiamini in nobis: *exemplo nostri non estis avari*: angustiamini autem in visceribus vestris, *id est, à vobis accepistis illud vitium*: eamdem autem, *scilicet quam & nos homines*, habentes (*diasirtica locutione*) remunerationem (*ne putarent ironicè dixisse addit*) 19. tamquam filiis dico, dilatamini & vos, *estote benigniores*. Nolite iugum *avaritiæ* ducere cum infidelibus, *id est, nolite similes esse infidelibus*. Quæ enim participatio iustitiæ (*qualitates pro qualibus*) cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? 20. Vos enim estis templum Dei vivi: sicut dicit Deus 21. quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. 22. Propter quod, *quia templum Dei estis*, exite *mente* de medio eorum, & separamini,

dicit

A dicit Dominus : *nolite iugum ducere cum infideli* : 23.& immundum ne tetigeritis,*id est,ne commisceamini malis : ecce fructus* , & ego recipiam vos : & ero vobis in patrem,& vos eritis mihi in filios,& filias,dicit Dominus omnipotens. E

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Gratiam Dei*) Gratiam Dei vocat remissionem peccatorum ; quam in vacuum recipit, quisqois se in bonis operibus postea non exercet.
2. (*Ait enim*)In Isaïa sic loquitur : *In tempore placito exaudiui te ; & in die salutis auxiliatus sum tui.*
3. [*Tempore accepto* , *&c.*) Diceret quis : est tunc aliquid gratia Dei ? Est : quia exaudire Domini tempore accepto , & adiuuare est. Et hoc probat ab effectu , quia exaudit , & adiuuat. Item hoc ab auctoritate ; Ipse enim dixit tempore accepto,&c. B
4. AMBROS. (*Nemini dantes*) Vigilantia sua omnem amputat offensionem , ne ministerium eius vituperetur ; vituperaretur enim , si quæ doceret, operibus non compleret.
5. (*In seditionibus*) In tantum Deo deuotus erat, vt nec seditio fiduciam, quam in Deo habebat, minueret.
6. (*In laboribus*] Manibus enim laborabat , ne cui grauis esset.
7. AMBROS. (*In longanimitate*) Grandis animi erat in baiulandis infirmitatibus fratrum.
8. *In Virtute Dei*) Virtus in eo erat , quæ per signa & prodigia idoneum se ministrum probabat.
9. (*Per arma iustitia*] Liberum se fuisse significat fidelibus , & incredulis dum his qui Evangelium gloriam , & eis qui ignobilitatem putabant , & his qui fidei bonam famam , & qui malam faciebant ; integrum & constantem se præbuit.
Enar. in Ps.93. 10.8. 10 AVGVST. *Per arma*) Malitia enim iniquorum sinistra sunt arma iustorum,sicut idem dicit : *Per arma iustitia dextera & sinistra* ; Id est,per gloriam & ignobilitatem ; atque ita deinceps cuncta exequitur. Dexterâ arma demonstrans gloriam , bonam famam , veritatem , * quod cognoscebantur , quòd videbant,quòd non mortificabantur, quòd gaudebant , quòd multos ditabant, quòd omnia possidebant. Sinistrâ vero quòd ignobiles & malæ famæ habebantur , quòd seductores putabantur , quod ignorabantur , occidebantur, coercebantur ; contristabantur , egere ac nihil habere videbantur. C al. * qua
11. LANFR. (*Per arma*] Per arma iustitiæ si muniti in prosperis & adversis ; & siue gloriosi siue viles, seu infames,siue bonæ famæ habeamur.

12. (*A dextris,& à sinistris*) Exhibeamus nos,scilicet Dei ministros habentes iustitiam , quasi libram , vt non pendeamus in hanc partem , vel in hanc , id est, non frangamur adversis , nec eleuemur prosperis.
13. (*Ignobilitatem*) Per gloriam exhibeamus nos sicut Dei ministros , ne extollamur , & per ignobilitatem , id est , vilitatem , si viles habiti simus , ne frangamur.
14. (*Vt seductores*) Quasi diceret. Non est mirandum si vituperamur,& laudamur ; quia alij putant nos seductores , alij veraces ; & alij cognoscunt , & alij nesciunt , & cætera quæ seqoontur.
15. (*Os nostrum patet ad vos*) Redarguit auaritiam eorum: & dicit eos à se non accepisse tenacitatis exemplum ; quia cor suum in dando amplum , & dilatatum est. F
16. AMBROS. (*Os nostrum patet ad vos*) Hoc libertatis causa loquitur,& puræ conscientiæ. * Malè enim sibi conscia mens loqui trepidat,sensum perdit,in verbis errat. al. * mali.
17. (*Non angustiamini*) Hoc , dicit , non erat magistris adscribendom , si discipuli malè vterentur , quia qood pertineret ad magistros non tacuerit.
18. LANFR. (*Non angustiamini*) Id est , in nobis non videtis angustiæ , & tenacitatis exemplum ; sed huius vitii fomes est in visceribus vestris.
19. (*Tamquam filiis dico*) Ordo. Tamquam filiis dico habentes eamdem remunerationem scilicet , quam nos habemus.
20. (*Vos enim estis templum*(Probat quia iugum ducere cum infidelibus æquipollenter. Nullum templum Dei debet habere consensum cum idolis : vos autem estis templum , quia ipse habitat in vobis. Ipse enim dixit, inhabitabo in vobis : propter quod exite de medio eorum : id est , ergo nolite iugum ducere cum infidelibus: Vtitur autem verbis Prophetæ pro suis. G
21. (*Quoniam inhabitabo*) Et Iuël sic dicit : *Ponam tabernaculum meum in eis ; & ego ero eis Deus ; & ipsi erunt mihi populus.* 2.f.27.
22. (*Propter quod exite* (In Isaia legitur : *Recedite, recedite , exite inde : pollutum nolite tangere.* Isai. 52. c.11.
23. AVGVST. (*Immundum ne tetigeritis*) Quid est tangere immundum,nisi consentire peccatis? Quid est autem exire inde , nisi facere quod pertinet ad correptionem malorum? Serm.18. de verb. Domini. cap.10.

CAPVT SEPTIMVM.

HAs ergo habentes promissiones,(*scilicet recipiet nos si immundum non tangamus*) charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus,*id est,carnalis vitij,& spiritualis nequitiæ*, perficientes sanctificationem *nostri* in timore Dei , *id est, perficientes ea , quibus sancti efficiamur.* Capite nos *in exemplum per nostram admonitionem.* 1. Neminem læsimus, *sicut pseudo-Apostoli subditorum bona deuorando* neminem *prauo nostri exemplo* corrupimus , neminem *adulando* circumuenimus. Non ad condemnationem vestram dico , *non ideò dico vt aliquibus horum læsissetis , vnde vos condemnem.* 3. Prædiximus enim. 4. quòd in cordibus nostris estis ad commoriendum , & ad conuiuendum , *quia diligo vos in tantùm , vt viuere, & mori velim vobiscum , si fieri posset.* 5. Multa mihi fiducia est , apud vos , multa mihi gloriatio *apud alios* pro vobis , repletus sum *pro vobis* consolatione , superabundo gaudio *propter vos* in omni tribulatione nostra. Nam (*ostendit se tribulationem habuisse , nam in Macedonia , & Asia*) & cum venissemus in Macedoniam , nullam requiem habuit caro nostra , sed omnem tribulationem passi sumus : 6. foris pugnæ *ab infidelibus* : *vel in meo corpore* : 7. intus timores. Sed qui consolatur humiles , consolatus est nos Deus in aduentu Titi. Non solum autem in aduentu eius, sed etiam in consolatione , qua consolatus est in vobis : 8.referens nobis vestrum desiderium , *videndi me*, vestrum fletum ,*pænitendo* , vestram 9. æmulationem pro me , *addiscentes charitatem, vel imitationem mei* ; ita vt *ex missione Epistola , vel ex supra dictis*, magis gauderem. Quoniam

D ... H

& si contristavi vos in 10. Epistola *priore*, non me *modò* pœnitet : etsi *prius* pœniteret, videns quòd Epistola illa *prior* (etsi ad horam) vos contristavit ; nunc gaudeo : non, *sed non propter hoc*, quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. 11. Contristati enim estis secundùm Deum, ut in nullo, *quod praecepimus* 12. 13. detrimentum (*quin executi estis*) patiamini, *scilicet detrimentum animæ in futuro*, ex nobis, *id est, ex nostris praeceptis non adimpletis* 14. Quæ enim (*responsio*) secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem, *æternam*, operatur : x v. sæculi autem (*à contrario*) tristitia mortem operatur. 15. Ecce enim (*alia probatio per partes salutis*) hoc ipsum secundùm Deum contristari vos, 16. quantam *maximam* in vobis operatur sollicitudinem *bene operandi : hoc est, salutem ; nam operatur sollicitudinem, quæ causa est salutis : nec tantùm hoc*, sed defensionem, *contra Deum : nec tantùm hoc*, sed indignationem, *de peccatis : nec tantum hoc*, sed timorem Dei : *nec hoc tantùm*, sed *etiam* desiderium, *reformationis : nec hoc tantum*, sed *etiam* æmulationem *boni*, *nec hoc tantùm*, sed *etiam* vindictam, *afflictionem peccatorum. Ergo quia hoc, & hoc fecistis* in omnibus *aliis* exhibuistis vos, 17. incontaminatos esse negotio, *qui fornicatorem exclusistis*. 18. Igitur, & si scripsi vobis, non *tantum* propter eum, qui fecit iniuriam, *id est, qui uxorem patris accepit*, nec propter eum, qui passus est, *id est, patrem, cuius uxor ablata est* : sed, *scilicet scripsi*, ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis *de corruptione vestra* coram Deo, *ut placeatis Deo*, 19. ideò, *quia incontaminati fuistis*, consolati sumus. In consolatione autem nostra, abundantiùs gavisi sumus super gaudio Titi, quia *super vestra spirituali bona conversione* refectus est spiritus eius ab omnibus vobis ; & si quid 20. apud illum de vobis gloriatus sum, *gloriando de vobis locutus sum, cum ipse videret*, non sum confusus, *id est, mentitus* : sed sicut 21. omnia vobis in veritate locuti sumus ; ita & gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est, & viscera eius abundantiùs in vobis sunt : reminiscentis omnium vestrum obedientiam, *scilicet* quomodo cum timore *animi* & tremore *corporis* excepistis illum. Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. [*Neminem læsimus.*] Pseudo enim Apostoli nocebant illis, corrumpentes sensus illorum circumventione astuta.

2. LANFR. [*Non ad condemnationem.*] Id est, non propterea commemoro, ut callide dicam vos fecisse, quod me fecisse nego.

3. [*Prædixi enim.*] Superius dixit : *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris.*

4. AMBROS. [*In cordibus nostris.*] Id est, participes vult eos habere, & ad præsentes passiones pro Christo, & ad futuram vitam.

5. [*Multa mihi fiducia.*] Fiducia hæc, de primæ Epistolæ correptione est : quam quia non asperè susceperunt, fiduciam dederunt admonendi se.

6. [*Foris pugnæ.*] Pugnæ enim erant corpori, dum cædebantur : animo timores. Illic enim timor, ubi intellectus est : Sed hic timor propter credentes, ne passione eius scandalizarentur.

7. LANFR. [*Intus timores.*] A falsis fratribus, vel ne passio mea perterreret fratres, idest, metuens ne conversi noviter, videntes afflictionem nostram ad suum, id est, qui fuit Iudæus, ad Iudaïsmum, Gentiles ad gentilitatem converterent.

8. AMBROS. [*Referens nobis.*] Nuntiavit Titus desiderium habere illos emendandi se : flere, quia peccaverunt : æmulationem habere pro Apostolo, quoniam addiscentes charitatem eius erga se, cœperunt illum defendere contra adversarios.

9. LANFR. [*Æmulationem.*] Id est, qualiter alter æmulatur desiderium alterius, ut me videatis.

10. [*Epistola illa.*] Ordo, illa vos contristavit, etsi ad horam.

11. [*Contristati enim.*] Demonstratio de qua pœnitentia dicat : est enim & mala pœnitentia.

12. [*Detrimentum.*] Detrimentum auditor ex prædicatione doctoris patitur ; quando præceptis eius inobediens existit, & priori peccato peccatum inobedientiæ addit.

13. AMBR. [*Detrimentum.*] Id est, ut omnia nostra effectum habeant in vobis, etiam quòd cõtristavimus vos.

14. LANFR. [*Quæ enim secundùm.*] Alia ratio quod secundùm Deum contristati sunt.

x v. [*Sæculi autem tristitia.*] Sæculi autem tristitia est dolere, quod sua tribuat, aliena non rapiat, & cætera in hunc modum.

15. [*Ecce enim.*] Alia ratio eiusdem rei.

16. AMBR. [*Quantam in vobis.*] Sollicití enim sunt, ne denuò peccent, & defendunt se ab infestatione dæmonum, indignantur in se, vel in alios peccantes, timent quia peccaverunt, desiderant se reformare, & incipiunt pati zelum bonorum operum ; & quod deliquerunt, vindicant in seipsos.

17. LANF. [*Incontaminatos esse in negotio.*] In quo vindicandum præcepit in eum qui uxorem patris accepit.

18. AMBROS. [*Igitur scripsi vobis.*] Ostendit magis scripsisse propter Ecclesiam, quia in uno malè agente, multi confunduntur : & in uno contumeliam patiente, multi indignantur. Emendando ergo iniustos, & pollutos sanctificando, & Ecclesias reconciliando, totius populi sollicitudinem in se habere demonstrat,

19. LANFR. [*Ideo consolati.*] Et propter adventum Titi, & propter bonum studium vestrum.

20. [*Apud illum de vobis.*] Apud Titum gloriatus est Apostolus de Corinthiis, dicens eos benignos esse.

21. [*Omnia de vobis.*] Id est, sicut vera locuti sumus vobis de aliis, ita vera locuti sumus Tito de vobis.

CAPVT OCTAVVM.

H*ortatur eos ad beneficentiam per exempla Macedonum.* Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ est in Ecclesiis Macedoniæ, (*collationem dicit, quam Macedones sanctis Ierusalem dederant*) quod in multo experimento *usu*, tribulationis

abundantia

A abundantia gaudij ipsorum fuit, *id est, dum maximè pro Christo tribularentur, in hoc ipsum* E
gaudebant; & 1. altissima, *maxima, vel exaltans eos*, 2. paupertas eorum abundavit io di-
vitias simplicitatis eorum: *id est, largitatu, seu abundavit in divitem simplicitatem: hoc est*
tam libenter dabat pauper ac si dives esset: quia *id est, testor illu*, secundùm virtutem *eorum,*
id est, res veritatem, 3. testimonium illis reddo, & supra virtutem, *posse suum*, volunta-
rij fuerunt, cum molta exhortatione 4. obsecrantes nos gratiam, (*scilicet quam daret san-*
ctis qui sunt Hierusalem) & communicationem ministerij, *administrationis*, quod fit in
sanctos. Et non *tantum dederunt*, sicut speravimus, sed semetipsos *per fidem* dederunt,
primùm Domino, deinde nobis, *ad faciendum quicquid vellemus*, per voluntatem Dei; ita
5. ut *hortarentur nos ad hoc, ut* rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & *præ-*
dicatione perficiat in vobis, *vos, quales sunt Macedones*, etiam, *sicut alias*, gratiam istam
dandi. Sed sicut in omnibus, *nec illum tantum rogavi; sed & vos rogo, ut in hac gratia*
abundetis sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientia *Evangelij*, & omni solli- F
citudine, insuper & charitate vestra in nos, ut & in hac gratia abundetis. Non quasi im-
perans dico: 6. sed, *scilicet dico*, per aliorum, *id est, Macedonum, vel aliorum sanctorum*
B sollicitudinem, etiam vestræ charitatis ingenium, *studium*, bonum comprobans, *probum*
faciens, & hoc debetis facere: reddit causam. 7. Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu
Christi, quoniam propter vos egenus factus, cum esset dives, ut illius inopia vos divites
essetis. Et consilium in hoc do: *ut faciatis*: hoc enim vobis utile est, qui non solùm face-
re, *quod boni potestis*, sed & velle, *quod boni non potestis facere*, cœpistis ab anno priore:
nunc verò & facto *illud velle* perficite: ut quemadmodum promptus est animus voluntatis,
ita sit *promptus animus* & perficiendi ex eo, *secundùm id*, quod habetis. *Ecce cur acceptum*
est Deo, si sit voluntariè. 8. Si enim voluntas prompta est *facere*; secundùm id quod ha-
bet, accepta est *Deo*, 9. non *tantum* secundùm id quod non habet. Non enim, *scilicet*
impero, ut aliis sit remissio, *refectio ex nostris, ut vos deficiatis*, vobis autem tribulatio, 10.
sed *dico ut* ex æqualitate. In præsenti tempore, 11. vestra abundantia illorum inopiam sup-
pleat: ut & illorum *meritorum* abundantia vestræ inopiæ sit *in futuro* supplementum, 12. ut
nunc & tunc fiat æqualitas, *sufficientia vobis & ipsis*, sicut scriptum est, *in Exodo* 16. 13. 14.
Qui multum, non abundavit: *scilicet collegit de manna, non plus habuit*: & qui modi- G
cum, non minoravit, *scilicet collegit, non minus habuit. Ita qui multam pecunia collegit in*
præsenti ut Corinthij, non solus habeat; imò aliis impertiat. Ad hoc quod dixit rogavimus Ti-
C *tum*. Gratias autem ago Deo, qui dedit eamdem *quam habeo* sollicitudinem pro vobis in
corde Titi, quoniam *meam* exhortationem quidem *priùs audiens libenter* suscepit: *& non*
tantùm audivit: sed cum sollicitior esset, suâ voluntate profectus est ad vos. Misimus
etiam cum illo fratrem nostrum, *Barnabam*, cuius laus est in Evangelio per omnes Eccle-
sias: non solum autem, *laus est ei in Evangelio, id est, non solùm electus in prædicatione*,
sed & ordinatus est ab Ecclesiis, *à fidelibus Ecclesiæ, id est, Apostolis*, comes peregrina-
tionis nostræ, *ut mecum feras*, in hanc gratiam *collectionis*, quæ ministratur 15. à nobis ad
Domini gloriam, *gratiam dico*, & destinatam *ad* voluntatem nostram: 16. 17. devitantes
hoc, ne quis nos vituperet io hac plenitudine, quæ ministratur, *portatur sanctis*, à nobis
ut vacent Deo, in Domini gloriam. Ideo mittimus illos 18. 19. Providemus enim bona non
solùm coram Deo, *quod est si solus Apostolus pecuniam ferret, non his forsitan crederetur,*
cum ipse nihil fraudaret, sed etiam coram hominibus. Misimus autem cum illis & fra-
trem nostrum *Timotheum*, quem probavimus in multis sæpe sollicitum esse: nunc autem
multò sollicitiorem, confidentiâ multâ *habitâ* in vos, sive 20. pro Tito, qui est socius H
meus, & in vos adiutor, sive fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum, (*fortè quidam Aposto-*
D *li bona illorum referendo commendabant illos.*) gloria Christi, *quibus Ecclesiis glorificatur Chri-*
stus. Quia tales sunt. 21. Ostensionem ergo, quæ est charitatis vestræ, & nostræ glo-
riæ pro vobis, *quia charitas eorum gloria est Apostoli*, in illos, *quos mittimus*, ostendite
charitativè recipite illos, in faciem Ecclesiarum, *ut sitis exemplar*.

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. (*Altissima paupertas*) Cum tenues essent facultatum substantiâ, animus dives inventus est; ita ut cum lachrymis offerrent, & sic cogerent accipi à se, quod accipiendum non videbatur: quia plus erat, quam poterat eorum substantia.

2. LANFR. *Paupertas eorum*] Pauperes erant rerum terrenarum; sed divites simplicitatis & benignitatis.

3. (*Testimonium*) Ordo. Testimonium aliis reddo; quia secundum virtutem.

4. (*Obsecrantes nos*) Id est, precati sunt me, ut permitterem eos gratiam & communicationem facere de substantia sua, in hanc eleemosynam, quæ fit in sanctos qui sunt Hierosolymis.

5. (*Vt rogaremus Titum*) In tantum, inquit, largitate eorum provocati sumus, ut rogaremus Titum, ut sicut cœpit prædicatione & admonitione sua, perficiat in vobis gratiam, id est, largitatem istam.

6. AMBROS. (*Sed per aliorum*) Exhortatur ut penuriam patientibus mittant sumptus; & per eorum sollicitudinem, quam revelent, bonum animum suum ostendant.

7. LANFR. (*Scitis enim gratiam*) Quasi diceret: Propter amorem Christi libenter debetis largiri; quia ipse dives, propter vos pauper factus est.

A 8. AMBROS. (*Si enim voluntas*) Quoniam Corinthij ad hoc opus provocantur : hoc eis indicitur ; ut non plus tribuant quam possunt : ne plus fortè offerentes coacti , non voluntarij , viderentur sine mercede futuri : quia qui coactus aliquid facit , mercedem non habet.

. LANFR. [*Secundùm id quod, &c.*] Vel ille dat secundùm quod non habet , qui de quinque solidis , dat quatuor , quod faciendum est illi , qui habet decem libras , vel huiusmodi. Diceret aliquis , non valet si darent secundum quod habeant : Illi enim Macedones , plusquam posset eorum pati facultas , dederunt : ad hoc respondet. Si enim , &c. Quod est, qui vult dare secundum id quod habet , acceptus est Deo , non tantum ille qui vult facere ultra quam habet. Vel ita : voluntas prompta facere ultra quam possit , secundum id quod vult , est accepta , non secundum quod potest.

B 10. AMBROS. *Sed ex æqualitate*) Non enim plus erogitur , quam sibi debent retinere : *quia diliges* , inquit, *proximum tuum sicut teipsum.*

11. (*Vestra abundantia*) Id est , Hi qui facultates habent , ministrent sanctorum inopiis ; ut iterum illic sancti ubi sunt divites , & isti inopes , commodent his , quasi vicem rependentes ministerio illorum.

12. [*Vt fiat æqualitas*] Hæc est æqualitas , ut quia isti in hoc tempore ministrant sanctis , * reddant illis vices in futuro.

al.° sed danaut.

13. [*Qui multum non*) Plus habent sancti in spe futuri sæculi , quam hi qui hoc tempore videntur divites ; & tamen æquabuntur illic utrique ; ut sicut beneficio horum , sanctorum inopia sustentatur ; ita beneficio sanctorum divites fiant hi in futuro sæculo , in quo videntur pauperes.

E 14. LANFR. (*Qui multum*) Qui multum sæpe collegerat , id est , amplius quam gomorum non abundavit , id est , non plus habuit quam gomorum ; & qui modicum scilicet collegerat, id est, minus habuit quam gomorum. In Exodo autem ita habetur : *Nec qui plus collegerat , habuit amplius ; nec qui minus paraverat, reperit minus.*

15. (*A nobis ad Domini gloriam*) Ordo. A nobis destinatam, ad Domini gloriam, & ad voluntatem.

16. [*Devitantes hoc*) Quasi diceret. Ideo misimus fratrem boni testimonij cum Tito ; ne quis vituperet nos in hac * Epistola, eleemosyna ; dicens nos ex ea aliquid ad nostrum opus retinere.

* Epistola sedu... ..., vel ... in... ... ...

17. AMBROS. (*Devitantes hoc*) Ideo hoc subiecit, ne negligens circa curam sanctorum iudicaretur , si segnius hoc ageret.

F 18. (*Providemus enim bona*] Providet bona coram Deo , dum quod iubet Deus circa ministeria sanctorum , fieri docet coram hominibus : quia tales misit ad hoc opus exhortandum , qui probitate sua non faciant eis scandalum.

19. LANFR. (*Providemus enim*) Ideo , inquit , misimus eos , ne ministerium nostrum vituperetur , existimando nos esse fures , postquam viderint tot bonos quibus accommodatur , vel propter hoc mittimus tot, ne dicamur negligere illud mittendo unum , & existimari esse fur, vel negligere illud: bonum est nos evitare, ne simus causa malæ existimationis eorum : & hoc est quod dicit ; *Providemus enim bona, &c.*

20. (*Pro Tito*] Dicit fratrem , quem mittebat multam fiduciam habere in eis , quia Titum & alios Apostolos bene tractaverunt.

21. [*Ostensionem*) In illis , inquit , quos vobis mittimus , ostendite quam charitatem habeatis ; & quæ bona sit gloriatio vestra pro nobis.

CAPVT NONVM.

G

C RESponsio. *De receptione illorum scripsi vobis , & non de collectione* ; Nam de ministerio, quod fit in sanctus , ex abundanti , *superfluum* , est mihi scribere vobis. *Ecce enr.* Scio enim promptum animum vestrum , pro quo de vobis glorior apud Macedones (*dicens Apostolus Macedones , Achaiam paratam dicit ; ut inde Corinthy parati inveniantur*) 1. Quoniam & Achaïa parata est ab anno præterito , & *sic* vestra æmulatio provocavit plurimos. Misi autem *præfatos* fratres : ut ne quod gloriamur de vobis , *id est* , *gloriati sumus de vobis apud vos* , evacuetur (*quod esset , si non parassent illud*) in hac parte , *in referenda communione* , ut (quemadmodum dixi) parati sitis : ne cùm *ad vos* venerint Macedones mecum, & invenerint vos imparatos , 2. erubescamus nos *de hoc quòd gloriati sumus de vobis.* (ut non dicamus vos in hac substantia , *collatione.* (*Quod esset , si non parassent illud*) *Et ne erubescamus vobiscum* , necessarium ergo existimavi rogare fratres , ut præveniant ad vos , 3. & præparent , *parari faciant à vobis* , repromissam benedictionem hanc (*dona pecunia*) paratam esse sic , (*datam voluntariè*) quasi benedictionem , non tanquam avaritiam , *non invitè datam.* Hoc autem dico , *quia avarè non debetis dare : ideò quia* : Qui parcè seminat , *avarè dat* , parcè , *nihil*, & metet : & 4. qui seminat , *hilariter dat* , in benedictionibus , *largitate*, de benedictionibus & metet. *Et propter hoc* , Vnusquisque prout destinavit , *sive multum, sive parum* , in corde suo : *det* non ex tristitia , aut ex necessitate , *id est* , *coactione* , *sed hilaritate* : Hilarem enim datorem diligit Deus. *Et ne timeatis deficere.* Potens est autem, *enim* , Deus omnem gratiam , *spiritualem & corporalem*, abundare facere in vobis : (*Ne quis diceret , si darem qua habeo , posteà egerem , subiunxit ; potens est Deus omnem gratiam abundare facere : id est , iustificationem , & copiam rerum tribuere*) ut in omnibus semper omnem sufficientiam *corporis , & anima* habentes , abundetis in omne opus bonum , sicut scriptum est : *in Psalmo* 111. Dispersit , dedit pauperibus : 5. iustitia eius manet in sæculum sæculi. *Descriptio pro descripto.* 6. Qui autem administrat semen *quod des* seminanti , *danti* : & panem , *copiam rerum* , ad manducandum , *dato illo* , *vobis* præstabit : 7. & , *ut aliis subministrare possitis*, multiplicabit semen vestrum: & augebit (*Repetitio*) incrementa frugum iustitiæ vestræ: *bona opera, quibus iustificemini*: ut in omnibus (*Repetitio*) locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo, *id est, ministerium nostrum , operante simplicitate vestra, operatur gratiarum actionem Deo.* Quoniam (*gratiarum actionem exponit*) mini-

H

D

sterium,

ſterium, *id eſt, adminiſtratio dationis*, huius officij, *ſimplicitatis veſtræ*, 8. non ſolùm ſupplet ea quæ deſunt ſanctis, *eſt ſupplementum inopiæ ſanctorum*, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, *id eſt, propter hoc quod inopiam ſanctorum ſuppletis, gratias agunt Deo multi*, per probationem, *propter laudationem*, miniſterij huius, *id eſt, noſtræ operationis, & veſtræ largitatis*: glorificantes (*per multos dico*) Deum 9. in obedientia, *propter obedientiam quam habetis in Evangelio per prædicationem noſtram*, confeſſionis veſtræ, *ad confitendum, vel ad Dei laudem, vel ad confitenda peccata veſtra*, in Evangelium Chriſti, *ſcilicet abundat*, & ſimplicitate, *largitate*; communicationis veſtræ in illos, & in omnes *abundat*, & in ipſorum obſecratione *facta* pro vobis, *ipſorum dico*, deſiderantium, *diligentium*, vos propter eminentem gratiam Dei in vobis, *unde* Gratias ago, *referimus*, Deo ſuper inenarrabili, *id eſt, quod debet enarrari, vel enarrabili dono eius.*

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. (*Quoniam Achaïa parata*) Poſt Macedonas, Achaïam dicit paratam. Deinde ut Corinthij fiant parati.

2. LANFR. (*Erubeſcamus nos*) Si imparati, inquit, fueritis, nos verecundiam habebimus in hac ſubſtantia, id eſt, eleemoſyna, vos forſitan non habebitis.

3. (*Et præparent*) Ordo. Vt præparent benedictionem hanc repromiſſam paratam eſſe, ſic quaſi benedictionem, non quaſi avaritiam. Promiſerant enim Apoſtolo, quòd ita præpararent eleemoſynam, * benedictio non avaritia.

Fortè * benedictione non avaritiâ.

4. AMBROS. (*Qui ſeminat in benedictionibus*) Hic in benedictionibus ſeminat, qui bona voluntate ſpe futuræ retributionis hoc agit.

5. (*Iuſtitia eius manet*) Iuſtus eſt qui ſibi ſoli non detinet, quod ſit omnibus datum.

6. LANFR. (*Qui autem adminiſtrat*) Id eſt, Qui dat vobis unde eleemoſynam faciatis; dabit unde poſt datam eleemoſynam vos ſuſtentare poſſitis. Nec propter hoc tamen remanebit, quando quidem ſemen multiplicet, & fruges creſcere faciat.

7. AMBROS. (*Et multiplicabit*) Danti addit, ut eo amplius habeat unde largiri.

8. LANFR. (*Non ſolùm ſupplet ea*) Quatuor dicit fieri per adminiſtrationem huius officij, id eſt, beneficij. Sanctis enim qui ſunt Hieroſolymis neceſſaria exinde miniſtrantur, & per multos alios probantes hoc miniſterium, gratiæ Deo referantur: & multi exemplo Corinthiorum provocati, & illis ſanctis qui ſunt Hieroſolymis, & multos aliis plurima largiuntur; ut & ipſos Corinthios videant, propter eminentem gratiam, quam habent, ſedulo eos deprecantur.

9. (*In obedientiam*) Id eſt. Quia dum Evangelium Chriſti vobis prædicaret, ſtatim obedientes fuiſtis ad confitendum Chriſtum.

CAPVT DECIMVM

IPſe autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti, (*contra eos agit, qui dicebant eum præſentem humiliter loqui, abſentem verò minari; obſecrando per eam virtutem, quæ inter eos habere deſiderat.*) qui in facie quidem, *in præſentia veſtra*, humilis ſum (*ironia*) inter vos; abſens autem confido in vobis, *confidenter criminor.* Rogo autem vos; *ſcilicet ut ita vivatis*, ne præſens 1. audeam 2. per eam confidentiam, *id eſt, fiduciam, ſcilicet veritatis*, qua *à vobis* exiſtimor *abſens* audere in quoſdam: qui arbitrantur nos tanquam ſecundùm carnem ambulemus, *id eſt, carnalia nos diligamus.* In carne enim ambulantes *ſumus, id eſt, in carne exiſtimus* (*non eſt hoc in malam partem*) non ſecundùm carnem militamus, *id eſt, carnalia non diligimus.* 3. 4. Nam arma (*arma ideo dicit, quia repugnat vitiis*) militiæ noſtræ non carnalia ſunt: ſed potentia Deo, *per Deum* (*metaphoricè loquitur*) *contra munitiones, id eſt, ſententias philoſophorum iniquorum.* 5. Ad deſtructionem munitionum, (*aerearum poteſtatum, militamus* 6. conſilia *contra Deum* deſtruentes, & omnem altitudinem, *ſuperbiam*, extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & 7. in captivitatem redigentes, *id eſt ſubtrahimus diabolo* omnem *prædeſtinatorum* 8. intellectum, *intelligentem*, 8. in obſequium Chriſti, *ad obſequium Chriſti redigentes*, & in promptu, *ſtatim*, habentes, *id eſt, parati ſumus*, ulciſci, *punire*, omnem inobedientiam, *inobedientem*, cum impleta fuerit veſtra obedientia, *id eſt, cum pars noſtri obediens fuerit, vel perlatâ collatione veſtrâ ad ſanctos Hieruſalem. Obedientia veſtra, id eſt, mihi magis, quàm pſeudo debetis obedire, & ab aliis cavere.* 9. Quæ ſecundùm faciem ſunt, videte, *eos qui in facie gloriantur, id eſt, pſeudo, vitate.* Si quis *pſeudo* confidit ſibi Chriſti *Apoſtolum* ſe eſſe, (*contra eos, qui ſe Apoſtolo præferebant, quia Chriſti ſe eſſe dicebant. Et Apoſtolus: non ideò, inquit, ſunt maiores, quia ego ſum Chriſti*) hoc cogitet iterum apud ſe: quia ſicut ipſe Chriſti eſt, ita & nos, 10. *& non ideò maiores.* Nam & ſi amplius *quàm Chriſti me eſſe* aliquid gloriatus fuero, *ſcilicet*, de poteſtate noſtra, (*de apoſtolatu noſtro*) quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram: 11. non (*effectus pro cauſa*) erubeſcam, *id eſt, verum dicam.* Vt autem 12. 13. non exiſtimer tamquam terrere vos per Epiſtolas, *non exiſtimer ego, à vobis, quod velim tantùm terrere vos, comminando vos per Epiſtolas*: (*per parenthesim uſque, Hoc cogitet*) quoniam quidem Epiſtolæ *noſtræ*, inquiunt, graves ſunt, *ad intelligendum*, & fortes, *ad exequendum*: præſentia autem corporis *meî* infirma, & ſermo *meus* contemptibilis: hoc cogitet, qui eiuſmodi eſt, *qui hoc dicit*, quià quales ſumus verbo per Epiſtolas abſentes, *comminantes*, tales *erimus* & præſentes in facto, *id eſt*,

sicut in Epistolis nos facturos comminamur, si venientes ad vos nisi correptio, actu ipso exequemur. 14. Non enim audemus (*Remotio*) inserere, aut comparare nos quibusdam, *pseudo*, qui seipsos commendant, *non metientes se, sed ultra quam sint iactantes* : 15. sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes *sumus*, & comparantes nosmetipsos nobis 16. Nos autem non in immensum, *id est, non ultra vires*, gloriabimur, *id est, inde tantum gloriamur, quod prædicatione nostra vos convertimus*, sed 17. secundùm (*pro authoritate posuit*) mensuram regulæ (*regiminis*) qua mensus est nobis Deus, *scilicet gloriamur, secundum* mensuram, *dico* 18. pertingendi *prædicando* usque ad vos. Non enim 19. quasi non pertingentes ad vos, *ultra vos*, superextendimus nos : usque ad vos enim pervenimus in Evangelio, *prædicatione*, Christi. Non in immensum gloriantes (*dicendo nos prædicasse, quibus non prædicavimus*) in alienis laboribus, *in aliorum prædicatione* : spem autem habentes, *habemus, crescentis* fidei vestræ, *ut crescat fides vestra*, 20. in vobis magnificari, *id est, quod in vobis magnificabor*, 21. secundùm regulam nostram 22. in abundantiam, *in spe habens abundantiam, id est, spem habemus, quia etiam aliis præter vos prædicabimus*, 23. etiam in illa *loca*, quæ ultrà vos sunt, evangelizare, 24. 25. non (*Remotio*) in aliena regula, *in aliorum prædicatione*, in iis quæ præparata sunt, *prædicata ab aliis*, gloriari, *& hoc ideò, quia gloriatur, &c. vel & ita gloriari, ut qui gloriatur, &c.* Qui autem gloriatur, in Domino glorietur, *non in se, vel in alio.* 26. Non enim qui seipsum commendat, 27. ille probatus est : sed quem Deus commendat, *illos gloriantes.*

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Audeam*) Ordo. Audeam in quosdam ; id est, aliquid molestiæ inferam quibusdam vestrûm.

2. AMBROS. (*Per eam confidentiam*) Confidentia itaque fiduciam severitatis significavit ; quam in Epistola tantum habere putabatur ; & ideo commonet, ne eadem severitate præsens utatur, sicut non sperabant.

3. (*Nam arma militiæ*) Arma ideo dicit quia repugnant vitiis.

4. LANFR. (*Arma militiæ*) Arma militiæ Christianæ sunt virtutes, quæ potentes sunt auxilio Dei, ut destruant munita diversis calliditatibus consilia adversariorum, sive hominum, seu dæmonum.

5. AMBROS. (*Ad destructionem*) Arma spiritualis fides est incorruptæ prædicationis, per quam vincit munitiones, id est, principes & potestates nequitiæ, quæ se extollunt & armant infidelium animos ad contradicendum Christo.

6. LANFR. (*Consilia destruentes*) Superiori sententiæ coniungitur, non secundùm carnem militamus.

7. AMBROS. (*In captivitatem*) Captivat intellectum, dum contradicentem rationem vincit, & ad fidem Christi humilem & mansuetum inducit.

8. LANFR. (*In obsequium*) In pro contra intelligi potest, ut sit sensus. Captivantem intellectum ad obsequium Christi, vel intellectum, qui est contrà obsequium Christi. Id est, diligenter considerate opera eorum qui in conspectu vestro tantum bona agunt, ne forte vos seducant.

9. AMBROS. (*Quæ secundùm faciem*) Nunc vult eos quæ palam sunt considerare, id est, ea quæ dicturus est, quia aperta sunt, diiudicare.

10. LANFR. (*Nam etsi amplius*) Quasi diceret : possem dicere Apostoli sumus, & plus nobis obedire debetis.

11. (*Non erubescam*) Merito erubesceret, si se Apostolum diceret, & non esset.

12. AMBROS. (*Non existimer*) Ipse potest videri terrere per Epistolam ;* quia neque auctoritatis alicuius est, neque præsens fiduciam habeat arguendi. al.° qu.

13. LANFR. (*Non existimer*) Hoc dicit occasione illius sententiæ, quam superiùs dixit, parati ulcisci omnem inobedientiam : ut, inquit, non existimer à vobis tamquam terrere, quod minor implere ; sciatis quod minor dictis implebo factis.

14. (*Non enim audemus*) Inserit & comparem se facit aliquibus, qui opera eorum imitantur. Non, inquit, volumus imitari eos, qui seipsos commendantes adulantur vobis ; sed bona vestra laudamus ; mala punimus. Quales verbo, tales & facto.

15. (*Sed ipsi in nobis*) Metientes sumus nosmetipsos, nobis ; id est, nostris operibus, viribus : ne plus, vel aliud dicamus ; vel conemur quam facere possimus, vel debeamus.

16. (*Nos autem in immensum*) In tantum, inquit, gloriabimur, ut vestros esse Apostolos nos dicamus: hæc est enim mensura gloriæ nostræ, quam mensus est nobis Deus.

17. (*Secundùm mensuram regulæ*) Exponit quomodo intelligendum sit quod superiùs dixit : in immensum gloriabimur.

18. (*Pertingendi usque ad vos*) Mensura nostræ prædicationis pertingit usque ad vos ; id est per mensuram prædicamus, quia invasionem non facimus. Et hoc est quod dicit : *non enim, &c.*

19. (*Quasi non pertingentes*) Si alij ante hunc Apostolum in prædicatione Corinthiorum laborassent, & iste se eorum Apostolum, vocasset immensum, id est ultrà modum gloriari videtur.

20. AMBROS. (*In vobis magnificari*) Magnificari se credit apud Deum, si augeantur in fide auditores illius.

21. LANFR. (*Secundum regulam*) Regulam hìc vocat regimen, secundùm hoc, inquit, quod vos regimus, à vobis, id est per vos à Deo magnificamur.

22. (*In abundantiam*) In abundantia autem dicit, vel quia hæc prædicatio super prædicationem Apostolorum abundavit ; vel quia in ea erat abundantia donorum Dei.

23. (*Etiam in illa quæ ultra*) Spem hanc, inquit, habemus Evangelizandi fidem Christi, in illa loca quæ ultra vos sunt.

24. (*Non in aliena regula*) Non, inquit, spem habemus gloriari in aliena regula, in his videlicet locis quæ præparata, id est, evangelizata ab ipsis Apostolis.

25. AMBROS. (*Non in aliena regula*) Non audet in hos qui aliis prædicantibus crediderant ; nec in alienis laboribus videtur gloriari : Sed per hoc nititur ut eis prædicaret, quibus nun erat *, ut gloriam suo labore adquirat : gloriam autem Domino dandam significat, dicens : *Qui gloriatur in Domino glorietur.* Sup. tamquam Evangel.

26. (*Non enim qui seipsum commendat*) Verum est, quia illum Dominus commendat : & ille probatus est, quem dignum habet, ac mittit ut prædicet donum eius. Quem autem non mittit, non illum commendat. Ipse autem se commendat, quia * non missus prædicat. al.° qui.

A 27. LANFRANCVS. [*Ille probatus est.*] Non gloriari: quia non in se nec in alio: in se vel in alienis; sed in Domino volumus gloriari: quia omnis qui gloriatur in Domino, debet gloriari: quia non in se nec in alio: in se vel in alio non, quia qui sic agit non probatur à Deo. E

CAPVT VNDECIMVM.

1. VTinam sustineretis modicum quid insipientiæ, *iactantia*, meæ, sed & sup-
2. portate me, *dixi utinam optatiuè, sed nunc præcipiens dico supportate, quod debe-
tis facere*, 3. 4. æmulor enim vos Dei æmulatione, *quia diligo vos, vel si conturbo vos,
bono animo facio, ut vos exhibeatis castos, id est, incorruptos Christo, cui vos despondi.* 5. 6.
Despondi enim vos vni viro virginem (*virgines vult eos esse in fide*) castam, *non colentem
idola*, exhibere Christo. *Sed tamen* 7. Timeo autem, ne sicut serpens Evam sedu
xit astutia sua, ita corrumpantur *pseudo* sensus vestri, & excidant à simplicitate, *beni-
gnitate*, quæ est in Christo, *vel in iis qua sunt Christi. Quod pati non debetis.* 8. 9. Nam
si is qui venit, alium *maiorem* Christum prædicat, quem non prædicavimus, aut alium
maiorem Spiritum accipitis, quem non accepistis; aut aliud *dignius* Evangelium, quod
non recepistis: rectè pateremini. Existimo enim nihil me minùs fecisse 10. à ma-
gnis Apostolis, *Petro, Barnaba, & cateris.* 11. Nam etsi imperitus sermone, sed non scien-
B tia: *Id est, scienter egi.* 12. In omnibus autem manifestati sumus vobis. Aut 13. num-
quid peccatum feci, me ipsum humilians, ut vos *in fide* exaltemini? Quoniam gratis F
Evangelium Dei evangelizavi vobis? Alias Ecclesias expoliavi accipiens stipendium ad
ministerium vestrum, *id est, prædicationem vestram.* Et cum essem apud vos & egerem;
nulli, *aliquid rogando*, onerosus fui: 14. nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres,
qui venerunt à Macedonia: & in omnibus sine onere me vobis servavi, & servabo *ne
putaretis quod amodò aliquid vellem sumere. Iusiurandum.* Est veritas Christi in me, quoniam
hæc *non accipiendi* 15. gloriatio non infringetur in regionibus Achaïæ. *Dicebatur enim ti-
more non valendi convertere, non dilectione abstinere.* Quare *non infringetur?* Quia non diligo
vos? Deus scit *quia vos diligo.* Quod autem facio, *id est, non accipio*, & faciam: *scilicet
ideo facio* ut amputem occasionem *gloriandi* eorum, *pseudo*, qui volunt occasionem, (*glo-
riandi in eo, quod nihil prædicando accipiunt*) vt 16. 17. in quo gloriantur, inveniantur sicut
& nos. *Responsio.* 18. Nam eiusmodi pseudo-Apostoli sunt operarij subdoli, transfigu-
rantes se in Apostolis Christi. Et non mirum, *si ministri hoc faciunt*: ipse enim Sathanas
transfigurat se in Angelum lucis. Non est ergo (*conclusio à simili*) magnum, si ministri
eius transfigurentur, velut ministri iustitiæ: quorum finis erit secundùm opera
ipsorum, *id est malus.* 19. 20. 21. Iterum dico, (ne quis me putet insipientem esse:
22. alioquin, *si glorier*, velut insipientem accipite me, (*ac si dicat si vultis, me insipientem
C putate, ego tamen gloriabor*) 23. vt & ego modicum quid glorier (*modicum hoc dicit, quod in G
verbis non sensa est*) 24. quod loquor, *me gloriando*, non loquor secundùm Deum, sed quasi
25. in insipientia 26. in hac substantia gloriæ. *Causa cur glorietur.* Quoniam multi *pseu-
do* gloriantur secundùm carnem, & ego *non secundùm carnem* gloriabor. 27. *Quod
ferre debetis*: Libenter enim suffertis insipientes: cum sitis ipsi sapientes. *Vel verè, vel
ironicè.* Sustinetis enim (*quia hunc & hunc sustinetis*) si quis vos in servitutem re-
digit *docens vos iudaizare, vel supponens vos suo servitio*, 28. si quis devorat, *vestra
accipit*, 29. 30. si quis accipit, *decipit adulando*) *accipere est dolo capere*) si quis
extollitur, *iactando*, 31. 32. 33. si quis in faciem vos cædit (*in faciem caditur in
cuius os iniuria irrogatur*) *vel corporaliter.* 34. Secundùm ignobilitatem dico, (*si quis ex-
tollitur, &c.*) quasi nos infirmi, *non habentes quibus gloriemur*, fuerimus, (*cum potentiores
simus ea facere qua faciunt*) in hac parte *gloriandi: Ostendit se habere, quibus glorietur.* In eo
quo quis *pseudo* audet *gloriari* (in insipientia dico) audeo & ego: Hebræi sunt, & ego:
Israëlitæ sunt, & ego: semen Abrahæ sunt, & ego: ministri Christi, sunt, (vt minùs sa-
piens dico) (*in hoc quod plus dico, minus sapiens fio*) plus ego: (*& plus etiam ego minister Chri-
sti: & hoc probat, quia in hoc, & in hoc* (in laboribus plurimis, in carceribus abundan- H
D tiùs, in plagis suprà modum, in mortibus frequenter. A Iudæis 35. quinquies, quadrage-
nas *percussiones* vna minùs, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, *insecutus lapi-
dibus*, ter naufragium (*volentibus Iudæis demergere*) feci, *pertuli*, 36. nocte & die (*dum duceretur
Romam*) in profundo maris fui, *appellato Cæsare*, in itineribus sæpè, *multa pertuli*, periculis
fluminum *subiacui*, periculis latronum, periculis ex genere, *Iudæis*, periculis ex Gentibus,
Paganis, periculis *subiacui* in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in
falsis fratribus, *me prodere volentibus*: in labore, *corporis sui*, & ærumnâ *famis*, in vigiliis multis,
in fame, & siti, in ieiuniis multis, in frigore, & nuditate: præter illa, quæ extrinsecùs sunt,
præter cætera quæ passus sum in carne, instantia mea (*studium, vel incursus mentis*) quotidiana fuit,
sollicitudo omnium Ecclesiarum. *Per Parenthesim.* 37. Quis infirmatur, & ego non infirmor?
condolendo. Quis scãdalizatur, & ego non vror? Si gloriari oportet: *Si cogas me gloriari amplius,*
quæ infirmitatis meæ sunt, *vera dicam, quæ infirmitas* mea passa est, nihil confingẽs, gloriabor.

A *Iusiurandum per parenthesim* Deus & Pater Domini nostri IESV-CHRISTI, qui est benedictus in sæcula, scit quod non mentior, *in his qua sequuntur.* Damasci præpositus gentis Aretæ Regis, custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet: & per fenestram in sporta dimissus sum, per murum, & sic effugi manus eius. E

COMMENTARIVS.

1. LANFR. [*Vtinam sustineretis.*] Vtinam, inquit, sustinere velletis, id est audire quomodo me commendo, quod videtur insipientia. Etsi ego rescero vos debetis audire; & subdiuit: Æmulor enim vos, &c.

2. AMBROS. [*Vtinam sustineretis.*] Incipiens se laudare, insipientem se dicit, quia scriptum est: *Non laudent te labia tua, sed proximi tui.*

3. [*Æmulor enim vos.*] Quæ locutus est, amore eorum se dictum ostendit, ut non magis ad laudem eius proficiat; sed ad horum profectum, ut discant quemadmodum parenti suo in Evangelio faveant.

B

4. LANFR. [*Æmulor enim vos.*] Æmulatio est motus mentis propter alienum statum: Rogat ergo ut patienter ferant reprehensionem suam, quia ipse circa opera eorum movetur eo motu qui secundùm Deum est. Est enim in aliis motus, qui invidia dicitur.

Lib. 83. quæst. q. 59. & 4 al. * in et perisse.

5. AVGVST. [*Despondi enim vos.*] Nunc desponsata Ecclesia est, & virgo est, ad nuptias perducenda, id est, cum se continet à corruptione sæculari. Illo autem tempore nubet, quo universa mortalitate * prætereunte, immortali coniunctione fruetur.

6. LANFR. [*Despondi enim vos.*] Causa cur eos æmuletur; quia videlicet annulo fidei desponsavit eos uni viro, scilicet, Christo, ut exhibeant seipsos castam virginem sibi.

7. AMBROS. [*Timeo autem.*] Ostendit qua causa cogit ut vera de se protestari; non ut se laudet, sed ut eos deformet, qui sub nomine Christi contra Christum prædicant. Hoc enim agit, ne audiantur seductores,

C quos diabolo comparat propter astutiam

8. [*Nam si is qui venit.*] Loquitur hoc loco de veris prædicatoribus, quia plebs Corinthiorum variis erroribus fluctuabat: Nam alij pseudo-Apostoli, alij Apostolis favebant, qui cum Domino fuerant, de quibus Apostolus ait: si potior Christus ab his vobis prædicatus fuisset, aut potior spiritus datur, rectè nobis eos præponeretis.

9. LANFR. [*Nam si is qui venit.*] Si is, inquit, prædicator qui venit, & à Deo non mittitur, aliam fidem prædicaret vobis, & per eam fidem alium spiritum acciperetis; utcumque tolerabile esset, si eius damnationem pateremini: possetis enim dicere, prædicatio eius melior est quam Pauli; nunc vero, cum eamdem fidem prædicant, & ex sua parte plura respuenda addant, pati non debetis: & hic incipit exponere illud: Modicum insipientiæ; de quo superius dixit.

D

10. [*A magnis Apostolis.*] A magnis, quantò magis ab his qui nihil sunt? *Imperitus*, vel humilitatis causa hoc dicit; vel ut quidam dicunt, impeditæ fuerit linguæ, scientiam enim causam fuisse dicit quòd tanta peratus sit.

11. AMBROS. [*Nam & si imperitus.*] Hoc non ad Apostolos pertinet; sed hos tangit, quos præferebant Corinthij, causa accurati sermonis, cum in religione vis sermonis necessaria sit, non sonus dulcis.

12. LANFR. [*In omnibus, &c.*] Omnibus vobis manifestus sum, quod in omnibus licet imperitus sermone, scienter me habui, quia non peccavi in hoc quod me humiliavi, vel quod gratis prædicavi, id est, non capiens à vobis sumptus, dum prædicarem: Et hoc probat, nam ab aliis, inquit, Ecclesiis tantum capiebam stipendium, dum vobis prædicarem.

13. AMBROSIVS. [*Nunquid peccatum.*] Se ipsum humiliat, cum id quod sibi debebatur non exegit.

14. LANFR. [*Nam quod mihi deerat.*] Quasi aliquis diceret: Vnde ergo vivebas?

15. AMBROS. [*Hæc glorificatio non infringetur.*] Gloria est à licitis abstinere, maximè ad aliorum salutem.

16. [*In quo gloriantur.*] Gloria pseudo-Apostolorum in pecuniis erat accipiendis: ideo Apostolus hoc refutavit, ne illis similis videretur; quia nisi hoc ab Apostolo fuisset vitatum, maior occasio illis fuisset data accipiendi.

17. LANFR. [*In quo gloriantur.*] Ideo, inquit, non accipio, ut in quo gloriantur, id est, in accipiendo, inveniantur nobis similes, cum nos quoque nihil capiamus. Vel ideo non accipio, quia quidam prædicatorum sine stipendio prædicabant mendacium, ut religiosi viderentur, & se nobis præferre possent. F

18. [*Nam eiusmodi pseudo Apostoli.*] Reddit causam cur quidam illorum sine stipendiis prædicarent. Per hoc, inquit, transfigurant se in Apostolos lucis seu Christi.

19. AMBROS. [*Iterum dico.*] Semper proponit, quod postea multis prosequatur,

20. LANFR. [*Iterum dico.*] Superius dixit: *Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ*, scilicet commendationem sui, quæ indiscrete facta insipientia dicitur. Iterum dicit, ne quis putet eum insipientem, cum hoc non pro se ad illorum ædificationem faciat: alioquin si volunt, putent, dum ipse glorietur, tamen ad ædificationem.

21. [*Iterum dico.*] Item, inquit, & sæpe narro vitia illorum, ne quis audiens me redarguere illos, putet insipientem.

22. [*Alioquin velut*] Concessio adversæ partis, quæ tunc competenter fit, quando concedenti non est nocitura. G

23. AMBROS. [*Vt ego modicum.*] Modicum dicit, quia in verbis non in sensu est.

24. [*Quod loquor.*] Secundùm Deum non loquitur, quia ad carnis tumorem hæc pertinent, nec de inflatione apud Deum surgit gloria, quia apud Deum humilitas gloriosa est.

25. LANFR. [*In insipientia.*] Insipientia esset, si sponte gloriaretur, sed quia coactus, quasi in insipientis dicit,

26. [*In hac substantia.*] Id est, in hoc genere gloriæ, quæ fit secundùm insipientiam.

27. [*Libenter enim.*] Causa cur contra fallacium prædicatorum gloriam velit gloriari, quia videlicet Corinthij libenter ferebant insipientiam illorum, cum quidam ipsorum in verbo Dei sapientes essent.

28. AMBROS. [*Si quis devorat.*] Contenti erant devorari res suas à falsis Doctoribus. H

29. LANFR. [*Si quis vos in servitutem.*] Id est, carnales observantias legis, quæ servili timore impleri faciebat, dicens: Si quis hoc, vel illud fecerit, morte morietur.

30. AMBROS. [*Si quis in servitutem.*] Redigebantur in servitutem per stultitiam, ut famularentur pseudo-Apostolis.

31. [*Si quis in faciem.*] In faciē cæditur in cuius os iniuria irrogatur. Nunc hos significat, qui eo quod essent ex genere Abrahæ, obtrectabant eis, quod essent incircumcisi: unde sequitur, *secundùm ignobilitatem dico.*

32. AVGVST. [*Si quis in faciem.*] Quid sit in faciem cædi, hoc est contemni & despici. Quod quidem non ideo dicit Apostolus, ut illos non sustinerent, sed ut se magis qui eos sic diligeret, ut seipsum pro eis vellet impendi. Lib. 1. de S. Dom. in monte c. 19. n. 4

33. LANFR.

A 33. LANFR. (*Si quis in faciem*) In faciem cædere est, præterita mala ad memoriam revocare.
34. (*Secundum ignobilitatem*) Viriliter, inquit, dico quasi impotentes (vel intentiores) fuerimus, id est, facere; magnificentius enim possem dicere: quasi nos potentiores non fuerimus, quæ faciunt, facere.
35. (*A Iudæis quinquies*, Quinquies verberatus fuit, & in unaquaque percussione corrigiâ nodatâ quadraginta percussiones sustinuit, unâ minus, quaque vice. Vel quadragena vocatur ipsum *flagellum quadraginta corrigiis confectum, cum quo quinquies se dicit percussum, corrigia omni vice retenta sic enim lex misericorditer fieri præcipiebat.

E 36. AMAROS. (*Nocte & die*) Hoc factum est, cùm missus esset Romam, quia applasset Cæsarem, sic scriptum est in alio loco: Ita ut * desperaremus nos etiam vivere.
37. LANFR. (*Quis infirmatur*) Hoc & alterum quod sequitur, interea computanda sunt, * quia extrinsecùs ponuntur.

al.* cædere. 2.Cor.1. f.* quæ.

CAPVT DVODECIMVM.

SI *amplius* gloriari oportet *coactio vestra* (non expedit quidem, *scilicet gloriari*:) veniam autem 1. ad visiones, & revelationes Domini. *De se quidem agit coactione.* B Scio hominem in Christo, *Christianum*, ante annos quatuordecim, *tam præteritos*, (sive in, *cum*, corpore, sive extra corpus, *in exstasi*, nescio: *sed* Deus scit) 2. raptum huiusmodi *Christianum* usque ad tertium cælum. Et scio (*bis se motum dicit*) huiusmodi *fidelem* hominem, (sive in corpore, sive extrà corpus nescio: *sed* Deus scit) quoniam raptus est in paradisum: & audivit arcana verba, quæ non licet homini, *vel sibi, vel visionibus, vel alicui auditori*, loqui. 3. Pro huiusmodi gloriabor: pro me autem, *id est pro mea virtute, qua nihil est*, nihil 1 v. gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. *Potes in gloriari in infirmitatibus?* 4. *Responsio.* Nam, & si voluero gloriari, non ero *prorsus* insipiens: *ecce cur*: veritatem enim dicam: *possem quidem gloriari secundùm visiones, sed* parco autem, 5. ne quis me existimet *dicere* supra id quod videt in me, *id est, tam vilem personam, vel tam incomposite loquentem, in cælum nunquam esse raptam*, aut aliquid audit ex me. *Hæc mihi à Domino collata sunt.* 6. Et ne magnitudo revelationum, *magnæ revelationes*, extollat, *extollant*, me, *superbire faciant*, datus est mihi *à Domino* stimulus carnis meæ, *vel infirmitas capitis vel stimulus ventris, vel tribulationes*, 7. Angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Propter quod (*colaphizare*) ter Dominum rogavi, ut *stimulus ille* discederet à me: & dixit mihi *Dominus*, 8. 9. sufficit tibi gratia mea, 10. nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur, *ut virtus perficiatur*, gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod, *ut per-* C *ficiatur virtus, vel habitet*, placeo mihi in infirmitatibus meis, *id est, placent mihi hæ infirmitates*, in contumeliis, in necessitatibus *rei familiaris*, in persecutionibus, in angustiis *carcerum*, pro Christo *illatis mihi*: 11. cum enim infirmor, tunc potens sum, *infirmitas est mihi potentia, & perfectio.* Factus sum insipiens *gloriando*, (*iterum removet, quod non sponte gloriatur, cum ideò se stultum, & coactum se dicit*) vos *commendare* me coëgistis. Ego enim à vobis debui commendari: 12. nihil enim (*reddit causam* (minus fui ab iis, (*à bonis Apostolis, qui pretiosissimi vindicabantur, & multum esse supra eum*) qui sunt suprà modum Apostoli: *quantùm ad opinionem quorumdam*: 13. tametsi nihil sum, *illi quidem multùm, ego nihil, ut quibusdam videtur*: signa tamen Apostolatus mei, *indicia quæ ad Apostolum pertinent*, facta sunt super vos, *quibus debueram commendari*, in omni patientiâ, in signis, *in præsenti*, & prodigiis, *in futuro*, & virtutibus *miraculis.* 14. 15. Quid est enim quod minùs habuistis præ cæteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos, *vestra accipiendo?* 16. Donate (*ironicè*) mihi hanc iniuriam, *quia vestra non accepi*, 17. Ecce, tertiò hoc paratus sum venire ad vos, & 18. non ero gravis vobis, *vestra accipiendo.* Non enim (*causa*) quæro quæ vestra sunt, sed vos *tantùm.* 19. Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, *quia pater vester sum; Patres autem bona filiorum quærere non debent, nisi ut eos ædificent*: sed parentes filiis. 20. Ego autem *non quæram vestra, sed* libentissimè impendam *mea vobis*, & superimpendar *ego* ipse pro animabus vestris *salvandis*: licet plus vos diligens, minus diligar, *quantò magis* D *vos diligo, tantò minus à vobis, quam ab aliis Ecclesiis. Responsio.* Sed esto, ego vos non gravavi, *scilicet per me*: sed cum essem astutus, dolo vos cœpi, *per meos.* 21. Numquid per aliquem eorum, 22. quos misi ad vos, circumveni vos? *non, & hoc à partibus.* Rogavi Titum, & misi cum illo fratrem *Barnabam.* Numquid Titus vos circumvenit? *Non.* Nonne eodem spiritu, *eadem voluntate, quod non faciunt deceptores*, ambulavimus? nonne iisdem vestigiis? *operibus.* Olim putatis quod excusemus nos apud vos? *de hoc quod iam deceperimus, vos, capiendo vestra, vel de aliquo crimine.* Coram, *teste* Deo, in Christo, *id est, in veritate*, loquimur: omnia autem, charissimi, *quæ facimus, id est, quod vestra non accepimus, & alia*, propter ædificationem vestram. 23. Timeo enim, ne fortè cùm venero, non quales, *correptos*, volo, inveniam vos: & ego inveniar à vobis, qualem non vultis, *asperum, non parcentem: timeo* ne fortè contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, *palàm* susurrationes, *clam*, inflationes, seditiones, sint inter vos: 24. ne iterum cum venero, *ut priùs audito*

F G H

A *crimine eorum*, humiliet, *contristet* me Deus, apud vos; (*humiliaretur Apostolus, si cum veniret, eos incorreptos inveniret.*) 25. 26. & lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt. E

COMMENTARIVS.

1. LANFR. [*Ad visiones & revelationes.*] Si hæc non sufficiunt ad gloriationem maiora subiungam: quod non est, id est, quod stultum est; ideóque tacet sui nomen, dicitque, simpliciter se scire hominem cui hæc facta sunt, & sic removet sponte gloriari; etsi gloriatur pro huiusmodi, id est, secundùm quod homo ipse habet has visiones à Deo, & non à se: pro se autem licet glorietur, secundùm ea quæ patitur, gloriatur.

2. AMBROS. [*Raptum huiusmodi.*] Significat supra firmamentum, in tertium numero cœlum de spiritualibus cœlis raptum semetipsum.

B 3. [*Pro eiusmodi.*] Pro huiusmodi homine, id est, tam digno est Deo, ut hoc experiretur, gloriari se dicit, & non vult apertè dicere, quia de se loquitur, ne laudare se videatur.

4. AMBROS. [*Nisi in infirmitatibus.*] In infirmitatibus, inquit, gloriabor. Exponere enim pressuras passionum, & infirmitates angustiarum, non videtur gloriosum, sed flebile. Ideirco se in his gloriari dicit.

4. LANFR. [*Nam si voluero gloriari.*] Non gloriabor nisi pro his quæ Deus concessit posse, & nisi factis, & hoc est quod dicit: *Nam & si voluero gloriari, non ero insipiens.* Insipiens aliquis de suis gloriatur, alios de fictis, sed de fictis non gloriabor, veritatem enim dicam.

5. AMBROS. [*Ne quis me existimet.*] Ne quis me existimet, inquit, ultrà gloriatio meam tendere quàm limes meritorum admittit.

6. [*Et ne magnitudo.*] Hoc remedium datum est Apostolo, ut iniuriis pressus, animo non posset extolli, magnitudine revelationum, ne otiosum pectus rei esse haberet in his quæ viderat, extolli.

C 7. AVGVST. [*Angelus Sathanæ.*] Ne extolleretur tamquam iuvenis, colaphizatur tamquam puer: & à quo? Ab angelo Sathanæ. Quid est hoc? Dolore quodam corporis trahitur, exagitatur vehementer. Dolores autem corporum plerumque immittuntur ab angelis Sathanæ: sed hoc non possunt nisi permissi. Nam & sanctus Iob sic probatus est.

Expos. Ps. 30.

8. AMBROS. [*Sufficit tibi.*] Responsum sibi dicit, ut sufficeret sibi gratia Dei, quia vires tolerandi addebantur; unde gloriandum subiungit, quando iniuriis humiliatur, à Christo autem virtus tolerandi adhibetur.

9. LANFRANC. [*Sufficit tibi gratia mea.*] Id est, sufficere tibi debet gratia mea, id est, hæc infirmitas, quam ideo tibi do, ut virtus tua probetur, & ita coroneris, omnis enim virtus per infirmitatem probatur.

D 10. [*Nam virtus in infirmitate.*] Perfectam virtutem dicit esse, quæ habet infirmitatem contrariam, cum qua legitimè certet, ut postea coronetur.

11. AMBROS. [*Cum enim infirmor.*] Verum dicit, quia tunc vincit Christianos, cum perdere putatur, & tunc perdit perfidia, cum se vicisse gratulatur.

12. [*Nihil enim minus.*] Supra modum dicit, sicut quibusdam videbatur: Nam & hoc erant, quod & Apostolus Paulus.

13. LANFR. [*Tametsi nihil sum.*] Quamvis secundùm quorumdam stultorum opinionem, nihil sum; ea tamen feci super vos, quæ solent Apostolum designare. Omnem patientiam inter vos habui; signa & prodigia & cæteras virtutes, cùm opus fuit, feci. Distat autem inter signum, & prodigium, & virtutem. Signum genus est prodigij. Virtus genus est utriusque. Virtus potest vocari omne miraculum. Signum illud tantùm quod in quocumque tempore aliquid significat. Prodigium quod in futuro tantum.

14. [*Quid est enim.*] Superiorem sententiam probat: *Nihil minus feci, &c.* Quasi * dicere per hoc, liquet me nihil minus fecisse aliis Apostolis: quia vos nihil minus habetis quam aliæ Ecclesiæ, quæ instructæ sunt ab illis, quales enim sint magistri, probant Discipuli, sicut omnia quæ sine se esse non possunt. * f. diceret.

15. AMBROS. [*Quid est enim.*] Ostendit non minus illos, sed amplius; quod gratis illis Evangelium prædicaverit, quod nonnullis Ecclesiis concessum est, dicente Domino: *Dignus est operarius mercede sua.* F

16. [*Donate mihi hanc.*] Omnis stultus boni est accusator: Ut hos ergo imperitos ostendat, veniam ab eis postulat eius facti, de quo laude dignus est.

17. LANFR. [*Ecce tertio paratus sum.*] Semel venerat ad eos, & alia vice paratus fuit, sed non venit: & hoc est tertio, quo ad eos paratum se dicit venire.

18. [*Non ero gravis vobis.*] Ne diceretur ideo nunc venire, ut quidquid olim eis pepercerat, modo surriperet; dicit, non ero gravis vobis quia non quæro vestra, & hoc est non gravabo vos.

19. AMBROS. [*Nec enim debent filij.*] Patrem se eorum significat. Carnales tamen patres sunt qui filiis thesaurizant: Nam spirituales dignum est, ut à filiis accipiant sumptus. Hic autem in tantum se probat nolle accipere, ut transferat causam carnalis patris ad spiritualem.

20. [*Ego autem libentissimè.*] Dicit non solum sua pro salute eorum impendere, sed se etiam mori paratum. G

21. LANFR. [*Numquid per aliquem.*] Ne quis dicat, tu quidem per te non gravasti nos, sed callidè per tuos, hoc removet.

22. [*Quos misi ad vos.*] Per nullum, inquit, quos ad vos miserim, decepi vos: quia neque per Titum, neque per Barnabam, neque per quemlibet alium decepi vos: nam semper idem fui, & hoc est quod dicit, nonne eodem spiritu, &c.

23. [*Timeo enim ne forte.*] Facilius enim ad fidem veniebant, quod ab eis nihil accipiebat, & si acciperet tutiùs peccarent; & ideo dicit: timeo enim, &c.

24. AMBROS. [*Ne iterum cum venero.*] Illis peccantibus se humiliari dicit, quia ut pius pater eorum peccato deflet.

25. [*Et lugeam multos.*] Cum dicit & lugeam multos, eis probat quosdam ex his egisse pœnitentiam, quosdam non egisse. Quod Novatiano adversum est, qui dicit fornicatores non posse peragere pœnitentiam. H

26. LANFR. [*Et non egerunt pœnitentiam.*] Hinc comprobatur falsum esse quod perversè intelligentes inconsideratè attestantur Apostolum in Epistola sua ad Hebræos scripsisse, lapsos renovari ad pœnitentiam non posse.

***

CAPVT DECIMVM-TERTIVM.

1. ECce tertiò *apparatu* hoc venio ad vos: in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum, *in quo non credam cuique excusanti, nisi duobus, vel tribus testibus excusetur.* Prædixi, & prædico, 2. vt præsens, *vobis*, & nunc absens iis, qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam, *si sitis incorrepti. Scitis hoc quia vobis non parcam.* 3. 4. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus, (*exaggeratio*) qui in vobis non infirmatur, 5. sed potens est *vindicare, vel miracula facere* in vobis? 6. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate *carnis*: 7. sed viuit ex virtute Dei, *ex verbo Patris ex quo assumptus est.* Nam (*probat à simili, vel à minori* & nos 8. infirmi sumus in illo *prædicando; id est, ea parte, qua ipse*: sed viuemus cum eo ex virtute Dei in vobis, *quia nos efficaces sumus in miraculis faciendis; vel puniendis vobis, sicut ille. In vobis, id est, in conscientiis vestris.* Vosmetipsos tentate, *alter alterum, vel quisque seipsum*, si estis in fide: ipsi vos probate, *ad hoc scilicet Christus habitat in vobis.* An non cognoscitis vosmetipsos, *in hoc*, quia Christus Iesus in vobis est? nisi fortè reprobi estis. *Similiter ne diceretur ab illis reprobus, dicit.* Spero autem quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi. *Nolumus vos esse reprobos, sed* Oramus autem Deum vt nihil mali faciatis, non *ideò* vt nos probati appareamus, *id est, habeamus quid in vobis corrigamus*, sed vt 9. vos quod bonum est faciatis, *quid in vobis corrigamus non habentes*, 10. nos autem vt reprobi simus, *quasi viles, magisterium amittentes.* 11. 12. Non enim possumus aliquid 13. adversùs veritatem *edocendam*, sed pro veritate. 14. 15. Gaudemus enim, quoniam nos infirmi sumus, *non reperientes quid in vobis puniamus*; vos autem potentes estis, *benè agendo.* Hoc & *etiam* oramus, vestram consummationem, *perfectionem.* Ideò hæc absens scribo, vt non præsens duriùs agam, secundùm potestatem *Apostolatus*, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem. De cætero, Fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis; & dilectionis erit vobiscum. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti. 16. Gratia, *redemptio*, Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, *Dilectio Dei Patris, qui misit nobis saluatorem*, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARIVS.

1. LANFR.) *Ecce tertiò hoc*) Non dicit quod bis venerit, & tertia vice venturus sit, sed quod bis se præparauit, & venire non potuit, sed hoc tertio apparatu venturus sit.

2. (*Vt præsens vobis*) In primo aduentu suo in præsentia omnium bis prædixit quod subsequitur.

3. AMBROS. (*An experimentum*) Probationem quærunt Christi loquentis in Apostolo, dum præceptis non obediunt, volentes probare si audet vindicare.

4. LANFR. (*An experimentum quæritis*) Id est, vultis experiri sæuitiam meam vindicando in vos? *Christus loquitur*, dicit ad exaggerationem.

5. AMBROS. (*Sed potens est*) Potens est in his Christus, quia videtur in nomine eius mortuos suscitatos, dæmones fugatos; hæc omnia virtutis sunt, non infirmitatis.

6. LANFR. (*Nam etsi crucifixus est*(Quasi aliquis diceret. Quomodo eum non infirmari dicitis, sed potentem esse, quem constat esse crucifixum?

7. (*Sed viuit ex virtute Dei*) Viuit, id est, vigore & fortitudine plenus est. Sicut ad Hebræos: *Viuus est enim sermo Dei, & efficax ex virtute Dei, ex verbo Patris, ex quo assumptus est.*

8. [*Infirmi sumus*, Non est, inquit, mirum si Christus ex virtute diuinitatis potens est; cùm nos infirmi ex eadem virtute fortes simus. *In illo*, id est, in illa re in qua ipse infirmus fit; id est, in carne: potest intelligi in illo, id est, in prædicatione.

9. AMBROS. (*Vos quod bonum est*) Orat vt his benè agentibus, dum non auderent corripere, vt humiliati, vel reprobi appareant, probati autem à Deo videntur, dum iudicant peccatores auctoritate concessa. Si ergo quos iudicent, non sint, cessante in his auctoritate, quasi reprobi videntur.

10. LANFR. (*Nos autem vt reprobi*) Quasi diceret: Nos patienter portamus, si in conscientiis vestris reprobi simus tantùm, vt vos id quod bonum est faciatis.

11. AMBROS. (*Non enim possumus* [Hoc dicit, quia potestas non est data contra veritatem, vt arguant bene viuentes; sed pro veritate, vt vindicent in eum, qui inimicus est legis.

12. LANFR. (*Non enim possumus aliquid*) Reprobi volumus esse vobis benefacientibus; non enim volumus esse probi, potentes aduersùs veritatem, id est, contra benefacientes. Vel ita: *Non enim possumus aliquid adversus veritatem*, id est, non reprehendimus, nec damnamus in his qui veri sunt, id est, qui bene faciunt, & irreprehensibiles sunt.

13. (*Adversus veritatem*) Contra iustitiam, id est, veritatem, * mando posset si illis bona facientibus, orationibus proficeret, vt in conscientiis eorum probus appareret. Non iustum est, nec placet Deo, vt homo sanctus apparere quærat, nisi propter id tantùm, vt videntes bonum exemplum accipiant. f. * quando.

14. (*Gaudemus enim*) Alia ratio cur nolit apparere probatus.

15. AMBROS. (*Gaudemus enim*) Hoc est infirmari, non exercere potestatem. Hos autem optat fortes esse, vt bene viuentes, vitia vincant; & prohibeant à se vindictam aut correptionem.

16. (*Gratia Domini nostri*) Dilectio Dei misit nobis Saluatorem Iesum, cuius gratia saluati sumus: & vt possideamus hanc gratiam facit communicatio S. Spiritus. * Hæc enim dilectos à Deo, & saluatos à gratia Christi tuetur; vt trium perfectio, consummatio sit hominis in salutem. al. * Hic.

A E

EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI AD GALATAS.

CVM INTERIECTIS BEATI Lanfranci Glossulis.

ARGVMENTVM.

B F

GALATÆ, *sunt Græci. Hi verbum veritatis primùm ab Apostolo acceperunt, sed post discessum eius, tentati sunt à falsis Apostolis, ut in legem, & circumcisionem verterentur. Hos Apostolus revocat ad fidem veritatis: scribens eis ab Epheso.*

CAPVT PRIMVM.

1. PAulus Apostolus 2. 3. 4. non ab hominibus, *ab aliis Apostolis electus*, neqne per hominem, *per hos missus vel Ananiam, vel Christum hominem tantùm*, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitavir eum à mortuis: & qui mecum sunt omnes Fratres, Ecclesiis Galatiæ. 5. Gratia vobis & pax à Den Patre, & Domioo nostro Iesu Christo, qni dedit semetipsum (*commendat Christum*) pro peccatis nostris, 6. nt eriperet nos 7. de præsenti sæculn nequam, *sæculi nequitiâ*, secundùm volunratem Dei, & Patris nostri, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen. 8. Mirnr quod sic tam citò 9. 10. transferimini 11. ab en, qui vos vocavit in gratiam Christi, in 12. 13. 14. aliud Evangelium: quod non est aliud, nisi sunt aliqui, *dicentes aliud esse Evangelium*, 15. qui vns conturbant, *vel de carnalibus observantiis, qua non sunt aliud spiritualiter intellecta*, & volunt convertere Evangelium Christi. 16. Sed licet nos, 17. ant Angelus (*si eos dixisset tantùm, invidiæ causâ diceretur dixisse*) de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicnt prædiximus, & nnnc iterum dico: si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit. *Præmittit anathematizationem, ut faciliùs credatur.* 18. 19. 20. Modò enim 21. hominibus suadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? *ut pseudo, aut persequens ut prius; sed non, & subdit cur.* Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. 22. Notum enim (*ad hoc quod dixit, non ab hominibus*) vobis facio, Fratres, Evangelium, qnnd evangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem, *humanam doctrinam:* 23. neque enim ego ab homine *quasi scriptum* accepi illud, neque didici, sed per revelationem Iesu Christi. 24. 25. Audistis enim conversationem meam aliquandò in Indaïsmo, qunniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & prnficiebam in Iudaïsmn, 26. supra mnltos coætaneos meos, *eâdem ætate*, in genere meo, *Iudæorum*, abundantiùs 27. æmulatnr existens paternarum mearum traditinnum. 28. 29. Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, *ab infidelitate synagoga, vel carnali parentelâ*, & vocavit per gratiam suam, nt revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus: continuò 30. non acquievi carni, & sanguini, *vel parentibus meis*, neqoe veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos: sed abij in Arabiam: & iterum reversus sum Damascum: deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, *non causa discendi, sed tantùm videndi*, & mansi apud eum diebus qoindecim *tantùm, quibus non videor posse dedicisse*: alium autem Apostolorum vidi *tunc* neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. Quæ autem scribo vobis; 31. ecce coram Deo, *teste Deo*, quia non mentior. Deinde veni in partes Syriæ, & Ciliciæ. 32. Eram autem ignotus facie Ecclesiis Iudææ, quæ erant in Christo: tantùm autem auditum habebant: quoniam (*ego Paulus*) qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem *Christi*, quam aliquandò expugnabat: & in me clarificabant Deum.

C G D H

COMMEN

A

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Paulus non ab hominibus* , &c.] In aliis Epistolis data salute, statim incipit a gratiarum actione : hic autem non ; neque enim tales erant, unde redderet.

Exposit. capitis primi in Epist. ad Galat. tom. 4. al * enunciat.

2. AVGVST. [*Non ab hominibus*] Qui ab hominibus mittitur, mendax est; qui per hominem * verax esse potest : quia Deus verax potest per hominem mittere. Priores ergo Apostoli à Deo per hominem missi sunt, per Iesum scilicet adhuc mortalem. Novissimus Apostolus per Christum, iam totum Deum, id est, omni ex parte immortalem : Sit ergo eius æqualis auctoritas in cuius honorem implet clarificatio Domini ; si quid habeat ordo temporis, minùs ideò, cum dixisset *& Deum*, addidit : *qui suscitavit illum*.

3. AMBROS. (*Non ab hominibus*] Idipsum dicens dividit, ut ostendat ipsa multitudine narrationis, nullo modo illos verum dicere.

B

4. LANFRANC. (*Non ab hominibus*] Quidam putabant illum non esse Apostolum missum à Christo, sed ab aliis Apostolis, aut ab Anania : hoc abnegat, ut maioris auctoritatis sit apud eos, quibus verbum Dei prædicabat.

5. AVGVST. (*Gratia vobis & pax*] Gratia Dei est, quâ nobis donantur peccata, ut reconciliemur Deo. Pax autem quâ reconciliamur Deo. (Ibid.)

6. AMBROSIVS, [*Vt eriperet*] Liberavit nos Christus à præsentis sæculi vita ; in qua multa de illis quæ non conveniebant, fiebant. Constituitque in spe futuræ vitæ, quod nullo modo præstare nobis lex valuit.

7. AVGVST. (*De præsenti sæculo*) Sæculum præsens malignum propter malignos homines, qui in eo sunt, vocat. Sicut malignam domum propter malignos inhabitantes dicimus. (Ibid.)

8. AMBROS. (*Miror quod sic*) Conveniens principium novitati factorum. Sic enim posuit, miror; quasi quia & res accidit, quæ numquam fieri credebatur.

C

9. LANFRANC. [*Transferimini*] Galatæ isti, pars ex Iudæis, pars ex Gentibus ad fidem Christi ab Apostolo fuerant conversi : sed post discessum eius venerunt pseudo-prædicatores qui eos qui ex Iudæis conversi fuerant, cogebant Iudaïzare : eos vero qui ex Gentibus ad fidem venerant, elementa mundi adorare, dies & annos observare.

10. AMBROS. [*Transferimini*] Non dicit, transducimini, sed transferimini, quasi exanimes aliquos, & qui animi motum non habeant.

11. (*Ab eo qui vos*) Vt ne viderentur à Christo tantùm discedere, adiecit à Deo.

12. LANFRANC. [*In aliud Evangelium*) Evangelium est bona annuntiatio, prædicatio ergo illorum non erat Evangelium ; quia bona annuntiatio non erat. Potest etiam intelligi aliud Evangelium, observatio Iudaïcæ legis, quæ ab Evangelio Christi non discordat, si spiritualiter intelligatur : hoc est enim quod ait : *non sint aliqui*, id est, non desunt illi qui carnaliter & perversè eam intelligunt.

D

13 (*Aliud Evangelium*) Evangelium non est diversum nisi his qui spiritualiter intelligere nolunt. Vel illud non est Evangelium, nisi illis qui vos decipiunt: & illi tales anathematizarentur. Et hoc non dicit, sed ut exaggeret, apponit.

14. AVGVSTIN. [*In aliud Evangelium*) Evangelium si est aliud præter id quod sive per se, sive per alios Dominus dedit ; iam nec rectè Evangelium dici potest. (Ibid.)

15. (*Qui vos conturbant*) Cum dixisset conturbant vos ; non dixit, & convertunt, sed volunt convertere Evangelium ; sed manet firmissimum, & non conversum. (Ibid.)

E

16. AMBROS. (*Sed licet nos*] Ostendit quod non se illis præponat ; sed ut veritatem vindicat.

17. (*Aut Angelus*) Hoc adiecit, quod neque loci dignitas, neque personæ veritati exæquaretur.

18. [*Modo enim*] Hoc dicit, ut ostenderet se, qui pro veritate huiusmodi verba deprompsit, nullius momenti eos, qui sibi derogaverant existimans.

19. AVGVST. (*Modo enim hominibus*] Sensus iste est, hominibus suadeo, & non Deo. Deo enim manifestari suinus : & quia hominibus suadeo, quæro hominibus placere ? si hominibus placerem, id est, placere quærerem, Christi servus non essem. (Ibid.)

20. LANFRANCVS, [*Modo enim hominibus*] Quasi diceret. Non adulando loquor, ut placeam vobis ; sed increpando levitatem vestram, ut placeam Deo.

21. (*Hominibus suadeo an Deo ?*) Diceret quis, cur ita anathematizas ? ideo, inquit, ut suadeam me non esse participem, vel persuasorem circumcisionis, ut pseudo-apostoli. Vel ideo anathematizo, quia non suadeo, ut hominibus velim placere : & hoc sub interrogatione ita : *aut quæro hominibus placere.*

F

22. (*Notum enim vobis*] Ad hoc respondet, quod superiùs dixit : *Non ab hominibus ; neque per hominem.*

23. (*Neque enim ego*] Quasi diceret. Homo me non docuit : quia ego non didici ab homine.

24. [*Audistis enim*] Exponit qualiter Evangelium acceperit per revelationem Iesu Christi.

25. AMBROSIVS, [*Audistis enim*] Dicendo de lege qualiter desudaverat, ostendit, quoniam legem non sprevit, sed quod melius est, cognovit & elegit.

26. (*Supra multos*) Bene coætaneos. Hoc enim maius si iuvenibus vehementior videbatur.

27. AVGVSTINVS, (*Æmulator existens*] Id est, imitator traditionum, quæ erant contrariæ Ecclesiæ. Lex enim spiritualis est : multa autem tradiderant dissolventes mandata Dei propter traditiones suas. (Ibid.)

28. LANFRANCVS, [*Cum autem placuit*) Probat quia non accepit Evangelium ab homine : nam neque post conversionem, nec ante conversionem. Ante conversionem non accepit ab homine, quia impugnabam illud, quod audistis. Post conversionem non accepi, quia neque statim, quod est non acquievi, nec post tres annos, nec post quatuordecim : post aliud tempus constat. Removet illas partes de quibus suspicabatur.

G

29. AVGVSTINVS, [*Cum autem placuit*] Segregatur de utero matris quodammodo quisquis à carnalium parentum consuetudine cæca separatur. Adquiescit autem carni & sanguini quisquis carnalibus propinquis carnaliter suadentibus assentitur. (Ibid.)

30. AMBROSIVS, [*Non adquievi*) Non dicit Apostolus, sed neque hominibus, sed carni & sanguini ; & dixit statim non exposui ; exposuit enim postea illis.

31. AVGVSTINVS, [*Ecce coram Deo*) Iurat itaque. Iuratio quæ à malo est, non iurantis sed incredulitatis eius quæ iurare cogit. Nam ita intelligitur Dominum prohibuisse à iurando ; Vt, quantum in ipso est, quisque non iuret : quod faciunt multi habentes in ore iurationem tamquam magnum aut suave aliquid (Ibid.)

H

32. LANFRANCVS, [*Eram autem ignotus*) Ab eis non accepi, quia cum constet me iam prædicasse, eram illis ignotus facie ; quis eram tantum notus auditu.

A E

CAPVT SECVNDVM.

DEinde post annos quatuordecim iterùm 1. ascendi Hierosolymam cum Barnaba, *Sed neque tunc accepi*) assumpto & Tito. Ascendi autem secundùm revelationem: &, *ut scirem, si ab eis in Evangelio discreparem*, contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, 2. seorsum autem *contuli Evangelium cum* iis, qui 3. videbantur aliquid esse: 4. 5. ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem, *quod esset, si aliud, quam illi, prædicassem*. 6. Sed neque 7. Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis *ab Apostolis*, compulsus est circumcidi, *non hoc ex arrogantia*, sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, *liberam prædicationem nostram*, quam habemus in Christo Iesu, 8. ut nos in servitutem redigerent. Quibus neque ad horam cessimus subiectione, *non arroganter*, *sed* ut 9. 10. veritas Evangelij permaneat apud vos. 11. 12. Ab, *vel de* iis autem, 13. qui videbantur esse aliquid, (quales (*servi*, *pauperes*, *peccatores*) aliquando fuerint, nihil *dicere* mea interest. 14. Deus enim personam hominis non accipit, *sed ex omnibus accipit credentes*) mihi enim, 15. qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt, *profuerunt*. 16. Sed econtra cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputij, *Gentium*, sicut Petro circumcisionis: (qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, *Iudæorum*, operatus est & mihi inter Gentes) & cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse 17. dextras dederunt mihi, & Barnabæ 18. Societatis, *signum societatis*, *vel concordia evangelica*: ut nos in Gentes *iremus*, ipsi autem in circumcisionem, *Iudæam*: tantùm *hoc addiderunt* ut pauperum *sanctorum Hierusalem* memores essemus: quod etiam sollicitus fui, *cum priùs fuissem sollicitus*, hoc ipsum facere. *Alia commendatio.* 19. 20. Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, 21. in faciem, *palam*, ei restiti, quia reprehensibilis erat. *Ostendit non esse sibi magistrum, cum restitit.* Priùs enim (*exponit unde reprehensibilis, quia cogebat Gentes iudaizare, in eo quod magis inhærebat Iudæis.*) quam venirent quidam *ex Iudæis conversis* à Iacobo, cum Gentibus *conversis* edebat *Petrus*: cùm autem *conversi à Iacobo* venissent *Antiochiam*, subtrahebat, & segregabat se *Petrus à Gentibus*, timens eos, qui ex circumcisione erant. (*Non enim ita credebat faciendum, id est, circumcidi, sed ne fieret in Ecclesia discordia*) Et simulationi eius (*simulabat enim Petrus non esse comedendum cum Gentibus*) consenserunt cæteri Iudæi: ita ut & Barnabas duceretur, *consentiret*, ab eis in illam simulationem, *ut nollent communicare cum Gentibus*. Sed cum vidissem, quod non rectè ambularent ad veritatem Evangelij, dixi Cephæ coram omnibus, 22. si tu cùm Iudæus sis, Gentiliter vivis, & non Iudaicè: quomodo Gentes 23. cogis Iudaïzare? *assumptio*. Nos naturâ Iudæi, *tu*, *& ego*, 24. & non ex Gentibus (*scilicet sumus, & gentiliter vivimus: quod est, & nos in Christo credimus*) 25. peccatores, *qui peccatores vocabantur*. Scientes autem quòd non iustificatur homo 26. ex operibus legis, nisi per fidem *tantùm* Iesu Christi; & nos in Christo Iesu credimus, ut iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propter quod (*quia ex fide Christi tantùm*) ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. *Huc usque interpositio, & verba Apostoli ad Petrum.* 27. 28. Quod si quærentes iustificari in Christo *tantùm*, inventi sumus & ipsi peccatores, 29. numquid Christus peccati minister est? *Est utique, si sit illud.* Absit, *ut Christus minister sit peccati.* 30. 31. Si enim quæ destruxi, *in lege esse iustificationem*, iterum hæc reædifico: prævaricatorem me constituo, *non credens quod dico, id est, per legem iustificari. Unde hoc? Respondet cur; quia quæ destruxi, constituo.* 32. 33. 34. Ego enim per legem *spiritualem*, legi mortuus sum, ut Deo vivam: 35. Christo, *sequendo eius vestigia*, confixus sum cruci. 36. Vivo autem, iam non ego *ut prius, vel qui fui*: 37. 38. vivit verò in me Christus, *quoniam vitam illam immortalem sperat. Exponit.* Quod autem nunc vivo in carne: in fide vivo Filij Dei, qui dilexit me, (*commendat*) & tradidit semetipsum pro me. *Ideò.* 39. 40. Non abiicio gratiam Dei. 41. 42. Si enim per legem iustitia, *non per mortem Christi*, ergo 43. gratis Christus mortuus est.

B F

C G

D H

COMMENTARIVS.

1. LANFR. [*Ascendi Ierosolymam*) Ascendit quidem, non ut disceret; immo quia putabatur Evangelium suum ab Apostolis divisum, propter hoc quia non fuit cum cæteris electus, nec audierat à Christo: ideo dicit se divina revelatione venisse, ut conferret cum eis Evangelium suum; nec amplius iustè posset reprobari.

Expos. cap. 2. ad Galat. 2. AVGVSTINVS. (*Seorsum autem*) Hoc non ideo factum est, quod aliqua falsa dixerit, ut seorsim paucioribus vera diceret: sed aliqua tacuerat, quæ parvuli portare non poterant. Perfectionem ergo illius, opus erat ut scirent cæteri Apostoli.

3. [*Videbantur*) Carnalibus hominibus videntur esse aliquid; nam non sunt ipsi aliquid: etsi enim boni ministri Dei, Christus in illis est aliquid. Ibid.

4. [*Ne forte in vacuum*) Ne forte in vacuum curro, aut cucurri? Quasi per interrogationem dictum intelligendum; ut ex eo appareret, non eum in vacuum currere, aut cucurrisse; quia iam attestatione cæterorum, nihil ab Evangelij veritate dissentire approbatur. Ibid.

5. AMBROS. (*Ne forte in vacuum*] Id est, nequando existimarer proprium, quod iter exequi, & cæteris Apostolis inconveniens.

6. LANFRANC. (*Sed neque Titus*] Voluerunt alij

Apostoli

A Apostoli vt Titus circumcideretur propter vitandum scandalum quorumdam fidelium, qui ex circumcisione crediderant; sed non permisit Apostolus eum circumcidi propter quosdam falsos Christianos qui clam conversabantur inter fideles, vt explorarent libertatem eorum, qua circumcisionem & alias carnales obseruantias non curabant; ad hoc explorabant, vt eam libertatem, cum aliqua calliditate destruerent, & legales obseruantias persuaderent.

7. (*Titus qui mecum erat*) Sed neque tunc accepit. Et hoc est quod dicit: non fui subditus illis; quia nec etiam Titus. (à minori] Sed tamen non fuit hoc ex arrogantia, sed propter falsos fratres. Libertatem vero dicit, quia liberè prædicabat, negligens carnales obseruantias. Quidam autem falsi venerunt, vt viderent an Ipse Hierosolymus consentiret legis obseruantiis.

B Ibidem. 8. AVGVST. [*Vt nos in seruitutem*) Id est, vt iam circumcisionem ipsius, etiam Pauli adtestatione, tamquam saluti necessariam prædicarent.

9. AMAROS. *Veritas Euangelij*) Id est, vt sit euidens probatio Evangelium nostrum prædicatum esse; cum adversarios (neque quando apod illos eramus) non pertimuimus.

10. (*Ab his autem*) Hoc dicit, ne vanè videatur contra maiores se extollere; & est interiacens, ab eo loco vbi dicitur: *Sed neque Titus*, vsque ad locum: *Mihi autem videbantur esse aliquid.*

11. LANFR. (*Veritas Evangelij*) Veritas Evangelij est, sine circumcisione & aliis legalibus obseruantiis, moralia Dei præcepta cum fide obseruare.

12. (*Ab his autem*) Ordo. Qui autem videbantur ab his esse aliquid, Petrum & Ioannem & Iacobum significat; quia maioris inter cæteros Apostolos dignitatis erant, quos paulo post columnas vocat. Dicit ergo nihil ad se pertinere, ostendere quales & loco & scientia ante vocationem fuerint. Non aliis Apostolis

C derogat; sed quia Galatæ alios Apostolos vltra modum magnificabant huic eos præferentes, atque ideo auctoritatem huius viliorem habentes: ostendit se æqualem esse eis, & doctrinam Evangelij ab eis non accepisse.

13. (*Qui videbantur esse aliquid*) Ne quis diceret eum debere eis consentire, quia meliores eò fuerunt, quia non persecuti sunt Ecclesiam, sicut ille: ad hoc respondet, non ex inuidia, sed vt se commendet, id est, suam prædicationem: dicitque; *ab his autem qui videbantur esse aliquid*, id est, hi qui videbantur esse aliquid, licet possem dicere quales, scilicet viles, & , vt ego, peccatores essent, nihil tamen mihi contulerunt.

14. (*Deus personam hominis non accipit*) Hoc ideo dicit: quia reprehendebatur quod prius persecutus fuerat Ecclesiam; quasi hi qui modo sunt iusti, & sancti & magni apud omnes, non fuerint, sicut ego, peccatores. Et hoc inde, quia Deus non est acceptor

D personarum. Similiter ego quamuis persecutor fuerim, non debeo à vobis vilipendi.

Ibidem. 15. AVGVST. (*Qui videbantur*) Petrus & Iacobus & Ioannes honoratiores cæteris erant; quia ipsis se in monte Dominus ostendit, in significatione regni sui cum ante sex dies dixisset: sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis in regno Patris sui.

Ibidem. 16. (*Sed è contra cum vidissent*) Id est, econtrario pro reprehensoribus approbatores perfectionis fuerunt. Potest & sic esse ordo, sed econtra ut nos quidem in Gentes iremus, quæ sunt contrariæ circumcisioni.

Apud Bed. 17. (*Dexteras dederunt mihi*) Dicit venisse se Hierosolymam, & Evangelium cum Apostolis contulisse, dexteras sibi datas fuisse, id est, concordiæ signum consonantiæ, quòd ab eis quæ sibi didicerant, in nihilo discrepabat.

18. LANFR. [*Barnabæ societatis*) Per hoc ostendit se Discipulorum Christi non fuisse Discipulum; alioquin non se socium vocaret.

E Epist. 19. ad Hieron. 19. AVGVST. (*Cum venisset Cephas*) Neque enim negamus in hac sententia fuisse iam Petrum, in qua & Paulus fuit; non itaque tunc eum quid in ea re verum esset, docebat; sed eius dissimulationem, quâ Gentes iudaizare cogebantur, arguebat. Non ob aliud nisi quia illa omnia sic simulatorie gerebantur, tamquam verum esset quod dicebant illi qui sine circumcisione præputij, atque aliis obseruationibus vmbræ futurorum, putabant credentes saluos esse non posse.

20. LANFR. (*Cum autem venisset, &c.*) Item probat quia nec Antiochiæ, a Petro Evangelium accepit quia restitit ei, erat enim reprehensibilis.

21. (*In faciem ei restiti*) Vtile non esset, quod palam nocebat, corrigi in occulto: prætermittendum namque erat de charitatis * infirmitate tanti Apostoli. Vel ideo quod quidam subintroducti insidiabantur, qui referrent Paulum non esse ausum arguere Petrum; & circumciderentur. (f. firmitate.)

F 22. [*Si tu cum Iudæus*) Gentiliter viuebat; quia indiscrete cum omnibus edebat, & neminem immundum putabat. Probat autem quia cum sit Iudæus, & tamen gentiliter viuit, non debet Gentes ad Iudaismum cogere. Est autem in libro totus Syllogismus præter conclusionem

23. (*Cogis iudaizare*) Exemplo suo Gentes iudaïzare cogebat Petrus, & ritum Iudæorum sequi, quando ipse in præsentiam eorum qui ex Iudæis crediderant, à consortio Gentilium more Iudaico se subtrahebat.

Exposit. c. 2. in Epist. ad Galat. 24. AVGVST (*Et non ex Gentibus*) Peccatorum nomen Gentibus imposuerunt Iudæi, iam vetustâ quadam superbia, tamquam ipsi iusti essent; videntes stipulam in oculo alieno, & non trabem in suo: sicut

G interest inter irridentes & irrisores; inter murmurantes, & murmuratores, inter scribentes & scriptores, & cætera similia: ita scriptura peccatores appellare consueuit valde iniquos, & peccatorum sarcinis oneratos.

25. LANFR. (*Peccatores*) Generali vocabulo peccatores vocat Idololatras.

26. [*Ex operibus legis*] Ex operibus legis, non: nam si hoc esset, non in Christo tantum esset iustificatio, sed in Christo tantum est. Si in Christo tantum non est iustificatio, peccamus qui deserentes legem, quærimus tantum in Christo iustificari: sed hoc non est; nam si hoc esset, quod peccaremus quærentes tantum iustificari per Christum Christus minister esset peccati; ergo non peccamus quærentes in Christo tantum iustificari. Quod si verum est, ergo ex operibus legis non iustificabitur omnis caro: nam si hoc dixero, præuaricatorem me constituo, qui legem deseruerim, quam iustificantem concedo

27. AMBROS. [*Quod si quærentes*] Est obscuritate inuolutus intellectus. Vult autem dicere, quod secun-

H dùm legem non iustificemur: accessimus ad Christum quasi per eum iustificandi. Si autem hac spe in eum credentes inuenimur peccatores, quia legem non custodimus, videtur aduentu suo peccati extitisse prouisor.

Ibidem. 28. AVGVST. [*Quod si quærentes*] An forte quia in Christo voluerunt iustificari, peccauerunt? Quia si iusti erant, vtique aliud quærendo peccauerunt. Sed si ita est, ergo Christus minister est peccati.

29. LANFR. [*Nunquid Christus*] Ex persona infirmorum hoc sibi dicit. Dixit Iudæos superius non esse peccatores, & postea subintulit, quod etiam ipsi iustificantur ex fide Iesu Christi; sed omnis qui iustificatur, in peccato fuit. Videbatur ergo malè * intelligenti, vt Christus peccata prius ministraret; vt per fidem & gratiam suam postea viuificaret (f. * intelligi.)

30. [*Si enim quæ destruxi*] Quasi diceret, hanc quæstionem sæpe mihi oppositam destruxi; quam si iterum ædifico mendacem & præuaricatorem me constituo.

31. AVGVST.

A Ibid. 31. AVGVSTINVS, [*Si enim quæ destruxi*) Destruxit autem superbiam glorientem de operibus legis, quæ destrui & deberet & posset, ne gratia fidei videretur non necessaria; & ideo prævaricator est, si rursus illa ædificat, dicens quod opera etiam legis sine gratia iustificant; ut Christus peccati minister inveniatur.

Ibid. 32. AMBROS. [*Ego enim per legem*] In ipsa enim lege prædicatum inveni Christum, cui credens, mortuus sum legi.

33. AVGVST. (*Ego enim per legem*) Quia Iudæus fuerat, & tamquam pædagogum legem acceperat. Hoc autem agitur per pædagogum, ut non sit opus pædagogo: sicut per ubera nutritur infans, ut iam uberibus non indigeat.

34. LANFR. (*Ego enim per legem*) Ad superiora probanda redit. Dixit superiùs quòd ex operibus non iustificatur omnis caro, & hoc probat dicens se mortuum legi suæ per legem Christi, ut Deo vivat: frustra enim moreretur legi suæ ut Deo viveret, si per eam iustificari posset; cum nihil sit aliud Deo vivere,

B quam in conspectu Dei iustum esse.

35. [*Christo crucifixus*] Id est, cum Christo crucifixus sum, sicut ille carne, ita ego vitiis & concupiscentiis.

36. AMBROSIVS, [*Vivo autem*) Quia in baptismate, mortis & resurrectionis forma impletur. Ea quæ ipsa ic futuro sunt, facto iam dicit, quia eorum habet spem.

E 37. (*Vivit vero in me Christus*] Quoniam illius vitam mortalem spe vivit.

Ibid. 38. AVGVSTINVS, (*Vivit verò in me Christus*) Vivit verò in me Christus quid ergo? Nega te, noli tu ipse vivere in te. Quid est noli tu vivere in te; nisi facere voluntatem tuam; sed illius qui habitat in te?

Ibid. 39. (*Non abiicio*] Si ergo me Christus dilexit, & tradidit semetipsum pro me; non irritam facio gratiam Dei, ut dicam per legem esse iustitiam?

40. LANFR. [*Non abiicio*] Quamvis, inquit Iudæus sim, & observantia legis videar esse iustus, non tamen abiicio gratiam Dei, id est, remissionem peccatorum per fidem Christi.

41. (*Si enim per legem*) Ad superiora item probando redit; *quia ex operibus legis non iustificatur omnis caro, &c.* Contrariam partem ad inconveniens ducit.

F 42. [*Si enim per legem iustitia, &c.*) Adhuc probat per legem non esse iustitiam: nam si hoc esset, non esset per Christum, etsi non esset per Christum, mors Christi gratis fuit, id est, cassa, cùm nullum fructum attulerit. Inter diffinitionem & diffinitum.

43. (*Christus gratis mortuus est* Ad hoc Christus mortuus est, ut credentes in se iustos faceret. Gratis ergo mortuus est, si legalis observantia iustos facere posset.

CAPVT TERTIVM.

1. O Insensati Galatæ, quis vos fascinavit (*tenera res, & imbecilles dicuntur fascinari*) non obedire veritati, 2. 3. 4. ante quorum oculos 5. Iesus Christus præscriptus est, *damnatus est; dum vos hereditas sua subtrahimini sibi*, in vobis crucifixus? *& ipse exhæreditatur crucifixus pro vobis, vel habentes in memoria ipsum esse passum pro vobis.* 6. Hoc solùm à vobis volo discere. 7. Ex operibus 8. legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? G

C *Ex hoc utique.* Sic stulti estis, 9. ut cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? *Spiritualiter vivere incæpistis, ad carnales observantias redeatis. Ergo quia fidem non habetis,* Tanta passi estis 10 sine causa? si tamen sine causa. (*Repetit quæ dixit; ex operibus legis spiritum non habere, sed ex fide, quia Abraham, &c.*) Qui ergo tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus, *propter opera*, legis, an ex auditu, *propter auditum*, fidei *tribuit hoc?* Sicut scriptum est: (*probat si Abraham per fidem*) Abraham credidit Deo, *id est, fidem habuit, & ex ea iustitiam*, & reputatum est illi ad iustitiam. 11. Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ. Providens autem scriptura, *ex fide iusti sunt, nam Scriptura dicit Geneseos* 12. quia ex fide iustificat Gentes Deus: prænuntiavit Abrahæ: quia 12. benedicentur in te, *in tua fidei imitatione; vel in eo, qui nascetur ex te, id est, Christo*, omnes Gentes. Igitur, *quia scriptura testatur*, qui ex fide sunt, benedicentur, *id est, iustificabuntur*, cum fideli sicut fidelis Abraham. 13. Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledictu sunt. Scriptum est enim, *in Deuteronomio* 27. (*huius propositionis præmissa est ab authoritate*) 14. Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus (*assumptio, & conclusio*) quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. *Ergo* (*& repetit locum à contrario*) Quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est:

D quia iustus 15. ex fide vivit. *Diceret aliquis, lex est fides; & sic iustitia ex lege.* 16. Lex H autem non est ex fide: *id est, lex non præcipit credere, sed facere:* sed (*ex re*) qui fecerit ea, *quæ sunt in lege*, vivet in illis. 17. Christus nos redemit de maledicto legis, 18. factus pro nobis maledictum, *id est, maledictus à Iudæis, vel factus mortalis: & ponit causam pro effectu,* (quia scriptum est: (*probat Christum fuisse maledictum: nam omnis qui pendet in ligno: hoc non scriptum est*) maledictus omnis, qui pendet in ligno:) *ad hoc fuit Christus maledictum* ut in Gentibus 19. benedictio, *iustificatio*, Abrahæ *per fidem* fieret in Christo Iesu, ut 20. pollicitationem spiritus, *id est, iustificationem à spiritu promissam*, accipiamus per fidem. Fratres (secundùm hominem dico) tamen (*à simili*) hominis 21. confirmatum *priùs* testamentum nemo spernit, *destruit*, aut superordinat, *aliud. Est tunc aliquod testamentum aliud à Deo confirmatum? est, inquit, Abrahæ, & semini eius.* Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. 22. Non dicit; & seminibus quasi in multis, *quod dicit semini, & non seminibus, notat unitatem Ecclesiæ, cui promissio facta est: & hoc dicit propter eos, qui schismata faciebant,* sed quasi in uno, 23. 24. Et, *scilicet*, semini tuo, qui est Christus. 25. Hoc autem, *fidem, vel ipsam promissionem,* dico, testamentum confirmatum à Deo: *ipsa Dei immutabilitate: post factam à Deo promissionem,*

quam

A *quam dicit prius testamentum*: quæ post quadringentos, & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad evacuandam, promissionem, *ut evacuetur fides testamentum, quod esset, si hæreditas gloria, non esset in charitate.* 26. Nam (*probat*) si ex lege hæreditas, 27. iam non ex promissione (*assumptio*) Abrahæ autem per repromissionem, *per fidem*, donavit Deus, *scilicet hæreditatem. Obiectio.* 28. Quid, *ad quid*, igitur lex *est posita? Responsio.* 29. Propter transgressionem (*ne quis faceret ultra quod faciendum esset*) posita est, *scilicet lex*, 30. donec veniret 31. semen, cui promiserat. *Deus iustitiam, vel benedictionem*, ordinata *lex* per Angelos in manu, *potestate*, mediatoris, *Christi*. 32. Mediator autem, *ne duo intelligerentur, subdit*, unius non est: 33. Deus autem unus est. 34. 35. Lex ergo adversus promissa Dei? Absit. 36. Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset iustitia. 37. 38. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. *Obiectio: alicui ergo data est lex?* Priùs autem quàm veniret fides, *ante Christi natalem*: sub lege custodiebamur 39. conclusi, (*ne ultra quàm decet faceremus*) *nos iuri* in eam fidem, quæ revelanda erat. Itaque lex, Pædagogus noster (*quia in ipsa custodiebamur, quod est officium pædagogi*) fuit in Christo: ut ex fide iustificemur. At ubi, *nato Christo*, venit fides, iam non sumus *constricti* sub pædagogo, *ut servi*. 40. 41. Omnes enim Filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu. *Ostendit cur fideles Filij Dei sint.* Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. 42. Non est Iudæus, neque Græcus: (*non est differentia Gentis*) non est servus, neque liber: *vel conditionis*): non est masculus, neque fœmina (*vel sexus*) 43. Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu. 44. Si autem vos Christi: *si in Christum, inquit, credatis, spiritualesemen Abrahæ estis, imitando eum*: (*A pari*) 45. 46 ergo semen Abrahæ estis, *credendo sicut ipse* (*A pari*) *ergo* secundùm promissionem hæredes.

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. (*O insensati Galatæ*) Interiectum est ab eo loco, usque ad hunc, *solum à vobis volo, &c.* Poterat enim dicere: hoc solum volo à vobis discere.

2. (*Ante quorum oculos*) Præscriptus est & in vobis crucifixus: vult quidem dicere; quod cum multo affectu verba crucis audistis, ita ut ante oculos nostros depingeretis ipsam crucem, paulo minus & illa quæ eo tempore facta sunt. Qua ergo fascinatione tantum abiecistis affectum, quem erga Christum habere videbamini?

In Expo sit. c. 3. in Epist. ad Galat. tom. 4. 3. AVGVST. (*Ante quorum*) Hoc est, quibus videntibus Christus Iesus hæreditatem suam, possessionemque amisit; his utique auferentibus eam, dominumque inde expellentibus, ad legis opera eos qui crediderant revocando, & auferendo illi possessionem suam, id est, eos in quibus gratia fidesque inhabitat.

4. LANFR. (*Ante quorum oculos*) Ante oculos mentis eorum Iesus Christus proscriptus est, id est, damnatus & crucifixus erat, id est, contemptui habitus; putantibus eis per fidem ipsius non iustificari hominem, sed per observantiam legis.

Ibid. 5. AVGVST. (*Iesus Christus præscriptus*) Aliter Iesus Christus præscriptus est crucifixus; addidit, *crucifixus*, ut hinc eos maximè *moneret; cum considerarent quo pretio emerit possessionem, quam in eis amittebat. (al.* moveret.)

D Ibid. 6. (*Hoc solum à vobis*) Hinc incipit demonstrare gratiam, quemadmodum gratia fidei sufficiat ad iustificandum sine operibus legis.

7. LANFR. (*Ex operibus legis spiritum accepistis*) Si spiritum habetis ex fide, quod iam probaverat, & ideo dicit, ergo virtutes habetis ex fide, quæ sunt causa iustitiæ, id est, ipsam iustitiam habetis ex fide, sed hoc est, ergo illud. Illis sunt virtutes ex fide, quia iustitia fuit Abrahæ ex fide: nam scriptum est, &c. Habet autem pro paribus virtutes & iustitiam; quorum alterum alterius causa est.

8. (*Spiritum accepistis*) Spirituales gratias acceperunt credentes, non opera legis facientes.

9. (*Vt cum spiritu cœperitis*) Cum spiritu cœperitis *velut, spiritualiter, vel legem spiritualiter intelligere, nunc carne, id est, carnali vita, vel lege carnaliter intellecta. (f.* vivere.) Consumamini, coniunctivum à consumor, consumeris, id est, pereatis; Consummamini, indicativum à consummor, consummaris; id est, vitam finitis, utraque enim in hoc loco scriptura reperitur.

10. (*Sine causa*) id est, inutiliter patitur, qui fidem Christi non habet.

11. (*Cognoscite ergo*) Quia Abraham ex fide iustus; & omnes ex fide tantum iusti (quod est æquipollens) hi sunt filij Abrahæ. G

12. AMBROS. (*Benedicentur in te*) Hoc est tecum, & communicabunt tibi benedictionem.

13. LANFR. (*Quicumque enim*) Quasi diceret; aut ex fide est benedictio, aut ex operibus: sed ex operibus non est (ex illa enim benedictio) ex fide igitur.

14. AMBROS. (*Maledictus omnis*) Lex omnem, qui super lignum pendet, existimat, maledictum; eo quod huiusmodi pœna illis statuta qui multis rei inveniuntur.

15. LANFR. (*Ex fide vivit*) Si iustitia non est ex lege, est ex sola fide.

16. (*Lex autem non est*) Id est, fides Christi non permittit legem Iudæorum servari: vel lex & fides non concordant. Sed lex dicit, qui fecerit; non dicit qui crediderit.

17. (*Christus nos redemit de maledicto*) Dicit quia omnis qui non permanserit in his quæ sunt scripta in libro legis, est maledictus; ita & tu qui manes. Ad hoc respondet, *Christus nos redemit, &c.* H

18. AVGVST. (*Factus pro nobis*) Ea parte mortali pependit in ligno. Mortalitas autem unde sit notum est credentibus. Ex pœna quippe est, & maledictione peccati primi hominis; quam Dominus suscepit, & peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Ibid.

19 LANFR. (*Benedictio Abrahæ fieret*) Probat quia fides, non lex, dat iustitiam. Nam si lex iustitiam daret, ea testamentum fidei Abrahæ ad nos factum destrueret: Sed lex illud destruere non valet: nullum enim posterius testamentum destruit primum, sed testamentum fidei est prius, lex posterius. Hæc assumptio est in libro ita; *hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, &c.* Probat à simili in libro, quia nullum posterius testamentum destruit primum; quia in humana consuetudine ita est, quod posterius testamentum non destruit primum, mortuo eo qui

A fecerit : & hoc est, secundùm hominem dico. Quod autem interponit, *Abrahæ dictæ sunt promissiones* : Ad hoc respondet quod quæreret, si quod testamentum a Deo sit alicui confirmatum, dicens. hoc Abrahæ factum esse, & semini eius, qui est Christus.

20. [*Pollicitationem spiritus*] Id est, promissionem spiritus, quem se daturum promisit credentibus. Vel iustificationem, quam Spiritus sanctus credentibus pollicitus est, dicens : *In semine tuo, &c.*

21. [*Confirmatum testamentum*) Testamentum, inquit, hominis de rebus suis nemo spernit : multò igitur minus testamentum Dei, per quod gentes in semine Abrahæ benedicendas esse testatus est, spernendum est.

22. [*Non dicit & seminibus*] In promittendo non dicit Deus in seminibus tuis benedicentur omnes gentes, sed in semine tuo.

23. AVGVST. *Et semini tuo*] De populo Israël nata est Virgo, & peperit Christum; Et ecce in Christo B benedicuntur omnes gentes : Quid verius? Quid certius? Quid apertius?

Ex tractat. Evang. secundum Ioan. 39.

24. [*In semine tuo*) Et quia & nos ad id pertinemus, quod est Christus nobis simul incorporatis & illi capiti cohærentibus, vnus est Christus, & quia & nobis dicit ; *ergo Abrahæ semen estis, secundùm promissionem heredes.* Si enim vnum est semen Abrahæ ; & illud vnum semen Abrahæ, non intelligitur nisi Christus: hoc semen Abrahæ sumus nos: hoc ergo totum, id est, caput & corpus vnum, est Christus.

25. LANFR. (*Hoc autem dico*) Ordo. Dico autem lex quæ post quadringentos & triginta annos facta est, non facit irritum hoc testamentum. Si enim soli obseruantes Iudæorum legem in semine Abrahæ benedicerentur : ex quadam parte irritum factum esset testamentum Dei, & euacuata promissio eius, qua omnes gentes in semine Abrahæ benedicendas esse promisit.

26. [*Nam si ex lege hæreditas*) Benedictio vel hæreditas per fidem tantum accipitur: non enim per legem. C quia lex testamentum fidei a Deo ad Abraham prius confirmatum non destruit, ergo si lex non destruit testamentum fidei non dat benedictionem, vel hæreditatem. Sed non destruit hominis testamentum confirmatum, aliud testamentum posterius factum, à simile præmittitur propositioni probandæ, quod lex non destruit testamentum, quod ita est in libro: *Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, &c.*

27. (*Iam non ex promissione*) id est, si hi soli qui legem Iudæorum obseruant, hæredes sunt; iam non datur hæreditas secundùm promissionem Dei, quæ de omnibus dicit.

Ex Ser. 13. de verb. Apost. c. 4. 10. 10.

28. AVGVST. (*Quid igitur lex?*) Quid igitur lex? Quasi, quæ vtilitas legis? prævaricationis gratia posita est, hoc est quod alibi dicitur : lex enim subintrauit, ut abundaret delictum, prævaricationis gratiâ D posita est. Vnde humiliaretur ceruix superborum multum sibi tribuentium, ut liberum arbitrium sibi putarent posse sufficere ad iustitiam.

29. AMBROS.) *Propter transgressiones* (Superbienti populo lex posita est, ut quoniam gratiam charitatis nisi humiliatus accipere non posset, transgressione humiliaretur, ut quæreret gratiam.

30. LANFR. (*Donec veniret semen cui*) Deus Pater hæreditatem totius mundi promiserat Christo, sicut in Psalmo : *Postula à me, & dabo tibi gentes, &c.*

Expos. cap. 3. Epist. ad Galat. 4. fol. 383.

31. AVGVST. [*Semen cui promisit*) Semen cui promissum est, populum significat credentium.

32. AMBROS (*Mediator autem*) Si Filius Dei in naturali æqualitate manere vellet, ne se exinaniret formam serui accipiens, non esset mediator Dei & hominum; quia ipsa Trinitas vnus est Deus. Sic itaque vnicus Filius Dei, mediator Dei & hominum factus est, cum Verbum Dei Deus apud Deum & maiestatem suam vsque ad humanam deposuit; & humilitatem humanam vsque ad divinam subuexit; ut mediator inter Deum & homines homo. E

33. LANFR. (*Deus autem vnus est*) Quia Christum dixit * Dei videlicet & hominum, & Christus est, videbantur esse duo dij, sed absit : Vnus enim Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. *sup. * mediatorem.*

34. (*Lex ergo adversus promissa Dei*) Item probat quod lex non dat hæreditatem, vel promissionem, vel benedictionem : nam si lex daret, promissio, id est, fides non daret ; sed promissio tantum dedit Abrahæ hæreditatem, ergo lex non dat hæreditatem : quod est, *lex ergo adversus promissa Dei?*

35. AVGVST. (*Lex ergo adversus*) Replicat ipsam quæstionem.

36. LANFR. (*Si enim data esset lex*) Item probat. Lex non dat hæreditatem, quia non dat vitam, quia si lex daret vitam, daret & iustitiam (à pari) sed non dat iustitiam : quia omnia sunt sub peccato apud Iudæos, quia scriptura dicit : ergo lex non dat iustitiam F [a relatione] ergo nec vitam [à pari) ergo nec hæreditatem dat, lex. Ergo per fidem tantum datur hæreditas, vel promissio, vel benedictio, vel vita : omnibus his etenim vtitur ut paribus.

37. AMBROS. (*Sed conclusit*] Conclusio eorum erat, timor vnius Dei.

38. LANFR. (*Sed conclusit scriptura*] Conclusit lex omnia sub peccato ; vel quia perfectè nullum malum liberauit à peccato : vel quia tamen difficilis data est; vt cum impleri non posset, prævaricatores omnes constitueret.

39. (*Conclusi in eam fidem*] Conclusi, id est, constricti timore velut serui eramus in expectatione eius fidei, quæ reuelanda erat in adventu Christi.

40. [*Omnes enim Filij Dei*) Probat quia non sumus serui sub pædagogo lege : nam liberi, id est, filij estis, quia Christum induistis, id est eius opera facitis. Omnes enim baptizati Christum induunt ; sed vos estis baptizati, ergo Christum induistis. Item quòd omnes G baptizati Christum induunt : nullus enim excipitur: & hoc est, *non Iudæus*, scilicet exceptus, *neque Græcus, &c.* ergo qui baptizati estis, Christum induistis : hoc est ; *Omnes enim vos vnum estis.*

41. AVGVST. (*Omnes enim filij*] Quod autem dicit Dei filios esse per fidem; quia induerunt Christum quicumque in Christo baptizati sunt ; ad hoc valet ne Gentes de se desperarent, qui non custodiebantur sub pædagogo. *Ibid.*

42. AMBROS. [*Non est Iudæus*) Differentia ista vel Gentium, vel conditionis, vel sexus, iam quidem ablata est ab vnitate fidei ; sed manet in conversatione mortali,

43. AVGVST. (*Omnes enim vos*) In quantum enim fideles sunt omnes, vnum sunt in Christo Iesu. Et si hoc fides facit, per quam in hac vita iustè ambulatur; quanto perfectius atque cumulatius id spes ipsa factura est, cum videbimus facie ad faciem. *Ibid.* H

44. [*Si autem vos Christi*] Si autem vt hic subdistinguatur, & subaudiatur? *Vos vnum estis in Christo Iesu* : ac deinde inferatur : *Ergo Abrahæ semen estis.* *Ibid.*

45. (*Ergo Abrahæ semen*] Hic ostendit vnum semen Christum, non tantum ipsum mediatorem intelligendum esse; sed etiam Ecclesiam, cuius ille corporis caput est. *Ibid.*

46. AMBROS. [*Ergo semen* [Si vnum est semen Abrahæ, & illud non intelligitur nisi in Christo Hoc autem semen Abrahæ nos sumus; hoc est totum, id est, caput & corpus, vnus est Christus.

CAPVT

A E

CAPVT QVARTVM.

1. DIco autem : 2. 3. quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cum
sit Dominus omnium : 4. sed sub tutoribus, & actoribus est *placitando* usque ad
præfinitum tempus à patre : 5. ita & nos, (*interponit se , totum pro parte*) cum essemus par-
vuli *sensu* , *ante fidem* , sub elementis mundi, *sicut ille sub tutoribus*, eramus servientes.
At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, 6. factum ex muliere, 7. fa-
ctum sub lecte, (*singula singulis respondent*) ut eos, qui 8. sub lege erant, redimeret, 9. ut
adoptionem filiorum reciperemus, *ut essemus adoptivi filij*. Quoniam autem estis filij: mi-
sit Deus Spiritum filij sui in corda vestra, 10. clamantem : *clamare nos facientem*, Abba,
Pater, *id dicis syriacè, & latinè*. 11. Itaque, *quia filius*, iam non est servus *quis vestrum*, sed
filius. Quod si filius : (*à pars*) & hæres per Deum, *per gratiam Dei*. Sed tunc quidem
ignorantes Deum, *cum serviebatis elementis, minus culpabiles*, iis, qui naturâ non sunt dij,
B *sed voluntate hominum*, serviebatis. Nunc autem cum cognoveritis Deum 12. imo cogniti F
sitis à Deo : 13. quo modo 14. convertimini iterum 15. ad infirma & 16. egena, *non haben-
tia unde vivant*, 17. elementa *colenda*, quibus denuò servire vultis ? 18. Dies *Sabbato-
rum* observatis, & menses, *neomenias*, & tempora *annorum*, & annos, *iubilaeos*, *& qui
nihil operatur. Et quia vultis iterum Iudaizare*, Timeo vos, ne fortè sine causa, *inutili-
ter*, laboraverim in vobis ? *quod ne fiat*. 19. 20. Estote *conversi* sicut ego, *modò conver-
sus*, 21. quia & ego sicut vos *fui olim* : fratres *ne iudaizetis*, obsecro vos. 22. Nihil me læ-
sistis, *imo profuistis, sicut Angelum Dei suscipientes*. Scitis autem quia 23. per infirmitatem
carnis *afflictus, vel infirmus*, evangelizavi vobis iam pridem : & 24. 25. tentationem
vestram, *pro vobis factam*, in carne mea 26. non sprevistis, neque respuistis : sed sicut
Angelum Dei excepistis me, sicut (*exaggeratio*) Christum Iesum, *& ita tunc beati vos*.
Vbi est 27. Ergo, *nunc autem*, *ubi* beatitudo vestra *pristina* ? *non me læsistis : vel bonum mihi
fecistis*. Testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, (*benevolentia, ut sibi
obediant*) oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Ergo inimicus vobis factus sum,
28. verum dicens vobis ? *Illi qui persuadent me inimicum vobis esse : vel vos iudaizare*. 29.
Æmulantur vos non benè : sed excludere vos volunt, *à fide, vel à mea dilectione*, ut illos
æmulemini, *imitemini*. Bonum autem *in illos*, æmulamini in bono semper : & non tan-
C tùm cum præsens sum apud vos. 30. Filioli mei, quos iterum 31. parturio, *cum labore re- G
voco*, 32. donec formetur Christus in vobis *resipiscentibus*. Vellem autem esse apud vos
modò, *quos voco filios, vocarem pessimos : vel quos admoneo blandiendo*, & 33. mutare vo-
cem meam, *commutarem imperando* : quoniam confundor in vobis. 34. Dicite mihi, qui
sub lege vultis esse, legem non legistis ? Scriptum est enim : 35. quoniam Abraham
duos filios habuit : unum *Ismael* de ancilla *Agar*, & unum *Isaac* de libera *Sara*. Sed qui de
ancilla, 36. secundùm carnem natus est : qui autem de libera *natus est*, per repromissio-
nem, quæ *prædicto modo* sunt per allegoriam dicta. *Quid hæc ad legem ?* Hæc enim sunt duo
testamenta, *nam aliud dicunt, & aliud signant; quia dicunt filios, & signant duo testamenta*.
37. Vnum quidem *datum* in monte Sina, in servitutem generans : 38. quæ est Agar, *quæ
signat Agar* : (*parenthesis*) 39. Sina enim, (*exponit quid Sina*) mons est in Arabia : 40. qui
coniunctus est ei, quæ nunc est Hierusalem, & 41. servit cum filiis, *incolis*, suis. 42. Il-
la autem, quæ sursum est Hierusalem, 43. libera est; quæ est mater nostra. 44. Scri-
ptum est enim : 45. Lætare sterilis, quæ non paris : erumpe, & clama, quæ non partu-
ris : quia 46. multi filij desertæ, *Ecclesia, ad tempus, dum fuit lex*, magis quàm eius, *Sy-
nagoga*, 47. quæ habet virum. *Diceret quis, quid ad nos quæ modò dixisti ?* Nos autem fra-
tres secundùm Isaac promissionis filij sumus, *ergo liberi*. *Diceret quis, nos dicis liberos, qui
D quotidie affligimur*. Sed quomodo tunc is, qui secundùm carnem natus (*Ismael*) fuerat, H
persequebatur eum, qui secundùm spiritum (*Isaac*) : ita & nunc. Sed quid dicit scriptu-
ra ? Eiice ancillam, & filium eius : non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Ita-
que, Fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ : *Ipsi eiicientur, nos autem hæreditabimus,
quia non sumus servi, sed liberi* : 48. quâ libertate Christus nos liberavit.

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Dico autem*) Diceret quis : servi fuimus, ut dicis; & modo dicis hæredes erimus, non potest esse. Quod probat per similitudinem præmissam, de his qui sub custodia sunt.

Expos. cap. 4. Epist. ad Galat. fol. 184.

2. AVGVST. (*Quanto tempore*) Cum superius legem pædagogum fecerit, sub quo erat populus Iudæorum : nunc procuratores dicit elementa, sub quibus serviebant Gentes; ut populus fidelis partim sub lege pædagogo, partim sub elementis tempore suæ pueritiæ fuerit. Ad hoc quod dixerat in adventum fidei tamquam sub pædagogo, custodiri populum usque ad ætatis opportunitatem, qua in libertatem vocandi erant; adiunxit : *dico autem quanto tempore hæres parvulus est*.

3. LANFR. (*Quanto tempore*) Comparationem hanc tantum ad eos, qui ex Gentibus crediderunt: hæres, parvulus, & servus, ita intelliguntur, sicut

A multitudo hominum, quorum alij credituri sunt, alij non.

Vel * actores. 4. [*Sub tutoribus*] Id est, sunt tutores & * auctores: sed pro diversitate causarum diversa nomina sortiuntur. Tutores dicuntur, quia personam pupilli, & res eius contra calumnias tuentur. Auctores qui nuntiis pupillo vel rebus illatis, agunt.

5. [*Ita & nos*] Totum pro parte ponit; sicut sæpe partem pro toto. Non enim vmquam sub diis Gentium, quos hic elementa vocat, solem enim, lunam, aërem, aquas adorabant. Quidam intelligunt elementa, carnales obseruantias, sed sequens sententia non volt: *Sed tunc quidem, &c.*

Ibidem. 6. AVGVST. [*Factum ex muliere*] Factum propter susceptionem creaturæ.

Ibidem. B 7. [*Factum sub lege*] Factum autem sub lege dixit, quia & circumcisus est, & hostia legitima pro eo oblata est. Nec mirum si legis opera sustinuit, ex quibus liberaret, qui *eis* seruiliter tenebantur: qui etiam mortem sustinuit; vt ex illa liberaret eos, qui mortalitate tenebantur.

8. LANFR. [*Sub lege erant*] Redemit etiam eos, qui sub lege non erant; sed de his poterat esse dubitatio, sine causa non * deserui.

f.* deferri. Ex Aug. in cap. 3. ad Gal. to. 4. fol. 354. 9. AMBROS. [*Vt adoptionem*] Adoptionem propterea dicit, vt distinctè intelligamus vnicum Filium Dei. Nos enim beneficio & dignatione misericordiæ eius, Filij Dei sumus. Non dixit, accipiamus; vt significaret, hoc nos amisisse in Adam, ex quo mortales sumus.

In Epist. ad Gal. 10. AVGVST. [*Clamantem Abba Pater*] Eleganter intelligitur non frustra duarum linguarum verba posuisse idem significantia, propter vniuersum populum, qui de Iudæis & Gentibus, in vnitatem fidei vocatus est: vt hebræum verbum ad * Hebræos; græcum ad * Græcos. Vtriusque tamen verbi eadem significatio ad eiusdem fidei, spiritusque vnitatem pertineat.

al.* Iudæos. al.* Gentes.

Ibidem. C 11. [*Itaque iam non est*] Propter hoc quod dixerat: *Nihil differt à seruo.*

12. AMBROSIVS. [*Immo cogniti*] Non enim scientibus vobis, aut videntibus, diuina vobis quodammodo illuxit scientia.

13. AVGVST. [*Quomodo conuertimini iterum, &c.*] ipsi tamen nolebant redire ad Gentilitatem, sed ad circumcisionem. Sed pro eodem deputat: ideo dicit; iterum & denuo: quia idem est in genere, in seruitio.

14. AMBROS. [*Conuertimini iterum*] Quid prodest vos euasisse seruitutem, qua tenebamini, cum seruiretis elementis mundi, quando rursus * alia reditis.

f.* ad illa, vel ad alia.

Ibidem. 15. AVGVST. [*Ad infirma*] Quia infirma & instabili specie variantur.

Ibidem. 16. [*Egena*] Quia stabili specie creaturæ egent.

17. AMBROS. [*Elementa*] Id est, temporibus seruitutis. Manifestum est enim volumina temporum per elementa mundi, hoc est cœlum & terram, & motus atque ordinem siderum administrari.

D 18. LANFR. [*Dies obseruatis*] Dies, suasio quædam est; non enim dies obseruabant, nisi gratias agentes, vt nos.

19. AMBROS. [*Estote sicut ego*] Eram, inquit, & ego sub lege; sed post elegi extra legem viuere, sicut & vos per eam, quæ in Christo est, fidem viuebatis. Imitamini ergo & vos me cum illa quæ in Christo est fide, à conuersatione legitima, vosmetipsos extraneos facientes.

20. LANFR.] *Estote sicut ego*) Id est, conformamini meis moribus; quia ego conformor vestris. Vel estote fideles sicut ego sum; quia ego infidelis fui sicut & vos; ac per hoc me imitamini; quia ego priorem fidem non sine causa deserui.

21. [*Quia & ego sicut vos*] Diceret quis: Quomodo possumus esse, ut tu? Respondet: Potestis, quia sicut sumus idem in substantiali essentia, possumus esse in accidentali, id est, in sanctitate. E

22. [*Nihil me læsistis*] Ne quis diceret Apostolum ex inuidia eos arguere, remouet sic: non me læsistis, quod debeam inuidere vobis; sed omnia bona mihi fecistis: quia amicus factus. Hoc loquor vobis, quia verum est.

23. (*Per infirmitatem*] Id est, in infirmitate: sicut & per illud tempus, id est, in illo tempore.

24. [*Tentationem*] Tanta fuit infirmitas carnis in Apostolo, ut auditores tentari possent, & putare quod Apostolus Christi non esset, qui ita ægrotare permitteret.

25. AVGVST. [*Tentationem*] Tentati sunt, cum persecutionem pateretur Apostolus: vtrum timore desererent eum, an charitate amplecterentur. Ibid. fol. 386.

F 26. LANFR. (*Non spreuistis, &c.* [Potuissent illi videntes Apostolum affligi, spernere prædicationem eius, sed non spreuerunt: & putare Deum non curare illum, qui sic affligebatur.

27. [*Ergo beatitudo vestra*] Beatitudo illis erat Apostolum diligere, & præceptis eius in omnibus obedire; sed hanc beatitudinem quidam illorum perdiderant, qui ad culturam dæmonum redire, & eis seruire volebant.

28. AVGVST. (*Verum dicens*) Sed quid verum prædicans, nisi ut * non circumciderentur? Ibid. fol. 386. B.

Ibidem. 29. [*Æmulantur*] Id est, inuident vobis, qui vos carnales de spiritualibus volunt facere: hoc est æmulantur non bene.

Ibidem. D. 30.) *Filioli mei*] Parturitionem hanc pro curarum angoribus positam intelligamus.

31. LANFR.] *Parturio*] Nati & parti erant in fide Christi; sed quia quidam illorum fidem dimiserant patiendi iterum ab Apostolo erant, quod vsque formaretur Christus in eis.

Ibidem. 32. AVGVST. (*Donec formetur*) Formatur Christus in eo, cum formam Christi accipit.

Ibidem. G 33. (*Mutare vocem*) Quid aliud dicatur, nisi quia filios suos dixerat esse; parcens eis per literas; ne seueriore obiurgatione commoti, facile in eis odium traducerentur. Vellem ergo, inquit, nunc adesse apud vos, & mutare vocem meam, id est, negare vos filios meos; quia confundor in vobis.

34. LANFR. [*Dicite mihi, qui sub lege vultis esse*) Non debetis velle sub lege esse, sed sub Ecclesiastica gratia: lex enim seruos generat, Ecclesia liberos: quod scripturæ auctoritate sic probat, dicens, Ancillam Agar Abrahæ seruum genuisse; Saram vero liberam, liberum filium edidisse. Et ne dicas quod Sara & Agar ad legem & Ecclesiam, * & quod earum filij, ad vtrumque populum: Et respondet Apostolus, quod dictum est de duabus matribus, & earum filiis, per allegoriam de lege, & gratia debere intelligi. Quod plenius inuenies ibi: *Sed qui de ancilla, &c.*

* sup. pertinet.

35. [*Quoniam Abraham*) Ostendere vult honestius sub gratia noui Testamenti esse, quam sub lege Iudæorum. Abraham, Deus Pater intelligitur. Duo filij, plebs Iudæorum, & populus Gentium. Ancilla, lex quæ seruos gignebat, timore cogens eos, dicens: Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur. Libera, prædicatio noui Testamenti, quæ liberos generat, paterna dilectione ammonens eos dicens; *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego vos requiescere faciam, iugum enim meum suaue est, & onus meum leue est.* H Matth. 11. d. 28.

36. [*Secundùm carnem*] Id est, carnalem consuetudinem; quia iuuenis mulier ex sene homine solet concipere.

37. AVGVST. [*Vnum quidem*] Agar populum veteris Testamenti propter iugum obseruationum: Isaac natus de libera per repromissionem, populum noui Testamenti significat. Senectus autem parentum Isaac ad eamdem significationem valet: quoniam populus noui Testamenti, quamuis sit nouus, prædestinatio Ibid. fol. 387. B. & A.

tamen

A tamen eius apud Deum, & ipsa Ierusalem cœlestis antiqua est.

58. AMBROS. [*Quæ est Agar.*] Agar ancilla patiens secundùm vsum naturæ, significat legem, quam tenere habent qui in hac vita nascuntur secundùm sequentiam naturæ: qui etiam sub lege versabantur in ordine servorum. Sara autem quæ per gratiam peperit illos qui in Christo resurrexisse videntur per gratiam: qui etiam præter spem naturæ secundum expectant nativitatem, quibus iam circumcisio, & oblatio sacrificiorum supervacua est.

59. [*Sina enim mons est.*] Arabia antiquis temporibus, non illa quæ nunc nominatur, sola erat; sed & solitudo & pars non modica Ægypti, ubi est mons in quo data est lex. Vnde & fuerat Agar, quæ significat vetus Testamentum; quæ generat in seruitutem; quæ etiam coniungitur per significationem ei Ierusalem, quæ est in hoc sæculo, in qua testamenti legitima impletur.

40. LANFR. [*Qui coniunctus est ei.*] Id est, ex honore eius est. Vel quæ Agar coniuncta est, id est,
B vetus Testamentum coniungitur novo, & servit, quia in hac præsenti vita servit Ecclesia. Vel servit coniuncta ei quæ nunc est Ierusalem, id est, legis carnalia tenens in Ierusalem. Vel modò est coniuncta Ecclesiæ,& prius seruiit sub lege.

41. [*Seruit cum filiis.*] Seruire dicit terrenam Ierusalem, vel sub carnali lege, quæ timore mortis cogebat, vel sub iugo Romani imperij.

42. [*Illa autem quæ sursum est Ierusalem libera est.*] E
Id est, Sara signat Ierusalem cœlestem, quæ est mater nostra secundum partem, id est, secundùm hanc præsentem Ecclesiam, quæ generat nobis Dei filios. Et probat quia libera est: nam lætatur (*effectus*) probat quia mater est, nam parit filios: *Scriptum est enim, &c.*

43. [*Libera est.*] Libera est, quia liberæ filiæ, id est, gratiæ noui Testamenti, & prædicationis Christi, quæ est mater nostra, quia prædicatores ibi sunt, qui nos per Evangelium genuerunt.

44. [*Scriptum est enim.*] Hoc probat, quia libera, liberorum enim est lætari, seruorum vero timere.

45. AVGVST. [*Lætare sterilis.*] Cœlestem Ierusalem sterilem vocat scriptura; quamdiu filios in terra non genuit, quæ deserta etiam dicta est, cœlestem iustitiam deserentibus hominibus, terrena sectantibus. Ibid. C.

46. AMBROS. [*Multi filij.*] Hoc de resurrectione dictum est: Nos enim qui resurrectionem assequimur ex omni gente sumus, illi verò qui sub lege sunt, vna gens est.

47. AVGVSTINVS. [*Quæ habet virum.*] Id est, Ibid.
terrena Ierusalem quæ legem acceperat; & ideo cœlestem Ierusalem Sara significat, quæ diu deserta est à concubitu viri, propter cognitam sterilitatem. F

48. LANFR. [*Qua libertate Christus nos liberavit.*] Ne putaremus nos naturaliter liberos esse, determinat ipsam libertatem: *qua libertate, &c.*

CAPVT QVINTVM.

ERgo quia liberi State, & 1. 2. nolite iterùm iugo servitutis, *circumcidendi vos*, contineri, *supradictis terruit, nunc per se dissuadet, ne circumcidantur.* Ecce ego Paulus, *qui fui circumcisus*, dico vobis: quoniam si circumcidamini, Christus, *Mors Christi*, vobis nil proderit, *quia fitis serui.* (*Alia dissuasio.*) Testificor autem rursus omni homini 3. circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. *Si debet circumcidi, similiter est obnoxius vniversis legalibus.* Evacuati estis à Christo, *sine Christo estis*, qui in lege iustificamini, *iustificari creditis: si autem sine Christo*, à gratia excidistis. (*Per contrarium.*) Nos enim *tantùm* spiritu, *sumpto*, ex fide, spem iustitiæ, *vitam æternam, quam habent iusti*, expectamus, (*per contra-*
C *rium.*) 4. Nam in Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: Sed 5. fides, quæ per charitatem, *non in hypocrisi*, operatur. Currebatis benè: quis vos G
impedivit veritati non obedire: Persuasio hæc *vobis facta* non est ex eo, *Deo*, qui vocat vos *A causa, & à simili.* 6. 7. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Ego *tamen* confido (*consolatur*) in, *de*, vobis in Domino, quod nihil aliud, *quàm decet*, sapietis: qui autem *suadendo circumcisionem* conturbat vos, portabit iudicium, quicumque est ille, *sine potens* 8. 9. Ego autem, Fratres, si circumcisionem (*quod dicebatur*) adhuc prædico: quid adhuc persecutionem patior? 10. Ergo, *si circumcisionem prædico, vt dicitur*, evacuatum est, *esse debet*, 11. scandalum crucis, *propter crucem illatum*, 12. vtinam & *à vestro consortio* 13. abscindantur qui *à libertate in circumcisionem* vos conturbant. 14. Vos enim (*ostendit à quo velint eos conturbari*) in libertatem vocati estis, Fratres: tantùm (*nisi putetis eam libertatem à lege haberi*) 15. ne libertatem in occasionem detis carnis, *carnalis observantiæ*, sed 16. per charitatem spiritus servite invicem, quod decet. 17. Omnis enim lex in vno *charitatis* sermone impletur, *isto scilicet:* Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quod si invicem mordetis, *detrahendo*, & comeditis: *nolite*
D *mordere alterutrum, quia si hoc facitis, destruemini: quod ne fiat*, videte ne ab invicem consumamini, *destruamini.* Dico autem *in Christo:* 18. spiritu ambulate, & H
desideria carnis non perficietis. 19. 20. Caro enim concupiscit adversus spiritum: spiritus autem adversus carnem, hæc enim sibi invicem adversantur: 21. vt non quæcumque vultis, illa faciatis. 22. Quòd si spiritu ducimini, (*item aliud proficuum, si spiritu ambulent*) *ergo*, 23. non estis sub lege, *servi.* 24. Manifesta sunt autem opera, *desideria*, carnis, (*probat*) quæ sunt, fornicatio, *contra naturam*, immunditia, *in consanguineos*, impudicitia, luxuria, *in quibuslibet*, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, 25. æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, *infide*, sectæ, 26. invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis *non esse facienda*, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur. 27. Fructus, *opera*, autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. *Hoc*

A *debetis facere, quia* adverſus huiuſmodi nun eſt lex. (*Aſſumptio.*) Qui autem ſunt Chriſti, 28. carnem ſuam *vitioſam, & concupiſcentem* crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. *Debemus ſpiritu ambulare*, 29. 30. Si *enim* ſpiritu vivimus, ſpiritu *ſumpto in baptiſmo* & ambulemus, *ambulare debemus*. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. B

COMMENTARIVS.

1. LANFR. [*Nolite iterum iugo ſervitutis contineri.*] Quia continebimini, ſi circumcidamini: dictum eſt enim, quia omnis qui ſub lege eſt, ſervus; qui autem circumciduntur, ſub lege ſunt.

In c. 5. ad Gal. fol. 187. B. & C. — 2. AVGVST. [*Nolite iterum.*] Quomodo accepturi ſumus quod dicit; ne iterum iugo ſervitutis attineamini, cum ad eos ſcribat, qui Iudæi nunquam fuerant? Quid aliud hoc loco dicat Gentibus non invenio, niſi vt proſit illis, quod à ſervitute ſuperſtitionis ſuæ, per fidem Chriſti liberati ſunt, ne iterum ſervi eſſe velint ſub obſervatione carnalium obſervationum. B

Ibid. — 3. [*Circumcidenti ſe, &c.*] Quod ideo dicit, ut vel terrore tam innumerabilium obſervationum abſtineterent ſe ab his, quibus eos iſti ſubiugare cupiebant.

4. LANFR. [*Nam in Chriſto Ieſu neque circumciſio*] Ex fide tantùm iuſtificatur; quia non per aliud: nam neque per circumciſionem, neque per præputium.

al. * quia al. * ſervitus. — 5. [*Fides quæ per dilectionem.*] Et hic illud tetigit, * qui ſob lege * ſervitus per timorem operatur.

6. [*Modicum fermentum, &c.*] Ne dicerent, circumcidi tantum poſſumus nos. Vel quidam illorum volebant circumcidi, id eſt, modicum.

C Ibid. al. * ut iſta. al. * in comparatione multitudinis al. * exiguo. — 7. AVGVST. [*Modicum fermentum*] Eos autem paucos, qui ad illos veniebant, * & iſti ſuaderent, quia * cooperatione Galatarum credentium * exigui numero erant, fermentum appellat.

8. [*Ego autem.*] Intelligendum eſt fuiſſe quoſdam, qui dicerent etiam ipſum Paulum id ſentire.

Ibid. — 9. LANFR. [*Ego autem.*] Dicebatur Galatis à falſis prædicatoribus, quod Paulus etiam Apoſtolus circumciſionem prædicaret, & hanc ſuſpicionem à ſe removet; ideo enim à Iudæis perſecutionem ſuſtinebat, quia circumciſionem improbabat, & per fidem crucis iuſtificari hominem aſſerebat. Vnde & Iudæi adverſus eum ſcandalizabantur; quod ſcandalum evacuatum eſſet, ſi circumcidi debere fideles prædicaret.

Ibid. D. — 10. AVGVST. [*Ergo evacuatum eſt.*] Id eſt, ſine cauſa Chriſtum, cum iſta contemneret, ſcandalizati Iudæi crucifixerunt; ſi adhuc eis, pro quibus crucifixus eſt, talia ſuadentur.

11. LANFR. [*Scandalum crucis.*] Quod propter vos pertulit Chriſtus, nihil prodeſt vobis, ſi circumcidi velitis.

D Ibid. — 12. AVGVST. [*Vtinam & abſcindantur.*] Elegantiſſima ambiguitate, quaſi ſub ſpecie maledictionis, adiecit benedictionem; non tantum inquit, circumcidantur, ſed abſcindantur: ſic enim fiunt ſpadones propter regnum cœlorum, & carnalia ſeminare ceſſabunt.

13. LANFRANC. [*Abſcindantur.*] Id eſt, conncluzentur à malis moribus, ne amplius generent in malum: non enim vocant vos ad id ad quod vocati eſtis, id eſt, ad libertatem, ſed ad ſervitutem.

14. [*Vos enim libertatem.*] Quia nec circumciſio, nec aliæ legales obſervationes curantur.

Ibid. — 15. AVGVSTINVS. [*Ne libertatem.*] Id eſt, ne audito nomine libertatis vobis impunè peccandum eſſe arbitremini.

16. LANFR. [*Per charitatem.*] Quaſi diceret ſola charitas poteſt vos ſalvare, ſpreta carnali obſervatione; & reddit cauſam dicens: quia omnis lex dilectione impletur; & hac occaſione breviter exponit, quæ vitare & quæ ſervare debeant Chriſtiani pro ſervanda charitate: quibus expletis ad ſuperiorem circumciſionis redit tractatum.

17. AVGVSTINVS. [*Omnis lex.*] Omnem legem nunc dicit ex his operibus quæ ad bonos mores pertinent. Ibid.

18. LANFRANC. [*Spiritu ambulate.*] Et quia non ſufficit abſtinere à malo, niſi fiat bonum, ſequitur: *ſpiritu ambulate*, & habebitis hoc proficuum, quod deſideria carnis non perficietis. Et ſubdit, cur contraria non ſunt, & ponit deſignationem in libro: hoc enim ſibi invicem, & probat, quia concupiſcunt adverſum ſe, à ſpecie. F

19. AVGVSTINVS. [*Caro concupiſcit.*] Carnem itaque concupiſcentem adverſus ſpiritum dicit Apoſtolus: carnalem proculdubio delectationem, quam de carne & cum carne ſpiritus habet adverſùs delectationem, quam ſolus habet: ſolus quippe habet, ni fallor, illud deſiderium non cum carnis voluptate, vel carnalium rerum cupiditate commixtum, quod deſiderat anima, & deſiderat in atria Domini. De Geneſi ad litteram c. 12.

20. LANFRANC. [*Caro concupiſcit.*] Quaſi diceret: Ideo utriuſque deſideria non poteſtis perficere, quia contraria inter ſe ſunt. Et hoc aptè repetit ſubſequens: *hæc enim ſibi invicem adverſantur, &c.* G

21. AVGVST. [*Vt non quæcumque vultis.*] De his dictum eſt, qui gratiam fidei ſuſceptam tenere nolunt: Volunt enim opera iuſtitiæ operari, ſed vincuntur concupiſcentia carnis. Vt ſup. ad Gal. fol. 389.

22. LANFR. [*Quod ſi ſpiritu ducimini.*] Id eſt, ſi Spiritus ſanctus moderatur vobis, legem carnaliter non obſervatis: Vel legem .... niſi plus facientes, quam lex iubeat.

23. AVGVSTINVS. [*Non eſtis ſub lege.*] Intelligamus eos eſſe ſub lege, quorum ſpiritus ita concupiſcit adverſùs carnem, ut non ea quæ volunt, faciant. Ibid.

24. LANFRANC. [*Manifeſta autem ſunt opera carnis.*] Probat, quia non perficient opera carnis, quia iſta, & iſta ſunt opera carnis, ſed hoc non perficient. Et hoc eſt quod dicit: *qui autem ſunt Chriſti, &c.*

H — 25. AVGVSTINVS. [*Æmulationes.*] Æmulatio eſt dolor animi cum alius pervenit ad rem, quam duo pluréſve appetebant, & niſi ab uno haberi non poteſt. Ibid. fol. 390 B. a.

26. [*Invidia.*] Invidia eſt dolor animi cum indignus aliquid videtur aſſequi, etiam quod tu non appetebas. Ibid.

27. LANFR. [*Fructus autem ſpiritus.*] Et ſi ſpiritu ambulent, opera ſpiritus facient, quia charitatem, &c.

28. [*Carnem ſuam crucifixerunt.*] Ille crucifigit carnem ſuam cum vitiis, qui immobilis, & crucifixus, nullis declinatur vitiis.

29. AMBR. [*Si ſpiritu vivimus.*] Convenit nos in illa vita, in qua per ſpiritum ſumus regenerati, illa quæ conſentanea ſunt illius vitæ agere.

30. AVGVST. [*Si ſpiritu vivimus.*] Id eſt, ſi Spiritu ſancto ſerviamus, ſpiritualiter ſerviamus.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

FRatres, & 1. si præoccupatus fuerit homo (*aliud præceptum morale*) in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, *non acriter*, considerans, *tu instruens*, te ipsum, ne & *quandoque similiter* tu tenteris. 2. 3. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis 4. legem Christi. *Ad hoc quod dixit considerans te ipsum.* Nam si quis existimat se aliquid esse, *id est, si quis extollit se*, cùm *ipse* nihil sit: 5. 6. ipse se seducit. 7. Opus autem suum probet, *probatum faciat*, unusquisque, & sic, *nulli plus credens de se, quàm sibi*, in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero, *in alterius falsa laude. Opus probet*, Vnusquisque enim onus, *meritum*, suum portabit, *quidquid dicat adulator.* 8 Communicet autem is, qui catechizatur verbo, *prædicatione confirmatur, ei prædicatori*, qui se catechizat, in omnibus bonis. 9. Nolite errare: *dicentes, non habere quid ei communicetis*: 10. Deus non irridetur. 11. *Communicet, inquit*, Quæ enim seminaverit homo *in hoc sæculo*: hæc & *in futuro* metet. 12. Quoniam qui seminat 13. in carne sua, *malè operando*, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo, *opportuno*, metemus non deficientes. *Quia metemus indeficienter* Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem 14. ad domesticos fidei, *Christianos*. Videte (*ne Epistolam alterius esse putetis*) qualibus literis scripsi vobis mea manu. 15. Quicunque enim volunt placere in carne, *carnaliter circumcisione*, hi cogunt vos circumcidi, tantùm ut crucis Christi persecutionem non patiantur, *tantùm, non ut ipsi legem custodiant.* Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt: sed volunt vos circumcidi, ut in *truncatâ* carne vestrâ *apud Iudæos* glorientur. 16. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce, *crucis prædicatione*, Domini nostri Iesu Christi: 17. per quem mihi, *ut me non teneat*, mundus crucifixus, *vilis factus* est, &, (*ut eum non teneam*), ego mundo. In Christo enim Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, 18. sed nova creatura, *innovatio mentis, & corporis.* Et quicunque hanc regulam, *non circumcisionis, sed fidei*, secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, 19. & super Israël Dei, *non carnaliter viventem.* 20. 21. De cætero nemo *inobediens, putans me non esse Apostolum Christi*, mihi molestus sit 22. Ego enim 23. stigmata Domini Iesu, *notas passionum Christi, vel cicatrices vulnerum, vel virgarum*, 24. in corpore meo porto. Gratia Domini nostri Iesu Christi, cum spiritu vestro, Fratres. Amen.

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Si præoccupatus homo fuerit*) Ita instrue ne propter instructionem extollaris, & cadas in vitium. Vel, leniter instrue, quia tu fortasse cades in vitium.

2. (*Alter alterius onera portate*) Si videris fratrem in aliquo delicto, leniter corripe illum; vel ora pro illo, & sic levabis onus eius.

Tract. in Ps. 243. 3. AVGVST. (*Alter alterius*) Qui portant invicem onera sua, nisi qui habent charitatem? Qui non habent charitatem graves sunt sibi. Qui autem habent charitatem portant se. Læsit te aliquis; petit veniam, si non dimittis, non portas onus fratris tui: Si dimittis, portas infirmum. Et tu si forte in aliquam infirmitatem cecideris, quasi homo, oportet ut sic te portet ille, quemadmodum & tu.

4. LANFR. (*Legem Christi*) Id est, dilectionem. Ipse enim dixit: *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.*

Exposit. in Epist. ad Galat. 5. AVGVST. (*Ipse se seducit*) Non enim eum seducunt laudatores eius; sed ipse potius, quia cum sibi sit ipse præsentior, quam illi, mavult se in illis quærere quam in seipso.

6. LANFR. (*Ipse se seducit*) Ratio cur opus probari oporteat.

7. (*Opus autem suum probet*) Pseudo-apostoli laudabant eos, ideo dicit, opus suum probet, ne quærat gloriam in altero, id est, in alterius dicto, sed in se.

8. (*Communicet*) Qui, inquit, verbo Dei instruitur, ei qui se instruit, communicet in omnibus bonis suis. Arguit eos tenacitatis in prædicatores suos.

9. (*Nolite errare*) Quasi diceret: si dixeritis vos non habere quod prædicatori tribuatis, hominem quidem potestis fallere, Deum autem qui occultorum cognitor est, non potestis irridere, id est, decipere.

10. [*Deus non irridetur*] Tunc quasi irrideretur, si illi qui non laborant in vinea, denarium acciperent.

11. (*Quæ enim seminaverit homo*] Debetis, inquit, prædicatoribus, & proximis vestra communicare: nam quod seminabitis, metetis: omnis enim homo hoc quod seminaverit, metet: quia & ille qui seminat in carne carnaliter operando; & ille qui seminat in spiritu, spiritualiter operando; iste quidem vitam æternam, ille vero corruptionem.

12. [*Quoniam qui seminat*] Omne quod seminatur, aut in carne, aut in spiritu; hæc autem omnia metentur.

13. [*In carne*] Id est, qui facit ipsa carnalia opera, habebit gehennam, quæ est perpetua corruptio.

Ibid. f. 392. 14. AVGVST. (*Ad domesticos fidei*) Quos eum, credendum est, nisi Christianos significare?

15. LANFR. [*Quicunque enim voluerit placere, &c.*] Præceptum est in Rhetorica, ut cum aliquis vult persuadere aliquid, in principio & in fine mentionem faciat, quod facit Apostolus dicens; nolite facere quod vobis pseudo suadent, id est, circumcidi; quia propter hoc faciunt ut placeant Iudæis in carne vestrâ truncatâ, & non patiantur ab eis persecutionem in prædicatione crucis. Et est convertenda propositio ita: Quicumque volunt vos circumcidi, ideo faciunt tantum, ut crucis Christi persecutionem non patiantur: neque enim faciunt, ut legem custodiant, vel propter aliud.

16. (*Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce, &c.*)

A In cruce Christi gloriabor tantum, quia hoc tantum valet ad Christi salutem promerendam; non enim aliud, quia neque circumcisio, neque præputium.

Expos. ad Gal. fol. 591. 17. AVGVST. (*Per quem mihi mundus*) Id est, ut non me teneat: *& ego mundo*, ut eum non teneam, id est, ut neque mihi mundus nocere possit, neque ego de mundo aliquid cupiam.

Ibidem. 18. (*Sed nova creatura*) Novam creaturam dicit vitam novam per fidem Iesu Christi.

Ibid. 19. (*Super Israel*) Id est, qui vivere ad visionem præparantur; non qui vocantur hoc nomine, & carnali cæcitate Deum videre nolunt.

20. LANFR. (*De cætero*) De cætero, inquit, nemo vestrum onerosus, & inobediens mihi sit, putans me non esse Apostolum Christi.

Ibid. 21. AVGVST. (*De cætero*) Non vult per turbulentas contentiones tædium sibi fieri de re, quantum satis erat exposita. B

E Ibid. 22. (*Ego enim stigmata*) id est, habeo alios conflictus & certamina cum carne mea, quæ in persecutionibus quas patior, mecum dimicant. Stigmata Iesu dicuntur quædam notæ pœnarum servilium. Propter culpam enim persecutionis, qua persecutus est Ecclesiam Dei, hæc sibi retribui cognoverat.

23. LANFR. (*Stigmata*) Stigma propriè nota fugitivo servo impressa; quod Apostolus se portare dicit, eo quod priùs Dominum fugerit.

24. (*In corpore meo*) In corpore suo portabat cicatrices vulnerum & virgarum, in collo & manibus catenas; quæ omnia signa erant se esse Domini nostri Iesu Christi. Stigmata autem erant signa quædam, quæ in manibus militantium fiebant, per quæ cognoscebantur esse de militia Imperatoris. F

EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI AD EPHESIOS.

CVM INTERIECTIS BEATI Lanfranci Glossulis.

ARGVMENTVM.

C EPHESII *sunt Asiani. Hi accepto verbo veritatis perstiterunt in fide. Hos collaudat Apostolus, scribens eis à Romà, de carcere, per Tychicum Diaconum.* G

CAPVT PRIMVM.

1. PAulus Apostolus Iesu Christi, *non Anania*, per voluntatem Dei, *non meritis suis; vel hominibus*; omnibus sanctis, *baptizatis*, qui sunt Ephesi, & fidelibus, *catechumenis*, in Christo Iesu, *in fide*. Gratia, *remissio peccatorum*, vobis & pax, *quâ reconciliamur Deo Patri, vel observantia bonorum operum, qua pax est inter Deum, & homines*, à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. 2. Benedictus, *laudetur*, Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit, *auxit, vel ditavit*, nos in omni benedictione spirituali, *non carnali, sicut priorem populum, sed spirituali, id est, cælesti, existente*, 3. 4. 5. in cælestibus, *id est, quam in cælo participamus*, in Christo: sicut elegit nos, *ita benedixit, ut prædestinavit*. D 6. in ipso *Christo*, ante mundi constitutionem, *ad hoc elegit*, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu eius, *non meritis nostris, sed* 7. in charitate *sua. Ecce quod dixit, elegit*. 8. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, *ut essemus sancti*, per Iesum Christum 9. in ipsum: *idem quod in ipso, scilicet credituros*. 10. Secundùm propositum voluntatis suæ, *idem quod in charitate*, in laudem gloriæ gratiæ suæ, *ut laudetur gloriosa gratia sua*, in qua gratificavit nos *sibi* in dilecto filio suo, *in fide dilecti filij sui*. In quo, *id est, per quem*, habemus redemptionem (*hoc effectum posterius*) per sanguinem (*& prius*) eius (*hæc est causa prioris*) remissionem peccatorum, secundùm 11. divitias gratiæ eius, quæ superabundavit in nobis, 12. in omni sapientia, & prudentia, ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, *quod genus humanum salvare voluit*, secundùm beneplacitum eius, *non meritis humanis*, 13. quod *sacramentum* proposuit in eo, *in filio*, 14. in dispensatione plenitudinis temporum, *ecce quod proposuit*, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, *imminutum ordinem Angelorum*, & quæ in terra sunt, *corruptum genus humanum*, in ipso, *in Christo*. 16. 17. In quo, *vel qua*, etiam & nos sorte, *non merito*, vocati sumus, prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ: ut simus in laudem gloriæ eius, *laudemus gloriam eius* nos, qui ante speravimus in Christo: in quo & vos, *vocati estis, ex quo?* 18. cum audissetis verbum veritatis, *scilicet* H

A Evangelium salutis vestræ) in quo *Christo*, & credentes 19. signati estis 20. Spiritu promissionis sancto, qui est 21. pignus *perpetuæ* hæreditatis nostræ, 22. in redemptionem acquisitionis, *redempti ut Deo adquiramini*, in laudem gloriæ ipsius. Propterea (*quia credidistis*, *&* *signati*, *& vocati estis*) & ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Iesu, & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis: 23. ut Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & revelationis, in agnitione eius, *& det vobis* illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis eius, *quæ & quantum speretis vocati*, & quæ divitiæ gloriæ, *gloriosæ* hæreditatis eius in sanctis, & 24. quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, *quo datur us est nobis incorruptionem*, 25. qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & 26. constituens ad dexteram suam in cœlestibus 27. supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, 28. & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, B 29. quæ est corpus ipsius, & 30. plenitudo eius, qui omnia 31. in omnibus adimpletur. E

COMMENTARIVS.

1. AMBROSIVS. Docet illa bona quæ Christus nobis suo adventu præstitit cum gratiarum actione. Postea transit ad Ethicam exhortationem, sic incohans: Obsecro vos, ego vinctus in Domino.

2. [*Benedictus Deus*] Benedictio quæ fit in Deo, confessio sola est bonorum quæ præstita sunt ab eo. Benedictio quæ fit à Deo, in nobis impletur, dum eius beneficiis implemur.

3. (*In cœlestibus*) Hoc est quam in cœlo participabimus: dicit enim resurrectionem quæ per spiritum nobis aderit: & ne ipsa novitas mentem turbaret quoniam non ante tanta donasset, neque apertè dixisset, quæ sint illæ spiritales benedictiones, utrique respondet dicens: Sic elegit nos ex ipso ante mundi constitu- C tionem esse sanctos coram eo.

4. AVGVST. [*In cœlestibus*) In cœlestibus, quasi de cœlestibus. Quia omne datum optimum; & omne donum perfectum, de sursum est.

5. LANFRANCVS, [*In cœlestibus*) Cœlestia vocat virtutes, per quarum observantiam itur ad cœlum; in quibus dicit se habere omnem spiritualem copiam in fide Christi.

6. (*In ipso*] In ipso, subaudiendum est permansuros; vel in ipso elegit: quia omnia in sapientia fecit, quæ est Christus.

7. AMBROS (*In charitate*] Ex hoc magnitudo ostenditur liberalitatis.

8. [*Qui prædestinavit*] Maius est quod dicit filiorum adoptionem, ab eo quod dixerat sanctos & immaculatos.

9. [*In ipsum*] Quoniam dixit, prædestinavit in adoptionem filiorum; incertum erat cuius diceret filios es- D se adoptivos; adiecit: In ipsum, hoc est in sui ipsius, ut illius filij nuncupemur.

10. (*Secundum propositum*) Volens ex omni parte ista extollere, quod multa digna sint gratiarum actione, frequenter dicit per ordinationem, & bonum placitum & voluntatem.

11. LANFR. (*Divitias gratiæ suæ*] Per quam gratiam non solum remissio & redemptio, sed sapientia [qua dicitur, sapitur) & prudentia morum.

12. [*In omni sapientia*) Id est, dans nobis omnem sapientiam, in agnitione sui, & prudentiam morum nostrorum.

13. [*Quod proposuit*) Bonum placitum suum in Christo Deus Pater proposuit, id est, palam mundo ostendit; dicens: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.*

14 [*In dispensatione plenitudinis*] Vel tunc cum disponebat omnia tempora vel in ipso milliario, quo natus est Christus, quod fuit plenitudinis; quia in eo F completa sunt promissa. Vel quia alia tempora vacua fuerunt à salute.

15. [*Plenitudinis*] In dispensatione, id est, in consummatione. Exponit quid sit illud bonum placitum Dei, videlicet impleto tempore ordinationis suæ instaurare in fidem Christi, qui in cœlis sunt, id est, numerum Angelorum, qui diminutus erat: & quæ *sunt, homines videlicet qui magna ex parte peribant.

*qui in terra. Tract. Ps. 30. côc. 2. om. 8.

16. AVGVST. (*In quo & nos sorte*) Sorte dixit gratiam, qua salvi facti sumus. Quare sortis nomine appellat gratiam? Quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei. Nam ubi dicitur, iste facit, iste non facit, merita considerantur; & ubi merita considerantur, electio non est sors. Quando autem nulla merita nostra invenit, sorte voluntatis suæ, nos salvos facit, quia voluit; non quia digni sumus: hæc est sors.

17. LANFR. [*In quo & nos*) Immutatio casuum est, quasi diceret in quem, id est, in cuius fidem, vel in G quo, id est, per quem.

18. AMBROS. (*Cum audissetis*) In ipso & vos verba Evangelij audistis, & ad fidem accessistis; & spiritus participatione confirmationem accepistis: hoc enim dicit; *Signati estis.*

1 . LANFR. [*Signati estis*] Ordo est. Signati estis in redemptionem adquisitionis; spiritus enim credentes signat, id est, ab alijs hominibus discernit, & separat, quia à peccatis eos purgat, & spiritualibus gratiis ornat.

20. AMBROS. (*Spiritum promissionis*] Benè autem spiritum promissionis vocavit; quoniam bona quæ expectant in futuro, sancti Spiritus participationem expectant.

21. (*Pignus hæreditatis*] Redemptionem illam fruitionem quæ tunc erit vocat, quòd formæ illius dabitur.

H 22. (*In redemptionem*) Redemptionem vocat immortalitatem, quæ erit per resurrectionem; adquisitionem vero familiaritatem suam quæ ad Deum erit.

23. (*Ut Deus Domini nostri*) Dicens Christi, susceptum indicat hominem. Pater gloriæ; gloriosa est enim divina natura.

24. [*Quæ sit supereminens*] Id est, qualia, & quam magna erga nos, qui in eum credimus, ab eo efficientur: & hoc explanat memoranda quæ in Christo facta sunt. Et considera quia non dicit gloriam hæreditatis absolutæ; sed divitias gloriæ: neque virtutem eius; sed neque magnitudinem virtutis eius; sed vehementius; quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius.

25. LANFR. [*Qui credimus, &c.*) Id est, qui credimus omnia quæ operatus est in Christo, possit operari in nobis, id est, resurrectionem.

26. AMBROS. [*Constituens*) Hoc est participem

A illum honoris accepit, de suscepto homine id dicens, propter inhabitantem * mecum naturam verbi Dei. (l.* i cū)
27. Lanfr. [*Supra omnem principatum, &c.*] Id est, super Angelorum & Archangelorum nomina, quæ modo sciuntur, & super omnia quæ ad præsens ignorantur. Vel super cœleste & terrestre nomen.
28. [*Et omne nomen*) Hoc est sive aliquid secundùm præsentem vitam nominatur, & cognoscitur esse magnum quod nos in futuro cognoscere poterimus, quod nunc forsan nescimus; omnium illorum superiorem fecit.
29. (*Quæ est corpus ipsius*) Corpus eius sumus, similitudinem naturæ, & participem spiritus suscipientes, & corpus vnum erimus omnes: quia communem suscepimus resurrectionem & immortalitatem. In ordine vero caput nobis Christus erit; ex quo omnis causa secundæ regenerationis in nos derivasse videtur. E
30. Lanfr. [*Plenitudo eius*] Plenitudo Christi est Ecclesia, quia in ea & per eam adducuntur membra Christo, id est, fideles.
31. Ambros. (*In omnibus adimpletur*] Hoc est in omnibus plenus est. Necessariò autem adiecit omnia ostendens totum existere in omnibus, prout quis cogitare voluerit sive essentia, sive in operatione, sive in virtute.

CAPVT SECVNDVM. F

B
ET vns cùm essetis *prius* mortui delictis *actualibus*, & peccatis *originalibus* vestris, in
quibus aliquando ambulastis 1. secundùm sæculum, *sæculares*, mundi huius, 2. secun-
dum principem *diabolum* 3. potestatis aëris huius, spiritus, qui, *ordo*, *qui spiritus* nunc ope
ratur 4. in filios diffidentiæ, *de promissis diffidentes*, 5. in quibus *peccata* & nos omnes ali
quando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, *ecce quomodo in desideriis*, facientes
voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus natura *originali peccato* filij iræ sicut & cæ
teri: *interpositio*. 6. Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charita
tem suam, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo,
(cuius gratia estis salvati,) & conresuscitavit, 7. & consedere fecit in cœlestibus in Chri-
sto Iesu: 8. ut ostenderet 9. in sæculis supervenientibus, *id est*, *hominibus futuris*, *ut idem
sperent de se*, *vel in æterno sæculo*, abondantes divitias gratiæ suæ, *quia salvavit nos*, in bo-
nitate, *non meritis nostris*, super nos in Christo Iesu, *in fide Christi. Ostensio bonitatis.* Gra-
tiâ enim estis salvati, per fidem, & hoc, *salus nostra*, non ex vobis, Dei donum est; non
ex operibus, ut ne quis *in se* (*quod non decet*) glorietur, *quod faceret*, *si ex operibus salva-
retur.* 10. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, *in hoc etiam,
quod bene operamur*, *facti sumus Deo*, quæ præparavit Deus, *nec hoc à nobis*, ut in illis ambu-
lemus. 11. Propter quod, *quia salvati gratiâ*, memores estote, quòd aliquando vos G
C Gentes in carne, 12. qui dicimini præputium ab eâ, quæ dicitur circumcisio in carne, ma-
nu factâ: *& memores estote* quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conversatione
Israël, *Iudæorum*, 13. & hospites testamentorum, *extranei à lege*, promissionis spem non
habentes, *ut Iudas*, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Iesu, *in fide Chri-
sti*, vos, qui aliquando eratis longe, *à Deo per peccata*, facti estis prope in sanguine Chri
sti. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum (*angelicam*, *& humanam creaturam*,
vel Iudæos, *& Gentes*) 14. & medium parietem (*quasi sortem*) maceriæ solvens, inimi-
citias (*ecce parietem*) 15. in carne suâ, legem *Iudaicam*, *vel parietem*, mandatorum de-
cretis *evangelicis* evacuans: ut duos *populos* condat *evacuatâ lege* in semetipso in unum novum
f.* ut. hominem *in se*, * *vel sint unus novus homo*, faciens pacem,) *insulcatio superiorum*) 16. & re-
conciliet ambos *ut sint* in uno corpore, *in se*, Deo per crucem, interficiens inimicitias in
semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis *Gentibus*, qui longè fuistis; & pacem iis,
qui prope: quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu *hoc operante* ad Pa-
trem. Ergo, *quia destructa inimicitia*, iam non estis hospites, & advenæ: sed estis cives
sanctorum, & domestici Dei, (*exponit quomodo sint cives*) super ædificati 17. super funda-
mentum, *intransitivè*, *vel fidem*, Apostolorum, & Prophetarum, 18. ipso summo angulari
lapide Christo Iesu: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Do- H
D mino: in quo, & vos coædificamini in habitaculum, *ut sitis habitaculum*, Dei in Spiritu.

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. (*Secundum sæculum*] Sæculum non creaturam dicit, sed temporalem huius sæculi conversationem.
2. Lanfr. (*Secundùm principem*) Id est, secundùm quod persuadebat vos princeps, qui in hoc aere potestatem habet, vel fideles tentandi, vel ipsum commovendi.
3. Ambros. [*Potestatis aeris*) Diabolus mandatum accepit, ut principetur aeri, & potestatem habeat commovere eum.
4. Lanfr. [*In filios diffidentiæ*] Filij diffidentiæ dicuntur; vel quia de promissionibus Dei diffidunt, vel quia de conversione eorum nulla spes est fidelibus.
5. Ambrosius, [*In quibus & nos*) Quoniam dixerat vos, ne se sobtrahere existimaretur ab illis qui necessariam videbantur habere gratiam: adiecit, *in quibus & nos.*
6. (*Deus autem qui dives est*) Sic cœperat, & vos cum essetis mortui, cætera interiecit, donec iterum illud resumpsit, ultra non dicens vos, sed nos.
7. [*Et consedere*] Illis nos, ait communicasse quæ de Christo dixit, per illam, quæ apud illum est, coniunctionem.

8. [Vt

A 8. [*Vt ostenderet.*] Bene in sæculis supervenientibus dixit, quando ipsarum rerum manifestam erga nos ostendet Dei bonitatem. & gratiam illam, quam perficere dignatus est, per illa quæ secundùm Christum sunt.
9. LANFR. [*In sæculis supervenientibus.*] In nobis, inquit, qui tantam misericordiam à Deo consecuti sumus, ostendit Deus quantam homines in futuris temporibus sperare possint.
10. [*Ipsius enim sumus.*] Ratio cur ex operibus sois nemini sit gloriandum: Quasi diceret, ipse fecit & creauit nos in fide IESV-CHRISTI, & in operibus bonis quæ per gratiam suam præparavit nobis. Potest & factorà ablativus esse, ut sit sensus, operatio ipsius est, quod creati sumus in fide IESV-CHRISTI, &c.
11. [*Propter quod memores.*] Quia, inquit, fidem, & bona opera Deus dedit vobis, memores estote verborum Dei, malorum, in quibus fuistis, ut pro collatis beneficiis maiorem Deo gratiam rependatis.
B 12. AMBROS. [*Qui dicebamini.*] Quod dicit in carne, adiici illi debet, qui dicimini non in illo dicto, quo Gentes dixit; ut sit sensus, in carne præputiatos debere dici.

E 13. LANFR. [*Hospites testamentorum.*] Hospites erant Gentes in eos qui testamenta habebant; vel quia ad tempus more hospitum veniebant & recedebant: vel quia si qui eorum ad Iudaïcum ritum convertebantur, advenæ & proselyti vocabantur.
14. AMBR. [*Medium parietem.*] Inimicitiam, & separationem quæ ex circumcisione fiebat, cum omni lege fecit cessare: Nam post resurrectionem, immortalitatem nobis præstans destruxit hæc. In immortali etenim naturà circumcisio nequaquam poterit celebrari.
15. LANFR. [*In carne sua.*] In carne sua vel assumpta, vel crucifixa soluit Christus legales observationes, quas parietem & * inimicam vocat inter Iudæos & Gentes: lex enim non erat data, nisi usque ad adventum Christi. f. * inimicitiam.
16. [*Reconciliet ambos, &c.*] Reprimit Iudæos, dicens eos quoque reconciliatione, ut Gentes indiguisse.
F 17. [*Super fundamentum.*] Fundamentum vocat fidem, eamdem, inquit, fidem quam habuerunt & Prophetæ.
18. [*Ipso summo angulari.*] Ordo: Summo angulari lapide existente Christo Iesu.

CAPVT TERTIVM.

HVius rei gratia, *vt habitaculum Dei sitis*, ego Paulus vinctus Christi Iesu *in carcere*, pro vobis Gentibus *prædicandis*, 1. Si tamen audistis dispensationem *Evangelij* gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis: quoniam secundùm revelationem *Dei*, *non per hominem*, notum mihi 2. factum est sacramentum, sicut 3. supra scripsi in brevi: prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi: quod aliis 4. generationibus non est agnitum, *scilicet*, filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis *noui Testamenti*, *vt Agabo*, in spiritu. (*Ecce mysterium Christi*) Gentes esse cohæredes *Iudæis*, *vel Angelis*, & concorporales, & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per Evangelium, *fidem*: cuius factus sum minister secundùm donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundùm operationem virtutis eius. Mihi *enim* omnium Sanctorum minimo, data est gratia hæc, *scilicet*, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare, *docere*, omnes, quæ sit dispensatio sacramenti ab- G
C sconditi à sæcolis, *à constitutione mundi*, *vel à sæcularibus*, in Deo, qui omnia creavit: 5. 6. 7. vt innotescat principatibus, & potestatibus, in cœlestibus *degentibus*, per Ecclesiam 8. multiformis sapientia Dei, secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro: in quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius: 9. 10. Propter quod, *quia fiduciam habemus*, 11. Peto ne deficiatis *à fide*, in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra. 12. Huius rei gratia (*ne deficiatis*, *vel repetit*, *qua supra dixit*, *quia multa interposuit*) flecto genua mea ad Patrem Domini nostri IESV-CHRISTI, ex quo omnis 13. paternitas in cœlis, & terra nominatur, vt det vobis secundùm divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum eius in interiorem hominem. *Et* Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate 14. radicati, & fundati, 15. vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, 16. quæ sit 17. latitudo, *vera charitas*, & 18. longitudo, *expectatio donorum Dei*, & 19. sublimitas *vera*, *id est*, *Deum videre*, & 20. profundum, *cognitio secretorum Dei*, scire etiam supereminentem, scientiæ charitatem Christi, 21. 22. vt impleamini *virtutibus* in omnem plenitudinem Dei. 23. H
D Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundùm virtutem, quæ operatur in nobis: *quod possumus scire ex hoc quod dat nobis virtutem miraculorum*: ipsi gloria in Ecclesia, *in corpore*, & in Christo Iesu, *& in capite*, in omnes generationes 24. sæculi (*huius ex multis sæculis ab initio* * *constantibus* sæculorum. Amen. f. * constantis.

COMMENTARIVS.

1. LANFR. [*Si tamen audistis.*] Interruptio est sententiæ vsque ad aliam sententiam, quæ sic incipit: *Huius gratia flecto, &c.*
2. [*Factum est sacramentum.*] Sacramentum hoc de æqualitate Gentium est, cum gente Iudæorum, de quo supra breviter scripsit, dicens: *Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum, &c.* usque *iam non estis hospites & advenæ.*
3. [*Supra scripsi in brevi.*] Breviter: Scriptum est superiùs, vt *notum faceret sacramentum suæ voluntatis: instaurare omnia quæ in cœlis, & quæ in terra.*
5. [*Generationibus.*] Revelatum quidem fuit Prophetis veteris Testamenti per gratiam Dei Gentes esse salvandas, sed quod ad æqualitatem Iudæorum essent

A venturæ ut cohæredes, & concorporales cum eis fierent, unam & æqualem cum eis hæreditatem habituræ, spiritualem corpus, id est, unam Ecclesiam cum gente Iudæorum facturæ æqualiter promissionis Dei participes; nulli, nisi in novo Testamento, revelatum fuit.

5. [*Vt innotescat*) Absconditi ad hoc, vt postea multiformis sapientia (in hoc quod præmisit Patriarchas, Prophetas & Apostolos] notificaretur cœlestibus per Ecclesiam, id est, per ea quæ geruntur in Ecclesia.

6. AMBROS. (*Vt innotescat*] Sicut hoc erat occultum ut nec invisibiles virtutes potuissent hoc scire. Nunc vero manifestum est per ea, quæ erga Ecclesiam facta sunt.

7. LANFR. [*Vt innotescat*) In cognoscendam sapientiam Dei, cœlestes spiritus etiam profecerunt per Ecclesiam; quia dum eam Christus seu per se, seu per

B Apostolos suos instrueret, plurima secreta didicerunt, quæ antea ignorabant.

8. (*Multiformis*) Ordo, Sapientia Dei multiformis secundum sapientiam Dei, quæ in propria natura simplex est, secundum ordinem sæculorum multiformis dicitur, eo quod ipsa sæcula in ipso Dei ordine multiformiter variantur.

9. *Propter quod peto*) Petit ne desperent de misericordia Dei circa seipsos, videntes eum tanta pati.

10. AMBROS. [*Propter quod peto*] Omnia interiecit ab eo, *Paulus vinctus*; usque ad hoc, *propter quod peto*.

11. LANFRANCVS, (*Peto ne deficiatis*] Vtrumque noverat alterutro indigere, & gratiam libero arbitrio, ubi rogat ne deficiant; & liberum arbitrium dono gratiæ, ubi Deum rogat, ut det eis corroborationem.

12. AVGVST. (*Huius rei gratia*) Cuius rei gratia, nisi quæ supra dixerat, peto non infirmari in tribula-

C tionibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra. Quia ergo voluntatis habetis arbitrium, peto. Quia vero vobis voluntatis arbitrium non sufficit ad implendum quod peto: *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem.*

13. LANFR. (*Paternitas in cœlis*] Cœlos vocat spirituales homines. Terram carnales. *Ad Patrem*, inquit, *flecto genua*. *Ex quo*, id est, per quem nominantur cæteri patres seu spirituales, seu carnales. Qui enim fecit esse res quod sunt: ipse causa est ut nominentur quod sunt. Aliter, *Ex quo*, id est, cuius similitudine nominantur patres, spirituales vel carnales. Quia enim omnipotens Deus pro eo pater dicitur, vel quod filium ex se generavit, vel quod creata proprio moderamine gubernat & regit. Ex ea similitudine propter eamdem causam patres dicuntur, vel quia ea se ipsis filios generant; vel quia subiectos pio studio gubernant & regunt. Si vero per cœlos Angelos

D

E intelligi voluit, credendum est minores Angelos, patres nominare maiores: quoquo tamen modo sententia intelligitur, bona paternitas intelligi debet: neque enim ex Deo illa erat, de qua in Evangelio dicit: *Vos ex patre diabolo estis.* Et alibi; ab *initio mendax est, & pater eius* patrem mendacij, diabolum dicens.

14. AVGVSTINVS, [*Radicati & fundati*] Radicati propter agriculturam; fundati propter ædificationem, dicit enim alio loco: *Dei agricultura, Dei ædificatio estis.* Epist. 120. de gratia novi Testam. c. 26. to. 2.

15. AMBROS. (*Vt possitis*] Hoc est ut in fruitione vitæ consistatis; quod ostendit dicendo cum sanctis; nam latitudinem, longitudinem, profundum. Altitudinem dicit gratiæ magnitudinem, ex his nominibus quæ apud nos magna esse videntur, oro, inquit, cum sanctis illa iam magna donatione Dei, quam præstitit nobis charitas Christi.

F 16. AVGVST. (*Quæ sit latitudo*] Latitudo in bonis operibus, quibus benevolentia porrigitur usque ad diligendos inimicos. Et longitudo, ut longanimiter pro hac latitudine, molestiæ tolerentur. Et latitudo, ut pro his æternum, quod in supernis est, præmium, non vanum aliquid temporale speretur. Et profundum, significat profunditatem gratuitæ gratiæ, in qua multorum ingenia conteruntur; investigare conantur, ut ad extremum eis dicatur; *O homo tu quis es, qui respondeas Deo?* Ibid.

17. LANFRANCVS, (*Latitudo*] Latitudo Christianorum est cordis amplitudo, ad dandum & subveniendum pro Deo in quantum potest: vnde alias dicitur: *Dilatamini & vos.*

18. (*Longitudo*) Longitudo, quæ & alias Longanimitas dicitur, id est, expectatio promissionum Dei cum alacritate mentis.

19. [*Sublimitas*] Sublimitas est vita cœlestis. Vnde alias dicitur: *Supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus.*

G 20. (*Profundum*] Profundum infernum vocat. Orat ergo Apostolus, quatenus hæc quatuor possint intelligere, & intellecta, tria appetere, vnum vitare.

21. AVGVST. [*Vt impleamini*] Sic implebuntur in omnem plenitudinem Dei: non cum fuerint & ipsi plenus Deus, sed cum fuerint perfectè pleni Deo. Epist. 112 c. 23. ad Paulinam de videndo Deo, tom. 2.

22. AMBROS. (*Vt impleamini*) Id est, vt ipsi in proportione communis corporis videamini, in quo Deus inhabitat.

23. [*Ei autem qui potens*) Post gratiæ narrationem orat pro illis, & sub * spem gratiarum actionis concludens dogmaticos sermones incipit ethicos. * specie.

24. LANFRANC. (*Sæculi sæculorum*) Sæculum sæculorum est æternitas, cuius partes sunt tempora & omnia sæcula. Potest etiam intelligi sæcula sæculorum, hoc præsens sæculum ab initio mundi usque ad finem simul intellectum, quod in multa sæcula dividitur.

H

CAPVT QVARTVM.

OBsecro itaque vos (*ethica ammonitio*) 1. ego vinctus, *incarceratus*, in, *pro*, Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, cum omni humilitate, *dictis, & factis*, & mansuetudine, cum patientiâ, supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem, *concordiam*, spiritus in vinculo pacis, (*à simili*) 2. 3. Vnum corpus, 4. & unus spiritus *sitis*: sicut & vocati estis in una spe vocationis vestræ. *Sicut est vobis* unus Dominus, una fides, unum baptisma, *ita debetis unum spiritum habere.* Vnus Deus, & Pater omnium, 5. qui est super omnes, *ut Dominus*, & per omnia, *ut gubernans*, & in omnibus nobis, *ut inhabitans.* 6. Vnicuique autem nostrum 7. data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. Propter quod dicit, *in Psalmo* 67. Ascendens *Christus* in altum, 8. captivam duxit (*re in se, spe in nobis*) captivitatem, *mortem vel homines, priùs à diabolo captivatos*: dedit dona hominibus. 9. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? *in mundum peccatorum, vel in infernum, vel in terram.* Qui 10. 11. descendit, ipse est, & qui ascendit supra omnes cœlos, 12. ut impleret omnia. *Probat diversa esse dona.* Et ipse dedit quosdam quidem

Apostolos,

A E Apostolos, quosdam autem Prophetas (*ut Agabus, & filia eius*) alios verò Euangelistas, 13. 14. alios autem pastores, *Episcopos*, & doctores, *cæteros Prælatos*, ad consummationem sanctorum (*ab hoc spiritu alia charismata dantur eis, ut consummarent in eis sanctitatem*) in opus ministerij, *ut corpus Christi, id est, Ecclesia sanctos ædificens, scilicet*, in ædificationem corporis, *Ecclesia*, Christi *ædificandi*: 15. donec occurramus omnes *in die iudicij ante Deum* in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, *In hoc sæculo subsistentes*, 16. in virum perfectum, *perfecti resurgamus sine membrorum imminutione*, 17. 18. in mensuram ætatis plenitudinis Christi: *ad hoc dedit doctores*, ut iam non simul paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris, *ut inducant nos in errorem*: (*huc vsque fuit digressio, id est, ab hoc quod dixit, solliciti seruare*) veritatem, *æquitatem*, autem, facientes in charitate, crescamus in illo per omnia *dona virtutum*, qui est caput Christus: 19. ex quo totum corpus compactum, *facit augmentum, id est, augmentatum*, & connexum per omnem iuncturam 20. subministrationis, *id est, accessionem subministrantium se Deo*, 21. secundùm operationem in mensuram vniuscuiusque membri,

B F *id est, secundùm operationem vniuscuiusque membri*, augmentum corporis facit 22. in ædificationem sui *ipsius* 23. in charitate *Christi non meritis*. Hoc igitur dico, & testificor in Domino, vt iam *accepta doctrinâ* non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati 24. à vita Dei, *æterna, vel à resurrectione illa quæ fieri expectatur*, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum *colendo idola*, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam *inexplebiliter*. Vos autem non ita didicistis Christum *velle vos facere*, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas *non hypocrisis* in Iesu, deponere vos secundùm pristinam conversationem veterem hominem, *massam vitiorum, immo ita didicistis Christum velle, ut deponatis*, qui corrumpitur *peccando* secundùm desideria erroris. Et *quia non sufficit deponere à malo, subdit*. 25. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, *massam virtutum*, 26. qui secundùm Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis. Propter quod, *ut nouum hominem induatis*, deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo:

C G quoniam sumus inuicem membra, *si vel de præteritis* Irascimini, & nolite *ad actum ducere, vel deinceps* peccare 27. Sol, *vel Christus*, 28. non occidat *vobis* super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo:) *Exponit quomodo*) qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat vnde tribuat (*non vnde inebriet*) necessitatem patienti. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: *nullus sermo malus procedat*: sed si quis *sermo* bonus *est, vel sit*, ad ædificationem fidei, *ille procedat, ita* ut det gratiam, *gratus sit*, audientibus, 29. Et nolite contristare 30. Spiritum Sanctum Dei: *vel illos, qui habent*: in quo signati estis in diem redemptionis, *baptismi, in partem Dei, id est, discreti ab infidelitate*. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor *in Deum*, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Estote autem inuicem benigni, misericordes, *communicando vestra*, donantes inuicem, *condonando commissa*, 32. sicut & Deus in Christo, *in fine*, donauit nobis.

COMMENTARIVS.

D 1. AMBROS. (*Ego vinctus*) Ad reuerentiam mutat, quia adiecit, *Ego vinctus in Domino*: si quidem ipsa vincula propter prædicationem habere videtur.

2. (*Vnum corpus*) Hoc est, hanc vnitatem illibatam custodite, per pacem, & charitatem; & hoc esse necessarium multis modis ostendere nititur per ea quæ sequuntur.

3. LANFR. (*Vnum corpus & vnus spiritus*) Vnum habetis spiritum, sicut estis vnum corpus, ut non sitis schismatici.

4. AMBROS. (*Et vnus spiritus*) Spiritus qui nos regenerauit; Corpus, inquit, per regenerationem consistere videmini.

5. (*Qui super omnes*] Qui omnibus supereminet. Hoc enim dicit super omnes, qui & per omnia suam ostendit prouidentiam in omnibus; quamquam nobis & esse, & habitare dignatur.

6. (*Vnicuique autem vestrum*] Hoc vult dicere, quamuis per omnia necessaria sit concordia; videtur tamen inesse in eis differentia, ob gratiarum varietatem.

7. LANFR. [*Data est gratia secundùm mensuram, &c.*] Quamuis vnus sit spiritus, diversa sunt dona ipsius. Et hoc est quod dicit: *Data est gratia secundùm mensuram*, id est, diversæ: alij hoc, alij illud, alij plus, alij minus. Quod prius ab auctoritate, postea probat à partibus. H

8. AVGVST. [*Captiuam duxit*) Vtrum quia vicit mortem, quæ captiuos tenebat, in quibus regnabat; an ipsos homines appellauit captiuitatem, quia captiui sub diabolo tenebantur. Enarr. in Psal.67. to.8.

9. LANFR. (*Quod autem ascendit*] Probat de Christo superiorem versum esse dictum: ipse enim ascendit in cœlum, & de cœlo descendit.

10. AMBROS. (*Descendit*] Inferiores partes ipsam terram nominat in comparatione cœli. Vult autem dicere, quoniam non ascendisset, nisi primum in illo diuina extitisset natura, cui complacuit in illum habitare, qui super terram erat.

11. (*Qui descendit*] Vult autem dicere, quoniam is in quem diuina descendit natura, super cœlos effectus est: & hoc inseruit volens ostendere quomodo Christus homo aliis posset tribuere spirituales donationes: post recurrit ad suam sententiam.

12. LANFR. [*Impleret omnia*) Id est, omnes Gentes culturâ diuinâ Vel omnia quæ de eo prædicta erant. Epist.59. ad Paulin. quæst.4. to.2.

13. AVGVST. [*Alios Pastores*.] Pastores & Doctores, quos maximè vt discerneremus voluisti, eosdem

A Epist. 59. ad Paulin. q. 4. to. 2.

putoesse, sicut & tibi visum est, ut non alios Pastores, alios Doctores intelligamus; sed ideo cum prædixisset Pastores, subiunxit & Doctores, ut intelligant Pastores ad officium suum pertinere doctrinam.

14. LANFR. [*Alios autem Pastores.*] Propter hoc Christus diversis diversa dedit, ut perfecte quisquis exercere possit in opus ministerij quod accepit. Si enim unus accepisset omnia, non perfecte posset vacare ad singula. Quid autem sit opus ministerij Sanctorum, quibus spiritales gratiæ à Christo collatæ sunt, subiungit, dicens: *In ædificationem corporis Christi*, ad hoc enim spiritualia charismata dantur illis, ut corpus Christi, vel Ecclesiam ædificent.

15. [*Donec occurramus.*] Ordo. Donec nos omnes in unitatem fidei, & agnitionem Filij Dei in hoc sæculo subsistentes, occurramus in virum perfectum, diem iudicij significat, * quomodo omnes qui nunc habemus unam fidem, & unam agnitionem Filij Dei, sic ex diversis partibus mundi occurremus invicem, ut unusquisque sit vir perfectus, habens eam ætatem qua Christus de hoc sæculo transiit, & resurrexit: hoc est quod dicit in mensuram plenitudinis Christi, id est, in qua ætate Christus plenitudinem annorum & corporis habuit. Potest intelligi occursuros nos in virum perfectum, ut omnes simus unus vir perfectus, id est, una Ecclesia, cui nihil desit, & cui nihil sit postea addendum.

(margin: al.* q. c. — B)

Lib. 22. de ciuit. Dei c. 15. to. 5.

16. AVGVST. [*In virum perfectum.*] Sic accipiamus dictum, ut nec infra, nec ultra iuvenilem formam resurgant corpora mortuorum; sed in eius ætate & robore, usque ad quam Christum pervenisse cognovimus.

Ibid. 20 16.

17. [*In mensuram.*] De mensura ætatis plenitudinis Christi, aut propter illud intelligamus dictum esse, id est, vt illi capiti in populis Christianis antecedente omnium perfectione membrorum ætatis eius mensura compleatur, aut hoc de resurrectione corporum dictum est.

18. LANFR. [*In mensuram ætatis plenitudinis Christi.*] Id est, in ætate qua Christus plenitudinem annorum & corporis habens in terra de hoc sæculo transiit.

C

19. AMBROS. [*Ex quo totum.*] Ex Christo quasi ex capite copulatur corpus Ecclesiæ, secundùm quod in unoquoque nostrum, spiritualis efficitur operatio.

20. LANFRANCVS. [*Subministrationis.*] Subministratio alicuius peccatoris ad Deum conversio; qui ita Ecclesiæ copulatur, ut membrum corpori.

21. [*Secundùm operationem.*] Secundùm id quod operatur * magnum membrum, erit augmentum corporis.

(margin: al.* unū.)

22. AMBROSIVS. [*In ædificationem sui.*] Quod dicit (sui) de Christo dicit: ut dicat, quoniam Christus facit proprij corporis ædificationem, in illam charitatem, quam erga nos habere videtur.

E

23. LANFRANC. [*In charitate.*] Exponit modum huius ædificationis, quod non fit nisi sola charitate. Si operari cessat, membrum non est.

24. AMBROS. [*A vita Dei.*] Id est, a resurrectione illa, quæ fieri expectatur.

Lib. 14. de Trin. c. 16. to. 3.

25. AVGVSTINVS. [*Renouamini.*] Quod autem ait spiritu mentis vestræ, non ibi duas res intelligere voluit, quasi aliud sit mens, aliud spiritus mentis.

Lib. 3. de Genes. ad lit. c. 20. to. 3.

26. [*Qui secundum Deum.*] Sicut enim post lapsum peccati, homo in agnitionem Dei renovatur secundum imaginem eius qui creavit eum; ita in ipsa agnitione creatus est antequam delicto veterasceret; unde rursus in * eamdem agnitionem renovaretur.

al.* in eadem cognitione. Enar. in Psal. 25.

27. [*Sol non occidat.*] Intelligitur quid est, & secundùm tempus. Quasi ex ipsa conditione & infirmitate mortalitatis, quam portamus, subrepit ira Christiano non debet diu teneri & fieri pridiana, eiice illam de corde antequam occidat lux ista visibilis, ne te deserat lux illa invisibilis. Sed aliter melius intelligitur; quia noster sol iustitiæ & veritatis Christus est, cuius veritate, anima humana illustratur.

F

to. 8. habetur quoque to. 10. Serm. 25. inter fragmenta. Serm. de Psal. 21. inter fragmenta 4.

28. [*Non occidat.*] Est ergo verum lumen iustitia atque sapientia quod desinit mens videre, cum perturbatione iracundiæ fuerit tamquam nubilo superata; * & tum quasi occidat sol super iracundiam hominis.

al.* & tunc occidit sol.

AMBR. [*Vt det gratiam.*] Id est, in quo lætari conveniat eos qui audiunt.

Lib. 4. de Genes. ad lit. c. 9.

29. AVGVST. [*Nolite contristare.*] Neque enim ipsa Spiritus sancti, quā est, quidquid ipse est, substantia contristari potest; cum habeat æternam atque incommutabilem beatitudinem, magisque sit ipsa æterna & incommutabilis beatitudo. Sed quia in sanctis * habitat, ut eos impleat charitate, * quia necesse est ut homines ex tempore gaudeant profectu fidelium, & bonis operibus; & ideo necesse est etiam contristentur lapsibus vel peccatis eorum, de quorum fide & pietate gaudebant.

(margin: L.* ita. al.* qua.)

G

Ibid.

30. [*Spiritum sanctum Dei.*] Ipse spiritus dicitur contristari ab eis qui sic agunt, ut eorū factis contristentur sancti, non ob aliud nisi quia Spiritū sanctum habent; quo dono tam boni sunt, ut eos mali * molestificent.

al.* mortificent.

31. LANFR. [*Diem redemptionis.*] Diem redemptionis, diem vocat baptismatis, in quo Spiritus sanctus fide & sacramentis, & gratiis spiritualibus signat fideles, id est, ab infidelitate secernit.

Ex lib. contra mend. c. 19. to. 4.

AVGVST. [*Blasphemia.*] Blasphemia est per quam de ipso Deo falsa dicuntur.

32. AMBROS. [*Sicut & Deus.*] Quoniam grave videbatur ut quis remittat nocēnti se, Adiecit: *sicut & Deus dedit in Christo vobis.*

CAPVT QVINTVM.

D — H

ESTOTE ergo, *autem*, imitatores Dei, sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis, *vt eum delectetis.* Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, *nedum perpetretur*, sicut decet sanctos; aut turpitudo *verborum*, aut stultiloquium *in Deum*, aut scurrilitas, *ioculatoria verba*, quæ ad rem, *utilitatem*, non pertinet; sed magis gratiarum actio, *fit in vobis. Reddit causam, cur non sint perpetranda.* Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, 1. quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei. 2. Nemo vos seducat *persuadens vobis per hoc, regnum Dei non amitti*, inanibus verbis: propter hæc enim, *nam verè propter supradicta*, venit ira Dei in filios diffidentiæ, *diffidentes de Deo. Quia propter hoc venit ira Dei*: Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. *Ergo quia lux estis*, vt filij lucis ambulate: *ecce quomodo debent ambulare, scilicet in omni bonitate, id est, verè.* 3. Fructus enim, *autem*, lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate:

probantes,

probantes, *experientes*, quid sit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, *tenebrosum*, magis autem redarguite *illa opera*. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere. *Redarguite*, 4. 5. Omnia autem, *enim, scilicet peccata prædestinatorum ad vitam*, quæ arguuntur, a lumine, *à spirituali homine*, manifestantur *confessione*. 6. Omne enim quod manifestatur, *confessione*, lumen est, *id est, lumen facit, qui manifestat. Probat ab auctoritate.* Propter quod dicit: 7. 8. Surge qui dormis *tevitiu*, & exurge *confitendo peccata tua* à mortuis, *peccatis*, & illuminabit te Christus. *Ecce quod lumen est.* Videte itaque fratres, *quia fily lucu estis*, quomodo cautè ambuletis: non quasi insipientes, sed vt sapientes: 9. redimentes tempus, quoniam dies mali sunt, *dies huius sæculi, in quibus malus sævire permittitur*, Propterea nolite, *quia mali*, fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis *Daaid*, & Hymnis, *vt Prudenty*, & Canticis spiritualibus, *cæteris orationibus*, cantantes, & psallentes in cordibus vestris, *non ore tenus tantùm* Domino, gratias agentes semper pro omnibus, *vel prosperis, vel aduersis*, in nomine Domini nostri IESV CHRISTI, Deo & Patri. Subiecti estote inuicem, in timore Christi. *Ecce quomodo subiici regat.* 10. Mulieres viris suis subditæ sint, *non in hypocrisi*, sicut Domino, *vel Deo: Ecce cur:* 11. quoniam vir, caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ: *vir quidem non saluauit mulierem, sed tamen Christus* ipse Salvator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo: ita & mulieres viris suis in omnibus *subyciantur*. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, (*ex effectu*) & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, 12. mundans 13. lavacro aquæ in verbo vitæ, *baptismo, id est, in nomine Patris, & Fily, & Spiritus sancti, ad hoc*: 14. vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, 15. non habentem maculam *peccati*, aut rugam *hypocrisis*, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata, *vt Christus*. Ita & viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. 16. Qui suam vxorem diligit, seipsum, *carnem suam*, diligit. 17. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam: 18. quia *nos, id est, Ecclesia*, membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius, *de infirmis, & firmis existentis: vel eandem carnem, & eadem ossa, quæ habuit Christus.* 19. Propter hoc 20. relinquet homo patrem, & 21. matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. 22. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico *esse sacramentum illud*, in Christo, & in Ecclesia. 23. Verumtamen, *quamuis allegoricè possit intelligi de Christo*, & vos singuli, vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat: vxor autem timeat virum suum.

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. [*Quod est idolorum.*] Avaritiæ pon dus in simili monstravit, idolorum servitutem illam vocans, eo quod similiter à Deo averteret.

2. LANFR. [*Nemo vos seducat.*] Seducebat quidam auditores suos, persuadentes eis, quod propter superiora peccata, non amitteret homo vitam æternam.

3. [*Fructus enim lucis.*] Illuminati, inquit, hominis fructus est omnis bonitas & iustitia, & veritas; præmisso * sibi iunxit species, & iustitiam: quidam in operibus veritatem intelligi vult in cogitationibus & sermonibus.

f. * ibi.

4. [*Omnia autem quæ aguntur.*] Causam reddit cur dixerit, *magis autem redarguite.* Omnia enim peccata hominum prædestinatorum ad vitam æternam, quæ arguntur à lumine, id est, à iusto spirituali homine, confessione manifestantur: omne autem quod in confessione manifestatur, lumen est, id est, facit eum lumen, qui manifestatur. Et rectè quidem dictum est, sicut enim patratio sceleris tenebras, sic eius confessio lumen facit.

5. AMBROS. [*Omnia autem quæ aguntur.*] Dictum est hoc ab Apostolo non integrè: Nam dicens quia manifestantur, quod sequebatur silentio tradidit, id scilicet quod possit ipsa manifestatio adiuvare. Omnis enim super delictum suum si manifestatur, patitur confusionem.

6. [*Omne autem quod manifestatur.*] Aliud autem retulit quod dicit, *nolite communicare operibus tenebrarum*: Hoc est nolite illorum opera imitari, sed talia agire, quæ si fuerint manifestati, tristes vos minimè faciant. Luminis enim sunt illa opera, quæ in manifesto fiunt: tenebrarum vero illa opera sunt, quæ occultantur.

7. [*Surge qui dormis.*] Testimonium hoc nullam habet sequentiam, de lumine enim disputans retulit hoc ad opera tenebrarum: Quidam autem dixerunt quod in illo tempore inter alias gratias, gratia psalmos faciendi dare tur: unde hoc testimonio Apostolus abusus videtur.

8. AVGVST. [*Surge qui dormis.*] Somnus animæ est, oblivisci Deum suum: quæcumque anima oblita fuerit Deum suum, * dormivit.

Enarr. in Psal. 62. al. * dormit.

9. [*Redimentes tempus.*] Redimere tempus, hoc est; quando aliquis tibi infert litem; perde aliquid vt Deo vaces, non litibus: perde ergo, ex eo quod perdis, pretium est temporis.

Serm. 16. de diversis in appen. to. 10.

10. AMBROS. [*Mulieres viris.*] Tres effectus memoratus est, inter quos duos naturales præposuit, & in vnoquoque ab inferioribus inchoavit.

11. [*Quoniam vir caput est.*] Illum ordinem Christus habet ad Ecclesiam, eo quod ex illo secundæ vitæ causam habere videtur; hoc enim in isto loco * dicit ipse Salvator corporis hunc ordinem vir habet ad mulierem, eo quod ut consistat, virum accipit.

f. * dicitur.

12. AVGVSTINVS. [*Mundans lauacro.*] Quid est baptismus? Lauacrum aquæ in verbo: tolle aquam, non est baptismus. Tolle verbum, non est baptismus.

Tract. 15. in Evan. Ioan. to. 9

13. LANFR. [*Lauacro aquæ in verbo.*] Verbum vocat prolationem divinitatis, quæ à baptizantibus super aquam profertur.

A

Lib. de perfect. Iust. c. 11. 10. 7.

14. AVGVST. [*Vt exhiberet ipse sibi.*] Tunc utique quando gloriosa: non enim modo in tantis malis, in tantis scandalis, in tanta permixtione hominum pessimorum, in tantis opprobriis impiorum dicendum est eam esse gloriosam.

Serm. 2. in monte c. 13.

15. [*Non habentem maculam.*] Non habentem maculam neque rugam, id est, mundam & simplicem.

16. LANFR. [*Qui suam uxorem diligit.*] Debent uxores diligere, quia seipsos (à toto) id est, carnem suam: nam non debent habere (à contrario.) Nemo enim, &c. à genere.

17. [*Nemo enim unquam.*] Probat quod viri corpora sua diligant.

18. [*Quia membra corporis eius.*] Potest legi, corporis eius constantis de carne & ossibus eius, id est, de infirmis & firmis, vel de carne & ossibus eius sumus membra, eandem carnem, & eadem ossa habentia, quæ ipse habuit.

B

19. [*Propter hoc relinquet homo.*] Quia, inquit, nos sumus de carne, & de ossibus eius; propter hoc sicut scriptum est in Genesi, *relinquet*, Verbum Patris qui futurus est homo, *patrem*, id est, non eandem essentiam apparens, quia cum Patre permanet, *& matrem*, id est, Synagogam, *& adhærebit uxori suæ*, id est, Ecclesiæ. Sic autem dicitur sacramentum: Sed tamen quamvis de Christo dicimr, potest ad litteram intelligi; vt multi diligentes uxores patrem, & matrem relinquant. Et hoc est: *Verumtamen & vos, &c.*

E

Lib. 12. contra Faust. Manich. c. 9. cap. 6.

20. AVGVST. [*Relinquet homo.*] Quis enim non agnoscat Christum eo modo reliquisse patrem; *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens?* Reliquisse etiam matrem Synagogam Iudæorum veteri Testamento carnaliter inhærentem & adhæsisse uxori suæ * Ecclesiæ in pace novi Testamenti essent duo in carne una, quia cum sit Deus apud patrem, per quem facti sumus, factus est particeps noster, ut illius capitis corpus esse possemus.

al.* sanctæ

Expos. in Evang. Ioann. tract. 10. n. 9.

21. [*Et matrem.*] Quomodo reliquit matrem? Relinquendo Synagogam Iudæorum, de qua secundum carnem natus est Christus.

22. LANFR. [*Sacramentum.*] Quod de viro & uxore dicit, & ad litteram intelligendum est secundum sæculi consuetudinem, & spiritualiter de Christo & Ecclesia. Patrem Christus relinquere visus est, quando semetipsum exinanivit, & formam servi accepit. Matrem Synagogam, ex qua natus est, reliquit; quando ipsa sua infidelitate persistente, ad prædicandum Gentibus Apostolos misit, & ex eorum conversione, Ecclesiâ congregatâ, quasi sponsæ sponsus adhæsit, cum qua unigenitus est in carne una, quia carnem quam de virgine sumpsit, in Missa & celebritatibus quotidie Ecclesia sumit.

F

23. [*Verumtamen.*] Quasi diceret, quamvis ergo hoc sacramentum in Christo & Ecclesia intelligam spiritualiter, verumtamen vos à mortali intellectu historiæ nolite recedere.

CAPVT SEXTVM.

Filij, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est, (*& hoc probat ab auctoritate*) Honora patrem tuum, & matrem tuam, 2. quod est mandatum primum in promissione: *in lege, qua promittit adimplentibus illam terram lacte, & melle fluentem:* ut benè sit tibi, & sis longævus super terram *viventium*. Et, vos patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correptione Domini. Servi obedite dominis carnalibus, cum timore *animi*, & tremore *corporis*, 2. in simplicitate

C

cordis vestri, sicut Christo *obediretis: (ecce cur in simplicitate dixerit)* non ad oculum, *palam tantùm*, servientes, quasi hominibus placentes: sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bonâ voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus: scientes quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, sive servus, sive liber. 3. Et vos domini, eadem, *id est, ex simplicitate, & bona voluntate*, facite illis, 4. remittentes minas: scientes quia & illorum, & vester Dominus est in cœlis: & personarum acceptio non est apud eum, *non est ei charior liber, quàm servus obediens illi.* De cætero fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, *non vestra.* Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare adversus insidias diaboli, *Dei armaturam dico*, quoniam 5. non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem *tantùm*, sed adversus principes, & potestates, adversus mundi, *huius sæculi*, 6. rectores tenebrarum harum, *scilicet*, 7. contra spiritualia (*intransitivè dæmones dicit*) nequitiæ, 8. in cœlestibus, *in aere, degentia, vel pro virtutibus, quas nobis dæmones auferre conantur.* 9. Propterea 10. accipite armaturam Dei, *virtutes*, vt possitis resistere 11. in die malo, *in præsenti sæculo, ubi mala fiunt*, & in omnibus, *vel prosperis, vel adversis* perfecti

G

D

stare. State ergo, *non iaceatis in sordibus*, succincti lumbos vestros, (*id est, stringite fluxa carnalis voluptatis*) in veritate, & induti loricam iustitiæ *in opere*, & 12. calceati, *contra insidias diaboli munitas habentes* pedes, *mentes*, in præparatione Evangelij, *ut præparetis eos percipiendo Evangelio*, pacis, *pacificantis*: in omnibus sumentes (*intransitivè*) scutum fidei, in quo possitis omnia tela, *vitia*, nequissimi, *diaboli*, ignea extinguere: & 13. galeam salutis, *spem, vel ipsam salutem æternam*, assumite; 14. & gladium spiritus, (quod est verbum Dei) per omnem orationem, & *per crucem, vel* obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantia, *non remissè*, & obsecratione pro omnibus sanctis; & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei, *scilicet*, cum fiducia, *non cum timore*, notum facere, 5. mysterium Evangelij: pro quo legatione fungor in catena, *carcere*, ita vt in ipso audeam, prout oportet me, loqui. Vt autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, & fidelis minister in Domino: quem misi ad vos, in, *propter*, hoc ipsum, vt cognoscatis, quæ circa nos sunt, & *ne deficiatis pro me*, consoletur corda vestra.

H

Pax

A Pax fratribus, & charitas cum fide, à Deo Patre, & Domino Iesu Christo. Gratia sit cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione, *sincere*. Amen. E

COMMENTARIVS

1. LANFR. (*Quod est mandatum primum*) In prima quidem tabula tria fuere mandata ad Deum pertinentia, id est, *Non adorabis Deos alienos. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Sabbata custodies.* Et reliqua septem in secunda ad proximum pertinentia: quorum fuit primum, *Honora patrem & matrem.* Vnde dicit: *quod est primum mandatum.*

2. AMBROSIVS. (*In simplicitate*) Modum quo illud diceret expandit, subiungens, *Non ad oculum servientes.*

B 3. LANFR. [*Et vos Domini eadem*] Id est, similiter in simplicitate cordis, & bona voluntate, vt servi Christi facientes voluntatem Dei erga illos.

4. AMBROS. (*Remittentes*) Non dixit auferentes, sed remittentes. Non enim corrigere servos, si permanentes peccant, prohibet.

5. (*Non est vobis*) Absolute est indifferenter collectationis nomen, pro lucta ponens.

Ibid. in Ps. 117. tom. 2. 6. AVGVSTINVS. (*Rectores*) Rectores tenebrarum harum, id est, rectores iniquorum mundum istum diligentium.

7. (*Contra spiritualia*) Sunt ergo spiritualia nequitiæ in cœlestibus, non vbi sidera disposita fulgent, & sancti Angeli commorantur; sed in imum aeris huius caliginoso habitaculo, vbi & nubila conglobantur.

AMBROSIVS. (*In cœlestibus*) Hoc est, pro cœlestibus, id est, pro regno cœlorum adversus illos est nobis certamen.

8. LANFR. (*In cœlestibus*) Cœlestia vocat virtutes, quæ ad cœlestia in quibus exercendis spiritibus nequam contradictionem patiuntur.

C 9. (*Propterea accipite*) Quasi diceret, quia contra spiritualis hostes certatis, spiritualem armaturam sumere debetis.

10. AVGVSTINVS. (*Accipite armaturam*) Verumtamen, charissimi, arma ista ne putetis sic esse, vt quasi quod scutum, semper scutum sit, aut quod galea est, semper galea sit, aut quæ lorica, semper lorica sit. In istis enim armis corporalibus ita est, quamquam & de ferro quæ sunt mutari possint, vt ex gladio securis; tamen ipsum Apostolum videmus dixisse quodam loco, *loricam fidei*, & alio dixisse, *scutum fidei*. Scutum ergo est, quia tela inimicorum excipit & repellit. Lorica est, quia interiora sua transfigi non sinit. Ibidem vbi 10.

11. AMBROSIVS. [*In die malo*] Diem malum præsentem vitam dicit: eo quod in præsenti sæculo * mala agunt. F l. * mali.

12. LANFR. (*Calceati pedes*) Calceatos iubet pedes nostros esse, quia cogitationes nostræ, per quas mens quodammodo deambulat, munitæ debent esse contra insidias malignorum spirituum, vt præparationi in nobis ea quæ iubet Evangelium pacis, id est, Christi.

13. (*Galeam salutis*) Salus æterna debet esse nostra galea, quia in memoria mentem nostram, quæ capitis nomine designatur, sæpe debet obvoluere.

14. AVGVST. (*Et gladium*) Sermo ergo Dei gladius bis acutus; vnde bis acutum dicit de temporalibus, dicit de æternis. Gladius enim bis acutus, de quo Apostolus dicit, quia de vtroque testamento ferierat hoc gladio mactabant: de quibus dicebatur Petro, *Macta & manduca.* Ibid. in Luca.

15. LANFR. (*Mysterium Evangelii*) Mysterium Evangelii, id est, quod Evangelium prædicat. Incarnationem & Passionem Christi & cætera sacramenta vult intelligere. G

EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI
AD PHILIPPENSES.

CVM INTERIECTIS BEATI
Lanfranci Glossulis.

D ARGVMENTVM. H

PHILIPPENSES *sunt Macedones. Hi accepto verbo veritatis, perstiterunt in fide, nec receperunt falsos Apostolos. Hos collaudat Apostolus, scribens eis à Roma de carcere per Epaphroditum.*

CAPVT PRIMVM.

1. PAulus & Timotheus, servi Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu, *confirmatis fide Christi Iesu*, qui sunt Philippis, 2. cum Episcopis, & Diaconibus. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper *quotiescumque vestri recordor*, *scilicet habens* in cunctis orationibus

A meis *factis* pro omnibus vobis, cum gaudio, *vel habito de hoc, quod evangelio communicatis,* E
depreeationem faciens, ſuper 3. communicatione veſtrâ, *ut eam Deus multiplicet*, in Evan-
gelio Chriſti *perdurantem* à prima die *converſionis veſtræ* uſque nunc: 4. confidens hoc ip-
ſum, quia qui cœpit in vobis opus bunum, perficiet uſque 5. in diem Chriſti Ieſu: *iudicij,*
vel obitus cuiuſque: 6. ſicut eſt mibi iuſtum, *quia benè agitis*, hoc ſentire pro omnibus vo-
bis: (*reddit cauſam*) eo quòd habeam vos in corde, *id eſt, diligo vos*, & in vinculis meis,
& in defenſione, & confirmatione (*miraculis*) Evangelij, *ita quidem ut velim* ſocios gaudij
mei, *id eſt, regni cælorum*, omnes vos eſſe. Teſtis enim mihi eſt Deus, *unde mibi teſtis eſt*
Deus, quomodo 7. cupiam omnes vos in viſceribus Ieſu Chriſti, *id eſt, in charitate, qua ſe-*
cundùm Chriſtum eſt, eſſe. Et hoc oro, ut charitas veſtra magis, ac magis abundet in ſcien-
tia, & in omni ſenſu *agendo:* ut probetis *actu ipſo* potiora, ut ſitis ſynceri, & ſine offenſa
in diem Chriſti, *iudicij, vel obitus*, repleti fructu iuſtitiæ, *vita æterna*, per Ieſum Chriſtum,
in gloriam, & laudem Dei. Scire autem vos volo, fratres, (*ne ipſi debaccharentur propter*
captionem Apoſtoli) quia quæ circa me ſunt, *vincula mea ſcilicet*, magis ad profectum, *quàm*
ad detrimentum, venerunt Evangelij, 8. ita *venerunt ad profectum* ut vincula mea manifeſta
fierent in Chriſto, *quia per Chriſtum vinctus eram*, in omni prætorio, & in cæteris *locis* om-
nibus, & plures è fratribus in Domino, *Apoſtoli*, confidentes vinculis meis, *propter vincu-*
la mea, abundantius *ſolito* auderent 9. ſine timore verbum Dei loqui. Quidam quidem F
B *prædicant* & 11. propter invidiam, *ut in me perſecutionem excitent*, & contentionem; qui-
dam autem & propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant: (*repetit, quidam quidem*
(quidam *prædicant* ex charitate, ſcientes, *videntes*, quoniam in defenſionem Evangelij
poſitus ſum *in carcere*, (*repetit, quidam quidem*) Quidam autem 12. ex contentione Chri-
ſtum annuntiant non ſincerè, 13. exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis, *ſed*
hac omnia magis ad profectum venerunt. Quid enim? *Scilicet refert.* Dum omni modo, ſive
per occaſionem, *id eſt, propter perſecutionem excitandam mibi*, ſive per veritatem, *ſancto*
deſiderio, Chriſtus annuntietur; & in hoc, *quòd preſſuram mibi excitant*, gandeo *nunc*, ſed
& gaudebo. *Ecce cur*, 14. Scio enim quia hoc, *illa preſſura*, mihi proveniet ad ſalutem,
per veſtram orationem, 15. & ſubminiſtrationem Spiritus Ieſu Chriſti, (*à contrario*) *lar-*
gam mercedem, quantam decet ſpiritum, tribuere, ſecundùm expectationem, *& hoc expecto*,
& ſpem meam, *& ſpero*, quia in nullo 16. confundar: ſed in omni fiducia, ſicut ſemper, &
nunc, *etiam in vinculis*, magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per vitam, *dando*
exemplum boni aliis, 17. ſive per mortem. 18. Mihi enim vivere, *cauſa vita mea*, Chriſtus
C eſt, & mori lucrum, *quia tunc quieſcam à laboribus.* 19. Quòd ſi *etiam* vivere in carne, hic G
mihi fructus operis eſt, *ſicut & mori*, & 20. quid eligam ignoro: *cum utrumque proſit, quid*
eligam ignoro, vivere, an mori. Coarctor autem, *enim*, è duobus: (*his ſcilicet*) deſiderium
habens diſſolvi *à corpore*, & eſſe cum Chriſto, (*parentheſis*) multò magis meliùs, *ſcilicet eſt,*
eſſe cum Chriſto: permanere autem *me* in carne, neceſſarium, *utile*, propter vos, *ut dem vobis*
exemplum. Et hoc (*quod neceſſarium eſt vobis*) confidens, ſcio quia manebo, & permanebo
omnibus vobis, *apud vos*, ad profectum veſtrum, & gaudium fidei, *quod fides promeretur, vel*
exigit: ut gratulatio veſtra abundet in Chriſto Ieſu in, *per*, me, *ſcilicet*, per meum adven-
tum iterùm ad vos. Tantùm dignè Evangelio Chriſti converſamini: *ita* ut ſive cùm vene-
ro, & videro vos, ſive abſens, *ſcilicet fuero*, audiam de vobis, quia ſtatis in uno ſpiritu una-
nimes, collaborantes fidei Evangelij: & *ita ut*, in nullo terreamini ab adverſariis: quæ
(*quod ipſi vos terrent*) illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, (*cauſa cur non terreami-*
ni) & hoc, *quod ipſi vos terrere volunt*, à Deo, *ſcilicet datum eſt:* quia vobis donatum eſt pro
Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini, 28. 22. idem certamen
D habentes quale & vidiſtis in me, & nunc audiſtis de me.

H

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. (*Ad Philippenſes*) Philippenſes viri elegantes erant, ſed de primatu contentio erat inter quoſdam illorum, & hoc inter illos qui virtutibus ornati videbantur. Scribitur ergo his de cuſtodia humilitatis; & ut non intenderent dictis illorum qui cuſtodire eos legem ſuadebant.

2. (*Cum Epiſcopis*) Epiſcopos dixit, qui nunc presbyteri dicuntur, nec enim huius ordinis fas erat multos eſſe in una civitate.

3. LANFRANC. (*Communione veſtra*) Id eſt, qua communionem habetis in Evangelio Chriſti, vel ut maiorem habeatis: ad utramque enim ſententiam refertur.

4. (*Confidens hoc ipſum*) Hoc ideo adiecit, quia incautum videbatur gaudere de his, quorum exitus erat incertus.

5. [*In diem Chriſti*] Diem Chriſti Ieſu vocat vel uniuſcuiuſque diem extremum, quo de corpore exit, & ad iudicium Chriſti perducitur: vel finalem ſæculi diem, quo ad iudicandum venturus eſt Dominus.

6. (*Sicut & mihi iuſtum eſt*) Quaſi diceret. Gratias pro vobis ago. Deum oro. De vobis bene confido, ſicut iuſtum eſt mihi de vobis hoc ſentire, id eſt, ita velle. Exponit cauſam: *Eo quod*, inquit, *habeam vos in corde*; ſive vinctus, ſive defendens, ſive confirmans Evangelium; ut omnes ſitis ſocij gaudij mei, id eſt, regni cœleſtis.

7. AMBROS. (*Cupiam vos*) Quod dixit in viſceribus Chriſti, dicere voluit in charitate illa quæ ſecundùm Chriſtum eſt.

8. (*Ita*

A 8. (*Ita ut vincula*) Nam vinctus ad omnium notitiam pervenit, & fideles cum fiducia docebant ex his quæ circa illum facta ſunt, fiduciam accipientes; quidam propter invidiam Chriſtum annuntiant; quæ utraque latius ſignificat adiiciendo, *Alij ex contentione, quidam quidem ex charitate.*

9. Lanfr. (*Sine timore*) Videntes alij Apoſtolum in vinculis non timentem verbum Dei loqui, abundantiorem audientiam ſumebant ſine timore loqui verbum Dei, cum ipſi non eſſent vincti.

Lib. cōtra mendaciū ad Conſent. c.6.in.4.

10. Avgvst. [*Quidam quidem*) Fuerunt enim etiam temporibus Apoſtolorum qui veritatem non veritate, id eſt, non veraci animo prædicarent, quos dicit Apoſtolus Chriſtum annuntiaſſe non caſte, ſed per invidiam & contentionem: ac per hoc etiam tunc nonnulli tolerati ſunt annuntiantes non caſto animo veritatem. Non tamen illi laudati ſunt tamquam annuntiantes caſto animo falſitatem. Deinde de illis dicit: *Sive occaſione, ſive veritate, Chriſtus annuntietur.*

B

11. Lanfr. (*Propter invidiam*) vel ne Apoſtolus ſolus videretur prædicator. Vel contendentes ſe preſſuram ſuſcitare Apoſtolo.

12. (*Ex contentione Chriſtum annuntiant*) Neque homines reducebant ad memoriam illud propter quod Apoſtolus incarceratus erat, ut ideo magis puniretur.

13. (*Exiſtimantes*) Vituperabant Chriſtum, ut magis puniretur Apoſtolus, qui ligari ſe paſſus eſt propter talem Dominum.

14.) *Scio enim*) Vituperationem etiam adverſariorum in Chriſtum iaculatam pervenire ſibi dicit in ſalutem, quia quo magis propter eum punitus eſt, eo amplius coronatur. E

15. Ambros. (*Et ſubminiſtrationem*) Largam mercedem ſignificat, quantam decet ſpiritum tribuere.

16. Lanfr. (*In nullo confundar*) Quod eſſet, ſi ab incœpto deſtitiſſem; vel ſi quod ſpero non habiturus eſſem.

17. (Ambros. (*Sive per mortem*) Sperabat enim Chriſto concedente mortem ſuam non fieri abſolutè aut vanè.

18. (*Mihi enim*) Quoniam dixit quia magnificabitur Chriſtus per vitam, nec hanc probationem habebat, adiecit: *Mihi enim vivere Chriſtus eſt*: neque enim ſi vivam, inquam, alterius rei curam habeo.

19. (Lanfr.) *Quod ſi vivere in carne*) Quamdiu in carne poſſum proficere aliquid, ignoro quid eligam ſeu mori ſeu vivere: etſi enim in carne nihil prodeſſe poſſem, haud dubium quin mortem eligerem. F

20. Avgvst. (*Et quid eligam*) Sic ergo diſtinguendum eſt, *& quid eligam ignoro.* Compellor autem ex duobus: quam diſtinctionem ſequitur concupiſcentiam habens diſſolui & eſſe cum Chriſto. Et tamquam quæreretur quare huius rei potius habeat concupiſcentiam, multo enim magis optimum, inquit.

Lib.3.de Doct. Chr.c.24 tom.3.

21. Ambros. (*Idem certamen*) Exemplo ſui magis eos adhortatur.

22. Lanfr. (*Idem certamen habentes*) Quando tunc dixit Pithoniſſæ Philippis futura prædicare.

CAPVT SECVNDVM.

C SI qua ergo conſolatio *quam expectetis* in Chriſto, ſi quod *eſt mihi in vobis* ſolatium cha-
ritatis, 1. ſi qua ſocietas ſpiritus, 2. ſi qua viſcera miſerationis: implete gaudium G
meum, *ſcilicet* ut idem ſapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipſum ſen-
tientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam *facientes*: ſed in humilitate
ſuperiores ſibi invicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea, quæ
aliorum. 3. Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu: qui cum in forma Dei
eſſet, 4. 5. non rapinam, *ut primus homo*, arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: 6. 7. ſed ſe-
metipſum exinanivit, *humiliavit*, 8. formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem homi-
num, *carnis peccatricis*, factus, 9. & habitu inventus ut homo, *ſitivit*, *eſurivit*, *&c.* Hu-
miliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem *turpiſſimam*, mortem autem cru-
cis. 10. Propter quod, *quia humiliavit ſe*, & Deus exaltavit illum, 11. & donavit illi no-
men, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Ieſu omne, *ex omni genere*, genu flecta-
tur, *vel vi*, *vel voluntate*, 12. cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: &, *ita ut* omnis
lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Itaque *ſicut Chri-
ſtus, qui in omnibus ſe humiliavit*, Chariſſimi mei, (13. ſicut ſemper obediſtis:) non ut
in præſentia mei tantùm, ſed multo magis nunc in abſentia mea, 14. cum metu, &
tremore *vos ipſos humiliando, & quæ aliorum ſunt quærendo*, veſtram ſalutem operamini. 15.
D Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona *ſua* voluntate, *non* H
meritis veſtris. Omnia autem facite ſine murmurationibus, *non recalcitrantes*, & hæſita-
tionibus *in fide*: ut ſitis ſine querela, *ut non poſſit de vobis conqueri*, & ſimplices, *non in hy-
pocriſi*, Filij Dei, ſine reprehenſione in medio nationis pravæ, & perverſæ inter quos lu-
cetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ *vos* continentes ad gloriam meam, *unde glo-
riabor*, in die Chriſti, (*ecce cur*) quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.
16. Sed & ſi immolor *ego ipſe pro vobis*, ſupra ſacrificium, *quod feci Deo*, *de fide ve-
ſtra*, & obſequium fidei veſtræ, 17. gaudeo, 18. & congratulor omnibus vobis, *vel
quia tales eſtis.* Idipſum autem, *id eſt*, *de hoc ſi immolor*, & vos, *vel ut ſimiliter immolemi-
ni; quia exemplar*, gaudete, & congratulamini mihi 19. Spero autem in Domino Ie-
ſu, Timotheum me citò mittere ad vos: ut ego bono animo ſim, cognitis quæ circa
vos ſunt. Neminem enim habeo tam unanimem *mihi*, qui ſincerâ affectione, *non pro lu-
cro terreno*, pro vobis ſollicitus ſit. Omnes enim *quos habeo*, quæ ſua ſunt *commoda* quæ-
runt, non quæ ſunt Ieſu Chriſti. Experimentum, *ſtudium*, autem eius, *Timothei*, cogno-
ſcite, quia *ſcilicet* ſicut patri filius, mecum ſervivit in Evangelio. Hunc igitur, *quia talis eſt*,
ſpero me mittere ad vos, mox ut videro quæ circa me ſunt. Confido autem in Domino,

A quoniam & ipse veniam ad vos citò. Necessarium autem existimavi, Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, vestrum autem Apostolum, & ministrum necessitatis meæ, *qui mihi necessaria ministrat*, mittere ad vos: quoniam quidem omnes vos *videre*, desiderabat: & mœstus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum, *& ita fuit*. Nam & infirmatus est. *Epaphroditus* usque ad mortem: sed Deus misertus est eius, non solùm autem eius, verum etiam *in salute eius* & mei, ne *mortis eius* tristitiam, super tristitiam *infirmitatis eius, vel carceris mei* haberem. Festinantiùs ergo, *quia de eo mœsti fueratis*, misi illum: ut viso eo, iterum gaudeatis, *sicut prius eo præsente*, & ego 10. sine tristitia sim. 11. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & eiusmodi *hominem* cum honore habetote: quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam, (*non dimisit pro inimicis, quin Apostolo ministraret in carcere*) ut impleret, id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium, *quod non poteratis mihi ad ministrare.* E

B F

COMMENTARIVS.

Serm. 11 de verb. Dom. n. c. 17. 10

1. AVGVST. (*Si qua societas*) Ad ipsum enim pertinet societas qua efficimur unum corpus unici Filij Dei.

2. AMBROS. (*Si qua viscera*) Id est, si diligentes nos condoletis nobis talia patientibus.

3. LANFR. [*Hoc enim sentite*) Id est, humilitatem & charitatem quæ aliorum sunt quærentes) habete in vobis quas in Christo fuisse, & quod Christum fecisse scitis: Quod est, *Hoc sentite in vobis, &c.*

4. [*Non rapinam*) Quisquis arbitratur se esse quod non est, quodammodo in ipsa sua opinione aliunde rapit sibi quod non est.

Lib. 2. c. 6. c. Maximin. c. 5. tom. 6.

5. AVGVST. [*Non rapinam*] Ergo intellige Apostolum ideo dixisse, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*: quia non aliorum arbitratus est esse quod natus est; sed tamen quamvis æqualitatem Dei non fuerit arbitratus alienam, sed suam, semetipsum exinanivit, non quærens quæ sua sunt, sed quæ nostra sunt.

C

6. GREG. [*Semetipsum exinanivit*] Semetipsum exinanisse est, ab invisibilitatis suæ magnitudine, visibilem se demonstrare, ut formam servi tegeret, quod incircumscripte omnia ea divinitate penetraret.

7. AMBROS. [*Sed semetipsum*] Hoc est dignitatem suam abscondit, hoc solum enim audientibus esse existimabatur quod & videri poterat.

8. [*Formam servi accipiens*, ea posuit addens, *in similitudinem hominum factus*: factus posuit pro habitans: *in similitudinem hominum*, id est, in homine.

Lib. 83. q. qu. 73 to. 4.

9. [AVGVST. [*Habitu inventus*] Id est, habendo hominem, inventus ut homo est.

AMBROS. [*Humilitavi semetipsum*] usque in hunc locum illa quæ ad divinam naturam pertinent, visus est dixisse. Iam vero ad illa transit quæ humanæ possunt aptari naturæ.

D

10. [*Propter quod*] Illis sermonibus qui erant deitatis suadebat nobis humilitatem: de illis vero qui secundùm humanitatem facti sunt, ostendit ipsam humilitatem locrativam rem esse.

11. (*Et donavit illi*) Evidens est, quod non vocabulum, sed, rem quamdam adquisitam ei, quia assumptus est à Verbo, ut illud & cognoscant, quoniam nomen tibi Dominus.

12. [*Cœlestium*] Cœlestium dicit invisibilium virtutum. Terrestrium vero vivorum hominum. Infernorum etiam illorum qui mortui sunt, qui & ipsi per resurrectionem Deum confitebuntur suæ resurrectionis auctorem.

13. [*Sicut semper*] Optime per memoriam præteritorum, persuasit illis nihil de cætero indigeam sapere.

14. AVGVST. [*Cum metu & tremore*] Tamquam ergo interrogaretur Apostolus & diceretur ei; quare dixisti cum timore & tremore? horum verborum rationem reddidit dicens: *Deus enim qui operatur in vobis.* Si enim timetis & tremitis, non extollimini tamquam de vestris bonis operibus, quia Deus est qui operatur in vobis. Lib. de grat. & lib. arb. c. 9. n. 7.

G

15. LANFR. [*Deus est enim*] Ratio cur dixerit cum metu & tremore; summa enim reverentia & mentis, & corporis faciendum est illud, cuius Deus cooperator existit.

16. [*Sed & si immolor*] Immolatus, id est, occisus est Apostolus; quia hos & alios ad Deum convertit quorum fidem quasi sacrificium & obsequium Deo obtulit. Et est sensus, quamvis sacrificium corporis mei, *, addo sacrificium, & obsequium fidei vestræ, &c. sup. * ob. fecissem.

17. [*Gaudeo, &c.*] Gaudeo, inquit, de obsequio fidei vestræ, id est, de hoc quod fidem vestram Deo sacrificavi: & non de hoc tantum, sed etiam si contingat mihi pro vobis, id est, si immolor.

18. [*Et congratulor*] Id est, gratias ago, quia obedientia vestra hoc mihi contulit.

19. [*Spero autem, &c.*] Mittens Apostolus hanc Epistolam per Epaphroditum, promittit quod & Timotheum non multo post ad eos mittet: non enim simul utrumque mittit.

H

20. [*Sine tristitia*] Quam habeo pro eo quod contristati estis, audita infirmitate illius.

21. [*Excipite*] In carcere erat Apostolus, ad serviendum ei accessit iste cum magno periculo.

CAPVT TERTIVM.

DE cætero Fratres mei, gaudete in Domino. 1. Eadem *quæ iam præsens dixi* vobis *me* scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium, *utile est. Ecce quæ* 2. 3. 4. Videte canes, *ut caveatis*, videte malos operarios, 5. videte concisionem, *quasi ad non circumcisos, & separatos.* 6. 7. Nos enim, *Christiani tantùm*, sumus circumcisio, (*qualitas pro quali*) qui spiritu, *non carnalibus observantiis*, servimus Deo: & gloriamur in Christo Iesu, *in fide Christi Iesu*, & non in carne, *carnali lege*, fiduciam habentes: quanquam ego habeam, *habere valeam*, confidentiam & in carne. Si quis alius videtur *posse* confidere in carne, ego *possum gloriari* magis, circumcisus octavo die, *habens circumcisionem octavi diei, non proselytus* 8. ex genere Israël, *ortundus* de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, 9. secundùm legem) *Pharisæi legem tantùm, non Prophetas tenent*) Pharisæus,

religiosior

A *religiosior in lege*, secundùm æmulationem *bonam* persequens *olim* Ecclesiam Dei, secundùm iustitiam, quæ in lege est, cooversatus sine querela, *non conquerens de austeritate legali:* 10. Sed quæ, *lex, vel persecutio stulta opinione*, mihi fuerant *prius* lucra, hæc arbitratus sum propter Christum, *fidem Christi*, detrimenta. Verumtamen *nunc quoque* existimo omnia detrimentum esse, 11. propter eminentem, *omnia superantem*, scientiam *assequendam* Iesu Christi Domini mei: propter quem (*repetit, vel generaliùs dicit* (omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, *quia obseruata animam polluunt*, vt Christum lucrifaciam, *vt* & inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Iesu: quæ ex Deo est iustitia in fide *Christi*, 12. ad cognoscendum illum, *quod beneplacitum sit Deo*, 13. 14. 15. & virtutem resurrectionis eius, *qua homo interior suscitatur*, 16. 17. & societatem passionum illius, 18. 19. configuratus morti eius: si quo modo *in futuro* occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis, *vel de peccatis*. Non *ideo dico* quod iam acceperim, *resurrectionem carnis in cognitione Christi*, aut iam perfectus sim *in cognitione Christi:* 20. sequor autem, si quo modo comprehendam, *ex toto agnoscam Christum*, 21. in quo (*in cognitione* (& comprehensus sum *ex toto* à Christo Iesu: fratres, ego me non arbitror comprehendisse *scilicet scientiam Christi ex toto*. 22. 23. 24. Vnum autem, *sed hoc vnum arbitror*, quæ quidem *scilicet* retro sunt *carnales obseruationes* obliuiscens; ad ea verò, quæ sunt priora, *potiora* extendens meipsum, ad destinatum persequor, *scilicet*, ad brauium, *præmium*, supernæ vocationis Dei, *quæ vocatio est* in Christo Iesu. 25. Quicumque ergo (*quia ego id sentio volens esse perfectus*) perfecti sumus, *vel esse volumus*, hoc sentiamus, *nos nondum comprehendisse:* 26. & si quid aliter sapitis, *quam sapiendum sit*, & hoc vobis Deus reuelabit *ita esse sentiendum*. 27. Verumtamen *non comprehendimus ex toto*, ad quod 28. peruenimus, *in quantum prouecti sumus*, vt idem sapiamus: & in eadem permaneamus regula. 29. Imitatores mei estote, fratres, & obseruate, *imitemini*, eos, qui ita, *sicut nos*, ambulant, sicut habetis formam nostram, *sicut estis baptizati, ita ambulate*. Multi enim ambulant, *nonne omnes ita ambulant?* quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus: 30. quorum Deus venter est: & gloria *eorum temporalis* in *perpetua* confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conuersatio in cælis est; *vel de cælis est, quia in cælis conuersamur:* Vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, 31. 32. qui reformabit corpus humilitatis nostræ, *humile nostrum*, configuratum corpori claritatis suæ, *& hoc potest*, secundùm operationem *virtutis, diuinitatis suæ*, qua etiam possit subiicere sibi omnia.

B F G C

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. [*Eadem vobis*) Eadem dicit: quia de his docuerat eos quando apud eos fuerat: & * hæc ad ea quæ sequuntur, referendum est.

*hoc.

2. AVGVST. [*Videte canes*) Canes appellauit non ratione, sed consuetudine contra insolitam veritatem latrantes: hæc enim natura est canum, ut cum quibus habent consuetudinem, siue illi boni sint, siue mali, non ad eos latrent: insolitorum autem personis visis etiam innocentibus irritentur.

Epist. 180. ad Honor. cap. 16.

3. LANFR. [*Videte canes*) Canes & malos operarios vocat eos qui carnalem circumcisionem prædicabant; quos cauendos præcipit. Concisionem vocat vel circumcisionem, id est, Iudæos, vel separationem, id est, eos qui in aliam doctrinam à cœtu fidelium eos separabant.

D

4. AMBROSIVS, [*Videte canes*) Canes vocauit, quia verecundiam non habent, sed frequenter reprehensi, in vana doctrina persistere videntur.

(*Videte concisionem*] Bene concisionem dixit, quia quamdiu Deo placuit, circumcisio erat, quia vero nunc Deo non placet, tantum concisio est.

5. LANFR. [*Videte circumcisionem*] Quidam enim cum non essent Iudæi, circumcidebantur, & post iactabant se esse ex genere Abrahæ.

6. (*Nos enim*) Ratio cur illi sunt cauendi, & Apostoli audiendi: quia videlicet illi carnalem, isti spiritualem circumcisionem prædicabant.

7. AVGVST. (*Nos enim sumus*) Sed nos sumus circumcisio: sic accipite hoc voluisse Apostolum dicere, sumus nos iustitia. Circumcisio enim iustitia est. Magis enim commendat quod dicit, dicendo nos esse iustitiam, quam dicendo nos esse iustos: sic tamen vt cum iustitiam dicit esse, iustos intelligamus.

Lib. de vet. Apost. ser. 25 c. 1. & 20.

8. (*Ex genere Israel*) Id est, non proselytus, non aduena ad populum Dei, non maior circumcisus, sed à parentibus natus Iudæus, habeo circumcisionem octaui diei.

Ibid. c. 9.

9. (*Secundum legem Pharisæorum*] Primarij quidam erant, & quasi ad nobilitatem Iudaïcam segregati non contemptibili plebi commixti, qui dicebantur Pharisæi. Nam dicitur hoc verbum, quasi segregationem interpretari; quomodo in Latina lingua dicitur egregius quasi à grege separatus.

Ibidem.

H

10. LANFRANCVS, *Sed quæ fuerunt*) Carnales obseruationes quæ ante aduentum Christi animarum fuerunt lucra; seruatæ post aduentum eius, fuerunt detrimenta: fides enim Christi obseruari eas non permittit. Quæ enim aduentum Christi tantummodo significabant, si iam seruentur, aduenisse eum negant.

11. (*Eminentem scientiam* (Scientiam Christi habere non potest quisquis carnalia præcepta legis obseruat, vel obseruanda putat.

12. (*Ad agnoscendum*] Quasi diceret, qui se in lege iustificari putat, non cognoscit Christum: sed ego spreta legali iustitia, in fide eius iustificari volo, vt agnoscam illum, * id est, incarnatus & mortuus sit.

*al. quòd, aut quomodo.

13. AMBROS. (*Virtutem resurrectionis*) Resurrectionis eius virtus est, vt omnes assequantur similem resurrectionem.

14. AVGVST. (*Virtutem resurrectionis*) Et ubi no-

Ibid. c. 10.

A minauit virtutem resurrectionis Christi, agnosce ibi iustificationem tuam. Ex illius enim resurrectione iu stificamur.

15. LANFRANCVS, [*Virtutem resurrectionis*] Virtus resurrectionis Christi est, iustificare credentes. vnde alibi dicit: *Et resurrexit propter iustificationem nostram.*

16. [*Et societatem*] Ille habet societatem passionis Iesu Christi, qui ita patitur in hoc sæculo, sicut idem passus est: quæ societas tunc benè cognoscitur, quando per eam pervenitur ad gaudia cœlestia creditur.

Ib.c.15. 17. AVGVST. [*Et societatem passionis*] Si enim in te fuerit charitas Dei, communicabis Christi passionibus, & verus erit martyr. In quo charitas coronatur, * erit verus martyr.

adde * ipse. Ib.c.13 18. [*Configuratus morti*] *Consepulti enim sumus*, inquit, *Christo per baptismum in mortem; ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis, sic & nos in novitate vitæ ambulemus.*

B 19. LANFR.] *Configuratus morti eius*] In baptismo; ut enim tribus diebus iacuit Christus in sepulchro, sic in baptismate trina fit immersio.

20. [*Sequor*) Imitor, inquit, Christum bonis operibus, conans si aliquo modo quandoque capiam illum perfectâ intelligentiâ, in qua ipse cœpit me in hac vita. Sic alibi, *Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum.*

21. AMBROS. [*In quo comprehensus*) De cœlo illi apparuit Christus, & suam gloriam ostendit: hoc dixit: Omnia facio ut illa assequar, in quibus Christum esse perspexi, quando persequentem sua revelatione in suam cognitionem me convertit.

Ibid. 22. AVGVST. (*Vnum autem*) Hoc me non arbitror apprehendisse.

Ibid. 23. [*Vnum*) Multa habeo, & vnum nondum apprehendi. *Vnam petij à Domino, hanc requiram.* Quid petisti? *Vt habitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ.*

24. LANFRANCVS, [*Vnum autem*) Vnum, inquit, de me possum confidenter asserere: terrenas namque substantias, quas propter Deum reliqui, penitus obliviscens, ad æterna quæ temporalibus potiora sunt, tota intentione me extendens festino ad destinatum, id est, ad id quod me festinaturum mente proposui, videlicet ad bravium, id est, præmium supernæ vocationis, id est, vitæ æternæ, ad quam vocat nos Deus. E

25. AVGVSTINVS, [*Quicumque ergo perfecti*) Dixerat, non sum perfectus: & dicit quotquot perfecti hoc sapiamus; ego me non arbitror apprehendisse, non quia iam acceperim aut iam perfectus sim; & dicit quotquot perfecti hoc sapiamus, perfecti & non perfecti. Perfecti viatores, nondum perfecti possessores. Ib.c.15.

26. LANFR. [*Et si quid*) Id est, si perfectam Christi cognitionem vos habere putatis; & hoc, id est, male vos sapere, vobis per misericordiam suam revelabit Deus. F

27. AVGVST. [*Verumtamen*) Sive quo pervenimus, in eo ambulemus, sicut dicit Apostolus, non solum quod nescimus & scire debemus; sed etiam si quid aliter sapimus, id quoque nobis revelabit. Ibid.

28. LANFRANCVS, (*Pervenimus*) Quasi diceret: Quod de Christo sapimus, firmiter teneamus, & opere complaceamus.

29. AMBROS. (*Imitatores*] Hoc est, nolite sub lege vivere, sicut nec ego vivo sub lege.

30. [*Quorum Deus venter*) Quasi Deo quidam ventri intendentes, pietatem esse existimant, quod * alia quidem offerre alia, alia minimè studeant. L. alij quidem offerre alia, alij alia minimè studeāt.

3 . [*Qui reformabit*) Corpus quod nunc humiliatum est sub morte, ad immortalitatem transferet, simile illud suo corpori faciens.

31. LANFRANCVS, (*Qui reformabit*) Sic in die resurrectionis reformabit Christus corpus nostrum; ut eamdem claritatis figuram habeat, quam habet & suum.

C G

CAPVT QVARTVM.

ITaque, (*quia Deus reformabit nos, dando immortalitatem*) fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, *unde gaudebo*, & corona mea, *unde coronabor*: sic state, *ut in Ecclesiis conversemini*, in Domino charissimi (*dissentiebant*) Evodiam (*proprium nomen*) rogo, & Syntychen (*proprium nomen*) deprecor, *ut*, idipsum sapere, *sapiant*, in Domino. Etiam rogo & te Germane (*proprium nomen*) compar, adiuva illas *duas*, quæ mecum laboraverunt, *necessaria ministrantes*, in Evangelio cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ. 1. Gaudete (*determinat*) in Domino semper: iterùm dico gaudete. 2. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. *Omnibus modesti sitis*, 3. Dominus enim propè est. (*Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*) Nihil solliciti sitis: sed 4. in omni 5. oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione, 6. petitiones vestræ innotescant *esse* apud Deum, *non ad iactantiam hominum.* 7. 8. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, (*qua Christus nos Patri pacificavit: vel intransitivè, quòd nullus sensus nisi Dei percipit*) custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, in Christo Iesu. De cætero, *deinde*, *vel de aliis emendandis*, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, 9. quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiscum. 10. Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando 11. refloruistis pro me sentire: sicut & sentiebatis: occupati autem eratis (*Ne hoc sibi obiiceretur, removet.*) Non quasi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus sum, *in his quæ habeo*, sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abundare; *si abundet, non extollor; si desit, non deiicior.* (ubique & in omnibus institutus sum) 12. & satiari, & esurire, *non fractus*, & abundare, *non elatus*, & penuriam pati, *& hoc non per me; sed* omnia possum in eo, qui me confortat. *In omnibus sufficio*, 13. Verumtamen benè fecistis, communicantes tribulationi meæ, *aliquid largientes mihi tribulato: & etiam priùs dedistis.* Scitis autem & vos Philippenses, quòd in principio Evangelij, D H

quando

A quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit 14. in ratione dati, & accepti, *voluntarie dando terrestria pro cælestibus*, nisi vos soli: quia & Thessalonicam semel & bis in usum mihi misistis: 15. non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra, *id est, fructus iustitiæ vestræ abundavit, cum rationem Deo reddidistis de factis*. Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, *scilicet in* odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo. Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum, secundùm divitias suas, in gloria in Christo Iesu. Deo autem & Patri nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen. Salutate omnem sanctum in Christo Iesu. Salutant vos, qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes sancti, maximè autem qui de Cæsaris domo sunt. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum Spiritu vestro, Amen. E

COMMENTARIUS.

B

Serm. 17 de Verb. Domini. c. 5. & 10. Epist. 119. in medio. to. 2.

1. AVGVST. (*Gaudete in Domino*) Gaudete in Domino non in sæculo; id est, gaudete in veritate, non iniquitate.

2. (*Modestia vestra*) Omnia bona opera amant in luce constitui, non propter humanam gloriam, sed *ut videant*, ait Dominus, *opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*.

3. (*Dominus prope est*) Ille enim qui ascendit in cælum, ut tolleretur ab oculis nostris, promisit nobis dicens: *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Meritò sic nos Apostolus alloquebatur: *Dominus in proximo, nihil solliciti fueritis*. Sedet super cælos Christus, & longe sunt cæli, & ipse qui ibi sedet, prope est. Ibid.

4. LANFR. (*In omni oratione, &c.*) Oratio quæ ante Evangelium: Obsecratio, Secreta: Gratiarum actio, Post communionem. Hoc ponit pro omni oratione.

5. (*Oratione*) Id est, quotiescumque oratis, vel gratias refertis; tunc petite si quid à Deo petere vultis.

C

Epist. 121. ad prob. de orando Deo. c. 9. tom. 2.

6. AVGVST. (*Petitiones vestræ*) Non sic accipiendum est, tamquam Deo innotescant, qui eas & antequam essent noverat. Sed nobis innotescant apud Deum per tolerantiam, non apud homines per iactantiam. Aut fortè etiam innotescant apud Angelos, qui sunt apud Deum, ut quodammodo eas offerant Deo, & de his consulant; & quod Deo iubente implendum esse cognoverint, hoc nobis vel evidenter, vel latenter reportent. Dixit enim Angelus, cum oraretis, ego obtuli orationem vestram in conspectu claritatis Dei.

Lib. 22. de Civit. Dei c. 29. tom. 5.

7. (*Et Pax Dei*) Pacem qua Deus ipse placatus est, sicut Deus novit, non eam nos sic possumus nosse, nec ulli Angeli: superat itaque omnem intellectum.

8. LANFR. (*Pax Dei*) Id est, quâ in semetipso pacatus est: vel quâ humanum genus reconciliavit sibi. F

9. AVGVST. (*Quæcumque bonæ famæ*) Non neglexit ponere bonæ famæ; duobusque cuncta conclusit, ubi ait: *Si qua virtus, si qua laus*. Ad virtutem autem pertinent quæ antea memoravit. Bona fama vero ad laudem. Lib. de bono viduit. c. 22. tom. 4.

10. AMBROS. (*Gavisus sum*) In Domino dixit, ut non videretur ob pecuniam sibi directam lætari; sed propter propositum illorum qui miserunt.

11. LANFR. (*Refloruistis*) Id est, pristinum largitatis florem resumpsistis, ut aliqua mihi daretis, sicut dare mihi solebatis.

12. AVGVST. (*Et satiari*) Interest non quid, vel quantum alimentorum pro congruentia hominum atque personæ suæ, & pro suæ valetudinis necessitate quis capiat; sed quanta facilitate & serenitate animi careat: cum his vel oportet, vel etiam carere necesse est; ut illud in animo * Christiano impleatur quod Apostolus dicit: *Scio & minus habere, scio & abundare in omnibus, & in * omni imbutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati*. Lib. 2. q. Evang. 11. to. 4. al. * Christia. G al. * in omnib.

13. AMBROS. (*Verumtamen bene fecistis*) Hoc adiecit, ut tale habens institutum, non existimetur contemnere illa quæ ab illis missa sunt.

14. LANFR. (*In ratione dati*) Nulla, inquit, mihi aliquid Ecclesia dedit, considerando quid daret, & quid à me acciperet. Est enim ratio dati & accepti, quotiens perpenditur quod accipitur, & secundùm id, aliquid rependitur.

15. AVGVST. (*Non quia quæro*) Datum, est res ipsa quam dat qui impertitur hæc necessaria; vel velut est nummus, cibus, potus, vestimentum, tectum, adiutorium. Fructus autem bona opera, & recta voluntas datoris est. Lib. 13. Confess. c. 26. t. 1.

D H

A E

EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI AD COLOSSENSES.

CVM INTERIECTIS BEATI Lanfranci Glossulis.

B F

ARGVMENTVM.

COLOSSENSES, *& hi sicut Laodicenses, sunt Asiani, & ipsi præventi erant à pseudo-apostolis. Nec ad hos accessit ipse Apostolus: sed & hos per Epistolam corrigit. Audierant enim verbum ab Archippo: qui & ministerium in eos accepit. Ergo Apostolus iam ligatus, scribit eis ab Epheso per Tychicum Diaconum, & Onesimum Acolythum.*

CAPVT PRIMVM.

1. PAulus Apostolus Iesu Christi, *non Anania*, per voluntatem Dei, *non meritis, vel*
hominis, & Timotheus fraser, eis qui suns Colossis, sanctis, *baptizatis*, & fidelibus
C fratribus, *cathecumenis* in Christo Iesu, *in fide Christi*. Grasia vobis, & pax à Deo Pasre G
nostro, & Domino Iesu Christo. Gratias agimus Deo, & Patri Domini nostri Iesu Chri-
sti, 2. semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectio-
nem quam habesis in sanctos omnes, propter spem, quæ reposita est vobis in cælis: quam
audistis in verbo, *prædicatione* veritatis Evangelij, quod pervenis ad vos, 3. sient & in
universo mundo est, & fructificas & crescis, sieus in vobis, 4. ex ea die, qua audistis, &
eognovistis gratiam Dei in veritase, *remissionem peccatorum in fide Christi*, sicut didiei-
stis 5. ab Epaphra eharissimo 6. conservo nostro, (*hic eos instruxerat*) qui est fidelis pro
vobis minister Christi Iesu, qui esiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spirisu.
Ideo, *quia fidem Christi, & dilectionem habetis*, & nos ex qua die audivimus, *hoc ab Epa-*
phra, non cessamns pro vobis orantes, & postulanses us impleamini agnisione volunta-
tis eius, *ut Dei voluntatem agnoscatis, & impleatis*, in omni sapiensia & intellectu spiri-
suali: ut ambuletis dignè Deo, per omnia placentes: in omni opere bono fructifican-
ses, & crescenses in seiensia Dei, in omni virtuse conforsasi seeundùm potentiam clari-
sasis eius, *id est, secundùm quod potentia claritatis eius potest vos confortare*, in omni pasiensia
& longanimitase (*ecce quod dixit in omni virente*) cum gaudio, gratias agenses Deo Patri,
D qui *illuminando* dignos nos feeis *ut essemus* 6. in partem, *id est, participatione*, fortis sancto- H
rum, *hæreditatis gratis data*, 7. in lumine *Christi existentes*: 8. qui eripuit nos de pote-
state senebrarum, *dæmonum, vel tenebrosorum*, 9. & transtulit in regnum filij dilectio-
nis suæ, *dilecti sui*; in quo, *in cuius fide*, habemns redemptionem per sanguinem eius,
remissionem peccasorum: 10. qui est imago (*filius commendatur*) Dei invisibilis, *secundum*
divinitatem æqualis Patri, 11. 12. primogenisus omnis creaturæ *ante sæcula*: quoniam
in ipso *per ipsum* condita snns universa in cælis, & in serra, visibilia, & invisibilia, (*par-*
tes invisibilium) sive shroni, sive dominasiones, sive principatus, sive potestates: *ergo à*
pari, omnia per ipsum, *facta*, & in ipso ereasa, *existentia*, sunt: *ergo à relatione*, & ipse
est ante omnes, & omnia in ipso constant. Es ipse est caput *sui* corporis, *id est*, Eeclesiæ,
qni est prineipium *eius Ecclesiæ*, 13. primogenitus (*secundùm humanitatem commendat*)
ex mortuis, *id est, prior resurrexit*. 14. Vt sis in omnibus ipse primasum tenens: *sive se-*
cundùm divinitatem, sive humanitatem: 15. quia (*ecce cur*) in ipso, *Patri* 16. complacuis,
id est, placitum habuit, omnem plenitudinem *Divinitatis, vel membrorum massam*, in-
habitare, *vel habere realiter*, & per eum, *Christum, placuit Patri* reconciliare omnia
in, *per*, ipsum, pacificans 17. per sanguinem crneis eius, sive quæ in terris, sive quæ in

cœlis

A caelis sunt. Et vos *reconciliauit* cùm essetis aliquando 18. alienati *à Deo*, & inimici sensu, *exponit quomodo*) in operibus malis: nunc autem reconciliauit *Deus Pater sibi* in corpore carnis eius, *filij sui*, per mortem, exhibere, *ut exhibeamus, vel ut ipse exhiberet*, vos sanctos & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso: *non solum coram hominibus: quod erit*, si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Euangelij, *ab eo quod promittit Evangelium*, quod audistis, 19. quod prædicatum est in uniuersa creatura, *principali, id est, hominibus*, quæ sub cælo est, (*persuadet ut libenter audiant*) cuius (*Evangelij* factus sum ego Paulus minister. 20. Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo 21. ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia: cuius *Ecclesiæ* factus sum ego minister secundùm dispensationem *Evangelij* Dei, *non hominis*, quæ data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei: (*Ecce verbum*) mysterium *incarnationis*, quod absconditum fuit à sæculis, & generationibus *præteritis*, nunc autem *in tempore plenitudinis* manifestatum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ, *gloriosas, vel gloriosi* Sacramenti huius *prædicandi* in Gentibus, quod est Christus, (*ecce Sacramentum*) in vobis *Gentibus* spes gloriæ, *per quem speratis glorificari*, quem nos annuntiamus, corripientes *primò* omnem hominem, *malè viuentem ut resipiscat*, & *post* docentes *fidem Christi* in omni sapientia, *vel de diuinis, vel de humanis: ad hoc docentes:* 22. ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu, in quo & laboro, certando *non viribus, id est, meritis, sed* secundùm operationem eius, quam operatur in me, in virtute, *sua, non mea.* E

B F

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. In hac Epistola ostendit eminentiam eorum qui in Christo sunt, & superfluam legis custodiam: & post hæc ad exhortationem egressus, super multis ac necessariis rebus, illis loquitur.

2. (*Semper pro vobis*) Ordo est Orantes pro vobis propter spem quæ reposita est vobis in cælis, id est, ut assequi possitis cælestia bona.

3. LANFR. (*Sicut & in universo mundo*) Ne se solos putent esse Christianos, & per hoc deceptos. Vel ne sibi arrogent, si soli credidissent.

C 4. [*Ex ea die qua audistis*) Multi audiunt, & non cognoscunt, id est, approbant.

5. (*Conservo nostro*) Hunc commendat sciens quoniam vtile est vt venerabilis sit discipulis magister.

6. (*In parte sortis sanctorum*) Sors dicitur æterna hæreditas; quia sicut illud quod sorte capitur, non meritis acquiritur: sic ea non meritis, sed Dei gratia donatur.

7. AMBROS. [*In lumine*) Id est, per suam cognitionem.

Epist. 107. ad vitalem. 8. AVGVST. [*Qui eripuit nos*) Potestas enim tenebrarum quid est, nisi potestas diaboli & Angelorum? qui cùm fuissent Angeli lucis, in veritate per liberum arbitrium non stantes, inde cadentes facti sunt tenebræ.

Lib. 15. de Trin. c. 19. 10. 9. (*Et transtulit*) Quod autem dictum est, *filij charitatis suæ*, nihil aliud intelligatur quam filij sui * electi.

al. * dilecti. 10. AMBROS. (*Qui est imago* (In homine Christo quasi in imagine inuisibilem illam videmus naturam: nam apparens in futuro imaginis nobis ordinem retinebit; quoniam in eo quasi in

D imagine quamdam diuinam continemus naturam.

11. LANFR. *Primogenitus*) Per hoc probat quia genitus est a Patre ante omnem creaturam.

12. (*Primogenitus creaturæ*) Prior, inquit, est omnibus; omnia enim eo sunt posteriora, nam omnia ab eo sunt creata.

13. *Primogenitus ex mortuis*) Id est, primus resurgens, quia ipsa resurrectio quædam generatio est; sicut in Evangelio: *In regeneratione cum sederit, &c.*

14. AMBROS. (*Vt sit in omnibus*) Non causam dicit, sed illud quod consequebatur.

15. (*Quia in ipso*) Plenitudinem Dei Ecclesiam vocat, & dicit, quoniam placuit Deo in Christo omnem plenitudinem, ut dicat omnem creaturam quæ ab eo repleta est, probauit illi coniungere, & hoc latius consequitur.

16. LANFR. (*Complacuit in ipsos*) Complacuit sibi Pater, ut in Christo habitaret omnis plenitudo tam diuinitatis, quam omnium virtutum. G

17. (*Per Sanguinem crucis*) Qua hora sanguis redemptionis de latere Domini in cruce pendentis exiuit, dimissum est peccatum Adæ humano generi, & pacificata sunt cœlestia, & terrestria, quia tunc patuit hominibus introitus in regnum cælorum.

18. (*Alienati* (Id est, habentes alienatum & inimicum consensum.

19. AMBROS. (*Quod Prædicatum*) Graue admodum erat ut discederent ab illa re quæ in communi ab omnibus clamabatur.

20. LANFR. (*Qui nunc gaudeo* (Duplici causa commendat se, quia patitur, & gaudet in passionibus pro eis illatis.

21. (*Ea quæ desunt*) Passiones Christi fuerunt vincula, sputa, colaphi, verbera, ad extremum mors ipsa; quorum partem iam se passum, partem passurum se esse fatetur. Forasse ea quæ desunt, vocat mortis angustias, quas adhuc passus non erat. Et est ordo, adimplebo in carne mea eas passiones. H

22. AMBROS. (*Vt exhibeamus omnem*) Perfectionem statum futurum vocat cui boni nihil deesse videbitur.

CAPVT SECVNDVM.

1. VOlo enim vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis, & pro iis qui sunt Laodiciæ, & quicumque non viderunt faciem meam in carne, *præsentialiter*: ut consolentur *ipsi* corda ipsorum, instructi in charitate, 2. & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterij Dei Patris, & Christi Iesu: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ *de diuinis*, & scientiæ *de moribus*, absconditi. Hoc autem dico, *ut sitis instructi*, & ut nemo vos decipiat 3. in sublimitate, sermonum *loquens dialecticè, vel Rhetoricè in sublimitate locorum, & syllogismorum.* 4. Nam etsi corpore absens, sum,

A sed spiritu vobiscum sum: gaudens, & videns ordinem vestrum, & firmamentum eius, quæ in Christo est, fidei vestræ. Sicut ergo accepistis IESVM-CHRISTVM Dominum nostrum, in ipso ambulate, radicati, & superædificati in ipso, & confirmati in fide, sicut & didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione. Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, *dialecticam*, & inanem fallaciam, loquens. 5. Secundùm traditionem hominum, *vt Aristoteles*, 6. secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum: 7. quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, *realiter, non vmbraliter*: & estis in illo, *per illum*, repleti *charismatibus*, qui est caput, *principium*, omnis principatus, & potestatis: 8. in quo, *in cuius fide*, & circumcisi estis 9. circumcisione non manufacta (*hac est circumcisio Christi, vitia mortificare*) in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, *circumcisione spirituali, scilicet* consepulti (*exponit quomodo*) ei in baptismo, in quo & resurrexistis *à vitiis* per fidem operationis Dei, *quam operatus est in Christo* (*ecce operatio*) qui suscitavit illum à mortuis. Et vos *determinat quomodo intellexit, in quo & resurrexistis*) cum mortui essetis in delictis, 10. & præputio carnis vestræ, *& cum in gentilitate essetis*, convivificavit cum illo, donans, *condonans*, vobis omnia delicta 11. delens quod adversus nos, *vtilitatem nostram*, erat chirographum 12. decreti, quod erat contrarium nobis, *idem quod adversum nos: vel contrarium nostræ vtilitati*, & ipsum tulit (*murus enim erat inter nos, & Deum*) de medio *nostri, & Dei*, affigens, *abolens*, illud B cruci, *per crucem*: & 13. expolians principatus *Iudæorum, vel dæmonum*, & potestates, traduxit confidenter, 14. palam triumphans, *vel vincens, vel refaciens*, illos in semetipso, *non in alio exercitu. In quo Christo circumcisi estis, circumcisione non manu facta*. 15. 16. 17. 18. Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, *vt vos faciat participare festis Iudæorum*, aut, *scilicet*, neomeniæ, *nova Luna*, 19. 20. aut Sabbathorum: 21. quæ sunt vmbra futurorum: corpus, *veritas*, autem Christi. 22. Nemo vos seducat, 23. 24. volens in humilitate, *facta in se*, & religione Angelorum, *vel impendenda Angelis*, *docens* quæ non vidit & ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ, *si sperat salvari se carnali lege; & ex hoc inflatum sit*, & non tenens, caput, *id est, Christum*, ex quo totum corpus, *Ecclesia*, per nexus *fidelium* & coniunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum, *ad honorem*, Dei. 26. 27. Si ergo mortui estis (*ad hoc quod dixit consepulti in baptismo*) cum Christo 28. ab elementis (*per elementa, animalia; per animalia, carnes; per carnes abstinentiam intellige*) huius mundi, *à carnalibus observantiis: à creaturis observandis, vt suillibus, & cæteris*: quid adhuc tamquam viventes in mundo, *secundùm mundum, id est, carnales*, decernitis? *dicentes*: ne tetigeritis, *quæ in lege prohibentur*, neque gustaveritis, neque contrectaveritis: quæ sunt omnia in interitum *animæ* ipso vsu, *ea dico dicta*, secundùm præcepta, & doctrinas homi- C num: quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione, *quæ videntur agi secundùm eorum superstitionem sapienter*, & humilitate *ficta*, 29. & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.

COMMENTARIVS.

1. LANFR. [*Volo enim vos scire, &c.*] Ratio cur se laborare dixerit, videlicet ne diceretur ex iactantia dixisse *laboro*.

2. [*In omnes divitias plenitudinis intellectus.*] Vt habeant divitem, & plenum intellectum, cognoscentes mysterium Dei Patris, quod est Christus Iesus. Qui enim perfectè scit Christum, scit quid de Deo sentiendum sit, & quomodo, & in quibus vivendum sit.

3. [*In sublimitate.*] Id est, in altitudine verborum, D & syllogysmorum, & aliorum generum disputantium: non autem disputandi vituperat, sed perversum disputantium vsum.

4. [*Nam etsi corpore absens sum.*] Ac si quis dicat: vult nos aliquis decipere? ita: sed vos, inquit, contra illos firmati estis in fide: quod satis scio, quàmvis absens.

5. [*Secundùm traditionem.*] Tradiderunt Philosophi (quos homines vocat) creatorem omnium non posse fieri creaturam: Hominem non potuisse nasci ex virgine: Hominem mortuum revivere non potuisse; considerantes elementa mundi, has visibiles creaturas, in quibus animalia quæ nascuntur, ex vtriusque sexus commixtione generantur; & in quibus quiquid moritur, vltra vivere impossibile est.

6. AMBROS. [*Secundùm elementa.*] Id est, secundùm dierum & temporum observantiam. Elementa enim mundi dicit Solem & Lunam, ex quibus dierum & temporum cursus effici videtur.

7. AVGVST. [*Quia in ipso habitat.*] Quia inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; neque enim divinitas corpus est; sed quia Sacramenta veteris Testamenti appellat umbras futuri, propter umbrarum comparationem corporaliter, dixit habitare in Christo plenitudinem divinitatis, quòd in illo compleantur omnia quæ * illis umbris figurata sunt; ac si quodammodo umbrarum illarum ipse sit corpus; hoc est figurarum illarum & significationum ipse sit veritas. (Lib. 12. de Genes. ad litt. c. 7. 2. 3 — al. * in.)

8. [*In quo circumcisi.*] Quid significat circumcisio carnis, nisi expoliationem mortalitatis, quam de carnali generatione portamus? hæc est fides nostra. (Lib. 16. contra Faust. c. 29. & c. 6.)

9. [*Circumcisione non manufacta.*] Resurrectio Christi H quæ facta tertio quidem à die passionis, sed octavo in diebus hebdomadis, ipsa nos circumcidit. Audi circumcisos vera petra, Apostolo admonente: *Si ergo resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terrā.* Resurrexit Christus abstulit nobis desideria carnalia, abstulit concupiscentias malas: abstulit superfluum cum quo nati eratis, & multo peius quod malè vivendo addideratis, circumcisi per petram, quare adhuc sapitis super terram?

10. [*Et præputio carnis.*] Præputium vocat, quod significatur præputio, hoc est delicta carnalia, quibus expoliandi sumus. (Epist. 59 ad Paul. in qu. 7. 10. 2.)

A 11. AMBROS. [*Delens quod adversum nos.*] Chirographum adversum nos legem vocat, eo quod erat contraria nobis, hoc est non permittens assequi propter suam scrupulositatem. Hanc delevit resurrectione & immortalitate.

12. LANF. [*Decreti.*] Decretum Dei fuit, *de ligno quod est in medio Paradisi, ne comedas.* Huius decreti violati chirographum, (id est, memoria) delevit Deus, quando peccatum primi parentis humano generi, per fidem Sanguinis Christi dimisit, & ipsius prævaricationis peccatum, oblivioni tradidit.

13. [*Exspolians.*] Spoliavit Christus infernales potestates animabus quas habebant, vel habituræ erant, in cruce pendens; vel ad inferna descendens traduxit easdem potestate, id est, ab Ecclesia sua exterminavit, sicut in Evangelio dixit: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Vel fideles suos de infernis secum duxit confidenter, velut homo Deus sine peccato.

14. [*Palam.*] Id est, in cruce, vel cum angelicis legionibus ad inferna descendens, triumphans illos, id est, vincens in semetipso, id est, in passione sui corporis, in præsentia suæ maiestatis.

B 15. [*Nemo ergo.*] Quia ergo in Christo circumcisi estis spirituali circumcisione, nemo vos nihil debentes legi iudicet, id est, damnabiles faciat, suadens cibo vel potu abstinere vel uti Iudæorum.

16. AMBROS. [*Nemo ergo vos.*] Id est, nemo vos decipiat, aut bravium vestrum tollat.

17. HIERON. [*Nemo vos iudicet.*] Nemo vos superet, nemo adversum vos bravium accipiat; sicut qui in certamine iniquitate agonistæ, vel insidiis magistrorum perdit bravium.

18. [*Nemo vos iudicet*] Nemo vos iudicet, & de his qui magistros legis esse iactant, in cibo & potu, quòd alia munda sunt, alia immunda: aut in parte diei festi, ut alios dies festos putent esse, alios non festos, quæ erant umbra venturæ felicitatis: * spiritualis autem intellectus, veritas & corpus.

*F. * spiritualiter. Or. adverf. Iud. c. 1. to 6*

C 19. AVGVST. [*Aut Sabbatorum.*] In illo requiem cum invenimus, verè sabbatizamus, & novæ Lunæ observatio, vitæ novæ sanctificatio est, & Pascha nostrum immolatus est Christus: & azymum nostrum sinceritas veritatis, fermentum * veritatis, & si qua alia sunt, in quibus nunc immorari non opus est, quæ illis veteribus adumbrata sunt signis, in isto habent finem, cuius regni non erit finis.

*al. * non habens vetustatis.*

20. LANFR. [*Aut Sabbatorum.*] Dies festi, inquit, Neomeniæ, & Sabbata, significabant futura, & in ipsa significatione erant corpus Christi, id est, significabant corpus Christi, vel assumptum ex Virgine, vel Ecclesiam, qualis nunc est, vel in alio sæculo futura.

E 21. AMBROS.] *Quæ sunt umbra.*] Id est, in comparatione futurorum umbræ sunt omnia ista, unde ad significantiam umbræ, corpus adiecit, hoc dicens: *Quoniam Christus veritas est.*

22. LANFR. [*Nemo vos seducat.*] Nemo, inquit, vos decipiat, volens persuadere vobis ea quæ nunquam intellexit, ostendens vobis in semetipso humilitatem & religionem Angelorum, ut citius eis credatis. Angelos autem vocat vel cœlestes spiritus, vel sanctos Prædicatores.

23. HIERON. [*Volens in humilitate.*] Adorabant enim militiam cœli, Unde Amos: *Tradidit eos ut servirent militiæ cœli.*

24. AMBROS. [*Volens in humilitate.*] Nolite, inquit, intendere illis qui Angelos dicunt indignari, si lex non fuerit custodita, eo quod per Angelos lex data esse dicatur: & humilitatem quandam simulantes, ostendere properant quasi qui legẽ contẽnere metuant.

25. [*Si mortui estis.*] Si sic constituti estis quasi qui iam commortui estis Christo, & consurrexistis. Hoc dicit ab elementis mundi huius.

F 26. HIERON. [*Si mortui estis.*] Elementa mundi, à quibus mortui sumus, lex Moysi intelligenda est, quibus quasi elementis, & religionis exordiis Domini discimus quomodo elementa appellantur litteræ, per quas, syllabas ac verba coniungimus, & ad texendam orationem procedimus: sic elementis veteris Testamenti ut ad Evangelicam plenitudinem veniat, sancti viri eruditur infantia.

27. LANFR. [*Ab elementis.*] Elementa vocat has visibiles creaturas, quæ in tota universitate partes mundi sunt. Si, inquit, cum fidem Christi accepistis, mortui, id est, separati estis ab abstinentia creaturarum mundi, Iudaïco ritu abstinebatis, quid adhuc tamquam viventes in eadem creaturarum mundi abstinentia Iudaïco ritu decernitis, dicentes: *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, &c.* Potest etiam intelligi * cum Christo, quasi diceret, si mortui estis sicut & Christus, id est, & Ecclesia Christi. *al. * de.*

G 28. [*Et ad non parcendum corpori.*] Quæ scilicet carnes suillas non esse comedendas, constituta sunt ad non parcendum corpori, ut corpus affligatur; cibo enim substracto corpus affligitur. Vel non sunt constituta ad parcendum corpori, hoc est ad providendum corpori nostro: cum enim à mortiferis cibis abstinemus, corpori nostro providemus. Sed propter hoc non abstinent Iudæi ab huiusmodi carnibus; nec ideo quod honestius possint saturari aliis quam prohibitis carnibus.

CAPVT TERTIVM.

1. IGitur, (*ad id quod dixit, in quo & resurrexistis*) si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, *æqualis Patri*: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. *Singula singulis.* 2. Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo *absconso* in Deo. Cùm *autem* Christus apparuerit, vita vestra: (*nam Christo apparente apparebit vita vestra*) tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. *Huc usque de fide, nunc de moribus.* Mortificate ergo, *ut cum Christo vivatis*, 3. membra vestra, *pravos actus*) quæ sunt super terram; (*ecce qua membra*) fornicationem, *recedendo à Deo*, immunditiam *in consanguineos*, libidinem *contra naturam*, concupiscentiam malam *non habitorum*, & avaritiam *habitorum*, quæ est simulachrorum 4. servitus: propter quæ *supradicta* venit ira Dei super filios (*intransitivè*) incredulitatis: in quibus *vitiis* & vos ambulastis aliquando, cum viveretis illis. Nunc autem deponite & vos omnia: *scilicet* iram, indignationem, malitiam, *rapinam*, blasphemiam *in Deum*, turpem sermonem, *iocularia*, de ore vestro. Nolite mentiri invicem 5. expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, *massa vitiorum*, 6. & induentes novum eum, 7. qui renovatur 8. in agnitionem *Dei, ad cognoscendum Deum*, secundùm imaginem eius, (*ecce ubi renovatur in anima, scilicet in ea parte, qua similis est creatori*) qui creavit illum. Ubi (*in qua renovatione nullus excipitur; nec propter personam accipitur*) non est Gentilis *tantùm*, & Iudæus, circumcisio,

D H

A & præputium, Barbarus, & Scytha, servos, & liber: sed omnia, & in omnibus *habitus* Christos, *recipit Christus ex omnibus.* Induite vos ergo (*pravos actus in vobis mortificate, viscera autem misericordiæ induite*) sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera, *pares*, misericordiæ, (*ecce*) benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes *vos* invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, *situ habentes*, 9. quod, *id est, charitas*, est vinculum perfectionis, *nexus virtutum, vel perfectorum*: & pax Christi, *qua reconciliantur homines Deo*, exultet in cordibus vestris, *exultare faciat corda vestra*, in qua, *per quam*, & vocati estis, *sitis*, in vno corpore, *Ecclesia*: & grati estote, *gratias agite.* Verbum, *prædicatio*, Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, *sitis*, docentes, & commonentes vosmetipsos, (*ecce in qua sapientia*) Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus, in gratia, *gratiarum actione*, cantantes in cordibus vestris, *non ore tantùm*, Deo, *non hominibus. Vt breviter vobis, & abundantiùs dicam:* Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini IESV-CHRISTI *facite*, gratias agentes Deo: & Patri per ipsum, IESVM *mediatorem.* Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet in Domino. Viri, diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Filij, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino. Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo, *in patiendo, aut fugiendo*, fiant. Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum *Patrem.* Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, *non respicientes quid homines sunt*: scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis. 10. Domino Christo servite: 11. Qui enim iniuriam facit, accipiet id quod iniquè gessit: & non est personarum acceptio apud Deum. E F B

COMMENTARIVS.

Cont. Faust. lib. 11. c. 7. sub fi. al. *nobis in illo. Lib. de resurr. mort. in ter Frag. 31. to. 10

1. AVGVST. [*Igitur si consurrexistis.*] Non utique resurreximus sicut Christus, sed tamen secundùm spem quæ * in illo est, iam nos cum illo resurrexisse testatus est.

2. [*Mortificate.*] Spiritualia nequitiæ dicit membra super terram. Nam sequitur & exponit avaritiam, immunditiam, &c. quæ illic exequitur, *expoliantes, &c.*

3. LANFR. [*Membra vestra.*] Id est, partes veteris hominis, qui vniversitas peccati intelligitur: vel membrorum nostrorum concupiscentias.

C

4. [*Servitus.*] Hoc dicit propter imagines Imperatorum quæ nummis reperiuntur insculptæ; vnde qui nummis inserviunt quasi idolis, & simulacris servire videntur.

Lib. 14. contra Faust. 10. 6.

5. AVGVST. [*Expoliantes veterem.*] Veterem hominem nihil aliud Apostolus dicit, quam veterem vitam, quæ in peccato est, in quo secundùm Adam vivitur.

6. LANFR. [*Induentes novum.*] Id est, induentes vos novitatem, facite vos novum hominem.

Lib. 14. de Trin. cap. 16. tom. 3.

7. AVGVST. [*Qui renovatur.*] Ista renovatio, est reformatio mentis secundùm Deum, vel secundùm imaginem Dei: sed ideo dicitur secundùm Deum, ne secundùm aliam creaturam fieri putetur. Ideò autem secundùm imaginem Dei, ut in ea re intelligatur fieri hæc renovatio, ubi est imago Dei, id est, in mente. Non itaque sic intelligamus secundùm imaginem eius qui creavit eum: quasi alia est imago secundùm quam renovatur, non ipsa quæ renovatur.

8. LANFR. [*In agnitionem.*] In agnitione Dei renovatur homo ad imaginem Dei: hæc est enim imago Dei, ad quam creavit hominem, ut videlicet rationalis esset, & cœlestia semper diligeret. G

9. AMBROS. [*Quod est vinculum.*] In futuro, inquit, sæculo, ubi constiterimus charitati colligati invicem permanebimus, nullam separationem vlterius sustinentes.

10. LANFR. [*Domino nostro.*] Quasi diceret, quamvis iubeam quosdam ex vobis debere aliis subditos esse, quosdam diligere, alios aliis obedire & cætera quæ sequuntur; in his tamen omnibus Domino Christo servite.

11. [*Qui enim iniuriam.*] Ratio superiora probans, ab eo loco quo dicitur: *Mulieres, &c.*

CAPVT QVARTVM.

D DOmini, quod iustum est, & æquum, servis præstate: scientes quod & vos Dominum habetis in cœlo. Orationi instate, vigilantes in ea gratiarum actione: orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, *os ad prædicandum, vel os auditorum, id est, cor eorum*, (propter quod, *quia manifesto*, etiam vinctus sum) *ita aperiat ostium*, vt manifestem illud, ita vt oportet me loqui. In sapientia ambulate ad eos, (*ne blasphement Christianitatem*) qui foris sunt, *infideles*; 1. 2. tempus, *quia male vixistis*, redimentes, *bene vivendo.* 3. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, *temperatus*: vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere. Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, & fidelis minister, & conservus in Domino: quem misi ad vos ad hoc ipsum, vt cognoscat quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra, cum Onesimo charissimo, & fideli fratre, qui ex vobis est, (*Colossensis erat.*) Omnia quæ hic aguntur, nota facient vobis. Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, 4. & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata *à me, ne eum reciperetis*: si venerit *Marcus* ad vos, *nunc*, excipite H

illum

A illum: & Iesus (*proprium nomen*) qui dicitur iustus, *salutat vos*: qui, *supradicti*, sunt ex circumcisione: hi soli sunt adiutores mei in regno Dei qui mihi fuerunt solatio. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Iesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus, 15. ut stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei. Testimonium enim illi, *Epaphra*, perhibeo, quòd habet multum laborem pro vobis, & pro iis, qui sunt Laodiciæ, & qui Hierapoli. Salutat vos Lucas medicus charissimus, & Demas. Salutate fratres, qui sunt Laodiciæ, & Nympham, & quæ in domo eius est, Ecclesiam. Et cùm lecta fuerit apud vos Epistola hæc, facite ut & in Laodicensium Ecclesia legatur 6. 7. & eam quæ Laodicensium est, vos legatis. Et dicite Archippo: vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Salutatio, mea manu Pauli. 8. 9. Memores estote vinculorum meorum. Gratia *Dei* vobiscum. Amen. E

B

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. (*Tempus redimentes*) Præsens tempus ad utilitatem nostram comparantes.

2. GREG. (*Tempus redimentes*) Tempus quidem redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus.

3. LANFR. (*Sermo vester in gratia*) Hic gratiam vocat bonam observantiam, quæ per gratiam Dei datur, sicut ad Ephesios: *Ut det gratiam audientibus.*

Act. 15. E. 39. E. * non audeiét.

4. (*Et Marcus*) Propter hunc Marcum dissensio fuit inter Paulum & Barnabam, sicut in Actibus Apostolorum legitur: Quo audito Colossenses * ut auderent nec Marcum, nec Barnabam recipere, nisi imperatum eis ab Apostolo fuisset; ad utrumque enim referri potest, de quo.........

Lib. de corrept. & grat. c. 7. tom. 7. d. 24. al * vos.

5. AVGVST. (*Ut stetis perfecti*) Nec aliud oramus, ut qui stat, stet, nisi ut perseveret. Item Iudas Apostolus cum dicit: *Ei autem qui potens est conservare* * *eos sine offensione, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in lætitia.* Nonne apertissimè ostendit Dei donum esse in bono perseverare usque in finem.

F

6. LANFR. *Et ea quæ Laodicensium*) De dubitationibus suis Laodicenses Epistolam ad Apostolum scripserunt, quam Apostolus Colossis legi præcipit, ut eorum Laodicensium nunc visa dubitatione, sciant quid respondeant; & eam quam eis scribit Epistolam ipsi Laodicensibus legi faciant: hæc si esset Apostoli ad Laodicenses diceret non Laodicensium: & plusquam * tredecim essent Epistolæ Pauli.

N gat Lanfranc. Epist. ad Laodic. esse B. Pauli.

f * quatuordecim, errore Lanfranci.

7. AMBROS. (*Et ea quæ Laodicensium*) Apostolus non ad Laodicenses dicit, sed ex Laodicia quam illi scripserunt ad Apostolum; in qua aliqua digna reprehensione inferebantur.

8. (*Memores estote*) Hoc est ad meam imitationem pro veritate nolite pigere.

9. LANFRANCVS. (*Memores estote vinculorum meorum*) Memores eos esse vinculorum suorum rogat: Vel ut eum exemplar in tribulationibus habeant. Vel ut pro eo vinculato orent. Vel ut necessaria subministrent.

C G

EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI AD THESSALONICENSES I.

CVM INTERIECTIS BEATI Lanfranci Glossulis.

ARGVMENTVM.

D THESSALONICENSES *sunt Macedones, qui accepto verbo veritatis, perstiterunt in fide, etiam in persecutione civium suorum. Præterea nec receperunt falsos Apostolos, nec ea, quæ à falsis Apostolis dicebantur. Hos collaudat Apostolus, scribens eis ab Athenis per Tychicum Diaconum, & Onesimum Acolythum.* H

CAPVT PRIMVM.

1. PAulus, & Sylvanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium *constituti*, in
2. Deo Patre, & Domino Iesu Christo. Gratia vobis, & Pax. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione, memores operis fidei vestræ, *quod exigit fides vestra: vel quod vos fideles facitis,*

A & laboris, & charitatis, *largiendo vestra aliis*, & sustinentiæ, *tolerantia*, spei Domini nostri Iesu Christi *habita* 3. ante Deum, & Patrem nostrum: *non ad oculum hominum*: 4. scientes, fratres dilecti à Deo, *scilicet esse*, electionem vestram: (*ecce cur sciat eos à Deo esse electos*) quia Evangelium nostrum, non fuit ad vos in sermone tantùm, sed & in virtute *miraculorum*, 5. & in Spiritu sancto *dato vobis*, & in plenitudine multa, *plenè*, 6. sicut scitis, *& ita esse vos scitis*, quales fuerimus in vobis, *vel in nobis*, propter vos. Et vos imitatores nostri facti estis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, *quam patiebamini pro Christo*, 7. cum gaudio Spiritus sancti, *quod dabat Spiritus sanctus*: ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaïa. 8. A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solùm in Macedonia, & in Achaïa, sed & in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est, ita ut non sit nobis necesse *de fide vestra* quicquam loqui. Ipsi enim de nobis, *vel vobis*, annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos: *id est, quia nos, & prædicationem nostram libenter audistis*: & quomodo conversi estis ad Deum à simulachris, IX. servire, *ad serviendum*, Deo vivo, & vero, & expectare, *ad expectandum* filium eius de cœlis (9. quem suscitavit ex mortuis) Iesum, qui eripuit nos ab ira ventura. E

B

COMMENTARIUS.

1. AMBROS. Apostolus scripsit ad Thessalonicenses hanc primam Epistolam, laudans eos quòd sustinuerint fideliter in adversis pro fide certantes. Instruit vero eos, & de illis quæ apud eos inconvenienter geri cognoverat.

2. LANFR. (*Paulus*) Non ponit nomen officij sui Apostolus, sicut in aliis Epistolis, ostendens hos esse bonos & perfectos.

3. AMBROS. (*Ante Deum*] Vt dicat, quoniam placita Deo ista facitis.

4. LANFR. [*Scientes, fratres, dilecti*] Gratias agimus; vel quia scimus electionem, vel & vos fratres estis imitatores nostri.

C 5. (*Et Spiritu sancto*] Id est, in ostensione S. Spiritus, per quem credentes, spiritualia charismata accepistis.

6. AMBROS. (*Sicut scitis*) Propter vos hoc dicit, ut eos ad reverentiam invitaret. F

(*Et vos imitatores*) Domini commemorationem faciens optimè videtur exhortationem fecisse.

7. [*Cum gaudio*) Neque enim aliter gauderent pro illis quæ nondum videbantur.

8. LANFR. (*A vobis enim diffamatus est*) Diceret quis. Sciebant tunc Macedones & Achaici eos verbum Domini accepisse. Ad hoc respondet: *A vobis enim diffamatus est*, sermo habetur de vobis inter eos de fide vestra.

IX. AMBROS. [*Servire Deo vivo*) Notandum est autem quod in simulacrorum abdicatione, Deum & vivum, & verum esse asseruit.

9. AVGVSTINVS, (*Quem suscitavit*) Ira Dei non perturbatio est, sed iudicium quo irrogatur pœna peccato. Lib. 55. de Civit. Dei. c. 25 tom. 5.

G

CAPUT SECUNDUM.

1. NAm ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, 2. quia non inanis, *vacuus, vel levis*, fuit: sed ante passi *multa*, & contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitudine. *Ideo fiduciam habuimus*; Exhortatio enim nostra non *fuit* de errore, neque de immunditia, neque in idolo: sed sicut probati sumus à Deo, ut crederetur nobis Evangelium, *ut probemur à Deo digni esse, quòd nobis suum credat Evangelium*: ita loquimur, 3. non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat, *laudat*, corda nostra. Neque enim *placentes*, (*probat*) aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione avaritiæ, *pro lucro prædicantes*: Deus testis est: 4. nec *fuimus* quærentes *prædicando* ab hominibus gloriam, neque à vobis, (*à partibus*) neque ab aliis. Cùm possemus vobis oneri esse, *gloriando, vel vestra suscipiendo*, ut *alij* Christi Apostoli: sed facti sumus parvuli, *humiles, & immunes*, in medio vestrum, 5. tamquam si nutrix, *quæ mater est*, foveat filios suos, *non alienos*. Ita desiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis non solùm Evangelium Dei, sed etiam animas nostras, *ut pro vobis mereremur* (*ecce cur*) quoniam charissimi nobis facti estis, *quod ita esse scitis: vel non fuimus vobis oneri vestra capiendo*. 6. Memores enim estis, fratres, laboris nostri, & fatigationis: (*ecce labor*) nocte, & die operantes, ne quem vestrum gravaremus, (*ecce fatigatio*) prædicavimus in vobis Evangelium Dei. Vos testes estis, & Deus, quàm sanctè, *non adulando*, & iustè, *non propter lucrum prædicando*, & sine querela, vobis, qui credidistis, fuimus, *affuimus*: sicut scitis, qualiter unumquemque vestrum (sicut Pater filios suos) deprecantes vos & consolantes, testificati sumus, ut ambularetis dignè Deo, qui vocavit vos in suum regnum & gloriam, *quia vocavit vos Deus, & vos tantùm desiderabamus*. Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione: 7. quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, (*per quod auditur Deus; ut, qui vos audit, me audit*) accepistis illud, non ut verbum hominum, *non viliter*, sed (sicut est verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, (*vel miracula, vel quod credidit*) qui credidistis. *Alia ratio cur gratias agat vel ostensio quod in eis operetur.* 8. Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in

D … H

A Iudæa, in Christo Iesu, *in fide Christi: in hoc imitatores facti estis*, quia eadem passi estis & E
vos à contribulibus vestris, *Gentibus*, sicut & ipsi à Iudæis; qui & Dominum occiderunt Iesum, (*si me persecuti sunt, & vos persequentur*) & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus, *utilitati omnium hominum*, adversantur, prohibentes nos *præ invidia* Gentibus loqui, *prædicare*, ut salvæ fiant, ut impleant *Iudæi* peccata sua semper: *ut, qui in sordibus est, sordescat adhuc*: pervenit enim (*quia iam præiudicati sunt*) ira Dei super illos, *in superiori eorum, vel desuper*, 9. usque, *duratura usque* in finem *sæculi*: Nos autem, fratres, desolati *qui absentes sumus* à vobis ad tempus horæ, *verbis, & aspectu*, non corde, abundantiùs festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio: quoniam voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, (*ne videretur dixisse de aliis, non de se*) & semel, & iterum, *bis*, sed impedivit nos, (*quadam tribulationes, vel in membris suis*) Satanas. *Ratio cur venire desideret.* Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum *spes nostra, & gaudium* estis in adventu eius? *Ideo volumus: (vel sola antipophora)* vos enim estis gloria nostra & gaudium.

B F

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Nam ipsi scitis*] Ipsi annuntiant quod verum est; vos enim scitis qualem introitum. Vel alia ratio cur ei non sit necesse loqui. Vel eripuit nos ab ira ventura: nam ipsi scitis introitum nostrum, quanta in eo passi sumus.

2. AMBROS. [*Quia non inanis fuit*] Scitis, inquit, quoniam non absolutè neque fortuitu ad vos venimus, sed passi multa.

3. LANFRANCVS, [*Non quasi hominibus placentes*] Placere & in bono, & in malo invenitur, sed de quo placendi mihi hic locus sit, subiungit; *In sermone adulationis.* Adulari enim in malo semper invenitur.

4. AMBROS. (*Nec quærentes*) Cautissimè posuit, *non quærentes*: hoc est non hoc suspicantes, nec hanc habentes actus nostri intentionem.

5. AVGVST. (*Tanquam si nutrix*] Non nutrix filios alienos, sed nutrix fovens filios suos. Enar. in Psal. 49. circa finem 8.

6. LANFR. [*Memores enim*) Ostendit quomodo animam, id est, vitam suam eis tradidit.

7. AMBROS. (*Quoniam cum accepissetis*) Eorum laudem commemorat, ut illorum alacritatem suscitet. Quæ erga se sunt commemorat, ut eos ad reverentiam adducat.

8. (*Vos enim imitatores* Bene autem eos est adhortatus, commemorans illos, ut & ipsi sustineant.

9. LANFR. [*Vsque in finem*] Vsque in finem quidam Iudæi increduli erunt: tunc enim omnis Israel salvabitur.

C G

CAPVT TERTIVM.

PRopter quod, *quia estis spes nostra*, non sustinentes ampliùs, placuit nobis, *mihi soli*, remanere Athenis, solis: & misimus *nuper* 1. Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Evangelio Christi, ad confirmandos vos *in fide*, & exhortandos *in moribus* pro fide vestra: ut nemo moveatur in tribulationibus istis, *quas patimini: Nec debetis moveri*; 2. ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus, *ut patiamur*. 3. Nam & cùm apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut & factum est, & scitis. Propterea, *quia tribulabamini*, & ego ampliùs non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram: ne fortè tentaverit vos is, qui tentat, *diabolus*, & inanis fiat labor noster. Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annuntiante nobis fidem, & charitatem vestram, & quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut & nos quoque vos: ideo consolati sumus, fratres, in vobis, *licet simus* in omni necessitate, & tribulatione nostra, per fidem vestram, quoniam nunc vivimus, *gaudemus*, si vos statis in Domino. Quam enim *dignam* gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum, nocte, ac die abundantiùs orantes, ut videamus
D faciem vestram, & compleamus ea, quæ desunt fidei vestræ? *nullam utique*. Ipse autem Deus, & Pater noster & Dominus Iesus-Christus, dirigat viam nostram ad vos. Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram in invicem, & in omnes: H
quemadmodum & nos in vobis, *scilicet abundantiùs charitate*: ad confirmanda corda vestra sine querela, *ne Deus queratur de vobis, ut sitis vel &* in sanctitate, ante Deum, & Patrem nostrum, in adventu *in die iudicii* Domini nostri Iesu Christi, cum omnibus sanctis eius. Amen.

COMMENTARIVS.

1. LANFRANCVS, [*Timotheum*] Non in hac vice cum hac Epistola misit eum, sed priusquam hanc Epistolam mitteret. Alioqui non cum eo salutasset eos in proœmio.

2. (*Ipsi enim scitis*) Causam submovit cur moveri eos non oporteat, ipsamque * auctoritatem eorum confirmat. f. * auctoritatem.

3. [*Nam & cum apud vos*) Eamdem causam sua auctoritate confirmat.

CAPVT QVARTVM.

1. DE cætero, *de aliis præceptis*, ergo, fratres, rogamos vos, & obsecramus in Domino Iesu: ut quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis, ut abundetis magis. Scitis enim quæ, *quàm sancta* præcepta dederim vobis per Domioum Iesum. *Ecce præcepta.* Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: 2. ut abstioeatis vos à fornicatiooe; ut sçiat unusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatiooe, & honore: 3. non in passione desiderij, *quum desiderium perficit*, sicut & Geutes, quæ ignorant Deum: & ne quis sopergrediator, *adgravet in negotio, vel superbiendo*, neque circumveoiat, *promittendo, nihil dando*, in negotio, *in aliquo re*, fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibos, sicut prædiximus vobis, (*ne sitis fornicarij, sed sancti*) & testificati sumus. 4. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, *ut sitis immundi*, sed in sanctificationem. 5. Itaque, *quia voluntas Dei est, nolite spernere*, qui hæc, *mandata Dei*, spernit, non hominem spernit, sed Deum: qui *non solum superiora præcipit, sed* etiam 6. dedit Spiritom suum sanctum in nobis. De charitate autem fraternitatis non oecesse habemus scribere vobis: 7. Ipsi enim vos à Deo didicistis ut diligatis invicem, 8. Eteoim illud facitis in omnes fratres in universa Macedonia. 9. Rogamus autem vos fratres, ot abondetis magis: & operam detis, nt quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis: & ut honestè ambuletis ad eos, qui foris sunt: & nullius aliquid desideretis 10. 11. 12. Nolumos autem vos ignorare fratres de dormientibus, *defunctis*, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem *resurrectionis* oon babent. Si enim credimus qoòd Iesus mortuus est, & resurrexit, (*Resurgent, nam Christus resurrexit, quod credimus*) (*à simili*) ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. (*Ab auctoritate sui, & Dei*) 13. Hoc enim vobis dieimus in verbo Domini, quia nos, qui viuimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt, *sed simul rapiemur.* 14. Quooiam ipse Dominus in iussu *Patris, vel iubens ut Deus*, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo: & mortui, qui io Christo sunt, *boni*, resurgent primi. 15. Deinde nos, qoi vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus *ferentibus nos* obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. Itaque, *quia sic futurum est*, consolamini invicem in verbis istis.

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. [*De cætero fratres*] Postquam laudes consummavit, quas super fidei eorum dixerat * infirmitate: hortatur ut de cætero vitæ eorum diligentiam adhibeant.

f. * firmitate.

2. LANFR. [*Vt abstineatis vos, &c.*] Præcepi vobis ut abstineatis à fornicatione, &c. usque ad hoc, *ut sitis sancti quod vult Dominus*: & hoc est; *Hæc est enim voluntas Dei.*

3. [*Non in passione*] Passio desiderij, quàndo peccatum desideratur, & non perficitur.

4. [*Non enim vocavit*] Contrarium destruit, ut statuat alterum contrarium, id est, essemus mundi.

5. [*Itaque qui hæc spernit*] Hoc ex superiori sententia colligitur, qua dixit: *Hæc est enim voluntas Dei.*

6. [*Dedit spiritum suum*] Id est, quia non solum superiora præcepta prædicandi nobis invexit; sed ut maioris auctoritatis in prædicando essemus, Spiritum sanctum suum nobis dedit.

7. [*Ipsi vos didicistis*] Per inspirationem divinam, vel per evangelicum præceptum, vbi à Christo de dilectione præcipitur.

8. (*Etenim facitis*] Alia causa cur de charitate non habeat eis necesse scribere.

9. (*Rogamus vos, &c.*) Contra eos qui inquirebant omnia otiosi, nihil laborantes.

10. (*Nolumus autem vos*] Ad illos qui dolebant de amicis, quasi non resurrecturis.

11. AVGVST. (*Nolumus autem*) Nam ideo & dormientes eos appellat. Scripturæ veracissima consuetudo, ut cum dormientes audimus, evigilaturos minimè desperemus.

Serm. 31. de verb. Apost. c. 7. & 10.

12. AMBROS. [*Nolumus autem*) Benè non tristitiam ademit, sed immensam eam perhibuit comparatione adversariorum, ad verecundiam eos devocans, & quod illi non habent spem.

13. (*Hoc vobis dicimus*) Hoc est secundùm revelationem.

14. [*Quoniam ipse Dominus* (Iussum vel tubam vocat vocem Archangeli qui dicet, *surgite.*

15. AVGVST. (*Deinde nos*) Si ergo sanctos qui reperiuntur Christo veniente viventes, eique in obviam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, & ad eadem mox immortalia redituros, nullas in verbis Apostoli * patientur angustias; sive vbi dicit: Tu quod seminas non vivificabitur, nisi moriatur. Sive vbi dicit; Omnes resurgemus, * ut omnes dormiemus.

Lib. 20. de Civit. Dei c. 20. tom. 5. al. * patiemur. al. * sed.

CAPVT QVINTVM.

DIceret quis, *quando hoc erit?* 1. De temporibus autem, 2. & momentis; fratres, non indigetis ut scribamus vobis. 3. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, *improviso, cum alij sunt in quiete*, ita veoiet. 4. 5. Cum enim *facturi* dixerint pax, & securitas *est*; tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in

utero

A utero habenti, & non effugient, *omnes morientur. Illis nescientibus superveniet interitus, quia sunt in tenebris.* Vos autem, fratres, non estis in tenebris *peccatorum* : vt vos dies illa tamquam fur *improuisos* comprehendat : *non estis in tenebris*, omnes enim vos filij lucis estis, (*à pari*) & filij diei : *ergo* (*à contrario*) non sumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut & cæteri, *quia non sumus noctis, non quiescamus in peccatis*, sed vigilemus *in bonis*, & sobrij simus, *non ebrij.* Qui enim dormiunt, 6. nocte dormiunt; *noctis sunt* : & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt, *noctis sunt.* Nos autem qui diei sumus, sobrij simus, (*intransitiuè*) induti loricam fidei, & charitatis, & galeam spem salutis, *& possimus sperare salutem*, quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis 17. ut siue vigilemus, siue dormiamus *actu, vel moriamur*, simul cum illo viuamus. Propter quod, *quia vos dies, Deus non comprehendet improuisos*, consolamini inuicem, & ædificate alterutrum, sicut & facitis. Rogamus autem vos, fratres, 8. ut noueritis eos, *benefactatis prædicatoribus vestris*, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, vt habeatis illos abundantiùs in charitate propter opus *bonum prædicationis* illorum : E
B & pacem habere cum eis. 10. Rogamus autem vos, fratres, *doctores.* 11. corripite inquietos, consolamini pusillanimes, *in fide, vel in passione*, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. 12. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat : sed semper quod bonum est sectamini in inuicem, & in omnes. 13. Semper gaudete. 14. Sine intermissione orate. In omnibus, *prosperis, vel adversis, vel dictis, & factis*, 15. gratias agite : hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu, *in iis, quæ sunt in fide Christi Iesu*, in omnibus vobis. 16. 17. Spiritum nolite extinguere. Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate: quod bonum est tenete. Ab omni specie mala, *quod malum videbitur*, abstinete vos. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia : (*sic promisit*) 18. ut integer, *immunis à malo*, 19. spiritus vester, *rationabilitas*, & anima, *sensualitas*, & corpus sine querela, in adventu Domini nostri Iesu Christi seruetur. *Quod faciet, quia* 20. Fidelis est, qui vocauit vos : qui etiam faciet. Fratres orate pro nobis. Salutate fratres omnes in osculo sancto. Adiuro vos per Dominum, ut legatur Epistola hæc omnibus sanctis fratribus. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Amen. F

COMMENTARIVS.

C 1. LANFR. (*De temporibus*) De temporibus an æstate, vel hieme; an die, vel nocte venturus sit ad iudicium Christus.

2. (*De momentis*) Id est, qua hora diei vel noctis.

3. [*Ipsi enim diligenter*] Quasi dicat, non indigetis, quia nihil aliud scriberem, nisi quod vos scitis diem videlicet Domini clam venturum, nec tempora nec momenta aliquo sciente.

4. [*Cum enim dixerint pax*] Defuncto Antichristo putabunt stulti se amplius securos; sed tunc cito veniet interitus : & tunc bene erit nobis, qui evademus sicut mulier partum.

Epist. 80. ad Hesichium. 5. AVGVST. [*Cum dixerint pax*] Quid est quod ait Apostolus : *Cum dixerint pax & securitas*? Cum enim dixisset Evangelium : *Arescentibus hominibus præ timore & expectatione*; continuò subiunxit : *Nam virtutes cælorum movebuntur, & tunc videbunt filium hominis venientem cum potestate magna, & maiestate.* D Videamus itaque, ne forte melius intelligatur, non ea modò impleri quæ prædicta sunt in illis verbis; sed tunc potius esse ventura, quando sic erit tribulatio universo orbi, ut ad Ecclesiam pertineat quæ in universo orbe tribulabitur, non ad eos qui tribulant eam. Ipsi enim dicturi sunt : *Pax & securitas* ut repentinus illis superveniat interitus, & eos adventus Domini sicut fur in nocte comprehendat.

Expos. Ps. 131. tom. 8. 6. [*Nocte dormiunt*] Noctem dicens iniquitatem, in qua illi obdormierant cupiendo ista terrena; & omnes istæ felicitates quæ videntur sæculi, somnia sunt dormientium; & quomodo qui videt thesauros in somniis, dormiens dives est? Sed vigilabit & pauper erit : sic omnia vana ista huius sæculi, de quibus homines gaudent in somno. Evigilabunt quando nolunt, si non modo evigilant quando utile est, & inuenient somnia fuisse illa.

7. AMBROS. (*Et siue vigilemus*) Id est, siue secundùm præsentem vitam in aduentu Domini habeamus, siue egressi fuerimus à vita hac, omnes vitam incorruptam adquiramus. G

8. LANFR. (*Vt noueritis eos*) Genus locutionis, cum dicimus, cui nihil dare volumus, non nosco te, nescio te.

9. AMBROS. (*Vt habeatis illos*) Id est, plurimo honore dignos existimate, non resultantes quando vos corrigere cupiunt, & horum contumaciam videtur significasse.

10. (*Rogamus vos*) Ad doctores vertit sermonem : necessarium enim erat, & hos exhortari, ut non discederent ab opere propter contumaciam.

11. AVGVST. (*Corripite inquietos*) vbi intelligendum est, tunc potius malum pro malo reddi : si corripiendus non corripitur, sed praua dissimulatione negligitur. Lib. de corrept. & grat. c. 16 tom. 7.

12. LANFR. (*Videte ne quis malum*) Malum pro malo reddit, qui quem corrigere potest, impunitum dimittit.

13. AMBROS (*Semper gaudete*) Id est, pro omnibus tristitiis, quæ vobis accidunt. H

14. AVGVST. (*Sine intermissione*) Dominus ait; *Oportet semper orare, & non deficere.* Et Apostolus : *Sine intermissione orate.* Quod sanissimè accipitur, sic, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi. Lib. de Hæresib. ad Quod vult Deu. Hær. 57 tom. 6.

15. (*Gratias agite*) Vera fidelium humilitas est, in nullo superbire, in nullo murmurare; nec ingratum esse; nec querulum, sed in omnibus iudiciis gratias Deo agere, dominumque laudare, cuius omnia opera aut iusta sunt, aut benigna. Lib. sent. Prosp. sent. 83. tom. 3.

16. AMBROS. (*Spiritum nolite*) Apud Thessalonicenses, quidam erant, qui non suscipiebant ea quæ in operationem spiritualem profitebantur; quia confingebant seductorum causa, studio cautelæ, se id declinare. Fiebant autem ista ab indisciplinatis, eo quod à Prophetis arguebantur : Ideo dixit, nolite

spiritualem

A spiritualem operationem prohibere, sed si, inquit, seductores timetis, accipite illa quæ dicuntur, probantes illa.

17. AVGVST. (*Spiritum nolite extinguere*) Si quis per Spiritum loquitur, nolite impedire; nolebant enim quosdam audire, quia Apostolus dixerat ne reciperent pseudoapostolos. Vel scientiam per spiritum eis collatam: vel spiritum in aliis nolite extinguere.

18. AMBRUS.) *Integer spiritus*) Orat ut tributa spiritus gratia, integra in illis custodiatur, nullam sustinens minorationem.

19. AVGVST (*Spiritus vester & anima*) Quamvis propriè dicatur spiritus, non universa anima, [illegible] quid ipsius; sicut dicit Apostolus: *Et integer spiritus, & anima, & corpus.* Vel illud multò expressius in libro Iob: *Absolvisti animam meam à Spiritu meo.* Tamen universa anima vocatur hoc nomine. Cum enim constet aliquid esse in anima, quod propriè [illegible] tus nominetur: illud etiam ego dico propriè vocari spiritum, quo ratiocinamur & intelligimus, quando ita distinctè ista dicuntur.

20. AMBRUS. (*Fidelis est*) Hoc adiecit, ut de [illegible] one dubij habeantur.

Lib. 4. de anima & orig. eius, ad Vincent. Victorē c. 22. 20. 7.

B F

EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI AD THESSALONICENSES II.

CVM INTERIECTIS BEATI Lanfranci Glossulis.

ARGVMENTVM.

C *AD Thessalonicenses, secundam scribit Epistolam Apostolus: & notum facit eis de temporibus novissimis, & de adversarij deiectione. Scribit hanc Epistolam ab Athenis per Titum Diaconum, & Onesimum Acolythum.* G

CAPVT PRIMVM.

1. PAulus, & Silvanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, *existenti* in Deo
2. Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro &
Domino Iesu Christo. 3. Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut di-
gnum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas uniuiusque vestrum
in invicem: ita ut & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra,
& fide *perseverante* & in omnibus persecutionibus vestris, & 4. 5. tribulationibus, quas
sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei, pro quo & patimini: Si tamen iustum est
apud Deum, retribuere tribulationem iis qui vos tribulant: & vobis, qui tribulamini,
requiem nobiscum in revelatione Domini Iesu de cælo *venturi* cum Angelis virtutis eius,
cum quibus exercebit virtutem suam, in flammâ ignis dantis, *Christi dico, vel ignis*, vindi-
ctam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Iesu
Christi: qui pœnas *ex se* dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis
D eius: cùm venerit glorificari in sanctis suis, *dando immortalitatem*, 7. & admirabilis fieri H
in omnibus, qui crediderunt: *vobis dabit requiem*, 8. quia creditum est testimonium
nostrum super vos 9. in die illo, in, *de*, quo *non tantùm gratias agimus*, *sed* etiam
oramus semper pro vobis; ut dignetur, *dignos faciat*, vos vocatione suâ Deus noster,
(*hic, venite benedicti Patris mei*) & impleat omnem voluntatem bonitatis, *modo vel
tunc cum reddet mercedem plenè*, & opus fidei, *quod fide Christiana exigit*, in virtute *Divi-
nitatis suæ*, ut clarificetur (*Hic; ut, videntes opera bona glorificent, vel in futuro; ut, qui habi-
tant in domo tua Domine, &c.*) nomen Domini nostri Iesu Christi in vobis, & vos in illo,
glorificemini, (*ut, fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris mei*) secundùm gratiam Dei nostri,
& Domini Iesu Christi, *non meritis.*

COMMEN

A

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. Scribit hanc Epistolam primùm collaudans eos; deinde instruit eos, ne existiment incumbere sibi consummationem temporum; & de Antichristo.

2. LANFR. (*Paulus, &c.*) In superiori Epistola dixit de die Iudicij; *Nos qui residui sumus, non praeveniemus eos qui dormierunt.* Modò autem ne illi suo tempore existiment hoc futurum, determinat quando sit futurum: quod nisi fecisset, vel falsus esse crederetur, vel dies iudicij à posterioribus amplius non expectaretur.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 18. t. 7.

3. AVGVST. (*Gratias agere*) Hoc dixit ne fortè de tanto bono, quod ex Deo habebant, tamquam ex seipsis id * habebant, extollerentur. *Quod ergo supercrescit fides vestra*, inquit, *& abundat charitas uniuscuiusque vestrum, gratias agere debemus Deo*, non ita vos laudare, tamquam hoc ex vobis habeatis.

B

al. * habentes.

Lib. 22. cont. Faust. c. 10. aut 20. ...

4. (*Tribulationibus quas sustinetis*) Hinc enim intelligitur quomodo non parcatur impiis, tamquam praecisis ad combustionem, quando iustis non parcitur propter perficiendam purgationem.

E

5. LANFR. (*Tribulationibus quas sustinetis*) Tribulationes quas sancti in hac vita tolerant in exemplum iusti iudicij Dei quo iudicabit reprobos in fine mundi. Qui enim sic horribiliter, & tamen iustè, iudicat eos qui peccant, & prius peccata plangunt, quam iustè iudicabit eos qui nunquam plangunt, & tamen peccare non desinunt?

6. (*In exemplum iusti iudicij Dei*) Vel opera hominum sunt exemplum, id est, ostensio quod Deus iustus sit, in dando bonis bona, malis mala.

7. AMBROS. (*Admirabilis*) Ordo est, Admirabilis fieri in die illo: vult dicere admirabilis videbitur in die illo in his qui crediderunt, & quod nostram doctrinam * suscepisti.

f. * suscepistis.

F

8. LANFR. (*Quia creditum*) Causam reddit cur requiem tribuat illis; quia videlicet testimonium quod de die iudicij super eos protulit, velut de loco altiori loquens, creditum sit ab illis.

9. (*In die illo in quo*) Ordo. In quo iudicij die ut dignetur [id est, dignos iudicet] vocatione sua vos Deus, oramus semper. Vel in quo, id est, pro quo vitando periculo, semper orandum est.

CAPVT SECVNDVM.

ROgamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Iesu Christi, 1. & nostrae congregationis (*hic in Ecclesia, vel futurae in caelis*) in ipsum, *Christum, vel in unum*: ut non cito moveamini à vestro sensu, neque 2. terreamini, neque per spiritum, *si quis dicat sibi esse revelatum per spiritum*, neque per sermonem, neque per Epistolam tamquam per nos, *à nobis*, missam, 3. quasi instet dies Domini, *iudicij*. *Rogamus* 4. Ne quis vos seducat ullo modo: 5. 6. quoniam *non erit dies Domini*, nisi venerit discessio primùm, *Apostasia Romani imperij, vel fidei*, & revelatus fuerit homo peccati, *Antichristus*, filius perditionis, *suae, & aliorum*, qui adversatur, *adversabitur*, & extollitur, *extolletur*, supra omne 7. quod dicitur *esse* Deus, aut quod colitur *à Christianis*: 8. ita ut in Templo Dei, *Hierusalem, vel Ecclesia*, sedeat, ostendens se tamquam sit Deus. *Hoc dixi vobis, &* Non retinetis quòd cùm adhuc essem apud vos, haec *supradicta* dicebam vobis? 9. Et nunc quid detineat *Antichristum, vel diem Domini*, scitis (*ecce quod detinet*) ut reveletur in suo *convenienti* tempore. *Ipse revelabitur*, 10. 11. Nam mysterium iam operatur iniquitatis: *id est, secretè operatur per membra*: 12. tantùm, *hoc tantùm restat*, 13. 14. ut qui tenet, nunc teneat, *Romanum imperium, vel fidem; vel ad nos nihil, nisi tenere fidem*, donec de medio fiat, *donec destruatur Romanum imperium, vel Antichristus nascatur; vel qui tenet fidem, teneat donec moriatur.* Et tunc revelabitur ille iniquus, 15. quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, *virtute Spiritus sancti ab eo procedentis*, & destruet 16. illustratione, (*id est, claritate, quae tanta erit, ut ea visa moriatur*) adventus sui eum, *Antichristum*: cuius est adventus secundùm operationem Satanae, *dispositam, vel Satanas in eo operabitur*, in omni virtute *resurrectionis*, & signis *miraculorum &* 17. prodigiis mendacibus *ad salutem, vel quia videbitur, nec revera operabitur*, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt: eo quòd charitatem veritatis non receperunt, ut salui fierent, *eo quòd praedicabat pro charitate, vel redemptione.* Ideo mittet illis Deus operatio nem erroris, *operatorem Antichristum*, ut credant mendacio: ut iudicentur, *damnentur*, omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati, *diabolo*. Non autem, *sed vos credidistis veritati, unde nos* debemus gratias agere Deo semper 18. pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit vos Deus primitias, *primitivam Ecclesiam*, in salutem, *datam vobis*, in sanctificatione *primum sancti* Spiritus, & in fide veritatis, *Christi*: in qua & vocavit vos per Evangelium nostrum, 19. in acquisitionem gloriae, *ut vos acquiratis gloriam Dei; vel ut vos acquiramini à Deo gloriâ* Domini nostri Iesu Christi. Itaque, *quia gloriam acquiretis*, fratres, state: & tenete *Evangelij* traditiones quas didicistis, sive per sermonem *mei praesentis*, sive per *absentis*, Epistolam nostram. Ipse autem Dominus noster Iesus Christus, & Deus & pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem aeternam, *mittendo Christum, vel Spiritum sanctum*, & spem bonam in gratia, *non meritis*, exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere, & sermone bono.

C

G

D

H

A

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. (*Et nostra congregationis*] Dicit nim Christi adventu congregationem tunc ad eum futuram.

2. [*Terreamini*) Id est, sive quis spirituali in operatione id permittat se dicere, sive ex verbo & Epistola nostra sit edoctus.

Ep. 80. ad Hesic. tom. 2. 3. AVGVSTINVS, [*Quasi instet*] Vigilare debet Christianus, ne imparatum eum inveniat Domini adventus. Imparatum autem illum inveniet dies ille, quem imparatum inveniet suus vitæ huius dies ultimus.

Lib. 20. de Civit. Dei c. 19. tom. 5. 4. [*Ne quis vos seducat*] Ne quis vos seducat ullo modo: *Quoniam nisi venerit refuga primum, &c.* Nulli dubium est eum de Antichristo ista dixisse, diéque iudicij: hunc enim appellat diem Domini non esse venturum, nisi ille prior venerit, quem refugam vocat, utique à Domino Deo.

5. (*Quoniam nisi venerit*] Impossibile est discessionem fieri, ubi accessio prius facta non sit: necesse est ergo, inquit, impleri accessionem, de qua dictum

B

est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*: &, *venient omnes gentes ad eum*: quo impleto incipiet discessio, de qua dicitur: *Ex abundantia iniquitatis refrigescet charitas*: quia discessione completa, quasi iam parato iumento, opportunum erit adesse sessorem, id est, revelari filium perditionis. Dicit autem cum apud eos esset, hæc eadem illis dixisse, eósque advertere debere, quod non sit revelandus Antichristus, nisi suo tempore, id est, opportunè. Quem enim locum inventurus erat tempore Apostolorum, Martyrum, Confessorum, vel non refrigeratæ charitatis? Quod autem in tantum quandoque abundatura sit iniquitas, ex eo, inquit, colligi potest, quod in ipsis principiis accessionis apparent quædam primitiæ discessionis, ut quidam se Christi Discipulos simulent, neque de futuro debere, cum hoc tantum sufficiat, ut teneat

C

quisque in religione quod tenet, in quo in eo permaneat, donec de medio fiat, id est, de aperto innotescat homo ille, impleturus personam iniquitatis; qui tunc futuri sunt illi videant; mihi autem in anima moritoro, quo valet rescire post quot annos prius esse, fieri ascensionem, consequenter discessionem, & sic demum adesse diem Domini.

6. AMBROS. [*Nisi venerit*) Discessionem vocat tempus illud; eo quod paulo minus omnes tunc discedent à pietate: Et peccati hominem dixit, eo quod peccatum ministrabit. Et filium perditionis, ut pote perditioni subdendum.

7. LANFR. (*Quod dicitur Deus*] Id est, super omnes sanctos, qui dicuntur dij, & supra * Deum, qui colitur Deus.

f.* cum. Lib. 20. de Civit. Dei c. 19. 8. AVGVST. (*Ita ut in Templo*) Hoc loco intelligi Antichristum volunt; rectiusque putant etiam Latinè dici, sicut in Græco est, non in Templo Dei, sed in templum Dei sedeat, tanquam ipse sit templum Dei, quod est Ecclesia: sicut dicimus sedet in amicum, id est, velut amicus.

9. AMBROS. (*Et nunc quid detineat*] Id est, Deus interim detinet eum.

10. (*Nam mysterium*] Hoc est, non apertè apostasiam operatur, sed ministerio per suos à pietate tentat divellere.

11. LANFRANCVS, (*Nam mysterium*) Mysterium Iniquitatis suæ in Nerone, & cæteris membris suis Antichristus tunc operatur; quia per unanimitatem & magnitudinem iniquitatis, quæ per eos excecebat, quanta sit iniquitas, quæ per semetipsum * exercebat, ostendebat. Et est probatio quod revelandus sit. f.* exercebat.

12. AMBROS. [*Tantum ut qui tenet*) Hoc est, ubi diffinitio Dei, quæ eius prohibet adventum, cessabit; tunc ille apparebit.

F

13. LANFRANCVS, (*Ut qui tenet*] Romanum designat imperium, quo destructo veniet Antichristus. Hoc est enim quod dicit; tantummodo hoc restat, ut Romanus Imperator, qui tenet hunc mundum, teneat donec de medio fiat, id est, penitus auferatur: de medio enim fieri, est, de communi hominum aspectu auferri.

Ibid. 14. AVGVSTINVS, (*Ut qui tenet*] Illud tamen quod Apostolus dicit, tantum quomodo tenet, teneat donec de medio fiat, id est, de medio tollatur: & tunc revelabitur iniquus, per quem significari Antichristum nullus ambigit.

15. AMBROS. [*Quem Dominus Iesus*) Subito de cœlo apparens Christus, & solummodo clamans cessare faciet ab opere totum illum expendens; hoc dicit: *Spiritu oris.*

G

16. LANFR. (*Illustratione*] Id est, claritate, quæ tanta erit, ut visa ea moriatur.

17. (*Prodigiis mendacibus*] Mendacia vocat, prodigia Antichristi; vel quia non erit quod apparebit, vel quia perituris mendacia suadebunt.

18. (*Pro vobis fratres*) Pro vobis, subaudis instruendis; ut & vos pro collatis beneficiis, similiter gratias referatis: Vel quia & vos vocati estis, ut paulo post dicitur.

19. [*In acquisitionem*) Id est, ut vos essetis ei acquisitio, in qua Dominus Iesus Christus glorificetur, ut & vos acquiratis gloriam, quam Dominus Iesus Christus habet.

CAPVT TERTIVM.

D DE cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei, *quem prædicamus*, currat, *non reiiciatur*, & clarificetur, sicut &, *scilicet aliàs*, apud vos, & *orate* ut liberemur ab importunis & malis hominibus, *qui nobis insidiantur*, (*sola antipositio*) non enim omnium est fides. 2. Fidelis autem Dominus est, qui confirmabit vos, & custodiet à malo, *diabolo.* Confidimus autem de vobis in Domino, quoniam quæ præcipimus, & facitis & facietis. 3. Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, *ut Deum diligatis*, & patientia Christi, *& pro eo patiamini.* Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, *extra viam rectæ fidei*, & non secundùm traditionem, quam acceperunt à nobis. 4. Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos, *hac & illac vagantes*: neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore *operis manuum*, & in fatigatione *prædicationis*, noctè *operando manibus*, & die *prædicando* operantes *fuimus*, ne quem vestrum gravaremus. *Ne quis obiiceretur, non poteras.* Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. 5. Nam & cùm essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, ne manducet. *Ratio cur laboris sui mentionem fecerit.* Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè *otiosè*, nihil operantes, sed curiose agentes, H

A *rumorizantes.* Iis autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo: ut cum silentio *ne sint curiosi ergam* operantes, suum, *non alterius* panem manducent. Vos autem fratres nolite deficere benefacientes, *qui benefacitis, nolite deficere; vel si nesciunt operari sustinete eos.* 6 Quòd si quis non obedit verbo nostro, *quod per Epistolam loquimur*, per Epistolam hunc notate, *arguite separando à vobis:* & ne commisceamini cum illo, ut confundatur: & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. Ipse autem Deus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis. 7. Salutatio mea manu Pauli *scripta*, quod est signum in omni Epistola: ita scribo Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen. E

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Fidelis autem*) Id est, verax, qui adfuturum se promisit fidelibus suis vsque in finem sæculi.

B 2. AMBROS. (*Fidelis autem*) Hoc ad verba orationis quæ fecerat reddidit.

3. (*Dominus autem dirigat*) Id est, contingat vobis permanere in illa charitate; quæ est erga eum, tolerantes etiamsi aliquid conueniat pro eo pati. Et quod dixit, Dei & Christi, in commune id positum esse videtur.

4. LANFR. [*Ipsi enim scitis*) Quasi diceret: non est opus vt exponam hanc traditionem, de qua loquor; quia vos eam scitis.

5. (*Nam & cum essemus*) Alia ratio, cur in labore & fatigatione incessanter apud eos operatus sit: sic enim eis facere dum apud eos esset, suadebat.

6. AMBROS. (*Quod si quis*) Id est, per Epistolam loquimur. F

7. (*Salutatio mea*) Hoc adiecit; quia qui consummationem sæculi dicebant esse propinquam, suadebant hoc quasi ex Epistola Apostoli: hoc autem additur ut nihil contrarium recipiant his quæ hic scripta sunt.

EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI AD TIMOTHEVM I.

C *CVM INTERIECTIS BEATI Lanfranci Glossulis.* G

ARGVMENTVM.

TIMOTHEVM *instruit, & docet de ordinatione Episcopatûs, & Diaconij, ac Ecclesiasticæ disciplinæ; scribens ei à Laodicea per Tychicum Diaconum.*

CAPVT PRIMVM.

D PAulus Apostolus Iesu Christi secundùm imperium Dei Saluatoris nostri, & Christi Iesu spei nostræ: *qui est spes nostra*: Timotheo dilecto in fide, *quem in fide genui.* Gratia, misericordia, (*causa inter effecta sua posita*) & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro. Sicut rogaui te ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, *hoc rogans*, ut denuntiares quibusdam ne aliter docerent, *quam nos*, 1. neque intenderent, fabulis, & 2. genealogiis interminatis, *sine termino, indefinitis: vel prohibitis à me, inquirerentur*: quæ quæstiones præstant magis, (*quasi ubi nullum commodum, immo incommodum*) quam ædificationem Dei, quæ est in fide. 3. 4. 5. Finis autem præcepti est 6. charitas, *effice ne intendant supradictis, sed charitati, quia finis, id est, completio legis est charitas procedens* de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. A quibus, *genealogiis, vel conscientia, & in fide*, quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes *quæstiones de quibus agitur*, neque quæ loquuntur, *auctoritatem scripturarum*, neque *ipsas quæstiones* de quibus affirmant. *Ne videretur legem incusare, hoc dicit.* 7. Scimus autem quia bona est lex *Iudæorum*, si quis ea legitimè vtatur, *spiritualiter intelligens*: 8. sciens hoc (*ne videretur conuersationem legis iterùm introducere, hoc adiecit*) quia 9. lex, *carnalis obseruantia*, iusto non est posita, sed iniustis *coercendis*, & non subditis, impiis, *Deum negantibus*, & peccatoribus, *confitentibus Deum, & peccantibus*, sceleratis, contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum H

A concubitoribus, 10. plagiariis, *vel ſicariis*, mendacibus, & periuris: & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur, quæ eſt 11. ſecundùm Evangelium gloriæ, *glorioſum*, beati Dei, quod creditum eſt mihi, *unde* Gratias ago ei, qui *ut auderem prædicare* me confortavit, Chriſto Ieſu Domino noſtro, quia fidelem me exiſtimavit, ponens in miniſterio *Evangelij*: qui priùs blaſphemus *in Deum* fui, & perſecutor *Eccleſiæ*, & contumelioſus, ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundavit autem gratia Domini noſtri, cum fide; & dilectione, (*quia condonans peccata addidit & fidem, & dilectionem*) quæ eſt in Chriſto, Ieſu, *qui ut ſuperabundaret gratia ad hoc venit: & hoc eſt quod dicit, fidelis ſermo, &c.* Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus: *certe ſirmo*: quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, 12. quorum primus, *peior*, ego ſum. Sed ideo *condonatis mihi peccatis per fidem* miſericordiam conſecutus ſum: ut in me primo, *priori*, oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam *quam habet in peccatores*, 13. ad informationem eorum, (*ne deſperarent*) qui credituri ſunt illi in vitam æternam, *ut habeant illam. Unde*, Regi autem ſæculorum immortali,
B invisibili, ſoli Deo, honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, 14. 15. ſecundùm præcedentes in, *de*, te prophetias, (*prophetante mihi Spiritu ſancto · vel per prophetiam Spiritus ſancti electus erat, ut fieret Epiſcopus, & doctor ſubditorum: vel ſecundùm quod prophetat mihi Spiritus ſanctus tibi iniungendum*) ut milites in illis bonam militiam, habens fidem, *non dubitans de gratia, & retributione per fidem*, & 16. bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt: ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander: 17. quos *puniendos, vel excommunicationi*, tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare.

COMMENTARIUS.

1. AMBROS. (*Neque intenderent*) Eo quòd Iudæi tunc multam ſollicitudinem expendebant ut oſtenderent Chriſtum non ex Abraham, ſed ex David deſcendiſſe.

2. LANFR. (*Genealogiis*) Generationibus; quot annis videlicet vixerit Mathuſalem & cæteri. Vel generationibus Chriſti, quomodo concordent, vel diſcordent: videtur enim diſcordare ibi Lucas à Matthæo.

C 3. AMBROSIUS, (*Finis autem præcepti*) Dividens illa quæ conveniebat præcipere eis; & à quibus ſe cohibere debuerant, inquit: *Finis præcepti eſt charitas.*

Serm. 39 de tempo. tom. 10.

4. AUGUST (*Finis autem*) Quid eſt autem præcepti finis, niſi præcepti adimpletio? Et quid eſt præcepti adimpletio, niſi legis plenitudo? Quod ergo ibi dixit: *Plenitudo legis charitas*: hoc etiam hic dixit: *finis præcepti eſt charitas.*

5. LANFRANCUS, (*Finis autem Præcepti*) Præcepti, id eſt, præceptorum, quorum finis eſt charitas, id eſt, dilectio Dei & proximi. Sicut in Evangelio, *In his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ.*

Lib. 1. de Doct. Chr. c. 40 tom. 3.

6. AUGUST. (*Charitas de corde*) Cum enim diceret charitas, addidit de corde puro, ut nihil aliud quam id quod diligendum eſt, diligatur. Conſcientiam vero bonam ſubiungit propter ſpem. Ille enim ſe ad id quod credit & diligit perventurum eſſe deſperat, cui malæ conſcientiæ ineſt ſcrupulus. Tertiò & D *fide*; inquit, *non ficta*: ſi enim fides noſtra mendacio caruerit, tunc & non diligimus, quod diligendum non eſt; & rectè vivendo id ſperamus, ut nullo modo fides noſtra fallatur.

7. AMBROS. (*Scimus autem quia bona*) Ne videretur legem incuſare, hoc dixit.

8. (*Sciens hoc*) Ne videatur converſationem legis iterum introducere.

Expoſ. Epiſt. ad Galat. expoſ. c. 2. to. 4

9. AUGUST. (*Lex non eſt poſita*) Deo vivit, qui ſub Deo eſt: legi autem, qui ſub lege eſt. Sub lege autem vivit, inquantum quiſque peccator eſt, id eſt, inquantum à veteri homine non eſt mutatus: ſua enim vita vivit, & ideo lex ſupra illum eſt; quia qui eam non implet, infra illam eſt: nam iuſto lex poſita non eſt, id eſt, impoſita, ut ſupra illum ſit. In illa eſt enim potius, quam ſub illa; quia non ſua vita vivit, cui cohærendo lex imponitur, ut enim ſic dicam ipſam quodammodo legem vivit, qui cum dilectione iuſtitiæ iuſtè vivit

10. LANFR. (*Plagiariis*) Plagiarij ſunt clam transferentes homines de patria in patriam, & vendentes. G

11. AMBROS. (*Secundùm Evangelium*) Quæ ab illo nobis tribuitur, & beatum dicit eo quod beatitudinem in natura habeat * immutabilitatem.

f. * in mutabilitate.

12. AUGUST. (*Quorum primus*) Apoſtolus noviſſimus, peccator primus. Et hic quomodo primus peccator? *Quorum primus ego ſum.* Quia omnibus prior ſum, ergo peiorem voluit intelligi primum.

Serm. 9. de Verb. Apoc. c. 6. tom. 10.

13. LANFR. (*Ad informationem*) Id eſt, hi qui in Chriſtum ſunt credituri in magnis peccatis non deſperent de miſericordia Dei, in eo videlicet exemplo informati.

14. (*Secundùm præcedentes*) Spiritus ſanctus ſemper prædicebat Apoſtolo quidquid oportet eum iniungere Timotheo. Et eſt ſenſus, commoneo te ſecundùm quod inſpiratio ſancti Spiritus ſuggerit mihi.

15. AMBROS. (*Secundùm præcedentes*] Hoc ſecundùm revelationem divinam, tui faciens electionem, commiſi doctrinæ opus.

H 16. LANFR. [*Bonam conſcientiam*] Conſcientiam vocat cogitationes, in quibus ſummopere obſervanda eſt humilitas, quâ ſpretâ, in magnos quidam devenerunt errores, ſicut in Epiſtola ad Romanos legitur.

17. AMBROSIUS, [*Quos tradidit*] Eccleſiæ alienationem, Satanæ traditionem vocat; oſtendens per hoc, quantum malum ſit de Eccleſia excludi.

CAPUT SECUNDUM.

OBſecro igitur (*quia per prophetiam es electus*) primùm omnium fieri 1. obſecrationes, *in Secretu*, orationes, *ante Secretu*, poſtulationes, *tum benedicit Epiſcopus*, gratiarum actiones. *ſumpta communione Sacramenti* (*totum miſſale officium tangit*) pro omnibus hominibus·

pro

A pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate, *in principatu aliquo constituti* sunt, 2. ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate. 3. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult, *vel ex operibus*, salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 4. Vnus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus: qui dedit redemptionem semetipsum pru omnibus, 5. testimonium temporibus suis, *scilicet incarnationis*: in quo positus sum ego prædicator, & Apostolus (veritatem dico *in prædictis*, non mentior) *causa cur verum dicere debeat*, doctor Gentium in fide, & veritate. Volo ergo, *vel præcipiendo, vel quia doctor*, viros orare 6. in omni loco levantes, *vel in cælum*, *vel per bona opera*, puras manus, *iustè reprehendentes*, 7. sine irâ, & disceptatione, *sine desperatione retributionis*. Similiter & mulieres in habitu ornato, *competenti*, cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa: sed quod decet mulieres promittentes pietatem, *quam promiserunt Christiana religione tenere*, per opera bona. 8. Mulier in silentio discat, cum omni subiectione. 9. Docere autem mulieri non permitto, 10. neque dominari in virum, sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Eva: 11. 12. & 13. & Adam non est seductus; mulier autem seducta, in prævaricatione fuit. 14. 15. Salvabitur autem per filiorum generationem, *si filios in fide nutrierit religiosè*, *vel per bona opera*, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.

COMMENTARIVS.

1. AVGVST. [*Obsecrationes.*] Obsecrationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod in Domini mensa, incipiat benedici. Orationes cum benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam benedictionem fere omnis Ecclesia Dominicâ oratione concludit. Interpellationes autem, sive, ut vestri codices habent, postulationes fiunt cum populus benedicitur, quibus peractis, & participato tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit; quam etiam in his verbis ultimam commendavit Apostolus. Hæc autem præcipua causa fuit, ut his breviter præscriptis atque significatis, non putaretur esse negligendum quod sequitur.

Epist. 59. ad Paulin. q. 5. Solut.

2. LANFR. [*Vt quietam.*] In pace principum quies & regimen servatur Ecclesiarum: nam in bellis & discordiis eorum tranquillitas dissipatur, tepescit pietas, distinctio solvitur, distinctione soluta, morum castitas violatur.

3. AMBROS. [*Hoc enim bonum est.*] Et hoc probat adiiciens; *qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quod ostendit dum adiecit unus est enim Deus; hoc est, quia omnium est Dominus, sed & ille mediator, qui nos homines nititur Deo copulare; unus est & hic homo, & per omnia necessarium ostendit quod conveniat de omnibus sollicitudinem impendere, eo quod Deus curam omnibus adhibet, & omnium Dominus est: & quod ipse Christus similiter omnibus appropinquare videtur proprietate naturæ; & omnibus præbuit beneficium, pro omnibus passionem suscipiens.

4. LANFR. [*Vnus enim Deus.*] Ad hoc respondet quod dixit, singulariter, Salvatore nostro Deo: *Vult omnes salvos fieri*, quia unus Deus omnium, & unus mediator est causa. Vel ab effectu probat: *Vult omnes salvos fieri*, quia seipsum dedit redemptionem pro omnibus.

5. [*Testimonium.*] Testimonium vocat quæ de Christo prædixerunt Prophetæ; vel quod de seipso Christus protulit, videlicet quando passurus, resurrecturus, &c. congruis temporibus reipsa & eventu confirmatum est.

6. AMBROS. [*In omni loco.*] Ordo. In omni loco extollentes sanctas manus, in quo orant.

7. [*Sine ira.*] Quod dixit *sine ira*, hoc est neminem odientes. Quod dixit sine disceptatione, id est, ut fideli mente non dubitent accipere quod postulant: & ex altero charitatem erga proximum, & ex altero erga Deum commendat.

8. LANFR. [*Mulier in silentio.*] Mulier in silentio discere iubetur; quia dum loquitur, magis ad luxuriam irritat, & irritatur.

9. AMBROSIVS. [*Docere autem.*] Necessaria erat illo tempore hæc præceptio, quando prophetissæ erant.

10. LANFR. [*Neque dominari in virum.*] Mulier non debet dominari, indignior enim est homine: ut Eva, posterius enim quam Adam formata est, quia ille prius. Item quia indignior est: nam seducta est, quæ per partem damnata, per partem liberabitur. Dicitur Adam non esse principaliter seductus, sed amore mulieris, sicut Salomon & alij multi.

11. AVGVST. [*Adam non est seductus.*] Sicut enim Aaron erranti ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus, nec Salomonem credibile est errore putasse idolo esse serviendum, sed blanditiis femineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum. Ita credendum est illum virum suæ feminæ, uni unum, hominem homini, coniugem coniugi, ad legem Dei transgrediendam non tamquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse.

Lib. 14. de civit. Dei c. 11. to. 5.

12. LANFR. [*Adam non est seductus.*] Seductus in ea re in qua Eva: neque enim vel Deum, vel Dei similem pro pomi comestione futurum esse, se credidit; certissiméque se noverat malè facere, & mendacium esse quod suadebant sibi à muliere; sed utrumque posse fieri existimavit, & uxori suæ morem gerere, & peracti sceleris acta pœnitentia à Deo posse veniam obtinere. Minus ergo peccavit, qui pœnitendi intentionem habuit, quam ea quæ neque de pœnitentia, neque de venia in prævaricatione aliquid cogitavit; sed Deum Deóque similem potius per inobedientiam se fore existimavit.

13. AMBROSIVS. [*Adam non est seductus.*] Eo quod illius seductionis mulier causa videtur extitisse.

14. [*Salvabitur autem.*] Ostendit quod salute videtur digna esse progenies per eas mulieres, quæ ad pietatem respiciunt. Nec de Eva hoc dixit; sed de genere loquitur.

15. AVGVST. [*Salvabitur.*] Salvabitur ergo mulier, quæ in typo carnis accipitur per filiorum generationem, id est, si faciat bona opera. (Sed non ubicumque) in fide vera, in fide Catholica, in societate unius Ecclesiæ pariat opera sua, propterea & de illa cum quereretur Apostolus subiecit: *Salva autem erit per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione*.

Expos. in Psal. 83.

A E

CAPVT TERTIVM.

Fidelis, *dignus fide*, sermo: *ecce*, 1. si quis 2. Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergo, *quòd intentionem tantam quærit*, Episcopum) *per Episcopum: & presbyter intelligitur* (irreprehensibilem esse, 3. vnius vxoris virum, (*si non virginem, non tamen bigamum*) 4. sobrium, prudentem, 5. ornatum, 6. pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui benè præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate: 7. si quis autem domui suæ *bene* præesse, nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum: 8. ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli, *ne iudicet se esse magnum, & sanctum, sicut diabolus iudicauit se æqualem Deo.* Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & 9.10 & in laqueum diaboli. Diaconos similiter pudicos *oportet esse*, non bilingues, non

B multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: 11. habentes mysterium fidei, *quod tenet Christiana fides*, in conscientia pura. Et hi autem, *diaconi, & cæteri*, probentur primùm: & sic ministrent, nullum crimen habentes. Mulieres: *sanctimoniales* similiter pudicas, 12 non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. Diaconi sint vnius vxoris viri: qui filiis suis benè *prius* præsint, & suis domibus. *Ratio cur tales debeant esse.* Qui enim benè ministrauerint, 13. gradum bonum, *honorem*, sibi acquirent, (*non in præsenti sæculo dicit*) & multam fiduciam *habere possint* in fide, quæ est in Christo Iesu. Hæc *tam pauca* tibi scribo, sperans me ad te venire citò. Si autem tardauero, *& propterea scribo, si tardauero*, vt scias quomodo oporteat in domo Dei conuersari, quæ est 14. Ecclesia 15. Dei viui, 16. columna, & firmamentum veritatis, *qua tuetur, & firmat veritatem.* 17. Et manifestè 18. magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, 19. iustificatum est in spiritu, *per spiritum in Iordane, vel assumendo carnem* 20. apparuit Angelis (*Deus esse: vel Angelis bonis famulantibus natus: vel in deserto malis* prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria, *in assumptione.* F

COMMENTARIVS.

C 1. AVGVST. (*Si quis Episcopatum* (Ait Apostolus: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*: Exponere voluit quid sit Episcopatus, quia nomen est operis non honoris: græcum est enim atque inde ductum vocabulum: quod ille qui præficitur, superintendat; curam eorum scilicet gerens. Scopos quippe intentio est; ergo Ἐπισκοπεῖν si velimus latinè superintendere possumus dicere, vt intelligat non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse curat.

Lib. 19. de Ciu. Dei c. 19.

2. LANFR. (*Episcopatum*) Episcopatus est super suam & aliorum vitam intentio, quod qui desiderat, bonum opus desiderat.

3. [*Vnius vxoris*) Id est, qui vnam tantum vxorem habuerit, vel in laica persona, vel in gradibus licitis.

4. AMBROSIVS. [*Sobrium*] Ita ut cum sollicitudine prospiciat ea quæ conueniunt.

D 5. (*Ornatum*) Conuersatione, motu, specie.

6. (*Pudicum*) Eo quod in commune virorum, & mulierum constituitur doctor.

7. LANFR. [*Siquis autem domui suæ, &c.*) Talis debet eligi, qui sciat domui suæ præesse: nesciens enim minoris, ignorat maiora.

8. AMBROS. (*In superbiam elatus*] Vnde extollens se propter magisterium, nihil differt à diabolo qui minister Dei creatus, adnisus est sibi nomen & honorem Dei.

9. (*In laqueum diaboli*] Alia causa. Id est, ne in antiqua præcipitet delicta, eo quod nuper ab exterioribus recessisse videtur.

10. LANFR. (*In laqueum diaboli*) Solet euenire iis qui ab aliis despiciuntur, ut despicientes se & ipsi despiciant; & sic in iram & odium, & cæteros diaboli laqueos incidant. G

11. AMBROS. [*Habentes mysterium*] Mysterium vocat illud dogma quod est de Christo.

12. (*Non detrahentes*) Eo quòd necessariè fieri soleat, ut cæteræ mulieres confidenter ea quæ desunt, referant.

13. (*Gradum bonum*) Non in præsenti sæculo dicit.

14. LANFR. (*Ecclesia Dei viui, columna, &c.*) Ecclesia, id est, fideles sunt columna veritatis, id est, ut ipsam veritatem, id est, Christum, ne peruersi subuertant, directè sustentant.

15. AMBROS. (*Dei viui*) Optime adiecit Dei viui; ut ostendat ex hoc Ecclesiæ dignitatem,

16. LANFR. (*Columna*) Ecclesia Dei in magnis viris columna est, qui alios sustinent: in eisdem etiam firmamur cum veritatis firmamento quia ipsi verbis & miraculis veritatem Euangelij confirmant. H

17. AMBROS. (*Manifestè*) Quia Ecclesiam columnam veritatis dixit, ostendit ipsam veritatem, quæ sit.

18. LANFR. (*Magnum est pietatis sacramentum*) Veritas & sacramentum quod hic habetur, id est, Christus, qui est veritas & sacramentum, manifestè magnus est.

19. AMBROS. (*Iustificatum* (Humanæ naturæ hoc aptatur, quia spiritus habitationem in baptismate accepit.

20. (*Apparuit*] Hoc est, perspicuus Angelis factus est,

CAPVT QVARTVM.

1. SPiritus autem manifeste dicit, (*exponit contra quos Ecclesia veritatem tuetur, scilicet contra hæreticos*) quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, *docent quod*

non

A *non faciunt*, 2. & cauteriatam, *adustam, corruptam, vel adurentem, & alios corrumpentem*, 3. habentium suam conscientiam, 4. prohibentium nubere, (*diversarum hæreseon mentionem facit*) abstinere, *scilicet præcipientium*, à cibis, (*exponit quæ mendacia loquantur*, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem. *Qui cibi reiiciendi non sunt, boni enim sunt*, 5. Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem *Sacerdotis*. 6. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Iesu, 7. enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam assecutus es. Ineptas autem, & aniles fabulas devita: 8. exerce autem teipsum ad pietatem, *pasce gregem tibi commissum spirituali cibo, & carnali, ut sis pius.* Nam *sine pietate* 9. corporalis exercitatio ad modicum, *parùm* utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, 10. 11. promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Fidelis sermo, *quem dixi*, & omni acceptione dignus. In hoc enim, *in promissione illa*, laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium. Præcipuè hæc, *prædicta*, & doce. Nemo adolescentiam tuam contemnat, *ita vive, ut vita contemptibilem ætatem non faciat*: sed exemplum esto fidelium, in verbo, *id est, talis, à quo bonum sumatur exemplum*, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Dum
B venio, *interim considera qualiter vivas, & qualiter doceas*, attende lectioni, exhortationi, *in moribus*, & doctrinæ, *in fide*. Noli negligere *Episcopatus* gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi 12. per prophetiam, cum impositione manuum 13. Presbyterij, *vel cum accepisti ipsum Presbyterium*. Hæc meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus. 14. Attende enim tibi, *tuæ utilitati*, & doctrinæ *propagandæ*: insta in illis. Hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt. F

COMMENTARIVS.

1. LANFR. [*Spiritus autem manifestè, &c.*] Vel columna Christi firmabit Ecclesiam contra impugnantes à fide discedentes, & quod discederent spiritus manifeste dicit.

2. [*Et cauteriatam.*] Cauterium, ferrum quo aduritur rei facies.

C 3. AMBROS. [*Habentium suam.*] Qui enim de castitate se simulant disputare, omnem spurcitiam in se perpetrare inveniuntur.

4. LANFR. [*Prohibentium nubere, &c.*] Præcipit ei, ut interdicat eis spernere cibus, non nubere, & prædicare per spiritum, quia hoc prohibetur eis à pseudo-Apostolis.

5. AVGVST. [*Quia omnis creatura*] Animalia quædam non natura sed significatione immunda dixisse: * itaque, v.g. si de porcu & agnu requiratur, utrumque natura mundum est, quia omnis creatura Dei bona est: quædam vero significatione agnus mundus, porcus immundus.

Expos. in Psal. 143. 10. 8. Et lib. 6. contr. Faust. c. 7. init. al. * ita quod.

6. LANFR. [*Hæc proponens fratribus*] Duplex commodum sibi promittit, scilicet quia bonus minister, & doctrinam ipso usu assequitur.

7. AMBROS. [*Enutritus.*] Proficiet, inquit, hoc & tibi: nam dum debita sollicitudine doces alios, assidua meditatione nutriris.

8. [*Exerce autem te.*] Exercitationem pietatis, diligentiam doctrinæ dixit.

9. LANFR. [*Corporalis exercitatio.*] Datur intelligi, quia in vigiliis, ieiuniis, labori manuum & cæteris corporalibus laboribus se exercebat, operibus misericordiæ non adeo intentus.

10. AVGVST. [*Promissionem.*] Sinistra eius sub capite meo. Non me deserit & in temporalibus necessariis, sed tamen ipsa sinistra sub capite erit, non capiti præponetur, sed erit sub capite. Et dextera eius amplectitur me, pollicens vitam æternam. Ita enim sinistra sub capite, dextera super caput impletur quod sic dictum est, *promissionem habens præsentis vitæ, & futuræ*: quod in præsenti, sinistra sob capite: quod in futuro, dextera eius complectetur me.

Expos. in Psal. 143. 18.

G

11. LANFR. [*Promissionem habens vitæ.*] Quia per opera meliùs habet homo & in hoc sæculo, & in futuro.

12. [*Per Prophetiam.*] Prophetiam vocat inspirationem sancti Spiritus, per quam præsciebat quid de hoc & de cæteris esset acturus.

13. [*Presbyteri.*] Presbyteri pro Presbyterorum; pauciores enim tribus esse non possunt, & vocat Presbyterum Episcopum.

14. [*Attende.*] Id est, considera qualiter vivas, & qualiter doceas.

CAPVT QVINTVM.

D 1. SEniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, iuvenes, ut fratres; anus, ut 2. matres, iuvenculas, ut sorores in omni 3. castitate, 4. viduas honora, *dans eis necessaria de Ecclesiasticis*, quæ verè viduæ sunt, *remota ab omni cura sæculari*. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet. 5. discat, *id est, doceat*, primùm domum suam regere, & mutuam vicem *patri, & matri, sicut illi sibi* reddere 6. parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo. 7. Quæ autem verè vidua *à mundo separata* est, & desolata, *nihil habens*: speret in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus nocte, & die. *Illa autem speret in Domino*: Nam quæ in deliciis est, vivens *corpore*, mortua est *in anima*. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. 8. 9. 10. Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. 11. Vidua eligatur *ad ministerium Ecclesiæ* non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in, *de*, operibus bonis *factis* testimonium habens, *scilicet*, si filios educavit, si hospitio *peregrinos* recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne H

A opus bonum subsecuta est. Adolescentiores autem viduas *ad ministerium Ecclesiæ* devita 12. 13. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, *impinguata de Ecclesiasticis*, nubere *relicto castitatis voto.* volunt: habentes 14. damnationem, quia primam fidem, *votum, vel quam de castitate fecerunt promissionem*, irritam fecerunt. 15. Simul autem & otiosæ discunt circuire domos: non solùm otiosæ; sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet. 16. Volo ergo *ne iterùm redeant ad sæculum* iuniores nubere, filios procreare, matres-familias esse: 17. nullam occasionem dare adversario, *quò possit eas sibi vindicare*, maledicti gratia. Iam enim quædam conversæ sunt retrò Satanam, *sequentes illum.* Si quis fidelis habet viduas, *apud se congregatas*, subministret illis, *id est, ut dederit unde illas regat*, non gravetur Ecclesia *subministratione earum*: ut iis, quæ verè viduæ sunt, sufficiat. Qui bene præsunt Præsbyteri, duplici honore digni habeantur, *verbis, & rebus honorentur: vel maiori, quam alij*: maximè qui laborant in verbo, *ad mores*, & doctrinâ, *ad fidem.* Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti, & dignus est operarius mercede sua. 18. Adversus Presbyterum accusationem *cuiusuis* noli recipere, nisi sub duobus, aut 19. tribus testibus. 20. Peccantes coram omnibus argue: ut & cæteri timorem habeant. Testor coram Deo, & Christo Iesu, *adiuro teste Deo*, & electis Angelis, *non reprobis*, ut hæc custodias sine præiudicio, *diiudicatione, id est, discretione*, nihil faciens in alteram partem declinando, *qua declinanda sit* Manus citò nemini *ad gradus Ecclesiasticos dandos* imposueris, *neminem citò ordinaveris*, neque 21. communicaveris peccatis alienis. 22. Teipsum castum custodi. 23. 24. Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates (*ad hoc quod dixit, sine præiudicio nihil faciens*) 25. 26. 27. Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, *ante discussionem*, præcedentia ad iudicium: *qui latenter peccant, eorum peccata in ipsius iudicij discussione manifestantur*: quosdam, *vel quorumdam* autem & subsequuntur, *quidam quidem antè, quidam post disquisitionem*: similiter & facta bona manifesta sunt: & quæ 28. aliter se habent, (*id est, quæ mala sunt, vel bona, quæ manifesta non sunt*) abscondi non possunt. E

B F

COMMENTARIVS.

C

1. AMBROS. [*Seniorem ne increpaveris*] Vult dicere nulli invehas te, neque sis acerbus aut amarus.

2. LANFRANCVS, [*Seniorem*] Non tantum ætate, quantum moribus seniorem oportet hic intelligi: de qua senectute Salomon dicit: *Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata.*

3. [*Castitate*] In alloquio iuvencularum, rectissimè iuvenis de omni castitate admonetur; ut nec saltem minima titillatione moveatur.

4. AMBROS. [*Viduas honora*] Id est, Ecclesiasticis bonis ale.

5. [*Discat*] De filiis ac nepotibus dixit, non de viduis

6. LANFR. [*Parentibus*] Parentes vocat, quos superius filios & nepotes vocavit. Tota progenies parentela dicitur: unde & in mundana lege parenti & à parente iam succedere iubentur, quibus mutuam vicem reddere, & in * servitutis eorum subsidia & adminicula rependere.

f. * senectute, vel servitiis.

D

f. * cui.

7. [*Quæ verè vidua*] Verè vidua est, quæ & moribus ornata est, & neminem habet * qui diligentiam adhibeat.

8. [*Si quis autem suorum*] Melius est veritatem ignorare, quam cognitam postponere; quod facit qui suos non curat.

Lib. 19. de Civit. Dei, c. 14 tom. 5.

9. AVGVST. [*Siquis autem*] Ad eos quippe habet opportuniorem, facilioremque aditum consulendi, vel naturæ ordine, vel ipsius societatis humanæ.

10. AMBROSIVS, [*Siquis autem*] Hoc ad illud refertur: *Si qua vidua filios ac nepotes habet*, discant.

f. * ad illud.

11. [*Vidua eligatur*] Redit * aliud, *Viduas honora.*

12. [*Cum enim luxuriatæ*] Hoc est, ubi fuerint inter viduas receptæ, & Ecclesiasticum sumptum consecutæ.

13. LANFR. [*Cum enim luxuriatæ*] Ratio cur devitandæ sint; quia sæpe contingit, ut relicto proposito castitatis, per multos amatores luxurientur; & post multam luxuriam in Christo nubere, id est, * copulare viris legitimis volunt.

f. * copulari.

G

14. AVGVSTINVS, [*Habentes damnationem*] Ut * voluntate, quæ à proposito * cedit, appareat esse damnatam, sive subsequantur nuptiæ, sive desint.

Lib. de bono viduit. c. 9. al. * voluntatē. al. * cecidit.

15. AMBROS. [*Simul autem*] Quoniam nullam habentes sollicitudinem temporalium, dum securè assequuntur quæ usui sunt necessaria, discunt & ipsa largitate studere otiositati.

16. [*Volo ergo*] Ut iuventutis impetus erga plurimam sollicitudinem occupatæ possint compescere.

17. [*Nullam occasionem*] Illis qui nobis derogare properant.

18. (*Adversus presbyterum*] Prospexit ergo Apostolus quam facilè adversus presbyteros accusationes adnasci possunt, eo quòd interdum increpant obnoxios pro amissis deliciis.

19. LANFR. [*Tribus testibus*] Id est, nisi accusator habeat duos aut tres testes criminis, quod contendit.

20. AVGVST. (*Peccantes*) Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus; ipsa corripienda sunt secretius, quæ secretiùs peccantur.

H

Lib. de verb. Dom. Serm. 16 cap. 7.

21. LANFRANCVS,] *Communicaveris*] Qui indignum ordinat; peccatis ordinati & ipse communicat.

22. [*Te ipsum castum*] Quasi diceret, qui indignos iubetis repellere, te ipsum debes in vitæ munditia custodire.

23. [*Noli adhuc aquam*] Quia castitatem servandam præcepit, ne immoderatam abstinentiam vel augere, vel tenere vellet, hoc subiungit. Vel quia infirmatus fuerat, nec dum ad plenum convaluerat. Vel ideo dicit adhuc cum iuvenis sis, donec maioris sis ætatis.

24. AMBROS. [*Noli adhuc aquam bibere*] Contemplatione continentiæ adhuc aquam bibebat;

&

A & quia frequenter aliorum causa, talia agimus, ne videamur indifferentes esse erga conversationem, bene adiecit.

25. (*Quorundam hominum*) Vult dicere, quia sicut delinquentium hominum non rectè intuentium delicta manifestata sunt, quæ illis in futuro sæculo pœnas sunt provisura; licet faciant aliqua quæ multos latere potuerunt: sic & de illis qui rectè vivere instituerunt, plurima quidem illorum manifestata sunt hominibus. Sunt etiam multa quæ lateant multos: hoc enim significat dicens: *& quæ aliter se habent, & abscondi non possunt.* Vtere vero vino pro ipsa infirmitate, sciens & illa quæ homines coniiciunt, etsi rectè vivamus, bona esse, plurima ex parte perspiciantur, nec vllam ex his nocuitatem sustinebimus; licet videantur multi actus nostri à multis ignorari.

B Lib. 2. de ser. Do. in mõte. cap. 18. 26. AVGVSTINVS, [*Quorundam hominum*) Manifesta ea dicit, de quibus clarum est, quo animo fiant: hæc præcedunt ad iudicium, id est, quia si fuerit ista subsecutum, iudicium non est temerarium. Subsequuntur autem illa quæ occulta sunt; quæ nec ipsa latebunt tempore suo. Sic & de bonis factis intelligendum est: nam ita subiungit: *Similiter & bona facta manifesta sunt, & quæcumque aliter se habent, abscondi non possunt.* De manifestis ergo iudicemus. De occultis vero, iudicium Deo relinquamus: quia & ipsa abscondi non possunt, sive bona, sive mala, cum tempus advenerit, quo manifestentur. E

27. LANFRANC. [*Quorundam hominum*] Causam supponit cur manus nemini citò sunt imponendæ. Iudicium autem vocat Concilium, Synodum, seu aliquem locum, in quo fit discussio personarum: *Quorundam*, inquit, *hominum peccata ita manifesta sunt*, ut eorum fama vel notitia prius perveniat ad iudicium, quam ipsi infames qui veniant ad ordinandum. Quædam autem peccata sua ad iudicium subsequuntur; quia tunc primum manifestantur, cum ordinandi discutiuntur.

F 28. (*Aliter se habent*) De quibus peccatis hic intelligendum est; non enim omnia in ipsa discussione panduntur: plurima namque aliquando latent.

CAPVT SEXTVM.

QVicumque sunt sub iugo *hominis fidelis* servi *Christiani*, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, 1. ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, 2. quia fratres sunt, sed magis serviant, quia fideles sunt, *domini eorum, vel ipsi*, & dilecti *à Deo*, quia beneficij participes sunt, *Christianæ religionis, vel humaniores.* Hæc doce, & exhortare. Si quis aliter docet, (*eum devita*) & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, *anathema sit*, & ei, quæ secundùm pietatem, *religionem*, est, doctrinæ: superbus est, nihil sciens, 3. sed languens (*quia nescit solvere quæ proponit*) circa quæstiones, & pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, *an alter alteri malignè opponat*, suspiciones malæ, G conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati sunt, 4. existimantium 5. quæstum *temporalem* esse pietatem, *religionem*, *prædicationem.* 6. Est autem quæstus (*æquivocè quæstum accipit*) magnus, pietas cum sufficientia, *fides cui sufficit quod à Deo datur. Ratio cur sufficere debeat, quod impræsentiarum est.* Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quia nec auferre quid possumus, *nec ista sunt nostra, non enim nobiscum deferemus.* Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. *Nec curemus ditari*, Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. 7. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam 8. quidam appetentes, erraverunt, à fide, & inseruerunt se doloribus multis. 9. Tu autem ô homo Dei, hæc fuge; sectare verò iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, *quod pro fide Christiana certandum est: sic certando* apprehende vitam æternam, in qua, *ad quam habendam*, vocatus es, & confessus bonam confessionem, *Catholicam fidem*, coram multis testibus, *in baptismi die, vel in susceptione Presbyterij.* Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Christo Iesu, qui testimonium reddidit 10. sub Pontio Pilato *non erubescens* bonam confessionem, *Patrem scilicet:* ut serves 11. mandatum H sine macula, (*non erubescas coram regibus evangelicum præceptum, de quo in Psalmo: lex Domini immaculata*) irreprehensibile, usque 12. in adventum Domini nostri Iesu Christi: quem suis, *congruis*, temporibus 13. ostendet *Deus* beatus, & solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium: qui solus habet 14. 15. immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum *permanens in hac corruptibilitate* vidit, sed nec 16. videre potest: cui honor, & imperium sempiternum. Amen. Divitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, *in divitiis gloriari*, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum *non congregandum*) *ad hoc scilicet, vel præcipe* benè agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare *proximis indigentibus*, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. O Timothee, 17. depositum, *fidem, Episcopatus gratiam*, custodi, devitans prophanas vocum novitates, *deceptivas propositiones*, & oppositiones falsi nominis scientiæ, (*artem sophisticam dicit*) quam quidam promittentes, *profitentes*, circa fidem exciderunt, *in hæreses.* Gratia tecum. Amen.

C

D

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Ne nomen Domini, &c.*) Blasphemaretur nomen Dei, & doctrina, si propter quod humiliari deberent, superbirent, & dominos contemnerent.

2. [*Quia fratres sunt*) Per hoc videbantur pares esse servi & Domini; quia Christiani vtrique, ac per hoc servi contemnebant dominos.

3. AMBROS. [*Sed languens* · Langoorem dicit cogitationum eorum, eo quod relinquentes pietatem ad quæstiones evoluebantur.

4. LANFR. (*Existimantium*) Existimabant Christum esse colendum tantummodo propter lucra huius vitæ.

5. (*Quæstum esse*] Ad hoc se pios exhibent, vt terrena assequantur, quibus sua non sufficiunt.

6. [*Est autem quæstus*) Quasi diceret, est quidem religio Christiana quæstus, sed non qualem ipsi putant; sed magnus, id est, æternus.

7. [*Radix omnium malorum, &c.*] Avaritia, id est, cupiditas divitiarum infert hæc mala, nec mirum, quia cupiditas omnium est radix malorum.

8. AMBROS. [*Quidam appetentes*) Pro illis quæ sibi acciderunt

9. (*Tu autem ò homo Dei*] Apertè visus est eum exhortasse, hominem Dei illum dicens.

10. LANFR. [*Sub Pontio*) Quando dixit, *Omnis qui ex veritate est, audit meam vocem, &c.*

11. (*Mandatum*) Id est, evangelicum præceptum; de quo in Psalmo: *Lex Domini immaculata.*

12. AVGVST. (*In adventum*) Quem scilicet adventum Domini nostri Iesu Christi ostendet. Lib. 3. contra Maxim. Arrian. c. 12.

13. AMBROS. [*Ostendet beatus*) Beatum vocavit ad confirmationem invertibilitatis naturæ in nobis fundatæ, quæ illi est in natura potentiæ. Et regem ac dominum, quia potens est, & dæmones subiugare, & mortem adimere. Et lucem habitat, quia corpora Sanctorum illustrabit.

14. AVGVSTINVS, (*Immortalitatem* (Immortalitatem autem dicitur habere solus Deus. In omni enim mutabili natura, nonnulla mors est ipsa mutatio; quia facit aliquid in ea non esse quod erat. Ibid.

15. LANFR. [*Immortalitatem*] Id est, immutabilitatem: omnis enim creatura mutabilis.

16. [*Videre potest*] In hac vita intelligendum est, non posse ab hominibus videri Deum. Nam de alia scriptum est: *Videbimus eum sicuti est.*

17. [*Depositum*] Id est, spiritualia Charismata, quæ tibi Deus disposuit, id est, commendavit.

[*Pœnitentia*] Ordo. * Scientiæ falsi nominis artem sophisticam dicit, quæ falso nomine scientia dicitur; cum error & fallacia rectiùs diceretur. f. * scientiam.

EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI AD TIMOTHEVM II.

CVM INTERIECTIS BEATI Lanfranci Glossulis.

ARGVMENTVM.

ITEM *Timotheo scribit de exhortatione martyrij, & omni regulâ veritatis, & quid futurum sit temporibus novissimis, & de sua passione scribens ei ab urbe Roma.*

CAPVT PRIMVM.

PAulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, secundùm 1. promissionem vitæ, (*Apostolus prædicans promissionem vitæ æternæ, secundùm quod promisit Deus*) quæ est in Christo Iesu, *in fide Christi, non meritis:* Timotheo charissimo filio, gratia, misericordia, (*causa inter effecta sua posita, id est, gratiam, & pacem*) pax à Deo Patre, *ex quo genitus sum in Ecclesia, vel in massa sanctorum Patrum, ex quibus sum*, & Christo Iesu Domino nostro. 2. Gratias ago Deo, cui servio à progenitoribus *meis Anania, & aliis*, in conscientia pura, *non in hypocrisi*, quòd sine intermissione (*ecce unde gratias agit*) habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die desiderans te videre, memor lachrymarum tuarum, *desiderio mei effusarum*, ut gaudio implear, recordationem accipiens eius fidei, quæ est in te non ficta, quæ & habitavit primum (*bonus à bonis progenitus*) in avia tua Loïde, & matre tua Eunice, (*non facit mentionem patris, qui in Gentili errore permansit*) certus sum autem quòd & in te *habitet fides*. Propter quam causam admoneo te, (*hic innuit eum pigrum esse in prædicatione*) ut ressuscites (*torpebat enim præ timore*) 3. 4. gratiam Dei, *Episcopatus*, quæ est in te per impositionem manuum mearum. *Non debemus timere*, Nun enim dedit nobis Deus spiritum timoris; sed virtutis,

A E & dilectionis, & sobrietatis. Noli itaque erubescere, *timere*, testimonium, *prædicationem*, Domini nostri, neque me vinctum eius, *vinculatum*. 5. Sed collabora Evangelio secundùm virtutem Dei, *prout virtus Dei opitulabitur tibi:* qui nos liberavit, & 6. vocavit vocatione suâ sanctâ, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, & *secundùm* gratiam, quæ data est nobis *à Deo* in Christo Iesu ante tempora sæcularia, *in prædestinatione.* Manifestata est autem nunc *in tempore plenitudinis* per illuminationem Salvatoris nostri Iesu Christi, qui 7. destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, *illuminando dedit vitam*, & incorruptionem, *hanc incorruptibilem*, per Evangelium: in quo *prædicando* positus sum ego prædicator, & Apostolus, & magister Gentium. Ob quam causam etiam hæc *vincula* patior: sed 8. non confondor, *non erubesco.* Scio enim cui credidi, *pro quo patior* (*à simili creditoris sumptum*) & certus sum, *quòd non ero immunis*, 9. quia potens est depositum meum, *quod sibi deposui, id est, opus bonum, quod ego feci*, servare *& reddere* in illum diem. Formam habe sanorum verborum, *collabora Evangelio, vel esto habens formam verborum, quæ sanant*, 10 quæ à me audisti B F in fide *habendâ*, & in dilectione, in Christo Iesu. Bonum depositum, *doctrinam à me commendatam tibi*, custodi per Spiritum-sanctum, *per auxilium Spiritus-sancti*, qui habitat in nobis. *Vt firmus custodiat hoc, dies;* 11. Scis hoc, quòd aversi sunt à me omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est Phigellus, & Hermogenes. Det misericordiam Dominus Onesiphori (*qui à me non discessit, nec erubuit*) domui: quia sæpe me refrigeravit, *visitando me, & aliis modis, &* 12. catenam meam non erubuit: sed cùm Romam venisset, sollicitè me quæsivit, & invenit. Det illi Dominus *Pater* invenire misericordiam à Domino *apud Christum, quia omne iudicium dedit Pater filio*, 13. in illa die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti, *quàm alij, tu enim intereras.*

COMMENTARIVS.

1. AVGVST. (*Promissionem vitæ*) Hoc est Apostolos creatus sum, ut prædicem vitam per Christum promissam.

2. (*Gratias ago*) Deo cui servio; unde hoc ita se habet, quoniam sine intermissione memoriam tui habeo in orationibus. Ordo est: Gratias ago memor lachrymarum tuarum, ut gaudio implear: (ut) non causam, sed quod sequitur, significet.

C 3. (*Gratiam Dei*) Divinam donationem in ordinatione concessam.

4. LANFR. (*Gratiam Dei*) Gratiam Episcopatus admonet eum resuscitare; ut confidentiùs prædicet verbum Dei, non timens terrenas potestates, nec erubescens te dicere Discipulum crucifixi, & vincti: aliquantisper enim timidus & negligens erat.

5. AVGVST. (*Sed collabora*) Vt prædices virtutem Dei, qui nos salvos fecit.

6. LANFR. (*Vocavit vocatione*) Id est, invitavit, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos requiescere faciam.*

7. (*Destruxit*) Id est, perspicuè ostendit ubi esset vita & corruptio.

8. AMBROS. (*Non confundor*) Bene posuit, non confondor; quia dixerat; non erubescas.

9. (*Potens est depositum*) Id est, Perfectam spiritus gratiam, in qua spe ad præsens hanc spiritus gratiam, ut pignus, vel arrham assecuti sumus. G

10. LANFR. (*Quæ à me audisti*) Id est, cum insinuatem fidem & dilectionem quæ oportet habere in fide Christi Iesu.

11. (*Scis enim quòd*) Ad hoc ei istos commemorat, ut & ipse cautus sit, ne similiter sese avertat.

12. (*Catenam meam*) Consequenter hoc adiunxit; quia ad exhortationem eius dixerat, nec erubescas testimonium Domini.

13. *In illa die*) Quasi diceret, de quo semper loquor tecum.

CAPVT SECVNDVM.

TV ergo fili mi, *quia illi discesserunt*, confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu, *in fide Christi Iesu*: 1. & quæ audisti à me 2. per multos testes, *præsentibus multis testibus*, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Labora sicut bonus miles Christi Iesu, *non implicitus sæcularibus.* Nemo militans Deo implicat, *debet implicare* se negotiis sæcularibus: ut ei, *Deo*, placeat, cui se probavit, *placitarum elegit.* 111. Nam & qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitimè certaverit. 3. 4. Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus percipere. *Quasi metaphoricè loquor*, Intellige quæ dico: dabit enim *& faciet* tibi Dominus in omnibus intellectum. Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis, *natum* ex semine David, secundùm Evangelium meum, in quo laboro *prædicando* usque ad vincula, *quo usque vinciar*, quasi malè operans: *Ego quidem ligor*, sed verbum Dei 5. non est alligatum. Ideo, *ut Evangelium prædicem*, omnia sustineo propter electos *salvandos*: ut & ipsi salutem, *remissionem peccatorum*, consequantur, quæ est in Christo Iesu, cum gloria cælesti, *salutem, & gloriam futuram.* Fidelis sermo, *quem dixi, & dicturus sum, ut salutem, consequantur: quod & facient:* nam si commortui sumus *Christo*, & convivemus, si sustinebimus, *sicut ille*: & conregnabimus: si negaverimus, & ille negabit nos: si non credimus, 6. ille fidelis, *verax*, permanet, (*qui erubuerit me coram hominibus, & ego eum erubescam coram Patre meo*) negare seipsum non potest. Hæc commune, testificans coram Domino, *testem Deum*

adhibens.

A *adhibens.* Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium, *nisi contendas ut convertas, nihil utile est.* Sollicitè autem cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, *non erubescentem prædicare*, rectè tractantem verbum veritatis. Prophana autem *verba*, & vaniloquia devita: multùm enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum ut VI. cancer (*morbus*) serpit: ex quibus est Hymenæus, & Philetus, qui à veritate exciderunt, (*vel quia nullum crediderunt resurrectionem, nisi Christi, vel nisi mortalem in baptismo*) dicentes 7. resurrectionem esse iam factam, *Christo resurgente cum quibusdam, vel in baptismo*, & subverterunt quorumdam fidem. Sed (*qui templum Dei sunt*) 8. 9. firmum fundamentum Dei stat, (*ecce cur firmum*) habens signaculum hoc, *munimentum hoc quod à Deo cognoscuntur secundùm prædestinationem:* cognovit Dominus qui sunt eius: *& ideo stat:* &, discedat ab iniquitate omnis, qui invocat nomen Domini. 10. In magnâ autem domo, non solùm sunt vasa aurea, & argentea; sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam, *vitiosi, qui si mundentur, erunt vas.* Si quis ergo emundaverit se 11. ab istis, *supradictis:* erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum. Iuvenilia autem desideria fuge, *profana, & inaniloqaia devita:* sectare verò iustitiam, fidem, charitatem, & pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro. Stultas autem, & sine disciplina quæstiones devita: sciens quia generant lites. (*Ecce cur*) Servum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem; patientem, cum modestiâ corripientem eos, qui resistunt veritati; 12. ne quando, *ut ne corripientem* Deus det illis pœnitentiam, ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diabolo laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem, *Dei, vel diaboli, complendam.* E F B

COMMENTARIVS.

C 1. AMBROSIVS, [*Quæ audisti à me*) Quæ audisti à me, frequenter alios docere; hoc dicit, *per multos testes*

2. LANFRANCVS. (*Per multos testes*) Per multos, id est, inter multos. Vt Virgilius, via secta per ambas: id est, inter ambas. Vel ita: quæ audisti à me sunt probata per multos testes, id per multa testimonia scripturarum.

3. AMBROS. [*Laborantem*] Quia hortatus est, ut nullam illa sollicitudinem de sæcularibus habeat, necessitas flagitat humana de illis perquiri, quæ erga escam & indumenta sunt.

III. LANFRANCVS, [*Nam qui certat in agone*] Certa legitimè ut coroneris, à contrario: aliter non coronaberis, à simili: *Nam qui certat in agone, &c.*

4. (*Laborantem*) Timotheus iste exemplo Apostoli labore manuum suarum volebat vivere, & ab auditoribus, quibus verbum Dei prædicabat, nihil accipere, unde penuriam multam patiebatur, quia infirmus erat, & labori manuum vacare non poterat. Admonet ergo eum sub specie agricolæ, vt de agro quem colit fructum, vnde sustentet se, non aspernetur percipere.

D 5. [*Non est alligatum*) Quasi diceret; Me ligant, sed verbum Dei ligare non possunt; quia vbique prædico.

6. (*Ille fidelis*] Prædixit Dominus per Prophetas suos, magnam in urbem terrarum futuram Ecclesiam & populum grandem, in quo laudandus esset. Si ergo, inquit, nos non credimus; ille tamen verax est, seipsum, id est, verba sua à se prolata negare non potest, inventurus alios per quos, & in quibus laudetur.

VI. (*Cancer*] Morbus ad similitudinem animalis, quia sicut undique hic habet pedes, ita hic undique occupat. G

7. [*Resurrectionem*) Vel quo tempore Dominus resurrexit, & cum eo multa corpora mortuorum; vel in baptismo, in quo secundùm quemdam modum homines moriuntur, & resurgunt.

8. AMBROSIVS, (*Firmum fundamentum*) Ista ad consolationem eius videtur dixisse Apostolus, nequando det illis Deus, id est, ut veritatem prospicere possint.

9. LANFRANCVS, [*Firmum fundamentum*] Quidquid garriant hæretici, fundamentum Dei, id est, homo in quo fides Dei firmatur & fundata est, id non titubat, non vacillat, habens hunc signaculum, id est, hanc menti suæ impressam memoriam, *Cognovit Dominus, &c.* Per hoc enim & hæreses & omnia saluti contraria devitat; quia scit debere discedere ab omni iniquitate omnis qui invocat nomen Domini.

10. [*In magnâ autem*] Ne fortè miraretur quia à fide quidam discederent, similitudinem hanc facit. Quidam stant, quidam excidunt, nec omnes vnius modi sunt, sicut in magnâ domo. H

11. [*Ab istis*) Id est, à consortio istorum vasorum, quæ facta sunt in contumeliam.

12. [*Nequando det*) Ne, pro si, vel pro an: quod etiam in hac significatione præpositum reperitur.

CAPVT TERTIVM.

1. HOc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: *& erunt* homines seipsos amantes, cupidi, 2. elati, *ex non habitis*, 3. superbi, *ex his quæ habere videntur*, 4. blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, 5. tumidi, *cæci*, & voluptatum amatores magis, quàm Dei: habentes speciem quidem pietatis, *Christianæ religionis*, virtutem, *charitatem*, autem eius abnegantes. Et hos devita: ex his enim, *ex talibus*, sunt qui penetrant domos, *fures*, & captivas ducunt, *fornicatores*, mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur, *id est, seducuntur* variis desideriis: semper discentes, *illos dico*, & nunquam ad scientiam veritatis *Christi* pervenientes. Quemadmo-

dum

dum autem Iannes, & Mambres, *incantatores tharataiis*, restiterunt Moysi; ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, *à fide*. Sed ultrà non proficient, *diu non durabunt*, *destruet eos Dominus*, *& sic ostendet eos stultos fuisse, sicut supradictos*: insipientia enim eorum (*Domino hoc agente*) manifesta erit omnibus, sicut & illorum *Ægyptiorum incantatorum* fuit. *Illi nunquam ad scientiam pervenient*, Tu autem assecutus es meam doctrinam *in moribus*, institutionem *in fide*, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, passiones: qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconij, & Lystris: quales (*suspensivè*) persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dominus, *nec solùm ego sustinui*, *sed* & omnes, qui piè, *perfectè*, volunt vivere in Christo Iesu, 6. persecutionem patientur. Mali autem homines, & seductores proficient in peius errantes, & in errorem mittentes. Tu verò *quicquid illi faciant* permane in iis quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens à quo (*à me, non à prophano quolibet*) didiceris, & *poteris facere*, quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu. *Sacræ literæ, quas didicisti, possunt te instruere, quia* Omnis 7. 8. scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum *virtutes*, ad arguendum *vitia*, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, *talibè*: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Hoc autem scito, &c.*) Dum tempus est idoneum, & suscipiunt doctrinam, corrigantur; non enim hoc semper facient. Et hoc est quod dicit: *Hoc autem scito, &c.*

2. AMBROS. [*Elati*] Elati sunt qui iactant se habere quod non habent.

3. [*Superbi*] Superbi sunt qui magna sapiant pro illis quæ habere videntur.

4. [*Blasphemi*] Blasphemi, detractores, criminatores, delatores.

5. (*Tumidi*) Qui magna sapiunt in his quæ non habent.

6. LANFR. [*Persecutionem*] Hæc persecutio aliquando à vitiis, aliquando à dæmonibus, nonnunquam ab hominibus, sæpe ab omnibus.

7. [*Scriptura divinitus*] Ostendit quæ scripturæ arcem obtineant auctoritatis, videlicet quæ per spiritum prolatæ sunt.

8. AMBROSIVS, [*Scriptura*] Sive doceri conveniat * debent; sive peccantes debeant argui; sive pœnitentibus debeat inferri aliqua correptio; sive erudire oporteat de his quæ possunt adducere ad iustitiam. * forte cogi.

CAPVT QVARTVM.

TEstificor, *adiuro te*, coram Deo, & Iesu Christo, qui iudicaturus est vivos, & mortuos, & per adventum ipsius, & regnum eius: prædica verbum *Dei*, 1. insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientiâ, *exteriùs ostentâ*, *interiùs habitâ*, & doctrinâ, *verborum*, *& operum*. *Et sic oportebit*: Erit enim tempus, cùm, *quando*, sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, 2. prurientes auribus: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. *Quicquid illi*, Tu verò vigila, in omnibus labora, 3. opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto. 4. Ego enim iam delibor, *immolor*, & tempus resolutionis meæ instat. 5. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. 6. In reliquo, *& quid relinquitur? hoc scilicet*) reposita, *id est*, *servata*, est 7. mihi corona iustitiæ, *quam mereor iustitiam*, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & 8. iis qui diligunt 9. adventum eius, *boni*, *non metuentes damnationem in die iudicij*. Festina ad me venire citò. Demas enim me reliquit, diligens hoc sæculum, & abiit Thessalonicam: Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas est mecum solus. Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerium. Tychicum autem misi Ephesum. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, *meos*, maximè autem membranas. Alexander Ærarius (*narrat ei quid sibi Romæ contigerit*) multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundùm opera eius, quem & tu devita, *ne alloquaris*, valde enim restitit verbis nostris. In prima mea defensione, *qua me apud Neronem defendi*, nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. Dominus autem mihi astitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes: & *sic* liberatus sum de ore leonis, *Neronis*. Liberavit me Dominus ab omni opere malo: & salvum faciet in regnum suum cœleste: cui gloria in sæcula sæculorum. Amen. Saluta Priscam, & Aquilam, & Onesiphori domum. Erastus remansit Corinthi; Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Festina ante hyemem venire. Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes. Dominus IESVS-CHRISTVS cum Spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.

A

COMMENTARIVS.

In expofit. Epist. ad Galat. fub finem ut.4.

1. AVGVST. [*Insta opportunè*] Dupilci distinctione legi poteft. Insta opportunè, importune, argue, ut opportunus fentiaris, cum inftas ædificando: cum deftruis argnendo, non cures fi importunus videaris; & fic duo quæ fequuntur fuperioribus redduntur. Obfecra cum opportune inftas ædificandis. Increpa cum importunus in arguendo deftruenda videaris. Deinde duo quæ fequuntur, fuperioribus referuntur converfo ordine. In omni patientia ad fuftinendas indignationes eorum quos arguis: Et doctrina ad inftuenda eorum ftudia, quos ædificas. Alia diftinctio, infta opportunè: quod fi hoc modo non proficis, iosta importunè; id eft, etfi importunus illis videris, tu tamen opportunum fciens, quod facis, curam fanitatis eius animo teneas manfocto. Nullum enim medicamentum fanat, quod non opportune adhibeas.

B

2. LANFR. [*Prurientes*] Id eft, leves, inftabiles, nuva femper audire volentes.

E

3 [*Opus fac Evangelista*] Opus Evangelistæ eft, bene vivere, & bene dicere; moribus & verbis fubiectos inftruere.

4. [*Ego enim iam*] Quafi diceret. Ideo tam ftudiosè te moneo, quia in præfenti moriturus fum, te poftea non moniturus.

5. AMBROS. [*Bonum certamen*] Non ludens ifta fed ad exhortationem dixit Timothei.

6. LANFR. [*In reliquo*] Id eft, in reliqua æternitatis parte, quæ inftat.

7. AMBROS. [*Mihi corona*] Bene iuftitiæ coronam vocavit illam, quæ contemplatione laborum datur.

8. [*His qui diligunt*] Miraculi dignum quod non dixit, illis qui laboraverunt aut paffi funt; fed dixit qui diligunt; quia certaminum & paffionum tempus non femper eft.

F

9. LANFR. [*Adventum eius*) Adventum Chrifti diligunt qui à malis ceffant, & bona faciant: hi enim in die iudicij damnari non metuunt.

EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI AD TITVM.

CVM INTERIECTIS BEATI Lanfranci Gloffulis.

C

G

ARGVMENTVM.

TITVM *commonefacit, & inftruit de conftitutione Prefbyterij, & de fpirituali converfatione, & hareticis vitandis, qui in Traditionibus iud.ıcis credunt: fcribens ei à Nicopoli.*

CAPVT PRIMVM.

PAulus fervus Dei, Apoftolus autem, *nuntius*, Iefu Chrifti 1. *pradicando* fecundùm fidem, *vel non meritis*, electorum Dei; & 2. agnitionem veritatis, quæ 3. fecundùm pietatem, *Chriftianam religionem*, eft in fpem vitæ æternæ, quam *vitam* promifit, qui non mentitur, Deus, ante tempora fæcularia: manifeftavit autem temporibus fuis, *congruis*, 4. verbum fuum, *Chriftum, qui eft caufa illius vita*, in prædicatione, quæ credita eft mihi fecundùm præceptum Salvatoris noftri Dei: Tito 5. dilecto filio fecundùm (*determinat quomodo fit filius*) communem fidem, gratia, & pax à Deo Patre, &

D Chrifto Iefu Salvatore noftro. Huius rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut 6. ea quæ defunt, corrigas, *suppleas*, & conftituas per civitates Presbyteros, *Epifcopos*, ficut & ego difpofui tibi. Si quis 7. fine crimine eft, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accufatione luxuriæ, aut non fubditos. 8. Oportet enim Epifcopum fine crimine effe, ficut Dei difpenfatorem: non fuperbum, 9. non iracundum, non vinolentum, *effectus iracundia*, non percufforem, non turpis lucri cupidum: fed hofpitalem, benignum, fobrium, iuftum, fanctum, continentem, amplectentem, *adimplentem opere*, eum qui fecundùm doctrinam eft, fidelem fermonem, *doctrinam fcilicet Chriftianam veracem*: ut potens fit exhortari in doctrina fana, *fanante*, & eos, qui contradicunt, *inobedientes*, arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & feductores; (*Pfeudo, & incircumcifi quaftiones deceptoriè cateris faciebant*) maximè qui de circumcifione funt: quos oportet redargui: qui univerfas domos, *familias*, fubvertunt *à fide* docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis 10. proprius ipforum propheta, 11. Cretenfes femper mendaces, malæ beftiæ, ventres pigri. Teftimonium hoc *de Cretenfibus* H

verum

A verum eſt. Quam ub cauſam increpa illos durè, vt ſaoi ſint in fide, noo iotendenres iudaïcis ſabulis, & maodaris, *traditionibus*, bominum avertentium ſe à veritate, *volentium Iudaizare, à cibis abſtinere, quod non decet, quia* 12. 13. 14. Omnia muoda muodis: 15. coinquinatis aurem, & infidelibus nihil eſt muodum, ſed inqoioaræ ſunt eorum & meos, & conſcientia. Confiteotur ſe noſſe Deum, ſactis autem negant: cùm ſint abominati, *abiecti à Deo*, & incredibiles, & ad omoe opus bunum reprobi. E

COMMENTARIVS.

1. AMbros. (*ſecundùm fidem electorum*) Dicit Apoſtolus conſtitutus ſum, ut per me credant electi, ut vitam æternam aſſequi poſſint, quam dudum repræſentare præſumpſerant. In opus verò nunc produxit adventum Chriſti, quando optime ſe rem habere exiſtimauit.

2. Lanfr. (*Agnitionem veritatis*] veritas ſecundùm pietatem, id eſt, Chriſtianam religionem, eſt, creatorem creaturam factum hominem de Virgine natum, mortuum reſurrexiſſe, noſſe.

B

3. (*Secundùm pietatem*) Per quam habemus ſpem æternæ vitæ. Diceret quis, ſatis potes ſperare, & nihil coſequi: ad hoc reſpondet: *Quam promiſit Deus.* Iterum obiicienti ſpes aliquando fallit, adiungit: *qui non mentitur.*

4. [*Verbum ſuum*] Vitam æternam (quæ promiſſa & manifeſtata eſt) dicit eſſe Verbum Dei: *Ego ſum,* inquit, *via, & veritas, & vita.*

5. (*Dilecto filio*) Qui eſt filius meus, non ſecundùm carnem, ſed ſecundum Catholicam fidem, quam ei inſinuaui: Catholicum enim Græcè, commune vel univerſale dicitur Latinè.

6. Ambros. (*Ea quæ deſunt.*) Bene dicit quæ deſunt: nam pietatis ratio omnibus credita erat ab Apoſtolo.

Expoſit. Evang. Io. tract. 41. to. 9. 7. Avgvst. [*Sine crimine eſt*) Crimen autem eſt peccatum graue, accuſatione & damnatione digniſſimum.

G 8. Lanfr. [*Oportet Epiſcopum*] Hic aperte oſtendit presbyterorum nomine Epiſcopos deſignatos fuiſſe.

9. Ambros. (*Non iracundum*) Hoc eſt reminiſcentem iram, & per longi temporis ſpatia tenentem.

10. Lanfr. (*Proprius eorum Propheta*) Attende non ſolum Iudæos, ſed & Gentes habuiſſe Prophetas.

11. (*Cretenſes ſemper mendaces*) Tales eſſe eos confirmat auctor Epimenides Poëta Gentilis.

12. Ambros. [*Omnia munda mundis*) Quæ ad eſcam facta ſunt, nihil in ſe immundum habent; ſi tamen quis cum munda conſcientia velit inſumere. Si quis autem per ſuam incredulitatem habet conſcientiam coinquinatam, nihil mundum poterit illi eſſe, qui talis eſt. F

13. Avgvst. (*Omnia munda mundis*) Omnia munda ſecundùm naturam, in qua creata ſunt; non tamen omnia ſecundum ſignificationem munda primo populo Iudæorum, nec nobis omnia vel propter ſalutem, vel propter conſuetudinem humanæ ſocietatis apta ſunt, ſed cum ſua cuique redduntur & naturalem ordinem ſeruant, omnia munda ſunt mundis. L. 3. cont. ... to. 6.

14. Lanfr. (*Omnia munda*) Datur intelligi, quod ex mandatis ipſorum hominum, quidam cibi iudicarentur immundi.

15. Avgvst. (*Coinquinatis*) Immundos dicit Apoſtolus quod carnaliter ſaperent; & infideles quod tempus gratiæ à legis tempore non diſcernerent, quibus ideo dicit nihil mundum; quia & his quæ * reſpuebantur, & his quæ ſumebant non ſanctè, non iuſtè vtebantur. Ibidem. al. * reſpuebant.

G

CAPVT SECVNDVM.

TV aotem loqoere quæ doceot ſanam doctrinam. *Admone* Senes, ut ſobrij ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, io patientia: *admone* anus ſimiliter *vt ſint* io babitu ſancto, non crimioatrices, noo multo vino ſeruientes, benè docentes: ut prudentiam doceaot adoleſcentulas, ut viros ſuos ameot, filios ſuos diligant, *ſe exhibeant* prudeotes, caſtas, ſobrias, domus curam habenres, beoigoas, ſubditas viris ſuis, vt non blaſphemetur verbum Dei. Iuuenes ſimiliter bortare vt ſobrij ſint. Io omnibus teipſum præbe exemplum booorum operum, io doctrioa, in iutegritate *vita*, in grauitate *morum* verbum ſanum, *ſit tuum* irreprehenſibile: ut is, qui ex adverſo eſt, *infidelis, vel diabolus*, vereatur, oihil habeos malum dicere de nobis. *Admone.* Seruos domiois ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, noo contradicentes, non fraudantes, ſed in omoibus fidem booam oſteodentes: 1. ut doctrinam Saluatoris noſtri Dei 2. oroeot,
D *ornatè habeant*, in omnibus *actis, & dictis. Eſt ne aliqua doctrina? eſt hæc quâ dicit:* 3. Apparuit eoim gratia Dei, & Saluatoris noſtri omnibus bominibos, erudiens nos, ur abnegantes 4. impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in boc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & adventum 5. gloriæ magui Dei, & Saluatoris ooſtri Ieſu Chriſti? qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem booroin operum. Hæc loqoete, & exhortare, & argue cum omni imperio, *ita te habe, ut* 6. Nemo te contemnat. H

COMMENTARIVS.

1. LAnfr. (*Vt doctrinam*) Hoc ad omnia ſuperiora refertur, ex eo loco, quo dicit: *ſenes vt ſobrij ſint.*

2. (*Ornent in omnibus*) Ornamentum doctoris eſt, honeſta vita diſcipulorum.

3. [*Apparuit enim omnibus*] Quaſi diceret: Doctrinam Chriſti ornare oportet omnis, cui gratia Dei, id eſt, remiſſio peccatorum & vita æterna in promptu eſt, omnibus ornantibus eam.

A 4. (*Impietatem*) Id eſt, idololatriam & culturam dæmonum.

5. (*Gloria*) De hac gloria dicitur in Evangelio ſecundum Matthæum: *Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, cum Angelis ſuis.* Et eſt ordo, gloriæ Ieſu Chriſti magni, &c. B

6. Ambros. (*Nemo te*) Contemnat te nemo dicit. Si valdè ſit aliquis ferox, arguas eum peccantem.

CAPVT TERTIVM.

ADmone illus Principibus, & Puteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne
opus bonum paratos eſſe, neminem blaſphemare, non litigioſos eſſe, ſed mode-
ſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines. 1. 2. Eramus enim ali-
quando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis, & voluptatibus variis,
in malitia, *rapina*, & invidia agentes, odibiles, *odio digni*, odientes invicem. Cùm autem
benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ
B fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, 3. per lavacrum rege- F
nerationis, *vel lavacri regenerationem*, & renovationis, *renovationem*, Spiritus ſancti,
quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Salvatorem noſtrum: ut iuſtificati gra-
tia ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ. Fidelis ſermo eſt, *quem dixi*: &
4. de his volo te 5. confirmare: ut curent, *ſcilicet eos, qui credunt Deo*, 6. bonis operibus
præeſſe qui credunt Deo. Hæc ſunt bona, & utilia huminibus. Stultas autem quæ-
ſtiones, 7. genealogias, 8. contentiones, & pugnas legis devita: ſunt enim inutiles,
& vanæ. Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam corrnptionem devita: ſciens quia
ſubverſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cùm ſit proprio 9. iudicio condemna-
tus. Cùm miſero ad te Arteman, aut Tychicum, feſtina ad me venire Nicopolim: ibi
enim ſtatui hyemare. Zenam legiſperitum, & Apollo ſollicitè præmitte, *Nicopolim ad
miniſterium illorum*; ut nihil illis, *Arteman, & Tychico* deſit. Diſcant autem, *Arteman, &
Tychicus*, & noſtris bonis operibus præeſſe ad uſus neceſſarios, *impendendo aliis ſimiliter*, ut
non ſint infructuoſi. Salutant te, qui mecum ſunt omnes. Saluta eos, qui nos amant in
fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARIVS.

C 1. AMbros. (*Eramus enim*) Obiiciebant vero ei quorumdam impietatem, ob quam multi fidelium bonum exiſtimabant, ſi adverſus huiuſmodi litem exercerent.

2. Lanfr. (*Eramus enim*) Quaſi diceret. Nulli ſpernendi, etiamſi inſipientes ſint & increduli; quia aliquando eis ſimiles fuimus: ſed per gratiam Dei ſalvati fuimus.

3. (*Per lavacrum*) Per baptiſmum dicit, in quo regeneratur, & renovatur homo adveniente in eum Spiritu ſancto, per quem fit remiſſio peccatorum.

4. Ambros. (*Et de his volo*) Neceſſarium utique, ut ipſe cum multa fiducia de his doceas, & conſilium des illis, qui crediderunt Deo; quatenus diligentiam convenientium adhibeant. Et omnia iſta ad illud reddidit, quod ſuperiùs dixerat commune eos principatibus & poteſtatibus ſubditos eſſe.

5. Lanfr. (*Confirmare*) Ordo Confirmare, * ſed eos qui credunt Deo, ut curent, &c. G f. * ſcibent.

6. (*Operibus*) Id eſt, ut ſtudeant maiora operari, ſicut in maiori loco conſtituti.

8. (*Genealogias*) Genealogias Chriſti aliter computabant quidam, quam Evangeliſtæ & Apoſtoli; quos vitandos potius, quam confutandos præcipit.

7. (*Contentiones*) Contentiones & pugnæ legis erant inter Iudæos & Chriſtianos; illis ad literam, his ad ſpiritualem intelligentiam legem oportere intelligi contendentibus.

9. (*Iudicio*) Proprio iudicio ſe condemnat, qui errorem laudat, vituperat veritatem.

D

H

EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI AD PHILEMONEM.

CVM INTERIECTIS BEATI Lanfranci Glossulis.

B F

ARGVMENTVM.

PHILEMONI *familiares literas facit pro Onesimo servo eius, scribens ei ab urbe Roma de carcere, per ipsum Onesimum.*

CAPVT PRIMVM.

PAulus 1. vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater; 2. Philemoni dilecto, & adiutori nostro, & Appiæ *uxori* sorori charissimæ, & Archippo *filio eius* commilitoni nostro, & Ecclesiæ, quæ in domo tua est. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis, audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Iesu, *quam charitatem habes* & 3. in omnes sanctos: 4. ut communicatio fidei tuæ evidens fiat, in agnitione omnis operis boni *patrati*, quod est in vobis, *vel nobis*, 5. in Christo Iesu, *ad Christi honorem.*
C Gaudium enim (*alia ratione reddit gratias*) magnum habui, & consolationem in charitate, quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater, *sanctos refecisti dando de tuis.* G
Propter quod, *id est charitatem tuam*, 6. multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi quod ad rem pertinet: propter charitatem magis obsecro, 7. cùm sis 8. talis, ut *ego* Paulus senex, nunc autem & vinctus Iesu Christi: obsecro te pro 9. meo filio, quem genui, *baptizavi*, in vinculis, 10. Onesimo, qui tibi 11. aliquando inutilis (*temperativè*) fuit, nunc autem & mihi 12. & tibi utilis *erit*, quem remisi tibi. Tu autem illum ut mea viscera suscipe: quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi 13. ministraret 14. in vinculis Evangelij: sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut, *ut non*, ex necessitate, *exactoriè* bonum tuum esset, sed voluntarium. Forsitan enim ideò discessit ad horam à te, ut 15. 16. æternum, *hic & in futurum fideliter* illum reciperes: iam non 17. ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, maximè, *valde*, mihi, quantò autem magis tibi, & 18. in carne *servus*, & in Domino? *in fide firma.* Si ergo (*adiurativè*) habes me 19. socium, suscipe illum sicut me: si autem aliquid, *detrahendo res tuas*, nocuit tibi, aut debet; hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quod & teipsum mihi debes: 20. ita frater. Ego 21. te fruar in Domino: refice viscera mea, *hunc* in Domino. Confidens in
D obedientiâ tuâ scripsi tibi: sciens quoniam & super id, quod dico, (*vel liberum, vel aliud bonum*) facies. H
Simul autem & para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis. *Veniam enim ad te.* Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Iesu, Marcus Aristarchus, Demas, & Lucas adiutores mei. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. (*Vinctus Iesu Christi*) In præsenti negotio neque servum Christi, neque Apostolum se * dixisse, sicut erat consuetudo scribendi: nam de spiritualibus negotiis scribebat, & nunc de his quæ in potestate Philemonis erant. Et illud magis proponendum censuit quod valde suadere poterat, quia pro aliorum salute habebatur in vinculis.

E° dixit.

2. (*Philemoni*) Marito iunxit uxorem, deinde filium Philemonis & Appiæ, nec cæteros qui pertinebant ad eos, fraudavit salutatione.

3. (*In omnes sanctos*) Ex hoc illud cognoscitur. Nam erga sanctos charitas in operibus demonstrata, affectum, quem erga Deum habes, comprobat. Vnde & optimè adiecit; *Vt communicatio fidei tuæ perfecta fiat in agnitione omnis boni.*

4 LANFR. [*Vt communicatio*] Id est, communicans fidei nostræ fides tua.

A
5. (*In Christo*) Qui me Apostolum fecit.
6. AMBROSIVS, (*Fiduciam multam*) Non dixit potestatem habeo præcipiendi, sed fiduciam. Non dixit propter apostolatum, sed propter charitatem, quam erga omnes habebat. Qui enim erga omnes sanctos sic liberalis est, nonquam hanc gratiam postulatam dare pigebit.
7. [*Cum sis talis ut Paulus*] Omne quod summum bonum intelligi poterat, hoc erat in Paulo. Adiciendo seniorem & vinctum, ad reverentiam eum invitavit.
8. LANFRANC. [*Talis*] Senex erat iste sicut Apostolus, & ideo non vult sibi imperare, sed obsecrare: ipse enim superiùs dixit: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.*
9. AMBROSIVS, [*Pro meo filio*) Bene primum dixit, * propositis eius mutabilitatem, ac sic posuit nomen, eo quod sciret non bene habere de illo Philemonem, propter pristinam eius mutabilitatem.

f. * proposita eius mutabilitate.

B
10. LANFRANCVS, [*Onesimo*) Onesimus iste servus Philemonis erat, qui fugiens dominum suum, quædam furatus est: sed veniens Romam ab Apostolo baptizatus est; quem remittens pro eo nunc rogat.
11. AMBROS. (*Aliquando*] Adiecto aliquando alium esse hunc ostendit ab illo, qui dudum.
12. [*Et tibi*) In primis dixit; tibi, ut non videatur alienum servum subtrahere ab eius Domino. Quod dixit, tibi, * contemplatio obsequij dixit; quod autem, mihi, secundùm correptionem eius dixit.

f. * contemplatione.

E
13. [*Ministraret*] Vult dicere; etiamsi hoc fecissem, tuum lucrum erat, ut is mihi ministraret. Nam si servus tuus ministraret mihi mercedem utique tibi adquirebat. Nec dixit pro te, sed pro tuo commodo.
14. LANFR. [*In vinculis Evangelij*) Id est, quæ sustineo propter Evangelium, quod prædico.
15. [*Æternum*) Id est, æternaliter tecum futurum, ut non dicam tibi. Astutè rogat ut quod servus ei debet, sibi dimittat. Quasi diceret; possem dicere quod non solùm hoc, sed & teipsum debes mihi, sed nolo.
16. AMBROSIVS, (*Æternum*] Evidens est quoniam in fugam versus est arbitrij per pravitatem. Ex his vero quæ facta fuerant occasione accepta, dixit eum recessisse, ut melior fieret; præbebat enim firmitatem verborum eius, exitus ipsius negotij. Vnde nec definitivè, sed dubitativè dixit. F
17. (*Vt servum*] Hoc est recipias eum non solum servile obsequium persolventem.
18. (*In carne*] Statum hunc temporalem dixit, qui in præsentia habetur.
19. [*Socium*] Si, inquit, existimas nobis omnia esse communia, recipe hunc, eo quod eum recepi.
10. (*Ita frater*) Pro adiucatione posuit.
21. (*Te fruar*) Hoc est sic videam te in omnibus illis, quæ secundùm Deum sunt, profectum habentem spiritualem, quod meum æstimo esse lucrum.

G

C
EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI AD HEBRÆOS.

CVM INTERIECTIS BEATI Lanfranci Glossulis.

ARGVMENTVM.



IN primis dicendum est, cur Apostolus Paulus in hac Epistola scribenda non servaverit morem suum, ut vel vocabulum nominis sui, vel ordinis describeret dignitatem. Hac causa est, quòd ad eos
D
scribens, qui ex circumcisione crediderant, quasi Gentium Apostolus, & non H
Hebræorum; Sciens quoque eorum superbiam, suámque humilitatem demonstrans, meritum officij sui noluit anteferre. Nam simili modo etiam & Ioannes Apostolus propter humilitatem in Epistolâ suâ nomen suum eàdem ratione non prætulit. Hanc ergo Epistolam fertur Apostolus ad Hebræos conscriptam Hebraicâ linguâ misisse. Cuius sensum, & ordinem retinens Lucas Evangelista post excessum Beati Pauli Apostoli Græco sermone composuit.

CAPVT PRIMVM.

1. 2. MVltifariàm, 4. multisque modis *factis* olim Deus loquens Patribus in Prophe-
3. tis. *per Prophetas*: novissimè diebus istis 5. locutus est nobis 6. in filio, *per filium*

in

A *in eo, quòd homo*, quem constituit 7. hæredem universorum, (*qua tunc per ipsum facta sunt*) per quem fecit & sæcula, *secundum quod Deus*. 8. Qui cùm sit splendor gloriæ, (*procedens à Patre, vt splendor à Sole, non tamen diversus, sed eandem habens substantiam*) & 9. figura, *veritas*, substantiæ eius, portánsque, *regens*, omnia verbo virtutis suæ, *iussu potenti*, 10. 11. purgationem peccatorum faciens, *non tamen portans peccata, sed deijciens*, 12. sedet ad dexteram majestatis (*cum dexteram, nec sinistram Deus habeat, æqualitatem eius, & filij, dextera sedem appellamus*) in excelsis: tantò melior Angelis effectus, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, 13. 14. hodie, *in æternum*, genui te? *Nulli itaque*. Et rursum, *cui Angelorum dixit*: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium? 15. Et cùm iterùm *Pater* 16. introducit, *introducere disponit, id est, incarnari*, primogenitum in orbem terræ, dicit: 17. Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et 18. ad Angelos, *de Angelis*, quidem dicit: Qui facit Angelos (*dum sunt missi*) suos, spiritus, & ministros suos, (*dum assistunt Deo*) flammam ignis. Ad filium autem: *per Prophetam*, 19. 20. Thronus tuus Deus *Fili*, in sæculum sæculi: virga æquitatis, 21. virga regni tui. 22. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: (*item dignior est, quia maiori dono Spiritus sancti vnctus est, quàm alij sancti; nam scriptura dicit:*) 23. Propterea vnxit te *ô* Deus, Deus E
B tuus, oleo exultationis, *spiritualis gratia, qua lætificat*, præ 24. participibus tuis, *plus alijs sanctis*: Et, tu *Fili* 25. in principio (*ne videretur posterior: vel tu Pater in Filio, qui est principium*) Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum, *Filij, qui est manus Patris, vel ad literam*, sunt cœli. 26. Ipsi peribunt, *mutabuntur*, tu autem permanebis, & omnes ut vestimentum veterascent: Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. (*Item probat, quia dignior est, vt supra.*) Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, quoadvsque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? 27. Nonne omnes, sunt 28. administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, *fideles*, qui hæreditatem capiunt salutis? F

COMMENTARIVS.

1. LANFR. [*Multifariam, &c.*] Conscius indignationis & invidiæ eorum audito nomine Pauli Apostoli, solitâ cessat salutatione; etsi ideo eius Epistola denegatur, quia eius nomine non titulatur, nullius esse, simili ratione probatur.

2. [*Multifariam.*] Vt de Propheta cui præcepit *a* uxorem accipere fornicariam. Et de illo cui præcepit *b* ponere lumbare sub lapide, & post quadraginta dies visere, quod visens invenit quia computruit. Et de illo cui præcepit *c* panem suum tegere humano fimo; sed quia non posset comedi, post præcepit tegi bovino.

C
a Osee 1 a. 2.
b Iere. 13 a. 7.
c Ezech. 4 a. 13.

3. [*Multifariam.*] Id est, aliquando prospera, aliquando adversa prædicens: aliquando Prophetarum verbis, & aliquando eorum factis futura ostendens.

4. AMBROS. [*Multisque modis.*] Tota intentio B. Apostoli in Epistola, Hebræos ad fidem Christi convocare, eminentiámque gratiæ, quæ per filium data est, à legalibus discernere verbis.

5. LANFR. [*Locutus est nobis in Filio, &c.*] Commendato Filio, commendat novum Testamentum ab ipso datum; & humiliatis Angelis, humiliatur per illos vetus datum.

D

6. AMBROS. [*In filio.*] Quasi diceret per Filium, sicut in multis locis Epistolarum invenitur præpositionibus indifferenter uti.

7. [*Hæredem.*] Hoc est Dominum totius mundi; nec iam portio Domini tantùm Iacob, & sors eius Israël, sed sicut in Psalmo de eo legitur: *Postula à me, & dabo tibi gentes, &c.*

8. [*Qui cum sit splendor.*] Vbique quidem religionis nobis est opus intellectus; maximè autem ubi de Deo aut loquimur, aut audimus. Oportet autem vbi sermo deficit, vel cogitatio, glorificare nos Deum, quòd talem Deum habemus, qui & intellectum transcendit & cogitationis intuitum. Meritò autem splendorem eum dicit, qui est lux mundi, lumen de lumine, insinuans nobis Patrem. Per splendorem autem unitatem declaravit essentiæ; & duas aperuit personas in gloria & splendore.

9. [*Figura substantiæ.*] Hæc figura æqualitatis præbet indicium, & figuram dicit quod alio loco formam: *Qui cum in forma Dei esset.*

10. LANFR. [*Purgationem.*] * Apertè Patrem exhibendo humanitatem, quam assumpsit pro nobis. f. *aperte, vel apud.

11. AMBROS. [*Purgationem.*] Ad humilia incarnationis descendit dicens: purgationem peccatorum faciens per passionem.

12. [*Sedet.*] De resurrectione & ascensione eius nos instruit. Per dexteram autem magnitudinem demonstravit honoris. G

13. LANFR. [*Ego hodie.*] Id est, in hac æternitate, nec melius potuit exprimi æternitas, quæ continuaverit.

14. [*Ego hodie genui te, &c.*] Probatur filius esse: nam ipse est Pater, quia ipse dicit, quod est, *Ero illi in Patrem, & ipse erit, &c.*

15. [*Et cum iterum.*] Ordo. Et cum introducit, &c. Iterum dicit.

16. [*Introducit primogenitum, &c.*] Item probatur quia dignior est Angelis: nam adoratur ab eis, & omnis qui adoratur, dignior est adorante. Deinde etiam probatur ipsos esse indigniores, qui ministrant ei, & hoc auctoritate, quod est, *& ad Angelos, &c.* Et, *qui facit Angelos, &c.*

17. [*Et adorent.*] Incarnatum Verbum adorare admonendi erant Angeli, in ipsa divinitate admonitionis non indigebant. H

18. [*Ad Angelos.*] Ordo. Qui facit spiritus suos Angelos, & flammam ignis suos ministros.

19. [*Thronus tuus Deus.*] Item probatur dignior, nam Thronus, id est, sedes eius & sceptrum eius manet in æternum, quod non est Angelorum.

20. AMBROSIVS. [*Thronus tuus.*] Thronus Dei ad iudicium pertinet futurum: in sæculum sæculi ait, quia novissimum iudicium æterna discretione stabit.

21. [*Virga regni.*] Hæc virga fortitudo est invicta, æquitas rectissima, inflexibilis disciplina.

22. [*Dilexisti.*] Ipsa est virga recta, amare æquitatem, odisse iniquitatem.

23. [*Propterea.*] Vnctus Christus & Regem significat, & Sacerdotem; sed illa natura unctus dicitur, quæ

natus & passus; quod dicit Deus, præconium magnæ dilectionis ostendit. Oleum lætitiæ est peccati maculam non habere; vnde conscientia exhilaratur, quando nulla asperitatis recordatione mordetur.

24. (*Participibus*) Filiis hominum dicit.

25. (*In principio, Domine*) Post humanitatis excellentiam, iterum ad æternitatem filij se conuertit.

26. (*Ipsi peribunt*) Pereunt ab eo quod sunt, dum immutantur in melius.

(**Q-oad vsque ponam inimicos tuos*) Per pedes Domini stabilitas æterna significatur; vbi tamquam vestigus positus, omnipotentiæ virtute consistit: his pedibus constat esse subdendos, qui vitiis derelictis eius prædicationibus inclinantur. Donec uero non hic finem temporis, sed æternitatem demonstrat.

al.* Donec.

17. (*Nonne omnes*] Filius solus saluat, isti saluti prædestinatorum deseruiunt: nam Angelum ad Mariam legimus missum: pastoribus etiam & mulieribus in resurrectione Angeli apparuerunt.

18. LANFR. (*Administratorij spiritus*) Probato filium esse digniorem, probat quoque Angelos esse indigniores; sunt enim ei & hominibus administrantes.

CAPVT SECVNDVM.

1. PRopterea 2. abundantiùs oportet obseruare nos ea, quæ audiuimus, *Ergo quia dignior Angelis, dignius est præceptum, quàm vetus datum per Angelos; & quia dignius est, oportet nos illud seruare*, ne fortè 3. pereffluamus, *enauescamus opere in fide.* Si enim qui per Angelos dictus est 4. 5. sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio, & inobedientia *veteris legis* accepit iustam mercedis retributionem: quomodo, *nullatenus*, nos effugiemus, si tantam 6. neglexerimus salutem? *noui Testamenti scilicet, non tantùm sermonem.* 7. Quæ *salus* cùm initium accepisset) *humilitatis gratia dicit in nobis, non ut in ipso confirmaretur, dixerat enim non ab eis accepisse.*) enarrari per Dominum *Christum* ab eis, *Apostolis*, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante, Deo, *testimonium perhibente verborum* signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti *spiritualium gratiarum* distributionibus *diuisis* secundùm suam voluntatem. Non enim 8. Angelis subiecit Deus 9. orbem terræ futurum, de quo loquimur. (*Probatur quia dignior; quia Pater subiecit ei orbem terræ, nam omnia, quia Psalmista dicit, quod testatus est, &c.*) 10. Testatus est autem in quodam loco quis, *vel de quo loquimur testatus est quidam*, dicens: Quid est homo, quòd memor es eius, aut 11. filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulominus 12. ab Angelis: gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum (*omnia ei subiecta sunt, quia ipse super omnia constitutus est*) super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo enim (*omnia subiecit, nam nihil dimisit, à contrario*) quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum *& ita orbem subiecit ei. Probatur quod dixit, futurum est de quo loquimur.* Nunc autem necdum videmus *præsenti speculatione* omnia subiecta ei. 13. Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum, propter passionem 14. 15. mortis, gloriâ *resurgendo* & honore coronatum: 16. vt gratia Dei, *id est, ipse Christus, vel per gratiam*, 17. pro omnibus gustaret mortem, *propriè gustauit.* 18. Decebat enim eum, *Patrem* propter quem omnia, *pro cuius laude* & per quem omnia *facta*, qui multos filios in gloriam *per prædestinationem* adduxerat, authorem *Christum* salutis eorum per passionem consummare, Qui enim sanctificat *Christus*, & qui sanctificantur *homines*, 19. 20. ex vno *Patre* omnes. Propter quam causam, *quia ab vno sunt*, non confunditur, *erubescit*, 21. fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te. Et iterum: (*probatur, quia ab eo pendet*) 22. Ego ero fidens in eum. Et iterum: (*quia ipse Episcopus, & sibi subditi pendent ab illo*) Ecce ego, 23. 24. & pueri mei, quos dedit mihi Deus. 25. 26. Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, *id est, sunt veri homines*, & ipse similiter participauit *factus homo verus* eisdem, *carni & sanguini*: ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum: (*cuius imperium mortificabat*) 27. & liberaret eos, qui 28. timore mortis per totam vitam 29. obnoxij erant *legis* seruituti. 30. 31. Nusquam enim Angelos, *Angelicam naturam*, apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, *sed humanam naturam.* 32. Vnde (*quia semen Abrahæ apprehendit; vel quia participauit carni, & sanguini*) debuit per omnia *fragilitatum* fratribus similari, 33. vt *expertus in se hominis miseriam* misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, 34. vt repropitiaret, *condonaret*, delicta populi, *quod potest: ideò similari.* In eo enim 35. 36. in quo (*in carne*) passus est ipse, & tentatus, potens est, *modò accepta incorruptibilitate*, & eis, qui tentantur, auxiliari.

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Propterea*] Quia tantam curam habuit & habet Deus, vt & filium suum pro nobis fecit incarnari; & Angelos suos in ministerium nostrum quotidie mittit.

2. AMBROS. (*Abundantius*) Hoc est amplius quam in lege solebamus audire.

3. LANFR. (*Ne fortè pereffluamus*) Ne peius puniamur, ideo quod cognouimus, notum postposuimus. Vel quia iam ex parte decidimus, ne ex toto decidamus.

4. [*Sermo factus*] Veteris testamenti legem dicit, quæ per Angelos data est Moysi. Non enim Deus per propriam substantiam loquebatur ei, sed Angeli in persona Dei.

A 5. (*Sermo factus est firmus*) Oportet nos servare sermonem eius; nam firmus est: firmus enim factus est sermo datus per angelos. Oportet nos servare, & si non servaverimus, puniemur; nam qui non servaverunt legem datam, per Angelus puniti fuerunt.

6. AMBROS. (*Neglexerimus*) Per hoc significat quia non erat tanta salus in veteri Testamento: illa enim temporalis, hæc perpetua.

7. LANFR. (*Quæ cum initium*) Diceret quis, quis nobis annuntiavit illam salutem? Respondet: *Quæ cum initium, &c.*

8. (*Angelis*) Adhuc persistit in eodem, volens probare differentius præ Angelis Christum habere nomen.

9. (*Orbem*) Orbem terræ hic intelligit universitatem omnis creaturæ in futuro sæculo; de qua terra aliàs dicitur: *Portio mea in terra viventium.*

B 10. AMBROS. (*Testatus est*) Cur nomen Prophetæ non posuit? Existimo non abscondentis affectu, sed ostendentis multam eos habere scientiam scripturarum.

11. (*Filius hominis*) Visitavit cum Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Nam visitare dicitur, quando medicus ad infirmos ingreditur.

12. (*Ab Angelis*) Bene autem dixit, *paulo minus ab Angelis*: quia etsi corpus mortale assumpsit, tamen peccatum non habuit.

13. LANFR. (*Eum autem*) Ordo. Eum autem Iesum qui modicò quam Angelis minoratus est propter passionem mortis, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem; videmus gloria & honore coronatum: & est hyperbaton, id est, ordo confusus; quia figurâ frequentius utitur in Epistula hac.

14. (*Mortis*) Quasi aliquis diceret, an Deus Pater morti tradidit Filium suum? Ita, inquit, *Qui enim sanctificat, & qui, &c.*

C 15. (*Mortis, gloria*) Id est, mortis ita susceptæ, ut pro salute hominum gustaret mortem, hoc est cui iungitur, *Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*: alioquin nisi gustaret pro omnium salute mortem, cassa esset & irrita.

16. AMBROS. (*Vt gratia Dei*) Ipsum gratiam nominat, qui pro omnium salute gustavit mortem: propriè gustavit, quia brevi tempore in illa fuit. Gloria coronatus est in resurrectione; honore in confessione paternæ maiestatis.

17. LANFR. (*Pro omnibus gustaret mortem*) Ideo gustavit, nam decebat. Decebat Deum, & potuit per Christum consummare, id est, saluare nos; quia Christus & nos ab illo sumus; quod est, *Qui enim, &c.*

18. (*Decebat*) Decebat enim, inquit, Deum Patrem, ut per mortem consummaret Christum auctorem salutis humanæ. Cur autem decuerit multis causis prætermissis, duas paulo post dicit; *Vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis principium, id est, diabolum, & liberaret, &c.*

D 19. (*Ex uno omnes*) Id est, ex unius patris dispositione pendent.

20. AMBROSIVS, (*Ex uno omnes*) Vnus enim est Deus, à quo omnia; sed ille aliter, aliter nos: ille quasi proprius filius, nos adoptivi. E

21. (*Fratres eos*) In eo quod dicit non erubescit fratres vocare, ostendit non naturæ esse fraternitatem nostram, sed misericordiæ eius & humilitatis multæ.

22. (*Ego ero*) De suscepto homine hoc est dictum.

23. (*Et pueri mei*) Pueros propter innocentiam nominavit, de quibus ait Dominus in Evangelio: *Sinite parvulos venire ad me.* Marc.10 b.14. Ioan.6. a.9.

24. LANFR. (*Pueri*) Pueros vocat fideles, sicut in Evangelio: *Pueri nunquid pulmentarium habetis.* Et alias: *Nisi efficiamini sicut puer iste.* Et Apostolus: *Malitiâ parvuli estote.* Luc.18. c.16. 1.Cor.14 d.20.

25. (*Quia ergo pueri communicaverunt, &c.*) Quia dederat Pater homines illi futuros bonori, & illi futuri sui, carne & sanguine compacti erant, placuit Christo homo fieri.

F 26. AMBROS. (*Quia ergo pueri*) Vt haberet unde gustaret mortem pro puerorum salute.

27. LANFR (*Et liberare eos*) Homines liberavit; quod probat à contrario; non enim Angelos, nam si Angelos liberaret angelicam naturam assumeret, sed nusquam Angelorum naturam apprehendit, ergo, &c.

28. (*Timore mortis*) Fideles dicit, qui timore mortis, seu corporis, seu animæ, per totam vitam observabant legem: quos liberavit Christus, seu ab inferno, seu ab importabili iugo legis.

29. AMBROS. (*Obnoxij erant*) Servi si quidem omnes fuerant mortis; quia mortem timebant.

30. LANFR. (*Nusquam enim*) Probat superiorem causam, quia ideo homo factus est Deus, ut mori potuisset: nisi enim pro humana salute mori disponeret, apparere volens hominibus, non hominem, sed Angelum, in quo loqueretur, assumeret.

G 31. AMBROS. (*Nusquam enim Angelos*) Quia dixerat, *Quoniam pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem*: ideo, inquit, *nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Quare dixit apprehendit? Quia nos quasi recedentes ab eo, & longe fugientes insecutus apprehendit, & in unam personam nostræ fragilitatis naturam sibi contemperavit.

32. (*Vnde debuit*) Non itaque alia fuit causa illi per omnia fratribus assimilari, nisi ut fidelis Pontifex in nobis, nostrisque propitiaret peccatis.

33. LANFR. (*Misericors*) Revera non vocatur misericors nisi homo: misericors à misero corde dicitur sic B. Gregorius in moralibus.

34. (*Vt repropitiaret*) Probat quod potest condonare delicta, id est, auxiliari nam per divinitatem, & per carnem? Per divinitatem, quia etiam per carnem.

H 35. AMBROS. (*In eo in quo passus est*) In eo, id est, in homine in quo passus est, potens est tentatos adiuvare, ne vincantur; quia tentationes nostras, sicut homo in seipso per experimentum cognovit.

36. LANFRANCVS (*In quo passus est*) In carne passus est, & tentatus est, & in carne tentatis auxiliari potest.

CAPVT TERTIVM.

1. VNde (*quia potens auxiliari*) 2. fratres sancti, vocationis cælestis participes, 3. considerate, *cognoscite, honorate*, Apostolum, & Pontificem confessionis *fidei* nostræ Iesum; 4. qui fidelis est ei, qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo eius *populo Iudæorum.* 5. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, (*expono*) 6. quantò ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam, *quàm serviens in ea.* Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est. 7. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tamquam famulus, in testimonium eorum *dicendo* quæ dicenda erant: Christus verò tamquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos, 8. si 9. fiduciam & gloriam spei usque ad finē, firmam retineamus. 10. Quapropter sicut

A dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione *obduraverunt patres*, secundùm diem, *in tempore*, tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri; probaverunt *me*, & viderunt opera mea *sicut Dei* quadraginta annis: propter quod, *quia tentaverant*, infensus fui generationi huic, & dixi: semper, *nam assiduè*, errant corde. Ipsi autem non cognoverunt vias meas, *præcepta mea*, sicut iuravi in ira mea: si (*aposiopesis*) introibunt, *non introibit quisquam*, in requiem meam. Videte fratres, *ne sitis increduli*, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum, incredulitatis, discedendi à Deo vivo: sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie (*in præsenti dum licet*) cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis 11. fallacia peccati. (*Causa cur non debeamus obdurari*) 12. Participes enim Christi, *ut membra capitis*, effecti sumus: 13. si tamen 14. initium substantiæ eius, *fidei quaadò subsistimus*, usque ad finem firmum retineamus. Dum dicitur: Hodie, *in præsenti*, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum *obduraverunt patres vestri* in illa exacerbatione. *Responsio.* Quidam enim audientes, exacerbaverunt, sed non universi qui profecti sunt ab Ægypto per Moy- E
B sen. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis, qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto? Quibus autem iuravit non introire in requiem ipsius, *vel terram promissionis*, nisi illis, qui increduli fuerunt? Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem. F

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Vnde fratres, &c.*] Superiùs monstravit Christum digniorem Angelis; nunc monstrat digniorem & Moyse; ut veteri novum præferat testamentum?

2. AMBROSIVS, (*Fratres sancti*) Animos eorum vult erigere ad excellentiam promissionum Dei, nominans eos fratres charissimos ad cœlestia vocatos.

3. (*Considerate Apostolum*) Id est, cognoscite quis est ²sus Sacerdos & * aliquis, & non habens opus alia consolatione. [f. * fidelis.]

C 4. [*Quis fidelis*) Asserit eum fidelem, id est, devotum defendentem ea quæ sunt eius, non permittentem corrumpi.

5. LANFR. [*Amplioris enim est, &c.*) Dignior est, nam amplioris gloriæ est, siquidem creator est, & Moyses creatura: omnis creator amplioris gloriæ est, quam creatura: nam fabricans domum, maioris honoris est, quam domus.

6. (*Quanto ampliorem, &c.*] Probat quia debent considerare, id est, honorare Christum, quia amplioris dignitatis est, quam Moyses; & hoc à simili, & à pari.

7. (*Et Moyses quidem*) Probat quia dignior est Christus Moyse: Omnis enim filius dignior est in domo patris, & sua, quam famulus.

8. [*Si fiduciam*] Id est, fidem & bonam operationem, per quas spem habemus.

9. (*Si fiduciam & gloriam, &c.*) Ergo ut eius domus simus, fidem habere debemus, igitur non debemus esse increduli; quod est, *videte fratres*; potest enim illuc usque pendere sententia.

10. [*Quapropter sicut dicit, &c.*) Quasi dicat: Ergo quia tantæ dignitatis est, lator novi Testamenti, non habeamus cor obduratum, sed illius præceptis adquiescamus.

11. [*Fallacia peccati*] Peccatum vocat diabolum, vel incredulitatem, quo vel qua fallantur infideles, ne credant quod credendum est. G

12. AMBROSIVS, (*Participes enim Christi*) Id est, unus effecti sumus cum illo; siquidem ipse caput est, & nos membra.

13. [*Si tamen initium*] Quid est initium substantiæ? Fidem significat, per quam subsistimus, & Deo nati sumus in filios.

14. LANFR. (*Initium substantiæ*] Substantiam vocat fidem; quia ipsa velut fundamentum bonis operibus substat, id est, iacet.

CAPVT QVARTVM.

Timeamus ergo (*à simili*) *ergo nec nos intrabimus, existentes increduli, ergo timeamus*, ne fortè relicta pollicitatione *fidei* introeundi in requiem eius, *id est, æternam requiem*, existimetur aliquis ex vobis deesse. *Cur timeremus? illis tantùm nuntiatum est.* Etenim & nobis nuntiatum est, quemadmodum & illis: sed non profuit illis sermo auditus, non admistus, *creditus*, fidei ex iis quæ audierunt. Ingrediemur enim (*nuntiatum est nobis, nam ingrediemur; vel sed nobis, qui credidimus, ingrediemur*) in requiem *eius*, qui credidimus: quemad- H
D modum dixit: (*probat quod non profuit, nam non intrabunt in requiem*) Sicut iuravi in ira mea: si introibunt (*aposiopesis*) in requiem meam, *terram promissionis*: 1. & quidem operibus ab institutione mundi perfectis. Dixit enim in quodam loco de die septima sic: 2. Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis. Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam. 3. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ij, quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem: iterum terminat diem 4. quemdam, Hodie, in David dicendo, post tantum temporis, sicut supradictum est: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. 5. Nam si eis Iesus 6. requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur, posthac, die. 7. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem eius; etiam 8. ipse requievit ab operibus suis, sicut à suis Deus. 9. 10. Festinemus ergo ingredi in illam requiem: ut ne 11. in idipsum quis incidat incredulitatis 12. exemplum. 13. 14. Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem 15. 16. animæ ac spiritus, 17. compagum quoque ac medullarum,

&

A & discretor cogitationum, & intentionum cordis. Et non est vlla creatura visibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, 18. ad quem nobis sermo. Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, IESVM Filium Dei: teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia 19. 20. pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus 21. in auxilio opportuno. E

COMMENTARIVS.

1. LANFR. [*Et quidem operibus.*] Probat duas esse requies, unam terrenam, quæ promissa est Iudæis; aliam cœlestem quæ promittitur nobis. Et est responsio, quasi aliquis diceret: Quare dixisti ingredimur in requiem, cum in nullam promissionis terram intrare nobis non tantopere utile sit? Duæ, inquit, requies sunt.

2. [*Et requievit.*] Hæc est requies, quæ promittitur sanctis, videlicet cœlestis ineffabilis Dei suavitas.

B 3. [*Quoniam ergo superest.*] Quia quidam, inquit, intraturi sunt in requiem Dei cœlestem, & hi quibus annuntiatum est in deserto non introierunt, quia verbum non crediderunt. Admonentur præsentis temporis fideles, ne obdurent corda sua verbo Dei, sicut obduraverunt superiores increduli, eos cuim* vocat cum dicit: *Nolite obdurare corda vestra.*

sup *incredulos f. * Terminat diem quendã.

4. [*Quemdam.*] Ordo.* Quemdam post tantum temporis hodie in David dicendo, sicut supradictum est: *Hodie si, &c.*

5. [*Nam si eis* IESVS.] Non est iste IESVS Salvator mundi; sed IESVS qui etiam Iosue nominatur, à quo populus Iudæorum ductus est in terram promissionis. qui si veram requiem eis præstitisset, nunquam post illam, hac die, id est, hodie, hoc tempore David de alia loqueretur.

6. [*Requiem præstitisset.*] Illi ingressi sunt, id est, illis non dedit requiem illam: nam si illis præstitisset, nunquam de alia locutus fuisset. Vel respondit non omnem requiem tribuit eis IESVS Nave, (nunquam de alia) omnem requiem, id est, temporalem & cœlestem.

C 7. [*Itaque relinquitur.*] Concludit quod superiùs probabatur. Quasi diceret, ingredimur igitur in requiem.

8. AMBROS. [*Ipse requievit.*] Requies Dei operum perfectio intelligenda est: per illam vero requiem, quæ æterna est, nos ad æternam provocat, quam sabbatismum nominavit, non requiem, quia Iudæis loquebatur: nec vult tale sabbatum in regno Dei, ut iterum quis exinde revertatur ad opera laboriosa, sicut in sabbato carnali fecerunt. Istud vero sabbatum Dei quicumque intrat, requievit perpetuo ab operibus suis, sicut Deus à suis.

9. [*Festinemus ingredi.*] Quoniam non sufficit fides, sed debet addi fidei digna vita; si enim meruerunt terram, qui murmurati sunt, quomodo merebimur cœlum indifferenter viventes vt Gentes?

D 10. LANFR. [*Festinemus ergo ingredi.*] Id est, quia requies illa æterna est, ergo festinemus fide ingredi. Vel, ergo quia illi, per incredulitatem non ingressi sunt, ergo nos per fidem ingrediemur in illam.

11. AMBROS. [*In ipsum incredulitatis.*] Id est, ne in similia incidamus, ne eadem patiamur, quæ illi passi sunt.

12. LANFR. [*Exemplum.*] Exemplum incredulitatis vocat vindictam Dei, quæ tanta illata est, ut exemplo aliis esse valeat, ne increduli esse præsumant.

13. AMBROS. [*Vivus est enim.*] Ostendit hic nos eumdem habere iudicem, qui illos propter incredulitatem eorum damnavit. F

14. LANFR. [*Vivus est enim.*] Id est, vivax, vivaciter & cum vigore agens, quasi incredulis respondet. An novit Deus si credo, vel non credo? Vivus est, inquit, Dei sermo, id est, Verbum Patris homo Christus, &c.

15 AMBROS. [*Anima ac spiritus.*] Anima vivimus, spiritu intelligimus: & tam efficax est Dei iudicium, ut discernat inter carnalia & spiritualia.

16. LANFR. [*Anima ac spiritus.*] Discernit Filius inter animam & spiritum; quia ipse novit quid homo cogitet, aut faciat propter terrena commoda, & propter cœlestia.

17. [*Compagum.*] Compages vocat coniunctiones cogitationum, medullas intentiones eorum, & idem apertiùs repetit cogitationum & intentionum. Et est ordo discretor compagum, &c. Si enim cogitatio cogitationi coniungitur, ipse novit quæ sit secundum Deum, vel secundùm sæculum: ipse quoque vergat intentio cogitantis, sive bonum, sive malum videatur esse quod agit.

18. [*Ad quem nobis sermo.*] Ad Christum erit nobis sermo, quia sibi reddemus rationem de actibus nostris in die iudicij. G

19. AMBROS. [*Pro similitudine.*] Similitudinem itaque peccati habuit, quæ tamen caro illius absque omni peccato fuit.

20. LANFR. [*Pro similitudine peccati.*] Pro similitudine, id est, secundùm similitudinem, videlicet secundùm carnem, quia in similitudine hominum factus est. Vel pro similitudine, id est, pro exemplo dando fidelibus, ut & ipsi absque consensu peccati tententur: observantes ne inducantur in tentationem. Vel ita, pro similitudine, id est, propter similitudinem; propter carnem scilicet quam gerebat; nisi enim aliis hominibus similis esset, tentare eum diabolus non auderet. Ordo, tentatum per omnia absque peccato.

21. [*In auxilio.*] Auxilium Dei semper est opportunum, quia in necessitatibus subvenit; sicut in Psalmo: *Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* 9. h. in H

CAPVT QVINTVM.

t. 2. OMnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circundatus est infirmitate: & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit, 3. Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem 4. Melchisedech. Qui in diebus carnis suæ, preces, 5. suppli-

A cationésque ad eum, qui possit 6. illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quidem cùm esset filius Dei, 8. didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam: 9. 10. & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex 11. iuxta ordinem Melchisedech. De quo nobis grandis sermo, & in interpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles 13. facti estis ad audiendum. Etenim cùm deberetis magistri esse propter tempus: rursum indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa 14. exordij sermonum Dei: & facti estis quibus 15. lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ: parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus; eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. E

COMMENTARIVS.

1. LANFR. [*Omnis namque Pontifex.*] Quasi diceret: Non est diffidendum quin per hunc Pontificem misericordiam & gratiam consequamur, quia alij Pontifices qui puri homines sunt ad hæc impetranda, hominibus constituti sunt.

B

2. AMBROS. [*Omnis namque Pontifex.*] Ponit hic Apostolus quædam communia Christo cum Sacerdotibus; quædam vero altiora, hoc commune est: pro omnibus constituitur, ut offerat pro peccatis.

3. [*Tu es Sacerdos.*] Sacerdos dicitur Christus, qui semel se obtulit immolandum; sicut semel de Melchisedech in sancta legitur Scriptura.

4. LANFR. [*Melchisedech.*] Melchisedech panem & vinum sacrificare Deo constituit; quem ritum Dominus IESVS-CHRISTVS observavit, & in Ecclesia sua observari præcepit.

5. AMBROS. [*Supplicationes.*] Dicit preces eum & supplicationes fundere non timore, sed nostræ causa salutis. Vnde & in alio loco dicit sanguinem Christi meliùs clamasse pro nobis, quam sanguinem Abel, qui ad accusandum de terra fraternum scelus clamavit: Christi verò sanguis ad interpellandum pro nobis de terra clamat ad Patrem.

C

6. LANFR. [*Illum salvum faceret à morte.*] Non ut moreretur, sed ut resurgendus à morte non teneretur.

7. [*Et quidem cum esset.*] Exponit ipsam reverentiam. Magna enim religio fuit eum, qui æqualis erat Patri duram in passione * morte obedientiam experiri.

f* monē obedientiā.

8. AMBROS. [*Didicit ex his*] Obedientiam didicisse Filium Dei, hoc est voluntariè suscepisse.

9. [*Et consummatus est.*] Id est, perfectus & sufficiens ad salutem æternam omnium credentium.

10. LANFR. [*Et consummatus est.*] Consummatus etsi aliis videtur seductor, illis tamen visus est consummatus, id est, perfectus qui obtemperaverunt sibi causa salutis æternæ. Potest & ita distingui, ut causa nominativus casus sit: hoc modo, & consummatus, id est, perfectus, vel ab hoc sæculo mortuus, factus est causa salutis æternæ omnibus obtemperantibus sibi: per fidem enim passionis, & resurrectionis illius salvantur credentes. F

11. [*Iuxta ordinem.*] Iuxta ritum offerendi panem & vinum, quod Melchisedech primus fecisse legitur; quæ tamen in Christi carnem & sanguinem convertuntur.

12. [*De quo grandis.*] Si, inquit, vellemus vobis exponere, cur Christus secundùm ordinem Melchisedech factus est Pontifex, grandis nobis sermo esset, * necessarius, & interpretabilis, id est, habens multas expositiones mysteriorum & allegoriarum.

f. * necessarium.

13. [*Facti estis ad audiendum.*] Id est, ad intelligendum, sicut ad Corinthios: nemo audit, id est, intelligit.

f. * proferunt.

14. [*Exordij sermonum Dei.*] Exordium sermonum vocat Symbolum Christianæ fidei, quod non solum non intelligebant, sed nec ipsam litteraturam qua * præfertur memoriter sciebant.

G

15. [*Lacte opus sit.*] Lac est brevis insinuatio & facilis observatio morum. Solidus cibus est ratio ipsius fidei & perfecta institutio vitæ. Probare intendit quia illis opus est lacte; omnis enim expers sermonis iustitiæ, particeps est lactis. Hæc probatio in libro conversa. Vos autem estis expertes sermonis, id est, probatione propositionis primæ, vel à causa, vel à genere subiungit, ubi ait: *parvulus enim est.* Quod vero dicit, *Perfectorum enim est solidus cibus:* Probatio est quoniam non est opus illis solito cibo.

CAPVT SEXTVM.

1. QVapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, 2. ad perfectionem referamur, non rursum iacientes 3. fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum 4. baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, 5. & iudicij æterni. Et hoc faciemus, siquidem permiserit Deus.

D Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum, 6. Dei verbum, virtutésque sæculi venturi, & prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam, rursum 7. crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes. 8. Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, 9. & generans herbam opportunam illis à quibus colitur; accipit benedictionem à Deo. 10. Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & 11. maledicto proxima: 12. cuius consummatio in combustionem. Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora, & viciniora saluti: tametsi ita loquimur. Non enim iniustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis. Cupimus autē unumquemq; vestrum eandem ostentare sollicitudinem, ad expletionem spei usque in finem: ut non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditabunt promissiones. Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iuravit per semetipsum, dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. Homines enim per maiorem sui iurant: 13. & omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum. H

A In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum: 14. ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem: quam 15. sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem 16. usque ad interiora velaminis: 17. ubi præcursor pro nobis introivit Iesus, secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum. E

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. [*Quapropter intermittentes*) Quia exercitatos sensus in lege Domini oportet vos habere, intermittamus inchoationis Christi sermonem. Sermo inchoationis Christi est initium fidei: sicut enim qui in doctrina litterarum adducitur, elementa oportet primùm audire: sic Christianus primum omnium de fide Catholica erudiri debet. Si autem opus est de fide * docere, needum fundamentum habet. Si enim opus est iterum audire, quia credere eum oportet de resurrectione & futuro sæculo, necdum fundamentum habet.

B — f.* docerи.

4. [*Ad perfectionem*) Perfectum illum vocamus, qui cum fide vitam habet rectam. Si autem unum eorum deerit, perfectus non erit: si ambo, merito * parvulus dicitur.

f.* perfectus.

1. LANFR. (*Fundamentum*) Quicumque doctor infideles ad fidem convertit; hic in primis fundamentum mentibus iacit, dicens oportere eos peccatorum suorum pœnitere; in Deum credere; in remissionem peccatorum baptizari; pro accipiendis sancti Spiritus donis in impositione manuum Episcopi consummari; resurrectionis & iudicij diem præstolari.

7. AMBROSIVS, [*Baptismatum*] Sicut una fides est, ita unum baptisma; sed pro varietate accipientium * baptismatum dixit. Ne vero ullatenus quis secundum æstimaret post peccatum fieri posse baptisma, adiungit: *Impossibile est eos qui semel illuminati per gratiam Sancti Spiritus, gustaverunt etiam donum cœleste* (hoc est remissionem peccatorum) *& participes facti sunt Spiritus sancti* (in distributione donorum) *& bonum Dei verbum gustaverunt* [hæc est doctrina Evangelica) *& virtutes venturi sæculi cognoverunt* [id est, resurrectionem & vitam beatam quæ sanctis promittitur] *Si in peccatis incidant, iterum renovari.* Cuius baptismatis virtus in cruce & sepultura Christi constat: proinde subiungit: sicut enim semel Christus mortuus est carne in cruce, sic nos semel morimur in baptismate, non carne, sed peccato.

f.* baptisma. — C

5. LANFR. (*Et iudicij*] Quia quales de iudicio exibunt, tales sine fine manebunt.

(*Impossibile*] Rationem reddit cur non expediat primam fidem relinquere, & in peccata cadere; non enim revertentes iam ultra baptizari possunt in remissionem peccatorum, sicut prius.

6. (*Dei verbum*) Id est, Patris, qui in perceptione corporis & sanguinis eius gustatur.

7. [*Crucifigentes*] In semetipsis crucifigunt Filium Dei, & ostentui, id est, contumeliæ habent, qui gratiam eius vilipendentes in peccatis iacent.

8. AMBROS. [*Terra enim sæpe*] Hîc declarat quod hi ad quos eius sermo fuit, susceperunt & combiberunt verbum cœlestis doctrinæ. F

9. (*Et generans herbam*) Nihil sic opportunum, sicut fides in Filium Dei, & vita optima.

10. (*Proferens autem*] De his spinis Dominus dicit, quia cura huius sæculi, & deceptio divitiarum præfocant verbum, & infructuosum efficitur.

11. (*Maledictio proxima*) Quantam habet solationem hic sermo maledictioni proxima, non maledicta, quæ enim necdum in maledictionem incidit, sed proxima est, & longè fieri potest.

12. [*Cuius consummatio in combustionem*] Hæc combustio non erit, nisi quis usque in finem permaneat in peccatis.

13. (*Et omnis controversia*] Si hominum iuramento credendum est, quanto magis Dei, qui nec falli, nec mentiri potest?

14. LANFRANCVS, (*Vt per duas res*] Iusiurandum, & per semetipsum, quibus immobile sit quod dicitur.

15. AMBROS. [*Sicut anchoram habemus*) Sicut anchora non permittit navim circumferri, licet venti commoveant eam: sic spes fide roborata introducit nos in rerum speciem quomodo fide & spe tenemus, ideo addidit: *Incedentem usque ad interiora velaminis.* Spes enim penetrat interiora velaminis, dum cœlestia absque dubitatione credit. G

16. LANFR. [*Vsque ad interiora*) Spes nostra usque ad præsentiam Dei incedit, quam significabant interiora velaminis.

17. AMBROSIVS, (*Vbi præcursor pro nobis*] Non dixit simpliciter introit, sed ubi præcursor pro nobis introivit, oportet prosequi præcursorem nostrum, præcursorem siquidem & consequentem in eodem esse convenit.

CAPVT SEPTIMVM.

1. HI enim Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso à cæde regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium divisit Abraham: primùm quidem qui interpretatur rex iustitiæ: deinde autem & rex Salem, quod est, rex pacis, 2. sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem filio Dei, 3. manet sacerdos in perpetuum. Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha. Et quidem 4. de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo secundùm legem, id est, à fratribus suis: quanquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ. Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromissiones benedixit. 5. Sine ulla autem contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur. Et hîc quidem, 6. decimas morientes homines accipiunt: ibi autem contestatur, quia vivit. Et (ut ita dictum sit) per Abraham, & Levi, qui decimas accepit, decimatus est: adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech. 7. 8. Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit, secundùm ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, & non secundùm ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat. In

D — H

A quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit. Manifestum est enim quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est. Et amplius adhuc manifestum est; si secundùm similitudinem Melchisedech exurgat alios sacerdos, qui non 9. secundùm legem mandati carnalis factus est, sed 10. secundùm virtutem vitæ insolubilis. 11. Contestatur enim: Quoniam tu es sacerdos in æternum, 12. secundùm ordinem Melchisedech. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter 13. infirmitatem eius, & 14. inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex: 15. introductio verò melioris spei, per quam proximamur ad Deum. Et quantum est non sine iureiurando (alij quidem, sine iureiurando sacerdotes facti sunt; hic autem cum iureiurando, per eum, qui dixit ad illum. Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum) 16. 17. in tantum 18. melioris testamenti 19. sponsor factus est Iesus. Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere? hic autem eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. 20. Vnde & salvare in perpetuum potest accedentes per 21. semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & 22. excelsior cælis factus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, se ipsum offerendo. 23. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.

COMMENTARIVS.

1. LANFR. (*Hic enim Melchisedech*) Ratio cur secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus sit Christus & non secundùm ordinem Leviticum, videlicet quia maioris dignitatis est Melchisedech. A. Nam si reprobi sunt maledictu proximi erunt: & probat a simili: nam si germinans tribulos proxima est maledictu: & hoc probat à contrario; nam germinans herbam proxima est benedictioni.

A Hec non videntur cohærere cū præcedentibus.

2. (*Sine patre*) Non revera sine patre & matre fuit; nec revera initio & fine dierum caruit: sed unde, & quando ortus sit, vel quo tempore obierit, scriptura non commemorat. Illum namque significabat, qui revera nec patrem secundùm humanitatem, nec matrem, nec initium, vel finem secundùm divinitatem habiturus erat.

3. (*Manet sacerdos*) Melchisedech non mansit in perpetuum, sed sacerdotalis eius constitutio manet in perpetuum.

4. (*De filiis Levi*) De superiori sententia hoc obiicitur. Quasi aliquis diceret: non potes probare Melchisedech per hoc superiorem Abrahæ, quia decimas ab eo accepit: quia sacerdotes de tribu Levi ab aliis tribubus secundum legem decimas accipiunt, fratres scilicet a fratribus, & coæquales à coæqualibus.

5. (*Sine ulla autem*) Responsio, novi ita esse. Sed Melchisedech non tantummodo decimas accepit, sed etiam Abraham benedixit, ac per hoc sine ulla contradictione maior eo est, quia minor à meliore semper benedicitur.

6. (*Decimas morientes*) Quasi diceret. Per hoc non possumus approbare Melchisedech fuisse immortalem, id est, significasse immortalem, quia decimas Abraham accepit; quia hic etiam, id est, in lege & Sacerdotio Levitico morientes homines decimas accipiunt. Sed ibi, hoc est ubi sine patre & matre, sine initio & fine dierum scriptura eum commemorat; apertè contestatur ipsa Scriptura quia vivit, id est, viventem & immortalem significat.

7. (*Si ergo consummatio*) Si, inquit, lex consummata, id est, perfecta, non mutanda, sed usque ad finem sæculi permansura; erat data per illud tempus quo constitutum est sacerdotium Leviticum; cur aliud sacerdotium subrogat? Quia enim simul, & ab eodem, & sub eadem sponsione utraque data sunt; quod de uno dicitur, de altero necesse est intelligatur. Tota enim ratio sic procedit: Si lex erat permansura, & sacerdotium; sed sacerdotium transfertur; lex autem necesse est transferatur.

8. AMAROS. (*Si ergo consummatio*) Si consummatio, id est, perfectum sacerdotium Leviticum fuit, quid necesse fuit alium surgere sacerdotem? Si igitur sacerdotij translationem necesse est, & legis esse translationem, neque potest Sacerdos sine testamento esse.

9. (LANFR. (*Secundùm legem*) Christus non est factus Sacerdos secundùm legem Iudæorum, quæ carnales observationes præcipiebat, quia non est de tribu Levi, unde sacerdotes eligi ipsa lex iubebat: sed secundum quod placuit virtuti divinitatis suæ, in qua & ex qua est vita insolubilis, id est, æterna, quæ morte interveniente non solvitur. Aliter. Non est factus Sacerdos ut in sacrificiis observaret, vel observari præciperet carnalia præcepta legis; sed spiritualem intelligentiam, quæ est virtus per quam datur vita insolubilis: *Littera enim occidit, spiritus autem vivificat.*

10. AMBROS. (*Secundum virtutem*] Id est, vitam in semetipso habens insolubilem. Quamvis enim ad tempus mortuus est carne, tamen in æternum divinitate vivit.

11. LANFR. [*Contestatur*] Probat auctoritate divina, quia secundum similitudinem Melchisedech, exurrexit alius Sacerdos.

12. AMAROS. [*Secundum ordinem Melchisedech*) Ordinem autem eius multis modis interpretatur, quod solus & rex fuit & sacerdos ante circumcisionem functus sacerdotio, ut non Gens ex Iudæis, sed Iudæi ex Gentibus sacerdotium acceperunt.

13. LANFR. [*Infirmitatem*] Vetus lex infirma erat quia cultoribus suis perfectam iustitiam dare non poterat. Si enim cultores eius perfectè iusti essent, post mortem statim requiem habituri cœlum ascenderent. Sed erat per eius observantiam iustificatio nonnulla, peccatorum remissio aliqua, non tamen plena.

14. [*Inutilem*] Inutile fuit post adventum Christi observare ea, quæ ideo fiebant, ut ea quæ nunc fiunt, prædicerent esse futura.

15. AMAROSIVS, [*Introductio*] Habuit quippe lex spem, sed non talem. sperabant enim bene placentes, & legem Dei custodientes possidere terram, nihil ærumnosum pati: Evangelica enim præcepta custodientes, non terram sperant possidere, sed cœlum.

16. [*In tantum melioris*] Secundum quod iuratum est de eo semper eum mansurum.

17. LANFRANCVS, (*In tantum*) In quantum superius dixi; quia vita æterna promittitur, & non sine iureiurando.
18. [*Melioris*) Id est, novi Testamenti, per cuius observantiam spem habemus eundi ad Deum.
19. [*Sponsor*] Veteres sacerdotes promittebant cultoribus legis copiam frugum, longævam vitam, victoriam inimicorum, & cætera his similia. Iesus autem spondet spem per quam proximamus ad Deum, id est, vitam æternam, in qua videbimus Deum facie ad faciem. Vel sponsor est novi Testamenti secundum divinitatem, quia omnia quæ Pater facit, & ipse facit.
20. AMBROS. [*Vade & salvare*) Quis est qui interpellat, nisi humanæ naturæ divinitati coniunctio, quam paterno solio advexit semper............ad salvandum idoneos? Alij Pontifices, quia semper non erant, semper non interpellabant; hic non solum in hac vita salvat per interpellationem humanitatis suæ; sed etiam in futuro glorificat; dum tradet regnum Deo & Patri, & perducet sanctos ad visionem paternæ maiestatis.
21. LANFRANCVS, (*Per semetipsum*] Ipse Salvator in Evangelio dicit: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Et alias: *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur* Ioan. 14. a 6. Idem 10. b. 9.
22. AMBROS. (*Excelsior factus*) Quia adorant eum omnes Angeli Dei.
23. LANFR. [*Lex enim*) Ratio cur sacerdotes necessitatem habeant quotidie pro suis delictis sacrificandi: Christus autem non.

CAPVT OCTAVVM.

1. 2. CApitulum autem super ea quæ dicuntur: Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo. Omnis enim 3. Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur: unde necesse est & hunc habere aliquid, quod offerat. 4. Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos; cùm essent qui offerrent secundùm legem munera, qui exemplari & umbræ deserviunt 5. cœlestium. Sicut responsum est Moysi, cùm consummaret tabernaculum: Vide (inquit) omnia facito secundùm 6. exemplar quod tibi ostensum est in monte. Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò & 7. melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa vacasset: non utique secundi locus inquireretur. 8. Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus: & consummabo super domum Israël, & super domum Iuda, testamentum novum; non secundum testamentum quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum ut educerem illos de terra Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus; quia hoc est testamentum, quo disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: & non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum, quoniam omnes scient me à minore usque ad maiorem eorum: quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor. 9. Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.

COMMENTARIVS.

1. AMBROS. [*Capitulum autem*] Præcedentis dispositionis recapitulatio, ad rem ipsam deducens auditorem.
2. LANFR. (*Capitulum autem*) Capitulum est brevis sententia ab eo sic nominatum, quod breviter capiat totius rationis summam. Hoc autem capitulum incipit ab eo quod sequitur: *Talem habemus.* Et definit ubi dicitur: *Non homo.*
3. (*Pontifex*) Ad superiorem sententiam redit: *hoc enim fecit semel offerendo.* Quasi diceret: rationis fuit quod se obtulit, *quia omnis Pontifex ad offerenda, &c.*
4. [*Si ergo super terram esset*) Ratio cur Christus seipsum obtulerit: si, inquit, esset super terram quod pro peccatis totius mundi digne posset offerri, non esset sacerdos offerre dignus, & ideo mundus bene obtulit mundo.
5. (*Cœlestium*) Cœlestia vocat præsentem Christi Ecclesiam, cuius pars est in cœlis; pars secutura adhuc peregrinatur in terris. Hanc figurabant quæcumque in Sacramentis veteris Testamenti fiebant. Sicut aliàs: *Hæc omnia in figura contingebant illis.*
6. (*Exemplar*] Exemplar vocatur, & illud quod fit, & illud ad cuius similitudinem aliquid fit, sicut species, imago, figura, similitudo.
7. [*Melioris*] Melioris testamentum vocat præcepta evangelica, per quorum observantiam promittitur vera iustitia, & vita æterna: hoc est enim quod sequitur; *Quod in melioribus, &c.*
8 (*Vituperans enim*) Probat prophetica auctoritate quia secundi locus inquiritur. Quanta autem locorum, & disputationum subtilitate hæ epistolæ plenæ sint, (licet ipse Apostolus in scribendo non curaret, ipse enim in sapientia verbi & subtilitate sermonum se non loqui alias testatur] perspicax lector poterit invenire. Summa disputationis sic se habet: *Si illud prius culpa vacasset, secundi locus non inquireretur: vituperans enim, &c.* Prius ergo culpa non vacavit, id est, hominem à culpa perfectè liberare non potuit; sicut econtra de novo Testamento dicitur: *Mandatum sine macula.* Et *lex Domini immaculata.*
9. (*Dicendo autem novum*) Ita sunt inter se novum & vetus, sicut magnum & parvum. Quotiescumque enim duæ res inter se conferuntur, si vna vocatur nova, altera vetus, & econtra.

CAPVT NONVM.

HAbuit quidem & prius, iustificationes culturæ, & sanctum 1. sæculare. Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio

A panum, quæ dicitur Sancta. Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod di- E
citur, Sancta sanctorum: aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam
ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, &
tabulæ testamenti: supérque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: de
quibus non est modò dicendum per singula. His verò ita compositis; in priori quidem ta-
bernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes; in secundo
autem semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua & populi ig-
norantia: hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse 2. sanctorum viam,
adhuc 3. priore tabernaculo habente statum. Quæ 4. parabola est temporis instantis:
iuxta quam munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta 5. conscientiam perfe-
ctum facere servientem, solummodo in cibis, & in potibus, & variis baptismatibus, & iu-
stitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis. Christus autem assistens Pontifex fu-
turorum bonorum, per amplius & perfectius 6. tabernaculum non manufactum, id est,
non huius creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium san-
B guinem, introivit semel 7. in Sancta, æterna redemptione inventa. Si enim sanguis hir- F
corum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem car-
nis: quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immacu-
latum Deo, emundabit conscientiam nostram 8. ab operibus mortuis, ad serviendum Deo
viventi? Et ideo novi testamenti 9. mediator est; ut 10. morte intercedente, in redem-
ptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem acci-
piant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. 11. Vbi enim testamentum est, mors necesse
est intercedat testatoris. Testamentum enim 12. in mortuis confirmatum est: alioquin
nondum valet, dum vivit qui testatus est. Vnde nec primum quidem sine sanguine dedi-
catum est. Lecto enim omni mandato legis à Moyse universo populo, accipiens sangui-
nem vitulorum & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo; ipsum quoque li-
brum & omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos
Deus. Etiam tabernaculum & omnia vasa ministerij sanguine similiter aspersit. Et omnia
penè in sanguine secundùm legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio.
Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari: ipsa autem cœlestia meliori-
bus hostiis quàm istis. 13. Non enim in manufacta sancta Iesus introivit, exemplaria ve-
rorum: sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis: neque ut sæpe offe- G
rat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine
alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in
C consummatione sæculorum, ad destitutionem 14. peccati, per hostiam suam apparuit. Et
quemadmodum statutum est hominibus semel mori; post hoc autem iudicium: sic & Chri-
stus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; 15. secundò 16. sine peccato ap-
parebit expectantibus se, in salutem.

COMMENTARIVS.

1. LANFR. [*Sæculare*) Sacrificium Iudæorum vocat sæculare, vel quia transitorium, sicut omnia quæ huius sæculi sunt; vel quia in modum temporis singulis annis eadem repetebantur.

2. (*Sanctorum viam*) Sanctorum via est vel ipse Christus, vel spiritualis intelligentia legis.

3. (*Priore*] Prius tabernaculum est carnalis intelli-
D gentia & observantia legis: secundum, spiritualis.

4. (*Parabola est*] Allegoria veteris Testamenti, hoc præsens tempus, in quo Ecclesia Christi fundatur, & gratia novi Testamenti prædicatur, significat.

5. (*Conscientiam*] Iuxta conscientiam dicit, vel quia legales hostiæ peccata cogitationum non purgabant; vel quia ab anima conscientiam perpetrati sceleris perfectè abstergere non poterant.

6. [*Tabernaculum*] Tabernaculum quod Christus introivit, vocat cœlum, quod peramplius & perfectius est, quam illud Iudæorum tabernaculum, quod vocabant sancta sanctorum.

7. [*In sancta*] Exponit quod superius vocaverit tabernaculum non manufactum, videlicet sancta sanctorum cœlestia.

8. AMBROS. [*Ab operibus*) Si quis tangebat corpus mortuum, polluebatur; & hic si quis tetigerit opus mortuum, contaminatur per conscientiam.

9. LANFR. [*Mediator est*) In eo quod homo est, novi Testamenti mediator fuit; quia legem Dei hominibus attulit.

10. (*Morte intercedente*] Christus mortuus est, non solum ut Gentes, sed & Iudæos tam vivos quam mortuos, ad vitam æternam prædestinatos, à prævaricationibus, quas ipsi sub veteri lege commiserant, redimeret.

11. (*Vbi enim testamentum*) Exponit causam cur Christus mortuus sit, videlicet quia testamentum conditurus erat. Testamentum autem nisi à moriente non conditur.

12. (*In mortuis*] Secundum legales sæculi loquitur, H
in quibus præcipitur vivente testatore testamentum non esse ratum. Est autem testamentum, à quo ad divina testamenta similitudine ducitur, ordinatio hominis præcipientis quid post mortem eius de rebus ipsius sit agendum.

13. [*Non enim*] Exponit ipsas meliores hostias, quæ est una, id est, corpus Christi. * Visus autem loquendi sic vellet in manufactis sanctis exemplaribus verorum: vel in manufacta sancta exemplaria verorum. E° visu.

14. (*Peccati*) Peccati dicit pro peccatorum. Omnia enim peccata destruxit in his qui credituri erant.

15. AMBROS. (*Secundo apparebit*] Non enim tunc erat hostia pro peccato.

16. LANFR. (*Sine peccato*) Sine peccato dicit, sine similitudine carnis peccati. In primo enim adventu suo Dominus talem carnem gestavit, qualem & cæteri homines, qui peccatores erant. In secundo

vero

A vero in tanta gloria caro eius apparebit, quanta nec excogitari, nec explicari ab aliquo mortalium potest. Potest etiam intelligi, sine peccato, sine hostia pro peccato; non enim tunc apparebit, ut peccata purget, sed damnet. E

CAPVT DECIMVM.

1. VMbram enim habens lex futurorum bonorum, 2. non ipsam imaginem rerum, per
singulos annos eisdem 3. ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest
accedentes perfectos facere: alioquin cessassent offerri: ideo quòd nullam haberent ultrà
conscientiam peccati, cultores semel mundati: sed in ipsis commemoratio peccatorum per
singulos annos fit. Impossibile enim est, sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.
Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mi-
B hi: holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: 4. in capite F
libri scriptum est de me: Vt faciam, Deus, voluntatem tuam. Superiùs dicens: Quia ho-
stias, & oblationes, & holocaustomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ se-
cundùm legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam:
aufert primum, ut sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem cor-
poris Iesu Christi semel. 5. Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & eas-
dem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro
peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans 6. do-
nec ponantur inimici eius 7. scabellum pedum eius. Vna enim oblatione; consummavit in
sempiternum sanctificatos. 8. Contestatur autem nos & spiritus sanctus. Postquam enim
dixit: Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, 9.
Dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas: & peccato-
rum, & iniquitatum eorum iam non recordabor amplius. Vbi autem horum remissio: iam
non est oblatio pro peccato. Habentes itaque, fratres, fiduciam 10. in introitu sanctorum
in sanguine Christi, 11. quam initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, id est,
carnem suam, & sacerdotem magnum super domum Dei: accedamus cum vero corde in
C plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus
spei nostræ confessionem indeclinabilem (fidelis enim est qui repromisit,) & consideremus,
12. invicem in provocationem charitatis & bonorum operum: non deserentes collectionem
nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, & tantò magis 13. quantò G
videritis appropinquantem diem. 14. Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam no-
titiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expecta-
tio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Irritam quis faciens le-
gem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quantò magis puta-
tis deteriora mereri supplicia, qui 15. filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti
pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? 16. Sci-
mus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: Quia iudicabit Domi-
nus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Rememoramini au-
tem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis 17. passionum: & in
altero quidem, opprobriis & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem, socij taliter
conversantium effecti. Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum
D cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam. No-
lite itaque 18. amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. 19.
Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissio-
nem. Adhuc enim modicum aliquantulum qui venturus est, veniet, & non tardabit: Iu- H
stus autem meus ex fide vivit: quòd si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Nos au-
tem non sumus substractionis filij in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.

COMMENTARIVS.

1. LANFR. [*Vmbram enim*) Redit ad superiorem rationem, vbi dixit, legales hostias non posse facere servientem perfectum iuxta conscientiam. Et est responsio, quasi diceret: Cur dixisti peccata exhaurienda per Christum, & non per legem?

2. AMBROS. [*Non ipsam imaginem*) Hoc est enim ipsam veritatem.

3. [*Ipsis hostiis*] Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus, sed ad reconciliationem mortis eius; & una est hæc hostia non multæ: hoc autem exemplar est illius quod nos facimus, in commemorationem fit eius quod factum est: *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem.* Luc.22.b.19.

4. [*In capite libri*] Vsque psalterij, obi dicitur: *Beatus vir*; qui Psalmus capitulum totius libri dicitur à quibusdam.

5. [*Et omnis quidem*) Ministrare famulorum est; sedere vero dominorum.

6. (*Donec ponantur*] Non solum inimici qui infideles sunt, sed etiam qui immundè vivunt. Prudentia enim carnis inimica est Deo.

7. LANFR. [*Scabellum*] Sub pedibus Christi erunt omnes qui sunt modo inimici eius in die iudicij,

A quia ad imperium eius, aut coversi ibunt in vitam æternam, aut pertinaces perpetuam patientur gehennam.
8. (*Contestatur*) Id est, confirmat verba nostra, quibus asserimus una oblatione Corporis Christi peccata penitùs esse dimissa.
9. AMBROS. (*Dando leges*) Ista lex est charitas, ut quod nobis nolumus fieri, alteri non faciamus; & sicut in Evangelio dicitur: *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, eadem & vos facite eis.*
Matt 7. b.12. 10. LANFR. (*In introitu*) Introitum vocat cœlum, quo sancti intraturi sunt redempti sanguine Christi.
11. (*Quam initiavit*) Ordo. Quam viam novam quia nullus hominum ante illum cœlum ascendit, & viventem, id est, non deficientem, permanentem, quia usque ad finem sæculi ascensora sunt membra eius: initiavit nobis Christus, id est, incepit vel dedicavit.
B 12. (*Invicem*) Alter consideret quid boni alter faciat, non ut invideat, sed ut exemplum bonum inde sumat.

13. (*Quantò videritis*) Diem dicit vel extremum iudicij, vel temporalis afflictionis. E
14. (*Voluntariè*) Causam reddit cur charitas sit tenenda, & à malis sit cessandum; dum enim voluntas peccandi est in nobis, nihil prodest hostia immolata pro peccatis nostris.
15. (*Filium Dei*) Gratiam filij Dei in semetipso conculcat, & sanguinem redemptionis pollutum, id est, peccata purgare non valentem putat; & Spiritui sancto, per quem confitenti peccata remittuntur, contumeliam facit, qui voluntariè in peccatis iacet.
16. (*Scimus enim*) Superiorem sententiam probat: *Terribilis autem quædam, &c.*
17. (*Passionum*) Passiones certaverunt contra eos, ut patientiam ipsi amitterent, & fidem negarent.
18. (*Amittere*) Confidentiam divinæ retributionis amittit, qui bonum deserit & malum facit. F
19. (*Patientia*) Ostendit quomodo non amittitur confidentia: *In patientia enim, inquit, possidebitis animas vestras.*

CAPVT VNDECIMVM.

1. EST autem fides, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. In hac enim testimonium consecuti sunt senes. Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei; ut ex 2. invisibilibus visibilia fierent. Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain, obtulit Deo; per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo; & per illam defunctus adhuc loquitur. Fide Henoch translatus est ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Fide Noë, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam 3. damnavit mundum: & iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus. Fide qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire, G
C quem accepturus erat in hæreditatem; & exiit, nesciens quò iret. Fide demoratus est in terra repromissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando, cum Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem: cuius artifex & conditor, Deus. Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat. Propter quod & 4. ab uno orti sunt (& hoc emortuo) tamquam sidera cæli in multitudinem, & sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus; sed à longe eas aspicientes & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi: nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem. Fide obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur, & unigenitum offerebat qui susceperat repromissiones; ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen: 5. arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus, unde eum & 6. in parabolam accepit. Fide & de futuris benedixit Isaac, Iacob, & Esaü. Fide Iacob, moriens, singulos filiorum Ioseph benedixit: & adoravit fastigium virgæ eius. Fide Ioseph, moriens, de profectione filiorum Israël memo-
D ratus est, & de ossibus suis mandavit. Fide Moyses natus, occultatus est mensibus tribus H
à parentibus suis, eo quòd vidissent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum. Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores divitias æstimans, thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis: invisibilem enim tamquam videns sustinuit. Fide celebravit pascha, & sanguinis effusionem: ne qui vastabat primitiva, tangeret eos. Fide transierunt mare rubrum, tamquam per aridam terram: quod experti Ægyptij devorati sunt. Fide muri Iericho corruerunt circuitu dierum septem. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, 8. Iephte, David, Samuël, & Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in

bello,

A bello, castra verterunt exterorum 19. acceperunt mulieres de resurrectione mortuus suos. E Alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, 10. ut meliorem invenirent resurrectionem. Alij verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt: circuierunt 11. in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt 12. repromissionem; Deo pro nobis melius aliquid pruvidente, ut non sine nobis consummarentur.

COMMENTARIVS.

1. LANFR. [*Est autem fides*] Talis debet esse fides, ut sperandas res in corde credentis faciat subsistere, etsi alius dubitet quod sine argumento possint esse: quod plerique divini eloquij tractatores
B fecerunt, probantes resurrectionem corporum & vitam æternam, multaque alia esse vel fuisse ex eo quod Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres constat ea credidisse.

2. [*Invisibilia*] Invisibilia erant elementa ante mundi constitutionem.

3. [*Damnavit mundum*] Per arcam Noë damnavit mundum; quia tanto maius peccatum habuerunt homines, quantò maiorem eius in fabricanda arca instantiam videbant, & non credebant.

4. [*Ab uno orti*] Ordo Ab uno & hoc emortuo orti sunt tamquam, &c.

5. [*Arbitrans quia*] Vtrumque credidit Abraham, & quia in Isaac semen habiturus esse, & placere Deo si et ipsum Isaac immolaret: credidit eum quoniam mortuum Deus resuscitaret.

6. [*In parabolam*] Aries qui inter vepres hærens cornibus repertus est, & Isaac unum Christum hominem & Deum significant. Per hoc igitur quod aries qui-
C dem est immolatus, Isaac vero morte subtractus, significatum est Christum secundùm carnem passurum, secundùm verò divinitatem, morti discrimen non esse sensurum. Et hoc quod ait: in parabolam, id est allegoriam eum accepit. Ipsum enim prius ad moriendum dedit, sed post experimentum fidei reperto ariete ad videndum recepit. Hoc sibi propter fidem & obedientiam honore collatu, ut per filij vitam, divinitatis significaretur à morte subtractio.

7. [*Fastigium virgæ*] Vel sceptrum ferebat Ioseph more secundi à Rege. Vel fastigium virgæ dicit al- F titudinem regiminis eius; quam altitudinem Iacob adoravit, id est, in summa veneratione habuit. Et hoc fide, quia à Deo factum esse credidit.

8. [*Iephte David*] non ex eo ducitur Iephte in testimonium quod filiam occiderit, sed quod per fidem adiuvante eum Deo hostes superaverit

9. [*Acceperunt mulieres*] Ordo. Mulieres acceperunt, scilicet à sanctis Dei mortuos suos de resurrectione. id est, resurgentes, ut ab Elia unicum filium vidua Sareptana: & ab Eliseo Sunamitis.

10. [*Meliorem invenirent*] Meliorem resurrectionem vocat excellentiorem gloriam in resurrectione quantò enim magis quis patitur, tantò magis coronabitur.

11. [*In melotis, in pellibus*] Vestimentum est ex pilis, ut aiunt, camelorum factum: quo vel caprinis pellibus quis in veteri populo Iudæorum usus sit, apertè scriptura non dicit; Ioannes autem Baptista usus est.

12. [*Repromissionem*] Beatitudine animarum recepta, resurrectio corporum, quam sanctis suis promisit Deus, G ideo adhuc differtur, ut simul omnes resurgamus, quatenus in communi gaudio omnium, maius fiat singulorum.

CAPVT DVODECIMVM.

IDeoque & nos tantam habentes 1. impositam nubem testium, deponentes 2. omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei, & 3. consummatorem Iesum, qui proposito sibi 4. gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes: & obliti estis consolationis, quæ vobis tamquam filiis loquitur, dicens. 5. Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd si extra disciplinam estis, cuius
D participes facti sunt omnes ergo adulteri, & non filij estis. Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, & reverebamur eos: num multò magis obtemperabimus Patri Spirituum, & vivemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundùm voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id, quod utile est in recipiendo sanctificationem eius. Omnis autem disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem 6 fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet iustitiæ. Propter quod, remissas manus & soluta genua erigite, & gressus rectos facite 7. pedibus vestris: ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum: contemplantes ne quis desit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. Ne quis fornicator, aut prophanus ut Esau: qui propter unam escam vendidit primitiva sua. 8. Scitote enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam. 9. Non enim accessistis ad tractabilem montem & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, H

A ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur: Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit: Exterritus sum, & tremebundus. 10. Sed accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Ierusalem cœlestem, & multorum millium Angelurum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, & iodicem omnium Deus, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti novi mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem 11. melius loquentem quàm Abel. Videte ne recusetis loqueotem. Si enim illi non effugerunt, recusantes enm qui super terram loquebatur: multò magis nos, qui de cœlis loquentem nobis, avertimus: cuius vox movit terram tunc: nunc autem repromittit, dicens. 12. Adhuc semel; & ego movebo oon solùm terram, sed & cœlum. Quòd autem adhuc semel dicit. 13. declarat mobilium translationem tamquam factorum, ot maneant ea qoæ sunt immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam: per quam serviamus placentes Deo, cum metu & revereotia. Etenim Deos noster ignis consumens est. E

COMMENTARIVS.

B 1. LANFR. (*Impositam nubem*) Multitudinem sanctorum vocat nubem, quia verbis pluunt, & miraculis coruscant.

Psal. 37. 4. 2. (*Omne pondus*] Pondus vocat peccatum, sicut in Psalmo: *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. Sicut onus grave gravatæ sunt super me.*

3. (*Consummatorem*) Id est, qui nos consummabit, id est, animæ & corporis perfectam beatitudinem dabit.

4. (*Gaudio*) Vel regni cœlestis, vel regni terreni, quod sibi oblatum est.

Prov. 3. b 11.12. 5. (*Fili mi, noli* In Proverbiis ita habetur: *Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias, neque deficias cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus corripit; & quasi Pater in Filio complacet sibi.*

6. [*Fructum pacatissimum*] Ordo. Fructum pacatissimum iustitiæ, id est, quem iustitia promeretur.

7. [*Pedibus vestris* [Pedes vocat cogitationes, quæ tunc rectè gradiuntur, cum bene credunt; tunc claudicant, cum errant.

8. [*Scitote*] Ostensio quam fuerit Esau profanus, id est, à conventu fidelium alienus.

F 9. [*Non enim accessistis*] Quando lex data est Iudæis, apparuit ignis tractabilis, id est, palpabilis, & accessibilis, in quo loquebatur Deus, & cætera terribilia quæ sequuntur. Non ita, inquit, in novæ legislatione factum est: omnia enim suaviter, & dulciter indicantur vobis.

10. [*Sed accessistis*] Id est, ad altitudinem, in qua vel de qua videtur Deus. Sion enim speculatio interpretatur.

11. [*Melius loquentem*] Aspersio sanguinis Abel clamat vindictam; aspersio sanguinis Christi misericordiam.

12. [*Adhuc ego semel*] In Aggeo Propheta sic: *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum, & terram.*

13. [*Declarat*] Per hoc quod dicit movebo, declaratur cœli, & terræ translatio, id est, in altum statum transmutatio. Probat hoc vero, quod semel ostenditur, quòd postea futura sunt immobilia. Quòd vero dicitur, ea quæ sunt, sic intelligendum est quasi diceretur, id quod sunt. Quidquid enim erit sive in principalibus essentiis, sive extrinsecus sumptis, secundum id immobile erit. G

C

CAPVT DECIMVM-TERTIVM.

CHaritas fraternitatis maneat in vobis. Et hospitalitatem nolite oblivisci: per hanc enim latuerunt quidam Angelis hospitio receptis. Mementote vinctorum, tanquam simul vincti; & laborantium, tamquam & ipsi in corpore morantes. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros iodicabit Deus. Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus: ipse enim dixit; Non te deseram, neque derelinquam: ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor est: non timebo quid faciat mihi homo. Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. 1. Iesus-Christus heri, & hodie: ipse & in sæcula. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim, gratia H stabilire cor, 2. non escis qoæ non profuerunt ambulantibus in eis. 3. Habemus altare, D de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. 4. Quorum enim animalium infertur saoguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, ut sanctificaret per suum sangoinem popolum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis. Orate pro nobis: 5. confidimus enim quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes conversari. Ampliùs autem deprecor vos hoc facere, quo celeriùs restituar vobis. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, 6. in sanguine testamenti 7. æterni, Dominum nostrum Iesum-Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se, per Iesum-Christum

cui

A cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen. Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatij. Etenim per paucis scripsi vobis. Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo (si celeriùs venerit) videbo vos. Salutate omnes Præpositos vestros, & omnes sanctos. Salutant vos de Italia fratres. Gratia cum omnibus vobis. Amen. E

COMMENTARIVS.

1. [*IEsus-Christus heri & hodie*] Quasi diceret Iesus-Christus qui cum illis fuit, vobiscum est, & erit cum Ecclesia sua usque ad consummationem sæculi.

2. [*Non escis*] Datur intelligi quosdam fuisse, qui dogmatizarent peccatum non esse escis & voluptatibus affluere.

3. (*Habemus altare*) Causa cur escis non sit immoderatè affluendum. Cum sobrietate enim edendum est corpus Christi, quod & in aliis divinarum locis scripturarum altare vocatur, pro eo videlicet, quod in ipso, id est, in fide ipsius, quasi in quodam altari oblatæ preces, & operationes nostræ acceptabiles fiunt Deo. B

4. (*Quorum enim animalium*) Per duplicem allegoriam, unam veteris, & alteram novi Testamenti probat corpus Christi non esse edendum ab his qui tabernaculo deserviunt. Ad hoc enim corpora animalium horum extra castra cremabantur; & propterea Christus extra portam civitatis Ierusalem passus est, ut nos qui corpore & sanguine eius à peccatis mundari volumus, impropetia & angustias passuri, tabernaculi delicias deseramus.


5. [*Confidimus enim*) Causa cur orent pro eo, videlicet quod bonam conscientiam & ad eos & ad omnes *.

C *Sup. * habeant.* 6. [*In sanguine*] Sanguinem more suo vocat mortem, per quam Christus de mortuis resurrexit. Nisi enim moreretur, nec ad inferos descenderet, nec ab inferis ascenderet.

7. (*Æterni*] Æternum duobus dicitur modis, & quod initio & fine caret, & quod tantum usque ad finem sæculi permanet: secundum quam significationem æternum hic ponitur, & per Moysen dicitur: *Dominus regnabit in æternum, & ultra.* *Exod.15 d.18.*

Explicit Commentarius Beati Lanfranci In Epistolas Divi Pauli.

D



DIVI

LANFRANCI

PRIMI ABBATIS S. STEPHANI CADOMENSIS, Deinde Cantuariensis Archiepiscopi, adversus Berengarium Turonensem, de Corpore & Sanguine Domini. F

LIBER.

Primus in lucem edidit Franciscus quadratus Beccensis Cænobita.

CAPUT PRIMUM.



LANFRANCUS misericordiâ Dei Catholicus, Berengario Catholicæ Ecclesiæ adversario. Si divina pietas cordi tuo inspirare dignaretur, quatenus respectu eius, atque animæ tuæ mecum loqui G velles, locúmque opportunum in quo id competenter posset fieri, salubri deliberatione eligeres: multùm fortasse tibi, proculdubio autem iis consuleres, quos decipis, deceptos verò, ac morte præventos in pœnas æternas transmittis. Etenim cooperante spiritu qui ubi vult spirat, evenire è duobus alterutrum, videlicet ut aut tu ipse deposito superbiæ fastu quo plenus contra orbem terrarum sentire cœpisti, authoritati totius sanctæ Ecclesiæ, rectisque sanctarum Scripturarum expositionibus adquiesceres, & sic te ac sequaces tuos de tenebris erroris, ac profundo iniquitatis erueres: aut te in tua pertinacia persistente, ipsi auditis rationibus miserante Deo resipiscerent, & ad veram fidem, quam sancta Ecclesia prædicare non cessat, consilio meliore redirent. Sed quia elegisti pravitatem, quam semel imbibisti, clandestinis disputationibus apud imperitos tueri: palam autem, atque in audientia sancti Concilij orthodoxam fidem non amore veritatis, sed timore H mortis confiteri: propterea refugis me, refugis religiosas personas, quæ de verbis tuis, ac meis possint ferre sententiam. In quarum præsentia de nulla re te audire, tecúmque conferre libentiùs vellem; quàm quòd sententias tuis sententiis commodas plectendâ temeritate confingis: easque seu studio nocendi, seu ignorantiâ veri, sacris Doctoribus attribuis dicens; hoc vel hoc in illo, seu illo opere testatur Augustinus, Gregorius, Hieronymus, vel quilibet eorum, quos in arce authoritatis positos Ecclesia Christi insigniter veneratur. Ibi enim conquiesceret omnis versuta tergiversatio, quum sacri codices te audiente legerentur, vel tibi ad legendum in manus traderentur: cœlestique lampade splendidiùs eniteret, quædam quæ de scripturis sanctis te sumere nonnumquam dicis: aut penitus esse falsa, aut aliqua ex parte, prout ratio rui negotij postulat, depravata. Per quam diabolicam fallaciam ignaras divini mysterij mentes, tibique credulas invadis, decipis, subruis, tantò iniquior, quantò in malo proposito ad eorum, qui tibi in Christo fratres sunt, subversionem, & scandalum pertinacior, parviponderans verba Do-

mini comminantis ei, qui de pusillis suis aliquem scandalizat; nec satis timens increpationem Apostoli ad superbam Corinthiorum Gentem scribentis, & dicentis, *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Quo peccato plurimum detinetis, subvertens eos qui nescientes tibi resistere, contemplantur ea quæ videntur, non ea quæ non videntur. Sed firmum fundamentum Dei stat immobile, habens signaculum, quo discedit ab iniquitate, quia invocat nomen Domini, nequaquam sine gravi scandalo ferens quod non es contentus ut perversus perversa dicas, nisi etiam prava scripta per pravos discipulos tuos in diversas regiones transmittas. Et cætera quidem à beatæ memoriæ Nicolao totius Christiani nominis summo Pontifice, & à centum tredecim Episcopis Romæ audita, examinata, atque damnata sunt. Tu quoque inclinato corpore, sed non humiliato corde, ignem accendisti, librosque perversi dogmatis in medio sancti Concilij in eum conjecisti: iurans per id quod rebus omnibus incomparabiliter maius est, fidem à Patribus qui præsentes erant, traditam inviolabiliter te servaturum, veterémque doctrinam tuam de Corpore, & Sanguine Domini, ab illa die alijs non prædicaturum. Huius propositi sacrilegus violator contra præfatam Synodum, contra Catholicam veritatem, contra omnium Ecclesiarum opinionem scriptum postea condidisti: cui in hoc opusculo confisus de Christi misericordia respondere dispono. Et ut evidentius appareat quid tu dicas, quid ego respondeam: alternas sententias vicaria nostrorum nominum positione distinguam. Nec ad omnia respondendus sum, quia spinis rosas interseris, & albis, atque nigris coloribus phantasma tuum depingis, quædam etiam dicis, quæ nihil pertinent ad propositum quæstionis. Compendio autem in quantum potero, operam dabo. In talibus enim næniis nollem vitam deterere, si populum Dei antiquam permitteres pacem habere.

Capvt II.

Berengarivs: *Scriptum Humberti Burgundi quem fecerant Romæ Episcopum Cardinalem, quod scripsit contra Catholicam veritatem, quod inferius patebit, ut cogeretur illud Berengarius, & quasi profiteri errorem ineptissimi Burgundi.*

Lanfr. Humbertum virum fuisse religiosum, fide Christianâ, & sanctissimis operibus perseverantissimè decoratum, scientiâ divinarum ac sæcularium litterarum apprimè eruditum, testantur omnes qui vel propriâ experientiâ eum noverunt, vel ab alijs qui ipsum experti sunt, eius cognitionem acceperunt. Hunc non de Burgundia, sed de Lotharingia sanctus Leo Romam traduxit, ad prædicandum Siculis verbum Dei Archiepiscopum ordinavit: postea verò sancta Romana Ecclesia Præsulem sibi Cardinalem constituit. Quo in loco positus taliter vixit, taliter docuit: ut de fide vel doctrina ipsius nec saltem sinistræ suspicionis fama aliquando exorta sit. Huius rei testis est tota ferè Latinitas, quæ pro excellentia Apostolicæ Sedis, cuius concilijs, & consilijs semper aderat, ac præerat, eum ignorare non potuit. Qui si etiam Burgundus esset, insipienter tamen arrogantia tua nomen suæ gentis pro infamia sibi ascriberet, quum spiritus Domini ubi vult spiret, & quem vult aspiret, & Domini sit terra, & universi qui habitant in ea, & Princeps Apostolorum dicat: *In veritate comperi quoniam non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Idem Doctor Gentium ad Galatas: *Deus personam hominis non accipit.* Quem dum contra Catholicam veritatem scripsisse asseris, non ipsum solum, sed & Romanos Pontifices, Romanam Ecclesiam, multósque sanctos Patres redarguis, incurrisque in illud quod beati Doctores, si non eisdem verbis, eisdem tamen sententiis multis in locis concorditer astruxerunt, hæreticum esse omnem hominem, qui à Romana, & universali Ecclesia in fidei doctrina discordat. Evenitque tibi iusto Dei iudicio, ut qui alios esse hæreticos astruere conaris, tu ipse in hæresim devolutus esse hæreticus convincaris.

Berengarivs. *Anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam quæ astruere conatur panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramenta esse, & non verum corpus Christi, & sanguinem.*

Lanfranc. Principium huius tui iurisiurandi propterea, ut opinor, hic non inseruisti: ut lectores tui putarent hæc verba non esse tua, sed venerabilis Humberti Episcopi. Nec id iniuriâ. Nam quia hæretica esse pertinaciter probare contendis: si manifestè tua diceres, manifeste teipsum hæreticum comprobares. Sed ne quis nesciens Romani concilij indiscretam de negotio ferat sententiam: principium eius medium atque finem simul hic apponam. *Ego Berengarius indignus Diaconus Ecclesiæ Sancti Mauricij Andegavensis cognoscens veram, Catholicam, & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam, de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, & non verum corpus, & sanguinem Domini nostri* Iesv-Christi *esse, nec posse sensualiter in solo sacramento manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedi, & ore, & corde profiteor de sacramentis dominicæ mensæ eam fidem tenere, quam Dominus, & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus authoritate Euangelicâ, & Apostolicâ tenendam tradidit, mihique firmavit, scilicet panem & vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum Corpus, & Sanguinem Domini nostri* Iesv-Christi *esse, & sensualiter non solum sacramento, sed in veritate, manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri: iurans per sanctam, & homousion Trinitatem, & per hæc sacrosancta Christi Euangelia. Eos verò qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus, & sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuntio. Quòd si egoipse aliquando aliquid contra hæc sentire, aut prædicare præsumpsero, subiaceam canonum severitati. Lecto & perlecto sponte subscripsi.*

Ad hæc Gregorij septimi tempore quum in templo salvatoris de his sermo haberetur, quorumdam tui similium stipatus agmine, erroris magister perseverabas. Tum cœlestis Patris spiritu in animum instillante eversus, speratam veniam, Apostolicâ miseratione consecutus es, iurans & ea quæ sequuntur. *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor panem & vinum quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis, & verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram, & propriam vivificatricem Carnem & Sanguinem* Iesv-Christi *Domini nostri, & post consecrationem esse verum Corpus Christi, quod natum est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dexteram Patris: & verum Sanguinem Christi, qui de latere eius effusus est, non tantum per signum & virtutem sacramenti, sed in proprietate naturæ, & veritate substantiæ, sicut in hoc brevi continetur, & ego legi, & vos intellexistis. Sic credo: nec contra hanc fidem ulterius docebo, sic me Deus adiuvet, & hæc sacra Euangelia.*

Postea præcepit idem Pontifex tibi Berengario, ex authoritate Dei, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ut de Corpore & Sanguine Domini ulteriùs cum aliquo disputare non præsumeres, exceptâ causa reducendi ad fidem eos qui per tuam doctrinam ab ea recesserant.

Cum autem sub Nicolao venisses Romam, fretus iis

qui

A qui plus impensis à te beneficiis, quàm ratione à te auditâ opem tibi promiserant: non ausus defensare quod antea senseras, postulasti Nicolaum Pontificem eiúsque concilium, quatenus fidem quam teneri oporteret, verbis tibi traderet, scripturâ firmaret. Iniuncta est huius rei cura Humberto Episcopo.

Itaque verba fidei superiùs comprehensa scripsit, assensu omnium ad legendum, & confitendum tibi tradidit. Tu verò adquiescens accepisti; legisti, confessus te ita credere iureiurando confirmasti, tandem manu propriâ subscripsisti.

Nicolaus Papa gaudens de conversione tua, iusiurandum tuum scriptum misit per vrbes Italiæ, Galliæ, Germaniæ: & ad quæcumque loca fama tuæ pravitatis antea potuit pervenire. Et sicut Ecclesiæ scandalizatæ prius dolebant de te à veritate averso, atque ita gauderent, gratiásque Deo agerent de reverso atque B converso. Cur ergo scriptum hoc magis adscribitur Humberto Episcopo quàm tibi, quàm Nicolao Pontifici, quàm eius concilio, quàm denique omnibus Ecclesiis, quæ id cum debita reverentia susceperunt, & pro conversione tua Deo gratias retulerunt? Cur, inquam, nisi quia faciliùs persuades imperitis potuisse unum hominem errare; quàm tot personas, tot Ecclesias? Tibi verò si ascripsisses: cum ipsum destruere moliatis, periurum te esse astruere videris. Sed iam qualiter redarguis videamus.

Caput III.

BERENG. *Apparet quia lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

LANFR. Hoc rectissimè in te retorqueri potest. Lucet namque lux fidei in tenebris huius mundi, quantùm per speculum, & ænigma revelante Deo possumus C contueri; verum hanc lucem tenebrosa mens tua nequit comprehendere, despectis cæteris putans se solam sapientem esse evanescens in cogitationibus suis stulta facta apud Deum.

BERENG. *Quia veritatis inimicus, velis nolis veritatem asserat.*

LANFR. Parum videris attendere quid dicas, tantum ut servum Dei illatis opprobriis in contemptum adducas.

Assertorem veritatis, tam volentem, quàm nolentem inimicum pariter constituis veritatis. Quisquis autem veritatem asserit, aut volens, aut nolens id agit. Nihil enim medij poterit reperiri. Omnis igitur assertor veritatis, te authore, inimicus est veritatis. Sed absit. Ipsa namque veritas assertores suos plurimum distanti nomine in Evangelio vocat, dicens: *Iam non dicam vos servos, sed amicos meos.* (*Ioan. 15. b 15. Ibid. b. 14*) Falsum est ergo assertorem veritatis tam volentem, quàm nolentem inimicum constituere veritatis.

D BERENG. *Quia sicut Goliat proprio Burgundus ense depereas.*

LANFRANC. Tui moris est alios deprimere, te efferre, te iactare, de te magna sentire. Te quidem David, Humbertum verò Goliat appellas. Et quidem rectiùs te nominasses Goliat, quia homo arrogantissimus es: & ea sentis, scribis, & loqueris, quibus tu ipse velut ense proprio iuguleris. Illum verò David, qui humiliter vixit, humiliter docuit, membrum Ecclesiæ, pugnans pro Ecclesia, assumens scutum fidei, & gladium spiritûs quod est verbum Dei. (*Ephes. 6 c. 17.*)

Caput IV.

BERENGARIUS. *Erat autem Burgundus in sententia, imò vecordia vulgi, Paschasij, atque Lanfranci, minimè superesse in altari post consecrationem substantiam panis atque vini.*

LANFRANC. Tempore sancti Leonis Papæ, de- E lata est hæresis tua ad Apostolicam Sedem. Qui cum Synodo præsideret, ac resideret secum non parva multitudo Episcoporum, Abbatum, diversique Ordinis à diversis regionibus religiosarum personarum, iussum est in omnium audientia recitari, quas mihi de Corpore & Sanguine Domini literas transmisisti. Portitor quippe earum legatus tuus me in Normannia non reperto, tradidit eas quibusdam Clericis; quas cum legissent, & contra usitatissimam Ecclesiæ fidem animadvertissent, zelo Dei accensi quibusdam ad legendum eas porrexerunt, plurimis earum sententias verbis exposuerunt. Itaque factum est ut non deterior de te quàm de me fuerit orta suspicio, ad quem videlicet tales literas destinaveris, putantibus multis me fovere, ac favere quæ à te dicerentur, vel gratiâ qua te diligerem, vel fide qua reverà ita esse non dubitanter tenerem. Igitur cum à quodam Remensi Clerico Romam perlatas recitator legeret, intelle- F cto quòd Ioannem Scotum extolleres; Paschasium damnares, communi de Eucharistia fidei adversa sentires, promulgata est in te damnationis sententia privans te communione sanctæ Ecclesiæ, quam tu privare sancta eius communione satagebas. Post hæc præcepit Papa, ut ego surgerem, pravi rumoris à me maculam abstergerem, fidem meam exponerem, expositam plus sacris authoritatibus, quam argumentis probarem. Itaque surrexi, quod sensi dixi, probavi, quod probavi omnibus placuit, nulli displicuit. Dehinc declarata est Synodus Vercellensis, quæ proximo Septembri eodem præsidente Pontifice est celebrata Vercellis. (*Synod. Vercel. præsidente Leo Pap.*) Ad quam vocatus non venisti: ego verò præcepto ac precibus præfati Pontificis usque ad ipsam Synodum secum remansi. In qua in audientia omnium, qui de diversis huius mundi partibus illoc convenerant, Ioannis Scoti liber de Eucharistia lectus est, ac damnatus, sententia tua exposita ac damnata, fides sanctæ G Ecclesiæ, quam ego teneo, & tenendam astruo, audita, & concordi omnium assensu confirmata. Duo Clerici qui legatos tuos se esse dixerunt, volentes te defendere in primo statim aditu defecerunt, & capti sunt. Ab hac sententia nunquam discessit sanctus Leo in omnibus conciliis suis, seu quibus ipse suam præsentiam exhibuit, seu quæ per legatos suos in diversis provinciis congregari instituit. Quæ sententia non effugit successorem quoque suum fœlicis memoriæ Papam Victorem. Sed quicquid de hac tu seu cæteris ipse statuit, statuive præcepit: hoc etiam iste sua atque omnium conciliorum suorum authoritate firmavit. Denique in concilio Turonensi cui ipsius interfuere, ac præfuere legati: data est tibi optio defendendi partem tuam. Quam cum defendendam suscipere non auderes: confessus coram omnibus communem Ecclesiæ fidem iurasti, ab illa hora te ita crediturum sicut in Romano concilio te iurasse est H superiùs comprehensum. Porrò quid de hac re tempore Nicolai gestum sit, breviter suprà referavi. Digrediendo hæc ideo dixi, quia dixisti, erat autem Burgundus in sententia vulgi, Paschasij, atque Lanfranci. Nam cum Catholica Ecclesia dividatur in clericalem ordinem, atque laïcalem: clericalis verò ordo consistat in Episcopis ac reliquis Christi Sacerdotibus, aliísque diversarum dignitatum Ecclesiasticis personis, (*Ecclesiæ Cathol. duo status hominum.*) hos autem omnes præter paucissimos schismaticos, hanc fidem tenere manifestissimum sit: rectiùs dixisses, erat autem Burgundus in sententia Catholicæ Ecclesiæ, sed non in mea, meorúmque sequacium, qui maluimus nos ab ea superbè separare, & contra eam ad nostram perniciem schisma facere, quàm humiliter membra eius esse: & communem cum ea fidem salubriter retinere, hoc reverà dixisses, si amator veritatis & servator iustitiæ extitisses, si abiecto inanis gloriæ appetitu, peccata tua confiteri, quàm tueri maluisses.

A

Quòd verò sententiam qua panem in veram Christi carnem, & vinum in verum Christi sanguinem converti credimus, vecordiam nominas: de hac re opportuniùs tibi respondebo, cum fidem hanc aothore Deo, divinis authoritatibus, & manifestis rationibus veram esse monstravero. Porro aotem quod dicis, erat autem Borgundus in sententia volgi, Paschasij atque Lanfranci bene etiam cùm vulgò depotas, certissimum habeto tu, indubitanter credant amici mei, atque Ecclesia Christi, quasi etiam deesset mihi authoritas, atque ratio, quibus fidem meam tueri possem: mallem tamen cum vulgo esse rusticus & idiota Catholicus, quam tecum existere curialis, atque facetus hæreticus. Sed si Dominos Deus te, atque me in audientia sancti concilij dignaretur coniungere: de pietate eius confido, quia mutares verba, mutares sententiam.

Egregia B. Lanfranci sententia

Berengarivs. *Quam sententiam superioribus suis verbis ille ipse deserit, nec attendit.*

B

Lanfr. Dum insatiabili odio illum insequeris, te ipsum turpiter infamare minimè erubescis. Quisquis enim contraria iurat, necesse est in alterutro periurij crimen incurrat. Ergo cum verba ad iurandum tibi tradita inter se contraria esse astroar: manifestâ voce periurum te esse impudenter proclamas. O infœlix homo, ô miserrima anima cur te credere iurabas, quæ tantopere inter se dissidere intelligebas? nonne præstabat si veram fidem te habere potabas, vitam honestâ morte finire, quàm periurium facere, perfidiam iurare, fidem abiurare? Sed absit, ut scriptura sancti concilij aliquâ inter se contrarietatis oppositione dissideat, si remoto calomniandi studio diligens lector ad intelligendum curam impendat. Et hoc posterius patebit.

C

Capvt V.

Bereng. *Qui enim dicit, panis, & vinum altaris, solummodo sacramenta sunt: vel panis, & vinum altaris solummodo sunt verum Christi Corpus, & sanguis: modis omnibus panem, & vinum superesse constitue.*

Lanfr. Nihil horum Romanæ synodos credendum esse decreuit, nec Humbertus Episcopus ad confitendom, vel iorandum horum tibi aliquid tradidit. Prior quidem sententia per quam dicitur panis, & vinum altaris solummodo sacramenta sunt, tua est, tuorumqoe sequacium. Posterior verò qoæ enuntiat, panis, & vinum altaris solummodo sunt verum Christi Corpus, & Sanguis: nollius hominum est. Nam tu veritatem carnis, ac sanguinis negas, & Ecclesia Christi sic panem in carnem, vinum credit converti in sanguinem: ut tamen salubriter credat, & veraciter recognoscat sacramentum esse dominicæ passionis, divinæ propitiationis, concordiæ & vnitatis, postremò assumptæ de Virgine carnis, ac sanguinis: singula suis, distinctisqoe modis, de quibus suo loco, ac tempore euidentios disseretur. In præsentia tantùm suscepi ostendere verba Romani concilij quæ te seruaturum ioreiorando firmasti, nulla à se inuicem contrarietate differre. Arguentibos enim te amicis, ac necessariis tuis, quòd aut non servanda iurare non debueris, aut iurata servare: infamare soles Nicolaum Pontificem, reliqoósque patres Romani concilij, videlicet qoòd docentes, ac scientes contraria, tui fuerunt caosa periurij. Id qooqoe in hoc opusculo quod destruendum suscepi, ubique fere laboras efficere, propterea conferenda sunt verbis eorum.

Quid credat Ecclesia de Eucharistiæ sacramento.

D

Nicolaus Papa comperiens te docere, panem, vinumque altaris post consecrationem sine materiali mutatione in pristinis essentiis remanere: concessa tibi, sicut soperius dictum est, respondendi licentiâ, cum non auderes pro tuæ partis defensione aliquid respondere: pietate motus ad preces tuas præcepit tradi scripturam tibi, quam superius posui. Eius principium hoc erat.

E

Ego Berengarius anathematizo eam heresim de qua hactenus infamatus sum, qua astruere conatur panem, & vinum, qua in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum: & non verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse.

Rectissimè id quidem, & ipse præcepit, & synodus assensit, & tu executus es, si labium dolosum in corde, & corde locutus non fuisses, si ad pristinum vomitum, & ad uolutabrum luti infœliciter periturus postea non redisses. Sacrorum namque canonum authoritate instruimur, ut nemo ab hæresi revertens Ecclesiasticæ communionis particeps esse permittatur, quoadusque perversum dogma vinculo anathematis damnare compellatur. Verum in his verbis, nec verba tua superius posita, nec eorum sententias quisquam poterit inoenire. Vnde apparet perversorem, ac subversorem te esse divinarum literarum, & ex depravatis, fictisque sententiis erroris nebulas spargere imperitis, falsúmqoe esse quod ex falso principio constiterit emanare.

Hæretici quando recipiantur in Cómunionem.

F

Capvt VI.

Bereng. *Sicut enim qui dicit; Christus est summus angularis lapis, Christum non aufert, Christum esse omnino constituit: ita qui dicit panis altaris solummodo est verum Corpus Christi, panem in altari esse non negat, panem & vinum esse confirmat in mensa dominica.*

Berengar. 1. argumentum.

Lanfr. Verum annecteres si ignarus veritatis priorem propositionis partem quisquam statueret; nisi forte figurato locutionis modo verbum illud proferret. Solemus enim aliquas res illarum rerum, ex quibus efficiuntur, nominibus appellare, quamvis in aliam naturam translatæ, iam non possint esse illud, quod sunt res illæ, ex quibus probantur effectæ. Sicut beatus Aogustinus in extremo psalmorum explanationis opere, *cristallum* voeat *nivem multorum annorum duratam tempore, & serie sæculorum*, cum nix sit liquida, & humida, cristalli verò natura existat dura, & sicca. Ac per hoc cum tam diversæ naturæ sint in utrisqoe non recte quis cristallum nivem vocauerit; nisi eo locutionis modo, quo res effecta materiali solet nomine appellari. Et Creator ex terra creato primo homini in Genesi dicit; *Terra es, & in terram ibis.* Quasi diceret; Quia factus es ex terra, quandoqoe fies terra, & reverteris in terram.

G

In Psal. 147.

19. Cap 3. d.

Verumtamen, ot dixi, has sententias nemo Catholicus recipit, Christiana eas religio non admittit. Nam priorem tuam esse tantùm, tuæque sectæ, nemo est qui ambigat. Posteriorem verò neque tu recipis, qui carnis, ac sanguinis negator existis, neque nos qui sic otrumque fatemur: ut tamen multarum, & excellarum rerum figuram, ac sacramentum esse, minimè abnegemus. Porro similitudo quam de Domino Iesu Christo, & lapide angulari posuisti, te impedit, nos expedit. Sicut enim qui dicit, Christus est lapis angularis, non reverà Christum lapidem esse constituit, sed propter aliquam similitudinem, quam ad se inuicem gerunt, ei nomen imponit; eodem modo cum divina pagina Corpus Domini panem vocat, sacratâ, ac mysticâ locutione id agit, seu quoniam ex pane conficitur eiusque nonnullas retinet qualitates, seu quia animam incomprehensibiliter pascendo satiat, ei æternæ vitæ sobstantiam subministrat. Vel qoòd corpus est filij Dei, qui est panis Angelorum, *& in quem* (sicut ait Princeps Apostolorum) *desiderant Angeli prospicere*, seu aliquo alio modo, qui à doctioribus comprehendi potest, à nobis non potest.

H

1. Pet. 1. c.

A

CAPUT VII.

BERENGARIUS. *Non enim constare poterit affirmatio omnis, parte subrutâ; & hoc sicut dicit beatus Augustinus in libro de doctrina Christiana; In ipsa æternitatis veritate, quæ Deus est indissolubiliter constat.*

LANFR. Relictis sacris authoritatibus ad Dialecticam confugium facis. Et quidem de mysterio fidei auditurus, ac responsurus quæ ad rem debeant pertinere mallem audire, ac respondere sacras authoritates, quàm dialecticas rationes. Verum contra hæc quoque nostri erit studij respondere, ne ipsius artis inopiâ me putes in hac tibi parte deesse: fortasse iactantia quibusdam videbitur, & ostentationi magis quàm necessitati deputabitur: Sed testis mihi Deus est, & conscientia mea, quia in tractatu divinarum litterarum, nec proponere, nec ad propositas respondere cuperem dialecticas quæstiones, vel earum solutiones. Etsi quando materia disputandi talis est, ut per huius artis regulas valeat enucleatius explicari, inquantum possum per æquipollentias propositionum tego artem, ne videar magis arte, quam veritate, sanctorumque patrum authoritate confidere. Quamvis beatus Augustinus in quibusdam suis scriptis, & maximè in libro de doctrina Christiana, hanc disciplinam amplissimè laudet, & ad omnia quæ in sacris literis vestigantur plurimum valere confirmet.

B

Nota.

Dialecticæ usus.

Cap. 4.

Deinque contra Felicianum hæreticum Arrianum contendens, ita hac arte eum conclusit, ut ipse hæreticus non valens ferre locorum, ac syllogismorum implicitas, atque implicantes connexiones, publicâ voce exclamaret dicens; *Aristotelicâ mecum subtilitate contendis, & omnia quæ à me dicuntur, torrentis more præcipitas.* Igitur superiùs volens astruere panem vinumque altaris inter sacrandum essentialiter non mutari, duo quædam pro argumentorum locis assumpsisti: quorum unum tantummodo esse tuum, alterum nullius hominum manifestis rationibus approbavi. In qua re magno vitio rem prædictam effecisti. Nam quod tuum erat, quæstio erat. Ex eo quippe quærimus, id opprimere, atque evertere omnium argumentorum mole, atque impulsu satagimus. Porro nulla quæstio locus esse poterit argumenti. Argumenti quippe locum necesse est, aut per se esse certum, aut certis rationibus approbatum. Quod ergo tantummodo tuum erat, ad probandam rem dubiam assumi minimè oportebat. reliquum verò quod nullius hominum esse consistit, ne id quidem dubiæ rei fidem facere aliquâ ratione potuit. Quis enim certum esse, aut certum fieri posse arbitretur, quod omnes negant, nullus confitetur? Igitur ne id quidem ad argumentum sumi rationis fuit. Malè ergo utrumque posuisti. His duobus vitiosissimis principiis totam argumentationem tuam identidem repetendo ad finem usque contexis. Ac propterea necesse est vitiosum, nec concedendum esse quicquid ex vitiosis, nec concessis principiis constiterit emanare.

Convicti Feliciani verba.

C

D

Adhuc alio argumento probare contendis, panem vinumque post consecrationem in principalibus permanere essentiis, dicens: *non enim constare poterit affirmatio omnis, parte subrutâ.* Ad cuius rei probationem non oportuit inferri particularem negationem, qua de præsenti quæstione nihil colligitur, sed universalem potius, per quam enuntiatur, nulla affirmatio constare poterit parte subrutâ. Age enim particularis sit negatio tua, non omnis affirmatio constare poterit parte subrutâ, rursus assumptio tua. Panis & vinum altaris solummodo sunt sacramentum, vel panis & vinum altaris solummodo sunt verum Christi Corpus & Sanguis; utrumque affirmatio est. His duabus particularibus præcedentibus, potuisne regulariter concludere, parte subrutâ ea non posse constare? Absit. In nulla quippe syllogismorum figura, præcedentibus duabus particularibus consequenter infertur conclusio ulla. Male igitur eam collocasti. Illud verò perfunctoriè non est prætereundum, quòd præfatæ propositionis tuæ veritatem in ipsa æternitatis veritate, quæ Deus est, indissolubiliter constare perhibuisti, idque beati Augustini de doctrina Christiana, authoritate firmasti. Et quidem propositio ipsa vera est veræque propositionis vim suo loco posita obtineret: sed tu malè & inefficaciter eam posuisti. Nec eius magis quàm omnium tam rerum quam aliarum propositionum veritas, apud veritatem omnia scientis ac præscientis Dei æternaliter constat, qui & res ipsas in principalibus, ac secundis essentiis condidit, easque tam verarum, quàm falsarum propositionum causas esse disposuit. Verumtamen in opere de doctrina Christiana nec huius propositionis, nec alicuius eius similis beatus Augustinus aliquo in loco mentionem fecit, quod facile quivis scire poterit, si curet ipsum librum legere, si nunquam legit; vel relegere, si fortasse iam legit. In qua re vehementer miror sive errorem, sive stultitiam tuam. Errorem quidem si prolata testimonia in sacris codicibus, aut aliter esse, aut penitus non esse ignoras. Stultitiam verò si ita cæteros vecordes existimas, ut dictis tuis contra antiquam Ecclesiæ fidem protinus credant, eáque velut sacrosancta indiscussa prætereant.

E

F

CAPUT VIII.

BERENG. *Est autem affirmatio notissimis partibus suis constans, prædicato, & subiecto, quæ ita enuntiat: Panis, & vinum, quæ in altari ponuntur, sunt solummodo sacramenta. Nihilominus quæ ita enuntiat; panis, & vinum, quæ ponuntur in altari, post consecrationem solummodo sunt verum Christi corpus & sanguis.*

LANFR. Eadem te repetere minimè pudet, propterea quæ paulò ante posui me etiam replicare oportet. Priorem sententiam tantummodo esse tuam, posteriorem verò nullius hominum superiùs esse dixi, & ita esse documentis clarioribus approbavi. Nam & tu carnem, ac sanguinem negas, in solo sacramento rem totam constituens: & nos sacramentum fatemur, & tamen utriusque veritatem fideliter, ac veraciter confitemur. Quòd verò dialectica verba, *affirmationem, prædicatum, subiectum*, cæteráque in hunc modum tractatui tantæ rei laboras inserere, propter nihil aliud videris id facere, nisi ut hac occasione peritum te disputandi imperitis valeas suadere. Nam & tu sine his nominibus, quod moliris, non impariter posses asserere: & nos quæ à te dicerentur sacris solummodo possemus testimoniis abolere.

G

BERENG. *Susceperat autem Burgundus negare panem & vinum in mensa Dominica superesse. Hoc minimè negat, imò omnino panem & vinum esse confirmat.*

LANFR. Membrum Ecclesiæ ab Ecclesia discrepare non debuit. Confitetur enim Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, panem, & vinum ad sacrandum proponi in altari, sed inter sacrandum incomprehensibiliter, & ineffabiliter in substantiam carnis, & sanguinis commutari. Quod suo loco opitulante eo, de cuius sacratissimo corpore loquimur, diversis diversorum Patrum testimoniis ita esse, nec aliter posse esse monstrabitur. Non tamen panem negat, imò confirmat. Sed panem, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo, panem, quem Ambrosius, & Augustinus eisdem verbis vocant *epiusion*, id est supersubstantialem: quia caro Christi omnibus creatis substantiis maior existit, omnes creaturas excellentissima dignitate præcellit. Vinum quoque non qualecumque, sed quod hominum, non quidem omnium, sed servorum Dei corda lætificat, quod animas inebriat, & à peccatis purgat.

H

BERENG. *Dum ita enuntiat; panis, & vinum*

quæ

A *quæ ponuntur in altari, post consecrationem solummodo sunt verum Christi corpus & sanguis.* Sap. 1. 11.

LANFR. Dixit quidam spiritu Dei plenus: Os quod mentitur, occidit animam. Hanc timendam sententiam si timeres, falsam servo Dei calumniam non imponeres. Cætera namque dixit, adverbium *solummodo* nequaquam posuit. Quicquid igitur ex mendacio te mendaciter astruente colligitur, quicquid infertur, necesse est ô totum dispergitur, infirmatur, cassatur. De quo quia in anterioribus satis egi, plura hic dicere transiturus ad alia supersedi.

CAPUT IX.

BERENG. *Per consecrationem altaris fiunt panis, & vinum sacramentum religionis, non ut desinant esse quæ erant, sed ut sint quæ erant, & in aliud commutentur, quod dicit beatus Ambrosius in libro de Sacramentis.*

B LANFRANC. O mentem amentem, ô hominem impudenter mentientem, ô puniendam temeritatem! Ambrosium testem accire præsumis, quòd panis, & vinum altaris per consecrationem non desinunt esse quod erant, sed commutantur in aliud quod non erant. Et quidem si de sacramentis, seu cæteris, de quibus Ambrosius scripsit, omnes revolvas libros, quos Ecclesia in usu nunc habet, tale aliquid ab Ambrosio dictum, taliterque expositum nusquam reperire valebis. Quod si dixisset, præclarissimæ famæ suæ plurimum detraxisset, sibimet contrarius extitisset, rem incredibilem credendam esse constituisset. Quis enim corpus sui credat rem aliquam converti in aliam, nec tamen in ea parte desinere esse quod erat? Sed veritas ipsa, quæ Deus est, procul semper avertat, ut testis veritatis contra veritatem testis existat. Accipe potius quid in libro de mysteriis, sive initiandis dicat. Volens enim discrepan-C tiam ostendere inter manna Iudæorum, & sacrificium Christianorum, per hoc videlicet quia illud umbra, & figura erat, hoc verò lux, & veritas; illud è cœlo, hoc corpus Domini e cœlorum: ne tantam elementorum in tantarum rerum conversionem mens credere refugeret, subiunxit, dicens: *Quantis igitur utimur exemplis, probemus hoc non esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, maioremque vim esse benedictionis, quam naturæ: quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.* Panem, vinúmque à natura formari nullus qui ambigat, nemo qui nesciat. De quorum vera in verum corpus Domini conversione non oportere dubitari manifestis ostendit exemplis, congruis per similia asserit argumentis, narrans imprimis Moysi virgam in serpentem versam, deinde serpentem in virgam. Postea aquas in sanguinem mutatas, dehinc sanguinem remeasse in aquas. Pluráque in hunc modum. Ad ultimum præmisso illo magno ac singulari miraculo de partu Virginis, inquit: *Et hoc quod conficimus corpus ex Virgine est.* Et ne naturam potentiæ divinæ præponeres, quasi non possit Deus cuiuslibet rei mutare naturam, occurrit, dicens: *Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine?* Sextum quoque de sacramentis librum in quo opere præfatum mendacium eum dixisse mendaciter affirmasti: *Sicut verus est Dei filius Dominus noster* IESVS-CHRISTVS, *non per gratiam quemadmodum cæteri homines, sed per naturam: ita vera caro eius est, quam accipimus, & verus eius sanguis est, quem potamus.* Paucissima de multis me dixisse sufficiat, ut lectores tuarum, atque mearum sententiarum perspicaciter agnoscant, qua fraude fingis non inventa; qua astutiâ depravas inventa; qua pervicaciâ in aliud detorquere conaris quæcumque relinquis illæsa. Cui nequitiæ nulla ferè hæreticorum pravitas à tempore Luciani & Isichij similis extitit, quorum uterque Propheticas, & Evangelicas, atque Apostolicas scripturas ad suæ causæ commodum depravavit. Quæque hæresis sacras quidem literas male intellexit, sed tamen sine ulla eversione suo eas statu manere permisit. In quarto verò de sacramentis sermone cum præfatus doctor satageret approbare non esse mirandum, si ea quæ sunt divinâ potentiâ in aliud transeant, propterea quod ipsa quoque iubente omnia ex nihilo facta subsistant, subinnuit: *Si igitur tanta vis est in sermone Domini Iesu ut inciperent esse quæ non erant, quantò magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur?* Esse quidem secundùm visibilem speciem testatur quæ erant, commutari verò secundum interiorem essentiam in naturam illarum rerum quæ antea non erant. Hoc modo antè, & post ipsemet exponit, diversis quidem verbis, sed non diversis sententiis. Atque hinc arbitror te assumpsisse quod superius intulisti, quodque tolerabiliter dictum, intolerabiliter exposuisti. In quibusdam tamen codicibus præfata sententia verbis aliis invenitur hoc modo: *Si igitur tanta vis est in sermone Domini Iesu ut inciperent esse quæ non erant, quantò magis operatorius est, ut quæ erant in aliud commutentur?* Quæ literatura plurimum concordat in sententia cum ea quæ in libro ab eodem de mysteriis, sive initiandis edito, in hæc verba reperitur: *Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare, quod non erant?* Cap. 9.

Lucian. & Isich. hæretici

Cap. 9.

E

F

CAPUT X.

BERENGAR. *Sacrificiúmque Ecclesia duobus constat, duobus conficitur, visibili, & invisibili sacramento, & re sacramenti, quæ tamen res, id est, Christi corpus, si esset præ oculis, visibilis esset: sed elevata in cœlum, sedénsque ad dexteram Patris usque in tempora restitutionis omnium, quod scribit Apostolus Petrus cœlo devocari non poterit, sicut Christi persona Deo constat, & homine.*

G

LANFR. Caïphas cum esset Pontifex anni illius, verum de Salvatore nesciens prophetavit, dicens expedire magis pro mundo mori unum hominem, quam totius mundi perire omnem hominem. Verum quidem dixit, veruntamen quo eius verbum vergeret, ignoravit. Sic & tu volens loqui contra causam nostram, manifestè quam defendendam suscepimus affectis partem nostram. Hoc est namque quod dicimus, hoc modis omnibus contra te, ac sequaces tuos approbare contendimus, sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Domini IESV-CHRISTI Carne, & Sanguine, sacramento, & re sacramenti, quæ res (ut verbis tuis utar) est corpus Christi, sicut Christi persona, te quoque authore, constat, & conficitur Deo, & homine, cum ipse Christus sit verus Deus, & verus homo, quia omnis res illarum rerum naturam, & veritatem in se continet ex quibus conficitur. Conficitur autem, te etiam teste, sacrificium Ecclesiæ sacramento, & re sacramenti, id est, corpore Christi. Est igitur sacramentum, & res sacramenti, id est, corpus Christi. Christus tamen *resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Sed sicut dicit Andreas Apostolus, cum verè in terris carnes eius sint comestæ, & verè Sanguis eius sit bibitus; ipse tamen usque in tempora restitutionis omnium in cœlestibus ad dexteram Patris integer perseverat, & vivus. Si quæris modum quo id fieri possit: breviter ad præsens respondeo; mysterium fidei credi salubriter potest, vestigari utiliter non potest. Ioan. 11. H Rom 6. 9. In vita eiusdem.

CAPUT XI.

BERENG. *Unde beatus Augustinus in Evangelio; Quando Christus manducatur, vita manducatur. Nec quando manducamus, partes de illo facimus.*

LANFR.

[A] Lanfr. Beatus Auguſtinus in Evangelio nihil dixit: quia aliquid in Evangelio dixiſſe aliquem nuſquam legitur præter dominum, & Evangeliſtas, eaſque perſonas, quæ pro qualitate rerum, & eventu temporum loqui in Evangelio à ſcriptoribus Evangelij perhibentur. Scripſit verò prolixum opus hiſtorialiter exponendo Evangelium Domini ſecundùm Ioannem. In quo opere præfata ſententia reperitur, quam nos devotè ſuſcipimus, & debitâ reuerentiâ honoramus: quia pro nobis facit, & veritati conſonat, vbi ait; [Ioan. 6. f. 55.] *Qui manducat, carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Nec quando manducamus, partes de illo facimus. Abſit enim, vt ſic intelligamus manducari Christum, quemadmodum intellexerunt illi qui cum audirent dicentem Dominum. [Ibid. 54.] *Niſi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem: non habebitis vitam in vobis:* continuò reſponderunt; *Durus eſt hic* [B] *ſermo, & quis poteſt eum audire?* Putauerunt namque ſicut præfatus author multis in locis dicit, quod in terris degentem Dominum in fruſta eſſent conſeciſſuri, & ſic carnes eius aut elixas in lebetibus, aut aſſas in verubus eſſent comeſuri, aut ſi hoc nollent, non poſſent eſſe eius diſcipuli. Propterea elegerunt abire, & iam ampliùs cum eo non ire. Procul auertat Deus ab Eccleſia ſua talem ſententiam. Sic nempe in terris immolatum Christum manducamus, & bibimus, vt in cæleſtibus ad dexteram Patris integer ſemper exiſtat & viuus.

Capvt XII.

Bereng. *Vnde beatus Auguſtinus in libro de civitate Dei, Sacramentum eſt ſacrum ſignum. Signum diffinit in libro de doctrina Christiana. Signum eſt res præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid ex ſe faciens in cogitationem venire.*

Lanfr. Et nos ſacramentum, de quo agimus, ſacrum eſſe ſignum credimus, & credendum ſuademus. [C] Quo ſigno præter ſpeciem, quæ ſe oculis intuentium ingerit, longè aliud, valdeque diverſum in cogitationem ſalubriter intelligentium venit. Quid autem illud ſit, ſeu potius quæ illa ſint breuiter ſuperiùs commemoraui, latiùs paulò poſt explicaturus. [Lib. 10. c. 5 & 5] Veruntamen beatus Auguſtinus in libro de Civitate Dei non ita abruptè, vt tu dicis, ſacramentum ſacrum eſſe ſignum diffinivit. Nihil verò eo in loco de Corpore, & Sanguine Domini loquebatur: ſed tractans de ritu Iudaicorum ſacrificiorum, quod per ſacrificia quæ viderentur res inuiſibiles, per quas humanæ ſocietati ad diligendum Deum, proximumque conſulitur, ſignificarentur: paucis approbatam ſententiam concluſit, dicens, *Sacrificium ergò viſibile inuiſibilis ſacrificij ſacramentum, id eſt, ſacrum ſignum eſt.* Quid verò viſibile, quid inuiſibile ſacrificium vocauerit: poſt aliqua his verbis exponit. *Non vult ergo Deus ſacrificium trucidati pecoris, ſed vult ſacrificium contriti cordis.* Et paulò poſt; *Porro autem miſericordia, verum ſacrificium eſt.*

[D]

Capvt XIII.

Bereng. *Auguſtinus in epiſtola ad Bonifacium Epiſcopum; Si ſacramenta rerum, quarum ſacramenta ſunt, ſimilitudinem non haberent, omnino ſacramenta non eſſent. Idem de catechizandis rudibus, Signacula quidem rerum divinarum ſunt viſibilia, ſed res inuiſibiles in eis honorantur. Nec ſic habenda eſt ſpecies benedictione ſanctificata, quemadmodum habetur in vſu quolibet.*

Lanfr. Hoc ignorare quiſquis nequit quicumque vel tenuem ſacris literis operam impendit. Sacramenta enim illarum rerum, quarum ſacramenta ſunt, ſemper ſimilitudinem gerunt: ſicut in ſacramento, de quo hæc quæſtio ventilatur, dum frangitur hoſtia: dum ſanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud [E] quàm dominici corporis in cruce immolatio, eiuſque ſanguinis de latere effuſio deſignatur? Alioquin ſacramentum non eſſet, ſi tamen ſacramenti nomen eo intelligatur modo, quo nunc intelligimus, & intelligi à lectoribus, ſeu auditoribus æſtimamus. Dicitur namque ſacramentum etiam iuſiurandum, non quod rei cuiuſpiam ſimilitudinem habeat, ſed quia ſupra res ſacras alicuius rei confirmatio, vel negatio fiat. Vnde beatus Gregorius in epiſtola ad Iuſtinum; [Epiſt. 29.] *Ad beati,* inquit, *Petri ſacratiſſimum corpus diſtricta cum ex abundanti fecimus ſacramenta præbere.* Dicitur quoque ſacramentum alicuius rei ſacratio; ſicut argumentum dubiæ rei approbatio, fulcimentum caſuræ rei ſuſtentatio. Illud verò quod ex libro de catechizandis rudibus aſſumpſiſti aſſerens in rebus viſibilibus res inuiſibiles honorandas, nec ſic habendam ſpeciem benedictione ſanctificatam quemadmodum non ſanctificatam, quid tuæ parti proſit, planè non video. [F] Immo magis videtur tuam oppugnare ſententiam, noſtræ ferre ſubſidium. Nos etenim in ſpecie panis, & vini, quam videmus, res inuiſibiles, id eſt Christi Carnem, & Sanguinem honoramus. Nec ſimiliter pendimus has duas ſpecies, ex quibus conſecratur dominicum corpus, quemadmodum ante conſecrationem pendebamus, cum fideliter fateamur ante conſecrationem, eſſe panem, vinumque, id eſt, eas res quas natura formauit. Inter ſacrandum verò converti in Christi Carnem, ac Sanguinem, quas vtraſque res benedictio conſecrauit. Quamvis beatus Auguſtinus in eo libro non magis loquebatur de hoc ſacramento, quam de cæteris, quæ Christianâ conſuetudine exerceri iubentur, & ſolemniter exercentur, inſtruens Diaconum quendam Carthaginenſis Eccleſiæ, qualiter ipſum quoque ſudes de his, & de cæteris oporteret inſtruere.

Capvt XIV.

[G] Bereng. *Vnde beatus Auguſtinus in epiſtola ad Bonifacium; Sicut, inquit, ſacramentum Corporis Christi ſecundum quemdam modum Corpus Christi eſt, ſacramentum Sanguinis Christi ſecundum quemdam modum Sanguis Christi eſt: ita ſacramentum fidei, fides eſt.*

Lanfr. Sacramentum Corporis Christi quantùm ad id ſpectat, quod in cruce immolatus eſt ipſe Dominus Christus, caro eius eſt, quam formâ panis opertam in ſacramento accipimus, & Sanguis eius, quem ſub vini ſpecie, ac ſapore potamus. Caro videlicet Carnis, & Sanguis ſacramentum eſt ſanguinis. Carne & Sanguine vtroque inuiſibili, intelligibili, ſpirituali, ſignificatur Redemptoris corpus viſibile, palpabile, manifeſtè plenum gratiâ omnium virtutum, & divinâ maieſtate. Quorum alterum quidem dum frangitur, & in populi ſalutem dividitur; alterum verò effuſum de calice ab ore fideliũ ſumitur mors eius in cruce, & ſanguinis eius de latere emanatio figuratur. Vtrumque beatus Gregorius & ſolerter attendit, & enucleatè in quarto dialogi libro exponit dicens, [Lib. 4. c. 58.] *Eius quippe caro ibi ſumitur, eius Sanguis non iam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur.* [H] *Penſandum ergo eſt quale ſit hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra mortem vnigeniti filij ſemper imitatur.* Imitatur dixit, non operatur, quia [Rom. 6. b. 9.] *reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Caro ergo & ſanguis quibus ad impetrandam pro peccatis noſtris Dei miſericordiam quotidie alimur, Christi Corpus, ac Sanguis vocantur, non ſolum quia eſſentialiter idem ſunt qualitatibus plurimum diſcrepantes; verum etiam eo locutionis modo, quo res ſignificans ſignificatæ rei ſolet vocabulo nuncupari. Nec iuſte quiſquam mouebitur, ſi eadem caro, idemque ſanguis ſui ipſorum ſacramenta exiſtant ſecundùm aliud atque aliud accepta: cum ipſe Dominus Ieſus poſt reſurrectionem ſuam ſui ipſius diverſa temporum ratione typum geſſerit [Luc 24. b. 13.] &

A & figuram. Apparens enim duobus diſcipulis, locutuſque eis quantùm ſatis eſſe iodicauit, dum finxit ſe longiùs ire, ſicut beatus Auguſtinus dicit, ſignificauit ſe poſt paucos dies in cælum aſcenſurum eſſe. Quod iter longè remotum eſt à communi hominum vita, quæ ipſis & duobus diſcipulis euidentiſſimè figurata. Chriſtus ergo Chriſti eſt ſacramentum. Longiùs videlicet ire ſe fingens: longiùs ſuo tempore aſcendentis in cælum. Idem eiuſdem, nec tamen vſquequaqoe eiuſdem. Verus namque Deus, & verus homo, & fingens, & aſcendens. Verumtamen aliud eſt figmentum terreni itineris, aliud io cælum veritas aſcendentis. Nec aliquis ita deſipuerit, vt propterea abnegare præſumat fingentem ſe longiùs ire eſſe Chriſtum verum: quia ipſo figmento longioris itineris ſignificauit verum Chriſtum aſcenſurum in cælum.

B Porro ſacramentum fidei in ipſa ad Bonifacium epiſtola beatus Auguſtinus baptiſmum vocat. Verus autem baptiſmus conſtat oon tam abluatione corporis, quam fide cordis, quemadmodum apoſtolica doctrina tradit dicens; *Fide mundans corda eorum.* Et alibi; *Sic & vos ſaluos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientia bona interrogatio in Deum.* Alterum tamen ſignificatur per alterum. Nam per ablutionem quæ corpori extrinſecùs adhibetur, purgatio animæ exprimitur, quam fides interior operatur. Vocaturque baptiſmus fides ſecundum eam locutionis formam, quâ myſterium eius rei, cuius myſterium eſt, cenſeri nomine conſueuit. Huius rei cauſa ſimilitudo eſt quam in ſacramento, & in re ſacramenti reperiri ſemper neceſſe eſt. Sicut in baptiſmo, & fide. Vtrumque enim lauat, purgat, purificat: illud carnem, hoc mentem.

Act. 15. b. 9. 1. Pet. 3. d. 21.

Sicut ergo cæleſtis panis, quæ vera Chriſti caro eſt, ſuo modo vocatur corpus Chriſti, illius videlicet quod viſibile, palpabile, mortale, in cruce eſt ſuſpenſum, vocaturque ipſa carnis ipſius immolatio, quæ ſacerdotis manibus fit Chriſti paſſio, mors, crucifixio, non rei veritate, ſed ſignificante myſterio: ſic ſacramentum fidei, quod baptiſma intelligit, fides eſt.

Capvt XV.

C BERENG. *Beatus Auguſtinus in Epiſtola ad Bonifacium; Semel immolatus eſt Chriſtus in ſemetipſo, & tamen in ſacramento non ſolum per omnes paſcha ſolemnitates ſed & omni die populis immolatur.*

LANFR. In ſeipſo ſemel immolatus eſt Chriſtus, quia in manifeſtatione ſui corporis in diſtinctione membrorum omnium verus Deus, & verus homo ſemel tantùm in cruce pependit, offerens ſeipſum Patri hoſtiam viuam, paſſibilem, mortalem, viuorum, ac mortuorum redemptionis efficacem, ac

D eorum videlicet quos divini concilij altitudo redimendos iudicauit, præſciuit, prædeſtinauit, vocauit, modis atque temporibus quibus id fieri congruebat. In ſacramento tameo quod in huius rei memoriam frequentat Eccleſia, Caro Domini quotidie immolatur, dividitur, comeditur, & Sanguis eius de calice fidelium ore potatur. Vtraque de Virgine ſumpta. Sumitur quidem caro per ſe, & ſanguis per ſe non ſine certi myſterij ratione. Quamvis alio locutionis modo totus Chriſtus manducari dicatur, & credatur, ſcilicet cum vita æterna, quæ ipſe eſt, ſpirituali deſiderio appetitur, cum recordatio mandatorum eius ſuper mel & fauum dulcior in mente habetur, cum fraterna charitas, cuius ſignum hoc ſacramentum geſtat, pro Chriſti amore diligitur, cum dulciter atque ſalubriter in memoria reconditur, quod pro ſalute hominum contumeliis ſit affectus, cruce ſuſpenſus, clauis affixus, lanceâ vulneratus. Vtraque comeſtio neceſſaria, vtraque fructuoſa. Altera indiget alterius, vt boni aliquid operetur. Nam prior ſi deſit, poſterior non ſolum peccata non purgat, ſed etiam auget, & præſumptores indicat. *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit.* Porro poſterior ſine priore eſſe non poteſt aut non debet. Hinc namque panis quotidianus à Domino dicitur, ſicut à beato * Ambroſio, & ſancto Cypriano exponitur, & in Evangelio legitur; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem; non habebitis vitam in vobis.* Et ſacri canones iubent non habendos inter catholicos qui ſacramento Corporis Chriſti non communicant, niſi fortè pœnitentium more, & Epiſcopali iudicio, pro capitalibus peccatis abſtineant. Fruſtra ergo infers & dicis: Si ſemel paſſus eſt Chriſtus io ſemetipſo; ſemel etiam in corpore ſuo, eò quod corpus ſuum nullo modo ſeparari poteſt à ſeipſo. Quod non procedit. Multa quippe ſunt in rebus, quæ rerum partibus conuenire non poſſunt. Nam cum ipſe Dominus Ieſus verus Deus ſit, & verus homo, omniſque homo conſter animâ rationali, & corpore, non tamen anima ipſa, aut ipſum corpus rectè vocabitur homo, vel Deus.

Eucharistia charitatis fraternæ ſymbolum eſt

E *1. Cor. 11. e. 29.*

** Sacra. c. 4. Ioan. 6. f. 45.*

Pœnitentes Eucharistiâ abſtinebant.

F

Capvt XVI.

BERENG. *Conſentio, inquit Burgundus, ſancta Romana Eccleſia. Reverà non ſanctam Eccleſiam experta eſt veritas ipſa, ſed Eccleſiam malignantium, concilium vanitatis, nec Apoſtolicam, ſed ſedem Sathanæ.*

LANFR. Non deberes dicere, Conſentio, inquit Burgundus, ſed conſentio ego Berengarius, tua enim hæc verba fuerunt, hæc te credere ſanctum concilium fefelliſti, hæc te ſeruaturum iureiurando firmaſti. Venerabilis Humbertus, quem quaſi exprobrando Burgundum nominas, quaſi non poſſit Deus habere in Burgundiâ ſeruos ſuos: nihil aliud fecit, niſi quod ſcripturam ipſam præcipiente ſynodo manu in manum tibi porrexit. Verum ô infœlix anima de hæreſi ad periurium priùs tranſiſti; nunc iterum de periurio ad hæreſim remeaſti: propterea traditus in reprobum ſenſum ſanctam Romanam Eccleſiam vocas Eccleſiam malignantium, concilium vanitatis, ſedem Sathanæ. Et hoc impio ore garriſti, quod garriſſe nemo legitur, non hæreticus, non ſchiſmaticus, non falſus aliquis Chriſtianus. Quotquot enim à primordio Chriſtianæ Eccleſiæ Chriſtiani nominis dignitate gloriati ſunt, & ſi aliqui relicto veritatis tramite per deuia erroris incedere maluerunt; ſedem tamen beati Petri Apoſtoli magnificè honorauerunt, nullamque adverſus eam huiuſmodi blaſphemiam vel dicere, vel ſcribere præſumpſerunt. Quod indubitatum habet qui eorum ſcripta legit, quæ diverſis, temporibus, ac diverſis de cauſis ſedes Apoſtolica ab eis tranſmiſſa, vel porrecta recepit. Denique ipſe Dominus honorificè alloquitur eam in Evangelio dicens; *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: & tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis. Et quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Quæ tametſi de paſtoribus ſanctæ Eccleſiæ dicta eſſe credantur? & à quibuſdam Catholicis exponantur: præcipuè tamen de Romana Eccleſia intelligenda eſſe ſacri canones, & Pontificum decreta teſtantur.

G

H *Mat. 16. c. 18.*

Capvt XVII.

BERENG. *Quis enim aut ratione concipiat, aut per miraculum fieri poſſe concedat, panem frangi in Chriſti corpore, quod poſt reſurrectionem totâ vigeat incorruptibilitate, & vſque in tempora reſtitutionis omnium cælo manet indeuocabile.*

LANFR. Quonam modo panis efficiatur caro, vinumque convertatur in ſanguinem, vtriuſque eſſentialiter mutatâ naturâ, iuſtus qui ex fide viuit, ſcrutari

argumentis,

A argumentis, & concipere ratione non quærit. Mavult enim cælestibus mysteriis fidem adhibere, ut ad fidei præmia valeat quandoque pervenire, quam fide omissa in comprehendendis iis, quæ comprehendi non possunt, supervacuè laborare, sciens scriptum esse; *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus.* (Eccl. 3. c. 22.) Non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. Divinâ tamen potentiâ mirabiliter operante fieri posse concedit. Nec defuere quibusdam dubitantibus digna miracula, quibus rerum visibilium atque corruptibilium ablatis tegumentis, sicuti revera est, appareret corporalibus oculis caro Christi, & sanguis, omnipotente Deo misericorditer sanante infirmorum imbecillitatem, & terribiliter damnante atque evertente omnium hæreticorum detestabilem pravitatem.

B (Quid obiicere soleant hæretici. Ps. 18. Mat. 01. 16. Ps. 31. v. 9.) Quorum officij interest simplicem infantium, atque lactentium, ex quibus laudem perfecit Christus, fidem irridere, rationibus omnia velle comprehendere, cum ipsi sint rationis expertes, facti propter arrogantiam, & sterilitatem sicut equus, & mulus, in quibus non est intellectus. Quòd verò incorruptionem dominici corporis, & quòd cælo usque in diem iudicij devocari non possit, fidei nostræ qua ipsum verè à fidelibus suis manducari credimus, quasi causam impossibilitatis opponis, profectò fidem nostram aut non intelligis, aut intellectam malè exponendo ad tuam ipsius perniciem depravare contendis. Sic enim credimus verè salubriterque manducari in terris à digne percipientibus Dominum Iesum Christum: ut certissimè teneamus existere illum in cælestibus incontaminatum, incorruptum, illæsum. Ineptus sis si propterea dicas Sareptanam viduam non potuisse comedere oleum quo plenus erat lechitus suus, quia sacrâ testante

C (3. Reg. 17. v. 15.) historiâ lechitus olei non est imminutus, cum eadem scriptura dicat, *Abiit, & fecit iuxta verbum Heliæ, & comedit ipse, & illa, & domus eius.* Non dissimili gravatus vecordiâ, si idcirco moliaris astruere non posse ali Ecclesiam Carne, ac Sanguine Redemptoris sui, quia Apostolus dicit: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*: cum ipse Dominus laqueus discipulis suis testetur dicens; (Mat. 26. v. 26. Marc. 14. c. 22. Luc. 22. c. 20. Ioan. 6. f. 54.) *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: & hic est calix sanguinis mei, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur.* Et *panis quem ego dedero caro mea est pro mundi vita.* Et *nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex quibus Domini verbis ortæ sunt (Duæ hæreses de Eucharistiæ sacramento.) duæ hæreses antiquis temporibus. Et in hoc quidem consenserunt omnes, quòd panis & vinum in veram filij hominis carnem, verumque eius sanguinem converterentur. Sed quis esset iste filius hominis, non omnes eamdem sententiam tenuerunt. Quidam arbitrati sunt hunc oportere intelligi quemlibet hominem, sive iustum, sive peccatorem in cuius carnem, ac sanguinem conversa terrena substan-

D tia sumeretur in remissionem peccatorum. Alij arbitrati sunt non hunc esse de turba quemlibet hominem, sed virum iustum, sanctificatum, à communi hominum vita per suæ vitæ celsitudinem segregatum, qui templum Dei esset, qui divinam in se habitationem verissimè possideret. In huius carnem, ac sanguinem commutari posse panem vinumque altaris, hæreticâ pertinaciâ delirabant. Factum est hoc paucis annis post obitum beati Augustini, tempore Cælestini Papæ, & Cyrilli Alexandrini Episcopi, quibus præcipientibus, atque annitentibus indicta, ac celebrata est synodus Ephesina, una de quatuor quas beatus Gregorius in epistola ad Patriarchas fatetur se ita suscipere, complecti, & venerari, quemadmodum sancta quatuor Evangelia Domini nostri Iesu Christi. (Lib. 1. Ep. 24. In Symb. circa med. vel in Ep. Cyrilli & Synodi ad Nestorium part. 2.) In qua synodo damnatæ sunt utræque superiùs comprehensæ lethales pestes, roborata est fides, qua

E credimus panem converti in eam carnem, quæ in cruce pependit, vinumque in eum sanguinem, qui de pendente in cruce latere emanavit. Denique ducenti qui eidem concilio interfuere Episcopi, inter cætera de hoc sacramento sic scripserunt, & Nestorio Episcopo quasi hæreticorum capiti transmiserunt. *Ad benedictiones, inquiunt, mysticas accedimus, & sanctificamur participes sancti Corporis, & pretiosi Sanguinis Christi omnium nostrûm Redemptoris esse. Non ut communem carnem percipientes: quod absit, nec ut viri sanctificati, & verbo coniuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem, sed verè vivificatricem, & ipsius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus existens, quia propriæ carni unitus est, vivificatricem eam esse professus est. Et ideo quamvis dicat ad nos; Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem;*

F *non tamen eam, ut hominis unius ex nobis existimare debemus (Quomodo enim iuxta naturam suam vivificatrix esse caro hominis poterit?) Sed ut verè propriam eius factam, qui propter nos filius hominis, & factus est, & vocatus.* Et circa finem concilij; (Cap. seu Anathematismo 11.) *Si quis non confitetur Carnem Domini vivificatricem esse, & propriam ipsius verbi Dei Patris, sed velut alterius præter ipsum coniuncti eidem per dignitatem, aut quasi divinam habentis habitationem ac non potius vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi vivificare valentis, anathema sit.* Quid manifestius audire desideras, si studiosum novæ contentionis animum studio antiquæ pacis omittas? Non est ut sancta synodus definit hæc caro alicuius de vulgo hominis, non iusti & sanctificati hominis, sed potiùs cui ipse unitus, id est, incarnatus est Dei & hominis. Quod verò ait *benedictiones mysticas*, sic dictum accipe, quasi diceret secretas. Mysterium namque, sicut beatus Augustinus in libro de catechizandis rudibus dicit, à secreto nomen accepit. Quid enim secretius quam panis,

G vinique speciem conspicere, saporem gustare, tactum sentire, & tamen mirabiliter operante Deo veram carnem verumque sanguinem credere comedere, bibere? Has, & huiusmodi scripturas per totum ferè divinarum literarum corpus passim diffusas, si amoto inanis iactantiæ appetitu, pro intentione vitæ æternæ humiliter legeres, si inter legendum effusis ad Dominum precibus impetratâ divinâ gratiâ intelligeres, si ea quæ ad literam accipi, & ea quæ spiritualiter oportet intelligi Christianâ cautelâ distingueres: procul dubio crederes quod universalis Ecclesia credit, prædicares quod Apostolica doctrina in tota mundi latitudine prædicandum instituit. Carnem scilicet, ac sanguinem Domini nostri Iesu Christi & ore corporis, & ore cordis, hoc est corporaliter, ac spiritualiter manducari & bibi. Corporali siquidem ore corporaliter manducamus & bibimus, quotiens de altari dominico ipsum dominicum corpus per manum sacerdotis accipimus. Spirituali verò ore cordis spiritualiter comeditur & hauritur, quando suaviter, & utiliter sicut beatus Augustinus dicit,

H in memoria reconditur, quod unigenitus Dei filius pro salute mundi carnem accepit, in cruce pependit, resurrexit, apparuit, ascendit, venturus in die iudicij dignas singulis mercedes rependere pro suis operibus. Quæ comestio tunc est utilis pauperibus Christi, si ad tanti divitis tam magnam mensam sedentes, sic edunt, ut saturentur, sic recolunt ut imitentur, parati semper mori pro Christo mortificantes iugiter membra sua quæ sunt super terram, & crucifigentes carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis sicut scriptum est; (Coloss. 3. a 5. Gal. 5. d. 24. Eccl. 31. b. 12.) *Ad mensam magnam sedisti, scito quoniam talia te oportet præparare.* De corporali comestione discipulis à Domino dicitur; *Accipite, manducate, & bibite, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*: Et *hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur.* Et Apostolus ad Corinthios: (1. Cor. 11. b. 29.) *Qui manducat, & bibit indignè: iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans Corpus Domini.* Spiritualem autem comestionem demonstrare satagebat

A beatus Augustinus in homilia vicesima sexta super Ioannem, cum diceret; *Panem cælestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate.* Et post pauca: *Hic est ergo panis de cælo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum. Qui manducat intus, non foris, qui manducat in corde, non qui premit dente.* Quæ autem sit huius sacramenti virtus paulò pòst exponit dicens: *Norunt fideles Corpus Christi, si Corpus Christi esse non negligant. Fiant Corpus Christi, si volunt vivere de spiritu Christi.* Et post aliqua: *Inde est quod exponens nobis Apostolus Paulus hunc panem: unus panis, inquit, unum corpus multi sumus. O sacramentum pietatis, ô signum unitatis, ô vinculum charitatis.*

Caput XVIII.

B PRopulsatis quantum satis visum est calumniis, quas in contumeliam Humberti Episcopi, sanctæque Romanæ Ecclesiæ temerè protulisti, scripsisti, edidisti. Reliquum est ut fidem sanctæ Ecclesiæ, atque opinionem tuæ sectæ compendiosè exponamus; expulsitas paucis authoritatibus brevibusque rationibus unam probemus, alteram improbemus. Plurima enim ac prolixa vel testimonia scripturarum, vel firmamenta disputationum epistolaris brevitas inseri non permittit, nec ratio, aut necessitas ulla exposcit. Nam qui fideles sunt, * seu depravati, pravitati suæ defendendæ pertinaciter non insistunt. Sed potiùs intellectis authoritatibus, auditisque rationibus, ad viam veritatis humiliter reverti concupiscunt: pauca eis, & à paucis sufficere possunt. Qui verò contentionibus deservire, atque in sua infidelitate persistere decreverunt; * ne si plura apponerentur, possunt pluribus esse contenti.

al. * sed.

al. * nec.

C Credimus igitur terrenas substantias, quæ in mensa dominica per sacerdotale ministerium divinitus sanctificantur, ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter, operante supernâ potentiâ, converti in essentiam dominici corporis, reservatis ipsarum rerum speciebus, & quibusdam aliis qualitatibus, ne percipientes cruda, & cruenta horrerent, & ut credentes fidei præmia ampliora perciperent; ipso tamen dominico corpore existente in cælestibus ad dexteram Patris, immortali, inviolato, integro, incontaminato, illæso: ut verè dici possit, & ipsum corpus quod de Virgine sumptum est, nos sumere, & tamen non ipsum. Ipsum quidem quantùm ad essentiam veræque naturæ proprietatem, atque virtutem; non ipsum autem si spectes panis, vinique speciem, cæteràque superiùs comprehensa: hanc fidem tenuit à priscis temporibus, & nunc tenet Ecclesia, quæ per totum diffusa orbem Catholica nominatur. Vnde sicut superius dictum est, Dominus in Evangelio: *Accipite, & manducate, hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Et, *hic est Calix sanguinis mei, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Beatus Ambrosius D discernens sacramentum Christianorum à sacramento Iudæorum, in sermone de mysteriis ad Neophitos sic ait: *Considera nunc utrum præstantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Manna illud è cælo, hoc supra cælum. Illud cæli, hoc Domini cælorum. Illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur, hoc alienum ab omni corruptione. Quod quicunque religiosè gustaverit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis è Christo. Illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in æternum. Iudæus bibit, & sitit: tu cum biberis, sitire non poteris. Et illud in umbra, hoc in veritate. Si illud quod miraris umbra est, quantum istud cuius & umbram miraris?* Et paulo post, *Cognovisti præstantiora. Potior est lux quàm umbra, veritas quàm figura: corpus authoris, quàm manna de cælo.*

Cap. 9.

E *Fortè dicas, Aliud video, quomodo tu mihi asseris quòd Christi Corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis ut probemus non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit: maioremque vim esse benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moyses, proiecit eam, & facta est serpens. Rursus prehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam revertitur. Vides igitur propheticâ gratiâ bis mutatam esse naturam & serpentis, & virgæ? Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu. Subito de fontium venis sanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluviis. Rursus ad Prophetæ preces cruor cessavit fluminum, aquarum natura remeavit.*

His & aliis huiusmodi miraculis, quæ ineffabili divinitatis operatione fiunt enarratis; post aliqua subiungit: *Advertimus igitur maioris virtutis esse gratiam, quàm naturam, & adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini salvatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Heliæ ut ignem de cælo deponeret: non valebit Christi sermo ut species mutet elementorum? de totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit & facta sunt, mandavit & creata sunt. Sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare quàm mutare naturas. Sed quid argumentis utimur, suis utamur exemplis, incarnationisque astruamus mysterij veritatem. Nunquid naturæ usus præcessit, cum Iesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare consuevit.* F

Liquet igitur quòd præter naturæ ordinem Virgo generavit, & hoc quod conficimus corpus ex Virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi Corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine? Item in quarto de sacramentis: *Tu fortè dices, Meus panis est usitatus. Sed panis iste, panis est ante verba sacramentorum. Vbi accesserit consecratio, de pane, fit Corpus Christi.* Et paulò pòst. *Cælum non erat, mare non erat, terra non erat, sed audi dicentem David, ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Ergo ut tibi respondeam, non erat Corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quia iam est Corpus Christi. Ipse dixit, & factum est, ipse mandavit, & creatum est.* Et post aliqua; *Antequam consecratur, panis est: Vbi autem verba Christi accesserunt, Corpus est Christi. Denique audi dicentem; Accipite, & edite ex eo omnes: Hoc est enim corpus meum. Et ante verba Christi, calix est vini, & aquæ plenus: Vbi verba Christi operata fuerint; ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse Dominus Iesus testificatur nobis quòd corpus suum accipiamus & sanguinem. Nunquid debemus de eius fide, & testificatione dubitare?* Item in sexto de sacramentis: *Quod & superiùs dictum est, Sicut verus est Dei filius Dominus noster Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia Patris: ita vera eius caro est, sicut ipse dixit, quam accipimus: & verus eius sanguis est, quem potamus. Sed fortè dicas quòd dixerunt tunc temporis etiam discipuli Christi, audientes dicentem, Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum: non manebit in me, nec habebit vitam æternam. Fortè dicas, Quomodo vera? Qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem. Primo omnium dixi tibi de sermone Christi; qui operatur ut possit mutare, & convertere genera instituta naturæ. Deinde ubi non tulerunt sermonem Christi discipuli eius, audientes quòd carnem suam daret manducandam & sanguinem suum daret bibendum, recedebant. Solus autem Petrus dixit: Verba vitæ æternæ habes, & ego à te quò recedam? Ne igitur*

G Cap. 4.

Cap. 5.

H Cap. 1.

plures

A *plures hoc dicerent, veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis: ideo in similitudine quidem accipis sacramentum, sed vera natura gratiam virtutemque consequeris. Ego sum, inquit, panis vivus qui de cælo descendi. Sed caro non descendit è cælo, hoc est carnem in terris assumpsit ex Virgine. Quomodo ergo descendit panis è cælo, & panis vivus? Quia idem Dominus noster Iesus Christus consors est divinitatis & corporis. Et tu qui accipis carnem, divinæ eius substantiæ in illo participaris alimento.* Item in epistola ad Hireneum, *Quæris à me cur Dominus Deus manna pluerit populo patrum, & nunc non pluat. Si cognoscis, pluit & quotidie pluit de cælo manna servientibus sibi. Et corporeum quidem illud manna hodie plerisque in locis invenitur, sed nunc non est tanti res miraculi, quia venit quod perfectum est. Perfectum autem, panis de cælo, corpus ex Virgine est, de quo satis Evangelium de docet. Quantò præstantiora hæc superioribus?*

Lib. 2. Ep. 62.

Augustinus in homilia secunda psalmi tricesimi tertij; *Accesserunt Iudæi ad Christum ut crucifigerent,*
B *nos ad eum accedamus ut Corpus & Sanguinem eius accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati sunt, nos manducando crucifixum & bibendo illuminamur.* Et post aliqua; *Verè magnus Dominus, & magna misericordia eius, verè qui nobis dedit manducare corpus suum, in quo tanta perpessus est, & sanguinem bibere.* Item in homilia Psalmi quadragesimiquinti ad Iudæos loquens; *In illum nomine quem occidistis baptizamini, & dimittuntur vobis peccata vestra. Medicum vel postea cognovistis, iam securi bibite sanguinem quem fudistis.* Item in homilia Psalmi sexagesimiquinti; *Modo homicidis donatum est, & fusus sanguis innocentis: & ipsum sanguinem quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt.* Item in homilia Psalmi nonagesimi octavi: *Quæro quid sit scabellum pedum eius, & dicit mihi scriptura, terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic & invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia*
C *caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit: & quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis ad manducandum ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. Inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Et paulò post; *Tunc autem quando hoc Dominus commendavit, de carne sua locutus erat, & dixerat; Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit in se vitam æternam. Scandalizati sunt discipuli eius quidam septuaginta ferme, & dixerunt; Durus est hic sermo, quis potest eum intelligere? Et recesserunt ab eo, & amplius cum eo non ambulaverunt. Durum illis visum est quod ait; Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam. Acceperunt illud stultè. Carnaliter illud cogitaverunt. & putaverunt quòd præcisuras esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis, & dixerunt; Durus est hic sermo. Ipsi erant duri, non sermo.* Et paucis intermissis; *Spiritualiter,* inquit, *intelligite quod locutus sum. Non hoc*
D *corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent.*

In his postremis beati Augustini verbis exultas. In his vicisse te, & superiorem esse gloriaris, hic firmamentum tuæ defensionis te invenisse gratularis. Quomodo, inquis, persuadere contendit, quod veram carnem, verumque sanguinem in hoc sacramento sumamus, cum manifeste audias quòd videbant non essent discipuli comesturi, neque bibituri sanguinem quem crucifigentes erant effusuri? Calumniosa quidem ista obiectio est. Qui enim superiùs testatus est quod carnem quam de matre Virgine sumpsit, & in terris ambulavit ad manducandum nobis salubriter tribuit, quomodo huic tam præclaræ sententiæ aliqua contraria sententia potuit obviare? Absit à sobrio lectore, & Catholico expositore tam perversè sentire de Ecclesiæ columnâ, de firmamento veritatis, de quo Cælestinus Papa in decretis suis asserit, quod nec saltem sinistræ suspicionis rumor dum viveret eum asperserit. Immo reuera id dixit quod Catholica Ecclesia in omnibus membris suis fideliter fatetur, & credit; quod ego quoque in professione fidei breviter posui, breviter comprehendi, videlicet ipsum esse corpus, & non ipsum. Neque enim eo, quo ipsi putabant modo credimus quod visibile Christi Corpus comedamus, aut sanguinem quem fusuri, & oculis suis conspecturi erant persequentes bibamus. Sed potiùs id credimus quod non videmus, ut valeat esse fides, quæ non potest esse, si res quæ creduntur corporalibus sensibus constiterit subiacere. Vnde exponens quod obscurè posuit, *Et si necesse est*, inquid, *illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi.* Existimabant namque quod præciperet eis Dominus aut bestiali more, aut humano, corpus comedere, quod videbant, aut bibere sanguinem, quem persequentes fusuri erant, hoc est crudum, aut aquâ coctum, aut substratis carbonibus in verubus assum. Hanc carnalem eorum intelligentiam redarguens Dominus in Evangelio secundum Ioannem dicit; *Spiritus est qui vivificat: caro autem non prodest quicquam.* Quod exponens beatus Augustinus in vicesima septima eiusdem Evangelij homilia ait, *Quid est ergo non prodest quicquam caro? Non prodest quicquam, sed quomodo illi intellexerunt? Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.* De his hactenus: ad propositum revertamur.

Ep. 1. ad Episc. Gallicos
F
Ioan. 6. g.64.

CAPVT XIX.

Avgustinus in homilia vndecima super Ioannem: *In populo enim Iudæorum figuratus est populus Christianorum. Ibi figura, hic veritas: Ibi umbra, hic corpus.* Item in homilia tricesima prima: *At illi viderunt Christum suo scelere morientem, & crediderunt in Christum suis sceleribus ignoscentem. Quousque biberent sanguinem quem fuderant, de sua salute desperaverant.* Item in quadragesima; *Qui sævientes occiderunt, mutati crediderunt: & quem sanguinem sæviendo fuderunt, credendo biberunt.* Item in sermone ad Neophitos; *Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce. Et hoc accipite in calice, quod effusum est de Christi latere. Erit enim illi mors, non vita, qui mendacem putaverit vitam.* Item in libro quarto de Trinitate; *Apud eum paucissimi remanserunt, agnoscentibus Gentibus, & piâ humilitate bibentibus pretium suum, eiusque fiduciâ desertantibus hostem suum.* Et in subsequenti capitulo post aliqua, *Quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero, & ex utero virginali? Et quid tam gratè offerri & suscipi posset, quàm caro sacrificij nostri corpus effectum sacerdotis nostri?* Leo Papa in sermone de ieiunio septimi mensis; *Hanc confessionem dilectissimi toto corde promentes, impia hæreticorum commenta respuite: ut ieiunia vestra, & eleemosynæ nullius erroris contagio polluantur. Tunc enim & sacrificij munda est oblatio, & misericordiæ sancta largitio, quando hi qui ista dependunt, quod operantur intelligunt. Nam dicente Domino; Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius non habebitis vitam in vobis: sic sacra mensa communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate Corporis Christi, & Sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, & frustra ab illis Amen respondetur, à quibus contra id quod accipitur, disputatur.* Item in epistola Anatholin Episcopo missa. *Aliter enim in Ecclesia Dei, quæ corpus est Christi, nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostra proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet,*

G
Cap. 13.
Cap. 14.
Serm. 6.
H

A *verus immaculati agni sanguis emundet. Qui licet in Patris sit dextera constitutus, in eadem tamen carne, quam sumpsit ex Virgine sacramentum propitiationis exequatur.* Item in sermone de Passione Domini: Serm. 11 *Fefellit ergo illum malignitas sua, intulit supplicium filio Dei, quod cunctis filiis hominum in remedium verteretur. Fudit sanguinem iustum, qui reconciliando mundo* Hom. 22 in Evag. *pramium esset & poculum.* S. Gregorius in homilia Paschali: *Quid namque sit sanguis agni, non iam audiendo sed bibendo didicistis. Qui sanguis super vtrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.*

His diuinorum eloquiorum testimoniis, quæ ex multis compendij causa, pauca excerpsi, clare ut arbitror innotescit, quòd vera Christi caro, verúsque eius sanguis in mensa dominicâ immoletur, comedatur, bibatur, corporaliter, spiritualiter, incomprehensibiliter. Et ne quis peruersus, atque peruersor aliter B ea intelligeret, vel exponeret, quàm uniuersalis Ecclesiæ spirituales filij intelligunt, & exponunt: facta sunt tam antiquis, quàm modernis temporibus in diuersis Ecclesiis huic fidei congrua miracula, quando, & ubi, & quibus tantum secretum demonstrare voluit Sap. 8. a. 1. æterna sapientia, cui nulla sunt non possibilia, attingens a fine usque ad finem, & fortiter, atque suauiter disponens omnia. Quæ miracula facta esse ignorat nullus quisquis in Ecclesiasticis historiis, seu Sanctorum Patrum gestis est aliquantulum studiosus. Quæ scripturæ tametsi illam excellentissimam authoritatis arcem non obtinent, quâ donatæ sunt, quas Propheticas, seu Apostolicas nuncupamus, hoc Histor. Eccles. fides. tamen probare sufficiunt, quòd hanc fidem, quam nunc habemus, omnes fideles, qui nos præcesserunt à priscis temporibus habuerunt. Alioquin cum in decretis Romanorum Pontificum sacrisque canonibus apocriphæ scripturæ nominatim damnatæ sunt, hæc quoque specialiter damnarentur, nec in Ecclesia Catholica à Catholicis solemniter legerentur. C

CAPVT XX.

ADuersos tantam diuinarum authoritatum lucem quæstionis caliginem opponere non desistis, dicens: Quod tu verum Christi Corpus esse asseris, in sacris literis appellatur species, similitudo, figura, signum, mysterium, sacramentum. Hæc autem vocabula ad aliquid sunt. Nulla verò quæ ad aliquid referuntur, possunt esse id quod sunt ea, ad quæ referuntur. Non est igitur Corpus Christi. Hoc enim in quodam scripto tuo diuersis, ac prolixioribus verbis, sed non mutatâ sententiâ reperi; hoc garriunt discipuli, atque sequaces tui, subuersores quidem aliorum & ipsi auro, & argento, cæteráque pecuniâ tuâ à te subuersi, errantes, & alios in errorem mittentes, non intelligentes, sicut dicit 1. Tim. 1. b. 7. Apostolus, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Verum his vocabulis in nullo præscribitur fidei quâ credimus, & veritati quam defendimus. D Species namque, & similitudo illarum rerum vocabula sunt, quæ ante fuerunt, & ex quibus corpus Christi, sanguísque conficitur. Panem dico, ac vinum, unde in fine cuiusdam Missæ oratur, & dicitur: *Perficiant in nobis Domine quæsumus tua sacramenta, quod continent, ut quæ nunc specie gerimus, verum veritate capiamus.* Postulat quippe Sacerdos, ut corpus Christi quod sub specie panis, vinique geritur; manifestâ visione, sicuti reuerà est, quandoque capiatur. Veritas enim pro manifestatione in sacris sæpe Veritas quomodo accipitur. literis reperitur. De quâ manifesta visione Dominus in Euangelio secundùm Ioannem discipulis dicit: *Qui* Ioan. 14. c. 21. *autem diligit me, diligetur à Patre meo. Et ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Et Dauid in per- Psal. 90. d. 16. sona Dei Patris: *Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.* Quamvis non improbabiliter quidam exponant in hoc loco esse Carnis ac Sanguinis veritatem, ipsam eorundem efficientiam, id est, peccatorum remissionem. Illis namque omnibus modis vera Christi Caro, ac Sanguis existit, qui dignè percipiunt, qui percipiendo delictorum indulgentiam consequuntur. Vnde in Canone Missæ Sacerdos dicit: *Vt nobis Corpus, & Sanguis fiat dilectissimi Filij tui Domini nostri* IESV-CHRISTI nobis, inquam, id est, credentibus, & misericordiâ tuâ dignè sumentibus. *Qui enim manducat, & bibit indignè; iudicium sibi manducat, & bibit.* E

Hinc & sanctus Gregorius in quarto Dialogi libro: *Tunc vera pro nobis Deo hostia erit, cum nosmetipsos hostiam fecerimus.* Cap. 59. Est quidem etiam peccatoribus, & indignè sumentibus vera Christi caro, verúsque sanguis, sed essentiâ, non salubri efficientiâ. Huius rei testis est beatus Augustinus in quinto libro de Cap. 8. Baptismo, dicens: Sicut enim Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male F accipiendo locum in se Diabolo præbuit: sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & Sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat & 1. Cor. 11. bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Ambrosius in sexto de Sacramentis: *Quomodo vera? Qui* Cap. 1 *similitudinem video, non video sanguinis veritatem.* Et paulò post: *Ideo in similitudine quidem accipis sacramentum, sed vera naturæ gratiam virtutémque consequeris.* Similitudinem hoc in loco nullo dubitante panis, vinique speciem intelligit, sub qua Corporis Christi natura contegitur: & sine cruoris horrore a dignè sumentibus in salutem accipitur. Inuenitur etiam species, similitudo, figura pro veritate. Vnde Dominus in Euangelio secundùm Ioannem: *Neque* Ioan 5. f. 37. *vocem eius unquam audistis, neque speciem eius vidistis.* G Apostolus ad Corinthios: *Per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* 2. Cor. 5. b. 7. Ambrosius in libro de mysteriis: *Speciem autem, & pro veritate accipiendam legimus: & de Christo, & specie inuentus vt homo, &* Cap. 4. in fin. *de Patre Deo: Neque speciem eius vidistis.* Item in Cap. 5. quarto de fide ad Gratianum: *Caro enim mea vere est esca, & sanguis meus verè est potus. Carnem audis, sanguinem audis, mortis dominicæ sacramenta cognoscis.* Et paulò post: *Nos autem quotiescumque sacramenta sumimus, quæ per sacra orationis mysterium in carnem transfigurantur & sanguinem, mortem annuntiamus.* Augustinus in libro de catechizandis rudibus: *Efficiemur enim sicut ab illo speramus, & expectamus æquales Angelis Dei; & cum eis pariter illâ Trinitate perfruamur iam per speciem, in qua nunc per fidem ambulamus.* Apostolus ad Philippenses: *In similitudi-* 2. a. 7. *nem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Item ad Hebræos: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura sub-* 1. a. 3. *stantiæ eius.* Porro *signum, mysterium, sacramentum* & si quid huiusmodi est, dominicæ passionis designatiua nomina sunt, si tamen sacramentum eâ H significatione accipiatur, quâ sacrum esse signum in libro de Civitate Dei à Beato Augustino deffinitur. Vnde Beatus Gregorius in quarto Dialogi Cap. 58. libro: *Hæc namque singularis victima ab æterno interitu animam saluat, quæ illam nobis mortem Vnigeniti per mysterium reparat.* Et paulò pòst: *Hinc ergo pensemus quale quale pro nobis sit hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem Vnigeniti Filij semper imitatur.* Et post aliqua: *Qui passionis* Cap. 59 *dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod colimus.* Item in homilia Paschali: *In vtroque etenim* Hom. 22. in Evag. *poste agni sanguis positus est, quando sacramentum passionis eius cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intentâ mente cogitatur.* Sacramentum sane in diuinis codicibus non vnâ tantùm significatione positum reperitur. Denique sanctus Ambrosius in libro ad Gratianum, apparuisse dicit

A

hominibus Vnigenitum Patris per sacramentum assumpti hominis. Quod tantumdem significat, quantum si diceret apparuisse eum per hominem, quem assumpsit, & quem divinitati suæ dignum habitaculum consecravit. Habet autem & alias significationes, de quibus satis superiùs dictum est.

Corpus Christi panis dicitur.

Quòd verò panis dicitur, consueto sacrorum codicum more id fit, qui res quaslibet sæpe vocant nominibus illarum rerum, ex quibus fiunt, seu quæ esse putantur, & non sunt, sive quibus aliquo modo similes existunt. Vnde Beatus Hieronymus in secundo explanationum libro in Oseæ: *Postquam autem reversa fuerit terra in terram suam, & tam nos qui scribimus quàm eos qui de nobis iudicant, pallida mors subtraxerit.* Et superbo homini à viro sapiente dicitur: *Quid superbis terra, & cinis?* Et Abraham tres viros vidisse legitur, cum essent Angeli. De qua re Beatus Augustinus in secundo libro de Trinitate, dicit: *Sub ilice autem Mambre tres viros vidit Abraham, quibus & invitatis hospitióque susceptis, & epulantibus ministravit.* Et in libris Iudicum, mulier sterilis ad virum suum de Angelo dicit: *Vir Dei venit ad me.* Et paulò pòst: *Ecce apparuit mihi vir, quem antè videram.* Et post aliqua: *Et nesciebat Manue quòd Angelus Dei esset.* Et Beatus Hieronymus in eodem explanationum libro super Osea Prophetâ de Deo dicit: *Quasi tinea efficitur & putredo, non quòd Deus tinea sit, vel putredo, sed quod sustinentibus pœnas, hæc universa videantur.* Et in Evangelio secundùm Ioannem; Maledixerunt ei, & dixerunt: *Tu discipulus illius sis*; cum non maledictio, sed benedictio sit esse discipulum Christi. Vnde Beatus Augustinus in expositione eiusdem Evangelij, dicit: *Tale maledictum super nos, & super filios nostros. Maledictum est enim si cor discutias, non si verba perpendas.* Et in Evangelio secundùm Matthæum, & similiter secundùm Lucam: *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris.* De qua sententiâ Beatus Augustinus in secundo libro de sermone Domini, sic disputat: *Quomodo mali dant bona? Sed malos appellavit dilectores sæculi huius, & peccatores. Bona verò quæ dant, secundum eorum sensum, bona dicenda sunt: quia hæc pro nobis habent.* Et Dominus IESVS-CHRISTVS propter quasdam similitudines in eisdem literis vocatur leo, agnus, vermis, lignum, petra, lapis angularis, multáque in hunc modum. Sic & Corpus Christi vocatur panis, vel quia ex pane conficitur, seu quia contuentium oculis cum caro sit, panis videtur, sive quod corporali, & visibili pani similitudine quadam coniungitur. Nam sicut quia iste materialis panis discretè sumptus humanam carnem nutrit, & sustentat, sic spirituale, & invisibile Corpus Christi animam dignè sumentis alit, & vegetat. Adhuc obiicis, & authoritate Ambrosij ipsum Ambrosium infirmare moliris dicens, Ambrosius in libro de sacramentis ait: *Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis.* Hæc verba exponens, quid comparatius, inquis, quid similiùs? Negari non potest Beatum Ambrosium sacramento Baptismi sacramenta comparavisse altaris. Non est autem vera Christi mors in Baptismo. Igitur nec verus eius sanguis in hoc sacramento. Pace tuâ dictum sit, multum falleris in hac verborum intelligentiâ, neque enim similitudinis adverbia identitatem, seu æqualitatem ubique posita significant. In Evangelio namque Salvator dicit: *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.* Non tamen eadem, seu æqualis misericordia potest inesse Deo, & hominibus. Et in Evangelio secundùm Ioannem: *Et ego*, inquit, *claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum sicut & nos unum sumus.* Et alibi: *Dilexisti eos, sicut & me dilexisti.* Vnde & Beatus Augustinus in expositione eiusdem Evangelij ait: *Neque enim semper æqualitatem significant qui dicit, sicut illud, ita & illud: sed aliquando tantùm, quia est illud, est & illud, aut quia est illud ut sit & illud.*

[Margin: In fine prooemij. — Eccl. 10. a. 10. — Gen. 18. — Cap. 10. sub fin. — B — 13. b. 6. 10. a. 17. — 9. e. 28. — Tract. 44 — 7. b. 10 — 11. b. 13 — Cap. 2. C — Corpus Christi cur panis dicitur. — Lib. 4. c. 4 — D — Adverbia non semper æqualitatem significant. — Luc. 6. e. 36. — Ioan. 17. d. 22. — Ibid. 23. — Tract. 10 — E]

CAPVT XXI.

Est aliud quod obiicitis, quod concessa loquendi facultate multis in locis clamatis, & dicitis: Si panis in veram Christi carnem convertitur; aut panis sustollitur in cœlum, ut illic in Christi carnem transferatur, aut caro Christi ad terram defertur, ut istic in eam panis commutetur. Atqui nec panis sustollitur, nec caro defertur. Non est igitur vera caro in quam panis convertitur. Hoc vos colligitis secundùm humanam sapientiam, non secundum divinam. Humanâ autem sapientiâ perquiri divina opera prohibet Apostolus ad Romanos, dicens: *Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Et ad Corinthios: *Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Et ad Colossens. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum secundùm elementa mundi.* Et Beatus Gregorius in homilia Paschali: *Sciendum*, inquit, *nobis est, quod divina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis. Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Propterea in tanta rerum profunditate magis oportuit te orare Deum, ut aut intelligeres quæ pro humana capacitate intelligi possunt, aut patienter, & humiliter ferres, & tamen crederes quæ in tanto arcano humani ingenij vires excedunt, & in hac vita intelligi minimè possunt: quàm litem movere, ab universali Ecclesia dissentire, novum schisma verbis & scriptis contra sanctorum Patrum præcepta inferre. Profectò hoc modo ageres quod agi oportere præcipit legislator, dicens: *Ne transgrediaris terminos patrum.* Et Beatus Augustinus in primo libro de sermone Domini in monte: *Quod verò*, inquit, *aut obscurum aut absurdum illi sonat: non inde concitet contradictionum certamina, sed oret ut intelligat.* Et in libro tertio de Trinitate: *Mihi autem*, ait, *utile est, ut meminerim virium mearum, fratrésque meos admoneam ut meminerint suarum; ne ultra quàm tutum est humana progrediatur infirmitas.* Et in libro contra Felicianum hæreticum: *Scripturarum authoritate contentus, simplicitati obedire potiùs studeo quam tumori.* Et paulò post: *Quam rationem afferre potes si partum prudens Virginis; si redditos oculos non negas cæcis: si sepultos ostendas redisse à mortuis? Si ergo horum & incomprehensibilis est ratio, & veritas prompta est, facilius in negotiis fidei testimoniis creditur, quàm ratio* * *vestigatur.*

[Margin: 12. a. 3. — 1. Cap. 2. a. 4. — F — 2. b. 8. — 26. in Evang — Prov. 22. d. 28. — G — Qui difficultates reperit in scripturis sacris quomodo se gerat. — Cap. 10. — Cap. 2. — Ibid. — al. * investigatur.]

CAPVT XXII.

Probatis quæ probari oportebat, & exclusis quæ excludi ratio suadebat, iam tandem quid tu credas, & credulitatem tuam quid sequatur, videamus. Tu credis panem vinúmque dominicæ mensæ inter consecrandum quantùm ad substantiam immobilia permanere. Hoc est panem, & vinum extitisse ante consecrationem, & panem vinúmque existere post consecrationem. Christi carnem, ac sanguinem propterea vocari; quod in memoriam crucifixæ carnis, & de latere effusi sanguinis in Ecclesia celebrentur: ut dominicam passionem per hoc admoniti semper recolamus, & recolentes carnem nostram cum vitiis, & concupiscentiis incessanter crucifigamus. Quæ si vera sunt: præstantiora, & diviniora fuerunt sacramenta Iudæorum sacramentis Christianorum. Quis enim nesciat, manna quod de cœlo pluebat Dominus, seu animatas, & sensibiles creaturas, quas populus ille sacrificare consueverat, parvâ bucellâ panis, modicóque vini præstantiores extitisse?

[Margin: H]

A Rursus quis non intelligat divinius fuisse prænuntiare futura, quàm narrare præterita, cum illud non possit facere nisi spiritu Dei plenus; hoc autem sæpe faciat idiota etiam vel quilibet imperitus? Sed absit hoc à fidelium corde, & Christianâ intelligentiâ. Christi namque miles Ambrosius ille inferiora, hæc potiora & digniora esse in libro de mysteriis confirmat dicens; *Summo studio volumus comprobare, quia & antiquiora sunt sacramenta Ecclesiæ quàm synagogæ, & præstantiora quàm manna est.* Cap. 8. Et paulò pòst: *probatum est antiquiora esse Ecclesiæ sacramenta, nunc cognosce potiora.* Cap. 9. Et post aliqua, Cognovisti præstantiora. *Potior est lux quàm umbra, veritas quàm figura.* Cap. 3. Item in quarto de sacramentis: *Accipe quæ dico, diviniora esse sacramenta Christianorum quàm Iudæorum.* Ergo falsa sunt quæ proponis.

B Amplius. Si verum est quod de Corpore Christi tu credis, & astruis: falsum est quod ab Ecclesia ubique gentium de eadem re creditur, & astruitur. Omnes enim, qui Christianos se & esse, & dici lætantur: veram Christi carnem, verumque eius sanguinem, utraque sumpta de Virgine, in hoc sacramento se percipere gloriantur. Interroga universos, qui Latinæ linguæ, nostrarumve literarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenos, seu cuiuslibet nationis quoscumque Christianos homines, uno ore hanc fidem se testantur habere. Porro si universalis Ecclesiæ fides falsa existit: aut nunquam fuit Catholica Ecclesia, aut periit. Nihil namque efficacius ad interitum animarum, quàm perniciosus error. Sed non fuisse, aut periisse Ecclesiam, Catholicus nemo consenserit. Alioquin non est verum quod Abrahæ veritas promisit dicens; Gen. 22. *In semine tuo benedicentur omnes Gentes.* Item in Psalmo: Psal. 2. *postula à me & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* C Item: Psal. 21. *Reminiscentur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ.* Et alibi: Ps. 106. *Quos redemit de manu inimici, de regionibus congregavit eos, à solis ortu, & occasu, ab Aquilone & mari.* Psal. 21 Item beatus Augustinus in prima expositionis Psalmorum parte; In Ps. 21. Tract. 2. *Ecclesia magna quid est fratres? Numquid exigua pars orbis terrarum Ecclesia magna est? Ecclesia magna totus orbis est.* Item in eadem: Enar. Psal. 39. *Annuntiavi iustitiam tuam in Ecclesia magna. Quam magna? toto orbe terrarum. Quam magna? In omnibus Gentibus. Quare in omnibus Gentibus? Quia in omnem terram exivit sonus eorum.* Item in tertia eiusdem operis parte: *Corpus Christi constat ex multis credentibus in toto orbe terrarum.* Item in eadem: *Tabernaculum Domini est ipsa sancta Ecclesia in toto orbe terrarum diffusa.* Et alibi: *Chorus Christi iam totus mundus est. Chorus Christi ab oriente in occidentem consonat.* Item in libro de agone Christiano, Cap. 29. tom. 3. *Nec eos audiamus qui sanctam Ecclesiam, quæ una Catholica est, negant per orbem esse diffusam.* D Et quibusdam intermissis: Ibid. *Populus autem ipsius, inquit, quando non audit Prophetas, & Evangelium, in quibus apertissimè scriptum est Ecclesiam Christi per omnes gentes esse diffusam, & audit schismaticos non Dei gloriam quærentes, sed suam, satis significat se servum esse, non liberum.* Mat. 13. v. 38. & v. 47. Et Dominus in Evangelio: *Ager est hic mundus.* Et paulò post: *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.* Et ad discipulos; Marc. ult. v. 15. *Ite in orbem terrarum prædicate Evangelium omni creaturæ.*

CAPVT XXIII.

ADversus tam clara ipsius Domini, & sancti Spiritûs eius de Ecclesia, & de statu Ecclesiæ testimonia obiicis tu, & obiiciunt qui à te decepti E alios decipere moliuntur. Itaque dicitis: Prædicatum est Evangelium in omnibus Gentibus, credidit mundus, facta est Ecclesia, crevit, fructificavit; sed imperitiâ malè intelligentium postea erravit, & periit, in nobis solis, & in his qui nos sequuntur sancta in terris Ecclesia remansit. Hanc sacrilegam vanitatem evertit Evangelica veritas, & Prophetarum atque sanctorum Patrum non violanda authoritas. Vnde Ecclesiæ suæ sanctæ in Evangelio suo Dominus pollicetur dicens; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Mat. 28. v. 20. Quod minimè diceret, si Ecclesiam suam ante consummationem sæculi perituram esse prænosceret. Et alibi: *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic Christus, aut ecce illic: nolite credere.* Mat. 24. v. 23. August. in secunda Psalmorum expositionis parte: *Corpus est autem Ecclesia, non ista, aut illa: sed toto orbe diffusa.* Enar. in Psal. 56. Item in eadem: *Spes omnium finium terræ. Non spes unius Iudæa, non spes solius Africa, non spes Pannonia, non spes Orientis aut Occidentis: sed spes omnium finium terræ, & in mari longè.* In Ps. 64 F In eadem; In Ps. 71 *Hæc prophetia propter eos præmissa est, qui putant religionem nominis Christiani usque ad certum tempus in hoc sæculo victuram, & postea non futuram. Permanebit autem cum sole, quandiu sol oritur, & occidit. Hoc est, quandiu tempora ista volvuntur, non deerit Ecclesia, id est Christi corpus in terris.* Item in eadem: In Ps. 92. *Domum tuam decet sanctitudo Domine, domum tuam, totam domum tuam: Non hic, aut hic, aut ibi; sed domum tuam totam per totum orbem terrarum. Quare per totum orbem terrarum? Quia correxit orbem terræ, qui non commovebitur. Domus Domini fortis erit, per totum orbem terrarum erit.* In Ps. 101. Item in extrema eiusdem operis parte: *Quid est quod dicis hæretice, iam periisse Ecclesiam de omnibus Gentibus, quando adhuc prædicatur Evangelium ut possit esse in omnibus Gentibus. Ergo usque in finem sæculi Ecclesia in omnibus Gentibus.* G In eadem: *Vbi sunt, qui dicunt periisse de mundo Ecclesiam, quando nec inclinari potest?* Item in eadem. In Psal. 105. *Quisquis putaverit Ecclesiam in una parte esse, & non eam cognoverit diffusam toto orbe terrarum, & crediderit eis qui dicunt; Ecce hic est Christus, & ecce illic, sicut modo audistis cum Evangelium legeretur, cum ille totum orbem emerit quia tantum pretium dedit: ille tamquam in proximo scandalizatur, à luna oritur.*

Falsum est igitur quod de corpore Christi à te creditur, & astruitur. Ergo vera est eius caro, Quam accipimus: & verus est eius sanguis quem potamus.

Explicit Liber Beati Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi, de Corpore & sanguine Domini contra Berengarium.

H

A

BEATI

LANFRANCI

CANTVARIENSIS

ARCHIEPISCOPI,

Annotatiunculæ in nonnullas Ioannis Cassiani Collationes Patrum.

Ex vetusto Monasterij Sancti Martini Sagiensis codice MS.

B

AD COLLATIONIS VII. CAP. XIII.

LIcet enim pronuntiemus nonnullas esse spirituales naturas, ut sunt Angeli, Archangeli, &c. tamen incorporea nullatenus existimanda sunt. Habent enim secundum se corpus quo subsistunt, licet multò tenuius quam nostra sunt corpora, secundum Apostoli sententiam ita dicentis; & corpora cælestia & corpora terrestria.

ANNOTATIO I.

C Angeli cæterique spiritus, sicut beatus Augustinus dicit, ad comparationem illius purissimæ incorporalitatis quæ Deus est, corporei sunt, iidem tamen comparati corporibus, quæ nos sumus, quæque videmus, incorporei sunt.

AD COLLATIONIS X. CAP. II.

POst dies admodum paucos quam, &c. Theophili prædictæ urbis Episcopi solemnes epistola commearunt, quibus cum denuntiatione Paschalis contra ineptam quoque Anthropomorphitarum hæresim longâ disputatione disseruit.

ANNOTATIO II.

D Antropomorphitæ dicti, pro eo quod simplicitate rusticâ Deum habere humana membra quæ in divinis libris scripta sunt, arbitrantur ἄνθρωπος enim Græcè, Latinè *homo* interpretatur, ignorantes vocem Domini, qui ait, *Spiritus est Deus*: Incorporeus est enim, nec membris distinguitur, nec corporis mole censetur.

AD COLLATIONIS XIII. CAP. XIV.

NOn inveni tantam fidem in Israël. Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Christus quod ipse donaverat, pertulisset. Alioquin dixisset, Amen dico vobis: non dedi tantam fidem in Israel, &c.

E

ANNOTATIO III.

IN hoc tractatu de fide hominis contrarius est iste auctor cæteris sacræ Scripturæ doctoribus, qui evangelicis, & apostolicis auctoritatibus asserunt fidem, sicut opera, gratiâ Dei hominibus dari.

AD COLLATIONEM XVIII. post CAP. XVI.

NOs hæc de incauta definitionis immutatione prædiximus, &c.

F

ANNOTATIO IV.

AB hoc loco ad finem usque istius collationis, in quibusdam codicibus plures hæreticorum sententiæ reperiuntur insertæ, docentes mendacium aliquando non esse peccatum.

OBSERVATIO I. AD ANNOTATIONEM IV.

(*NOs hæc de incauta definitionis, &c.*) Non extant hæc verba tum in codicibus MS. Bibliothecæ Corbeiensis Beato Lanfranco antiquioribus, tum etiam in editis, præterquam in translatione seu paraphrasi Dionysij Carthusiani; quem sane vel exemplari simili huic correcto ab eodem Lanfranco usum fuisse, vel mentem eius in sua translatione assecutum, par est conicere.

G

OBSERVATIO II.

(*PLures hæreticorum sententiæ, &c.*) Quas compositò prætermisisse in decem collationum emendatione videtur Beatus Archiepiscopus: quippe quæ forsan magis noxiæ lectoribus forent, quam profuturæ. Consule Doctissimi Gazæi nostri in easdem sententias commentarium; hoc est in cap. 16. & 17. Collationis 17. Ioannis Cassiani. Porrò Sancti Lanfranci codex decem dumtaxat collationes habet, queis nulla est capitum distributio (velut & Dionysianæ translationi) In vulgatis vero, ac in pervetustis MS. eædem in sexdecim, atque in capita dispertiuntur collationes.

***

H

DECRETA

A

DECRETA
D. LANFRANCI
PRO ORDINE
SANCTI BENEDICTI:

HOC EST,

B

Ordinationes quas Monachi tum in Monasteriis, tum etiam in Ecclesiis Cathedralibus observare debeant.

EX ANTIQVO MS. ECCLESIÆ Cantuariensis, quod habetur in Palatio Dunelmensi Londini.

PRÆFATIO.



LANFRANCVS indignus sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ Antistes, dilectissimis fratribus suis Henrico Priori, & cæteris salutem, & benedictionem. Mittimus vobis nostri ordinis consuetudines scriptas, quas excerpsimus ex consuetudinibus eorum cœnobiorum, quæ nostro tempore maioris auctoritatis sunt in ordine monachorum. Addidimus quoque

C

perpauca, & mutavimus nonnulla, & maximè in celebrandis quibusdam festis, excellentiùs in nostra Ecclesia oportere ea agi censentes, propter primatem sedem. In quibus nec nobis qui præsentes sumus, nec iis qui post nos venturi sunt, in aliquo præiudicamus, vt non vel eis addere, vel ab eis tollere, vel in eis permutare aliqua valeamus, si aliter ea commodiùs posse fieri, vel magistrâ ratione, vel doctiorum auctoritate intelligamus. Quantumlibet enim quisquam proficiat, maximus ei defectus est existimare se vltrà non posse proficere: nam numerus fratrum auctus, vel diminutus, facultates locorum, varietates rerum, quæ sæpe eveniunt, diversitates sensuum, quod alij quidem sic, & alij sic intelligunt, pleraque diu servata plerumque aliter ordinati compellunt; hine est quod nulla fere Ecclesia imitari aliam per omnia potest. Illud tamen cautissimè attendendum est, vt ea sine quibus anima salvari non potest, omnibus modis inviolata serventur, fidem dico, contemptum mundi, charitatem, castitatem, humilitatem, patientiam, obedientiam, de perpetratis culpis pœnitudinem, earúmque humilem confessionem, frequentes orationes, competens silentium, multáque in hunc modum; hæc vbi servantur, rectissimè potest dici regulam beati BENEDICTI, & monachorum ibi ordinem custodiri, quoquo modo varientur cætera, quæ pro arbitrio diversorum in diversis sunt cœnobiis instituta: cuiusmodi sunt quòd in præcipuis solemnitatibus alibi in tunicis tantùm, quos *frocos* vocant, & alibi in albis & cappis cantores ad Vesperas responsorium canunt; quod in eisdem festivitatibus in aliis locis in albis solummodo, & in aliis, cappis etiam induti procedunt; quod in quibusdam cœnobiis viceni, vel triceni, aut plus, aut minus simul in alveis, & in quibusdam singuli in singulis catinis pedes in claustro ante mandatum abluunt; quod pleraque monasteria mense Februario, translacta beatæ MARIÆ festivitate, officium mortuorum post Vesperas dicere incipiunt, & pleraque vsque ad Septuagesimam præstolantur. Huius generis plurima alia existunt, quæ pro sui prolixitate breviter enumerari non possunt. Hæc tamen ipsa, postquam servanda subiectis à pastoribus ordinantur, ab iis, quorum tota vita in obedientia sita est, sine culpa minimè violantur. Inde verò nemo turbetur, quod in tractatu earum consuetudinum nomen Abbatis tantùm, non Episcopi, vel Archiepiscopi, ponitur: Ordo quippe monachorum describitur, quorum per Abbates frequentiùs, quàm per Antistites vita disponitur: quamvis & ipsi Antistites, si paternam curam vice Christi subiectis suis impendant, non absurdè Abbates, id est Patres, congruo suis actibus vocabulo appellari queant. Deus pacis, & dilectionis vobiscum maneat, & ipse pace & dilectione sua vos repleat, & ab omnibus peccatis clementer absolvat. Amen. Amen.

Optima documenta.

Scatuta aliquádo commutanda.

D

Quæ nó abroganda.

Quis Monachus Benedictinus.

E

Instituta Pastoris, subiectis immutare non licet.

F

CAPVT PRIMVM.

Ordinarium totius anni.

SECTIO I.

Ab Octobri ad Adventum Domini.

KAlendis Octobris remaneat meridiana quam facere solent monachi in æstate, à Dominica prima huius mensis cantetur, & legatur de libris Machabæorum vsque ad festivitatem omnium Sanctorum. Cantantur Hymni Dominicis diebus vsque ad Adventum Domini; ad nocturna, *Primo dierum omnium*, ad Laudes *Æterne rerum conditor*. Privatis diebus post Matutina vsque ad festivitatem omnium Sanctorum revertantur ad lectos suos: illucescente autem die pulsetur à custode Ecclesiæ parvulum signum modicè. Surgentes fratres in nocturnalibus suis, & infantes, & iuvenes cum luminaribus suis, veniant in Ecclesiam, & facta oratione cantent Primam, & psalmos familiares cum suis collectis, & septem Psalmos, & Litaniam: Inde exeuntes sedeant in claustro. Pueri vero primitùs altè legant, & postea si opus fuerit cantent. Omni tempore antequam legant infantes nullus in claustro legat aut cantet, nisi in silentio, nec ad confessionem pergat. Antequam sonet signum ad apparatum Tertiæ nullus calciet se diurnalibus suis: exceptis iis quibus extra claustrum curà obedientiæ iniuncta est, & hi priusquam exeant aliquantulum in claustro sedere debent, & expectare vt priùs infantes in stolis suis legant. Cum appropinquaverit tempus horæ tertiæ pulsetur à Secretario modicè signum minimum, quam * skillam vocant, & statim pergant in dormitorium, & calcient se diurnalibus & cultellos accipiant; deinde ad lavatorium vadant, & prius lavent se, & postea pectinent: dehinc ad Ecclesiam veniant, aquam benedictam sumant, in chorum vadant, & incumbentes terræ infantes expectent. Cum vero infantes loti fuerint, & se pectinare incœperint pulsetur maius signum ad Horam: Accedentes & ipsi ad aquam benedictam in chorum veniant, & dimisso signo omnes simul tres orationes faciant. Quibus factis pulsetur minus signum, & canatur Tertia. Inchoato Psalmo *Miserere mei Deus*, surgentes missam matutinalem celebrent, ante & retro faciant, & se induere pergant. Celebratâ Missâ sedeant omnes in choro præter aliquos conversos, qui sacerdotem, & eos qui ad missam servierunt adiuvare debent. Quod cum expleverint redeant & ipsi in chorum. Tunc iubente

G

H

* alijs scilla, seu squila, id est Campanula.

Abbate,

A Abbate Prior sonet signum minimum. Deinde eant omnes in Capitulum duo & duo sicut sunt priores, maiores primò, postea infantes. Petacto Capitulo, pulsatâ tabulâ, dicto ab Abbate vel Priore *Benedicite*, loquentur in claustro. Infantes Capitulum suum teneant, & postea in Refectorium pergant. Post Sextam nullus in claustro loquatur donec infantes de monasterio exeant, & minimus eorum alta voce *Benedicite* dicat, facto intervallo pulsatâ ad apparatum missæ s'illâ, pulsato ad missam signo oratione factâ dicatur ab infante litania, induantur qui celebraturi sunt missam, & servituri sunt ad missam. Quartâ & sextâ feriâ si post Sextam & ante Missam per claustrum processuri sunt, non pulsetur skilla ad apparatum missæ, sed cum tempus processionis Secretarius instare prospexerit, sonet unum de mediocribus signis: quo audito statim silentium fiat in claustro. Discalcient se, manus abluant, in Ecclesiam vadant, factaque ora-
B tione, & pulsatis duobus signis, dictis quæ dici solent, processionem faciant sicut in eisdem diebus in Quadragesima, & in æstate, de qua posterius dicendum est: post missam pulsato signo agatur oratio: Post orationem vadant in refectorium accipere mixtum hebdomadarij coquinæ, & mensæ lector: Si vero alij sint qui pro utilitate Ecclesiæ maiori Missæ non possint interesse, in potestate Abbatis, vel Prioris sit utrum & ipsi mixtum accipere, & statutam Hebdomadarius debeant quantitatem panis, & potûs habere. Alij verò fratres interim in choro sedeant, & qui voluerint, legant. Servitoribus in chorum redeuntibus pulsetur signum, caneatur Nona: cantatâ Nonâ exeant, Prior ad percutiendum cimbalnm, Hebdomadarij coquinæ & cæteri qui servituri sunt ad iniuncta sibi officia.

Kalendæ Novembris si die Dominica evenerint, festivitas omnium Sanctorum solemniter agatur, sequentibus verò privatis diebus responsoria dicantur *Vidi Dominum*, & lectiones longæ ex Prophetis. Si vero
C dies Kalendarum feriâ secundâ, aut tertiâ, aut quartâ evenerint, præcedẽte Dominica inchoetur historia *Vidi Dominum*, sed tamen intervalla non nisi post Kalendas incipiant. Si vero quintâ, vel sextâ feriâ, vel Sabbato Kalendæ exiterint, sequente Dominica inchoetur historia, & lectiones ex prophetis; lectiones verò grandes, & intervalla mox post festivitatem inchoëntur. Ab hac festivitate usque ad quintam feriam ante Pascha, nisi ubi duodecim lectiones, aut octava fuerint, canantur privatis diebus post orationes ante officia nocturna triginta Psalmi ab *Ad Dominum cum tribularer*, usque *Omnis spiritus laudet Dominum*. Primi decem pro Defunctis sine *Gloria*; sequentes decem pro Congregatione, bini cum una *Gloria*, extremi decem pro familiaribus, & benefactoribus, & hi bini cum una gloria, singuli cum precibus, & collectis suis. Et post nocturna, & familiares psalmos officium Mortuorum, & matutinæ laudes de omnibus Sanctis, & *Verba mea* si tricenarium habent. Post hæc descendentes è dormitorio sedeant in choro; Infantes cum luminaribus in Capitulo dili-
D genter à magistris custodiantur, canentes quod necessarium erit, aut si nimis profundâ nocte surrexerint, pausent iacentes ad sedilia sua. Isto intervallo debet Prior cum* absconsa accensa per chorum ire ac videre quam regulariter sedeant; deinde per altaria, & membra monasterij, ne forte aliquis ibi dormiat. Si verò aliquem orantem invenerit silenter pertranseat. Quod si aliquem dormientem repererit evigilatu in chorum, signo facto, reverti præcipiat. Deinde debet per claustrum & in Capitulum ire, ac videre qualiter se habeant magistri, & infantes, & per loca alta ubi necessarium esse perspexerit. Cum tempus fuerit pulsato signo, venientibus pueris, factâ oratione, canantur matutinæ laudes, commemoratio Sanctorum. Prima cum psalmis familiaribus, & precibus, & collectis suis cum septem Psalmis, & Litania. Post hæc ita omnia agenda sunt, ut supra dictum est in mense

** Cera lucerna.*

E Octobri. Secretario autem sollicitè providendum est, ut tali hora matutinas laudes faciat incipere, quatenus omnia luce clarescente finiantur. Si autem dubietate aliqua delo.litur, & aliquid noctis post Litaniam fuerit, sicut supra in primo intervallo ita se habeant fratres, videlicet ut præter sanguine minutos nullus revertat ad stratum. Clarescente vero die exeant in claustrum sedere. Ad Completorium Hymnus *Christe qui lux es, & dies.*

Sectio II.

Ab Adventu ad Septuagesimam.

Dominicâ ante Adventum Domini canatur historia de sancta Trinitate, Hymnus *Primo dierum*. Psalmi *Domine in virtute*, & reliqui. In tertio nocturno pronuntietur Evangelium *Cum sublevasset*, & idem legatur à sacerdote revestitu cum colle-
F cta *Excita Domine*. Ad laudes Psalmi *Dominus regnavit*. Antiphonæ de Trinitate, & similiter super hora usque ad Vesperas, cum capitulis, & versibus, & collectis, ad Benedictus Antiphona, & collecta de Trinitate. Post Collectam dicatur Antiphona ex Evangelio *Cum sublevasset*, cum *Gloria Patri*. Versus *Dominus regnavit*, Collecta *Excita Domine*. Sermo in capitulo, & matutinalis Missa de Dominica, maior de sancta Trinitate. Si festivitas duodecim lectionum evenerit, non mutetur ipsa duodecim lectionum festivitas.

Sabbato præcedente Dominicam de Adventu Domini, Dimittatur ad Vesperas oratio de Cruce, usque ad octavas Epiphaniæ. Si festivitas sancti Andreæ in hac die evenerit, agantur pleniter Vesperæ de Apostolo. Finitis Vesperis incipiatur Antiphona, *Ecce nomen Domini* cum *Gloria Patri*. Dicta Antiphona sequatur Versus & Collecta de Adventu Domini. In crastino ad invitatorium duo fratres in albis, in sede Episcopali in cappis. Et ubi-
G cumque ordo monachorum qui hic describitur, ad invitatorium, & ad Benedictus, & ad Magnificat præcipimus esse in albis. In sede Episcopali institutum est esse in cappis. Lectiones de Isaia Propheta usque ad nativitatem Domini. In Matutinis Laudibus Psalmi *Miserere mei Deus*, & reliqui. Ad benedictus sacerdos in alba incenset altaria. Ad Primam capitulum *Domine miserere nostri* omnibus Dominicis, & festis diebus ad Nativitatem Domini. *Gloria in excelsis Deo* minimè dicatur; ad maiorem Missam Diaconus, & Subdiaconus casulis sint induti. Dominicis & aliis festis quibus duodecim lectiones faciunt, adipem comedant. Si festivitas sancti Andreæ in hac die evenerit, præcedente Sabbato sicut in Vigilia ieiunetur, & Missa de Vigilia dicatur: commemoratio ad Vesperas, & in crastino ad Matutinas laudes, & Missa matutinalis de Apostolo agatur. Festivitas vero in crastinum differatur. Ad Vesperas ipsius diei capitulum, & cætera quæ sequuntur, de Apostolo dicantur: dehinc commemoratio
H de adventu. Privatis diebus preces *Oremus pro omni gradu Ecclesia*. Feria quarta, sexta, & sabbato, quatuor temporum pronuntientur Evangelia ipsorum dierum. Vigilia Thomæ Apostoli, si dies Dominicus non fuerit, radantur fratres, & sic balneentur, qui volunt balneari, ut duobus diebus ante Dominicam nativitatis sint omnes balneati. Si necesse sit ipso Apostolicæ festivitatis die balneari possunt. Ipsa autem balnea hoc ordine disponantur: præcedente die debet Abbas, aut qui ordinem tenet providere unum seniorem religiosum, atque prudentem, cui præcipiat curam habere de ipsis, qui commoneat fratres qua hora ire debeant, & videre quam ordinatè ibi se contineant. Qui senior illuc pergens videat qualiter sint præparata, & quales famuli ibi sint deputati, scilicet non infantes, nec iuvenes,

[illegible] usus.

Quo ordine id fiat.

sed

A sed ætate provectiores. Quod si aliquid incongruum viderit, indicet Camerario, & ille statum emendet. Reversúsque senior in claustrum commoneat fratres quod opus esse cognoverit. Sed hoc caveat ne adolescentes, & novitij simul eant, sed cum senioribus. Illi vero fratres, quos commonuerit, postquam tali fuerint accipientes vestimenta, quæ mutare debent, pergant ad locum, in quo balnea præparantur, ibique exuentes vestimenta sua sic ordinate, (ut in dormitorio facere consueverunt) intent unusquisque ubi ei fuit demonstratum, & deposito velo quod ante eos pendet, sedeat cum silentio. Si quid vero ei necessarium fuerit modestè signo aliquo petat, famulus vero elevato velo deferat illi celeriter quod petit, & statim revertatur. Postquam satis ablutus fuerit, non delectetur ibi diutiùs demorari. Surgens vero calceatus, atque vestitus, sicut in dormitorio consuevit, ablutis manibus

B revertatur in claustrum. Adolescentes qui sunt in custodia, cum custodibus suis eant, & revertantur. A prima usque ad Completorium omnibus horis possint ire fratres ad balnea, sed nullus præsumat ire absque licentia fratris, cui hoc commissum est.

Vigilia Nativitatis Domini.

Si Vigilia Dominicæ Nativitatis in Dominica die evenerit, duo fratres invitatorium de Dominica in Albis dicant, primum, & secundum nocturnum de ipsa Dominica fiant, tertium, & matutinæ laudes de Vigilia. Post primam collectam commemoratio de Dominica: Missa matutinalis de Dominica, maior de Vigilia. Alia vero die sicut privatis diebus signa pulsentur & triginta Psalmi dicantur. Invitatorium duo canant, sed non in albis. Evangelium pronuntietur. Capitulum ad nocturnum, & oratio, & versus de Vigilia. Cætera sicut retro actis diebus, scilicet officium mortuorum, Matutinæ de omnibus sanctis, infantes in dormitorium vadant, & in Capitulum revertantur. Ad laudes sicut aliis diebus pulsetur unum signum, factáque oratione supra formas pulsentur omnia signa; quibus cessantibus incipiant matutinas

C laudes. Psalmi *Dominus regnavit* & reliqui. Primam Antiphonam Hebdomadarius incipiat. Capitulum, *Paulus servus Christi Iesu*. Sacerdos indutus alba incenset altaria. Preces *Ego dixi Domine*. Psalmum unum *Miserere mei Deus*. Commemoratio Sanctorum, Prima, Psalmi, Litania, dicta Tertia, & missa matutinali, signum Capituli diutiùs solito est pulsandum, ut cunctis occupationibus prætermissis ad initium Capituli omnes conveniant, ut cum Christi Domini nostri nativitas pronuntiatur prosternant se cuncti in terram. Lector etiam ante Analogium pariter orantes usque dum qui ordinem tenet, oratione facta, erigat se. Pronuntietur Evangelium, & ex eo sermo agatur. Post Sextam facto intervallo pulsetur signum; conveniant fratres in Ecclesiam; orationem communiter faciant; litania minime dicatur; induantur missam celebraturi; Sacerdos honorificè, Levita dalmaticà, duo Subdiaconi tunicis, unus ad prophetiam, & alter ad Epistolam, duo albis ad responsorium, Cantor Hebdomadarius cappa ad cho-

D rum, tres conversi unus ad thuribulum, duo ad candelabra: pulsetur classicum ad canonem supra formas; prosternantur tabulæ Refectorij coopertæ

Nativitas Domini.

In nocte Dominicæ nativitatis omnia signa primùm pulsentur: ad invitatorium quatuor fratres in cappis. In unoquoque nocturno ad tertiam lectionem duo sacerdotes cappis induti duo thuribula circumferant, primo duobus altaribus maiori, & matutinali, de hinc fratribus in choro sedentibus. In tertio nocturno pronuntientur hæc Evangelia. *Liber Generationis. Exiit edictum. Pastores. In principio.* Quibus expletis cum responsoriis suis incipiat Dominus Abbas *Te Deum laudamus*. Quo dicto legat Evangelium *Liber Generationis*. Dicta oratione incipiat cantor Antiphonam *O beata infantia*. Quam canentes eant ad altare Sanctæ Mariæ, & ibi dictis

E matutinis de omnibus sanctis vadant in dormitorium. Deinde pulsetur unum de maioribus signis, sicut pulsari solet skilla in duodecim lectionibus post Capitulum, ante matutinalem missam. Tunc fratres qui ad missam induendi sunt vadant ad locum constitutum, vbi sit optimus ignis a famulis camerarij præparatus; Baccilia quoque, & manutergia, & aqua calida ad abluendas manus. Hac sola vice antequam lavent, pectunt capita sua. Alio enim tempore prius lavant, postea pectinant. Post hæc pergant in Ecclesiam, & facta oratione induant se ad celebrandam missam. Sacerdos honorificè, Levita dalmaticà, duo Subdiaconi tunicis, unus ad prophetiam, & alter ad Epistolam, ad responsorium, & alleluia, quot cantor præceperit, & hi in cappis, tres conversi, tres cantores in choro, ante quos duo can-

Baccilia fortè pelves, vernaculè *Bassins* vel *Baquet*.

F delabra cum cereis accensis, infantes omnes. Pulsetur classicum, & post inchoetur missa. *Gloria in excelsis Deo*, & sequentia canantur. Celebrata missa, exeant Sacerdos, & qui ad missam servierunt, & qui in choro Albis, vel Cappis induti fuerunt: Quibus devestitis, & pulsatis omnibus signis, cantent matutinas (* decretas Lanfranci) laudes. His ita expletis, factáque commemoratione de Sancta Anastasia, & dictis familiaribus psalmis; revertantur ad strata. Apparente autem luce pulsetur ut supra unum de maioribus signis. Quo audito, expeditè surgentes omnes, & abluti manus, & facies, qui ad missam induendi sunt, veniant in oratorium, factáque oratione induantur, sicut ad priorem missam. Ad quam missam, antequam incipiatur, pulsetur classicum. Expleta autem Missa, vadant in dormitorium calceare se: postea solito more loti, & pexi, faciant in oratorio orationes tres solitas, dicta Tertia omnes induti cappis faciant processionem. Ad quam Tertiam dicatur Antiphona; *Hodie intacta virgo*, Cum autem venitur ad locum vbi dicitur *ipsum adoremus*, ab omnibus flexis ad terram genibus supplicetur, & hoc servetur quotienscumque prædicta Antiphona in monasterio cantatur.

Classicũ hic sumitur vel pro ultimo signo, vel pro maiori campana in turri Ecclesiæ posita. l.* Adiecta videtur hæc dem verba.

G Festivitates SS. Stephani, Ioannis, & Innocentium.

Tres sequentes festivitates, id est beati Stephani, Ioannis Apostoli, Sanctorum Innocentium, uno eodem modo celebrentur. Ecclesia his tribus diebus, sicut in die Dominicæ Nativitatis, ornata permaneat. Pulsentur signa, accendantur luminaria, agantur cætera omnia sicut in aliis duplicibus, & secundæ dignitatis festivitatibus, de quibus postetius dicendum est. Ad vesperas super Psalmos imponant Antiphonas de ipsis festivitatibus, quibus, & quas Cantor præceperit. Transactis primis diebus de ipsis festivitatibus nulla commemoratio fiat, nisi in extremis ipsarum festivitatum diebus;& tunc tantum tres lectiones fiant. Per totam hebdomadam Missa matutinalis, *Puer natus*; maior in quinta die *Dominus dixit* in crastino introitus *Puer natus*, & quod sequitur de *Lux fulgebit*. Hi duo dies agantur sicut in privatis duodecim lectionibus, nisi quod tres lectiones fiant. Pronuntientur vicissim in eis Evangelia Dominicæ Nativitatis. Festivitas S. Silvestri agatur sicut privata festivitas duodecim le-

H ctionum. Tertium nocturnum,& laudes de Dominica Nativitate:Officium *Dum medium silentium*, ante Epiphaniam dicatur. Circumcisio Domini celebretur sicut una de tribus superioribus festivitatibus, excepto quod aula monasterij non ornatur, quæ quinta Dominicæ Nativitatis die disparari debet.

Circumcisio.

In crastino post Circumcisionem Domini, incipiant legere Epistolas S. Pauli. Post Nocturna agant officia Mortuorum, postea pulsetur signum, cantent Matutinas Laudes, & Matutinas de omnibus sanctis. Postea revertantur ad lectos. Hoc modo agatur usque ad Octavas Epiphaniæ, nisi fuerit festivitas duodecim lectionũ.

Epiphania.

In Vigilia Epiphaniæ non ieiunetur: officium ad Missam *Lux fulgebit*. Ad Vesperas super Psalmos, una Antiphona; *Stella ista*. In crastino ad Invitatorium tres in cappis. Processio non agatur ipsa die, nisi dies Do-

A minica fit. Tunc enim fit in albis ante Tertiam per claustrum, Sacerdote eunte per officinas, sicut mos est Dominicis diebus. Ad Vesperas dicantur Antiphonæ, & Psalmi usque ad Capitulum, sicut in die Nativitatis. Vltima Octavarum die agatur totum servitium noctis de ipsis Octavis, commemoratio tantum de Sancto Hylario, & Missa matutinalis, Vesperæ usque ad Capitulum sicut die Epiphaniæ.

Post Octavam diem Epiphaniæ inchoëntur responsoria de Psalmis. Psalmodia verò, & cætera omnia agantur nocte, ac die, sicut ante Nativitatem.

Purificationis. Vigiliâ Purificationis sanctæ Mariæ dicantur ad Vesperas Antiphonæ *O admirabile*, & reliquæ: Psalmi de ipsa feria, capitulum *Ecce ego mitto Angelum*. In crastino cantica, *Populus qui ambulabat*. Ad Tertiam sint omnino albis induti; dictâ Tertiâ ponatur ante altare tapetum, ubi supra ponantur candelæ, quas benedicat sacerdos, aqua benedicta aspergat, & incenset, alba & stola indutus. B Postea custos dividat eas singulis singulas tribuens. Cum autem ceperint accendi cantor incipiat Antiphonam: *Lumen ad revelationem*: Qua dicta, & cum versibus Cantici *Nunc dimittis* quantum Cantor satis esse perspexerit, repetita, exeant ad processionem, Cantore incipiente Antiphonam, *Ave gratia*, & alias si necesse fuerit, per maiores monasterij portas introëant, ante Crucifixum stationem faciant: finito cantu, quem inceperant, Cantore statim incipiente Antiphonam, *Cum inducerent*; canentes chorum intrent, pulsentur signa, & Missam celebrent. Post refectionem in claustro sedeant donec servitores de refectorio exeant. Qui cum exierint, & monasterium ingressi fuerint, pulsentur duo maiora signa, & canatur Nona. Qua cantata exeat Prior, & sonet cymbalum, & postea vadant in refectorium. Hanc consuetudinem habeant usque ad Dominicam Palmarum, exceptis ieiuniorum diebus. Hoc die inchoandus est Psalmus *Ad Dominum cum tribularer*, qui pro Vigilia Mortuorum dicendus est usque ad Kalendas Novembris. Ad vesperas Antiphonam, *redemptionem*, Psalmum *Confitebor*, C Antiphonam *exortum est*. Psalmum *Beatus vir*, Antiphonam *De fructu*, Psalmum *Memento*. Privatis diebus post vesperas agant Vigiliam Mortuorum, nisi in crastino sit festivitas duodecim lectionum. Post nocturna usque ad quintam feriam ante Pascha privatis diebus dicant solitos duos psalmos, cum precibus, & collecta; postea *Exultabunt Domino*. De hinc Matutinas de omnibus sanctis, reliqua omnia sicut ante Nativitatem Domini.

SECTIO III.

A Septuagesima ad Dominicam Passionis.

Dominica Septuagesimæ. DOminica prima Septuagesimæ *Alleluia* ex toto dimittatur: loco *alleluia* per singulas horas *laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ* usque ad Paschalis vigi- D liæ vesperas dicatur. Historia *In principio fecit Deus* canatur, quinque libri Moysis, & Iosue, & Iudicum, & Ruth ad legendum ponantur Dominicis diebus, & cæteris duodecim lectionibus usque ad Pascha. Capitulum ad Primam *Domine miserere nostri* dicatur: *Gloria in excelsis Deo*, & *Ite missa est* usque ad paschale sabbatum minimè dicatur; dalmatica, & tunica ad Missam usque ad cœnam Domini minimè induantur: loco earum casulis ministri vestiantur. Ipso die adipem comedant: deinceps usque ad Pascha abstineant.

Dies Cinerum. Feria quarta in capite ieiunij Capitula *Convertemini ad me*, & cætera quæ sequuntur. Post sextam revertantur in claustrum locuturi; cum tempus fuerit pulsetur unum de mediocribus signis, quo pulsato statim silentium fiat in claustro. Discalceent, se, & pergant abluere manus, & sic vadant in Ecclesiam sine ulla E mora, faciántque orationem unam communiter: qua facta pulsentur duo signa inchoante infante *Exurge Domine*. Psalmus *auribus nostris*; His expletis dicat Sacerdos *Ostende nobis Domine*: Sequatur *Kyrie eleison Pater noster*, & *ne nos*: Psalmus, *Deus misereatur nostri*, Capitulum, *Et veniant super nos*: collecta pro peccatis, *Exaudi quæsumus Domine supplicum preces*. Post hæc benedicat Sacerdos cineres stolam tantum habens, & sparsa desuper aqua benedicta mittat cineres super capita fratrum dicendo: *Memento quia cinis es, & in cinerem reverteris*. Interim cantetur Antiphona *Immutemur* cum versibus, Psalmi *Deus misereatur nostri*, uno aut pluribus si opus fuerit. Hoc facto exeant ad processionem cantantes has Antiphonas *Exaudi nos Domine. Iuxta vestibulum*. Quæ duæ Antiphonæ id est *Exaudi nos*, & *iuxta vestibulum* ad omnes processiones Quadragesimæ quæ quarta, & sexta feria fiunt, eodem F ordine cantentur. Percantatis Antiphonis, incipiant duo infantes Litaniam: Hoc ordine agatur processio sexta feria, quæ sequitur caput ieiunij, & quarta, & sexta feria per totam Quadragesimam, usque ad quartam feriam ante paschalem festivitatem; nisi festivitas duodecim lectionum in ipsis feriis evenerit. Notandum quia si in capite ieiunij festivitas duodecim lectionum evenerit, non celebratur ipsa die, sed differtur in crastinum.

Quadragesimæ dominica. Dominica prima Quadragesimæ invitatorium duo in albis: Post Completorium suspendatur cortina inter chorum, & altare. Feria secunda ante tertiam, debent esse coopertæ crux, coronæ, capsæ, textus qui imagines deforis habent. Priusquam fratres intrent Capitulum, custos librorum debet habere congregatos libros in Capitulo super tapetum extensum, præter eos, qui præterito anno ad legendum dati sunt; Illos enim intrantes Capitulum ferre debent, quisque suum in manu sua: De qua re præmoniti esse debent à prædicto librorum custode in capitulo præcedentis diei; legatur sententia regulæ sancti Benedicti de observantia quadragesimæ. Facto igitur ex eo sermo- G ne prædictus librorum custos legat breve, qualiter præterito anno fratres habuerunt libros. Cum verò audierit unusquisque nomen suum pronontiari, reddat librum, qui ad legendum sibi alio anno fuerat commendatus. Et qui cognoverit se non perlegisse librum, quem recepit, prostratus culpam dicat, & indulgentiam petat. Iterum prædictus librorum custos unicuique fratri alium librum tribuat ad legendum; distributis per ordinem libris, præfatus librorum custos in eodem capitulo imbrevitet nomina librorum, & eos recipientium. Si hac die festivitas duodecim lectionum evenerit legantur duæ lectiones in capitulo, una de Evangelio, altera de observantia quadragesimæ; altera legatur statim post alteram, lecta posteriore lectione tunc primum dicat lector, *Tu autem Domine*. Ipsa die incipiant preces *Oremus pro omni gradu Ecclesiæ*; Psalmos prostratos, id est, septem pœnitentiales; & septem primos graduum, binos quidem, unum hinc, & alterum inde per singulas horas usque ad vesperas; ad vesperas H vero quatuor cum capitulis, & collectis pro peccatis, adiungentes in fine, *& ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus tribue venire gaudentes*. Hac die incipiant portare absconsam ad secundam tantum lectionem. Tribus diebus, id est, secunda feria, quarta, & sexta usque ad Pascha nec pulsetur tabula post capitulum, nec loquantur in claustro. Quarta, & sexta feria post sextam antequam de choro exeant dicant *Deus auribus nostris*. In his duabus feriis post nonam sedeant in claustro, factoque parvo intervallo, pulset secretarius unum de mediocribus signis; Tunc discalceent se omnes, & lavent manus, veniantque in chorum, & facta oratione inchoet infans Antiphonam *Exurge Domine, adiuva nos*. Pulsentur duo signa, dicat Sacerdos *Ostende nobis Domine*; subsequantur *Kyrie eleison. Pater noster*. Psalmus quarta feria *Deus*

misereatur nostri; sexta feria, *Deus in adiutorium meum*, Item Sacerdos, *& veniat super nos*, oratio pro peccatis. Postea inchoët cantor Antiphonam, & eant ad processionem. Litania ut supra. Ad hanc processionem nullus vadat calceatus, nisi Sacerdos, & levita. Si quis pro aliqua infirmitate nudis pedibus ire nequiverit, de processione remaneat. Redeuntes de processione nullus præsumet se calceare sine licentia. Expleta Missa, & facta oratione ad vesperas lavent pedes, & manus: & dicant vesperas.

Si festivitatem celebrari in quadragesima contigerit, præcedenti die dum canitur *Agnus Dei* ad maiorem missam colligatur cortina, & auferantur de choro formæ, quæ auferri solent in duodecim lectionibus; Missa finita agatur oratio vespertina sicut Sabbato. Post Collectam de festivitate dicatur Antiphona de feria, cum *Gloria Patri*: Psalmi postrati minimè dicantur: Post vesperas de omnibus sanctis canantur vesperæ mortuorum; Vigilia mortuorum minimè agatur; in die festivitatis post matutina de omnibus sanctis dicantur matutina mortuorum. Postea revertantur ad lectos Post primam, dictis consuetis Psalmis familiaribus, cum capitulis, & collectis suis, dicantur septem Psalmi cum Litania. Per singulas horas usque ad vesperas, à prima incipientes, dicant Psalmum *Inclina Domine*, pro his quos prostrati dicturi erant. Post capitulum sedeant in claustro cum silentio, usque dum pulsetur signum ad tertiam, Infantes quoque post capitulum suum descendentes de dormitorio, hoc intervallo in schola sua sedeant, & legant. Totam diem solemniter agant; utræque missæ ad maius altare celebrentur. Ad missam ieiunij nec Litania præmittatur, nec ad canonem supra formas curventur. Ad Vesperas, nisi in crastino sit festivitas duodecim lectionum, inter signa dicant *Deus auribus nostris*; post collectam festivitatis collectam de feria, cum *Gloria Patri*; post vesperas de omnibus sanctis Vesperas pro defunctis. Vigilia mortuorum ipsa die minimè agatur. Post completorium cortina extendatur, & formæ in chorum referantur.

Sectio IV.

Tempore Passionis Dominicæ.

SAbbato ad vesperas ante passionem Domini dimittatur oratio de cruce, nec ad responsoria, nec ad invitatoria, nec ad missas dicatur *Gloria*, usque ad Pascha, nisi missa familiaris sit in conventu, vel extra conventum, & nisi festivitatem alicuius sancti hoc tempore celebrari contingat? Quæ si *evenerit*, & ad responsoria; & ad missam dicatur *Gloria Patri*, sicut alio tempore. Hoc tépore legatur Ieremias usque ad pascha.

Dominica Palmarum.

Dominica in palmis ad invitatorium, duo in albis. Evangelium pronuntietur *Cum appropinquasset*, de quo & lectio, & sermo in capitulo: in quo capitulo ordinet Abbas, vel Prior processionem, & quid quisque portare debeat, & qualiter ordinatè eant, ac redeant fratres, Sacerdotes ad privatas missas unam tantum collectam dicant, Evangelium *Cum appropinquasset*, Passionem nullus legat, nisi fratres qui in formis cantant, missa matutinalis cum una collecta. Post matutinalem missam benedicatur aqua, ad quam sint omnes albis induti. Fiat processio per claustrum ut mos est omnibus Dominicis diebus; Intrantibus Ecclesiam pulsentur signa, & finito responsorio, & dictis quæ dici solent Dominicis diebus, cantatur tertia. Cantata tertia legatur Evangelium *Turba multa*. Postea accedens Abbas, aut Sacerdos benedicat palmas, & flores, & frondes ante maius altare supra tapetum posita, aqua benedicta aspergat, & incenset: Accedentes secretarij distribuant ea, palmas Abbati, & prioribus, & personis honestioribus; flores, & frondes cæteris. Interim cantore incipiente, cantatur Antiphona *Pueri Hebræorum*, & alia, *Pueri Hebræorum* His ita expletis proficiscatur processio cantore incipiente quæ ad hanc processionem cantari oportet: Qua de choro exeunte, pulsentur omnia signa. Præcedant famuli cum vexillis sequatur conversus ferens situlam cum aqua benedicta; alij duo portantes duas cruces; item duo cum duobus candelabris accensis desuper cereis, alij duo ferentes duo thuribula igne, & thure referta: Quod thus in thuribulo debet ponere, vel Abbas si in choro est, conversis thuribula, & * acerram cum thure deferentibus; vel ipse cantor, si Abbas deest. Ipse enim distribuit quæ portanda sunt, & processionem ordinat. Hos sequantur duo Subdiaconi portantes duos textus Evangeliorum. Post quos laïci monachi, deinde infantes cum magistris. Post quos cæteri fratres præcedentes Abbatem, qui ultimus procedit, duo, & duo, sicut sunt priores.

Conversus, i. Novitius.

* Acceram nunc naviculam appellat. Laici monachi

Hæc sunt quæ ad hanc processionem cantanda sunt, vel omnia, vel quantum permiserit spatium loci, quo ituri sunt: *Ante sex dies. Cum appropinquaret. Prima autem azymorum. Dominus Iesus. Cogitaverunt. Cum audisset populus. Omnes collaudant.* Cum autem perventum fuerit ad ipsum locum fiat statio à toto conventu: Cantore autem incipiente Antiphonam, *Occurrunt turba*, exeant duo Sacerdotes albis induti, qui portent feretrum, quod parum ante diem ab eisdem sacerdotibus illuc debet esse delatum, in quo & corpus Christi esse debet reconditum: Ad quod feretrum præcedant statim qui vexilla portant, & cruces, & cætera quæ superiùs dicta sunt. Et stantibus iis qui feretrum portant, stabunt & ipsi à dextera, & à sinistra ipsius feretri ordinatè sicut venerunt. Pueri verò accedentes stabunt versis vultibus ad ipsos reliquos cum magistris, suis, & quibusdam cantoribus, qui auxilio eis esse possunt. Maiores vero versi erunt ad invicem, eo modo, quo in choro stare solent. Sic autem ordinetur hæc statio, ut modicum intervallum sit inter pueros, & maiorem conventum. Finitâ Antiphonâ, *occurrunt turba*, incipiant pueri, & qui cum eis sunt Antiphonam *Osanna filio David* flectentes genua & in principio, & in fine Antiphonæ, quia in utroque *Osanna* dicitur: Quam Antiphonam chorus repetat, & similiter genua flectat. Deinde à pueris cantetur Antiphona *Cum Angelis*, in fine tantum Antiphonæ genua flectentibus. Quæ Antiphona à conventu repetatur & similiter venia accipiatur.

Taliter his peractis Abbate, vel Cantore incipiente Antiphonam (*Ave rex noster*) transeant portitores feretri per medium stationis, præcedentibus his qui vexilla portant, & cæteris superius dictis portitoribus, servato ab omnibus ordine in redeundo, quem habuerunt in eundo. Quibus transeuntibus flectent genua, non simul omnes, sed singuli hinc, & inde, sicut feretrum transibit ante eos. Percantata hac Antiphona, cantent & alia, si spatium loci plura poposcerit. Cum venerint ad portas civitatis stationem faciant, separatis ab invicem prout locus patietur utrisque lateribus, feretrum vero ante introitum portarum sic ponatur super mensam pallio coopertam, ut prædicti portitores ex utroque latere stantes habeant ad feretrum in medio eorum positum versas facies suas. Locus vero super introitum portarum honestè debet esse paratus, & cortinis, & * dorsalibus.

* Aulæis seu tapetibus.

Taliter ordinata statione canant pueri de loco apto, & qui præcepto cantoris cum eis erunt, *Gloria laus* & similiter chorus respondeat, pueri, *Israel es tu Rex*, & chorus; *Cui puerile decus*; Item pueri, *Plebs Hebræa tibi*; & chorus *Cui puerile*. Item pueri *Cætus in excelsis*; & chorus; *Gloria laus*. His dictis inchoët cantor responsorium, *Ingrediente Domino*: & ingrediente civitatem processione, duo maiora signa pulsentur, donec cætera signa, processione intrante in chorum, pulsentur ad Missam. Sic ordinata processio veniens usque ante portas monasterij faciat stationem servantibus pueris ordinem suum inter utrumque chorum. Deponatur iterum feretrum super mensam pallio coopertam.

Cantor

A Cantor vero sic antea inceptum habeat responsorium
Collegerunt Pontifices ut tunc prope cantatum sit, quo
cantato tres, aut quatuor fratres induti cappis, quas
secretarius ibi paratas habeat, canant versum, *Unus
autem ex ipsis*, stantes inter chorum, & reliquias.
Quo finito cum regressu intrent Ecclesiam, cantore in-
choante Antiphonam *Principes*, & aliam *Appropin-
quabat*. Et ingressi Ecclesiam faciant iterum stationem
per omnia similem ante Crucifixum prius detectum.
Atque ibi à tribus, vel quatuor fratribus cantetur in
cappis responsorium *Circumdederunt*. Quo cantato in-
cipiat Abbas responsorium *Synagoga*, & intrent cho-
rum sonantibus ad missam signis; missam celebrent,
palmas, & frondes in manibus habeant, easque post
oblationem panis, & vini, incipiente Diacono, cun-
cti per ordinem offerant.

Tabulæ refectorij coopertæ sint. Post mensam me-
ridianâ horâ in lectis suis quiescant. Appropinquante
B horâ nonâ pulset Secretarius signum minus modicè;
Tunc surgant omnes, & lavent manus, & facies,
& pectant se, & pergant in Ecclesiam, sedeantque in
choro. Cum infantes loti fuerint, & ad tersoria ire
cœperint, pulsante maiur signum Secretario, surgant
omnes de sedilibus suis, & ingressis chorum infanti-
bus, faciant prius orationem, postea cantent nonam:
Quâ cantatâ pulsato cymbalo à Priore pergant omnes
in refectorium. Talis ordo de meridiana servetur tota
æstate, exceptis ieiuniorum diebus, usque ad Kalen-
das Octobris.

Feriâ tertiâ radendi sunt fratres; in claustro simul
ipsa die, & in crastino debent esse balnea præparata.
Quæ quo ordine fiant, & quomodo illoc fratres ire
& qualiter ibi se habere debeant, superius dictum est,
cum sermo esset de balneis ante Christi nativitatem
præparandis.

Feria quarta non agatur processio, cætera agantur
more solito usque ad Vesperas. Ante vesperas non
dicantur Psalmi *Deus auribus nostris*; pulsentur signa
C sicut in festis diebus, responsorium *Circumdederunt me*.
Hebdomadarius canat preces *Ego dixi Domine*: psal-
mus ad preces solummodo *Miserere mei Deus*, psalmi
prostrati non dicantur. Post Vesperas de omnibus
sanctis dicantur, vesperæ pro Defunctis officium mor-
tuorum, quod post mensam dici solet, non dicatur,
Hymnus ad Completorium *Te lucis ante terminum*, qui
similiter dicendus est omnibus diebus usque ad Kalen-
das Novembris. Post Completorium cortina deponatur.

Feria quinta tot candelæ accendantur ante lætare,
quot Antiphonas, & quot responsoria cantari oportet.
Finitis tribus orationibus sedentes psallant singuli si-
lenter quindecim psalmos, absque *Gloria Patri*, cum
Capitulis, & collectis consuetis; Ad *Pater noster* pro-
sternant se super formas, & Abbate signum faciente
surgant. Inter psallendum, & ante nocturnam pul-
sentur signa sicut in duodecim lectionibus; Pulsatis
omnibus signis inchoët hebdomadarius Antiphonam
Zelus domus tuæ. Cum incipiunt psalmum petant ve-
niam super formas, & ad matutinas laudes similiter.
Per singulas Antiphonas, & singula responsoria ex-
tinguantur singulæ candelæ: lectiones sine *Iube dom-
ne*, vel *tu autem* legantur. Primæ tres de lamentatio-
D nibus Ieremiæ sine cantu, & Alphabetis præscriptis;
In secundo nocturno, de expositione psalmi; *Exaudi
Deus orationem meam cum deprecor*; In tertio de Episto-
la Pauli *Convenientibus vobis*: Antiphonæ omnes, &
versiculi absque finis melodia. In matutinis laudibus
cum incipiunt Psalmum *Laudate Dominum de cælis* va-
dant magistri inter infantes, qui & versi sint ad Prio-
res, sicut & ipsi infantes; Iuvenes vero, qui in custo-
dia sunt, mixtim sint in ordine seniorum. Candelæ
extinguantur in toto monasterio, præter unam, quæ
in choro ardeat; quæ & ipsa, cantore incipiente An-
tiphonam *Traditor autem*, extinguatur. Finitâ Anti-
phonâ curventur super formas sub silentio dicentes.
Kyrie eleison: Pater noster preces *Ego dixi Domine*:

Psalmum *Miserere mei Deus*, solum sine *Gloria Patri*, E
collectam *Respice quæsumus Domine*, signoque facto ab
Abbate, vel Priore surgentes inclinent sicut solent, ante
& retro, & stet unusquisque in loco suo usquequò ma-
gister infantum laternas accensas in chorum deferat, &
ipsis infantibus tribuat; Secretarius quoque accendat
lumen ante altare, unde iuvenes laternas suas accendant.
His ita peractis revertantur omnes ad lectos suos.

Lucescente die, ita ut pueri, & iuvenes sine laternis
possint exire, pulsetur à secretario parvulum signum
modicè. Statim surgentes fratres calceent se nocturna-
libus suis, & sic veniant in chorum curvantes se su-
per formas in ordine suo, quousque infantes veniant,
Qui dum venerint, peracta oratione, factoque signo ab
Abbate surgentes statim incipient Hymnum, *Iam lucis
orto sidere*, absque *Deo Patri sit gloria*. Et inchoata An-
tiphona, dicantur regulares Psalmi; & *Quicumque vult* F
sine *Gloria Patri*; Finita Antiphona curvati super for-
mas dicat unusquisque apud se in silentio *Kyrie eleison*,
Pater noster, Credo in Deum: preces usque ad Confes-
sionem, factoque signo ab Abbate, dicatur confessio.
Deinde silenter quæ sequuntur, dicant *Converte nos*, &
cætera; *Miserere mei Deus*, sine *Gloria*, Collectam *Do-
mine Deus qui ad principium*. Post hæc dicantur in alto
septem Psalmi absque *Gloria*, cum solita Litania: dein-
de sedeant in claustro usque Tertiam. Cum tempus Ter-
tiæ fuerit sonet Secretarius minimum signum sicut aliis
diebus. Tunc pergant fratres se calceare, & cætera si-
cut aliis diebus fieri solet, pulsato ad tertiam signo, fa-
ctis tribus orationibus solitis. Pulsato alio signo in-
choet infans statim hymnum *Dei fide qua vivimus*: sed
non dicatur ultimus versus *Gloria tibi Trinitas*. Et pro-
nunciata Antiphona dicantur psalmi regulares a beato
Benedicto instituti sine *Gloria*; dictis psalmis, & per-
cantata Antiphona, curvati supra formas dicant in si-
lentio *Kyrie eleison*, & cætera quæ sequuntur. Collecta
Respice quæsumus Domine. Post hæc pulsetur solitum si-
gnum ad Capitulum: lectio sine *Iube domne*, versus in G
silentio dicatur, legatur sententia de regula Sancti Be-
nedicti sine *Tu autem*: factoque ex ea sermone, corre-
ctis quæ corrigi oportet, dicantur consuetudines, quæ
agendæ sunt ab ipso Capitulo, usque ad crastinum Ca-
pitulum: dehinc ordinentur, quæ ad servitium totius
diei ordinanda sunt. Quibus ordinatis surgant canen-
tes alte *Verba mea* si defunctum aut breve pro defun-
cto habeant. In silentio autem dicant *Pater noster*, *A
porta inferi*, *Absolve Domine*. Pulsata tabula loquan-
tur in claustro.

Cum tempus fuerit pulsetur signum ad Sextam, &
facta oratione, pulsatoque alio signo inchoët infans
hymnum, & cætera, sicut fecerunt ad Tertiam: dehinc
pulsato signo loquantur iterum in claustro. Tunc Se-
cretarius pulset parum signum minimum, sicut in duo-
decim lectionibus ante matutinalem Missam. Celebre-
tur tunc ab Hebdomadario minoris Missæ Missa paupe-
ribus, qui mandato interesse debent, ducente eos fratre
Eleemosinario, cooperantibus cæteris fratribus, quibus Commune pauperum.
iniunctum fuerit. Expleta Missa communicet Sacerdos H
ipsos pauperes de oblatis non consecratis, signo tan-
tum sanctæ Crucis, in nomine Domini super eos facto;
deinc ducantur ad reficiendum.

His actis, pulsato signo ad Nonam, facta oratione,
pulsatoque alio signo canatur Nona, ut Tertia, & Sex-
ta. Qua cantata induantur infantes, & qui Missam
sunt celebraturi, Sacerdos videlicet, vel Abbas hono-
rificè, Diaconus dalmatica, Subdiaconus tunica, duo
ad responsorium, tres * conversi ad candelabra, & * Id est, Novitij, seu tyrones monachi, qui ex laico nec-dum con-vertuntur ut patet infra cap.
thuribulum. Interim auferantur formæ de choro, quæ
auferri solent. Pulsentur signa sicut in festis diebus,
Cantor hebdomadarius chorum teneat in cappa, missa
festivè celebretur, *Gloria in excelsis Deo* minimè dica-
tur, nisi Episcopus missam celebret, & chrisma faciat,
nunc etiam in fine missæ *Ite missa est* dicitur. Tot
hostiæ ponantur ad sacrandum, quot sufficere pos-
sint ipso die, & in crastino ad communicandum.

A

Fer. 4. 5. 6. & Sabbato Eucharistia percipiebant.

Quatuor his diebus nullus à communione se subtrahat, nisi subtrahendi rationabilis causa existat. Celebrata ferè missa repotrentur in chorum formæ : pulsetur tabula ad Vesperas. Expleta missa fiat oratio vespertina supra formas. Interea Sacerdos præcedente processione cum ad altare venit, vadat ad locum constitutum decentissimè præparatum, ibique reponat Corpus Domini, incensato ipso loco, & ante repositionem, & post repositionem. Ante quem locum lumen continuè ardeat. Quo completo, vadant in refectorium accipere mixtum. Ingressi autem refectorium faciant ante, & retro ante sedilia sua, & considentes sumant mixtum de pane tantum, & potu, quem super iustitias suas à refectorariis in scyphis positum invenerint.

Dum hæc aguntur, Cellerarius, & Eleemosynarius, & cæteri quibus iniunctum fuerit, introducant pauperes in claustrum, & faciant eos ordinatè sedere, alterum iuxta alterum. Qui pauperes priusquam claustrum introeant pedes suos abluere debent aqua calida à camerariis ministrata. Omnia vero in locis convenientibus debent esse præparata, quæ ad mandatum opus sunt necessaria, scilicet aqua calida à camerariis, in vasis idoneis parata; alia quoque vasa, ac tersoria ad pedes, manutergia ad manus, à Cellerario scyphi, & potus, & si quæ sunt huiusmodi. Præsto sint ad serviendum famuli Camerarij, & aliorum ministrorum, qui ad hoc sunt idonei. Qui prius per eos quibus iussum fuerit bene debent esse instructi, qualiter eos servire oporteat. His ita ordinatis cum visum fuerit Abbati surgat. Reliqui quoque fratres surgentes ante, & retro inclinent. Egressi refectorium infantes divertant cum magistris suis in scolam suam, ibique stent mixti magistris suis ante pauperes suos; reliqui quoque fratres surgentes veniant ante pauperes suos, & stent ordinatè ante eos sicut sunt priores singuli ante singulos; Abbas vero duos habeat. Tunc prior iussu Abbatis percutiat tabulam tribus ictibus, & inclinantes se flexis ad terram genibus adorent Christum in pauperibus. Abbas vel cantor incipiat Antiphonam *Dominus Iesus*, & alias quæ conveniunt. Singuli singulis abluant pedes, tergant, & osculentur ore, & oculis. Ablutis cunctorum pedibus pauperum, duo ex fratribus quibus iussum fuerit ministrent Abbati, vnus aquam, & alter manutergium, famuli autem reliquis fratribus. Postea accipiens Abbas baccilia, & manutergium à fratribus, qui ei servierunt, reliqui fratres à famulis, serviant & ipsi pauperibus; à quibus subsequentes fratres accipientes ministrent Abbati, & reliqui fratribus scyphos cum potu. Tum prior percutiat tabulam tribus ictibus, & dicatur ab omnibus moderata voce *Benedicite*; & data benedictione tribuant potum pauperibus osculantes eorum manus, & receptis scyphis dent singuli singulis pauperibus duos denarios, aut quot Abbas præceperit, iterum osculantes eorum manus. Ipsos denarios dare debet fratribus Cellerarius, aut Camerarius secundum quod Abbati visum fuerit. Fratres qui eo anno defuncti sunt suos pauperes ad hoc mandatum habere debent; similiter & familiares illi, pro quibus vnus in hoc mandatu pauperes debere poni Abbas decreverit. Quibus pauperibus supradicto modo serviant fratres, quibus iniunctum fuerit; alter nullus præsumat. Quamdiu ad hoc mandatum cantant, id est, dum pauperum pedes, ac manus lavanour. Sedere possunt qui volunt, eo tamen modo, quo sedetur in choro, vno scilicet sedente, inter duos stantes. Dum autem propinatur potus, sedere possunt omnes quicunque volunt, alter iuxta alterum, non observato illo standi, vel sedendi ordine. Inter hæc Secretarius observare debet congrua intervalla, quibus tabulam ad Vesperas pulsare debeat. Semel videlicet lotis pedibus, & semel lotis manibus. Propinato omnibus potu, reversis singulis in loca sua, Prior ter percutiat tabulam. Tunc Abbas, vel Sacerdos mediocri voce dicat

B

Pedes pauperū quomodo abluantur.

C

Singuli singulis pedes abluere debent.

D

Quo sedent ordine in choro.

E

capitulum *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.* Fratres omnes flexis ad terram genibus respondeant, *Et salutare tuum da nobis* : dehinc inclinati super genua tantum dicant *Kyrie eleison, Pater noster*, Abbas vel Sacerdos dicet mediocri voce *Et ne nos. Suscepimus Deus misericordiam tuam. In medio templi tui. Tu mandasti mandata tua Custodiri nimis. Domine exaudi orationem meam : & clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. Oremus. Adesto Domine Iesu Christe officio nostræ servitutis, & quia tu pedes lavare dignatus es tuis discipulis, ne despicias opera manuum tuarum, quæ nobis retinenda mandasti; sed sicut hic exteriora abluuntur inquinamenta corporum, sic à te omnia nostra interiora lavenutur peccata : quod ipse præstare digneris, qui cum, &c.* Ad cuius finem omnes respondentes *Amen*; & inclinantes se ante, & retrò, vadant ad Ecclesiam mediocri voce canentes psalmum *Miserere mei Deus.* Interim Secretarius, & aliqui fratres secum percutiant tabulas gradatim, eoque modo, utque ordine, quo signa pulsari solent in festivis diebus.

F

Dicto psalmo, & fratribus in ordine suo in choro stantibus, statim puer incipiat Antiphonam *Calicem salutaris*; Ad cuius inchoationem petitur venia ab omnibus supra formas, dicto psalmo *Magnificat*, & repetita Antiphona sine finis melodia, curuati supra formas, dicant in silentio; *Kyrie eleison. Pater noster*, preces *Ego dixi Domine* : Psalmum *Miserere mei Deus*; Collecta; *Respice quæsumus.* Si aliquis de foris veniens benedictionem petierit, omnibus horis accipiat ipso die, quo venerit. His tribus diebus tabulæ refectorij coopertæ sint. Ad cymbalum, & super tabulam Abbatis ponantur tabulæ cum malleolis. Versus & benedictiones in refectorio, & *Miserere mei Deus* post mensam humili voce dicantur; lector sine petita benedictione legat, & sine *Tu autem Domine* terminet. Interim dum fratres in refectorio sunt, secretarij discooperiant omnia altaria, & parent duo analogia, unum quod in Capitulo est, & alterum in monasterio, quod ante collationem in refectorium deportetur. Postquam fratres à mensa surrexerint, & de monasterio, ac dormitorio solito more redierint; lavent sibi pedes, ut Sabbato fieri solet; præparentur cuncta, quæ ad mandatum sunt necessaria. Refectis servitoribus, & pedibus ablutis, pulsetur tabula, & ad bibendum in refectorium vadant.

G

Post hæc egressis fratribus de refectorio, Prior claustri, iubente Abbate, percutiat tabulam ad mandatum. Introgressis in Capitulum fratribus, Priore claustri sedente in loco Abbatis, præcingant se linteis Abbas, & Prior, & inchoante Priore claustri Antiphonam *Dominus Iesus*; veniant in Capitulum, Abbas ad dexteram, & Prior ad sinistram, sequentibus eos fratribus, qui ad servitium eorum ipsa die in Capitulo fuerint ordinati; & utrique flexis genibus lavent pedes fratrum, & tergant, & osculentur. Camerarij præsto esse debent, qui madefactis tersoriis alia ministrent, quotiens opus fuerit : lotis omnium qui in Capitulo sunt pedibus, sedeant foris ante Capitulum Prior, & prædicti servitores cum eo : quorum pedes præcinctus tersorio Abbas flexis genibus abluat, & tergat, & osculetur, servientibus sibi fratribus ad hoc obsequium deputatis. Post hæc redeat Abbas in sedem suam; ad quem Prior præcinctus tersorio veniens cum fratribus sibi deputatis, lavet pedes eius, & tergat & osculetur, & ablutis manibus suis statim deferat sibi aquam ad abluendas manus, vno eorum qui sibi servierunt tenente manutergium. Deinde redeunte Priore claustri in locum Abbatis, exeat Abbas, & accipientes ipse & prior baccilia cum aqua, & manutergia, duo fratres qui de coquina ipsâ septimanâ serviunt, qui inter cæteros adiutores ad huius mandati obsequium ordinari debent, serviant omnibus ad abluendas manus, sicut servierunt ad abluendos pedes. His expletis exeat Abbas, & Prior, & servitores eorum, & ante Capitulum præbeat eis Abbas aquam ad abluendas ma-

H

nus,

nus, tenente mantergium uno eorum fratrum, qui ad hoc obsequium ei deputati sunt.

Quo peracto, præcedens Abbas, & cæteri sequentes cum introeant Capitulum, & faciant ante & retro, sicut solet fieri die Sabbati ab eis, qui mandatum fecerunt. Postea pergat Abbas ad sedem suam, surgente Conuentu donec sedeat; reliqui similiter ad loca sua. Cessante autem cantu, & Secretario percutiente tabulam ad collationem, qui petitâ licentiâ ad eam percutiendam perrexit, hora congrua ingrediatur Diaconus Capitulum qui post manuum suarum ablutionem ad se præparandum iuit, alba, & stola & dalmatica indutus, textum Euangelij portans, præcedentibus tribus conversis portantibus candelabra, & thuribulum igne, & thure refertum. Ipse enim Diaconus antequam exeat de monasterio ponere debet thus in ipso thuribulo. Quibus ingredientibus Capitulum totus Conventus assurget stans donec unus versus de Evangelio perlectus est.

Cum autem esse tempus perspexerit, innuat Abbas Priori ut vadat percutere tabulam. Et cum audierit Prior à diacono *Surgite eamus hinc*, percutiat tabulam, sicut solet percuti cymbalum: quod dum fit, surgant omnes ac præcedente Diacono cum textu & conversis cum candelabris, & thuribulo; sequatur Conventus in refectorium, sicut fit in sabbato ad Charitatem. Ibi Secretarius habeat analogium de Ecclesia paratum, impositoque desuper textu, iterum mittat Diaconus thus in thuribulum, & incenset analogium, & textum.

Maior Prior.

Et sedente maiore Priore in loco Abbatis, ad eius nutum incipiat Diaconus lectionem ab eo loco ubi dimiserat. Et percutiente Refectorario tabulam uno ictu, Abbas & fratres, qui ad pedes lauandos ipsius adiutores extiterant, vadant ad locum ubi potus charitatis paratus est, ferentes vitreas phialas, aut scyphos fratrum in manibus suis. Et accepto vino in prædictis vasis, tacente lectore, præcedant ad gradum sicut mos est.

Refectorarius.

Refectorarius verò ex quo accepto potu incipiunt ire paulatim, percutiat tabulam suam quousque ad gradum perueniant; quo cum peruenerint, ter aut quater festinantiùs percutiat, & cesset. Tunc omnibus humili voce dicentibus *Benedicite*, Sacerdos hebdomadarius surgat, & eadem voce benedictionem faciat. Benedictione factâ, porrigat Abbas Priori potum, & reliquis sicut sunt priores; osculans eorum manus, ministrantibus ei fratribus, qui cum ipso potum ad gradum detulerunt: Ministrato potu maioribus, & infantibus; post maiores accedat Abbas ad Diaconum, qui collationem legit, & expectato fine incœpti versus præbeat ei potum, dehinc tribus illis, qui de candelabris, & thuribulo seruiunt, seruitoribus Abbatis candelabra, & thuribulum interim tenentibus. Qui & scyphos à Diacono, & ab eis recipientes portent ad tabulam Abbatis, & super eam ponant: his actis prædicti seruitores Abbatis, qui cum eo potum ad gradum detulerunt, ante ipsum gradum simul veniant, & ante & retro faciant, & postea sessum vadant: quibus Abbas similiter potum ferat osculans eorum manus, ministrantibus illi fratribus illis, qui ei ad lauandos pedes Prioris, & ipsorum seruitorum ministrauerunt.

Hoc facto Abbas ad sedem suam vadat, & ante eam ante & retro faciat, assurgente sibi conuentu donec sedeat; Prior verò surgens porrigat illi potum osculans eius manum; lecto sermone quantum Abbati visum fuerit, innuente eo Diaconus lectionem absque *Tu autem Domine* finiat, & clauso libro, ante & retro faciat, & postea dalmaticam, & stolam, & manipulum supra analogium ponat. Conversi vero candelabra, & thuribulum super mensam Abbatis ferant, & ante ipsam mensam ante & retro faciant. Post hæc & Diaconus, & conuersi, ad ipsam mensam sedentes, bibant, Diaconus iuxta Abbatem, conuersi iuxta Diaconum, sicut sunt priores. Abbas vero lecto sermone, statim percutiat uno ictu tabulam, & postea tot vicibus, quot vicibus skillam percuti consuetudo est sabbato ad charitatem post mandatum. Interim duo secretarij surgant & analogium & dalmaticam, cum textu, & stola, & manipulo, ad monasterium ferant. Post hæc Abbas surgat, & humili voce dicat, *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, & eadem voce conuentus respondeat, *Qui fecit cœlum & terram*: deinde præcedente Diacono cum conversis candelabra, & thuribulum portantibus, sequatur conuentus ad monasterium, Secretario percutiente tabulam ad completorium, & facta confessione dicant completorium, bini aut terni sub silentio. Post completorium tres orationes solito more faciant; Prior tabulam percutiat tribus ictibus post orationes infantium, sicut skillam pulsare solet. Notandum est autem in huius diei obsequio, quia si Abbas sufficere valet omnium fratrum pedes solus in hac die lauare debet; testante enim beato Benedicto, vices Christi agit in monasterio, & maximè in hoc ministerio.

Feriâ sextâ ante nocturna pulsetur tabula in claustro, & ante cellarium, & ante domum infirmorum, ad excitandos dormientes. Post orationes solitas, sicut in quinta feria, quindecim psalmi dicantur, candelæ extinguantur, lectiones in primo nocturno, & secundo legantur, unde lectæ sunt in quinta feria. In tertio nocturno de Epistola ad Hebræos *Fratres festinemus ingredi*; & cætera omnia usque ad primam sicut in quinta feria. Ad primam pulsatâ tabulâ surgentes nudis pedibus vadant ad monasterium, & sic maneant omnes donec impleatur diei officium, nisi iussu Abbatis calcientur pro nimia asperitate frigoris. Quod si evenerit, officio tantum intererunt nudis pedibus.

Primam & omnes horas diei, præter vesperas, usque ad vesperas Sabbati dicant sicut in quinta feria, excepto quod in quinta feria in alto cantantur Hymni, intonantur Psalmi, cantantur Antiphonæ; in his vero diebus duobus hæc omnia in silentio & in directum dicuntur; dicta prima septem Psalmos, & litaniam in alto dicant. Postea sedeant omnes in claustro & inchoante Abbate, dicant psalterium ex integro; quo completo vadant ad confessionem, qui voluerint usque ad horam officij.

Appropinquante hora tertia, pulsata tabula sicut solent, pergant in dormitorium. Dehinc abluti, & pectinati, pulsata tabula vadant ad monasterium, & factis solitis orationibus dicant tertiam. Post tertiam pulsata tabula pergant in Capitulum: in quo versus in silentio dicitur, & sententia sicut in quinta feria de regula legatur. Post sermonem narrentur, & ordinentur, quæ agenda sunt usque ad crastinum Capitulum. Exeuntes de Capitulo sedeant in claustro non loquentes, sed cantantes, aut legentes.

Dicta nona induantur Sacerdos, & Levita, & reliqui qui ad officium sunt seruituri. Procedant ad altare Sacerdos, & Levita soli, Sacerdos in casula, Diaconus in stola, nullaque præmissa supplicatione dicat Sacerdos *Oremus*; Diaconus *Flectamus genua*; & ad alteram Collectam similiter. Altare sit coopertum desuper uno tantum linteamine. Singulos tractus duo in albis canant. Passio absque *Dominus vobiscum* legatur: ad quam nec candelabrum, nec thuribulum; & cum peruentum fuerit ad locum ubi dicitur *Partiti sunt vestimenta mea sibi*, sint duo de indutis iuxta altare hinc & inde trahentes ad se duos pannos, qui ante officium super altare missi fuerant, linteo tamen remanente subtus missale: lecta passione dicantur orationes solemnes, sicut in missali continentur. Pro cunctis ordinibus flectantur genua, nisi pro Iudæis.

His expletis deposita casula, & stolis revertantur Sacerdos, & Levita in chorum in albis. Tunc duo Sacerdotes, quibus cantor iusserit, induti albis accedant ad crucem, quæ debet esse præparata, & cooperta ad altare matutinale quam accipientes ferant eam paulatim progredientes, & cantantes Versus *Popule meus*, Duo

A Leuitæ in albis ſtantes ante gradus, ante altare maius reſpondeant *Agyos ò theos*, Chorus autem dicat, *Sanctus Deus*: Sacerdotes, *Quia eduxi vos*: Leuitæ, *Agyos*: Chorus, *Sanctus*, Sacerdotes, *Quid ultra*, Leuitæ, *Agyos*: Chorus, *Sanctus*. Tunc Sacerdotes crucem ferentes veniant ante altare, & cum finierint *Sanctus* ſtatim diſcooperientes eam incipiant ambo Antiphonam *Ecce lignum*; & tunc demum omnes flectant genua. Repetatur Antiphona cum verſibus Pſalmi *Beati immaculati*, quantum Cantori viſum fuerit. De hinc canantur alia ad hoc ſeruitium pertinentia quantum opus fuerit. Tapetia ſint extenſa ante altare, ſuper quæ proſternantur primùm domnus Abbas, & induti; interim in locum eorum, qui tenent crucem ſuccedentibus aliis, deinde cæteri, ſicut eſt ordo eorum. Et non prolixè adorantes iaceant, ſed breuiter & purè orantes: Poſtea vnuſquiſque oſculetur pedes crucifixi, & B poſt reuertatur in chorum. Quod ſi conuenerint aliqui vel clerici, vel laïci volentes adorare crucem, portetur eis crux in alium locum, ubi aptius adorent eam. Quæ ſi per chorum tranſierit flexis ad terram genibus adoretur a fratribus, non ſimul omnibus, ſed ſicut portabitur coram eis. Adorata ab omnibus cruce, portitores eius eleuantes eam incipiant Antiphonam, *Super omnia ligna cedrorum*, & ſic vadant ad locum ubi eam collocare debent. Tunc omnes petant veniam flexis ad terram genibus.

His ita geſtis Sacerdos reſumptâ caſulâ cum ſtola, & Diaconus ſtolâ, præcedentibus conuerſis cum candelabris, & thuribulo, vadant ad locum ubi quinta feria Corpus Domini fuit repoſitum, & poſito incenſo in thuribulo incenſet illud, & ſic tradat Diacono ad reportandum. In eundo & redeundo conuerſos ſequatur Diaconus, Sacerdos extremus veniat. Cum appropinquant altari adorent omnes. Fratres Corpus Domini flexis genibus: collato ſuper altare Chriſti corpore, facta in calice vini, & aquæ commixtione, dicta a Sacerdote cum Diacono confeſſione, facta ſuppliciter à C Sacerdote ad altare oratione, incenſet Sacerdos Corpus Chriſti, & calicem; deinde dicat mediocri voce *Oremus, Præceptis ſalutaribus moniti*, & cætera uſque *Et ne nos inducas in tentationem*, & chorus reſpondeat, *Sed libera nos à malo*. Dehinc Sacerdos in ſilentio *Libera nos quæſumus Domine*, & cætera uſque *In unitate Spiritus Sancti Deus*. Et poſt moderata voce *Per omnia ſæcula ſæculorum*: Et reſpondente choro *Amen*, nihil amplius dicat; miſſaque in calicem ſicut ſolet particula Dominici corporis, communicet ſe, & fratres omnes, ſine oſculo pacis. Communicatis omnibus pulſetur tabula, & fiat oratio veſpertina. Qua completa, exeant in clauſtrum, & lauent pedes de aqua calida, & calcient ſe diurnalibus ſuis. Poſtea pulſatis tabulis redeuntes in chorum dicant veſperas in ſilentio, eiſdem ſicut in quinta feria Pſalmis, Antiphonis, precibus, collectis; niſi quod pro Pſalmo *Voce mea*, qui dictus eſt quinta feria, hac die dicitur Pſalmus, *Benedictus Dominus Deus meus*.

Paraſceues die communicabant omnes.

D Dictis veſperis, & pulſata tabula eant in refectorium, ubi reficiantur pane tantum & aqua, & herbis crudis. Cibi fratrum coquantur in coquina ſicut cæteris diebus, & inde portentur ad eleemoſynam. Solitus quoque potus detur pauperibus. Reficiente conuentu, ſecretarij adiunctis ſibi Sacerdotibus, quot neceſſarij fuerint, & quibus iuſſum fuerit, remaneant in Eccleſia, ad abluenda altaria omnia, quæ prius lauanda ſunt aqua, deinde vino. Refectis ſeruitoribus, poſtquam de monaſterio, & dormitorio in clauſtrum redierint, pulſata tabula, fratres eant in refectorium propter ſeruandum ordinem, quaſi ad bibendum, & bibant aquam qui voluerint, alium potum minimè. Illis exeuntibus de refectorio, & in clauſtro reſidentibus, facto congruo interuallo, pulſetur tabula, & vadant omnes ad collationem. A qua iubente Abbate, percuſſa priore tabula, ſurgentes pergant in refectorium ad charitatem bibendam.

E Sabbato Sancto percutiatur tabula ante nocturna, ſicut in ſexta feria, & cætera ſimiliter fiant uſque ad Primam. In tertio nocturno legatur de Epiſtola Pauli Apoſtoli *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum*. Ad primam ſurgant in nocturnalibus ſuis: Primam, & ſeptem Pſalmos, & Litaniam, & cæteras horas, uſque ad veſperas dicant, ſicut in ſexta feria. In Capitulo legatur ſententia de regula Sancti Benedicti, & diſponantur quæ agenda ſunt uſque ad paſchale Capitulum. Ante Capitulum, & poſt Capitulum debent ſecretarij monaſterium & omnia altaria ornare, cereos ubicumque eſſe debent collocare, cereum ad benedicendum in loco ſuo ſtabilire. In quo à Cantore ſcribi debet quotus annus ille ſit ab incarnatione Domini, & crux deſignari infixis in quinque locis quinque granis incenſi.

F Poſt Nonam induantur qui officium ſunt celebraturi, & ad officium ſpecialiter ſeruituri, & infantes omnes, Sacerdos alba, & ſtola, cæteri albis induti, in chorum ſedeant: Dehinc procedant ad ſacrandum ignem, canentes Pſalmum quinquageſimum. Primus omnium ſecretarius qui haſtam portat, in qua ſacratum ignem reportet? Dehinc portitor aquæ benedictæ; Poſt hos qui portant crucem, & thuribulum: Deinde Sacerdos, qui ignem ſacraturus eſt; poſt quem infantes; Dehinc reliqui induti, poſt quos alij fratres, ſicut procedunt Dominicis diebus. Sacrato igne, proiiciat Sacerdos aquam benedictam ſuper eum, & poſtea ex carbonibus ipſius ignis impleatur thuribulum, quo impleto, imponat Sacerdos thus, & incenſet ignem: Tunc accendatur cereus, quem portare in haſta debet Secretarius. Accendatur & candela in laterna ut ſi forte in eundo extinguatur cereus ex ea accendatur, hanc laternam portare debet unus de magiſtris puerorum.

Ad hanc proceſſionem candelabra non portantur: eundem ordinem ſeruent in redeundo, quem habuerunt in eundo. Reuertentes dicant hos Pſalmos, *Deus in nomine tuo*: *Miſerere mei Deus, miſerere mei*; *Deus miſereatur noſtri*: *Deus in adiutorium*; In ſede Epiſcopali canatur à duobus pueris Hymnus *Inuentor rutili*. G Ignis ſanctificatus qui in clauſtro remanſit à famulis Celerarij colligatur, & ex hoc igne omnes foci in omnibus officinis prius extincti iterum accendantur. Plurima monachorum cœnobia faciunt hanc ad ſanctificandum ignem proceſſionem, in quinta etiam, & ſexta feria, ſecretario præferente cereum in haſta, vel virga in quinta feria, Priore in ſexta, Abbate in ſabbato.

Proceſſione in chorum reuerſa ſine candelabris & thuribulo, Sacerdos indutus caſula procedat ad altare; Diaconus vero ſtola & dalmatica indutus veniat ante Abbatem, & petat ab eo benedictionem, dehinc vadat ad cereum, & benedicat eum, nec ante benedictionem, nec poſt benedictionem ante & retro faciens, unus autem ex conuerſis cum tempus fuerit, indicante cantore, deferat Abbati ignitis carbonibus plenum thuribulum; In quo thure iniecto accedat ad Diaconum, & iuxta eum ſit, ut cum tempus fuerit, H accipiat Diaconus ab eo thuribulum, & incenſet cereum. Secretarius vero ſit paratus, ut cum dictum fuerit *Rutilans ignis accendit*, ſtatim accendat cereum.

Benedictione peractâ, Diaconus depoſitâ dalmaticâ, & ſtola ad ſuum locum in chorum reuertatur. Cereus verò non extinguatur uſque in craſtinum poſt veſperas; lectiones ſtatim inchoentur: Sacerdos abſque cantu dicat orationes ad altare ſicut ſunt per ordinem; ultima oratione dicta cantor, & alter frater, quem voluerit, induti cappis incipiant in choro Litaniam ternam, hoc modo; Cantores *Kyrie eleiſon*; dexter chorus ſimiliter reſpondeat *Kyrie eleiſon*; Deinde ſiniſter, & cætera eodem modo, uſque ad finem litaniæ: ternos Sanctos de unoquoque ordine dicant: Ad ſingula Sanctorum nomina uterque chorus inclinet, cantores ad nullum: Incœpta Litania

fratres

A fratres accedant ad formas sicut in duodecim lectionibus; ad Tertiam Sacerdos revertatur in secretarium, & deposita casula, & stola redeat in chorum. Cum dixerint cantores *Omnes sancti orate pro nobis*, exeant de choro Sacerdos, Levita, Subdiaconus, tres conversi, & induat se Sacerdos casula, Levita dalmatica, Subdiaconus tunica.

Finita Litania pronuntient cantores tribus vicibus alta voce *Accendite*, & tunc primum accendantur candelabra, & cætera luminaria, quæ ante altare, & circa altare sunt, & cantores incipiant festivum *Kyrie eleison*; & Sacerdos, cum processione solita, ad altare procedat, & signa tunc pulsari incipiant; nec desinant, usque ad finem *Kyrie eleison*. Et tunc primum det cantor cappas his qui, *Alleluia*, & tractum cantaturi sunt. Finita *Kyrie eleison*, incipiat Sacerdos, *Gloria in excel-*

B *sis Deo*. Quando legetur Evangelium, non teneantur candelabra, sed solum thuribulum: In hac consuetudine concordant omnes ferè principales monachorum Ecclesiæ, quæ nostro tempore maioris auctoritatis sunt, sicut & in eo quod offerenda, & *Agnus Dei*, & *Communio* ad hanc Missam non dicuntur, licet cætera festivè dicantur. In quibusdam quoque non improbandæ auctoritatis cœnobiis, nec ante Sacerdotem ad altare procedentem hac die candelabra portantur.

Celebrata fere Missa Sacerdote incipiente *Per Dominum nostrum* incipiant pulsari duæ skillæ ad vesperas, ut mos est in maximis festivitatibus. Responsio *Deo gratias* ad *Ite missa est*, fiat oratio vespertina; qua facta vadant infantes in refectorium, si aliqui adeo parui sunt, ut usque post vesperas expectare non possint. Interim pulsentur maiora signa duo, & duo; Ad extremum pulsatis omnibus signis, canantur vesperæ ut decet solemniter. Hebdomadarius cantor in-

C cipiat *Alleluia* ex aliqua Antiphona ex qua cantor præceperit. Psalmi *Confiteantur*; Capitulum *Si consurrexistis*; Responsorium *Angelus Domini locutus est*; Hymnus *Ad cœnam agni providi*, Versus *Resurrexit Dominus*; Ad *Magnificat*, *Vespere autem Sabbati*; Collecta, *Deus qui hanc sacratissimam noctem*. Post vesperas, procedant ad crucifixum.

Sectio V.

De Tempore sancto Paschatis.

Die Sancto Paschæ ante Vigilias matutinas pulsentur omnia signa; dehinc duo & duo, sicut mos est. Ad invitatorium quatuor in cappis; Psalmi à beato Benedicto instituti, id est, *Domine in virtute tua* & cæteri. Ad lectiones circumferantur thuribula, sicut in die Dominicæ Nativitatis institutum est. Totum denique officium more monachorum agatur. Processio ad crucifixum post matutinas laudes, & post Vesperas, per totam septimanam vadat. Missa Matuti-

D nalis hac die cum una collecta; processio in cappis. Ad vesperas Psalmi regulares, id est *Dixit Dominus* & reliqui, qui diebus Dominicis dici solent. Super Psalmos Antiphonæ, quæ ad Matutinas laudes dictæ sunt.

Tribus sequentibus diebus ante Vigilias pulsentur signa duo, & duo; ad invitatorium tres in cappis; Psalmi feriales dicantur, sex sub una Antiphona, & sex sub alia; duo & duo primum, & secundum responsorium: tertium tres; laudes sub una Antiphona. Ad thuribula duo Sacerdotes cappis induti ad Laudes, & ad vesperas. Missa matutinalis cum una collecta; ad maiorem omnes sint cappis induti. Ad vesperas per totam hebdomadam sub una Antiphona dicantur Psalmi, qui in die Paschæ ad vesperas dicti sunt.

Tribus sequentibus diebus, ad invitatorium duo in froccis; ad nocturna Psalmi feriales, tres lectiones de pronuntiato Evangelio; maior Missa, & cætera omnia sicut in duodecim lectionibus. In hac hebdo-

E mada non loquantur in claustro. Missa matutinalis *Resurrexit*; omnes horæ cum Antiphonis canantur. Sabbato tantum ad vesperas Psalmi cum *Alleluia* dicantur.

Octava die ad invitatorium tres in cappis. Ad lectiones legantur Paschales sermones; in tertio nocturno pronuntietur Evangelium *Cum esset sero*. Missa matutinalis *Quasi modo geniti*. Processio in albis; maior Missa *Resurrexi*, ad quam sint omnes cappis induti.

Feria secunda ponatur ad legendum liber Actuum Apostolorum usque ad sequentem Dominicam: ad utrumque nocturnum, & ad omnes horas *Alleluia* dicatur usque ad Ascensionem Domini. Post Capitulum, pulsata tabula, loquantur in claustro. Post Nonam, cum exierint de refectorio, pergant in capitulum, & supplicent ante, & retro, pulsetque Prior tabulam tribus ictibus, dicatque ter, *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuvandum me festina*: & conventus

F idem ter respondeat adiungentes *Gloria Patri*, *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Kyrie eleison*. *Pater noster*, & Prior *Et ne nos*, *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, conventus *Qui fecit cælum & terram*; & à Priore dicto *Benedicite*, post loquantur in claustro. Hic loquendi ordo teneatur usque ad idus Septembris privatis diebus, nisi ieiunium fuerit.

Dominica prima post Octavas Paschæ, legatur Apocalypsis, & canatur historia *Dignus es Domine* duabus septimanis. Dominica tertia usque ad Ascensionem Domini legantur septem canonicæ Epistolæ, & canatur historia *Si oblitus*.

Diebus Rogationum dictis Matutinis pro defunctis, fratres ad lectos redeant, & qui volunt plus solito dormiant. His enim diebus meridianis horis non dormiunt nec aliquo sonitu, ut aliis diebus mos est, mane excitantur, sed cum tempus visum fuerit congruum, excitare debent infantes magistri eorum, quàm quietiùs possunt; quibus in claustro legentibus, surgant sine mora, qui in lectis adhuc quiescunt. Post Primam, & familiares Psalmos primæ, & septem Psalmos, & Litaniam, dicatur Missa de ieiunio ad maius

G altare; post cuius primam orationem dicantur aliæ, quæ ad maiorem Missam quotidianis diebus dici solent, addita in fine alia, id est, *Sanctorum tuorum intercessionibus*. Omnes offerant ad pacem, solus Prior, aut qui in loco Prioris est vadat. Sententia de regula legatur in capitulo, & ordinetur processio. Post Tertiam sumant mixtum pueri, & infirmi, qui ieiunare non possunt. Cantatâ Sextâ vadant in dormitorium, sicut alio tempore, quando meridianis horis in lectis quiescere solent, & facto parvissimo intervallo pulsetur skilla; dehinc nudis pedibus de dormitorio descendant, manus abluant, ad Ecclesiam vadant, orationem faciant. Quâ factâ incipiat infans Antiphonam *Exurge Domine*. Interim pulsentur duo signa: Cantata Antiphona dicat Sacerdos *Ostende nobis Domine misericordiam tuam*: Sequatur *Kyrie eleison*, *Pater noster* Psalmus *Deus misereatur nostri*. In crastino *Deus in adiutorium meum*. Dehinc Sacerdos *Et veniat super nos*, collectam pro peccatis. Postea sonantibus signis exeant processuri canentes, incipiente cantore, quæ ad processionem pertinent, præcedant famuli cum vexillis, sequetur conversus cum aqua, post quem alius cum cruce: Dehinc Subdiaconus ferens textum, post quem fratres laïci, dehinc infantes cum Magistris, post quos cantores, extremis prioribus, & præcedentibus iunioribus, sicut est ordo eorum. In egressu monasterij sint famuli camerarij, habentes ibi baculos præparatos quos tribuant fratribus ad se sustentandos.

Dies Rogationū.

Quomodo ordinetur processio.

H

Fratres laïci.

Cum pervenerint ad Ecclesiam ad quam ituri sunt, incipiat cantor Antiphonam, vel responsorium de sancto in cuius honorem fundata est ipsa Ecclesia. Intrantes fratres reddant baculos prædictis famulis ab eisdem iterum recepturi exeuntes. Finito incœpto cantu dicat statim Sacerdos capitulum de sancto illo, & collectam cum *Dominus vobiscum* alta voce & solemni-

ter, infans ***Benedicamus Domino.*** Quo dicto inclinantes se, faciant orationem. A qua facto signo surgentes inclinent ante, & retro. Dum hæc fiunt Sacerdos, & Levita, & cæteri, qui circa altare servituri sunt, præparare se debent ad celebrandam Missam, Secretarius quoque pallio & honestis pannis altare decenter parare, omnia enim quæ ad hoc servitium sunt necessaria instantia Secretarij, illuc prius debent esse delata. Paratis omnibus celebretur iterum Missa de ieiunio. Post primam orationem dicatur oratio de sancto illo, cuius est Ecclesia, nullaque amplius.

Celebrata fere Missa, duo fratres qui cappis induti debent dicere *Agnus Dei* ad portas monasterij inclinantes se, ante, & retro, regrediantur; sumentes secum aliquos ex famulis, quibus iussum fuerit, & dicentes inter se Litaniam quam conventus in reditu cantaturus est.

Expleta Missa accedant statim fratres, quibus iussum fuerit, & stantes in medio pronuntient Litaniam. Interim Sacerdos, & qui ad Missam servierunt, expediant se, & sic revertantur in chorum. Post *Sanctum Ioannem*, & *Omnis chorus Prophetarum*, pronuntient illum Sanctum duabus vicibus in cuius nomen est Ecclesia dedicata. Postea inclinantes se omnes ante, & retro, regrediantur eo ordine, quo venerunt. Cantores Litaniæ producant aut brevient ipsam Litaniam secundum quantitatem itineris. Qui in redeundo pergere debent post infantes, ante reliquum conventum Cantorum.

Cum autem processio rediens ante monasterij introitum venerit, statione facta Litaniam finiant: qua finita Cantores eius in ordinem suum redeant, & prædicti duo Cantores, qui præcesserant cappis induti nudis pedibus ante portas monasterij stantes dicant *Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis*, Chorus similiter respondeat: Cãtores *Suscipe deprecationem nostram qui sedes ad dexteram Patris*. Chorus *Agnus Dei* sicut supra: Cantores *Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper & in secula seculorum. Amen.* Interim præcedentibus qui vexillum portant, & cætera quæ superius dicta sunt, sequantur Cantores, & reliquus conventus. Dicto *Gloria* respondeat conventus *Agnus Dei* ut suprà. Convento intrante monasterium pulsentur signa: Cantores *Exaudi Deus*: Conventus *Orationem populi tui*. Cunctis fratribus chorum ingressis, collocata cruce, & reliquis, quæ portata sunt in locis suis, prædicti duo Cantores in medio chori stantes pronuntient Litaniam *Sancti: Sanctorum Deus miserere nobis*, priores à parte altaris sint, reliqui post eos, sicut est ordo eorum. Expleta Litania pulsetur signum ad Nonam, factâque oratione Nonæ, vadant in claustrum lavare pedes; quibus lotis, revertentes in chorum, pulsato alio signo, cantent Nonam.

Ad vesperas secunda, & tertia feria, pulsentur signa, sicut privatis diebus; Inter signa dicantur Psalmi *Deus auribus nostris*; Post vesperas de omnibus Sanctis, dicantur vesperæ mortuorum: Vigilia mortuorum his diebus non agatur si processio extra claustrum perrexerit, alioquin agatur sicut solet.

His tribus diebus ad nocturna, capitula, & collectæ de resurrectione, & ad vesperas secundæ, & tertiæ feriæ. Ad Matutinas vero laudes, & ad Tertiam, & ad Sextam, & ad Nonam, capitulum, & collectæ de ieiuniis. Si in his tribus diebus festivitas duodecim lectionum evenerit totum servitium noctis, & diei, de ipsa festivitate agatur. Dicta Tertia, & pulsatis omnibus signis Missa ipsius festivitatis sicut alio tempore solemniter celebretur. Processio vadat sicut aliis diebus excepto quod calciati, & sine baculis ibunt Missa ieiunij ad monasterium, quo processerint, celebretur. Si autem festivitas trium lectionum evenerit, commemoratio ipsius tantummodo fiat ad Vesperas, & ad Matutinas Laudes, & ad priorem Missam de ieiunio.

Sectio VI.

Tempus Pentecostes.

Sabbatu in Vigilia Pentecostes surgentes à meridiana abluti, & pectinati ad Ecclesiam veniant, & oratione facta, induantur officium celebraturi, & ad officium servituri. Agatur officium festive sicut in Sabbato sancto; Cantor, & alius frater, quem voluerit, induti cappis pronuntient Litaniam ternam, sicut in Vigilia Paschæ. Cum pronuntiatum fuerit *Accendite*, accendatur cereus benedictus, & reliqua luminaria, unus enim cereus solummodo ante illam horam debet esse accensus, ante altare. Cum inceperint *Kyrie eleison*, pulsentur omnia signa. Sequatur *Gloria in excelsis Deo.* Ad Evangelium teneantur candelabra, & thuribulum. Post Missam pulsatis duobus maioribus signis faciant orationem. Nonæ etiam duo Cantores in cappis. In crastino, & totis octavis agatur sicut in Paschali solennitate, & octavis Paschalis solemnitatis, nisi quod Octava huius festivitatis die, utraque Missa est *Spiritus Domini*.

Feriâ secundâ, si nulla festivitas sit, dicatur Missa *Domine in tua misericordia.* Hac hebdomada incohanda sunt ieiunia, quæ regula præcipit, quarta, & sexta feria, usque ad idus Septembris: nisi rationabilis causa existat cur Abbas, vel Prior bis reficiendi licentiam tribuat. Post capitulum ipsis ieiuniorum diebus, sedeant in claustro loquentes. Secretarius vero non pulsabit minimum signum sicut consuetudo est post capitulum ad apparatum Missæ. Post Tertiam pergant infantes, & minuti sanguine, & infirmi quibus licentia data est accipere mixtum. Post sextam agatur meridiana: à qua surgentes, nudis pedibus, in claustrum veniant, afferentes sua calceamenta. Post hæc abluti, & pectinati veniant in Ecclesiam, & facta oratione, pulsatisque duobus signis, incipiet infans, *Exurge Domine*, & cætera sicut longe superius dictum est. Hic ordo servandus est feria quarta, & sexta, usque ad festivitatem omnium sanctorum, nisi sit Vigilia, cuius Missa solemniter celebretur, tunc enim processio ex toto dimittitur.

Dominica prima post Octavas Pentecostes canantur Hymni ad nocturna, & ad Matutinas laudes, *Nocte surgentes: Ecce iam noctis*, qui canendi sunt Dominicis diebus, usque ad Dominicam primam mensis Octobris; ponantur ad legendum libri Regum, & Paralipomenon usque ad Dominicam primam mensis Augusti; Historia *Deus omnium.*

Dominica prima mensis Augusti ponant Salomonem, usque ad Dominicam primam mensis Septembris. Responsoria *In principio.*

Dominica prima mensis Septembris ponant Iob; Tobi; Iudith; Hester; Esdram usque ad Dominicam primam mensis Octobris.

Ab idibus Septembris privatis diebus agantur continuè ieiunia, quæ regula præcipit, atque ipsa die Iduum incipiant ieiunare sicut beatus Benedictus instituit, una tantum vice loquantur in claustro usque ad Kalendas Octobris, id est post Capitulum usque ad Tertiam. Post Sextam in dormitorium vadant, & post parvissimum intervallum, pulsato minimo signo, descendant, lavent, ad monasterium pergant, factâque oratione, dictâque Litania, Missam celebrent. Celebrata fere Missa pulsetur signum ad Nonam.

Post Missam, facta oratione, pergant servitores accipere mixtum. Quibus revertentibus pulsato alio signo canatur Nona.

***

A

SECTIO VII.

Quinque festivitates præcipuæ.

QVinque sunt præcipuæ festivitates, id est, Natale Domini, Resurrectio eius, Pentecostes, Assumptio sanctæ Dei genitricis Mariæ, Festivitas loci. Servatis omnibus, quæ de Sabbato sancto dicta sunt: in harum festivitatum vigiliis ornetur totum monasterium, & omnia altaria, secundum facultatem loci, sicut honestius fieri potest.

Mundentur officinæ, & claustrum. Sedilia Refectorij, Capituli, claustri tegantur, bancalibus sternatur iuncus.

Ad Missam ieiunij induantur honestè, qui eam sunt celebraturi, Sacerdos honorificè, Diaconus dal-
B matica, Subdiaconus tunica. Tres conversi, cantor Hebdomadarius cappa, duo fratres ad responsoria. Ante Missam pulsentur signa, sicut in festis diebus, Litania minime dicatur; *Kyrie eleison*, festivum canatur, vna tantum collecta dicatur. Si festivitas in hac die evenerit, Missa matutinalis de ea cantetur. Ad Nonam duo maiora signa pulsentur. Ad vesperas duo minima, dehinc gradatim duo & duo, ad extremum omnia. Inter signa, luminaria Monasterij omnia accendantur. Ante singula altaria, quæ extra Presbyterium sunt, singola luminaria ardeant. Antiphonas super Psalmos, quibus Cantor præceperit, incipiant. Responsorium quatuor in cappis canant. Antiphona ad *Magnificat* ter dicatur; Abbas, & Prior cappis incensent utraque Presbyterij altaria, ante, & desuper vtrique simul, singuli singula latera. Parati sint duo alij Sacerdotes Hebdomadarij, scilicet maioris Missæ, & minoris, qui thuribula de eorum manibus accipiant, & hinc, & inde per altaria, quæ extra sunt cir-
C cumferant: qui revertentes in chorum Abbati prius, Priori postea ferant, post eis, qui Responsorium cantaverunt, non ambo simol, sed unus hinc, & alter inde; dehinc duo conversi in albis, cæteris fratribus. Abbati de libro serviat, qui thuribulum de eius manu accepit.

In iis Vigiliis tabulæ Refectorij debent esse coopertæ.

In crastino ante nocturnas Vigilias ad excitandos fratres pulsentur omnia signa; dehinc gradatim duo, & duo, ad extremum omnia. Ad Invitatorium quatuor in cappis. Terna responsoria in tribus nocturnis duo, & duo; Quartum quatuor, Octauom quinque; Duodecimum sex canant. In tribus Nocturnis dum legitur tertia lectio duo Sacerdotes cappis induti incensent altaria maius, & minus; dehinc ferant Abbati, & Priori, & cæteris fratribus, per ordinem; Octavum, & duodecimum responsorium post *Gloriam* à capite repetantur; pronuntiato Evangelio Altare discooperiatur, & omnia luminaria accendantur. Ad *Te Deum laudamus* duo maiora signa pulsentur; lecto
D Evangelio, collecta dicta, pulsatis omnibus signis, inchoet Sacerdos Matutinas Laudes; dehinc in vestiarium rursus casulam, & stolam deponat, & sic in alba, cum manipulo in chorum redeat, incœpto Hymno exeat, manipulum deponat, cappam induat, & cum alio fratre similiter cappa induto, sicut ad hesternas vesperas cum thuribulis per altaria vadat, duobus conversis cum eis indutis in albis. Si Abbas Evangeliom legerit, post Evangelium indutus cappa in Chorum revertatur. Antiphona ad *Benedictus* ter dicatur.

Ad Primam duo maiora signa pulsentur. Tres cerei ante Altare accendantur, similiter ad Tertiam, & Sextam, & Nonam; Capitulum breviter peragatur.

Missa matutinalis cum una collecta, & præfatione dicatur. Dum Sacerdos in canone est, remanen-
E tibus infantibus cum magistris suis in choro, qui ante Missam debent esse induti, cæteri pergant induere se, qui accipientes à Secretario vestimenta extra Secretariam se induant. Si vero parvus locus est exeant aliqui in claustrum, vel capitolum, & ibi induant se. Meliores vero albæ tribuantur prioribus, & honestioribus personis; unusquisque mox ut indutus fuerit, revertatur in chorum, Missa peracta, si dies Dominicus non fuerit, cessante maiore signo, quod in cœpta ultima collecta missæ pulsari cœpit, fiat oratio Tertiæ. Post orationem, pulsato alio signo, cantetur Tertia.

Si vero Dominicus fuerit expletâ matutinali Missâ, non pulsato adhuc Tertiæ signo, fiat aqua benedicta, sicut aliis Dominicis diebus fieri solet: dum cantant *Asperges me* pulsetur maius signum ad Tertiam. Aspersâ aquâ benedictâ, vadat Sacerdos per
F officinas, cum portitoribus aquæ, & crucis. Cessante signo fiat oratio Tertiæ. Qua expleta, pulsato alio signo, canatur Tertia. Sacerdos interim, qui per officinas ivit, revertens ante introitum monasterij, dicat orationem solitam; dehinc intrans ante unum de altaribus, *Via Sanctorum*.

Dicta Tertia, distributis cappis, dispositis in choro à Cantore, qui ea, quæ portanda sunt, portare * debeant, exeant omnes hoc ordine processuri. Primum conversus ferens situlam cum aqua benedicta; dehinc duo portantes duas cruces; post quos duo cum duobus candelabris accensis desuper cereis; alij duo ferentes duo thuribula igne, & thure plena; hos sequantur duo Subdiaconi tunicis induti, portantes duos Evangeliorum textus; post quos infantes cum magistris suis: extremi Abbas, & Priores, præcedentibus aliis binis & binis, sicut est ordo eorum. f. * debet.

Cùm processio de choro incipit exire pulsentur duo maiora signa, non cessatura usque dum processio in chorum sit reversa, cessentque alia signa. Procedentes per maiores ianuas monasterium introeant, & an-
G te Crucifixum stationem faciant. Qua facta, expleto cantu, quem inceperant, incipiat Abbas, vel Cantor, quod ad ipsum idem pertineat, & sic sonantibus omnibus signis chorum introeant, eisque cessantibus Missam incipiant.

Ante Missæ introitum sternatur unum, aut duo tapetia per transversum chori, ubi stare debeat Cantor, & cæteri, quos ad se vocaverit ad chorum regendum. Omnes cerei, qui in coronis sunt, & cætera luminaria, quæ in choro, & presbyterio, & ante Crucifixum sunt accendantur. Cantor provideat quot, & qui, quæ singulariter cantanda sunt, cantent. Ad sequentiam duo maiora signa pulsentur. *Communio*, si opus fuerit, repetatur cum versu, & *Gloria Patri*. Expleta Missa pulsentur omnia signa; unusquisque vestimentum suum, & cappam, utraque bene plicata deferat secretario ad arcam.

Festivæ mappæ super tabulas Refectorij sint extensæ, ita ut ante pendeant. Sint & quotidianæ, lotæ tamen, super quas manducent fratres. Manuter-
H gia etiam candida, & honesta super tersoria quotidiana sint extensa; quæ manutergia post capitulum à camerariis sont extendenda. Nullus tamen fratrum debet ibi manus tergere, nisi solummodo ad refectionem primam, & serò ad cœnam.

Ad Nonam duo maiora signa pulsentur. Ad vesperas agatur de signis, & cereis, sicut actum est ad vesperas præcedentis diei. Post cœnam refectis servitoribus colligant refectorarij mappas festivas, & bene plicatas reddant celerario conservandas; camerarius vero honestiora tersoria accipiat, & custodiat.

* * *

A

SECTIO VIII.

Festiuitates præcipuæ secundæ classis.

SVnt aliæ festivitates, quæ magnificè celebrantur, quamvis non æqualiter superioribus: Sunt autem hæ, Epiphania, Purificatio sanctæ Mariæ, Festivitas sancti Gregorij, Annuntiatio Christi: Octaua dies Paschalis solemnitatis, Festivitas sancti Alfegi Martyris, Ascensio Christi, Festivitas sancti Augustini Anglorum Archiepiscopi, Octaua Pentecostes dies, Natiuitas S. Ioannis Baptistæ, passio Apostolorum Petri & Pauli, Translatio sancti Benedicti, Natiuitas sanctæ Mariæ, Festivitas sancti Michaelis, Festivitas omnium Sanctorum, Festivitas sancti Andreæ, Dedicatio Ecclesiæ

B

Harum omnium Festivitatum præcedentibus diebus ornentur altaria, presbyterium, chorus, membra monasterij, ex vtraque parte chori, pulsentur signa sicut in præcipuis Festivitatibus, accendantur duæ partes cereorum coronæ presbyterij, & omnia luminaria quæ circa maius altare sunt, & cereus antè Crucifixum: Antiphonæ, si propriæ habentur, quibus cantor præceperit, super Psalmos imponant: Sin autem, cum vna Antiphona de ipsa Festiuitate canantur, Responsorium duo in cappis: Antiphona ad *Magnificat* bis dicatur; duo Sacerdotes cappis induti ad thuribula, sicut superiùs de præcipuis Festivitatibus dictum est.

C

Missæ Vigiliarum Ascensionis Christi, Ioannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, Omnium Sanctorum festivè celebrentur. Si quælibet harum Vigiliarum, vel alia aliqua, quæ festivè celebretur, Dominica die euenerit, totum seruitium noctis, & Missa matutinalis de Dominica agatur; maior verò Missa, cum *Alleluia* post Responsorium de Vigilia dicatur, excepta Dominicæ Natiuitatis Vigilia, in qua si ita euenerit in tertio nocturno de ipsa Vigilia cantatur, & legitur. In crastino ante nocturnas Vigilias pulsentur signa, bina, & bina, dehinc simul omnia. Ad inuitatorium tres in cappis, tria responsoria in tribus nocturnis duo, & duo canant, quartum tres, octauum quatuor, duodecimum quinque, quod post *Gloriam* à capite repetatur. Pronuntiato Evangelio altare discooperiatur, luminaria, sicut ad vesperas præcedentis diei, accendantur. Antiphona ad *Benedictus* bis dicatur, & thuribola similiter circumferantur Ad Primam duo signa pulsentur, tres cerei accendantur, similiter ad Tertiam, & Sextam, & Nonam. Ornentur sedilia, extendantur mappæ, & tersoria, sicut supra dictum est. Missa matutinalis de ipsa solemnitate cum vna collecta, nisi sit festivitas alicuius sancti, vnde commemoratio: quod si euenerit, matutinalis Missa erit de sancto, & collecta prima, secunda de ipsa solemnitate, & non amplius. Sacerdotes ad Missas priuatas similiter collectam vnam. Dicta matutinali Missa, canatur Tertia, celebretur Missa in cappis, excepta Purificatione sanctæ Mariæ, in qua ad Missam sint omnes albis induti propter cereos, præter Cantorem, & eos, qui circa eum sunt, quos cappis etiam indutos esse oportet.

D

Excipiuntur quoque beati Gregorij, & Dominicæ Annuntiationis festivitates, quando intra quadragesimam celebrantur. In bis enim similiter sint omnes albis induti, præter supradictos, & eos, qui responsorium, & tractum cantant. Hi namque præcipiente Cantore, accedentes ad cantandum cappas in choro induant, & cum percantauerint venientes in vestiarium eas ibi deponant. Cantor quot, & quos voluerit ad se vocet. Numerus cantantium Responsorium, & *Alleluia*, & cætera quæ cantanda sunt in arbitrio Cantoris sit. Celebratâ Missâ pulsentur omnia. Si aliqua harum festivitatum Dominica die euenerit, dicta Matutinali Missa, fiat aqua benedicta, & processio per claustrum, sicut solet Dominicis diebus, omnes tamen sint albis induti. Ad Nonam pulsentur signa duo, & agantur Vesperæ, sicut præcedenti die. Festivitatem beati Gregorij inter superiores ideo computamus; quia nostræ, id est, Anglorum Gentis Apostolus est.

E

S. Gregorij festivitas ex præcipuis, quia Anglorum est Apostolus.

Si Dominicæ Annuntiationis festiuitas aliqua quadragesimæ Dominica euenerit in crastinum differatur; alioquin seruitium Dominicæ diei restaurari non posset. Vesperæ vsque ad Capitulum de Dominica agantur, Capitulum de festivitate dicatur. Post primam collectam commemoratio Dominicæ diei fiat. Si sabbato euenerit, totum diei seruitium de ipsa solemnitate agatur. Post primam vespertinam collectam, collecta de Dominica dicatur, excepto sabbato ante palmas, in quo si hæc festivitas euenerit, de ipsa festivitate agatur seruitium, vsque ad capitulum vespertinum. Ipsa die duo fratres in froccis responsorium cantent, vnus Sacerdos cappa [illegible] altaria incenset. Post primam collectam comm[illegible]ratio festivitatis fiat. Si vero tertia feria post palmas euenerit, festivitas quidem, sicut dictum est, celebretur, sed fratres in claustro radantur, & tunc post capitulum, & post Sextam in claustro loquantur. Qui autem * ipso die balneentur. Si vero quinta feria, vel sexta, vel sabbato ante Pascha, vel in Paschali solemnitate, vel tribus sequentibus euenerit, in quintam feriam post Paschalem solemnitatem differatur. Festivitas ista tunc ita solemniter agatur sicut Paschalis solemnitas, excepto quod pro skilla ante nocturnas Vigilias ad excitandos fratres classicum non pulsetur nec processio fiat. Antiphonæ, & responsoria, quæ in hac festivitate in quadragesima canerentur, in hoc quoque tempore, cum adiunctis *Alleluijs* canantur; versiculi quoque omnes cum finali *Alleluia* dicantur. Inuitatorium, *Alleluia, Alleluia* secundum melodiam inuitatorij, *Aue Maria*, Cantica de Aduentu Domini.

F

* videtur deesse vox *indigent* aut alia similis.

G

Die Ascensionis Christi fiat processio in albis, vel extra claustrum circa monasterij curiam, præcedentibus vexillis, & reliquiis, cum reliquia, quæ ad festivam processionem præcedere solent, vel per claustrum sine vexillis: ex quo incipit processio exire pulsentur duo signa, sicut superius dictum est in die Natiuitatis sanctæ Mariæ. Ad Vesperas Psalmi; *Dixit Dominus: Lætatus sum in his: Nisi Dominus: Memento Domine*, cum Antiphona *De fructu ventris tui*, Qui Psalmus cum hac Antiphona quartus dicitur in omnibus festivitatibus sanctæ Mariæ.

H

Festum S. Michaelis.

In festivitate sancti Michaëlis Psalmi ad Vesperas *Dixit Dominus: Confitebor: Beatus vir*: aliud *Confitebor* cum Antiphona *In conspectu Angelorum*.

Omnium Sanctorum.

Vigiliâ omnium Sanctorum ad Vesperas Psalmi cum Antiphonis de ipsis Psalmis, qui quotidie ad eorum memoriam solent dici, *Post partum virgo* & cætera: Cum dictum fuerit *Adducentur regi virgines post eam*, adiungatur *Pro fratribus nostris absentibus*; *Mitte eis Domine*: *Domine exaudi orationem*: *Domine Dominus virtutum*; *Dominus vobiscum*: Post collectam commemoratio solummodo de sancta Cruce. In crastino ad laudes similiter preces *Post partum virgo* Ad Vesperas psalmi, & super psalmos Antiphonæ, sicut præcedenti die.

Commemoratio defunctorum.

Dictis Vesperis pulsentur omnia signa, & productius solito canantur Vesperæ pro Defunctis, nisi in crastino sit dies Dominicus, vel quælibet festivitas duodecim lectionum. Collecta vna *Fidelium Deus*, Sequente autem nocte ad Vigiliam mortuorum pulsentur similiter omnia signa. Ipsa die sacerdotes omnes celebrent Missas pro omnibus fidelibus Defunctis. Qui vero sacerdotes non sunt, iniungantur eis in Capitulo psalmi pro Missis. Agatur Missa matutinalis festivè, pulsentur omnia signa, cappa sit in choro. Leuita, & Subdiaconus casulis induantur; duo infantes responsorium in albis, duo maiores fratres tractum

similiter

A similiter in albis, tres conversi ad Thuribulum & Candelabra: septem diebus plena officia, usque ad triginta dies *Voce mea, & Verba mea.*

Dedicatio Ecclesiæ.

In festivitate Ecclesiæ dedicationis cerei accensi ad priores vesperas per omnia altaria, quæ ipsa die sacrata fuerunt, non extinguantur usque in crastinum post completorium. Cantica *Lætare Ierusalem: Urbs fortitudinis: Non vocaberis ultra.* Ipsa die celebretur Missa per unumquodque altare si numerus sacerdotum tantus est. Dicta Tertia agatur processio festiva in albis, aut circa monasterium, si locus aptus est, aut per claustrum præcedentibus quæ festivam processionem præcedere solent, & ingrediatur monasterium per maiores ianuas, fiatque statio ante crucifixum. Psalmi ad vesperas, qui in festivitate Virginum dici solent. Hæc festivitas Octavas habet.

B

Sectio IX.

Festivitates tertiæ classis.

SUnt aliæ tertiæ dignitatis festivitates, quæ non tantopere celebrantur. Hæ autem sunt: Festivitates sancti Vincentij; Conversio sancti Pauli; Philippi & Iacobi, Inventio Sanctæ Crucis; Iacobi Apostoli, sancti Petri in Kalendis Augusti; Laurentij Martyris, Octava dies Assumptionis Sanctæ Mariæ, Bartholomæi Apostoli; Augustini Doctoris, Decollatio Ioannis Baptistæ; Exaltatio Sanctæ Crucis; Matthæi Apostoli; Simonis & Iudæ, Beati Martini; Thomæ Apostoli: & si quæ aliæ festivitates ita celebrari instituantur.

Pridie ante has festivitates parentur duo Presbyterij altaria, Presbyterium, & chorus. Ad Nonam, & ad Vesperas pulsentur signa sicut privatis duodecim lectionibus, nisi quod maiora signa pulsari debent. Tria candelabra ante altare, & cætera luminaria, quæ circa sunt accendantur. Vesperæ cum una Antiphona de ipsa festivitate canantur, nisi præcedat festivitas de qua dicantur. Vesperæ usque ad Capitulum:
C Responsorium si propria historia est, duo fratres canant in froccis suis; Si non est propria historia, sicut in festivitatibus quorundam Apostolorum, aut si iam cantata est, quemadmodum Octava die Assumptionis Sanctæ Mariæ, duo pueri canant breve responsorium. Sacerdos indutus cappa incenset altaria, conversus sit in alba. In crastino ad invitatorium duo in cappis. Tria responsoria in tribus nocturnis singuli singula; Quartum responsorium duo. Octavum tres, Duodecimum quatuor, quod post *Gloriam* repetatur. Pronuntiato Evangelio, discooperiatur altare, & accendantur luminaria, sicut pridie ad Vesperas. Ad *Te Deum laudamus* duo mediocria signa pulsentur. Post lectum Evangelium Sacerdos in chorum redeat in alba. Ad laudes duo pueri breve responsorium, sive sit propria historia, sive non. Et ad vesperas similiter. Ad Primam pulsetur unum de maioribus signis; accendantur duo cerei ante altare, & per omnes horas usque ad Vesperas. Ad Missam
D in choro omnes sint in albis præter cantorem, & eos, qui secum erunt, qui etiam cappis induti chorum regere debent. Ad Nonam pulsetur signum sicut ad Primam. Antiphonas super psalmos ad vesperas imponant iuvenes, quibus cantor præcepit. Cætera agantur, sicut ad vesperas præcedentis diei. Ad priores vesperas Inventionis Sanctæ Crucis Hymnus *Vexilla regis.* In crastino invitatorium, & duo nocturna de Martyribus, Tertium de sancta Cruce, cantica *Domine audivi*, quod dividatur in tres *Gloriæ*: Prima *Gloria* est ante versum *Pro iniquitate*: Secunda ante versum *Egressus es.* Hymnus ad laudes *Lustris sex.* Missa matutinalis de martyribus, maior de sancta Cruce, psalmi ad vesperas *Dixit Dominus: Confitebor: Beatus vir: Laudate pueri*; Hymnus *Vexilla regis.*

In Exaltatione Sanctæ Crucis simile servitium est servitio Inventionis eiusdem, nisi quod in hac sancta Crux adoratur, in illa minimè. In hac itaque solemnitate, dicta Tertia, sternatur presbyterium tapetibus, usque ad maius altare, quo facto exeant de parte matutinalis altaris duo fratres in albis, quibus cantor præceperit, portantes crucem coopertam, donec veniant super gradum, qui ante altare est propior ipsi altari; tunc à portantibus discooperta cruce, & ab eisdem incœpta Antiphona *Ecce lignum crucis*, omnes flectant genua, ac deinde super tapetis prostrati toto corpore adorent eam, & osculentur pedes crucifixi, sicut sunt priores. Cantata Antiphona supradicta, incipiat cantor Antiphonam *Crucem tuam adoramus* quam repetant; per singulos versus psalmi *Deus misereatur nostri.* Deinde alia quæ conveniunt, si opus fuerit. Adorata cruce, prædicti duo fratres, qui eam tenent, incipiant simul alta voce Antiphonam *Super omnia*; Et flectentibus omnibus genua, fixáque cruce in loco suo, pulsatis signis celebretur Missa. Ad introitum *In nomine Domini omne genuflectatur*; Evangelium, *Nunc iudicium est mundi.* E F

Sectio X.

Quinque Dominicæ principales.

QVinque dies Dominici sunt, qui communia quædam inter se habent separata à cæteris diebus Dominicis, Dominica videlicet prima de Adventu Domini, Dominica prima septuagesimæ, Dominica prima quadragesimæ, Dominica in medio quadragesimæ, Dominica in palmis. In his duo invitatorium canant in albis, Sacerdos lecto Evangelio exutus in vestiario casula & stola, revertatur in chorum in albis, cum manipulo, exiturus incœpto Hymno, & incœpta Antiphona ad *Benedictus* similiter in alba intraturus, & incensum per altaria portaturus, chorus ab hesterna die debet esse paratus, & per chorum iuncus sparsus. Ad utrasque vesperas, & ad Laudes duo fratres in froccis Responsorium canant. Tabulæ refectorij sint coopertæ, honesta manutergia sint extensa supertersoria, sicut in omnibus festivitatibus, in quibus invitatorium in cappis canitur. Quæ extendantur, & colligantur, sicut superiùs dictum est. G

Sectio XI.

Festivitates duodecim lectionum.

IN omnibus festivitatibus duodecim lectionum, quæcunque sint, & in omnibus diebus, qui infra Octavas sunt, in quibus in claustro non loquuntur monachi, quamvis ipsi dies trium lectionum sint, & in omnibus vigiliis, in quibus missæ pulsatis omnibus signis festivè aguntur, & in omnibus Sabbatis ieiuniorum quatuor temporum, cum cantor inchoaverit *Gloria Patri* ad officium, Sacerdos ingrediatur ad altare ferens H Missale manibus suis, præcedentibus tribus conversis cum candelabris, & thuribulo, Subdiacono post eos cum texto, Subdiaconum sequente Diacono, & posito Missali super altare faciat orationem suppliciter inclinatus; Diaconus quoque retro post eum similiter faciat; factáque oratione signet se Sacerdos, & osculetur textum Evangelij, quem Subdiaconus super altare positum habere debet: Diaconus quoque similiter signans se faciat ante & retro, & veniens ad sinistram sacerdotis osculetur & cornu altaris, dehine faciant simul confessionem, quâ factâ imposito à Sacerdote thure in thuribulo, tribuat Diaconus Sacerdoti thuribulum, Sacerdos incenset altare ante, & desuper, reddátque Diacono; Diaconus incenset utraque altaris latera, & altare matutinale, & sic reddat Converso; qui deferens in chorum offerat primùm Cantori, & ipsis qui cum eo sunt, dehine in dextro choro omnibus per

ordinem,

A ordinem, & sic in sinistro; deinde infirmis, qui extra chorum sunt; duo vero conversi qui tenent candelabra ante altare non dimittant ea, usquequò inchoetur *Kyrie eleison*, quo inchoato, depositis candelabris, revertantur in chorum.

Ad Evangelium dum canitur offerenda, vel versus offerendæ, conversus afferat thuribulum cum acerra cantori, quicumque ille sit, qui chorum tenet, si festivitas sit duodecim lectionum, vel festivi dies sint trium lectionum intra Octavas superiùs descriptas.

Cantor vero cum viderit tempus esse, ponat incensum in thuribulo, & mittat Diacono ad altare, & Diaconus tribuat sacerdoti, nisi Abbas, vel Episcopus in choro sit, vel missam celebret: quòd si evenerit ad ipsum deferatur thuribulum cum acerra; ad introitum, & ante Evangelium, à Diacono & converso; post offerendam à Cantore & converso.

B Circa finem Missæ cum perventum fuerit ad prioris collectæ *Per Dominum nostrum*, deponant duo conversi candelabra ante altare, & sic cum eo qui thuribulum tenet revertantur in vestiarum. Expletâ missâ sequatur Sacerdos præcedentem Diaconum ferentem missale.

Si festivitas trium lectionum eveniat in aliqua die Dominica, vel in alia festivitate alicuius sancti, quæ propriam historiam habeat, vel si propriam historiam non habet, in albis tamen, vel in cappis fit, commemoratio de festivitate trium lectionum solummodo fiat ad priores Vesperas, & ad matutinas laudes, & Missa matutinalis de ea canatur. Si vero historia iam alia die Dominica cantata est, aut illa alia Festivitas duodecim lectionum historiam propriam non habet, nec in albis nec in cappis fit, Antiphona de Festivitate, de qua tres lectiones fierent, ad cantica pronuntietur, & deinceps totum servitium usque ad finem ultimæ collectæ de ea agatur. Post *Benedicamus Domino* fiat commemoratio Festivitatis de qua octo lectiones fuerint: C omnes quoque horæ de illa dicantur, sermo in Capitulo, & maior Missa; matutinalis vero unde laudes fuerunt.

Si Festivitas alicuius sancti, de qua duodecim lectiones fiunt, eveniat in die Dominica, de qua historia iam cantata sit, aut subsequente die Dominica cantari possit, totum servitium noctis, & diei de sancto agatur; Missa tantum matutinalis de Dominica dicatur: Tertium enim nocturnum de Dominica die nunquam erit, nisi præcedentia duo de ea fiant.

In omnibus Dominicis diebus, & in prima die Dominicæ Nativitatis ad maiorem Missam tantùm, & in die Dominicæ Circumcisionis, & Epiphania, & in prima die Paschalis solemnitatis, & in die Ascensionis, & in prima die Pentecostes, & in Festivitate omnium sanctorum, & in Dedicatione Ecclesiæ, & in omnibus Festivitatibus Beatæ Mariæ, & in die passionis Apostolorum Petri & Pauli, & in cæteris Festivitatibus aliorum Apostolorum, dicatur ad maiorem Missam *Credo in unum Deum*. Nam ad matutinalem D Missam in conventu nunquam dicitur.

SECTIO XII.

Exceptio personæ Principalis.

QVotiens disponitur ut aliqua persona cum festiva processione suscipiatur, tangatur ter breviter unum de maioribus signis, ut hoc signo conveniant omnes fratres in Ecclesiam ad induendum se. Et cum omnes cappis induti fuerint, si tanta capparum copia est, aut casulis, & dalmaticis, si cappæ desint, & pueri tunicis, expectent sedentes in choro, donec procedant. Secretarius interim extendat unum tapetem, & desuper pallium ante maius altare super priorem gradum, & similiter faciat ante crucifixum in medio Ecclesiæ; his peractis cum indicatum fuerit iā prope adesse personam, pulsentur duo maiora signa. E

Tunc aliqui de maioribus accipiant aquam benedictam, & cætera quæ ad festivam processionem portari solent, hos præcedentes sequantur Abbas, & cæteri ut sunt priores. Pueri cum magistris suis extremi veniant, & in ordine suo stent inter choros duos, cum facta fuerit statio ad susceptionem personæ. Quæ cum suscipitur det ei Abbas aspersorium cum aqua in manum, si Episcopus fuerit, aliam personam aspergat ipse, dehinc porrigatur ei incensum, similiter ab Abbate, textus à Priore: dum hæc fiunt, pulsentur omnia signa. Cantor vero incipiat cantum, qui conveniat personæ, dehinc revertatur processio; Pueri cum magistris suis primi ingrediantur Ecclesiam, hos sequantur reliqui sicut in statione fuerunt; extremus veniat Abbas cum suscepta persona, præcedentibus eos supradictis portitoribus.

Ingressi monasterium faciant stationem ante crucifixum. F Pueri vero similiter stent inter utrosque choros. Prædicti portitores paulatim progrediantur per medium eorum, & stent ante crucifixum versis vultibus ad eum. Interim oret suscepta persona, finito cantu, surgente ea ab oratione, incipiat cantor Antiphonam, vel Responsorium de sancto, in cuius honorem fundata est Ecclesia. Tunc præcedant prædicti portitores depositturi in locis suis ea quæ portant statim cum ad altare venerint. Sequantur infantes, post hos reliqui, eo ordine, quo superius dictum est. Ingressi chorum stent à parte altaris ex utraque parte sicut sunt priores. Oret iterum suscepta persona; finito quod cantatur, surgat, & si Episcopus est qui suscipitur, post datam benedictionem osculetur omnes fratres per ordinem. Fratres verò, quia induti sunt, non flectant genua ante eum, sicut solent facere cum osculantur Episcopum vel Abbatem, vel principem terræ, sed humiliter inclinantes se procedant ad osculum eius.

Si spiritualis persona fuerit, & Abbas expedire in- G dicaverit, disvestitis fratribus, & in capitulo sicut solent considentibus, ducatur illuc prædicta persona, &, petita benedictione, legatur ante eam lectio divina: quâ finitâ cum *Tu autem Domine*, sermonem si voluerit de ea faciat.

Si Abbas fuerit, qui suscipitur, ante introitum Capituli egredientes fratres osculetur. Si vero Capitulum non intraverit, servatâ competenti horâ in claustro osculetur eos.

CAPVT II.

De Abbate.

ABbas cum eligitur, omnes fratres, vel maior, & melior pars in eius electionem consentire debent. Electus autem si extra monasterium consecratur, cùm redierit cum festiva processione suscipiatur. Ipse vero in utraque statione prostratus iaceat. Finito cantu secundæ stationis, Episcopus, si adest, vel legatus eius, in loco & statione Abbatis, eum statuat. Quo statuto, si Episcopus abest, incipiat Prior *Te Deum laudamus*, quod dum cantant, accedant omnes fratres sicut sunt priores ad osculū eius, bis flectentes genua, semel ante osculum, & semel post osculum. Ex illa die in omni loco singulari reverentia honorandus est.

In Abbatis electione quid peragendum. H

In primo Capitulo ubi sederit, omnes qui intra monasterium obedientias habent, & res monasterij servant, suarum obedientiarum claves ante pedes eius ponant. Ipse vero recommendet eis ipsas obedientias, si non aliter ordinandas esse decreverit. Inclinari debet à toto conventu cum post inceptam Antiphonam inclinat, cum in tabula in Capitulo nominatur, si ibi præsens est, cum in Psalmo, vel in alio aliquo fallitur in choro, pro quo veniam petat.

Eunte

A Eunte eo ad legendum, vel redeunte à legendo assurgat ei totus conventus. Transeunte eo per claustrum, vel per quemcumque locum assurgant ei omnes ante quos transit, quoad usque pertranseat. Cum Capitulum introierit, fratribus iam in eo considentibus, de omnibus gradibus omnes descendant donec idem considat. Vbicumque sit, ibi debet esse ordo & disciplina: quapropter in quocumque loco fuerit, sive in claustro, sive extra claustrum, cum reprehendit aliquem fratrem inordinatè agentem, sive loquentem, mox ille coram eo humiliter veniam petat, sicut in Capitulo, & tamdiu stet ante illum donec illum iubeat sedere. Et si viderit illum irasci tam diu satisfaciat ante ipsum veniam petendo quousque illum reddat placatum. Abbas tamen providere debet ne hoc faciat coram sæcularibus hominibus.

B Vbicumque sederit nullus iuxta eum sedere præsumat, nisi ipse iusserit: Iussus vero sedere ad genua eius se flectat, & osculetur, & sic humiliter iuxta eum sedeat. Quicunque ei in manum aliquid dederit, vel de manu eius aliquid acceperit, osculetur manum ipsius: intrante eo in refectorium duo fratres serviant ei de aqua, & manutergio. Quamdiu in choro fuerit, nullus infantibus, nisi eo iubente audeat disciplinam inferre.

Quamdiu dormierit in lecto suo mane nullus sonitum audeat facere. Magister tamen infantum si viderit transire horam, qua longius a Priore fieri solet, surgat, & quam quietiùs possit infantes excitet virga tantummodo tangens pannos, quibus cooperti sunt. Quo facto exeuntes de dormitorio lavent se, & pectant, & factis solitis orationibus, in scholam suam redeant & cum silentio sedeant, donec Abbas de lecto surgat.

C Cum alicubi extra monasterium moram faciens, mandat conventui salutes seu orationes, omnes qui in capitulo sunt inclinent, flexis usque ad suppedaneum scabellum genibus. Eodem modo fit pro Papæ, vel Regis salutatione. Pro aliarum vero personarum salutationibus, humiliter inclinetur tantùm. Cum autem alicui fratri mandat huiusmodi aliquid, ubicumque dicatur ei ipsa salutatio, continuò humiliter inclinet flexis ad terram genibus.

Quicumque frater ad eum extra claustrum venerit, primum dicat *Benedicite*, deinde indicet propter quam causam venerit. Nec sedere coram eo, nec recedere ab eo audeat sine eius licentia; accepta ab eo recedendi licentia primùm dicat *Benedicite*, deinde recedat.

Omnis totius monasterij ordinatio ex eius arbitrio pendeat. Si quid novum, necessitate cogente, vel ratione suadente, eo absente, in monasterio ordinatum fuerit; cum redierit indicetur ei, & postea fiat sicut ipse præceperit. Si de monasterio exierit, & vel una nocte extra moratus fuerit, mox ut redierit D cuicumque fratri abstinentia in capitulo iniuncta fuerit, absolutus erit.

Cum de hac vita decesserit, de proximo invitandus est Abbas, vel Episcopus ad sepeliendum eum. Præter omnia, quæ aliis defunctis fratribus fieri solent, addantur ei hæc: Circumdentur ei sacerdotalia indumenta, & virga pastoralis ponatur in eius dextro brachio; *Verba mea*, per unius anni circulum pro eo dicatur: & iustitia eius per totum ipsum annum ad mensam Abbatis quotidie cum tribus pulmentis danda pauperibus ponatur. Omni anno anniversarius dies mortis eius festivè celebretur.

* * *

E

CAPVT III.

De Priore.

SErvatâ Abbati in omnibus reverentiâ, Prior, qui & Præpositus in regula nominatur, honorabilior est reliquis ministris domus Dei. Ipse solus cæterorum ministrorum primum suæ partis locum habet in choro, in capitulo, in refectorio. Ipsi soli servit Sacerdos de thuribulo post Abbatem, ad Vesperas, & ad matutinas laudes; quotiescumque ad easdem horas circumfertur thuribulum per chorum. Ea quoque, quæ extra claustrum sunt, si Abbas deest, iuxta F ipsius arbitrium disponuntur. Si Abbas longiùs à monasterio fuerit, ipse deponere potest eos, quos intellexerit non iuxta proficuum Ecclesiæ, res sibi commissas tractare. Quoties res expostulat, tenet, aut tenere iubet capitulum de omnibus servientibus, qui intra officinas monasterij conversantur, & secundum merita delinquentium, eo iubente, vindictæ inferuntur. Intrante eo capitulum omnes ei assurgant, stantes in suppedaneis, donec considat. Quod si tardaverit, & Prior claustri in loco superiori priùs sederit, intrare non debet. Si causa fuerit quæ differri non possit, aut non debeat, ingresso eo, Prior claustri ex altera eius parte, prior omnibus sedeat. Transeunte eo per claustrum, vel per chorum, non assurgetur ei: volente eo sedere in claustro, ubi alij fratres sedent, assurgunt ei tantum iuxta quos sedere vult: ubicumque extra claustrum fratres sedentes invenerit, assurgunt ei omnes. Prior claustri quocumque maior prior erat, si fieri possit in claustro, vel circa claustrum, debet semper esse & ordinem claustri omni sollicitudine serv

Cum Abbas, & maior Prior absunt, si contingat G quemlibet fratrum ex infirmitate laborare, potest ei præcipere in domum infirmorum ire, & si tanta ægritudo est, carnem comedere. Ad ipsum maximè pertinet infirmos fratres visitare, & quid agant, & quid velint cognoscere, & in omnibus, quæ vel corporibus, vel animabus eorum necessaria sunt, consulere. Absente maiore Priore capitulum servientium debet tenere, & secundum culpas vindictas inferre, sed non est sui iuris quemlibet addere, vel auferre.

Sui quoque officij est omni die post completorium susceptâ, dante hebdomadario sacerdote fratribus, aqua benedicta, remanere, donec omnes pertranseant, in aliquo congruo loco, unde bene possit observare, qui sint, qui non reverenter incedunt, & qui in exitu Ecclesiæ, ut mos est, non velant caputiis capita, sua, & multa huiusmodi: egresso toto conventu, accepta absconsa, si nox est, vadit per criptam, & cætera membra monasterij, ubi suspicio potest esse per claustrum, capitulum, cæterasque officinas subtiliter H observando, ne aliquis frater, qui non debeat ibi remanserit. His ita expletis vadit in domum infirmorum, eodem modo consideraturus, utrum omnes in lectis suis iam collocati sint, & habeant se silenter, & omnibus modis regulariter, sicut mos est. Revertens quoque in dormitoriũ hoc idem consideret.

In hyeme autem ad intervallum, quod fit inter nocturna & matutinas laudes, si maior Prior abest, eandem circam facit, quam maiorem Priorem debere facere superius dictum est, cum in tractatu mensis Novembris de hoc intervallo sermo fuisset. Facit & aliam circam, cum tardantibus vesperis, servitores nocte in refectorio cœnant, & fratres, qui maiori cœnæ interfuerunt, accensis luminaribus in capitulo eos expectant, circumit enim tunc superiùs dicta loca, observans ne aliqui, qui cum cæteris in capitulo sedere debeant, otiosis verbis, aut alicui vanitati intendant: quod cum accidit, si tanta noctis obscuritas est accendantur luminaria in monasterio, claustro,

dormitorio, vt exeuntes ab vtraque cœna videant, quò procedant.

Seruitores verò surgentes à cœna, ante capitulum, tunc ad monasterium vadant. Et dum transeunt ante capitulum incuruati cant, quoadusque pertranseant. Ante introitum tamen capituli se erigant, & solito more ad orientem versi humiliter inclinent. Fratres quoque, qui in capitulo sedent, surgentes à sedibus suis illis transeuntibus humiliter se inclinare debent.

Quæcumque maior prior dum in monasterio est concedere potest, vel prohibere, vlcisci culpas, vel indulgere, hæc quoque prior claustri absente eo facere potest, exceptis maioribus causis, quas vel ipsius maioris prioris, vel Abbatis iudicio reseruare debet, vbicumque vel in refectorio, vel in capitulo, siue in claustro, siue extra claustrum, assurgi debere maiori priori superiùs dictum est; absente ipso maiore priore, huic similiter assurgi debet.

CAPVT. IV.

De Circuitoribus.

Regulæ. Cap. 48

CIrcuitores monasterij, quos alio nomine **Circas** vocant, iuxta sancti Benedicti præceptum certis horis circumire debent monasterij officinas, obseruantes incurias, & negligentias fratrum, & statuti ordinis præuaricationes.

Isti eligantur de totius monasterij melioribus, & prudentioribus, qui nec malitiosè pro priuato odio vnquam clamorem de quolibet faciant; nec pro priuata amicitia negligentias aliquorum taceant.

Numerus eorum sit secundùm facultatem loci, & necessitatem rei, hi religiosè, & ordinatè maximè in circumeundo debent incedere, & exemplum religionis videntibus ostendere; dum circumeunt, nulli signum faciant, nulli quacumque occasione loquantur, studiosè tantùm negligentias, & offensiones inspiciant, & tacitè prætereuntes, de eis postea in capitulo clamores faciant.

Cum autem extra claustrum inueniunt aliquos fratres loquentes, simul assurgant eis ipsi loquentes, dicatque eis vnus eorum, si ita est, quia per licentiam ibi loquuntur. Circumitores vero, nec verbo nec signo ei respondeant, sed modestè pertranseuntes, intentâ aure subaudiant, ne ipsa verba sint inutilia, quæ non oporteat dici. Cum autem cum famulo, seu cum alio quolibet laico inueniunt aliquem fratrem loquentem, non est mos vt ipse frater assurgat cuilibet eorum, aut dicat eis quicquam.

Nunquam cum circumeunt debent simul ire, sed vnus hac, & alter illac, secundum quod iniunctam curam inter se diviserint, & Abbas, vel prior eis ordinauerit. Officinas monasterij nunquam pro hac cura ingrediantur, sed ostia eorum prospiciant, si fortè aliqui fratres per curiam vadant vagantes, aut stent, vel sedeant fabulantes.

Hæ sunt horæ, quibus ex consuetudine circumire debent, quamuis & aliis horis, si Abbas, vel prior ita oportere indicauerit. Completis tribus orationibus, quas conuentus facit ante psalmos, quos ante nocturna dicere solet, tunc enim, accensâ candelâ in absconsa, vnus eorum in dormitorio debet circumire lectos omnium, & omnia sedilia in necessarius sollicitè considerans, ne forte aliquis frater dormiens ibi remanserit; de hinc reuertatur in monasterium, & circumeat omnia altaria in criptis, & quæ ex vtraque parte chori subtus sunt; cæteraque monasterij loca, vbi suspicio poterit esse diligenter obseruans, ne aliquis frater ibi dormiat, vel iaceat, vel inordinatè sedeat. Sanguine vero minuti, & ægri, & debiles ne clamentur in capitulo, si eâ horâ inueniantur, sedendo quidem, non iacendo quiescere. Cæteros vero cum dormientes inuenit, non eos quocumque modo tangat, sed modestè, atque ordinatè sonitum tantummodo quo excitentur, faciat.

Circa medietatem secundi nocturni, & in laudibus paululum ante *Laudate Dominum de cælis*, accensâ candelâ in absconsa, circumeat prædicta monasterij loca, obseruans omnia quæ superiùs dicta sunt. In die autem circumeat post offerendam minoris missæ, & post cœnam, cum bis fratres reficiunt, & post prandium, cum semel. Vadant in fine Vigiliæ Defunctorum. Surgant etiam sæpe de prandio, aut cœna, non omnes quidem, sed aliqui, cum suspicantur se inuenturos aliquid negligentiæ, hoc verò non longè à refectorio fiat, vt si opus fuerit statim possint occurrere cum aliis; ad versum, qui finito prandio, vel cœna dicitur, isti attentè, & reverenter audiendi sunt in capitulo. Auditis eis, qui sponte venias petunt, istorum est primos clamores facere.

CAPVT V.

De Cantore.

CAntor, quamdiu Abbas in monasterio est conuentum sequens, non scribatur in tabula ad lectionem, vel ad responsorium, vt videlicet si forte Abbati commodum non fuerit legere, aut cantare, ipse sine mora pro eo inueniatur paratus. Cum vero Abbas extra monasterium, vel intra monasterium conuentum sequi non potest, in locum ipsius scribatur cantor in tabula, ad lectionem, & ad responsorium.

Quicumque lecturus, aut cantaturus est aliquid in monasterio, si necesse habet ab eo priusquam incipiat debet auscultare.

Ipsius est omni hora sollicitè prouidere, ne eueniat negligentia in quocumque obsequio, quod fit in monasterio.

Si quis obliuiosus non incœperit, cum incipere debet responsorium, aut antiphonam, aut aliud huiusmodi, siue in eodem iam bene incœpto, aliquo modo deuiauerit, ipse debet esse prouisus, atque paratus, vt sine mora, quod incipiendum erat, incipiat, vel eum, qui fallendo deuiauerat, in viam reducat: ad ipsius arbitrium cantus incipitur, eleuatur, remittitur, nulli licet cantum leuare, nisi ipse priùs incipiat, ipsius est omnes fratres in tabula ad omnia officia annotare, non considerato conuersionis ordine, aut voluntate eorum, sed secundum quod ei visum fuerit, honestatem, aut ædificationem in hoc vigilanter consideranti.

In festivitatibus, quæ fiunt in cappis, secretarius debet eligere, quod opus fuerit de melioribus cappis, earum, quæ ipso die habentur in choro, & ante initium missæ ponere eas supra dextram formam chori. Cantor vero distribuat eas fratribus illis, quos secum in choro habere voluerit: Ipsa enim capparum distributio, eorum est ad regendum chorum aduocatio. Nullusque eorum ante finem missæ, de choro debet recedere sina eius licentia.

Cantor vero cuiuscumque ordinis, vel ætatis sit, in medio debet esse in choro. Quotiescumque textus, aut thuribulum affertur eis, vtrumque prius cantori offeratur, nisi aliquis Episcopus, vel Abbas, seu maior Prior, vel ille qui tenet ordinem ibi sit inter eos. Cantor in dextro choro semper sit, & dum tenet chorum quicquid incipit, siue *Kyrie eleison*, siue aliud huiusmodi dexter chorus prius suscipiat, quod ab eo incœptum fuerit, & sequatur ipsum.

Omnes qui in choro sunt inclinati quidem cantent *Sanctus, sanctus, sanctus*, nisi versus interponantur; erecti vero *Dominus Deus sabbaoth*, & cætera. Cantor & illi qui cum eo sunt totum erecti canant. Ad

collectas

collectas omnes, & cum Sacerdos dicit *Orate fratres*, & ad totum *Pater noster* inclinentur, sed ad finem ipsius *Pater noster*, responso *Sed libera nos à malo*, erigantur, quod aliis non licet.

Eodem modo fit cum in festis in albis solus, vel cum aliis, chorum tenet, quod non licet ei, qui in Dominicis, & huiusmodi festis hebdomadarius Cantor existit.

In omnibus præcipuis solemnitatibus cum eveniunt in Dominicis diebus scribatur in tabula ad officium missæ, & cum eo duo, quos ipse voluerit. De thuribulo post Offerendam ei deferendo superius dictum est.

Cum fit opus manuum, ipsius est, aut legere, aut magistro infantium ostendere, quo in loco infans debeat lectionem incipere.

In Dominicis diebus, & huiusmodi festis, inceptâ Offerendâ accedat qui chorum tenet ad Cantorem, faciatque illi signum incipiendi versus Offerendæ. Ad ipsum enim pertinet tunc incipere eos etiam si succentor chorum teneat: Cantor viso signo inclinet ei, & hebdomadarius Cantor similiter ipsi. Incœpto unoquoque versu, Cantor ante & retro faciat, & omnes infantes inclinent.

Ipsius est notificare Abbati omnes cantus, quos ipse cantat, vel incipit.

Cura brevium, qui foras mitti solent pro defunctis fratribus; & cura numerandi tricenaria; & septenaria, ad eum pertinet: de universis monasterij libris curam gerat, & eos in custodia sua habeat, si eius studij, & scientiæ sit, ut eorum custodia ei commendari debeat.

CAPUT VI.

De Secretario, seu Sacrista.

AD Secretarij officium pertinet, omnia ornamenta monasterij, & omnia instrumenta, & supellectilem, quæ ad ipsum monasterium pertineat custodire; horas * procedere.

f. * providere, vel prævidere.

In duodecim lectionibus pronuntiato Evangelio in tertio nocturno, & in festivis octavis altare discooperire; textum tunc in vestiarium portare, quem Sacerdos ferat cum in cappa per singulos dies processerit ad altare. Sacerdoti ab altari ad analogium reverso absconsam cum candela ministrare, finitaque collecta eandem absconsam recipere, & postea textum ponere super altare.

Ipsius est signa pulsare, vel qualiter pulsentur aliis indicare, de nulla hora sonanda à quovis licentiam petit, nisi de sola Prima, & collatione, excepto de Tertia, & Vesperis, cùm loquentibus fratribus Abbas in claustro sedet. Candelas per officinas distribuit, secundum quod opus fuerit, & Abbas, vel Prior præceperit. De sepulturis, tam monachorum, quam laicorum curam gerit, ut videlicet fiant, & ubi fiant.

Sui officij est calices bis in hebdomada, aut si opus fuerit sæpius lavare, corporalia quoque ante Pascha semper, & quoties reliquis anni partibus expedit, utrumque si Diaconus aut Presbyter sit: Si non sit, Priori, vel Abbati indicare, & ipsius licentia alicui, qui huius ordinis sit, hanc curam commendare; lavandis corporalibus quanta possit diligentia adhibeatur; vasa ænea ad nullos alios usus destinata, ad hoc opus habeantur, aqua, qua lavantur; sicut & calicum in sacrarium proiiciatur: lotis, dum siccantur, ne aliquæ sordes adhæreant, omnibus modis provideatur.

Cura faciendi hostias super eum est, quæ ut mundissimè & honestissimè fiant, summopere studere debet.

In primis si fieri potest frumentum cum magno studio granatim eligatur, electum in sacculo mundo, & de bono panno facto, & ad hoc opus tantum ponatur, & à famulo boni studij, ad molendinum deferatur. Quo delato famulus aliud frumentum in ipso molendino moli prius faciat: ut illud, unde hostiæ fieri debent, sine aliqua sorde moli postea valeat: Reportatâ farinâ Secretarius vas, & locum, quo farina buletari debet, in circuitu cortina paret, ipsemet vero, indutus alba, & velato amictu capite, hoc opus agat.

Eâ autem die, quâ hostiæ fieri debent, Secretarius, & fratres, qui eum iuvare debent, antequam incipiant, manus, & facies lavent, albis induantur, capita amictibus velent, præter eum, qui ferra tenturus, & inde serviturus est. Horum unus super tabulam mundissimam ipsam farinam aqua conspergat, & manibus fortiter compingat, & maceret, frater, qui ferra, in quibus coquuntur, tenet, manus chirothecis habeat involutas. Interim dum ipsæ hostiæ fiunt, & coquuntur, dicant iidem fratres psalmos familiares horarum, & horas canonicas, vel de psalterio ex ordine quod tantumdem valeat, si ita potius voluerint.

Silentium loquendi omnino teneant. Ille tamen qui ferra tenet, si necesse sit, breviter quod vult indicare potest famulo, qui focum facit, & ligna portat, quæ debent esse valde sicca; & ante multos dies de industria præparata.

Eius sollicitudinis est ampullas vinarias, & aquarias bis in hebdomada, id est quarta feria, & sabbato lavare; omni die vinum & aquam ad Missas celebrandas portare, offerentibus ad utramque Missam hostias ministrare.

Candelas ad lectiones, & in Matutinis Laudibus, ad primam collectam accendere; quæ Matutinæ Laudes, si ultra modum, & indecenter tardaverint, Secretarius, cui huius rei cura tunc commissa erit, ante gradum satisfactionum prosternatur, quousque ipsa collecta usque ad *Benedicamus Domino* finiatur: quo incœpto nulla expectata licentia recedat, & ante & retro non faciat. Hoc modo satisfaciat quocumque die huiusmodi negligentia eveniat, & inde postea in capitulo aliam veniam non petat.

Et quia huius ministerij, & in his, quæ scripta sunt, & in multis aliis, quæ scripta non sunt, multiplex, & valde implicita cura est, non uni tantum, sed multis commendari, atque inter eos dividi debet: unus eorum sit Magister aliorum, ad cuius dispositionem cæteri agant, maioribus causis servatis arbitrio Abbatis, vel Prioris.

CAPUT VII.

De Camerario.

CAmerarij est procurare omnia vestimenta, & calceamenta, & lectos, & stramenta lectorum, quæ fratribus sunt necessaria, & iuxta regulam habere concessa. Rasoria quoque, & forfices, tersoria ad radendum; tersoria in claustro pendentia; tersoria & manutergia mandati, & omnia vasa eius: vitreas dormitorij facit, & reficit cum opus est: dat ferra quibus ferrantur equi Abbatis, & Prioris, & omnium hospitum, quibus ferra dari Abbas, vel Prior præceperit, fratribus quoque in iter profecturis cappas, fasciolas, calcaria.

Semel in anno renovari facit fœnum in omnibus lectis fratrum; & tunc etiam mundari dormitorium.

A

CAPUT IX.

De Infirmario.

FRater cui cura domus infirmorum commissa est, & infirmis fratribus servire deputatur, cocum suum habeat, & coquinam separatim, si loci situs, & facultas talis sit, ut quod infirmis præparari necessarium est opportuno tempore parari possit. Omnia fercula apponenda infirmis ipse administret eis.

Omni die post completorium spargat aquam benedictam per omnes eorum lectos: factis tribus orationibus, quæ fiunt ante nocturna, circumeat cum absconsa lectos infirmorum omnium, observans sollici-
B tè ne aliquis qui valeret surgere in lecto remanserit. Ipsius est præcipuè manifestare, & clamare in capitulo, negligentias omnium in prædicta domo commorantium.

Cum perceperit infirmum [illegible]tam esse prope finem suum, suum est præcipere famulis suis, ut calefaciant aquam ad lavandum ipsum. Cura de feretro custodiendo, & administrando cum opus fuerit super eum est, & super famulos suos, sicut & cura de administranda tabula, quam ex more Prior semel percutit, completa ablutione ipsius defuncti; defuncto fratre & in monasterium deportato, locum in quo iacuit mundari, & fœno, vel iunco renovari faciat.

Abbas, vel Prior omnibus modis sollicitudinem gerat ne aliquid, quod ad hoc ministerium necessarium est, in illa domo unquam deficiat.

CAPUT X.

C
De negligentia circa Corpus Domini.

CUm de Corpore, vel Sanguine Domini tanta negligentia aliquo casu accidit, ut cadat deorsum; sive in aliam locum ubi plenè percipi non possit quo ceciderit, & utrum ad terram inde aliquid venerit, quam citius fieri possit, indicetur res Abbati, vel Priori; qui adiunctis sibi aliquibus fratribus properè veniat ad locum, ubi hoc contigerit. Et si corpus ceciderit, vel sanguis effusus fuerit super lapidem, aut terram, aut lignum, aut mattam, aut tapetem, aut aliquid huiusmodi, pulvis terræ colligatur, pars illa lapidis radatur, pars ligni, mattæ, tapetis, aut si quid aliud est huiusmodi abscindatur, & in sacrarium projiciatur.

Quod si locus ubi ceciderit manifestè deprehendi
D nequiverit, & tamen deorsum cecidisse constiterit, in loco, & circa locum, in quem maximè cecidisse crediderint, similiter colligatur, radatur, abscindatur, & in sacrarium recondatur: hi vero quorum negligentia hoc evenerit, in proximo capitulo humiliter culpam suam dicant, iudicium suscipiant nudi, & iniungatur eis pœnitentia, vel de ieiunio, vel iudiciis, vel Psalmis, vel aliquid huiusmodi. Quibus de iudicio ad loca sua reversis, omnes sacerdotes, qui tunc præsentes erunt, surgant, & ad iudicia suscipienda cum omni devotione se offerant. Tunc ille qui capitulum tenet, septem tantum quos voluerit de ipsis ad suscipienda iudicia retineat; & ceteris ire sessum præcipiat. Finito capitulo omnes simul prostrati dicant septem Psalmos in monasterio, incipientes eos psallere, cum exeunt de capitulo; Quos sequatur *Pater noster*, cum his capitulis & collecta, *Et super nos misericordia tua Domine*; *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*; *Dominus vobiscum*; *Oremus*, *Exaudi Domine preces nostras & confitentium tibi parce peccatis, ut quos conscientia reatus accusat, indulgentia* E
tua miserationis absolvat, Per: aut illam collectam, *Deus cui proprium est misereri semper*: aut aliam pro peccatis.

Si vero super corporale vel super aliquem honestum pannum sanguis ceciderit, certumque fuerit quo ceciderit, pars illa panni in aliquo calice abluatur, & prima ablutio à fratribus absumatur, reliquæ duæ in sacrarium proiiciantur. In primo autem capitulo dicta culpâ, hi soli tantum, quorum negligentiâ hoc evenit, supradictam disciplinam sustineant; fratres vero omnes septem Psalmos cum capitulis, & collecta, sicut superiùs dictum est, in monasterio dicant. Si ipsa die brevis pro defuncto in capitulo lectus fuerit; prius canant *Verba mea* pergentes in Ecclesiam; postea septem Psalmos sicut superiùs dictum est.

Si vero alio aliquo modo de hoc sacramento levior negligentia evenerit; ex iudicio Abbatis, vel Prioris leniori vindicta frater, cuius culpâ hoc contigerit, F
puniatur.

CAPUT XI.

De rasura Fratrum.

QUa die radendi sunt fratres citius solito pulsetur signum ad Primam, vel ad Tertiam, si ipsa Tertia ante capitulum dici debet. In capitulo non diu sedeant, sed necessariis rebus explicitis surgentes, pulsata tabula, dictoque *Benedicite* exeant in claustrum. Infantes ipsa die Capitulum non teneant, sed statim post alios exeant, & in scholam suam pergant; residentibus cunctis, & ad radendum paratis incipiat
Abbas, aut Prior, quinque Psalmos, id est *Verba* G
mea pro defunctis. Sacerdos hebdomadarius sedens dicat collectas; alter quoque hebdomadarius iuxta eum sedeat, & cum eo Psalmos teneat, post quinque Psalmos dicant omnes canonicas horas, in quarum fine usque ad Vesperas non dicat Sacerdos *Dominus vobiscum*; nec *Benedicamus Domino*, sed post *Per omnia sæcula sæculorum*; statim incipiat *Adiutorium meum*; Post Vesperas vero dicto *Benedicamus Domino*, psallantur vesperæ mortuorum, deinde Completorium ut canonice; postea familiares Psalmi horarum.

Nullus in cuculla radatur, sed prius cuculla exutus, & frocco indutus, cuculla plicata, & iuxta se posita radatur. Ille qui radit frocco exutus sit.

Iuvenes qui sunt in custodia custodes suos radant; & custodes ipsos iuvenes. Quod si custos nequiverit, aut nesciverit radere, roget aliquem maturum
fratrem, ut eum radat, ipse tamen custodiens ipsum H
iuxta eum sedeat. Iuvenes quoque, sive nutriti, sive de sæculo venientes, utrique tamen extra huiusmodi custodiam existentes non præsumant, ut alter alterum radat, sed seniores ab illis, & illi à senioribus radantur. Magistri pueros radant, & ipsi à pueris radantur, si tamen huiusmodi scientiam habent.

Hiemali tempore quando pueri, & sanguine minuti, atque infirmi post Capitulum accipiunt mixtum, refectorarij primi se radant, & post Psalmos, tam citò apparatum refectorij faciant, ut fratres accepturi mixtum omnia parata inveniant.

Quamdiu Psalmi dicuntur nemo tondeatur, vel caput abluat, vel ungues incidat, nec extra claustrum sine licentia ire præsumat. Finitis Psalmis dicat Abbas, vel Prior *Benedicite*, Et responso *Dominus*, postea loquantur. Tunc lescivа in claustrum deferatur, & qui vult caput lavet, quisque sibi, nullus alij, præter magistros infantum, qui parvulis pueris, qui id non possunt, capita lavare debent.

Frater dum raditur, si signum ad horam sonuerit

A induat cucullam, super froccum, & pergat in chorum, si tamen omnino barbam rasam aut omnino adhuc intactam habet, alioquin extra chorum maneat. Ipso die quo se radunt fratres mappæ in refectorio mutandæ sunt. Aliis diebus quando fratres in claustro loquuntur, qui necesse habet tonderi potest in claustro, sed per licentiam Abbatis siue Prioris.

CAPVT XII.

De sanguinis minutione.

Licentia minuendi sanguinem omni tempore statim post Capitulum petenda est; & celerario indicanda: hora minuendi est: in hieme post Evangelium B maioris Missæ; in æstate post Nonam ante Vesperas; in quadragesima post Vesperas; cum ij qui minuendi sunt calciati nocturnalibus suis ad locum qui huic operi deputatus est, venerint; versi ad orientem ante & retro inclinent, deinde Priore eorum incipiente versum *Deus in adiutorium meum intende*, ter dicant, *& cætera*, sicut in æstate post Nonam in Capitulo, quando fratres loquuntur in claustro. Si vnus tantum fuerit solus hoc faciat. Postea exuant froccos, & parent se ad minuendum.

Silentium ibi omnino teneant nisi necessitas loqui cogat, quæ differri, aut non possit, aut non debeat. Quod si euenerit breuiter, & modestè, & humillimâ uoce id fiat.

Chorum non cogantur intrare vsque in crastinum post orationem Primæ, vel Tertiæ, quo tempore ante Capitulum Tertia dicitur: si plus indigent petitâ licentiâ diutiùs extra chorum remaneant.

C Crastina die nocturnales suos calcient, duobus diebus mixtum accipiant: cum ad ipsum mixtum ventum fuerit, si tempus sit quo fratres semel reficiunt, simul omnes dicant versum, & ante mixtum, & post mixtum, cum Psalmo *Miserere mei Deus*: & reliquis eo modo quo dicitur à conuentu, cum bis reficiunt omnes fratres Benedictio a Priore Sacerdote detur: lectio ab vno aliquo memoriter recitetur: in refectorio totum fiat.

In crastino minutionis clamatus aliquis minutorum surgat, & ad petendam veniam se offerat, aliquis vero eorum, quibus minutio nota est, Priori dicere debet, quod frater ille minutus sit, & Prior ei præcipere vt stando loquatur; & maximè si de vena brachij minutus sit: si culpa leuis indulgeatur ei, si autem talis fuerit, quæ sine corporali disciplina dimitti non debeat, in alium tempus differatur.

Hæc sunt tempora quibus fratres minui non debent nisi necessitas cogat: Si in crastino Festivitas duodecim lectionum sit, exceptis Sabbatis quadragesimæ vsque ad Passionem Domini: si crastina die Festivitas trium lectionum sit, in qua Missa in cappis celebretur, D sicut sunt tres dies post Pascha, & tres post Pentecosten, quatuordecim dies ante Pascha, si ipsa die, vel in crastino canonica ieiunia sint, quæ violari non possint; Festivitas omnium Sanctorum, quia in crastino omnes sacerdotes pro Defunctis Missas celebrare, & reliqui Psalmos pro Missis ordinatos dicere debent.

CAPVT XIII.

De Hebdomadario Missæ maioris.

Cvm sacerdoti maioris Missæ Hebdomadario aliquid dormienti euenerit, propter quod ipsa die Missam celebrare non debeat, si fuerit priuata dies, non dimittat quicquam facere de suo officio, nisi E Missam, & benedictionem in refectorio, & Completorium, quia aqua benedicta post Completorium fratres aspergere ad ipsum pertinet, qui Completorium dixit, & Missam celebrauit.

Quod si duodecim lectiones fuerint, dimittat etiam Vesperas, matutinas quoque Laudes, si ad ipsas reuestiri debeat Sacerdos. Finita autem principali oratione, cum Sacerdos reuestitus, qui pro eo facit officium, exierit de choro, Sacerdos Hebdomadarius in quacumque parte chori sit, nullo expectato signo compleat reliqua omnia, quæ sequuntur.

Cum autem ipse Hebdomadarius reuestitus cantat Vesperas, aut Matutinas Laudes, & completa principali oratione egreditur chorum vt exuatur, tunc vni de suo choro cui voluerit signum faciat, ut agat pro eo commemorationem Sanctorum, completa Hebdomadarius reuersus in chorum compleat quæ sequuntur. F

CAPVT XIV.

De Itinerantibus Fratribus.

FRater in aliquod iter profecturus, & in crastino non reuersurus, accipiat benedictionem exeundi; si verò contigerit vt altera die reuertatur, non accipiat benedictionem reuertendi, si autem profecturus sperat se in crastinu rediturum, non accipiat benedictionem eundi. Quod si euenerit vt vltra biduum moretur, reversus revertendi benedictionem accipiat. Ille verò frater qui accepta pergendi benedictione vltra biduum moratus fuerit, si ipso die quo redierit in aliquem locum extra monasterium perrexerit, & vnius noctis moram fecerit in crastino reversus omnes revertendi benedictiones accipiat, G quia ex quo primum abiit non iacuit in monasterio; si vero sine benedictione exeat sperans se in crastino rediturum, & ita eueniat, atque ipsa die qua rediit extra monasterium, vbi vna nocte moretur, in aliquem locum pergat, reversus ipsa die omnes revertendi benedictiones accipit. Hoc propterea fit, quia duabus continuis noctibus extra monasterium fuit. In exeundo nullam benedictionem accipiat, nisi vltra biduum se moraturum existimet.

Si frater quilibet de foris veniens accipiat vtramque benedictionem, veniendi scilicet, atque exeundi, nec sit ei opportunum statim, vel etiam per totam ipsam diem exire, ad quotcumque horas in monasterio fuerit accipiat benedictionex veniendi, exeundi vero minimè; nisi fortè contigerit eum ipsâ nocte in monasterio remanere, tunc enim in crastino, si exire voluerit, suscipiat eam.

Ad vesperas, vel ad completorium nunquam debet dari benedictio exeundi: frater accepta benedictione, H si prius quam de claustro exeat signum regularis horæ sonuerit, cum cæteris in chorum pergat, & dicta hora, in viam suam vadat; si autem extra claustrum fuerit, & priusquam portam curiæ egressus sit, ad regularem horam signum pulsatum fuerit, ad Ecclesiam redeat, & regularem horam extra chorum dicat, & postea viam suam teneat.

Fasciolatus, aut cinctus, sive cum cappa, nunquam in claustrum introeat.

Fratres in viam directi cum horam regularem dicunt, aut orationem faciunt, aut *Deus in adiutorium meum*, cum *Gloria Patri* dicunt, si dies talis est, sicut in monasterio, genua flectant, sed ante si retro nusquam faciant, nec cum falluntur, veniam petant, nisi sint in Ecclesia: diebus quibus super formas orant dicturi aliquam horam, si equitant de equis descendant, & inchoata hora, ac venia petita, à manibus chirothecas, & à capitibus capitia auferant, & sic ascensis equis horam finiant.

A Quod si inter psallendum necessitas loquendi eveniat, finita locutione, iterum à capite horam incipiant: dum hora in hospitio canitur, aut cum manducant froccis induti sint, aut solis cucullis cunctam psalmodiam quam in nocte eis dicere commodum non est equitantes per viam dicant, præter eam, quam in die dicere solent ad complendum ordinem, ad vitandam curiositatem, scurrilitatem, otiositatem, antequam dormitum vadant, completorium dicant. Quo dicto si grandis, quæ vitari non debeat, necessitas loquendi eveniat, dicto versu quam breviùs fieri possit loquantur. Et si ante matutinas hoc accidat, completorium iterum dicant, & postea silentium teneant.

Vbicumque monachus sit, tota nocte ante eum lumen ardeat.

De monachis in viam directis hunc morem cœnobia illa tenent, quæ nostro tempore nostri ordinis maB iorem auctoritatem habent. Beatus tamen Benedictus moram dierum non determinat; sed absolute imperat, ut de itinere reversus monachus per omnes canonicas horas benedictionem accipiat.

CAPVT XV.

De silentio regulari.

CVm regularis hora præter completorium in monasterio canitur, nullus fratrum loquatur intra officinas totius monasterij; nec intra totam curiam; nec etiam in domo infirmorum, præter illos, quos tanta infirmitas angustiat, vt eos interim silentium tenere non sinat. Completorium vero dum cantatur, licet Priori, & eis, qui per licentiam de completorio remanent, de utilibus, & necessariis rebus loqui.

Similiter dum regularem horam fratres in Ecclesia C dicunt, nullus comedat in refectorio, excepto solo completorio, tunc enim licet iis qui aliqua vtilitate impediti ante illam horam se expedire non possunt, & fratribus, qui deforis veniunt comedere in refectorio. Qui si ante collationem incipientes comedere circa finem completorij cœnam suam commodè explere non valent, licet eis à mensa surgere, & in monasterium ad benedictionem ire, & postea in refectorium ad complendam cœnam redire.

CAPVT XVI.

De culpis, & satisfactionibus.

AD levis culpæ satisfactionem adiudicatus frater à communi mensa separatur vsurus cibo, & potu, quibus alij fratres, nisi ei nominatim fuerit interdictum, refecturus hora nona, si fratres sexta, vel ad vesperam, si fratres hora nona.

D In Monasterio, & in capitulo, in loco ubi solet esse, sit aut vltimus omnium, aut inter utrumque, secundum quod culpa fuerit, & Abbas præceperit.

In Ecclesia Missam non celebret, Epistolam, vel lectionem, Evangelium non legat, Responsorium non canat, Antiphonam super Psalmos non imponat, nec aliquid huiusmodi, nisi cum cæteris agat, ad candelabrum, vel ad thuribulum non se teneat, ad offerendam, vel ad pacem non accedat.

Circa finem regulariter instituti operis Dei, tam in nocte, quàm in die, cùm incipiunt *Kyrie eleison*, prosternant se ante gradum vbi benedictiones accipiuntur, ibique tamdiu prostratus iaceat, vsque quo dicatur *Qui tecum vivit*, si festivitas duodecim lectionum eveniat, tamdiu ab hac satisfactione quiescat, quovsque privati dies redeant: dum fratres in re- E fectorio comedunt, ipse sit in Ecclesia.

Cum Abbati placuerit ab hac satisfactione eum absolvere, si in monasterio fuerit in conventu mittat ad illum, cum prostratus fuerit, unum de prioribus qui circa eum sunt, qui ex parte ipsius signum prostrato faciat, vt surgat, qui statim surgens humiliter inclinet Abbati, & ad locum suum vadat. Porro si Abbas in capitulo, sederit, rogantibus fratribus, dicat ei, indulta sit vobis hæc levis culpæ satisfactio, vel aliquid huiusmodi; & ille frater statim surgat, & ad pedes Abbatis vadat, & postea in locum suum revertatur.

Si Abbas in itinere fuerit, licet Priori, vel ei, qui ordinem tenet, absente Priore, hoc totum facere.

Si frater aliquis (quod Deus avertat) culpam gravem commiserit, & ipsa culpa manifestata secretò emendari competenter nequiverit; in capitulo ante Abbatem in conventu fratrum examinetur, & com- F muni iudicio frater ille corporalem disciplinam acriter patiatur; & in gravis culpæ satisfactione esse iubeatur. Qui acceptâ disciplinâ vestitus atque cinctus, cultellum suum ibi deponat, caput suum caputio cooperiat, & cum summo silentio ad locum huic negotio ordinatum pergat, præcedente fratre illo, qui clauem ipsius loci servat, tunc Abbas provideat unum de senioribus, cui eum custodiendum securè possit committere, qui eum ad horas ducere, & post horas ad locum suum debeat eum reducere. Qui senior post capitulum secretò ab Abbate inquirat; quo ordine frater ille vivet, & quid, aut qua hora comedere debeat; loquatur ei frater ille, & alij quibus Abbas præceperit, cæterorum autem nemo illi societur, neque colloquatur.

Cùm pulsatur signum ad horam, custode suo ducente, cooperto capite, ante ostium monasterij veniat; & si conventus adhuc monasterium non intravit, quovsque totus introeat ibi prostratus iaceat, si verò iam intravit, stet ibi, & inclinet, & genua flectat, sicut fra- G tres qui in choro sunt, dum cantatur hora, si aliqui fratres iuxta se transierint, humiliter inclinet eis. Transeunte tunc Abbate prostratus veniam petat, si frater ille iuxta se eum transire cognouerit. Finitis horis regularibus exeuntium ab Ecclesia pedibus, cooperto capite, prosternatur; quovsque omnes pertranseant. Egredientes verò dicant ei sub silentio, *Misereatur tibi Deus*. Egressis omnibus operto capite, custode suo eum præcedente, ad locum vnde venit revertatur.

In capitulum, statutis ab Abbate diebus, prædicto custode eum ducente, veniat, & corporale iudicium humiliter, & patienter sustineat; de cibo, & potu competens ei misericordia impendatur, ne fortè nimiis angustiis oppressus immoderatâ tristitia absorbeatur; hoc modo tractetur quoadvsque humilitate, & patientia, & emendationis promissione, adiunctis fratrum precibus misericordiam consequatur.

Qua vero die, precantibus fratribus, decreverit Abbas misericordiam ei impendere, eo modo, quo superius dictum est, in capitulum veniat, prostratus culpam suam fateatur, & emendationem promittat, & mi- H sericordiam quærat, iussus surgere frequenter se prosternat, & eadem verba, & similia dicat, cessaturus cùm Abbas dixerit ei, sufficiat: postea iubeatur exuere, & corporalis disciplinæ iudicium sustinere. Quo facto dicat ei Abbas: Motus fratrum nostrorum precibus, & patientia, & humilitate vestra, & promissione emendationis vestræ, hanc misericordiam vobis impendo, vt dehinc cum fratribus sitis in refectorio, in loco, quem vobis designabimus, comedatis, disciplinam corporalem pro hac culpa vlterius non suscipiatis, de cæteris ad comprobandum adhuc humilitatem, & patientiam vestram, ita vos habete, sicut frater, qui in levis culpæ pœnitentia esse iubetur, excepto quod incœpto *Kyrie eleison*, ad gradum vos non prosternetis, sed expleta regulari hora, in loco, in quo stabitis, sicut beatus Benedictus præcipit,

A flexis ad terram genibus, sicut qui in psalmo fallitur, humiliter satisfacietis. Hoc audito frater ille ad pedes Abbatis vadat, & rediens in locum, in quo stabat, tres genuum flexiones, ante scilicet, & ad dexteram, & ad sinistram cum omni devotione faciat, gratias referens fratribus, quia pro se rogaverint & humiliter supplicans quatenus adhuc rogare dignentur. Postea designet Abbas ei locum, ubi debet esse, & eo præcipiente sessum vadat.

Hæc quidem culpa ad Abbatem propriè pertinet corrigenda: qui tamen si desit a patria, nec ad præsens, ut veniat expectatur, à Priore corrigi potest totius congregationis assensu.

Si frater peccans peccatum suum defendere potiùs quam cognoscere, & emendare voluerit, proclamatus B etiam Abbati, vel Priori contumaciter respondere præsumpserit; admonitus quoque ut resipiscat, in sua pertinacia permanere decreverit; hunc talem surgentes fratres quot, & quibus iussum fuerit violenter arripiant, & in carcerem huiusmodi arrogantibus deputatum trahant, vel ferant, ibique depositus tamdiu servata discretione affligatur, quousque superbiam deponat, culpam cognoscat, humiliter emendationem promittat. Quod si inspirante Deo, evenerit, res prius in capitulo ostendatur, dehinc à fratre, cui huiusmodi cura iniuncta sit, in capitulum deducatur, introeat autem vel nudus sicut fugitivus monachus, vel indutus, prout res poposcerit, considerata qualitate, & quantitate vel præcedentis culpæ, vel subsequentis arrogantiæ, postea tractetur sicut superius dictum est, hoc est, vel graviter, si gravi, vel leviter, si levi culpæ fuerit deputatus.

Quòd si spiritu diabolico plenus superbire magis, quàm promittere emendationem elegerit, adhibeantur ei de toto conventu orationum suffragia. Si vero Abbas nec sic suam industriam prævalere conspexerit, prudenter tractet cum consilio omnium fratrum, utrum expediat eum vel diutius detineri, vel de monasterio ex-
C pelli.

Fugitivus de monasterio monachus, si reversum ad monasterium suscipiendum eum esse Abbas iudicaverit, hoc modo suscipiatur. In hospitali domo aliquantis diebus primùm maneat, ad claustrum, vel ad officinas claustri, vel ad monasterium nisi iussus nullatenus accedat, ut interim pœnitudinis suæ, & humilitatis, & patientiæ aliquod documentum ostendat, nullus frater secum converseturr, nullus ei in aliquo consortio, vel colloquio coniungatur, nisi ei ab Abbate, vel à Priore, vel ab eo, qui servat ordinem, iubeatur.

Ea vero die, qua in capitulum intraturus est, in locutorio vestimentis suis se exuat, staminia, si habitum non reliquit, circumposito cingulo se circumcingat, sinistro brachio cucullam plicatam, & in dextera manu virgas sumat, & sic nudis pedibus, & nudo desuper
D corpore, ducente eum fratre, cui iniunctum fuerit in capitulum veniat: Quo ingressus, in loco, ubi prosterni solet, statim se prosternat: interrogatus more solito culpam dicat, dehinc sedens corporalem disciplinam ad imperium Abbatis suscipiat, qua suscepta, cuculla tantum ibi induta, sicut venit, sed non ferens virgas, in locutorium redeat, ibi se calceet, & regulariter induat, & in capitulum rediens, tamdiu se prosternat, donec ab Abbate dicatur ei, sufficiat. Iniungatur ei satisfactio gravis culpæ, & in ipsa satisfactione habeat se sicut superius dictum est, cùm de gravi culpa ageretur.

Si abiectis monachi vestimentis in sæculari habitu ad monasterium redit, servatis circa eum cæteris, quæ superiùs dicta sunt, sæculari veste in qua reversus est circumcinctus, sicut supra de staminia dictum est, & non portans cucullam, capitulum ingrediatur; & post susceptam disciplinam, cuculla à Camerario ante ipsum posita, ab eo suscipiatur, & ibi statim induatur.

CAPUT XVII.

De Novitiis suscipiendis.

VEniens aliquis ad conversionem de sæculo, in primis sicut alij hospites suscipiatur in hospitio, cuius voluntate cognita, frater, qui cellæ hospitum procurator est, Abbati, vel absente Abbate, ei qui ordinem tenet rem nuntiet. Loquatur cum eo Abbas, vel Prior, vel aliquis spiritualis frater, cui iniunctum fuerit. Quod si desiderium petentis, ex Deo esse cognoverit, ostendatur res fratribus in capitulo, quorum audito consilio, si suscipiendum eum esse Abbas decreverit, statuta die, ducente eum prædicto hospitum susceptore, & doctus ab eodem qualiter petitionem facere debeat, in capitulum veniat, in loco, ubi prosterni solet, se prosternat, interrogatus quid dicat: quam humiliter poterit, in his, vel in similibus verbis petitionem suam faciat: *Dei misericordiam, & vestram societatem, & fraternitatem huius loci requiro, in hoc monasterio monachus fieri, & Deo servire desidero.* Respondet ei Abbas, vel qui loco Abbatis ordini præest: *Societatem, & consortium electorum suorum concedat vobis omnipotens Deus:* & responso à toto conventu: *Amen:* iussus surgere surgat, pronuntientur ei dura, & aspera, quæ in hoc ordine perferunt, qui piè, & regulariter vivere volunt. Item duriora, & asperiora, quæ, si indisciplinatè se habeat, sibi poterunt evenire. Quibus auditis, si adhuc in proposito suo perstiterit, & duriora, & asperiora se paratum perferre promiserit, respondeatur ei ab eo qui capitulum tenet: *Dominus Iesus Christus sic perficiat in vobis quod pro eius amore promittitis, ut eius gratiam, & vitam æternam habere possitis.* Et respondentibus omnibus, *Amen:* subiungat *Et nos pro eius amore hoc tenore concedimus vobis, quod tam humiliter, & tam constanter requiritis.* Hoc audito novitius vadat, & humiliter osculetur pedes ipsius. Tunc ipso præcipiente ducat eum magister novitiorum in Ecclesiam, ibique coram quolibet altari extra chorum sedens præstoletur, donec capitulum finiatur. G

Quo finito ducat eum prædictus magister suus in cellam camerarij, vel in aliam domum, vbi id quod agendum est, opportunius fieri possit, benedictâ sibi prius coronâ, si laicus sit, cum Antiphonis, & Psalmis, & collectis, ad hoc officium ordinatis, vel in Ecclesia ante introitum missæ ad gradum vbi benedictiones fratres accipiunt, vel in capella infirmorum, aut in capella Abbatis, secundum quod ipsi Abbati placuerit: ductus itaque novitius sive laïcus, sive clericus, in prædictum locum tondeatur, & radatur more monachorum; dehinc vestibus sæcularibus exuatur & rebus monasterij regularibus, præter cucullam, capitio assuto tunicæ induatur: dum hæc aguntur à fratribus quibus iniunctum fuerit, septem pœnitentiales Psalmi indirectum dicantur. Sic paratus ducatur H in conventum fratrum: in choro, si clericus est, vltimus sit in ordine clericorum; si laïcus laïcorum: & ad processionem; similiter in capitulo, & refectorio, sicut est ordo conversionis eius.

In cella novitiorum dormiat, aut in dormitorio, si cœnobium huiusmodi cellam non habet. In conventu non legat, solus non cantet, ad missam non offerat, pacem non sumat, in claustro separatim sedeat cum magistro suo, in loco novitiis deputato, nullus ei loquatur aut signum faciat absque magistri sui licentia, magister talis sit, qui exemplo vitæ, & verbo doctrinæ possit eum de anima sua monere, & ordinem docere.

Loquentibus in claustro fratribus si quis amore Dei, & zelo iustitiæ ad eum venire, eúmque vel arguere vel monere voluerit, liceat ut veniat, & acceptâ à magistro licentiâ, quod dicere voluerit, dicat;

A facto autem clamore, statim surgens coram magistro suo, sicut fratres in capitulo, veniam petat; non scissurus, donec, emendatione promissa, idem magister præcipiat. Et de levibus quidem culpis hoc modo agatur: pro maioribus autem culpis, aut in capitulo, pro quantitate culpæ corripiatur; aut si ibi cella novitiorum est, in ea quemadmodum in capitulo increpetur, & verberetur: de capitulo, facto sermone, quotidie exeat, & interim in monasterio maneat, nisi pro maiori culpa, ut dictum est, castigandus remaneat; de his culpis, quas in sæculo gessit, & quæ in hoc ordine sibi evenerunt, vel eveniunt, frequentes confessiones faciat Abbati, Priori, spiritualibus fratribus quibus hæc cura iniuncta est.

Mos suscipiendi novitij ad professionem.

Transactis plerisque diebus, si vita eius fratribus, & fratrum conversatio sibi placuerit, monendus est a magistro suo quatenus roget Priorem, & aliquos maiores fratres, ut & ipsi pro eo intercedant, apud Abbatem pro benedictione tribuenda, & professione suscipienda. B Quod si cum benedicere Abbati non placuerit, statuta die in capitulo finito sermone, in loco ubi solet se prosternat, prostratúsque pro impetranda benedictione petitionem faciat. Iusso eo surgere, narrentur ei rerum dura, & gravia, quæ in nostro ordine à Sanctis Patribus sunt instituta. Qui si hæc omnia, & adhuc graviora, si necesse fuerit, humiliter, & patienter se ferre paratum esse responderit: interroget Abbas considentes fratres, quid inde sentiant? & utrum precibus eius annuendum esse concedant? Quibus respondentibus se libenter concedere, adiungat, & nos concedimus in nomine Domini: quo dicto vadat ad pedes Abbatis, vel eius qui ordini præest, si Abbas deest; dehinc reversus in locum, in quo stabat, flexis ad terram genibus, humiliter inclinet ante, & ad dextram, & ad sinistram, gratias referens fratribus pro misericordia eorum precibus sibi impensa. Postea præcipiente Abbate cum magistro suo exeat, finitoque capitulo, si scribendi scientiam C habet professionem suam scribat, aut si nescit scribere alium roget, qui pro se scribat: ipse tamen in fine ipsius professionis signum crucis faciat: deinde ablato à tunica caputio usque ad horam benedictionis suæ, extra chorum maneat.

Cantor vero procurare sibi debet membranam, & incaustum, & scriptorem si nescit scribere: hora benedicendi in arbitrio Abbatis est, videlicet aut ante introitum Missæ, si Missam non celebrat, aut post Evangelium, sive Missam celebret, sive non. Ipse tamẽ in consecratione monachi si ei commodum est Missam celebrare debet, sicut canones præcipiunt.

Lecto igitur Evangelio, intrante chorum novitio, præcedente eum magistro suo, incipiente dextero choro, dicat conventus Psalmum *Miserere mei Deus*; novitius ante altare veniens super gradum se prosternat; dictóque Psalmo surgens professionem suam legat, & super altare ponat. Quod si ignarus litterarum est, magister suus debet eam pro eo legere, & ipse D novitius super altare ponere. Quo facto, flexis coram altari genibus, veniam petat, & postea ad locum ubi se prostravit rediens versum *Suscipe me Domine* ter dicat, ibique inter dicendum ter genua flectat; quem versum ter repetens conventus, adiungat ad ultimum, *Gloria Patri: Kyrie eleison: Christe eleison: Kyrie eleison: Pater noster:* Conventu incipiente, *Gloria Patri*; Novitius inclinatus pervolvat se in circuitum, & statim prosternat se. Abbas dicto, *Et ne nos inducas in tentationem*; & responso, *Sed libera nos à malo*, incipiat Psalmum, *De profundis*: quo finito à conventu cum *Gloria Patri*, adiungat, *Salvum fac servum tuum*; *Mitte ei Domine auxilium de sancto: Nihil proficiat inimicus in eo*; *Esto ei Domine turris fortitudinis*; *Domine exaudi orationem meam*; *Dominus vobiscum*: Deinde collectam, *Deus indulgentiæ Pater*: Item aliam: *Deus qui per coæternum*: Item aliam: *Domine Iesu Christe qui es via*: Dictis his tribus collectis sin-E gulis cum integro, *Per Dominum nostrum*, incipiat Abbas hymnum, *Veni creator Spiritus*. Quo à conventu devotè, & solemniter decantato, dicat collectam; *Sancte Spiritus, qui te Deum ac Dominum*: qua dicta surgat Novitius, & spargat super eum Abbas aquam benedictam; eoque stante benedicatur cuculla, & aspergatur aqua benedicta; qua benedicta accedat Novitius ad Abbatem, & flexis genibus, stet ante eum, quem tunica exuens Abbas dicat, *Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis*: Et induens eum cuculla subiungat, *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Ad utrumque respondeant audientes fratres, *Amen.* Subsequatur super eum flexis genibus inclinatum, Oratio: *Deus misericors, Deus clemens.* Qua dicta osculetur eum Abbas, induens caput eius caputio: dehinc ducatur per chorum ad osculandum omnes fratres, ultimus collocetur.

F Tribus diebus communionem Corporis, & Sanguinis Christi accipiat. Tertia die ad pacem Missæ auferat ei caputium de capite Abbas, vel cui Abbas præceperit, si ipse id faciendi opportunitatem non habet. Ante hanc horam, ex quo benedictus est, summum silentium teneat: de Capitulo, facto sermone, exeat, ad processionem non vadat, cucullà indutus cucullato capite dormiat. In primo autem Capitulo, quo ei licet loqui, debet magister eius de eo memoriam habere coram Abbate dicens: *Domine si placeret vobis præcipere, posset iste frater, ab hac die in antea legere, & cantare in conventu, sicut alij fratres*: respondente Abbate; *Faciat cum Dei benedictione*; inclinet ipse Novitius ad Abbatem de loco in quo sedet.

Ex illa die cuiuscumque ordinis sit habeat licentiam exequendi omnia, quæ sui ordinis sunt, nisi sit Sacerdos, ipsi enim infra primum conversionis suæ annum Missam celebrare non licet, nisi in sæculo probatæ castitatis fuerit, & Abbas pro hac re specialem G ei licentiam dederit.

Puerum Deo offerendi ritus.

Offerendus puer, facta sibi prius corona, manibus portans hostiam, & calicem cum vino, sicut mos est, post Evangelium sacerdoti, qui Missam celebrat à parentibus offeratur. Qua oblatione à sacerdote suscepta, involuant prædicti parentes manus pueri in palla, qua altare coopertum est, & cuius pars anterius pendet, & tunc suscipiat eum Abbas. Quo facto præfati parentes coram Deo, & sanctis eius statim promittant, quod per se, aut à se suppositam personam susceptum ordinem puer nunquam relinquat, neque se ei aliquid scienter daturos, unde puer, quod absit, perire possit: hanc promissionem prius scriptam coram testibus verbis ibi prius edicant, & postea super altare ponant.

His expletis, benedicat Abbas cucullam, & exuens puerum cappa, vel pellibus, vel aliqua huiusmodi chlamyde, dicat; *Exuat te Dominus veterem hominem*, ut supra: & induens eum cuculla, subiungat; *Induat te Dominus novum hominem*, & cætera. Dehinc ducatur ad radendum, & vestiendum, sicut nostri ordinis consuetudo est. H Cùm vero adulta ætate facturus professionem fuerit, fiant ei cætera, quæ superiùs debere fieri converso iam diximus. Hoc enim quod modo factum est, iterari non oportet.

CAPVT XVIII.

De Capitulo regulari.

Omni die minimi signi, ad designandum Capitulum, incipiente sono, fratres omnes, qui sedent in choro statim surgere, & versi ad orientem interim debent stare; fratres quoque, qui alicubi in monasterio sunt, chorum intrare. Nullus eorum librũ teneat; nullus in libro aliquid legat, aut inspiciat,

A nullus in claustro pro qualibet occasione tunc sedeat; prædicti signi cessante sonitu, præcedentem Priorem sequantur alij, sicut est ordo conversionis eorum.

Considentibus fratribus in Capitulo, ad nutum ordinem tenentis, petita benedictione, lectis & pronuntiatis, quæ legi & considerari consuetudo est, facto sermone, dicto, *Loquamur de ordine nostro*, si clamatur aliquis, qui commune cum uno, aut pluribus nomen habeat nisi clamans ita discernat & determinet, ut nulla dubitatio possit esse, omnes qui eiusdem nominis sunt, cuius est ille qui clamatur, statim debent surgere, & ad venias humiliter se præsentare, donec clamator determinate eligat, de quo dicat: ipsa autem determinatio ab ordinibus, vel officiis, si possit fieri, debet esse, hoc modo: domnus Eduardus Presbyter, Diaconus Subdiaconus, Secretarius, Magister infantum, vel iuuenum, vel aliquid
B huiusmodi, non Archidiaconus, non Londoniensis, non aliquid cognominatum de sæculo.

f. * clamotem.

Clamator ei super quem * clamatorem facit, in ipso Capitulo iudicium non faciat. Interrogatus more solito, qui prosternitur, ad omnes venias *Mea culpa dicat*, excepto cùm societatem postular, aut obedientiæ absolutionem, aut cùm aliquis frater minimam petit, pro suo propinquo, noviter, & postquam ad ordinem venit defuncto, patre scilicet, matre, fratre, sorore, vel cùm unus, aut plures pro eo, qui in gravis culpæ satisfactione positus est, misericordiam petunt, vel cùm aliquis frater in longum iter profecturus est, aut cùm aliquid magnum, & arduum, & suis viribus impar fratri iniungitur: in his & in huiusmodi, hoc modo respondetur; *Dei misericordiam, & vestram requiro*, & obsecro, & cætera, sicut ratio rei, pro qua petitur, postulat.

Suscepturus iudicium, aut sola grossiori virga super stamineam verberetur, & prostratus iaceat, aut pluribus gracilioribus virgis, & nudus sedeat, utrum-
C que ad arbitrium eius qui præest ordini, considerata qualitate, & quantitate culpæ, dum corporalis disciplina infertur, fratres omnes inclinato capite debent esse, & pio, & fraterno affectu compassionem super eum habere. Interim in Capitulo nemo debet loqui, nemo ad illum aspicere exceptis gravibus personis, quibus licet pro eo intercedere. Clamatus, super eum à quo clamatus est, in ipso Capitulo clamorem facere non licet, disciplinam corporalem inferat, quicumque ille sit cui ab Abbate, vel Priore iniungitur, hoc obseruato, ne infantibus, vel iuuenibus, aut Nouitiis id facere iniungatur: nemo ibi cum uno, aut pluribus secretò loquatur, quicquid quis loquitur a rectore ordinis, & à toto conventu audiatur.

Sermo tantum fit de utilibus, & de iis quæ ad ordinem pertinent, loquente uno taceant alij; verba loquentis nemo interrumpat præter eum qui rector est ordinis, cui licet loquenti præcipere ut sileat, si fortè ei sermo ille superfluus, & inutilis videatur. Rectore ordinis incipiente loqui, etiam si aliquis loquebatur, taceat, & ab omnibus silentium summum
D fiat.

CAPVT XIX.

Si quis Frater altiori gradu donetur.

SI placet Abbati aliquem fratrem pro suis meritis honorare, & considerata personæ eius honestate, in superiori loco statuere, audito, frater ille, ab Abbate sedente in Capitulo, ite superius sedere iuxta illum fratrem: statim surgens ad pedes Abbatis vadat, & postea ad locum ubi ei præcipitur sessum pergat, & ex illa die in monasterio, & processione, & refectorio ipsum locum habeat; laïcum conuer-

E sum beatus Benedictus non præcipit taliter promoueri; Si tamen Abbati promovere eum placuerit, locum, quem in Capitulo suscipit, in refectorio etiam tenebit, in monasterio verò, & processione, super eos conuersos esse iubebitur, quibus frater ille iuxta quem locum habet, prior esse dignoscitur.

Evenire potest cum huiusmodi promotio ordinatur, ut absentes sint aliqui fratres honesti, & bonis actionibus præditi; quibus prior sit frater ille, iuxta quem promotus sedere iubetur; & ideo determinatè opportet ei in Capitulo dici, utrum super ipsos etiam absentes, cum redierint, esse debeat. Ingrediens frater Capitulum loquentibus aliis *Benedicite* dicat. Egrediens vero si est reversurus nec ante & retro faciat, nec *Benedicite* dicat: si non est reversurus utrumque agat.

F

CAPVT XX.

De Confraternitate.

MOnachus petiturus concedi sibi societatem, & beneficium monasterij, introductus in Capitulum, *Benedicite* dicat: deinde prostratus ad gradum ubi consuetudo est, interrogatus, quid dicat? humili & devoto corde in his verbis respondeat; *Peto per misericordiam Dei, & vestram, & omnium istorum seniorum societatem, & beneficium huius monasterij*: quo dicto, respondeat Abbas, *Omnipotens Dominus concedat vobis quod quæritis & ipse præstet vobis consortium electorum suorum.* Postea iussus surgere accedat ad Abbatem, & ab eo per librum regulæ sumat monasterij societatem. Qua sumpta acceptoque ab eo osculo inclinet se ad pedes Abbatis, deinde osculetur omnes fratres in circuitu. Quo facto revertatur ad locum ubi se prostrauit, ibique tres genuum flexiones solito
G more faciat. Fratres vero inclinent ei, dehinc præcipiente Abbate sessum vadat, designato ei prius loco, ubi sedere debeat.

Porrò si Abbas fuerit, ingrediente eo in Capitulum totus conventus ei assurgat, & tamdiu stet, quousque humo prostratus, sicut superius, petitionem faciat, & erectus cum monachis suis societatem suscipiat, eaque suscepta iuxta Abbatem consideat; monachi vero eius societate suscepta, reversi ad locum, ubi se prostraverunt, tres genuum flexiones, sicut superius dictum est, faciant. Egredientes Fratres de Capitulo osculentur Abbas, & monachi eius.

Si maior congregatio fuerit ab osculo cessari potest, quod in multis iam cœnobiis fieri consuevit: si secularis persona fuerit ante Abbatem, vel iuxta Abbatem, si honorabilis persona sit, sedeat; postea ostensâ eius petitione fratribus, per textum Evangelij societatem suscipiat: Dehinc ad osculandum fratres, si mulier non sit, in circuitu pergat.
H

CAPVT XXI.

De disciplina Puerorum.

TAli hora Prior mane ad excitandos fratres sonitum debet facere, ut pueri factis solitis orationibus, in claustro valeant legere. Qui cum legere inchoant altè, quamdiu legunt separati ab invicem ita sedeant, ut alter alterum nec manibus, nec vestibus contingere possit. Infans infanti non signo innuere, non verbo aliquid dicere, nisi vidente atque audiente magistro præsumat; non de loco in quo sedet sine præcepto, vel licentia surgat.

Quocumque pergunt infantes unus magister inter duos infantes sit. Transeuntes ante fratres inclinent fratribus, & fratres eis sedentes tantum; duobus una

laterna

A laterna sufficiat, si tres fuerint tertius alteram portet; si plures fuerint, hoc ordine disponantur.

In nullius manum aliquid dent; de nullius manu aliquid accipiant nisi Abbatis, Prioris maioris, magistri eorum, & hoc non ubique, sed in congruis locis, ubi aliter esse non possit, aut non debeat; Cantor quoque, cum in scholis eorum est, potest librum in quo cantari, aut legi debet, dare eis, & accipere ab eis. Ad altare si serviunt, dant etiam ibi, & accipiunt sicut ordines eorum exposcunt. In Capitulo suo vapulent, sicut maiores in maiori Capitulo.

Confessuri ad Abbatem, vel ad Priorem vadant, vel ad eos, quos specialiter in Capitulo destinaverit Abbas, dum confitetur unus, sedeat alter in suppedaneo, magistro eorum extra Capitulum sedente in proximo.

Si post versum, qui ante cibum dicitur, ingrediuntur B refectorium, vel post *Gloriam* primi Psalmi ad horas intrant chorum, ipsi quidem ad loca sua vadant, solito more inclinent, magister vero eorum ad loca, quæ tardantibus instituta sunt, eat.

Puero, qui ante mensam Abbatis servit, abstinentia cibi, vel potus sine eius præcepto minime iniungatur. Quod si præcipiente eo iniungitur, aut ei indulgeatur, aut interim à mensa Abbatis removeatur. In choro præsente Abbate nisi præcepto eius nullus eos percutiat, nullus exuere faciat. Absente eo cantor de iis, quæ sui officij sunt, eos castiget. Prior vero de cæteris, in quibus se leviter habent. Vbicumque sint præter personas superius designatas, nullus eis signum faciat, nullus arrideat.

In scholam eorum nullus ingrediatur, nullus cum eis alicubi loquatur, nisi sibi ab Abbate, vel Priore ingrediendi, vel loquendi licentia concedatur.

Meridianis horis in lectis suis nunquam legant, nihil aliud ibi agant, sed cooperti tantum quiescant; C unus, super alios magistros, sit magister eorum maturus, & discretus, qui auditis clamoribus culpas delinquentium moderata discretione sciat vel punire, vel indulgere. Collocatis in lectis suis assistant magistri dum sint cooperti, in nocte cum accensis candelis.

Iuvenes tam nutriti quam de sæculo venientes, qui magistris custodiendi commendantur, in multis sicut infantes, de quibus superiùs dictum est, custodiantur. Remoti, ut supra, à se invicem sedeant; extra locum custodiæ suæ sine custode nusquam procedant; duo, & duo laternas ferant; Abbati, vel Priori, & nulli alij, nisi specialiter designatum sit confessiones suas faciant. Meridianis horis in lectis suis non debent legere; non scribere; non quippiam operis facere; sed cooperti tantum quiescere; lectos suos ante vel inter lectos magistrorum habere. Si necesse habent surgere, priùs magistros excitent, & postea accensa laterna, si nox est ad necessitates suas explendas cum magistria ambulent.

Præter Abbatem, Priorem, magistrosque eorum, D nulli liberum sit in loco custodiæ eorum deputato, sedere, nec verbo, nec signo aliquid eis innotescere, nisi accepta licentia ab Abbate, vel Priore: Quæ licentia cum conceditur, magister sedere debet inter iuvenem, & eum, qui iuveni loquitur. Iuvenis cum iuvene non loquatur, nisi audiente, & intelligente magistro quid utrimque dicatur. Magistri inter eos sedeant, vel ante illos, sic ut eos cum volunt conspicere valeant.

Cum dormitum vadunt tandiu stent ante ipsos magistri usque dum ipsi iuvenes in lectis iaceant cooperti. Si nox est cum candelis accensis assistant; In Monasterio, Capitulo, Refectorio, Processione mixti sint senioribus, non observato, si necesse sit, ordine conversionis eorum. Si ad mensam legunt, vel de coquina serviunt, surgentibus à mensa fratribus cum eis ad monasterium vadant, & dicto, *Et ne nos*, cum custodibus ad Refectorium revertantur; duo simul, aut E plures si fieri possit de conventu remaneant. Quod si paucitas maiorum, & pluralitas iuvenum aliter agendum cogerit, sufficientes eis custodes deputentur.

Porrò, si custodia illa iuvenum, quæ in nonnullis cœnobiis tenetur, magis placet, ut videlicet in diversis, ac separatis ab invicem locis per claustrum sedeant, singuli singulos, aut plures, si tanta copia est, custodes habeant; singuli singulas laternas in noctè ferant. Custos iuvenem non relinquat nisi commendatum alicui fratri, in quo, & de quo bene confidat. Omnis denique custodia ei adhibeatur quæ superiùs descripta est.

CAPVT XXII.

F *De misericordia concessa debilibus.*

FRater aliqua sui corporis incommoditate detentus, si conventum sequi non potest, humiliter priùs in Capitulo petita venia, iussus surgere stans fateatur se non posse conventui interesse propter infirmitatem suam. Cui respondet Abbas, vel qui loco Abbatis ordini præsidet: *Omnipotens Dominus concedat vobis utilem sanitatem, sicut vobis expediri cognoscit. Amodo tractate vos, secundum infirmitatem vestram, & remanete de conventu; sicut vobis melius visum fuerit.*

Si ægritudo adeò invaluerit, ut in conventu remanere non possit, præcipiat Abbas fratri, cui huiusmodi cura imposita est, ut ducat ægrum in cellam infirmorum; in qua domo serviatur ei secundùm loci possibilitatem, tam de communibus cibis, quam de esu carnis, ut nullius rei, si fieri possit, indigentiam patiatur. Ex quo carnem comedere incipiet, quocumque perget caput opertus capitio, & baculo se sustenG tans incedere debet.

Qua vero die sanitate recepta ad conventum redire voluerit, si carnem comederit, prima rasura, ad horam, quæ ante Capitulum cantant, chorum introëat, & si post ipsam horam in conventu Missa dicitur, ad ipsam non offerat. Ingressus Capitulum; cum indictum fuerit de ordine loqui, primus surgat, & in loco ubi consuetudo est prostratus veniam petat. Interrogatus, & respondens ut fieri solet, iussus surgere hæc vel similia verba dicat, *Domine infirmitate mea gravatus in domo infirmorum diu fui; in cibo, & potu, & aliis multis offendi, & contra ordinem nostrum feci, & inde peto absolutionem vestram.* Hoc dicto absolvat eum Abbas dicens: *Omnipotens Dominus absolvat vos ab his, & ab omnibus aliis vestris delictis.* Conventu respondente, *Amen*, offerat se frater ille ad pedem Abbatis; Postea reversus ad locum ubi se prostravit gratias referens Abbati, & toti conventui, quia ministrata sunt ei, quæ infirmitati suæ fuerunt necessaria, tres genuflexiones solito more faciat. Ipsa die, & deH inceps quantum opus fuerit iubeatur mixtum accipere.

Si vero carnem non comedit, in dispositione Abbatis sit, qua hora in conventum petita licentia redire, & quomodo se de cætero habere debeat.

CAPVT XXIII.

De ægrotantibus morti proximis.

SI infirmus magis ad mortem, quam ad salutem tendere videatur, & se petat inungi, frater qui domui infirmorum præest rem fratribus in Capitulo narret; tunc iubente Abbate, vel qui loco Abbatis in Capitulo sedet, exeant Sacerdos hebdomadarius, Secretarius, quatuor conversi, & parent quæ ad huiusmodi negotium parari opportet.

Quibus

A Quibus paratis, expletisque quæ in Capitulo agi ordo requirit, exeuntes de monasterio transeant ante Capitulum, hoc ordine procedentes; primus ex conversis unus cum situla aquæ benedictæ, dehinc alius cum cruce, post hos duo cum candelabris, extremi Secretarius cum oleo; & Sacerdos alba indutus, & stola, cum manipulo portans librum.

Istis transeuntibus surgens conventus, percussáque tabulâ, si dies talis est, egrediens de Capitulo iungatur eis, & psallentibus septem Psalmos ad ægrum veniant, & ordinatè circumstent, sicut locus, in quo iacet, fieri permittit. Primùm spargatur aqua benedicta, dehinc finitis Psalmis sequatur *Kyrie eleison*, & capitula, & collectæ, quæ ordinatæ sunt usque ad confessionem; facta confessione absolvatur ab omnibus, & ipse absolvat omnes. Dehinc osculetur ab omnibus. Interim dicantur aliæ collectæ usque ad unctionem, facta unctione, lavet sacerdos manus, & proiiciatur aqua in ignem, vel in sacrarium deferatur. Quo B facto dictis collectis quæ sequuntur, vadat Sacerdos, præcedentibus duobus conversis cum candelabris * vadat & tertius ad thuribulum deferendum. Quibus revertentibus flexis genibus adorent omnes Corpus Domini quod à sacerdote affertur. Quo allato, abluto prius ore eius, communicetur infirmus, nisi forte ipsa die communicatus sit.

* Deest ad & elafi con pro comerabilis Sacramento: vel quid similiter

Si fratres ipsa die post capitulum psallentes, *Verba mea*, in monasterium ituri sunt, expletis in choro Psalmis, dictáque collecta, paratis ante maius altare, quæ supra dicta sunt, exeant, & sequantur eo ordine quo superius indicatum est. Quod etiam finitis quibuslibet horis à prima usque ad completorium observandum est, si necessitas vrgeat non expectare capitulum. Porrò si nec hora ipsa, quâ percantatâ id fieri debet, expectari potest, disponat Abbas, vel Prior sicut melius possit, quia necessitas lege non tenetur. His expletis revertatur conventus in claustrum. Sed infantes minimè ingrediantur, ad tenendum suum capitulum. Ab hac die nisi melioretur infirmus carnem non come- C dat.

Quotidie istud pro eo servitium impendatur: Ad Missam matutinalem collecta, *Omnipotens sempiterne Deus salus æterna credentium*, cum cæteris duabus. Aliquando si dies vacuus fuerit ipsa matutinalis Missa pro eo canatur: ad maiorem Missam post *Sanctus* Psalmus primus, *Domine ne in furore tuo* ab vnoquoque sub silentio dicatur, *Kyrie eleison: Pater noster: Salvum fac servum tuum: Mitte ei Domine auxilium de sancto. Omnipotens sempiterne Deus salus æterna credentium.* Et hoc tamdiu agatur quousque ad sanitatem redire videatur.

Porrò si ad sanitatem minimè redire, mortique potius appropinquare dignoscitur, ex quo certa in eo mortis signa apparere incœperint, sine duobus fratribus esse non debet, qui diebus, & noctibus quamdiu intellectum tenet legant coram eo passiones Domini, & Evangelia, & cùm intellectu privatus fuerit, quamdiu supervixerit, psalterium ex ordine decantare non cessent. Et sic ordinetur ut discedentibus duobus, succedant duo alij, horas verò regulares ibi dicant: D ægro autem in agonia posito, & iam iam si ita visum fuerit morituro, famulus, qui ad hoc deputatus est, cilicium expandat, & supra illud ad mensuram longitudinis, & latitudinis, quam ipsum cilicium habet, signum crucis de cineribus faciat: morientémque fratrem desuper ponat. Cui postea indesinenter assidens studiose consideret, qua horâ exitum eius conventui debeat indicare.

Cúmque eum iam in exeundo viderit laborare, gestans manu tabulam ad ostium claustri currat, ictúque creberrimo acriter eam ibi percutiat, quousque in conventu auditum esse cognoscat. Quo percepto sonitu si ad maiorem, vel minorem Missam, vel ad regularem horam fuerint, remanentibus in choro infantibus cum magistris suis, & aliquibus fratribus, quibus iussum fuerit, reliqui omnes ad ægrum currant, & mediocri voce canentes *Credo in unum Deum*, ad eum veniant: E fratres vero qui remanserunt, expleto quod cœperant, eodem modo currentes, & canentes ad morientem properent: ubicumque verò alias, vel quocumque alio negotio occupatos prædictus sonus invenerit, sine aliqua excusatione, vel mora similiter currentes, & *Credo in unum Deum* canentes; ad ægrum veniant. Quo pervenientes, & *Credo in unum Deum* communiter explentes; canant septem Psalmos Pœnitentiales sine *Gloria Patri*. Quibus expletis subiungat Sacerdos capitulum *Parce Domine, parce famulo tuo, quem redimere dignatus es pretioso sanguine tuo, ne in æternum irascaris ei.* Hoc tertiò à sacerdote dicatur, & per singulas vices à toto conventu repetatur: deinde sequatur Litania, quæ solet, quam protrahi, vel breviari oportet, secundum quod fratris exitus visus fuerit admonere; si autem, ut aliquando fit, Litania expleta nondum migraverit, conventus discedat, aliquibus fratribus, F quibus iussum fuerit, ibi remanentibus, qui psalterium ex ordine psallere incipiant. Cùm autem venerit hora, vt iterum vocari debeant, supradicto modo vocentur, & veniant.

Egressâ iam de corpore animâ, tribus vicibus, cum parvis intervallis, pulsentur signa, Cantor incipiat responsorium *Subvenite sancti Dei*. Quo cum versu, & regresso expleto, subiungat Sacerdos, *Proficiscere anima Christiana*. Quo dicto incipiant commendationem animæ; dictâque primâ collectâ, *Tibi Domine commendamus*, sacerdote, & conventu prosequente cætera, portetur corpus ad lavandum, ab his de quorum ordine fuit, id est sacerdos à Sacerdotibus, Diaconus à Diaconis, & sic in reliquis ordinibus, conversus à conversis; infans tamen non ab infantibus, sed à conversis.

Hi verò sunt qui lavare non debent corpus defuncti: Sacerdos Hebdomadarius, & reliqui ministri qui circa altare serviunt, & vasa sacrata contrectant. Hebdomadarij coquinæ, Cellerarij, Refectorarij; dum la- G vatur corpus, Camerarius præsto esse debet, habens vestimenta idonea, & fila, & acus ad consuendum, & cætera quæ sui officij sunt, & suo operi necessaria. Inter lavandum circumcinctus sit staminea, qua indutus antea erat, circa pudendas sui corporis partes.

Lotus autem vestiatur staminea nova, vel noviter lota, & cuculla, & in capite eius ponatur sudarium, in modum caputij de staminea factum; huic superducatur caputium cucullæ, & cum filo in tribus locis annectatur. Calcietur caligis supradicto panno factis, usque ad genua attingentibus, & nocturnalibus. Manus cucullâ sint copertæ. Cuculla hinc & inde consuatur, & circa crura similiter: nocturnales, alter alteri filo connectantur: taliter paratum corpus feretro imponatur, & pallio cooperiatur.

Quo expleto, expletisque quæ in conventu dici cœperant, percutiat Prior tabulam vno ictu. Quo audito inclinati fratres dicant *Pater noster*. Sacerdos circa corpus aquam benedictam spergat, & incenset. Dehinc dicat; *Et ne nos*; *A porta inferi*: Postea colle- H ctam. His ita gestis pulsentur signa: Cantor incipiat responsorium, *Subvenite sancti Dei*; Et præcedentibus his, qui situlam cum aqua, crucem, candelabra, thuribulum portant; sequentibus infantibus, & reliquo conventu, extremis eis qui corpus lavarunt, & portant, veniant in Ecclesiam: positóque corpore in loco, vbi poni solet, cessent signa, figatur crux ad caput eius: ponantur duo candelabra, unum ad caput, & alterum ad pedes, cum cereis desuper accensis, qui continuè ibi ardeant usquequo ad sepulturam deferatur. Finito cantu inclinati dicant *Pater noster*, Sacerdos, *Et ne nos: A porta inferi*, collectam sicut superiùs dictum est. His peractis si sonitus tabulæ de refectorio fratres adduxerat, ablutis manibus ad refectorium revertantur, perficiántque quod imperfectum remanserat, remanentibus cum corpore aliquibus fratri-

A bus, quot, & quibus iniunctum fuerit, qui psalmos ibi interim canant, nunquam enim sine psalmodia corpus esse debet, excepto quando in choro aliquid communis officij celebratur.

Conventus in die circa corpus semper debet esse, nisi quando canunt horas, vel Missas, vel processionem circa claustrum, vel extra claustrum, si ita contingat, faciunt, vel in capitulo sunt, aut in refectorio, aut in dormitorio meridianis horis, & tunc tantum deputentur aliqui fratres, qui ibi remaneant, Psalterium ex ordine psallant, commendationem animæ agant, Vesperas, vigilias, cum laudibus, *Verba mea*, & hæc eadem frequenter.

Nocte vero post completorium, incipiens primam vigiliam dexter chorus faciat, secundam sinister, per- B solventes vtrique supradicta obsequia, provt quantitas noctium fieri permiserit, hoc observato diligenter, ne vtrique Priores in vna vigilia deputentur. Circa finem primæ vigiliæ caeat Prior ferens absconsam, & vadat in dormitorium, excitetque fratres, qui secundam vigiliam facturi sunt. Post matutinas laudes, dictis in choro, quæ dici ordo deposcit, quicquid superest noctis infantes cum magistris canendo expendant, intersint quoque infirmi illi, qui in domo infirmorum assidue conversantur, & facultatem hoc faciendi habere videntur.

Cæteri vero fratres in lectis suis quiescant vsquequo facto mane surgentes, calciati, loti, & pexi, factisque orationibus aggregentur & ipsi ad corpus. Quibus aggregatis pergant infantes se calciare, lavare, & pectere, solitasque orationes facere, & post accedant & ipsi, & hoc fit si dies talis sit, vt post matutinas laudes, ad lectos redire fratribus licitum sit.

In hieme vero, quando internalla sunt, si post litaniam aliquid superest noctis, licet prædictis reliquis fratribus in lectis suis vsque ad diem quiescere, vestiti tamen, & calciati quiescant.

C Infantes sicut superius dictum est, cum magistris & infirmis suam circa corpus agant vigiliam. Ea autem horâ, postea omnes calcient se, & lavent, & pectinent, solitasque orationes faciant, quas ordo illius temporis poscit. Sedentes psallant nisi ad *Magnificat*, & ad *Benedictus*, Tunc enim stare debent; *Ad Pater noster*, & ad collectas quas Sacerdos dicit inclinati sint super genua sua. Si ante nocturnas viligias frater obierit, tanta iam noctis parte transacta, vt duas vigilias facere commodum non sit, locato in Ecclesia corpore, fratres omnes vigilantes & psallentes ibi remaneant: infantes cũ magistris suis, dormitũ in dormitoriũ redeant.

Quamdiu corpus super terram est, nullus in claustro loquatur: Tabula tamen si dies talis sit, in capitulo pulsetur, & *Benedicite* dicatur, sicut aliis diebus: si tamen ipsa die post capitulum sepeliri debet, priusquam sepeliatur nulli liceat extra claustrum monasterij exire, nisi tam prope sit locus, vt ad sepeliendum fratrem possit redire.

Omnes. qui possunt, ipsa die pro eo missam celebrent. Missa matutinalis, pro eo festivè agatur, etiamsi D dies præcipuæ festivitatis sit. Ad quam quotiens Diaconus incensat altare, ad corpus quoque incensandum cum thuribulo debet accedere.

Facto in capitulo sermone absoluat eum Abbas, vel qui ordini præest. Deinde præcipiat pro eo celebrari triginta diebus triginta missas, singulis videlicet diebus singulas missas, præter eas, quæ in conventu celebrandæ sunt, ita vt nullus præterea dies quo missa pro eo non celebretur, nisi parasceue sit, aut sabbatum sanctum; & qui inchoat non ipsa die qua sepelietur, sed in crastino inchoare debet.

Celebratis quisque sibi iniunctis missis ipso die id in capitulo dicat, quatenus alij, qui subsequi debeat, ibidem Abbas vel Prior idem iniungat. Ipso die infantes suum capitulum non teneant.

Quacumque hora. per totam diem, post sonitum, quem Prior ad excitandos fratres mane facere solet, frater moriatur, sepultura eius vsque post crastinum E capitulum differatur, nisi rationabilis causa exstat, quæ vel post maiorem Missam, vel post nonam sepeliri eum suadeat: & maximè si ante horam quæ vel æstate, vel hieme ante capitulum dicitur, mori eum contingat. Quod cùm accidit præter servitium quod pro mortuo fratre facere solent fratres, integrum psalterium, cum integra mortuorum psalmodia, pro eo singulis est fratribus iniungendum.

Si ante nocturnas vigilias moritur, subsequente similiter die post capitulum sepeliatur. Si inter ipsas vigilias, vel postea ante prædictum sonitum de hoc sæculo migret, post maiorem Missam tradi eum sepulturæ oportet. Si festiuitas duodecim lectionum, aut trium, in qua in claustro minimè loquantur fratres, ipsa die fuerit, post capitulum celebretur pro eo missa F matutinalis festiuo more, sicut superius dictum est.

Dehinc dicta Tertiâ, Missaque maiore, pergant ad sepeliendum fratrem. Ad quem accedentes sive de capitulo, sive de choro exeant, canendo *Verba mea* ad corpus veniant: Interim pulsetur tribus vicibus vnum de maioribus signis, vt si qui forte absunt ad hunc sonum sine mora conveniant.

Secretarius Abbati, & Priori, & Sacerdoti, qui obsequium facturus est, cereos distribuat, candelas reliquis fratribus, magister infantibus.

Sacerdos indutus sit alba, cum stola, & manipulo, & in albis duo fratres ex iis, qui antea lauerant mortuum. Albæ verò sint ad huiusmodi negotium specialiter deputatæ.

Ij qui portant situlam cum aqua benedicta, crucem, candelabra, thuribulum, stent hinc, & inde, ad caput defuncti, reliquus conventus ad dexteram, & ad sinistram, sicut est ordo eorum.

Sacerdos adueniens priùs aspergat corpus aqua benedicta, dehinc accedens ad caput defuncti stet ita vt prædictos portitores ad dexteram suam, & sinistram habeat. Accedant duo Cantores, & stantes inter altare quod ibi situm est, & corpus, dicant, *Kyrie* G *eleison, Christe eleison, Kyrie eleison*. Conventu duo priora repetente, & vltimum *Kyrie eleison* cum eis dicente. Postea Sacerdos humiliter inclinatis omnibus, dicat collectam, *Oremus: Non intres in iudicium*; Qua dicta, prædictis cantoribus incipientibus, canatur responsorium cum versu; *Qui Lazarum*, Quod dum canitur, incenset Sacerdos altare, quod ibi est, & corpus. Hoc agatur secundo, & tertio, excepto quod aliæ collectæ, & alia responsoria dici debent, sicut in libris, vbi actio huius officij est ordinata, continetur.

Finitis versibus tertij responsorij, quod Cantor præcepit, repetatur à capite responsorium: quo percantato roget Sacerdos pro eo orari, ita dicendo; *Pater noster, Et ne nos: Non intre. A porta inferi: Dominus vobiscum. Oremus Inclina Domine aurem*; & reliqua.

His ita peractis cantore incipiente Antiphonam: *In paradisum*: exeant canentes Psalmum, *In exitu Israel*: Præcedant prædicti portitores aquæ, crucis, candelabrorum, & thuribuli, Sequantur Sacerdos, & Can- H tor cuius officij specialiter interest omni sollicitudine providere, ne in hoc obsequio aliqua possit negligentia euenire. Post hos procedant infantes cum magistris suis, dehinc reliqui fratres; extremis prioribus, præcedentibus iunioribus, sicut est ordo eorum conversionis. Post omnes veniant qui corpus portant, hi vero sint, si commodè fieri possit, qui lauerant illud, adiuuantibus eis, si opus fuerit, aliis fratribus, quibus Abbas, aut Prior, præcepit. Cum exire incipiunt, pulsentur signa vsquequo corpus collocatum sit in sepultura.

Cum verò ad sepulturam peruenerint stent ordinatè hine, & inde, sicut in choro stare solent. Sacerdos stet inter duos choros, non longe à sepultura; ad dexteram eius, & ad sinistram, qui portant aquam, & crucem, & cætera de quibus superius dictum est;

A dicta collecta, *Pia recordationis affectu*: accedat Sacerdos, & aspergat sepulchrum aqua benedicta, & imposito thure tribuat thuribulum uni eorum, qui albis induti illuc descenderant, & incensetur sepulchrum. Deinde dicta collecta, *Obsecramus misericordiam tuam*, duo ex fratribus qui foris sunt pallium desuper extendant, alij duo, corpus de feretro accipientes, illis tribuant, qui in tumulum descenderant. Illi diligenter illud in sepulchro componant, & absolutionem scriptam, & fratribus lectam super pectus eius ponant, & operiant, & statim exeuntes, & ad monasterium revertentes, exuti albis, & induti vestibus suis, ad conventum redeant. Corpore in sepultura posito, protinus extinguantur candelæ, & cessent signa.

Expletis reliquis, sicut in codice, in quo hoc officium ordinatum est, reperitur, revertantur canentes
B septem Psalmos Pœnitentiales: Sacerdos præcedens infantes cum ad monasterium venerit, divertat in vestiarium, & deposita alba, & manipolo, atque indutus vestibus suis, revertatur in chorum, & prostratus cum cæteris prostratis, quod reliquum est de Psalmis dicat. Quibus dictis subiungant, *Requiem æternam dona eis Domine: Pater noster*; *Et ne nos*; *A porta inferi: Dominus vobiscum*: Collecta *Satisfaciat tibi Domine Deus noster*: post hæc revertantur in claustrum, & dicto ab infante *Benedicite*, loquantur in claustro, si dies talis, & hora sit. Septem plena officia pro eo in conventu agant: triginta diebus *Verba mea*: & ad omnes horas *Voce mea*, pro eo dicant: singulariter unusquisque quantum Abbas præcepit pro anima eius faciat: quoque diebus, aut pluribus, si Abbas ordinaverit, panem unum cum potu, & regularibus cibis eleemosynarius accipiat.

C

CAPUT XXIV.

De Morientibus extra Monasterium.

SI frater extra monasterium de hac vitâ migraverit, nec fratres secum fuerint; qui eum abluant, cæteraque quæ superius dicta sunt circa eum adimpleant, deportatus ad monasterium in feretro, quod sibi præmitti debet, cum pallio per portas curiæ iningrediatur, & cooperante fratre, cui infirmorum cura commissa est, in domo infirmorum deponatur, quo deposito famulus, ut solet, ad ostium claustri veniat, tabulam percutiat, conventus adveniat, fiantque cætera, ac si de hac vita migrasset in eadem infirmorum cella; excepto quod non dicitur *Proficiscere anima Christiana*.

Porrò si fratres secum fuerint unus aut plures, factaque sunt ea quæ in tali negotio fieri oportet, pro-
D cedat ei conventus obviam per maiores portas monasterij, psallendo hos Psalmos, *Miserere mei Deus secundùm*: *Deus in nomine tuo*: *Miserere mei Deus, miserere mei*: *Ad Dominum cùm tribularer*: & qui sequuntur donec ad corpus perveniant. At ubi pervenerint faciant stationem versi ad alterutrum; Sacerdos alba indutus, & stola, accedat & aspergat corpus aqua benedicta, & incenset: deinde moneat, ut orent pro eo, dicendo, *Pater noster*, *Et ne nos*; *Non intres in iudicium*: *requiem æternam*: *A porta inferi*: *Dominus vobiscum*: *Oremus*: Collecta; *Suscipe Domine animam servi tui*. Aliam, *Suscipe Domine servum tuum*. Inde revertantur Cantore incipiente Responsorium, *Subvenite*. Dum intrant in Ecclesiam pulsentur omnia signa, & deponatur in loco in quo cæteri fratres deponi solent, & agantur cætera quæ agerentur si in domo infirmorum mortuus, & de illa domo illuc deportatus fuisset.

Quacumque horâ, ex quo infantes mane incipiunt legere usque ad collationem, de monacho Congregationis alibi defuncto, atque sepulto, vel sepeliendo certus nuntius, aut Brevis ad monasterium venerit; si fratres non sunt in Capitulo, aut in Refectorio, aut in dormitorio meridianis horis, aut si in monasterio, vel extra monasterium non intersint alicui obsequio, quod deseri, & imperfectum relinqui commodum non sit, statim Prior tabulam percutiat, & residentibus in capitulo fratribus, fratris obitum nuntiet; & subiungat, *Eamus & faciamus ei quod iustum est, & nostri ordinis consuetudo habet*: & surgentes, & *Verba mea*, canentes sonantibus signis in chorum veniant, expletisque inceptis Psalmis cum collecta, vesperas Mortuorum, & officium cum novem lectionibus, & laudibus dicant, accensis ante altare duobus luminaribus: Missa matutinalis pro eo festivè dicatur, nisi dies dominicus aut magna solemnitas sit. Quod si evenerit, in alium diem differatur. Post hæc in primo Capitulo absolvatur. E F

Continuatio triginta Missarum, si in eo loco, ubi mortuus est, non fit, pro eo iniungatur, fiantque cætera, quæ pro fratre congregationis in congregatione defuncto fieri solent.

Pro Cellerario.

P*Ater noster*; *Et ne nos*; *Salvum fac servum tuum*: *Mitte ei Domine auxilium de sancto*; *Dominus vobiscum.*

Oremus.

O*Mnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo N. & dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ: ut te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum Amen.* G

* * *

Finis Statutorum D. Lanfranci.

H



BEATI LANFRANCI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI,

Et totius Angliæ Primatis.

EPISTOLARUM LIBER.



EPISTOLA PRIMA.

Summo Sanctæ Ecclesiæ Pastori ALEXANDRO Papæ LANFRANCUS indignus Antistes canonicam obedientiam.

ARGUMENTUM.

Orat ut onus Episcopale quod ipsius maximè imperio coactus susceperat, ab humeris sua eximi iubeat: excusátque se quòd Romam præfixo tempore non venerit.

Nescio cui aptiùs calamitates meas explicem, quam tibi, Pater, qui ipsarum mihi calamitatum causa existis: nam cum de Beccensi congregatione, in qua habitum religionis assumpsi, à Principe Normannorum WILLELMO abstractus, Cadomensi præessem cœnobio, imparque existerem paucorum regimini monachorum, incertum habeo, quo iudicio Omnipotentis Dei factus sum, te cogente, speculator multorum, numeróque carentium populorum. Quod cùm præfatus Princeps iam Rex Anglorum factus, multis, variisque modis laboraret efficere, cassatis tamen laboribus suis à me nullo modo potuit impetrare, quoadusque legati tui HERMENFREDUS videlicet Sedunensis Episcopus, atque HUBERTUS Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis in Normanniam venerunt, Episcopos, Abbates, eiusdémque patriæ nobiles convenire fecerunt; atque in eorum præsentia, ut Cantuariensem Ecclesiam regendam susciperem, ex Apostolicæ sedis authoritate præceperunt: adversus hoc imbecillitas mearum virium, morúmque indignitas prolata in medium nihil profuit, excusatio incognitæ linguæ, Gentiúmque Barbararum, nullum apud eos locum invenire prævaluit. Quid plura? assensum præbui, veni, suscepi, in quo tot molestias, tot tædia, tantúmque ab omni ferè bono defectum mentis quotidie sustineo, tot aliorum in diversis personis perturbationes, tribulationes, damna, obdurationes, cupiditates, spurcitias, tantúmque sanctæ Ecclesiæ casum incessanter audio, video, sentio, ut tædeat me vitæ meæ, doleámque plurimùm me usque ad hæc tempora pervenisse. Mala siquidem sunt, quæ in præsenti cernuntur, multò verò deteriora ex istorum consideratione in futuro coniiciuntur.

Abbas Cadomensis B.L.l.15. cap.

Legati Hermẽfredus Episcopus Sedunẽsis, & Hubertus Cardinalis.

Et ne diu Celsitudinem vestram multis, magnísque negotiis occupatam prolixæ orationis ambitu protraham, rogo, quatenus propter Deum, & animam vestram, sicut vestrâ, cui contradici fas non fuit, me authoritate alligastis, sic quoque alligatum, abrupto per eandem authoritatem huius necessitatis vinculo, absolvatis, vitámque cœnobialem, quam præ omnibus rebus diligo, repetendi licentiam concedatis: nec in huius rei spetni petitione debeo, quam tam piè, tam necessariè, tam iustis ex causis concedi mihi à vobis deposco.

Meminisse siquidem debetis, nec tradi oblivioni oportet, quàm benignè vestros consanguineos, aliósque à Roma scripta deferentes, in præfatis adhuc cœnobiis constitutus sæpe recepi, quàm studiosè eos pro captu meo, ingeniique ipsorum, tam in sacris, quam in sæcularibus literis erudivi, ut taceam multa alia, in quibus vobis, vestrísque Antecessoribus, pro rerum, ac temporum qualitate, nonnunquam servivi. Nec hoc iactando, aut improperando, teste conscientia, dico; nec favorem gratiæ vestræ, quasi prolatis obedientiæ meæ obsequiis, solito maiorem captare * requiram: hoc tantùm studeo, harúmque literarum is * solùm meus finis est, ut congruam rationem, iustámque causam possim ostendere, qua id quod peto à vestra munificentia, Christo aspirante, valeam obtinere.

al.* requiro. al.* solùmmodò.

Quod si fortassè considerata aliorum utilitate secùs agendum mihique id denegandum esse decernitis: valde vobis cavendum, atque timendum est, ne unde vos mercedem habere apud Deum existimatis, inde (quod à vestris actibus semper procul sit) peccati periculum incurratis. Nullus est enim à me, aut per me in hac terra animarum profectus, aut si ullus existit, tam parvus est, ut detrimentis meis comparari non possit. De his hactenus.

Cæterùm quando Romæ fui, vestrámque faciem videre, vestróque colloquio frui, divina gratia concedente, promerui, rogastis me, quatenus in sequenti anno circa Nativitatem Christi ad vos venirem, vobiscum in palatio vestris stipendiis tribus, aut eo amplius mensibus moraturus: verùm hoc sine magna rerum, corporísque incommoditate me facere non potuisse testis mihi est Deus, testes Angeli eius. Cur autem non potuerim, plures, variæque causæ effecerunt, quæ Epistolari brevitate pro sui prolixitate comprehendi non possunt; sed si superna Maiestas vitam mihi, atque incolumitatem cum rerum commoditate concesserit, sanctos Apostolos, & Vos, sanctámque Romanam Ecclesiam visitare desidero: quod ut fiat rogate obsecro divinam clementiam, quatenus Domino meo Regi Anglorum longam vitam concedat; pacémque ei de omnibus sibi adversantibus faciat, cor eius ad amorem suum, & sanctæ Ecclesiæ, spirituali semper devotione compungat. Eo enim vivente pacem qualemcumque habemus, post mortem verò eius, nec pacem, nec aliquod bonum nos habituros speramus.

EPISTOLA II.

Universæ Christi Ecclesiæ summo Rectori ALEXANDRO indignus Anglorum Archiepiscopus LANFRANCUS finem inferre bonum bono principio.

ARGUMENTUM.

De Hermano Episcopo, quòd senili ætate, prolixáque ægritudine confectus impar tum oneri videatur: & de Lichfeldensi, qui Episcopatu se abdicavit, an eius consecrationem permittere debeant, qui illius loco est subrogatus.

Necessitate urgente expectare non potui quoadusque redirent, quos ad vos transmisi, priores

A

al. * nostri.

legati * vestri; HERMANUS siquidem nostræ regionis Episcopus, qui tempore venerandæ memoriæ LEONIS Papæ Antecessoris vestri relicto Episcopatu monachicam vitam petiit? nunc iterum hoc idem facere omnibus modis petit: & nisi ego censura canonica obstitissem, iampridem aut Regi Episcopatum reddidisset, aut clam ad monasterium confugisset. Et quidem dum vitili robore atque iuventa viguit scientiâ divinarum atque mundanarum rerum prædictus, ad pastorale officium satis utilis persona extitit, sed iam senili ætate, prolixaque ægritudine confectus debito officio curam impendere ulteriùs non valet. Nec existimet sancta, colendaque Beatitudo vestra, quòd aut quibuslibet iniuriis lacessitus, aut regalibus angariis ultra vires prægravatus, hoc facere velit: Deum omnipotentem, dulcissimamque gratiam vestram testor, quod

B

nec in verbis eius dum familiari colloquio consilium animæ suæ à me quæreret, suasque mihi negligentias confitendo aperiret, deprehendere id valui; nec à quoquam hominum tale aliquid unquam de eo audivi, sed sicut puto, & revera est, exactis in hac vita compluribus annis iam tandem proximus morti, priusquam moriatur, à vinculis, ac mole tanti oneris desiderat absolui, ac liberari, & in extremo saltem vitæ suæ Psalmis, Hymnis, Orationibus, Lectionibus occupari.

Propterea Apostolicæ sedis celsitudinem consulendam putavi, quatenus ab ea instructi certissimè teneamus, quid in tam excellenti, tamque necessaria concedere, vel facere debeamus. Nec id differri oportet, quia valde timendum est (nisi solertia vestra provideat) ne eius corporalis incommoditas multis animabus causa perditionis existat. De hac re ista sufficiant.

C

Lichfeldensis Episcop. multis criminibus obnoxius.

Lichfeldensis verò Episcopus, qui apud Legatos vestros de incontinentia carnis, (cui uxor publicè habita, filiique procreati testimonium perhibebant) aliisque criminibus accusatus, ad Synodum tamen eorum venire noluit: unde & prædicti legati vestri eum excommunicaverunt, Regique substituendi successorem (ut dicitur) licentiam concesserunt. In Paschali solemnitate ad curiam venit, de illatis culpis causam inire noluit, Regi in conventu Episcoporum, atque Laïcorum Episcopatum reddidit, se ampliùs non habiturum, nec successori calumniam, aut damnum illaturum iureiurando spontaneâ voluntate firmavit; dehinc ad monasterium, in quo ab infantia nutritus monachus fuerat, repedavit. Ego * tum novus Anglus, rerumque Anglicarum, nisi quantùm ab aliis accipio, adhuc penè inscius, in locum eius non præsumpsi, vel Episcopum consecrare, vel consecrandi licentiam aliis Episcopis dare, quoadusque præceptio vestra veniat; quæ in tanto negotio, quid oporteat fieri, informare nos debeat: ne id quoque differat paternitas vestra, quia diu est, ex quo illa miserrima Ecclesia Pastore est destituta. Omnipotens Dominus det nobis semper audire de vobis, quod audire * cupimus, & audire desideramus, diligende, colende, & Reverende Pater.

B. Lanfrancus recens in Anglia.

al. * tamen.

D

al. * cupimus.

***

E

EPISTOLA III.

Domino totius Christianæ religionis summo speculatori ALEXANDRO Papæ LANFRANCUS sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ Antistes, debitam cum omni servitute obedientiam.

ARGUMENTUM.

F

Eboracensis Ecclesia adversus Cantuariensem controversiam promit, quo pacto in Vuentano conventu tractata, & conclusa fuerit; præscriptaque sibi iuxta illam concordia mittens exemplum petit, ut privilegium Apostolicum indulgeat; commemoratis dein Pontificis erga se beneficiis, suam ad Berengarium Epistolam mittit, quam expetierat.

MEminisse debet humiliter excellens, excellenterque humilis Beatitudo vestra, quia quo tempore apud vos fuimus, Eboracensis Ecclesiæ Antistes adversum me palam murmuravit, clam detraxit, in præsentia celsitudinis vestræ calumniam suscitavit, dicens me iniustè velle agere, eò quòd super se, suamque Ecclesiam iure * vestræ Ecclesiæ Primatum niterer obtinere. De quorumdam quoque subiectione Episcoporum, quos Ecclesiæ suæ conatus est aggregare, antiquam suâ querelâ non est veritus consuetudinem temerare. Quibus de rebus, vos sicut sanctum, prudentemque Pastorem decuit, &

al. * nostræ.

G

oportuit, per scriptum sententiam promulgastis, quatenus conventus Angliçæ terræ, Episcoporum, Abbatum, cæterarumque religiosi ordinis personarum utriusque partis rationes audiret, discuteret, definiret; factumque est ita. Convenerunt enim ad Regalem curiam apud Vuentanam civitatem in Paschali solemnitate Episcopi, Abbates, cæterique ex sacro, ac laïcali ordine, quos * sede actione, morumque probitate par fuerat convenisse, imprimis * adunati sunt à nobis ex vestra authoritate per sanctam obedientiam.

Vuentana civitas.

al. * fide, & actione.

al. * adunati.

Deinde Regia potestas per semetipsam contestata est eas per fidem, & sacramentum, quibus sibi colligati erant, quatenus hanc causam intentissimè audirent, auditam ad certum rectumque finem sinu partium favore perducerent. Utrumque omnes concorditer susceperunt, sese ita facturos sub præfata obligatione spoponderunt. Allata est igitur Ecclesiastica gentis Anglorum Historia, quam Eboracensis

H

Beda Anglorum doctor.

B. Aug. Dorobernensis Epis. totius Insulæ Britannicæ Primas.

Ecclesiæ Presbyter & Anglorum Doctor BEDA composuit; lectæ sententiæ, quibus pace omnium demonstratum est, à tempore beati AUGUSTINI primi Dorobernensis Episcopi, usque ad ipsius BEDÆ ultimam senectutem, quod ferè centum, & quadraginta annorum spatio terminatur, Antecessores meos super Eboracensem Ecclesiam, totamque insulam, quam Britanniam vocant, necnon & Hyberniam Primatum gessisse, curam pastoralem omnibus impendisse, in ipsa Eboracensi urbe persæpe, locisque finitimis, ubi eis visum fuit, Episcopales ordinationes, atque concilia celebrasse, Eboracenses Antistites ad ipsa concilia vocasse; & cùm res poposcisset, de suis eos actibus rationem reddere compulisse; Episcopos quoque, quorum subiectionem in quæstionem adduxerat, infra illud centum, & quadraginta annorum spatium per Dorobernenses Archiepiscopos fuisse sa-

A

cratos, ad concilia vocatos, quosdam quoque exigentibus culpis ab eis, cum Romanæ sedis authoritate depositos, multaque in hunc modum, quæ Epistolaris modestia per singula explicare non potest. Diversa ad legendum concilia porrecta, quæ diversis temporibus, diversis de causis, à meis sunt Antecessoribus celebrata; quæ tametsi non eandem suæ institutionis habuere materiam; eandem tamen de primatu, & subiectionibus Episcoporum tenuere sententiam. Recitatæ eorumdem, de quibus quæstio versabatur, Episcoporum ante prædecessores meos factæ electiones, & per eos ordinationes, quæ Dorobernensi Ecclesiæ de sua obedientia scriptas reliquerunt professiones. Vrbs namque quæ CANTVERBIA nominatur, antiquis temporibus ab ipsius terræ incolis DOROBERNIA vocabatur.

Cantuerbia, olim Dorobernia.

B

Accesserunt omnium testimonia, qui omnia, quæ scripta sonuerant, se suis quisque temporibus vidisse, & audiuisse constantissimè firmauerunt. Nec defuerunt gesta, quibus sesera um est, cum Anglia per plures Regulos esset divisa, NORDANVMBRORVM Regem, vbi * sua est civitas EBORACA, accepto pretio cuidam simoniaco Episcopatum vendidisse, pro qua culpa à Dorobernensi Archiepiscopo ad concilium vocatum fuisse, nolentemque venire pro sua inobedientia excommunicationis sententiam pertulisse; cuius communionis, atque consortij omnis illarum partium Ecclesia tamdiu abstinuit, quoadusque consilio seipsum exhibuit, culpam dixit, quod malè gestum est, correxit, de reliquo emendaturum se fore spopondit. Quæ res non mediocre tulit indicium, Antecessores meos super ipsam terram, illamque Ecclesiam habuisse Primatum.

al. * sita Nordanum bentum Rex vendidit Episcopatum:

Vltimum quasi robur, totiusque causæ firmamentum prolata sunt Antecessorum vestrorum GREGORII, BONIFACII, HONORII, VITALIANI, SERGII: item GREGORII, item vltimi LEONIS privilegia atque scripta, quæ Dorobernensis Ecclesiæ Præsulibus, Anglorumque Regibus, aliis atque aliis temporibus, variis de causis, sunt data, aut transmissa. Reliqua enim reliquorum tam authentica, quàm eorum exemplaria, in ea combustione, atque abolitione, quam Ecclesia nostra ante quadriennium perpessa est, penitùs sunt absumpta. His atque aliis, quæ particulatim, breuiterque explicari non possunt, ea parte nostræ Ecclesiæ * in causa * Primatus, contra tantam tantarum authoritatum euidentiam paucissimas contradictiones opposuit; Epistolam illam præcipuè ferens in medium, quâ beatus GREGORIVS Londoniensem, atque Eboracensem Ecclesiam pares esse, nec alteram alteri subiacere instituit, quam scripturam cum in rem nihil facere concordi sententia cuncti protinus definissent, pro eo quod, nec ego Londoniensis Episcopus essem, nec de Londoniensi Ecclesia esset quæstio instituta, vertit se ad alia egena, atque infirma argumenta, quæ post paucam moram, Christo reuelante, paucis sunt obiectionibus abolita. Quem cùm Rex dulci paternaque reprehensione argueret, quod contra tantam argumentorum copiam, tam inops rationum venire præsumpsisset; respondit se antea ignorasse Dorobernensem Ecclesiam tot tantisque authoritatibus, tamque perspicuis rationibus esse munitam. Versus itaque ad preces est, rogauit cum Regem, vt me rogaret, quatenus omnem mentis rancorem adversus eum pro hac causa conceptum omitterem, pacem diligerem, concordiam facerem, aliqua, quæ mei essent iuris, studio ei charitatis concederem. Cui petitioni ego libenter, & cum gratiarum actione assensum præbui, quia miserante Deo non ego, sed illa priscæ consuetudinis violator causa erat illius scandali.

* recitatis. al. * Primatus.

C

D

Facta est igitur communi omnium adstipulatione de hac re quædam scriptura, cuius exemplaria per principales Anglorum Ecclesias distributa, ut futuris semper temporibus testimonium ferant, ad quem finem causa ista fuerit perducta: cuius exemplar vobis quoque, quibus sanctam totius mundi Ecclesiam constat esse commissam, transmittendum curaui, vt ea hoc atque aliis, quæ transmissa sunt, perspicuè cognoscatis ea more Antecessorum, quid mihi, Christique Ecclesiæ, quam regendam suscepi, concedere debeatis. Quod peto honestè, & sine dilatione per indultum Sedis Apostolicæ privilegium fieri, quatenus ex hoc quoque, quantùm me diligatis, euidenter possit ostendi.

E

De me autem reuera existimate, quod de fideli ac seruo beati Petri, ac vestro, sanctæque Romanæ Ecclesiæ. Nunquam enim res quælibet de arca mei pectoris eiicere quauis occasione poterit inauditam illam humanitatem, quam mihi extremo hominum, tantis indigno honoribus Romæ exhibuistis: quodque duo pallia, vnum de altari ex more, alterum quo sanctitas vestra Missas celebrare consueverat ad ostendendam circa me beneuolentiam vestram mihi impendistis. Illud quoque, quòd omnibus, quorum mediatos exiti, quicquid iustè ac salubriter petierunt, me interueniente, protinus concessistis: vt taceam alia plura, quæ in hac parte ab his minimè discrepant, quæque memoriam vestri nominis, si quid boni facio, dulciter repræsentant.

Animi demissio.

F

Amore & honore Lanfrancum prosequebatur Alexander Pontifex.

Epistolam, quam BERENGARIO Schismatico, dùm adhuc CADOMENSI cœnobio præessem, transmisi paternitati vestræ, sicut præcepistis, transmittere curaui. Omnipotens Dominus vitam vestram, ad honorem sanctæ Ecclesiæ, vestris dispositionibus divinitùs commissæ in tempore prolixam faciat, quatenus post tempus, quæ sine tempore sunt, prolixa æternitatis spatia vobis concedat.

Berengarius Schismaticus. Abbas Cadomensis Epistol. seu librū contra Berengarium elucubrauit.

EPISTOLA IV.

ALEXANDER Episcopus seruus seruorum Dei Reverendiss. Fratri in Christo LANFRANCO venerabili Cantuariorum Archiepiscopo salutem, & Apostolicam benedictionem.

ARGVMENTVM.

Prædecessorum suorum decreta confirmat, vt monachis Ecclesias cathedrales obtinere liceat contra eos, qui Cantuariæ, aliisque locis monachos exturbare, clericosque inducere conabantur.

G

ACcepimus à quibusdam venientibus de partibus vestris ad limina Sanctorum Apostolorum PETRI, & PAVLI, quod quidam clerici associato sibi terrenæ potestatis, laicorum videlicet auxilio, diabolico spiritu repleti, moliuntur de Ecclesia S. SALVATORIS in Dorobernia, quæ est Metropolis totius Britanniæ, monachos expellere, & clericos inibi constituere; cui nefario operi molitionis suæ hoc adiicere conantur, vt in omni sede Episcopali ordo monachorum extirpetur quasi in eis non vigeat auctoritas religionis.

Qua de re zelo Dei compulsi scrutinium de privilegiis Ecclesiarum fieri præcepimus, & venit ad manus statutum prædecessoris nostri beatæ memoriæ GREGORII Maioris, de Ecclesiis Angliæ; quomodo scilicet præcepit Augustino Gentis vestræ Apostolo, vt eiusdem ordinis viros, cuius & ipse noscitur esse, poneret in præfata sede metropolitana. Cuius præceptionis inter alia hæc subnexa sunt: *Quia*, inquit, *tua fraternitas monasterij regulis erudita in Ecclesia Anglorum, quæ nuper auctore Deo ad fidem*

H

Lib. Epist.

A *perducta est, hanc debet conversationem instituere, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum ex iis, quæ possidebant aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia; quam communionis regulam ordini monachorum permaximè congruere, nemo qui dubitat.* Hinc habetur Epistola BONIFACII, qui quartus à B. GREGORIO Ecclesiæ Romanæ, cui (auctore Deo) præsidemus, præfuit; quam ATHELBARTO Regi Anglorum, & LAVRENTIO Prædecessori vestro misit, in qua præmissa hujusmodi censura anathematis usus est: *Gloriose, inquit, Fili, quod ab Apostolica sede per Coepiscopum nostrum Mellitum postulastis, libenti animo concedimus; id est, ut vestra benignitas in monasterio Dorobernensi civitate constituto, quod sanctus doctor noster AVGVSTINVS beatæ memoriæ Gregorii discipulus sancti Salvatoris nomini consecravit (cui ad præsens præesse dignoscitur dilectissimus frater noster LAVRENTIVS) licenter per omnia monachorum regulariter viventium habitationem statuat: Apostolica auctoritate decernentes, ut ipsi vestræ salutis prædicatores monachi monachorum gregem associent, & eorum vitam sanctitatum moribus exornent.*

Margin note: Monastica vita ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio instituta.

B *Quæ nostra decreta si quis successorum nostrorum, Regum, sive Episcoporum, Clericorum, sive laicorum irrita facere tentaverit, à Principe Apostolorum PETRO, & à cunctis successoribus suis anathematis vinculo subjaceat, quoadusque quod temerario ausu peregit, Deo placita satisfactione puniteat, & hujus inquietudinis vestræ emendationem promittat.* Vnde quia ratione dictante quieti Ecclesiarum utile esse perspeximus, præsens decretum supranominatorum Patrum confirmamus, & vice Apostolorum sub eodem anathemate eos constringimus, quicumque hinc obviare contenderint.

EPISTOLA V.

C Domino Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Archidiacono HILDEBRANDO LANFRANCVS suus sanctis principiis sanctum coniungere finem.

ARGVMENTVM.

De sua in illum benevolentia præfatus docet Eboracensem controversiam fuisse compositam, missamque ad sedem Apostolicam rei gestæ relationem, quod ab ipso legi cupiat.

Explicare literis mens mea non potest, quanta dilectione vestræ sinceritati connectitur, quantáque dulcedine gratiarum vestrarum, quas mihi tam præsenti, quàm absenti benignitas vestra semper exhibuit,

D indesinenter reminiscitur. Propterea si, donante Deo, in quibuslibet rerum generibus aliquid boni facio, salutem vestram tam temporalem, quàm tempore carentem tradere oblivioni non valeo. Et hoc oro omnipotentem Deum, quatenus vitam vestram ad honorem, & firmamentum sanctæ Ecclesiæ suæ prolixam in hoc sæculo faciat; incontaminatam ab omni peccati contagione custodiat, & in futuro centuplicatis operibus vestris vitam vobis permanentem copiosus remunerator retribuat.

Porrò calumnia, quam Eboracensis Ecclesiæ Antistes adversum me movit de primatu, & subiectione quorumdam Episcoporum, secundùm præceptum Apostolicæ sedis audita & determinata est. Cuius negotij gestionem breviter ex ordine scriptam Domino nostro Papæ transmisi, quam volo, & rogo à vobis competenti diligentiâ legi, quatenus charitas vestra certissimum teneat, quid mihi, Ecclesiæque meæ sedes Apo-

Margin note: De Primatu Cantuariensis Ecclesiæ contra Eboracensem controversia.

E stolica confirmando concedere, & concedendo confirmare per privilegium debeat.

EPISTOLA VI.

LANFRANCO venerabili Cantuariorum Archiepiscopo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ HILDEBRANDVS Archidiaconus salutem in Domino.

ARGVMENTVM.

F *Ideò pallium, quod eius legati petebant, missum non fuisse, quòd absentibus mitti non soleat. Proinde necessarium esse, ut Romam venias.*

Verba legatorum vestrorum * graviter accepimus, sed quòd voluntati vestræ in mittendo absenti personæ vestræ privilegio, ut illi petebant, ritè non potuimus satisfacere, valde doluimus: neque id ægrè ferat vestra prudentia, quoniam si alicui Archiepiscoporum vestris temporibus absenti hoc concessum fuisse vidissemus, profectò religioni vestræ promptissimâ charitate honorem hunc absque vestra fatigatione impenderemus: unde necessarium nobis videtur vos Apostolorum limina visitare, quatenus de hoc & ceteris unà nobiscum efficaciùs quod oportuerit consulere valeamus, atque statuere. De cætero si legatos nostros ad vos venire contigerit solitâ charitate recipite, * qui vobis in ante dixerint, prout charissimum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Filium, & religiosum decet sacerdotem, procurare studete.

Margin notes: al. gravanter. — al.* & jus.*

EPISTOLA VII.

G Excellentissimo Sanctæ Ecclesiæ Pastori GREGORIO gloriosus gratiâ Dei Anglorum Rex, & Dux Normannorum Vvillelmus salutem cum amicitia.

ARGVMENTVM.

Admonitus Rex à Legato, de fidelitate facienda Pontifici, & de pecunia Romam mittendâ; de pecunia annuit, de fidelitate, quia insitatum, recusavit.

Hubertus Legatus tuus (Religiose Pater) ad me veniens ex tua parte, me admonuit, quatenus tibi, & successoribus tuis fidelitatem facerem, & de pecunia, quam Antecessores mei ad Romanam Ecclesiam mittere solebant, melius cogitarem; unum admisi, alterum non admisi.

H Fidelitatem facere nolui, nec volo, quia nec ego promisi, nec Antecessores meos Antecessoribus tuis id fecisse comperio. Pecunia tribus ferè annis, in Galliis me agente, negligenter collecta est; nunc verò divinâ misericordiâ me in regnum meum reverso, quod collectum est per Præfatum legatum mittitur: & quod reliquum est, per Legatos LANFRANCI Archiepiscopi fidelis nostri, cum opportunum fuerit, transmittetur. Orate pro nobis, & pro statu regni nostri, quia Antecessores vestros dileximus, & vos præ omnibus sincerè diligere, & obedienter audire desideramus.

EPISTOLA VIII.

Reuerendo sanctæ vniuersalis Ecclesiæ summo Pastori GREGORIO peccator, & indignus Antistes LANFRANCVS seruitium cum debita subiectione.

ARGVMENTVM.

Purgat quod obiectum fuerat à Pontifice, minus se ab eo, & Ecclesiam Romanam post adeptum Episcopatum diligi, quàm solebat; amorem contrà Pontificis remissiorem ait erga se videri. Se Regi, quod per legatum suggesseras, suasisse, sed non persuasisse.

Hubertus Subdiaconus sacri Palatij.

LIteras excellentiæ vestræ per HVBERTVM sacri vestri palatij Subdiaconum porrectas, quâ decuit humilitate, suscepi: in quarum ferè omni contextu, paterna me dulcedine reprehendere studuistis, quòd in Episcopali honore positus sanctam Romanam Ecclesiam; vósque ob eius reverentiam minus diligam, quàm ante honoris ipsius susceptionem diligere quondam solebam, præsertim cum Apostolicæ Sedis auctoritate ad ipsius apicem honoris me pervenisse non dubitem, nec quemquam dubitare existimem.

Et quidem (venerande Pater) verbis tuis calumniam ingerere nec volo, nec debeo; Ego tamen, teste conscientia mea, in memetipso intelligere non possum, quid vel corporalis absentia, vel locorum tanta intercapedo, aut ipsa qualiscumque honorum sublimitas in hac parte vindicare sibi quidquam prævaleat, quin mens mea præceptis vestris in omnibus, & per omnia secundum Canonum præcepta subiiceat; Et si, præstante Deo, præsens præsenti loqui quandoque valerem, me amando crevisse, vos verò (quod pace vestra dictum sit) à pristino amore nonnulla ex parte defecisse, non tam verbis, quàm rebus ipsis ostenderem. Verba legationis vestræ cum præfato Legato vestro prout melius potui, Domino meo Regi suggessi, suasi, sed non persuasi. * Cum autem voluntati vestræ omnifariam non assenserit, ipsemet vobis tam verbis, quàm literis innotescit.

al.* eius.

EPISTOLA IX.

LANFRANCVS indignus Antistes dilectissimo Eboracensi Archiepiscopo THOMÆ salutem cum orationibus.

ARGVMENTVM.

De pœnitente triplicis homicidij reo, & commonitoriis eius Episcopi literis.

ROBERTVS Sagiensis Episcopus hunc pœnitentem ad me misit, & mandavit quod iste miserrimus tres homines Montem sancti MICHAELIS adeuntes tertio Pentecostes die invaserit, & interfecerit; Cui ex more pœnitentiâ iniunctâ commonitorias literas sibi tradidit, ut si quis Episcopus pietate motus misericordiam ei vellet impendere, potestatem haberet, quantum vellet, ipsi ignosceret. Huius itaque rei testis eum ad vos mitto, quatenus hoc verum esse sciatis, atque animæ eius, secundum quod visum vobis fuerit, consulatis.

EPISTOLA X.

Dilectissimo fratri, & amico Eboracensis Ecclesiæ Archiepiscopo THOMÆ Frater LANFRANCVS perpetuam salutem cum orationibus.

ARGVMENTVM.

De iis, qui uxores fornicationis causa relinquere, & alias sibi coniungere volunt, quid sentiendum, & de eo, qui eam, quæ uxor putatur, desponsasse se abnegat, quid agendum.

ILlos quidem, qui corporaliter tantum, & propter terrena lucra se amant, intervalla locorum quo prolixiora sunt, eò à mutuo amore impensius separant. Eos verò quos sincera Christianæ religionis charitas iungit, corporalis absentia, seu quælibet localis intercapedo minimè disiungit. Studeamus ergo fraterno invicem amore proficere, pro invicem orare, alterius necessitatem propriam deputare; quatenus in conspectu Dei, atque hominum evidenter appareat, quod carnalis zelus, quo animæ viuntur, vindicare in nobis nihil prævaleat.

De his autem, qui vxores desponsatas causa fornicationis relinquere, aliasque sibi coniungere volunt (hoc enim vestra prudentia à me requisivit) Dominus IESVS-CHRISTVS, quid sentiendum sit in Evangelio secundum MARCVM apertissimè dicit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si uxor dimiserit virum suum, & alium duxerit, mæchatur.* Item secundum LVCAM. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram, mæchatur.* Sunt etiam de hac re plurimæ Sanctorum Patrum authoritates, sed ubi sol lucet, candelam ad proferendum lumen proferri minimè oportet. In his verbis dominicis luce clarius liquet, quia vivente viro, vel uxore, extraneam copulam quærere, nulli eorum licet. Eum verò, qui mulierem, quæ uxor putatur, desponsasse se abnegat, aut evidentibus testimoniis, seu quibuslibet claris indiciis mentiri eum ostendite, aut in præsentiarum, quoadusque res melius clarescat, causam eius omittite.

Marc. 10. 11. 12.

Luca 16. 18.

EPISTOLA XI.

Piissimo, & sanctissimo Cantuariorum Archiepiscopo, totius quoque Britanniæ summo Pastori LANFRANCO THOMAS fidelis suus, & nisi præsumptuosum sanctitati suæ videatur, Eboracensis Ecclesiæ Archiepiscopus, cœli portas Petri * iure, iustis, & iniustis iustè aperire, & claudere.

al.* vice.

ARGVMENTVM.

Rogat ut ad sacrandum Orchadum Episcopum Vvigornensem, & Dorcacestrensem Episcopos Eboracum mittat, spondens nullum propterea ius in illos se vindicaturum.

ECce (Pater sanctissime) filius tuus ad te clamat, sed magis filia, Eboracensis videlicet Ecclesia

A ad eam, cui dispositione divina præsides, Ecclesiam, tamquam ad maternum recurrens sinum piè postulat, ut ex abundantia maternarum deliciarum reparetur inopia suarum se deserentium; immò longè, & inter barbaras nationes positarum * virium. Siquidem venit ad nos Clericus quidam, quem misit PAVLVS COMES cum literis sigillatis de ORCHADVM partibus, significans in eis Episcopatum suæ terræ eidem Clerico se concessisse; at ille Antecessorum suorum ordine custodito postulat à nobis Episcopum se consecrari: cui quod iuste petit, iniustè denegare non possumus.

al.* matrum. Paulus Comes.

* Precatur ergo, ut nobis duos Episcopos dirigat Paternitas vestra; quorum fulti orationibus, & auxilio, tantæ rei sacramentum compleamus canonicè. Illa autem procul arceatur suspicio, quam nuperrimè nobis noster frater, & Coepiscopus subintulit REMIGIVS, me scilicet imposterum * quæsiturum Dorcacestrensis, vel Vvingorniensis Episcopi hac de causa subiectionem. Dico enim coram Deo, me nunquam hoc facturum. Si placet igitur sanctitati vestræ, ut iuxta petitionem * nostram nobis facere dignemini. Locum EBORACVM: tempus quito nonas martias nobis immutabiliter constituimus, & vobis significamus. Ergo vivas, & valeas, & spiritualibus incrementis usque quaque proficias.

al.* precamur

B Remigius Episcop. al.* constitutum. al.* vestram.

EPISTOLA XII.

LANFRANCVS Dei gratiâ sanctæ Doroberneosis Ecclesiæ Archiepiscopus venerabilibus Fratribus * VVLFANO Vvigorniensi, & PETRO Cestrensi Episcopis salutem.

al.* Vulstano.

C

ARGVMENTVM.

Vt ad sacrandum Orchadum Episcopum Eboracum ad Thomam Archiepiscopum proficiscantur, atque ut securi sint, eius literas mittit, quibus fidem facit, nullum illi, vel successoribus in ipsorum Ecclesias ius acquirendum.

INsinuavit nobis venerabilis Frater noster THOMAS Eboracensis Archiepiscopus, advenisse de Orchadum insulis ad se quendam clericum, quem in Episcopatu ipsius terræ, præcipiente, & insinuante PAVLO Comite, testatur esse electum. Et quia ex antiquo more, sui iuris est præfatarum insularum præsules consecrare, petiit à me, ut mittam sibi de nostris suffraganeis duos, qui tantæ rei sacramentum cum eo valeant celebrare. Rogantes itaque præcipimus, præcipientes rogamus, quatenus omni excusatione summota, illuc eatis, & ex nostro præcepto secundum quod iustum est, in tantæ rei mysterio complestis. Non enim decet, ut qui sacrandus in hanc terram venit, & cum omni humilitate sacrari se postulat, inopia adiutorum à tanto regno non sacratus abscedat. Terminum huius consecrationis lator vobis præsentium indicabit. Et ne fortè solliciti sitis, putantes quod vel ipse, vel successores eius hac occasione super Ecclesias vestras ius Prælationis quandoque conentur arripere, literas, quas ipse mihi transmisit, fraternitati vestræ, sollicitudinem de futuro gerens, curavi transmittere; quas, & has, quas vobis transmitto, in archivis Ecclesiarum vestrarum ob memoriam futurorum servatum iri præcipio.

D

* * *

E

EPISTOLA XIII.

Domino meritò sanctitatis insigoiter offerendo IOANNI Normaooorum Archiepiscopo LANFRANCVS iodignus vocari Episcopus beoè cœptis meliora coonectere.

ARGVMENTVM.

Ex occasione litterarum eius de nonnullis ritibus differit, ad dedicationem Ecclesiarum, & Subdiaconorum ordinationem spectantibus.

GRatias ego colendæ benignitati vestræ, quia non solùm præsens præsentem me indeficienti amore * dilexistis, verumetiam absens pro absente paternam vos curam gerere salubri admonitione evidenter ostendistis. Abiit autem à me, longéque à sensibus meis hunc errorem avertat divina clementia, ut molestum mihi sit, si quis respectu salutis meæ, vitæ æternæ contemplatione, de anima mea sollicitudinem gerat, si ea, quæ de actibus meis sibi displicent, pietate motus indicare non differat, si aliter me corrigere non potest, verbis quoque obiurgare præsentem, aut litteris increpare absentem non negligat; sed amicus potius à me iustus existimabitur, qui in misericordia corripit me, & increpat: his autem peccator, qui oleo pravæ adulationis caput meum aut impinguat, aut impinguare laborat.

F * propter Deum.

Quanto amore reprehensiones complectatur B. Lanfran.

Quidquid verò sanctitas vestra de stola scripsit, multùm mihi placuit, nec unquam displicuit: sed quod subiunxit, quia ad dedicandam Ecclesiam Episcopus processurus sacris vestibus, ex institutione Episcopalis ordinis debeat esse indutus, atque in expositione ipsarum sacrarum vestium casulam posuit, valde, stupui; quia tale aliquid me nunquam vidisse, meminisse non potui: diversos enim diversarum provinciarum præsules Ecclesias dedicare sæpe conspexi, omnibusque, quæ ab eis facta sunt, quantam potui curam adhibui; qui etsi in nonnullis dissimilis egerint, omnes tamen cappis induti usque ad celebrationem Missæ debita servitia sine casula expleverunt: denique sanctus LEO Romanæ sedis summus Antistes Romericensem, me præsente, Ecclesiam dedicavit, cunctaque, quæ ante Missam fieri ordo deposcerat, sine casula consummavit.

G

Leo Papa Ecclesiam Romericensem dedicavit.

Porrò quod in dandis ordinibus soli Subdiacono dari manipulum perhibuistis, ubi hoc accepceritis, rogo me vestris literis instruatis; à quibusdam enim id fieri audio, sed utrum id fieri sacris anctoritatibus præcipiatur, meminisse non valeo. Plerique autumant manipulum esse commune ornamentum omnium, sicut & albam, & amictum; nam & in cœnobiis monachorum etiam laïci cum albis induuntur, & antiqua patrum institutione solent ferre manipulum, in nostris Episcopalis ordinis codicibus, quos ex diversis regionibus multos habemus, & de ordinando Subdiacono, inter cætera sic scriptum habetur: *Postea verò accipiat ab Archidiacono urceolum cum aquamanili, ac manutergium.* In quibusdam sic: *cum aquamanile.* In aliis ita: *cum aquamanili.* Vrceolus quid sit liquidò patet, est enim vas superius, unde lavandis manibus aqua infunditur. Aquamanile, sive aquæmanile, Italici unam partem dicunt, vocaturque linguâ eorum vas inferius, in quod manibus infusa aqua delabitur. Quod si fortasse sic distinguendum putatis, urceolum cum aqua, & postea manile, ac manutergium, quatenus manile esse manipulum intelligatis. Cur inter urceolum ac manutergium

Manipulus & alba commune ornamentum.

H

Vrceolus, & aquamanile quid.

ponatur

A ponatur manipulus: & cur cætera ornamenta ab Episcopis dantur, dari ab Archidiacono manipulus iubeatur, in qua scriptura, sive sæculari, sive divinâ sic vocatum manipulum * reperitis, posco sanctam paternitatem vestram, ut indicare mihi competenti diligentiâ studeatis.

al. * reperientis.

Subdiaconus.

In Carthaginensi Concilio quarto omne huius rei ambiguum excluditur, ubi sic legitur: *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam; & calicem vacuum: de manu verò Archidiaconi, accipiat urceolum cum aqua, & aquamanile, ac manutergium.* Item Isidorus in Epistola de sacris ordinibus. *Ad Subdiaconum* (inquit) *pertinet calicem, & patenam ad altare Christi deferre, & levitis tradere, eisque ministrare: urceolum quoque, & aquamanile, ac manutergium tenere Episcopo, Presbyteris, & Levitis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere.* Omnipotens Dominus vitam vestram intùs, exteriusque tueatur; augeatque in vobis, auctamque conservet dilectionem, quâ me quondam diligere solebatis; quatenus de me, quantùm ad vos hoc * quod pertinet, quæ credenda sunt, credatis, proculque ab auribus vestris linguas detrahentium pastorali semper authoritate repellatis.

Epistola Ludfredo Cordubensi Episcopo in fine de officiis Eccles.

B

al. * quidem pertinet.

EPISTOLA XIV.

Domino sanctæ Rothomagensis Ecclesiæ Archiepiscopo Ioanni frater Lanfrancus indignus Antistes fidele servitium cum orationibus.

ARGVMENTVM.

Indignè à suis quibusdam consolatur, de vindicta suggerens quales capessere debeat, sibi curæ futurum, ut ad Regem hac de re det literas, quales debet.

C

Visis literis vestris, quibus temerariam, superbamque temeritatem miserrimorum hominum adversus Dominum, & Pontificale fastigium præsumptam significasse studuistis, & dolui sicut dolere debui, & tamen in ipso dolore non gaudere non potui: dolui quia id evenit celsitudini vestræ, quod à temporibus Paganorum nulli legitur evenisse Episcoporum: gavisus verò sum, quia sporcissima vita eorum, quæ multas regiones fœtore suæ infamiæ iam aspersit, occasione publicata est; cognitumque evidenter quales coram Deo sint, qui abiecto divino, humanoque timore tantum nefas in conspectu hominum moliti sunt. Et nunc Sanctitas vestra omnem rancorem de corde abiiciat, nec plus æquo, & bono pro hac re doleat; omnem intentionem, qualiter hæc nequitia ad honorem Dei, sanctæque Ecclesiæ puniatur, intendat.

D

Et quidem, quantum ad illos spectat, dolendum est vobis, quia filij vestri erant, si filij esse vellent: quantum vero ad vos gaudendum potius, & exultandum expectantibus vobis beatitudinem Apostolis repromissam, quia vos oderunt, & exprobraverunt, & eiecerunt tamquam malum propter filium hominis, quem vos amatis, & honoratis, & ad cuius amorem, & honorem illos trahere volebatis.

Literas Domino * vestro Regi transmittere dispono, quales oportet, & quales debeo, & credo, miserante Deo, quia sicut tempora eius obscurata sunt immanitate tantæ nequitiæ, sic enitescent competentis severitate vindictæ. Omnipotens Dominus vitam vestram custodiat, & contra omnes æmulos dexterâ suâ protegente defendat, diligende Pater, & omni laude colende.

al. * nostro.

E

EPISTOLA XV.

Zelo Dei, & amore iustitiæ præcellenti sanctæ Rothomagensis Ecclesiæ Archiepiscopo Ioanni Lanfrancus indignus Antistes servitium, & orationes.

ARGVMENTVM.

Laudat eius in accepta iniuria patientiam. De authoritatibus facinoris rogatum à se Regem per literas, ut ulciscatur. Sibi quoque probari, quæ ille de visione cuiusdam monachi, & de altero à communi sepultura prohibito mandarat.

F

Qvando Robertum Beccensis * Ecclesiæ monachum, cum literis ad vos transmisi, adhuc nullas Paternitatis vestræ epistolas suscepi: post abscessum eius cappellanus Hugonis unam detulit; alteram verò laïcus quidam, qui interrogatus à me, quis esset: servientem Reginæ se esse respondit. Vtrarumque sententia una fuit: in utrisque enucleatè ostenditis officium vestri ordinis, videlicet contra æmulos patientiam, & innocentiam vestram * perditissimæ congregationis horribilem, puniendamque temeritatem; & in utroque Benedictus Deus; quia & vos eius gratiâ fecistis, quod respectu Episcopalis dignitatis facere debuistis & illi è contrà iusto ipsius iudicio traditi in reprobum sensum hoc fecerunt, quod nec quolibet impulsu, vel qualibet iniuriâ provocati facere debuerant, certissimum pravitatis suæ his, qui eos non noverant, præbentes indicium, quòd luce clariùs omnibus innotescat, quales in conspectu Dei eos esse ab omni populo existimari oporteat. De hac re literas Domino nostro Regi mitto, eumque ut decet ad vindictam tanti facinoris, prout possum rogo, & moneo, quas iampridem transmisissem, sed legatum reperire non potui; & homo Episcopi Vvalchelini, qui alias vobis detulit, ut eas expectaret, impetrare non potui.

al. * cœnobij.

al. * perditissimæque.

G

Vualchelinus Episc.

De Roberto & eius * somniatore, & monacho à communi sepultura prohibito, quidquid mandastis laudo, & quidquid de his rebus sensistis, ego quoque in omnibus, & per omnia vobiscum sentio: non est enim credendum visionem illam esse à Deo, quæ monachos prohibet à monasterio, qui ad serviendum Deo se devoverunt, & in quo de obedientia, & conversione morum suorum, & stabilitate sua professionem fecerunt: cùm Propheta dicat: *Vovete, & reddite.* Et Dominus de malis pastoribus loquens, non ait: fugite eos, recedite de locis, quibus præsunt: sed *super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere.* Et beatus Benedictus in regula monachorum: *Præceptis,* inquit, *Abbatis in omnibus obedite, etiamsi ipse, quod absit, aliter agat.*

al. * somniatore. Monachus à cõmuni sepultura prohibitus.

H

Ps. 75. 18. Mat. 23.

Cap. 4. Regula Instr. 60.

De Monacho fulgure interfecto vir sapiens apertissimâ sententiâ omnem ambiguitatis nodum solvit, dicens: *Iustus quacumque morte præoccupatus fuerit, anima eius in refrigerio erit.* Denique Ecclesia Christi, alios mortuos à suæ communionis consortio non repellit, nisi eos tantùm, quibus viventibus canonica censura communicare contempsit. Omnipotens Dominus vitam vestram custodiat, quia multùm utilis est, inter cætera ad confutandas garrulorum ineptias.

Sap. 4. 7.

EPISTOLA

A

EPISTOLA XVI.

Domino meritò sanctitatis vestræ insigniter honorando Normannorum Archiepiscopo IOANNI Frater LANFRANCVS fidele servitium, æternamque salutem cum orationibus.

ARGVMENTVM.

Excusat diuturnum suum silentium, optatque ut mutua inter ipsos, & inviolabilis sit concordia.

B

QVòd Paternitatem vestram, quam, teste Deo, multo amore diligo, multa veneratione suscipio, longa temporis intercapedine literis visitare supersedi; rogo, multumque rogo, ne sinistra à me id factum esse intentione interpretemini; neque existimetis fuisse causam, aut * iudicem cuiuslibet rancoris, vel odij: hoc potiùs hac in parte conijcite, * quod rei veritas habet, * quod experientia vestra; multis referentibus, quibus miserabilis vitæ meæ status motus est, cognoscere valet; Tot enim, tantisque huius mundi impedimentis (nescio quo occulto Dei iudicio) incessanter subiaceo, tot animi rancores, tam ex propriis, quàm ex alienis negotiis sine intermissione sustineo; tot calamitates ex consideratione præsentium venturas in futuro conijcio, ut perrarò dictandi, seu scribendi facultas detur: aut si quando datur, vel desunt qui perferant, vel personæ tam idoneæ non sunt, ut per eas literas mitti inutiam putent.

al. * indicem: al. * quid

Ego tamen & ea, quæ vobis accidunt, cum promissione servitij, & auxilij mei scire desidero, & ea quæ mihi eveniunt, cognosci à vobis humiliter peto; & hoc oro, ut concors charitas, caraque concordia, quæ inter nos hactenus mansit, omnibus diebus vitæ nostræ inviolata permaneat; nec eam qualibet detrahentium lingua quolibet modo aut infirmare, aut propulsare prævaleat. Quod aliter ratum esse non poterit, nisi amatores discordiæ aut vestris exortationibus ad amorem concordiæ convertantur, aut persistentes in sua stultitia à nostris colloquiis penitus arceantur.

C

De iuvene, cuius eventum usque ad aures vestras fama vulgavit, lator præsentium, qui vidit, & interfuit, qualiter gestum sit, vobis veraciter enarrabit.

EPISTOLA XVII.

Venerabili sanctæ Rothomagensis Ecclesiæ Archiepiscopo IOANNI indignus Antistes LANFRANCVS servitium cum orationibus.

D

ARGVMENTVM.

Falsum esse ostendit, quod eius facta carpere dicebatur; Robertum autem Pultrellum, qui sine ipsius licentia discesserat, ideò à se cum honore susceptum, quia commendatitias eius literas attulerat. De fide ab Archidiaconis petenda quid respondeat, & de suo cum Rege colloquio.

LIteras quas omnibus Christianæ legis amatoribus Amanda Paternitas vestra transmisit, quo tempore porrectæ sunt, congruum dare responsum mihi non licuit: nam & impeditum me invenerunt: nec si liceret, posset ea tempestate nuntius inveniri, qui ferret. Nunc mihi data opportunitate differre ultra non debeo.

E

Retulistis vobis à multis fuisse relatum, quod ego quædam vestra facta carpo, & maximè quod instituta sanctorum Patrum de servanda Clericorum castitate malè vos intellexisse redarguo; adiuncto quod Ecclesiasticæ disciplinæ moderamina non benè vos tenere affirmo; meminisse debet beatitudo vestra, præsentes verbis, absentes literis nos sæpe alterutrum monuisse, esse multos detestabili invidia plenos, qui semper velint nos invicem diffidere; quatenus hac occasione suas nequitias valeant liberiùs exercere; quorum officij refert nova semper, & inaudita fingere; leviter, & * iniuriosè prolata deteriùs exponere, benè & consultè dicta, quantùm in ipsis est, in contrariam partem convertere. Ego tamen, teste conscientia, nullius eorum conscios sum, nec aliquid de laudabili vita vestra vel dixisse, vel dicenti assensum præbuisse me memini; quod in præsentia vestra, si res ita exposceret, non posset cum pacis vestræ securitate proferri; imò vestro venerabiliumque Patrum exemplo provocatus, per totam terram Anglicam pastorali auctoritate prohibui, ne cuiuslibet ordinis quisquam canonicus uxorem accipiat, nec .... antea si Presbyter, aut Diaconus est, nisi præbendâ carere velit, habere ulteriùs liceat.

al. * incauté. F

De ROBERTO, quem PVLTRELLVM vocastis, quemque sine vestra licentia mare transisse perhibuistis, certissimè id sciatis, quia literas vestro sigillo, quod mihi benè notum est, signatas detulit; in quibus, si veræ fuerunt, summoperè me rogastis, quatenus eum cum honore susciperem, apud Abbatem BALDVINVM, in quantum possum, pro infirmitate sui corporis adiuvarem: de meis etiam rebus, sicut mihi opportunum esset, opem impenderem: quæ omnia executus sum: nam pro amore vestro honestè eum suscepi, tribus septimanis mecum habui; Abbati BALDVINO precibus, & promissionibus commendavi. Revertenti unde redire posset, denarios officiosa charitate impendi: & miror valde si falsas literas porrexit, quonam modo tanti viri sigillum ad persuadendam falsitatem suam habere potuerit.

Robertus Pultrellus.

Abbas Balduinus.

G

Charitas B. Lanfranci in erogandis eleemosynis.

De fide ab Archidiaconis petita, & data inter rogantibus Episcopis Baiocensi, & Constantiensi hoc tantum respondi me nec legisse tale aliquid, nec vidisse; vos tamen prudentem virum esse, & strenuè scire, quid agatis, quid omittatis, quid agendum, quid omittendum censeatis.

De negotiis vestris Cum Domino nostro Rege prout decuit, & opportuit, noviter sum locutus; & puto per misericordiam Dei, quia mordentibus vitam vestram aures excellentiæ suæ non est ultra facilè præbiturus. Omnipotens Dominus vitam vestram ad honorem sanctæ Ecclesiæ suæ incontaminatam custodiat.

EPISTOLA XVIII.

H

LANFRANCVS indignus Antistes OSBERNO digno Antistiti salutem cum orationibus.

ARGVMENTVM.

Quòd BALDVINVM *Abbatem secum detineat, quò minùs Richards placito adesse queat: Excusari proinde illum, & causam differri rogat.*

AD FRACHENAM villam nostram, quæ cœnobio sancti EMVNDI proxima est, veniam qua,

A Rege præcipiente, & corporis mei infirmitate urgente, aliquam accipere medicinam dispofui : pro qua re Abbatem BALDVINVM detineo, cui Rex eiusdem hominis ægritudinis curam sub me iniunxit ; qui contra RICHARDVM ad hunc conventum de quibusdam querelis placitum accepit ; sed Abbate apud vos, & apud eum de hoc itinere excusato, causam ipsam dilatam esse rogo, & volo, quoadusque * in unum conveniamus, & pari studio pariter ipsum negotium sine aliquo partium favore definiamus. Omnipotens Dominus vos benedicat, & in omnibus vestris negotiis promptus auxiliator assistat.

al. * alio tempore in unû.

EPISTOLA XIX.

B LANFRANCVS Archiepiscopus confratri, & Coëpiscopo HERFASTO salutem.

ARGVMENTVM.

Vt Clericos Balduini Abbatis ab excommunicatione absolvat, quoad ipse utraque parte audita litem dirimat.

MEminisse debet charitas vestra, quia Rex, dum vobiscum esset, præcepit, ut querimonia de clericis Abbatis BALDVINI, quæ inter vos, & ipsum Abbatem versabatur, sopita remaneret, quoadusque ipsemet ipsam causam audiret ; vel à me si temporis opportunitas sic suggereret, audiri præciperet. Sed quia priusquam id fieret, mare transivit, volo, & rogo, quatenus prædictos clericos, quos à vobis excommunicatos didici, absolvatis ; & quietos ab omni invectione, atque exactione ad præsens dimittatis : post paucos etenim dies ad partes vestras venturi sumus, & utrinsque partis assertiones diligenti C cura audiemus ; & tam prolixæ querimoniæ, in quantum salva fidelitate Regis fieri poterit, finem legitimum imponemus.

EPISTOLA XX.

GREGORIVS Episcopus servus servorum Dei, LANFRANCO Cantuariorum Archiepiscopo, salutem, & Apostolicam benedictionem.

ARGVMENTVM.

Vt Arfastum Episcopum comprimat, ne Balduino D Abbati molestus sit, Regémque oret, ne illi faciat : quod si contempserit, ad sedem Apostolicam cum Abbate veniat, ad contentiones dirimendas.

NOn minima admiratione dignum ducimus, qua fronte, qua mente ARFASTVM dictum Episcopum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ illudere, & beatæ memoriæ Alexandrum prædecessorem nostrum, eiúsque decreta contemnere patiamini : prudentiam quippe vestram ad plenum cognoscere nos non latet, sanctam Romanam Ecclesiam iure à Deo dato sibi defendere Ecclesiarum, sacerdotum, Episcoporum con-
Is.14.14. secrationes, & à nullo sumpta licentia debere, & posse celebrari, suis & præbuisse, & Deo annuente præbituram firmissimam etiam in hoc defensionem, qui Romam venerint, & sedis Apostolicæ consilium, & auxilium petierint : quibus ARFASTVS dictus E Episcopus, qua nova audacia resistat, nisi forte ista *Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis altissimo*, ignoramus. Ad quod etiam dilectio vestra super his sileat, non minimum moramur. Verum quia de vobis non aliter, quam de nobis dubitamus, fraternitatem vestram confidenter deprecamur, ut via nostra ARFASTI nugas penitus compescatis, & sancti EADMVNDI Abbatem contra decretum decessoris nostri inquietari nullo modo sinatis. Qui etiam cum eumdem Abbatem in Presbyterum ordinari Romæ fecisset, ipsum, & monasterium, cui præest, in tutelam Apostolicæ sedis accepit. Vnde iniurias illius in nos redondare, dissimulare non possumus ; præsertim cum ad despectum auctoritatis nostræ eas sibi irrogari perpendimus. Vnde etiam Guilielmum Regem charissimum, & unicum filium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, precibus nostris, & via nostra super F his admonere dilectionem vestram precamur, & ne ARFASTI vanis persuasionibus acquiescat, in quo sua singularis prudentia supra modum diminuta, & contracta ab omnibus cognoscitur. Si verò ARFASTVS contra hæc recalcitrare abhinc tentaverit, Apostolica authoritate sibi, & Balduino Abbati præcipite, ut sedem Apostolicam ad hæc determinanda petant. Data ad Sanctum Germanum duodecimo Kalendas Decembris, indictione duodecima.

EPISTOLA XXI.

LANFRANCVS gratia Dei, non suis meritis Archiepiscopus, Confratri, & Coëpiscopo HERFRASTO salutem.

ARGVMENTVM.

Quo pacto ergo eum gerere se debeat, quem nullis adhuc ordinibus initiatum, & uxoratum, ad Diaconatum ipse promoverat. G

CLericus iste noviter ad me venit, causam suæ infœlicitatis mihi dixit, dictam testimonio vestrarum literarum veram esse asseruit, testatus est se inordinatè ordinatum, videlicet cum nullius esset ordinis, à fraternitate vestra factum esse Diaconum, interrogatus à me, si uxorem haberet, uxorem se habere, nec eam se velle dimittere respondit. Propterea tali pacto consulendum ei divina fultus authoritate decerno, Diaconatum ei auferre ; ad cæteros minores ordines congruis eum temporibus promovere, Diaconatus verò ordinem nunquam recipiat, nisi castè vivat, nisi de reliquo se castè victurum canonica attestatione promittat. Si verò cœlibem vitam egerit, & acturum se omni tempore respondere voluerit, non H quidem eum ad ordinem Diaconatus iterum ordinabitis, sed ipsum officium per textum vel in Sancti Evangelij, vel in Synodo, multorum clericorum conventu reddetis ?

***

A

EPISTOLA XXII.

Dilectissimo fratri, & Coepiscopo HERFASTO LANIRANCVS indignus Antistes salutem, & amicitiam cum orationibus.

ARGVMENTVM.

De pœnitentia clerici, qui Sacerdotis ordinem inordinatè assumpserat.

DE clerico, quem ad nos misistis, sanctarum Scripturarum testimonio hoc sentimus, hoc tenendum decernimus: pœnitentiam prolixi temporis, consideratis eius viribus, pro arbitrio vestro ei iniungite: sacerdotij ordinem, quòd inordinatè assumpsit, ei auferre, à cæteris ordinibus cessare iubete: quia in sacris canonibus scriptum est. *Qui aliena inuadit, non exibit impunitus*: Et LEO Papa ad MARTIANVM: *Propria perdit, qui indebita concupiscit.* SYLVERIVS ad VIRGILIVM prævaricatorem: *Sic enim decet fidem sanctorum Patrum in Ecclesia servari catholica; vtque quod habuit, amittat, qui improbabili temeritate, quod non accepit, assumpserit.* Quòd si infra pœnitentiæ tempus, carnis munditiam dignè servauerit, cæterarumque bonarum actionum sollicitus observator extiterit, miserante Deo, cuius misericordiæ non est numerus, experientia vestra indulgentiam ei præstare valebit: ut sicut beatus GREGORIVS, & Præfatus LEO in decretis suis concorditer dicunt, si pœnitentia eius fuerit digna, sit etiam fructuosa.

C

EPISTOLA XXIII.

LANFRANCVS divinâ misericordiâ, non suis meritis Dotoberoensis Ecclesiæ Archiepiscopus HEREBERTO Episcopo humiliter sapere, & sobriè intelligere.

ARGVMENTVM.

Vt Berardum clericum rixare desistat; & quia ipsius literas spreverat, sacros canones legat, ex quibus discat, qua reverentia Metropolitanis debeatur. Effrænem denique monachum ut à suo consortio penitùs eliminet.

D

BERARDVS Abbatis BALDVINI clericus, & famulus, nostras de negotio suo literas tibi detulit; quas, ut ipse postea mihi testatus est, procaciter irrisisti; satis vilia, multumque indigna de me, multis audientibus, protulisti; pro me de eadem re nihil te facturum plurimis contestationibus affirmasti. De his alio tempore, atque loco sermo erit. Veruntamen ad præsens præcipio tibi, ne in his rebus sancti EADMVNDI aliquid appetas, nisi id ab Antecessoribus tuis appetitum fuisse certis documentis ostendas; Præfatum BERARDVM quietum, & inconcussum dimittas, quoadvsque res in nostram audientiam veniat, finemque congruum canonicâ authoritate, nostrique iudicij definitione recipiat.

Postpositis aleis, ut maiora taceam, ludisque sæcularibus, quibus per totam diem vacare diceris, divinas literas lege, decretisque Romanorum Pontificum, sacrisque canonibus præcipuè studium impende: ibi quippè invenies quod nescis, perlectis illis frivolum dices, vnde Ecclesiasticam disciplinam effugere te confidis. In decretis * sic legitur: *Metropolitani sui in unaquaque provincia, in omnibus rebus ordinationem semper expectet.* In Nicæno Concilio: * *Firmitas omnium, quæ geruntur per unamquamque provinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo.* In Antiocheno * *Per unamquamque provinciam Episcopis convenit nosse Metropolitanum Episcopum totius provinciæ, sollicitudinem gerere; propter quod ad Metropolem omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant: unde placuit eum & honore præcellere.* Et in Toletanis Conciliis: *Sic enim iustum est, ut inde unusquisque sumat regulas disciplinæ, unde consecrationis honorem accepit; ut iuxta maiorum decreta, sedes, quæ unicuique sacerdotalis mater est dignitatis, sit Ecclesiasticæ magistra rationis.* Et Paulò post: *Quisquis horum decretorum violator extiterit, sex mensibus communione privatus, apud Metropolitanum sub pœnitentiæ censura permaneat corrigendus.*

E

* Bonifac. Papæ Epist. ult.
* Primo. Cap. 4.
* Primo. Cap. 4.

Sunt alia plurima de excellentia, & potestate Primatum, atque Archiepiscoporum, tam in præfatis scriptis, quàm in aliis orthodoxorum Patrum authenticis libris; quæ si studiosiùs legeres, lecta memoriæ commendares, nihil inconveniens contra tuam Matrem Ecclesiam sentires; quod dixisse diceris, non dixisses; imò dictum ab aliis salubri invectione reprehenderes. Nec sobriùs quisquam putaverit, hoc esse in aliena Parochia aliquid temerè præsumere, cum per misericordiam Dei totam hanc, quam vocant Britannicam insulam, unam unius nostræ Ecclesiæ constet esse Parochiam.

F

HERMANVM Monachum, cuius vita multis reprehensionibus obnoxia perhibetur à consortio tuo, tuæque domus penitus remove, Volo enim, ut in regulari monasterio regulariter viuat, aut si hoc renuit, de regno Anglorum abscedat.

G

EPISTOLA XXIV.

LANFRANCVS divinâ misericordia Archiepiscopus dilecto Fratri Londoniensis Ecclesiæ Electo Antistiti MAVRITIO salutem.

ARGVMENTVM.

Electo Episcopo diem designat, quo presbyterij gradum ei collaturus est, simulque ad eius interrogata respondet, de homine apud captores mortuo, de colloquio Regis, & de clerico, qui in eius Episcopatum sine servatis venerat.

H

IN primis gratias ago, quod meam sicut tuam desiderare salutem te asseris, quodque profectum vivendi honestè, per meam qualemcumque doctrinam habiturum te esse confidis; hæc ex dilectione non modica procedere solent. Ad interrogata tua, brevia responsa mitto. De homine quem captum, & apud captores mortuum fuisse inventum scripsisti absolute tibi ad præsens respondere non possum quoadusque præcedentes mortis eius causas, diligentiùs audiam: & sic, miserante Deo, quid agi oporteat, canonica authoritate definiam. Interim iniunge eis aliquam pœnitentiam, usque dum conveniamus, & alterno colloquio quid postea facere debeant decernamus.

De terris tuis Domino meo Regi nihil adhuc locutus fui, quia de meis etiam rebus, qualem volui, loquendi opportunitatem non habui. GOFFRIDVS clericus, qui apostasiæ calumniam habet, de Episcopatu

A * tuo non recedat : aut formatas literas ex parte sui Episcopi, sicut canones iubent, ostendat. Cicestrum, sicut fraternitati tuæ insinuavi, venies, & ibi Sabbato ante *Lætare Hierusalem* cooperante Spiritu sancto, presbyterij gradum recipies.

al. * non recedat.

EPISTOLA XXV.

LANFRANCVS peccator, & indignus Antistes venerabili Fratri, & Coëpiscopo VVALCHERO salutem.

ARGVMENTVM.

B *Pulsis Britonibus tranquilla esse omnia. Danos certò adventare. Proinde ut vigilet, castrumque suum hominibus, & armis muniendum curet.*

LÆtatus sum in his, quæ dicta sunt mihi à vobis; pacem vos vestris literis habere didicimus, quam procul à vobis esse, multis multorum * rationibus territi credebamus. Nos verò expulsis Britonibus, & sedatis omnibus bellis, in tanta tranquillitate vivimus, ut postquam Rex mare transiit, tranquilliùs nos vixisse nequaquam meminerimus.

al. * relationibus.

Res Domini nostri Regis in summa prosperitate esse, & eum ad præsens ad * vos transire certissimè sciatis. Dani, ut Rex vobis mandavit, revera veniunt : castrum itaque vestrum hominibus, & armis, & alimentis vigilanti curâ muniri facite. Omnipotens autem Dominus ab omni malo vos defendat.

al. * nos.

C

EPISTOLA XXVI.

LANFRANCVS indignus Antistes venerabili Duoelmensi Episcopo VVALCHERO salutem.

ARGVMENTVM..

Excusat quod monitorium non miserit, respondetque de Presbytero, quem in claustro monachorum sine benedictione nutritus fuerit, ad sæculum redire non posse.

ET longè ab urbe positum, & multis huius sæculi negotiis involutum me vestræ literæ invenerunt; ob quam causam petitionibus vestris ex omni parte effectum præbere non licuit, nec, si licuisset, commonitorium, quod in festivitate sancti Martini habere voluistis, fieri potuisset : septimâ enim post D prædicti sancti solemnitatem die, vester ad me nuntius venit.

Porrò de illo Presbytero, de quo mandastis, quia in claustro monachorum sine benedictione nutritus fuit, aliquid me vobis mandasse recordari non possum, canones tamen, decretaque sanctorum Patrum, eos, qui vestem religionis aliquot diebus in conspectu hominum deferunt, ad sæculum quocumque modo postea redire non sinant, qui si vobis obtemperare * voluerit, Evangelicâ authoritate utimini, quæ ait, compelle intrare.

f. * noluerit. Luc 14. 23.

E

EPISTOLA XXVII.

LANFRANCVS Dei gratia Archiepiscopus dilectissimo Fratri STIGANDO Cistrensi Episcopo salutem.

ARGVMENTVM.

Vt clericis villarum Ecclesiæ Cantuariensis, quæ in ipsius sunt Diœcesi, exactas per eius Archidiaconos pecunias restitui iubeat. Nec ad Episcopi ullius Synodum deinceps veniant, nec respondeant, aut quicquam persolvant, præter id quod institutum est pro chrismate. F

CLerici villarum nostratum, qui in vestra Diœcesi existunt, questi nobis sunt quod vestri Archidiaconi repertis occasionibus pecunias ab eis exquirunt, & à quibusdam iam acceperunt. Meminisse debet fraternitas vestra, quia contra morem Antecessorum nostrorum, atque vestrorum vobis concessimus, eisque imperavimus, quatenus ad vestras Synodos irent, & ea, quæ ad Christianæ religionis notitiam prodesse possunt, sine interpellatione, vel discussione aliqua à vobis audirent. Si quæ in ipsis culpæ invenirentur, suspensa interim vindictâ ad nostrum examen servarentur, & nobis vel in miserendo, vel in ulciscendo, sicut semper consuetudo fuit, obnoxij tenerentur. Mandamus itaque *, ut malè accepta sine dilatione reddi iubeatis, & ministris vestris, ne ulteriùs id præsumant, servandæ charitatis studio perhibeatis.

* vobis.

G

Nos vero presbyteris nostris, qui extra Cantiam constituti, omninò præcipimus, ne ad vestram, vel alicuius Episcopi synodum ampliùs eant, nec vobis, nec aliquibus ministris vestris pro qualibet culpa respondeant. Nos enim cum ad villas * vestras * venimus, quales ipsi vel in moribus, vel in sui ordinis scientia sint, pastorali authoritate investigare debemus.

al. * nostras. al. * venerimus.

Chrisma * tantum à vobis accipiant, & ea, quæ antiquitùs instituta sunt in chrismatis acceptione persoluant. Sicut namque ea, quæ antiquitùs usque ad nostra tempora antecessores nostri habuerunt, solerti vigilantiâ cupimus illibata servare, ita aliis debita aliquâ (quod absit) usurpatione nolumus denegare.

al. * tamen. Quàm optimè insitutam servat B. Lanfr.

EPISTOLA XXVIII.

H

LANFRANCVS gratia Dei Archiepiscopo dilectissimo Fratri STIGANDO salutem.

ARGVMENTVM.

Vt mulierem, cuius causa à LANFRANCO *audiri Papa iusserat, cum viro suo quietam manere sinat, donec unà conveniant, causamque definiant.*

MIsit mihi literas Papa, in quibus præcepit, ut causam istius mulieris, quam adversus eam

A hsbetis, diligenter audiam; & interim quietam & absolutam esse præcipiam; propterea mando vobis, ut, pace vestrâ, cum viro suo maneat, quoad usque in unum conveniamus; & ipsam causam cum consilio Episcoporum inter nos conferamus; & adiuvante divina gratia salubri fine definiamus.

EPISTOLA XXIX.

LANFRANCVS gratia Dei Archiepiscopus ROBERTO Cestrensi Episcopo salutem.

B

ARGVMENTVM.*

Suo, Regisque nomine præcipit, ut cœnobio Conventreiensi violenter ablata sine mora restituat: singulatim commemorans quàm indignis modis eos afflixeris.

LIteras ante paucos dies tibi transmisi, & eas vix susceptas legere despexisti, & cum magna indignatione, sicut mihi dictum est, super quoddam sedile eas proiecisti; nunc alias mitto, mandans, & præcipiens ex parte Regis, & nostrâ, quatenus ab omni gravamine, quod cœnobio Conventreio inferre diceris, omninò te subtrahas; quidquid de ipso cœnobio, vel terris ipsius cœnobij violenter abstulisti, sine mora restituas; clamorem enim fecerunt ad me tam Abbas, quàm Monachi eius, quod dormitorium eorum per vim introisti, arcas eorum fregisti, & equos, & omnes proprietates, quas habebant, rapuisti. Insuper domos eorum destruxisti, & materias earum ad tuas villas asportari præcepisti. In ipso quoque cœnobio cum familia tua consumens bona Monachorum, octo dierum moram fecisti. Hæc nec tui officij, nec tuæ potestatis esse cognoscas; imò magis oporteret te animabus eorum pastorali discretione consulere, bonorumque morum, sanctarumque actionum verbis, & operibus salutaria exempla præbere.

Violentiam infert Episcopus, deprædatúrque totâ cœnobij substâ ã

C

Optimi Episcopi documenta

EPISTOLA XXX.

Domino in columnis Ecclesiæ plurimùm honorando Rhemensi, Archiepiscopo MANASSI peccator, & indignus Antistes LANFRANCVS salutem, servitium cum orationibus.

ARGVMENTVM.

D *Rhemensem Archiepiscopum summi Pontificis iussu monet, ut latori literarum res iniustè sibi apud Rosnacum ablatas restituendas curet.*

LAtor harum literarum regius, ac noster homo, magnam rerum suarum apud Rosnacum se asserit iniuriam pertulisse; & pro ea te auribus summi Pontificis lachrymabilem querimoniam intulisse. Summus verò Pontifex raptores * suos, nisi omnia sua ei redderent, terribiliter excommunicavit; & vobis, ut ei de raptoribus ipsis iustitiam faceretis, sedis Apostolicæ literas destinavit. Et quamvis excellentia vestra in talibus monitore non egeat, Rogo tamen, multumque rogo, ut ei benignitas vestra ita subveniat, quatenus res suas, quæ ei iniustè ablatæ sunt, sine diminutione acquirat. E

al. * ipsos.

EPISTOLA XXXI.

LANFRANCVS Archiepiscopus dilecto amico suo MAVRITIO Episcopo salutem.

ARGVMENTVM.

Vt Bertingam eat, litemque inter Abbatissam, & Priorem componat. F

SIcut in aliis litteris, in his quoque rogamus, & monemus, & pastorali authoritate præcipimus, quatenus si vobis opportunum est, BSRTINGSN eatis, & auditis utrimque querelis Abbatissam esse Abbatissam, & Priorem esse Priorem iubeatis, utraque in suo ordine sit, sicut oportet, & sicut beati BENEDICTI Regula iubet: maior præcipiat, minor obediat. Si tamen ea præceperit, quæ congruis rationibus conveniant; & quibus sacræ authoritates minimè contradicant; utræque, quæ Dei sunt, & quæ sæculi sunt, servatâ suorum ordinum dignitate communi consilio agant. Sanctimoniales, & Clerici, & Laïci tam intus, quàm extra eis serviant, & obediant.

Capitis 7. grad. 1. & Cap 63.

Quæcumque illarum hanc constitutionem nostram prætergressa fuerit, vestra annitente instantia corripiatur, & ne conceptam præsumptionem adimpleat competenti severitate compellatur. Quod si discordia in tantùm partes armaverit, ut earum sententia in unam concordiam convenire non possit, res nobis innotescat, ut cuius culpa fuerit, regulari districtioni subiaceat. G

EPISTOLA XXXII.

LANFRANCVS Archiepiscopus venerabili Episcopo GOISFRIDO salutem, & servitium.

ARGVMENTVM.

De Sanctimonialibus professis, vel ad altare oblatis, & de iis, quæ nec professæ, vel oblatæ, aut quæ non amore Religionis ad monasterium confugerunt.

DE Sanctimonialibus, de quibus dulcissima mihi Paternitas vestra ad me literas misit, hoc vobis respondeo. Sanctimoniales, quæ de servanda Regula professionem fecerunt, vel quæ quamvis adhuc professæ, non sint, ad altare tamen oblatæ fuerunt, secundum mores, & vitas earum ad servandam Regulam moneantur, increpentur, constringantur. Quæ verò nec professæ, nec oblatæ sunt, ad præsens dimittantur sic, donec voluntates earum de servando ordine subtilius exquirantur. Quæ verò non amore religionis, sed timore Francigenarum, sicut vos dicitis, ad monasterium confugerunt; si hoc firmo meliorum Sanctimonialium testimonio probare possunt, libera eis recedendi concedatur potestas. Et hoc est consilium Regis, & nostrum. Omnipotens Deus vitam vestram in beneplacito suo conservet. H

A

EPISTOLA XXXIII.

LANFRANCVS indignus sanctæ Cantuariensis Antistes, venerando Hiberniæ Episcopo DOMNALDO, & iis, qui sibi literas transmiserunt, salutem, & benedictionem.

ARGVMENTVM.

B

Infantibus ante vsum rationis Eucharistiæ praeceptionem docet haudquaquam ad salutem esse necessariam: quæstiones verò secularium literarum, vt Episcopo indignas soluere detrectat.

IN itinere positi, & à ciuitate, in qua nobis sedes Episcopalis est, longè sepositi eramus; quando literas vestras nuntio vestro deferente suscepimus, Quem cum rogassemus, vt saltem paucis diebus nobiscum maneret, quatenus perquisitis libris congruum pro captu nostro ad consulta vestra responsum vobis referret; petitioni nostræ effectum negauit, & se diutiùs non posse morari multis assertionibus allegauit. Itaque dulcissimam nobis fraternitatem vestram paterna charitate monemus, ne indignum vobis sit, quod de tanta re tam breuiter respondemus.

C

Reuera, & procul pulsâ omni ambiguitate sciatis, neque transmarinas Ecclesias, neque nos Anglos hanc de infantibus tenere sententiam, quam putatis. Credimus enim generaliter omnes omnibus ætatibus plurimùm expedire tam viuentes, quàm morientes Dominici corporis, & sanguinis perceptione sese munire. Nec tamen si priusquam Corpus Christi, & Sanguinem sumant contingit baptizatos statim de hoc sæculo ire, vllatenus credimus eos (quod Deus auertat) propter hoc in æternum perire, alioquin veritas non esset verax, quæ dicit. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit.* Et per prophetam. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris:* quod de Baptismo esse dictum omnes huius sententiæ expositores concorditer asseuerant; & Petrus Apostolus: *Et vos nunc similis forma saluos facit baptisma.* Et Paulus Apostolus: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis;* Christum est enim induere, habitatorem Deum per remissionem peccatorum in se habere.

Marci. 16.c.16
Ezech. 36.c.27.
1. Petri. c.3.d.21.
Galat. 3.d.27.

Nam sententia illa, quam Dominus in Euangelio dicit: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* quantùm ad comestionem oris non potest generaliter dicta esse de omnibus. Plerique etenim Sanctorum Martyrum ante baptismum quoque diuersis excruciati pœnis de corpore migrauerunt, Eos tamen in numero Martyrum computat, & saluos credit Ecclesia per illud testimonium Domini, quò dicit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cælo.* Infantem quoque non baptizatum, si morte imminente vrgeatur, à fideli laico, si Presbyter desit, baptizari posse canones præcipiunt, nec eum tamen, si statim moriatur, à consortio fidelium seiungunt. Necesse est ergo prædictam Domini sententiam sic intelligi, quatenus fidelis quisque diuini mysterij per intelligentiam capax, carnem Christi, & sanguinem non solùm ore corporis, sed etiam amore, & suauitate corpus comedat, & bibat: videlicet amando, & in conscientia pura dulce habendo, quod pro salute nostra Christus carnem assumpsit, pependit, resurrexit, ascendit; & imitando vestigia eius, & communicando passionibus

Ioan.6.f 54.
D
Math. 10.c.32.

E

ipsius, inquantùm humana infirmitas patitur, & diuina ei gratia largire dignatur: hoc est enim verè, & salubriter carnem Christi comedere, & sanguinem eius bibere.

Quam sententiam in libro de doctrina Christiana beatus Augustinus exponens sic ait: *Facinus, vel flagitium iubere videtur: figura verò est præcipiens Passioni Dominicæ communicandum esse, & suauiter, atque vtiliter in memoria recondendum, quod pro nobis caro eius vulnerata, & crucifixa sit.* Figuram vocat figuratam locutionem, neque enim negat veritatem Carnis, & Sanguinis Christi: (quod plerisque schismaticis visum est, & adhuc non cessat videri) Et Dominus in Euangelio: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & Ego in eo.* Quod exponens beatus Augustinus ait: *Hoc est namque Carnem Christi, & sanguinem salubriter comedere, & bibere, in Christo manere, & Christum in se manentem habere: Nam & Iudas, qui Dominum tradidit, cum cæteris Apostolis ore accepit; sed quia corde non comedit, iudicium sibi æterna damnationis accepit.*

Lib 3.c. 10.
Ioan. 6. 57. In Euang. Ioan. Tra.26.
F

Quæstiones secularium literarum nobis soluendas misistis: sed Episcopale propositum non decet operam dare huiusmodi studiis, olim quidem iuuenilem ætatem in his detriuimus: sed accedentes ad pastoralem curam, abrenuntiandum eis decreuimus.

EPISTOLA XXXIV.

Domino suo Anglorum Regi VVILLELMO fidelis suus LANFRANCVS fidele seruitium, & fideles orationes.

ARGVMENTVM.

Regi dissuadet, ne mare transeat. Rodulphum Comitem cum exercitu suo in fugam versum; & regis milites eos insequi nuntiat.

G

LIbenter vos videremus sicut Angelum Dei, sed hoc tempore nolumus vos mare transire; quia magnum nobis dedecus faceretis, si pro talibus periuris, & latronibus vincendis ad nos veniretis. RODVLPHVS Comes, immò Rodulphus traditor, & totus exercitus eius in fugam versi fuerunt; & nostri cum infinita multitudine Francigenarum, & Anglorum eos insequuntur; & ante paucos dies, sicut mihi mandauerunt Principes nostri, aut ipsi periuri de terra vestra per mare fugient, aut eos viuos, vel mortuos habebunt. Cætera per hunc monachum vobis mando, cui benè credere potestis, quia fidelitatem mihi fecit. Omnipotens Dominus vos benedicat,

EPISTOLA XXXV.

H

Gloriosissimo Domino suo Anglorum Regi VVILLELMO fidelis suus LANFRANCVS fidele seruitium cum orationibus.

ARGVMENTVM.

Castrum Noruicense pulsis Britonibus receptum, totique Angliæ redditam quietem gratulatur.

GLoria in excelsis Deo, cuius misericordia Regnum vestrum purgatum est spurcitiâ Britonum, castrum Nurwich redditum est; & Britones, qui in eo

erant, & terras in Anglica terra babebaot concessâ eis vitâ cum membris iuravcrunt, quod iotra quadraginta dies de regno vestrnexirent, & ampliùs sine vestra licentia in illod onn introïrent.

Qui verò ROUVLPHO traditori, & sociis eius fine terra pro solidis servierunt, ad boe faciendum unius mensis spatiom multis precibus impetraverunt.

In ipso castro remanserunt Episcopus GAVFRIDVS, Willelmus de Varenna, Robertus Malet, & treceenti loricati cum eis, cum ballistariis, & artificibos machinarum multis. Omnis strepitus bellorum, miserante Deo, in Anglica terra quievit. Omnipotens Dominus vos benedicat.

EPISTOLA XXXVI.

Venerando sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ Metropolitano LANFANCO, Clerus, & populus Ecclesiæ Dublinensis debitam subiectionem.

ARGVMENTVM.

PATRICIVM *Presbyterum, quem elegerunt, Dublinensi Ecclesiæ ordinari petunt Episcopum.*

VEstræ Paternitati est cognitum, quod Ecclesia Doblinensis (quæ Hiberniæ insulæ Metropolis est) suo sit viduata pastore, ac destituta rectore: propterea elegimus Presbyterum nomine PATRICIVM nobis sofficientissimè cognitum, natalibus, & moribus nobilem, Apostolica, & Ecclesiastica disciplina imbutum, fide catholicum, scipturarum sensibus cautum, in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatum, quem nobis quamocyùs petimus ordinari Episcopum, quatenus authore Deo, regulariter nobis præesse valeat, & prodesse, & nos sub eius regimine salubriter militare possimus, quia integritas præsidentiom, salus est subditorum: & ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ.

EPISTOLA XXXVII.

LANFRANCVS non suis meritis, sed gratiâ Dei Archiepiscopus, glorioso Hiberniæ Regi GOTHRICO salutem cum orationibus.

ARGVMENTVM.

PATRICIVM *à se consecratum Episcopum significat, Regemque hortatur, ut, quod nefariè circa matrimonium fieri dicuntur corrigat,* PATRICII *consiliis libenter utatur.*

VEnerabilem Fratrem, ac Coëpiscopum nostrum PATRICIVM, quem, charissime Fili excellentia vestra ad nos consecrandum transmisit, honestè suscipimus, debitis officiis secundum canonicam institutionem, scilicet spiritus gratia cooperante, sacravimus; sacratom ad propriam sedem, cum testimonio literarum nostrarum, more Antecessorum nostrorum remisimus.

Qui quamvis de glotia vestra multa nobis bona, multisque laudibus digoa retulit; non abs re tamen credimus esse, si prædicanda vestra studia nostra adbortàtione pulsamus; sicut enim ignis flante vento clariùs lucet, & maior efficitur, sic vera virtus veris præconiis pulchriùs enitescit, & in melius augmentatur. Rogamus igitur, sicut rogari oportet, pretiosum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Filium, quatenus fidem rectam, ab ipso Deo, & Apostolis eius sanctis, atque orthodoxis Patribus traditam, cum omni mentis sinceritate inviolatam teneatis; fidei congrua opera, in quantùm vires suppetunt, exibeatis: superbis austeram, humilibus placabilem vestram celsitudinem ostendatis.

Io regno vestro perhibentur homines seu de propria, seu de mortuarum uxorum parentela coniuges ducere; alij legitimè sibi copulatas pro arbitrio, & voluntate relinquere; nonnulli suas aliis dare, & aliorum infanda commutatione recipere. Hæc, & si quæ sunt alia crimina propter Deum, & animam vestram in terra potestatis vestræ corrigi iubete: talesque vos cum divino adiutorio vestris subditis exhibete, & ut amatores boni bona ampliùs diligant, & apertiores mali pravas actiones nequaquam exercere præsumant: boc enim facientes, & diutiùs cum rerum temporalium fœlicitate in terra regnabitis; & post terrenum regnum sine fine regnaturi ad cœlestia regna migrabitis.

Plura & prolixiùs vobis scripsissem, sed habetis vobiscum prædictum antistitem vestrum monasticis institutionibus à pueritia enutritum, scientia divinarum literarum strenuissimè eruditum, bonorum operum ornamentis in quantùm cognosci à nobis potuit decentissimè adornatum, quem de anima vestra sæpius vobis loquentem si intento corde audieritis, audientes ut Patri spirituali in bis quæ ad Deum pertinent obedieritis; obedientes ea, quæ vobis ab eo prolata fuerint, in arca pectoris vestri reposueritis, speramus per misericordiam Dei, quia neque vos perniciosè errabitis, neque subditos vobis in * privatarum actionum pertinacia stare diu permiseritis. Omnipotens Dominus contra inimicos mentis, & corporis, * baltheo virtutis suæ excellentiam vestram defendat; & post longam huius sæculi vitam, ad eam, quæ finem non habet, fœliciter vos perducat.

Antistes monasticis institutionibus enutritus.

* al. pravorum.

* al. brachio.

EPISTOLA XXXVIII.

LANFRANCVS peccator, & indignus sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ, Archiepiscopus magnifico Hyberniæ Regi TERDELVACO benedictionem cum servitio, & orationibus.

ARGVMENTVM.

Regem laudat ex iis, quæ à PATRICIO *cognoverat, monetque, ut ad pravas quasdam consuetudines exstirpandas Episcoporum, aliorumque conventum fieri iubeat, & ipse intersit.*

NVllam Deus maiorem terris misericordiam impendit, quàm cum pacis, ac iustitiæ amatores ad animarum, seu corporum gubernacula provebit, & maximè cum bonis Regibus regna huius mundi regenda committit. Hinc namque pax oritur, discordia sopitur, & ut breviter cuncta complectar, Christianæ Religionis observantia stabilitur. Quod populus Hyberniæ divinitus tunc collatum fuisse prudens inspector intelligit, quando Omnipotens Deus excellentiæ vestræ ius Regiæ potestatis super illam terram concessit: tot enim, tantaque bona de magnitudinis vestræ erga bonos pia bumilitate

contra

A contra pravos districta severitate, circa omne humanum genus discretissima æquitate, Frater, & Coëpiscopus noster Patricius narravit. Vt quamuis vos nunquam viderimus: tamquam visos tamen vos diligamus, & tamquam visis, ac bene cognitis vobis salubriter consulere, & syncerissimè seruire cupiamus.

Verum inter multa, quæ placent, relata nobis, sunt quæ displicent; videlicet quod in regno vestro quisque pro arbitrio suo legitimè sibi copulatam vxorem nulla canonica causa interueniente relinquit; & aliam quamlibet seu sibi, vel relictæ vxori consanguinitate propinquam, sive quam alios simili improbitate deseruit, maritali, seu fornicaria lege, puniendа sibi temeritate coniungit. Quod Episcops ab vno Episcopo consecrantur. Quod in villis, vel civitatibus plures ordinantur. B Quod infantes baptismo sine chrismate consecrato baptizantur. Quod sacri ordines per pecuniam ab Episcopis dantur.

Hæc omnia & si qua sont similia, contra Euangelicam, & Apostolicam authoritatem; contra sanctorum Canonum prohibitionem; contra omnium orthodoxorum Patrum, qui nos præcesserunt, fieri institutionem, nullus, qui sacras literas vel mediocriter legit, ignorat. Quæ quantò in conspectu Dei, Sanctorumque eius amplius sunt horrenda, tantò studiosius vestris sunt sine aliqua dilatione iussionibus prohibenda; & nisi prohibita corrigantur districtissima terroris vestri severitate punienda: nullum enim Deo, vel maius, vel gratius munus offerre potestis, quam si divina, & humana debitis legibus gubernare studeatis.

Memores igitur divini iudicij, quo de commisso vobis regno rationem reddituri estis Deo, Episcopos, & religiosos quosque viros in vnum conuenire iubete, sacro eorum conuentui præsentiam veram cum vestris optimatibus exhibete, has prauas consuetudines, omnesque alias, quæ à sacris legibus improbantur, à regno vestro exterminare studete, C quatenus Rex regum, & Dominus dominantium cum viderit regiam Maiestatem vestram præceptis suis in omnibus esse subiectam, seruis quoque, ac fidelibus suis* pro timore, & amore eius mansuetam; inimicis divinæ religionis divino zelo infestam; ipse quoque vos, vestrosque fideles clamantes ad se propitiatus exaudiet. Hostes conterat, pacemque vobis in hoc sæculo stabilem, & in futuro vitam æternam concedat.

*al. præ.

EPISTOLA XXXIX.

LANFRANCVS gratia Dei Archiepiscopus dilectissimo filio, & amico ROGERIO Comiti salutem, & benedictionem.

ARGVMENTVM.

Castrorum custodiam Regis nomine commendat, D *Patrisque ei exemplum proponit, qui fideliter seruierat, & de vice-Comitum placitis à Rege, quoad redeat, inhibitis.*

DOminus noster Anglorum Rex salutat vos, & nos omnes sicut fideles suos, in quibus magnam fiduciam habet, & mandat, vt quantum possimus, curam habeamus de castellis suis, ne, quod Deus auertat, inimicis suis tradantur; propterea rogo vos, sicut rogare debeo filium charissimum, quem, teste Deo, toto corde diligo, & seruire desidero, & cuius Patrem sicut animam meam dilexi, quatenus de hac re, & de omni fidelitate Domini nostri Regis talem curam geratis, vt à Deo, & ab eo, & omnibus bonis hominibus laudem habeatis.

E In memoria vestra semper tenete, qualiter gloriosus Pater vester vixit, & quam fideliter Domino suo seruivit, & cum quanta strenuitate multa acquisivit, & acquisita magno honore retinuit.

Item mandavit Rex, ne sui vice-Comites aliqua placita in vestris terris teneant, quoadvsque ipse mare transeat; & inter vos, & ipsos vice-Comites per semetipsum causas vestras audiat.

Libenter vellem vobiscum loqui; de qua re si vobis voluntas est, mandate mihi ad quem locum possimus conuenire, & de rebus vestris, ac Domini nostri Regis colloquium habere. Ego verò paratus sum vobis venire obuiam, quocumque præceperitis.

Rogo vt harum literarum portitori nomine BARINGERO iustitiam faciatis de illis hominibus, super quos clamorem facit pro equo suo, quem furto sibi ablatum dicit. F Omnipotens Dominus vos benedicat, & vitam vestram in omni bonitate disponat.

EPISTOLA XL.

LANFRANCVS Dei gratia Archiepiscopus dilectissimo filio, & amico ROGERIO Comiti, salutem, & benedictionem.

ARGVMENTVM.

Vt à periurio, & fraude abstineat, patrisque erga Regem, & alios fidelitatem imitetur.

AVditis de te, quæ audire nollem, doleo quantum dicere non possum, neque enim decere, vt filius WILLELMI Comitis, cuius prudentia, & bonitas, G & erga Dominum suum, & omnes amicos suos fidelitas multis terris innotuit, infidelis diceretur; & de periurio, vel fraude aliquam infamiam pateretur; immò conueniret potius, vt filius tanti viri imitator patris existeret, & omnis bonitatis, & fidelitatis alijs exemplum præberet. Propterea rogo te, dulcissime fili, & charissime amice, quatenus propter Deum, & honorem tuum, si culpam de tali re habes, resipiscas; si verò non habes, manifestissimis documentis te non habere ostendas. Quidquid verò sit, rogo vt ad me venias, securus proculdubiò quod neque ineundo, neque in redeundo per nos, vel regios homines impedimenti aliquid patieris. Omnipotens Dominus te benedicat.

EPISTOLA XLI.

LANFRANCVS Dei gratiâ Archiepiscopus dilectissimo quondam Filio, & amico ROGERIO Comiti bene intelligere, & salubrem de anima sua curam habere. H

ARGVMENTVM.

Ab excommunicatione, quâ illum obstrinxerat, solui non posse, nisi Regis misericordiam imploret, ad quam impetrandam, suam illi operam spondet.

DOleo pro te, quantum dici non potest, quia, teste Deo, te amabam; & te amare, & tibi seruire toto corde desiderabam: sed quia instinctu dæmonis, & consilio prauorum hominum ea molitus es, quæ te moliri minimè oportuerat, necessitate coactus

A mentem mutavi, & dilectionem non in odium tantùm, quantum * ad rancorem mentis, & iustam severitatem converti. Legatis tamen, & literis semel, & iterum te invitavi, ut ad me venires, & consilium animæ tuæ à me, sicut à Patre spirituali, & amico syncero acciperes, atque à stulto proposito, quod conceperas, consilio meliore desisteres, tu verò id facere recusasti.

al. * in.

Canonicâ igitur authoritate te, & omnes adiutores tuos maledixi, & excommunicavi, atque à liminibus sanctæ Ecclesiæ, & consortio fidelium separavi: & per totam Anglicam terram hoc idem Pastorali authoritate fieri imperavi. Ab hoc vinculo anathematis absolvere te non possum, nisi misericordiam Domini mei Regis requiras; sibique, & aliis, quorum res iniustè prædatus es, iustitiam facias.

B Mandasti quod adhoc venire velles; hoc ego libentissime vellem, nisi regalem iram pro hac re me incursurum metuerem, sed legato, & literis pœnitudinem tuam, & humilitatem, & preces ei intimabo: & te, salva eius fidelitate, prout melius potero, adiuvabo. Interim rogo, & moneo, ut quiescas, nec aliquid coneris facere, unde maiorem eius iram incurras?

EPISTOLA XLII.

LANFRANCVS divina dignatione non suis meritis Archiepiscopus Abbati B........ salutem cum orationibus.

ARGVMENTVM.

Rogat, ut sua causa literarum latori veniam indulgeat.

C HArum literarum portitor iram vestram se dicit incurrisse, & propterea patriam, in qua natus, & conversatus erat, parentesque, & amicos reliquisse. Et quia putavit, quod pro me multum facere debeatis, nostris apud paternitatem vestram se petiit literis adiuvari. Mota igitur nostris precibus vestra ei benignitas indulgeat; quatenus ipse amicum nostrum pro commissi sui venia se petiisse cognoscat.

EPISTOLA XLIII.

Domino, Patri, Fratri, amico ANSELMO LANFRANCVS, peccator perpetuam à Deo salutem.

ARGVMENTVM.

D *Fratris sui filium liberiùs ab eis susceptum fuisse lætatur, & gratias agit, simul insinuans, quid erga illum observari cupiat.*

QVid mihi expediat, beatitudo vestra optimè novit; in Anglorum enim terram veniens, sive Romam proficiscens omnia sanctitati vestræ reseravi, quæ referenda esse tunc temporis pro mearum rerum necessitate iudicavi. Sic ergo orate, sic ab amicis, ac familiaribus vestris oratum iri deposcite, quatenus Omnipotens Deus, aut ad meliorem fructum me perducat, aut de ergastulo huius carnis animam meam in sui sancti nominis confessione educat: tot enim, tantisque tribulationibus terra ista, in qua sumus, quotidie quatitur, tot adulteriis, aliisque spurcitiis inquinatur, ut nullus ferè hominum or-

E do sit, qui vel animæ suæ consulat, vel proficiendi in Deum salutarem doctrinam saltem audire concupiscat.

Literas, quas per Dominum Robertum transmisistis, lætus suscepi, lætior legi, cum quanto autem gaudio adhuc eas relegendo recolo, & recolendo relego, literis explicare non possum: pro eo videlicet, quòd, sicut in eis scriptum est, dulcissimum mihi Fratris mei filium (quem sicut animam meam diligo) cum ingenti lætitia suscepistis; Quod maiorem erga vos amoris mei fiduciam ex hac occasione concepistis; præcipue, ac super omnia, quod onus Prioratus, quod importabile antea videbatur, ex eius adventu levigatum vobis perhibuistis. De quo brevem, veracemque sententiam vobis dico: si inter Paganos etiam ipse viveret, plus cæteris Paganis ego * ipsos diligerem, & prodesset * eis, si quid in hoc sæculo possiderem. Quibus de rebus quantas possum Deo, & Domino Abbati, vobisque omnibus gratias refero, quia quales * voluero, tales vos erga me, & omnes qui diliguntur à me, semper esse comperio.

f. * ipsû.
f. * ei.
al. * volo.

F Sed quia accedens ad servitutem Domini, & maximè id ætatis homo, multis, variisque tentationibus per tentatorum spirituum suggestiones intrinsecus laniatur, multis, diversisque carnis titilationibus intus, exteriusque cruciatur; oportet valde, ut vestri eum colloquij participem sæpissimè faciatis, omnesque, quorum doctrina salubris esse potest ei, colloqui cum eo, quotiens expedit, iubeatis.

Discedenti ipsi à me, rogando præcepi, & præcipiendo rogavi, ne hoc anno aliquam vel in refectorio, vel in capitulo, aut in monasterio lectionem legeret, quoadusque psalmorum scientiam, suique ordinis usum aliquem haberet: hanc voluntatem meam omninò despexit; & ut legeret, suarum precum nimietate à vobis extorsit: pro qua re amarissimas literas transmittere sibi disposui; sed visa aliis literis vestris conceptum adversus temeritatem mentis rancorem omisi.

G

EPISTOLA XLIV.

Domino Reverendo, Patri verè diligendo, & dilecto, Catholicæ matri amplectendo Archiepiscopo LANFANCO: Frater ANSELMVS suus, quod digniùs potest totus suus.

ARGVMENTVM.

Proximis LANFRANCI *literis respondet, ac Mauritium vicissim capitis ægritudine laborantem commendat.*

H QVotiens vobis est gratum, aliquid mihi esse gratum, utique mihi & hoc est gratum: & illud fit gratius, quod prius erat gratum. Significastis vos inter lætos esse, quia ego, ut de aliis taceam, dilectissimum nostrum, nepotem vestrum, valde gaudens suscepi. Tantò igitur, & hac vestra lætitia sum lætificatus, & gaudium, quod habueram de prædicto charo nostro quamvis semper vigeat, augendo est renovatum; quantò, id quod non vereundor fateri, me scilicet ex magna parte illum sic suscipiendo intendisse, ad votum pervenisse cognovi de meo meritis Domino, fide fratre, sollicitudine filio MAVRITIO, quem pro vobis separatis ab illo, à quo plus amabatur, quàm ab alio, & quem plus amabat quàm alium: vos ipsi iudicate, quo illi debeatis. Quamlibet namque vile sit, quod sic amat, & à quo sic amatur: nimirum hoc illi debetis, quod non minus amet,

& à qoò non minus ametur. Quoniam igitur & ego novi iustitiæ vestræ rectitudinem, & vos nostis mutuam nostram dilectionem, omni eius supersedemus commendatione. De ægritudine capitis eius, vestram pietatem, quantum apud vos possum rogo, præcipuè quatenus propter Deum, & æternæ salutis retributionem, vobis instantibus à dilecto amico nostro Domino Alberto medico, quantum potest perquiratur, & curetur.

EPISTOLA XLV.

Dilectissimo suo GONDVLFO dilectissimus suus LANFRANCVS dilectionis cœptæ felicem perseverantiam.

ARGVMENTVM.

Fratris sui filium, ut ab eo instruatur, præcipuè commendat, crucémque mittit cum reliquiis.

FRatres, quos (charissime frater) literis edocendos, bonisque moribus instruendos tibi præcipuè transmisi, honestè, & secundum voluntatem meam tractari quorumdam relatione cognovi; pro qua te gratias benignitati tuæ refero, & ut cœptis insistas, si tamen admonitione indiges, admonere te cupio. Charissimum mihi fratris mei filium, fratrem videlicet tuum, charitati tuæ commendo, rogans sicut rogari oportet à me, iocundissimum filium, fratrémque meum, quatenus cum magna iocunditate animi tui eum diligas, & ad vitam laudabilem pro viribus tuis informare non desinas. Fratrem tuum propterea dixi illum, * quem reverà sibi esse volo, multúmque rogo; nam & revera venerabilis mater tua, sicut mihi relatum est, filium suum eumdem vocare dignatur, cum illa de excellentissimo genere, iste humili loco sit natus, proculdubiò receptura ab eo mercedem suam, qui dixit: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Crucem cum reliquiis fraternitatis tuæ oculis dùm Missam celebras conspiciendam, tibi transmitto; quam perpetuæ amicitiæ monumentum inter te, & ipsum esse desidero.

al. * quoniam.

Magno gaudio me replesti, quia promissionem in pueritia factam, in iuventute adhuc per divinam misericordiam te servare scripsisti; quam si ad finem illæsam perduxeris, terribilem aliis iudicem proculdubiò cum magna securitate videbis. Omnipotens Deus cordi tuo per Sancti Spiritus sui inspirationem inserere dignetur, quatenus in omni ætate tua sic me diligas, sicut in pueritia, & adolescentia tua quondam diligere me solebas. Et ipse te benedicat, atque ab omnibus peccatis propitiatus absolvat.

EPISTOLA XLVI.

Dilectissimo Fratri GONDVLFO Frater LANFRANCVS benedictionem à Deo, & perpetuam salutem.

ARGVMENTVM.

Ægrotantem consolatur, & pharmacum mittit, quo utatur.

LEctis literis fraternitatis tuæ, multa te cognovi ægritudine laborare, pro qua te hortor, ne doleas, immò gaudeas, tuóque Creatori, qui de te curam habet, indefessas gratias referas, sciens scriptum esse: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Et aliud: *Flagellat Dominus omnem Filium, quem recipit.* Non enim te in hoc sæculo tantis flagellis attereret, nisi post hoc sæculum sine flagello te esse disponeret. Tu ergo memento tui, memorare novissima tua, & confitere peccata tua, hoc enim faciens, aut corporalem salutem à Deo consequeris, aut mortem aliis metuendam sine metu expectabis; quæ videlicet erit finis tibi malorum, principium verò bonorum.

Mitto tibi diaprasium magnum, quod ad hanc infirmitatem, valde utile esse medici perhibent, de quo in modum sylvestris nucis tertiâ semper die accipies. Omnipotens Dominus custos tui semper existat; atque ab omnibus peccatis propitiatus absolvat.

EPISTOLA XLVII.

Dilectissimis Fratribus LANFRANCO, & GVIDONI Frater LANFRANCVS perpetuam à Domino benedictionem.

ARGVMENTVM.

Nepoti, eiúsque olim amico, nunc fratri in monasterio salutaria dat monita. Et nepoti privatim condonat, quod ea non observarit, quæ iniunxerat.

QVia divinitùs, ut credo, vos dilexistis in sæculo, rogo ut rogetis Deum, quatenus, ipso cooperante vos diligatis in eo, quod assumpsistis sancto proposito. Alter alteri sit in tribulatione solatium: alter ab alterius vita sumat sanctæ conversationis exemplum. Humilitatem omnibus ostendite, linguas vestras ab omni * derogatione salubri censurâ compescite, si quis cuiuslibet fratris vitam theodino dente rodere, si correctus à vobis emendare neglexerit, à vestro colloquio arceatur. Quidquid alij de vobis dicant laudantes fortasse, & magnificantes, quod parentes, possessiones, carnalia oblectamenta pro Deo contempsistis, vos semper introrsus ad conscientias vestras redite, peccatores vos semper esse cognoscite, & peccatis vestris continuis orationibus Deum propitium fore deposcite.

Elegantes, & optimæ ad monitiones. al. * fraterna.

Adversum te, charissime nepos, magnum mentis rancorem concepi, quia videlicet trangressos es præceptum, quod de hoc ordine primum tibi iniunxi, sed interveniente venerando Patre Domino ANSELMO, cui sicut Deo obedire desidero, sincero tibi corde illam noxam indulgeo, & moneo ne tale aliquid amplius facias, quia quò impensiùs amicum diligo, eò ampliùs maiorem contra eum iram pro parva etiam culpa concipio. Omnipotens Dominus sua vos gratia protegat, atque ab omnibus peccatis clementer absolvat.

***

A

EPISTOLA XLVIII.

Dilectissimo Patri VVILLELMO LANFRANCVS quoodam dulcissimus, & utinam nunc saltem dulcis; quidquid in hoc sæculo, & in futuro honestius, & melius.

ARGVMENTVM.

Vt Ernostum Priorem designet; quod si quid obstet, alia consilia suggerit, quæ sequi liceat.

B

IN literis, quas nuper transmisistis, hoc præcipuè inter cætera posuistis, & togastis, ut amoto eo, qui nunc præsidet, de substituendo Ecclesiæ vestræ priore vobis consulerem, consultaque sob celeritate scriberem; quam rem fratribus, qui mecum sunt, ostendi; mihique consulere volenti quatenus ipsi quoque consulerent obnixè rogavi. Communis omnium sententia fuit, ut si aliquo secundum Deum modo efficere valeatis, summum Ecclesiæ vestræ Priorem Domnum ERNOSTVM constituatis; quòd si ipse renuerit, aut fortasse Dominus Abbas huic rei consensum præbere noluerit, ordinate quem concors fratrum electio ordinandum decreverit. Si verò vobis hoc consilium displicuerit, capite illud, quod sanom sapienti displicere non poterit, videlicet ut agatis, quod ex ore Domni Abbatis HERLVINI, domnique ANSELMI agendum esse cognoveritis;

C — B. Lanfranci humilitas.

Nam ego ut peccator homo divini consilij ignarus existo, & ipsi utrique, ut credimus, Spiritu Dei pleni sunt, & secum habent, qui in huius mundi negotiis apud Deum adiuuare eos valent. Divina Maiestas, venerande Pater, iocundeque frater, te benedicat, ab omnibus peccatis prorsùs absolvat.

EPISTOLA XLIX.

LANFRANCVS Archiepiscopus dilectissimo filio, & amico * ADELELINO Abbati salutem, & benedictionem.

f.* Adelelmo.

ARGVMENTVM.

Intercedit pro monachis, qui de monasterio recesserant, & agnitâ culpâ redire cupiebant.

D

FRatres isti ad me venerunt accusantes se, & dicentes in vos graviter peccasse, & suâ culpâ de monasterio recessisse; ego vero stultitiam eorum eis audientibus multum adauxi, & satis duris, atque amarissimis verbis eos, prout decuit, increpavi. Postea interrogati à me, si de cætero vellent emendare, responderunt se velle, & de hoc quod egissent plurimùm se dolere; & precati sunt me, quatenus pro eis apud vos intercederem; & meâ eos intercessione monasterio, unde exierunt, reconciliarem.

Quapropter fraternitatem vestram precor, si meis apud eam precibus locus existit, ut pro amore Dei, & nostro, quidquid in vos, & contra ordinem deliquerunt, syncero corde remittatis; & in suis eos locis, in quibus ante culpam erant, suscipiatis, & paternum eis affectum, ut Deus vobis misericors sit, de reliqoo ostendatis.

E

EPISTOLA L.

LANFRANCVS Antistes dilectissimis fratribus REGINALDO Pictavorum urbis Abbati, & * SENTVNO monacho, & HENRICO Canonico salutem.

al.* Seuvuo.

ARGVMENTVM.

Sanctum HYLARIVM *adversus Berengarij calumnias defendit, eiusque verba, quæ in pravam sensum trahebat, orthodoxè dicta, & interpretanda docet.*

F

LEctis literis à vestra mihi per hunc hominem fraternitate transmissis voluntatem vestram intellexi, si facultas detur ad me veniendi: id commodè fieri posse non arbitror; nam & iter prolixum est: pericula multa, terrâ, marique: & ego tot, tantisque huius mundi negotiis obuolutus sum, ut talibus studiis dare mihi operam hac tempestate non liceat. Si divina potestas expeditum me esse quandoque voluerit, & doceri pariter, & docere promptus semper mihi animus erit.

Porrò quòd schismaticus ille (BERENGARIVM dico) sicut vestra Epistola testata est, constanter asserit, quia beatus HYLARIVS vestræ urbis, vestræque Gentis quondam Episcopus in tractatu fidei perversa senserit: & in libro de divina Trinitate improbabiles sententias de Domino IESV CHRISTO * protulit: mirari non debet beatitudo vestra, si is, qui de ipso capite tam multa, & tam nefanda credere, & docere verissimis relationibus infamatur; de ipsius capitis membro tam perniciosa dicere traditur, in reprobum sensum divino iudicio permittatur,

Berengar. schismaticus B. Hylario erroris maculâ aspergit.

G — al.* protulerit.

Revera quisquis Hylario alicuius hæreseos notam imponit, multos orthodoxos principes, qui magnis cum laudibus extulerunt, eiusdem erroris macula inuolvit. GELASIVS Papa in decretis suis, omnes libros eius inter catholicas scripturas enumerat. Eius auctoritas in sacris canonibus decentissimè memoratur, recipitur, & laudatur. Sanctus Augustinus in libro de Trinitate, excellenti eum laude extollit, & quædam ab eo de Patre, & Filio, & Spiritu sancto obscurè dicta enucleatiùs exponit. Beatus HIERONYMVS quantis cum, omnesque libros eius in quibusdam scriptis suis præconiis effert epistolari brevitate comprehendi non potest: vocans eum Romanorum luciferum, Ecclesiarum lucernam, lapidem pretiosum, ad quem mortalia vix ascendunt; pulchro sermone, aureoque universa loquentem Cæteri sacræ religionis doctores, quicumque de eo aliquid loquuti sunt, ab horum sententia in hac parte minimè dissenserunt.

B. Hylarij præconia. Dist. 15. Can. 13.

Lib. 6. cap. 10.

H

Tutius igitur est lectori in difficillimis sanctorum Patrum sententiis, quas ingenij sui imbecillitas capere non potest, interrogato quod nescit, dicere se nescire quàm pertinaci arrogantia, & arroganti pertinacia, non sine sua, & aliorum pernicie, fidei contraria definire: præsertim si talis persona sit, quæ vel scientia literarum, vel probitate morum, vel potius utraque parte authoritatis pondus præ se gerere videatur.

Non in explic. S. dis difficultatibus sanctorum Patrum sententiis quid agendû.

Verba præfati doctoris, quæ præfatus inversor in eius calumniam conatur invertere, hæc in vestris literis reperi: *Dei filius hominem verum secundum similitudinem nostri hominis non deficiens à se Deo, sumpsit: * in quo quamvis aut ictus incideret, aut * vulnus * discinderet, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent: ut telum aliquod,*

De Trinit lib. 10 ante medium. al. * in quem. al. * vulnus. al. * descenderet.

aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans. Et paulo post. *Virtus corporis sine sensu pœna vim pœna in se desævientis excepit.* Hæc sine præiudicio melioris expositionis consona, ut putamus, (Egregiè & doctè illustratur S. Hilarius.) sanctis patribus adstipulatione sic exponuntur a nobis. Dominus IESVS-CHRISTVS in eadem persona verus homo, & verus Deus, secundum humanitatem quidem esurivit, sitivit, fatigatus est, flevit: appropinquante hora mortis pavere, & tædere cœpit: unde & oravit dicens: *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste.* (Mat. 26. d. 39) Plagas virgarum, vulnerúmque discissiones, ut homo similis nobis sensit, & doluit; cæteráfque humanæ naturæ infirmitates assumendo hominem, præter peccatum, assumpsit. Secundum divinitatem verò, quâ Patri, & Spiritui sancto per omnia æqualis est, nihil horum sustinuit: cùm apud omnes fideles hæc semper sit, fueritque sententia; & sacra pagina huiusmodi documentis penè sit ubique referta; & tamen propter unitatem personæ, in quam conficiendam Deus, & homo convenerant, sæpe quæ hominis sunt assignantur Deo; & quæ solius Dei sunt, dicitur habere homo, ut illud Apostoli: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* (1. Cor. 2. b. 8.) Non enim reverà quantùm ad ipsum spectat, Dominus gloriæ est crucifixus, si propter assumptum hominem, quod hominis fuit, dicitur pertulisse Deus. Et ipse Dominus in Evangelio: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo.* (Luc. 3. d. 13.) Et rursus id quod Dei erat, homini est assignatum; Neque enim homo in terra degens, in cœlo tunc esse poterat; sed quia Vnigenitus Patris ita in mundum venit, ut tamen à paterno sinu nunquam discederet, quod solius divinitatis erat, loquens in terra assumpto homini propter unitatem personæ tribuebat.

Hoc locutionis modo superiùs dictum est, quia homini assumpto à Filio Dei ictus, & vulnera impetum passionis inferrent, non tamen dolorem passionis afferrent. Et hoc suppositis similitudinibus declaratur, ut si telum aquam perforet; & cætera quæ sequuntur, ac si diceret, homo assumptus impetum passionis, & vim doloris sensit, Deus assumens non sensit: & hoc paulò post declarat dicens: *Virtus corporis*, id est, divinitas assumens ipsum corpus *sine sensu pœna*, quantum ad ipsam pertinet, *vim pœna in se*, id est, in carne assumpta *desævientis excepit.* Quod si virtus corporis, magis robur ipsius corporis, hoc in loco intelligenda est, eadem sententia in cæteris manet, ut sit sensus: *Virtus corporis sine sensu pœna in se desævientis excepit*, quantùm ad assumptam humanitatem. Et hoc locutionis genere reverà & salva Christianæ religionis fide dici potest; quia Christus, sive Corpus Christi, sive caro Christi in cruce patiebatur, & non patiebatur, dolebat, & non dolebat, moriebatur, & non moriebatur. Et in hunc modum multa, numeróque carentia. Alioquin si præfatus doctor contra usitatissimam Ecclesiæ fidem, contra Evangelicam authoritatem, contra omnium Sanctorum Patrum definitionem, carnem Christi insensibilem, & doloris expertem intelligi voluisset, assumptum à filio Dei hominem similem nobis hominem in præfata sententia minimè retulisset. Quæ enim similitudo sensibili, & insensibili? Dolenti, & doloris experti? retulit autem, non igitur intelligi voluit.

Obsecro vigilate omnibus modis, quia schismatici, & fautores eorum circa vos, & inter vos sunt, opponite eis scutum timoris Domini, impetentes eos iaculis divinorum eloquiorum; adminiculamini nobis memores nostri in orationibus vestris. Omnipotens Dominus det vobis benè agere, & fœliciter, quò tenditis, pervenire.
Amen.

***

EPISTOLA LI.

LANFRANCVS Archiepiscopus dilectissimo amico suo Abbati * T.......... salutem. (Fortè * Turstino ad quem Epist. 54.)

ARGVMENTVM.

Vt excommunicatam adulteram de cæmeterio eiici præcipiat, quo usque Episcopo satisfiat.

CAusam GVNVINE, & LIFCENÆ adulteræ suæ optime novi; & revera Londoniæ coram me eam vestigari præcepi, auditáque utriusque partis assertione, in adulteros sententiam diximus, & iustè eos esse excommunicatos communi consensu decrevimus. Propterea nihil aliud restat, nisi quod Fraternitas tua adulteram de cœmeterio eiici præcipiat; quousque vel corruptor eius, vel aliquis pro ea, quod iustum est, Episcopo faciat. Libenter facerem, quod tibi placere posse intelligerem, & multùm doleo, quod de præsenti negotio voluntatem tuam implere non valeo.

EPISTOLA LII.

LANFRANCVS indignus Antistes venerabili Abbati G.......... salutem, & benedictionem.

ARGVMENTVM.

Orricium commendat, qui apud illum Regis mandato detinebatur.

GRatias quantas possum Paternitati vestræ ago, quod præsentes, & absentes nobis & de nobis bona dicitis, meliora optatis, utrumque verbis, & literis confirmatis. Et reverà sciatis me eandem circa vos voluntatem habere, & vobis, & vestris synceram dilectionem in omnibus, & per omnia exhibere.

Quod de Domino ORRICIO mandastis, gratanter accipio, (Orricius.) sed contra præceptum Regis nihil rogare, & nil iubere præsumo; sed rogo, multúmque rogo, quatenus propter Deum, & propter amorem meum, & quia ipse dignus est, eum diligatis, honeste tractetis, paternum ei affectum, sicut prudentia vestra iudicaverit, impendatis: pro iustitia námque persecutionem patitur, & cum superna voluntas fuerit, in gaudium sibi, & lætitiam convertetur; misertus est tamen ei Dominus, quod inter vos eum voluit esse & putantes nocere, (sicut Domino placuit) plurimum profuere.

***

EPISTOLA LIII.

LANFRANCVS indignus Antistes, Abbati TVRSTINO salutem.

ARGVMENTVM.

Solatur amicum, suadetque ut Regem per se, & per amicos flectere studeat; nec tristetur, si spreverit.

CONsilium meum tibi breviter intimandum rogasti, & ego illud tibi paucis intimare curavi. Roga Deum, ut meminerit tui, & misereatur tibi; & hoc instanter tam per te, quàm per amicos tuos: Nos verò hoc agimus in quantum possumus. Domino nostro Regi offer rectitudinem per amicos, & fideles internuntios. Si spreverit, noli multùm inde esse tristis, neque sollicitus. Visitabit enim Deus plebem suam, cum expedire decreverit. Misericordia Dei tecum sit.

EPISTOLA LIV.

LANFRANCVS indignus Antistes dilecto, & fideli amico suo G.......... salutem, & benedictionem.

ARGVMENTVM.

In comitatibus ipsi commissis nullum sibi esse dominium, sed ad victum monachorum terras Ecclesiæ suæ omnes pertinere.

GRatias ago benignæ sollicitudini tuæ, & sollicitæ benignitati tuæ, quia amicitiam à primordio mutuæ cognitionis mihi promisisti: reipsa, cum opportunitas se ingessit, semper demonstrare studuisti: & nunc precor, multumque precor quamvis non tantopere precibus indigeas, quatenus de præsenti negotio tantùm rebus vestris valeas, quantum valere fuerit tibi desuper data facultas.

Scias autem in illis comitatibus, quorum exquirendorum cura tibi commissa est, me nihil in dominio habere; sed omnes in illis partibus vestræ Ecclesiæ terras ad vitam monachorum per omnia pertinere. Frater vester, qui has tibi literas portat, multa laudanda de te mihi retulit, quorum pluralitas, & Epistolaris brevitas ea nunc enumerari non finit. Sed omnipotens Deus cuius memoriam nihil subterfugit, sicut novit, multipliciter tibi rependat, & ab omni opere malo * priùs auxiliator, te incessanter defendat.

f. * pius

* * *

EPISTOLA LV.

LANFRANCVS Archiepiscopus Abbati R.......... salutem.

ARGVMENTVM.

De monacho pro quo rogaras, ut in monasterium reciperetur, rem integram nunc ei permittit, probaturus quod decreverit.

QVòd fratrem, de quo mihi scripsit fraternitas tua, in monasterium recipiendum cum meis literis tibi direxi, teste conscientia mea, divino id zelo, & amore nostri ordinis feci, neque enim gratia vitandi scandali aliquid volo vel rogare, vel præcipere, quod aliquo modo in maius, vel deterius scandalum valeat pervenire. Loquere igitur cum Episcopo, si fortè adest, & cum Domino GODEFRIDO priore eius, & quidquid super hoc negotio inter vos consulueritis, & consultum opere complendum decreveritis, in omnibus, & per omnia mihi quoque placere noveritis. Neque enim superbiam nutrire volo, quam procul ab omni genere hominum, & præcipuè à nostro ordine remotam esse desidero.

EPISTOLA LVI.

LANFRANCVS Archiepiscopus charissimo amico suo Abbati VVILLELMO salutem.

ARGVMENTVM.

Vt RAINALDO *monacho Glocestrense monasterium petere; ibique cum* SERLONE *Abbate per anni unius spatium conversari liceat.*

ROgo te quantùm rogare possum, & debeo, quatenus huic fratri RAINALDO concedas licentiam conversandi apud GLOCESTRAM cum Abbate SERLONE per spatium unius anni; expedit enim animæ suæ, vt hoc fiat. Huius namque indicium hinc permaximè capio, quod regularem locum petit; quamvis & monasterio tuo, in quo nutritus est, in nullo detrahat. Sed cur hoc facere velit, rationabilem causam enarrat. Iterùm rogo, ne molestè feras, quòd ad me venit, quòd me amicum tuum pro necessitate sua expetiit.

EPISTOLA LVII.

LANFRANCVS Archiepiscopus O.......... Abbati salutem.

ARGVMENTVM.

Arguit quod monacho suo vagandi licentiam concesserit, redire à se compulsum cum honore ut recipiat monet, atque illi tanquam filio paternam charitatem impendat.

FRatrem Gregorium monachum tuum volentem mare transire prohibuimus; & ad monasterium sug

A redire præcepimus, & præcipiendo compulimus. Tu non benè egisti, quod ipsi vagandi extra patriam licentiam concessisti. In hoc satis evidenter apparet, qualis pastor existas, & qua sollicitudine gubernare commissas tibi animas scias.

Mandamus igitur, & præcipimus, & præcipiendo rogamus, quatenus cum honore eum recipias, & de cætero sicut filio tuo paternam ei charitatem impendas. Credimus enim per misericordiam Dei, si sollicitus tui ordinis esse volueris, quod consilium, & auxilium, tam in causis spiritualibus, quàm in sæcularibus per eum habere valebis. Lætificavit me multùm, quod timorem Dei te habere, & bonum hominem esse perhibuit, sed tamen pro simplicitate tua negligentem esse nostri ordinis negare non potuit.

B

EPISTOLA LVIII.

LANFRANCVS Dei gratiâ Archiepiscopus dilecto fratri, & amico REMIGIO salutem.

ARGVMENTVM.

Multos de ipso apud Regem malè loqui, quibus Rex fidem non adhibeat. Expedire ut ad se veniat, ut ex eius ore plura audiat.

CVm multi de te multa perversa dicant: & perpauci sint, qui verbis detrahentium ingenita * liberalitate contradicant, scias tamen dominum nostrum Regem nullius detrahentis contra te verba recipere; sed potiùs contra omnes maledicos regali te auctoritate defendere. Itaque expedit tibi, si propè es, & licitum habes, quatenus ad me venias, & ea, quæ pro sui prolixitate breviter scribi non possunt, ore ad os audias.

al. * libertate.

C

EPISTOLA LIX.

Fortè Hugoni. LANFRANCVS HVG........

ARGVMENTVM.

GREGORIVM *Papam ab eo vituperarì, & CLEMENTEM laudibus efferri non probat: & si Imperatori credat factis sui causas non defuisse: dissuadet ne in* ANGLIAM *veniat sine Regis licentia.*

D

LIteras tuas, quas mihi per portitorem earum misisti, suscepi, & legi, & displicuerunt mihi quædam, quæ in eis inveni. Non probo, quod Papam GREGORIVM vituperas: quod Hildebrandum eum vocas: quod legatos eius spinosulos nominas: quod Clementem tot, & tantis præconiis tam * properè exaltas. Scriptum est enim non esse laudandum in vita sua hominem, nec detrahendum proximo suo. Adhuc incognitum est humano generi, quales nunc sint, & quales futuri sint in conspectu Dei. Credo tamen, quòd Imperator sine magna ratione tantam rem non est aggressus patrare, nec sine magno auxilio Dei tantam potuit victoriam consummare.

f. * properè.

Non laudo ut in Anglicam terram venias, nisi à Rege Anglorum licentiam veniendi priùs accipias. Nondum enim insula nostra priorem refutavit, nec utrum huic obedire debeat, sententiam promulgavit. Auditis utriusque causis, si ita contigerit, perspicacius quid fieri oporteat, provideri valebit.

E

EPISTOLA LX.

LANFRANCVS Cantuariæ Archiepiscopus RODVLFO Abbati salutem.

ARGVMENTVM.

Posse monachum, qui in uno monasterio stabilitatem promiserit, iustis de causis in aliud transmigrare.

F

INdicatum est mihi, de tuo monasterio recedere visum de promissa stabilitate sollicitum es, timens, ne, unde Deum placare * studes, inde offendas. De quo rationem talem ostendo, & in ostendendo meipsum in exemplum sic do. Si ego LANFRANCVS manu propria me de aliquo monasterio non recessurum iurassem, viderem autem quod ibi animam meam salvare non possem, exirem; nec periurij crimen incurrerem. Qui enim Deo propter Deum alligatur, non solvitur ab ipso, nisi contra ipsum solvatur. Porrò ab ipso contra ipsum minimè solvitur; qui propter amorem eius, & ut sibi benè complaceat, à filiis discordiæ, superbiæ, diffidentiæ, & ut * aptius dicam, à filiis diaboli migrat ad filios pacis, humilitatis, spei, immò ad filios Dei. Qui enim sic transit, nonne planè fugit à sede diaboli, ad sedem Dei? Quis enim iudicet illum à Deo damnandum, qui ut ad Patrem, ut ad Dominum, & amicum fugit ad ipsum? Propterea qui sic transit, non ab Ecclesia ad Ecclesiam transit; non enim plures sunt Ecclesiæ; sed una est toto orbe diffusa; *& uni Deo ubique servitur, & uni Regi militatur.* Postremo Beatus BENEDICTVS, qui stabilitatem præcipit firmare, monachum ab alio monasterio ad aliud monasterium venientem iubet suscipi: & si bonæ vitæ fuerit, ut stabilitatem firmet, suaderi.

al. * debes.

al. * apertius.

G *Reg. cap. LXI sub medio. ibidem.*

Finis Epistolarum Beati Lanfranci.

PERICOPE ORATIONIS, QVAM IN CONCILIO A. C. M. LXXII. celebrato habuit Beatus Lanfrancus, de Primatu Cantuariensis Ecclesiæ, contra Thomam Eboracensem. H

Ex Guillelmi Malmesburg. lib. I. de Gest. Pontif. Anglorum.

OPINIO est veritatis egena, quâ asseris, ut dicatur soli Augustino concessum, habere subiectionem omnium Episcoporum Britanniæ, & eorum etiam, qui essent ordinati per Episcopum Eboracensem. Exile & omnino angustum id esset munus, quod familiari ab olim suo, novo Anglo vir largiretur Apostolicus; præsertim cùm vivo Augustino nullus Eboracensis Pontifex ordinaret, quos subiectos haberes

Augustinus

A Augustinus; sed nec aliquis ibi extiterit Episcopus; Beatus si quidem Paulinus primus eiusdem urbis Præsul, non tempore Augustini, sed tempore Iusti, qui quartus fuit Cantiæ Pontifex, illuc directus est. Nescientem gesta Anglorum docebunt, quod dico. Hoc intelligentes sanctissimæ sedis Apostolicæ Præsules subiectionem omnium Episcoporum Angliæ successoribus Augustini confirmarunt, sicut privilegia recitata testantur. Gregorianam, ut dicunt, constitutionem verbis ornantes amplissimis, & libertate munifica prosequentes, eiusdem sedis arbitri, eiusdem sententiæ patroni; Æquumque censent, ut omnes Anglorum Ecclesiæ ab eo loco mutuentur vivendi disciplinam, à cuius fomite rapuerunt credendi flammam. Quis enim nesciat, quòd a Cantia manavit Christi credulitas in Eboracum, & in cæteras Angliæ Ecclesias.

B Porrò quod dicis potuisse beatum Gregorium, si voluisset, successoribus Augustini confirmare dicto, quod concesserat Augustino, verum omnino est, nec potest ambigi. Sed quod, quæso, præiudicium hoc Cantuariensi sedi affert? A simili causam proponam. Nam quando Dominus & Salvator noster IESVS-CHRISTVS dixit beato Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claves regni cælorum:* potuisset adiecere si voluisset, eamdem potestatem successoribus tuis, concedo: verùm dicti prætermissio nihil reverentiæ imminuit successoribus Petri. Ibisne his verbis obviam? Referésne adversa? Enimverò omnium Christianorum conscientiis est inditum ut nihilominus quàm beato Petro successoribus eius, & minantibus attremant, & serenam dignitatem indulgentibus gaudenter applaudant; Estque tunc demum omnium Ecclesiasticarum rerum rata dispensatio, si successorum beati Petri fuerit comprobata iudicio. Quid illud agit, nisi vis divinæ liberalitatis per Dominum IESVM à beato PETRO in Vicarios eius diffussa? Ergo de similibus idem pronuntiabis iudicium, si dialecticam nosti.

Mat. 16 v. 18.

C Prætetea quod valet in toto, valet in parte: quod valet in maiori, valet in minori. Romana Ecclesia quasi totum est omnium, cæteræ Ecclesiæ quasi eius partes. Sicut enim quodam intuitu homo est genus individuorum suorum, & tamen in unoquoque individuo inest totius hominis tota proprietas; ita quodam respectu sedes Romana est genus, & totum omnium Ecclesiarum; & tamen in unaquaque Ecclesia totius Christianæ fidei tota regnat integritas. Ipsa est maior omnium Ecclesiarum; & quod in ea valet, debet & valere in minoribus, ut potestas primi cuiuscumque Ecclesiæ Principis in succedentes dimanet, nisi si quid personaliter, & nominatim excipiatur. Quare sicut Christus dixit omnibus præsulibus Romanis, quod dixit beato Petro, ita quod dixit Gregorius omnibus successoribus Augustini, dixit in Augustino. Hinc conficitur, ut sicut Cantia subiicitur Romæ, quod ex ea fidem accepit: ita Eboracum subiiciatur Cantiæ, quæ eò prædicatores misit.

D Iam verò quòd allegas voluisse Gregorium, ut Augustinus resideret Londoniæ, fluctuat planè; Qui enim firmari potest, ut ipse magistri sui voluntati resultans, in repulsam decretorum iret? sed famæ tam multorum assensu firmatæ derogare fidem refuto. Esto enim, ut aliàs migraret, quid ad me, qui Londinensis Episcopus non sum? Nihil enim meâ interest, nisi quòd usus antiquitatis non patitur, si tu cum Londinensi Pontifice primatus honorem partiaris? Ea de re si, lite sequestra, pace mediâ negotium ventilari desideres, pro mei iuris officio non deero recto iudicio.

***



BEATI

LANFRANCI CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI

De celanda Confessione Libellus.

E

Ex duobus MS. Codicibus Sancti Victoris Parisiensis, & C.V. Alexandri Petauy. F

ARGVMENTVM.

Quæri videtur in hoc libello, cùm proprius Sacerdos pœnitentis confessionem publicaverit, cuinam pœnitens confiteri debeat.

1. *Probatâ Ecclesiæ virginitate, & unitate, ostendit author, quantorum malorum causa extiterit sigilli confessionis infractor.*
2. *In hoc casu, ubi nimirum pœnitenti sacerdotum inest penuria tanta, ut nullus queat prorsus reperiri, posse cum Clericis, quin etiam & Laicis mundis, hoc est fidelibus confiteri; non quod illa confessio (ut proferam hac in re Theologorum sententiam) gratiam ex opere operato conferat (neque enim sacramentalis est) sed ex opere operantis, nempe ex contritione, & humilitate, quam testatam facit confitens in sui delicti revelatione, maiorem ut sibi ruborem adsciscat; unde quodammodo Deus suppleat sacerdotis officium.* G
3. *Ubi nec sacerdos, nec Clericus, nec Laïcus invenitur, non de salute desperandum, sed soli Deo confitendum ex diversis probat SS. Patrum authoritatibus.* H



ROGATVS super virginitate matris Ecclesiæ, quomodo virgo est, quæ non solum ex virginibus, sed etiam ex coniugatis, ex corruptis, & incorruptis carne constat, negare non debui charitati dare de virginitate testimonium. Virgo enim est, & verè virgo; nam si intueamur in speculo puritatis & veritatis, & vere virgo imaginem * habens virginitatis, quod est carne beata Virgo MARIA, mater est Ecclesia conscientiâ. Cuius rei in lineam citius dirigimus, si quatuor Ecclesiastica sacramenta diligenter inspicimus, fidem, baptismum, Dominici corporis & sanguinis consecrationem, peccatorum remissionem. Fide enim est mater Ecclesia quod est carne beata Maria, quia quod illa in Spiritu sancto concepit, ista in Spiritu sancto credit. Sacramentis baptismi, Dominici corporis & sanguinis, peccatorum confessionis divisa non est; & quia verè una, verè est virgo; quia omnis virgo, ex eo quod virgo est, in duo dividi non potest; etenim caro quæ virgo est, perfectè est virgo; Beata * ergo mater Ecclesiæ una eadémque in sacramentis, & fide, dum nihil corruptum in conscientia,

*al. * huius.*

*al. * verò.*

sicut

A sicut nec virgo Dei Genitrix patitur; ut illa in corpore, ita ipsa quoque sensit virgo est. In huius itaque virginitatis speculo ad intuendam faciem veritatis in sacramentis confessionis nonnulli, & quod gravius est, qui imaginem videntur habere religionis, caligant, quæ diligentius intueamur; & omne quod unum non est in sancta Ecclesia, ab oculo veritatis evanescat.

a Tria esse sacramenta confessionis Dominus in sua persona declaravit, figuram baptismi, unam conscientiam de duobus, Deum & hominem in eodem iudicio. *b* In figura baptismi, is qui confitetur, abrenuntiat per pœnitentiam, & credit per fidem, *c* sicut is, qui baptizatur, abrenuntiat, & credit. Unde & Dominus idem testimonium accepit à Patre in Transfiguratione, quod & in baptismo; & additum est, *ipsum audite*; De eo enim de quo audierat Ioannes, *hic est qui baptizat*, audierunt discipuli, *ipsum audite*, *d* quia qui baptizat in baptismate, ipse auditur in pœnitentiam dante. (Matth. 17. a. 6. Ioan. 1. d. 33.)

B Duæ conscientiæ in unam transeunt, confitentis scilicet in eius, cui confitetur, & iudicantis in eiusdem, qui iudicatur. Hanc unitatem imprecatur Filius Dei apud Patrem: *Ut & ipsi in nobis*, inquiens, *unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te*. Deus & homo in eodem iudicio conveniunt, quia qui se iudicat, iam cum Deo facit: Unde & latro in cruce cùm dixisset: *nos quidem digna factis recipimus*, quia cum Domino se iudicavit, cum Domino in Paradiso est. (Ioan 17. c. 21. August. tract. 13. in Ioan. sub fi. 8. Luc 23 f. 41.)

In his sacramentis qui quocumque modo de confessis sibi aliquam suspicionem in publicum oriri scienter faciunt, vel confessos infamant, caligant; & hi qui in confessionem aliquam, vel consortem

C sui criminis produnt, peccant & illi, qui in * confessionem facta aliorum perquirunt. *e* Cum enim confessio figuram baptismi teneat, scimus quia in peccati abrenuntiatione, non alterius detractione baptizamur. In Iudæ etiam proditoris Domini consentitur participio, quia licet is, cui detrahitur, ex eo quod peccavit personam Domini non significet, ex eo tamen quod traditur significare potest. Dominus namque etsi non peccavit, tamen traditus est, de quo Iudas ait: *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum*; & is, cui cum * imagine familiaritatis quasi osculum vel exhibet, vel exhibuit, *f* de crimine rogat teneri in confessione. Et Apostolus Ioannes: Omnis *qui facit peccatum ex diabolo est* natus, *quia ab initio diabolus peccat*; hoc peccatum violationem charitatis intelligimus, quia ab initio diabolus * peccat. Horrendum verò est valde, cum is, qui per confessionem puram de Spiritu sancto renasci debuerat, in alterius detractione per violationem charitatis de diabolo renascitur. Et scriptura: *Iustus in principio sui accusator est*: Sui, non alterius. Et item: *Confitemini alterutrum peccata vestra*: vestra, non aliena. (F * confessione: vel sic. peccant & illi in confessionem qui facta &c. Marci 14. e. 44. al * imaginem. 1 Ioan 3 b. 8. al * perdidit. Prov. 18 c. 17. Iac. 5. d. 16.)

D In quo revocemus ad memoriam, quia Iudas se solum laqueo suspendit; derogans enim in confessione solùm sibi nocet, quia is, cui derogatur, nec publicatur, nec in quamcumque suspicionem quocumque modo adduci salvis sacramentis potest confessionis. Unde in sacris canonibus, & causis Ecclesiasticis de his tantùm, quæ in tractatu audivimus, & videmus in effectu tractari, palam loquimur, & testamur. Et in veteri Testamento bos cornupeta recludi præcipitur: si enim non reclusus in campo publicationis aliquem occiderit, id est, in suspicionem mortalis criminis adduxerit, Dominus eius, is videlicet, cui per confessionem se credidit, quia non eum reclusit, aliquod videlicet in confessione dictum peccatum, vel quemquam simpliciter à derogante nominatum, in causam publicam quocumque modo adducit, morte mori præcipitur. Revelator enim confessionis, mortalis criminis reus est; fidem namque mentitur, sacramenta confessionis non observat, in unitatem Patris, & Filij peccat, in Spiritum sanctum, qui (Exod. 21 c. 29.)

E est vera remissio, blasphemat; & cum Iudæis Domino dicit: *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Fidem mentitur, cùm, quod fidei Christianitatis eius creditum est, non servat; de qua beatus Augustinus in Homilia X. super epist. Ioannis dicit: *Qui non credunt*, id est, qui fidē non habēt, *peiores sunt quàm dæmones, & tardiores*. (Ioan. 8. f. 48.)

Sacramenta confessionis violat, quia nec pœnitentem in confessione baptizatum credit; ipsumque secundum baptismum, id est, confessionem, quantum in ipso est, destruit; nec unitatem conscientiæ custodit, nec Deum in suis iudiciis convenisse veretur. In unitatem Patris, & Filij peccat, cùm unitatem, quæ est inter Deum Patrem, & Filium, in confitente sibi repræsentatam quacumque publicatione dividit. Cum enim Filius ad Patrem dicat: *Et ipsi in nobis unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te*; aut Deum unum, aut se in illo, qui unus est, aut omnipotentem in ipso posse operari unitatem negat. Sed quia (Ioan. 17 c. 21.)

F Deus unus est, & membra Christi in unum conveniunt, profectò liquet; quia duo ab unitate Ecclesiæ, quæ est Corpus Christi, per tanti violationem sacramenti se præcindit, non in Deo, nec ex Deo, nec cum Deo est. In Spiritum sanctum blasphemat, dum, quod in fide, & advocatione eius, qui est remissio peccatorum, sibi creditum est, revelat, ostendens quia apud eum nec Spiritus sanctus est advocatus. Apud Salomonem quoque fraudulentus vocatur, qui revelat arcana, & fidelis qui animi celat commissum. Et in Ecclesiastico: qui denudat arcana amici, perdit fidem, quæ est origo, & fundamentum omnium virtutum, incurritque desperationem, quæ est blasphemia Spiritus, & ultimum, maximumque omnium criminum. Cum Iudæis Domino dicit: *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Per dæmonium peccatum potest intelligi, teste Evangelista, qui de Maria Magdalena septem dæmonia eiecta dicit: & Dominus Samaritanus esse, & dæmonium (Prov. 11. b. 13. Eccli. 27 b. 17. Ioan. 8. f. 48.)

G habere dicitur, cùm confessi culpa redemtor; quia qui Samaritanus est, id est, custos per confessionem, in eo quem custodit, dæmonium habere improperat per peccati communionem.

Si verò is, qui confitetur, in culpa perseverat, & etiam anathema est is, cui confessum est, cum Domino usque ad certum Iudam patiatur, nec etiam in illos * aliquando per se, vel per aliquem vindictam exerceat, qui sibi denuntiati sunt in crimine, vel per confitentium malitiam, vel simplicitatem, ne sacramenta confessionis violentur. Sunt enim quidam, qui non arbitrantur indulgentiam consequi, nisi sociorum suorum nomina detexerint. (al. * aliquā omnino vel.)

Sunt & alij, qui studiosissimè in confessione facta perquirunt aliorum, quod vitiosissimum nobis videtur esse, quia secundùm Papam Gregorium, magnum curiositatis est vitium. Iam de his, qui vel alios in confessione produnt, vel quod confessum est in causam publicam quocumque modo adducunt, vel à confitentibus crimina sociorum inquirunt, rarò quidem, nec secundùm rigorem scripturarum, nec aures audire, quàm horribiles sint, horrescant. (In Iob l. 5 c. 3 vers. 40.)

H Tamen quantulumcumque dictum est, *g* videamus quibus tunc confitēdum sit. *h* Hi in primis de quibus diximus cavendi sunt, quoniam si B. Ioannis Epistola prima requiritur, in omnibus sacramentis moribus Antichristi sunt. Quibus prætermissis, in veteri Testamento sacerdotibus lepra ostenditur: Levitæ tabernaculum fœderis comportant, erigunt, deponunt. Tabernaculis populi à tabernaculo fœderis terminum ponunt, ne indiscretè appropinquent ad tabernaculum, & moriantur. Tabernaculum fœderis corpus est Dei & hominum mediatoris, a quo Levitæ populo terminum ponunt, dum pro quibus peccatis à mensa Domini abstinere debeat, docent. De Subdiaconis dicitur: *Mundamini qui fertis vasa Domini*. Vasa, corda significant; unde in Evangelio: (Cap. 1: a. 1. Levit. 13 f. 49. Num. 1. g. 50. Isaia 52 c. 11.)

A *Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Subdiaconi itaque vasa Domini lavant, cùm conscientias mundant: Acolythi luminaria accendunt Ecclesiæ: Exorcistarum est officium ex obsessis corporibus dæmonia effugare: Lectorum est, verbum Dei referre: Ostiariorum est, Ecclesiam aperire. Quæ si omnia diligenter intuentur, ad hoc fiunt visibiliter, ut ab his, à quibus fiunt, fiant per mundationem conscientiarum invisibiliter. Vnde B. Augustinus in tractato sexto epistolæ S. Ioannis Apostoli, sic de Baptismo: *Aqua sacramenti visibilis est, aqua spiritus invisibilis; ista abluit corpus, & significat * quid fiat in anima.* Visibilia namque sacramenta & operantur, & * significant invisibilia. *i* In hoc cognoscimus quia de occultis omni Ecclesiastico ordini confiteri debemus, de apertis verò solis convenit sacerdotibus, per quos Ecclesia, quæ publicè novit, & solvit, & ligat.

Mat. 25 a 4.

al. * quod fit.

al. * significant.

B Sin nec in ordinibus Ecclesiasticis cui confitearis invenis; vir mundus ubicumque sit, requiratur, sicut in veteri Testamento præcipitur: *Ista lex est hominis, qui moritur in tabernaculo. Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, & universa vasa, quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus. Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulchrum, immundus erit septem diebus, tollent de cineribus combustionis atque peccati, & mittent aquas vivas super eos in vas in quibus cum homo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, & cunctam supellectilem eius, & homines huiuscemodi contagione pollutos; atque hoc modo mundus lustrabit immundum tertio, & septimo die.* Longum est per singula allegoriarum mysteria currere. Sed diligenter intuendum quid est, quod sine determinatione cuiusquam ordinis homo mundus lustrare immundum dicitur, *k* & quosdam sanctorum Patrum legimus, qui animas rexerunt, & tamen eorum ordines nescimus.

Num. 19 c. 14.

C

l Quod si nemo cui confitearis invenitur, ne desperes, *m* quia in hoc Patrum conveniunt sententiæ, ut Domino confitearis. Vnde B. Ioannes Chrysostomus super 50. Psalmum: *Si confunderis alicui dicere * quæ peccasti, dic ea quotidie in anima tua. Non dico ut confitearis conservo tuo, ut tibi exprobret, sed confitere Deo, qui ea curet.* Item idem super Epistolam ad Hebræos: *Non dico tibi, ut prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses, sed obedire te volo Prophetæ dicenti: Revela Domino viam tuam*, & tunc demum spera misericordiam te posse consequi. Et in septem collationibus ultimis Ioannes Cassianus: *Si verecundia retrahente revelare peccata tua coram hominibus erubescis, illi, quem latere non possunt, confiteri ea ingi supplicatione non desinas, qui & absque ullius verecundiæ publicatione curare, & sine improperio peccata donare consuevit.* *n.* Maximus in sermone Paschali dicit: *Invenio quod Petrus fleverit; non invenio quid dixerit: lachrymas eius lego, satisfactionem non lego.* Et lingua Spiritus sancti Leo: *Lachrymis lavatur delictum, quod voce pudor est confiteri. Misericors etenim Dominus, & absque ulla confessione respexit Petrum, & indulsit ei trinæ negationis admissum.*

Homil. ad hunc versum Et peccatum meum contra me est semper, ante medium. al. * quia. Super cap. 12. hom. 31. post medium. Psal. 36 a. 5. Collat. 20. c. 8.

D

Hoc idē etiam S. Ambr. dicit super Lucam lib. 10 in fine commentarii ad c. 22 de negatione Petri.

Sciendum verò minoribus summoperè est sacerdotibus, & maximè Prælatis, ne culpam dictam in occulto sub nomine alterius culpæ vindicent in publico. Vnde in linea veritatis, sigillo videlicet Evangelico, cùm Filius Dei dixisset, ut ipsi in nobis unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, non sine magno sacramento tacuit nomen Spiritus sancti, cùm Pater, & Filius, & Spiritus sanctus unum sint. Vnitas enim confitentis in tertiam adduci personam non debet, nec sub nomine alterius culpæ ista puritas infamari, sed secretè Spiritui sancto committi.

Omitto de his, quæ confessa sunt, tantùm loqui, cùm Evangelium de his, quæ videmus, & patimur, dicat: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum.* De qua sententia B. Augustinus sic in verbis Evangelij dicit: *Corripe fratrem tuum inter te, & ipsum solum, * intuens correctionem: parcens pudori; fortè enim præ verecundia incipiet defendere culpam suam, vel peccatum suum; & * quem vis facere correctiorem, facis peiorem. Corripe ergo inter te, & ipsum solum.* Item idem: *Tu scis, quia peccavit, quia enim secretum fuit, quando in te peccavit, secretum quære, cum corrigis quod peccavit: nam si solus nosti quod peccavit in te, & eum vis coram omnibus corrigere, non es correctior, sed proditor.* Item idem: *Ipsa corripienda sunt coram hominibus, quæ peccantur coram hominibus. Ipsa corripienda sunt secretiùs; quæ peccantur secretiùs; distribuite tempora, & concordat Scriptura. Sic * agimus, & sic agendum est, non solùm quando in nos peccatur, sed quando peccatur ab aliquo, ita ut ab altero nesciatur. In secreto debemus corripere, in secreto arguere, ne volentes publicè arguere prodamus hominem. Nos volumus corripere, & corrigere, quid si inimicus quærit audire, * & corripere? Novit enim nescio quem homicidam Episcopus, & alius nemo illum novit. Ego publicè corripere, at tu quæris inscribere, prorsus nec prodo, nec negligo. Corripio in secreto, pono ante oculos Dei iudicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo pœnitentiam. Hac charitate præditi esse debemus. Vnde aliquando homines reprehendunt nos, quia quasi non corripiamus, aut putant nos scire quod nescimus, aut putant nos tacere quod scimus. Sed fortè quod * scis & ego scio, sed non coram te corripio, quia curare volo, non accusare. Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant; aliquando nobis produntur ab uxoribus suis plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus. Nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus: ubi contingit malum, ibi malum moriatur. Non tamen vulnus illud negligimus, ante omnia ostendentes homini in tali peccato constituto, sauciamque gerenti conscientiam; illud vulnus esse mortiferum.* Beatus Hieronymus sic super Mathæum dicit: *Corripiendus est frater seorsum, ne, si semel pudorem, ac verecundiam amiserit, permaneat in peccato.*

E

Mat 18. b 15. Serm. 16. de verb. Domini c. 4. 5. 10. al. * intuens correctionem. al. * quē vis facere correctiorem. Ibid. c. 7. Ibid.

al. * agimus. Ibid c. 8.

F

al. * quod punis.

al. * scio.

G

In c. 18. in medio, ad illa verba. Si peccaverit in te, &c.

In his satis liquet, quia si quæ videmus, & patimur, salvo Dominico præcepto, nonnisi inter nos, & fratres nostros peccantes secretum habere possumus. Si corrigere voluerint, omnimodis confessa detegimus, teste Spiritu sancto, Antichristi, & proditores habemur. De quibus Felix Papa: *Proditorum nec vox, nec calumnia audiatur.*

Fel. 2. Ep. 1. in medio to 2. Conciliorum editionis Regiæ.

Quòd verò, quæ confessa sunt sub nomine alterius culpæ vindicari, vel secrete visa detegi non debeant: Sic dicit Innocentius Papa: *Latentia peccata non habeant vindictam, & probatione cessante vindictæ ratio conquiescat.* In his omnibus liquet, quia unam cum sponso suo mater est Ecclesia, & membra sua non divisioni, sed unitati parit in sæcula sæculorum. Amen.

* * *

H

DOMNI

A

DOMNI LUCÆ DACHERII,
BENEDICTINI CONGREG. SANCTI MAURI.
AD
B. LANFRANCI CANTVARIENSIS
Archiepiscopi Libellum de celanda Confessione.

B

ANIMADVERSIONES.

a (TERRIBILIA esse sacramenta) Perspicuum est sacramentum hoc loco (uti & superiùs) pro re sacra usurpari, sublimi videlicet, arcana, & recondita: id Græci *μυστήριον* appellant. Sic intelligendum est illud Sapientiæ 2. d. 22. *Nescierunt sacramenta Dei.* Ephes. 1. b. 9. *Vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ.* Et collectæ in solemnitate Transfigurationis Domini: *Deus, qui fidei sacramenta in Vnigeniti tui Transfiguratione Patrum testimonio roborasti, &c.*

C b (*In figura Baptismi*) Hoc est, In Ioannis baptismate, quod umbra fuit & figura baptismi novæ legis: illud enim pœnitentiæ erat, & ad gratiam præparatio: Ideò subiungitur: *Is qui* abrenuntiat per pœnitentiam, & credit per fidem: quippe qui initiabantur baptismo Ioannis, peccata sua confitebantur, iisque abrenuntiabant, & in Christum credebant venturum. De consecr. dist. 4. c. 135. Durand. de S. Portiano in 4. sentent. dist. 3. q. 3. Soto in 4. sent. dist. 2. q. 2. art. 1.

c (*Sicut si qui baptizatur*) Christi videlicet baptismo peccata condonante, gratiam, & virtutes theologicas conferente; ut aqua Christiana tincti, Satanæ, mundo, & pompis eius abrenuntient. Ita communiter Theologi.

d (*Quia qui baptizat, in baptismate, ipse auditur in pœnitentiam dante*) Christus Dominus hîc innuitur, siquidem ipse ut causa principalis & baptizat, & absolvit à peccatis ministerio sacerdotis.

D e (*Cùm enim Confessio figuram baptismi teneat*) Est namque veluti secundus baptismus, & *secunda post naufragium tabula, cùm peccaveris, erubescere*, inquit B. Hieronymus l. 5. in cap. 16. Ezech. sub med. Quemadmodum enim in baptismo peccatum originale & actuale abluitur; sic in pœnitentiæ sacramento universa actualia peccata solvuntur: Verùm pœnitentia omnimodam baptismi haudquaquam præ se fert figuram: ut probant S. Thomas in 4. sent. dist. 17. a. 3. ad 2. Dominic. Soto in 4. dist. 18. q. 4. art. 1. Et alij passim.

f (*De crimine rogat teneri in confessione*) Id est (ut reor) peccata confitentem posthac eisdem optat teneri, scilicet pro impio haberi, ac in summum vitæ discrimen adduci. Non secus enim ac Iudas osculi signo effecit, ut in Christum manus iniicerent Iudæi, atque adeò morti traderent; ita Sacerdos pœnitenti quasi osculum exhibet, dum sinistra mente ipsi in Confessione paternum affectum, benevolentiam, séque singulari eius salutis desiderio flagrare, profitetur, uti ab eodem pœnitente maiorem peccatorum notitiam possit elicere, & postmodum ea, quæ æterna oblivione debuerant obvolvi, evulgat in publicum, sicque illum ab aliis intendit sceleris argui, opprobrio affici, ac tandem mortis dignus iudicari.

E g (*Videamus quibus tunc confitendum sit*) Notes velim hoc loco non dici, videndum quinam tunc, putà in eo casu, quo proprius Sacerdos infringit confessionis sigillum, habeant potestatem absolvendi, sed tantummodò, *quibus tunc confitendum sit.* Vnde intelligi datur iis, quos posteà refert, detegenda duntaxat humili confessione peccata, ut exinde pœnitentibus magis contritis Deus misericordiam impendat, atque interna subsidia, vires & consilia, quibus in posterum ad meliorem frugem redire valeant, ab Ecclesiastico viro, seu etiam à laïco probo subministrentur.

h (*Hi in primis, de quibus diximus, cavendi sunt*) Quandoquidem in consequentibus omnes ordines recenset Beatus Lanfrancus, de proprio sacerdote infideli, hoc est peccata subditarum sibi animarum propalante superiùs fuisse locutum, necessariò colligendum videtur; consuleréque, ne eiusmodi traditori, Dei Ecclesiam, quæ una est & casta, dividere atque infamare conanti, conscientiam aperiat, qui consilium postulat. F

i (*In hoc cognoscimus quia de occultis omni Ecclesiastica ordini confiteri debemus*) Hoc verbum *debemus* non semper necessitatem, aut præceptum ingerit, sed consilium quandoque suggerit, uti inter alios docet Soto in 4. sentent. dist. 18. quæst. 4. art. 1. in fine, agens de confessione laïco facienda: *Verbum debet*, ait ille, *non sonat præceptum, ut nonnulli ex Summistis arbitrantur, sed decentiam, quæ tempore Sancti Thomæ frequentior erat in usu.* Illa, & quæ sequitur sententia, quadrupliciter potest intelligi. Primò quidem occulta dicit Lanfrancus confitenda omni viro Ecclesiastico, seu etiam laïco fideli, ad hoc ut confitens instruatur, quàm gravia nimirum sint à se commissa peccata, quænam à divinorum arceant participatione sacramentorum, & posthac quomodo sese à suis delictis temperare debeat. Et id ex mente Sanctorum Patrum: Sanctus Benedictus Regulæ c. 7. de humilitate: *Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala à se absconsè commissa, per humilem confessionem Abbati non celaverit suo.* Quæ sanè directionis gratiâ aperiri vult beatissimus Pater, nam in confessione sacramentali non solùm occulta, sed & aperta revelanda sunt. Docent hæc etiam Sanctus Basilius Regulæ Interrog. 219. Concord. Regularum cap. 15. [Confessio peccatorum hanc habet rationem, quam habet vulnus aliquod corporis, vel passio, quæ medicinæ demonstranda est. Sicut ergo non omnibus quis vitia vel vulnera corporis sui revelat, nec quibuslibet, sed his tantummodò, qui summæ peritiæ testimonium habent, & curæ & medelæ disciplinam: ita & confessio peccatorum fieri apud eos tantummodò debet, qui curare hæc prævalent, & emendare, &c.] S. Isidor. c. 15. Regulæ. [Qui nocturnâ illusione polluitur, publicare hoc Patri monasterij non moretur; culpæque suæ meritis tribuat, & occultè pœnitentiam agat, &c. Sanctus Fructuosus Regulæ cap. 15. Omnes actus, sive occasionum necessitudines semper necesse est, ut monachus Patri referet, & ex illius cognoscat discretione; vel iudicio quid attendat. Cogitationes revelationes, illusiones, & negligentias proprias seniori nullus celet; sed semper huiuscemodi vitia cum lachrymis atque compunctione cordis atque humilitate verissimè Abbati, Præposito, sive Prælatis senioribus revelanda sunt; & consolatione, oratione, castigatione, sive etiam exercitatione idonei operis castiganda. Ex Regula cuiusdam cap. 7. in cap. 15. Concord. Regularum: Abbas, vel Præpositus, vel quilibet seniorum fratrum, cui ab Abbate commissum fuerit, ut confessiones recipiat, crimina maiora vel minora nullatenus manifestet, nisi soli iusto iudici, qui omnium confitentium crimina lavat] Quam sanè doctrinam mentem assequi auctoris, non ita obscurè superior mystica ordinum interpretatio, ex veteris Testamenti allatis exemplis, demonstrat.

2. Per occulta peccata venialia, per aperta, hoc est apertè mala, lethalia possunt intelligi: Sic interpretor S. Bedæ locum in c. 5. Epist. B. Iacobi, ad hæc verba: *Confitemini alterutrum peccata vestra*; dicit: [In hac autem sententia illa debet esse discretio, vt quotidiana leuiaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumque quotidiana credamus oratione saluari. Porrò grauioris lepræ immunditiam iuxta legem sacerdoti pandamus, atque ad eius arbitrium qualiter, & quanto tempore iusserit, purificare curemus.] Vener. Bedæ sententiæ calculum adiicit. Suppar. B. Lanfranco auctor, Radulphus Ardens, concione in Litania maiore post initium: [Cui fieri debet confessio? Confessio criminalium debet fieri sacerdoti, & nominatim, qui solus habeat potestatem ligandi atque soluendi, sicut & lepræ iudicium solis sacerdotibus in lege erat commissum. Confessio verò venialium, alterutri & cuilibet, etiam minori potest fieri: quoniam propter venialia non separatur homo à Deo, nisi per incuriam: sicut nec per scabiem, vel per impetiginem, aliquis in lege separabatur à castris. Fit autem hæc confessio, non quòd possit à peccatis absoluere, sed quia propter propriam humiliationem, & peccatorum nostrorum accusationem, mundamur à peccatis: Vnde & non dicimus: *Ego dimitto tibi peccata tua*; sed dicimus orando: *Misereatur tui omnipotens; Deus, &c.*] Huc vsque Radulphus, qui mirum in modum sententiam hanc de occultis & apertis delictis illustrat.

3. Per illa verba, *occulta*, & *aperta*, confessionem in genere ac in specie notari volunt nonnulli: siquidem cùm in genere dicimus: Ego grauissimus peccator in multis criminibus divinam bonitatem offendi: cùm recitamus Confiteor Deo omnipotenti, &c. occultamus peccata, quandoquidem ea nominatim minimè declaramus. Speciatim autem crimina sua quis aperire noscitur, dum v. g. fatetur se in blasphemiam, fornicationem, &c. toties incidisse. Et posteriori hoc modo peccata soli sacerdoti, qui ligandi habeat potestatem & soluendi, sunt confitenda. Ita Alexander de Ales in 4. sententiar. quæst. 78. articul. 1.

4. Rationem cur olim fuerit vsu recepta confessio coram laico, adferunt hanc Theologi; quod eiusmodi confessio ad confusionem, & erubescentiam, quæ pars est satisfactionis, ordinetur: illi etenim, qui laico, seu non Sacerdoti, & sibi æquali aperiunt scelera sua, id ex contritione agant necesse est, ac proinde virtute humilitatis supplere Deus vicem sacerdotis, & gratiam (non sanè sacramentalem, cùm sacramentalis minimè fuerit confessio) impertiri eisdem præsumitur. Ita ergò B. Lanfrancus occulta solùm omni viro Ecclesiastico detegenda consulit, siquidem ex huiusmodi peccatorum proditione generatur verecundia & sui ipsius abiectio; vnde confitens divina misericordiâ atque integrâ peccatorum veniâ fit dignus. De apertis verò, seu publicis non ita: Qui enim suffunditur humiliaturque homo, cùm ea, quæ omnibus sunt nota, & coram vniuersis peracta, confitetur? Nempe si hominem in foro quis occiderit, propter blasphemiam fuerit morte damnatus, in domo propria publicum lupanar foueat, &c. nihil exinde sumet humilitatis, aut verecundiæ; vbi ea socio reuelauerit; neque confessionis virtute delictorum indulgentiam merebitur vllam: quippe deest, cui aperuit, peccatorum ligandorum, soluendorumque potestas, quæ soli competit sacerdoti. Atque hæc posterior sententiæ B. Lanfranci interpretatio mihi magis arridet; verum theologorum fulcienda, corroborandaque authoritatibus Liber de vera, & falsa doctrina (nomine B. Augustini à plerisque citatus) cap. 10. in appendice tom. 4. operum eiusdem Augustini, hæc suppeditat: [Verecundia magna est pœna, qui erubescit pro Christo dignus est venia. Et post pauca, Tanta itaque vis confessionis est, vt si deest Sacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit, quod pœnitens non potest confiteri coram sacerdote, quem desideranti nec locus, nec tempus offert. Etsi ille cui confitebitur potestatem soluendi non habet, fit tamen dignus veniâ ex desiderio sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis. Mundati enim sunt leprosi, dum irent ostendere ora sacerdotibus, antequam ad eos peruenirent. Vnde patet Dominum ad cor respicere, cum ex necessitate prohibentur ad sacerdotes accedere. Petrus Lombard. lib. 4. sentent. distinct. 17. Si defuerit Sacerdos, proximo vel socio est facienda confessio. Item infra. Quærendus est Sacerdos sapiens, & discretus, qui potestate simul habeat iudicium; qui si fortè defuerit, confiteri debet socio.] Deinde multis interiectis, ex D. Chrysostomo profert ista: [Qui timet iudicium Dei, peccatum non erubescit confiteri. Perfectus timor soluit omnem pudorem: confessio peccati pudorem habet, & ipsa erubescentia est grauis pœna. Ideoque iubemur confiteri peccata, vt erubescentiam patiamur pro pœna.] S. Thomas in 4. sent. dist. 17. quæst. 3. articul. 3. ad 5. agens de confessione laico facienda, vbi deest copia sacerdotis, ait: Quando necessitas imminet, debet facere pœnitens quod ex parte sua est, scilicet conteri cui potest, qui quamvis sacramentum perficere non possit, vt faciat id quod ex parte sacerdotis, absolutionem scilicet, tamen defectum sacerdotis summus Sacerdos supplet: nihilominus confessio laico ex desiderio sacerdotis facta, sacramentalis est quodammodo, quamuis non sit sacramentum perfectum, quia deest ei quod est ex parte sacerdotis. Et paulo post. Quamvis ille, qui laico confessus est, in articulo necessitatis consecutus sit veniam à Deo, eò quod propositum confitendi, secundum mandatum Dei, quod concepit, sicut potuit, impleuit, non tamen adhuc Ecclesiæ reconciliatus est, vt ad sacramenta Ecclesiæ admitti debeat, nisi priùs à sacerdote absoluatur.] Rationem adfert S. Bonaventura, quare confessio fieri possit socio in 4. sent. dist. 17. par. 3. dub. 1. [Non fit socio, vt suppleatur locus sacerdotis, vel vt confessio sacramentum ex hoc habeatur, sed vt voluntas confitentis probetur, & innotescat, vt totum quod in se est, faciat, &c.] Durandus de S. Porciano in lib. 4. sent. dist. 17. quæst. 11. ex opinione quorumdam hæc habet: [Quando deest sacerdotis copia, & necessitas imminet, debet facere pœnitens quod in se est (scilicet conteri, & confiteri cui potest, clerico non sacerdoti, vel laico.) Sed istud non videtur necessarium, quia cessante principali cessat accessorium, sed confessio fit principaliter propter absolutionem; ergò si desit copia sacerdotis absoluentis, qui solus potest in foro pœnitentiæ absoluere, absolutus est pœnitens ab obligatione confessionis. Propter hoc potest aliter dici, quod nunquam est necessarium confiteri non sacerdoti, est tamen licitum, si fiat ex sola humilitate ad habendum consilium, vel ad verecundandum propter Deum, cum verecundia sit pars satisfactionis, dummodo confitens non se subiiciat non sacerdoti sacramentaliter, vt ministro, &c.] Dominicus Soto in 4. sent. dist. 18. q. 4. art. 1. sub medium, de hac re inter alia hæc profert: [Erubescentia confitendi, & humilitas augebunt illi meritum, & poterit ab illo amico consilium accipere, & medelam suis curandis morbis.] Et paulò post respondet Scoto, qui eiusmodi confessionem in detrimentum fore salutis affirmat: Moderatiùs tamen, inquit ille, dicere possumus iam non esse in vsu, neque esse consulendam, &c. Videsis etiam Alexandrum de Ales in 4. sent. quæst. 78. membro 1. art. 1. Gabrielem dist. 17. quæst. 1. dub. 7. Syluestrum V. Confessor. 1. quæst. 1. Nauarri man. cap. 11. num. 41. Guill. Estium in 4. sent. dist. 17. §. 1.

k (*Et quosdam sanctorum Patrum legimus, qui animas rexerunt, & tamen eorum ordines nescimus*) Quod compertum habetur in SS. Apionio, Hilarione, Pambo,

Macario,

A Macario, Francisco de Paula, atque aliis quamplurimis; de quorum ordinibus ne verbum quidem apud probatos scriptores offenderis. Coram illis modo, quo supra in priori explicatione dictum est de occultis, & apertis peccatis (nimirum directionis gratia) fiebant confessiones.

l (*Quod si nemo, cui confitearis, invenitur, ne desperes*) Hoc loco non obscurè docet auctor, de confessione in extrema necessitate facienda priùs fuisse locutum; necnon & eadem prorsus mente, quæ sequuntur Sanctorum Patrum authoritates subiecisse: necessitatem verò intelligit eam, dùm proprium, aliúmve sacerdotem, & quos supra recensuit, quibus tutò, & absque publicationis timore scelera sua deponat, nusquam potest invenire.

B m (*Quia in hoc Patrum conveniunt sententiæ*) Magister sententiarum ubi supra: & Cardinalis Bellarminus cap. 15. & 20. l. 3. De pœnitentia, hasce Patrum sententias de publica confessione interpretantur. Illos consule si lubet. Easdem nihilominus sententias de revelatione seu infractione sigilli confessionis esse intelligendas, contendere videtur Beatus Lanfrancus: ubi videlicet securè, cui possit committere sua peccata, adest nemo; velut ipse disertis verbis innuit: *Quod si nemo cui confitearis invenitur, ne desperes, quia in hoc Patrum conveniunt sententiæ, ut Domino confitearis.*

n (*Maximus in sermone Paschali*) Seu Beatus Ambrosius lib. 10. in Lucam cap. 96. Hæc & quæ sequitur Sancti Leonis sententia, duobus modis à Bellarmino explicatur loco citato cap. 20. sub finem: 1. [Eodem tempore nondum institutam fuisse Confessionem sacramentalem, ac per hoc nihil esse mirum, si Petri confessio non legatur. Deinde Sanctum Ambrosium loqui de lachrymis, quæ Confessionem
C quamdam continent: sic enim Sanctus Petrus, cùm sciret Christo notum fuisse crimen suum, non voce, sed lachrymis confessus est, id quod omninò sufficit in Confessione, quæ fit Deo, qui omnia novit, &c.]

EIVSDEM LANFRANCI Archiepiscopi Cantuariensis sermo sive sententia.

D OCTO sunt quæ si diligenter à religiosis observentur, per horum observantiam non esse segnes sui ordinis custodes, ab iis qui sanum sapiunt, facilè iudicabuntur. Primum est, ut claustrum suum teneant, neque de illo ullo modo sine licentia exeant, neque etiam tunc nisi rationabilem causam habeant. Secundum est, ut silentium suum districtè teneant, nec illud pro ulla omnino re, nisi rationabilis occasio, & inevitabilis eveniat, facilè rumpant. Tertium est, ut nullam proprietatem habeant, nec etiam per licentiam plus habere, quam necessitas postulat, expectant. Quartum est, ut prælatis suis in omnibus obediant, nisi fortè (quod absit) iis aliquid contra voluntatem Dei præcipiant; tunc enim nullo modo eis in hac re obediendum est. quia, sicut beatus Gregorius ait, malum propter obedientiam nunquam fieri debet; bonum vero aliquando intermitti potest. Quintum est, ut pro nulla causa, etiam si eis iusta videatur, murmurare, vel distractionem facere audeant, ne omne bonum, si quod facere videntur, per hanc nequitiam perdant. Sextum est, ut invicem secundum Deum se diligant, & omne bonum quod singuli sibi ab aliis impendi desiderant, ipsi aliis hilariter & cum gaudio impendant. E Septimum est, ut constitutum servitium secundum morem Ecclesiam suam, si possint reddere, non negligant; & in hoc agendo intenti, & non vagi, assistant, ne vagando, oculos divinæ Maiestatis, ante cuius conspectum videmur assistere, offendant. Octavum est, ut puram confessionem de omnibus peccatis suis faciant; quam tamen confessionem non passim omnibus prout cui libuerit, nisi tantummodo suis prælatis, vel quibus iidem Prælati potestatem tribuunt, faciant. Regnum Dei & iustitiam eius quærere, & cœlestis patriæ bona desiderare, & quibus iustitiæ meritis ad hoc perveniri debeat indesinenter inquirere. Docere & non conviciari ignorantes debemus, sicut cœcos non conviciamur, sed manu ducimus. Quanto graviori tumultu cogitationum carnalium premimur, tanto orationi ardentiùs insistere debemus. F Deo nostro iucunda sit laudatio, si quod ore canimus, opere non impugnamus. Quùm Psalmum dicis, cuius verba loqueris agnosce, & in compunctione magis animi, quam in tremulæ vocis dulcedine delectare: Lachrymas enim psallentis Deus magis quam garritum comprobat. Non vacet mens tua in variis perturbationibus; quòd si pectori tuo insederint dominabuntur tui, & deducent te ad delictum maximum.

Dixit....., verum Christi templum est anima credentis etiam in minimis cautè age; Non enim minimum in vita homini negligere minima. Otiosæ menti maligni spiritus pravas cogitationes inserunt, ut si quiescat ab opere, non quiescat à malorum operum delectatione. Omnia quæ blandimento, quæ occulta voluptate animum trahunt, reiice. Ede citra saturitatem, bibe citra ebrietatem: Nec præsentibus delitiis inhærebis, nec absentes desiderabis. Victus tibi ex facili sit; nec ad voluptatem, sed ad cibum accede: desideria tua parvo redune; quia hoc tantum desiderare debes, ut desinant. G Gravior appetitus ex indignatione nimia nascitur, quem acceptæ plerumque accendit iniuriæ dolor. Nulli est aliquatenus ambigendum unumquemque fidelium corporis & sanguinis Dominici tunc esse participem, cum in baptismate efficitur membrum corporis Christi; nec alienari ab illius panis calicisque consortio etsi antequam panem illum comedat, calicémque bibat, de hoc sæculo migraverit, in unitate corporis Christi constitutus; Sacramenti quoque illius participatione ac beneficio, non privatur, cum in se hoc quod illud sacramentum significat, invenitur habere.

⁂

H

Finis operum Beati Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi.

PETRI FRANCISCI

CHIFFLETII,

SOCIETATIS IESV PRESBYTERI,

IN

OPVSCVLVM ANONYMI, De Berengarianæ Hæreseos multiplici damnatione.

PRÆFATIO.

OBIISSE *constat Berengarium versipellem hæresiarcham, affectâ iam ætate, anno Christi* 1088. *die sexta Ianuarij: de quo hæc Vuillelmus Malmesburiensis lib.* 3. *Histor. Anglicanæ.* Quin & ipso die Epiphaniorum moriens, gemitúque producto recordatus quòd miseros quosdam adolescentes primo ætatis flore sectâ sua infecerit; Hodie, inquit, in die Apparitionis suæ, apparebit mihi Dominus meus IESVS-CHRISTVS, propter pœnitentiam (vt spero) ad gloriam, vel propter alios (vt timeo) ad pœnam. *Nec laudatore caruit; sed tunc quidem illaudato; nempe Hildeberto (qui ei mole tum præconiorum epitaphium cecinit) flagitioso iuvene, & in vitâ etiam clericali ob incontinentiam infamato, quod ei recèns electo Cenomanensi Episcopo exprobrat Ivo Carnotensis Episcopus epistolâ* 279. *Prudentius ei funus duxit auctor hic noster, eodē anno* 1088. *(ut ipsemet testatur) ab exordio pontificatus S. Leonis Papæ noni quadragesimo: qui metu ne quos fortè occultos haberet, etiam in monasteriis sectatores, primùm Berengarianam hæresim tot Conciliis (quot nulla catenus hæresis) ab Ecclesiâ catholicâ damnatam memorat: deinde ex Patribus docet, omnes complices, sectatores, & communicatores damnata semel pravitatis, pari forte censeri. Monachum quidem se prodit, cùm sub finem opusculi simplicioribus fratribus se adnumerat. Benedictinum verò fuisse è S. Blasij cœnobio in Suevia, ex eo fit probabile, quòd in Codice Iuvensi hæc de Berengarij multiplici damnatione adnotatio, subiicitur Catalogo Apostolicorum Romanorum, eodem (ut videntur) auctore conscripto, & in Gregorium VII desinente: sub quo πεπίργιον multa colligit de Cella S. Blasij florente tum religione, ac primis Patribus. E sex Conciliis in quibus Berengarij hæresim exagitatam affirmat, primum fuit Romanum, cui præfuit Leo Papa IX. post Pascha anni Christi* 1050. *Secundum Vercellense, anni eiusdem mense Septembri, sub eodem Pontifice. Tertium Turonense anni* 1055. *præsidente Hildebrando Victoris Papæ Legato, postmodùm Gregorio Papâ VII. Quartum Romanum, Episcoporum CXIII. sub Nicolao Papâ II. mensis Aprilis, anni* 1050. *Quintum Romanum, sub Gregorio Papa VII. Sextum item Romanum sub eodem, Episcoporum CL. mensis Februarij, anni* 1079. *cui auctor hic se testatur interfuisse. Et priorum quidem quatuor Synodorum meminere Lanfrancus & Guitmundus in suis libris adversus Berengarium. Sextam habent Conciliorum tomi. At quintum illam sub Gregorio VII. è duabus priorem, præter auctorem hunc nemo (quòd sciam) litteris prodidit: sed unam aliquam fuisse oportuit è quinque ante annum* 107. *sub eodem Gregorio Romæ celebratis; & illam certè (ut putamus) quæ anni* 1078. *mense Novembri coit. Etenim scribit hic auctor,* Berengario audientiam in duabus Synodis generalibus Romæ *è Gregorio Papâ VII. fuisse concessam: & in posteriore duntaxat compulsum refert ad abiurandam hæresim suam, & fidem catholicam profitendam. Hunc numerum Benno Pseudocardinalis occasionē arripuit calumniandi, & de sanctissimo Pontifice ista mentiendi;* Idem præsumptor (*inquit*) ieiunium indixit Cardinalibus, ut Deus ostenderet quis rectiùs sentiret de Corpore Domini, Romanáne Ecclesia an Berengarius. Per hoc manifestè probatus infidelis; cùm in Niceno Concilio scriptum sit, quia dubius in fide, infidelis est. *Quibus consentaneè Episcopi schismatici novemdecim, anno* 1080. *ipso die Pentecostes adversus Gregorium Moguntiæ congregati (de quâ Pseudosynodo Abbas Vrspergensis ad annum* 108·.) *illum pontificatu indignum iudicarunt, tum aliis falsissimis de causis, tum etiam* quòd catholicam & apostolicam fidem de Corpore & Sanguine Domini in quæstionem poneret, ac hæretici Berengarij antiquus esset discipulus. *Sic ergo opinamur, concessum Berengario priorem audientiam à Gregorio, in Concilio Romano, quod Novembri mense anni Christi* 1078. *celebratum est: ubi cùm versutus senex errori suo multa, præsertim ex Augustino malè intellecto deprompta obtendisset, amplius pronuntiasse Pontificem, ac totius rei decisionem in proximam Synodum, post tres exinde menses (anni scilicet* 1079. *mense Februario) agendam distulisse. Interim ieiunia imperasse, & preces ad impetrandam divinam opem, ne præproperè de re tantâ videretur statuisse. Non enim de damnando solùm Berengario agebatur, quod iam quatuor antè Synodis factum constabat: sed curandum erat pio Pastori, ut quæ post Berengarium deerraverant oves non paucæ, ad catholicæ Ecclesiæ caulas reducerentur. Expendendæ igitur erant Berengarij exceptiones, docendique Synodi Patres omnes, quàm iste, vel Scripturæ divinæ, vel Sancti Augustini, aliorúmve Doctorum veterum abutens verbis, ab eorum mente aliena loqueretur. Nihil hic erat quod in prudentissimo ac piissimo Pontifice redarguerent schismatici. Sed hi nimirum suis illis portentosis calumniis id consecuti sunt, ut in virum sanctissimum odio efferati, ab optimo quoque insanire ac furere crederentur. De Christino (ut iste ait) ad annum* 1088. *iam Episcopo, qui cum Lanfranco, haud multò ante episcopatum Berengarianam hæresim scriptis confutarat, hæreret mihi scrupulus, nisi appareret, hunc ipsum esse Guitmundum Episcopum Aversanum. Cùm enim apud Petrum Cluniacensem, in libro contra Petrobrusianos hæreticos,* §. Post baptismum negatum, *non longè ab initio, tres tantùm memorentur qui contra Berengarium libros scripserunt; videlicet Lanfrancus, Guitmundus, & Algerus; Algerum quidem constat nec fuisse Episcopum, nec fortasse natum anno* 1088. *Quippe monachus factus Cluniaci, post obitum Friderici Leodiensis Episcopi, anno Christi* 1111. *VI. Kalendas Iunij veneno necati, in Petri Venerabilis Abbatis disciplinâ diu vixit: ut ipse testatur Petrus Abbas epistolâ* 2. *libri tertij, & Chronicon vetus Cluniacense, apud Vulonem lib.* 2. *Ligni Vitæ, cap.* 62. *Quare, cùm ante annum* 1088. *nullus tum Episcopus adversùs Berengarium scripsisse reperiatur, Lanfranco & Guitmundo exceptis: & hic auctor à Lanfranco & Christino Episcopis id factum dicat; aut binominem fuisse putamus Guitmundum, ut etiam Christinus nuncupatus sit; aut certè scriptorem hunc memoriâ lapsum, pro Guitmundo Christinum posuisse. Quod denique hic dicitur de formâ profitendæ fidei catholicæ, vel abiurandi erroris, ab Ephesinâ Synodo hæreticis præscriptâ, habetur illa quidem in epistolâ Cyrilli, seu Concilij Ephesini ad Nestorium, quæ incipit,* Cùm Salvator noster, *& inscribitur in Codice Canonum veteris Ecclesiæ Romanæ,* Canon sancti Ephesini primi Concilij: *exstátque in Actis Græcolatinis, parte* 1. *cap.* 26. *quæ tamen (ut apparet in codice quo usus est hic auctor, caput obtinebat quintumdecimum.*

* ⁂ *

A

DE BERINGERII HÆRESIARCHÆ Damnatione multiplici.

B

AVCTORE QVI SCRIBEBAT anno Christi 1088. & qui anno 1079. interfuit Romano Concilio, in quo Beringerius hæresim suam ultimò abiuravit.

Ex MS. Codice Sancti Augendi, seu Sancti Claudij Iurensis.

BERINGARIVS Andegavensis hæresim sui nominis condidit, & veritatem dominici Corporis & Sanguinis, contra evangelicam veritatem abnegare præsumpsit. Videlicèt asserens, panem & vinum in sacrificio Domini, non verè, nec essentialiter, sed figuratè tantùm converti in Corpus & Sanguinem dominicum; quod catholicæ fidei & evangelicæ veritati apertissimè adversatur, uti sancti Patres docuerunt. Quapropter Sanctus LEO Papa nonus, eamdem hæresim suo tempore ad Apostolicam sedem per litteras ipsius Beringerij delatam, generali Synodi iudicio diligentiùs ventilavit, & ventilatam synodali iudicio damnavit. Ipsum quoque Beringerium communione Ecclesiæ privavit; quam ipse dominici Corporis & Sanguinis communione suis assertionibus voluit privare. Deinde ipsum ad proximam tunc Synodum, in proximo Septembri ab eo Vercellis celebrandam vocavit audiendum. Ad hanc Synodum non ipse Beringerius, sed quidam eius fautores pervenerunt; qui se legatos eius esse asserentes, eumque defendere volentes, in primo aditu defecerunt. Dominus autem Apostolicus iterum synodali iudicio sententiam Beringerij, & librum Ioannis Scotti de Corpore Domini, sub anathemate damnavit; & fidem quam omnes Catholici de veritate Corporis & sanguinis Domini hactenùs habuerant, & adhuc habent confirmavit. His utrisque Synodis dominus Lanfrancus, non multò pòst Anglorum Archiepiscopus, scribens contrà Beringerium, se interfuisse fatetur: in quarum priore de Beringerianâ hæresi se infamatum, & expurgatum; sed in utrisque eiusdem hæreseos damnationi cum omnibus Catholicis se assensisse testatur. VICTOR quoque Papa, & in sede, & in auctoritate successor sancti Leonis Papæ, misso Legato in Gallias, venerabili inquam Hildebrando, tunc Archidiacono, sed nostri temporis Apostolico, generalem Synodum Turonis congregavit: in quâ ipse Beringerius acceptâ optione defendendi se, cùm se penitùs defendere non posset, sub iureiurando propriam hæresim anathematizavit, & communem sanctæ Ecclesiæ fidem de veritate Corporis & Sanguinis Domini se deinceps servaturum, sub eodem iuramento promisit; licèt posteà ad eamdem hæresim redierit. NICOLAVS autem Papa eidem Beringerio Romæ in generali Synodo audientiam concessit, causámque eius cum centum tredecim Episcopis synodali iudicio ventilavit. Sed ille iterum cùm sectam suam defendere non valeret, tandem quasi correptus, libros propriæ hæreseos in conspectu domini Apostolici, & totius Synodi manu propriâ concremavit: & errore abnegato, catho-

C

D

licam professionem quam in Turonensi Concilio fecerat, sub iureiurando iterum renovavit; ita pronuntians. [Ego Beringerius, indignus Diaconus Ecclesiæ Sancti Mauricij Andegavensis, cognoscens veram catholicam & apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim: præcipuè illam de quâ hactenus infamatus sum; quæ astruere conatur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem, solummodò sacramentum, & non verum Corpus & Sanguinem Domini nostri IESV CHRISTI esse: nec posse sensualiter nisi in solo sacramento, manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi: & ore & corde profiteor, de Sacramentis dominicæ mensæ eam fidem tenere, quam dominus & Venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus auctoritate evangelicâ, & apostolicâ tenendam tradidit, mihique firmavit: scilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm sacramentum, sed & verum Corpus & Sanguinem Domini nostri IESV-CHRISTI esse: & sensualiter non solùm in sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Iurans per sanctam omousion Trinitatem, & per hæc sacrosancta Christi Evangelia. Eos verò qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus & sectatoribus suis, æterno anathemate dignos esse pronuntio. Quòd si ego ipse aliquando contra hæc sentire ac prædicare præsumpsero, canonum severitati subiaceam. Lecto, & perlecto sponte subscripsi.] Formam autem huius iuramenti, & anathematis ità sancta Ephesina Synodus quibuslibet abdicandis hæresibus Capitulo XV præscripsit; & de hæresi infamatos, non nisi per huiusmodi abdicationem hæresis, expurgari debere decrevit: unde & à Beringerio talem receperunt satisfactionem. Hanc iuratoriam professionem Beringerij dominus Papa NICOLAVS statim per diversa transmisit regna, ut omnes Deo gratias agerent pro eius conversione, quoniam pridem multùm scandalizati sunt de eius aversione. Sed Beringerius more suo ad proprium vomitum redire non timuit, & ultra omnes hæreticos, Romanum Pontificem, & sanctam Romanam Ecclesiam verbis & scriptis blasphemare præsumpsit. Nempe sanctum LEONEM Papam, non Pontificem, sed pompificem, & pulpificem appellavit; sanctam Romanam Ecclesiam, vanitatis concilium, & Ecclesiam malignantium; Romanam Sedem, non Apostolicam, sed sedem Satanæ dictis & scriptis non timuit appellare. Sed hæresim suam, post tot synodicas damnationes, & adiurationes, clanculò per discipulos suos usquequaque non cessavit disseminare, & quoslibet incautos veneno suæ hæreseos inficere. Vnde venerabilis Papa ALEXANDER successor Nicolai Papæ, literis eum satis amicè præmonuit, ut à sectâ suâ cessaret, nec ampliùs sanctam Ecclesiam scandalizaret. Ille autem ab incepto desistere noluit, hócque ipsum eidem Apostolico litteris suis remandare non timuit. Quapropter reverentissimus Papa GREGORIVS Septimus, successor Alexandri, iterum eidem Beringerio audientiam in duabus Synodis generalibus Romæ concessit. Sed cùm ipse sectam suam catholicæ fidei contrariam denegare non posset; iterum sub iuramento eamdem abdicare, & fidem catholicam profiteri delegit, sicut in superioribus Conciliis fecit. Tot igitur Conciliis Beringerianam hæresim damnatam percepimus, tum ex fidelium relatione virorum qui eisdem Conciliis interfuerunt, tum ex regestis Romanorum Pontificum, tum ex scriptis religiosorum virorum qui de his fidelissimè scripserunt. Nam eadem Concilia nostris temporibus infrà XL. annos celebrata reperiuntur, quot anni ab exordio pontificatus sancti Leonis Papæ usque in præsentem annum computantur, qui est ab Incarnatione Domini M. LXXXVIII. Vnde & adhuc multi vivunt, qui eisdem Conciliis interfuerunt, qui & nobis de eisdem Conciliis fidelissimè

E

F

Epistola Cyrilli, ex Conc. Ephesini ad Nestorium.

G


H

A testificati sunt. Vltimæ quoque generali Synodo sub Gregorio Papâ septimo anno dominicæ Incarnationis. M. LXXVIII. nos ipsi interfuimus, & vidimus quando Beringerius in mediâ Synodo constitit, & hæresim de Corpore Domini (sicut suprà diximus) coram omnibus propriæ manus sacramento abdicavit: videlicet sub præsentiâ GREGORII Papæ, Heinrici Patriarchæ Aquileiensis, & reverendissimorum Episcoporum Petri Albanensis, Beati Anselmi Lucensis, Landolfi de Pisâ, Reginherij de Florentiâ, Hugonis Diensis, Altmanni Pataviensis, & reliquorum centum quinquaginta Episcoporum, & Abbatum, & innumerabilium clericorum. Horum igitur Conciliorum tam generalium, & Apostolicâ auctoritate tam principaliter firmatorum sanctiones contrà Beringerianam B hæresim nobis sufficere debeant; cùm sancti Patres, etiam unius generalis Concilij auctoritatem contra quamlibet hæresim sufficere censerent, quod tamen Concilium Romanus Pontifex non per se, sed per suos Legatos firmasset. Sic enim Nicænum Concilium contra Arrianos, Constantinopolitanum contra Macedonianos, Ephesinum contra Nestorianos, Calcedoniense contra Eutychianistas sufficere statuerunt; quorum nullum Romani Pontifices per se, sed per Legatos suos canonizaverunt. Multò magis ergo nobis plures Synodi generales contra unam solam hæresim sufficere debent, quibus ipsi Romani Pontifices interfuerunt, & ipsas præsentialiter Apostolicâ auctoritate firmaverunt: præsertim cùm ipsi in tot Synodis ab invicem non discrepaverint, sed omnes unanimiter Beringerianam hæresim in diversis Conciliis sub anathemate damnaverint. Indubitanter sanè cuilibet catholico, qui non omne quod credit, rationibus comprehendere quærit, ut fides habeat meritum cui humana ratio non dat experimentum: illa inquam Catholico tot generalia apostolicæ auctoritatis Concilia contra hanc hæresim sufficiunt, quia iuxta assertionem Sancti Augustini, omnis Catholicus securus eum detestatur, cui Ecclesiam C universalem in apostolicis sedibus roboratam non communicare cognoscit. [Item Augustinus; Id autem, inquit, sententiâ vocis asserere securum est, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & Salvatoris IESV CHRISTI, universalis Ecclesiæ consensione roboratum est] Hoc utique quilibet catholicus simpliciter sapiens, & sapienter simplex dum fideliter attendit, cavillationes hæreticorum, quorum sermo ut cancer serpit, etiam audire contemnit: dum tantùm ipse sit securus quid credere debeat iuxta sanctorum Patrum attestationem, & universalem Ecclesiæ consensionem. Et nos quoque huiusmodi simplicibus in hac scedulâ satisfacere proposuimus; videlicèt testimonia sanctorum Patrum de veritate Corporis dominici simpliciter proponentes, & synodales Beringerianæ hæreseos damnationes fideliter subnectentes. Nec necessarium nobis videbatur, ut singulas Beringerij nænias enumeraremus, & enumeratas singulariter annullaremus: præsertim cùm eruditissimi doctores, Lanfrancus inquam, & Christinus, ambo religione & eruditione christianissimi, non multò post Episcopi, de his enucleatissimè proscripserint. Illorum quippe libri etiam curiosissi- D mis perquisitoribus sufficere possint, ut singulas tergiversationes Beringerij deprehendant, & quibus rationibus annullatæ sint consequenter agnoscant. Nun ergo necessarium fuit ut nos illas iam aliquantulùm sopitas, & in æternum sopiendas enumerando suscitaremus, & post tot synodicas damnationes, iterum cum eis catholicorum aures offenderemus. Hæc autem in fine scedulæ simplicioribus fratribus, nostri inquam similibus, fraternâ præmonitione suggerimus, ut diligentissimè prævideant, ne uspiam hæreticæ persuasioni contra catholicam & apostolicam fidem assentiant: nam, iuxta Apostolum, facientes & consentientes par pœna complectitur: & iuxta Beatum Gelasium, omnes complices, sectatores, & communicatores damnatæ semel pravitatis, pari sorte censentur: &, iuxta Sanctum Ambrosium, & alios E sanctos Patres, quemlibet hæreticum esse constat quicumque in fidei doctrinâ à sanctâ Ecclesiâ Romanâ discordat. Est autem in superiori iuramento, quod apostolica & synodalis auctoritas firmavit, & Beringerio ad satisfaciendum proposuit, satis breviter & distinctè comprehensum, vel in quo ipse erraverit, vel quid sancta Romana, & universalis Ecclesia credendum statuerit. Hoc ergo diligenter notare, & notatum diligenter observare debemus, ut & nos damnemus quod ipsa damnavit, & recipiamus quod ipsa recepit; ne nos ipsi iure damnemur, si vel hæresi assentire, vel à sanctâ Romanâ Ecclesiâ quoquo modo dissentire detegimur.

Lib. 7. de Bapt. cõtra Donatistas cap. 53.

Rom. 1. 32. Gelasius epist. 14 & 13.

F



VICTORIS TERTII
ROMANI PONTIFICIS
OLIM DESIDERII,
Abbatis Casinensis Dialogi.

EX VATICANA BIBLIOTHECA deprompti,

Hactenus inediti, pietate referti, & ad Religiosam vitam accuratè conformandam accommodati, notisque illustrati.

G *Studio & opera IOANNIS BAPTISTÆ MARI Romani, Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Angeli in foro Piscium Canonici.*

LECTORI.

N tibi, Lector, Dialogi Victoris Tertij Romani Pontificis, tamdiù à multis expetiti, qui sub nomine Desiderij olim Abbatis Casinensis antequam ad supremum omnis humanæ Maiestatis fastigium invitus, ac diutius reluctans ascenderet, Longobardorum literis descripti in Vaticana Bibliotheca M.S. sign. n. 5203. hactenus delitescebant, nunc primùm oculis tuis se offerunt. Continent enim miracula, quæ in Casinensi Cœnobio, & alibi, divinâ operante virtute, gesta reperiuntur. De fide autem eorum, quæ vir sanctitate, compunctione timoris Dei plenus; iudicioque integerrimus narrat, quis audet ambigere? dum ad stabiliendam fidei rationem, nihil in eis commemoret, quod ipse aut non spectarit, aut ab aliis fide bonâ relata audierit: testatur id ipse, in ipso Dia- H logorum limine dicens: *Et ut omnem dubitationis scrupulum legentibus auferiam, per singula quæque personas, à quibus mihi hæc sunt relata, subnectam: melius esse reputans ex toto silere, quàm aliquod falsum, mendosumve narrare.* Hæc sanctissimus Pontifex, universè pro toto Dialogorum opere: ex quibus clarissime videre est, quâ religione & quàm anxiè singulis ferè exemplis, suum assignet auctorem; SS. Gregorium Magnum pariter imitatus, qui miracula plura ac mortem Sanctorum hominum dialogistico charactero, singulis etiam exemplis suum attribuendo auctorem, descripsit. Dominum omni tempore operatum fuisse & hactenus operari miracula Evangelicæ auctoritatis voce cunctis manifestum est; Deus certè semper & ubique memoriam fecit mirabilium suorum,

A ut ait divinus Psaltes: & *quid est* (rogat Ioannes Chrysostomus in Psalm. 110.) *memoriam fecit mirabilium suorum? nunquam, inquit, miracula facere intermisit. Hoc enim est, fecit memoriam, non cessavit, non destitit per omnem generationem facere miracula, & per res admirabiles excitare crassiores, &c. Multa autem videre possunt, & privatim, & in domo, & in civitatibus fieri miracula:* Eximia illa Basilij Seleuciensis vox est adversus incredulos potentiæ divinæ æstimatores, lib. 1. de sancta Tecla: *Donec namque erunt homines, simul miracula fontis instar abundabunt, semper scaturient, semper florebunt, semper salutifera omninò erunt.* In re notissima verbum non amplius addam. Nihil igitur scripsit Sanctissimus Pontifex, quod non sit utile maxime Deo sacratis hominibus, & Evangelicæ perfectionis candidatis, ad mundi contemptum, ad morum simplicitatem, ad excitandam piam devotionem, ad alendam observantiam, Ascetisque B saluberrima deinde præbens amuleta. Ad hos Dialogos, si attentos fueris, Lector, anxietatem à te quidem depellent, cordi tuo inserent incredibilem voluptatem, sublatâ malitiâ, radices virtutum affigent animæ tuæ, & tamdiu latuisse deinde dolebis. Citantur ab Ostien. in Chron. Casin. à Petro Diacono de viris illust. Casin. & à Card. Baronio in suis Annal. & ab alijs, suntque apud omnes in pretio & fructu, ut ob id meritò è tenebris erutos cum tineis & blattis iam confligantes, incredibili rei literariæ damno: tibi quamprimùm hos saltem tres Libros Dialogorum bono publico proferendos censerem; ne fatorum livore etiam isti perirent, dum in his, se quartum adhuc Librum scribere, legatur, ut propterea perdifficile sit indicare, an iniuria temporum deperditus, aut non absolutus, & adumbratus tantum remanserit; certum enim est, quod in Autographo C Vaticanæ Biblioth. finis tertij Libri, totusque etiam quartus desideratur. Reminiscere interim, benigne Lector, quod non solum commune bonum quærunt, qui proprijs scriptis in lucem edendis aliorum utilitati consulunt; verum etiam illi, qui veterum scripta, quæ in obscuro latent, & à tineis, ipsaque vetustate fere absumpta, primum in lucem & publicum proferunt. Fruere igitur feliciter & vale.

VITA BEATISSIMI

VICTORIS PAPÆ TERTII.

EX DIVERSIS SCRIPTORIBVS breviter desumpta.

D VICTOR Papa Tertius huius nominis, in seculo Dauferius, deinde Monachus Desiderius vocatus, Samius Beneventani Principis unica proles, originem trahens ex familia Epiphania, natus in anno Domini fere 1027. à primis annis amores suos ac delicias in cœlo collocans in Eremum clam secedit, ut claustri potiùs frugalitatem ac continentiam, quàm parentum blanditias, aulæque lenocinia sectaretur. Vnde Romani Pontificis opera inter Casinates admissus est; & à Siconulfo Monacho religioso habitu donatur, nil aliud in votis habens quàm latere & nesciri; quapropter non multo post, scilicet anno 1056. ætatis suæ 30. Abbas Casinensis effectus, quique deinde à Romano Pontifice in procurandis magni momenti negotiis solertissimus inventus Apostolicæ Sedis Apocrisarius ad Michaëlem Imperatorem cognomento Stratioticum mittitur; tantæ enim apud Romanum Pontificem Desiderius auctoritatis erat, ut in quibus vellet Ecclesiis, E sive Monasteriis suo pastore viduatis, iure suo posset vel Episcopos vel Abbates substituere; sic testatur Leo Ost. deinde è Legatione Constantinopolitana regressus, denuò administrationem Cœnobij capessit, ingenti lætitia summaque gratulatione omnium exceptus. Interim libros plurimos scribendos curat, oppida aliquot & castella ad Monasterij tutelam condere facit: templum pro Cœnobij dignitate iterum erigere decernit, & Constantinopolim ad locandos artifices ac peritos in arte musiva homines destinat, ut absidam atque vestibulum maioris Ecclesiæ Basilicæ Cœnobij Casinensis musivo opere ornent, ac pavimentum totius Ecclesiæ diversorum lapidum varietate consternant: quoniam artium istarum ingenium à quingentis, & ultra iam annis magistra Latinitas intermiserat, studio Desi- F derij inspirante, & cooperante Deo nostro (ut testatur Leo Ostiens.) hoc tempore recuperare promeruit: ne sanè id ultra Italiæ deperiret, studuit vir totius prudentiæ plerosque de Monasterij pueris, diligenter iisdem artibus erudiri. Non autem de his tantum, sed de omnibus artificiis, quæcumque ex auro vel argento, ære, ferro, vitro, ebore, ligno, gypso, vel lapide patrari possunt, studiosissimos prorsus artifices de suis sibi paravit. His autem peractis, Desiderius à Nicolao Papa Secundo anno 1059. inter Cardinales tituló Sanctæ Cæciliæ interim cooptatur, eique per omnem Campaniam, Principatum, Calabriam, vices suas pro reformandis Sancti Benedicti Ordinis Monasteriis amplissima cum potestate committit. Extincto apud Salernum Gregorio Septimo, anno 1085. Desiderius omnium consensu Christianæ Reipublicæ præficitur, quo ille accepto nuntio tanquam repenti- G næ calamitatis inopinato casu perculsus, nunquam persuaderi potuit, ut electioni assentitur, & res Pontificia in præsens refrixit, id enim non nisi ab excellentissima virtute proficiscebatur. Cum verò iterum aliquot post menses coacto Patrum conventu ad suffragia ventum esset, iterum in Desiderium universi consensere, nomenque Victoris Tertij indicunt: verum ne ita quidem res processit, nam Victor quatriduo post Romà digrediens, ubi Tarracinam ex itinere attigit, disertè contestatus, se Pontificem esse nolle, & depositis sacris insignibus Casinum ad suos remigravit: demum Cleri, ac Principum importunis precibus victus Pontificatum admittit anno Domini 1086. nono Kal. Iunij in Pentecoste (deliberatum enim erat ac constitutum, neminem alium, ipso quidem superstite ac vivo, ad illud dignitatis culmen evehere) qui minimè postea consecrari passus est usque ad 13. Kal. Aprilis, die Dominico in ramis Palmarum in Diaconia sanctæ Luciæ ad Septisolium anno 1087. quo tempore Henrici H Quarti opera veneno in calicem infuso, dum rem divinam faciebat in Monasterio Casinensi ad Cœlum evolavit, anno ætatis suæ 60. circiter 16. Kal. Octobris. Cum præfuisset Casinensi Cœnobio annos 29. dies 16. In sede verò Apostolica ab ipso suæ electionis exordio annum unum, à consecratione menses quatuor dies septem.

Multa dum vixit scripsisse fertur, inter quæ tantummodò extant de miraculis à Sancto Benedicto alijsve Monachis in Casinensi Cœnobio, & alibi gestis dialogistico charactere conscripti. Vitam & res gestas Victoris diligentissimè scripsit Leo Ostiens. in Chron. Casin. lib. 3.

QVÆDAM

A

QVÆDAM QVÆ AD vitam, laudemque Victoris Papæ Tertij pertinent, ex gravibus Scriptoribus excerpta.

Ex Martyrologio Monastico Benedictino, sub die 16. Septembris.

IN Monasterio Casinensi obitus Beati Victoris Papæ Tertij sanctitate vitæ,& miraculorum gloria clarissimi.

B

Petrus Diaconus lib. de Viris illustribus Casinen. Cap. 18.

VIctor & ipse Apostolicæ Sedis Pontifex Casinensis Abbas, componctione timoris Dei plenus, castitate singularis, professione & opere Monachus, in nuptiis sponsam suam relinquens, Eremum petiit, ibique sanctæ religionis habitum sumpsit: cuius fugam rabido furore insequentes parentes, eum repertum veste monastica exuunt, militaribusque illum tegminibus induentes, ad eius genitricis domum Sannium usque deducunt. Inde igitur nacta quadam hora aufugiens, sanctæ Trinitatis Cœnobium petiit. Inde igitur Magellæ Eremum, ac dein montem Casinum adveniens, monasticam onctus consecrationem accepit: factus deinde Abbas totum Casinum Cœnobium renovavit. De miraculis præterea, quæ à B. Benedicto, & à Monachis Casinensibus gesta sunt unà

C *Legenda puto. Theophila.*

cum Alberico Diacono libros edidit quatuor. Cantum etiam B. Mauri composuit, in quibus qui volt artis Grammaticæ tramitem, & monochordi sonori Magade reperiet notas: factus dehinc Sedis Apostolicæ Pontifex scripsit ad Philippum Regem Francorum, ad Vgonem Cluniensem Abbatem quamplures epistolas. Claruit autem temporibus Imperatorum Michaelis Constantini, Alexij, atque Henrici, sepultus verò est in absida Capituli Casinensis.

SANCTVS PETRVS DAMIANI lib. 1. epistolarum epist. 9.

ECce Desiderius religiosus Casinensis Monasterij Abbas accedit, qui nimirum sicut Beato Danieli cognatione iungitur nominis, sic eum ab illo non separat affectio veritatis.

Idem lib. 2. epistolarum epist. 15.

D

DOmino Desiderio Archangelo Monachorum ac cæteris Sanctis Fratribus Petrus peccator Monachus devotissimi famulatus obsequium.

Cum in meo pectore tuæ charitatis ardor inextinguibilis ferveat, meque circa tui memoriam tepescere non permittat, &c.

Baronius tom. 11. ad ann. 1049. num. 27.

DEsiderius Abb. Casinensis & Cardinalis sanctæ Cæciliæ, qui creatus posteà Romanus Pontifex, Victor Tertius dictus est. Scripsit enim exemplo sancti Gregorij Papæ quatuor libros Dialogorum, quos habet Vaticana Bibliotheca.

E

Idem ad ann. 1063. num. 51.

AT historia hæc maiorem adhuc sibi vendicat auctoritatem ex testificatione Desiderij Abbatis Casinensis Cardinalis tituli sanctæ Cæciliæ, qui & Victor Tertius eius nominis est appellatus Papa. Ipse enim in lib. 3. Dialogorum totam hanc texit historiam, &c.

Idem ad annum 1085. num. 18.

DEsiderius enim præter id, quod Romanæ tunc Ecclesiæ Presbyter Cardinalis esset, & prudentia summa & religione præcipua, & singulari Principum benevolentia, amicitiaque pollebat, &c.

F

Antonius Possevinus in Apparatu sacro.

DEsiderius antea Dauferius vocatus è nobili Principum Beneventanorum sanguine ortus, & ex Monacho sanctæ Trinitatis Cavensis, primò præpositus, deinceps autem omnium Monachorum votis die sancto Paschæ 13. Kal. Maij anno 1058. Abbas 37. Casinensis electus anno sequenti pridie nonas Martij Auximi in Piceno à Nicolao Papa II. Cardinalis tituli S. Cæciliæ creatus, ipsis Nonis Dominica proxima abbas Casinensis consecratus est: Præfuit annis 29. mens. 4. diebus 17. Demùm mortuo Gregorio Papa VII. invitus, ac renitens, die 9. Kal. Iunij ann. 1086. Pontifex Maximus renuntiatus, ac Victor. III. acclamatus, consecrari minimè passus est usque ad 12. Kal. Aprilis sequentis anni. Sedit in Apostolica Sede à die creationis annum unum, menses tres, dies 4. à consecratione verò menses 5. dies 17. Obiit

G

in Monasterio Casinensi 16. die Septembris ann. 1087.

Multa dum vixit scripsisse fertur, inter quæ tantummodò feruntur quæ extant de miraculis à sancto Benedicto, & aliis Monachis in Monasterio Casinensi ope divina factis, lib. 4. & Cantus quidam de S. Mauro.

Ex Commentariis Constantini Caietani in Gelasij Secundi Papæ vitam.

DEnique hanc ipsam Gelasij eiusdem sanctitatem etiam post mortem celebrem fuisse, gravissimum illud ostendit monumentum, quod in Oratorio sancti Nicolai Episcopi (in quo Lateranenses nunc celebrant Pœnitentiarij) intra septa quondam, nunc diruti, Apostolici Patriarchij, etiamnum visitur. Ibi enim ad altare inter alios Pontifices sanctitate claros, & sanctitatis aureola in capite redimitos, Gelasius idem ponitur, & sanctus, nuncupatur. A dexteris enim illius altaris, quod in Oratorio unicum est, conspiciuntur S. Gregorius, S. Alexander II.

H

S. Gregorius VII. S. Victor III. A sinistris verò S. Leo, S. Vrbanus II. S. Paschalis II. S. Gelasius II. &c.

Ex P. D. Marco Scipione Benedictino in Elogiis Abb. Casin. in Desiderio.

EXtant eius ingenij ac religionis specimen tres Dialogorum libri, quos Gregorium Magnum imitatus de probatissimis sui Cœnobij viris, ac miraculis perscripsit minus elaborata oratione illos quidem, suavi tamen stylo & ut ea ferebant tempora, non vulgari.

***

Ex Abb. Vghello tom. 3. Ital. Sac. in Episc. Florent.

SEd omnium diligentiam superavit Desiderius Abbas montis Casini, qui posteà Victor Tertius fuit Pontifex Maxim. in lib. 3. suorum Dialogorum m. s. &c.

Ex Codice m. s. Bibliotheca eruditissimi viri Marci Ruccoli Iurisconsulti clarissimi, literarum ac literatorum fautoris, & Mecœnatis eximij.

VIctor Papa Tertius, anteà Desiderius, Beneventanus, Abbas Casinensis, à nonnullis inter Martyres adscribitur, Imperatoris & Pseudopapæ insidiis, veneno dum sacra faceret, in calice dato extinctus anno 1087. Musices, & Medicæ artis peritissimus fuit. Scripsit Dialogorum libros, qui extant m. s. in Vaticana Bibliotheca sub hoc titulo. De miraculis à sancto Benedicto aliisve Monachis in Monasterio Casinensi ope divina factis: scripsit etiam epistolas ad diversos, sed hactenus ignotas.

Auctoritatem præterea Leonis Ostiensis in Chronic. Casin. hoc loco afferre ideò distuli quia eius Chronicon facilè quilibet consulere poterit. Multa enim ille lib. 3. scribit de sanctitate, doctrina, ac rebus gestis Desiderij. Consule etiam præcipuè Camillum Peregrinum in historia Principum Longobardorum in serie Abb. Casinensium in Desiderio. Et Arnoldum Vuion in libro ligni vita, Ciacconium & Platinam in Victore Tertio, aliósque, &c.

VICTORIS TERTII
ROMANI PONTIFICIS OLIM DESIDERII, Abbatis Casinensis Dialogi.

LIBER PRIMVS.

In quo agitur de miraculis à Sancto Benedicto, aliisve Monachis in Monasterio Casinensi, ope divina factis.



VIA, donante Deo, miracula, quæ ipse ad laudem sui nominis in hoc Casinensi Cœnobio fieri voluit, quævè nostrâ memoria facta sunt, vel à senioribus nostris relata cognovi, scribere disposui, licet omnia nequeam stylo comprehendere, tùm quia plura exciderunt memoriâ: tum quia occupatus regimine, vel ea quæ scribo, discutere ipse non possum, pauca tamen de pluribus ad ædificationem audientium mandare curabo memoriæ. Nam si omnia quæ vel ipse vidi, vel quæ mihi relata fuere, per ordinem referre velim, dies me, ut æstimo, ante, quam sermo deficeret. Et hæc non tam fretus ingenio, quàm quia res omissa videbatur, scribere sum aggressus: metuens, ne sicut hactenus, ita etiam amodò scriptorum negligentiâ derelicta, à memoria elapsa, oblivioni traderentur. Insuper etiam rogatus à Fratribus, & præcipuè à te, Frater Theophile Levita charissime, ut cuncta vel audita, vel visa memoratu digna, tuis tuorúmque auribus studiosè fideliterque referre deberem, rusticano licet stylo, tam devotæ, atque sedulæ studui parere petitioni: omnipotentem Dominum deprecans, ut qui servis suis gratiam tribuit ad virtutes & mirabilia facienda, mihi quoque sermonem non deneget, quatenus ea dignè ac fideliter ad multorum profectum valeam enarrare.

Theophilus: Ego quidem non solùm ea quæ in hoc Casinensi Cœnobio miracula, Domino largiente, patrata sunt, nosse desidero: verum etiam ea, quæ in aliis partibus, his vicinis temporibus Christus Dominus per servos suos dignatus est operari, si quæ nosti, mihi hæc audire sitienti, te quæso, narrare ne pigeat. Et hæc idcirco te maximè scribere rogo, quia plerósque magis virtutum exemplis, quàm exhortationum verbis ad exercitium boni operis, ac ad amorem patriæ cœlestis accendendos esse non dubito.

Desiderius: Primùm quidem voluntati tuæ favens, ea, quæ in hoc nostro Cœnobio facta sunt, duobus comprehendam libellis: dein cætera, quæ ex aliis partibus vel audisse, vel vidisse me contigerit, aliis duobus libellis concludere, comite vita, studebo. Et ut omnem dubitationis scrupulum legentibus auferam, per singula quæque personas, à quibus mihi hæc sunt relata, subnectam: melius esse reputans ex toto silere, quam aliquid falsum mendosúmve narrare.

Theophilus: Cùm Scriptura dicat: *Os, quod mentitur, occidit animam*: Quare Beatus Paulus unà cum Sila carceris custodiæ mancipatus, Romanum se esse asseruit, cùm non Romanum, sed Iudæum fuisse luce clarius constet? Sap.1.c.11

Desiderius: Absit hoc à fidelium cordibus, ut veritatis Prædicator, Doctórque Gentium, mendacium in aliquo incurrisse credatur. Beatissimus enim Paulus & Romanus erat, & Romanus non erat: Romanus non erat, quia ex Romana urbe oriundus non fuerat. t. Romanus verò erat, quia omnis Iudaïca plebs, ut universus penè Orbis, sub Romani tunc temporis Imperij ditione degebat. Vel etiam propterea, quia Romanus, excelsus interpretatur, congruentissimè, iustissiméque se Romanum potuit appellare, quia se excelsum esse nullatenus hæsitabat, sicut ipse dicit. *Nostra autem conversatio in cœlis est.* Phil.3.

Theophilus: Fateor, valde mihi sunt grata quæ dicis, sed ea quæso, quæ promiseras, narrare iam incipe.

Desiderius: Res valde est nova, quam narro, & seniorum nostrorum assertione roborata, de Reverendissimo viro: 1. Appollinare Abbate, scilicet nostri Monasterij, cui, Deo fautore, licet indignus deservio: cuius sanctitas, benignitas: largitas, omnibus penè in hac provincia commorantibus lucidissimè patuit. Qui dum quadam die, necessitate cogente, prædia requireret Monasterij, venit ad fluvium. 3. Lirim, cúmque navis deesset, qua fluvium transire posset, plenus fide, signaculo sanctæ Crucis se muniens, accessit ad oram fluminis atque ut erat indutus vestibus, calciatus pedibus, fluvium est ingressus; & ita 4. sicco vestigio ad alteram ripam pervenit, ut nec calceamenta quidem ipsius madefacta viderentur. Animadverte precor, quantæ sanctitatis, quantæque religionis, ac meriti apud omnipotentem Deum iste vir extitit, cui adhuc pondere gravato corporis concessum est elementum super liquidum, ac si super aridam ambulare: ut videlicet Apostolorum principi similis hoc in facto habeatur, cùm desuper undas, iubente Domino, sicco vestigio gradiebatur.

Theophilus: Animaduerto utique & vehementer admiror, cum in nostris temporibus (in quibus iuxta Prophetæ vaticinium, *defecit Sanctus, diminutæ sunt veritates à filiis hominum, non est qui faciat bonum, non* Psal.13.

A *est vsque ad vnum*) omnipotens Deus talia dignatus est operari.

Desiderius : Si illud , charissime Frater , attendas, quod Dominus discipulis suis promittere est dignatus:
Mat. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*,lætari potiùs , quam mirari poteris.

Theophilus , Et lætor quidem , & vehementer exulto : sed prorsus precor ,inchoata prosequere.

Desiderius : Eo quoque tempore , quo gens 5. Agarenorum deuecta classe , latè deuastauere Italiam, qualiter omnipotens Deus hoc de manibus illorum liberauerit Monasterium , non duxi dignum silentio præterire. Cùm igitur omnia circumcirca igne, ferroque consumpsissent , Ecclesias etiam sanctissimorum Petri & Pauli adeuntes deprædati sunt Dein Appiæ carpentes iter , Fundanam aggressi vrbem igne eam cremarunt , cunctique in ea commorantes ab eis vel
B occisi , vel capti sunt. Indeque digressi , in vicinia nostri Monasterij trans Lirim fluuium applicantes, quia nox iam imminebat terris,castra posuerunt,vt facto mane omne Monasterium funditus diruerent , vel quidquid ibi inuenire possent, in prædam abducerent: & vt sunt nimis sitientes sanguinem , omnes , quos illic repetissent fratres , gladio iugularent. Cùmque hoc tam horrendum , tam immane , tamque formidandum periculum esset in Monasterio nuntiatum, omnes fratres nimio pauore perculsi , terræ consternati sunt , diuinam maiestatem obnixè precantes, vt illorum animas benignè recipere dignaretur , quarum corpora tam subitæ , tam formidandæ morti , peccatis exigentibus , tradere decreuisset : non enim ampliùs in hoc mundo se victuros credebant , qui tam proximæ mortis gladium sibi imminere cernebant. Igitur cùm per totam noctem aspersi capita cinere, vigiliis & orationibus essent intenti , Reverentissimus vir Apollinaris Abbas , cuius superiùs mentionem feci 6.Bassatium
C Abbatem , religiosum scilicet virum , per visionem allocutus est , dicens. Nolite timere , ne mœstum geratis animum , non enim in hoc tempore ab Agarenis capiemini , nec aliquid damni diuinâ protegente dexterâ,vobis inferre poterunt : sed quantocyùs reuertentes suos adire tentabunt fines : vos autem deinceps securi , ac illæsi manebitis : quia Sanctissimus Pater Benedictus vestram ab omnipotente Domino salutem obtinuit : ipse enim venit ad adiuuandum vos , nosque omnes cum eo simul. Igitur venerabilis vir Bassatius Abbas expergefactus somno, conuocatis in vnum fratribus ; retulit quæ vidisset , quæque sibi reuelata fuissent : & vt instanter omnipotentem Dominum deprecarentur , admonuit. At illi certi de diuina misericordia alacres effecti , laudantes ac benedicentes Dominum , quod reliquum erat noctis , precibus , orationibusque consummunt. Tanta verò erat serenitas aëris, vt nulla in eo vel tenuis quidem nubecula videretur: cùm subitò cœlum densatur nubibus , tonitrua concrepant , coruscationes ac fulgura crebra micant, tan-
D tusque imber effusus est terris , vt Liris fluuius latè redundans , quasi mare videretur. Igitur illucescente diluculo , surgentes à castris Barbari , accesserunt ad oram fluminis , diligentiùs perscrutantes , si quàm forte , nauim vadumque reperire possent vt fluuium transmeare valerent : sed cum omnis transeundi spes eis esset ablata , dira incitati barbarie , manus sibi digitosque corrodentes , quod spe frustrati prædæ, vacui remanserant. Cellas nostri Monasterij trans Lirim positas igne cremantes , verso exercitu quantocyùs abire cœperunt Cumque ad eum locum peruenissent , quo prædictus Liris fluuius patenti ostio mari influit , omnes quos habebant equos debilitatis cruribus , præcisis neruis , quia secum ferre nequibant, reliquerunt. Ipsi verò ascensis nauibus, dantesque carbasa ventis , recto cursu sulcantes æquora , Siciliam deuenissent , & se celeriter aridam contingere sperarent , repentè paruam cernunt nauiculam , huc illucque inter suas naues liquidas super vndas celeriter discurrentem : in qua Clericus veneranda canitie,& alter E
Monachus sedere videbantur. Et cum ab eis solicitè interrogarentur , vnde tam læti , tam alacres , vel tam onusti repedarent ? ab Italia se venire professi sunt,ibique omnia igni ferroque tradidisse : domos etiam Petri ac Pauli , necnon Benedicti se expoliasse gloriati sunt. Et vos , inquiunt , qui estis , qui tam solicitè , tam diligenter , tamque curiosè nos interrogare nitimini? Nos , inquiunt vnus Petrus , alter Benedictus vocamur , quorum domos vos inuasisse iactatis ; sed cuius uirtutis , cuiusve potentiæ simus , quàm citissimè experiemini. Et his dictis ab oculis eorum ablati sunt. Mox igitur vndique furentibus ventis, tumescentibus fluctibus tanta subitò tempestas exorta est , vt naues omnes vel collisæ inter se , vel impulsæ scopulis confractæ sint.Ita vt ex omni illa Paganorum copia vix pauci superfuerint , qui suis hæc , à quibus missi fuerant , ciuibus nuntiare potuissent. Et quidem permi- F
sit omnipotens Deus ad tempus suas ab eis Ecclesias deuastari , sed non est passus eos super tanto facinore diutiùs gratulari. Hoc in facto illud mihi videtur esse impletum , quod B. P. Benedictus suis olim Discipulis promiserat , dicens : Præsentior vobis , dilecti filij, carnis deposito onere , vestrique per Dei gratiam cooperator existam assiduus. Illud etiam quod B. Petro Mat. 16
Dominus intulit dicens : *Tu es Petrus , & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam , & portæ inferi non præualebunt adversus eam.* Non , inquit , non valebunt , sed non præualebunt : portæ enim inferi pagani sunt , hæretici atque Iudæi , qui tunc adversus Dei valere videntur Ecclesiam , cùm per eos Dominus suos flagellari fideles permittit , sed non præualebunt, quia omnipotens ac misericors Deus non eos de Ecclesia sua perpetuos sinit habere triumphos. Vnde & Apostolus hortatur , dicens : *Tribulationem patimur,* 2. Cor. 4
sed non coangustiamur : aporiamur , sed non destituimur: persecutionem patimur , sed non derelinquimur : humiliamur sed non confundimur : tribulamur , sed non perimus. G

Theophilus : Placent vehementer quæ dicis.

Desiderius. 7. Ioannes sanctæ recordationis Presbyter , qui in nostro Monasterio Decanatus officio aliquo tempore functus est : vestri postmodum Monasterij , quod intra Lucensem vrbem constructum est, Præpositus fuit , qui quantæ obedientiæ , quantæque humilitatis fuerit , plures , qui eum nouerunt , Monachi , & adhuc supersunt , testes existunt. De mirabilibus verò , quæ per eum diuina Maiestas operari dignata est ; quia plura à memoria lapsa sunt , quæ recolo , pauca narrabo. Cùm idem vir Dei , ieiuniis, vigiliis , orationibus , maximéque largitati eleemosynarum esset intentus , tantam lachrymarum gratiam Domino largiente promeruit , vt dubium non esset, quod illæ lachrymæ multa apud Deum impetrare valuissent ; quæ ex tam simplici humilique corde editæ fuissent. Cùmque fama sanctitatis eius totam per eandē vrbem clarescceret,Dæmoniaca quædā quæ grauiter vexabatur , ad Monasterium , cui ipse præerat , adducta H
est. Et cum ab eis , qui eam duxerant , vt pro ea Dominum precaretur , magnis precibus fuisset obstrictus, conuocatis Fratribus Oratorium intrauit , atque multis effusis lachrymis preces pro ea Domino fudit, statimque ab ea Dæmonium effugauit.

Sed neque hoc sileam , quod veridicis viris de eodem venerabili viro narrantibus agnoui , quod videlicet ita clarum est , vt nullis penè , qui intra mœnia eiusdem præfatæ vrbis Lucensis commorantur , occultum sit , vel incognitum. Cuiusdam namque illustris viri vxor infirmitate detenta iacebat in lectulo , quæ adeò crescente languore ad extrema perducta est , vt per tres dies sine sensu , sine voce recubans , velut mortua haberetur. Cùmque omnes qui aderant , funditus de eius vita desperarent,ad Dei hominem missum est , vt pro ea omnipotenti Domino hostias precesque offerre dignaretur. At ille , vt erat beneuolus

animo,

A animum, & ad supplicantium vota paratus, mox Sacerdotalibus indutus vestibus, ad altare omnipotenti Deo sacrificium oblaturus, accessit. Igitur cùm intra sacra Missarum solemnia nomen illius memoraretur, illa in domo propria, longè à Monasterio posita, ex lectulo, in quo quasi exanimis iacebat, tamquam si ab aliquo vocaretur, respondit. Cùmque ab illis qui aderant, interrogaretur, quid diceret, vel cui responsum dedisset? illa, inquit, Dominus Ioannes Præpositus nunquid non est hic? ipse enim vocavit me, illique respondi. At illi obstupefacti ex tam insitato, tam celebri, tamque obstupendo miraculo, tum quia illam, quæ ferè exanimis iacuerat, sanam penè, & incolumem videbant: tum quia vocem illius tam longè positi audisse se referebat, statim curaverunt ad Monasterium nuntios mittere, ut quid servus Dei ageret, agnoscerent, & indicarent: proculdubio credentes, quod non abs re mulier B tam celeriter in lectulo surrexisset, responsumque dedisset. Cùmque illi, qui missi fuerant ad Monasterij Oratorium intrassent, virum Dei invenerunt iuxta altare stantem, ac pro ea longinquitatis auctori Domino sacrificium offerentem: & subtiliter notantes horam, repererunt eodem momento, quo intra sacra Missarum solemnia nominata est, eam ex lecto surrexisse, responsumque dedisse.

Felicis etiam memoriæ 8. Alexander Papa, vir disertissimus, ac eruditissimus extitit: qui primùm Lucensem, postmodùm verò Romanam Ecclesiam rexit. ex cuius ore ea, quæ nunc refero, de eodem Venerabili viro audisse me contigit. Cùm quodam tempore idem præfatus Pontifex a febre correptus graviter ægrotasset, & quotidie languore crescente vehementius fatigaretur, repente ei ad memoriam rediit, quod fama vulgante de prædicto servo Dei sæpiùs audierat: quod videlicet, quicunque febre detentus, hausisset 9. ea aqua, quæ de manibus ipsius defluebat, dum post Missarum solemnia ablueretur, mox recepta sanita- C te liberaretur. Latenter igitur misit, qui sibi ex illa aqua aliquantulum afferre debuissent. Cùmque hi, qui missi fuerant, aquam, quam postulaverat, attulissent, mox ebibit: atque ita repente sanitati pristinæ restitutus est, ut nulla in eo languoris illius indicia remanerent.

Alius quoque vir venerabilis vitæ 10. Guinizzo nomine, mente & habitu Monachus fuit, qui ex ulteriori Hispania nostrum ad Cœnobium veniens, in hac vicina sylva, non paruo tempore, vitam solitariam duxit: ubique in omnipotentis Domini Iesu Christi servitio vitam finivit. De quo venerabili viro Ioannes Abbas Monasterij S. Vincentij, situati iuxta ortum Vulturni amnis, qui ei familiarissimus fuit, multa miranda mihi, cùm adhuc in nostro Monasterio Præpositura curam gereret, referre solitus erat. Cuius discipulus 11. Ianuarius nomine, magnæ obedientiæ, magnæque abstinentiæ Monachus extitit. Qui dum quodam tempore à Magistro suo, venerabili videlicet Guinizone, ut ferramenta, quibus operati soliti erant, re- D ficeret, Aquinum missus fuisset, domum fabri ferrarij adiit, atque ab eo eadem ferramenta reparari, data mercede, poposcit. Faber verò ferrarius cœpit eum irridere, dicens: Num ex pane & aqua solitarius iste tam rubicundus tamque pinguis extat? 12. rubor iste, ut mihi videtur, magis ex vino, quàm ex latice haustu procedit. At ille: Hodie, inquit, tibi, utrum ex natura, an ex assidua vini potatione rubore conspergar, ostendam. Cùm vero ferrum in ignem missum vehementer ferveret, & faber ferrarius, id acceptum forcipe, super incudem posuisset, ac scintillæ, huc illucque undique volantes, totam penè domum illustravissent: casu ferrum ex incude in terram desiliens cecidit. Igitur venerabilis vir Ianuarius, ferrum ex incude cecidisse conspiciens, inclinans sese, fervens ferrum nuda manu tenuit, & super incudem ponens, malleatorem, ut quantocyus id percuteret, hortatus est. At illi qui aderant viso tanto miraculo, nimio pavore perterriti, pedibus eius provoluti, veniam, ex irrisione, E quam in eum exercuerant, humiliter deprecati sunt. Sicque factum est, ut omnis illa irrisio in venerationem versa sit, quam stulti homines in Dei servum procaciter inferre præsumpserant. Itaque cùm venerabilis vir ad Magistrum, atque ad cellam propterea remeasset, ab eo vehementer correptus est, quod insultantibus cedens, talia in oculis hominum facere præsumpsisset. Cumque ille, unde hoc sciret, vel quis sibi indicasset, percunctaretur: Ille, inquit, qui tibi præstitit, ut posses facere: mihi etiam, ut possim scire.

Theophilus. Cum Dominus dicat: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*, quid est, quod Sancti viri bona sua occultant, & ne ab aliquibus videantur, omni nisu elaborant? Luc. 12.

Desiderius. Sancti viri, etsi quandoque opera sua ostendant in publico, intentio tamen illorum manet F in occulto: per hoc enim quod intus agunt, laudes exterius non requirunt: quia & de bono opere proximis cupiunt præbere exemplum, & tamen, per intentionem, qua soli Deo placere desiderant, semper optant esse secretum. Tunc, inquam, bona sua occultari appetunt, quando ex eorum propalatione nullum animarum lucrum, nullum fraternæ saluti emolumentum cernunt affuturum. Cùm autem exinde ad gloriam omnipotentis Dei aliquid se lucrari posse conspiciunt, tunc bona sua declarari, ac propalari patiuntur: quia non suam, sed Conditoris sui laudem requirunt. Videatur pia ea homilia 12. in Evangel. S. Gregor. Pap.

Theophilus. Satis aperta ratio patet, nec aliquid inde ultra requirendum puto.

Desiderius: Ea quoque quæ de hoc egregio viro, videlicet Guinizone, Ioannes Religiosus Monachus, qui in hac vicina sylva sub Anachoretica disciplina solitarius commoratur, solitus est referre, dignum duxi huc nostro associare libello, dicebat enim: Quia cum adhuc in Beneventana civitate in suo Monasterio degeret, quadam die, quidam Dei servus sibi, aliisque G fratribus, qui ibi aderant, intulerit, dicens: Pro certo sciatis hodie aliquem magnum virum è Monachis apud montem Casinum ex hoc mundo migrasse ad Dominum: quod illi audientes, mirati sunt, quod per octoginta ferme milliaria egredientem è corpore animam illius videre potuerit: & non adhibentes fidem, subtiliter studuerunt indagare. Et repertum est eo die illum venerabilem virum emisisse animam, quo prædictus Dei servus Beneventi positus agnovit.

Sed neque hoc tacebo, quod de Mariculo Monacho fratribus referentibus agnovi, quem ipse in Monasterio positus vidi, nostroque iam tempore defunctus est. Qui enim ex Apuliæ partibus, conversionis gratia huc venisset; à 13. Richerio Abbate nostro prædecessore susceptus, Fratrum Congregationi sociatus est. Itaque in Monasterio corpore, in seculo mente degens, semper terrena quæque meditabatur: Omne magisterium H regularis disciplinæ sibi grave, & importabile videbatur. Tunc cœpit ab Abbate licentiam petere, multasque occasiones adinvenire qua patriam, parentesque posset revisere. Cumque ab Abbate suo sæpius fuisset admonitus, ut viam veritatis, quam semel arripuerat, in melius proficiens de die in diem ad finem usque perduceret, deposita omnis corporis ignavia, summopere studeret: ne fortè iuxta sententiam Domini, aratrum tenens retroque respiciens Regno cœlorum aptus esse non posset: & ne uxorem Loth imitans in statuam salis versus, horrendum cunctis spectaculum præberet. Ille nihilominus (cuius mens semel à maligno obsessa fuerat,) nullo modo quiescebat, sed quotidie Abbatem fratresque precibus fatigando, ut eum patriam revisere sinerent, omnimodè postulabat. Cumque spem redeundi frustratam sibi esse conspiceret, clam de Monasterio egressus, more fugacis servi nocturnas tenebras captans, ut canis ad suum vomitum, 14. ad patriam, diabolo instigante, reversus est, atque in parentum domo mansitans, secularitet ibi, ut Luc. 9. vers. 62. Gen. 19. vers. 26.

A iamdudum mente conceperat, vivere cœpit. Sed cum ab Abbate suo per nuntium sæpe fuisset admonitus, ut ad Monasterij claustra rediret, & ille salutaria monita parvipendens, obtemperare negligeret, ab eodem Abbate communione privatus est. Cum itaque non post multos dies paululum languore correptus in lectulo resideret, immanem leonem ingredientem ostium, ac contra se aperto ore venientem cernit. At ille ad ingressum ferocis bestiæ territus, cœpit magnis vocibus clamare, dicens: Currite, currite, quia leo iste me devorare contendit. Leo vero rugiens irruit in eum, & mordicus coxam illius apprehendens, maximum ex ea carnis frustum abstraxit, sicque eum ementatum ac semineceem relinquens, disparuit. Cumque plures ad clamorem vocis illius obstupefacti concurrerent, leonem quidem minimè viderunt, sed ementatum ac semineceem Monachum in terra prostratum invenerunt. Itaque cum

B eum a terra elevarent, paululum recepto spiritu, cuncta, quæ sibi acciderant, per ordinem pandit, & vt quantocyus se ad Monasterium reducerent, propinquos, ac vicinos obnixe precatus est. Propinquis igitur eius voto obtemperantibus ad cellam huius nostri Monasterij, quæ contra Asculanum oppidum sita est, eum portaverunt, ibique post paululum recuperata sanitate, huc ad Monasterium est reversus, ac ex perpetrata culpa, pœnitentia accepta, plures postea in sanctæ conversationis habitu vixit annos.

Theophilus. Monachus iste, vt video, idcirco leoni, idest diabolo, visibiliter ad tempus traditus est, vt postmodum invisibiliter ab eius potestate liberari in perpetuum mereretur.

Desiderius: Vis etiam ut narrem tibi, qualiter omnipotens Deus hoc Monasterium de tyrannorum manibus semper eripuit: atque ab inimicorum infestatione, meritis B. P. Benedicti, dextera suæ Divinitatis protexit?

Theophilus: Narra quodlibet: nam alacri animo, devota mente, attentisque auribus me cuncta hæc auscultare profiteor.

C *Desiderius*: Pandulphus Capuanus Princeps, vir potentissimus ac ditissimus fuit, qui latrocinando, humanum sanguinem fundendo, civitates, oppida, ac aliorum prædia circumcirca manentium crudeliter auferens, suo subdidit dominatui: quique stupra, cædes, rapinas, distractionesque bonorum Ecclesiarum multa per tempora, absque vlla miseratione, insatiabiliter exercuit. Igitur cum plurimas opes Christi Ecclesiis diripiens abstulisset, omnia castra, villas, ac prædia huius Monasterij cupiditate ductus sacrilega abstulit: ita ut nec unum rusticum, qui rura coleret, vel rura, quæ à rustico colerentur, Monachis reliquisset. Insuper etiam omnem thesaurum huius Monasterij auferens asportavit, ac in arce, quam non longe à Capuana urbe, in monte, qui S. Agathæ Martyris dicitur, construxerat, in qua multa spolia orphanorum, viduarum, & Ecclesiarum, ac pauperum intulerat, condens reposuit. Cum verò

D iam omnipotens Deus tantis sceleribus finem vellet imponere, & lachrymæ & voces pupillorum, viduarum ac pauperum, nec non orationes, precesque servorum Dei, in conspectu Divinitatis eius essent admissæ, sicut scriptum est: *Cor Regis in manu Dei est*, (Prov. cap. 21.) Conradi Imperatoris menti inspiravit, ut ad vindicandas eius Ecclesias, ac de tyrannorum manibus eruendas Italiam revisens Romam veniret. (Anno 1038.) Cum igitur magno exercitu congregato, Italiam ingrediens Romam venisset, optimos ex latere suo viros Capuam mittere placuit Pandulpho Principi, cui, ut bona S. Benedicti iniuste à se ablata, omni postposita mora, restitueret, & nobiles vel cuiuslibet generis viros, quos captos ac magno ferri pondere connexos multos in carcere detinebat, dimitteret, omnesque res illorum eis festinanter redderet, per eosdem viros voluit imperare: nam voluntas veniendi ad has

E partes minime animo eius insederat, si ea perficere posset, quæ per præfatos viros eidem Pandulpho præcipiebat. Sed Deus omnipotens, qui cor Pharaonis induravit, ob multa quæ in populum Dei sine causa irrogaverat mala, vt Mosi servo suo signa & prodigia mirabiliter ostendenti non crederet; induravit etiam & cor istius, ne iussioni Imperatoriæ obediret. Cúmque ij, qui missi ab Imperatore fuerant, Capuam venissent, multis cum eodem Pandulpho verbis frustra habitis, ad Imperatorem sine effectu reversi sunt. At vero postquam Imperator se contemptum à Principe vidit, ita commotus, Roma exercitu moto egrediens, Casinum venit, ac ad B. P. Benedicti limina conscendit. Facta hora Fratrum Capitulum intravit, congregatisque in unum Fratribus, ut pro se Dominum precarentur, rogavit: ibique coram eis Deum, Beatumque Benedictum, non ob aliud se ad has partes venisse, nisi ut eius Monasterium de manu crudelissimi tyranni eriperet testatus est. Deinde benedictione petita inde ingressus

F Capuam venit: satellites verò præfati Principis, qui Monasterij bona eius imperia ad sui usum detinebant, postquam de Augusti adventu certificati cognoverunt, omnes huc illucque fugientes, dispersi sunt. Sicque factum est, ut Monasterium omnia castra, villas, ac prædia sibi ablata uno die reciperet: & ea, quæ ibi ad alienum usum ministri scelerum congregaverant, in Monachorum potestatem devenirent. Vnde eis mihi contigisse videtur illud, quod B. P. Benedictus discipulis suis ex inopia panum tristantibus olim prædixerat: Vt hodie minus, crastina vero abundanter haberent. Præfatus igitur Augustus Capuam ingressus, eidem Pandulpho Principatus honorem auferens, alterum in locum eius constituit. Ipse verò in arcem, quam in mõte S. Agathæ Martyris summo studio munierat, ex eadem urbe fugiens, se contulit. Vnde divina dispositione contigit, ut omnia quæ latrocinãdo, peierando, multorumque cruorem innoxium effundendo, multa per tempora acquisierat, in spatio unius septimanæ amitteret; nihilque sibi, ex tot, & tantis

G acquisitis municipiis, præter arcem quam prædiximus, remaneret, & qui multos aliorum natos, suis ablatis rebus, mendicare coëgerat, qui ex eo nati sunt usque hodie huc illucque mendicatum pergant. Quæ omnia meritis B. Benedicti sibi evenisse quis dubitet, cuius ipse bona, iniqua ductus cupiditate, distraxit.

Theophilus: De hac te minime dubitandum est, quando coram Fratribus præfatus Imperator non ob aliud, nisi ob defensionem Sancti Benedicti Monasterij se Romam transisse testatus est.

Desiderius: Alio tempore quidam Capuanus Pandulphus nomine (Anno 1045.) collectis ex amicis & vicinis undique equitibus, ac non parvo militum numero congregato, castellum huius Monasterij quæ Concha dicitur, diabolo instigante, aggredi ac capere conabatur. Qui è Capuana urbe suis cum sequacibus, inclinato iam ad vesperam die, egressus, ut per totam noctem deambulans, antequam dies illucesceret, cunctis adhuc securè illic dormientibus, prædictum castellum aggredi &

H capere posset, iter arripuit. Cum verò egressi urbe, aliquantulum processissent, atque in eum locum, ex quo ipsi iam non in die, sed in nocte, ne ab aliquibus viderentur, ambulare disposuerant, pervenissent, eis paululum ibi remorantibus, optata nox supervenit. Qui ut filij tenebrarum, magis tenebras quàm lucem diligentes, ac illud, quod Dominus in Evangelio dicit: *Qui ambulat in nocte, offendit*, (Ioan. cap. 11.) minime attendentes, per agrũ unius fundi cœperunt ambulare, & ad invasionem præfati castri quantocyus properare. Igitur equis calcaribus cruentatis, recto se itinere ire putantes, per totam noctem prædictum agrum discurrentes, circumierunt. Sed operis Dei mirabili dispositione facto mane, ibi se eos, ubi se nox ceperat, invenerunt: sicque eis, quæ cupierant, frustrati, confusi ac mirabiliter fatigati, ad domum suam vacui sunt reversi.

Alio quoque tempore, dum 18. piscatores huius

Monasterij

A Monasterij retia in mare, qui pisces ad refectionem Fratrum caperent, misissent. Normannus quidam mente tumidus, ac inflatus superbia, furibundus spiritu, supervenit, & ut sunt ad rapinam avidi, ad invadenda aliena bona inexplebiliter anxij, comprehensum unum ex piscatoribus, vestimentum ei, quo erat indutus, abstraxit, sibique mox induit: deinde naviculam ingressus, piscatorem cogere cœpit, ut retia ex alto educeret, quatenus pisces, qui in eis inventi essent, secum abstrahens deportaret. Cumque piscator renueret, & se pisces ad Monachorum, non ad Normannorum refectionem capere velle se diceret, valde cæsus ab eodem Normanno in mare proiectus est. Cum vero idem Normannus piscium prædæ avidus, retia ex alto per semetipsum trahere, & pisces legere cœpisset, subito
B inde ex navicula cecidit, atque interclusus ab æquore spiritum exalavit. Sed mirabile dictu: ante illum unda mortuum proiecit in littore, quam piscator, qui ab eo proiectus in aquas fuerat, vivus natando pervenire potuisset.

Alio etiam tempore, t 9. latrones noctu huius nostri Monasterij cellarium ingressi, carnes caseum, laridumque exinde surripientes suos sacculos impleverant: sed foras egressi, sacculos, quos impleverant, levare conati minime potuerunt: deinde relicta sarcina tentantes fugere, per totam noctem hac illac per claustra Monasterij deambulantes, foras egredi nullatenus valuerunt. Igitur facto mane cum se intra Monasterij claustra conspicerent, timore exterriti, ac sui reatus conscij, quid facere nesciebant. Tandem reperto inter se consilio, exeuntes per portam Monasterij, si quo modo possent evadere, quasi nihil mali perpetrasse viderentur, cæteris se, qui de Monasterio ad quodlibet opus egrediebantur, miscuerunt, & lento pede, ne aliqua de eis suspicio oriretur, carpentes iter, haud longiuscule à
C Monasterio substiterant. Cum interea cellarius Fratribus solita stipendia præbiturus, cellarium ingrederetur: refertos ante aditum sacculos invenit, & miratus, ignoransque quid esset, quæque condita requisivit. Cum autem reposita ablata conspiceret, turbatur damno, foras egressus, quidquid perdiderat, in ipsis sacculis reperit. Qui vehementer attonitus, & iam quid esset intelligens, mox convocatis ad se duobus vel tribus pueris, per viam vergentis deorsum montis, si forte latrunculos, qui id admiserant, invenire possent, mittere curavit. Illi autem iussa complentes, cum Monasterio egressi, paululum processissent, repererunt illos iuxta stantes in ipso itinere montis. Cumque iam pene pertransissent eos, ac nullam in eos, quia noti erant, suspicionem haberent, citu gressu iter quod cœperant, peregerunt. Illi vero divinitus exterriti, ac velut amentes effecti, cœperunt post eos clamare & dicere; Scimus domini, quia ut nos comprehendatis venistis: sed misereamini nostri, nihil enim inde asportavimus, sed ablata omnia in ipso cellarij ingressu dereliquimus. At
D illi talia audientes, comprehenderunt eos, ligatisque post tergum manibus, ad Monasterium perduxerunt, atque ita ut erant connexi vinculis, Fratribus præsentaverunt. Præterea fuerunt nonnulli, qui minus circa præceptum Domini cauti, cædi eos, atque ita sic dimitti iudicaverunt: cæteri autem, quorum mens pia in Domino erat, & magis erga mandata divina sollicite studentes, iussa complere Dominica, solutos vinculis, cibo potuque refectos, liberos abire permiserunt. O mira Domini Iesu Christi benignitas, mira pietas, mira
Mat. 5. quam docuit patientia: cum in lege scriptum sit: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*: necnon manum pro manu, dentem pro dente, oculum pro oculo, talionem pro talione reddi mandatum sit: ipse diligere inimicos, benefacere se odientibus, salutare non resalutantes, auferenti tunicam dimittere pallium, ac bona pro malis reddere, se sequentibus voluit imperare.

Theophilus: Grata mihi fateor nimium esse quæ narras.

Desiderius. Res est mirabilis, & vehementer stupenda, quam narro, sed ita 20. à pluribus cognita, ut de ea ab aliquo in nullo debeat dubitari. Quodam itaque tempore Sergius Magister militum, qui Neapolitanæ præerat urbi, venatum in ipso sancti Paschali sabbatho pergens, sylvam suis cum pueris, ut aprum caperet, est ingressus: tensisque retibus ad insequendos eos sese cum canibus huc illucque unanimiter omnes per sylvam diffundunt: sed antequam aper, a retis laqueo fugiens involveretur, occupatus a venatoribus, confossus, captusque est. Cum autem hora iam tardior esset, & sol ad occasum vergens, umbram atram iam pene induceret terris: prædictus Magister militum, ne noctis tenebris occuparetur, sumpta, quam ceperat, venatione, omni cum clientela domum quantocyus repedare cœpit uni tantummodo puero Pythagoræ nomine, ut retia colligeret, & se pernicıter sequeretur,
F imperavit. Igitur cum puer, qui relictus fuerat, collectis retibus recto calle suum dominum sequeretur, subito duo Monachi reverendi admodum vultus ei se in itinere ennstulerunt. Cumque timore exterritus, quinam essent inquireret? Illi: ne timeas, inquiunt, tantummodo sequere nos. Cum itaque aliquantulum simul per eandem sylvam graderentur, venerunt ad quendam locum cœnosum valde atque horribilem aspectu, ubique at. Pandulphum Capuanum Principem, cuius superius mensionem feci, qui non longo ante tempore defunctus fuerat, ferreis nexum vinculis, atque in illius cœno laci ad gulam usque demersum, et miserabiliter ostendunt. Interea duo nigerrimi spiritus retortas ex agrestibus vicibus facientes, per gulam eum ligaverunt, ac in ipsam lacus profunditatem merserunt, iterumque sursum extraxerunt. Cumque hæc sæpius facerent, prædictus puer Pythago-
G ras tremula licet voce eum alloquitur, ut sibi, qua de causa talia pateretur, ediceret. Ille verò flens, & eiulans ad verba interrogantis pueri mox tale responsum protulit, dicens: Quamvis, ô puer, ex innumeris meis sceleribus mihi plurima & infinita pœna parata sit: tamen ob nullam causam hanc quam cernis patior pœnam, nisi propter aureum calicem, quem de Monasterio S. Benedicti, sacrilega ductus cupiditate, abstraxi, eique etiam moriens reddere neglexi. Sed obnixè deprecor, ac per Iesum Christum Dominum Salvatorem omnium, cuius ego miser præcepta contemnens, in hanc sum voraginem mortis demersus, te obtestor, ut Capuam ad uxorem meam vel ipse pergas, vel nuntium dirigas, qui ei, & tormenta quæ patior, & ut calicem Monasterio S. Benedicti reddat, insinuet. At ille: quid prodest, inquit, si ei nuntiavero? non enim quod te vidissem, vel quod talia patiaris, mihi creditura est. Cui ille respondit: Hoc sibi signum ex mei parte denuntia, quod Pandulphus Gualæ filius calicem ipsum pro pignore habeat, & ut datis solidis, quos ei debuimus reddere, illum recipiat, atque S. Benedicti Monasterio omni postposita mora restituat; si-
H bi celeriter rogo insinuare ne differas. Quibus dictis visio illa ab oculis eius ablata est. Puer verò statim, ut domum regressus est, infirmitate detentus intra paucos dies defunctus est: ea verò, quæ viderat, quæve sibi dicta fuerant, omnibus ad se venientibus patefecit. Pandulphus etiam ipse, qui causa pignoris calicem apud se habebat, hoc ipso tempore, nescio qua de causa Neapolim pergens, hæc omnia ex ore ipsius Pythagoræ se audisse retulit: per quem quoque idem Pythagoras uxori illius omnia, quæ de viro eius viderat, vel quæ ipse ei mandaverat, Capuæ nuntiavit. Illa autem sibi potius, quam marito consulens, pretium, quod vir eius accomodaverat, reddere nolens, nec calicem recipere, nec Monasterio reddere curavit.

Theophilus: Mirandum valde est ac magna cum cautela pensandum, cur omnipotens Deus talia huic puero ostendere voluit, cum ille, qui sibi ostensus est, à pœna liberatus non est, vel cum tot, tantisque sceleribus occultatis, pro solo aureo calice cruciari visus est.

A *Desiderium*, Quod vir iste in pœnis visus est, & tamen uxorem calicem reddere parvipendentem, a pœnis liberatus non est, iusto, occulto tamen, omnipotentis Dei iudicio factum est, cuiusque pia, ac benigna providentia in notitiam hominum deducta est, ut videlicet quicumque hæc audierit, pertimescat, & a rapinis Ecclesiarum mentem, manusque compescat; ne & ante mortem sese pœnitere non liceat, & post mortem parentibus, propinquisque ea, pro quibus ipse a suppliciis liberetur, operari non libeat: sicque fiat, ut pro eis supplicia æterna possideat, qui Dei timore postposito, in vita positus, nullatenus perpetrare formidat: & iam veniam non mereatur in vita illa, qui bonis, sanctisque operibus neglexit promereri in ista. Quod verò ceteris facinoribus tacitis, de solo aureo calice iudicari visus est, aperte datur intelligi, quàm fortiter, quàm atrociter, quamque miserabiliter pro aliis pluribus, immen- B sisque sceleribus torquebatur quando parui calicis rapina tam dire, tamque crudeliter cruciabatur. Nam superius retulimus, quod idem Pythagoræ puero dixerit, quod molta & immensa delictis aliis fuerant sibi præparata tormenta. Quod verò is, qui eum in suppliciis vidit, continuo languore correptus, non post multum tempus est mortuus, non multum miremur, si illud, quod Danieli, viro desideriorum, & somniorum veridico interpretatori contigit, attendamus: nam post visionem spiritualium mysteriorum, continuo ægrotavit, & per dies plurimos, sicut ipse testatur, elanguit. Si autem talis tantusque vir spiritualia visa non tulit, sed continuò languore apprehensus per dies plurimos infirmatus fuit, quid mirum, si puer iste curis secularibus deditos, carnalibus desideriis pressus, visionem spiritualium rerum ferre non potuit, sed infirmitate detentus ad extrema devenit? Sed in his omnibus divina iudicia C magis metuenda quam indaganda sunt. Quæ magna & inscrutabilia sunt, teste Psalmista, qui ait: *Iudi-* Psal 35 *cia tua abyssus multa*: testante quoque Paulo, qui dicit: *O altitudo divitiarum sapientia & scientia Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles via eius? Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia; ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum Amen.

NOTÆ.

1. Fuit hæreditario iure S. Paulus civis Romanus, & hoc modo natus, non quia in ipsa Vrbe, sed quia patre cive Romano: natus enim erat Tarsi, quæ Ciliciæ metropolis erat, & ius municipale à Romanis fuerat consecuta, ita ut Tarsenses censerentur cives Romani, & civium Romanorum privilegiis fruerentur. Vide Lorin. in Acta Apost. cap. 22. vers. 28.

D 2. Creatur Apolinaris Abbas Casinen. anno Domini 817. & in Martyrol. Benedictino titulo sanctitatis decoratur sub die 5. Kal. Decembris: cuius gesta luculenter descripsit Petrus Diac. lib. m. s. de ortu & vita Iustorum Casin. cap. 26. Vide etiam Leonem Ost. in Chron. l. 1. cap. 18.

3. Liris, qui & Garilianus, fluvius Campaniæ præcipuus, eam à Latio distinguens, cuius fontes in Apennino monte suprà Soram civitatem monstrantur.

4. Sic etiam super aquas fluminis, quod Yla dicitur, gradiuntur præcisa capita gestantes Sanctus Frontosius & socij Mart. Et S. Hyacinthus Ord. Præd. expanso super vndas pallio sicco vestigio ambulavit, sociosque secum traducens. Nazarium, & Celsum super vndas etiam ambolasse, cùm in mare proiecti essent, refert Marulus lib. 3. cap. 3. Gloriosa Charitine anno 308. lapide collo eius alligato demersa in profundum maris, & per aquas tanquam E per terram solidam incedens ad littus pervenit, Sur. 5. Octobris. Quirinus Martyr. Prudentio, & Eusebio in Chron. auctoribus, anno 314. alligatur ad saxum, demersusque in flumen enatavit: & placidè super aquas ambulavit, sustinentibus saxum, ferentibusque undis. Sub pedibus Bessarionis Abbatis aqua solidata legitur in vit. Patr. lib. 6. libel. 2. n. 2. Et B. quoque Oringa sive Christiana virgo in Etruria fugit per fluvium siccis pedibus, ne nubere cogatur.

5. Anno Dom. 846. Agareni seu Saraceni, utpote gens populosa, magna Italiæ damna intulerunt, omnesque ferè Romanas provincias incendiis & deceptionibus vastarunt. Ost. in Chron. lib. 1. c. 26. Baron. hoc eodem anno.

6. Bassarios creatur Abbas Casin. ann. Domini 837. Ost. in Chron. lib. 1. cap. 23. & obiit anno 856. die 16. Kal. Aprilis.

F 7. Gesta Ioannis, genere ac cognomine Apuli, Abbatis Lucensis sanctitate conspicui, descripsit Petrus Diac. lib. M. S. de ort. & vit. Iust. cap. 33. Ost. in Chron. lib. 2. cap. 92. & in Martyrol. Benedictino sub die 22. Febr. inter Beatos adscribitur. Vivebat anno Domini 1055.

8. Hic fuit Alexander Papa II. creatus anno Domini 1061. moritur Romæ miracolis illustris, anno 1073.

9. Refertur etiam hoc miraculum à Leone Ost. lib. 2. cap. 92. & à Baron. anno Domini 1070. n. 22: In Græca etiam Natione elucet ista pietas bibendi aquam qua Sacerdos post Missarum solemnia manus suas abluit, ad varias ægritudines repellendas, testatur eruditissimus Leo Allatius, lib. de quorundam Græc. opinat. n 6.

10. Vixit Guinizzo circa annum 1080. tempore quo Henricus Romanum, Basilius Constantinopoli- G tanum gubernabat Imperium. Vir planè mirabilis, sanctitate conspicuus, & prophetiæ spiritu splendidus, & in Martyrol. Benedictino inter sanctos, sub die 26. Maij recensitus, cuius acta descripta videntur apud Leonem Ost. lib. 3. c. 47. & Pet. Diac. lib. de ortu Iust. Casin. c. 30. quo loco etiam memorantur dial. Desiderij.

11. De Ianuario habetur mentio in vita Guinizzonis descripta à P. Diacon. lib. de or. iustorum Casinen. capite 30.

12. Sic etiam S. Cassius Narniensis Episcopus à Totila Gothorum Rege bibacitatis est insimulatus, fundamentum ex rubore faciei desumptum, ad quam calumniam depellendam insurgit S. Greg. 3. dial. cap. 6.

13. Richerius creatur Abbas Casin. anno Domini 1038. obiit ann. 1055. infra quod spatium temporis accidisse hoc miraculum deprehenditur. Vide Ost. lib. 3.

14. Quàm exitialis sit Monacho patria refert Cassian. collat. Pat. lib. 5. cap. 32. de Abbate Machete, H qui non solum fasciculum epistolarum à parentibus delatum volvere non præsumpsit, sed igni tradidit comburendum: *Ite*, inquiens, *cogitationes patriæ, pariter concremamini, nec me ulterius ad illa, quæ fugi revocare tentetis.* Scribit Simon Miletius, hodie ostendi locum in descenso montis Casini ad Sanctum Germanum, in quo draco Monacho in Monasterio permanere nolenti & postea exeunti apparuerit, quem dæmonem draconis specie transformatum fuisse ait. Sed illustre prorsus est, quod in vita Sancti Dominici, lib. 3. c. 2. à Theodorico proditum legitur. Vide S. Hieron. epist. ad Heliodor. de laude vitæ solit. & S. Ambros. de fuga seculi. Attendant igitur sibi, & caveant illi Monachi, qui non solum patriam non deserunt, parentes, & amicos non dimittunt, sed quotidie animi sui causa Magnatum sectantur aulas, & oculos. Vtinam non sæculi nostri hoc vitium sit.

15. Istum Pandulphum fuisse quartum Principē Capuanum, qui obiit an. 1050. docet eruditissimus Camil.

A Pereg. in histor. Principum Langob. Eius gesta recitat Leo Ost. lib. 2. cap. 60. 64. 84. & Baron. anno 1038. num. 3.

16. Mons S. Agathæ nunc dicitur S. Nicolai. Vide S. Capuan. Mich. Monachi in not. ad S. Offam.

17. Ea, quæ narrantur à Desiderio, sibi etiam relata affirmat Leo Ost. in Chron. lib. 2. cap. 82. ab uno eorum, qui tanto equitatui interfuit. Refertur etiam à Petro Diac. in serm. m.s. de octavà S. Benedicti. Evenerunt hæc omnia anno Dom. 1049.

18. Circa ann. Domini 1038. lege Leon. Ost. in Chron. lib. 2. cap. 65. & Petrum Diac. in serm. m.s. de oct. S. Benedicti.

19. Meminit Leo Ost. in Chron. lib. 3. cap. 62. & Petr. Diacon. in serm. m.s. de oct. S. Bened.

20. Recitatur à Leone Ost. in Chron. lib. 2. cap. 61. & à Baron. ann. 1038. num. 11.

B 21. Visio Pythagoræ de damnatione Pandulphi ad inferos intelligenda videtur de quarto huius nominis Principe Capuano, qui obiit anno 1050. probat Camill. Peregrin. histor. Princ. Langob. in serie Abb. Casin. in Richerio, qui etiam advertere docet quamdam alteram visionem cuidam solitario factam damnationis animæ alterius Pandulphi, de quo Petrus Damianus epist. ad Dominic. cap. 13. Leo Ost. lib. 2. cap. 84. & Baron. anno 1038. num. 12. 13. competere Pandulpho cognomine Caputferreo Principi Capuæ, qui vixit usque ad ann. 951. & non Pandulpho quarto Principi Capuano, qui obiit anno, ut diximus 1050. ubi etiam non discrepare ab aliis historiis clare demonstrat.

22. Sperabat forsitan Pandulphus ex restitutione minui pœnam, sed in inferno, ubi est summa miseria, C nullum refrigerium est, adeò quod dives Epulo tamdiu desideraverat guttam aquæ ut refrigeraret linguam suam, sperans refrigerium obtinere, & non valuit, Luc. cap. 16.

INCIPIT

LIBER SECUNDUS.

DIALOGORUM VICTORIS PAPÆ TERTII.

D *IN QUO AGITUR DE MIRACULIS à S. Benedicto, aliisve Monachis in Monasterio Casinensi, ope divina factis.*

PRÆMISSO utcumque primo, ut promiseramus, libello, nunc secundum Deo auxiliante scribere aggrediar: in quo extera, quæ supersunt in hoc Monasterio, vel à Monachis huius sacri Cœnobij ubicumque divina largiente clementia his temporibus facta miracula, quæ nostræ occurrunt memoriæ, curabo concludere.

Cùm adhuc essem laicus, & intra annos adolescentiæ ætatem ducerem, quæ à multis in Beneventana civitate degens, audivi, de 1. Ioanne tunc eiusdem Beneventanæ Ecclesiæ Archidiacono, postmodum verò huius S. Cœnobij Abbate silenter non transibo. Cùm idem Ioannes de illustri prosapia originem duceret, & quod maius est, religiosè vivens omnipotenti Domino omnimodo placere studeret, ita à Clero & populo diligebatur, ut omnes ei unanimiter post mortem Archiepiscopi eiusdem urbis summum Sacerdotium peroptarent. Alter quidam in eadem Ecclesia, 2. Alix nomine Diaconus erat, qui ad adipiscendum Pontificium omnino suspirabat, nec quo ordine id assequi posset, quidquam pensi habebat. E Sed dum idem Ioannes Archidiaconus superesset, ad culmen tanti honoris se posse pertingere desperabat. Cúmque hæc quotidie in animo volveret, vana illum cogitatio haud quiescere permittebat. Cum quadam die uterque secreto in loco consedissent, & nemo alius cum eis esset, sermo inter eos orsus est de huiusmodi miseræ vitæ fragilitate, de cœlestia ac perpetuæ vitæ iucunditate, de pœna peccatorum, ac de gloria sempiterna iustorum. Itaque statuerunt inter se huius gloriam mundi relinquere, ac sanctæ conversationis habitum suscipere: & ut magis fidi esse possent, iuramento, quod statuerant, firmaverunt. Deinde diem decernunt, quo apud castrum Casinum limina B. Benedicti peterent, ac sub eius magisterij Regula Iesu Christo Domino deservirent. Igitur postquam ad statutum diem ventum est, quo ab eis aggrediendum erat iter, F Alix, qui aliud animo, aliud gestabat in ore, Ioanni Archidiacono dixit: Charissime frater, quoniam de rebus meis aliquid adhuc superest, quod secundum Deum ordinare cupio, tu obsecro, præcede, & mox ut sanctæ conversationis habitum susceperis, mihi nuntium mittere: ego autem his expletis quanto citius te subsequi curabo. Archidiaconus verò ad Monasterium B. P. Benedicti veniens, mox ut habitum sacrum suscepit, nuntium ut decreverant, socio direxit, qui cum sub sanctæ institutionis Regula iam colla submisisse, & ut ipse celeriter veniret, ut pollicitus fuerat, nuntiaret. At ille mox ut talia audivit, alacer effectus, quod illum, qui sibi in Ecclesia præeminebat, recessisse cernebat, omnino se ad eum accedere, atque tam arctam ingredi viam posse negavit. Deinde ad acquirendum culmen Pontificatus honoris totis viribus nitebatur. Sed omnipotens ac iustus Deus, aliter quam ipse sperabat, disposuit. G Nam cum Imperator Otho egressus Germania Italiam intrasset, postquam Romanas res, ut sibi videbatur, disposuit, Beneventum adiit, cui Alix ita familiaris effectus est, ut idem Augustus eum eligi in Pontificem, Ecclesia renuente, præciperet. Postmodum verò Imperator Romam rediens, Romanum Pontificem eum consecrare rogavit & consecratum Beneventum remisit; Imperator deinde febre correptus, post aliquos dies divina dispositione defunctus est. Ille verò Beneventum rediens, ne mœnibus quidem civitatis appropinquare ausus fuit, sed cum dedecore illo repulso, alium sibi cives Pontificem elegerunt. Fecit quidem hæc omnipotens Deus ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, ut qui cupiditate honoris ductus fraudulenter fratrem suum studuit ab Ecclesia pellere, ipse pulsus patria, exul in alieno solo vitam finiret.

H Præter hæc ea, quæ sequuntur, Leone venerabilis vitæ, qui ante paucos annos defunctus est, & aliis veteranis Monachis narrantibus audivi. Cùm igitur idem Ioannes aliquantos in Monasterio sanctæ institutionis Regulæ expleset annos, petita ab Abbate suo licentia, Hierosolymam perrexit, atque in Sinai monte per sex continuos in Dei servitio degit annos. Postmodum verò in Græcia in monte, qui 3. Hagionoros dicitur, aliquanto tempore mansit. Sed ea, quæ illo in loco eum vidisse contigit, haudquaquam mihi videntur reticenda.

Quidam namque Eremita in eodem monte manens, à paucis vel frequentabatur, vel noscebatur. Dum quadam die frater, qui ei ministrabat, & certis diebus victum deferebat, supra memoratum Ioannem venerabilem virum ad eundem Dei servum duxisset, sicut ipse postmodum discipulis suis cum lacrymis solitus erat referre, benigne ut decebat, ab eo susceptus est: & cùm sermo inter eos de cœlestis vitæ gaudiis diutius agitaretur, servus Dei, iis qui advenerant, dixit: Venite Fratres, quia iam hora est, alimenta sumamus corporis, ne revertentes in via deficiatis: nec enim ieiuni à nobis recedere debetis, propter quem tanti subiistis iter laboris. Et hæc dicens, mensam

A præparat, prandium apponit. Cùm denique, oratione facta, ad mensam consedissent, mirabile dictu, immanis 4.ursus è vicina silva veniens, sese ante ora prandentium favum melliflui mellis ferens exhibuit. Cùmque illi valde perterriti, fugam inire tentarent, venerabilis Eremita ille eos compescuit, & ne terrerentur admonuit, dicens, multos esse iam annos, quo sibi omnipotens Deus per bestiam illam sæpissimè hoc melliflui nectaris donum sua pietate transmiserit. Peracto itaque prandio surgentes è mensa, animo magis satiati quam corpore, percepta benedictione ad Monasterium sunt reversi. Post non multos verò dies Beatissimus P. Benedictus eidem Ioanni per visionem apparuit, & dans ei pastoralem virgam, quam manu gestabat, ut Casinum ad suum Monasterium quanto-
B ocyus reverteretur, admonuit.

Facto itaque mane Abbati ipsius Monasterij religioso scilicet viro, visionem, quam viderat, per ordinem pandit. At ille, ut erat vir providus atque discretus, voluntatem Dei in hac visione cognoscens, intulit, dicens; Frater Ioannes celeriter ad tuum Monasterium reverti festina, ne tanto Patri, qui tibi per visionem apparuit, esse inobediens videaris: decrevit enim, ut mihi videtur, omnipotens Deus te suo gregi præponere, & ut suas fideliter pascas oves, sua miseratione elegisse. Ille igitur visioni & admonitioni obtemperans, transmarina relinquens arva, Christo duce, reversus est, atque à religiosissimo viro Ioanne, qui tunc Fratribus præerat, Præpositus factus, non multo post tempore (quia idem Abbas corpore iam debilis erat, atque pondus tanti oneris ferre nequibat) consilio & electione cunctorum Fratrum, ab eodem venerabili Patre Abbas est ordinatus. Ille verò, Abbatia relicta, in vicinam silvam secessit, atque ibi usque ad vitæ suæ terminum solitarius degens in omnipotentis Dei servitio vitam finivit.

Interea nec ea, quæ de 5. Felice audivi, Monacho videlicet huius Monasterij, silentio sunt prætermittenda. C Quodam tempore nescio qua de causa ad Teatinam urbem esse me contigit, & cum ab 6. Episcopo & clericis illius Ecclesiæ benignè & amicabiliter susceptus essem, atque orationis gratia ad orationem me duxissent, facta oratione, ad dexteram Ecclesiæ me contuli, ibique ædiculam & altare conspexi. Cúmque Episcopum & Clericos interrogassem, in cuius honorem altare illud conditum esset? responsum mihi est, quod in honorem B. Felicis Confessoris Christi altare illud esse dedicatum. Cùm autem quis fuerit ille Felix, inquirerem, dicebant mihi, quod Monachus Casinensis Congregationis fuerit; atque ab Abbate suo illis in partibus missus, ut pastoribus egregiè præesset, ibi vitam finivit. Et cùm ad corpus eius omnipotens Deus multa mirabilia operaretur, à maioribus suis de loco, in quo priùs iacuerat, levatus, atque in hac Ecclesia, sub hoc, ut cernis, altari conditus fuerit. Igitur quoddam memorabile illo in loco nuper ab eo patratum, omnipotente Domino largiente, narrabatur.

D Cùm quidam cæcus ad cuncta obstantia pedes offendens, misericordem Dominum rogaturus, ante eius altare venisset, & prostratus toto in terra corpore, gemitu ac suspiriis, ut meritis B. Felicis sui misereretur, orasset: mox depulsis cæcitatis tenebris, ita sanus & incolumis surrexit, ut mirantibus cunctis, ipse suis oculis lucem cœperit cernere, quam semper ab aliis desideraverat audire.

Theophilus: Velim scire, si vir iste venerabilis, qui ita claruit, post mortem in hac vita positus aliquod signum de vitæ suæ merito dederit?

Desiderius: Non quidem hunc venerabilem virum, dum in hoc seculo vixit, aliquod indicium suarum virtutum dedisse comperi: veruntamen omnipotens Deus plerumque agere consuevit, ut illi, qui devota mente illi servire student, licet in carne positi, nullum signum suæ sanctitatis ostendant, post mortem tamen cuius meriti fuerint, celari minimè patiatur; ut dum extincta illorum corpora ita miraculis coruscare cernuntur, in ipsius servitio humanæ mentes acriùs accendantur. E

Theoph. Fateor mihi placere quæ dicis, sed quæso te, inchoata prosequere; ut dum quæ valde cupio, audio, ad amorem supernæ patriæ fessus animus relevetur.

Desiderius: Gregorius quidam, summæ religionis Monachus, in hoc Cœnobio dictus est, qui, sicut à plerisque huius loci Fratribus audisse me reminiscor, dum in præsenti vita moratus est, sub Monasticæ disciplinæ Regula omnipotenti Domino studuit strenuissimè deservire. Cumque expleto vitæ termino ex hoc mundo migrasset, tanta odoris fragrantia de loco, in quo exanimis iacebat, emanavit, ut omne subitò Monasterium illius odoris suavitas, quasi unctus unguentum domatis mirifice resperserit. F Et dum omnes odoris illius ineffabili quadam suavitate recreati mirarentur, ac quid esset omnino nescirent, nuntius repente ab infirmorum domo properans venit, qui Gregorium Monachum obiisse retulit. Voluit itaque omnipotens Deus ostendere, quanti meriti iste vir fuerit, cuius egrediente anima tam mirifico odore Cœnobium omne repleverit. 7.

Alter quidam, ut Fratres, qui adhuc supersunt, referunt, 8. Angelus, in hoc Monasterio Monachus, dictus est, cuius profectò vita nomini dissimilis non fuit. Qui dum infirmitate tactus corporis ultimum diem clausisset, dæmoniacus quidem fortè in coquinam intraverat: & ecce subitò cœpit strepere, ac se, furibundus à terra dissiliens, in aëra elevare, magnisque vocibus clamans, cum se à Benedicto perpeti conquerebatur, dicens: O quid nunc mihi modò Benedictus fecit, animam Angeli Monachi, ob parvum cucullum quod gestavit in capite, mihi auferens secum detulit. Cúmque omnes qui aderant ad verba illius stupefacti intenderent, & quid diceret ignorarent, repente signum, quo Fratrum obitus significari solet, G insonuit: statimque Fratres omnes festinanter ad domum infirmorum pergunt, & Angelum Monachum iam defunctum reperiunt. Qua de re apertè monstratum est, quod animam illius in aliquo nocere non potuit, de cuius morte coram Fratribus tam tristem, tam lugubrem se antiquus hostis ostendit.

Theophilus: Quæso ut dicas, cur diabolus tantùm inimicetur humano generi, ut ab ortu nativitatis usque ad exitum vitæ omnibus modis elaboret, à mandatis Creatoris sui hominem avertere, atque ad æternam patriam tendenti quascumque poterit insidias tendere.

Desiderius: Aperta ratio patet, quod antiquus hostis, qui se Creatori suo æquiparare contendit, passus magnam ruinam, in voraginem profundi barathri demersus sit: & idcirco humano generi omnibus modis contrarius existat, quia illuc eum ascendere cernit, unde ipse per superbiam deiectus irrecuperabiliter cecidit; inde est quod strepere, insanire, frendere in electorum Dei transitu terribiliter videtur. H

Azzo 9. etiam quidam religiosæ satis vitæ Monachus fuit, qui Ecclesiam B. Michaëlis Archangeli in valle, quæ dicitur Regis, à Ludovico Christianissimo Imperatore mirifico opere constructam, postmodum verò à Saracenis destructam omni cum studio restauravit, ibique Fratres ad omnipotentis Dei servitium, prout potuit, congregavit. Cúmque ibidem in servitio Dei complesset annos, ultimam iam penè agens ætatem, ad Monasterium nostrum, ex quo ab Abbate suo missus fuerat, est reversus. Qui senio morboque confectus in domo infirmorum, in lectulo iacens, extremum vitæ spiritum iam moriturus trahebat, multique è Fratribus excubantes circa lectum ipsius hymnis & psalmis vacantes, eius exitum expectabant. Quidam verò 10. Frater, qui adhuc superest, & nobiscum in Monasterio conversatur, tunc iuvenis,

nunc

A nunc autem ætate moribúsque grandævus, in dormitorio cum cæteris Fratribus quiescebat: cùm ecce subito nocte intempesta respiciens, vidit per visionem B. Michaelem Archangelum, cuius vultum pictura eum docente cognoverat, per dormitorium venientem: cuius alter Angelus vestigia subsequens paulo longius gradiebatur: quem intuens dixit: Domine, nonne tu es B. Michaël Archangelus? Et ille: Ego sum utique. At ille: Quo tendis, inquit, Domine? Ad domum, inquit, infirmorum, ut Fratrem Azzonem mecum assumam, quia iam tempus est, pergo. Et his dictis, visio quam videbat disparuit. Qui statim evigilans surrexit, & festinanter ad domum infirmorum perrexit, Fratrémque Azzonem è corpore animam iam exhalasse invenit. Qua de re apertè datur intelligi, quod idem B. Michaël eum secum detulerit, qui ad assumendum eum se venisse testatus est.

B Frater quidam in nostro Monasterio 11. Stephanus Veneticus dicebatur, qui ex Venetiæ partibus adveniens, in sanctæ conversationis habitu studiosissimè vixit, cuius humilitatis, patientiæ, ac obedientiæ bonum omnibus, qui tunc in omnipotentis Dei servitio ibidem congregati erant, liquidissimè patuit. Cúmque iam tempus esset, ut eius digna conversatio à iustissimo Domino remunerari debuisset, molestia gravatus corporis, Fratribus coram positis, diem clausit extremum. Tunc quædam religiosissima anus Agundia nomine, virgo mente & corpore, quæ in Sanctimoniali habitu iuxta Ecclesiam Beatæ Mariæ semper Virginis sitam in civitate, quæ circa radicem Casini montis est condita, manebat more solito, antequam Clerici eiusdem civitatis, ad reddendas nocturnas Deo laudes surrexissent, ante prædictam Ecclesiam Dei genitricis stans, gemitu, lachrymis ac suspiriis omnipotentem Dominum precabatur: cùm ecce subitò intempesta noctis hora respiciens, vidit columnam igneam C è cella, in qua infirmi Fratres quiescere erant soliti, exeuntem, cœlúmque tendentem. Quæ mox nuntium Monasterium subire præcepit, qui studiosè inquireret, si aliquis ex infirmis Fratribus in cella illa degentibus ex hoc mundo migrasset. Tum is, qui fuerat missus nuntius, perniciter montem ascendit, Monasterium intravit, domum infirmorum adiit, atque Stephanum religiosum Monachum defunctum reperit: & studiosius inquirens, invenit eum ea hora emisisse animam, qua columna ignea ab ancilla Dei visa est, celsa penetrare polorum.

Alter quidam in iam dicto nostro Monasterio 12. Ioannes Veneticus dictus est, miræ patientiæ, obedientiæ ac humilitatis Monachus, qui quanti meriti apud Iesum-Christum Dominum fuerit, suum post obitum manifestissimè claruit. Cùm quidam Frater, cuius 13. nomen à memoria excidit, casu in inguine crepuisset, ita ut interiora eius membrano disrupto, D inter carnem & corium dilaberentur, sepulchrum ipsius adiit, ac se super illud prosternens, lachrymis gemitibúsque, ut pro se Dominum precaretur, ex intimo cordis postulabat affectu: proculdubio credens eius meritis se posse sanitatem recipere, qui in hac vita positus omnipotenti Domino totis viribus studuit deservire. Cùm igitur aliquantulum super sepulchrum eius orans incubuisset, ita restitutus est sanitati, ut languoris pristini nec ullum in eo quidem indicium remansisse videretur.

Smaragdus Monachus, qui adhuc superest, & in nostro Monasterio commoratur, retulit mihi quod narro. Quod à Leone venerabili Presbytero, avunculo scilicet suo se audisse referebat de Antonio Monacho atque Presbytero. Qui sæcularibus ac divinis literis haud mediocriter eruditus, ab adolescentia usque ad vitæ exitum in sæpè dicto Monasterio degens, omnibus penè in hac Provincia notus extitit. Qui dum quodam tempore, casu accidente, sicut prædictus Presbyter ex ore illius accepit, loco in secretiori crepuisset, & languore crescente quotidie vehementer E fatigaretur, medicum, à quo secari vel exui deberet, si quo modo posset sanitatem recipere, conducere meditabatur. Timebat tamen si secaretur à medico, ut multoties evenire solet, ne fortè moreretur: & rursus si non secaretur, sedulum sustineret dolorem, quod est ipsa morte deterius, periculosius sibi videbatur. Igitur cùm intra se hæc diutius agitaret, unum sibi fore remedium credidit, ut ad sepulchrum Beati Benedicti pergens, ipsius misericordiam imploraret, sperans se eius patrocinio posse salvari, sub cuius magisterio se recedens à sæculo devotissimè contulerat. Statim igitur Ecclesiam intravit, ac se coram altari humiliter prosternens, diutius oravit, ut omnipotens Deus meritis tanti Patris, salutem sibi conferre dignaretur. Expleta verò oratione, è pavimento, in quo prostratus iacuerat, surrexit, atque ex crepidine altaris pulverem collegit, & ligans in panno, loco F in quo patiebatur, superimposuit: atque die altero ita sanus repertus est, ut nec signum quidem præteritæ infirmitatis in eo omnimodo remaneret.

De 14. Paulo sanctæ conversationis Monacho, quod à Fratribus, qui adhuc in hac præsenti vita vivunt: & eum optimè norunt, audisse me memini, referre curabo. Cùm idem Paulus salutis suæ causa nostrum ad Cœnobium devenisset, à Theobaldo Abbate, religioso videlicet viro, qui tunc Fratribus honestissimè præerat, devotè susceptus est. Anno 1022. Quem venerabilis Pater in Monasterio Beati Patris Benedicti, quod intra Capuanam urbem constructum est, habitare præcepit: qui postquam ad eundem pervenit, ita se sub sanctæ institutionis Regula constrinxit, ut ob hoc omnibus mirabilis haberetur. Sed omnipotens, misericors ac pius Deus, quantum sibi eius digna conversatio in hac vita placuerit, illius post obitum ostendere est dignatus. Cùm namque in eodem Monasterio religiosam, honestam, ac dignam Deo conversationem exercens, aliquantos explesset annos, in- G firmitate pulsatus corporis & carnis ergastulo, iubente Domino exilivit. Igitur quidam venerabilis vitæ Episcopus ex Galliæ partibus veniens, orationis gratia ad Ecclesiam Beati Michaëlis Archangeli in Gargano monte conditam properabat. Cùm autem ad Capuanam urbem devenisset, iuxta Ecclesiam 15. Protomartyris Stephani diversos, hospitatus est. Denique cùm nocte intempesta è lectulo surrexisset, ante Ecclesiam prædicti Martyris stans, vicinas sibi omnipotentis Dei aures precibus, lachrymisque reddebat: cùm ecce subitò, ad dexteram orientis partem oculos porrexisset, vidit instar Solis radiis lucem splendidam è Monasterio per aëra mirabiliter advolare. Cúmque diu lucem, quam videbat, attonitus miraretur, signum in Monasterio insonuit, quo Fratris exitus significabatur. Intellexit protinus è Fratrum numero aliquem magni meriti ex hoc mundo mi- H grasse, simúlque cum ipsa luce cœli sublimia penetrasse. Mox itaque convocatis Clericis, quæ viderat enarravit, statimque ad Monasterium nuntium misit, ut quis ibi defunctus esset, agnosceret. Cúmque is, qui missus fuerat, Monasterium intrasset, invenit Paulum venerabilem Monachum è corpore animam emisisse.

Ioannes 16 admodum religiosus Monachus, & Sacerdos, cuius superiùs mentionem feci, qui relicto regimine Monasterij, ad Eremi secreta se contulit, in hac vicina silva usque ad extremum vitæ suæ terminum solitarius mansit: ibique ieiuniis, vigiliis, ac orationibus operam dans, studuit omnipotenti Domino solicita mente servire. Hic verò cum temporibus Theobaldi Abbatis ex hac luce migrasset, Monachus Anno 1022. quidam Ioannes nomine, in Monasterio beati Laurentij Martyris, quod apud Capuam situm est, studiosissimè in Dei servitio conversabatur: qui dum quadam nocte antequam Fratres ad vigilias surgerent, de lectulo more solito, omnipotentem Dominum precaturus surrexisset, dum attenta mente stans misericordem

A Dominum precaretur, subitò respiciens clarissimam lucem in aere, & intra ipsam venerabilis viri Ioannis animam cœlum penetrare conspexit. Igitur facto mane certius scire volens quod viderat, venit ad Andream, qui cellæ huius Monasterij, quæ intra eandem Capuanam urbem sita est, tunc Propositus erat, hocque, quod viderat, per ordinem retulit: & ut ad hoc Monasterium nuntium dirigeret, qui diligentissimè rem, quam viderat, investigaret, obnixè poposcit. Qui eius voto parere studens, nuntium mox direxit, qui diligenter hæc, quæ dicta sunt, cognosceret: citiusque reversus indicare curaret. Tum is, qui missus fuerat nuntius, dum festinanter pergeret, & in ipso itinere alter à Monasterio veniens occurrit, qui Fratribus in prædicta cella Capuæ commorantibus, præfati servi Dei obitum nuntiavit: à quo subtiliter inquirens, invenit prædictum Dei servum ea hora ex
B hac luce subtractum, qua eum Ioannes religiosus Monachus, Capuæ positus, cœlum mirabiliter penetrasse cognovit. Tunc uterque ad eos, à quibus missi fuerant, reversi, alter servi Dei obitum, alter verò visionem, quæ de eo visa est, retulerunt.

Multorum 17. Fratrum testimonio didicit hæc, quæ nostro curavi annotari libello. Et licet Petrus venerabilis Ostiensis Episcopus in sermone, quem in vigiliis B. P. Benedicti legendum luculentissimè composuit, id eleganter decenterque inseruerit, tamen inter cætera miracula, quæ omnipotens Deus ad laudem sui nominis nostra etiam memoria, vel seniorum nostrorum, quos ipsi vidimus, quibusque referentibus, agnovimus, hoc in nostro Monasterio ostendere est dignatus, inserere curavi, ut in cuius fortè manus sermo ille non venerit, & hoc in nostro libello cognoverit, Deum laudet in mirabilibus suis, qui omni tempore, novo videlicet cibo alit teneras mentes suorum. Igitur quodam tempore ab initio Maij mensis usque ad extrema mensis Iulij, tanta siccitas aëris extitit, ut ne paucissimis quidem guttis arens terra, &
C crebris discissa rimis, aliquo modo madefieri videretur. Tunc quadam die quidam rusticus, ut stipulam triticeæ messis suo in agello succenderet quo liberius terram excolere posset, allatum ignem incautè supposuit; cúmque ignis paulatim stipulam lambendo flammam in altum porrigeret, flante aura in proximam silvam, quæ subiacet Monasterio, rustico renitente diffluxit. Igitur infinitam sibi silva ministrante materiam, ignis huc illuc per latera montis discurrens, omne Monasterium incendio se concrematurum, populis undique spectantibus, minabatur. Cùm itaque Fratres flammis crepitantibus timore exterriti atque turbati, animo expergefacti, à lectulis surrexissent (nam in meridiano tempore illis quiescentibus, res ista contigerat) videntes tam immane, tam subitaneum periculum, & ei qualiter resistere possent, nullo modo excogitare valentes, ad divina se statim contulere præsidia. Totis itaque viribus, & ex intimo cordis affectu omnipotentem Dominum rogare cœperunt, ut meritis B. P. Benedicti, quo ordine vellet sua virtute Monasterium ab incendio eriperet, quod
D humana manu defendi posse penitus desperabant. Cúmque alij erectis in cœlum manibus, atque alij prostratis in terra corporibus, alij flexis genibus, alij in terram demissis capitibus omnipotentem Dominum precarentur, subitò parua nubecula se in huius latere montis colligens, supra cacumen ipsius divina imperante potentia, dilatavit: quæ mox tantum imbrem ex se effundens expressit, ut & incendium omne extingueret, & omnino Monasterium liberaret. Studeamus igitur Fratres, religiose ac piè vivere, & tantum Patronum, Deo serviendo, propitium acquirere: quia cuius meritis nubes huius cacumen montis obtexit, atque ex se copiosum imbrem exprimens, incendium extinxit, eius nihilominus precibus, si eum sedulè ac devotè, præveniente bono opere, rogaverimus, ab æstuantium vitiorum flamma, divina concedente misericordia liberabimur. E

Quodam 18. tempore, sicut ab iis, qui optimè noverant, agnovi; dum Fratres huius Monasterij Ecclesiam B. Scholasticæ virginis intra Caietanam urbem, quatenus dum ad aliquas res emendas ibidem pergerent, receptaculum habere possent, construerent; quidam ex operariis in summitate rupis, quæ in capite civitatis mari præeminet, saxa quibus Ecclesiæ parietes construerentur, frangebat. Qui cùm attentiùs eadem saxa malleo quateret, idem malleus de manubrio recidit, ac per ingens præcipitium, quod ibidem parebat, delapsus in mare cecidit: qui valde contristatus quod evenerat damno, ad Fratres ubi parietes Ecclesiæ ædificabant, protinus venit, & ea, quæ sibi acciderant, mœrens retulit. Cúmque spes recuperationis esset ablata, & alterum sibi malleum, quo saxa ad Ecclesiæ, ædificium frangerentur, fieri decernerant, unus è Fratribus dixit: descendamus illuc Fratres, forsitan B. Benedictus suis meritis nobis malleum restituet, qui quondam Gotho ferramentum ex profundo lacus mirabiliter abstrahens reddidit, atque ad opus quod cœperat, lætum remisit. Placuit sermo coram cæteris, & descendentes ad mare naviculam sunt ingressi: remigantesque sinum civitatis, venerunt ad locum, in quo sub prædicto præcipitio ex operarij manibus dissiliens malleus ille ceciderat: in quo videlicet tanta erat aquarum profunditas, ut spes recuperandi illum per aliquod humanum ingenium nulla omninò persisteret. Igitur confisi de omnipotentis Dei adiutorio & meritis B. P. Benedicti, manubrium in æquora mittunt. Mirum in modum, mox ferrum manubrio adhæsit, & extrahentes eum foras, gratias agentes Deo & B. Benedicto gaudentes ad opera sua sunt reversi. F

Theophilus. Hoc miraculum & in veteri testamento ab Heliseo, & in novo à Sanctissimo P. Benedicto factum reminiscor. Sed dum merita istorum, illorumque longe distantia esse perpendo, maiorem fateor admirationem de hoc nuper patrato miraculo in animo meo concipio. G

Desiderius: Hoc factum, charissime Frater, non tantum istis imputare debemus, quantum illi, de cuius meritis confisi, id agere tentaverunt. Verumtamen vis narrem aliquid de obsessis à dæmone, divina largiente clementia, suffragantibus B. Benedicti meritis in hoc eius Monasterio curatis, ut audientium animus magis ac magis in Dei laudibus convalescat, atque in amorem summæ divinitatis multipliciter incalescat.

Theophilus: Quidquid ad ædificationem audientium dicere velis, prosequere: ego autem me hæc gratanter auscultare profiteor.

Desiderius: Quidam puer in domo hospitum simul cum patre in lectulo cubans, cùm ad necessitatem corporis in ipso noctis silentio surrexisset, subito ingens leo dentibus fremens, cum paratus discerpere unguibus, sibi horrendus apparuit, qui pavore nimio exterritus vociferans, in terram corruit. Ad cuius vocem mox turbatus pater è lecto surrexit, festinus ad eum, valdéque anxius accessit, cur ita clamasset, vel quid sibi evenisset, prima diligentia solicitus interrogavit. Ille immanem leonem contra se venientem H tremebundus ac palpitans vidisse se retulit. Quem pater blanditiis demulcens, in ulnis propriis acceptum reduxit ad lectulum. Sed diabolus, qui in specie leonis sibi apparuerat, in eum ingressus, post aliquot dies vehementissimè vexare cœpit. Cúmque ad Ecclesiam ante altare Beatissimi Benedicti esset adductus: mirum in modum in pavimento clausis oculis prostratus iacens, quicumque Monasterij portam ingrediebatur, mox eius nomen exprimebat, dicens: Talis, vel talis homo per portam modò Monasterij ingreditur. Quidam autem Frater cum causa obedientiæ è Monasterio ad civitatem descendisset, duodecim à quodam accipiens denarios, eosque propriæ utilitatis

A gratia occultè capiens sibi in sinum misit. Cùm autem ad Monasterium reversus, ad puerum in locum quo vexabatur, accessisset, statim diabolus hoc modo eum per os pueri coram Fratribus infamare cœpit, dicens: Monachus iste contra Regulam sui Ordinis duodecim denarios à tali viro accipiens causa proprij commodi, occultatos retinet in sinu. Igitur cum à Fratribus interrogaretur, verumnam vera essent conuitia, quæ antiquus hostis per os vexati sibi obiiceret? mox ille suam clamitans culpam, omnino id ita esse professus est.

Alter quoque Frater, cuius nomen, ne verecundiam patiatur, omitto, ex alio Monasterio suæ salutis causa ad nostrum deductus, quadam nocte ad nocturnas vigilias, B lectionem de veteri Testamento in Ecclesia more solito Fratribus residentibus, recitabat, cum forte puer qui vexabatur, aderat. Et ecce subito diabolus per os eius exclamans, illa omnia, quæ legebantur, sese ad liquidum nosse, ibique fuisse protestabatur; & adiungens huiusmodi lectori verbis exprobrabat: Sed si ea, inquit, quæ de te scio, referre coram præsentibus vellem, magnam profectò tibi verecundiam incutere possem. Et reverà Fratrem illum abundè in suo Monasterio seculariter vixisse compertum est. Postquam igitur pro vexato puero ante sepulchrum B. P. Benedicti diutius à Fratribus oratum fuisset. Ita sanus effectus est, vt amplius à maligno spiritu vexari minime visus esset.

Eodem etiam tempore alter puerulus ingentem Æthiopem super tectum stantem conspexit: qui valde territus, mox fugam arripit. Sed idem dæmon eum insequens ad ostium domus, in terram prostrauit, C statimque in eum ingrediens acriter miserum fatigabat. Cumque in Oratorium ad sepulchrum prædicti Patris per aliquos dies sæpe fuisset adductus, eiusdem Patris meritis, qui eum inuaserat dæmon relinquens abscessit, sic vt ad eum accedere vlterius ausus non fuerit.

Alius quidam Ioannes nomine, qui ætate provectus adhuc superest, atque in infirmorum domo deseruit ex Prouincia Marsorum, de qua ortus fuerat, cum à pessimo dæmone teneretur, hoc ad Cœnobium gratia recuperandæ salutis à propinquis adductus est, proculdubio credentibus eum meritis B. Benedicti salutem posse recipere, ad cuius limina multos diversis languoribus occupatos audierant saluti pristinæ restitutos. Et ipse post non longum tempus expulso hoste sanitate recepta magnam exultationem videntibus intulit.

Theodoricus etiam Monachus atque Sacerdos, qui adhuc viuit & nobiscum in hoc Cœnobio religiosam vitam ducens, conuersatur; nepotem habuit, quem D valde diligebat in seculo: in quem antiquus hostis ingressus est, non tamen vt apertè eum vexaret, sed latenter languorem inferens, quasi paralyticum videntibus exhiberet. Hunc itaque prædictus auunculus eius causa recuperandæ sanitatis ad se, de B.P.Benedicti confidens meritis adduci fecit. Sed cum in hoc Monasterio aliquandiu infirmus, ita vt venerat, perduraret, & à nullo, quod eum dæmon possideret, æstimaretur, quadam die ab eodem auunculo suo ad venerabilem virum Lambertum nomine, qui in hac proxima silua iuxta Ecclesiam SS. Martyrum Cosmæ & Damiani solitarius habitabat, vt eius benedictione frueretur, delatus est. Cui vir Dei panem benedictum dedit, eumque vt comederet, imperauit. Cùmque sibi, quod acceperat in os misisset, idque comedens gustasset, dæmon, qui hactenus in eo latuerat, benedictionem tanti muneris ferre non valens, strependo, vociferando, huc illucque dissiliendo, quæ causa languoris esset, innotuit. Postquam verò cum auunculo ad Monasterium est reversus, & apertè quod a dæmone possideretur, cognitum fuit, ductus in Oratorium est, quò omnipotentem Dominum pro eo rogaturi cuncti simul Fratres conuenerunt. Expleta itaque oratione ac psalmodia, hora sexta Fratres ad refectorium, dimissis cum eo duobus vel tribus Mona- E chis, causa reficiendorum corporum pergunt. Igitur cùm illi, qui remanserant, diuinam pro eo misericordiam lachrymabiliter precarentur, quatenus intercessione Beatissimi Confessoris sui Benedicti liberare captiuum hominem dignaretur, Monachus veneranda canitie eidem, qui vexabatur, ante altare stare visus est: qui antiquo hosti ab eo recedere potenti virtute imperabat. Mox dæmon, facto impetu magno cum vomitu ab obsesso exiit, atque ad eum vlterius accedere minimè præsumpsit. Quem videlicet senem B. Maurum procul dubio fuisse compertum est, cuius reliquias, Fratres, qui cum eodem obsesso in Ecclesia remanserant, super pectus eius magna cum deuotione ac spe posuerant. Is autem liberatus à dæmone, est Mona- F chus factus, & in hoc Monasterio cæteris cum fratribus in Iesu Christi Domini nostri seruitio perseuerans existit.

Rusticus quidam in vicinia huius Monasterij, in castello, quod Sancti Angeli nominatur, habitabat: qui festiuitatem B. Nicolai Confessoris Christi per annos singulos vna cum familia sua, prout poterat, deuotissimè celebrabat. Ea igitur die, qua eius sacra à fidelibus colebatur solemnitas, ad Basilicam illius nomini consecratam, cum vxore & filio, in puerili adhuc ætate manente, oblationem Domino oblaturus, accessit. Postquàm verò expletis Missarum solemniis, & communione sacri corporis & sanguinis Domini participati, ad domum propriam sunt reversi; puer à patre agrum reuisendi licentiam petiit. Quem pater compescuit, dicens: Non est dignum, ô fili, in agrum hodie ad agri opus exercendum exire, quia, G licet indigni, divina sacra percepimus, & festivitas Patroni nostri beatissimi scilicet Nicolai, ab omnibus magna cum devotione vbique recolitur. Sed ille puerili levitati deditus, postquam quod petierat à patre impetrare nequit, paterna iussa parvipendens, clam de domo avolans, solus ad rura visenda contendit. Vbi verò aliquandiu in agro moratus, Solem ad occasum vergere, & opacam noctem iam pene terris imminere conspexit ad vicinam siluam, ne vacuus redire videretur, ac per hoc patri gratiam, cuius verba contempserat, recipere posset, ligna cæsurus, domumque delaturus accessit. Cùmque ligna iam componere cœpisset in sarcinam, subitò quasi vehemens spiritus sonitum contra se venire persensit, eleuatoque sursum capite, nigerrimam auem in modum vulturis, magno cum impetu per aëra super se volantem conspexit, quæ haud longiusculè in semita, qua puer regredi debebat, sese obuiam posuit. Itaque eum timore perterritus ac tremebundus in eam intenderet, illa in spe- H ciem nigerrimi pueri, cuius capilli hispidi ac inversum erecti, extrema pars vestium in ruborem desinere videbatur, sese transformans, ostendit. Igitur puer, dum id quod videbat, pauidus vt erat, animo inspiceret, idem antiquus hostis eum taliter allocutus est: Efficere, inquit, ô puer ex toto meus, & vna mecum ad huius proximi fluminis oram accede: ibique auri, & argenti magnam copiam tibi tribuam, vt non lignis, sed auro, argentoque domum reuertaris onustus: quatenus dum superfueris, omnes propinquos vicinosque tuos divitiis excellens, nobiliter delitiori vita fruaris in terris. Hæc autem ei antiquus hostis non ideò persuadebat, vt quæ pollicebatur tribueret, sed vt eum mergens necare posset in flumine. At puer frequens Christi nomen inuocans, crucis se studebat munire signaculo; flebilique voce talia responsa reddebat: Absit à me, absit, vt alicuius aliquando efficiar famulus, nisi qui me creauit, omnipotentis Dei; & qui me generauit patris mei. Cùm itaque iterum atque iterum signum salutis sibi apponeret, dæmon, qui videbatur, in vndas vicinas fluminis inde se submouens, magno cum strepitu se mersit, ibique serpentum sibilare, asinorum rudere, mugire taurorum, rugire leonum more cœpit, atque tantum

timorem

A timorem misello incussit, vt tota sibi silva rotari 10 vertiginem videretur. Cúmque in terra ferè iaceret exanimis & quid ageret penitus ignoraret; ecce subito senex mitrato capite, candidus, indutus stola, sibi adstans apparuit, & inquit ad eum: Quid hic agis, cùm se iam horæ tardior protrahat, & recedentibus cunctis solitaria iam penè arva remanserint? Surge quantocyus, domúmque redire festina, ne si amplius hic moratus fueris, grave periculum incurras. Surgens itaque de terra, cum ad se levandam sarcinulam inclinasset, idem, qui visus fuerat, senex disparuit. Et ecce iterùm malignus spiritus ante oculos eius se ingerens, eisdem quibus prius verbis affari puerum cœpit. Sed ille nihilominus quæ hortabatur, se facturum omnino denegans, flens & eiulans in terram decidit, ac prout poterat & sciebat, Salvatoris omnium Iesu Christi clementiam, ut sibi
B præberet auxilium flagitabat. Mox ille venerandus senex, qui ei dudum visus fuerat, rursus apparuit, & ut citius surgeret, lignáque auferens, asportaret: hortatus est. Ad cuius adventum, inimicus qui videbatur, vt fumus evanuit. Quem utique senem, beatum fuisse credimus Nicolaum, cuius celebrandæ festivitati prædictus rusticus eo die operam dederat. At puer ad senis imperium surgens à terra, levata sarcinula, summa cum velocitate domum redijt, & ut ipse postmodum referebat, tam levi sibi illa lignorum sarcinula facta est, ut nihil ponderis habere videretur. Cùm autem domum regressus paululum remoratus esset, qui ei apparuerat dæmon in eum ingressus cœpit horribiliter fatigare. Vterque tunc batus parens affuit lugens, & perstrepens familiola cuncta circumstetit. Sed cùm nullum ei auxilium impendere posse se cernerent, salubri reperto consilio, hoc ad Monasterium ad limina eum B. Benedicti perducunt, atque
C ad eius venerandum sepulchrum in dextera parte altaris, misericordiam Domini lachrymabiliter postulantes, prosternunt, ibique obsessus vehementer fatigatus obdormivit. Igitur dum sic fessus dormiens iaceret, aperiri sibi subito à latere visum est, indéque vir clarissimo aspectu candidóque amictus habitu procedens, eius alvum, pectúsque diu contrectans, ei, ut surgeret ac discederet, imperavit. Qui mox expergefactus, ita sanus surrexit, ut dæmoniacam infestationem in se ulterius non sentiret. Hæc omnia per ordinem, ex ore ipsius pueri, qui passus fuerat, lachrymabiliter referentis, audivi.

Theophilus: Hæc, quæ puero contigisse narras, valde admiror, atque ad omnipotentis Dei iudicia tremens stupesco, cur illum, qui unà cum patre festivitatem B. Nicolai devotè celebrans, communionem Dominici corporis & sanguinis percepit, immundo spiritui mancipare permiserit.

Desiderius: Si animadvertas utique quantum pa-
D rentibus non obedire delictum sit, cùm Scriptura di-
Exod. 20 cat: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis lon-*
1. Reg. 15 *gævus super terram.* Et item: *Melius est obedire, quàm sacrificare, & ausultare magis, quàm offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Et Salomon: *Audi fili mi disciplinam patris tui, & non dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Et alio loco: *Quàm malæ famæ est, qui relinquit patrem, & est maledictus à Deo qui exasperat matrem.* Iusto Dei iudicio id accidisse probabis. Permisit itaque Deus puerum hunc pro sua inobedientia flagellari: sed solita pietate non est passus eum sub eodem verbere diutius immorari: ut ex hoc quisque intelligat, quantum inobedientiæ periculum pariat, atque ad obediendum parentibus quantum sese humiliter subdere debeat.

Theophilus: Verba responsionis tuæ satisfecisse videntur interrogationi meæ.

Desiderius: In Diœcesi Teatini Episcopatus est

E Monasterium nobile iuxta radicem Maiellici montis, in honorem sancti 19 Liberatoris constructum, & huic nostro Casinensi Cœnobio subditum, vbi magna Fratrum multitudo commorantes, iuxta almi B. Benedicti mandatum, Christo Domino vero Regi militantes deservivnt.

Quodam igitur tempore, dum Fratres in eodem Monasterio in noctis silentio iuxta morem quiescerent, quidam reverendus vir Monasterio indutus habitu apparuit uni eorum, cúmque exhortans, ut velociter de lectulo, in quo iacebat, surgeret. Cúmque ille ad eius imperium expergefactus perniciter surrexisset, inquit ad eum: Accelera & excita omnes Fratres, & ut velociter surgant, atque ad Ecclesiam pergant, magnis clamoribus iussa, quia hæc, in qua quies-
F cunt, cella sub omni est celeritate casura. Ille autem iussis obtemperans, magnis vocibus clamare cœpit: Surgite, inquiens, Fratres, surgite, atque ex hac cella, quæ protinus ruitura est, quantocyus exite: ne moram in ea amplius facientes, à ruinis, quod absit, opprimamini. Cùm igitur illi expergefacti, eius à clamoribus turbati, vnde hæc nosset, inquirerent? Ille, quæ viderat, quæve sibi dicta fuerant, ordine retulit. Mox itaque fratres, inde celeriter exeuntes, Ecclesiam intraverunt, nocturnámque synaxim more solito, pulsatis signis Domino decantare cœperunt. Cúmque intentis mentibus officia consueta persolverent, subitò prædicta domus, dato magno strepitu, funditus corruit. Exterriti Fratres festinè pergunt, solliciti ne quis eorum illa ruinæ oppressus esset inquirere: & cùm delapsam materiam huc illucque devolverent, invenerunt vnum è Fratribus senectute gravatum sub ruinis undique circumjacentibus incolu-
G mem remansisse, extractumque foras quonam modo evasisset, curiosè interrogaverunt. At ille, cum domus, inquit, funditus fatiscens super me dilaberetur, subito quidam splendidus vir, monasticæ veste indutus, mihi adstitit, ipsámque ruinam iam iamque super me ruentem meque opprimere minitantem, brachio sustentans, incolumem, ut ipsi cernitis, conservavit. Qui videlicet Beatus Benedictus fuisse creditur, qui & antea paternâ pietate Dominicum gregem sub suo magisterio militantem, suâ admonitione & protectione eripuit, & senem fugere non valentem manu sollicitudinis suæ defendit.

Quidam etiam Frater in eodem Monasterio 20. Ioannes dicebatur, qui ætate ac ægritudine pressus, extremum vitæ spiritum trahebat. Cùm igitur quâdam die aliqui ex fratribus more solito decantaturi matutinas laudes ad eum venissent, ille eos voce quâ potuit compescuit, dicens: Nolo, inquit, ut mihi Canonicas
H horas amplius decantetis, quia Dominus Abbas cum multis fratribus albis vestibus indutis ad me modò gratiâ visitandi venerunt, mihique matutinale officium decantantes post paululum se huc venturos, méque secum assumpturos esse dixerunt. Dum itaque fratres, qui ad eum venerant, ad eius visionem intenti, & si veræ essent quæ retulerat, sollicitè præstolarentur, post vnius horæ spatium frater ille magna cum exultatione emisit spiritum. Ex quo animadvertere possumus B. P. Benedictum fuisse, qui ei cum illa albatorum concione apparuit, eúmque secum vt promiserat, assumpsisse. Hæc quæ retuli, in quadam veteri paginula imperito satis stylo exarata reperi, nostróque nunc associare libello studui.

Quia verò omnipotens Deus non tantum in magnis, sed etiam in minimis rebus aliquando ostendit mirabilia sua, vt fides credentium magis ac magis augeatur, ac in laudibus Creatoris sui, vniversa creatura prorumpat; cum in cunctis vsui humano concessis paternâ pietate curam habere conspicitur. Quid de lampadibus in hac Ecclesiæ nostris temporibus actum sit, sicut à Gregorio venerabili Monacho, qui eiusdē Ecclesiæ custos adhuc superest, didici, ex parte referre non negligā.

Cum . 1 quâdam die unus è custodibus lampadem in

Oratorio

A Oratorio ante Altare, igne admoto, accendisset, eámque sursum pene vsque ad laquearia elevasset, repente delapsa, ante Altare in pavimentum cecidit. (Mirabilis Deus in factis suis) non solum fracta non est, sed nec oleum effusum, nec ignis in ea accensus extinctus est.

Alio tempore cum præfatus Gregorius, lampadem ante imaginem Salvatoris, quæ supra fores Ecclesiæ depicta erat, vellet reficere, invenit eam extensis vnculis ita in aere dependere, vt nulla prorsus materia sustentaretur. Qui mox convocatis fratribus, qui prope adstabant, eis vt tanti testes miraculi esse deberent, quod miratur, ostendit.

Præterea alio tempore in hac eadem Ecclesia Beati Benedicti eâ nocte, quæ præcedebat diem, quâ eius festivitas agebatur, sicut ab eis qui huic miraculo B interfuêre, accepi; dum ad vigilias vnus è custodibus lampadem ante imaginem eiusdem Beati Benedicti, reficeret, repente delapsa in pavimentum corruit, ac illæsa permansit: quæ iterum ter sursum clevata ter cecidit: &. quod mirabilius est, nec ipsa frangi, nec oleum effundi, nec lumen in ea accensum extingui divinâ conservante virtute, potuit.

Plura sunt in huius Monasterij Oratorio ex lampadibus huiusmodi facta miracula: quæ quia valde simplicia sunt, superfluum scribere duximus. Hæc autem ideirco scripsimus, ne, quia parva sunt, omnino contemni viderentur. Vnum autem, quod in superiori libro à memoria excidit, suo in ordine referre, in quo me tibi narrare promiseram, qualiter omnipotens Deus hoc Monasterium sæpe de Tyrannorum manibus eripuerit, in hoc secundo, ne à memoria laberetur, scribere opportunum duximus.

Dum prædecessoris nostri a a Athenulphi tempore prædia huius Monasterij acriter ab Aquinensi Comite infestarentur, & neque Monachorum precibus, C neque reverentia almi P. Benedicti qui fundator ac ædificator huius Cœnobij extiterat, animus eius emollesceret, vt ab huius loci læsione se aliquo modo temperaret, prædictus Abbas necessitate compulsus, postquam vidit ferocem viri animum nullo modo mitigari posse, aliquot ex Normannia, qui tunc temporis conductu nostrorum Principum Italiam adventabant, in possessiones huius Monasterij, quatenus eas à prædicto Comite per eos tueretur, induxit. Qui postquam & domos ad manendum, & stipendia, quibus sustentarentur, abunde percepere, cœperunt quæque Monasterij pertinentia, more strenuorum militum, inimicis longè repulsis, circumcirca nobiliter, fideliterque defendere. Igitur cum prædictus Abbas, & qui ei in regimine secundo gradu successerat, supervixere, conducti milites satis honeste in eorum fidelitate manserunt: postquam verò ipsis hac vita subtractis, fortuna nostrorum Principum mutata, ali- D quantulum vacillare cœpit: Normannica cohors, quæ ob nostram defensionem admissa fuerat, nobis infida atque adversa paulatim esse cœpit; quæ quotidie ad nostram perniciem vt canis & serpens, modo hæc modo illa nobis auferens, ad dominationem sui iuris sacrilega ducti cupiditate, devolvunt. Vnde factum est, vt ex tanta támque ampla possessione, nihil aliud ad nostri commodi vsus, præter civitatem, quæ ad radicem Casini montis sita est, cum quatuor vel quinque villarum fundis, remanserit: qui etiam (sicut barbarica avaritia nescit tenere modum) quotidie ab eis oppressi, illis opes auferentes nobis miseriam atque inopiam tribuebant. Cùm igitur per aliquanti spatium temporis sine vlla animi pietate id incessanter agerent, & misericors ac pius Dominus servis suis fame, atque inopia laborantibus, suâ benignitate subvenire decrevisset, Beatissimus P. Benedictus cuidam rustico in agello cuiusdam nostræ villulæ commoranti, per visionem apparuit, eique vt egrediens se sequeretur iussit. Cúmque idem rusticus ad eandem visionem animum intenderet, visum est ei,

Civitas sancti Germani.

quod Beatissimus Benedictus cunctos Normannos, qui eius bona invaserant, cum virga, quam manu gestabat, potenti virtute à finibus huius terræ expelleret, eosque vacuos rebus, oneratosque ignominia a sui hæreditate Monasterij eliminaret. Eodem itaque anno præfata cohors Normannica amplius, quam solebat per audaciam insolescens, ad nostram calamitatem, arcem, quæ S. Andreæ nuncupatur, vt securius nobis sublata retinere posset, occupavit: quæ vtique res illorum animum ad dominationem, nostrum ad desperationem adduxit. Postquam ergo eadem arce potiti sunt, quâdam die in vnum conglobati, magna cum superbiâ in præfatam Casini civitatem venientes intraverunt: ibique nutu Dei à populo civitatis oppressi, aliquanti eorum vel occisi vel capti sunt, cæteri autem qui remanserunt, in munitionem prædictæ arcis fugientes se contulerunt. Igitur habitatores huius terræ vnanimiter facto grege, vicinis vndique auxiliantibus, ad obsidionem eiusdem arcis animum intendunt. (Mira dicturus sum) obsidione factâ, dum iacula ex vtraque parte acriter impulsa mitterentur, Normannorum pila, velut à ventorum flamine retorta, eos à quibus missa fuerant, sauciebant. Quid multis opus est? cum se a semetipsis ita impugnari conspicerent, & iam amplius resistere minime valerent, cernentes durum sibi esse contra stimulum calcitrare (& quod contra se divinam dexteram dimicare cognoscerent) factâ deditione in manibus Abbatis & Monachorum se tradunt: à quibus via defensi ad socios, qui in Aversano oppido commorabantur, remissi sunt. Sicque factum est, vt ab eo tempore, Beati Benedicti meritis, hæc in qua degimus, terra, ab eorum infestatione illæsa permaneat, atque sub ipsius Sancti tutamine secura persistat.

Modus libelli huius nos ad finem tendere cogit. Sed bonum obedientiæ quæ inter cæteras virtutes prima est, non sinit nos virtutem cuiusdam fratris, qui eam totâ cordis humilitate vsque ad mortem quoque sectatus est, penitus silentio præterire: illum videlicet imitans, qui factus obediens Patri vsque ad mortem, obedientiæ nobis pariter ac patientiæ reliquit exemplum.

Qui videlicet Frater huius nostræ congregationis a j Raynerius nomine, iuvenis quidem ætate, sed moribus grandævus fuit: cui multi ex fratribus, qui adhuc supersunt, & eum optimè noverunt, testimonium perhibent, quod tantæ humilitatis, tantæque obedientiæ fuerit, vt ex hoc mirabilis ab omnibus haberetur.

Cui dum quâdam die esset ab Abbate suo iniunctum, ad aliquod opus pro vtilitate Monasterij peragendum, Teatinum adire territorium: ille lætus, vt semper, animo ad obedientiam promptus, iussa implere festinans, iter arripuit. Qui dum pergeret, & aliquanti iam itineris spatium profligasset, à latrunculis cuiusdam potentis viri Oderisij, qui ex præcepto eius, si quid ex Monasterij huius rebus diripere possent, viam observabant: omnibus, quæ deferebat, sublatis, interfectus est. Cuius quidem corpus, vel propter inimicorum insidias, vel quia longè erat, ad hoc Cœnobium deferri non potuit, sed in quadam Ecclesia iuxta posita humi traditum est. Sed quantum illius obedientia omnipotenti Deo fuerit accepta, ad extinctum eius corpus ostendere est dignatus. Cœperunt itaque multi infirmitate detenti ad eius sepulchrum properare, & receptâ sanitate ad sua incolumes remeare. Inter quos 14 Atto Comes, magni Attonis Comitis filius, præfati quoque Oderisij gener, cum graviter detentus à febribus fatigaretur, ad sepulchrum istius, famâ ducente venit, ibique in oratione prostratus, recedente febre ita sanus surrexit, vt malæ illius valetudinis, quâ antea laborabat, nihil prorsus in se sentiret; qui pro recepta sanitate gratias referens, ob retributionem tanti muneris, optimo super eius sepulchrum oblato pallio, gaudens discessit.

Et quoniam de mirabilibus Dei cœpimus facere mentionem, quod mihi ipsi contigit, silentio præter-

eundum

A eundum non duxi, dicente Scripturâ: *Quod secretum* Tob.12. *Regis abscondere bonum est, opera verò Dei manifestare ac revelare honorificum est.* Cùm intra annos pueritiæ positus, vi febrium laborarem, beatæ memoriæ Ioannes, reverendæ dignitatis Sacerdos; qui tunc in nostra Beneventana vrbe in Dei servitio celebris habebatur, visitationis gratiâ ad me properans venit. Cùmque paululum cum cæteris, qui advenerant, consedisset, & me vehementius à tertiano typo vrgeri conspiceret, motus charitate, quam erga me habebat, surrexit, ac perfusus ora lachrymis lentâ voce Dominum invocans, manum capiti meo imposuit, & febris, quæ me acrius insistebat, mox effugata discessit.

Ea etiam, quæ 15 Leone Abbate Monasterij S. Pauli Apostoli, secundo ab vrbe Roma milliario constituti vbi sacratissimum eius corpus signis prodigiisque coruscans veneratur, & colitur, referente cognovi, in B calce huius libelli scribere curabo. Dicebat enim: Quod sibi Adam reverendissimus valde Monachus & custos Ecclesiæ huius nostri Monasterij, retulerit: Quia quâdam die dum idem venerabilis Adam portam Monasterij ad aliquod opus faciendum esset egressus, duo iuvenes in habitu Monachi, sibi in ipso introitu Monasterij obviaverunt: cùmque salutatos eos, studiosè, qui essent, inquireret, audivit ab eis, quod vnus eorum Protus, alter vero Hyacinthus diceretur. At ille obstupefactus, cur venissent, cum percunctaretur, illi inquiunt: Ad fratres, qui hodie nostri memoriam mente devotâ recolunt, visitandos venimus. Erat enim ea dies, quâ pro Christo effuso sanguine, palmam martyrij, ipso donante, meruerunt. Cùm ergo attonitus paululum substitisset, ac illi cœpto itinere Monasterium essent ingressi, ad se reversus, certius quod audierat, cognoscere volens, rapido eos cursu prosequitur. Diuque eos huc illucque per Monasterium studiosè requireret, ac minimè invenire posset, quosque sibi obviantes interrogare cœpit, vbi essent Monachi, qui modo secum loquentes Monasterium essent ingressi? Sed illi nullum in Monasterium intrauisse præter il- C lum se audisse professi sunt. Qua de re apertè datur intelligi, eos qui sibi apparuerant, Sanctos Martyres Protum & Hyacinthum, quorum festivitas eo die celebrabatur, veraciter fuisse. Quæ omnia eodem ordine à Firmo huius Monasterij veterano Monacho, nepote scilicet ipsius Adæ, quo ille mihi Romæ positus dixerat, reversus ad Monasterium, acta fuisse percepi.

Hic finem faciat huius diei Oratio: quatenus in honore centorum Martyrum, Liber iste conclusus, recreato per horas noctis spatium animo, ad cætera quæ restant Sanctorum acta, ipsorum omniúmque Sanctorum precibus adiuti, fideliter enarrando veniamus.

N O T Æ.

1. Ioannes Abbas Tertius huius nominis & tricesimus à B. Benedicto ex illustri Beneventanorum civium prosapia genus duxit. Suscepit Abbatiam ann. Domini D 997. & pervenit vsque ad annum 1010.

2. Alex Archiepiscopus IV. Beneventanus Silvestro Papa II. anno D. M. ad instantiam Othonis III. Imp. ab eodem Pontif. ad Archiepiscopatum evectus, à populo tamen minimè receptus, vt habetur in Chronic. Arch. Benevent. Indigna res Religioso, sed nostri sæculi mores huc devenere, vt quod abhorrent & execrantur pagani, hoc quasi pro lege à nostris politicis habeatur, dum docent viro bono & sapienti, ac præsertim Principi mentiri fas esse, & licere aliis struere insidias, aliúdque clausum in pectore, aliud verò in lingua promptum habere regnandi cupidine, irridendo S a. Pompeium, cui cùm facillimum esset adversarios suos violata fide obtruncare, atque ita toto terrarum orbe potiri, pluris fidem, quàm Imperium fecerit. Et sunt tam impudentes, vt docere audeant Religionem E virtutémque imperio famulari debere, licerèque Principi pro re nata fidem vel iureiurando firmatam æquè atque cothurnum exuere. En quibus in rebus gloriantur. Vtinam spe sua frustrarentur, qui dolos concinnare, aliósque capere student, eósque eluderent aves, quas captant & evolarent, sicuti evenit Alix Archiepiscopo, qui non assecutus fuit venationem. O quam longè a primis sæculis, vbi Christiani malle mori volebant: vt scribit Iustinus Mar. Apol. 2. quàm vel semel mentiri.

3. De peregrinatione Ioannis ad montem Hagionoros sive montem sanctum, qui olim Athos dicebatur in Macedonia Græciæ Provincia meminit etiam Petrus Diac. lib. m. s. de ortu Iustorum Casin. cap. 35. & Ost. in Chron. lib. 2. cap. 22.

4. Non pauci reperiuntur Sancti, qui bruta quædam animantia habuerunt familiaria, quibus aut cibum F tribuebant, aut ab iis accipiebant. Recordare vitæ insignis Eliæ & corvorum ministerij, qui manè quidem panem, vesperè autem ei carnem perpetuò afferebant: similiter & eorum, quæ in vita Pauli primi Eremitæ referuntur, licet soleant talia ista Sanctorum miracula Novatores hæretici exsibilare, *Et hoc est,* ut S. August. ait lib. 21. de Civit. Dei cap. 3. *eorum tota ratio, ut quod experti non sunt, nequaquam esse posse arbitrentur.* Et ignorare videntur Sanctis viris à Deo non rarò restitutum dominium in bestias ante peccatum primo parenti concessum. Vide Ven. Bedam in Hexameron, Philonem Iudæum lib. de præmio & pœnis. Magnus Antonius etiam bestiis imperavit, ne parvulam messem suam læderent, vt auctor est Athanasius in vita cap. 25. Pachomium verò, vt in vita eius cap. 50. legitur, Cocodrillorum ministerio fluvium transeuntem, qui eum cum summa subiectione portabant, exponentes ad locum quemcumque præcepisset, Simeon quoque priscus, ut refert Theodoretus in Philotheo cap. 6. duobus leonibus iussit, vt hospites ducerent, & à via à qua aberrarant, reducerent. Plura occurrunt passim in Sancto- G rum historiis.

5. Agit etiam de B. Felice Petrus Diac. lib. de ort. Iustor. cap. 37. Pertinent enim quæ narrat Desiderius, ad ann. 1051. vt videre est apud Camil. Pereg. in serie Abb. Casin. in Desiderio.

6. Episcopus Teatinus, de quo hic iniicitur mentio, Arnulphus fuisse creditur, quem circa ann. 1049 sedisse & successorem habuisse Actonem ex Comitibus Marsorum opinatur eruditissimus Abbas D. Ferdinand. Vghellus tom. 6. suæ Italiæ sacræ m. s. mox edendo. De antiquis rebus Teatinæ civitatis patricius humanis ac divinis disciplinis insigniter expolitus, stylo satis eleganti, & erudito.

7. Refertur etiam à Leone Ost. lib. 3. cap. 50. & à Petro Diac. lib. de ortu Iust. cap. 44.

8. De Angelo Monacho habetur mentio in Petro Diacono lib. m. s. de ortu Iustorum cap. 39. & in serm. m. s. de Oct. Sancti Benedicti, ac in Leone Ost. lib. 3. cap. 41.

9. Floruit Azzo ad annum Domini 1022. Vide Leonem Ost. lib. 2. cap. 34. & Petr. Diac. lib. m. s. de ortu Iust. Casin. cap. 40. H

10. Cui nomen erat Petrus, refert Ostiens. lib. 2. cap 34.

11. Recitatur etiam hoc miraculum à Petro Diac. lib. m. s. de ort. Iust. Casin. cap. 42. & à Leone Ost. in Chronic. lib. 3. cap. 42. Vixit Stephanus Veneticus sub ann. 1080.

12. Meminit Ioannis Venetici Petr. Diac lib. de ort. Iust. cap. 41. & Leo Ost lib. 3. cap. 42.

13. Ramicis nominatur à Pet. & à Leon. Ost.

14. Eadem de Paolo Monacho referuntur ab Ost. lib. 2. cap. 55. & à Petro Diacono lib. m. s de ortu Iustor. cap. 41. Floruit ad ann. 1035 vide Sanct. Captum. Mich. Monachi de SS. Ioanne Primicerio & Paulo Præposito.

15. Nominatur in Chron Casin lib. 2. cap. 55. & in

Petr.

Petr. Diac.cap.43.Ecclesia S.Laurentij, non Stephani.

16. De hoc miraculo agit etiam Petr.Diacon.libro m.s. de ort.Iust.cap.36.

17. Habetur mentio etiam in Petro Damian. sermon. habito in vigilia sancti Benedicti, & in Leone Ost.in Chron.lib.2. cap.65.

18. Recitatur etiam hoc miraculum à Petr.Diacono in serm. m.s. de Oct.sancti Benedicti.

19. De Monasterio sancti Liberatoris in Diœces. Teatin. Vide Ost. in Chron. lib.1. cap. 44. & eruditissim. Lucium Camarram de antiquis rebus Teatinæ civitatis. Quod in illo evenit legitur etiam in serm. m.s.Petri Diac.de Octava sancti Benedicti.

20. Narratur quoque in serm.m.s.Petri Diaconi de Oct. sancti Benedicti.

21. Ea, quæ de lampadibus referuntur, confirmat etiam Leo Ost. in Chron.lib.3.cap.38. & Petr. Diac. in serm.m.s.de Oct. S. Benedicti Affine his miraculis est, quod de S.Martino haustum ex Severo Sulpicio dialog.3. cap. 3. verso expressit Venantius Fortunatus lib.4.de vita sancti Martini.

Lapsa pavimento ampulla stat marmore tensa:
Sed nec saxa vitrum perdunt, nec vasa liquorem.

22. Athenulphus Abbas sedit ab an.1011. & vixit usque ad 1022. quo tempore contigerunt ea, quæ narrat Desiderius. Vide Ost. in Chron. lib. 2. cap.71. & Petrum Diac. in serm. de Oct.sancti Benedicti.

23. De Raynerio Monacho Casinen. occiso à latronibus, agit quoque Petr.Diac.lib.de ort. Iust.Casinens. cap.45.

24. Vivebant anno Domini 1053.& fuerunt Italorum duces adversus Nortmannos. Vide Guillel. Apulensem lib. 2. rerum in Italia, ac Regno Neapolit. Nortmannicarum.

25. Argumentis Ioannis Bosci relatis in Bibl. Floriac. de iurisdictione Monasterij sancti Pauli de Vrbe, tempore Leonis Abbatis, cuinam Congregationi subesset Casin. an verò Cloniac. respondit Lauretus in lib.de exist. corp.sancti Benedicti in monte Casin. cap.25.Miraculum verò prædictum SS. Martyr. Proti & Hyacinthi, narratur etiam à Leone Ost. in Chron. lib.2.cap.48. & à Petr.Diac. lib.m.s.de ort.Iustorum, cap. 46.

LIBER TERTIUS.

DIALOGORVM VICTORIS PAPÆ TERTII.

QVID EST DE MIRACVLIS alibi gestis.

EXPLETIS duobus, Christi gratiâ comitante, libellis, quos de miraculis Dei, vel in hoc Cœnobio, vel in sibi subditis cellis, ipso largiente patratis descripsimus, ad narrationem tertij concedente Domino veniamus. Et quia cætera, quæ extra huius Monasterij claustra facta sunt, quæque visu vel auditu percepimus, in aliis duobus libellis adhuc exaranda remanent, operæ pretium mihi videtur ab ipso capite Ecclesiæ exordium sumere, sicque postea seriatim stylo prosequente ad singula membra venire.

Dum igitur 1. negligentia Sacerdotû, Italia à recto Religionis tramite paulatim devians labefactaretur, in tantum mala consuetudo adoleuit, ut sacræ legis authoritate postpositâ divina humanaque omnia miscerentur: adeo ut populus electionem, & Sacerdotes consecrationem, donumque sancti Spiritus, quod gratis accipere, & dare divinâ authoritate statutum fuerat, datâ acceptaque per manus pecuniâ ducti avaritia venderent: ita vix aliquanti invenirentur, qui non huius simoniacæ pestis contagione fœdati, mundi coram Deo præcepta Dominica observantes existerent. Itaque cum vulgus Clericorum per viam effrænatæ licentiæ nemine prohibente graderetur, cœperunt ipsi Presbyteri, ac Diacones (qui tradita sibi Sacramenta Dominica mundo corde, castoque corpore tractare debebant) laïcorum more 2. uxores ducere, susceptosque filios hæredes testamento relinquere, Nonnulli etiam 3. Episcoporum verecundia omni contempta, cum uxoribus domo simul in una habitare. Et hæc pessima & execranda consuetudo intra 4. Vrbem maximè pullulabat; unde olim Religionis norma ab ipso Apostolo Petro, eiusque successoribus ubique diffusa processerat.

Igitur dum per aliquot annos nonnulli solo nomine Pontificum Cathedram obtinerent 5. Benedictus quidam nomine, non tamen opere, cuiusdam Alberici Consulis filius (Magi potius Simonis, quàm Simonis Petri vestigia sectatus) non parua à patre in populum profligata pecunia, summum sibi Sacerdotium vendicavit: cuius quidem post adeptum Sacerd[o]tium vita quam turpis, quam fœda, quamque execranda extiterit, horresco referre, eo potius qualiter omnipotens Deus in faciem Ecclesiæ sit dignatus respicere, exordia enarrare. Deniquè cum rapinas, cædes, aliaque nefanda in Romanum populum aliquanta per tempora, sine ulla dilatione ageret, congregati in unum populi quia eius nequitiam amplius ferre nequibant, eum à Pontificatus Cathedra exturbantes, Vrbe pellunt; alterumque in loco eius, 6. Ioannem videlicet Sabinensem Episcopum (non tamen vacuâ manu) Canonica parvipendentes decreta, substituunt; qui tribus non amplius mensibus Romanæ usus est Cathedræ successione, Benedicto undique suis cum propinquis infestante Vrbem, quia ex Consulibus terræ ortus erat, & in eis maxima virtus, Vrbe cum dedecore pulsus, suum ad Episcopatum reversus est. Benedictus igitur quod amiserat, Sacerdotium recepit, pristinos tamen mores minimè mutavit, secundum quod scriptum est: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit; non recedet ab ea.* Prov. 22.
Et quia durum est in corde veteri nova meditari, in eisdem pravis & perversis operibus, ut ante, perseverabat. Cumque se à Clero simul & populo propter nequitias suas contemni respiceret, & fama suorum facinorum omnium aures impleri cerneret, tandem 7. reperto consilio (quia voluptati deditus, ut Epicurus magis quam ut Pontifex vivere malebat) cuidam 8. Ioanni Archipresbytero, qui tunc in Vrbe religiosior cæteris Clericis videbatur, non parua ab eo accepta pecunia, Summum Sacerdotium relinquens tradidit: ipse verò in propriis se Castellis recipiens, Vrbe cessit. Interea Ioannes, cui Gregorius nomen inditum est, cum duobus annis & octo mensibus Sacerdotium administrasset, Henricus Rex, qui tunc Germaniæ, Pannoniæ, Saxoniæ ac Italiæ imperabat, ad suscipiendam de manu Romani Pontificis Imperialē coronam, quatenus deinceps Augustus appellari posset, Italiam ingressus, Romanam adiit Vrbem. Anno 1047.
Sed antequam Vrbem ingrederetur, plurimorû Episcoporum, nec non Abbatû, Clericorum quoque ac religiosorum Monachorum, in Sutrina Vrbe Concilio congregato, Ioannem, qui Gregorius dictus est, missis ad eum Episcopis, ut de Ecclesiasticis negotiis, maximéque de Romana tunc Ecclesia, quæ tres simul habere Pontifices videbatur, ipso præsidente, tractaretur, venire rogavit. Schisma 14.
Sed hæc de industria agebantur, iam enim dudum regio animo insederat, ut tres illos, qui iniustè Apostolicā Sedem invaserant, cum consilio & authoritate totius Concilij iustè depelleret, & unus qui secundum statuta SS. Patrum Dominico gregi sollicitè præesset, Clero & populo eligente, ordinaretur. Prædictus itaque Pontifex exoratus à Rege, cæterisque Pōtificibus, Sutrium, ubi Synodus congregata erat, allectus spe, quod aliis duobus

A depositis, sibi soli Pontificatus confirmaretur, gratanter perrexit. Sed postquam eo ventum est, & res agitari ac discuti a Synodo cœpta est, agnoscens se non posse iustè honorem tanti Sacerdotij administrare, ex Pontificali sella exiliens, ac semetipsum Pontificalia indumenta exuens, postulata venia, Summi Sacerdotij dignitatem deposuit.

Post hæc Rex Vrbem ingressus, congregato in Ecclesia B. Petri Apostoli Romano Clero & populo, vna cum Episcopis, qui in prædictam conuenerant Synodum, communi consilio eo. Clementem Bambergensem Episcopum elegerunt, quia in Romana Ecclesia non erat tunc talis reperta persona, quæ dignè posset ad tanti honorem sufficere Sacerdotij: eumque in Apostolica Sede ad regendum Dominicum gregem inthronizantes constituunt. Quo non amplius nouē mensibus
B Sacerdotio functo, ex hac vita decedente, Damasus ea Germania oriundus, fultus authoritate regiā eidem succedens, Sacerdotium est adeptus, qui que non amplius quàm viginti & tribus diebus Sacerdotio administrato, diem clausit extremum. Huic successit s a. Leo, de quo nobis est sermo præ manibus, vir per omnia Apostolicus, Regali genere ortus, sapientia præditus, religione conspicuus, omnique Ecclesiastica doctrina apprimè eruditus, ac qui (quemadmodum scriptum est) cœpit inuocare nomen Domini: quemque etiam vidi, eiusque familiaritatem habere merui: sæpè etiam eo in Ecclesia missas celebrante, cum illo ad diuinum altare sacris indutus vestibus steti, eique Evangelium leg. A quo omnia Ecclesiastica studia renouata ac restaurata nouaque lux mundo visa est exoriri.

Hic sæpè Sacerdotale consilium aduocans, Sacerdotes, Diaconos, & reliquos Clericos, non regulariter ordinatos, remouit, & in eorum locis ad veri & summi Dei cultum, qui dignè ministrare possent, constituit. Quotidie quoque per se suosque Discipulos vbique missos, populis viam Domini, literis & verbis prædicans ostendebat. Qui per Apostolicam viam
C semper gradiens, Apostolicos etiam viros in miraculis est imitatus. De quo quidem plura audire me contigit, sed multis occupatus negotiis, singula quæque discutere non valens, pauca referre de pluribus satagam, vt per hæc, quanti vir iste meriti fuerit, quicumque in posterum legerit, agnoscat.

s 3. Gregorij itaque Pontificis, qui ab eo educatus, ac Subdiaconus ordinatus, nunc autem in Romana Vrbe culmen Apostolicum tenens, Christi Ecclesiam verbis simul & exemplis illustrat, didici relatione, quæ narro. Cuius vtique verbis ita me credere oportet, ac si ego in præsentiarum affuissem, oculisque vidissem. Dum quodam tempore prædictus Leo venerabilis Pontifex Ecclesiasticis intentus negotiis in Gallia moraretur; à quodam Abbate Monasterij, Sancti Confessoris Christi Remigij lignarium poculum benedictionis causa oblatum, suscepit: quod videlicet, pro amore tanti Pontificis valde diligebat, ac in eo refectionis hora in mensa sedens, aureis & argenteis posthabitis, bibere consueverat. Igitur dum
D quadam die ad mensam sedenti pincerna ea more poculum vellet porrigere, quâ nescio negligentiâ tenentis de manu cecidit, moxque confractum in partes est. Cum denique Beatissimus Papa bis terque vinum requireret, & pincerna hac de causa venire differret, nuntiatum est ei, quod poculum in quo bibere consueverat, de manu ferentis decidisset, fractumque fuisset, quod ille audiens valde tristatus est, non tantum damno scyphi, quantum quod vase de Monasterio S. Remigij, benedictionis causa accepto, se frustratum cernebat, sibique astantibus, fractum, mihi, inquit, scyphum afferte. Cumque sibi allatum fuisset, cernens vtramque fracturam, omnipotentem Dominum deprecatus est, vt meritis B. Remigij fractum sibi scyphum, quem pro amore eius tantopere diligebat, restitueret. Moxque alteram partem alteri adiunxit, sicque eodem momento solidatus est, vt nullum in eo, quod fractus fuisset, indicium remaneret: E
cunctis qui aderant admirantibus, ac in eius veneratione acclamantibus. Ille non suis hoc, sed B. Remigij meritis imputare cœpit: cuius de Monasterio, charitatis gratia, id munus acceperat.

Theophilus: In hoc vtriusque, alteriusve miraculo, Greg.
illud B. P. Benedicti de re licet dissimili, similiter audio, li. 2.
primum renouati miraculum, dum in partes diuisum dialog.
reiunxit capisterium.

Desiderius: Interim te, charissime frater, silere oportet, quatenus intentus animo ad hæc de illo maiora cognoscas. Alio itaque tempore (sicut mihi præfatus Papa Gregorius retulit.) Quidam Galliarum Episcopus, ab eodem Pontifice Leone fuerat Episcopi honore suspensus; cuius quidam Presbyter, Gibertus nomine, facundus sermone, & litteris haud mediocriter eruditus, eidem promiserat Episcopo, se Romam F
venire, atque callidis suis assertionibus eundem beatum Pontificem decipere, eique sublatum officium restitui impetrare: sicque ab eo accepta pecunia, Romam venit. Cumque se Beatissimo Pontifici præsentasset, cœpit se huc illucque vt callidus serpens vertere, Episcopum suum verbis Rhetoricis excusare, blandis & humillimis precibus, vt interdictum officium iniustè, vt asserebat, ablatum deberet restitui, flagitare. Sed cum id quod petebatur, sibi denegatum fuisset, nec eum vt sperauerat, decipere posset: ne ad Episcopum suum, à quo non paruam acceperat pecuniam sine effectu reuerti videretur, aliud exquisiuit ingenium, adiit Apostolicæ Sedis Cancellarium, eique oblato pretio persuasit, vt sibi furtiuas litteras, & Apostolico sigillo signatas, ad suum Episcopum deferendas tribueret, quæ & Episcopale officium, & gratiam Apostolicæ Sedis sibi redditam significarent. Quæ res Beatum Leonem minimè latuit, moxque prædictum Presbyterum aduocans, accepta quam obtulerat pecuniā, eique in Act. 8.
manum mittens, dixit; pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei furtim tentasti pecuniis possidere. Cuius sermonem diuina vltio mox secuta est, ita G
ut amissâ mente ab illa die vsque nunc, vbique vagabundus, incedat, nec vlla domus, vel claustra, vltra duos vel tres dies eum valeant retinere.

Qua de re apertè datur intelligi, quos quisquis temerario ausu, vel decipere, vel ad iracundiam prouocare tentauerit eum, qui in iustis habitat proculdubio Dominum offendit: cuius & vindicem iram in se sentiat, quam non expertam temerè deuitare neglexerat.

Theoph. Ita est vt asseris, sed quæso te de virtute tanti Patris, si qua adhuc occurrunt animo, incunctanter prosequere.

Desiderius: Dum beatissimus Pontifex Leo quinque per annos diuinitus sibi concessum Sacerdotium, piè ac religiosissimè administraret, ab hac instabili luce ad Christum, qui vera & æterna lux est, cælorum lætantibus ciuibus, Angelicis subuectus manibus, commigrauit. Et illi quidem Paradisus patuit Sanctorum recepto consortio. Sed infelix mundus, qui talem Pontificem diu habere non meruit. Cuius post obitum multa & magna ad eius tumulum, aliisque in locis per H
eum Domino tribuente claruere miracula. E quibus omissis cæteris duo tantum (quia ad aliorum gesta narranda festino) ædificationis gratia huic libello subnectam.

Victor Papa, qui in regimine Sacerdotali ei successerat (sicut à veridicis viris nobis relata sunt) audita fama miraculorum eius, quod per eum Dominus talia operaretur, fidem non accommodabat. Sed quia vt ait 1. Cor. 14.
Apostolus: *Linguæ in signum sunt non fidelibus sed infidelibus*, Omnipotens Dominus experimento eum docere voluit, quæ audita à pluribus minimè credere volebat.

Curiensis quidam Episcopus, cuius nomen è memoria excidit, cum supra memorato Pontifice Victore à Germania veniens eius in obsequio Romæ morabatur; hic puerum ab vtero matris mutum habebat, quem pro mercede animæ suæ pascens ac vestiens, quocumque ibat

A secum ducere consueverat, in cuius vacuo ore nec indicium quidem linguæ inesse videbatur. Qui etiam Episcopus ex mirabilibus ad B. Leonis tumulum patratis similiter vt Papa, incredulum animum gerebat. Cùm igitur quâdam die ad Sedem sui Episcopatus, iam acceptâ licentiâ, reverti decrevisset, Ecclesiam B. Petri Apostoli orationis gratiâ ingressus, postquam B. Petro se attentius commendavit suis cum clientibus, equis ascensis, puero in eadem Ecclesia oblito, festinus viam, quæ eum ad suam ducebat patriam, egressus Vrbe, gradiebatur. Cum itaque longiusculè adhuc esset ab Vrbe profectus, repentè ei in memoriam rediit quod mutum puerum in Ecclesia B. Petri reliquisset. Qui mox substitit, ac famulos suos, à quibus puer reduci deberet, quosdam remisit. Igitur cum illi Apostolorum Principis Basilicam essent ingressi, conspiciunt puerum ante tumulum B. Leonis stantem, atque cum
B his, qui circumstabant, loquentem. Illis itaque mirantibus & qualiter hoc sibi evenisset, quærentibus, puer inquit: Postquam Dominus meus hac in Ecclesia me relinquens discessit, huc ad sepulchrum B. Leonis me contuli, si fortè omnipotens Dominus officium, quo carebam vocis, meritis eius mihi restituere dignaretur. Nec sum meo, quod corde poscebam, voto fraudatus, sed mox vt ante eius venerandam memoriam lachrymans aliquantulum prostratus iacui, illico receptâ ao voce loquens, vt ipsi videtis surrexi. Ab illa itaque die, quod mirabilius est cœpit in ore eius lingua, quæ defuerat, paulatim crescere, ita vt intra paucos dies pleno ore linguam perfectè reciperet, & verba sine impedimento sonaret. Denique qui missi fuerant curaverunt puerum ad Episcopum ducere, & quem tacentem reliquerat, Beati Leonis suffragantibus meritis et loquentem adducunt. Regressus igitur Episcopus Romanum Pontificem adiit, & quid omnipotens Dominus
C per B. Leonem operari dignatus fuisset, ostendit. Ex tunc cœperunt ipsi eius veneranda merita cunctis prædicare, quæ aliis antea referentibus nō patiebātur audire.

Theophilus: Placent quia mira sunt, sed magis quia nova sunt.

Desiderius: Illustris vir maximus, Romanæ Vrbis civis, nuper retulit mihi de eodem venerabili Præsule, quæ narro. Bernardus quidam pessimæ mentis miles extitit, qui Apostolicæ Sedi contrarium se in omnibus, quibus potuit, modis exhibebat. Sed in bello, quod à vicinia circa Vrbem manentibus, coniurantibus cum 21 Cadaloo Parmensi Episcopo, qui tunc Apostolicam Sedem invadere tentabat, cum militibus qui Romanam Ecclesiam defendebant, commissum est, iustu Dei iudicio confossus interiit. Hic igitur auditâ famâ miraculorum, quæ omnipotens Deus meritis Beati Leonis fidelibus populis exhibebat, non solum non credebat, verum etiam ore sacrilego deridebat & blasphemabat. Cum denique quâdam die in conventu appareret populi, & sermo inter eos de signis, & virtuti-
D bus Beati Leonis exortus esset, cœpit irridere dicens: Si Sanctus est, vt dicis, contrahat mihi digitum meum, cúmque compesceretur ab iis, qui astabant, ne de Sancto viro talia loqueretur, dimisso conventu discessit. Cum ecce forte canis qui eum sequebatur, suem in platea inventum invasit. Ille vero ne porcus discerperetur, festine cucurrit, & iniectâ manu canem tenere voluit: sed mox porcus hianti ore digitum eius 22 momordit, sicque ab illa die omni tempore quo vixit digitum contractum habens, nullatenus eum extendere potuit. Vnde factum est, vt qui Dei famulum irridere præsumpserat, ipse contracto digito, omnibus derisui haberetur. Hæc de tanto Patre B. Leone dicta sufficiant, vt quia ad aliorum narranda gesta properamus, alij, cui otium est, quæ multa de illo & mirabiliora dicuntur, scribenda relinquamus.

Quod Dominus in Evangelio dicit: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*, quotidie cernimus adimpleri, & antiqua novis temporibus miracula innovari. Hæc itaque quæ dicturus sum, adeo clara sunt,

Ioan. 5. vers. 17.

E vt non solum in Florentina Diœcesi, in qua facta nōscuntur, verum etiam in tota Tuscia, ac in Vrbe, quæ caput mundi est, Roma constet esse notissima.

23 Petrus quidam Clericus est, qui occultè data pecunia regio adminiculo in prædicta Florentina civitate Cathedram Episcopatus accepit. Cum denique à Clericis & populo, vt Episcopum decebat, benignè fuisset susceptus, post non multum spatium temporis 24 fama per eiusdem Episcopatus Diœcesim increbuit, quod simoniacæ hæresis peste fœdatus, quod gratis, Domino iubente, accipere & dare statutum est, pecunia mercatus fuerit. Cúmque tam horrenda, & tam execranda fama primitus ad Religiosorum, dehinc ad aures vulgi pervenisset, cœperunt se plures ab eius communione subtrahere: 25 Romanóque Pontifici quæcunque super hac re cognoverant, divino exardescente zelo, studuerunt intimare. Qui Episcoporum con-
F silio congregato, eundem Episcopum, vt rem diligenter agnosceret, convocavit. Sed cum se Synodo præsentasset, accusatoribus vndique acclamantibus, sacramento sese purgare nitebatur. Cúmque coram præsentibus res aliquantulum agitata fuisset, datæ induciæ sunt, vt per easdem forsitan inductus divinum expavescens iudicium, quod pertinaciter negabat humiliter confiteretur, quatenus ab æterno non removeretur altari, si ab hoc præsenti, cui ministrare iustè non poterat, se abstinuisset. Interim populus in duas dividitur partes, quarum altera, quæ amorem Dei muneribus præferebat, Clericos & religiosos Monachos, qui contra Episcopum rem comprobandam susceperant: altera quæ munera & favorem diligebat, Episcopum est secuta. Cum crebro igitur inter se altercaretur populus, & altera alteri obstaret parti, in tantum exorta augebatur contentio, vt inter se dimicantibus sæpè etiam vsque ad effusionem sanguinis venirent. Cúmque hæc diutius agerentur & neutra pars parti cederet, 26 Ioannes Reverendissimus Abbas Monasterij, quæ vmbrosa Vallis dicitur, sæpè ad hunc conflictum advocatus, G
zelo Dei ductus suis cum Monachis veniebat, qui exhortando, prædicando, divini examinationem iudicij intentando, Episcopum admonere non cessabat, quatenus ex perpetrata culpa pœnitentiam ageret, & Sacerdotio minimè legaliter acquisito, humiliter cederet, nec sibi suisque subiectis, quibus incremento esse debuerat, detrimento foret. Illud de Evangelio ei sæpè proponens, quomodo Dominus Iesus vendentes, & ementes columbas de templo proiecerit, cathedrásque subverterit, & æs nummulariorum effuderit, videlicet demonstrans, vt quicunque Spiritûs sancti donum, quod per columbam significatur, ductus avaritia, vel vana gloria elatus, pretio acquirere, vel vendere tentaverit, ab illo cœlesti templo & æterno altari se procuIdubio eliminandum noverit. Sed ille nihilominus præsentis vitæ honoris cupidus pro nihilo monita Sancti viri ducebat, immo potius pertinaciter & armis & verbis, omnibusque modis quibus poterat, se defendere nitebatur. Cúmque idem venerabilis Abbas in- H
cassum procedere sua verba videret, vtraque parte populi advocata: Quoniam, inquit, verba non prosunt veniamus 27 ad signa. Construatur rogus & igne supposito accendatur, per quem vnus è nostris ingrediatur, vt vtrum vera, an falsa sint, quæ de Episcopo dicimus, Domino discernente, probetur. Placet vtrique parti sententia. Rogus mox duodecim 28 pedum mensura construitur: intra quem parva semita, qua vnius tantum hominis persona transire posset, relinquitur: quæ etiam ex accensis lignis, ne ibi aliquis locus à flamma vacaret, consternitur. Interim autem dum hæc præparantur, præfatus Abbas Ioannes 29 Petro suo discipulo, reverendissimo videlicet viro, qui postmodum in Albanensi vrbe Episcopus ordinatus est, quique etiam adhuc superest, eandem Ecclesiam regens præcepit, vt indutus sacris vestibus omnipotenti Deo sacrificium offerret: & sic demum confisus de misericordia Dei per accensi rogi flammas indubitanter intraret.

Qui iussis Patris optemperans, postquam sacrificium Deo obtulit, casulam se expolians, ad ignem venit; & magnâ voce: Oro, inquit, Deus omnipotens, si Petrus, qui Episcopus dicitur, simoniaca est peste fœdatus, ne Ecclesia tua amplius polluatur iudicio S. Spiritus tui ostende virtutem, illæsum me per hunc ignem transire concede: quod si nos fallacia pleni, causa inuidiæ ducti, hanc contra eum tulimus quæstionem, ardor istius ignis me tua gratia derelictum consumat. Hæc dicens & sanctæ Crucis se signaculo muniens per medias flammas constanter ingressus est. Cum igitur vndique esset flammis circumdatus, ita vt à nemine prorsus videretur & omnes eum iam consumptum putarent, subitò ex alia parte, Christi comitante gratiâ, egrediens prosiliuit: ita vt non modo vestimenta eius, sed ne capillus quidem læsus ab igne in aliquo videretur. Sed vt idem venerabilis vir postea referebat, cum per medias flammas graderetur, mappula de manu eius cecidit: cumque iam penè egrederetur ex igne, vidit se mappulam in manibus non gestare, ac in ignem sibi eam cecidisse considerans, per medias iterum flammas reuertitur, & secum mappulam extrahens reportauit. Tunc omnes qui aderant, viso tam maximo, tam obstupescendo miraculo, immensas Deo gratias agentes, mox diversa pars vna effecta, præfatum Episcopum de Ecclesiis pellunt: qui postea 32. pœnitentia ductus, mutatâ veste sub sanctæ conversationis Regula religiosam agere vitam visus est.

Theoph. Vt lætando miror, & mirando lætor, quod mediocritatis nostræ tempore illud antiquum, & gloriosum trium puerorum miraculum intueor, cum de camino æstuantis incendij integri, & incorrupti toto corpore prodierunt.

Desiderius: Venerabilis Gregorius Papa, cuius superius memoriam feci, quid contra eandem simoniacam hæresim, se præsente Dominus ostendere voluit, sæpè mihi solitus est referre. Cum essem inquit, Subdiaconus, & à beat. mem. Victore huius Apostolicæ Sedis Pontifice, in Galliam pro Ecclesiasticis negotiis discutiendis essem transmissus, curæ mihi fuit Episcoporum convocare Concilium, vt illis coram positis de Ecclesiasticis negotiis tractaremus. In eadem vero civitate in qua Synodus agebatur, Episcopus erat, qui pretio honorem comparasse Episcopatus à multis infamabatur Igitur vocatus Episcopus venit ad medium. Cum ergo eum exhortari salutaribus monitis cœpissemus, vt quæ sibi opponebantur, conscientia iam fatente, humiliter confiteretur. Ille, tum quia eiusdem civitatis erat Episcopus, tum quia fretus auxilio Comitis terræ ipsius, plenus superbia omnino verba nostra vilipendebat. Sed cum à nobis & à cæteris qui aderant Episcopis sub iustitiæ regula, se quod non sperauerat, constringi conspiceret nec effugiendi haberet licentiam negare pertinaciter cœpit, quod ante vix audire dignabatur. Cumque verba procederent in longum & maximum diei spatium esset consumptum, & ille nihilominus in sua pertinacia negando persisteret homo cum cum cæteris qui aderant religiosis Episcopis nobis adiurare visum fuit & totum iudicium in ostentione Spiritus sancti committere; In nomine inquam, Patris & Filij & Spiritus sancti, cuius donum gratiæ te comparasse audiuimus: vt huius rei nobis veritatem edisseras, adiuramus. Quod si amplius vt cœpisti negare tentaueris, Spiritum sanctum, donec, quæ vera sunt confiteatis, nominare non valeas. Qui Episcopus cum abunde eloquens esset, & à nobis exoraretur, vt Spiritum sanctum nominaret, Patrem quidem & Filium, satis diserte nominabat, Spiritum vero sanctum, mirum in modum nominare nullo modo poterat. Tunc omnibus qui aderant, luce clarius paruit, quod honorem Episcopatus dato pretio emerat qui non nisi Spiritus sancti gratia largiente tribuitur. Tunc Spiritus sancti virtute tremefactus Episcopus, humiliter coram omnibus confiteri coactus est, quod ante iustitui superbia Dei timore postposito procaciter negare præsumpserat.

Theophilus: Cum Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnum sint, nec aliud de Patre & Filio, quam de Spiritu sancto sentire fas est: cur in Patris & Filij vocabulis proferendis solutam atque disertam, in solo vero Spiritus sancti nomine, quasi præcellenti, linguam mutam & omnino habuit colligatam.

Desiderius: Iusto Dei iudicio contigit, ut qui donum Spiritus sancti gratiæ, quod gratis & datur & accipitur, linguâ placitante mercatus est, in proferẽdo Spiritus sãcti vocabulo specialiter 34. linguæ officiũ non haberet.

35. Alferius Abbas Monasterij sanctæ Trinitatis ab ipso in latere montis ædificati, qui inter Salernitanam & Amalphitanam civitates præeminet mari, extitit: cuius religiosam ac Deo amabilem vitam, & ipse ex parte vidi, qui apud eum aliquantulum familiariter mansi & aliis referentibus agnoui. Miraculum verò, quod divina virtus in eo operari dignata est, quodque à quamplurimis didici, æquum est silentio non transire. Denique dum quadam pro vtilitate Monasterij Salernitanam vrbem adiret per viam præcisi montis gradiens deorsum cum equo, quo sedebat, per immane præcipitium cecidit: quod tantâ altitudine mari superiacet, vt quinquaginta & eo amplius passus in altum prætendi videatur. Dum igitur qui cum eo pergebant, illum sine dubio extinctum putarent, nimium tristes & flentes, per quoddam diverticulum ad mare, si saltem illum aliquo modo inuenire possent: vt sepulturæ traderent, descendere curauerunt. Cum autem sub radice montis molles iuxta littus maris calcantes arenas festinanter ad locum quo ceciderat, pergerent, inuenerunt eum in via sanum & incolumem, equo, cum quo ceciderat, insidentem, Salernum properè cœpto itinere tendere. Cumque illi obstupefacti, qualiter res euenisset, omnino nequirent perpendere, cœperunt Deo gratias agere, vocesque quasi tumultuantes in altum leuare. Sed ab illo repente compressi præceptum audiunt. Si meis, inquit, benedictionibus frui vultis, nulli quamdiu vixero, quæ ex me vidistis, dicatis.

Dicitur etiam de illo: quod mortuum suscitauerit: quod videlicet illis, qui eum, eiusque vitam ad liquidum nouerunt incredibile minimè videtur.

36 Leo Abbas, qui ei in Monasterij regimine successit, sub eius magisterio educatus eius in obsequio Præpositura officium gerens, qui præ cæteris fratribus ei familiariter adhærebat, nuper mihi retulit. Quia quodam tempore seculares viri, vt eius orationibus fruerentur, visitationis gratia ad ipsum venerunt. Quibus post spiritualem, corporalem etiam eius refectionem præbere cupiens, præfato Leoni, suo videlicet Præposito, præcepit charitatis causa mensam eis apponere & prandium præparare. Qui nihil aliud præter panem & vinum, & quinque oua gallinacea, quod eis ad manducandum præbere posset, se habere respondit: sed qualiter inter eos ipsa oua dividi deberent, ignorare: erant illius vtique septem. Cui ille, Festina inquit, quantocyus, & eadem oua igne adhibito præpara, mihique vt eis apponam deporta. Cucurrit ille, & sicut sibi fuerat imperatum, oua decoxit, eique vt præceperat detulit. Qui accipiens, benedixit, & ex quinque ouis, septẽ viris, quod mirabile, est singulis singula præbuit.

Theophilus: Cum septem distributa hominibus sic augeri quinque oua considero, vt singuli singula æquali sorte accipiant, illud quodammodo miraculum video, quo Auctor omnium de quinque panibus quinque millia hominum saturauit.

Desiderius: Amita Patris mei, Bella nomine, in Monasterio Beati Petri Apostoli intra Beneventanam vrbem posito, in Sanctimoniali habitu à primævo iuventutis flore vsque ad vltimam senectutem degit. Quæ cum esset desponsata viro, occultè de domo parentum fugiens ad Monasterium contendit, ibique virginitatem suam omnipotenti Domino dicavit; & quia terrenum in terra sponsum habere contempsit, proculdubio meruit habere cœlestem in cœlis. Ipsa mihi solita

erat

A erat referre de Abbatiſſa ſua quæ [38]. Oſſa dicebatur: Qui in mõte qui Sanctæ [39]. Agathæ Martyris dicitur, prope Capuanam urbem, antequam regimen Monaſterij ſuſciperet, longo tempore habitaverit, ibique vitam Eremiticam duxerit: dehinc Monaſterij ſuſcepto regimine, quâdam nocte ſororibus adhuc quieſcentibus Oratorium ingreſſa accepit [40]. thuribulum, ut more ſolito, thura adoleret altaribus. Cum itaque thus in thurſbulum mittere vellet, è manu eius cecidit & lampade à vento extincta thus invenire non valuit. Repente vero quidam iuxta illum aſtitit, & tenens manum eius, thymiama, quod in thuribulum poſuerat, dedit. Tantus igitur odor ex illo incenſo thymixmate emanavit, ut per totum quod reliquum erat noctis, uſque ad horam diei tertiam non ſolum Eccleſiam, ſed etiam omne illud Monaſterium mirâ ſuavitate repleverit. Ex qua re ſine dubio datur intelligi, quod Angelus Domini fuerit, qui illud thymiama tanti fragrantiæ odoris tribuerit.

Hæc eadem religioſiſſima Abbatiſſa dum multa B per tempora ſollicite virginibus præfuiſſet verbis & exemplis ſibi commiſſas Dei famulas inſtruere non ceſſans, languore tacta corporis venit ad mortem. Cumque in extremo poſita iam prope eſſet, ut Chriſto, cui ſervierat, animam reddere deberet, videntibus cunctis qui aderant è lectulo ſe quaſi ad menſuram trium cubitorum in aëre elevans, expanſis in cœlum manibus ſtetit. Et factâ oratione, iterum ſe in lectulo collocans, vltimum ſpiritum exhalavit. Sed ex hoc quantæ fuerit abſtinentiæ dignoſci poteſt, quæ dum infirma iaceret in lectulo, & a multis honeſtioribus viris ac mulieribus, viſitationis gratiâ ad ipſam venientibus, ut aliquantulum cibi, quo infirmum corpus ſuſtentaretur, caperet, rogaretur, illa deſueta delicijs: ſi aliquid, inquit, mihi de infuſis leguminibus attuleritis, forſitan aliquantulum inde potero deguſtare. O abſtinentia in fœmina prædicanda, quæ in infirmitate poſita, infuſis leguminibus pro C ſummis etiam delicijs utebatur! Quæ cum fuiſſet defuncta, & in Eccleſia ſepulta, quadam die ruſticus quidam frumento onuſtus per eandem Eccleſiam tranſiens, ſupra ſepulchrum eius, paruipendens cuius meriti eſſet, quæ ibi ſepulta iacebat, ſaccum cum frumento depoſuit, & feſſus ut aliquantulum pauſaret, iuxta conſedit. Repente igitur ſaccus divinitus de eodem ſepolchro ſublatus longéque proiectus, omne illud, quo plenus erat frumentum paſſim per eandem Eccleſiam ſparſit. Ruſticus ergo vehementer conterritus, ab illa die didicit; quantum Dei homines in corpore venerandi ſint, cum extincta illorum corpora ac in ſepulchro poſita, ne ab aliquibus paruipendantur, divina ſibi virtus voluit demonſtrare.

Alter quidam nobilis vir de eadem Beneventana urbe neſcio quâ causâ Monaſterium adventarat, ac neſcius, forte eius ſupra ſepulchrum conſederat: cum ſubito tantus dolor viſcerum eum invaſit ut vocife- D rans atque eiulans, ſe eâdem hora moriturum putaret. Ad cuius vocem, quæ in Monaſterio erant virgines protinus cucurrerunt, eique cuius eſſet ſepolchrum ſupra quod ſederat, indicaverunt. Qui pro ignorantia veniâ poſtulatâ, meritis Dei famulæ cœlitus meruit medicinam.

In eadem urbe Monaſterium eſt, quod Sanctæ [41]. Sophiæ dicitur, huic Caſinenſi Monaſterio ſubditum, in quo quidam à pueritia ſanctæ converſationis & magnæ humilitatis Monachus fuit, qui infra annos adoleſcentiæ nimio languore præventus ad extrema perductus eſt. Ad cuius exitum congregati fratres, hymnis & pſalmis Deo cœperunt eius animam commendare: Sanctorumque cœtus in eius auxilium attentius invocare: qui creſcente languore defunctus eſt. Sed dum ad lavandum eius corpus aqua præparatur, per unam ferè horam exanimis iacuit. Cumque qui aderant, orationi & pſalmodiæ inſiſterent, ſubito corpus eius omne contremuit, ac paulatim reuiuiſcés B cunctis mirantibus in lectulo conſedit. Dein interrogatus, cœpit illis, quæ egreſſus de corpore viderat referre, dicens: cum anima mea vobis litanias canentibus, Sanctoſque Domini invocãtibus, de corpore egrederetur, mox ad preces veſtras Sancti, quos invocaſtis, meum in auxilium advenerunt. Cumque illi ab eo requirerent, ſi illos, quos nunquam viderat, cognoſcere potuiſſet? reſpondit, Sanctum Benedictum, & Sanctum Gregorium cognovi, B. Donatum, & Felicem cum reliquis, qui in hac Eccleſia requieſcunt, Sanctis, meum in auxilium venire conſpexi. Inter quos Beatus Mercurius patronus noſter velut ſplendidum ſidus rutilans videbatur: quem cum interrogaſſent, utrumnam in hac vita eſſet moraturus? minime inquit, nam B. Mercurius hodiè, ſe ad me aſſumendum venire ſpopondit. Quæ ut dixerat vera fuiſſe, rei exitus comprobavit. Eodem namque die ex hac luce ſubtractus, ab illis proculdubio eſt receptus, quos antea moriens, ſuum in auxiliũ venire conſpexi. Ego denique in eodem Monaſterio F poſitus, unum ex illis, qui affuerant teſtibus Sicenolfum nomine, ſuperſtitem vidi; qui cuncta hæc ut dicta ſunt ſe vidiſſe, & audiviſſe profitebatur.

Huius Libri tertij finis, totuſque quartus in M. S. Autographo Vaticanæ Bibliotheca ſignato numero 1203. qui Langobardorum literis deſcriptus, Caſinenſis Cœnobij à tribus quondam uſui fuiſſe cognoſcitur, deſiderantur.

NOTÆ.

1. Vide Lauretum ad Chron. Oſt. lib. 2. cap. 78. Petr. Damian. tom. 1. lib. 2. epiſt. 10. Baron. ann. 1057. n. 15. & ſeq. & anno 1074. n. 28. 29. 57. Chron. Genebrardi ad ann. 1074.

2. Eo uſque peſtis illa Nicolaitarum iſtis ſeculis invaluerat, & præcipuè in Germania, ut inceſtuoſa coniugia Clerici non tantum publicè inirent, ſed & impudentiſſime propugnarent, cum omnes pene per vitiorum abrupta præcipites, & tanquam furentis equi per voluptatum ſuarum campos ferebantur effræues; G præſertim ſi vera ſunt quæ Lambertus Schafnaburgenſis narrat iſtis temporibus. Animaduertendum tamen eſt non omnes Clericos itâ in profundum incontinentiæ demerſos, ut uxores ducerent, ſed potiùs ex eis nonnullos magis incontinentes tumultuatos aduerſus decretum Gregorij Septimi Prædeceſſorum veſtigiis inhærentis de Clericorum continentia ſeruanda dicendo melius eſſe nubere quam uri, & dum conſuetum curſum naturæ negaret Gregorius, fornicationi & immunditiei fræna laxaret. Sub hoc igitur prætextu uxores ducebãt. Vnde verè Sacerdotibus illius æui contigit, quod dixerat Propheta Malachias primo: *Vos receſſiſtis de via & ſcandalizaſtis plurimos in lege, irritum feciſtis pactum Levi, propter quod & ego dedi vos cõtẽptibiles & humiles in omnibus populis.* Vide opuſc. 5. B. Petri Dam. quod inſcribitur de privilegio Rom. Eccl. Baron. an. 1074. n. 28. 29. 57. & Bellar. de Cleric. c. 19.

H 3. Tullenſis enim ſpecialiter Epiſcopus fuit vocatus à Gregorio VII. in Synodo anno 1075. ad dicendam cauſam de ſimonia, & cohabitatione cum muliere, quam habebat ut coniugem. O propudium illius ſeculi! Vide Baron. ad ann. 1074. num. 57.

4. Stephanus Papa X. zeli Phinees æmulatus ardorẽ omnes Clericos Romæ, qui poſt interdictũ Papæ Leonis IX. incontinẽtes extiterãt, inter quos forſan aliqui uxorati, aut ut potius dicam publici concubinarij exiſtebant, de convento Clericorũ & choro Eccleſiæ præcepit exire, pudor enim & honeſtas perierat, & dum Eccleſiaſtici vigoris ſenſim diſciplina collabebatur, inundans vitiorum ac pravitatum omnium in dies peſtis augebatur. Vide Baron. ann. 1057. n. 15. & ſeq.

5. Benedictus huius nominis nonus, qui & Theophilactus Alberici Comitis Tuſculani filius, puer duodecim annorum, largitione, ac tyrannide patris Pontifex in ſedem Romanam intruditur anno Domini 1034 O facinus toto lachrymarum fonte lugendum! Quali,

deinde fuerit iste Benedictus, & quàm turpi vitæ deditus una cum eius infelici ad inferos damnatione, qui scire cupit, legat Baron. ad ann. 1033. & seq. Diac. in vita Benedict. aliosque de vita Rom. Pont scribentes. Horrendum certè ac detestabile erat visu videre sedentem in eminenti Petri solio puerum Quid enim non patitur Ecclesia, si Principes se immisceant in iura non sua? quæ non tentat flagrans Præfecturæ cupiditas.

6. Ioannes Episcopus Sabinensis, qui Silvester tertius Antipapa dictus. Baron. ad ann. 1044. n. 2.

7. Benedictus suaso Sancti Bartholomæi Abbatis Cryptæ Ferratæ discipuli Sancti Nili cessit sede.

8 Hunc Ioannem alij Gratianum nominant, qui postea fuit Gregorius sextus, & licet à Desiderio simoniæ sugillatus reperiatur, sciendum tamen est hæc de Gregorio retulisse, quia talis ferè ab omnibus indoctis, & præsertim ab æmulis habebatur, non adhoc benè nota ipsi Desiderio causa zeli & charitatis Gregorij, calumniamque propterea non legitimi Pontificis patiebatur, sed usurpatoris ferebat nomen licet re verâ liberator Ecclesiæ Dei potiùs dicendus erat, quàm simoniacæ labis infectus, ut Otho Frisigensis fideliter narrat; & si fuerit depositus tanquam simoniacus ab hoc Concilio Sutrino præsente Henrico secundo Imperatore; viri tamen gravissimi & doctissimi illius temporis, & simoniacorum hostes implacabiles, inter quos Petrus Damian. datis etiam ad ipsum Gregorium sextum epistolis, & Hildebrandus qui postea de industria Gregorius Papa septimus nominari voluit, ut monstraret Gregorium sextum fuisse verum Pontificem, & male ab Henrico exturbatum non alia reverà ex causa (quidquid denique prætexeret) quam quia ipso Imperatore inconsulto electus fuerat; sentiunt, inquam, hoc Concilium egisse quod non poterat, & Gregorium fuisse virum optimum ac sanctissimum, cum hæc largitio pecuniarum ab ipso facta, non emptio sedis, sed potiùs redemptio vexationis dicenda foret, adeóque necessaria ad pellendos tres sedis Apostolicæ invasores, ut meritò transactio & non simonia appellanda deberet, ideoque licita, ut tradit Layman. lib. 4. tract. 10. cap. 8. num. 23. allegatis Caietano, Soto, Suarez, Lessio. Deumque ipsum miraculo attestatum esse innocentiæ Gregorij sexti scribit Gregorius Polydorius in Gregoriano. Vide etiam Baron. ad ann. 1044. num. 6.

9. Videns Gregorius Papa sanctissimus fore conflandum dirum schisma, nisi Pontificatui renunciasset, imitatus ipse Gregorius Gregorium Nazianzenum, qui ob pacem conciliandam Ecclesiæ, sponte se abdicavit, & ipse eodem animo, eádémque virtute, Pontificiâ sede sponte cessit, sic enim illa temporum iniquitas postulabat.

10. Clemens secundus nomine Suidigerus Bambergensis Episcopus creatur Papa anno Domini 1047. veneno propinato, ut quidam scribunt confectus, ultra Montes è vita improvisò migrat nono die Octobris feria sexta.

11. Henricus tertius Imperator, Popponem Episcopum Brixinensem magni nominis, Romam Pontificem consecrandum mittit ann. 1048. & Damasus secundus appellatur, fuit is dies ut quidam tradunt, Iulij mensis decimus septimus Dominicus: & Præneste die nonâ Augusti feriâ tertiâ è vita excessit; funus in Vrbem relatum & ad Ecclesiam Sancti Laurentij extra muros conditum est, veneno sublatum opera Benedicti noni sedis invasoris, ut quidam referunt.

12. Leo nonus in summum Pontificem eligitur ann. Domini 1049. antea vocatus Bruno Tullensium Episcopus. Hugonis filius Comes de Dagsburg. &c. Monachus Tullensis Congregationis Cluniacensis ex nobili Francorum prosapia oriundus Idibus Februarij fuit Romæ consecratus, auditâ priùs Angelorum voce cantantium: Ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis.

13. Is fuit Gregorius septimus antea Hildebrandus natione Tuscus, creatus anno Domini 1073. obiit verò ano. 1085. cuius sanctitas veneratur in Martyrologio Romano, sub die 25. Maij, licet à Schismaticis & Hæreticis ac præcipuè à Melchiore Haiminsfeldio Goldasto in suis constit. Imperial. edit. 1607. adversus Gregorium delatrantibus simoniæ insimulatus fuerit: ad quam deindè calumniam depellendam Gregorius perceptione divinæ Eucharistiæ suam probavit innocentiam, hortatus Henricum regem, in cuius gratiam calumnia illa conflata fuerat, ut ipse similiter in testimonium innocentiæ quoad crimina, de quibus arguebatur, communicaret, invocato in testem Christo, qui in Eucharistia percipitur, quod Rex malè sibi conscius noluit facere. Postrema morientis Gregorij verba fuêre: Dilexi iustitiam, & odivi iniquitatem, propterea morior in exilio. Pro Greg. pugnant Baron. ann. 1085. Nicol. Sander. de visib. Eccl. Mon. Genebrar. in Chronich. Sigon. de Regno Italiæ: præterea ad quinquaginta testes innocentiæ Gregorij producit Gretserus in apolog. pro Sanctissimo Gregorio septimo, consule etiam Marianum Scotum, & Lambertum Schafnaburg, qui illis ipsis temporibus claruerunt, & acta pura ac germana Gregorij per singulos annos digesserunt.

14. Sancti Leonis Papæ de fracto calice miraculum recitatur etiam apud S. Brunonem Episcopum Signens. in vita Leonis, & Baron. ann. Domini 1049. num. 28.

15. Refertur etiam hoc miraculum à Baron. ann. Domini 1049. num. 29. Gravitatem verò criminis simoniæ demonstravit pariter etiam supplicium Iustini imperatoris, qui in phreneticis morbum & insaniam incidit: ita ut nihil quicquam earum rerum, quæ fierent, intelligeret. Niceph. 17. hist. cap. 33. & 39. Antiochus quoque huiusmodi supplicio punitus refertur 2. Mach. 9. Cur igitur non dissolvuntur renes eorum formidine, qui modò non timent, sed perfricta fronte impietatem profitentur; dum hi, qui in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis confidunt, tamquam phrenetici, ac mente capti deinde conspiciantur, verumque experiantur illud dictum: Homo per ea quæ peccat, per eadem torquetur. O quam terribilis Deus in consiliis super filios hominum.

16. Obiit S. Leo nonus Pontifex Max. anni Domini 1054. die 19. Aprilis feria tertia, & in Martyrol. Rom. inter Sanctos adscriptus, cum tenuisset Pontificatum annos quinque, menses duos, & dies octo.

17. De miraculis Sancti Leonis tam in vita, quam in morte patratis, vide S. Brun. Signien. Episcopum in vita Leonis, Wibertum Archidiac. coætaneum dict. Leonis, Ostiensem in Chron. lib. 2. cap. 86. & 88. Baron. ann. Domini 1049. & seq. Qui sanctus Pontifex inter innumera suæ bonitatis insignia quamdiù Romæ remoratus est, omni tempore tribus per hebdomadam diebus à Lateranensi Ecclesia usque ad S. Petrum privato habitu nudisque pedibus cum duobus, aut tribus Clericis nocte psallendo, & orando pergebat, affirmat Ost. in Chron. dict. lib. 2. cap. 88.

18. Victor secundus creatur Papa ann. 1055.

19. Cui nomen erat Diethmarus, qui ipsis Kalendis Februariis anni à nato Christo 1040. Episcopatui Curiensi posito Rhætiæ ad Rhenum fluvium præficitur, & abiit anno 1070. cum triginta annis laudabiliter ac utilissimè præfuisset. Vide Guilimannum lib. 4. de rebus Helvetiorum, cap. 2. & Chron. Ioann. Gualteri.

20. Hoc grande miraculum de curato muto refertur etiam à Baron. ann Domini 1054. num. 45.

21. De Cadaloo. Vide Baron. ad ann. 1064. n. 29. 30 & seq.

22. Derisor Sancti Leonis dat pœnas, vide Baron. ann. 1054 num. 46.

23. Petrus Ticinensis cognomento simoniacus, Theuzonis Mediæbarbæ filius init Episcopatum, anno Domini 1062.

24. Petri

24. Petri simoniam deteaisse eius patrem narrat Andreas Iannensis in actis Sancti Ioannis Gualber.c.61.

25. Cuius rei epistola gravissima extat populi Florentin. Alexand.II. Papæ scripta, quâ totus rei ordo & veritas continetur.

26. Hic fuit Sanctus Ioannes Gualbertus Abbas Vallis Vmbrolæ cuius sanctitas veneratur in Martyrol. Rom. sub die 12. Iulij.

27. Propter incredulitatem humanam deficientibus aliis humanis ad veritatem eruendam subsidiis præcedente tamen legitimâ accusatione in tribunalibus, examinatio per ignem antiquitus admittebatur, ut observari licet in Iuone Carnot. epistol. 4.205.251.252. 254.280. & in Rosvveid. lib. de fide hæret. serv. cap. 12. Vnde appellabatur divinum testimonium, ut in epistola 235. Arnulphus accusatus in Synodo Rhemensi cap. 30. *Meumque vernaculum Episcopis tradam, qui per ignitos vomeres incedens, Deum de te iudicare manifestis declares indiciis.* Sic Copres per ignem fidem catholicam veram esse probavit lib. 2. cap. 9. in vit. Pat. edit. à Rosvv. Andreas etiam Spoletinus Franciscanus in Mauritania Fossæ Rege, & Principibus spectantibus, ut ostenderet Christi doctrinam, quam prædicabat, veram esse, flammis circumdari non tenuit, & inter illas diu permansit illæsus. Franciscanus quidam pariter, & Hier. Savonarola Florentiæ in ignem periculum facturi ingredi parati erant. Vide Petrum Delphinum lib. 4. epist. 68. ad Petrum Barotium datâ die 15. April. 1498.

28 De latitudine, longitudine ac altitudine rogi extructi. Vide Thomam Boa de sign. Ecclesiæ lib. 9. sign. 35. cap. 5. §. 18. & Ant. Yepes Chron. cent. 6. cap. 4. tom. 5. S. Arch. Sanct. Antoninum 2. part. tit. 15 cap. 17. §. 5. Gononum & Surium in vita Sancti Ioannis Gualberti, aliosque auctores apud Didacum de Franchis in histor. Monast. Vallis Vmbros. lib. 12.

29. Hic fuit ex nobilissima Aldobrandinorum Familia tantæ humilitatis, ut vaccarum custodiam in Cœnobio libenter acceperit, qui postea ob illustre ignis prodigium Petrus igneus dictus est: deinde vero renunciatus Episcopus Cardinalis Albanensis, & in catalogo Beatorum, sub die 8. Ianuarij Martyrol. Bened. adscriptus, vide Baron. ad ann. 1063. num. 57.

30. Mappulam Ordo Romanus appellat; quâ pituita oculorum, narium, & oris detergebatur; alij sudarium & cingulum brachiale.

31. Contigit hoc prodigium, seu ut potius dicam, Babylonium miraculum præsentibus omnibus Clericis & laïcis promiscui sexus & ætatis ferè ad octo millia in Septimiano Cœnobio quinto ab urbe Florentina milliario distante, anno Domini 1063. die 16. Febr. quarta feria in prima hebdomada Quadragesimæ. Meminit huius facti Baron. in annal. d. ann. sed prolixè narratur in vita S. Ioannis Gualberti, & in Thoma Bozio de signis Eccl. lib. 9. sign. 15. cap. 5 Ad lævam Maioris Ecclesiæ Monasterij inspicitur locus, quo Petrus per ignem illæsus pertransiit, ibique ad futuram facti memoriam nonnulli versus incisi leguntur; imò, mirabile dictu, ex prædicto loco tantum odoris fragrantiam emanare ad hæc usque tempora testantur Monachi in prædicto Cænobio commorantes, in signum miraculique evidentiam, ut omnes pene mirentur de tam ingenti odoris suavitate dispersa.

32. Adeò æquo animo Petrus iustissimam tulit sententiam, ut etiam consus intra Septimianum claustrum voluerit vitam monasticam profiteri. Vide Abb. Vghellum sacrarum historiarum excellenti cognitione ac peritiâ insignem in sua Italia sac. tom. 3. in Episc. Florent.

33. Vide Baron tom. 11. an. Dom. 1055. n. 17. cui prodigio interfuit etiam Hugo Abb. Cluniac.

34. Idcirco Spiritus sanctus non potuit exprimi à simoniaco, quia et appropiantur dona gratiæ, in quæ simoniacus est iniuriosus vendens illa. Ex hoc discant qui per pecuniam ad dignitates Ecclesiasticas provecti in templo Dei sedent, quàm fœdum, quam enorme, quàm horrendum sit simoniæ flagitium: meminerint, omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputari, & à Divo Ambrosi culpam inexpiabilem nuncupari. Vtinam seculi nostri mores talia non paterent monstra, & tolleretur è medio quantocyus, verbis utor Petri Damiani, tartareæ amaritudinis aconitum, ne, quod absit, letale venenum influat.

35. Quievit in pace S. Alferius Salernitanus Monachus Cluniacensis primus Abbas Monasterij Cavensis, & discipulus Sancti Odilonis, anno Domini 1050. pridie idus Aprilis, de quo Baron. dict. anno num. 16.

36. Successit. S. Alferio Leo eius discipulus, & sanctitate proximus, refert Baron. anno 1050.

37. Theodata seu Theodorada Ducis Romualdi uxor ann. Domini 682. adiunxit Ecclesiæ Sancti Petri Monasterium Monialium magnæ devotionis, cuius vestigia ad hæc usque tempora videntur ad radices montis Sancti Felicis. Paulus Diaconus de gestis Longobardorum libro 6. capite 2.

38. Vixit Offa circiter annum Dom. 1070.

39. Vide Sanct. Capuan. Mich. Monachi in not. ad S. Offam.

40. Ob suam tantùm devotionem, sola ac secretò altare cum odoribus circumibat. Rem istam paululum diversè à Desiderio narrat etiam Petrus Damian. lib 8. epistola 5.

41. De Monasterio Sanctæ Sophiæ, vide Leonem Ostien. lib. 1. cap. 9. & Chronol. Archiep. Benevent. Marij de Vipera.

Finis Sæculi Vndecimi.

F 18.